

✠
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 226.

Yo El Maestro fray Placido de Tosantos General de
la congregacion de San Benito, Predicador de su Magestad
y calificador del consejo supremo de Inquisicion he expurgado
por Comision suya, este libro, conforme al catalogo del Año
de 1612 — en madrid, a. 12. de Enero — 1688

Fr. Placido de Tosantos

Expurgado segun el expurgatorio de el año de 1747
fr. Alonso Ferrer

Ecl. 23
Sand 3
Vol 4

BIBLIOTHECÆ [illegible] PATRVM,

veterum

SEV,

SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM

TOMVS QVINTVS.

Qui conſcriptas ab illis Paræneſes, & varia de Moribus Opuſcula complectitur.

Per MARGARINVM DE LA BIGNE, *ex alma Sorbonæ Schola, Theologum Doctorem Pariſs.*

EDITIONE SECVNDA.




PARISIIS,

M. D. LXXXIX.

CVM PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA PROVINCIAL
SORIA



PARAENETICORVM, SEV

OPVSCVLORVM QVÆ DE MORIBVS IN MELIVS INSTITVENDIS, ~~SANCTI~~ veteres PATRES *conscripserunt, & huius sacræ Bibliothecæ Tomo quinto comprehenduntur, Index.*

D. HERMÆ, qui S. Pauli discipulus fuit, Libri 3. Ἀποκρίσεις col 1
S. Patris nostri MARCI Eremitæ Opuscula Theologica. col.67
Rescriptum à NICOLAO missum ad Marcũ Exercitorem, ob præcepta salutaria quæ illi per Epistolam scripserat. col.134
S. MARCI Exercitoris capitula, ad Temperantiam pertinentia. col.135. Eiusdẽ disputatio cum seculari quodam Causidico. col.143. Eiusdem, Consultatio Intellectùs cum sua ipsius Anima. col.156
SALVIANI, Massilienſis Episcopi, de vero Iudicio & Prouidentia Dei, Libri 8. col.161. Eiusdem, ad Ecclesiam Catholicã toto Orbe diffusam, libri 4. col.259
S.P.N. IOANNIS Climaci vita, per Danielem monachum. col.307
S.P.N. Ioannis, cognomento Climâcis, seu Climaci, ad Ioannem Abbatem Raythu, Epistola. col.311. Eiusdem Opusculum cui Titulus, CLIMAX: siue, Scala Paradisi. col.312. Eiusdem, ad Abbatem Pastorem, de Pastoris Officio, Libellus: siue, Libri qui Paradisi Scala dicitur: Appendix. col.1581
S.P.N. IOANNIS Abbatis Raythu, ad S. Ioãnem Abbatem montis Sinay, cognomẽto, Climachum, Epistola. col.309. Eiusdem, in illius S. P. N. Ioannis Climacis, Climacem, Commendatio. col.1390. Scholia. 1393
S. DIADOCHI Episcopi Photices, Capita centũ de Perfectione spirituali. col.446
S. NILI Monachi capita parænetica 129. col.485. Eiusdẽ capita 150. de Oratione col.493. Eiusdem liber Asceticus. col.503. Eiusdem, aduersus vitia, Orationes Octo. 540
THALASSII humilis Monachi, ad Paulum Presbyterum, de sincera charitate ac vera continentia, necnon de regimine mentis, Hecatondes 4. col.549
GILDÆ Sapientis, de Excidio Britanniæ. col.569. Eiusdem, in Ecclesiasticum ordinem, acris correptio. col.587
IDIOTÆ, viri sancti, Contemplationum & Orationum libri tres. col.601. Eiusdem, Regulæ, vitam Christianam complectentes. col.665. Eiusdem, Annotationes in Psalmum decimum quintum. col.666
ISAACI Syri, Presbyteri Antiocheni, de contẽptu Mundi: liber vnus. col.669
TESTAMENTA duodecim PATRIARCHARVM, ex Sixti Senẽsis Bibliotheca. *Sic quidem habet huius Libri titulus, col.731. idque nimium turpi Typographorum inertia, quem proinde sic te oportet restituere, ô Lector.*
TESTAMENTA DVODECIM PATRIARCHARVM, FILIORVM IACOB: D. Roberto Lincolinensi Episcopo, Interprete.

Patriarcharum 12. Filiorum Jacob, Testamentum, est peruetustus: Liber quem ex Hebræo translatum in Græcum, Latinè vertit Robertus, Lincolinensis Episcopus. Narrantur in eo plurima tum prophetica oracula, tum adhortamenta ad virtutem ac Dei cultum, &c: multa quoque inseruntur in ipso vaticinia ex libro Henoch, &c. Meminit huius Operis, Origenes, Homilia 15. in Josue, & Procopius Gazæus, in Commentariis cap. 38. Geneſ.

SIXTI 2. Ex Atheniensi Philosopho, Pont. Maximi & Martyris, sententiæ interprete Ruffino Presbytero Aquileïensi. col. 769

Sancti SIXTI, Tertij, Pontificis Maximi: Liber, de diuitiis. col. 777. Eiusdem Epistola, de malis Doctoribus & operibus Fidei, & de iudicio futuro. col. 811. Eiusdem liber de Castitate, ad quendam verè Christianum. col. 846

ANTONII, Melissæ, siue Sermonum & locorum communium Libri duo, Conrado Gesnero, & Ioanne Ribitto, Interprett: restituti plerisque locis ad Græcorum Autographorum fidem, & Cõmentariolis illustrati, per R. P. Magistrum Frontonem, ex sancta Societate nominis Iesu, Theologum Parisiensem. 878.

Loci communes Sententiarum quas, S. Pater Maximus, ex sacris & prophanis libris Græcis congessit, Ioanne Ribitto Interprete. col. 1013. Eiusdẽ S. Maximi varia capitula, tum Theologica, tum Oeconomica, de virtute & Vitio: Centuriis quinque distincta. col. 1173. Eiusdem de duabus Domini Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi naturis, libellus. col. 1262. Eiusdem, de Incarnatione Verbi, Dialogus. col. 1263

FERRANDI, sanctæ Ecclesiæ Carthaginensis Diaconi, ad Reginũ Comitem, Paræneticus: qualis esse debeat Dux religiosus, in actibus militaribus. col. 1281

D. ORESIESIS, Monachi antiquissimi, Regulæ de Institutis monasticis, diuino sale condîtæ. col. 1301

D. MARTINI Episcopi Dumiensis, Formula honestæ vitæ, siue, de Quatuor Virtutibus cardinalibus: liber vnus. col. 1321. Eiusdem, de Moribus, liber vnus. col. 1327.

P. N. Euagrij, ad Anatolium, de Octo vitiosis Cogitationibus, liber. col. 1329

Sancti NILI, de Octo vitiosis Cogitationibus, Liber. col. 1333

DACRIANI Abbatis, spiritualis vitæ Documenta. col. 1347. Eiusdem, Speculum Monachorum. col. 1351

S. EDMVNDI, Theologi Parisiensis, & Canthuariensis Archiepiscopi: ad Cistercienses, Pontiniacensis Monasterij Monachos: Libellus, qui dicitur Speculum Ecclesiæ, Christianis omnibus vtilis apprimè & necessarius. col. 1425

D. ROBERTI de Sorbona, qui sancti Ludouici Regis Galliarum Christianissimi Pœnitentiarum Oeconomus fuit, Opuscula quædam: descripta initio vita illius per M. D. L. B. col. 1453

BASILII Imperatoris Constantinopolitani, Exhortationum Capita sexaginta sex: ad Leonem Filium, cognomento Philosophum. col. 493

Beatissimi & Seraphici Patris nostri sancti Francisci Opuscula. col. 1509

ANTIQVORVM PATRVM SEV SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM, PARÆNESES; SACRÆ BIBLIOTHECÆ

TOMVS QVINTVS.

DE HERMA, † ET EIVS PASTORE, SIVE PASTORALI LIBRO.

† Damasus PP. in vita Pij. I. P. M. Hermetē siue Hermem hūc, Pij illius. 1. fratrē fuisse ait, in libro Pontificali.

Ex Pij I. Pont. Maximi Epistola decretali, ad omnes Christi Fideles.

NOsse vos volumus quòd Pascha Domini, die Dominica, annuis solennitatibus sit celebrandum. Istis ergo temporibus, Hermes, Doctor fidei & Scripturarum, effulsit inter nos: Et licet nos, idē Pascha, prædicta die celebremus, & quia tamen quidam inde dubitárunt, ad corroborandas eorum animas, eidem Hermæ, Angelus Domini in habitu Pastoris apparuit & præcepit ei vt Pascha die Dominico ab omnibus celebraretur: vnde & vos Apostolica authoritate instruimus, omnes eadem seruare debere, &c.

Ex Origenis, περὶ ἀρχ. 1. Lib. Cap. 3.

2 lib. Mandat. 1.

IN eo Libello qui Pastoralis dicitur de Angeli positione, quem Hermes conscripsit; ita refertur: Primo omnium; crede quia vnus est Deus, &c.

Ex eiusdem περὶ ἀρχ. lib. 3. Cap. 2. & Hom. 35. in Lucæ Caput 18.

lib. 2. Mandat. 6.

SEd & de Pastoribus, Liber; hæc eadem declarat, dicens quòd bini Angeli singulos quosq; hominū comitentur, &c.

Ex eiusdem περὶ ἀρχ. Lib. 4. Cap. 2.

Vision. 2.

VT homo, sic Scriptura constat Corpore & anima: Quod nos etiam in Libello PASTORIS *(qui à nonnullis contemni videtur) designatum videmus, cùm iubetur Hermes, duos libellos scribere; & posteà denūciare Presbyteris Ecclesiæ, quæ didicit à Spiritu:* Et scribes *(inquit)* 2. Libellos, & dabis vnum Clementi, & vnum Graptæ; *&c.* Vision. 3.

Ex eiusdem Hom. 9. in Numerorum Caput 14.

QVod dies peccati, in annum pœnæ reputetur (inquit) non solùm in hoc Libro, in quo nihil est omnino de quo dubitari possit, ostenditur; sed & in Libello PASTORIS *(si cui tamen scriptura illa recipienda videtur) similia designantur.*

Ex eiusdem Hom. 13. in Ezechielis Caput 27.

IN Libro PASTORIS, *in quo Angelus docet Pœnitentiam; 12. Virgines habent nomina sua, Fides, Continentia, &c. Potestis quippè legere si vultis: Deinde quando turris ædificatur, cùm assumpseris fortitudines Virginum, pariter accipies quod de portis dicitur: Ornamentum quippè est tibi vnaquæque virtus, &c.*

Ex eiusdem lib 10. Commentariorum in Caput 16. Epistolæ ad Romanos.

SAlutate Asyncrytum, Herman, &c. Puto (inquit) quòd Hermas iste, sit scriptor Libelli illius qui PASTOR *appellatur: quæ scriptura, valde vtilis videtur mihi: &, vt puto, diuinitùs inspirata, &c.*

Ex S. Patris N. Athanasij, Archiepiscopi Alexandrini Libro de Incarnatione Verbi, &c.

EX vtilissimo PASTORIS *Libro primò crede vnum esse Deum qui condidit omnia, fecitq; vt essent quæ non erant: quod & Paulus indicat, Heb. 11.* fide intelligimus *(inquit)* verbo Dei esse perfecta secula, *&c.*

Ex eiusdem Apologetico 1. pro Synodi Nicenæ decretis, contra Hæresim Arrianam.

HI (de Eusebianis loquitur) *sunt, vt* PASTOR *dixit, Progenies Diaboli, quiq; , specimen potiùs cauponum quàm Magistrorum præ se ferant*, &c.

Ex eodem Apologetico.

IN PASTORE *quoque scriptum habetur (nam & inde etiam, quanquã is Liber ex Canone non sit, allegationes faciũt) Ante omnia crede quòd vnus sit Deus qui omnia creauit: sed id nihil ad Filium spectat: loquitur enim Liber, de omnibus per Filium creatis, &c.*

Ex Eusebij Ecclesiasticæ Historiæ Libri 3. Cap. 3.

Idẽ Niceph. Hist. Lib. 2. Cap. 46. Idem Niceph. Hist. Lib. 4. Cap. 14.

QVONIAM *Apostolus ipse in salutationibus quas extremæ Epistolæ ad Romanos attexit: inter alios, etiam Hermæ cuiusdam (cuius opus esse ferunt qui* PASTORIS *Libellus inscribitur) mentionem facit: intelligendum est; istum, tametsi in quæstionem à nonnullis vocatur, ac propterea Scripturis omnium assensu approbatis, nullo modo annumerandus ducitur; ab aliis tamen perneccssarium; iis præsertim qui primis Fidei elementis imbuendi sunt, iudicatum esse. Vnde hoc quidem tempore, eum non modò in Ecclesiis palam per-uulgatum, verùm etiam eius testimonia à nonnullis veterum Scriptorum, in suis libris citata animaduertimus.*

Ex eiusdem Historiæ Libri 5. Cap. 8.

LIBRVM *item* PASTORIS, *non modò legendo cognouit* (de D. Irenæo loquitur) *sed etiã approbatione confirmauit:* Præclarè *(inquit)* loquitur Liber *(librum* PASTORIS *intelligit)* qui sic loquitur; *Primùm omnium, vnum Deum esse credito, &c.*

Ex D. Hieronymi Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo.

HERMAM, *cuius Apostolus Paulus ad Romanos scribens, meminit:* Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patronam, HERMAM & qui cum eis fratres sunt: *asserunt esse authorem Libri qui appellatur* PASTOR: *& apud quasdam Græciæ Ecclesias, etiam publicè, legitur: Re vera, vtilis Liber; multique, de eo, Scriptorum veterum, vsurpauerunt testimonia, sed apud Latines penè est ignotus.*

Ex Theodoreti Ecclesiasticæ Historiæ, 1. Libri Cap. 8.

QVIN-*etiam pro se citauerunt Arriani, sententiam Libri qui* PASTOR *inscribitur, quæ ita se habet:* Primùm omnium, credito vnum esse Deum, &c.

Ex Sixti Senensis, Bibliothecæ sanctæ, Libro 2.

HERMAS, *Opus edidit Græco sermone, 3. Libris distinctum, quorum primus, Ecclesia, inscribitur; Secundus,* PASTOR: *Tertius* Similitudinum. *Citatur à Clemente Alexandrino, Stromatum, Lib. 6. Origene, Homilia 10. in Iosue, Irenæo, 1. Lib. contra Hæreses: Cassiano, Collationis. 13. Capite 12. Gratiano. 34. 9. 2. Ego dixi Pastori: Lombardo & Ruffinus in explicatione Symboli, eum inter Scripta Ecclesiastica numerat cum Libris Tobiæ, Iudith, & Machabæorum: demùm tamen reiectus est à Gelasio inter fidei dubiæ scripturas: vt arbitror, ad hæreticorũ subuersionem, non Arrianorum quidem, (quorum hæresi affine aliquid dixisse tamen videtur: Lib. 3. Similitudine, videlicet, semen humanum, cum Filio Dei, fuisse à Deo ditatum) sed Nouatianorum quibus initium videtur dedisse quod non semel ait, 1. Libri Mandato. 4. non esse secundam Pœnitentiam.*

HERMÆ, QVI D. PAVLI DISCIPVLVS FVIT,

EIVS OPERIS QVOD A PATRIBVS, PASTORIS, siue Pastoralis nomine inscribitur & citatur. Lib. I.

Liberius a Gelasio merito in hac apocrypha refert?

VISIO PRIMA.

Contra turpes, & elatas cogitationes, & negligentem Hermæ filiorum castigationem.

QVi enutriuerat me, vendidit quandam puellam Romæ. Post multos autē annos hanc visam ego recognoui, & cœpi eam diligere vt sororem. Exacto autem tempore aliquo, lauari eam in flumine Tyberi vidi & porrexi ei manum, & eduxi eam è flumine. Viſáque ea, cogitabā in corde meo dicens: Felix essem, si talem vxorem & specie & moribus fortitus essem. Hoc solum, nec vltra quicquam cogitaui. Post tempus autem aliquod cum iis cogitationibus proficiscens, honorificabam creaturam Dei, cogitās quàm magnifica & pulchra sit. Et dum ambulassem, obdormiui. Et spiritus me rapuit, & tulit me per quēdam locum ad dexteram, per quem nō poterat homo iter facere. Erat autem locus ille in rupibus, & abruptus, & inuius ab aquis. Cúmque trāsissem locum illum, veni ad planiciem: & genibus positis, cœpi orare Dominum, & confiteri peccata mea. Et orante me, apertum est cœlum, & video mulierem quam concupiueram, salutantem me de cœlo, & dicētem: Herma, aue. Et ego prospiciens illam, dico ei: Domina, quid tu hic facis? At illa respondit mihi: Recepta sum huc, vt peccata tua arguam apud Dominum: Domina, inquam, num tu me argues? Non, inquit. Sed audi verba quæ tibi dictura sum. Deus qui in cœlis habitat, & condidit ex nihilo ea quæ sunt, & multiplicauit propter sanctam Ecclesiam suam, irascitur tibi quoniam peccasti in me. Respondens dico ei. Domina si in te ego peccaui, vbi, aut quo in loco, aut quādo tibi turpe verbum aliquod locutus sum? Nónne semper te quasi dominam arbitratus sum? Nónne semper te reueritus sum velut sororem? Quid in me comminiſceris hæc tam nefanda? Tunc illa arridēs mihi, ait: In corde tuo ascendit concupiscentia nequitiæ. An non videtur tibi, viro iusto iniquam rem esse, si ascēderit in corde illius mala concupiscentia? Peccatum est ei, & quidem grande. Iustus enim vir, iusta cogitat. Cogitante ergo illo quæ iusta sunt, & rectè eo incedente, in cœlis propitium habebit Dominum in omni negotio suo. Qui autem nefanda cogitant in cordibus suis, mortem & captiuitatem sibi assumunt: maximè ij, qui seculum hoc diligunt, & gloriantur in diuitiis suis: & qui non expectant futura bona, vacuātur animæ eorum. Hæc autem faciunt dubij, qui non habent spem in Domino, & contemnunt & negligunt vitam suam. Sed tu ora ad Dominū & sanabit peccata tua, totiúsque domus tuæ, & omnium sanctorum. Postquā autem locuta est verba hæc, clausi sunt cœli. Et ego totus eram in mœrore & metu, & dicebam intra me: Si hoc mihi peccatum adscribitur, quomodo potero saluus esse? Aut quomodo exorabo Dominum pro peccatis meis abundantissimis? Quibus verbis rogabo Dominum, vt mihi propitius sit? Hæc me recogitante, & discernente in corde meo, video contra me cathedram de lanis candidis, sicut nix, factam magnam. Et venit mulier anus in veste splendida, habens librum in manu, & sedit sola, & salutauit me, Herma aue. Et ego mœstus & plorās, dixi: Domina aue. Et illa dixit mihi: Quid mœstus es Herma, qui eras patiēs, & modestus, & semper hilaris? Respondens dico ei: Domina, contumelia mihi obiecta est à muliere optima, dicente quod peccaui in eam. At illa dixit mihi: Absit à seruo Dei res ista. Sed fortè in corde tuo ascēdit illius concupiscentia. Est quidē in seruis Dei talis cogitatio, peccatū inferens. Non enim debet hæc cogitatio abhortēda, esse in seruo Dei: neq; spiritus probatus, concupiscere malū opus: & præcipuè Hermas, qui est continens ab omni concupiscētia scelesta, & est omni simplicitate plenus, & innocētia magna. Veruntamen non causſa tui irascitur Dominus, sed propter domū tuam quæ nefas admisit in Dominū, & in parentes suos. Et tu cùm sis amator filiorū, non commonuisti domum tuam, sed dimisisti illos conuersari violenter, propter hoc enim irascitur tibi dominus. Sed sanabit omnia quæ in te gesta sunt mala in domo tua. Propter illorū enim peccata & iniquitates, consumptus es à secularibus negotiis. Iam enim misericordia Dei misserta est tui, & domus tuæ, & conseruauit te in gloria: tu tantum noli vagari, sed animæquus esto, & conforta domū tuam. Tanquam ærarius producēs opus suum, exponi ei cui vult: sic & tu verbum quotidianum, iustum docens, abscindes grande peccatum. Ne desinas ergo commonere natos tuos, scit enim Dominus quod pœnitentiam agēt ex toto corde suo, & scribet te in libro vitæ. Cúmque finisset verba hæc, ait mihi. Vis audire me legētem? Dico ei, Domina, Volo. Esto ergo auditor. Et reuoluto libro, legebat glorioſe, magnificè, & mirificè, quæ non poteram in memoria retinere. Erant enim verba terrifica, quæ non poterat homo sustinere. Nouissima tamen verba memoriæ mandaui, erant enim pauca, & vtilia nobis. Ecce Deus virtutum, qui inuisibili virtute, & magno sensu suo condidit mundum, & honorifico consilio circundedit decorem creaturæ suæ, & fortissimo suo verbo confixit cœlum, & fundauit terram super aquas, & virtute sua potenti condidit sanctam Ecclesiam suā, quam benedixit, ecce † transferet cœlos ac montes, colles, ac maria, & omnia plena fient electis eius, vt reddat illis repromissionem quam repromisit, cum, multo honore & gaudio seruauerint legitima Dei, quæ acceperūt in magna fide. Cúmque consumasset legendo, exurrexit de Cathedra: & venerunt quatuor iuuenes & tulerūt item Cathedram ad orientem. Et vocauit me ad se, & tetigit pectus meum, aitque mihi: Placuit tibi lectio mea? Dico ei: Domina, hæc mihi nouissima placent, priora autem sæua & dura sunt. At illa ait mihi. Hæc nouissima iustis, priora autem † refugis & Ethnicis. Et cum loqueretur mecum, duo quidam viri apparuerunt & sustulerunt illam in humeris, & abierunt vbi & Cathedra erat ad orientem. Hilaris autem discessit. Et cùm abiret, ait mihi, Confortare Herma.

Leuis concupiscētia, grauis est in viro iusto.

Contra superbos.

Diabolio Mundi est in fidelibus.

Ira Dei ob negligentē filiorū castigationē.

Hermę pœna ob peccata domesticorum.

† mutabit loquitur dominus de nouis cœlis, in quibus habitabit iustitia, hoc est, de noua creatura.

† Apostatis defectoribus.

VISIO II.

Rursum de negligenti vxoris loquacis, & filiorum libidinosorum castigatione & eius modo.

CVm verò proficiscerer cum his, circa illud tempus quo & anno priore ambulans, commemoratus sum anni prioris visionem. Rursúmque me abstulit spiritus, & duxit me in eundem locum quo anno primo, & honorificaui nomen eius, quod dignum me arbitratus sit, & manifestauerit mihi peccata pristina. Et cum surrexissem ab oratione, video contra me anum illam, quã & anno superiore videram, ambulantem, & legentem libellum aliquem. Et ait mihi, Potes hæc electis Dei renunciare? Dico ei: Domina, tanta, in memoria retinere non possum: da autem mihi libellum, & describam. Accipe, inquit, & restituas mihi illum. Vt autem accepi, in quendam locum agri secedens, descripsi omnia ad literam, non inueniebam enim syllabas. Cúmque consummassem scripturam libelli, subitò de manu mea raptus est libellus, à quo autem, non vidi. Post quindecim autẽ dies cum ieiunassem, multúmque rogassem Dominum, reuelata est mihi scientia scripturæ. Erat autem scriptura hæc: Semen tuum Herma, deliquit in Dominum, & prodiderunt parẽtes suos in nequitia magna. Et audierunt proditores parentum & prudentes profecerunt. Sed etiam nunc adiecerunt peccatis suis libidines, & commaculationes nequitiæ, & sic impleuerunt iniquitates suas. Sed impropera verba hæc filiis tuis omnibus, & coniugi tuæ quæ futura est soror tua. Et ipsa enim compescat linguã suam in qua malignatur. Et auditis verbis his, continebit se, & consequetur misericordiã. Erudietur enim, postquam improperaueris illi hæc verba, quæ mandauit ille dominator, vt tibi reuelentur. Tunc remittentur illis peccata quæ iampridem peccauerunt, & omnibus sanctis, qui peccauerunt vsque in hodiernum diem, si ex toto corde suo egerint pœnitentiam, & abstulerint à cordibus suis dubitationes. Iurauit enim Dominator ille per gloriam suam, super electos suos, præfinita ista die, etiam nunc si peccauerit aliquis, non habiturum illum salutem. Pœnitentiæ enim iustorum habent fines: impleti sunt dies pœnitentiæ omnibus sanctis, gentibus autem pœnitentia vsque in nouissimo die. Dices ergo eis qui præsunt Ecclesiæ, vt dirigant vias suas in iustitia: vt recipiãt in pleno repromissionem cum multa gloria. Permanete ergo qui operamini iustitiam & sic facite, vt sit transitus vester cum sanctis Angelis. Felices vos, quicunque sustinetis pressuram superuenientem magnam, & quicunque non negauerit vitam suam. Iurauit enim Dominus per filium suum: Qui denegauerit Filium & se, spondentes se vitam illius, & ipsi denegaturi sunt illum in aduenientibus diebus. Ij autem qui nunquam denegauerint, ob nimiam misericordiam propitius factus est illis. Tu autem Herma, noli meminisse iniuriarum filiorum tuorum, sed nec sororem tuam negligas, sed cura vt emendentur à pristinis peccatis. Erudientur enim doctrina ista, si tu iam non fueris memor iniuriæ illorum. Memoria enim iniuriarum mortem operatur, obliuio verò earum vitam æternam. Tu autem Herma magnas tribulationes seculares sustinuisti, propter præuaricationes domus tuæ, quoniam illas, vt ad te nihil pertinentes, neglexisti, & in negotiationibus tuis malignis implicitus es, sed illud te saluum faciet, quod non discesseris à Deo viuo. Et simplicitas tua, & singularis continẽtia, saluum facient te, si permanseris. Et omnes saluos facient, quicunque huiuscemodi operantur, & ingrediuntur in innocentia & simplicitate. Hi qui huiusmodi sunt, inualescent aduersus omnes nequitias, & permanebunt in vitam æternam. Felices omnes qui operantur iustitiam, non absumentur vsque in vitam æternam. Dices autem: Ecce magna tribulatio venit. Si tibi videtur, iterum nega. Propè est Dominus conuertentibus, sicut scriptum est in Heldam & Modal, qui vaticinati sunt in solitudine populo. Reuelatum autẽ est mihi fratres dormienti, à iuuene speciosо, & dicente mihi: Anum illam, à qua accepisti libellum, quam putas esse? Et ego dixi: Sibyllam, Erras, inquit, non est. Quæ est ergo domine? Et dixit mihi, Ecclesia Dei est. Et dixi ad illum: Quare ergo anus est? Quoniam, inquit, omnium prima creata est, ideò anus: & propter illam mundus factus est: Post hæc autem visionem vidi in domo mea, & venit illa anus, & interrogauit me, si iam libellũ dedissem senioribus. Et respõdi. Adhuc non. At illa dixit: Bene feci sti, habeo enim quædam verba edicere tibi. Cum autem cõsummauero omnia verba, apertè scientur ab electis. † Scribes ergo duos libellos: & mittes vnum Clementi, & vnum Graptæ. Mittet autem Clemens in exteras ciuitates, illi enim permissum est. Grapte autem commonebit viduas, & orphanos. Tu autem leges in hac ciuitate cum senioribus qui præsunt Ecclesiæ.

Num.

Sibylla. Ecclesia quàm antiqua.

† Locũ hũc interpretatur de duplici Scripturæ sensu, Orig. περὶ ἀρχ. Lib. 4. Cap. 1.

Ieiunium Hermæ.

Coniux, futura Soror.

Iniuriarum obliuio, & memoria.

Cauendus error Nouatianus

VISIO III.

De Triumphantis Ecclesiæ structura, & variis hominum Reproborum ordinibus.

VIsio quam vidi fratres, visio talis erat. Cum ieiunassem frequenter, & precatus essem Dominum, vt mihi ostenderet reuelationem quam pollicitus est ostẽdere per anum illam, eadem nocte apparuit mihi anus illa, & dixit mihi: Quoniã sic lãgues, & solicitus es ad sciendũ omnia, veni in agrũ, vbi vis: & circa horam sextam manifestabo me tibi, & ostẽdam tibi quæ oporteat te videre. Rogaui illam dicens: Domina, in quem locum agri? Vbi, inquit, vis, elige locum bonũ, secretum. Antequam autem loqui cœpissem, & dicere ei locum, ait mihi: Veniam vbi vis. Fui ego fratres, in agro, & obseruaui horas, & veni in locum vbi constitueram ei venire. Et video subsellium positum erat ceruical lineum, & super, linteum expansum carbasinũ. Videns hæc posita, & neminem esse in loco, stupere cœpi, & capilli mei exurrexerunt, & quasi horror me cõprehendit, cum essem solus. Ad me autẽ reuersus, & memoratus gloriam Dei, & accepta audacia, positis genibus cõfitebar Deo iterum peccata quæ prius. Ecce venit illuc cum iuuenibus sex, quos & ante videram, & stetit post me orantem, & audiebat me orantem, & confitentem Domino peccata mea. Et tãgens me, dixit: Desine iam pro peccatis tuis tantum orare. Ora & pro iustitia, vt accipias partem ex ea in domo tua. Et erexit me de loco, & apprehẽdit manũ meam, & adduxit me ad subsellium, & ait illis iuuenibus: Ite, & ædificate. Postquam autem discesserunt iuuenes, & nos soli fuimus, ait mihi: Sede hîc. Dico ei, Domina, sine

Oratio pro iustitia.

ſine ſeniores antè ſedere. Quod tibi dico, inquit, ſede. Cumq; vellem ſedere ad dexterã partem, non eſt paſſa, ſed annuebat mihi manu vt ad ſiniſtram partem ſederem. Cogitãte autem me, & mœſto exiſtente, quòd nõ ſiuit me ad dextram partem ſedere, ait mihi: Quid mœſtus es Herma? Locus qui eſt ad dextram, illorum eſt qui iam metuerunt Deum, & paſſi ſunt cauſa nominis eius. Tibi autem ſupereſt multum, vt cum illis ſedeas. Sicut manes, in ſimplicitate tua permane, & ſedebis cũ illis, & quicunque fuerint operati illorũ opera, & ſuſtinuerint quæ illi ſuſtinuerunt. Dico ei: Domina, vellem ſcire quæ ſuſtinuerũt. Audi inquit. Feras beſtias, flagella, carceres, cruces cauſa nominis eius. Propter hoc, illorum ſunt dextræ partes ſanctitatis, & quiſquis patietur propter nomen Dei: reliquorũ autem ſiniſtrę partes ſunt. Sed vtriſque eis, & qui ad dextrã, & qui ad ſiniſtram ſedent, ſunt dona & promiſſiones, tantùm; quòd ad dextram ſedẽtes habent gloriã quandam. Tu autẽ cupidus es ſedere ad dextrã cum eis: ſed † exiguitates tuæ multæ ſunt. Emundaberis autem ab exiguitatibus tuis. Sed & omnes qui dubij non fuerint, emundabũtur ab omnibus peccatis in hunc diem. Et cùm hæc dixiſſet, volebat abire. Et procidens illi ad pedes, rogaui illam per Dominũ, vt mihi demonſtraret quod repromiſerat viſum. At illa rurſus apprehẽdit manum meam, & erexit me, & fecit ſedere ſuper ſubſellium ad ſiniſtram: & eleuata virga quadam ſplẽdida, dixit mihi: Vides rem magnam? Dico ei: Domina nihil video. Ecce non vides cõtra te turrim magnam, quæ ædificatur ſuper aquas lapidibus quadris ſplẽdidis? In quadrato enim ædificabatur turris ab illis ſex iuuenibus qui venerãt cum illa. Alij autem multa milia virorum, adportabant lapides. Quidam autem de profundo trahebant lapides: alij de terra transferebãt, & porrigebant illis ſex iuuenibus. Porro illi accipiebant, & ædificabant. Hij autẽ qui de profundo extrahebantur lapides, omnes ſic ponebantur in ſtructurã: politi enim erant, & conueniẽtes commiſſuræ cum aliis lapidibus, ſicq; coniungebãtur alius ad alium, ita vt commiſſuræ eorum non paterent. Et in hunc modũ apparebat ſtructura turris, tanquã ex vno lapide ædificata. Cæteros autẽ lapides, qui adferebãtur de terra, quoſdam quidem reiiciebant, quoſdã verò adaptabant in ſtructurã. Alios excindebant, & proiiciebant longè à turri. Alij autem lapides multi circa turrim poſiti erant: & non vtebantur illis ad ſtructuram. Erãt enim quidam ex illis ſcabroſi, alij autem ſciſſuras habebant, alij verò cãdidi & rotundi, non conueniẽtes in ſtructuram turris. Videbam autẽ alios lapides proiici longè à turri, & incidentes in viã, & non manentes in via, ſed volui de via in locum deſertũ. Alios autem in ignem incidentes & ardentes. Alios cadẽtes ſecus aquã, nec poſſe volui in aquam, volentibus quidem eis intrare in aquam. Et cùm hæc mihi demonſtraſſet, volebat recedere. Dico ei: Domina quid mihi prodeſt hæc vidiſſe, & non ſcire quæ ſint hæ res? Reſpondens dixit mihi: Verſutus es homo, volẽs ſcire ea quæ circa turrim ſunt. Ita, inquam, Domina vt fratribus annũciem. & hilariores fiant, & hęc audiẽtes, honorificẽt Dominum cum multa gloria. Et illa ait: Audient quidem multi: & cum audierint; quidam ex eis gaudebunt, quidã autem flebunt. Sed & illi audientes ſi pœnitentiã egerint, & ipſi gaudebũt. Audi nũc de ſimilitudine turris omnia hæc, & hactenus mihi de reuelatione moleſtior eſſe noli. Reuelationes enim iſtæ finẽ habent, impletæ ſunt enim. Sed tu nõ deſinis in petendo reuelationes; † improbus enim es. Turris quidẽ quam vides ædificari, ego ſum Eccleſia quæ tibi apparui & modò, & priùs. Quodcũque igitur volueris, interroga de turri, & reuelabo tibi, vt gaudeas cũ ſanctis. Dico ei: Domina, quoniã me ſemel dignũ arbitrata es, vt omnia mihi reueles, reuela. Ait mihi: Quodcunq; oportuerit tibi reuelari, reuelabitur, tãtum vt cor tuũ apud Dominũ ſit, & ne dubites quodcunque videris. Interrogaui illã. Quare turris ædificata eſt ſuper aquas, Domina? Dixeram tibi & priùs, verſutũ te eſſe, circa ſtructuras diligẽter inquirentẽ: igitur inuenies veritatem. Quare ergo ſuper aquas ædificatur turris, audi. Quoniã vita veſtra per aquã ſalua facta eſt, & fiet. Fundata eſt enim verbo omnipotẽtis & honorifici nominis. Cõtinetur enim ab inuiſibili virtute Dei. Reſpõdens dico ei: Magnificè habent ſe res hæ. Illi autẽ iuuenes ſex qui ædificant, qui ſunt, Domina? Hi ſunt Angeli Dei, qui primò conſtituti ſunt, quibus tradidit Dominus vniuerſam creaturam ſuam ſtruendi, ædificãdi & dominãdi creaturæ illius. Per hos enim conſummabitur ſtructura turris. Cæteri autem qui adportant lapides, qui ſunt? Et ipſi ſancti Angeli Domini. † Cùm ergo conſummata fuerit ſtructura turris, oẽs ſimul epulabũtur iuxta turrim, & honorificabũt Dominũ, quoniam conſummata erit ſtructura turris. Interrogaui eam dicẽs; Vellem ſcire exitum lapidum, & vim eorum qualis ſit. Reſpondens autem, dixit mihi: Nunquid tu præ omnibus melior es, vt tibi reueletur? Alij enim priores te ſunt, & meliores te, quibus oportebat reuelari viſiones has, ſed vt honorificetur nomen Dei, tibi reuelatum eſt, & reuelabitur, propter dubios, qui cogitãt in cordibus ſuis, vtrúmne ſint hæc, an non ſint. Dic illis quòd hęc omnia ſunt vera, & nihil extra veritatem eſt, ſed omnia firma, certeq; fundata ſunt. Audi nũc & de lapidib⁹ qui ſunt in ſtructura. Lapides quidẽ illi quadrati, & albi, conueniẽtes in cõmiſſuris ſuis, ij ſunt Apoſtoli, & Epiſcopi, & doctores, & miniſtri qui ingreſſi ſunt in clemẽtia Dei, & Epiſcopatum geſſerũt, & docuerũt, & miniſtrauerũt ſanctè & moleſtè electis dei qui dormierunt, quiq; adhuc ſunt, & ſemper cum illis conuenerũt, & in ſe pacẽ habuerũt, & ſe inuicem audierũt. Propter hoc & in ſtructuram turris conueniunt commiſſuræ eorum. Qui verò de profundo trahuntur, & imponuntur in ſtructuram, & conueniũt commiſſuræ eorum cum cæteris lapidibus qui iam ædificati ſunt, ij ſunt qui iam dormierunt, & paſſi ſunt cauſa nominis Domini. Cæteri autem lapides qui adportabantur à terra, volo ſcire qui ſint, domina? Ait: Eos, quidem qui in terram vadunt, & non ſunt politi, illos Deus probauit, quoniam ingreſſi ſunt in æquitatem Domini, & direxerunt vias in mandatis eius. Qui autem adferuntur, & ponuntur in ſtructura turris, ij ſunt nouelli in fide & fideles. Commonentur autem ab Angelis ad benefaciendum, propterea quòd non eſt inuenta nequitia in illis. Quos autem reiiciebant, & ponebant iuxta

Sedes Martyrum.

Dextra, & Siniſtra Beatitudinis.

† vitia.

Lapidum multi ordines.

† moleſt⁹. Turris eſt Eccleſia.

Baptiſmus.

Angeli, primi Eccleſiæ architecti.

† Sed illi ſunt his excellẽtiores.

Eccleſiæ multi sũt ordines.

Peccatores pœnitẽtes. turrim, qui ſunt illi? Ij ſunt qui peccauerunt, & voluerunt pœnitentiam agere, propter hoc non ſunt longè proiecti à turri, quoniam vtiles erunt in ſtructura, ſi pœnitentiam egerint. Qui ergo pœnitentiam acturi ſunt, ſi egerint pœnitentiã, fortes erunt in fide, ſi nunc pœnitentiam egerint dum ædificatur turris. Nam ſi cõſummata fuerit ſtructura, iam qui non habet locũ vbi ponatur, ſed erit reprobus, ſolummodò autem hoc habebit, qui iam ad turrim Reprobi. poſitus eſt. Qui autem recidebantur, & longè proiiciebantur à turre; vis ſcire qui ſunt? Ij ſunt filij iniHypocritæ. quitatis, & qui crediderunt in ſimulatione, & omnis nequitia non diſceſſit ab eis: propter hoc nõ habent ſalutem, quoniam non ſunt vtiles iu ſtructura, propter nequitias ſuas. Quapropter exciſi ſunt & longè proiecti, propter irã Domini, quia exacerbauerunt eũ. Cæteros autẽ lapides quos vidiſti comApoſtatæ. plures poſitos, non euntes in ſtructurã; ij quidẽ ſcabroſi erant. Hi ſunt qui cognouerunt veritatem, & nec permãſerunt in ea, nec coniuncti ſunt Sanctis; propter hoc inutiles ſunt. Qui autem ſciſſuras haLitigioſi. bebãt: qui alius aduersùs alium in cordibus diſcordiam habent, & non habent pacem inter ſe: In præſentia quidem pacem habentes; cùm autẽ vnus ab † alio. † illo diſceſſerit, nequitia eorũ in cordibus permane.t Hæ ſunt ergo ſciſſuræ quas habẽt lapides. Qui verò curti ſunt; ij ſunt qui crediderunt quidẽ, plurimã partem habẽtes iniquitatis; propter hoc curti, & nõ integri ſunt. Candidi autẽ & rotundi, & non conuenientes in ſtructurã turris: qui ſunt Domina? Reſpondens mihi, dixit: Vſquequo ſtultus es & inDiuites damnati. ſenſatus, & omnia interrogas, & nihil intelligis? Hi ſunt habentes quidem fidem, habẽtes autem & diuitias huius ſæculi. Cùm ergo venerit tribulatio: propter diuitias ſuas & negociationes abnegãt Dominum. Reſpondẽs, dico ei: Domina: quando ergo Diuitiæ impediunt ſalutem. vtiles erunt Domino? Cùm circũciſæ (inquit) fuerint diuitiæ eorum, quæ eos delectant: tunc erunt vtiles Domino, ad ædificium. Sicut enim lapis rotundus, niſi deciſus fuerit & abiecerit ab ſe aliquid, non poteſt quadratus fieri: ſic & qui diuites ſunt in hoc ſæculo, niſi circumciſæ fuerint diuitiæ eorum, nõ poſſunt Domino vtiles eſſe. A te primùm ſcito. Herma aliquando diues. Quãdo diues fuiſti, inutilis eras: nunc verò vtilis es, & aptus vitæ tuæ: nam & tuipſe ex eis lapidibus fuiſti. Cæteros autem lapides quos vidiſti longè proiectos à turri, & currentes in via, & volui de via in loca deſerta: ij ſunt qui crediderunt quidem; dubitatione autem ſua, reliquerunt viam ſuam veram, putantes ſe meliorem viam poſſe inuenire. Errant autem, & miſeri ſunt: ingredientes in deſertas vias. Infideles. Qui autem cadebant in ignem, & ardebant: ij ſunt qui in perpetuum abſceſſerunt à Deo viuo, nec amImpœnitentes. pliùs illîs aſcẽdit in corda, pœnitentiam agere: propter deſyderia libidinum ſuarum, & ſcelerum quæ operantur, Cæteri verò qui cadebant iuxta aquas, & non poterant volui in aquas; qui ſunt? Ij ſunt qui verbum audierunt, volentes baptizari in nomine Domini: quibus, cùm venit in memoriam ſanctitas veritatis, retrahunt ſe, ambulántque rurſus poſt deſyderia ſua ſceleſta. Conſummauit igitur enarrationem turris. Ego verò, cùm adhuc eſſem improbus; interrogaui illã: An iis omnibus lapidibus qui proiecti ſunt, nec conueniebant in ſtructurã turris: A an eſt pœnitentia, & habebunt locum in turre hac? Habent (inquit) pœnitentiam; ſed in hac turre non poſſunt conuenire: alio autem loco ponentur multo inferiore: & hoc, cùm cruciati fuerint, & impleuerint dies peccatorũ ſuorum. Et propter hoc trãſferentur, quoniam perceperunt verbum iuſtum. Et tunc illis cõtinget transferri de pœnis: ſi aſtẽderint in corda ipſorum, opera quæ operati ſunt ſceleſta. Quòd ſi non aſcenderint in corda ipſorum: non erunt ſalui, propter duriciam cordis ſui. Cùm ergo deſtiti interrogare illam de omnibus iſtis: ait mihi; Vis aliud videre? Cumq; cupidus eſſem ad vidẽdũ: hilaris factus ſum vultu. Reſpiciens me: ſubriſit, & B ait mihi: Vides ſeptẽ mulieres circa turrim? Video (inquã) Domina. Turris hæc (inquit) ab iis ſupportatur ſecundùm præceptũ Domini: Audi nunc effectũs earum. Prima quidem earum quæ continet manu Fides vocatur: per hãc ſalui fient Electi Dei. Alia verò quæ ſuccincta eſt, & viriliter agit: Abſtinentia vocatur: hęc filia eſt Fidei. Quiſquis ergo ſecutus fuerit illã, fœlix fiet in vita ſua, quoniã ab omnibus operibus malis abſtinebit: credens, quòd ſi ſe continuerit ab omni cõcupiſcentia, hæres erit vitæ æternæ. Cæteræ autem (inquã) Domina, quinque: quæ ſunt? Filiæ (inquit) inuicẽ ſunt. Vocatur autem quædã. Simplicitas, alia, Innocẽtia, alia, Modeſtia, C alia, Diſciplina, alia autẽ, Charitas. Cùm ergo ſeruaueris opera matris earũ, omnia poteris cuſtodire. Volebã ſcire (Domina) quam quæq; earum habeat virtutẽ. Audi; inquit: Virtutes æquales habent; connexæ autem ad inuicem ſunt virtutes earum, & ſequuntur ſe inuicẽ ſicut natæ ſunt. Ex fide naſcitur abſtinẽtia: de abſtinẽtia, ſimplicitas; de ſimplicitate, innocẽtia; de innocentia, modeſtia; de modeſtia, diſciplina & charitas: harum ergo opera, ſancta, & pudica, & recta ſunt. Quicunque ergo ſeruierit his, & voluerit tenere opera earũ; in turri habebit habitaculum cum ſanctis Dei. Interrogaui illã de temporibus, ſi iam Cõſummatio eſt? Illa autẽ exclamauit D voce magna, dicens: Inſenſate homo; nónne vides turrim ſemper ædificari? Quãdò ergo conſummata fuerit turris, & ædificata; habet finem: ſed & citò cõſummabitur. Noli me ampliùs interrogare quicquam: Sufficiat tibi & omnibus ſanctis, cõmemoratio iſta, & renouatio ſpirituũ veſtrorum. Sed non tibi hę ſoli reuelata ſunt; ſed vt omnibus demonſtres ea. Poſt triduum enim intelligere te oportet, Herma, verba hæc quæ tibi incipio dicere, vt loquaris ea in auribus ſanctorum; vt audiẽtes ea, cùm fecerint, emundentur à nequitiis ſuis; ſed & tu cum illis. Audite me ergo, filij! Ego vos enutriui in multa ſimplicitate, & innocentia, & modeſtia, propter E miſericordiã Dei, quæ ſuper vos ſtillauit in iuſtitia; vt ſanctificemini & iuſtificemini ab omni nequitia, & omni prauitate: vos autẽ non vultis requieſcere à nequitiis veſtris. Nunc ergo audite me & pacem habete alius cum alio, & viſitate vos alterutrum, & ſuſcipite inuicem, & nolite ſoli creaturas Dei percipere. Abundãtiùs etiam impertite egentibus. Quidam enim compluribus cibis, infirmitatem carnis ſuæ cõtrahunt, & violant carnem ſuam: Aliorum autem qui non habẽt eſcas, marceſcit caro ipſorum propter id quod non habent ſufficientem cibum; & conſumitur corpus eorum. Hæc igitur

Purgatorium. Caute lege

Locũ hunc citat Orig. Hom. 13. in Ezech. Ca. 27.

Abſtinentia fidei filia.

Virtutum nexus.

Corpus læditur Gula, & inédia.

Exhortatio ad opera Charitatis.

tur intemperantia, nociua est vobis habentibus & non communicantibus iis qui egent. Attendite iudiciũ superueniens. Qui eminentiores estis; inquirite esurientes, dum adhuc Turris non est consummata. Postquã enim consummata fuerit turris; voletis benefacere, & non habebitis locũ. Videte ergo vos qui gloriamini in diuitiis vestris, ne forte ingemiscant ij qui egent: & gemitus eorum ascendat ad Dominum, & excludamini cum bonis vestris extra ianuam Turris. Nunc itaque vobis dico qui præëstis Ecclesiæ, & amatis primos consessûs; nolite similes fieri maleficis. Et malefici quidẽ, venena sua in pixidibus baiulant; vos autem venenũ vestrũ & pharmacum in corde continetis, & non vultis purgare corda vestra, & permiscere sensum vestrum puro cordi vt habeatis misericordiã à Rege magno. Videte ergo filij, ne forte hæ dissensiones vestræ fraudẽt vitam vestrã. Quomodò vos erudire vultis Electos Dei, cùm ipsi non habeatis disciplinam? Commonete ergo vos inuicem, pacatiq; estote inter † eos; vt & ego coram patre vestro astans, rationem reddam pro vobis Domino. Cumq; desiisset mecum loqui, venerũt illi sex iuuenes qui ædificabant; & tulerunt illam ad turrim, & alij quatuor sustulerunt subsellium, & abierunt ipsi iterum in turrim: horum faciem non vidi, quoniam auersi erãt. Euntem illam rogabam, vt mihi reuelaret de tribus figuris in quibus mihi apparuit. Respõdens autem mihi; dixit: de his alium te oportet interrogare, vt tibi reueletur. Apparuit autem mihi (fratres) prima visione, anno superiore, valde Anus & in cathedra sedens. Alia autem visione, faciem quidem iuuenilem habebat, carnem autem & capillos anîles, & stans mihi loquebatur, hilarior autẽ erat quàm primùm. Tertia autẽ visione, tota iunior erat & aspectu decôra; tantùm quòd capillos anîles habebat: hilaris autem facie erat; & super subsellium sedens. De his ipsis mœstus eram valde, donec cognoscerem visionem hanc. Video Anum illam in visu nocte, dicentẽ mihi: Omnis rogatio humilitate eget: Ieiuna ergo, & percipies à Domino quod postulas. Ieiunaui ergo diem vnam. Eadem nocte apparuit mihi Iuuenis, & ait: Quid tu frequẽter petis reuelationes in oratione? vide ne multa postulans, noceas carni tuæ. Sufficiant tibi reuelationes hæ: nunquid poteris fortiores reuelationes videre, quàm quas vidisti? Respõdens ei dico? Domine, hoc solum peto, pro tribus figuris illius Anus, vt integra fiat reuelatio. Respondit mihi: Vos non insensati estis; sed dubitationes vestræ vos insensatos faciunt, eò quòd non habeatis cor vestrum ad Dominum. Respondi illi, & dixi: Sed à te ea diligẽtiùs cognoscemus. Audi (inquit) de figuris quas inquîris. In prima quidẽ visione quare Anus tibi apparuit super cathedram sedẽs; quoniam spiritus vester antiquior, etiã marcidus est, & non habens vim à vestris infirmitatibus & dubitatione cordis: Sicut enim seniores qui non habent spem renouãdi, & nihil aliud expectant nisi dormitionem suam; sic & vos infirmati à secularibus negotiis, tradidistis vos in socordiam, & non proiecistis à vobis sollicitudinem in Domino, & confusus est sensus vester, & inueteraſtis in tristitiis vestris. Quare ergo super cathedram sedebat; volebam cognoscere Domine! Respondit: quoniam omnis infirmus super cathedram sedet, propter infirmitatẽ suam; vt contineatur infirmitas eius. Ecce habes figuram primæ visionis. Secunda autem visione, vidisti illam statem, & iuuenilem faciem habentem, & hilariorem quàm pristinam; carnem autem, & capillos anîles. Audi (inquit) & hanc parabolam. Cùm senior iam fuerit aliquis; desperat de seipso propter infirmitatem suam & paupertatem, & nihil aliud expectat nisi diem extremũ vitæ suæ. Deinde subitò illi relicta est hæreditas, & audiens exurgit, hilarisque factus induit virtutem; & iam non discumbit sed stat, & liberatus est à prioribus mœroribus; & iam non sedet sed viriliter agit: Ita & vos audite reuelationem quam Deus vobis reuelauit: quia misertus est Dominus vestrî, & renouauit spiritum vestrum, & deposuistis infirmitates vestras; accessit vobis fortitudo, & inualuistis in fide, & visa Deus fortitudine vestra gauisus est. Propter hoc demonstrauit vobis structuram Turris; & alia ostendet, si ex toto corde pacem habueritis inter vos. Tertia autem visione vidisti illam adolescentiorem, honestam & hilarem, & serenum vultum eius. Sicut enim, si alicui mœsto superuenerit nuncius bonus aliquis; statim oblitus est mœroris, nihilq; aliud expectat nisi annunciationem quam audiuit, & confortatur de cætero, & renouatur spiritus eius propter gaudium quod accepit: sic & vos renouationem accepistis spirituum vestrorum, videntes hæc bona. Et quia super subsellium vidistis sedentem, fortis positio est; quoniam quatuor pedes habet subsellium, & fortiter stat: nam & Mundus per quatuor elemẽta continetur. Qui ergo pœnitentiam egerint integrè, iuniores erunt; & qui ex toto corde pœnitentiã egerint, erũt fundati. Habes in pleno reuelationem, nihil ampliùs postules de reuelandis: si quid autẽ oportuerit, reuelabitur tibi.

Exhortatio ad Ecclesiæ Pastores.

† al. Vos.

Oratio eget humilitate, & Ieiunio.

Ecclesiæ triplex figura.

Senum cogitationes.

Pacis fructus, Scientia.

Pœnitentiæ vtilitas.

VISIO. IIII.

De Tentatione & Tribulatione, hominibus superuentura.

VIsionem vidi (fratres) post dies viginti pristinæ visionis, figuram tribulationis superuenturæ. Proficiscebar enim in illa via Campana: à via autem publica, in villam, sunt ferè stadia decem. Rarò autem iter fit per locum illum. Et solus ambulans, rogabã Dominum, vt reuelationes eius quas mihi ostendit per sanctam Ecclesiam suam confirmaret; & daret pœnitentiam omnibus seruis suis qui scandalizati sunt, vt honorificetur nomẽ eius magnum & honorificum: & quia me dignum existimauit vt ostenderet mihi mirabilia sua & eum honorificarem, & gratias agerem; tanquam vox mihi respondit: Ne dubites Herma. Intra me ergo cœpi cogitare & dicere: Ego quid habeo dubitare, sic fundatus à Domino; & qui vidi honorificas res? Progressus sum paululùm (fratres) & ecce video puluerem vsque ad cœlum: Cœpi dicere intra me; nunquid iumenta veniunt, & puluerem excitant? distabat autem à me, tanquam stadium. Et ecce video magis magisq; puluerem exurgentem; adeò vt suspicarer esse aliquid diuinitus. Pusillùm autem resplenduit Sol; & ecce video bestiam magnam veluti Cetum, & ex ore eius locustæ igneæ procedebant. Erat autem statura bestiæ illius, pedes ferè centum; Caput autem habebat tanquam vas vrnale. Cœpi flere, &

inuocare Dominũ, vt me liberaret ab illa. Deinde recordatus sum verbi quod audieram; ne dubites Herma. Indutus ergo (fratres) fidẽ Dei; & memoratus quis docuit me magnalia, audẽter in bestiam me tradidi. Sic autẽ veniebat bestia illa, ita vt posset in ictu ciuitatem delere. Veni prope illam, & tam grandis bestia extendit se in terram, & nihil nisi linguam proferebat; & in totum non mouit se, donec pertransissem illam totam. Habebat autem bestia illa super caput, colores quatuor; nigrum, deinde rubeum & sanguinolentum, inde aureum, deinde album. Postquã autem pertransiui illã, progressus sum ferè pedes triginta; & ecce occurrit mihi virgo quædam exornata, tanquam de thalamo prodiens, tota in albis, & calceamẽtis albis circundata; & vsque ad faciem, mittam habens: pro tegumento autem habebat capillos nitidos. Cognoui ergo à pristinis visionibus, quoniã Ecclesia est: & hilarior factus sum. Salutauit autẽ me, dicens: Aue tu, homo! Et illam resalutaui dicens: Domina, aue! Respondens autẽ dixit mihi: nihil tibi occurrit; homo? dico ei; Domina; occurrit mihi talis bestia quę posset populum consumere; sed virtute Dei, & singulari eius misericordia, euasi illã. Bene effugisti (inquit) quoniam solitudinem & solicitudinem tuam ad Dominũ proiecisti, & cor tuum aperuisti ad eum; credens quòd per nullum alium poteris saluus esse, nisi per magnũ & honorificũ nomen eius. Propter hoc misit Dominus Angelũ suum qui est super bestias, cui nomẽ est, Hegrin; & obturauit os eius, ne te dilaniaret. Magnam tribulationem effugisti, propter fidem tuam; & qui talẽ bestiam nõ dubitasti. Vade ergo; & enarra Electis Dei, magnalia ipsius: & dices illis; quòd bestia hæc figura est pressuræ superuenturæ. Si ergo præparaueritis vos; poteritis effugere illam si cor vestrum fuerit purum ac sine macula, & reliquos dies vestros seruieritis Deo sine querela. Immittite solicitudines vestras super Dominũ, & ipse diliget eas. Credite Deo qui estis dubij; quoniã omnia potest, & auertere iram suã à vobis, & mittere vobis præsidia. Væ dubiis iis qui audierint verba hæc, & cõtempserint: melius erat illis non nasci. Interrogaui eam de illis quatuor coloribus quos habebat bestia in capite. At illa respondit mihi; dicens: Iterum tu curiosus es, de rebus huiusmodi interrogãs. Et dixi: Domina; demonstra mihi quid sint illa? Audi (inquit) illud nigrum; Mundus est, in quo commoramini: Igneum autẽ & sanguinolentum, quoniam oportet seculum hoc per sanguinem & ignem deperire: Aurea autem pars; vos estis qui effugistis seculũ hoc. Sicut enim per ignẽ, aurũ probatur & vtile fit; sic & vos probamini qui habitatis in illis. Qui igitur permanserint & probati fuerint ab eis; purgabuntur. Et sicut aurum emendatur, & remittit sordem suam; sic & vos abiicietis omnem tristitiam & angustiam, & emundabimini in structuram Turris. Alba autem pars; superuenturi est seculi, in quo habitabũt Electi Dei; quoniam immaculati & puri erũt Electi Dei in vitam æternam. Tu ergo ne desinas loqui hæc auribus sanctorum. Habetis & figuram tribulationis superuenturæ magnæ. Nam si vos volueritis; nihil erit. In mẽte habete ista quæ præscripta sunt. Hæc cùm dixisset; discessit: non vidi autem quem in locũ abierit. Strepitus autem factus est; & auersus sum retrorsum, metuens; & putabam, bestiam illam aduenire.

Fecclesiæ figura, vt Virginis.

Hegrini; Angelus, bestiis præpositus.

Angelos rebus omnibus præsidere ait Origenes Hom. 8. in Hieremiam.

4. Colores Bestiæ.

HERMÆ; QVI D. PAVLI DISCIPULUS fuit; Liber II.

PROOEMIVM.

Angelus custos.

CVM orassem domi, & consedissem supra lectum; intrauit vir quidam reuerenda facie, habitu pastorali, pallio albo amictus, peram in humeris, & virgam in manu gestans, & salutauit me: Et ego resalutaui eum. Protinúsque consedit iuxta me, & ait mihi: Missus sum ab illo venerabili Nuncio, vt habitem tecum reliquos dies vitæ meæ. Et ego putabam, ipsum ad tentandum me
B *venisse. Et dico ei: Tu enim quis es? Ego enim noui cui traditus sum. Ait mihi: Non cognoscis me? Non, inquam. Ego (inquit) sum Pastor ille cui traditus es. Adhuc loquente eo; figura eius mutata est. Cúmque cognouissem esse eũ cui traditus fuerã: cõfusus sum, protinúsque metus me subiit, & totus mœrore confectus sum, quia ei respõderam insipienter. Ait mihi Noli confundi, sed virtutem concipe animo in Mãdatis meis quæ daturus sum tibi. Missus sum enim (inquit) vt quæ vidisti superiùs, omnia tibi rursus ostendam; præcipuè, quæ ex eis vtilia sunt vobis. Primùm omnium, Mandata mea, & species Similitudinum scribe: Reliqua autem, sicut ostendero tibi,*
C *sic ea scribes. Ideò autem præcipio tibi, primùm Mãdata mea & Similitudines scribere; vt subinde legendo, facilius ea custodire possis. Scripsi igitur Mandata & Similitudines, ita vt præcepit mihi. Quæ audita si custodieritis, atque in his ambulaueritis, & exercueritis ea mẽte pura, recipietis à Domino quæ pollicitus est vobis. Sin autem iis auditis, non egeritis pœnitentiam, sed adhuc adieceritis ad delicta vestra: à Domino, aduersa recipietis. Hæc omnia præcepit mihi scribere Pastor ille, nuncius pœnitentiæ.*

MANDATVM PRIMVM.

De fide in vnum Deum.

Locũ hũc citat Origenes, lib. 1. cap. 3. Eusebius, ecclesiasticæ Hist. lib. 5. & Nicephorus, lib. 5.

PRimùm omniũ, crede quòd vnus est Deus
D qui omnia creauit & consummauit, & ex nihilo omnia fecit. Ipse capax vniuersorum, solus immensus est. Qui nec verbo diffiniri, nec mente concipi potest. Crede igitur in eum, & time eum; & timens, habe abstinentiam. Hæc custodi; & abiice abs te omnẽ nequitiã, & inde virtutẽ iustitiæ; & viues Deo, si custodieris Mãdatum hoc.

MANDATVM II.

De fugienda obtrectatione, & Eleemosyna faciendain simplicitate.

Contra Obtrectatores.

DIxit mihi: Simplicitatem habe, & innocẽs esto,
E & eris sicut infans qui nescit malitiã, quæ perdidit vitã hominũ. Primùm de nullo malè loquaris, neque libenter audias male loquẽtem. Sin verò & tu audieris; particeps eris peccati, malè loquentis, & credens, tu quoque peccatum habebis quia credidisti malè loquẽti de fratre tuo. Pernicioſa est detractio: inconstãs dæmoniũ est: Nunquã in pace consistit: sed semper in discordia manet. Cõtine te ab illa, & semper pacẽ habe cũ fratre tuo. Indue cõstantiam sanctã in qua nulla sunt peccata, sed omnia læta sunt: & bene fac de laboribꝰ tuis. Omnibus inopibus da simpliciter, nihil dubitãs cui des. Omnibus da: omnibus enim, Deus dari vult de suis donis. Qui ergo accipiũt, reddent rationẽ Deo, quare accepe-

Detractio est Dæmonium incõstans.

Omnibus danda Eleemosyna Pauperes.

Pauperes, Eleemosynæ acceptæ rationem reddent.

acceperunt,& ad quid. Qui autem accipiunt fícta necessitate,reddent rationem; qui autem dat,innocens erit. Sicut enim accepit à Domino,ministeriũ consummauit nihil dubitando cui daret & cui non daret:& fecit hoc ministerium simpliciter glorioſè ad Deum. Custodi ergo mandatum hoc sicut tibi locutus sum;vt pœnitentia tua simplex inueniatur, & possit domui tuæ bene fieri: & cor mundũ habe.

MANDATVM III.

De fugiendo mendacio,& Hermæ pœnitentia ob simulationem.

ITerum mihi dixit:Veritatem dilige,& omnis sermo verus ex ore tuo procedat; vt Spiritus quem Dominus constituit in carne tua,verax inueniatur apud cunctos homines; & Dominus magnificetur qui dedit spiritum in te,quia Deus verax est in omni verbo & nõ est mẽdacium in ipso. Qui ergo mẽtiuntur, abnegant Dominum; non reddentes Deo depositum quod acceperunt:acceperunt enim spiritum sine mendacio. Hunc si mendacem reddunt; coinquinãt mãdatum Domini,& fraudatores fiũt. His auditis;ego vehementer fleui. Qui cùm flentẽ me videret;dixit mihi:quid ploras? Et dixi:quoniã Domine nescio an possum saluus esse! Quare? inquit. Et dixi:quia nunquam Domine,verum locutus sum verbum in vita mea, sed semper in simulatione vixi, & mendacium pro veritate affirmaui omnibus;& non mihi quisquam contradixit, sed fides habita est verbo meo. Quomodò ergo potero viuere,cùm sic egerim? Et dixit mihi: Tu quidem bene & verè sentis;oportebat enim te sicut Dei seruum,in veritate ambulare, & malam conscientiam cum spiritu veritatis nõ coniungere, nec tristitiam Spiritui Dei sancto & vero facere. Et dixi illi: nunquam (Domine) hæc verba tam diligenter audiui. Et dixit mihi:nunc audis: Cura deinceps, vt & illa quæ priùs locutus es falsa pro negotiis tuis;his verbis & illa fidem recipiant. Possunt enim & illa fidẽ recipere,si vera locutus fueris deinceps;& si veritatem seruaueris,poteris vitam consequi. Et quicunque audierit hoc mandatum,& fecerit,& recesserit à mendacio;viuet Deo.

Mendaces Deũ negãt

Simulatio.

MANDATVM IIII.

De dimittenda adultera.

MAndo(ait)tibi, vt castitatem custodias; & nõ ascẽdat tibi cogitatio cordis de alieno matrimonio,aut de fornicatione:hęc enim parit peccatũ magnũ. Tu autem semper memor esto Domini, omnibus horis;& nũquam peccabis. Si enim hæc cogitatio in cor tuum ascenderit tã mala;magnũ peccatũ facis:& qui hæc faciunt, viam mortis sequũtur. Vide ergo,tu;abstine te ab hac cogitatione:Vbi enim castitas manet in corde hominis iusti; nũquã ibi ascẽdere debet cogitatio mala. Et dixi illi: Domine permitte me pauca verba tecũ loqui. Dic;inquit. Et dixi illi: Domine; si quis habuerit vxorem fidelem in Domino,& hanc inuenerit in adulterio, nũquid peccat vir,si conuiuit cũ illa? Et dixit mihi: Quãdiu nescit peccatũ eius,sine crimine est vir viuẽs cũ illa. Si autẽ scierit vir vxorẽ suã deliquisse,& nõ egerit pœnitentiã mulier,& permanet in fornicatione sua, & cõuiuit cum illa; vir reus erit peccati eius,& particeps mœchationis eiº†. Et dixi illi: quid ergo,si permãseritin vitio suo,mulier? Et dixit: dimittat illã vir;& vir per se maneat. Quòd si dimiserit mulierẽ suã,& aliã duxerit & ipse mœchatur. Et dixi illi:Quid si mulier dimissa pœnitentiam egerit & voluerit ad virũ suum reuerti;nonne recipietur à viro suo: Et dixit mihi: Imò si non receperit eã vir suus,peccat;& magnum peccatũ sibi admittit: sed debet recipere peccatricem quæ pœnitentiam egit; sed non sæpè: Seruis enim Dei,pœnitentia vna est. Propter pœnitẽtiam ergo;nõ debet,dimissa coiuge sua,vir aliam ducere. Hic actus similis est in viro,& in muliere. Non solùm mœchatio est illis qui carnẽ suam coinquinãt;sed & is qui simulachrũ facit,mœchatur. Quòd si in his factis perseuerat,& pœnitentiam non agit;recede ab illa,& noli conuiuere cum illa, alioquin & tu particeps eris peccati eius. Propter hoc,præceptum est vobis vt cœlibes maneatis tum vir tum mulier:potest enim in huiusmodi,pœnitentia esse. Sed & ego nõ do occasionem vt hæc ita agantur;sed ne ampliùs,qui peccauerit, peccet. De prioribus autẽ peccatis eius;Deus qui potestatẽ habet sanitatem dãdi,dabit remedium,quia ipse est qui habet potestatẽ omniũ. Iterum interrogaui, & dixi:quoniam Dominus existimauit me dignũ esse vt mecum habites semper;pauca verba mihi edisserere quia non intelligo quicquam, & cor meũ obturatum est à pristina conuersatione: & sensum mihi aperi,quia vehementer obtusus sum,& in totũ nihil intelligo. Et respondẽs dixit mihi:Ego præpositus sum pœnitentiæ, & omnibus pœnitentiam agentibus sensum do. An non tibi videtur;pœnitẽtiam agere, magnam sapientiam esse;quoniam qui pœnitẽtiam agit,sensum magnum adipiscitur? Sẽtit enim se peccasse,& feciſſe nequiter in cõspectu Domini;& recordatur intellectu,quod deliquit;& pœnitentiam agit, & ampliùs non operatur nequiter, sed operatur bene,& humiliat animam suã, & torquet eam,quia peccauit. Vides ergo,quòd pœnitẽtia sensus est magnus. Et dixi illi:propter hoc(Domine)diligẽter inquiro omnia, quoniam peccator sum;vt sciã quæ operer,& viuã,quia multa sunt peccata mea. Et dixit mihi: Viues,si hæc mandata mea custodieris: & quicunque audierit & fecerit mandata hæc,viuet Deo. Et dixi illi:etiam nunc (Domine)audiuià quibusdã Doctoribus,quòd alia pœnitentia non est nisi illa cùm in aquam descẽdimus & accipimus remissionẽ peccatorum nostrorũ;vlteriùs non peccare, sed in castitate permanere! Et ait mihi:rectè audisti. Nũc autẽ, quia diligẽter omnia quæris;& hoc tibi demonstro,non dãs occasionem illis qui crediturí sunt aut qui crediderũt Domino. [redacted] Illis enim qui vocati sunt ante hos dies,posuit Dominus pœnitentiã. Quoniam cogitationes præcordiorũ nouit Deus,& scit infirmitatem hominũ, & multiplicem nequitiam Diaboli qua molitur aliquid siniſtri seruis Dei, & malignè insidiatur illis: misericors ergo Dominus,misertus est figmẽti sui. Et posuit pœnitẽtiã istã;& potestatẽ pœnitẽtiæ huius,mihi dedit. [redacted]

† Qui tenet adulteram, stultus est & insipiens, Prou.18.

Errornouatianorum de vnica pœnitẽtia. Idololatria est Adulterium spirituale.

Cauta Lega.

Pœnitẽtia, est magna sapientia.

Error. nouatianus.

Adultera dimittẽda quoad thorum.

[redacted] Et ego dixi: Domine, reuixi, vbi tam diligenter audiui hæc mandata. Scio enim, si postea nihil adiecero peccatis meis, saluus ero. Et dixit: Saluus inquam, & omnes quicunque fecerint hæc mandata, salui erunt. Et iterum dixi illi: Domine, quoniam patiẽter me audis, etiã hoc mihi demonstra. Dic, inquit. Si vir, vel mulier alicuius decesserit, & nupserit aliquis illorum, nunquid peccat? Qui nubit non peccat, inquit. Sed si per se manserit, magnum sibi cõquirit honorem apud Dominum. Serua ergo castitatem, & pudicitiam, & viues Deo. Hæc tecum loquor, & mando tibi, custodi deinceps ex quo tibi traditus sum, & in domo tua habito, & prioribus peccatis tuis erit remissio, si mandata mea custodieris. Sed & omnibus erit remissio qui mandata mea custodierint.

Secundæ Nuptiæ.

Magnus est honor Castitatis vidualis.

MANDATVM. V.

De Tristitia cordis, & Patientia.

AEquanimis (inquit) esto & patiens; & omniũ operum nequissimorum dominaberis, & operaberis omnem iustitiam. Quòd si patiens fueris, Spiritus sanctus qui habitat in te, mundus erit, & non obscurabitur ab aliquo nequissimo Spiritu; sed † gaudens dilatabitur, & epulabitur in vase in quo inhabitat; & apparebit Domino, hilaris in pace magna. Quòd si iracundia aliqua superuenerit; continuò Spiritus sanctus qui in te est, angustiabitur, & quæret discedere. Suffocatur enim aspectu nequissimo; & non habet locum apparẽdi Domino, sicut vult: tribulatur enim ab iracundia. Vtrique ergo Spiritûs cùm pariter inhabitant, pernicioſum est homini. Si quis enim assumat absynthij pusillũm, & mittat in amphoram mellis; nonne totum mel exterminabitur; & tantùm mellis à modico absynthio disperit & perdit dulcedinem mellis; & iam nõ habet gratiam apud Dominum suũ, quoniam totũ mel amarum factum est & vsum suum perdidit. Sed si in mel non mittatur absynthium; dulce erit, & in vsu Domino suo. Vide enim quàm sit æquanimitas dulcior melle; & vtilis erit Domino qui in ipsa commoratur: nam iracundia inutilis est. Si ergo mixta fuerit iracundia, æquanimitate; contribulatur animus, & non est vtilis Deo oratio illius. Et dixi illi: Vellem scire (Domine) nequitiam iracundiæ, vt custodiam me ab illa. Et dixit mihi: scies; &, si non custodieris te ab illa, perdes spem tuam cum tota domo tua: sed recede ab illa. Ego enim tecum sum Nuncius æquitatis, & omnes qui ab ea recedunt, quicunque pœnitẽtiam egerint ex totis præcordiis suis, viuent Deo, sed & cum illis ero, & cõseruabo omnes. Iustificati enim sunt omnes, qui pœnitentiam egerint, à sanctissimo † Nuncio. Audi nunc (inquit) nequitiam iracundiæ, quàm praua, quámque noxia est, & quo pacto seruos Dei euertit: qui enim pleni sunt in fide, non potest nocere illis, quoniam virtus Dei est cum illis, euertit enim dubios & vacuos. Quoties autem viderit tales homines, iniicit se in corda eorum, & de nihilo, aut vir, aut mulier amaritudinem percipit propter res quæ sunt in vsu, aut pro conuictu, aut pro aliquo verbo (si quod fortè incidit superuacuo, aut pro amico aliquo, aut debito, aut pro his similibus rebus superuacuis: hæc enim stulta sunt, & superuacua & vana seruis Dei. Æquanimitas autem valida est & fortis, & habet virtutem magnam, & sedet in amplitudine magna, hilaris, in pace, gaudens & honorificans Dominum in omni tempore mansuetè. Hęc enim æquanimitas habitat cum benefidentibus: nam iracundia stulta est & leuis, & fatua. De stultitia verò nascitur amaritudo, & ex amaritudine, iracundia, ex iracundia verò, furor. Hic ex tot malis creatus furor, operatur peccatum magnum & insanabile. Cùm enim hæc omnia in vno vase sunt, vbi & Spiritus sanctus moratur: non capit hos, vas, sed supereffluit: quoniam tener Spiritus non potest cum malo Spiritu immorari, recedit & habitat cũ mansueto, deinde cùm recesserit ab homine in quo habitabat, fit homo vacuus à Spiritu sancto, & postea repletur spiritibus malignis, & obcæcatur à cogitatione mala. Recede ergo tu ab iracundia, & indue animæquitatem, & resiste iracundiæ, & inueniêris cum pudicitia & castitate à Deo. Vide ergo, ne fortè negligas hoc Mandatum: si enim huic Mãdato obedientiam præstiteris, & cætera mandata mea quæ tibi mandaturus sum, poteris seruare. Cõfirma ergo nunc te in mandatis istis, vt viuas Deo, & quicunque seruauerint hæc mandata, viuent Deo.

Impatientia obscurat Spiritũ sanctum.

† Al. *Lætitia exultabit.*

Iracundia extinguit Spiritum sanctum.

Iracundiæ nequitia, & quàm leuia sint argumẽta.

Aequanimitas,

Iracundi stulti sunt & leues.

Castitas, Iracundiã superatam sequitur.

Qui resistit Iracundiæ, potest implere Dei mandata.

MANDATVM. VI.

De agnoscendis vniuscuiusque hominis duobus Geniis; & vtriusque inspirationibus.

PRæceperam (inquit) tibi in primo mandato, vt custodires fidem, & timorem & pœnitentiam. Etiam (inquam) Domine. Sed nunc tibi volo monstrare virtutes horum Mandatorum, vt scias effectûs illorum, quomodo ipsa posita sunt ad Iustum pariter & Iniustum. Tu itaque crede Iusto, Iniusto autem tu nihil crede: Iustitia enim rectã viam habet, at iniustitia prauam. Sed tu rectam viam custodi, prauam autem relinque. Praua autem via non habet exitum bonũ, sed offendicula multa habet: Aspera est & spinosa, & ducit ad interitum, & noxia est hominibus ambulantibus in illa: qui autem viam rectam petunt; æqualiter ambulant sine offensione, quia non est aspera, neque spinosa. Vides igitur quòd melius est per hanc viam incedere! Ibis enim (inquit) & quicunque ex toto corde crediderint in Domino; ibũt per illam. Audi nunc (inquit) primùm de fide. Duo sunt Genij cum homine: Vnus, æquitatis; & vnus, iniquitatis. Et ego dixi illi: quomodo (Domine) scire potero, quòd duo sunt Genij cum homine? Audi (inquit) & intellige. Æquitatis Genius tener est, lenis & verecundus, mansuetus & quietus. Cùm ergo in cor tuum ascenderit; continuò loquitur tecum de iustitia, de pudicitia, de castitate, de benignitate, de venia, de charitate, de pietate. Hęc omnia cùm ascenderint in cor tuum; scito quod Genius æquitatis tecum est: huic ergo Genio crede, & operibus eius. Accipe nunc & Genij iniquitatis opera. Primùm, amarus, iracundus,

Via iniustitiæ est spinosa.

Genij duo in Homine. *caute Lege*

Genius Aequitatis, qualis sit.

† al. *Angelo.*

Iracundia euertit parum fideles.

dus,& ſtolidus eſt;& opera illius pernicioſa ſunt,& euertunt ſeruos Dei. Cùm ergo in cor tuum aſcẽderint hæc; intelliges ab operibus eius, hunc eſſe Genium iniquitatis. Quomodò(Domine) intelligam? Audi (inquit)& intellige. Cùm iracundia tibi acceſſerit,aut amaritudo;intellige, eum eſſe in te:deinde cupiditas multorum operum,& optimorum ciborum,& ebrietatum,& appetentia multarum rerum alienarum,& ſuperbia,& multiloquia, & ambitio,& quæcunque iis ſimilia ſunt. Hæc ergo cùm in cor tuum aſcenderint;intellige Genium iniquitatis tecum eſſe. Tu ergo cùm cognoueris opera illius,recede ab illis omnibus; & nihil illi crede,quia mala ſunt opera illius, & non conueniunt ſeruis Dei. Habes ergo vtrorumque Geniorum opera: Intellige nunc & crede Genio æquitatis,quia doctrina illius bona eſt. Licet enim ſit feliciſſimus homo,& cogitatio alterius Genij aſcendat in cor illius;oportet illum virum, aut mulierem peccare. Si autem etiam nequiſſimus vir fuerit, aut mulier; & aſcenderint in cor illius,opera Genij æquitatis; neceſſe eſt,illum aut illam aliquid boni facere. Vides ergo quòd bonum eſt, Genium æquitatis ſequi. Si ergo illum ſecutus fueris, & credideris operibus illius;viues Deo:& qui crediderint operibus illius,viuent Deo.

Genius iniquitatis, quales cogitationes immittit nobis.

MANDATVM VII.

De Deo timendo, & Dæmone non metuendo.

TImc (inquit) Dominum, & Mandata eius cuſtodi. Seruans enim præcepta Dei, eris potens in omni actu & omne negotium tuum erit incomparabile. Timens enim Dominum, omnia bona operaberis. Hic eſt timor quo timere oportet, vt ſaluus eſſe poſſis. Diabolum autem ne timeas; timens enim Dominum, dominaberis illius quia virtus in illo nulla eſt: In quo autem virtus nõ eſt; is ne timendus quidem eſt. In quo verò virtus glorioſa eſt; is etiam timendus eſt. Omnis enim virtutem habens, etiam timendus eſt. Nam qui virtutem non habet, ab omnibus contemnitur. Time planè, facta Diaboli, quoniam malîgna ſunt: metuens enim, Dominum timebis, & opera Diaboli non facies ſed abſtinebis te ab eis. Duplex enim timor eſt. Si enim malum operari volueris; timens Dominum, ne id quidem facies. Si autem bonum operari volueris; timor vtique Domini validus, & ingens, & glorioſus eſt. Time igitur Deum, & viues. Et quicunque eum metuerint cuſtodientes mandata eius, eorum vita eſt apud Dominum; non cuſtodientium autem, nec vita in illis eſt.

Timor Dei.

Diabolus non metuẽdus.

Timor duplex.

MANDATVM VIII.

Declinandum eſſe à malis, & facienda bona.

DIxi tibi,inquit,quod creaturæ Domini duplices ſunt, & abſtinentia duplex eſt. A quibuſdam ergo abſtinere oportet,à quibuſdam verò nõ. Manifeſta,inquam,mi Domine, à quibus abſtinere oportet,& à quibus non. Audi, inquit: A malo abſtine,& noli id facere. A bono autem abſtinere noli,ſed fac illud. Si enim abſtinueris à bono,& nõ id feceris,peccabis. Abſtine igitur ab omni malo,& ſcies omnem iuſtitiam. Quales,inquam,malignitates ſunt hæ,à quibus abſtinere oportet! Audi, inquit. Ab adulteriis,ebrietatibus & comeſſationibus malignis, ab eſca nimia, à lautitia, & inhoneſtate,à ſuperbia,ab abnegatione,à mendacio,à detractione,à nequitia ficta,à recordatione iniuriæ,& à fama peſſima. Hæc enim ſunt opera iniquitatum à quibus abſtinere oportet ſeruum Dei. Qui enim ab iis abſtinere non poteſt, viuere Deo non poteſt. Audi nunc,inquit,& ſequentia eorum. Et quidem multa ſunt adhuc,à quibus abſtinere debet ſeruus Dei. A furto,ab abnegatione, à falſo teſtimonio,à cupiditate,à ſuperbia,& quæcũque iis ſimilia ſunt. Videntur ergo tibi hæc mala eſſe,an non? Equidem valde mala ſunt ſeruis Dei. Ab his ergo omnibus debet abſtinere ſeruus Dei. Abſtine ergo ab omnibus his,vt viuas Deo,& ſcribaris cum abſtinentibus. A quibus ergo debeas abſtinere, illa ſunt. A quibus autem non debeas abſtinere,audi. Ab omnibus bonis operibus noli abſtinere, ſed fac illa. Audi,inquit,virtutem bonorum operum quæ debeas operari,vt ſaluus eſſe poſſis. Primum omniũ eſt fides,timor Domini,charitas,concordia,æquitas,veritas,patientia,caſtitas. Iis nihil eſt melius in vita hominum, qui hęc cuſtodierint & fecerint in vita ſua. Deinde horum ſequentia audi. Viduis adminiſtrare,orphanos & pauperes non deſpicere,& ſeruos Dei ex neceſſitate redimere, hoſpitalẽ eſſe, hoſpitalitate enim inuenitur aliquando fructus bonus. Non contradicere,quietum eſſe,humillimũ fieri omnium hominum Maiores natu colere,ſtudere iuſtitiæ,fraternitatem conſeruare, contumelias ſufferre,æquanimem eſſe. Lapſos à fide nõ proiicere,ſed æquanimes facere,peccantes admonere, debitores non premere, & ſiqua iis ſimilia. Videntur tibi hæc eſſe bona,an non? Quid enim melius eſt,inquam,verbis iſtis. Viue ergo in his mandatis, & noli ab eis recedere. Si enim cuſtodieris hæc omnia mandata,viues Deo,& omnes qui cuſtodierint hæc mandata,viuent Deo.

Duplex Abſtinentia.

Fraternitatem conſeruare.

MANDATVM IX.

Poſtulandum à Deo aſſiduè, & ſine hæſitatione.

ITerum dixit mihi: Tolle à te dubitationem, & nihil omnino dubites. Petens aliquid à Domino, ne dicas intra te: quomodo verò poſſum aliquid petere à Domino, & obtinere, cum ſim peccator tantorum malorum in Dominum? Noli hoc cogitare,ſed ex totis præcordiis conuertere ad Dominum. Pete ſine dubitatione, & ſcies miſericordiam Domini, quod non te derelinquet, ſed petitionem animæ tuæ adimplebit. Non eſt enim Deus ſicut homines memores iniuriarum, ſed eſt immemor iniuriarum, & miſeretur figmenti ſui. Ergo purifica cor tuum ab omnibus vitiis huius ſæculi, & obſerua prædicta verba tibi à Deo data, & accipies omnia bona quæ petis,& ex omnibus petitionibus tuis nihil deerit tibi,ſi ſine dubitatione petieris à Domino. Qui ergo tales non ſunt,omnino ni-

Dubij non exorant

hil impetrant eorũ quæ petũt. Nam qui pleni sunt fide, omnia petunt fidentes & accipiũt à Domino, quia sine dubitatione petunt. Omnis enim dubitãs homo, si non pœnitentiam egerit, difficile Deo viuet. Purifica ergo cor tuum à dubitatione, & indue fidẽ, & crede Deo, & omnia quæ petieris, accipies. Sed si petas aliquando petitionem, & non accipias, noli dubitare, quia non citò acceperis petitionem animæ tuæ: forsitan enim propter tẽtationem, aut pro peccato tuo quod tu ignoras, tardiùs accipies petitionem tuam. Sed tu noli desinere petẽdo petitionem animæ tuæ, & accipies. Si autem cessaueris petendo, de te quæraris, non de Deo, quod non dederit tibi. Vide ergo dubitationem hanc, quàm pernitiosa sit & sæua, & multos radicitus euellat à fide, etiam valde fideles & firmos. Etenim hæc dubitatio filia est diaboli, & valde nequiter agit cum seruis Dei. Contemne ergo dubitationem, & dominaberis illius in omni re. Indue firmam fidem & potentem. Fides enim omnia repromittit, & omnia consummat. Dubitatio autẽ non credit se aliquid impetraturam omnibus operibus suis quæ agit. Vides ergo inquit, quòd fides desursum est à Deo, & habet virtutem magnam. Dubitatio autem terrenus spiritus est, & à diabolo, virtutem non habens. Tu igitur serua virtutem fidei: à dubitatione autẽ recede, quæ non habet virtutem, & viues Deo, & omnes viuent Deo quicunque hæc egerint.

Cur non exaudimur à Deo

Dubitatio

MANDATVM X.

De Animi tristitia, & non contristando spiritum Dei qui in nobis est.

LOngè fac à te omnem tristitiã, etenim hæc soror est dubitationis, & iracundiæ. Quomodo, inquam, Domine, soror est harum? Aliud mihi videtur tristitia, aliud iracundia, aliud dubitatio. Et ait: Sine sensu, non intelligis. Tristitia enim omniũ spirituum nequissimus est, & pessima seruis Dei, & omnium spiritus exterminat, & cruciat Spiritum sanctum, & iterum saluũ facit. Ego, inquam, Domine, insipiens sum & non intelligo quæstiones istas, quomodo possit cruciare, & iterum saluum facere, non intelligo. Audi, inquit, & intellige. Hi qui nunquam exquisierunt veritatem, neque inquisierunt de maiestate, sed tantùm crediderunt, sunt inuoluti in negotiis hominum Ethnicorum. Et alius mendax Prophetes est, qui perdit sensus seruorũ Dei, dubiorum autẽ non illorũ qui fidũt in Domino plenè. Illi ergo dubij quasi ad diuinũ spiritũ veniunt, & interrogant illum, quid illis futurũ sit. Et ille mendax Prophetes, nullam habens in se virtutem spiritus diuini, loquitur illis secundùm interrogationem illorum, & implet animas illorum promissis, sicut illi volunt. Ille autem Prophetes inanis est, & inania respondet inanibus. Quicquid enim interrogatur à vanis hominibus, vana respondet illis. Quædam autem verba vera loquitur. Diabolus enim implet eum spiritu suo, vt deiiciat aliquem ex iustis. Quicunque ergo fortes sunt in fide Domini, & induti sunt veritatem, talibus spiritibus non iunguntur, sed discedunt ab illis. Quotquot autem dubij sunt, & subinde pœnitentiam agunt, consulunt tanquam Ethnici & permagnũ sibi peccatum congerunt, Idolis seruientes. Quicũque ergo tales sunt, interrogant pro negotio quolibet, simulachra colũt, & stulti sunt, & inanes à veritate. Omnis enim spiritus à Deo datus, non interrogatur: sed habens virtutem diuinitatis, à se omnia loquitur, quia desursum est à virtute diuini spiritus. Qui autẽ interrogatus, loquitur secundùm desiderium, & aliis multis rebus huius seculi: huiusmodi non intelligunt quæstiones diuinitatis; obscurãtur enim iis negotiis, & corrumpuntur, & confringũtur. Sicut vites bonæ quæ negligũtur, ab herbis & spinis premuntur & necãtur; sic & homines qui talibus crediderunt, ij negotiis & actionibus multis inciderunt; & euacuãtur à sensu suo, & nihil omnino intelligunt, de diuitiis cogitantes; Sed si quando audierint de Domino, sensus eorum in negotiis ipsorum est. Qui autem timorem Domini habent, & scrutãtur de Deo veritatem; cogitationem omnem habent ad Dominum. Omnia quæ dicuntur eis, percipiũt; & statim intelligũtur, quia habẽt timorem Domini in se. Vbi enim Spiritus Domini inhabitat; ibi & sensus multus adiungitur. Adiunge ergo te, Domino; & omnia intelliges ac senties. Audi nunc insipiens; quemadmodùm tristitia cruciat Spiritum sanctum, & quomodo saluum facit. Cùm dubius inciderit in negotium aliquod, & nõ prouenit illi propter dubitationẽ; tristitia hæc intrat in hominem, & tristem facit Spiritum sanctũ, & vexat eum. Deinde iterũ; iracũdia cùm accesserit homini pro negotio aliquo, vehementer irascitur; & hæc ira intrat in præcordia irascentis, & vexatur in negotio suo quod agit, & posteà pœnitet quod malè fecerit. Vtræque ergo res lædũt Spiritũ sanctum; dubitatio, & tristitia. Dubitatio; quia non successit actus eius: & tristitia; quia fecit iracundiã Spiritui. Aufer ergo tristitiã à te, & noli offendere Spiritũ sanctum qui in te habitat; ne roget Dominum & recedat à te. Spiritus enim Dei, qui datus est in carnem; tristitiã non sustinet. Indue te ergo hilaritate quæ semper habet gratiam apud Dominum, & lętaberis in ea. Omnis enim hilaris vir; bene operatur, & bona sapit, & cõtẽnitiniustitiã: Vir autem tristis; malè facit, quia tristem facit Spiritũ sanctum qui datus est homini hilari. Et iterum malè facit, quòd tristis orat Dominum, & non antè facit Exomologesim; & non impetrat à Deo quod petit. Semper enim oratio tristis hominis, non habet virtutẽ vt accedat ad altare Dei. Et dixi illi: Domine; quare non habet virtutẽ Oratio tristis hominis vt ascẽdat ad altare Domini? Quoniã (inquit) tristitia sedet in corde eius. Cùm ergo mixta fuerit oratio viri cũ tristitia; nõ patietur orationẽ mũdã ascẽdere ad altare Dei. Sicut enim vinum aceto mixtum, eãdem suauitatem non habet; sic & tristitia Spiritui sancto mixta, eandem orationem mũdam non habet. Munda ergo te à tristitia mala, & viues Deo; & omnes viuẽt Deo, qui proiecerint à se tristitiam, & induerint hilaritatem.

Tristitia est nequissimus omnium Spirituum.

Pseudoprophetæ, quædã vera loquuntur.

Vitæ incultæ, spinis obruũtur.

Tristitia cruciat Spiritum sanctum.

Hilaris, bene operatur.

Exomologesis ante orationem

Oratio cũ tristitia inefficax est.

MANDATVM XI.

Spiritus & Prophetas probari ex operibus; & de duplici Spiritu.

OStendit mihi sedẽtes in subselliis homines, & vnũ sedẽtem in cathedra. Et dixit mihi: Vides illos qui in scamnis sedẽt? Video (inquam) Domine. Illi (inquit) sunt fideles, Et ille qui in cathedra sedet Spiritus terrestris est. Nã in Ecclesiam viuorũ non accedit,

Spiritus terrestris, qualis sit.

accedit,ſed refugit:applicat autem ſe dubiis,& vacuis:& in angulis & abditis locis diuinat illis,& delectat illos, loquendo ſecundùm omnia deſideria cordis eorum. Vacuis enim vaſis quod cõmittitur, non effluit;ſed conueniunt alius ad alium. Cùm autem venerit in turbam virorum iuſtorum habentiũ ſpiritum diuinitatis,& oratio illorum ſit ad Dominum: exinanîtur homo ille, quoniam ſpiritus ille terreſtris fugit ab illo, & obmuteſcit nec quicquã poteſt loqui. Sicut in apotheca ſi obturaueris vinũ vel oleum; & inter illa vaſa poſueris amphoram vacuam,& rurſum obturamẽtum deponere volueris; amphoram illam quam poſuiſti, vacuam inuenies: ſic & Prophetæ vacui, cùm venerint inter ſpiritum Iuſtorum;quales veniunt,tales inueniũtur. Habes vtrorumque Prophetarũ vitam. Proba ergo de vita & operibus, hominem qui dicit ſe Spiritum ſanctũ habere. Tu autem crede ſpiritui venienti à Deo, habenti virtutẽ. Spiritui autem terreſtri vacuo, qui à diabolo eſt,in quo fides non eſt neque virtus, credere noli. Audi ergo ſimilitudinẽ quam tibi dicturus ſum. Accipe lapidem, & mitte in cœlũ:aut iterum accipe ſiphonem aquæ,& eiacula in cœlum;& vide ſi poſſis pertũdere cœlum. Quomodo (inquã) Domine,hæc fieri poſſent? Vtráq; enim quæ dixiſti,fieri non poſſunt. Sicut ergo (inquit) hæc fieri non poſſunt; ſic ſpiritus terreſtris ſine virtute eſt,& ſine effectu. Accipe nunc virtutem de ſurſum venientem; in hac ſimilitudine. Grando, minimum granũ eſt; & cùm cadit ſuper caput hominis, quomodò dolores præſtat? Aut iterum; vide ſtillicidiũ quod à tegula cadit in terram,& cauat lapidem: Sic igitur minima quæ de ſurſum cadunt ſuper terram; magnam habent virtutem. Adiunge te ergo huic habenti virtutem; & ab illo vacuo recede.

Spiritus probandus ex operibus.

Cæleſtiũ, virtus maxima eſt.

MANDATVM XII.

De duplici cupiditate: Dei mandata non eſſe impoßibilia, & Diabolum non metuendum Credentibus.

ITerum dixit mihi: Tolle à te omnem cupiditatẽ malam,& indue cupiditatem bonam & ſanctam. Indutus enim cupiditatem bonam; oderis malam, & refrenabis eam ſicut volueris. Horrẽda eſt enim cupiditas mala,& difficilè mitigatur. Horribilis eſt valdè & fera; & feritate ſua cõſumit homines: maximè ſi inciderit in eam ſeruus Dei; & niſi ſapiens fuerit, conſumetur ab illa peſſimè. Conſumit autẽ tales qui non habent veſtẽ cupiditatis bonæ; & implicat illos negotiis huius ſeculi, & tradit illos morti. Quæ ſunt (inquam) Domine,opera cupiditatis malæ, quæ tradunt homines morti? Demonſtra mihi, vt recedam ab illis. Audi (inquit) in quibus operibus cupiditas mala, morti tradit ſeruos Dei. Spiritus omnium hominũ terreſtris eſt, & leuis;& virtutem nõ habet in totum, & multa loquitur. Et dixi: quomodò igitur ſcire poteſt aliquis, eos? Audi (inquit) de vtriſque vaſis; & ſicut dico tibi,ſic probabis Prophetam Dei, & falſum Prophetam. Primùm, ita proba hominem qui habet Spiritum Dei:quia Spiritus qui de ſurſum eſt,quietus eſt & humilis, & recedit ab omni nequitia & deſiderio vano huius ſæculi,& omni homine ſe facit humiliorẽ,& nemini reſpõdet interrogatus,nec ſingulis reſpondet:neque cùm vult, homini loquitur Spiritus Dei;ſed tunc loquitur cùm vult Deus.

Mala cupiditas,per bonam frenatur.

Spiritus bonus,qualis ſit.

A Cùm ergo venerit homo qui habet Spiritum Dei, in Eccleſiam Iuſtorum habentiũ fidem Dei, & oratio fit ad Deum;tunc † Nuncius ſanctus diuinitatis, implet hominem illũ Spiritu ſancto; & loquitur in turba,ſicut Deus vult. Sic ergo dignoſcitur ſpiritus diuinitatis, in quocũque ſpiritus diuinitatis loquitur. Audi nũc & de ſpiritu terreſtri, vacuo & fatuo, virtutem non habente. Primùm autem, hũc homo putatur ſpiritum habere;exaltat enim ſe,& vult primam cathedram habere,& improbus eſt,& verboſus, & in deliciis conuerſatur, & in voluptatibus multis,& mercedẽ accipit diuinationis ſuæ: Quòd ſi nõ acceperit; non diuinat. Itáne Spiritus Dei poB teſt mercedes accipere,& diuinare? Nõ cõuenit hęc facere Dei Prophetam. Sed cupiditas mala eſt,concupiſcere vxorem alienam;vel mulierem,concupiſcere virum alienum;& lautitias concupiſcere diuitiarum, & multitudinem ciborũ ſuperuacuorum, & ebrietatem multam,& delicias multas. Fatuæ enim ſunt deliciæ multæ,& voluptates multæ ſuperuacuæ ſunt ſeruis Dei. Hæc ergo cupiditas mala eſt & pernicioſa,quæ mortificat ſeruos Dei: Hæc enim cupiditas à diabolo eſt. Quicũque ergo receſſerint à cupiditate mala, viuent Deo:nam quicunque ſubiecti fuerint cupiditati malæ; in perpetuum C morientur:mortifera enim eſt hæc cupiditas mala. Tu ergo indue cupiditatem iuſtitiæ; & armatus timore Domini,reſiſte cupiditati malæ: Timor enim habitat in cupiditate bona. Et cupiditas mala, cùm viderit te armatum timore Domini reſiſtente ſibi; fugiet à te longè,& non comparebit ante te,timens arma tua;& obtinebis victoriam,& coronaberis ob illã, & peruenies ad cupiditatem bonam, & trades victoriam Deo quã acceperis,& ſeruies ei operando ſicut ipſe volueris. Si autem ſeruieris cupiditati bonæ,& ſubditus ei fueris:poteris dominari ſuper cupiditatẽ malam, & erit ſubdita tibi ſicut volueris. Vellem ſcire (Domine) quomodò ſeruire debeam cupiditati bonæ. Audi (inquit) Habe timorẽ Dei, D & fidem in Deo,& veritatem ama,& iuſtitiã dilige, & fac bonũ:hæc operando;probatus eris ſeruus Domini,& ſeruies Deo; & omnes quicũque ſeruierint cupiditati bonæ,viuent Deo. Cõſummatis his Mãdatis duodecim:dixit mihi. Habes hæc Mandata, ambula in his: & audiẽtes homines hortare vt pœnitentiã agãt,& pœnitentia eorũ mũda fiet reliquis diebus vitæ eorũ. Et miniſteriũ hoc quod tibi do, explica diligẽter,& multũ cõſequêris fructũ, & inuenies gratiã apud omnes qui pœnitentiã agent & credent verbis tuis. Ego enim tecũ ſum, & cogã illos credere. Et dixi illi: Domine: hæc Mandata magna & pręclara ſunt:& exhilarare cor hominis poſE ſunt,qui potuerit cuſtodire mãdata hæc: ſed neſcio (Domine)an poſſint mãdata hæc ab homine cuſtodiri. Ait mihi: Hæc mãdata facilè cuſtodies,& non erunt dura: ſed ſi tamẽ in cor tuũ poſueris nõ poſſe ab homine cuſtodiri,non cuſtodies ea. Nunc autẽ dico tibi,ſi nõ cuſtodieris hæc mãdata & omiſeris, nõ eris ſaluus,neque filij tui, neq; domus tua: quia ipſe iudicaueris quòd non poſſint hæc mandata ab homine cuſtodiri. Hæc mihi vehemẽter iracũdè locutus eſt,ita vt cõterreret me valdè: Vultũ enim ſuũ mutauerat, ita vt nõ poſſet homo ſuſtinere irã eius. Et cùm vidiſſet me cõturbatum totũ,& confuſum:

† al. angelus.

Spiritus terreſtris qualis ſit.

Qui ſeruit cupiditati bonæ,ſuperat prauam cupiditatẽ.

Seruitus cupiditatis bonæ qualis ſit.

Mandata Dei, poſſibilia ſunt.

cœpit loqui moderatiùs & hilariùs, dicens: Stulte & insensate, inconstans & ignorans maiestatē Dei, quàm magnus quámque mirabilis sit qui Orbem creauit propter hominem, & omnem creaturam subiecit homini, & omnem potestatem dedit illi vt dominetur horum mandatorum. Dominari (inquit) potest omnium horum mandatorum, qui habet Dominum in corde suo: qui autem habent Dominum in labiis suis, & cor illorum obtusum est, & longè sunt à Domino; Illis, Mãdata hæc dura sunt & difficilia. Ponite ergo vobis qui vacui & leues estis in fide, Dominum Deum vestrum in corde habere; & intelligetis quòd nihil facilius est his Mandatis, neque dulcius, neque mansuetius, neq; sanctius; & conuertite vos ad Dominum Deum, & relinquite diabolum & voluptates eius, quia malæ sunt, & amaræ, & immundæ: & nolite timere Diabolum, quia in vobis potestatem non habet. Ego enim vobiscum sum Nuncius pœnitentiæ, qui dominor illius. Diabolus autem timorem facit, sed timor illius vanus est. Nolite ergo timere eum, & fugiet à vobis. Et dixi illi: Domine; audi me pauca verba dicentem tibi. Dic; inquit. Homo (inquam) cupit quidem mandata Dei custodire; & nemo est qui non petat à Domino vt possit mandata eius seruare: sed Diabolus durus est, & potentia sua dominatur in Dei seruos. Et dixit: Nō potest (inquit) dominari in Dei seruos qui ex totis præcordiis in Dominum credunt. Potest autem diabolus luctari; sed vincere non potest. Si enim resistitis illi; fugiet à vobis; Nam quicunque fide pleni non sunt, timēt diabolum, quasi potestatē habentem: Diabolus enim tētat seruos Dei; &, si inuenerit vacuos, exterminat. Sicut enim homo cùm impleuit amphoras, bono vino; & inter illas amphoras, paucas semiplenas posuit; & venit vt tentet & gustet amphoras, non tentat plenas; scit enim quòd bonæ sunt; semiplenas autem gustat; ne sint acidæ factæ; citò enim semiplenæ amphoræ acescunt, & perdunt saporem vini: Sic & diabolus venit ad homines seruos Dei, vt tentet illos. Quicunque autem pleni sunt fide, resistunt illi fortiter; & ille recedit ab eis, quia non habet locum intrandi. Tunc vadit ad illos qui non sunt in fide pleni; & quoniam habet locum, inde intrat in illos: & quæcunque vult, facit illis, & fiunt famuli eius. Sed vobis dico ego Nuncius pœnitentiæ; ne timeatis Diabolum. Missus enim sum vt vobiscum sim, quicunque ex totis præcordiis egeritis pœnitentiam; vt confirmem vos in fide. Credite ergo, qui propter delicta vestra obliti estis Deum; & qui salutem vestram obiicientes peccatis vestris, grauatis vitam vestram: quòd si conuersi fueritis ad Dominum ex totis præcordiis vestris, & seruieritis ei secundùm voluntatem ipsius: dabit remedium peccatis vestris prioribus, & habebitis potestatem dominandi omnibus operibus Diaboli. Minas autem illius in totum timere nolite; sine virtute enim sunt, sicut hominis mortui nerui. Audite ergo me, & timete Dominum omnipotētem qui potest vos saluos facere & perdere; & custodite Mandata eius vt viuatis Deo. Et dixi illi: Domine; modò confirmatus sum in omnibus Mandatis Domini, quandiù mecum es; & scio quòd confringes omnem virtutem Diaboli. Sed & nos exuperabimus illum, si possumus Mandata hæc quæ præcepisti (Domino confirmante) custodire. Custodies (inquit) si cor tuum purificaueris ad Dominum: sed & omnes custodient, qui purificauerint corda sua à vanis cupiditatibus huius sæculi: & viuent Deo.

Diabolus non metuendus.

Dæmon, rectè credentes non superat.

Infideles, metuunt Dæmonē.

HERMÆ QVI D. PAVLI DISCIPVLVS FVIT: PASTORALIS, Liber III.

SIMILITVDO I.

Nos, quia in hoc Mundo permanentem Ciuitatem non habemus: debere inquirere futuram.

ET dixit mihi: scitis vos, Domini seruos in peregrinatione morari? Ciuitas enim vestra, longè est ab hac ciuitate. Si ergo scitis ciuitatem vestram in qua habituri estis; quid hic emitis agros, & apparatis lautitias & ædificia, & habitationes superuacuas? Hæc enim qui comparat in hac ciuitate, non cogitat in suam ciuitatem redire. O stulte, ô dubie & miser homo, qui non intelligis hæc omnia aliena esse, & sub alterius potestate! dicit enim tibi Dominus ciuitatis huius: Aut legibus vtere meis, aut recede de ciuitate mea. Tu ergo quid facies, qui habes Legem in ciuitate tua? Nunquid propter agros tuos, aut propter aliquos apparatûs tuos, poteris negare Legem tuam? Quòd si negaueris, & volueris redire in ciuitatem tuam: non recipiêris, sed excludêris inde. Vide ergo: vt sicut peregrè cōsistens, nihil ampliùs compares tibi quàm sit necessarium & sufficiens tibi: & paratus esto, ne cùm voluerit Dominus ciuitatis huius expellere te, contradicas legi eius: & eas in ciuitatem tuam vt vtaris lege tua, sine iniuria hilaris. Vos igitur videte qui seruîtis Deo, & habetis eū in cordibus vestris: operamini opera Dei, memores Mãdatorum & promissorum eius quæ promisit: & credite ei quòd faciet vobis, si mandata eius custodieritis. Pro agris ergo quos emere volueritis, redimite animas de necessitatibus prout quisque potest & viduas absoluite, orphanis iudicate, & opes ac diuitias vestras, in huiusmodi operibus consumite: In hoc enim vos Dominus locupletauit, vt huiusmodi ministeria expleatis. Multò meliùs est hæc facere, quàm agros aut domos emergere: quoniam hæc omnia peribunt in seculo: at quæ pro nomine Dei feceris, inuenies in ciuitate tua, & habebis gaudium sine tristitia & timore. Diuitias ergo gentium nolite cupere, pernicioſæ sunt enim seruis Dei: de propriis autem quas habetis: ea agite, quibus possitis consequi gaudium. Et nolite adulterare, nec alterius vxorem tangere, neque concupiscere: concupisce tuum opus, & saluus eris.

Emptores non cogitant futuram Ciuitatem.

Exhortatio ad Eleemosynam.

SIMILITVDO II.

Vt vitis, vlmo fulcitur; sic diues, oratione pauperis iuuatur.

CVm ambularem in agrum, & considerarem vlmum & vitem, & cogitarem intra me de fructibus earum: apparuit mihi angelus, & dixit mihi: Quid

Quid intra te cogitas? Et dixi illi: de hac vite & vlmo diſputo, Domine; quoniam fructûs illarum decori ſunt. Et dixit mihi: Hæ duæ arbores in exemplum poſitæ ſunt ſeruis Dei. Et dixi illi: Vellem ſcire (Domine) harum arborum exemplum quod dicis. Audi, inquit: Vides hanc vitem, & hanc vlmum? Video (inquam) Domine. Hæc vitis (inquit) fructifera eſt; vlmus autem, lignum ſine fructu eſt: ſed vitis hæc, niſi applicita fuerit vlmo, & ſuper illã requieuerit; non poteſt multum fructum facere. Iacens enim in terra, malos fructûs dat, quia non pendet ſuper vlmum: ſed ſi ſuſpẽſa fuerit vitis ſuper vlmum; & pro ſe, & pro vlmo fructum dat. Vide ergo quòd vlmus fructum dat non minorem quàm vitis; ſed potiùs maiorem. Quomodò (inquam) Domine; maiorem quàm vitis? Suſpenſa (inquit) in vlmo, fructum multum & bonum dat; iacens autẽ in terra, exiguum & peſſimum fructum dat. Hæc igitur ſimilitudo poſita eſt ſeruis Dei; Pauperi & Diuiti. Reſpondi, inquiens: Domine, demonſtra mihi! Audi, inquit: Diues habet opes; à Domino verò pauper eſt: diſtrahitur enim circa diuitias ſuas & valdè exiguam habet orationem ad Dominum: & quam habet; inertem habet, & non habentẽ virtutem. Cùm igitur Diues præſtat Pauperi, quæ illi opus ſunt; pauper orat ad Dominum pro diuite, & Deus præſtat diuiti omnia bona; quia pauper, dives eſt in oratione, & virtutem magnã habet apud Dominum oratio eius. Tũc ergo Diues præſtat omnia pauperi, quia ſentit illum exaudiri à Domino; & libentiùs ac ſine dubitatione præſtat ei omnia, & curat ne quid ei deſit. Pauper Deo gratias agit pro diuite, quia opus faciunt à Domino. Apud homines ergo, vlmus non putatur dare fructum; & neſciunt neque intelligunt quòd ſi ſocietas aduenerit viti; & vitis duplum dat fructum, & pro ſe & pro vlmo. Sic & pauperes, pro locupletibus orantes ad Dominũ, exaudiuntur; & augentur opes eorum, quoniã præſtant pauperibus ex opibus ſuis: Sunt igitur ambo conſortes bonorum operum ſuorum. Quicunque igitur hæc fecerit; non deſeretur à Domino, ac erit ſcriptus in libro vitæ. Felices igitur qui poſſident, & ſentiunt ſe locupletari: qui hoc enim ſenſerit, poterit aliquid miniſtrare.

Diuitis oratio, vt plurimùm iners eſt.

SIMILITVDO III.

Vt hyeme, virides arbores, ab aridis: ſic in hoc ſeculo, iuſti ab iniuſtis internoſci non poſſunt.

OStẽdit mihi arbores multas abiectis foliis, quæ mihi velut aridæ videbãtur: omnes enim ſimiles erãt. Et dixit mihi: Vides arbores has? Video (inquã) Domine; ſimiles aridis. Reſpõdens dixit mihi: Hæ arbores, in ſimilitudinem ſunt horũ qui in ſæculo morantur. Reſpondi, inquiens; cur velut aridis ſimiles ſunt? Quoniam (inquit) nec iuſti, nec iniuſti cognoſcuntur; ſed ſimiles ſunt in hoc ſeculo. Hoc enim ſeculum; iuſtis, hiems eſt; qui non agnoſcuntur, cum peccatoribus habitantes, ſicut in hieme omnes arbores abiectis foliis, aridis ſimiles ſũt; nec poteſt cognoſci quæ ſunt aridæ, aut quæ virides: ſic & in hoc ſeculo; nec iuſti nec iniuſti cognoſcũtur, ſed ſimiles ſunt omnes.

SIMILITVDO IIII.

Vt Aeſtate, viuidæ arbores, ab aridis: fructu & virentibus foliis internoſcuntur: ſic in futuro ſeculo, Iuſti, ab Iniuſtis, beatitudine differunt.

OStendit mihi iterum arbores multas: quarum aliæ, frondes emittebant: aliæ, aridæ erant. Et dixit mihi: Vidésne has arbores? Reſpondi: Video (Domine) alias aridas, & alias frondentes. Hæ arbores (inquit) quæ virides ſunt: Iuſti ſunt, qui habitaturi ſunt in futuro ſæculo. Illud enim futurum ſæculũ, Æſtas eſt, iuſtis: peccatoribus autẽ, hiems. Cùm ergo illuxerit miſericordia Domini: tunc declarabuntur qui ſeruiunt Deo, & omnes perſpicui erunt. Sicut enim in Æſtate, fructus arboris cuiuſcunque declaratur & patet: ſic & Iuſtorum factum declarabitur, & patebit, & omnes hilares & gaudẽtes in illo ſeculo reſtituentur. Nam cæteræ gentes (peccatores ſcilicet) ſicut arbores quas vidiſti aridas: tales inueniũtur aridi, & ſine fructu in illo ſeculo: & ſicut arida ligna comburentur, & palàm fient, quoniã malè fecerũt in omni tempore vitæ ſuæ: & comburentur ideò quia peccauerunt, & peccatorũ ſuorum non egerunt pœnitentiã: ſed & cæteræ gẽtes comburentur, quia non agnouerunt Deũ creatorem ſuum. Tu ergo fac fructum bonum, vt in Æſtate cognoſcatur fructus tuus, & abſtine te à multis negotiis, & nihil delinques: quicũque enim multa negotia agunt, multa delinquunt: quia conſtricti ſunt circa negotia ſua, & nõ ſeruiunt Deo. Nã quomodò poteſt homo qui nõ ſeruit Deo, aliquid petere & accipere à Deo? Qui enim ſeruiunt Deo, petũt & accipiunt ſua deſideria. Quòd ſi vnum negotiũ tractat aliquis, poterit ſeruire Deo: quoniam non alienatur animus eius à Domino, ſed pura mẽte ſeruit Deo. Hoc ergo ſi feceris, poteris in venturo ſeculo habere fructũ: ſed & qui fecerint hæc, fructũ ferẽt.

Negotioſi homines in multis peccant.

SIMILITVDO V.

De vero ieiunio, & eius mercede, tum & de corporis munditia.

CVm ieiunarem & ſederem in monte quodã, & gratias agerem Deo pro omnibus quæ fecerat mecum, video Paſtorem illũ ſedentem iuxta me, ac dicentem mihi: quid tàm mane huc veniſti? Reſpõdi: quoniam Domine, Stationem habeo. Quid eſt (inquit) Statio? Et dixi: Ieiunium. Et dixit: quid eſt illud ieiuniũ? ſicut ſolebam (inquam) ſic ieiuno. Neſcitis (inquit) Deo ieiunare; neque eſt ieiunium hoc quod ieiunatis Deo, nihil proficientes. Quare (inquam) Domine ita dicis? Dico certè (inquit) non eſſe ieiunium hoc quod putatis vos ieiunare: ſed ego te docebo quod ſit ieiunium plenum, acceptúmque Deo. Audi (inquit) Dominus non deſiderat tale ieiunium ſuperuacuum: ſic enim ieiunãdo, nihil præſtas æquitati. Ieiuna certè verũ ieiuniũ tale. Nihil in vita tua nequiter facias: ſed mente pura ſeruî Deo, cuſtodiens mãdata eius, & in præceptis eius ingrediens: neque admiſeris deſiderium nocẽs in animo tuo. Crede autem Domino, ſi hæc feceris, timorémque eiº habueris, atque abſtinueris ab omni negotio malo: Deo, te victurum. Hæc ſi feceris: ieiuniũ magnũ conſummabis, acceptúmque Domino. Audi ſimilitudinem quam dicturus ſum tibi, ad ieiuniũ pertinentẽ. Quidam cùm haberet Fũdum, ſeruósque multos: in quadã parte Fundi ſui poſuit

Ieiunium dicebatur Statio.

vineam ſucceſſoribus: deinde peregrè profectus, elegit ſeruum quẽ habebat fideliſſimũ, ac ſibi probatum; eiq; adſignauit vineã, præcipiens vt vitibus iũgeret palos: Quod ſi feciſſet, & mandatum ſuũ cõſummaſſet; libertatem eidem ſe daturum promiſit. Nec prætereà quicquã aliud præcepit illi quod in ea faceret; atque ita peregrè profectus eſt. Poſtquã autem ſeruus ille curam apprehendit; fecit quæcũque præceperat Dominus. Cúmq; depalaſſet vineã illam, & animaduertiſſet eam herbis repletã; cœpit ſecũ ita cogitare: peregi quod mihi præceperat Dominus; fodiam nũc vineam hanc, & erit formoſior cùm fuerit foſſa, & extractis herbis maiorem dabit fructũ, & non ſuffocabitur ab herbis; adgreſſus deinde fodit, & omnes herbas quæ in ea erãt extraxit, atque ita euaſit vinea ſpecioſiſſima ac læta nõ ſuffocata ab herbis. Poſt aliquantũ verò temporis venit Dominus eius, & ingreſſus eſt vineã: quam cũ depalatam vidiſſet decenter, ac circumfoſſam, & extractas herbas ab ea, & lætas eſſe vites; ex facto hoc ſerui ſui, gaudium cœpit. Adhibito itaque filio quẽ charũ & hæredem habebat, & amicis quos in cõſilio aduocabat; indicat ea quæ ſeruo ſuo faciẽda mãdaſſet, quæ prętereà ille feciſſet. At illi protinus gratulati ſunt ſeruo illi, quòd tã plenũ teſtimoniũ domini ſui aſſecutus fuiſſet. Ait deinde illis: Ego quidem huic ſeruo libertatẽ promiſi, ſi cuſtodiſſet mãdatum meũ quod dederã; & cuſtodiuit illud, & prętereà opus bonum adiecit in vineã, quod mihi quã plurimùm placuit. Pro hoc igitur opere quod fecit, volo eum filio meo facere cohæredẽ; quoniam cũ ſenſiſſet, quid eſſet bonũ, non omiſit, ſed fecit illud. Hoc conſiliũ Domini; & filius, & amici eius cõprobauerunt, vt fieret ſcilicet hic ſeruus cohæres filio. Poſt dies deinde non multos, cõuocatis amicis, Paterfamiliãs miſit de cœna ſua ſeruo illi cibos complures. Quos cũ accepiſſet ille; ſuſtulit ex eis quod ſufficiebat ſibi, reliquũ autẽ cõſeruis ſuis diſtribuit. Quibus acceptis, illi lætati ſunt; & cœperũt illi optare, vt maiorẽ gratiam apud Dominũ inueniret ob ea quæ fecerat ipſis. Hæc omnia cũ audiſſet Dominus eius, percepit iterũ maximum gaudiũ; & cõuocatis rurſum amicis & filio, exponit factũ ſerui ſui de cibis ſuis quos ei miſerat: Illi itáque tantò magis aſſenſerunt patrifamiliãs, ipſum ſeruum cohæredẽ filio debere fieri. Dico ei: Domine; has ſimilitudines non noui neque intelligere poſſum, niſi eas tu mihi exponas. Omnia (inquit) exponam tibi quæcũque locutus fuero tecum, aut oſtẽdero tibi. Mãdata Domini cuſtodi; & eris probatus, & ſcriberis in numero eorum qui cuſtodiunt mandata eius. Si autem præter ea quæ mãdauit Dominus, aliquid boni adieceris; maiorẽ dignitatẽ tibi conquires, & honoratior apud Dominũ eris quàm eras futurus. Igitur ſi cuſtodieris mandata Domini, & adieceris etiã ad ea ſtationes has, gaudebis; maximè ſi ſecundũ mandatum meum ſeruaueris ea. Dico ei: quicquid mihi præceperis (Domine) ſeruabo; ſcio enim te mecum futurũ. Ero (inquit) tecum, qui tale propoſitum habes. Sed & cũ omnibus ero, quicunq; idem propoſitum habent. Ieiuniũ hoc (inquit) cuſtoditis mãdatis Domini, valde bonũ eſt. Sic igitur ſeruabis illud. Primùm omniũ caue ab omni probro, & turpi verbo, & ab omni noxia cupiditate, & purifica ſenſum A uum ab omni vanitate ſeculi huius. Si hæc cuſtodieris, erit hoc ieiunium iuſtũ. Sic ergo facies. Peractis quæ ſuprà ſcripta ſunt; illo die quo ieiunabis, nihil omnino guſtabis niſi panẽ & aquam; & cõputata quantitate cibi quẽ cæteris diebus comeſturus eras, ſumptũ dici illius quẽ facturus eras, repones, & dabis viduæ, pupillo, aut inopi, & ſic conſummabis humilitatem animæ tuæ; vt qui ex eo acceperit, ſatiet animam ſuã, & pro te adeat Dominũ Deũ oratio eius. Si igitur ſic conſummaueris ieiuniũ tuum, quemadmodũ præcipio tibi; erit hoſtia tua accepta Domino, & ſcribetur hoc ieiuniũ tuum. Hæc Statio ſic acta, eſt bona, hilaris, & accepta à Domino. Hæc B tu ſi ſeruaueris cum Liberis tuis, & tota domo tua, cuſtoditis his, felix eris. Et quicunq; hæc audita cuſtodierint, felices erunt; & quicquid petierint à Domino, obtinebunt. Et precatus ſum eũ, vt mihi explanaret hãc ſimilitudinẽ de Fundo, & Domino, ac vinea & ſeruo qui depalauerat vineã, & herbis quæ extractæ de vinea erãt, & de filio, & de amicis quos in cõſilio adhibuerat: Intellexi enim, eſſe illud ſimilitudinẽ. Ait mihi: Valde audax es ad interrogandũ; nihil enim debes interrogare: nam ſi oportuerit demõſtrari, demõſtrabitur tibi. Dico ei: Domine, quæcunque oſtẽderis mihi nec declaraueris, fruſtrà vi- C dero illa ſi nõ intellexero quidnam ſint; & ſimilitudines ſi quas propoſueris & non expoſueris, fruſtrà audiero eas. Reſpondit mihi rurſus, dicens: quicunque Dei ſeruus eſt, Dominúmq; habet in præcordiis ſuis; petit ab eo intellectũ, & obtinet: & omnẽ ſimilitudinem explicat, & intelligit verba Domini quæ inquiſitione egent: quicũque verò inertes ſunt & pigri ad orandum: illi dubitãt petere à Domino, cùm ſit Dominus tam profundæ bonitatis, vt petẽtibus à ſe, cũcta ſine intermiſſione tribuat. Tu ergo qui cõfirmatus es ab illius Nuncio, & accepiſti orationem tam potentem, cùm piger non ſis; cur iam à Domino intellectum non petis, & accipis? Dico ei: Cùm te præſentẽ habeam, neceſſe eſt vt à te petã, & D interrogem; tu enim omnia mihi oſtendis & loqueris, cùm ades. Nam ſi ſine te, ea viderem vel audirẽ: tunc Dominum rogarẽ, vt oſtẽderet mihi. Et reſpõdit: Dixeram tibi paulò antè, callidũ te eſſe & audacẽ, qui ſolutiones ſimilitudinũ interroges. Sed quia ita es pertinax; ſoluam tibi hanc quam deſideras ſimilitudinẽ, vt omnibus notã facias eam. Audi nũc (inquit) & percipe animo. Orbem terrarum, Fundus ille ſignificat qui in ſimilitudinẽ eſt poſitus: Dominus autem Fundi, demonſtratur eſſe is qui creauit cuncta, & cõſummauit, & virtutem illis dedit: filius autẽ, Spiritus ſanctus eſt: Seruus verò ille, Filius Dei eſt: Vinea autẽ, populus eſt quẽ ſeruat ipſe: Pali verò, nuncij ſunt qui à Domino præpoſiti ſunt ad E continendũ populum eius: Herbæ autẽ quæ euulſæ ſunt de vinea; admiſſa ſunt ſeruorum Dei. Cibi verò quos de cœna miſit illi: Mandata ſunt quæ per Filium dedit populo ſuo. Amici autem illi quos in cõſilio aduocauit: Angeli ſunt ſancti quos primò creauit. Abſentia verò illius patrisfamiliãs: tempus eſt quod in aduentum eius reſtat. Dico ei: Domine: magnificè & mirè omnia hæc ſe habent, atque honeſtè: nũquid ergo (Domine) inquam: hæc poteram intelligere? Ne quidẽ quiſpiam prætereà homo, tametſi valde prudens ſit, poterit intelligere ea. Sed

Ieiunij modus.

Ieiunio adiungenda Eleemoſyna.

Stationem agere, pro ieiunare.

Vinea, populus Dei.

nunc

nunc mihi demonſtra, Domine; quod quæro. Quære quod vis, inquit. Quare (inquã) Filius Dei, in ſimilitudine hac, ſeruili loco ponitur? Audi, inquit: In ſeruili conditione non ponitur Filius Dei, ſed in magna poteſtate & imperio. Et dixi: quomodò (inquam) Domine? non intelligo. Quoniã (inquit) eis quos Filio ſuo tradidit: Filius eius, nũcios præpoſuit ad conſeruandos ſingulos: Ipſe autẽ plurimùm laborauit plurimúmque perpeſſus eſt, vt aboleret delicta eorũ. Nulla enim vinea poteſt fodi ſine labore ac dolore. Deletis igitur peccatis populi ſui; ipſe eiſdem monſtrauit itinera vitæ, data eis Lege quam à Patre acceperat. Vides igitur, eſſe dominum populi; accepta à Patre ſuo, omni poteſtate? Quare autem Dominus in cõſilio adhibuerit Filiũ, de hæreditate; & bonos angelos. Quia Nuncius audit illum Spiritum ſanctũ qui infuſus eſt omnium primus in corpore, in quo habitaret Deus. Collocauit enim eũ intellectus in corpore, vt ei videbatur. Hoc ergo corpus in quod inductus eſt Spiritus ſanctus, ſeruiuit illi ſpiritui; rectè in modeſtia ambulãs & caſtè, neque omnino maculauit ſpiritum illum. Cùm igitur corpus illud paruiſſet omni tẽpore Spiritui ſancto; rectéque & caſtè laboraſſet cũ eo, nec ſuccubuiſſet in omni tempore; fatigatum corpus illud, ſeruiliter conuerſatus eſt, ſed fortiter cum Spiritu ſancto comprobatum Deo, receptum eſt. Placuit igitur Deo, huiuſmodi potens curſus; quia maculatus non eſſet in terra, poſſidens in ſe Spiritum ſanctũ in conſilio? Aduocauit ergo Filium, & nuncios bonos; vt & huic ſcilicet corpori quod ſeruiuit Spiritui ſancto ſine querela, locus aliquis conſiſtẽdi daretur, ne videretur mercedem ſeruitutis ſuæ perdidiſſe. Accipiet enim mercedem, omne corpus purũ ac ſine macula repertum, in quo habitãdi gratia conſtitutus fuerit Spiritus ſanctus. Habes & huius Similitudinis expoſitionem. Percepi (inquam) Domine, tuam voluntatẽ, audita hac expoſitione. Audi vlteriùs, inquit. Corpus hoc tuũ cuſtodi mundum atque purum: vt ſpiritus ille qui inhabitabit in eo, teſtimonium referat illi, & tecum fuiſſe iudicetur. Atque etiam vide, ne quando perſuadeatur tibi interire corpus hoc; & abutaris eo in libidine aliqua. Si enim corpus tuum maculaueris; maculabis etiã eodem tempore & Spiritũ ſanctum: &, ſi maculaueris corpus tuum, non viues. Et dixi: quid ſi per ignorantiã aliquam id admiſſum eſt, antequam audirentur verba hæc? quo pacto aſſequitur ſalutẽ, is qui maculauit corpus ſuũ? Prioribus (inquit) rebus, qui per ignorantiã admiſerunt; remedium tribuere ſolus Deus poteſt, eius enim eſt omnis poteſtas. Sed nunc cuſtodi te: & cũ ſit Dominus omnipotens & miſericors; prioribus admiſſis remediũ dabit, ſi futurum nõ maculaueris corpus tuũ, & ſpiritũ: Conſortes ſunt enim ambo, & alteruter ſine altero non coinquinatur; vtrumque ergo ſerua mundum, & viues Deo.

Corpus immortale, ſcilicet poſt Reſurrectionem.

SIMILITVDO VI.

De duplici genere hominum voluptuariorum, & eorum morte, defectione, & pœnarum duratione.

CVm ſederẽ domi, & glorificarẽ Dominum pro omnibus quæ viderã; & de Mandatis cogitatẽ; ea valde bona eſſe, & magna, & honeſta, ac læta, & quæ poſſint ſalutẽ hominũ afferre; intra me ipſum hæc dicebã: Felix ero, ſi in his Mandatis ambulauero; & quicunq; in his ambulauerit, viuet Deo. Dum hæc loquerer mecũ; video eum quem & priùs, ſedentẽ iuxta me, & hæc mihi dicentẽ: Quid dubitas de Mandatis meis quę tibi præcepi? Bona ſunt; nihil omnino dubitaueris: ſed indue fidẽ Domini, & ambulabis in eis: Ego enim in illis dabo tibi vires. Hæc mãdata vtilia ſunt his qui delictorũ ſuorũ antè geſtorũ acturi ſunt pœnitẽtiam, ſi in futurũ in iis ambulauerint. Quicunque igitur agitis pœnitentiam; abiicite à vobis nequitiã huius ſeculi. Induite verò omnẽ virtutẽ, & æquitatẽ; & poteritis cuſtodire hęc Mãdata, neque deinceps peccetis. Si enim deinceps non peccaueritis: plurimũ ex prioribus recidetis. In Mandatis meis ambulate, & viuetis Deo. Hæc à me dicta ſunt vobis. Poſtquã hęc mecum locutus eſt: ait mihi: Eamus in agrũ, & Paſtores pecorũ tibi oſtendam. Eamus (inquam) Domine. Et venimus in quendã campũ, & illic oſtẽdit mihi iuuenem Paſtorẽ, veſtitum ſyntheſim, veſtimentorũ colore coccineo. Paſcebat autẽ pecora copioſa; & pecora illa velut in voluptatibus erãt & plurimis deliciis, & hilaritate exultabãt, & exultãtia diſcurrebãt huc atque illuc. Et ipſe Paſtor, vehementẽ ex grege ſuo percipiebat voluptatẽ; & vultus Paſtoris illius, valde hilaris erat, inter pecora diſcurrentis. Ait mihi angelus: Vides autẽ hunc paſtorẽ? Video (inquã) Domine. Et dixit mihi: Hic Nũcius illecebrarum, dulcedinis, ac voluptatis eſt. Hic ergo corrũpit mẽtes ſeruorũ Dei, & auertit eos à veritate, oblectans cupiditatibus; & pereũt. Obliuiſcũtur enim Mãdata Dei viui, & in luxuriis cõuerſantur & deliciis vanis; & corrumpũtur ab hoc Nuncio malo aliqui vſque ad mortẽ, aliqui verò vſque ad defectionẽ. Dico ei: Domine, non intelligo quid ſit, *ad mortem*, & quid, *ad defectionẽ*. Audi; inquit: Quæcunque pecora vidiſti valde læta & exultantia: ij ſunt qui in perpetuũ à Deo diſceſſerunt, & tradiderunt ſe deſideriis huius ſeculi: Iis ergo non eſt per pœnitentiã regreſſus ad vitam quoniã quidem adiecerunt ad reliqua delicta ſua, & nomẽ Domini nefandis inſectati ſunt verbis: huiuſmodi homines, morti ſunt deſtinati. Quæ verò vidiſti pecora non exultãtia, ſed vno loco veſcẽtia: ij ſunt, qui tradiderunt ſe quidẽ deliciis ac voluptatibus: nihil verò nefandũ in Dominũ locuti ſunt: hi igitur nõ defecerũt à veritate: ideóque repoſitã adhuc habent ſpẽ vitæ in pœnitẽtia. Defectio enim habet ſpẽ aliquã redintegrationis: mors verò, perpetuo tenetur interitu. Rurſum progreſſi ſumus paululũ: & oſtẽdit mihi Paſtorẽ magnum & velut agreſtem figurã habentem, amictũ pelle alba caprina, peram geſtantem in humero, & manu virgam nodoſam & valde durã, & flagellum in manu, aſpectũ autem trucẽ & ſæuũ habebat, vt poſſet terrere aliquos: talis erat aſpectus eius. Hic ergo accipiebat ab illo iuuene Paſtore ea pecora quæ delicias quidẽ agebant, ſed non exultabant; & cõpellebat ea in præcipitẽ locũ quendã ac ſpinoſum tribulisque confertũ, vſque adeò vt de ſpinis & tribulis ſe nõ poſſent explicare; ſed implicita ibi paſcebãtur ſpinis & tribulis: & graues cruciat⁹ experiebãtur ex verbis eius, agebat enim ea, & nec cõfiſtẽdi eis locũ ante tẽpus permittebat. Cũ viderẽ ergo ſic ea flagellari, & miſerias experîri: dolebã pro eis, quia valdè

Spiritus voluptatis, qualis ſit.

Error Nouatianus.

cruciabantur, nec vlla requies eis dabatur. Dico ad Pastorẽ illum qui erat mecum: quis est (Domine) hic pastor tam implacabilis, & tam amarus, qui nullo modo miseratione mouetur aduersùs hæc pecora? Hic (inquit) Pastor, pro iustis quidẽ nuncius est, sed præpositus pœnæ. Huic ergo tradũtur qui à Deo aberrauerunt & seruierunt desideriis ac voluptatibus seculi huius. Punit ergo eos sicut meruit vnusquisque eorum, sæuis variisque pœnis. Vellem (inquam) nosse, Domine, varias has pœnas, cuiusmodi sunt. Audi: inquit: Variæ pœnæ, atque tormẽta hæc sunt quæ homines quotidiè in vita sua patiũtur. Alij enim detrimẽta patiuntur, alij inopiã, alij diuersas acrimonias: quidã, inconstantiam, alij iniurias ab indignis patientes, multáque alia exercitia & incõmoda. Plurimi enim, inconstanti cõsilio, multa conantur, nec quicquã cõducit eis, & dicũt in actibus suis successum se nõ habere. Succurrunt iis ea quæ nequiter fecerunt, & Dominũ causantur. Cũ igitur perpessi fuerint omnem vexationẽ & omne incommodum; tunc traduntur mihi ad bonam admonitionem, & firmãtur in fide Domini, & per reliquos dies vitæ seruiunt Domino mente pura. Et cũ cœperint delictorũ agere pœnitentiam, tũc ascẽdunt in præcordia eorũ opera sua, in quibus se nequiter exercuerunt; & tunc dant Deo honorem, dicentes iustũ iudicem eum esse, meritóque se omnia esse perpessos secundùm facta sua. In reliquũ verò seruiunt Deo mẽte pura, & successum habẽt in negotiis suis omnibus, accipientes à Domino quæcũque poscunt: Et tunc gratias agunt Domino, quòd sint mihi traditi; nec iam quicquã crudelitatis patiuntur. Dico illi: Etiam nunc, Domine, demonstra mihi. Quid inquiris? inquit. Dixi ei: An per idem tempus cruciẽtur qui discedunt à timore Dei, quãtũ vsi fuerint falsa dulcedine ac voluptatibus? Ait mihi: Per idem tempus etiam cruciantur. Et dixi ei: Exiguũ igitur cruciantur, oportebat autem eos qui sic percipiunt voluptates, vt Dominum obliuiscantur; septies tãtum pati pœnarũ. Ait mihi: Fatuus es, nec intelligis huius pœnæ virtutẽ. Et dixi: Si enim intelligerem Domine, non interrogarem vt demõstrares mihi. Audi (inquit) quanta sit vis vtriusque dulcedinis ac voluptatis: Dulcedinis vna hora, suo spatio terminatur; Pœnæ verò vna hora, triginta dierũ vim possidet. Quicunq; igitur vno die perceperunt fallacẽ dulcedinẽ ac voluptatem, vnóq; die cruciatus sit; anni spacium dies cruciatus eius valebit. Ita; quot dies perceperit quisque voluptatẽ, totidem annis cruciatur. Vides igitur (inquit) exiguũ esse tẽpus mundanæ dulcedinis ac voluptatis; pœnę verò, tormentorúmque amplius. Dixi ei: Domine, quoniam non intelligo omnia tẽpora hæc dulcedinis, voluptatis, ac pœnæ; lucidiùs mihi de his expone. Respondit mihi, dicens: Insipientia tua tibi perseuerãter inhæret. Nonne vis potiùs mentem tuam purificare, & Deo seruire? Vide, ne fortè tempore exacto, tu insipiens reperiaris. Audi nunc, quemadmodum vis, quò faciliùs intelligas. Qui vno die cẽmiserit se deliciis ac voluptatibus, & fecerit quicquid appetit animus eius; plurima repletur stultitia, nec intelligit quid admittat, ac postero obliuiscitur quid fecerit pridie: dulcedo enim & voluptas nullã memoriam habẽt, propter stultitiam quæ insita est illis. Cùm verò vno die accesserit homini cruciatus ac pœna, toto anno torquetur; magnam enim memoriã possidet pœna. Toto igitur anno dolens meminit, & tunc recordatur dulcedinis illius vanæ, ac voluptatis; & sentit propterea se pati pœnas. Quicunque igitur se dulcedini & voluptati tradiderint, sic puniuntur; quoniam vitam habentes, ipsi se reddunt obnoxios morti. Dixi ei: quæ sunt Domine, voluptates noxiæ? Omni (inquit) homini voluptas est, quodcunq; libenter facit. Etenim iracundus satisfaciẽs moribus suis, percipit voluptatem suam; & adulter, & ebriosus, & detractor, & mẽdax, & cupidus, & fraudator; & quicũque iis simile aliquid admittit, morbo suo parens, percipit ex ea re voluptatẽ. Hæ omnes dulcedines ac voluptates noxiæ sunt seruis Dei; Propter has itaque cruciantur & patiuntur pœnas. Sunt etiam voluptates salutem hominibus afferentes: Multi enim opera bonitatis facientes, percipiunt voluptatẽ, dulcedine sua tracti. Hæc ergo voluptas vtilis est seruis Dei, & vitam parat huiusmodi hominibus: Illæ verò noxiæ quæ suprà dictæ sunt; tormenta & pœnas pariunt. Quicunq; verò permanserint in illis, nec admissorum suorũ egerint pœnitentiam; mortem sibi acquirent.

Angelus præpositus pœnæ.

Pœnæ variæ hominum in hac vita.

Pœnarum tẽpus, pro modo peccatorum.

Compensatio pœnarum huius & alterius Seculi.

Voluptates noxiæ quæ sint.

SIMILITVDO VII.

Pœnitentibus faciendos esse Pœnitentiæ dignos fructus.

POst dies paucos video illum in eo cãpo in quo Pastores illos antè viderã; & ait mihi: Quid inquiris? Veni, inquam, rogare te Domine, vt Pastorẽ illum præpositũ pœnæ, iubeas de domo mea exire, quia vehemẽter me adfligit. Et respondẽs: Necesse est, inquit, patiaris incommoda & vexationes; sic enim præcepit de te ille Nuncius bonus, quia tẽtare te vult. Quod (inquã) Domine, tam graue peccatũ admisi, vt huic Nũcio traderer? Aduerte, inquit. Cõplura quidẽ habes peccata, sed non tã multa vt huic Nuncio debeas tradi; sed multa delicta & scelera, domus tua cõmisit: ideóq; factis eorum, ille bonus Nuncius exacerbatus, iussit te aliquantùm temporis vexationem experiri; vt & illi admissorum suorum agant pœnitentiam, & abluant se ab omni cupiditate huius seculi. Cũ itaque egerint pœnitentiã, & purificati fuerint, tunc discedet à te Nuncius ille qui præpositus est pœnæ. Dico ei: Domine, si ita illi gesserunt vt exasperarint Nunciũ bonum; ego quid feci? Respondẽs: Aliter (inquit) nõ possunt illi vexationem pati, nisi tu qui caput es totius domus, labores. Quicquid enim tu passus fueris, necesse est vt & illi sentiant; quãdiù vero tu benè stabilitus fueris, illi nullã vexationẽ possunt experiri. Et dixi: sed ecce iam nunc Domine, agunt pœnitentiã totis præcordiis. Et ego scio (inquit) totis præcordiis eos agere pœnitentiã: nunquid ergo (ait) protinus putas aboleri delicta eorum qui agunt pœnitentiã? Non proinde continuo; sed oportet eum qui agit pœnitentiã, affligere animã suam & humilem animo se præstare in omni negotio, & vexationes multas variásque perferre; cúmque perpessus fuerit omnia quæ illi instituta fuerint, tunc forsitan qui eũ creauit & qui formauit vniuersa, cõmouebitur erga eum clementia sua, & aliquod remedium dabit; idque ita, si viderit eius qui pœnitẽtiã agit, cor purũ esse ab omni opere nequissimo. Tibi autẽ & domui tuę, vexati

Hermas, pro domesticorum peccatis, afflictus.

Reatus pœnæ manet etiam post pœnitentiam.

nunc

nunc expedit,& multam vexationem pati neceſſe
A eſt,ſicut præcepit Nũcius Domini,qui te mihi tradidit. Quin potiùs gratias agas Domino,quòd prę-
ſcius futuri, dignum te habuit cui prædiceret tribulationem inſtare,valentibus eam ſuſtinere. Dico
ei:& tu Domine mecum eſto; & facile omnem vexationem ſuſtinebo. Ego (inquit) ero tecum: ſed
Angelus præpoſitus pœnæ. & rogabo Nuncium illum qui præpoſitus eſt pœnæ, vt leuiùs te affligat; ſed & exiguo tempore patiêris aduerſa,iterúmque tuo loco reſtituêris; tantummodò in humilitate animi perſeuera. Pare Domino,mente pura;domúsq; tua,ac Nati;& in mandatis eius ambula quæ præcepit tibi, & pœnitentia tua poterit eſſe firma atque pura. Et ſi hæc cuſto-
B dieris cum domo tua; incommoda à te recedẽt:ſed & ab omnibus quicunque in his Mandatis ambulauerint,omnis vexatio recedet.

SIMILITVDO VIII.

Electorum,& Pœnitentium Peccatorum multa ſunt genera: omnes autem, pro Pœnitentiæ & bonorum Operum ſuorum modo, habebunt mercedem.

OStendit mihi ſalicẽ tegẽtem campos ac montes, ſub cuius vmbrã venerunt omnes qui vocati erãt in nomine Domini. Et iuxta ſalicem illam ſtabat Nuncius Domini valdè præclarus & ſublimis;& ſecabat cum falce magna, ab illa ſalice, ramos; & populo illi qui erat ſub vmbra ſalicis illius,
C exiguas & quaſi cubitales virgas porrigebat. Poſtquam autem accepiſſent vniuerſi;depoſuit falcem: & arbor illa integra permanſit, ſicut anteà videram eam:quam ego rem mirabar, atque intra me diſputabam. Ait ad me Paſtor ille: Deſine mirari, quòd arbor illa tota ramis præciſis permanſerit integra ſed expecta,nũc demõſtrabitur tibi quid ſignificet; angelus ille qui populo porrexit virgas, & rurſus eas ab illis repoſcit: & quo quiſque eas perceperat ordine,eodem etiam vocabatur ad illum virgásque reddebat; quas cùm acceperat ille, conſiderabat. A quibuſdã enim accipiebat aridas & putridas, velut à tinea tactas;& iubebat eos qui huiuſmodi virgas
D tradiderant, ſecerni & ſeorſum ſtatui: Alij porrigebant aridas quidem,ſed nõ tactas à tinea; & hos ſeorſum ſtatui iubebat: Alij porrigebant ſemiaridas virgas;& hi quoque ſeorſum ſtatuebantur: Quidã autẽ dabant virgas ſuas ſemiaridas, & ſciſſuras habentes;& hi ſeorſum ſtatuebantur. Alij virgas ſuas adferebant;quarũ dimidia pars arida erat, dimidia verò viridis, & hi ſeorſum ſtatuebantur: Alij virgas ſuas afferebant, quarum duæ partes virides erant, tertia vero arida,& hi ſeorſum ſtatuebantur. Alij virgas ſuas afferebant, quarum duæ partes aridæ e-
E rant,tertia verò viridis;& hi ſeorſum ſtatuebantur. Quidam porrigebant virgas ſuas paululùm aridas (exiguiſſimum enim aridum erat in virgis eorum, id eſt, ipſum cacumen) ſciſſuras verò habebant, & hi ſeorſum ſtatuebantur. Aliorũ autẽ in virgis,exiguum erat viride,reliquum verò aridum,& hi ſeorſum ſtatuebantur. Alij veniebant afferentes virgas ſuas ſicut acceperant virides; maximáque pars populi,huiuſmodi virgas porrigebat,& magnũ ex his Nuncius ille gaudiũ cœpit; & hi ſeorſum ſtatuebãtur. Alij afferebant virgas ſuas virides,& pampinos habentes,& hi ſeorſum ſtatuebãtur:& hos quoque Nuncius ille magna cum hilaritate excipiebat. Alij afferebant virgas ſuas virides,ex quibus excreuerãt pampini earum: qui pampini quoſdã fructus adferebant:qui huiuſmodi virgas porrigebãt, valde hilares erant vultu; ſed & Nuncius ipſe quidem ex eis magnã lætitiã percipiebat,nec minùs Paſtor ille ex eadem cauſa hilaritatẽ capiebat. Tunc Nũcius Domini,coronas iuſſit afferri. Allatę ſunt autem coronæ velut ex palmis factę,& coronauit eos viros Nũcius,in quorũ virgis pampinos inuenerat,& fructũ; & iuſſit eos ire in turrim. Sed & illos viros miſit in Turrim,in quorũ virgis ſine fructu inuenerat pampinos,dato eis ſigillo: Nam veſtẽ eãdem habebant; id eſt,cãdidam ſicut niuem;cum qua iubebat ipſos
B ire in turrim: Nec minus & eos qui reddiderant virgas ſuas ſicuti acceperant virides;data eis veſte candida,& ſic eos dimiſit ire in turrim. His cõſummatis;ait ad Paſtorem illum: Ego vado, tu verò dimitte hos intra muros, in eo loco quo quiſque meruit habitare, conſideratis priùs virgis eorum diligẽter; tamen ne quis te fallat,cõſidera:ſed & ſi quis te prętererierit (inquit) ego eos ſuper aram probabo. His ad Paſtorem dictis;receſſit. Poſtquam ille diſceſſerat;ait mihi Paſtor: Accipiamus ab omnibus virgas; & plantemus illas, ſi poſſint reuireſcere. Dico ei: Domine iſtæ quæ ſunt aridæ virgæ; quomodò poſſint reuireſcere? Ait mihi: Arbor iſta ſalix eſt, & sẽ-
C per amat vitam. Si plantatæ ergo fuerint hæ virgæ, Homo Salici cõparatur. exiguúmq; humoris acceperint; plurimæ ex eis reuireſcent. Tentabo enim,& ſuffundã eis aquam; & ſi qua earum potuerit viuere; gratulabor ei:quòd ſi non; certè non videbor ego negligens fuiſſe. Iuſſit deinde me vocare eos. Et ſicut ſteterunt quiſq; eorum; venerunt ordine ſuo, virgásq; ſuas tradiderũt. Quas acceptas,ille ſingulas plãtauit ordinibus ſuis: & poſtquã plantaſſet omnes,aquam multã ſuperef. fudit illis;ita vt tegerentur ab aqua,neque ab ea extarẽt. Deinde cum irrigaſſet illas,ait mihi:eamus;& poſt paucos dies reuertamur & viſitemus eas; qui creauit enim hãc arborẽ, viuere vult omnes eos qui
D ex ea acceperũt virgas:ego autẽ ſpero, cũ ſint aqua ſuperinfuſæ hæ virgæ, plurimas victuras humore capto. Dico ei: Arbor hæc,Domine,demõſtra mihi quid ſit;valde enim moueor, quòd tot ramis reciſis integra videatur eſſe, nec omnino quicquam de ea minus videtur eſſe;quo maximè ſtupeo. Audi, inquit: Arbor hæc magna quæ cãpos tegit ac montes totámq; terram, lex eſt Dei in totũ Orbem terrarũ data. Hac autẽ lege,Filius Dei prædicatus eſt in om- Salix eſt lex Dei. nibus finibus Orbis terræ. Populi verò ſtantes ſub vmbra: ij ſunt qui audierunt prædicationes eius & crediderunt. Nũcius autẽ ille magnificus & bonus: Michaël eſt qui populi huius habet poteſtatem, & Michaël Angelus.
E gubernat eos: hic enim in corde eorũ qui crediderunt,inſerit legẽ. Viſitat igitur eos quibus dedit legẽ,ſi eam cuſtodierunt. Videt autẽ vniuſcuiuſque virgam,& ex eis multas labefactas. Illæ enim virgæ Domini,lex ſunt. Cognoſcit autẽ deinde omnes eos qui nõ ſeruauerunt legẽ:ſciens ſedẽ vniuſcuiuſque eorũ. Dico ei:quare(inquã) Domine, alios dimiſit in turrim,alios tibi hic reliquit? Hi(inquit) quicunque ſupergreſſi ſunt legẽ quam ab eo acceperũt, in mea relicti ſunt poteſtate vt admiſſorũ ſuorũ agant pœnitentiam:qui autẽ ſatisfecerũt legi, & ſeruauerunt eam, ſub illius poteſtate ſunt. Qui ſunt ergo

Martyres. Domine(inquã)in turrim euntes coronati? Ait mihi:quicunque luctati cum diabolo,vicerunt eũ: illi ſunt coronati:Illi autem ſunt, qui vt ſeruarent legẽ, perpeſſi ſunt iniqua. Illi verò qui virides virgas,pãpinósque ſine fructu habentes tradiderunt;propter eandem quidẽ legem, vexationem ſuſtinuerũt,non obierũt autem mortẽ ſed nec abnegauerunt ſanctã legẽ. Hi verò qui virides ſicut acceperant tradiderunt;modeſti ſunt,atq; iuſti,& qui valdè pura mẽte vixerunt & cuſtodiêrunt mãdata Dei. Reliqua autem ſcies,cùm conſiderauero illas virgas quas plantaui & irrigaui. Poſt paucos verò dies reuerſi ſumus eodémq; loco conſedit Nũcius ille magnificus,ego autẽ aſtiti ei. Tunc ait mihi:Succinge te Sabano,& miniſtra mihi. Succinxi me Sabano mundo,quod erat factũ ex ſacco. Vt autem vidit me cinctũ,& paratũ illi miniſtrare;ait: Voca viros illos quorũ virgę plantatæ ſunt, ſuo quemq; ordine ſicut porrexerũt illas. Et duxit me in campũ,& vocaui omnes;qui etiam vniuerſi cõſtiterunt ordinibus ſuis. Ait deinde ad illos:quiſque virgã ſuam extrahat,& ad me afferat. Et primò tradiderunt qui aridas & putridas habuerũt;& quorũ putridæ & aridæ repertæ ſunt virgæ,iuſſit eos ſtare ſeorſum. Deinde porrexerũt qui aridas quidẽ,ſed nõ putridas habuerunt. Aliqui eorum tradiderunt virgas virides,quidã verò aridas & putridas,velut à tinea tactas. Eos qui virides tradiderunt,iuſſit ſeorſum ſtare. Illos verò qui aridas & putridas tradiderunt,cũ primis ſtare iuſſit. Porrexerunt deinde illi qui ſemiaridas habuerant, & ſciſſuras habentes:multi ex illis, virides porrexerunt nec ſciſſuras habẽtes; quidã verò virides pampinos habentes,& in pampinis fructũ;ſicut illi qui in turrim ierunt coronati. Alij porrexerunt aridas & non putridas:quidã verò,ſicut fuerãt, ſemiaridas, & ſciſſuras habentes. Iuſsit vnũquemq; eorũ ſeorſum ſtare, alios ſuo quemq; ordine,alios ſeorſum. Deinde porrexerunt qui habuerant virides quidem virgas, ſed ſciſſuras habentes;hi omnes virides tradiderũt,ſuóque ordine ſteterunt. Gaudium autẽ ex his percepit hic paſtor, quòd omnes politæ eſſent, & depoſuiſſent ſciſſuras ſuas. Deinde porrexerunt qui dimidiã viridem,& dimidiã aridam habuerant:quorundam verò inuentæ ſunt totæ virides;aliorum ſemiaridæ,aliorũ virides &pampinos habẽtes;hi omnes dimiſsi ſunt,vnuſquiſq; in ſuum ordinem. Deinde qui habuerant duas partes virgarum ſuarũ virides,tertiámq; aridã : multi ex eis virides porrexerunt,multi ſemiaridas,cæteri verò aridas & nõ putridas:hi omnes dimiſſi ſunt in ſuũ quiſque ordinẽ. Deindè porrigebant qui habuerant in virgis ſuis duas partes aridas,tertiámq; viridẽ;multi quoq; ex eis porrexerũt ſemiaridas,quidã verò aridas & putridas,alij autẽ ſemiaridas & ſciſſuras habẽtes,pauci verò virides: hi igitur omnes conſtiterunt in ſuo quiſque ordine. Deinde porrexerũt qui tertium habuerant viride,reliquũ verò aridum: horum virgæ, maiori ex parte inuẽtæ ſunt virides ramuſculos habẽtes,& in eis ramuſculis fructũ:& reliquæ, virides totæ. Ex his virgis,gaudiũ vehemẽter percepit Paſtor ille,quia ſic inuenerit eas. Abierunt & illi in ordines ſuos. Poſtquã autẽ omnium virgas cõſideraſſet: ait mihi: Dixeram tibi,arborem hanc,diligere vitã. Vides quòd multi egerũt pœnitentiam, & aſſecuti ſunt ſalutẽ! Video,inquã, Domine. Vt ſcias,inquit,bonitatẽ & clementiam Domini magnam, & honorandã eſſe, qui dedit ſpiritũ iis qui digni erant agere pœnitẽtiam. Et dixi:quare ergo Domine, nõ omnes egerunt pœnitentiã? Ait mihi: Quorum viderat Dominus puras mẽtes futuras,& ſeruituros ei ex totis præcordiis:illis tribuit pœnitentiã. At quorum aſpexit dolũ & nequitias, & animaduertit ad ſe fallaciter reuerſuros: negauit iis ad pœnitentiam regreſſum, ne rurſus legẽ eius nefandis maledicerent verbis. Dico ei:nunc mihi (Domine) demonſtra, quid is ſit locus cuiuſque eorũ qui virgas reddiderunt,& ſedes eorũ:vt auditis his & creditis, ij qui non cuſtodierunt integrum ſed diſſipauerunt ſigillũ quod acceperunt, agnitis ſuis factis pœnitẽtiam agant:& accepto à te ſigillo, Domino dẽt honorẽ,quòd ſit ſuper eos motus clementia ſua:& miſerit te,vt ſpiritus eorũ renoues. Audi inquit: quorũ virgæ aridæ & putridæ repertæ ſunt,& velut à tinea tactæ:hi ſunt trãsfugæ, Eccleſiæ proditores,qui inter reliqua ſua delicta, nefandis verbis Dominũ inſectati,nomen eius negauerunt, quod ſuper eos erat inuocatum: hi igitur omnes mortui ſunt Deo, atque etiã neminẽ eorum vides egiſſe pœnitentiã, tametſi audierint mandata mea quæ tu eis protuliſti: ab huiuſmodi ergo hominibus abeſt vita. Hi quoque qui aridas & nõ putridas tradiderunt, non procul ab illis fuerunt:ficti enim erant,& doctrinas prauas intulerũt, & peruerterũt ſeruos Dei: præcipuè eos qui peccaſſent,nõ ſinentes eos ad pœnitentiã redire,ſed doctrinis fatuis detinẽtes: hi ergo habẽt ad ſpẽ regreſſum: atque etiã multos vides agere pœnitentiã,ex quo eis mãdata mea protuliſti, & adhuc agent pœnitentiã:quicunque verò non egerint pœnitentiã,ij & pœnitentiã, & vitam ſuã amittent?at his qui egerint, murus imprimis cœpit eſſe ſedes eorũ, etiã qui non in turrim aſcenderunt. Vides igitur(inquit)in pœnitẽtia,peccantiũ ineſſe vitã,non agentium verò pœnitentiã, mortẽ paratam. De his vero qui ſemiaridas virgas porrexerunt, & ſciſſuras habuerunt:audi. Quorũ tantummodo ſemiaridę erãt virgæ,hi dubij sũt,nec enim viui ſunt, nec mortui. At hi qui ſemiaridas & ſciſſuras habẽtes tradiderãt,& dubij ſunt, & maledici: de abſentibus detrahentes,& nunquã inter ſe pacẽ habẽtes, & inter ſe inuidentes:Et iis quidẽ propoſita eſt pœnitẽtia,vides enim ex his aliquos pœnitere. Quicũque vero eorũ citò egerunt pœnitentiã, hi in turri habent ſedẽ,at ij qui tardè egerunt, in muris habitant:qui vero nõ egerũt pœnitentiã,ſed in ſuis permanſerũt factis:morte moriẽtur. At vero hi qui virides quidẽ virgas ſed ſciſſuras habẽtes tradiderũt, fideles ſemper fuerunt & boni: ſed habẽtes inter ſe quandã inuidiam & contentionẽ de principatu & dignitate: Verũ omnes huiuſmodi, inſipientes ſunt & fatui,qui habẽt inter ſe æmulationẽ de principatu. Attamẽ hi quũ ſint alioquin boni,ſi auditis mãdatis iſtis emẽdauerint ſe, & citò per ſuaſionẽ meã egerint pœnitentiã, in turri deniq; incipiẽt habitare, ſicut & hi qui egerũt dignè pœnitentiã. Quòd ſi quis eorũ rurſus ad diſſenſionẽ redierit, repelletur à turri, & vitam ſuã perdet. Vita etiam eorum qui cuſtodiunt mandata Domini, in mãdatis conſiſtit, nõ in principatu,aut aliqua dignitate:per patientiã enim

Confeſſores.

Sabanum.

Pœnitẽtia.

Cauta lege. Cur non omnes egerint pœnitentiam.

Myſteria multiplicium virgarum.

Apoſtatæ impœnitentes.

Hypocritæ.

Pœnitẽtia eſt peccatorum vita.

Detractores.

Ambitioſi.

enim & humilitatem animæ; vitam homines consequentur: per seditiones verò & contemptum Legis mortem sibi acquirent. Qui verò in virgis suis dimidium aridum habebant, & dimidium viride; hi sunt negotiationibus inuoluti, neque appliciti sanctis: Ideóque etiam dimidium eorum viuit, dimidium verò mortuum est. Multi igitur ex illis, auditis mandatis egerunt pœnitentiam, & in turri habitare cœperunt: quidam verò eorum, in totum destiterunt. His igitur non est locus pœnitentiæ; à negotiatione enim sua, nefanda in Dominum locuti sunt, & eum abnegauerunt: propter hanc igitur nequitiam amiserunt vitam. Multi verò ex his dubiam mentem induerunt; adhuc & iis est regressus: qui si citò pœnitentiam egerint, in turri sedem habebunt; si verò tardiùs egerint, in muris habitabunt; si autem non egerint mortem sibi acquirent. At hi qui duas partes virgarũ suarum virides habuerãt, & tertiã aridã; cõpluribus modis deprauati negauerũt Dominum. Ex his igitur multi egerũt pœnitentiam, atque ita in turri habitare cœperunt; & multi à Deo in perpetuum recesserunt: Illi igitur, in totum amiserunt vitam. Quidã verò dubia mẽte concepta, dissensiones concitauerunt; iis adhuc regressus est, si citò egerint pœnitentiam, nec voluptatibus suis remorati fuerint: si autem permãserint in factis suis, mortem sibi acquirent. Qui verò porrexerũt virgas suas, quarum duæ partes aridæ fuerant, & tertia viridis; Fideles quidem fuerũt, sed locupletati & exsaturati bonis apud exteras gẽtes celebriores esse cupierunt, & in superbiam magnã inciderunt, & sublimia cœperunt sperare, & veritatẽ deserere, neque appliciti sunt iustis: cũ exteris gentibus conuixerunt, & hæc illis dulcior visa est; à Deo tamen non recesserunt, & in fide perseueraue runt, sed opera fidei non exercuerunt. Multi igitur ex illis egerunt pœnitẽtiam, & sedes eorum in turri esse cœperunt: Alij verò viuentes cum exteris gẽtibus, & elati vanitatibus suis; in perpetuum à Deo defecerunt, nationum facinoribus & operibus seruientes: huiusmodi ergo homines adnumerati sunt exteris nationibus. Alij ex his dubiam mentem habere cœperunt, non sperãtes se propter facta sua assequi posse salutẽ: Alij dubij facti, dissensiones excitauerũt. His igitur & illis qui propter facta sua dubij esse cœperunt, adhuc est regressus; sed hæc pœnitentia cita esse debet, vt sit in turri sedes eorum. His verò qui non agunt pœnitentiam, sed permanent in voluptatibus suis; mors propè est. At hi qui virgas virides porrexerunt, exceptis cacuminibus earum, quæ sola arida erãt, & sciſſuras habebãt; semper boni atque fideles & probi erga Deũ fuerũt, sed parumper deliquerũt propter inanes voluptates & minutas cogitationes quas intra se habuerũt. Audi tis ergo verbis meis; plurimi egerunt pœnitentiam celeriter, & in turri habitare cœperunt. Quidã autem ex his euaserunt dubij; quidam adiecerunt ad dubiam mentem, etiam dissensiones mouere: In his igitur etiam nunc spes est regressus quia boni semper fuerunt, difficile autem mouebuntur. Qui verò virgas suas aridas porrexerunt, exceptis cacuminibus earum quæ sola erant viridia; crediderunt quidem Deo, in sceleribus verò conuersati sunt, nunquam tamen à Deo recesserunt, sed semper nomen Domini libenter tulerũt & libẽter in hospitiis suis Dei seruos susceperunt. Audito igitur hoc; regressi, sine mora egerunt pœnitentiam, & omnem virtutis æquitatem exercuerũt. Aliqui verò eorum obierunt: & alij libenter aduersa passi sunt, memores factorum suorum. Postquam finisset omnium virgarum explanationes; ait mihi: Vade, & dic omnibus vt agant pœnitentiam; & viuent Deo: quia motus Dominus magna clemẽtia sua, misit me vt pœnitentiam nunciarem omnibus; his etiam qui non merẽtur propter facta sua assequi salutem. Sed patiens est Dominus; & inuitationem, per Filium suũ factam, vult cõseruare. Dico ei: spero Domine; fore vt auditis his, vniuersi agant pœnitentiam: credo enim, vnumquemque agnitis suis factis, & accepto Dei timore; ad pœnitentiam regressurum. Ait mihi: quicunque toto corde egerint pœnitentiam, & purificauerint se ab omni nequitia quæ supra dicta est, & non adiecerint adhuc ad delicta sua quicquã; accipient à Domino remediũ priorum peccatorũ suorum, si nihil dubitauerint de mandatis his, & viuẽt Deo. Qui vero adiecerint (inquit) ad delicta sua, & conuersati fuerint in cupiditatibus sæculi huius; damnabunt seipsos ad mortem. Tu verò ambula in mandatis istis, & viues Deo; & quicunque ambulauerint in his, & rectè ea exercuerint, viuent Deo. Postquam verò hæc omnia mihi ostendit; ait mihi: reliqua post dies paucos tibi ostendam.

Sedition.

Errornouatiani.

Impœnitẽtes voluptuarii.

Hospitales

Peccatorũ remissio per pœnitentiam.

SIMILITVDO IX.

Aedificanda Militantis, & Triumphantis Ecclesiæ Mysteria maxima.

POstquam scripsi Mãdata, & Similitudines Pastoris illius nũcij pœnitẽtiæ; venit ad me, & dixit mihi: Volo ostẽdere tibi quæcunq; spiritus tibi ostẽdit, qui in effigie Ecclesiæ locutus est tecũ. Ille enim Spiritus, Filius Dei est. Et quia infirmior eras corpore, non antè per Nuncium declaratum est tibi quam firmatus es à Spiritu, auctúsque viribus, vt etiam Nuncium possis videre; tũc enim benè quidem & magnificè ædificatio turris, ab Ecclesia tibi ostensa est, sed vt à virgine monstrata cuncta vidisti. Nũc autem per Nũcium illustrãris, per eundem quidem spiritum: Sed oportet te omnia diligenter videre. Idcircò enim in domum tuam missus sum habitare, ab illo Nũcio venerando; vt cùm omnia potẽter videris, nihil vt priùs expauescas. Et duxit me in ascẽsum mõtis Arcadiç; & cõsedimus in cacumine eius. Et ostẽdit mihi campum magnũ; & circa eum duodecim montes, alia atque alia figura. Quorũ primus, niger erat sicut fuligo: secũdus, glarbus sine herbis: tertius, spinis & tribulis plenus: quartus habebat semiaridas herbas; quarum superior pars erat viridis, proxima autem à radicibus arida; quædam etiam herbæ, cùm sol incanduisset, aridæ fiebant: Quintus mons, asperrimus erat; sed herbas virides habebat: Sextus mons, sciſſuris erat plenus; quibusdam minoribus, quibusdam verò maioribus: sed in illis sciſſuris erant herbæ non valde quidem latæ, sed velut marcidæ esse videbantur. Septimus verò mons, delectabiles habebat herbas, & totus fertilis erat; & omne genus pecudum & volucrum cœli, pabulum carpebant ex illo:

Visione 3.

Montes in Hermæ viſu.

& quantùm veſcebantur ex illo, tãtò lætiores herbæ creſcebant. Octauus mons, fontibus erat repletus; & ex illis fontibus adaquabatur omne genus creaturæ Dei. Nonus mons, nullam omnino aquã habebat, & totus deſtitutus erat; ſed & mortiferos Serpentes alebat, & hominibus pernicioſos. Decimus mons, proceras arbores continebat, totúſque erat vmbroſus; & ſub vmbra, pecudes iacebant requieſcentes ac ruminantes. Vndecimus mons denſiſſimis arboribus repletus erat, & arbores illæ aliis atque aliis oneratæ videbantur fructibus; vt quiſquis videret, cuperet edere de fructibus earum. Duodecimus mons, candidus erat totus, & aſpectum habebat delectabiliſſimum, & ipſe ſibi ſummum præſtabat decorem. In medio verò campo, candidam & ingentem petram mihi oſtendit, quę de ipſo campo ſurrexerat: & petra illa altior montibus illis erat, & quadrata, ita vt poſſet totum Orbem ſuſtinere. Vetus autẽ mihi videbatur eſſe; ſed habebat nouam portam quæ nuper videbatur exculpta. Et porta illa, clariorem ſplendorem quàm Sol habebat; ita vt mirarer vehemẽter lumen eius. Circa verò portam illam ſtabant virgines duodecim; ex quibus quatuor quæ obtinebant angulos portæ, digniores mihi videbantur eſſe; ſed & cæteræ dignæ erant: ſtabant autem in quatuor partibus portę. Erat autem & id ad gratiam illarum virginũ; quòd illæ binæ & binæ veſtitæ erant lintheis tunicis, & decenter ſuccinctę exteriùs; brachiis dextris, tanquam faſcem aliquem leuaturæ, ſic erant paratæ; vehementer enim hilares erant, atque prõptæ. Hæc quum vidiſſem; mecum ipſe mirabar, quòd tã magnas & præclaras res viderem. Et rurſus mirabar propter virgines illas, quòd tam decoræ & delicatę eſſent; & ita conſtanter ac fortiter ſtarent, tanquam totum cœlum portaturæ. Et quum hæc intra me cogitarem; ait ad me Paſtor ille: quid intra te diſputas atque torquêris, & ipſe tibi ſolicitudinẽ adiicis? Quæcunque non potes intelligere, noli attendere, tanquam ſi ſapiens ſis; ſed roga Dominũ, vt accepto ſenſu intelligas ea. Quæcunque poſt te ſunt, non potes videre; quæ verò ſunt antè te, vides. In his igitur quæ non potes videre, noli torqueri; & eorum intelligentiam cape, quæ tu vides. Deſine eſſe curioſus: Ego autem demonſtrabo tibi cuncta quæcunque debeo oſtendere; nunc autem reliqua conſidera. Et quum hæc dixiſſet mihi; ſuſpexi: Et ecce vidi veniſſe ſex viros excelſos ac venerandos, & omnes ſimiles vultu; & vocaſſe quandam multitudinem virorum: & hi qui venerant vocati ab illis; & ipſi quoque excelſi & fortes erant. Iuſſerunt autem illi ſex; eos turrim quandam, ſuper eam portam ædificare. Magnus verò tunc fremitus cœpit eſſe decurrentium circa portam huc atque illuc, eorum virorum qui ad ædificandum turrim venerant. Virgines verò illæ quæ ſtabant circa portam, iubebant eis ædificationem turris accelerare: Ipſæ autem exporrexerunt manus ſuas, tãquam aliquid accepturę ab illis. Tunc illi ſex iuſſerũt, vt ex quodam profundo lapides attollerent, & in ædificationem turris præpararent. Et eleuati ſunt decem lapides candidi, quadrati, circumciſi. Poſtquam verò ſex illi, aduocauerunt has virgines; iuſſerunt eas, vniuerſos lapides quicunque in turris ædificationem mittendi eſſent, portare; & tranſlatos per portam, tradere eis qui ędificaturi erant turrim illam. Continuò hę virgines, eoſdem lapides qui priùs eleuati erant de profundo, inter ſe eleuare cœperunt pariter omnes. Qui autem ſteterũt circa portam; ſic etiam portabant, vt qui videbãtur eſſe fortiores, ad angulos ponerentur; cæteri verò lapides ad latera ſubiiciebantur: atque ita vniuerſos lapides pertulerunt, eóſque per portam trãſlatos, ædificantibus (ſicut iuſſæ erant) tradiderunt: Illi verò excipientes, extruxerunt illos. Hæc autem ædificatio, ſuper illam petram magnam & portam fiebat; atque ab iis tota turris ſuſtentabatur. Horum autẽ decem lapidum ſtructura; totam portam illam repleuit, quæ in fundamento turris illius eſſe cœpit. Poſt illos verò decem lapides, alij vigintiquinque eleuati ſunt de profundo; & hi ſtructi ſunt in ædificationem turris eiuſdem, per illas virgines leuati, ſicut priores. Poſt hos alij triginta quinque eleuati ſunt, & hi ſimiliter in eodẽ opere aptati ſunt. Poſt hos, quadraginta lapides aſcenderunt; & hi omnes adiecti ſunt in ſtructuram turris illius. Quatuor ergo ordines cœperunt eſſe in fundamento turris illius; deſierunt enim lapides extrahi de profundo pauliſper: & hi qui ædificabant, quieuerunt. Iterũ illi ſex viri, multitudini illi imperauerunt vt de illis duodecim montibus adportarent lapides ad ædificationem turris eiuſdem. Illi autem excidebant de vniuerſis montibus variorum colorum lapides; & deferentes eos, porrigebant virginibus: quos illæ accipientes transferebant, & in ædificationem turris porrigebant. In qua quum ſtructi eſſent illi; candidi, variique fiebant; & ſimiliter omnes, priores mutabant colores. Quidam vero ab ipſis viris porrigebantur: qui quum in eam ædificationem veniſſent; quales qonebantur, tales & permanebant. Hi nec candidi fiebant nec varij, quoniam non erant à virginibus per portam tranſlati. Hi ergo lapides, deformes erant in ædificatione. Quos quum animaduertiſſent illi ſex viri; iuſſerunt tolli, & ſuo loco reponi vnde delati fuerant. Et dicunt ad illos qui lapides illos adferebant: Omnino vos nobis ad ædificationem hanc lapides porrigere nolite; ſed iuxta turrim ponite eos, vt hæ virgines tranſlatos porrigant: niſi enim ab his virginibus tranſlati fuerint per hanc portam, colores ſuos mutare nõ poſſunt; nolite igitur fruſtra laborare. Effecta eſt autẽ ſtructura illo die, ſed turris conſummatá nõ eſt; futurum enim erat vt ædificaretur, propterea etiam nunc & quædam dilatio facta eſt. Et iuſſerunt illi ſex; eos qui ædificabant, abire, & veluti aliquamdiu quieſcere: Illis verò virginibus præceperunt, ne à turri diſcederent. Propterea autem videbantur mihi, relictæ, vt cuſtodirent turrim illam. Poſtquã autem receſſerunt, dico ad paſtorem illum: Quare Domine, non eſt peracta ædificatio turris? Non enim, inquit, antè conſummari poteſt, quàm veniat Dominus eius, & ſtructuram hãc probet: vt ſi quos lapides non bonos in ea inuenerit, mutentur, Ad voluntatẽ enim eius ædificabatur hæc turris. Vellem, inquam, Domine, ſcire, quid ſignificet ædificatio turris huius, & de hac petra, & de hac porta cognoſcere, & de montibus, & de virginibus, & de lapidibus qui extracti ſunt de profundo, nec circũciſi

Curioſitas fugienda.

Turris nõ eſt cõſummata, & cur.

cisi sunt, sed sicut ascenderũt, sic missi sunt in structuram; & quare primùm lapides decem in fundamento structi sunt, deinde vigintiquinque, deinde trigintaquinque, deinde quadraginta. Item de illis lapidibus qui positi sunt in structuram, iterumq; sublati, & in locum suum relati. De omnibus his Domine, desiderium animæ meæ comple, & omnia mihi demõstra. Et dixit mihi: Si tardus nõ fueris, omnia nunc cognosces, & videbis reliqua quæ futura sunt huic turri, & omnes similitudines diligenter cognosces. Et venimus post dies paucos in eũdem locum vbi sederamus, & dicit mihi: Perueniamus ad turrim: Dominus enim eius venturus est, vt consideret eam. Venimus igitur illuc, & neminem alium quàm virgines illas inuenimus. Et interrogauit eas: an affuisset Dominus turris illius? Et responderunt, continuò eum adfuturum vt cõsideret structuram illam. Post pusillum verò video multitudinem virorum magnam venientem, & in medio eorum ita excelsum virum, vt magnitudine sua ipsam turrim superaret: & circa eum sex illos quos in ædificatione imperare videram, & eos omnes qui ædificauerunt turrim illã, & præterea alios quàmplures dignitate splendidos viros. Virgines verò illæ quæ custodiebant turrim illam, adcurrunt, & osculatæ sunt eum, & prope eum cœperũt ambulare. Ille autem tam diligenter considerabat structuram illam, vt singulos lapides contrectaret, quineriam singulos virga quam in manu tenebat, feriebat. Ex quibus quidam quum essent percussi, nigri fiebant velut fuligo, quidam autem tanquam scabri, quidam scissuras habentes, quidam curti, quidam nec nigri, nec albi, quidam asperi, nec cum cæteris lapidibus conuenientes, quidam plurimas maculas habentes. Hæ sunt varietates lapidum illorũ, qui in structura illa nõ idonei reperti sunt. Iussit eos Dominus omnes de turri deponi, & iuxta eã relinqui, & alios lapides afferri, & loco eorum reponi. Et interrogauerunt eum qui ædificabant, ex quo monte vellet afferri, & reponi in locum electorum? De montibus quidem vetuit afferri, sed ex cãpo quodam qui propè erat, iussit afferri. Foderunt enim campum illum, & inuenerunt lapides splendidos, quadratos: quosdam verò etiam rotundos, quicunque autem erant in illo campo, omnes allati sunt, & per portam transportati à virginibus illis, & qui ex eis quadrati erant, formati sunt, & positi in locum electorum, at verò qui rotundi, non sunt adiecti in structuram: quoniam duri erant, & longum esse videbatur, circumcidere eos: sed positi sunt circa turrim tanquam futurum esset, vt circumciderentur, & in structuram mitterentur: valde enim splendidi erant. Hæc quum vidisset vir ille dignitate præcipuus, & dominus totius turris, vocauit hunc pastorem, & tradidit ei lapides qui reprobati erant, & positi circa turrim, & ait ad illum: Communda diligenter lapides hos, & apta in structuram turris, vt cum cæteris possint conuenire, eos autem qui non conueniunt, longè à turri proiicies. Hæc cùm præcepisset ei, cum omnibus cum quibus venerat ad turrim, abiit. Virgines autem illæ steterunt circa turrim, custodientes eam. Et dixi ad pastorem illum: Quonam modo possunt lapides hi in structurã huius turris, cùm reprobati sint redire? Et dixit mihi: Ego de lapidibus istis maiorem partem circumcidam, & adiiciam in structuram, & conuenient cum cæteris. Et dixi: Quomodo Domine, possunt circumcisi eũdem locum implere? Quicunque, inquit, minores inuenti fuerint, in mediam structuram ibunt, maiores verò deforis ponentur, & continebunt eos. Hæc cùm dixisset mihi, Eamus, inquit, & post triduum reuertamur, & emundatos hos lapides in structuram adiiciam: Ea enim quę sunt circa turrim, commundari debent omnia, ne fortè subitò pater-familiâs superueniat, & immunda ea quæ circa turrim sunt, inueniat & ita aspernetur, & hi lapides non mittãtur in structurã turris huius, & ego negligẽs paterfamiliâs videar esse. Post triduum autem cùm venissemus ad eandem turrim, ait mihi: Consideremus hos lapides omnes, & videamus qui ex eis possunt in structuram ire. Dico ei: Consideremus Domine. Primum omnium cœpimus considerare eos qui nigri fuerant. Quales enim à structura depositi fuerant, tales sunt reperti. Iussit eos à turri moueri, & seorsum reponi. Deinde considerauit eos qui scabrosi fuerant, & multos ex eis circumcidi iussit, & per virgines eos in structuram turris aptari. Illæ autem, sublatos eos aptauerũt in media structura: reliquos autem iussit cum illis nigris reponi, nam & hi euaserunt nigri. Deinde considerabat eos qui scissuras habebant: & ex illis multos circumcidi iussit, & per illas virgines adiici in structuram. Hi deforis positi sunt, quoniam integri inuenti sunt: reliqui autem propter multitudinem scissurarum non potuerunt affórmari, propterea proiecti sunt ab ædificatione turris. Deinde considerabat eos qui curti facti erãt, multi ex illis scissuras habebant, & nigri euaserant, alij vero scissuras magnas habebant, quos iussit apponi cum illis qui reiecti erant: reliquos autem cõmũdatos, & afformatos adiici iussit in structuram, quos sublatos virgines illæ in media structura aptauerunt: infirmiores enim erant. Deinde considerabat eos, qui dimidij quidem albi, dimidij autem nigri fuerãt reperti, & multi ex illis nigri inuẽti sunt. Iussit & hos transferri ad illos qui reiecti erant, reliqui verò toti candidi inuenti sunt, & hi sublati sunt à virginibus, & aptati in eadem turri, exteriores autem positi sunt qui integri inuẽti sunt, ita vt possent continere eos qui in medio constructi erant: nihil enim eis reciśum est. Deinde considerabat eos qui duri & asperi fuerunt, pauci ex his adiecti sunt, quoniam non poterant circũcidi: valde enim duri reperti sunt: reliqui autem formati sunt, & in media structura à virginibus aptati, infirmiores enim erant. Deinde considerabat illos qui maculas habebant, & ex eis pauci reperti sunt nigri, & hi ad cæteros adiecti sunt: qui verò superfuerant, candidi & integri inuenti sunt: & hi à virginibus in structuram aptati sunt, & deforis positi, propter fortitudinem suam. Venit deinde vt consideraret eos lapides qui candidi & rotundi erant, & ait mihi: Quid faciemus de his lapidibus? Et ego dixi: Domine, nescio. Nihil ergo, inquit, excogitas de his? Ego, inquã, artẽ hanc non noui, nec lapidarius sũm, nec possum intelligere quicquam. Et dixit: Non vides eos valde rotundos esse? quod si voluero eos quadratos redigere, plurimum mihi

Lapides statu nigrescentes.

Delectus lapidum in Turris ædificatione.

Lapidum varij colores, & figuræ.

ex his recidẽdum eſt: ſed neceſſe eſt aliquos ex his in ſtructuram turris tranſire. Et dixi: Si neceſſe eſt, quid igitur te implicas,& non eligis, ſi quos habes eligere,& aptas in ſtructuram illam? Et elegit quos vidit maximos & ſplẽdidiſſimos,& afformauit eos: quos ſublatos, virgines illæ in exterioribus partibus ſtructurę poſuerunt:reliqui verò qui ſuperfuerunt,repoſiti ſunt in eundem campum vnde ſumpti erant,abiecti verò non ſunt; Quoniam, inquit, adhuc exiguum deeſt huic turri quod ædificandũ erit,& forſitan vult Dominus hos lapides aptari in ea ſtructura, quia valde candidi ſunt. Vocatæ ſunt deinde mulieres ſpecioſiſſimæ duodecim,nigra veſte veſtitæ,incinctæ,& exertis humeris, capilliſque ſolutis. Videbantur autem mihi hæ mulieres agreſtes eſſe. Et iuſſit eas Paſtor ille tollere lapides illos qui de ſtructura eiecti erant,& eos referri in montes vnde ablati fuerant. Et illæ gaudentes ſuſtulerunt omnes,ac reportauerũt eos vnde extracti fuerant. Poſtquam autem nullus lapis circa turrim iaceret,ait mihi:Circumeamus hanc turrim & videamus,nunquid aliquid deſit illi. Cœpimus ergo circumire eam. Et vt vidit eam decenter ædificatam, cœpit valde hilaris eſſe,ita enim decenter ędificata fuerat,vt qui vidiſſet cõcupiſceret ſtructuram eius: quoniam quaſi de vno lapide videbatur eſſe,nec vſquam commiſſura apparebat, ſed ex petra vna videbatur exculpta. Ego autem huiuſmodi turrim attentè conſiderans,valde lætabar. Et ait: Affer calcem, & teſtas minutas, vt formas eorum lapidum, qui ſublati ſunt de ſtructura,& iterum repoſiti,expleam,ea enim quæ circa turrim ſunt,omnia æquari debent. Et feci ſicut iuſſit mihi, & attuli ad eum. Et ait mihi: Præſtò adſis mihi,inquit,& citò hoc opus perficietur. Compleuit ergo formas illorum lapidum,& iuſſit locum mundari circa turrim. Tũc virgines illæ apprehenderunt ſcopas,& mundauerunt totum,& ſuſtulerunt excrementa & ſparſerũt aquam,quo completo factus eſt locus delectabilis, & turris decõra. Ait deinde mihi. Omnia commũdata ſunt: ſi venerit Dominus hanc turrim cõſummare,nihil inueniet quod de nobis quæratur. Hæc quum dixiſſet,volebat abire. At ego apprehẽdi peram eius,& cœpi rogare eum per Dominũ,vt mihi omnia quæ oſtẽderat,explicaret. Ait mihi: Habeo modicam occupationem, at omnia tibi explicabo: expecta autem me hîc,dum venio. Dico ei: Domine,quid hîc ſolus faciam? Reſpondit: Non es ſolus, omnes enim virgines tecũ ſunt. Et dixi: Trade me Domine ergo eis. At ille vocauit illas, & dixit eis: Commendo vobis hunc,donec venio. Remãſi igitur cum virginibus illis. Illæ autem hilares erant,& affabiles mihi,præcipuè tamen quatuor,quæ cæteras præcedebant dignitate. Dicunt mihi deinde virgines illæ:Hodie Paſtor ille huc vẽturus nõ eſt. Et dixi: Quid ergo ego faciam? Et dicunt mihi: Vſque in veſperam expecta eum, ſi forſan venerit, & loquetur tecum,ſin minùs, nobiſcum dum veniat, manebis. Dixi eis: Expectabo eum vſque ad veſperam,quòd ſi non venerit, domum ibo, & reuertar mane. Reſponderũt mihi: Nobis aſſignatus es, non potes recedere à nobis. Et dixi: Vbi manebo? Dicũt mihi: Nobiſcum dormies vt frater,non vt maritus, frater enim noſter es, & de cætero tecum habitare paratæ ſumus, valde enim charũ te habemus. Ego autem erubeſcebam cum eis manere. Ea verò quæ ex illis prima eſſe videbatur,amplexata me eſt,& oſculari me cœpit. Cæterę verò quum vidiſſent me amplexari ab illa, & ipſæ cœperunt me vt fratrem oſculari,& ducere circa turrim, & ludere mecum. Quædam autem ex illis pſalmos canebant, quædã choros ducebant. Ego autem circa eam turrim in ſilentio lætus cum eis ambulabam,& videbar mihi iunior factus eſſe. Poſtquam verò veſpera eſſe cœpit,domum repentè abire volebam, illæ autem retinuerunt me,& non permiſerunt abire. Manſi ergo illa nocte cum eis iuxta eandem turrim. Straue-
B runt autem tunicas ſuas linteas in terram,& me in medio collocauerunt, nec quicquam aliud faciebant,niſi quòd orabãt. Sed & ego cum illis ſine intermiſſione orabam,neque minus quàm illæ. Quæ quum me ſic orantem vidiſſent, ingens gaudium perceperunt,& cum eis illic fui vſque ad diem poſterum. Et cùm adoraſſemus Dominum, tunc venit paſtor ille,& ait ad illas: Nullam ei feciſtis iniuriam? Et dixerunt ei: ipſum interroga. Dico ei: Domine, magna voluptas me cœpit, quòd manſi cum eis. Et dixit mihi, quid cœnaſti? Et dixi: Cœnaui Domine tota nocte verba Domini. Bene,inquit,te acceperunt? Et dixi: Bene Domine.
C Nunquid vis nunc audire? Et dixi: Volo Domine: & primùm ſicut te interrogauero, rogo vt ſic mihi demonſtres. Quemadmodum vis,inquit,ſic tibi rẽ explanabo,nec quicquam te cælabo. Primùm omnium Domine,inquam, hoc mihi demonſtra. Petra hæc,& porta quid ſunt? Audi,inquit: Petra hęc, & porta filius Dei eſt. Quonã pacto, inquam, Domine,petra vetus eſt,porta autem noua? Audi, inquit,inſipiẽs,& intellige. Filius quidem Dei omni creatura antiquior eſt, ita vt in conſilio patri ſuo adfuerit ad condendam creaturam. Porta autem propterea noua eſt,quia in conſummatione in nouiſſimis diebus apparebit,vt qui aſſecuturi ſunt ſa-
D lutem,per eam intrent in regnum Dei. Vidiſti, inquit, lapides illos qui per portam tranſlati ſunt in ſtructuram turris collocatos,eos verò qui non erãt tranſlati per portam,abiectos in locum ſuum? Et dixi: Vidi Domine. Sic, inquit,nemo intrabit in regnum Dei,niſi qui acceperit nomen filij Dei. Si enim ciuitatem aliquam volueris intrare, & ciuitas illa cincta ſit muro, & vnam habeat tantummodo portam, nunquid poteris aliâ intrare ciuitatem illam,niſi per portam quam habet? Et quonam modo,inquam, Domine, aliter fieri poteſt? Sic ergo, inquit,in illam vrbem non poteſt aliter intrari, niſi
E per nomen filij eius,qui eſt ei chariſſimus. Et dixit mihi: Vidiſti turbam eorum qui ædificabant turrim illam? Vidi,inquam, Domine. Et dixit: illi omnes nuncij ſunt dignitate venerandi. His igitur veluti muro cinctus eſt Dominus. Porta verò filius Dei eſt,qui ſolus eſt acceſſus ad Deum. Aliter ergo nemo intrabit ad Deum,niſi per filium eius. Vidiſti, inquit,illos ſex viros, & in medio præcelſum virum illum ac magnum,qui circa turrim ambulauit,& lapides de ſtructura reprobauit? Vidi,inquã, Domine. Ille,inquit,præcelſus,filius Dei eſt: & illi ſex nuncij ſunt dignitate conſpicui, dextra, læuáque eum circumſtantes. Ex his, inquit, excellentibus

Myſteria Similitudin. 9.

Chriſtus eſt petra.

Chriſtiani tantùm ſalui futuri.

Architecti turris.

bus nunciis,nemo ſine eo intrabit ad Deum. Et dixit: Quicunque ergo nomen eius non acceperit, non intrabit in regnum Dei. Et dixi. Quid eſt deTurris eſt Eccleſia. inde hæc turris? Hæc,inquit,Eccleſia eſt. Et virgines hæ quæ ſunt Domine? Et dixit mihi, Hæ, inquit,Spiritus ſancti ſunt,non aliter enim homo poteſt in regnum Dei intrare, niſi hæ induerint eum veſte ſua. Etenim nihil proderit tibi accipere nomẽ Filij Dei,niſi etiã & veſtem earum acceperis ab eis. Hæ namque virgines,poteſtates ſunt Filij Dei. Ita fruſtra nomen portabit quis, niſi etiam poteſtates eius portauerit. Et dixit mihi: Vidiſti lapides illos qui abiecti ſunt? Illi enim nomen quidem portarũt, veſtem autem illarum non induerũt. Et dixi: Quæ B eſt veſtis earum Domine? Ipſa,inquit, nomina,veſtis earum eſt. Quicunque ergo,inquit, nomen filij Dei portat, harum quoque nomina portare debet, nam & filius nomina portat earum. Quoſcunque, inquit,lapides vidiſti in ſtructura remãſiſſe,per manus harũ traditos,earũ poteſtate veſtiti ſunt. Ideóque totam turrim concordem vides cum petra, & velut ex vno lapide factã. Sic quoque ij qui crediderũt Deo per filium eius,induti ſunt ſpiritũ hunc.
Fideles ſunt concordes. Ecce vnus erit ſpiritus,& vnum corpus,& vnus color veſtium eorum: ſed & illi aſſequentur iſta, qui portauerint nomina virginũ harum. Et dixi: Quare ergo Domine, abiecti ſunt lapides qui reprobati C fuerunt,cum & ipſi per portam tranſlati fuerint, & traditi per manus virginum harũ in ſtructuram turris huius? Quoniam,inquit,cura tibi eſt, omnia diligenter inquirere;audi de iis lapidibus qui abiecti ſunt. Hi omnes nomen filij Dei acceperunt, ſed & poteſtatem virginum harum: his ergo ſpiritibus acceptis conſummati fuerunt, & in numero ſeruorũ Dei redacti, & vnum corpus eorum eſſe cœpit, atque vna veſtis, eandem enim ſentiebant æquitatẽ, quam pariter exercebant. At verò poſtquam viderunt mulieres illas,quas aduertiſti nigra veſte veſtitas,exertis humeris,& ſolutis crinibus,concupiuerunt ſolicitare illas, ob pulchritudinem earum, & D induti ſunt poteſtate earum, virginum verò proiecerunt amictum. Hi igitur abiecti ſunt à domo Dei, & traditi mulieribus illis. At hi qui non ſunt corrupti pulchritudine earum,in domo Dei remanſerunt. Habes,inquit,horũ lapidum qui abiecti ſunt, explicationem. Et dixi: Si qui ergo Domine, hominum qui huiuſmodi ſunt egerint pœnitentiam, & abiecerint cupiditatem mulierũ illarum,& conuerſi redierint ad virgines,& earum poteſtatem induerint,nónne intrabunt in domum dei? Intrabũt, inquit, ſi abiecerint omnia opera mulierum illarũ, & harum virginum reſumpſerint poteſtatem, & in operibus earum ambulauerint, & ideò intermiſſio E
Pœnitẽtia facta eſt ſtruendi,vt ſi hi egerint pœnitentiam,adiiciantur in ſtructuram turris: ſi autem non egerint pœnitentiam,alii ſtruantur loco eorum,& illi tunc abiicientur in toto. Ad hæc omnia gratias egi Domino, quòd in omnes in quibus inuocatum eſt nomen eius,motus clementia,miſerit præſidem nuncium pœnitẽtiæ ad nos,qui deliquimus ei: & quod renouauerit ſpiritus noſtros iam certè deficientes, neque habentes ſpem ſalutis, nunc verò recreat ad reintegrationem vitæ. Et dixi: nunc(Domine) demonſtra mihi,quare nõ in terra ædificatur hæc turris,ſed ſupra petrã,& portam. Quouiam,inquit,inſipiens & ſine intellectu es;ideò interrogas. Et dixi: neceſſe habeo Domine,omnia te interrogare quoniam nihil omnino intelligo; reſpõſa enim omnia, magna & præclara ſunt, & quæ homines vix intelligere poſſunt. Audi, inquit: nomen Filij Dei,magnum & immenſum eſt; & totus ab eo ſuſtentatur Orbis. Si ergo,inquam,omnis dei creatura per Filium eius ſuſtentatur;cur nõ & eos ſuſtinet qui inuitati ſunt ab eo,& nomen eius ferunt,& in præceptis eius ambulant? Nónne etiã vides, inquit; quòd ſuſtinet eos qui ex totis præcordiis portant nomen eius? Ipſe igitur fundamentũ eſt eorum; & libenter portat eos qui non negant nomen eius,ſed libenter ſuſtinent illum. Et dixit:demonſtra mihi,Domine; nomina virginũ harum, & mulierum illarum quæ nigra veſte ſunt indutæ. Audi, inquit:nomina virginũ quę potẽtiores ſunt,quæ obtinuerũt Angulos portæ;hæc ſunt: Prima, vocatur fides;ſecunda, Abſtinẽtia:tertia,Poteſtas;quarta,Patiẽtia:cæteræ autem quæ infra has cõſiſtunt,his nominibº vocãtur: Simplicitas,Innocẽtia, Caſtitas,Hilaritas,Veritas, Intelligẽtia,Cõcordia,Charitas. Quicunq; itaque portant hæc nomina & nomen Filii dei;in regnum dei poterũt intrare. Audi nũc mulierũ nomina,quę nigra veſte veſtitæ ſunt & his quatuor potentiores ſunt:quarũ prima Perfidia; ſecunda, Intemperãtia; tertia, Incredulitas; quarta, Voluptas nominatur. Spiritus mali. Sequẽtes verò harũ,ſic nominãtur:triſtitia,malitia, libido, iracũdia, mendaciũ, ſtultitia,inflatio, odũi: hos ſpiritus,qui portat dei ſeruus; regnũ dei videbit quidẽ,ſed nõ intrabit in illud. Lapides verò illi (Domine) qui de profundo in ſtructura aptati ſũt; qui ſunt? Decem(inquit)qui in fundamentis collocati ſunt;primũ ſeculũ eſt:ſequentes vigintiquinq;, ſecundũ ſeculum eſt Iuſtorum virorum. Illi autem triginta, Prophetæ domini, ac miniſtri ſunt: quadraginta verò, Apoſtoli & doctores ſunt prædicationis Filii dei. Et dixi: cur ergo Domine,virgines illę etiam hos lapides in ſtructuram turris porrexerunt,tranſlatos per portam? Et dixit:hi enim primi ſpiritus, illos portauerunt,& omnino alius ab alio non receſſerũt,nec ſpiritus ab hominibus, nec homines à ſpiritibus: ſed iuncti fuerunt hi ſpiritũs eis vſque ad diem quietis:qui niſi hos ſpiritũs ſecũ habuiſſent,non fuiſſent vtiles ſtructuræ turris huius. Et dixi: Etiã nunc, Domine; demonſtra mihi. Quid quæris? inquit! Quare, inquã,de profundo, hi lapides aſcenderũt, & poſiti ſunt in ſtructurã turris huius;cùm iampridẽ portauerint Spiritus iuſtos? Neceſſe eſt,inquit;vt per aquã habeãt aſcendere,vt requieſcãt: Non poterant enim aliter in regnũ Dei intrare,quàm vt deponerent mortalitatẽ prioris vitæ, Illi igitur defuncti, ſigillo Filii Dei ſignati ſunt, & intrauerunt in regnum dei: antequam enim accipiat homo nomen Filii dei, morti deſtinatus eſt: at vbi accipit illud ſigillum, liberatur à morte,& traditur vitæ. Illud autem ſigillum; aqua eſt, in quam deſcẽdunt homines morti obligati, aſcẽdunt verò vitæ aſſignati: & illis igitur prædicatum eſt illud ſigillum; & vſi ſunt eo, vt intrarent in regnum dei. Et dixi: quare ergo Domine, illi quadraginta lapides aſcenderũt cum illis de profundo, iam habentes illud ſigillum? Et dixit:quoniam hi Apoſtoli &

Virgines Turris Cuſtodes.

doctores qui prædicauerũt nomẽ Filij Dei; cùm habentes fidem eius & poteſtatẽ, defuncti eſſent, prædicauerunt his qui antè obierunt, & ipſi dederunt eis illud ſignum. Deſcenderunt igitur in aquam cum illis, & iterum aſcenderunt. Sed hi viui aſcenderunt; at illi qui fuerũt antè defuncti, mortui quidem deſcenderunt, ſed viui aſcenderunt. Per hos igitur vitam receperunt, & cognouerunt Filium Dei: ideóque aſcenderunt cum eis, & conuenerunt in ſtructuram turris. Nec circumciſi ſed integri ædificati ſunt, quoniam æquitate pleni, cum ſumma caſtitate defuncti ſunt; ſed tantummodò hîc ſigillum defuerat eis. Habes horum explanationem.

Et dixi: nunc iterum, Domine; & de montibus illis
Myſteria 12. Mõtiũ. mihi demonſtra; quare varij, & alia, atque alia ſunt figura. Audi; inquit: hij duodecim montes quos vides, duodecim ſunt gentes quæ totum obtinẽt Orbem. Prædicatus eſt ergo in eis Filius Dei, per eos quos ipſe ad illos miſit. Quare autem (inquam) varij ſunt, & alia atque alia figura? Audi: hę duodecim gentes quæ totum obtinent Orbem, duodecim nationes ſunt. Et ſicut eos montes vidiſti varios; ita & hæ gentes. Sensûs quoque & actûs vniuſcuiuſque montis te docebo. Priùs (inquam) Domine, hoc mihi demonſtra: cùm ſint tam varij hi montes; quonam pacto in ſtructuram huius turris conuenerint, vnóque redigantur colore, & non minùs ſplendidi ſint quàm qui aſcenderũt ex profundo! Quoniam (inquit) vniuerſæ nationes quæ ſub cœlo ſunt, audierunt & crediderunt, & vno nomine, Filij Dei, vocati ſunt. Accepto igitur eius ſigillo; eandem omnes prudentiam, eundémque ſenſum acceperunt, & vna fides atque charitas eorum fuit, & ſpiritûs virginum harum cum eius nomine ferebant. Ideóque ſtructura turris huius, concolor videbatur; & fulgebat vſque ad Solis claritatem. At verò poſtquam ita ſenſerunt, vnum corpus eorum cœpit eſſe omnium. Quidam tamen ex eis maculauerunt ſe, & proiecti ſunt de genere iuſtorum, & iterum
Chriſtiani improbi, deteriores Paganis. redierunt ad ſtatum priſtinum, atque etiam deteriores quàm priùs euaſerunt. Quomodò (inquam) Domine; deteriores qui cognouerunt Dominum? Et dixit: Is quidem qui nõ nouit Dominum; ſi nequiter viuit, manet in eo nequitiæ ſuæ pœna: At, qui nouit Dominum; omnino abſtinere debet ab omni nequitia, & magis magíſque ſeruire bonitati. Nónne ergo ille qui bonitatem ſequi debebat, ſi nequitiæ præferat partes; plus peccare videtur, quã is qui deliquit ignorans Dei virtutem? Ideóque, hi quidem morti deſtinati ſunt: at verò hi qui cognouerunt Dominum; atque eius mirabilia & opera viderũt; ſi nequiter viuunt, duplo ampliùs punientur, & ipſi morientur in æuum. Sicut ergo vidiſti; poſtquàm ejecti ſunt lapides de turri, qui reprobati erant; traditi ſunt Spiritibus pernicioſis atque ſæuis: & ita purificatam turrim vidiſti, vt crederetur ex vno lapide eſſe tota: Ita & Eccleſia Dei cùm purificata fuerit, ejectis ex ea malis, atque fictis, ſceleſtis & dubiis, & quicunque nequiter in ea ſe geſſerunt, ac variis nequitiæ peccatorum generibus; erit vnum corpus eius, vnus intellectus, vnus ſenſus, vna fides, eadémque charitas: & tũc Filius Dei lætabitur inter illos, & recipiet voluntate pura populum ſuum. Et dixi: Domine; magnificè & honorificè ſe habent cuncta: nunc mihi domonſtra effectum & vim vniuſcuiuſque mõtis; vt omnis anima in Domino fidens, auditis his honoret magnum ac mirabile & ſanctum nomen eius. Audi (inquit) veritatem horum montium; id eſt, duodecim gẽtium. In primo monte nigro, qui crediderunt transfugæ ſunt ac nefanda in Dominum loquentes, & proditores ſeruorum Dei: Illis propoſita mors eſt; pœnitentia, non eſt: ideóque nigri ſunt, quia genus eorum ſceleſtum eſt. De ſecundo verò monte glabroſo: ficti ſunt, qui crediderunt; & doctores ſunt nequitiæ: & hi proximi ſunt ſuperioribus, non habentes inter ſe fructum æquitatis. Sicut enim mõs eorũ ſterilis eſt, ac ſine fructu; ita & huiuſmodi homines habẽt quidem nomen, fide verò inanes ſunt, neque eſt in eis vllus fructus veritatis. His tamen data eſt pœnitentia, ſi citò eam ſequuntur; ſin autem tardant, erunt & ipſi mortis priorum cõſortes. Quare (inquam) Domine; iis quidem aditus eſt ad pœnitentiam, prioribus verò non eſt? penè enim eorum eadem ſunt admiſſa! Ideò (inquit) eſt his per pœnitentiam regreſſus ad vitam, qui nihil in Dominum ſuum locuti ſunt nefandum; neque proditores ſeruorum Dei fuerunt; ſed per quandam habendi cupiditatem fefellerunt homines, ducentes eos ſecundùm cupiditates peccantium: ideò dabũt quandam eius rei pœnam, ſed tamen iis propoſita eſt pœnitentia, qui nihil in Dominum ſuum dixerunt nefandum. De tertio verò monte qui ſpinas & tribulos habebat: tales ſunt qui crediderunt, diuites quidam; quidam autem plurimis obſtricti negotiis: tribuli enim, diuitię ſunt; ſpinę verò qui multis obligati ſunt negotiis. Hi ergo qui plurimis obligati ſunt negotiis, variiſque rebus; non adiungunt ſe ſeruis Dei, ſed aberrant; ab his negotiis reuocati, à quibus ſuffocantur. Etiam & hi qui diuites ſunt, ipſi difficiles ſe ad conuerſationem ſeruorum dei præbent; metuẽtes ne quid poſcatur ab illis: hi ergo difficilè in regnum dei intrabunt. Sicut enim excalciatis pedibus, difficilè in tribulis ambulatur: ſic & huiuſmodi homines, difficile eſt in regnum dei intrare. Sed & eis omnibus datus ad pœnitentiam regreſſus, ſi tamen citò redierint ad illam; vt quia prioribus diebus ceſſauerũt ab opere, repetito tempore aliquid boni facere poſſint: acta igitur pœnitentia, ſi fecerint opera bonitatis, viuent; ſin autem in admiſſis ſuis permanſerint, tradentur mulieribus illis quæ eis auferẽt vitam. De quarto verò monte, habente plurimam herbam; cuius ſuperior pars viridis erat, ipſæ verò radices aridæ, quædam etiam à Solis ardore tactæ areſcebant; huiuſmodi ſunt quidam dubij qui crediderunt: & quidam alij, in labiis Dominum non in corde ferentes: Ideóque aridæ ſunt, & nullum fundamentum habentes herbæ eorum; verbis enim tantummodò viuunt, opera verò eorum mortua ſunt. Hi ergo nec mortui ſunt nec viui; & dubij ſimiliter ſunt; Ipſi enim dubij, nec virides ſunt neque aridi; id eſt, nec viui nec mortui. Sicut enim herbæ eorum, Sole viſo aruerunt; ita & dubij, ſimul vt audierunt perſecutionem, incommoda metuentes, redierunt ad ſimulacra, & rurſus ſeruierunt eis, & erubuerunt Domini ferre nomen. Huiuſmodi ergo homines, nec viui nec mortui ſunt; ſed & hi poſſunt viuere, ſi citò egerint pœnitentiam

Apoſtatarum vix vlla eſt Pœnitentia.

error noſter anus —

Hæreticorum hypocritarum nullus eſt fructus.

Sera Pœnitentia.

Diuitiæ, ſunt ſpinę.

Diuites non facilè ſaluantur.

Dubij in fide radices non agunt.

tentiam;sin minùs, iam traditi sunt mulieribus illis quæ auferent vitam eorum. De quinto verò monte aspero, & virides herbas habente; huiusmodi sunt qui crediderunt fideles quidē sed difficilè credētes, & audaces, ac sibi placentes;volentes videri cuncta scire,nihilque omnino scientes: propter hāc igitur audaciam,sensus discessit ab illis, & intrauit in eos temeraria arrogantia. Sublimes autem se gerunt,& veluti prudentes; & cùm sint stulti, cupiunt doctores videri: propter hanc stultitiam, dum se magnificant,multi eorum exinanîti sunt: magnum enim Dæmonium est,audacia & confidentia inanis. Ex his igitur multi abiecti sunt:alij autem agnito errore suo,pœnitentiam egerunt & subdiderūt se habentibus sensum. Sed & cæteris horum similibus proposita est pœnitentia;neque enim mali fuerūt, sed insipiētes potiùs & stulti. Hi ergo si egerint pœnitentiam, viuent Deo;sin minùs,habitabunt cum mulieribus illis quæ nequitias suas exercebunt in eis. De sexto monte habente sciſſuras maiores & minores;huiusmodi sunt qui crediderunt. Et hi in quibus sciſſuræ minores erant; hi sunt qui inter se habent lites, & propter querelas suas in fide languent,sed multi ex iis egerunt pœnitentiam, idémque cæteri facient auditis Mandatis meis; exiguæ enim sunt lites eorum, ac facilè ad pœnitētiam recurrent. At hi qui maiores habēt; sicut lapides pertinaces erunt simultatum & offensarum sunt memores,iracundiam inter se exercentes:hi ergo abiecti sunt à turri, & à structura eius reprobati;huiusmodi ergo homines difficilè viuent. Deus & Dominus noster qui dominatur omnium rerum, & creaturæ suæ vniuersæ habet potestatem, offensas meminisse non vult;sed ab his qui peccata sua confitentur, facilè placatur. Homo verò cùm sit languidus,mortalis,infirmus, & repletus peccatis; homini perseueranter irascitur, tanquam conseruare cum posset aut perdere. Ego autem moneo vos, Nuncius & præpositus pœnitentiæ; vt quicunque propositum tale habetis,deponatis illud, & ad pœnitentiam recurratis:& Dominus medebitur prioribus delictis vestris; si ab hoc Dæmonio vos purificaueritis;sin minùs,ad mortem trademini illi. De monte verò septimo in quo virides & hilares erant herbæ, & totus mons fertilis erat, omnéque genus pecudū carpebant pabulum ex herbis montis eiusdem;& quantò magis herbæ illæ carpebātur, tantò lætiores reuirebant: huiusmodi sunt qui crediderunt simplices & boni semper, & nullas habentes inter se dissentiones, sed lætantes semper de seruis Dei; induti spiritum Virginum harum, & semper in omnes homines ad faciendam misericordiam prompti,& de laboribus suis cunctis hominibus facilè tribuentes sine improperio & deliberatione. Visa igitur dominus simplicitate & omni infantia eorum;auxit eos in laboribus manuum suarum, & dedit eis in omni opere gratiam. Ego autem hortor vos,præpositus pœnitentiæ Nuncius, in eodē proposito permanere, quicunque estis huiusmodi; ne eradicetur semē vestrum in æuum. Dominus enim vos probauit, & conscripsit in nostrum numerum & omne semen vestrum cum Filio Dei ditauit, de spiritu enim eius estis omnes. De octauo verò mōte in quo plurimi erant fontes in quibus adaquabatur omne genus creaturæ Dei; tales sunt qui crediderunt Apostolis quos misit Dominus in totum Orbem prædicare:& quidam doctores qui castè & syncerè prædicauerunt ac docuerunt,nec quicquā omnino subscripserunt malæ cupiditati, sed assiduè in æquitate & veritate ambulauerunt: hi ergo inter Angelos conuersationem habent. De nono autem monte deserto ac Serpentes habente; huiusmodi sunt qui crediderunt, sed & maculas habebant. Hi sunt ministri, malè ministerium agentes, diripiētes viduarum bona & pupillorum;sibi, non aliis ex his quæ acceperunt ministrantes. Hi,si permanserint in eadē cupiditate;morti se tradiderunt, nec vlla erit in eis spes vitæ: quòd si cōuersi fuerint, & castè consummauerint ministerium suum;poterunt viuere: Qui verò scabrosi reperti sunt; ij sunt qui nomen Domini abnegauerunt nec ad Dominum rursus redierunt, sed agrestes euaserunt atque deserti;non applicātes se ad Dei seruos, sed separati ab eis, pro parua solicitudine vitā suam amiserunt. Sicut enim vitis aliqua derelicta in sepe, cui nulla cultura contingit; disperit & suffocatur ab herbis, & agrestis tempore efficitur (desinit enim vtilis esse Domino suo) sic & huiusmodi homines de seipsis desperantes, exacerbati; Domino suo inutiles esse cœperunt. His ergo demādatur pœnitentia; si,non ex præcordiis, inuenti fuerint negasse: an vitam assequi possint, ignoro; Ideóq; dico, vt in his diebus, si quis negauit,ad pœnitētiam reuertatur: nam fieri non potest, vt nunc Dominum suum quis abnegās, postea assequi possit salutē; sed illis reputatur proposita pœnitentia,qui olim abnegauerunt. Accelerare enim qui acturus est pœnitentiam,debet,antequàm peragatur ædificatio turris huius;sin minùs,à mulieribus illis trahetur ad mortē. Qui verò curti; dolosi sunt,& alius in alium cōminiscentes: hi sunt Serpentes in eo monte mixti. Sicut enim mortiferum est hominibus, Serpētum venenū; ita & verba taliū inficiunt homines,atque perdunt. Curti sunt igitur à fide sua, propter hoc genus vitæ suæ in quo morantur. Aliqui vero eorum accepta pœnitentia, assecuti sunt salutem: sed & cæteri huiusmodi homines æquè assequentur,si egerint pœnitētiam; sin minùs, morietur cum mulieribus illis quarum vim possident ac potestatem. De decimo verò monte in quo arbores erant tegentes pecora: tales sunt qui crediderunt, quidam Episcopi; id est, præsides Ecclesiarum. Alij vero hi lapides; qui non ficto sed alacri animo semper in domos suas seruos Dei receperunt: & deinde qui præsides sunt ministeriorum, qui & inopes & viduas protexerunt, & castam perpetuò conuersationem habuerunt. Ergo hi homines à Domino proteguntur. Hæc quicunque egerint, honorati sunt apud Dominum; & inter Nuncios locus eorū est,si perseuerauerint vsque in consummationē parêre Domino. De vndecimo monte in quo erant arbores aliis atque aliis fructibus oneratæ; hi sunt qui crediderunt, & propter nomen Domini mortem obierūt, & animo prompto passi sunt,& ex toto corde suo animas suas tradiderunt. Et dixi: quare ergo (Domine) omnes hæ arbores habent quidem fructūs, sed earum quædam pulchriores? Audi, inquit: quicunque propter nomen Domini passi sunt, honorati apud Deū habentur;

Superbi, insensati.

Audacia, est magnū Dæmonium.

Discordes in fide lāguent.

Odium deponēdum.

Apostatæ non Pœnitentes.

Vitis inculta.

Hospitales.

Martyrũ delicta, deleta martyrio.

& omnium eorum deleta sunt delicta, quia propter nomen Filii Dei mortem obierunt: Quare autem fructûs earum dispares sint, & excellant quidam inter illos; audi. Quicunque enim perducti ad Potestates, interrogati non negauerunt Dominum, sed prompto animo passi sunt; honoratiores sunt apud Deũ: qui excellunt igitur fructûs; eorum sunt: Qui verò timidi & dubij fuerũt, & deliberauerunt in corde suo vtrúmne faterentur an negarẽt; & passi sunt: horum fructûs exiguiores sunt, quoniam hæc cogitatio ascẽdit in corda eorum; mala enim ac nequam est huiusmodi cogitatio, perinde ac si quis seruus neget Dominum. Cauete igitur vos qui huiusmodi cogitationes habetis, ne permaneat hæc mens in vobis, & Deo moriamini. Vos igitur quicunque propter hoc nomen mortem obitis; Dominum honorare debetis, quòd dignos vos habet Dominus vt nomen eius feratis, & omnia peccata vestra redimantur. Nónne ergo vos potius fœlices existimatis? Putate potiùs, si quis ex vobis patitur, magnum opus perficere. Vitam enim vobis donat Dominus; nec intelligitis. Delicta enim vestra vos grauabant; & nisi passi essetis huius nominis causa, propter peccata certè vestra mortui eratis Deo.

Non est dubitandũ in persequutione.

Hæc igitur vobis dico, quicunque deliberatis de confessione aut de abnegatione. Confiteamini igitur vos habere Dominum Deum; ne fortè negantes, tradamini in vincula. Si omnes enim gentes seruos suos puniunt, quicunque Dominum suum negauerunt; quid putatis vos Dominum vobis facturum, qui vniuersorum habet potestatẽ? Remouete igitur de præcordiis vestris has disputationes,

Innocẽtes & simplices.

vt in perpetuum viuatis Deo. De duodecimo verò mõte cãdido; tales sunt qui crediderũt sicut Infantes synceri quibus nulla malitia ascendit in sensum: nec sciuerunt quid sit malitia, sed semper in synceritate manserunt. Huiusmodi ergo homines, sine vlla dubitatione inhabitabunt regnum Dei; quoniam in nullo negotio mãdata dei maculauerunt, sed cum synceritate permanserunt omnes dies vitæ suæ eodem sensus tenore. Quicunque ergo permanserint (inquit) sicut infantes, non habentes malitiam: honoratiores erunt omnibus illis quos iam dixi: Omnes enim infantes honorati sunt apud Dominum, & primi habentur. Fœlices ergo vos, quicũque remoueritis malitiam à vobis, & indueritis innocentiam; quia primi videbitis Deũ. Postquam finiuit omnium montium explanationem; dico ei: Domine; nunc expone mihi de lapidibus his qui allati ex campo, in locum reprobatorum ad structuram turris missi sunt: Item de lapidibus illis rotundis qui in structuram turris adiecti sunt; & de his qui adhuc rotundi remãserunt. Audi (inquit) de lapidibus. Qui allati de campo, in structurã turris positi sunt eorum loco qui reprobati erant; radices sunt illius cãdidi montis. Cùm igitur hi qui de illo monte crediderunt facti sunt innocentes; iussit Dominus eius turris, eos qui de radicibus montis essent, in structuram collocari. Intellexit enim, si ad ædificationem iissent, splendidos illos permansuros, nec vllum de his ampliùs denigrandum. Quòd si ita de cæteris mõtibus adiecissẽt; non necesse habuisset rursus visitare eam turrim atque purgare. Hi autem omnes candidi sunt, qui crediderunt & qui crediturí sunt; ex eodem enim genere sunt. Fœlix hoc genus, quia innocuum est. Audi nunc & de illis rotundis lapidibus & splendidis. Hi omnes, de hoc candido monte sunt. Quare autem rotundi sunt reperti; causa est, quia diuitiæ suæ illos pusillùm à veritate obscurauerunt, atque obfuscauerũt: sed à Deo nunquam recesserunt, nec vllũ verbum malum processit de ore eorum; sed omnis æquitas, virtus & veritas. Horum ergo mentem cùm vidisset Dominus; & posse eos veritati fauere; iussit bonos quoque permanere, & opes eorum circuncîdi: non enim voluit in totum illas tolli; vt possent boni aliquid facere de eo quod eis relictum est & viuere Deo, quoniam & ipsi de genere bono sunt? Ideo ergo pusillùm circumcisi sunt, & positi in structuram turris huius. Cæteri verò qui adhuc rotundi permanserunt, neque apti reperti sunt in eam structuram, quia nondum acceperunt sigillum, reposíti sunt in loco suo: valde enim rotundi reperti sunt. Oportet autem circumcîdi hoc seculum ab illis, & vanitates opum suarum, & tunc conuenient in regno Dei; necesse est enim eos intrare in regnum dei: hoc enim genus innocuum benedixit Dominus. Ex hoc ergo genere intercidet quisquam; etenim licet quis eorum tentatus à nequissimo diabolo aliquid deliquerit, citò recurret ad dominum Deũ suum. Fœlices verò iudico, ego Nuncius pœnitentiæ, quicunque innocentes estis sicut infantes; quoniam pars vestra bona est & honorata apud deum. Dico autem omnibus vobis quicunque sigillum hoc accepistis; simplicitatem habere, neque offensarum memores estote, neque in malitia permanete, neque in memoria offensarum amaritudines in vniuscuiusque spiritu fiant, sed his malis scissuris remedia procurate, atque tollite illas à vobis: vt dominus pecorum gaudeat de vobis; gaudebit autem si omnia inuenerit sana. Si autem pecus aliquod ex talibus inuenerit dissipatũ, væ erit pastorib⁹. Quòd si ipsi pastores dissipati fuerint; quid respondebunt ei pro pecoribus? Nunquid dicent, à pecore se vexatos? Non credetur illis. Incredibilis enim res est, Pastorem pati posse à pecore: & magis punitur propter mendacium suum. Et ego sum Pastor; & validissimè oportet me de vobis rationem reddere. Consulite ergo vobis dum adhuc turris ædificatur. Dominus habitat in viris amantibus pacem; etenim vera pax chara est. A contentiosis verò & perditis, malitia longè abest: reddite igitur ei spiritum integrum, sicut accepistis. Si enim dederis fulloni vestimentum integrum, ídque integrum vis denuò recipere, fullo autem scissum tibi illud reddat; recipies illud? Nónne statim excandesces, & eum conuitio persequeris; dicens: Vestimentum meum integrum tibi dedi, quare scidisti illud, & inutile fecisti? nunc propter scissurã quam in eo fecisti, vsui esse non potest! Nonne ergo hæc omnia verba dices fulloni, & de scissura quam in vestimento tuo fecerit? Si igitur tu doles de vestimento tuo, & quereris, quod non illud integrum recipias: quid putas dominum tibi facturum, qui spiritum integrum tibi dedit; & tu eum totum inutilem redegisti, ita vt nullo vsui esse possit domino suo? Inutilis enim cœpit esse vsus eius, cùm sit corruptus à te. Nónne igitur dominus de spiritu suo,

Diuitiæ.

Pastorum pœna.

Incredibile est Pastorem, à Gregge posse pati.

propter

Contra discordes, & memores iniuriarũ.

propter hoc factũ tuum, idem faciet? Planè, inquã, omnibus iis quoſcunque inuenerit in memoria offenſarum permanere, idem faciet. Clementiã (inquit) eius nolite calcare, ſed potiùs honorificate eũ, quòd tam patiens eſt ad delicta veſtra, & non eſt ſicut vos: Agite pœnitentiam; vtile enim id eſt, vobis. Hæc omnia quæ ſuprà ſcripta ſunt, ego Paſtor Nuncius pœnitentiæ oſtendi, & locutus ſum ſeruis Dei. Si ergo credideritis, & audieritis verba mea, & ambulaueritis in ipſis, & correxeritis itinera veſtra; viuere poteritis: Sin autem permanſeritis in malitia, & memoria offenſarũ; nullus ex huiuſmodi peccatoribus viuet Deo. Hæc omnia à me dicenda, dicta ſunt vobis. Ait mihi ille paſtor: Omnia à me interrogaſti? Et dixi. Ita Domine. Quare ergo non interrogaſti me (inquit) de forma lapidum in ſtructura repoſitorum, vt tibi explicarem formas? Et dixi: Oblitus ſum Domine. Audi nũc ergo, inquit; & de illis. Hi ſunt qui nunc Mandata hæc audierunt, & ex totis præcordiis egerunt pœnitentiam: cúmque vidiſſet Dominus bonã atque puram pœnitentiam eorum, & poſſe eos in ea permanere; iuſſit priora peccata eorum deleri; Hæ enim formæ; peccata eorũ erant; & exæquata ſunt, ne apparerẽt.

SIMILITVDO X.

POſtquam perſcripſeram librũ hunc; venit Nuncius ille qui me tradiderat illi Paſtori, in domũ in qua eram, & conſedit ſupra lectum, & aſtitit in dextera eius ille Paſtor. Deinde vocauit me, & hæc mihi dixit: Tradidi te (inquit) & domum tuam huic Paſtori, vt ab eo protegi poſſis. Ita (inquam) Domine? Si vis ergo protegi, inquit, ab omni vexatione, & ab omni ſæuitia, ſucceſſum autẽ habere in omni opere bono, atque verbo, & omnem virtutẽ æquitatis; in mãdatis iis ingredere quæ dedit tibi: & poteris dominari omni nequitiæ; cuſtodiẽti enim tibi mandata illa, ſubiecta erit omnis cupiditas & dulcedo huius ſeculi, ſucceſſus verò in omni bono negotio te ſequetur. Muturitatem huius & modeſtiã ſuſcipe in te; & dic omnibus, in magno honore eſſe eum & dignitate apud Deum, & magnæ poteſtatis eum præſidem eſſe, & potentẽ in officio ſuo. Huic ſoli per totum Orbem, Pœnitentiæ poteſtas tributa eſt. Potén ſne tibi videtur eſſe? Sed vos maturitatem huius, & modeſtiam quam in vos habet; deſpicitis. Dico ei: interroga ipſum Domine; ex quo in domo mea eſt, anne aliquid extra ordinẽ fecerim, aut in aliquo eum offenderim! Et ego (inquit) ſcio, nihil extra ordinem feciſſe te, neque eſſe facturum; & ideò hæc loquor tecum, vt perſeueres: benè enim hic de te apud me exiſtimauit. Tu autẽ cæteris hæc verba dices: vt & illi qui egerũt; aut acturi ſunt pœnitentiam, eadem quæ tu ſentiant; & hic apud me de iis interpretatur, & ego apud Dominum. Et ego (inquam) Domine, omni homini indico magnalia Dei; ſpero autem, eos omnes qui amant ea, & antè peccauerunt, his auditis acturos eſſe pœnitentiam, vitam recuperantes. Permane ergo (inquit) in hoc miniſterio, & conſumma illud. Quicunque autem Mandata huius exequuntur, habebunt vitam; & hîc, & apud Dominum magnum honorem: Quicunque verò huius Mandata non ſeruiant; fugiunt à ſua vita, & aduerſantur illi; & qui Mandata eius non ſequuntur, morti ſe tradunt, & vnuſquiſque eorum reus erit ſanguinis ſui. Tibi autem dico, vt ſerues mãdata hæc; & remedium peccatorum tuorum omniũ habebis. Miſi autem tibi has Virgines, vt habitent tecum: vidi enim eas valde affabiles tibi eſſe. Habebis igitur tu eas adiutrices, quò magis poſſis huius Mandata ſeruare: nõ poteſt enim fieri, vt ſine his virginibus hæc Mãdata ſeruentur. Vides autem eas libenter eſſe tecum: ſed & ego præcipiam eis, vt omnino à domo tua non diſcedant; tu tantùm commoda domum tuam, in mũda enim domo libenter habitabunt; mũdæ ſunt enim; atque caſtæ, & induſtriæ, & omnes habentes gratiam apud Dominum. Igitur ſi habueris domum tuam puram, tecum permanebunt: ſi autem puſillum aliquid inquinationis acciderit; protinus à domo tua recedent: hæ enim virgines, nullam omnino diligunt inquinationem. Dico ei: ſpero me (Domine) placiturum eis, ita vt in domo mea libenter inhabitent ſemper. Et ſicut is cui me tradidiſti, nihil de me queritur; ita neque illæ querentur. Ait ad Paſtorem illum: Video ſeruum Dei velle videre, & cuſtodire hæc mandata; & virgines has munda habitatione collocaturum. Hæc cùm dixiſſet; iterũ Paſtori illi me tradidit, & vocauit Virgines, & dixit eis: Quoniam video vos libenter in domo huius habitare; cõmendo eum vobis & domũ eius, vt à domo eius non recedatis omnino. Illæ verò libenter hæc verba audierunt. Ait deinde mihi: Viriliter in miniſterio hoc conuerſare: omni homini indica magnalia Dei, & habebis gratiam in hoc miniſterio. Quicunque ergo in his Mandatis ambulauerit; viuet, & fœlix erit in vita ſua: quicunque verò neglexerit, non viuet, & erit infœlix in vita ſua. Dic omnibus, vt non ceſſent (quicunq; rectè facere poſſunt) bona opera exercere; vtile eſt illis. Dico autem, omnem hominem de incommodis eripi oportere. Is enim qui eget, & in quotidiana vita patitur incommoda; in magno tormẽto eſt ac neceſſitate: Quiſquis igitur huiuſmodi animam eripit de neceſſitate; magnum gaudium ſibi acquirit. Nam is qui huiuſmodi vexatur incommodo; pari tormento cruciatur, atque ſe torquet is qui in vinculis eſt. Multi enim propter huiuſmodi calamitates; cùm eas ſuſtinere non poſſunt mortem ſibi conſciſcunt. Qui nouit igitur calamitatem huiuſmodi hominis, & non eripit eum; magnum peccatum admittit, & fit reus ſanguinis eius. Facite igitur opera bona, quicunque accepiſtis à Domino; ne, dum moramini facere, conſummetur ſtructura turris: propter vos enim intermiſſum eſt opus ædificationis eius. Niſi igitur feſtinaueritis facere rectè; conſummabitur turris, & excludemini. Poſtquam verò locutus eſt mecum, ſurrexit de lecto; & apprehenſo Paſtore, & Virginibus, abiit. Dixit autem mihi, remiſſurum ſe Paſtorem illum & Virgines illas in domum meam.

Eleemoſyna.

SANCTI PATRIS NOSTRI MARCI EREMITÆ OPVSCVLA THEOLOGICA.

De Paradiſo & Lege Spirituali.
De Pœnitentia.
Præcepta ſalutaria.
De his qui putant ſe ex operibus iuſtificari.
De Baptiſmo.
Capitula Temperantiæ.

DE S. MARCO EREMITA EX PALLADII LAVSIACA HISTORIA.

opus hoc multas difficiles & fidei dissonas habet sententias p̄ ſexim. c. 1. 3. 4. 17. 18. 21. 22. 24. 42. 43. 54. & cauta legendum

MAcarius Alexandrinus nobis narrauit (erat enim presbyter) ſe obſeruaſſe tempore communionis Chriſti ſacramentorum, ſe Marco Exercitatori nunquam dediſſe oblationem, ſed ei Angelum dediſſe ex ara: ſolum autem ſe vidiſſe digitum manus eius qui dabat. Cùm eſſet autem hic Marcus iunior, dicebat memoriter vetus & nouum Teſtamentum, erátque inſigniter mitis, & ſummè temperans. Quodam ergo die cùm ſatis otij haberem in cellâ mea, in extrema iam eius ſenectute ad eum venio, & oſtio eius cellæ aſſideo. Quem ego, vtpote qui eſſem adhuc rudis, exiſtimabam eſſe ſupra hominem, ſicut erat: & aſcultabam quidnam diceret vel faceret. Is autem intus ſolus, cùm iam centum annos tranſegiſſet, & dentes amiſiſſet, ſecum pugnabat, & cum diabolo, & dicebat, Quid vis deinceps κακόγηρε id eſt, male ſenex? Eccè iam & vinum bibiſti, & oleum attigiſti. Quid vis deinceps πολιοφαγε, id eſt, vorax in canicie, & κοιλιόδουλε, id eſt, ventri ſeruiens, probro & contumelia teipſum afficiens? Et diabolo dicens, Recede à me diabole: conſenuiſti mecum in diſſentionibus. Inieciſti mihi imbecillitatem corporis. Feciſti me bibere vinum, & ſumere oleum, me reddens voluptuarium. Adhúcne tibi aliquid debeo? Apud me nihil inuenis, quod velis diripere. Recede à me deinceps inimice hominum. Ac veluti ſe prouocans & irritans, ſecum loquebatur, dicendo, Adeſdum ô nugator, in canicie vorator, & helluo in ſenectute. Quandiu ero tecum?

Ex Sozomeni Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, Lib. 6. Cap. 29.

MArcum ferunt etiam in ætate iuuenili admodum fuiſſe placidum, prudentem, & ſanctarum ſcripturarum memorem: denique vſqueadeò Deo charum, vt Macarius affirmauerit, quòd cùm presbyter Cellinorum eſſet, abs ſe nunquam acceperit, quæ ſacerdotes initiatis ad menſam ſacram dare decet: ſed Angelus ei dederit, cuius ſe manum ad iuncturam vſque tantùm vidiſſe dixit.

Ex Nicephori Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Lib. 14. Cap. 54.

IPſe quoque Marcus in Monaſtica priùs verſatus, multa poſt ſe reliquit ſcripta. Eorum, qui ad nos peruenerunt, libri octo ſunt, vniuerſalium affectionum numerum æquantes: & alij triginta & duo, in quibus vias totius Aſceticæ vitæ omnes perſequitur, ad quæ loca ſecedendum, & quomodo ad voluntatem Dei greſſus dirigendi ſint: quomodo etiam homo dæmonum tentationes ſuperet, mentémque repurget: atque ad veterem dignitatem progrediatur, & cum Deo, cœleſte inſtitutum ſectatus, viuat.

Ex Zonara in vita Leonis Imperatoris; & eum ſequuto Glyca, Parte 3. Annalium & Conſtantino Manaſſe in Annal. 141.

MArcus monachus, qui Tetraodium magni ſabbathi ſuppleuit tum præſens: Imperator (inquit) iſtud à Dauide prædictum eſt, his verbis, Quæ hoſtis tuus in ſancto improbè egit, & qui te oderunt, in medio feſtiuitatis gloriati ſunt. Scito igitur, te ab hoc tempore decem annos regnaturum. Quemadmodum dixit, ita factum eſt. Nam Leo poſt decennium, ea ipſa die, qua caput ictus fuerat, eſt mortuus.

SANCTI PATRIS NOSTRI MARCI EREMITÆ, DE PARADISO, ET LEGE SPIRITVALI.

Procemiũ iſtud integrum habetur homiliarum Macarij. 37.

QVemadmodum ſecreta conſilia perſpiciuntur ex operibus manifeſtis: ſic ex his quæ fiunt ab anima eloquia ſcripturæ licet intelligere. Hoc autem non omnes capiunt ſed quicunque per ærumnas aliqua ex parte deuenerunt ad vacuitatem affectionum. Sicut enim ſcriptura narrat futura: ita quæ geruntur ab anima. Nam in ea ſpiritali modo recondita ſunt omnia futura: quæ quicunque fuerit adeptus, hæc & illa conſequitur. Cùm igitur ſcripturam audieris enarrantem, quæ pertinent ad Paradiſum, ad Adamum, & ad ſerpentem, omnibus affectionibus ſemotis, ad cor tuum conuerte animum, & reperies paradiſum, nempe verbum Dei: delectationem autem quæ percipitur in eo, participationem Spiritus ſancti: ſerpentem quoque, nimirum voluptatem carnalem qnæ propter conuictum quem habet nobiſcum, irrepit, & dolosè nos prouocat ad guſtandum de ligno, hoc eſt, de curis victus, qui quidem ſerpens per inobedientiam interimit. Nolite enim ſoliciti eſſe in craſtinum: vtrunque dixit Deus: & id quod dictum eſt, Quacunque die comederitis de ligno, morte moriemini: & illud, Attendite, ne grauentur corda veſtra in crapula. Nam tenebræ quæ gignuntur ex ſolicitudine & crapula, animam interficiunt, deturbantes eam à verbo ſpiritali, ac priuantes virtute diuina. Ab hoc igitur ligno nos arcet Dominus, dum, inquit, De nulla re ſoliciti ſitis, præterquam de regno. Quicunque enim Dei paradiſum ingreſſi, cuſtodiunt mandatum illud, non ſunt expulſi: ſed quantùm paradiſo terreno potiti ſunt primi parentes, centies tantùm in paradiſo ſpiritali oblectamur, verè

Matth. 6. d Gen. 2. c. Luc. 21. g.

nos

nos & continenter consolante gratia Dei. Quare A nos quoque summoperè desideremus ipsum seruare mãdatum: vt permanentes in verbo Domini, fruamur nunc & in futuro sæculo deliciis spiritus. Vt enim expulsus est Adam, qui gustarat de ligno scientiæ: ita qui terrena sapiunt, permanere non possunt in verbo Christi, quemadmodũ scriptum Jacob.4.a est, Amicitia huius mundi, inimica est Dei. Quo- Prou.4.d. circa iubet scriptura, hominem omni custodia seruare cor suum: vt conseruans in eo verbum, tanquam paradisum, fruatur gratia: nec audiat serpentem intus se implicantem, & consulentem quæ faciunt ad voluptatem, vnde nascitur iracundia, quæ ad Fratricidium admittendum impellit, & moritur anima quæ interfecit. Verùm audito Dominum B dicentem, Curam habete fidei ac spei, è quibus oritur charitas, vnicè complectens Deum & homines, quæ vitam confert æternam. In huiusmodi paradisum ingressus est Noë, mandatum seruans & exequens: ac per charitatem seruatus est ab iracundia. Hunc Abraham custodiens, paruit voci diuinæ. Hunc custodiens Moses, gloriam in facie recepit. Dauid. Itidem & Dauid hunc conseruans, opere compleuit: vnde dominatus est hostibus. Saul. Quinetiam Saül quandiu custodiuit cor: prosperè agebat: quando verò prorsus transgressus est, prorsus est expugnatus. Nam moderatè & ex proportione C peruenit ad vnumquenque verbum Domini. Quantum quis possiderit, tantùm possidebitur: quantúmque seruauerit, tantum seruabitur. Propterea chorus vniuersus sanctorum prophetarum, Apostolorum & Martyrum, custodierunt verbum in cordibus suis, nullius alterius rei soliciti: sed contemnentes terrena, permanserunt in mandato spiritussancti, eligentes quod bonum erat & Deo gratum: non ver- Martyrum studia. bo solo aut simplici cognitione, sed verbo & opere ac rebus ipsis, pro diuitiis amplectentes paupertatem: pro gloria, honorum contemptum: pro voluptate, ærumnas: vnde etiam pro ira, dilectionem: & quæ suauia sunt in hac vita odio habentes, illos D vehementiùs diligebant, qui hæc eriperent, tanquam adiuuarentur ab illis in scopo assequendo, bonum à malo non discernentes. Neque enim bonos repellebant, nec accusabant improbos: illos omnes existimabant legatos administrationis dominicæ. Idcircò erga omnes bene affectum gerebant animum. Luc.6.c. Cùm enim audirent Dominum dicentem, Dimittite, & dimittemini: tunc beneficos reputabant, qui illos læderent, tanquam ab ipsis nacti occasionem remittendi. Matth.7. Rursus cùm audirent dicentem, Quemadmodum vultis vt faciant vobis homines, vos etiam illis facite similiter: tunc probos in conscientia diligebant. Relinquentes E enim suam iustitiam, & quærentes iustitiam dei, consequenter inuenerunt charitatem, naturaliter in ipsa reconditam. Siquidem Dominus, cùm de charitate multa præciperet, iustitiam dei quærere Iustitia mater Charitatis. iussit, quam nouerat esse matrem charitatis. Luc.6.c. Nam aliter saluari nòn possumus, quàm per proximum, sicuti Dominus præcipiens ait, Dimittite, & dimittemini. Hæc est lex spiritalis, quæ in cordibus fidelibus scribitur, nempe complementum prioris legis. Matt.5.c. Non veni enim, ait, soluere legem, sed adimplere. Quo itaque modo impleatur, accipe. Prior lex accepta occasione benedicendi eum qui peccauerat, condemnauit eum qui læsus est. In quo enim quis iudicat alterum, seipsum condemnat: in quo verò remittit, remittetur ei. Ita enim lex ait, In medio iudicij iudicium, & in medio remissionis remissio. Plenitudo ergo legis, est remissio. Porrò priorem legem diximus, non quòd duas leges præscripserit Deus hominibus, sed vnicam: quæ quidem natura spiritalis ex est vi legis, & vlciscens vicem illius qui remittit offensam alteri, iustam pro eo fert sententiam: ei verò qui potiore conditione semper esse desiderat, plurimum infert supplicio- Psal.17.c. rum. Inquit enim, Cum electo, electus eris: & cum peruerso, peruersè ages. Quamobrem qui spiritaliter eam implent, & pro modo participes sunt gratiæ, non beneficos modò, sed etiam contumelioſos & persequentes diligunt, charitatem spiritalem recipientes pro remuneratione bonorum: bonorum dico, non quia remiserunt iniurias, sed quia beneficio affecerut animas iniuriam inferentium. Sic enim eos obtulerunt Deo; tanquam per eos consecuti beatitudinem, quemadmodũ dicit, Beati Matth.5.a. estis, cùm persecuti vos fuerint, & contumeliis vos affecerint. Ita sentire docuit illos lex spiritalis. Dũ enim patiẽter ferunt, & spiritalẽ seruãt mansuetudinẽ, Dominus intuens animi patientiã bello infestatã, charitate tamẽ minimè labescẽte, diruit mediũ parietẽ & quoddã veluti vallum, ac inimicitias prorsus expellit: vt iam charitatem non vi sibi ipsis subiectam habeant, eáque præditi sint, sed illa sit eis velut auxiliaris, quia Dominus in posterum coërcet gladium versatilem, cogitationes accẽdentem, & ingrediuntur interiora velaminis, quò præcursor pro nobis Dominus introiit: & lautè atque ad delicias vsque fruuntur fructibus spiritus, spectantes futura constanti animo, secundùm Apostolum, vt in speculo & ænigmate: ac inquiunt, Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis a- 1.Cor.2.b. scenderunt, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum. Ego verò quæstionem hanc admirandam mouebo, Si in cor hominis non ascenderunt, quî vos illa nostis, qui libro Actorum Apostolicorum fatemini vos esse homines, nostri similes, & affectionibus obnoxios? Sed audi, quid ad hæc respondeat beatus Paulus, Nobis autem, ait, reuelauit 1.Cor.2.c. Deus per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Cæterùm ne quis dicat, ipsis, tanquam Apostolis, datum esse spiritum sanctum, à nobis autem hoc naturâ comprehendi non posse, propterea deprecans ait, Vt det vobis Deus Ephe.3.c. virtutem corroborari in interiori homine, Christum habitare in cordibus vestris. Et rursum, Do- 2.Cor.3.d. minus autem spiritus est. Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Et iterum ait, Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Quare depre- Rom.8.d. cemur nos quoque cum omni fiducia & sensu, vt accipiamus gratiam sancti spiritus, & ingrediamur vnde sumus expulsi, declinantes posthac serpentem interfectorem animi, superbum & vanum consultorem, spiritum solicitudinis & crapulæ: vt firmiter credentes, præcepta seruemus per Dominum, & crescamus in virum perfectum, in mensuram ætatis, vt non vltrà dominetur nobis amor huius sæculi, sed cum certitudine spiritus versemur, neque diffida-

Certitudo Spiritus. Gratia.

mus: quia peccatores pœnitentiam agentes etiam A beneuolè excipit gratia Dei. Quod enim per gratiam donatur, non iam metiri debemus pro modo & merito antecedentis infirmitatis. Siquidem gratia iam non esset gratia. Sed credentes in Deum omnipotentem, cum simplici & curis vacuo corde accedamus ad eum qui per fidem confert communicationem spiritus, non ex proportione operum naturæ. Ait enim † Non ex operibus legis spiritum accepistis: sed ex auditu fidei.

Clausulam hanc intelligе de fide viua. Galat. 3. a.

Dixisti, omnia spiritaliter esse recondita in anima: quid ergo est, Volo quinque verba in Ecclesia sensu meo loqui?

Interrogatio. 1 Cor. 14. Respõsio.

Ecclesia intelligitur in duabus personis: modò B in congregatione fidelium, modò in compositione animæ. Cùm ergo spiritaliter accipitur in homine, Ecclesia est tota illius compages: quinque autem verba, sunt virtutes, quibus comprehenditur ac totus homo constituitur: sùntque illæ variis modis distinctæ. Nam quemadmodum qui loquitur in Domino, per quinque verba complectitur omnem sapientiam: ita qui sequitur Dominum, per quinque virtutes, summoperè religionem ædificat. Quæ quidem cùm sint quinque, reliquas complectentes, prima, oratio: secunda, continentia; misericordia, paupertas, longanimitas: implētur desiderio ac vo- C luntate: sùntque verba animæ, quæ per Dominum proferuntur, & exaudiuntur in corde. Dominus enim operatur, & tūc spiritus loquitur spiritaliter: & cor quantum fertur desiderio, tantùm se prodit operando. Virtutes autem illæ vt omnes comprehendunt, ita sese mutuò producunt. Nam sublata prima, omnes tolluntur. Itidem si secundam tollas, quæ sequuntur pereunt, & ita deinceps. Quomodo enim quis orabit, non impulsus à spiritu? Mihi quidem testimonium perhibet scriptura, quæ

1. Cor. 12. a. dicit, Nemo potest dicere Dominū Iesum, nisi in Spiritu sancto. Porrò quo pacto continēs perseuerabit, absque orationis auxilio? Et qui non est continens per omnia, quomodo miserebitur esuriētis, D aut iniuriam passi? At qui misericordia non mouetur, neque libenter tolerat paupertatem. Iracundia verò siue pecuniam habeat, siue careat, alumna est auaritiæ. Cæterùm anima quæ virtutibus pollet, ita promouet in Ecclesia, non quia gessit, sed quia voluit atque cupiuit aliquid facere. Non enim saluat hominem opus suum, sed qui facultatem operandi largitur. Quapropter si quis stigmata Domini perferat, ne existimet aliquid esse, quod quidquis fecerit, & quòd diligenter atque accuratè; vt opus illud efficeret, incubuerit. Nūquam igitur existimes tē præueniſſe Dominum in virtute, ex eius Philip. 1. b. sententia qui dicit, Ipse est, qui operatur in vobis & E velle & perficere, pro bona voluntate.

Hic accipe opus quatenus humanum.

Interrogatio. Respõsio. Bona opera quomodo à Deo, & ab homine sint. Caute lege.

Cur igitur scriptura præcipit homini, hoc facere? Iam diximus, hominem à natura habere promptitudinem animi, quam Deus requirit. Iubet ergo, vt homo in primis cognoscat: & cùm cognouit, amet, & voluntatem depromat. Vt autem mens exerceatur, laborem perferat, aut opus aliquod perficiat, gratia Domini largitur volenti & credenti. Quare voluntas hominis, est velut auxilium à natura insitum: qua absente, ne Deus quidem quippiam operatur, tametsi facultate non careat: quod fit, ob arbitrij humani libertatem. Igitur operis perfectio, Dei est: voluntas autem, hominis. Atqui si totam voluntatem tribuamus homini, integrum opus nobis ascribitur. Mirabilis Deus in omnibus & qui prorsus animo comprehēdi nequit. Nos autem homines particulam aliquam mirabilium eius assequi nitimur, scriptura nixi, vel potiùs ab illa e- Esa. 4. a. docti. Quis enim, ait, cognouit sensum Domini? Luc 13. g. Ipse verò dixit, Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti; Tandem ex hoc crede, quòd ipse nos manuducit, à nobis autem solam requirit voluntatem. Sed quæ voluntatis erit declaratio, nisi labor spontaneus? Quemadmodum itaque ferrum, B dum secat, scindit, arat, plantat, ipsum quidem quatenus impellitur, aliquid præbet: alius tamē est, qui mouet & agitat ferrum: & vbi fuerit attritum, igni mandat, & instaurat: hunc in modum homo, licet exerceatur & laboret, operans quod bonū est, Dominus tamen clam in ipso operatur: & dum labore fatigatur & atteritur, ille consolatur atque recreat Esa. 10. d animum: vt ait propheta, Num gloriabitur securis, absque scindente: aut in altum tolletur serra, sine trahente? Eodem modo se res habet in committendo quod malum est: quando promptus est & paratus homo, ac sē submittit: tum Satanas impellit C illum, & acuit, vt ensem latro. Veruntamen cor assimilau mus ferro, multam ob duritiam & rerum imperitiam. Quanquam nos, quasi ferrum sensu ca- Cor humanum, ferro simile. rens, ignorare non debebamus eum à quo regimur (nam celeriter ab agricolæ verbo dilabimur ad cogitationem malitiæ) sed potiùs, veluti bos & asinus, nosse debemus eum qui nostrum animum impellit & dirigit. Nam ait, Cognouit bos possessorem Esa. 1. a. suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit. Oremus ergo, vt notitiam Dei consequamur, & erudiamur in lege spirituali, ad mādata eius peragenda. Amen.

EIVSDEM SANCTI PATRIS NOSTRI MARCI EREMITÆ, *Capitula de paradiso & lege spirituali.*

Ex Bibliotheca Regia Galliarum.

CVm sæpenumerò scire desideraueritis, quinam lex spiritualis se haberet secundum diuinum Apostolum: tum quomodo cognoscenda, & opere implenda sit iis, qui eandem seruare decreuissent animo: eius rei gratia pro virili nostra disseruimus. Deus totius boni author.

1 Primum igitur omnium certò scimus, Deum totius boni esse authorem, cùm principium, tum medium, tum finem: porrò impossibile esse, nos quicquam boni facere, aut credere, nisi per Christum Iesum & Spiritum sanctum.

2 Omne bonum à Domino gratuitò nobis datū est. Ad hunc ergo modum credens, illud neutiquā amissurus est. Cæterùm firma & cōstans fides, turris est fortissima. Christus autem credēti fit omnia.

3 Incipiat ille promouendo omne animi tui propositum, qui omnis boni consueuit esse principiū: vt secundùm Deum fiat, quicquid faciendum statueris.

Scriptura quo affectu legenda.

4 Homo humilis, & opus habens spirituale, sacras scripturas perlegendo, omnia in seipsum, & nō

in alium

alium dicta, intelligere debet.

5 Inuoca Dominum, vt aperiat oculos cordis tui, & videas ac reipsa intelligas vtilitatem orationis & lectionis.

Cõpassio. 6 Qui habuerit aliquod donum seu gratiam, & compatitur non habentibus, hac ipsa compassione conseruat munus à Deo acceptum. Cæterùm homo iactabundus & arrogans amittit illud, dum arrogantiæ tentationibus decipitur.

Arrogantia.

Joan. 18. 7 Os humilia sentiẽtis, loquetur veritatem: at qui veritati cõtradicit, similis est seruo illi, qui Domino in maxillam incussit alapam.

8 Ne fias discipulus hominis semetipsum extollẽtis: ne humilitatis loco discas superbiam.

9 Ne extollaris vnquam in corde tuo propter scripturæ intelligentiam, nequando in spiritum blasphemiæ incidas.

Disputationes. 10 Caue ne vnquam tentes, rem difficilem per cõtentionem dissoluere, sed per ea quæ lex spiritualis facienda mandat: nempe, per patientiam, & precationem, & spem vnicam.

Luc. 10. 11 Cæcus est, clamans & dicens, Fili Dauid, miserere mei, Precabatur autem corporaliter, nondum instructus cognitione spirituali. Idem receptis oculis, ac viso Domino, non amplius eundem, filij Dauid, sed filij Dei appellatione confessus adorauit.

Lachrymæ in Oratione. 12 Ne extollaris, si inter orandum profuderis lachrymas. Christus enim oculos cordis tui tetigit, & iam visum intellectualem recepisti.

13 Qui cæcum imitans abiectis vestimentis Domino appropinquauerit, eundem sequitur, ac perfectiorum doctrinarum præco fit.

14 Malitia animi cogitationibus meditata, cor indurat: dum autem per temperantiam & spem tollitur, emollit illud.

Cordis Contritio. 15 Quædam est contritio cordis recta & vtilis, tendens ad eius illustrationem: est & altera peruersa & noxia, tendens ad perturbationem ipsius.

16 Vigiliæ & precatio, & earum rerum quæ nobis obiiciuntur, tolerantia, contritio est inoffensa & cordi vtilis, nisi alicuius lucri gratia earundem cõmixtionem abscideri mus. Etenim in hisce constãter perdurans, & in reliquis sentiet auxilium. At ista negligens & effundens temerè, in exitu difficiles dolores sentiet.

17 Cor voluptatis amans, carcer & cathena est animæ in tempore egressionis: at idem laboris studiosum ianua est aperta.

Cor durũ. 18 Ferrea porta ducens ad ciuitatem, cor durum est. Cæterùm ei qui malis affligitur, & tribulationibus iactatur, sua sponte, quemadmodum beato Petro, aperitur.

19 Multæ sunt precationis faciendæ rationes, altera tamen est altera præstantior. Veruntamen nulla existit noxia, nisi non fuerit precatio, sed operatio quædam diabolica.

20 Homo malum facinus perpetrare volens, primùm pro more precatus est: At diuina dispensatione prepeditus ne malè ageret, posteà gratias egit.

1. Reg. 25. 21 Dauid cùm apud animum suum decreuisset, neci dare Nabal Carmelitam, cùm eius mentem subiisset diuina retributio, abstractus à proposito, magnas Deo egit gratias.

22 Neque rursum ignoramus, quid fecerit Dei o-

A blitus: neque eius rei priùs finem fecit, quàm eidem Nathan propheta Deum vindicem in memoriam reuocarit.

23 Quo tempore memoria Dei in mentem tibi venerit, omnibus modis precationi vacandum censeas: vt si eius fortè tibi venerit obliuio, ille te sui commonefaciat.

24 Sacram scripturam perlegens, mysteriorum ra- Rom. 15. a
tionem habe. Quæcunque enim præscripta sunt, inquit, ad nostram doctrinam præscripta sunt.

25 Fidem vocat scriptura, rerum sperandarum substantiam: & eos qui nullam habent habitationis Christi in nobis cognitionem, reprobos esse dixit.

B

26 Quemadmodum operibus & sermonibus manifestatur animi cogitatio: sic cordis operationibus futura retributio.

24 Cor clemens & benignum, clementiam videlicet consequitur: pari quoque ratione, misereſcẽs, misericordiæ fit particeps. Cæterùm ab his virtutibus alieno & auerso, consimilis etiam respondebit consequentia.

28 Lex libertatis omnem veritatem perdocet: atque equidem non pauci illam iuxta cognitionem legunt: porrò autem perpauci eandem iuxta poportionem operationis mandatorum cognoscunt.

29 Ne quæras legis illius perfectionem in humanis virtutibus: perfectus enim nullus in illis inuenitur. Siquidem perfectio illius legis in cruce Christi abscondita est.

C

30 Lex libertatis, veritatis quidem cognitione legitur, operatione autem mandatorum intelligitur: completur autem per miserationes Domini nostri Iesu Christi.

31 Quando ad omnia mandata Dei conscientia nostra emendari cogemur, tunc primùm intelligemus, legem Domini esse irreprehensibilem: quę nostris quidem bonis operibus exercetur, verùm citra Dei miserationes ab hominibus compleri non potest.

D

32 Quicunque totius legis Christi debitores seipsos non reputauerunt, illi legem diuinam tantùm legunt corporaliter, non intelligentes quæ dicant, neque de quibus certò affirment. Propterea eandem semet operibus quoque complere posse, existimant.

33 Est res, quæ manifestè perficitur vt bona, neque tamen scopus perficientis illam, bonus est: est rursum alia velut mala, scopus tamen illam perficientis tendit ad bonum.

34 Non solùm autem opera quidam faciunt, verùm sermones etiam loquuntur, ad eum modum quem prædiximus. Alij enim immutant opera iuxta imperitiam aut ignorantiam, alij verò immutant proposito malitiæ, partim autem iuxta scopum pietatis.

E

35 Qui laudis prætextu cęlat calumniam, comprehensu difficilis est simplicioribus. Similis autem illi est, qui vestitu sordido amictus, ambitiosè arrogans est,

36 Qui aliquandiu veritatem mendaciis fraudulenter obfuscarunt, tandem vbi secesserint, ipsis operibus mendaces redarguuntur.

37 Est qui apertè bonũ opus facit, & nocet per hoc proximo: est rursũ, qui illud nõ facit, & proximo v-

tilis est secundùm animi cogitationem.

38 Est reprehẽsio,quæ fit impulsu malitiæ, & propter vindictã:est rursum alia,quæ fit in timore Dei, & secundùm veritatem.

39 Eum qui delinquendi finem fecit, & resipiscit, non ampliùs coargue. Si autem dixeris, secundùm Deum te illũ redargüere, primùm tua vitia palam facito.

40 Omnis virtutis initium, & author Deus est, quemadmodum sol quotidiani luminis.

Ioan. 15. a. 41 Quoties aliquid virtutis feceris, fac memor sis eius, qui dixit, Sine me nihil potestis facere.

42 Per tribulationes & afflictiones bona parantur hominibus, quemadmodum mala per vanam gloriam & voluptatis studium.

43 Peccata solet effugere, quicunque ab hominibus iniuriosè afficitur,ac æquale tribulationi inuenit subsidium.

44 Qui non credit Christo de retributione, omnem iustitiam suffert,iuxta proportionem fidei.

45 Qui pro hominibus iniuriam inferẽtibus precatur,maledicit dæmonibus. Qui verò primis resistit,à secundis vulnus accipit.

46 Melior est iniuria ab hominibus illata,quàm à dæmonibus:cęterùm qui Domino placuerit, vtrosque superauit.

47 Omne bonum proficiscitur à Deo, pro nutu C dispensante,qui secreto iudicio repellere solet stupidos,ingratos,& ignauos.

48 Omne vitium in desperantem voluptatem desinit,& omnis virtus in cõsolationem spiritualem. Ac illud quidem prædominans, prouocat domestica seu propria,hæc verò similiter cognata.

Probra. 49 Probrum obiectum ab hominibus,cordi tribulationem exhibet, sanctimoniæ autem & puritatis causa est pertolleranti.

50 Ignorãtia occasio fit contradicẽdi iis quæ sunt vtilia:quæ si audaciâ animatur, auget vitiorũ propositum.

51 Nullam inferens iniuriam,molesta & affligen- D tia te susci pe:& tanquam rationem redditurus,abiice à te auaritiam.

52 Si quid occultè aut clanculum peccaueris, ne coneris cælare aut clam habere. Omnia enim nuda & aperta sunt oculis illius,erga quem nobis sermo est.

53 Etiam quod ad animum & cogitationes attinet Domino Deo temet ostende. Homines enim in faciem,Deus autem in cor & pectus fixos habet oculos.

54 Nihil cogites aut facias,citra scopum Deo gratum. Etenim qui sine scopo iter facit,nequicquam E laborat.

55 Qui nulla necessitate coactus peccat,hunc difficulter subit pœnitentia, propterea falli nõ potest diuina iustitia.

56 Casus molestus ac dolorem adferens, Dei memoriam homini intelligentia exculto exhibet: pari modo affligit eum,qui Domini obliuiscitur.

57 Omnis labor quem inuitus feceris, Dei reminiscendi tibi magister sit. Ita fiet,vt nunquam tibi desit occasio resipiscentiæ.

58 Obliuio per se nullius est virtutis,sed per nostra scelera viribus roborata dominatur.

59 Ne dicas,Quid faciam,quoniam quod non vo- A lo,mihi euenit:propterea deliberans statue, quod factu sit optimum.

60 Quorum memor es,facito: & quorum nõ memor es,ea reuelantur.& ne citra iudicium & temerè prodas tuam cogitationem.

61 Scriptura dicit,Infernus & perditio manifesta Prou. 15. a. sunt apud Dominum. Hæc autem de cordis ignorantia & obliuione dicta sunt.

62 Infernus est,ignorantia: perditio autem, obliuio:vtraq; verò obscura est,propterea quoq; noxia.

63 De tui ipsius malis satage,& non de proximi:ne vnà mentis tuæ sedulitas intereat.

B 64 Nihil magis distrahit ab omni genere boni,quã Socordia. socordia: misericordia autem & precatio adhortantur negligentes.

65 Omnis afflictio secundùm Deum,opus pietatis est certissimum. Siquidem vera charitas in aduersis probatur.

66 Ne dicas te virtutis possessorem esse citra afflictionem : neque enim probari potest propter requiem & tranquillitatis otium.

67 Omnis voluntariæ afflictionis exitum considera,& inuenies in illa peccati interitum.

68 Multa consilia proximi ad vtilitatem:vnicuiq; autem propria sententia nihil conuenientius.

Conscientia. C 69 Quærens remedium,curam habe conscientiæ, & quæcũque loquitur,facito:& ita vtilitatem inuenies.

70 Cuiusque hominis arcana Deus comperta habet,& conscientia:& propter hæc ipsa semet emendat & corrigit.

71 Inconsulto labore semet conficiẽs,prorsus mẽdicũ agit. Cæterùm qui spe proposita currit, locuples est admodum.

72 Quæcunque potest homo, pro voluntate sua facit:verùm Deus horum exitum,prout iustum est dispensat.

73 Quòd si animus est,nullius iudicio laudem ob- D noxiam ab hominibus consequi, primùm de peccatis tuis redarguutionem amans,boni consule.

74 Quantamcunque pro veritate Christi ignominiam quis pertulerit, tantum in centuplo magis à multitudine gloriæ consequetur.

75 Satius autem est,omne bonum operari propter futura.

76 Quoties homo homini verbis profuerit aut operibus,Dei vterque gratiam esse agnoscat. Cæterùm hoc non intelligens,ab intelligente potesta te superabitur.

77 Laudans proximum simulata quadam & figu- Laus ficta. rata laude, temporis progressu illum probro affi- E ciet,& ipse rursum pudore suffundetur.

78 Ignorans hostium insidias,haud difficulter iugulatur:& cui affectionum causę non sunt perspectæ,facilè labitur.

79 A voluptatis amore & studio,negligentia:à negligentia proficiscitur obliuio. Rerum enim vtiliũ cognitionem Deus omnibus largitus est.

80 Homo dat consilium homini, quemadmodũ nouit: Deus autem operatur in audiente, secundum quod credidit.

81 Vidi homines idiotas opere humilia sapientes, & facti sunt sapientiores sapientibus. Alter idiota

cùm

cùm audiſſet illum extolli laudibus, humilitatem non eſt imitatus,ſed in priuata ſua conditione ambitioſè & arroganter ſemet efferens,ſuperbiam arripuit.

82 Reſpuens intellectus prudentiam,& ad imperitiam ſemet conuertens, non ſolùm eſt idiota ſermone,ſed etiam cognitione.

83 Quemadmodum aliud eſt ſapientia ſermonis, & aliud intellectus:ſic aliud ſermonis imperitia, aliud inſipientia.

84 Quemadmodum viro pio non nocet imperitia dicendi:ſic neque eloquentia nocet humili.

85 Ne dixeris, Neſcio quid mihi ſit agendum, & ob id ſum extra culpam,ſi illud non egero. Si enim facis,quæcunque ſcis eſſe bona,cætera deinceps tibi reuelabuntur, & vnum ex vno peculiari modo intelliges.

86 Nihil tibi conducit noſſe poſteriora, antequã priora peregeris. Siquidem ſcientia inflat, nullum opus producendo: Charitas verò ædificat, omnia perferendo. 1.Cor.8.a.

87 Legens verba ſcripturæ ſanctæ,opere ipſo exequare:& ne verba fundas temerè,glorians de nuda eius cognitione.

88 Qui relicto operandi ſtudio, ſolam cognitionẽ amplectitur,pro gladio bis acuto baculum arundineum tenet:qui tempore belli(vt ait ſcriptura) perforabit atque ingredietur manum eius, atque in conſpectu hoſtium naturale venenum immittet. Eſa.56.a.

89 Metitur Deus & trutinat omnem intellectum. Licet enim eandem rem animo grauiter affecto cogitare,& temperato.

90 Qui facit mandatum, pro eo ſufferre tentationem non dubitet: quia dilectio erga Chriſtum per contraria probatur.

Gloria. 91 Curam cogitationum tuarum nunquam negligas:quoniam Deum nulla cõceptio latere poteſt.

92 Cùm animaduerteris, cogitationem polliceri tibi gloriam humanam,probè noueris,quòd ignominiam tibi præparet.

93 Cognoſcit inimicus iuſtitiam legis ſpiritualis, tãtùm nititur occupare diſpoſitionem intellectus. Hoc enim modo vel pœnitentem ſibi captiuum reddet,aut non reſipiſcentem grauibus calamitatibus afficiet:quandoque ad reſiſtendum afflictionibus prouocabit,vt ita dolores multiplicet:& tandẽ per obliuionem perfidum demonſtrabit.

94 Aduerſùs imminens infortunium multi multa oppoſuerunt:ſed citra orationem & reſipiſcentiam nullus fatum effugere potuit.

95 Quæ mala ſunt,gradatim ac ſenſim incrementum accipiunt:ſimiliter etiam quæ bona ſunt,mutuo augmento multiplicantur, ſuíque participem ſubinde porrò ad maiora cohortantur & impellũt. Peccata lenia.

96 Modica delicta admodum eleuat & extenuat diabolus; alioqui enim ad maius malum aut vitiũ hominem adducere non poſſet.

97 Turpis concupiſcentiæ radix eſt laus humana: quemadmodum etiam modeſtiæ, vitiorum reprehenſio:non quando illam audimus, ſed quando illam non grauatim ſuſcipimus.

98 Nihil vtilitatis cõſecutus eſt, qui bonis ſuis renunciauit,& indulget deliciis. Quod enim faciebat opes poſſidẽs,illud etiam nihil habẽs operatur.

99 Rurſus homo temperans,ſi opum diues fuerit, frater eſt prioris,quo ad animum: matris quidem eiuſdem propter ſpiritualem delectationem:patris verò alterius,propter affectuum mutationem.

100 Eſt,qui affectus reſecat,maioris voluptatis cõſequendæ gratia: atque ita ab ignorantibus ſcopum eius,gloriam conſequitur. Fortaſſe autem ſeipſum quoque ignorat, quod inutili labore ſemet conturbet.

101 Omnis vitioſitatis cauſa eſt inanis gloriæ cupiditas,& voluptas:quas qui non odio habuerit,nunquam affectus abiiciet. Inanis gloria.

102 Radix omnium malorum dicta eſt auaritia;verùm etiam hæc per illa manifeſta conſiſtit. Excæcatur autem mens tribus hiſce affectionibus,auaritia videlicet,& gloriæ cupidine,ac voluptate. 1.Tim.6.b

103 Tres hirudinis ſeu ſanguiſugæ filias illas eſſe affirmo,qui diuinæ ſcripturæ teſtimonio, à matre immodeſtia ſummo amore diliguntur. Pro.30.

104 Cognitio & fides naturæ noſtrę coalumnæ, nulla alia re,quàm per illas hebetatæ ſunt.

105 Furor & iracundia,& bellum & cædes,& reliquus vniuerſus vitiorũ catalogus,propter illas inter homines vehementer inualuerunt.

106 Ita odio habenda eſt auaritia, & vana gloria, & voluptas, vt vitiorum matres, & virtutum nouercæ.

107 Propter hæc ne diligamus mundum:neque ea quæ in mundo ſunt, nobis colenda proponamus. Quod dictum eſt, nõ vt ea quæ à Deo creata ſunt, ſine iudicio proſequamur odio, verùm vt horum trium affectuum occaſiones præcidamus.

108 Nemo, inquit Apoſtolus,militans Deo,huius vitæ negotiis implicatur. Etenim qui hiſce implicitus,affectiones ſuperare voluerit,ſimilis eſt ei, qui paleis conatur incendium reſtinguere. 2.Ti.2.a.

109 Qui propter opes aut gloriam aut voluptatẽ proximo iraſcitur,nondum cognouit,Deum iuſtitia res mundanas adminiſtrare ſolere.

110 Quando audieris Dominum dicentem, Niſi quis renuntiauerit omnibus ſubſtantiis ſuis, non eſt me dignus:non tantùm de relinquendis diuitiis hoc dictum accipias,ſed etiam de omnibus vitiorũ ac improbitatis actionibus. Luc.14.

111 Qui non cognoſcit veritatem, nequaquam verè poteſt credere. Siquidem cognitio ſecundùm naturam præcedit fidem.

112 Quemadmodum vnicuique rerum quæ videntur Deus quod naturale eſt, tribuit:ſic humanis quoque cogitationibus, ſiue velimus, ſiue nolimus.

113 Si quis apertè & obſtinatè peccans, & non pœnitens, nihil paſſus fuerit vſque ad vitæ exitum, in hunc iudicium ſine miſericordia futurum,ne dubites.

114 Qui cordatè orat, ſuffert ea quæ illi obiiciuntur. Cæterùm qui acceptarum iniuriarum memor eſt,nondum purè precatus eſt. Iacob.2.

115 Damno affectus, aut probro & contumelia laceſſitus,aut perſecutionem paſſus à quopiam, fac ne animo tecũ cogites,quod præſens eſt, ſed quod futurum eſt,ſuſcipe:atque ita certò inuenies, eum multorum bonorum tibi fuiſſe authorem, non tãtùm in præſenti,ſed etiam in futuro ſæculo.

116 Quemadmodũ iis qui crudo & indigesto sunt stomacho, amarum prodest absynthiũ; sic malè moratis mala tolerare vtile est. Illos enim ad bonam valetudinem consequendam, hos verò ad resipiscentiam amplectendam inducunt pharmaca.

117 Quòd si nolueris mala pati, neque malè facere velis. Siquidem illud huic indiuisus comes esse
Gal. 6. b. consueuit. Quod enim quisque seminat, hoc etiam metet.

118 Volente animo mala seminantes, inuito eadem metẽtes, iustitiam Dei admirari debemus: cùm sationis ac messis tempus medio interiecto definitũ sit. huius rei gratia diffidimus de retributione.

Cogitatio mala præcedit op°. 119 Si quid flagitioſè deliquisti, caue ipsum culpes B facinus, sed potiùs mentis tuæ cogitationem. Nisi enim præcurrisset cogitationẽ animus, corpus nũquam fuisset subsecutum.

120 Apertè peccantibus, multò improbior est in occulto admittens flagitia: propterea ille quoque grauiore punietur supplicio.

Gen. 49. c 121 Qui nectit & conatur dolos per fallaciam, & occultè malis afficit proximum, ille serpens est secundùm scripturam: qui iacet in via, & equi pungit calcaneum.

122 Qui eadem de causa apud hunc quidem laudat, apud alium verò vituperat proximum, illum ambitione & inuidentia victum esse constat: & per C laudem quidem inuidentiam cęlare nititur, per reprehensionem verò seipsum illo præstantiorem ostendere conatur.

123 Quemadmodum non licet simul & oues & lupos pascere: ita nullo modo fieri potest, vt is miseri cordiã consequatur, qui dolosè agit cum proximo.

124 Qui mandato sibi iuncto propriam voluntatem subiamisscet, mœchus est, quemadmodum in Sapiẽtia manifestatum est: & propter mentis inopiam, dolorem sustinet & ignominiam.

125 Quemadmodum aquæ & ignis contraria est societas: sic quoque contraria sunt inter se, iustificatio sui & humiliatio. D

126 Quærens peccatorum condonationem & veniam, humilitatem diligat. Cæterùm qui condemnat proximum, obsignat sua ipsius mala.

Peccatum modicum. 127 Ne dimittas peccatum indeletum, tametsi sit valde modicum: ne te postea ad maius malum & vitium pertrahat.

128 Quòd si animus est saluari, veracem sermonẽ dilige: neque vnquam præcipitanter & temerè reprehensionem auerseris.

129 Sermo verus mutauit viperarum progenies, illisque ostendit, vt fugerent à futura ira.

Mat. 10. d 130 Qui suscipit sermones veritatis, suscipiet Deũ, verbum dicit enim Dominus, Qui recipit vos, me E recipit.

Luc. 131 Paralyticus per tectum demissus, est peccator, qui à fidelibus secundùm Deum redarguitur, & propter illorum fidem, remissionem consequitur.

132 Satius est cũ timore orare pro proximo, quàm eundem in omni opere redarguere.

133 Qui verè resipiscit, emendata in melius vita, ab hominibus fatuis subsannatur, hoc autem illius probitatis argumentum est.

134 Qui certat, ab omnibus se temperat: nec priùs finem facit, quàm Dominus omne semen Babylonis profligatum exterminauerit.

135 Considera, vndecim esse peccati affectiones: quarum si vnam vltrò amaueris, ea omnium vndecim locum occupabit.

136 Ignis ardens, est peccatum. Iam quantùm peccandi materiam sustuleris, tantùm extinguetur: quantúmque adieceris, tantùm accendetur.

137 Si laudatus animo sublato superbieris, ignomi- Luc. 10. b.
niam amplectitor. Ait enim, Qui se exaltat, humiliabitur.

138 Quando nostra sponte omnem iniquitatem ex animo eiecerimus, tunc aduersùs affectiones, quæ mentem præoccupant, dimicabimus.

139 Mentis præoccupatio est, priorum malorum Peccati memoria.
aut vitiorum memoria non voluntaria: quæ à certatore, ne in affectum erumpat, prohibetur: à victore verò vsque ad impetum violentiorem subuertitur.

140 Impetus verò violentior est motus cordis, carens imaginationibus, occultum iudicium in expertis detinens.

141 Vbi cogitationum imagines, ibi facta est assensio. Motus enim est ab imaginationibus alienus, extra noxiam impetus. Est autem, qui etiam ex iis aufugit, veluti ex igne stipes aut titio. Est rursus, qui nõ reuertitur, donec flãma concremata subsederit.

142 Nec dicas, Quod nolo accidit. Omnino enim etsi illud nequaquam volueris, tamen rei, quæ contigit, causas amare te verisimile est.

143 Qui laudem venatur, in affectus incidit: & tribulationem venientem deplorans, amat requiem.

144 Tanquam in statera voluptates sectantis fluctuat cogitatio: nonnunquam plorat & deflet peccata, mox pugnat & contradicit proximo, excusans atque defendens voluptates.

145 Omnia probans, & bonum retinens, consequenter ab omni quoque malitia semet abstinet.

146 Homo longanimis multa sapientia præditus Patientia.
est: similiter, qui verbis sapientiæ suam aurem accommodat.

147 Citra Dei recordationem aut memoriam, vera cognitio non potest subsistere. Etenim sine priore, illud posterius spurium & illegitimum est.

148 Hominem graui corde præditum, nihil iuuat subtilioris & argutioris cognitionis oratio: propterea quòd præ superbia pœnitentiæ laborem subire nequeat.

149 Homini miti confert credulitas, quatenus Dei lõganimitatem non tentat, neque crebra trãsgressione percutitur.

150 Hominem potentem ne coarguas ambitionis & inanis gloriæ: sed potiùs futuræ dãnationis ignominiam illi ostende. Hoc enim modo homo intelligens & cordatus haud difficulter coarguitur.

151 Qui odio habet redarguutionem, secundum propositum adhuc subiectus est affectibus: cæterũ qui amat eam, videlicet secundum mentis præoccupationem rapitur.

152 Ne velis cupidus esse audiendi aliena flagitia. Hac enim audiendi voluptate & proluuio flagitiorum quoque characteres nutriuntur.

153 Maledicas orationes inaudiens, tibi ipse, non ei Maledicẽtia.
qui locutus est irascere. Prauarum enim rerum auditor, prauus euadit nuncius.

154 Si

154 Si quis in vaniloquos homines inciderit, reum seipsum putet talium verborum, quanquam non ex recenti colloquio, sed ex antiquo debito.

155 Si quem videris simulāter & hypocriticè te laudantem, ab eodem suo tempore vituperationē quoque expecta.

156 Præsentes tribulationes cum futuris bonis commuta: & ita nulla vnquam difficultas tuum certamen eludet.

157 Quando propter externam aliquam, hoc est corporalem largitionem, hominem vt virum bonū extra Deum laudaueris, postea ille tibi improbus apparebit.

158 Omne bonum à Domino pro sua dispensatione venire solet: cæterùm illud deferētes, boni illius ministri sunt.

159 Bonarum & malarum rerum communes implicationes æqua ratione susci pito: atque ita Deus auertit inæqualitatis occasiones.

160 Cogitationum inæqualitas, propriorum impropriè mutationes infert. Nam Deus multa volūtariis promptè distribuit.

161 Opera externa promanant ex intelligibilibus, atque ex sententia diuina suppeditant quod necessarium est.

162 Cordi deliciis indulgent, pestilentes succrescunt cogitationes: & in fumo materiam subiacentem cognoscimus.

163 Permane constans in animo, & nullam senties in tentationibus molestiam, illinc autem discedens, suffer contingentia.

164 Precare Deum, ne tibi veniat tentatio: cæterùm venientem susci pito, vt tuam, non vt alienam.

Auaritia. 165 Tolle cogitationem tuam ab omni auaritia, ac tum conspicere poteris omnes diaboli insidias.

166 Qui dixerit, se nosse omnes diaboli insidias, non nouit seipsum perfectum gerere.

167 Mens egressa de corporalibus curis, videt secundùm proportionem inimicorum versutias.

168 Qui cogitationibus ducitur, excæcatur ab illis: & peccatorum quidem operationes videt, porrò illorum causas videre non potest.

169 Est, qui facit propalam mandatum, affectibus seruiens, & per cogitationes prauas bonum opus obscurans.

170 Dum versaris in mali seu peccati principio, ne dicas, Non vinces me. Quatenus enim in eo versaris, tantum iam quoque victus es.

171 Vnumquodque eorum quod fit, à paruis incipitur initiis: atque ita dum particulatim nutritur, lentis incrementis augmentum consequitur.

172 Vitiorum methodus rete est multiplex: qui particulatim implicatus est, si neglexerit, tandem omnibus membris constringitur.

173 Ne velis cupidus esse audiendi inimicorū hominum infortunia. Libenter enim audientes verba huiusmodi, proprij propositi fructus vindemiant.

Tribulationes. 174 Ne omnem afflictionem aut tribulationē hominibus propter peccata contingere existimes. Sūt enim nonnulli qui Deo placent, & tamen probantur tentationibus. Scriptum est enim, Impij & iniqui persecutionem patientur. Similiter scriptum 2.Ti.3.c. est, Volentes in Christo piè viuere, persecutionem patientur.

175 In tempore tribulationis, accessum tribulationis intuere. Si enim adiectio tribulationem consolatur, dulcis fit tribulatio & facilis.

176 Quidam prudentes vocant eos, qui multo vsu exculti, res sensibiles diiudicare possunt. Verùm illi demum prudentes perhibendi sunt, qui propriæ voluntati dominantur.

177 Ante vitiorum sublationem caue cordi tuo obtemperes. Quales enim impositiones habet, tales etiam appositiones requirit.

178 Quemadmodum sunt serpentes occurrentes in nemoribus, sunt item alij in ædibus latenter excubantes: sic affectus sunt in mente formati, sunt item alij latētes in operibus, tametsi ex aliis in alias formas subinde transmutentur.

179 Cùm videris concupiscentias certò moueri, & ad affectum mentem quiescētem iisdem prouocari, tum scias, quòd harum antehac mens dux extiterit, inque opus duxerit, cordique eas ipsas imposuerit.

180 Non conflatur nubes citra venti spiritum, neque vllus generatur affectus citra cogitationem.

181 Si non ampliùs carnis voluntates fecerimus, secundùm scripturam, facilè in Domino desinent concupiscentiæ conceptæ in animo.

182 Sūbstantiua mentis simulachra, peiora sunt & fortiora: cæterùm rationalia, horum causæ sunt & duces.

183 Est vitium, quo cor prorsus tenetur propter diuturnam mentis præoccupationem. Rursus est aliud, mentē impugnans per quotidianas actiones.

184 Deus actiones secundùm propositum æstimat. Tribuat enim, inquit, tibi Dominus, secundum cor tuum.

185 Qui in contemplatione conscientiæ constanter nō perdurat, neque labores corporales pro pietate ferendos susci pit. Ps.19.2.

186 Naturalis liber est conscientia: hanc quicunque strenuè & grauiter legerit, ille diuini auxilij nō dubiam sumet experientiam.

187 Quicunque pro veritate tuenda labores sua sponte non susceperit, à multò grauioribus & acerbioribus etiam inuitus castigabitur. Veritas.

188 Qui voluntatem Dei perspectam habet, eandémque pro virili fecerit, modicis laboribus maximas difficultates effugiet.

189 Qui citra orationem & patientiam, tentationes vincere voluerit, nequaquam eas à se propulsabit, sed multò magis illis implicabitur.

190 Dominus in suis ipsius mandatis delitescit absconditus: qui hactenus inuenitur à quærentibus, quatenus inquiritur ab illis.

191 Ne dicas, Mandatis satisfeci, neque tamē Dominum reperi. Etenim cognitionem cum iustitia non rarò inueniſti. Cæterùm qui rectè quærunt illum, pacem inuenient.

192 Porrò pax est affectuum liberatio. Hæc autē, vt beatus inquit Apostolus, citra Spiritus sancti cooperationem non inuenitur. Pax.

193 Aliud est mādati executio, aliud virtus: tametsi ex se mutuo omnia hęc bonorū occasiones accipiāt

194 Executio mādati dicitur id, quod ipso opere in mandato faciēdum ordinatum est. Virtus autem in hoc sita est, vt placeat veritati id quod actum est.

195 Quemadmodum vnæ sunt diuitiæ sensibiles, iuxta possessionem autem multiplices: sic vna virtus est, diuersimodas habens actiones, quibus perficitur.

Diuites ex iniquitate.

196 Qui citra laborem alios decipiendo, & verba fundendo, ditescit ex iniquitate, etiam labores eius secundùm scripturam, in alienas ædes migrabunt.

197 Auro obediunt omnia, inquit, & gratia Dei res conceptæ geruntur.

Gen.37.

198 Conscientia bona per orationem inuenitur, & pura oratio per conscientiam. Alterum enim secundum naturam egens est alterius.

199 Iacob filio suo Ioseph variegatam parauit tunicam, & Dominus mansueto, veritatis largitur notitiam, quemadmodum scriptum est, Docebit mites, vias suas.

Ps.24.b.

200 Semper pro virili operare bonum: & in tempore maioris, ne conuertas te ad id quod minus est. Qui enim se vertit retrò, inquit Christus, non aptus est regno cœlorum.

Luc.9.g.

EIVSDEM DIVI MARCI CAPITVLA, DE HIS QVI PVTANT *ex operibus se iustificari.*

Cauta lege 2.

1 IN rebus externis malè collocata fides, his quæ infrà scripta sunt, confutatur à firmiter credẽtibus, & veritatem cognoscentibus.

2 Dominus, totius legis debitores nos esse indicare volens, & filiorum adoptionem proprio sanguine hominibus gratuitò datam, inquit: Cùm omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, & quod debuimus facere, fecimus. Propterea regnum cœlorum non est merces operum, sed gratia Domini fidelibus seruis præparata.

Luc.17.

3 Seruus non postulat libertatem, tanquam debitam sibi mercedem: sed acquiescit tanquam debitor, benignitatem heri sentiẽs, & ex gratia suscipit.

4 Qui pro peccatis nostris mortuus est, secundùm scripturas, etiam fideliter & probè ipsi seruientibus, libertatem largitur gratuitò. Ait enim, Euge serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.

Mat.25.b

5 Nondum verò seruus fidelis perhibẽdus est, qui nudæ solùm cognitioni innititur: sed qui per obedientiam præcipienti Christo fide adhæresc it.

6 Qui Dominum honore afficit, iussa Domini sui capessit. Cæterùm qui errat, aut hero suo dicto non est audiens, tanquam propria fert, quæ sibi obueniunt.

7 Discendi studiosus existens fac etiam laboris amans euadas. Siquidem nuda cognitio inflare solet hominem.

8 Tentationes ex improuiso nobis contingentes, dispensatione quadam laboris studiosos nos eruditunt, atque etiam inuitos ad pœnitentiam pertrahunt.

Tribulationum causæ sunt vitia.

9 Tribulationes hominibus contingentes, ex propriis nascuntur vitiis. Eas verò si per orationem tolerauerimus, iterum bonarum rerum additamentũ inueniemus.

10 Quidam ob virtutis claritatem atque præstantiam laudati, gestierunt lætitia, ac suæ ipsius ambitionis voluptatem, cohortationem esse existimauerunt. Alij propter peccata reprehensi, doluerũt seu laborauerunt, & vtilem dolorem seu laborem efficacem vitiorum operationem reputauerunt.

11 Quicunque occasione certaminum aduersus vilioris conditionis homines insolenter extollũtur, illi ex operibus corporeis & externis iustificationẽ semet consecuturos existimant. Quotquot autem nudæ tantùm cognitioni nitentes, ignorãtes aspernantur, ij prioribus longè demẽtiores habẽdi sunt.

12 Citra virtutis opera nondum firma est cognitio, tametsi vera existat. Quamobrem cuiusque rei stabilitas, opus est.

13 Non rarò per negligentiam, quæ circa alicuius rei operationem committitur, etiam cognitio obscuratur. Etenim quarum rerum operationes protsus neglectæ sunt, harum etiam memoria sensim & particulatim abolescet. Scriptura ideo suggerit, vt Deum cognoscamus atque sciamus, quò rectè illi per opera seruiamus.

14 Quando apertè præceptis satisfacimus, peculiaria quidem à Domino, pro sua dispensatione, recipimus: adiuuamur autem secundùm scopum propositi.

15 Cui animus est aliquid faciẽdi, nec potest, perinde est apud Deum cordis cognitorem, ac si fecisset. Hoc de bonis & malis rebus intelligendum est.

16 Animus hominis sine corpore bona & mala multa perficit: cæterùm corpus, sine animo, horum nihil potest perficere. Quapropter lex libertatis ante opus cognoscitur.

17 Quidam non facientes præcepta, se tamẽ rectè & sanè credere existimant. Rursum sunt nonnulli facientes, qui tanquam debitam mercedem regnũ cœlorũ se susceptur os sperant. Horum vtrique à regni cœlestis possessione frustrati excident.

Cauta lege. Regnum cœlorum constat fide, & operibus.

18 Ab heris nulla merces seruis debetur: neq; rursum, nisi rectè seruiẽtes, libertatem & manumissionem consequuntur.

19 Si Christus pro nobis mortuus est, secundùm scripturas, nõ viuamus nobis ipsis: sed ei qui pro nobis mortuus est, & resurrexit, pro officio seruire debemus vsque ad mortem. Quomodo igitur filiorũ adoptionem nobis deberi putabimus?

20 Christus Dominus noster est & secundùm essentiam, & Dominus secundùm gubernationẽ siue familiæ administrationem. Quoniam cùm non essemus, nos fecit, & cõdidit, & peccato mortuos proprio sanguine suo nos mercatus est: & iis qui ita credunt, gratiam suam gratuitò largitus est.

21 Quando audieris scripturam dicentẽ, quod redditurus sit vnicuique secundùm opera sua, non dicit, opera gehennâ aut regno digna: verùm vnicuique suæ incredulitatis aut fidei opera redditurus est, non tanquam circa res contrahens, sed veluti Deus conditor & mercator noster.

Ps.61.6.

Deus Mercator noster.

22 Quicunque regenerationis lauacro dignati sumus, bona opera non propter retributionem facimus, sed propter custodiam concessæ nobis puritatis & munditiæ.

23 Omne opus bonum quod per nostram naturam operamur, tantum equidem efficit, vt à cõtrario malo aut vitio abstineamus. Cæterùm extra gratiam, sanctificationis accessionem nobis facere non potest.

Opus bonum naturaliter.

24 Qui

24 Qui temperantis eſt animi, à crapula & gaſtrimargia abſtinet: opum negligens, ab auaritia: quietus, à garrulitate: purus & caſtus, à voluptatibus: pudicus, à ſcortationibus: contentus, à ſtudio congerendæ pecuniæ: mitis & mãſuetus, à tumultu & turbis: humilis animi, ab ambitione & vana gloria: qui præeſt, à contentione: redarguens, à ſimulatione. Similiter qui vacat precationibus, ab incredulitate & diffidentia alienus eſt: confeſſor, à negatione: martyr, ab idololatria. Vides ergo, quemadmodum omnis virtus, quæ ad mortem vſque perficitur, nullum aliud opus, quàm peccati abſtinentia ſit. Porrò autem peccati abſtinentiam naturæ opus eſſe, certum eſt: quod regni permutatione nequaquam penſandum eſt. Homo vix quæ naturæ ſunt opera ſeruat, Chriſtus autem per crucem adoptionem filiorum largitur.

25 Eſt præceptum particulare, & eſt alterum generale: illo particulariter præcipit, nõ habenti impertiendũ: hoc mandat, omnibus bonis renuntiãdum.

26 Eſt actio gratiæ ſtulto incognita: eſt rurſum altera vitij ſeu malitiæ, quæ veritati aſſimilatur. Porrò bonum eſt, ne talia approbemus, propter errorẽ: neque reprobemus, propter veritatem. Sed omnia in ſpe Deo offerenda ſunt. Ipſe enim nouit vtrorũque vtilitatem.

27 Traiicere volens mare intellectuale, lõganimis eſt, humilis eſt, vigilat, temperans eſt. Abſque his quatuor ſi conatur ingredi, cor quidem conturbat, traiicere verò non poterit.

Orationis comites.

28 Quies prodeſt, quæ à vitiis agitat otium: cæterùm ſi haſce quatuor virtutes in precationibus in auxilium aſciuerit, ad affectuum abiectionem nihil habere poteſt compendioſius.

29 Non licet pacare mentem ſine corpore, neque ſoluere horum parietem intermedium, ſine quiete & precationibus.

Galat.5. 30 Caro concupiſcit aduerſùs ſpiritum, & ſpiritus aduerſùs carnem. Cæterùm qui ſpiritu ambulant, carnalem concupiſcentiam non perficiunt.

31 Non eſt perfecta precatio, ſine inuocatione ab animo prodeunte. Animum autem indefinẽter clamantem, exaudit Dominus.

Pſa.50.d 32 Animus indefinenter vacãs precationibus, cor affligit & conterit. Cor autem contritum & humiliatum Deus non deſpiciet.

33 Precatio quoque virtus dicitur, tametſi mater illarum ſit: Siquidem virtutes progenerat, propinquitate qua Chriſto affinis eſt.

34 Si operati fuerimus ſine precatione & bona ſpe, noxium & imperfectum poſtea redditur.

Mat.20.b Charitas, virtutum prima, & vltima eſt.

35 Cùm audieris, Erunt nouiſſimi, primi: & primi, nouiſſimi: virtutum participes: & charitatis participes intellige. Etenim charitas nouiſſima virtutũ exiſtit, ſecundũ generationem: prima autem omniũ inuenitur, iuxta dignitatem, eas quæ ante ipſam natæ ſunt, nouiſſimas eſſe oſtendens.

36 Si torpueris pigritia à vitiis multipliciter vexatus, memor eſto exitus & acerborum ſuppliciorũ.

37 Melius eſt adhærere Deo precationibus & ſpe, quàm rerum externarum reminiſci, tametſi bonæ ſint & vtiles.

38 Nulla virtutum ſola per ſe naturalem noſtram ianuam aperit, niſi omnes conſequenter ex ipſa dependeant.

Spes cogitationibus melior eſt.

39 Ille non eſt temperãs, qui alitur cogitationibus. Nam tametſi vtiles fuerint, non tamẽ ſunt ſpe præſtantiores.

40 Omne peccatum quod alienum eſt à pœnitentia, morti eſt obnoxium: pro quo condonando, etiam ſi ſanctus pro altero interceſſerit, non exaudietur.

41 Qui verè reſipiſcit, non reputat laborem priſcis peccatis æqualem, verùm ſemper per ſe deũ placat.

42 Si quæcunque bona natura noſtra habet, quotidie facere debuimus, quid reliquum pro anteactis vitiis Deo retribuemus?

43 Quantum virtutis augmentum hodie fecerimus, præteritæ negligentiæ argumentum eſt, non compenſatio.

44 Qui mente affligitur, & quieſcit corpore, ſimilis eſt ei qui corpore affligitur, & mẽte lætatur. Cæterùm voluntaria afflictio, ſiue venit ex vtriſque, cooperatur ad alterum: mentis quidem, carnali: carnis verò, ei quæ ſecundùm mentem eſt: harum verò diſiunctio tantùm fit deterior.

Charitatis non fictæ ſignum.

45 Magna virtus eſt, perferre ea quæ accidunt, & diligere eos qui nos proſequuntur odio, ſecũdùm verbum Domini. Porrò charitatis non fictæ & ſimulandi neſciæ ſignum eſt, iniuriatum cõdonatio.

46 Impoſſibile eſt ex corde ignoſcere cuiquã ſua delicta, ſine vera cognitione. Hæc enim quæ vnicuique accidunt, oſtendit.

47 Nullius rei iacturam facies, quam propter Dominum reliqueris. Suo enim peculiari tẽpore multiplici fœnore ad te redibit.

48 Quoties humanus animus ſcopum pietatis obliuioni tradiderit, tunc manifeſtum opus virtutis inutile redditur.

49 Si omni homini infœliciter cedere ſolet incõſulta temeritas, multò magis his, qui accuratam inueſtigandi diligentiam tollunt è medio.

50 Opere philoſophare de conſilio hominis & retributione Dei. Nullus enim ſermo aut diſputatio operatione eſt ſapientior.

Retributio

51 Labores pro pietate ſuſceptos ſequitur retributio: hoc autem cognoſcendum eſt per legem diuinã & conſcientiam.

52 Vnus prudentiam accepit, & inconſideratè vicit: alter accepit, & cum veritate iudicauit. Quærẽdum, vter illorum fecerit religioſiùs.

Sapientiæ ſigna.

53 Veræ cognitionis ſignum eſt, afflictionum tolerantia, neque ſuarum calamitatum aut damnorum culpam aſſignare hominibus.

54 Faciens bonum, & quærens retributionem, nõ ſeruit Deo, ſed propriæ voluntati. Neque poſſibile eſt, eum qui peccauit, retributionem perficere, niſi per reſipiſcentiam delicto conuenientẽ & congruã.

55 Quidam dicunt, Non poſſumus bonum facere, niſi euidẽter Spiritus ſancti gratiam ſuſceperimus. Semper autem tales, animi propoſito ſtudentes voluptatibus, tanquam ij qui omnium deſtituti ſunt auxilio, faciendi facultatem expoſtulant.

56 Gratia quidem iis, qui in Chriſto baptizati ſũt, arcana quadã & myſtica ratione data eſt, operatur autem ſecundùm proportionẽ executionis præceptorũ. Quinetiã occultè gratia nobis auxiliari non deſinit: in nobis autem ſitum eſt, pro virili bonum

Liberum Arbitrium.

facere aut non facere. Primùm quidem diuinitùs excitat cõscientiam. Vnde etiam malefici, vitâ per resipiscentiam in melius mutatâ, Deo accepti sunt. Rursum in doctrina proximi occultatur. Est etiam, quando in sacrarum literarum lectione cogitationem subsequitur,& per naturalem ordinem mentem docet suam ipsius veritatẽ. Proinde si particularis huius ordinis talentum nõ defossum absconderimus, in gaudiũ Domini manifestè intrabimus.

57 Qui antequàm præcepta exequatur, spiritus opem aut efficaciã quærit, seruo ære empto non est absimilis, qui simulátque emptus fuerit, vnà cum precio emptionis, etiam libertatis libellum quærit.

58 Qui externam condemnationem iustitia Dei prouenientem inuenit, ille quærens Dominum, inuenit cognitionem post iustificationem.

59 Si intellexeris, secundum scripturam, in omni terra esse iudicia Domini, omne quicquid tibi acciderit, diuinam cognitionem te docebit.

60 Vnicuique pro animi conceptione occurrit, quid agere debeat: varietatem autem congrui successus, solus Deus nouit.

Retributionis cogitatio.

61 Ignominia affectus ab hominibus, illico retributionem gloriæ, quę est à Deo, fac animo cogites: atque ita nullam tristitiam & conturbationẽ, ignominia ab hominibus obiecta tibi illatura est: propter gloriam autem fidelis & irreprehensibilis inuenieris, cùm venerit.

Ostentatio fugienda.

62 Cùm laudaris à multitudine secundum voluntatem Dei, caue quicquam ostentationis dispensationi dominicę admisceas: ne rursum mutatione facta, in contrarium prolabaris.

63 Semen non excrescet accepto augmento, sine terra & pluuia: neque homo quicquam vtilitatis capiet sine laboribus voluntariis, diuinóque adiutorio.

64 Non effunditur sine nubibus pluuia: neque sine

Bona conscientia.

bona conscientia Deo placere possibile est.

65 Ne recuses discere, tametsi vehementer prudẽs fueris. Dei enim dispensatio vtilior est, quàm nostra prudentia.

66 Quando à voluptatis titillatione cor submotum fuerit à spontanei laboris loco, tunc, instar grauissimi lapidis in lubrici loci descensu decurrentis, difficulter teneri potest.

67 Quemadmodum imperitus vitulus currens in gramine, defertur ad præcipitium: sic inuenitur anima, quę paulatim à cogitationibus agitata aut pasta fuerit.

68 Cùm mens in Domino viriliter adulta, animam à temporali occupatione abstraxerit, tũc cor veluti à tortoribus punitur, trahentibus illud hinc & hinc mente & affectibus.

69 Quemadmodum ij qui in mari nauigant, solis æstum libenter perferunt: sic illi quibus odio sunt vitia, reprehensionem diligunt. Ille enim ventis aduersatur, hæc verò affectibus.

70 Quemadmodum fuga in hyeme & sabbatho, dolor est corpori, & prophanatio animæ: sic affectuum resuscitatio, senescenti corpori, & animæ sanctificatæ.

71 Nemo tãtæ bonitatis & misericordiæ, ac Deus, est: at resipiscere nolenti, neque ipse largitur veniã.

72 Multi nostrûm sunt, quibus peccata tristitiam ingerunt: illorum tamen causas libẽter susc ipimus.

Tristitia ex Peccatis. Infideles.

73 Talpa sub terram serpens, capta oculis, stellas videre non potest: & qui de rebus temporaneis Deo fidem non habet, neque de æternis potest credere.

74 Gratia pro gratia, vera cognitio à Deo data est hominibus, præ omnibus largitori credere, sui participes erudiens.

75 Cùm anima peccatis obnoxia accidentes sibi tribulationes non suscipit, tunc angeli de illa dicũt: Medebamur Babyloni, & non est sanata.

Hier. 51. b

76 Mens quæ veræ cognitionis obliuiscitur, pro rebus sibi contrariis, tanquam vtilibus, cum hominibus certamen suscipit.

Turpis cogitatio. Labor.

77 Quemadmodum in aqua, ignis durare nõ potest, ita neque turpis cogitatio in corde Dei amante. Quoniam omnis qui Dei amator est, etiam laboris amans est. Cæterùm labor voluntarius naturaliter voluptati inimicus est.

78 Affectus victus operis consuetudine per voluntatem, postea inuito etiam participi violenter excitatur.

79 Cogitationum inuitis nobis emergẽtium causas amamus: atque hinc etiam ab eis quæ nobis volentibus contingunt, res nobis eueniunt.

Blasphemia. Hypocrisis.

80 Opinio & arrogantia, causa sunt blasphemiæ: auaritia autem & ambitio, immisericordiæ & hypocriseos.

81 Cùm viderit diabolus, mentem ex corde orasse, tunc magnas & malitiosas cogitationes animo ingerit. Modicis enim virtutibus magnas impressiones subuertere non sustinet.

Cogitatio perseuerans.

82 Cogitatio perseuerans, hominis affectum significat: at quæ celeriter tollitur, bellum & repugnantiam indicat.

83 Tres sunt loci intellectuales, in quos animus ex mutatione ingreditur: vnus, secundùm naturam: alter, præter naturam: tertius, supra naturam. Et quãdo eum qui est secundum naturam ingreditur, inuenit seipsum malarũ cogitationum causam & autho-

Gal. 5. d

rem esse, confitetúrque Deo peccata cognoscẽs causam affectuum. Cùm verò in eo qui est præter naturam, constitutus fuerit, iustitiæ Dei obliuiscitur, contenditque cum hominibus, tãquam ipsum iniuria afficerent. At quando in eum qui est supra naturam inductus fuerit, tum Spiritus sancti fructus offendit, quos Apostolus vocat charitatem, gaudium, pacem, & reliqua. Neque illud ignorat, quòd si corporalium rerum curas prætulerit, se ibi perdurare non posse. Atque discedens ex illo loco, in peccatum incidit, inq; grauia, quæ hoc consequuntur, dispendia: etsi nõ illico, suo tamen peculiari tempore, quemadmodum nouit Dei iustitia.

84 In tantum cuiusque cognitio vera esse solet, quantum mansuetudo, & humilitas, & charitas firmam fecerint.

85 Omnis ritè baptizatus, omnem gratiam accepit mysticè, plenissimè verò nouit reliquum, per præceptorum operationem.

86 Præceptum Christi quod iuxta conscientiam perficitur, secundum multitudinem dolorum cordis largitur consolationem. Verumtamen vnumquodque horum suo tempore perficitur.

87 Constantem in omni re precationem obtine, quasi nihil citra opem possis effectum reddere.

88 Ad parandum Dei ſubſidium, nihil eſt precatione efficacius aut potentius, atque ad eiuſdem beneplacitum nihil illa vtilius. Oratione nihil magis efficax.

89 Omnis præceptorum executio in illa concluſa eſt. Ea enim quæ eſt erga Deum charitate, nihil dictu eſt ſublimius.

90 Precatio attenta, ſignum eſt amoris erga Deũ perſeuerantis. At eiuſdem negligentia, & diſtracta mentis occupatio, ſtudij voluptatis argumẽtum eſt. Oratio.

91 Qui ſine dolore & moleſtia vigilat, longanimis eſt, & vacat precationibus, ille perſpicuè Spiritus ſancti eſt particeps. Qui verò in his affligitur, volũtate tamen conſtanter perſeuerat, actutum & ille ſubſidium conſequetur.

92 Præceptum præcepto oſtenſum eſt excellẽtius: ideo etiam fides fide firmior inuenitur. Et fides ex auditu, ſecundum Apoſtolum, & eſt fides rerũ ſperandarum ſubſtantia. Ro.10.c Heb.11.a

93 Pulchrum eſt, diſſerendo prodeſſe interrogantibus: eſt autem longè præſtantius, per virtutem & precationem illis cooperari. Etenim qui per hæc ſeipſum Deo offert, etiam proximo auxiliatur, proprio quodam auxilio.

94 Quòd ſi compendioſo quodã ſermone diſcendi cupidum iuuare eſt animus, fac illi oſtendas precationem & rectam fidem, necnon rerum accidentium tolerãtiam. Omnia enim reliqua, quæ pulchra ſunt, per hæc inueniuntur.

95 Pro quibus rebus conſequendis aliquis in Deũ ſperauit, illarum gratia non ampliùs cõtendit cum proximo.

96 Si omne non voluntarium ex voluntariis, ſecũdum ſcripturam, cauſam habet & originem, nemo ita infenſus eſt homini, vt ſibiipſi exiſtit. Voluntariã dicit cogitationem, non voluntariam autem cõtingentiam.

97 Omnium malorum dux eſt ignorantia, ſecunda poſt hanc eſt incredulitas.

98 Patientia & precatione fugienda eſt tentatio: quæ ſi abſint, ſi te illi oppoſueris, vehemẽtiùs te impugnabit.

99 Qui iuxta doctrinam Chriſti mitis eſt, ſapientibus eſt ſapientior. Et qui humilis eſt corde, potentibus eſt potentior. Quoniam huiuſmodi iugum Chriſti ſecundum cognitionem baiulant.

100 Quæcunque citra precationem aut loquimur aut facimus, poſtea aut erronea aut damnoſa exiſtũt, ac nos ab omni cognitione rerum alienos eſſe arguunt. Orationis neceſsitas.

101 Ex operibus & ſermonibus & cogitatione, eſt iuſtificatio: ex fide autem & gratia & pœnitentia, multi ſalutis theſauri proueniunt.

102 Quemadmodum à pœnitentiam agente alienum eſt, elato animo ſuperbire: ſic ſua ſponte peccantem, humilem eſſe impoſſibile eſt.

103 Non eſt conſcientiæ damnatio, humilitas: ſed gratiæ Dei & condolentis affectus cognitio.

104 Quod domus ſenſibilis, eſt communi aëri, hoc mens rationalis diuinæ gratiæ.

105 Quantum eieceris materiæ, tantum aufugiet: quantum verò inieceris, tantum accedet.

106 Materia domus, ſuppellex, & res cibaria: materia autẽ mentis, voluptas, & inanis glorię cupiditas.

107 Capacitas cordis, ſpes in Deum eſt: at eiuſdem angustia, cura rerum corporalium.

108 Vna eſt & immutabilis gratia Spiritus: operatur autem in vnoquoque, quemadmodum ſibi viſum fuerit.

109 Quemadmodum pluuia terræ infuſa, accommodam qualitatem plantis ſuppeditat, dulcem quidem dulcibus, acerbam autem acerbis: ſic quoque gratia in corda fidelium aſſiduè deſcendens ac influens, cõuenientes virtutibus actiones largitur: Eſurienti propter Chriſtum, cibus fit: ſitienti, potus delicatiſſimus: algenti, indumentum: laboranti, requies: precanti, cordis ſpes: & lugenti, conſolatio. Gratiæ varij effectus

110 Cùm audieris ſacram ſcripturam dicentem de Sancto Spiritu, quòd deſcenderit ſuper ſingulos Apoſtolorũ, aut quòd inſilierit ſuper Propherã: aut, operatur, contriſtatur, extinguitur, aut exaſperatur: & rurſus, alios quidem primitias Spiritus habentes, alios verò plenos ſancto Spiritu: Ne ſectionem, aut verſionem ſeu mutationem Spiritus ſancti, in animo cogites: ſed ad eum modũ crede, quẽ diximus: nempe immutabilem, immobilem, & omnipotentem. Propterea etiã in actionibus & manet & verſatur, & vnicuique, quod decet, cõſeruat diuinitùs. Ille enim ſolis inſtar ſuper baptizatos perfectè effuſus eſt. Vnuſquiſque autem noſtrũm in quantum obtenebrantes affectus odio habuerit, & ſuſtulerit è medio, ſimiliter & illuminatur: quantũ verò eoſdẽ amãs animo retractauerit, tantũ etiã obſcuratur. Act.1.

111 Qui affectus odio habuerit, eorundem cauſas tollit ac præſcindit. Verùm qui cauſis incumbit, ille etiam nolens ab affectibus impugnatur.

112 Cùm à prauis cogitationibus irritamur aut impellimur, ipſi nos accuſemus, & non paternum piaculum. Cogitationum malitia.

113 Cogitationũ radices ſunt aperta vitia: quæ manibus pedibúsque, & ore, noſtrum quiſque eiiciat.

114 Non licet ex propoſito colloquium inire cum affectibus, niſi eorum cauſas & occaſiones dilexerimus. Quis enim contemnens turpitudinem colendã amplectitur. Aut quis contemptum amans, propter acceptã ignominiam conturbaretur? Quis autem cor contritum & humiliatum habẽs, voluptatem carnis ſuſciperet? Aut quis Chriſto perfecta & ſyncera fide adhærens, de rebus temporalibus ſolicitus eſt, aut pro eiſdem contentioſè pugnat?

115 Qui ſpernitur ab aliquo, neque tamen vel verbo vel cogitatione, cùm eo à quo ſpernitur, expoſtulat, ille veram cognitionem poſſidet, ac firmam fidem Domino oſtendit.

116 Mendaces ſunt filij hominum in ſtateris, vt decipiant: cùm tamen Deus vnicuique quod iuſtum eſt, conſeruet. Pſa.61.b

117 Si neque decipienti vlla accreſcit abundantia, neque ei qui decipitur vlla penuria: in imagine pertranſit homo, verumtamen fruſtrà conturbatur. Pſ.38.b

118 Cùm videris aliquem in multa ignominia dolẽtem, ſcias eum ambitionis cogitationibus impletum, libenter cordis ſeminum metere manipulos. Dolor ex ignominia

119 Qui voluptatibus corporalibus, præterquam par eſt, fruitur, ille centuplicibus laboribus pẽſabit abundantiam.

120 Qui in imperio eſt, ſubdito debet dicere debitũ officiũ: at non oſcultãti, malorũ pœnã annũtiare.

121 Qui iniuria afficitur ab aliquo, neq; tamen in- Iniuriarum patientes.

iurianti debitam vltionem quærit, secundùm eam quidem partem Christo credit: & centuplicia quidem in hoc sæculo accipit, & vitam æternam hæreditate consequetur.

122 Memoria Dei labor cordis est pro pietate susceptus. Omnis autem qui Dei obliuiscitur, voluptuarius & omni misericordia carens redditur.

123 Ne dicas, eum qui ab affectibus liber est, affligi aut dolere non posse. Nam tametsi non pro seipso, pro proximo tamen istud facere debuit.

124 Cùm inimicus peccatorum obliuioni datorũ multa chirographa assecutus fuerit, tũc debitorem etiam in memoria ea ipsa facere adigit, peccati causa rationabiliter abutens.

125 Si volueris indesinenter Dei memor esse, ne auerseris eius correptiones & pœnas, tanquam iniustas: sed velut iustè venientes tollera. Siquidem tollerantia in singulis malis accidentibus memoriam renouat ac refricat: cæterùm repulsio & querimonia, hilarem cordis laborem minuit, atque ita remissione obliuionem inducit & operatur.

126 Si volueris apud Dominum peccata tua occultare, fac, ne ambitiosè virtutes tuas manifestes hominibus. Quicquid enim in his fecerimus, hoc etiam Deus in illis faciet.

127 Virtutem occultans, ne extollaris, quasi iustitiã operatus esses. Iustitia enim est, non tantùm cælare quę pulchra sunt, verumetiam ne mente quidẽ concipere quippiam eorum quibus renunciaueris.

Gaudium ex Patientia.

128 Ne gaudeas, cùm alicui benefeceris: sed cùm citra acceptarum iniuriarum memoriam, ingruentem aduersitatem pertuleris. Quo enim modo noctes diebus, eodem vitia succedunt virtutibus.

129 Gloriæ & auaritiæ atque voluptatis studiũ, benefactorũ collationẽ immaculatam permanere nõ sinũt, nisi prius ipsæ, metu Dei, prostratæ cõciderint.

Tribulationes tollerandæ.

130 In doloribus non voluntariis misericordia Dei mirabili quadã ratione occultata est, tolerantẽ trahẽs ad pœnitentiã, & liberans ab æternis suppliciis.

131 Quidam exequẽtes præcepta, expectant, vt ea peccatis in statera præponderẽt. Alij verò per eum qui pro peccatis nostris mortuus est, in beneuolentiam Dei semet insinuant. Quærendum, quinam illorum rectiùs sapiant.

Patientia vnde nascatur.

132 Gehennæ metus, & paradisi desideriũ, præbent afflictionum patientiam: & hoc non ex seipsis, sed ex eo qui cognoscit cogitationes nostras.

133 Qui de rebus futuris fidem habet, à rebus huius sæculi dulcibus & voluptuosis, nullo docente, abstinet: qui verò nõ credit, voluptuarius, & carens omni misericordia efficitur.

134 Ne dixeris, Quomodo pauper indulget voluptatibus, non habens occasionem aut facultatẽ seruiendi illis? Potest enim aliquis vel solis cordis cogitationibus, vt voluptatum illecebris miserrimè esse deditus.

Rerum & veritatis cognitio vt differũt.

135 Aliud est rerum cognitio, & aliud veritatis cognitio. Quantò enim sol lunâ præstantior, tantò priore secunda est præstãtior. Rerum cognitio, promodo executionis præceptorum accidit: at veritatis cognitio, secundùm mensuram spei, quæ est in Christũ. Itaque si saluari volueris, & in veritatis cognitionẽ peruenire, enitere prorsus omnia sensibilia excedere ac sola spe Deo adhærere. Ad hũc enim

A modũ, procul antè admonitus, inuenies Principes & Potestates, per suggestiones tibi bellũ inferentes: hoc autem oratione vinces, inque bona spe perseuerabis gratiæ Dei, quæ à ventura ira te liberabit. Obserua hic varias cõditiones agentis & contẽplantis.

136 Qui intelligit id, quod à sancto Paulo mysticè dicitur, affirmante, nostrã luctam aduersus spiritualia esse nequitiæ, ille cognoscet etiã parabolã Domini, docẽtis, semper orandũ esse, & nõ defatigandũ. Ephe 6.b Luc.18.a

137 Sex dies sub figuræ prætextu operari, septimo autem otium agere lex iubet. Quia animæ opus est, opibus prodesse, egentibus: otium autem eius & requies, vendere omnia & dare pauperibus, secũdùm sermonem Domini: atque ita per rerum nuditatem B quiescentẽ nouæ spei vacare. Ad eandem requiẽ & Paulus omni nos hortatur studio sic inquiens. Festinemus ingredi in illam requiẽ. Hæc autem diximus, non excludentes futura, neque hic plenariam retributionẽ esse definiẽtes: sed quòd oporteat primùm in corde habere gratiã Spiritus sancti operantem, atq; ita secundũ proportionẽ ingredi in regnũ cœlorum. Hoc manifestans etiã Dominus dicebat. Regnum cælorũ intra vos est. Hoc etiã Apostolus dixit, Fides, est sperandarũ substantia rerũ. Et iterũ, Sic currite, vt cõprehendatis. Et iterũ, Probate vos ipsos, nũ sitis in fide. An verò non cognoscitis, quòd Christus Iesus in vobis est? nisi fortè reprobi estis. Sabbatum. Hebr 4.c Luc.17.c Heb.11.a 1.Cor.9.d 2.Cor.13.

C 138 Qui veritatis cognitionem cõsecutus est, afflictionibus non repugnat: neque enim ignorat, quòd in timorem Dei perducant hominem. Patientia.

139 Præterita peccata specie quadam memoria repetita, nocent homini in bona spe constituto. Nam cũ tristitia apparentia à spe abducunt: sine tristitia autem sub imagine quadam cõcepta in animo, veteri inquinatione hominem contaminant.

140 Cùm mens per vitiorum abnegationem & renuntiationem, spem vnicè considerandam apprehenderit, tunc inimicus sub confessionis prætextu, antè menti impressa vitia effingit: vt affectus gratia Dei obliuioni traditos, iterum incẽsos exuscitet, & D hominem latenter iniuria afficiat. Tũc enim si clarus, & affectibus inimicus existat, necessariò obtenebrabitur, detẽtus & confusus propter perpetrata vitia. Et si nebulosus adhuc & voluptatum amans fuerit, omninò vnà perseuerabit, & affecto animo cũ occurrentibus affectionibus familiaritatẽ contrahet: vt mẽtis anticipatio, talis memoria, & non confessio inueniatur. Itaque si volueris Deo offerre irreprehensibilem confessionẽ, speciatim errorum ne recorderis (nam valdè inquinares animum) verùm horum illecebras generosè perferto.

141 Ea minime curari possunt, quæ ex præteritorũ peccatorum consuetudine naturam quandam subE induxerunt.

142 Scientia præditus, quique veritatem nouit, nequaquam memoria rerum factarum, sed patientiâ rerum contingentium confitetur Deo.

143 Cùm abieceris laborem & ignominiam, ne pollicearis per alias virtutes resipiscentiam. Ambitio enim & indolentia in rebus secundis inseruire peccato solent.

Virtutum & viciorũ causæ.

144 Sicut virtutes laboribus & ignominia, sic etiã vitia voluptatibus & gloria procreari cõsueuerunt.

145 Omnis corporalis voluptas ex præsumpta licẽtia prouenit. Porrò licentiam incredulitas generat.

146 Qui

146 Qui in peccatis conſtitutus eſt, non poteſt ſolus carnalem voluptatem ſuperare. Quapropter prouocatorem habet irrequietum, & vrgentem affectibus.

Oratio. 147 Qui vrgentur affectibus, his oratio atque ſubmiſſio ſiue humiliatio eſt neceſſaria. Vix enim licet cum auxilio mentis anticipationibus repugnare.

148 Qui cum ſubiectione & precatione aduerſùs voluntatem luctatur, hic athleta valde induſtrius & artificioſus eſt: qui mẽtis luctam per rerum ſenſibilium abſtinentiam manifeſtò oſtendit.

149 Qui non conciliat Deo ſuam volũtatem, ſupplantatur & euertitur propriis exercitiis, & ab aduerſariis ſuperatur.

150 Cùm videris duos improbos mutua beneuolentia coniũctos, tum ſcias, quòd alter alteri cooperatur ad voluntatem.

Amor. veritatis. 151 Superbus & ambitioſus inter ſe libenter familiaritatem ineunt. Ille enim ſeruiliter ſuccumbentem ambitioſum laudat, hic verò indeſinenter laudantem magnificat ſuperbum.

152 Veritatis amans auditor, vtrinque veritatem lucratur. Cùm enim in bonis teſtimonio vincitur, promptior & melior redditur: in malis autem dum coarguitur, ad reſipiſcentiam adigitur.

153 Oportet nos ſecundum quod proficimus, etiã vitam inſtituere: & ſecundùm vitam, debemus precationes offerre Deo.

154 Equidem pulchrũ eſt, vt maximè ſummarium illud præceptum arripiamus, & nihil ſpeciatim ſoliciti ſimus, neq; quicquã ſpeciatim precemur, ſed ſolum regnũ Dei, iuxta Domini ſermonẽ, quæramus. Si verò de vnaquaque re neceſſaria ſolicitè cogitauerimus, debemus etiam pro vnaquaq; conſequenda preces ad Deũ fundere. Quicũque enim

Orationis neceſsitas. ſine precatione aliquid facit, aut ſolicito animo cogitat ille nullã proſperitatẽ tandẽ ſentiet. Et hoc eſt quod dixit Dominus, Sine me nihil poteſtis facere.

Ioan. 15.a 155 Fallentem præceptũ de faciẽdis precationibus, abſurdiores inobedientiæ excipient, altera alteri tãquam vinctum alternis vicibus tranſmittentes.

156 Qui inſtantes huius vitæ moleſtias ac tribulationes futurorum bonorum expectatione ſuſcipit, veritatis cognitionem inuenit, & ab iracundia atq; triſtitia facilè liberabitur.

157 Qui ærumnas & ignominiam pro veritate elegit, ille apoſtolicam viam, ſublata in humeros cruce & vinctus cathena, ambulat. Qui verò citra hæc duo cordi morem gerere voluerit, errat ſecundùm animum, & incidit in tentationes & laqueos diaboli.

Pugna cõtra cogitationes. 158 Neq; qui aduerſùs malas cogitationes ſine cauſis, neque qui aduerſus cauſas ſine cogitationibus pugnat, vnquã vincit. Vno enim tantùm profligato, non multò pòſt per alterum in vtrũque rapitur.

159 Qui metu vexationis & contumeliæ pugnat cum hominibus, ille aut in hac vita per impreſſiones abundantiùs vexabitur, aut in futuro ſæculo immiſericorditer punietur.

160 Qui omnium malorum impetũ & impreſſionem excludere voluerit, debet precationibus Deo commendare ſua negotia, & ſpem, quæ in illum eſt, animo apprehendere, curam verò rerum ſenſibiliũ pro virili contemnere.

161 Cùm diabolus hominẽ inuenerit, ſine neceſſitate negotiis corporalibus vacantem, primùm quidem rapit ipſius cognitionis ſpolia, deinde ſpem, quam in Deum habet, veluti caput ambutat.

162 Si quando puræ precationis tutum locum inueneris, rerum cognitionem, quam tibi inimicus ſuggerit in tempore, caue ſuſcipias: ne id quod maius eſt, amittas. Preſtabilius enim eſt, precationis iaculis iaculari ipſum in loco concluſo, quàm conuerſationem cum illo habere exuuias afferente, & nos à precandi ſedulitate, quæ aduerſùs illum fit, abſtrahere moliente.

163 Locus rerum aut negotiorum tempore tentationis & ſocordiæ iuuat hominem: tempore verò puræ precationis conſueuit lædere.

Doctoris officium. 164 Si docendi prouinciam aſſecutus es in Domino, & obaudiendo negligeris, mente fac affligaris, neque tamen apertè perturberis. Cùm enim affligeris, nequaquam cum obaudiente damnaris: porrò ſi perturbaris, eadem re tentaberis.

165 Quo tempore tibi aliquid exponendum fuerit, ne velis præſentes, quæ dictu & auditu conſentanea ſunt, clàm habere. Et ea quidem, quæ honeſta & decora ſunt, manifeſtiùs: quę verò dura & obſcura, ænigmaticè exponas.

Correptio fraterna. 166 Ei qui tibi ſubiectus nõ eſt, errorẽm ne exprobres in faciem. Hoc enim poteſtatis magis, quàm conſilij argumentum eſſet.

167 Quæ in communi fiũt pro pluribus, omnibus fiunt vtilia. Vnicuique propria, ſecundùm conſciẽtiam apparent.

168 Qui rectè loquitur, debet etiam ipſe gratias agere: vt qui à Deo verba ſumpſerit. Etenim veritas, non loquentis, ſed operantis Dei eſt.

169 A quibus obedientiæ confeſſionem nõ habes, ne contentioſè repugnes, veritati reſiſtẽs: ne quod odium aduerſus ſcripturam ſacram importunitate tua exuſcites.

170 Qui ſubdito contradicenti, vbi non oportet, ceſſerit, ea in re ſeducit illum, & obedientiæ fœdera obiicit contemptui.

Iniuriarũ memoria. 171 Qui timore Dei legem condit, aut peccantem caſtigat, contrariam errori virtutem, ſibiipſi vendicat atque conciliat. Qui verò iniuriarum memor eſt & malitioſè exprobrat, in eundem affectum, ſecundùm legem ſpiritualem, incidit.

172 Qui propè legem perdidicit, timet legiſlatorẽ: & ſperans in eundem, ab omni malo declinat.

173 Ne fias bilinguis, aliter quidem ſermone, aliter verò conſcientiâ temet oſtentans. Eiuſmodi enim hominem ſcriptura ſub maledictione ſtatuit.

Gal. 4.c 174 Eſt, qui veritatem dicit & ab inſipientibus habetur odio, ſecundùm Apoſtolum: & eſt, qui ſimulat, & propter hoc amatur. Attamen neutra harum retributionum diuturna eſt: quoniã Dominus ſuo tempore vnicuique, vt oportet, retribuet.

175 Qui futuras tribulationes tollere voluerit, ille præſentes debet iucundè & libenter perpeti. Ita enim mẽte aſſueſcens rei, modicis doloribus & moleſtiis magnas effugiet.

176 Fac munias linguam tuam à iactantia, & cogitationẽ ab opinione: ne cùm ceſſeris, diuerſa facias. Neque enim ab homine ſolo bonum perficitur, ſed ab omnia videnteDeo.

177 Omnia videns Deus, quemadmodum operibus noſtris digna incrementa ſuppeditat, ſic etiam cogitationibus & voluntariis conſiliis.

Cogitationes inuoluntariæ.

178 Non voluntariæ cogitationes ex anteuertente peccato naſcuntur: cæterùm voluntariæ ex voluntate libera & ſpontanea. Vnde poſteriores cauſæ eſſe priorum deprehenduntur.

179 Malas cogitationes præter propoſitum contingentes, triſtitia ſubſequitur: quapropter etiam breui momento euaneſcũt. At quæ ſunt iuxta propoſitum, gaudiũ: vnde fit, vt etiam difficulter queãt abiici.

Iudiciorũ Dei, quàm vtilis ſit cognitio.

180 Voluptatis ſtudioſus & amans, in reprehenſionibus & vexationibus triſtitia afficitur: porrò homo diligens Deum, in laudibus & abundantia.

181 Cui non ſunt explorata iudicia Dei, periculoſam & præcipitem viam iuxta mentem ambulat, & à quouis vento facilè mouetur & impellitur: ſi laudatur, iactabundus inſoleſcit: ſi reprehenditur, irritatur: conuiuium agitans, laſciuit ebrius: ſi vexatur malis, lamentatur: intelligens, effertur oſtentatione: non intelligens, ſimulat: abundans opibus, arroganter ſuperbit: mendicum agens, opes domi ſimulat: ſaturatus, ferocit: & ieiunãs, inani ſeruit gloriæ: cum reprehendentibus contendit: & his qui illi largiuntur veniam, tanquam ſtultis, petulãter iniurioſus eſt. Itaque ſi non ſecundum gratiam Chriſti, veritatis cognitionem & Dei timorem poſtulauerit, non tantùm ab affectionibus, ſed etiam ab accidentibus grauiter vulneratur.

182 Quando cauſam aut negotium aliquod intricatum ſoluere animo decreueris, primùm fac in eo quæras, quod Deo placet: atque ita eius negotij cõmodam ſolutionem inuenies.

183 In quibus rebus Deus complacitum habuerit, in illis etiam omnis creatura ſubſeruit: quæ verò ille auerſatur, ſimiliter in illis & omnis creatura reluctatur.

Tribulationes patienter tollerandæ.

184 Qui repugnat, ſemet opponens triſtibus aduerſitatibus, ille neſcius repugnat dei imperio: qui autem eaſdem ſuſcipit vera cognitione, ille, ſecundùm ſcripturam, ſuffert Dominum.

185 Tentatione veniente ne quæras, quare aut per quem venerit: verùm vt eandem grataner & ſine iniuriarum recordatione perferas, memento.

186 Alienum malum non addit peccatum, ſi nos illud malis cogitationibus non ſuſceperimus.

187 Si non facilè inuenire licet eum, qui ſine tentationibus placuerit, gratiæ Deo agendæ ſunt in omnibus, quæcunque nobis acciderint.

Luc. 5. Act. 9. Act. 7. Per occaſionem intellige, & nõ per neceſsitatẽ.

188 Si Petrus nocturna captura fruſtratus, nõ fuiſſet, nunquam diurnam eſſet adeptus: & niſi corporaliter excæcatus fuiſſet Paulus, nunquam ſpiritualiter viſum recepiſſet: & niſi, vt blaſphemus, ſycophanticè accuſatus fuiſſet Stephanus, nequaquam apertis ei cœlis Dominum vidiſſet.

189 Quemadmodum operatio ſecundùm Deum, dicitur virtus: ſic præter expectationem afflictio, vocatur tentatio.

Gen. 22.

190 Deus tentauit Abrahamum, hoc eſt, ad vtilitatem eius afflixit, nõ vt diſceret, qualis eſſet (nouerat enim cũ, qui nouit omnia, priuſquam ipſe natus eſſet) ſed vt perfectæ fidei occaſiones illi ſuppeditaret.

191 Omnis afflictio arguit momentum ſeu inclinationem voluntatis, ſiue in dexteram vergat, ſiue in ſiniſtram. Quapropter accidens tribulatio, vocatur tentatio, occultarũ voluntatum experientiam participi exhibens. Tentatio quid ſit.

192 Timor Dei cogit nos pugnare aduerſùs animi prauitatem atque malitiam: nobis autem pugnantibus, Dominus illam deſtruit.

193 Sapientia eſt, non ſolùm per naturalem conſequentiam noſſe veritatem, ſed perferre, tanquam proprium, hominum, iniuria afficientium, ſupplicium. Nam qui in priori perſiſtunt, efferũtur ſuperbia: at qui ad ſecundum quoque peruenerunt, humilitatem conſecuti ſunt. Patientia.

194 Quòd ſi nolueris à prauis cogitationibus fatigari, humilitatem animi & carnis tribulationem ſuſcipe. Et hoc non aliquando, ſed loco & tempore & in omni negotio. Remediũ cõtra prauas cogitationes.

195 Qui afflictionibus animo voluntario caſtigatur, ab inuitis cogitationibus nequaquam comprehenditur. At qui priores non amplectitur, à poſterioribus vel nolens captiuus ducitur.

196 Cùm tibi iniuria affecto cor & viſcera induruerint, ne contriſteris ob faciem rei præſentis diſpoſitione diuina mutatam: ſed gaudẽs auerte prorumpentes cogitationes: ſciẽs, his primo ſtatim impetu ſublatis, & illa poſt motum tolli ſolere. At cogitationibus aſſiduè mouentibus, & illa augmentũ accipere conſueuerunt. Patientia.

197 Sine corde contrito impoſſibile eſt omnino liberari à malitia & vitiis. Conterit autem cor triparita temperantia, ſomni dico, & cibi, & corporalis remiſsionis. Cæterùm horũ exceſſus & abundantia voluptatem generat, voluptas autem prauas cogitationes ingerit: repugnat verò precationi & conuenienti obſequio, ſiue miniſterio. Cor ex quibus cauſis conteratur.

198 Cùm fratribus præcipiendi prouinciã nactus es, cuſtodi ordinem tuum: & caue, ne propter contradicentes, ea quæ decẽt, ſilentio diſſimulata prætereas. Etenim in quibus obtẽperauerint, præmiũ habebis propter ipſorũ virtutes: in quibus verò minùs morem geſſerint, prorſus remittes eis conceſſa venia, & accipies paria ab eo qui dixit, Remittite, & remittetur vobis. Prælati officium. Luc. 6. e

199 Nundinis ſeu populoſo conuentui ſimile eſt omne quod nobis accidit. Qui nouerit vti foro, multa lucratur: qui verò minùs nouerit, dãno afficitur. Caſus humani.

200 Eum qui vno ſermone non ſtatim obtemperat, ne contentioſè cogas: ſed lucrum quod repulit, tibiipſi vendica. Plus enim ex tua clementia vtilitatis capies, quàm ex eius emendatione. Correctio fraterna.

201 Cùm vnius detrimentũ, in multos percurrens diffunditur, tunc non oportet eſſe longanimem: neque quærenda eſt ſua ipſius vtilitas, ſed multorum, vt ſeruemur. Quoniam vnius virtute, multorũ virtus potior eſt atque præſtantior.

202 Si quis in quodcunque peccatum inciderit, neque pro modo peccati conturbatur, haud difficulter in idem rete iterum incidit. Impœnitentia.

203 Sicut leæna ad iuuencã amico non accedit animo: ita neque impudentia triſtitiam, quæ ſecundum Deum eſt, beneuolè & libenter accipit.

204 Quemadmodum ouis cum lupo procreandæ ſobolis gratia nullam conuerſationem cõtrahit: ita neque

neque cum ſatietate labor cordialis procreandarũ virtutum gratia vllam coniunctionem copulat.

205 Nemo laborem & triſtitiam ſecundùm Deum habere poteſt, niſi priùs harum cauſas amauerit.

206 Metus Dei & redarguutio triſtitiam ſuſcipiũt, temperantia autem & vigilia cum labore habent commercium.

207 Qui præceptis & admonitionibus ſcripturæ non docetur aut caſtigatur, equi flagello & aſini ſtimulo impellendus eſt: quòd ſi etiam his reluctetur, in chamo ac fræno maxilla eius conſtringenda eſt,

Tentationes leuiores. 208 Qui à paruis tentationibus facilè vincitur, etiam à magnis neceſſariò in captiuitatem ſubigitur: qui verò illas contempſerit, etiam maioribus, Domini auxilio, repugnat.

Oſtentatores fruſtra argui. 209 Ne tentes redarguendo iuuare hominem virtutum ſuarum iactabundum oſtentatorem, propterea quòd monitorum impatiens eſt, & veritatis amator eſſe nequeat.

210 Omne verbum Chriſti, miſericordiam & iuſtitiam & ſapientiam Dei, & harum virtutem per auditum iniicit libenter audientibus. Vnde immiſericordes & iniuſti non libenter audientes Dei ſapiẽtiam cognoſcere non potuerunt: quinetiam loquẽtes crucifixerunt, Nobis igitur videndum eſt, num

Ioan.14.6. libenter ipſum audimus. Ipſe enim dixit, Qui diligit me, præcepta mea ſeruabit, & diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Vides, quomodo ſui ipſius manifeſtationem in præceptis abſconderit.

Charitas. 211 Ex omnibus præceptis non aliud plura complectitur, quàm præceptum charitatis, quæ eſt erga Deum & proximum. Hæc ex rerum ſenſibiliũ abſtinentia & cogitationum quiete conſtat & ſubſiſtit. Hoc cùm non ignoraſſet Dominus, præcepit

Matth.6.d. nobis, dicens, Ne ſoliciti ſitis de craſtino. Et iuſtè quidẽ. Nam qui à rebus ſenſibilibus & earum ſolicitudine liberatus non eſt, à prauis cogitationibus quomodo liberabitur? Porrò qui cogitationibus detinetur, quomodo videre poſſit peccatum certũ, ſub illis latens: aut quæ ſint tenebræ & caligo animæ, quæ prauis cogitationibus & ſermonibus & operibus incidit, partim quidem diabolo violento incurſu tentante & principium commonſtrante, partim vero homine ſtudio voluptatis & ambitione libenter conuerſante? Etenim ſi ſecundùm diiudicationem non voluit, ſecundùm operationẽ tamen potuit & ſuſcepit. Cæterùm qui hoc tam latè patens peccatum nõ animaduertit, quãdo tandem precatur vt ab illius contagio perpurgetur? At ab illo nondum purgatus, quomodo puræ naturæ locũ inueniat? Porrò, qui hunc non inuenerit, quomodo interiorem Chriſti domũ perſpiciat? Siquidem domus Dei ſumus, iuxta Propheticum & Euãgelicum & Apoſtolicum ſermonem. Oportet itaq; iuxta prædictorum conſequentiam, eiuſmodi domum quærere, & precando perſeuerantes pulſare, aut hîc aut in exitu aperiat nobis paterfamiliâs, & non dicat negligentibus, Neſcio, vnde vos eſtis. Nõ autem ſolum debemus petere & accipere, ſed etiã, quod datũ eſt, ſeruare. Sunt enim quidã, qui, quod acceperunt, amittunt. Quapropter prædictarũ rerum nudam cognitionem, aut etiam fortuitam experientiam, fortaſſe etiam qui tardo ſunt ad diſcendum ingenio, & iuuenes apprehendunt & amplectuntur, operationem verò cum perſeuerantia cõſiſtentem, vix è ſenibus qui religioſi habẽtur & multa ornati experientia. Qui non raro ipſam amiſerunt ſua negligentia, & voluntariis laboribus eandem iterum quæſiuerunt, & inuenerũt. Itaque hoc ipſum nec nos facere deſiſtamus, donec illam ita noſtra poteſtate poſſideamus, quemadmodum ipſi vt à nobis auferri nequeat ampliùs.

Perſeuerãtiæ donum nõ multis commune.

Hæc quidem de lege ſpirituali, ex multis pauca iuſtitiæ præcepta nouimus: quæ etiã à magno Pſalmiſta iugiter percenſentur, vt ea perdiſcant & faciant, qui cum aliqua intelligentia pſallunt in Domino. Ipſi gloria in ſæcula, Amen.

EIVSDEM DE POENITENTIA CVNCTIS, VT OPERARI QVEANT, *planè neceſſaria: quam fideles etiam antequàm operentur, per gratiam baptiſmi accipere ſolent.*

DOminus noſter IESVS CHRISTVS, Dei virtus ac Dei ſapientia, proſpiciẽs omnium ſaluti in condenda variis dogmatũ generibus, lege libertatis: prout Deo dignum erat, quemadmodum ipſe nouit vnum omnibus conuenientem ſcopum præſcripſit, dũm ait, Pœnitentiam agite: vt inde perſpicere poſſimus, omnẽ præceptorũ varietatẽ in vnũ deſinere pœnitẽtiæ terminũ: ſicut etiã Apoſtolis in ſumma præcepit, his verbis, Dicite illis, Pœnitẽtiã agite: appropinquauit enim regnũ cœlorum. Non equidem quòd dictaret temporalem regni propinquitatem mundo propè imminentem (neq; enim veritas in rebus quippiam incongruum ſtatueret. Nam & qui tum viuebant, & eorum poſteri conſummationis vniuerſalis expertes dormierunt) ſed quia noſſet Dominus ſuum ipſius ſermonem tum regni tum pœnitentiæ vim habere, Pœnitentiam agite, inquit, appropinquauit enim regnũ cælorũ. Siquidem niſi hoc cõcedatur, quo pacto ſimile eſt reguũ cælorum fermẽto quod accipiẽs mulier abſcõdit in ſata tria farinæ, donec fermẽtaretur totũ: niſi quòd intellectus ſuſceptum Dei verbum occultat in tripartitam hypoſtaſin, corporis inquã, ſpiritus, & animæ, ſecũdùm Apoſtolũ: omnémq; illorũ ſubtilitatem in cõceptionibus animi poſitã, inſtar farinæ variè cõfuſam in vnum fidei fermẽtum cogit, expectans, donec efficienti verbo per omnia ſimilis euadat? Hoc modo grano ſinapis aſſimilauit verbum veritatis: quod quidem exiguum eſt, dum ſeminatur in corde audientium, ſed per innatam efficaciam creſcit, ac velut arbor prægrandis in loco excelſo, ſic accedentibus animis fit domus refugij. Quod quidem verè tum contigit, quando mũdos eſſe dixit Apoſtolos, propter ſermonem quem audierant: vtpote qui vterentur facultate ſermonẽ ad operationem referente: ob idque euaſerunt mũdi. Viuus eſt enim ſermo Dei & efficax. Et hac de cauſa velut infideles condemnauit illos, qui nõ vſi ſunt hac relatione, dicens, Si non veniſſem, & locutus nõ fuiſſem eis, peccatũ nõ haberent. Nũc autem excuſationem non habẽt de peccato ſuo. Hoc autẽ nõ eò diximus; quòd diffidamus de regno futuro, quod quidem ſuis temporibus, nobis tamen

Mat.13.c

Heb.4.c

Ioan.15.d

incognitis,certò vēturum est: sed quòd sermo Dei eandem regni vim contineat,qui fidelibus est,eorū quæ sperantur,hypostasis,arrabo hæreditatis futuræ,ac primitiæ æternòrum bonorum: infidelibus autem & impuris,argumētum quòd careant Deo. Mat.4.c. Idcirco ait,Pœnitētiam agite, appropinquauit regnum cœlorum. Quare si sermo;qui confert in animo efficaciam eorum quæ dicuntur, illos qui duntaxat audiunt,declarat esse debitores operis, quid agemus nos:qui non modò sermonum, sed multorum ac ingentium beneficiorum vim concursantem contempsimus,& non vnicum duntaxat talentum,sed quinq; & duo in terram occuluimus, carnaliter abusi beneficiis Domini,quibus vel animalia ratione carentia dum afficiuntur,manuducenti verisimiliter obtemperāt pro facultate naturæ suę: adeò vt agrestium feritas conuertatur in rationem obediendi benemerenti? Tanto nos, qui libertatis arbitrio præ cunctis animalibus exornati sumus, ipsis feris agrestiores,& brutis minus rationales apparuimus. Illa enim mutuum congressum iucundè fecerunt:vnde etiam, dum pascūtur, vnūquodque satisfacit occurrenti, & sine inuidia, quod sibi præstò est, relinquit alteri. Nos verò ordinati vt præsimus & dominemur irrationalibus,naturæ,vtiū prætulimus:adeò vt vel nulla necessaria cogente causa, sine misericordia & inuidè nos geramus erga gentilem nostrum. Tales,opinor, Ioannes appellauit serpētes,genimina viperarum: quos, vt inuenerunt pœnitentiam,admonet iram venturā fugere,fructúsque pœnitentiâ dignos facere,& è duabus tunicis impertiri non habenti,ac de cibis præcipiēs similiter facere. Porrò si illos qui ante fidem ignorabant quid agere deberent, assimilauit serpētibus,ob parem affectuum rationem,eritne non assimilandum vitium,si post fidem,cognitionem, & munera quæ accepimus,sine metu peccemus? Quo circa prætermissis occultis,quæ quisque cogitatione perpetrare potest,ea potiùs commemorabo,quę grauem in nos mutuò gerentes animū admittimus: maximè in eos,qui nos offendisse videntur,non cū humilibus neque cum magnis secundū Deum cōuersantes. Nā aduersùs viliores & pauperiores palàm extollimur,quibus,tanquam mercenariis aut seruis,licenter vti volumus, non ampliùs in Christo,sed in carne ac opibus, nobilitatem vendicantes. Itaque vbi quempiam è ditioribus delinquentem viderimus,corripere non possumus: sed dicere solemus iis quicunque se obtulerint,scriptum esse, 1. Cor. 4 a. Nolite ante tempus iudicare quicquam : quoadvsque veniat Dominus. At in abiectioribus crimen aliquod leue nacti,mox insurgimus euulgantes, ac 1 Ti.5.d. dicimus esse scriptum,Peccantem coram omnibus argue. Atque ita nostram hypocrisin,siue malitiam scripturæ testimoniis peruersè tegimus : erga illos verò sic nos habemus, quasi secundum Deum eos corripiamus. Hæc igitur in inferioribus. Pares autem leuibus oblatis occasionibus statim auersamur,omnem animo lapidem mouentes,quò de his vlciscamur:neq; de his antè quiescimus, quàm pro voto animi illis vsi fuerimus: hanc ipsam porrò occasionem nacti, tanquam de rebus secundis gaudentes , nequitiam declaramus : at vltione sumpta , familiariùs cum illis colloquimur, ia-

Contra Superbos.

Hypocrisis hominū in reprehēdendis vitiis alienis.

Homines Brutis deteriores.

cientes pro fundamento posterioris amicitiæ præcedentem nequitiæ victoriam. Atqui planè necesse est fundamento sequi opus consimile, ac denuò iurgium quærere: quasi vincere volenti vacua iurgio amicitia nunquam perduret, sed victoriam semper sequatur odium, vt ait scriptura diuina,Odium suscitat rixas. Huiusmodi verò morbus, illis adhæresit qui sectantur in primis ea quæ faciunt ad gloriam & diuitias : sicuti præcipuus morborum est dysentericus , quem quidem nunc quoque curat beatus Paulus, his verbis. Honore inuicem præuenientes, vincentes seipsos. Ad hunc igitur modum nos habeamus tam erga tenuiores quàm æquales . Cæterùm latentem ac variam in potentiores nequitiam, vt est , nec verbis nec animo facile est consequi. Neque enim vt seruantes mandatum erga superiores nos gerimus : sed quos lædere nequimus,illis clàm nos insinuamus,inuido quidem oculo prosperitatem eorum ægrè intuemur, nec fœlicitatem illorum prædicari libenter audimus : tum habitu tum verbis pacificè blandimur eius generis hominibus, in illos tamē aduersariorū gerim⁹animos,ita vt impleatur in nobis,quod dicitur , Qui loquūtur pacem cū proximo suo:mala autem in cordibus eorum. Hæc autem diximus de his qui in nullo læsi erant, volentes ostendere, eos qui spontè peccant, alienos esse , & non facilè ad pœnitentiam inclinare. *Nam quomodo non sponte, cùm nolint implere illud Danielis*, & remissionem consequi , dum ait , peccata tua eleemosynis redime,& iniquitates tuas miserationibus pauperum? Sed forte dices, Careo pecuniis:quo pacto miserebor pauperis? Non habes pecunias, at habes voluntatem: abrenuntia illi, & in ea fac quod bonum est. Non potes benefacere manu corporea ? benefac dextera voluntate. Cùm peccauerit in te frater tuus, dimitte ei,iuxta verbum Domini : & erit tibi eleemosyna magna. Si quæramus à deo dimitti nobis peccata,hoc ipsum facere debemus erga vnumquenque, cuiusuis delicti nomine:quò eueniat illud , Dimittite, & dimittetur vobis. Magnum quidem est habenti pecunias, elargiri pauperibus:at in causa peccati misereri proximi , tanto præstantius est ad remissionem,quanto magis anima antecellit natura corpori. Quicunque verò postulauerunt à Deo remissionem,adepti sunt quidem sæpenumerò, sic vt ob id nihil inde mali senserint:at si hoc ipsum proximis communicari nolumus, similes sumus illius serui nequam,qui decies mille talentorum accepta remissione à domino , centum denarios conseruo dimittere noluit, quem quidē iustè Dominus obiurgans,ait,Serue nequam,omne debitum illud dimisi tibi,quoniam rogasti me:Nónne ergo oportebat & te misereri conserui tui , & dimittere illi debitum, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus ait, Tradite illum tortoribus,donec reddat vniuersum debitum,Subiicitque dicens,Sic & patermeus cœlestis faciet vobis,si nō remiseritis vnusquisque fratri suo delicta de cordibus vestris. Quapropter etiā alio in loco deflet illos,qui cùm ab eo variis beneficiis locupletati fuerint,animum tamen misericordiæ & compassionis expertem gerunt , his verbis, Væ vobis diuitibus : quia recipitis consolationem vestram. Re enim vera variorum nobis collatorum

Odij ne-quitia.

Pro.10.b.

Rom.12.c.

Psa.27.b.

Eleemosyna pauperis.

Luc.17.a.

Mat.18.d.

Luc.6.d.

munerum

munerum copia est quidem nobis diuitiæ: cæterũ A
væ nobis, quia rogantes sæpiùs cõsecuti sumus misericordiam: ipsi verò rogati, nullius miserti sumus, sed recipimus consolationem nostram. Atqui dum locutus est de diuitibus, non omnes accusat locupletes. Sunt enim inter eos: qui verè sciunt administrare facultates, pro voluntate Dei, qui donauit: centuplum etiam, vt scriptum est, in hoc sæculo accipientes. Exempli gratia, beatus Abraham & iustus Iob eleemosynam facientes, euaserũt ditiores, tum in hoc, tum in futuro sæculo. Sed, quemadmodum prædiximus redarguit illos, qui auariore sunt animo, & tã in pecuniis, quàm in variis miserationibus suffurantur dona Dei, proximique misereri B
nolunt. Nam creatura quæ proficiscitur à Domino, non lædit eum qui hac potitur: sed ab iniquitate manãs auaritia, & eius mater vacuitas misericordiæ, quas quidem planè fugientes ij qui firmam fidem obtinueruut, bonis præsentibus prorsus abrenuntiarunt: non quòd indiscretè Dei creaturam odissent, sed quod crederẽt Christo, qui præceperat illis, hoc facere: à quo sufficientiam quotidianam accipiebant. Ideóque vel absque pecuniis potest quispiam esse diues, dum retinet auarè sermonem, cognitionem, aut quamuis aliam commiserationẽ, quæ communiter omnibus gratis data sunt. Accipit enim, vt communicet non habenti. Qui verò C
nulla misericordia ducuntur erga proximum, consequuntur ipsum Væ: quia recipiunt consolationẽ
Iacob.5. suam. Atque horum similia beatus quoque Iacobus Apostolus huiusmodi diuitibus inquit, Agite nunc diuites, plorate, vlulantes ob miserias vestras, quæ aduenient vobis. Qui dum plorare suadet &
Ibidem. vlulare, adhortatur nos ad pœnitentiam. Exploratum autem habens, affectionem illam nulla cura teneri, dicit, Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt: perinde ac si diceret, sunt inutiles, aliis non communicatæ, quas quidem plerique etiam citra pecunias possidemus, auaritiã, instar auri defodiendos in penetralibus animi. De quibus etiam propheta luculentissimè loquitur, Putruerunt, & corruptæ sunt D
Psal.37.a. cicatrices meæ: cicatrices appellans, boni non amãtem & auarum animum. Per hæc autem, Putruerunt & corruptæ sunt, existimat extremam negligentiam, fœtorem & putredinem esse. Etenim quidam malumus sub terram occultare facultates, quàm impartiri non habenti. Tunc sanè cùm exitus nos comprehenderit, vulnus tale putredinem inurit animæ, tanquam putredinis & insipientiæ causa: cui perpetua cicatrix adnascens, non sinit introire in regnum cœleste primitiuorum, sicuti lex edixit de iis qui notati sunt macula. At verò tempus est fortasse denudandi grauiores cicatrices, eáE
1.Cor.8.c. que animarum medico demonstrandi. Nam cùm sanctus Paulus dicat, Vestra abundantia illorum inopiam suppleat: nos contrà facimus, dum egenorum inopiam abripientes, adiungimus abundantiæ nostræ, quod quidem etiam citra vllam pecuniarum direptionem peragimus, quando aliquam ob rem delinquimus in fratrem, non modò non sanatum illum dimittimus, sed etiam ab illo defensionem, quàm debemus, tyrannicè extorquemus, nihil aliud agentes, quàm (vt antea dictum est) inopiam illorum accumulantes abundantiæ nostræ,

reluctantes, vt ita dicam, scripturæ. Atqui non idcirco desperare debemus. Absit. Quia non ob multitudinem peccatorum damnamur: sed quòd pœnitentiam agere nolumus, & Christi res mirãdas nosse: quemadmodum testatur ipsa veritas, Putatis enim ait, quòd hi Galilæi, quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificiis eorum, præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis: Sed nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Aut illi decem & octo supra quos cecidit turris in Siloe, & occîdit eos: putatis, quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ierusalem? Non, dico vobis: sed si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis. Vides, damnari nos, eò quòd deflectimus à pœnitentia. Pœnitentia porrò nõ est, vt arbitror, limitata temporibus aut rebus: sed, proportione habita, perficitur mandatis Christi. E quorum mandatorum numero quędam latiùs patent, & plura singularia in seipsis complectuntur, multas quoque vitij particulas semel amputant. verbi gratia, scriptum est, Omni petenti te, tribue: & qui aufert quę tua sunt, ne repetas. Et, Volentem à te mutuò accipere, ne auerseris. Hæc singularia sunt: quod autẽ Mat.19.c. ista comprehendit, est istud, Vende quæ habes, & Mat.16.d. da pauperibus. Et, Tolle crucem tuam, & veni, sequere me. Crucem appellans, obuenientium afflictionum tolerantiam. Igitur qui cuncta distribuerit pauperibus, & tulerit crucem suam, vniuersa 1.Tim.1.c. prædicta mandata simul & semel peregit. Et iterũ, Mat.6.a. Volo, inquit, viros orare in omni loco, leuantes puras manus. Et prætereà, Intra in cubiculum tuum, & ora patrem tuum, qui est in abscondito. Et rursum, qui sine intermissione orat, omnẽ prorsus de- Exod.20.c precationem complectitur. Et denuo ait, Non cõ- 2.Cor.10.b mittes stuprum, non mœchaberis, non occides: & quæuis similia. Et supra hæc, Destruentes cogitationes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiã Dei. Qui verò cogitationes amputat, vniuersa prædicta vitia excluſit. Quocirca qui diligunt Deum, & firmæ sunt fidei, impetu quodã feruntur ad illa generaliora præcepta: particularia tamen, cùm casu occurrerint, non prætermittunt. 3. Pœnitẽtiæ partes quæ aliàs dicuntur, contritio, confessio, & satisfactio. Quare existimo, pœnitentiæ opus, tribus hisce mãdatis contexi, amputandis cogitationibus, orando sine intermissione, ac obuenientes afflictiones perferendo: quæ non exteriorem modo, sed & mentis operationem requirunt, ita vt immorantes in iis reddant affectionibus vacuos. Cùm igitur à tribus antè dictis virtutibus perfici possit opus pœnitentiæ, vt sermo demonstrauit: cunctis perpetuò conuenire puta pœnitentiam, tam iustis quàm peccatoribus, qui salutem consequi desiderant: propterea quod nullus est perfectionis terminus, qui non expectet operationẽ prædictis virtutibus congruã. Etenim nouitiis quidem, pietatis introductio: mediis, promotio: perfectis autem, confirmatio per has comparatur, quæ non diuturnitate temporis neque iustificationum accessu rescinduntur præterquàm apud eum, qui ignarus est, aut malè credit, & proinde in voluptates facilè delabitur, ac desperationis prætextu illas libenter sectatur. Nouatianorum denique sententiam amplexus, reiicit pœnitentiam, licet innitatur Apostolo cum He- Nouatiani nituntur dictis Apostoli Heb.6.a.

bræis disputanti, qui sponte peccantibus & baptis-
mum quotidie repetentibus ait, Non rursum iacie-
tes fundamentum pœnitetiæ ab operibus mortuis,
& fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ. Quod
quidem dixit, non quòd respuat pœnitentiam, vt
inquiunt illi: absit: sed vt doceret, in omni operatio-
ne pœnitentiæ, vnum esse fundamentum, baptis-
mum in Christo: ne, qui crediderant ex circunci-
Ibidem. sione, quotidie baptizarentur. Et subiicit, Impos-
sibile enim est, eos qui semel sunt illuminati, gusta-
uerunt etiam donum cœleste, & participes facti
sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonũ
Dei verbum virtutesque sæculi venturi, & prolapsi
sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, vt qui noue-
rit, sanctum baptisma esse renouationem & funda-
mentum in omni pœnitentia positum, non peccet
amplius. Et Paulò pòst subdit, Volũtariè enim pec-
cantibus nobis pòst acceptam notitiam veritatis,
Hebr. 10.c. iam non relinquitur pro peccatis hostia. Cùm ita-
que res sic se habeãt, quæ illic aptè dicuntur, cõue-
nit non modò certè Iudæis dicere, sed cunctis vl-
trò peccantibus: quorũ primi, asserentes post bap-
tisma non esse pœnitentiam, ob idque in reliquo
sua sponte seducti, perpetrant iniqua. Quanquam
præposterè sanctus Paulus verba protulerit, quod
mea sententia, non sine dispensatione fecit: circũ-
spectiores indagandis scripturis sensum clariorem
assequantur, negligentiores autem & contemptio-
res difficiliùs reperiant: vt non audacter peccẽt sub
prætextu futuræ pœnitentiæ. Quoniã igitur hi qui-
dem sub prætextu pœnitentiæ ex animo vitiis sunt
dediti, alij verò non credentes esse pœnitentiam,
desperati seipsos tradiderũt diabolo: amborum au-
tem affectio praua non potest facilè curari: idcircò
congruum omnibus auxiliũ offert veritas, quæ ait,
Mat.4.c. Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum
cœlorum. Ne spiritales & qui proficiunt, de tenui-
bus & modicis, vt ita dicam, nimium securi, contẽ-
Eccl. 19. a. nant præceptum istud. Inquit enim, Qui sprenit
modica, paulatim decidet. Neque dixeris, Qui fie-
ri potest, vt cadat homo spiritalis? Quandiu qui-
dem talis est, non labitur: cùm autem è contrariis
quippiam admittit, & in eo sine pœnitentia perma-
net: illud ipsum quod paruũ erat, temporis progres-
su auctum, cum illo, pupilli more, conuersari ne-
quit: sed amicitia longa, tanquam funiculo, violẽ-
ter adactum, trahit in suam cognationem: quam li-
cet precibus certans abscindat, nihilominus à con-
grua sibi affectionum vacuitate tãtum defecit, quã-
tum distat quodlibet vitium ab affectione. Sin re-
misso pugnæ precúmque labore, per vehementio-
rem dominantis intentionem prorsus adducatur,
necesse est illum à cæteris quoque affectionibus
inescari: & ita consequentia quadam paulatim ab
vnaquaque familiariter seductus, pro modo sedu-
ctionis, à diuino soluitur Dei auxilio, defertúrque
tandem ad atrociora vitia, vel inuitus fortè, coactus
earum vi quæ antea præoccuparunt. At dices vti-
que mihi, Nónne poterat initio mali rogare Deum
ne in hæc extrema vitia incideret? Et ergo tibi di-
co, quòd poterat: sed præ facilitate, quod modicũ
erat, tanquam nihilum, sua sponte amplexus iam nõ
potest illius causa rogare; ignorans, exiguum illud
vitium, introductionem & causam esse insignioris
siue boni siue mali. Vbi verò in immensum creue-
rit & pabulum adepta fuerit affectio per voluntatẽ,
posthac præter voluntatem vi insurgit in eum. Tũ
animaduertens, Deum implorat, decertans cum
hoste, quem priùs ignarus defendebat, dum pro eo
pugnaret cum hominibus. Quandoque tamen ac-
cidit, vt homo non protinus, quàm est exauditus à
Domino, consequatur opem: quia non solet obue-
nire pro arbitrio hominis, sed quemadmodum dis-
pensauerit Dominus, ad vtilitatem. Exploratam si-
quidem habens indignitatis nostræ cõtemptúsque
rationem, auxilia pleraque, tribulatione præuia,
cõfert hominibus: ne sine afflictione liberati, eadẽ
denuò committant peccata. Vnde pronuntiamus,
necessariò perferenda esse rerũ euenta, & hoc pror-
sus innatum pœnitentiæ. Atqui dices planè mihi,
Qui verè grati fuere Deo, & peruenerunt ad perfe-
ctionẽ, quanam egent adhuc pœnitentia? Assen-
tior equidem, fuisse & esse eius generis homines:
verùm audi attentè, & disces, qua ratione tales etiá
opus habeant pœnitentia. Dixit Deus, mendacium
esse à diabolo: & fornicationem existimauit, si quis
intueretur mulierem ad concupiscendam eam: irã Mat.5.c.
etiam in proximum, cædi parem fecit: ac de verbo
otioso reddendam esse rationem declarauit: Quis
ergo expers est mendacij, ab omni, quæ circa visum
est, libidine purus, altercando proximo nunquam
iratus; neque minister otiosi verbi repertus, vt pœni
tentia non fuerit ei necessaria? Nam etsi modò
non est eiusmodi, fuit tamen aliquando: proinde
obnoxius pœnitentiæ ad mortem vsque. Ponamus
itaque, quosdam repertos immunes ab his, & ex
quo nati sunt, alienos ab omni vitio: (quod quidem
fieri nequit, cùm dicat Paulus; Omnes peccauerũt, Rom.3.c.
& egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam
ipsius) tamen etsi tales erant, nihilominus ab Adam Peccatum
trahunt originem, cunctíque peccato transgres- transgres-
sionis fuerunt obnoxij, ideóque capitali sententia sionis.
condemnati, adeo vt citra Christum saluari non
possent. Vbi vero Christus est crucifixus, & omnes
proprio sanguine redemit, tum ipsi quoque redi-
muntur. Deinde, redemptor etiam ipse ponit om-
nibus terminum vnum, resvniuersas continentem,
& ait Apostolis, Dicite illis, Pœnitentiam agite: Mat.4.c.
appropinquauit enim regnum cœlorum, vnà con-
dens mandata ad pœnitentiam perficiendam ido-
nea: quorum implemẽtum morte perscriptum esse
dixit, Qui perdiderit animam suam propter me & Marc.8.d.
Euangelium, in vitam æternam custodit eam. Et
iterum, suadens abnegare omnia, addit, Adhuc au- Luc.14.c.
tem & animam suam quod confirmat his verbis, Matth.5.c
Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, mini
mus vocabitur in regno cœlorum. Cùm igitur
pœnitentiam ad tempus vsque mortis producen-
dam definierit, vt demonstratum est, qui se dicit
ante mortem absoluisse pœnitentiam, dum termi-
num mortis subducit, soluit mandatum. Quare
tam à pusillis quàm à magnis pœnitentia perfici nõ
potest, nisi ad obitum vsque, nisi etiam eo vsque
operatione polleamus. Itaque nos debemus exer-
cere diligenter ad scopum, ne de industria soluen-
tes mandatum, subiiciamur iudicio, quo minimi
vocemur in regno cœlorum. Perquire eos qui hũc
vitæ cursum à sæculo transegerunt, & reperies apud
eos qui

eos qui Deo placuerunt, impletum esse per pœnitentiam pietatis mysterium. Nemo damnatus est; nisi hanc contempserit: nullúsque iustificatus est, qui studiosus eius non fuerit. Samson, Saül, & Heli cum filiis eius, cùm iam aliqua in parte sanctificationem adepti essent, primùm hanc perdiderunt, vt neglexerunt pœnitentiam: cúmque non animaduerterent, tandem, vt rei mortis, ceciderunt. Diabolus non cessat impugnare nos: neque cessare debet vnquam pœnitentia. Sancti, nomine proximorum illa mosserre coguntur: cùm citra dilectionem efficacem nequeant esse perfecti. Disce quo pacto natura docet nos, nõ deserere illã vsque ad mortẽ. Mens non potest esse otiosa, quin aliquid semper meditetur: sed licet perfecta sit, modò rectè habeat, quæ dextra sunt agit: quæ si perfectionis occasione desinat agere quæ bona sunt, planè declinat ad sinistrum: quandò verò deflectit à sinistro denuò trahitur naturaliter ad dextrũ. Peragere verò quę dextra sunt, tam apud nouitios & medios, quàm apud perfectos, nihil est aliud, quàm precatio, cogitationũ amputatio, & afflictionum accidentiũ tolerãtia: sine quibus fœliciter exercere nõ licet reliquas virtutes, per quas redditur acceptior pœnitẽtia. Si pœnitẽtia est petitio misericordiæ, vtilis est habẽti, qui curam illius gerit. Quia omnis qui petit, accipit. Si igitur qui misericordiam exercet, consequitur misericordiam: illius, vt puto, causa totus mũdus consistit, dum alter ab altero, Deo ita dispensante, capit auxilium. Propter hanc Deus saluauit Niniuitas: negligentes autem illam Sodomitas, incendio perdidit. Licet autem pœnitentiam agentes ad mortem vsque certemus, non tamen hoc modo impleuimus quod decet. Nihil enim condignum regno cœlorum. Quemadmodum naturâ edimus, bibimus, loquimur, & audimus: ita procliues esse debemus ad agendam pœnitentiam. Planè qui dignus erat morte, secundùm legem morti tradebatur: qui autem viuit, pœnitentiæ causa relinquitur, non vt licẽter agat. Cæterùm ob transgressionis peccatum baptizati, purgati sumus: purgati, accepimus mandata. Qui primo simile quid iterat, inquinat primum, obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. In quibus nemo reperitur, qui quotidie nullatenus deficiat, & qui mandatorum nihil vnquam prætermiserit, quamobrem omnibus est necessaria pœnitẽtia. Hæc, quæ quondam erant spontanea, nunc demonstrat violenta: eò quòd odio prosequamur affectiones, & à facinore abstineamus. Qui expellit eam, conuertitur ad ea quæ sunt à tergo, & lapsus veteres renouat. Qui veram habet notitiam, nouit etiam se pœnitentiâ opus habere. Horum enim quodque mutuò dirigitur ab altero. Christus despõsauit nos in pœnitentia: qui negligit illã, sponsum contemnit. Absque pœnitẽtia, quantum ad operationem, nihil dignum regno Dei efficere possumus. Ingentẽ porrò misericordiã exercemus ob animi votum. Qui vim patitur vsque ad obitum, eiúsque compos existit, licet in quibusdam deliquerit, propter vim tamẽ saluabitur. Istud enim pollicitus est Dominus in Euãgeliis. Qui dicit, hac se vltrà non egere, seipsum iustũ existimat, & filius malus appellatur à scriptura. Qui opinione iustitiæ ducitur, tãquam impleuerit illam, vice versa, velut ignarus, conspirat cum voluptatibus: siquidem opinio sui & arrogãtia sunt voluptates. Qui de se aliquam concipit opinionem, non potest saluari. Scriptum est enim, Superbus & contemptor vir arrogans nihil ad finem perducit. Si verum perfectum nõ lædit humilitas, neque ipse deserere debet matrem eius pœnitentiam. Fidelis Abraham & iustus Iob terram & cinerem seipsos appellabãt: quæ verba prębẽt humilitatis argumentum. Qui verò fastidit pœnitentiã, humilis esse non potest. Tres pueri, re vera magnanimi & insignes martyres, è media flamma ardente confessionem emittebant, se peccasse & iniquè egisse dicentes: de præteritis malis pœnitentiam agebant, cùm essent alioqui perfecti: ac totus propemodũ hymnus eorum pœnitentiæ vim continet. Quocirca si illi, qui Deo valde grati fuerunt, & rebus ipsis perfecti declarati sunt, hoc ipso ad obitum vsque vsi sunt auxilio, quis posthac iustitiæ nomine sibiipsi confidere audeat, ac pœnitentiam aspernari? Nullus equidem, vt arbitror, sanctus fuerit, ex sententia Petri & Pauli, qui matrem humilitatis optet relinquere. Quapropter Petrus, cùm seipsum quidem Cornelio cælasset, quid esset Dei proprium in hac parte, quidve suum declarauit, dicens. Surge: & ego ipse homo sum, nihil porrò commune aut immundum dicere, diuinitùs edocti sumus, vt ipse confessus est. Paulus autem, cùm existimaret, nũquam sibi quiescendum esse, quin à Christo sibi donatam gratiam exerceret, inquit in hunc modum, Sequor autem, si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo, comprehensionem appellãs, perseuerantiam vsque ad exitum: vt fideli quoque Timotheo per Epistolam scribit, declarans ei, quàm propinquus esset obitus suus, his verbis, Bonũ certamẽ certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Non quòd sibi ipse dimetiretur stationem aut temporis terminum, quasi perfectionis nomine cursum sistens, non vltrà subire deberet nũquam cessantia super terram certamina pro corpore Christi, quod est Ecclesia: sed exitum suum è vita, finem cursus & certaminum dixit. Ait siquidem. Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Vides, illum non dixisse, Requiesco: sed, Iam delibor, his verbis ac rebus ostẽdens omnibus, pœnitentiæ terminum vsque ad resolutionem & mortem deberi cœlesti regi Christo: Cui gloria in sæcula. Amen.

Soli Impœnitẽtes damnati.

Peccatum Transgressionis. 1. Pet. 1. b.

Matth. 7.

Misericordia.

Pœnitẽtia, quàm necessaria sit.

Act. 10.

Philip. 3. c.

1. Tim. 4. b

Ibidem.

EIVSDEM RESPONSIO, AD EOS QVI DE DIVINO BAPTISMATE DUBITABANT.

QVandoquidem nonnulli Baptisma diuinum aiũt esse perfectum, innixi scripturæ, quæ dicit, Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua. Et illud, Lauamini, mũdi estote. Et iterum, Sed abluti estis, sed sanctificati estis, & eius generis plaraq; adferẽtes in testimonium: Alij verò dicunt, certaminibus tolli vetera peccata, allato etiam ab ipsis testimonio scripturæ, dicẽtis, Mũdemus nosipsos ab omni inquinamento carnis & spiritus, vnà quoque post baptismum inueniẽtes in seipsis illã ipsam efficaciam peccati: Ad hæc quid dicturi sum⁹, aut cui credem⁹?

Act. 22. d. Esa. 1. e. 1. Cor. 6. b.

2. Cor. 7. a.

Nos quidẽ fidem adhibere conuenit Apostolicæ prædicationi, & in illius persistere confessionibus, nec tentare opinionibus humanis potentiam diui-

Responsio.

nam : neque ſpontaneo rurſum iugo ſeruitutis detineri, ſed libertate potiri, executione mãdatorum, pro cuius modo veritas omnis reperitur: & exploratum habere, nos à peccato fatigari, iuxta proportionẽ defectus illorum. Quia verò prædicationem inanem exiſtimauimus, maiorem curioſitati fidem habentes, quàm verbo Dei, propterea inanis eſt & fides noſtra, & adhuc ſumus in peccatis noſtris!

Interrogatio. Nos non dicimus, inanem eſſe prædicationem, ſed optamus diſcere voluptatem.

Reſponſio. Si ergo prædicationem habemus pro vera, peragamus omnia mandata: túmque ſciemus, an obſideamur à peccato. Sanctum enim Baptiſma perfectum quidem eſt, non tamen perficit eum, qui mandata non implet. Quamobrem non humanis opinionibus, ſed magis ſcripturæ diuinæ credamus,

1. Cor. 15. a. Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, ſecũdum
Rom. 6 a. ſcripturas. Et, Conſepulti ſumus cum illo per ba-
Ibidem. b. ptiſmum. Et, Qui mortuus eſt, iuſtificatus eſt à pec-
Ibidem. c. cato. Et, Peccatum nobis non dominabitur, ſi præcepta eius exequamur: ſin minùs, infideles ſumus, & à peccato detinemur. Fides enim eſt, vt non ſolùm in Chriſtum baptizemur, ſed etiam eius man-

Ephe. 2. b. data opere compleamus. Quia certum eſt, nos myſticè conſepultos eſſe cum illo per baptiſmum: Et conreſuſcitaſſe nos, & conſedere feciſſe in cœleſtibus, iuxta ſcripturam. Dedit nihilominus mãdata, vt ea peragẽtes, donatam nobis perfectionem conſequamur. Álioqui neglectis illis, vltro videbimur à peccato agitari. Si dicamus, ex operibus tolli pec-

Galat. 2. d. catum, certè Chriſtus gratis mortuus eſt, & quæ dicta ſunt, falſa ſunt omnia. Si etiam baptiſma non eſt perfectum, ſed ex operibus dicunt conſequi perfectionem, ſuperuacua eſt apud illos lex libertatis: & vniuerſæ leges nouo teſtamẽto latæ, ſunt extinctæ. Iniuſtum quoque Chriſtum introducũt, qui libertatis opera præcipiat baptizatis, præter voluntatem (vt aiunt) adhuc peccato ſeruientibus. Et gratia Dei iam non eſt gratia, ſed laborum noſtrorum remuneratio. Nam ſi ex operibus, iam non gratiâ: ſi verò gratiâ: iam opus non eſt opus, ſed mandatum eius qui liberauit, & opus libertatis ac fidei. Talia ſanctus Paulus ſcribebat Galatis, pro Eccleſiaſticæ familiæ ſalute corripiens etiam illos, qui ſimili diffidentia laborabant. Cæterùm nos non tam perfidè de gratia Dei ſentimus: Abſit: nec propter prædicationem, fidem negamus: ſed ſi etiam poſt baptiſma detineamur à peccato: non quòd imperfectum ſit baptiſma, ſed quòd negligamus præcepta, vtróque voluptatibus addicti ſimus: quemadmodum arguit

2. Pet. 2. d. nos ſcriptura diuina, dum ait, Sicut canis reuerſus ad ſuum vomitum, ſic homo qui proprio libertatis arbitrio redit ad ſuum ipſius peccatum. Siquidem voluntatem ac baptiſmum nõ cogit Deus, nec Satanas. Verùm non audierunt, mãdata Chriſti poſt baptiſma data, legem eſſe libertatis, vt ait ſcriptura;

Iacob. 2. c. Sic loquimini & ſic facite, ſicut per legem libertatis incipientes iudicari. Et iterum ſanctus Petrus, Miniſtrate in fide veſtra virtutem. Et cùm ſequẽtia dixiſſet, ſubdit, Cui enim non præſto ſunt hæc, cæcus eſt, manu tentans, obliuionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum. Ex prædictis intelligite, purgationem myſticè quidem per baptiſmum fieri, re autem ipſa mandatorum obſeruatione reperiri. Atqui ſi baptizati, non ſimus à peccato paterno liberati, neq; ſcilicet opera libertatis edere poſſumus: ſin ea poſſumus efficere, clarum eſt, nos eſſe myſticè ereptos à ſeruitute peccati, iuxta id quod ſcriptum eſt, Lex ſpiritus vitæ liberauit me à Rom. 8. a. lege peccati & mortis: Sed ob neglectum mandatorum eius qui purgauit nos, obſidemur à peccato. Quapropter aut demõſtra mihi, baptizatos exequi non poſſe mandata libertatis, & ea de cauſa baptiſmum non eſſe perfectum: aut ſi demonſtremus, eos accepiſſe talem facultatem, confiteantur, liberari, quidem gratia Chriſti, at ſeipſos tradidiſſe vitiorũ ſeruituti, eò quòd non impleant omnia mandata: ideóq; rurſum mancipatos eſſe. Sumant autem argumentum à propriis teſtimoniis, Mundemus noſipſos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus. Seruus ergo peccati, qui poteſt ſeipſum pur- 2. Cor. 7. gare ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, ſi talem libertatem ac poteſtatem non habeat ſed teneatur ſub dominio peccati? Sin aduerſùs affectiones polles facultate, ſcito, te non vi & authoritate regi, ſed á fonte voluntatis. Quæcũque igitur ſcriptura diuina de purgatione differit, tanquam libertatem habentibus loquitur, tãquam liberis ſuadet, non eſſe permanendum in huiuſmodi cogitationibus, ſed colendam eſſe libertatem, cùm habeamus facultatem inclinandi quò libuerit, ſiue ad bonum, ſiue ad malum. Arbitrij Libertas.

Interrogatio. Si liberati ſumus in Baptiſmo, quamobrem non perſpicimus libertatis aërem, vti vidẽt qui decertãt? Reſpõſio.

Obruunt nos tenebris ſpontaneæ voluptates neglectionéſque mandatorũ, in quibus illi fœliciter promouent. Nam antè diximus, hominem liberari beneficio Chriſti. At ex propria voluntate, in quo figit amorem (tametſi baptizatus eſt) ob liberam arbitrij voluntatem, in eo immoratur. Cùm ergo di- Matt. 11. b. cit, Violenti rapiunt regnũ cœlorum: tum de propria voluntate loquitur: vt quiſque noſtrũm iuxta regulam baptiſmi elaboret, nec cõuertatur ad malum: ſed perſeueret in eo quod ducit ad bonũ. Etenim ſi vim homo patiebatur à poteſtatibus (malignis) planè Deus poterat nos liberare, & vi nos immortales efficere. Nunc autẽ non ita res eſt: ſed per baptiſmum à violẽta ſeruitute nos eripuit, euacuato per crucem peccato, ſtatuítque præcepta libertatis: in quibus vt permaneamus, nécne, liberæ noſtrę conceſſit voluntati. Quare mandata quatenus ex- Voluntas libera. coluntur, hactenus declarant dilectionem erga illum qui liberauit: quatenus autem negliguntur ac deficiunt, iucundam erga voluptates oſtendunt affectionem. Alij propriis raciocinationibus labuntur, dum inquiunt. Volumus ſcilicet exequi mandata, at nõ poſſumus, quia ſub imperio peccati detinemur: idcircò decertandũ eſt priùs, & delendum peccatum, vt peragere queamus mãdata libertatis: non intelligentes quæ dicunt, neque de quibus affirmant. Nam ſi cares prorſus libertate, nec potes implere mandata, quibus certaminibus ais te deleturum peccatum? Certamina fidelium, ſunt mandata. Dicis ergo, Non poſſum perficere mandata, niſi priùs per certamina mundatus fuero. Oſtende mihi, quæ dicis certamina præter mandata, & credam opinioni tuæ. Nam ſi dicas precationem, eſt Intellige iſta quãdo ex præcepto fiunt. mandatum: ſi ieiunium, ſi vigilias, eſt mandatum: ſi

largitionem

largitionem, si abnegationē animæ, mandatum est: si cogitationū euersionem, est mandatum: sin mortem, crucem, aut aliud quoduis opus virtutis dixeris, omnia sunt mandata. Quare iis qui facultatem implendorum mandatorū acceperunt, denuntiat, tanquā fidelibus, certandū esse ne conuertantur ad ea quæ retrò sunt; non quò per hæc deleāt peccatū, sed ne seipsos vltrà cōuertant ad posteriora. Quocirca mandata ipsa non tollūt peccatum (hoc enim per solam crucem factū est) sed donatæ nobis libertatis limites custodiunt. Etenim dicito mihi tu. Si per opera tollis Adæ peccatū, quomodo, secūdum scripturas, Christus mortuus est pro peccatis nostris? Verùm his cōtradicere nequeūt: rogant duntaxat consequentia, suis ipsorum opinionibus semper annuentes, at non obtemperantes veritati scripturæ. Si enim, inquiūt, in baptismate tollitur peccatum, quamobrē denuò vim suam exercet in corde? Nos autem rationem sæpè diximus: nempe, non esse reliquias peccati quæ agitent post susceptū baptisma: (illud enim plenā dat peccati solutionem) sed quòd rursum per affectionem seipsos alligāt iis, quæ per executionem mandatorū soluta sunt, à libera proficiscitur arbitrij libertate. Siquidē cogitatio quæ circa voluptatem aut iram aliquandiu immoratur, non reliqui peccati, sed liberæ affectionis est argumentum. Quapropter habemus facultatē destruēdi cogitationes, & omnem altitudinem extollentem se aduersùs cognitionem Dei, iuxta scripturam. His igitur qui euertunt in seipsis cogitationem prauam, amoris diuini est indiciū, non peccati. Quia violentus impetus cogitationis non arguit peccatū, sed mentis cum ea familiaris conuersatio. Quòd si non diligimus, qua de causa cum ea commoramur? Non enim fieri potest, vt citra prauam operationem nostrā in mente cum eo prolixè confabulemur, quem ex intimo corde oderimus. Hāc ob rem si etiam odiosa cogitatio facultate sua mentem occupat (potest enim ita contingere: nec contradico) hoc tamen imputandum non est reliquiis peccati Adæ, sed præuaricationi post baptismum admissæ. Quādiu enim, post sanctū baptisma susceptum, non facimus mandata quorū omnium implendorum facultatem adepti sumus, tandiu, vel inuiti occupamur à peccato: donec per pœnitētiā, vniuersorum mandatorum studiosi, Deum implorauerimus, qui nostrum præuaricationis peccatum deleat. Duæ sunt enim causæ actionis peruersæ: & hæ duæ oriūtur à nobis. Vna quidem vim suam exercet, iuxta proportionem deficientium mandatorum. Altera seueriſſimè dominatur, ob malè agēdi studium post susceptum baptisma, quod solus Deus tollit exoratus eleemosyna, precibus, & rerum accidentiū tolerantia, quæ quidē ipsa nobis etiā secretò præbet perfecta gratia, per baptismū nobis donata.

Nunquid igitur Paulus post acceptum baptisma peccauit, quia sponte agitabatur? Ait enim, Video aliam legem repugnantem legi mentis meæ.

Hunc in modum reliquas quoque scripturas nō rectè intelligentes inuertunt, & errant. Repete capitulū istud è superioribus, & reperies sanctū Paulum non loqui de seipso post acceptū baptisma: sed infideliū Iudęorum assumpta persona suadere illis, nō posse fieri, vt sine gratia Christi, quæ per baptismum confertur, superetur peccatum: dum inquit, Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Post hæc subdit, Gratias ago Deo per Iesum Christū Dominum nostrū, quòd lex spiritus vitæ liberauit me à lege peccati & mortis. Propterea dicit, Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum, vænundatus, sub peccato. Vnde etiam cuncta quæ pertinent ad legem, templum & sacrificia, implentur in nobis, qui gratiam sancti spiritus mysticè per baptismum accepimus. Namq; dixit, nos esse templum sancti spiritus, hortatúrque, vt offeramus spiritales hostias, appellās nos Iudæos in occulto, non in manifesto: & circuncisionem cordis in spiritu, non litera. Ipsam quoque legem spiritalē cœlestis legislator Christus per spiritum sanctum inscripsit fidelib⁹; nō in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Quia igitur ratione ista dixit in occulto esse, eadam ratione intelligito mihi singula eorum quæ typicè dicta sunt. Sed quia nondū Christo firmiter credidimus, nec omnibus eius mandatis nos obnoxios existimauimus, neque iuxta verbum eius abnegauimus nosipsos: hac de causa prædicta mysteria accepisse nos à baptismo ignoramus. Quòd si ita cadat, vt modicam ob fidem ea negligamus, syncerè tamen credamus ipsi in cunctis eius mandatis: tunc rerū antè dictarū in nobis facto periculo, verè cōfitebimur, perfectum esse sanctū baptisma, & in eo occultè latere gratiā Christi, quæ alioqui nostrā obediētiam excipiat: & mandatorū obseruationē, quorum implendorū facultatē antè per ipsam gratiam nacti sumus. Propterea quicunque præcepta libertatis nondum seruauimus, necdum ad liberam Ierusalem peruenimus. Quæ enim sursum est Ierusalē, libera est, quæ est mater nostra, regenerans nos per lauacrum regenerationis. Cæterùm adhuc stamus in via Cain, & erramus, ambulantes per inuia loca. Dum enim quispiā ignarus contendit aut contradicit veritati, viā immutat, & non dirigit. Quamobrem beatus Paulus, cùm tardè regredi nos videret ad perfectionem, Sic, ait, currite, vt comprehendatis. Verùm qui ciuitatem nondum nacti sumus, quādo templum ipsum spectabimus, & introgressi, accessum ad altare consequemur? Sed quid de fide, templo, atq; altari commemoro, cùm ne feras quidem arūdinis præterierimus, pro quibus increpandis propheta deprecabatur Deum, ne primitiæ victimarū, quas Iudæus in occulto iussus erat offerre, fierent ex animalibus à fera captis: si, tua quidem opinione, Iudæus est in occulto secūdum Paulum: templum autem à filio Dauid nondum erat ædificatum, neque propitiatorium ab eo constructum? Nam hoc disertè inclamat, qui certaminibus tolli peccatum Adæ dicit, & non per gratiā Dei, quam per baptismum in nobis habemus absconditā: quæ tum subiicietur oculis, quando mandatorum viam rectè peregerimus, offerētes in sacrificium summo pontifici Christo naturæ nostræ cogitationes, velut animalia sana & à feris non morsa. Plerique siquidem sub potestatem bestiarum redigūtur, quicunque deflectunt à mandatis, à patientia scilicet in rebus aduersis: qui dum resiliunt à via recta, incedunt per inuia loca, aliorum scelera magis, quàm sua ipsorū arguentes. Ex illis itaque pauci quidē per viam rectā ambulant: iiq; conseruantur precibus, summa

Cauta lege. Extra charitatē facta.

, remanet fomes peccati quē ex reliquiis protoplasti cōtraximus. 2. Cor. 10. b

Cauta lege.

Peccati duæ causę.

Interrogatio. Rom. 7. b. Responsio.

Rom. 7. d.

Rom. 7. c.

1. Cor. 6. d.

Propitiatorium.

Gala. 4. d.

2. Cor. 9. d.

Psa. 67. d.

ſpe deuinciuntur, pulſantur tentationibus: & hoc A pacto peruenientes ad ciuitatem & templum, ſacrificium offerunt. Ciuitas autē eſt, pulchra legitimáque in Chriſto diſcretio, quæ quidem vbi piè rem adminiſtrat, trāquillè & rectè ſe habet: quādo verò peccat, traditur hoſtibus ad interitū ſui. Templum autem eſt, animæ corporiſque delubrū à Deo creatum. Altare ſitum in hoc tēplo, ſedes eſt ſpei, in qua rerum omnium accidentium primò nata cogitatio offertur à mente, & velut animal primogenitū immolatur, in propitiationem offerētis, modò immaculatum ei offerat. Templum etiā iſtud habet interiorem partem velaminis: vbi præcurſor pro nobis introiit Ieſus (qui habitat in nobis, niſi fortè reprobi B ſimus) qui quidē eſt intimus, recōditus, & ſyncerus locus cordis: qui niſi beneficio diuino, rationaliſq; & intellectualis ſpei aperiatur, eum qui inhabitat certò noſſe non poſſumus, neque ſcire an ſacrificia noſtra rationalia ſuſcepta ſint, nécne. Nā quemadmodū initio, tempore populi Iſraëlitici, ignis conſumebat reliquias: nō aliter hîc euenit. Fideli enim corde per ſpem antè dictā reſerato, cœleſtis pōtifex apprehēdit primogenitas animi cogitationes, illáſque igne diuino abſumit, de quo inquit, Ignē veni mittere in terrā. & quid volo, niſi vt accēdatur? Primogenitas porrò cogitationes vocat eas, non quæ C ſecunda cordis apprehenſione naſcuntur: ſed quæ ad primam obiectionem & redditionē ſtatim offeruntur Chriſto. Quæ enim animo multùm agitatæ offerūtur ei, clauda, cæca, monſtroſa animalia, ſcriptura nominauit: ideóq; loco decimarum non eſſe apud cœleſtem pontificem Chriſtum Dominum. Quare iam demonſtratū eſt ſcripturæ teſtimoniis, etiā poſt acceptum baptiſma, nos omniū prauarum eſſe cogitationum authores. Sin etiam neceſſe eſt, conſequētia naturali hoc planū facere, dicetur iterum: O homo, qui aſſeris, circa culpā te vexari peccato Adæ poſt acceptū baptiſma, illudq; certaminibus amputare polliceris: agnoſce diligenter, te aduerſari, labiq; tuis ipſius verbis. Quandoquidem ſi D improbas cogitationes ais eſſe peccatū Adæ, diſcas à ſancto Paulo, te, qui per baptiſma Chriſtum induiſti, habere vim & arma ad profligādas illas. Arma enim, inquit, militiæ noſtræ non carnalia ſunt: ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſùs cognitionem Dei. Quòd ſi poteſtate fretus aduerſus illas, non ſtatim eas vt impetunt, euertis, infidelitate ductus, voluptatem amplecteris ſcilicet, & cum illis conſpiras: tu denique vexationis eiuſmodi author es, non Adam.

Templū & Altare Hominis, myſticè quale ſit. Hebr. 6. d.

2. Cor. 10.

Interrogatio.

Qua ratione poteſt ob infidelitatem ſtudere voluptatibus, & cum cogitationibus conſpirare, qui ſeipſum recluſit in cellulam, quotidie ieiunās, dans E operam continentiæ, pauperis & peregrini more vitam agens, vigilans, deprecans, multáſque eius generis perferens afflictiones?

Reſpōſio.

Rectè dixiſti, multas eum ſufferre tribulationes, qui talia gerit. Nam ſi abſque vllo afflictionis ſenſu claras virtutes antedictas cum gaudio & laboris amore compleremus, nunquam voluptates ex animo ſectaremur. Non poteſt enim fieri, vt qui in ſuſcipiendis corporeis laboribus angitur, non ad eundem modum fermocinetur cum inſilientibus cogitationibus, ac ſoletur contractam ex laboribus mœſtitiam, quod quidem ſi is repudiaret, nō ægrè ferret labores. Hoc autē ideò nobis accidit, quòd nō deſiderio futurorum bonorū malè patimur: ſed metu nobis obuenientium in hāc vita tentationum. Vnde malam quidē actionem noſtrum eſſe peccatum iudicamus, præeuntem verò illi cogitationem, alienam vim eſſe dicimus, quam non poſſunt auertere, qui non propriam, ſed externam arbitrantur. Eſt igitur cogitatio quædā moleſta citra familiaritatem: quæ dū eſt odioſa, more latronis irruentis ex improuiſo, vi corripit animum ad ſeipſam. Diſce nihilominus accuratè, illam à nobis occaſionem ſumere. Quoniam ſi poſt baptiſma peruerſæ cuipiā B cogitationi ad actum vſque noſipſos tradiderimus, ob idque etiam præter opinionē rei conſtituamur, aut ſemina quædā viarū vltrò teneamus, vnde fortior euadat diabolus: illa quidē quæ ſeminibus nos detinet, non recedit, donec ea proiiciamus: quæ verò per operationem malam perdurat, tum fugatur, cùm Deo dignos labores obtulerimus. Quare non hoc eſſe dico peccatū Adæ, ſed eius potiùs, qui malum committit, aut ſemina recipit. Sin cogitationes (præeūt enim cogitationes his duobus) & latro quidam illorū eſt author: ego etiam tibi dicere audeo, illum, qui cùm poſſit primo congreſſu purgare cogitationem, non tamen purgat, ſed ea familiariter vtitur, donec opere compleat, eſſe authorē eorum. Sin antequàm peruenireturad actū, propter imbecillitatē animi non poterat eam prorſus euertere: vbi iam opere compleuit, quo pacto promittit ſe illam amputaturum? Intelligito etiā, antequàm prodires ad agendum, Deum opem tibi laturum fuiſſe, ſi voluieſſs. Cùm itaque ſenſeris in corde tuo auxilium tibi ſuppetere, intellige diligenter non extrinſecus trāſitiuo motu gratiam aduenisſe: ſed per baptiſmū tibi donatam occultè, nunc operari pro modo quo cogitationē odio proſecutus auerteris. Hac de cauſa Chriſtus, cùm omni violētia nos eximeret, cogitationum inſultationem non cohibuit ab animo: vt quæ ex animo odio haberētur, quam primùm delerentur: quæ verò gratę eſſent, quandiu diligerentur, tandiu permanerent: quò perſpicua fieret gratia Dei, & voluntas hominis, quidnam amaret: an labores, propter gratiam: an cogitationes, ob voluptatem. Neque peregrinum nobis videatur, quòd non ab his duntaxat quas diligimus, violentè tractamur, quia quemadmodum peruerſa eſt illarū cognatio: ita cogitationum inſultationes mutuò cooperantur cum concupiſcentiis noſtris, & vnaquæque apud eum qui eam opere commorata, poſtea tradit proximæ; vt etiam præter ſententiam forſan abducatur à ſecunda, vi tractus, ex conſuetudine, quam iniit cum prima. Quis enim plenus vana gloria, poterit effugere ſuperbiam: aut fruens deliciis, cogitatione ſtupri non detinebitur? Aut quis auaritiæ deditus, affectu experti miſericordiæ non perſtringetur? Verùm quî fiet, vt ab his omnibus præter opinionem ſuperati, nō indignentur & grauiter exagitentur? Quapropter intelligere debemus, culpâ noſtrâ vexari nos à peccato: ſed per ſpiritum à violenta ſeruitute liberari. Lex enim ait, ſpiritûs vitæ liberauit me à lege peccati & mortis. Itaque nos, qui audiuimus ac didicimus mandata Rom. 8. a. ſpiritûs, habemus facultatem ambulandi ſecūdum carnem aut ſecūdum ſpiritum. Nequit porrò fieri,

Perpeſſionis malorū duplex finis.

Cogitatio moleſta.

Cogitatio mala quomodo vincatur.

Gratiæ Tranſitiuus motus

Cogitationes vincūt nos cōſuetudine.

vt

Secundum Spiritum ambulare.

vt ſecundum ſpiritum ambulent, qui laudem humanam aut remiſſionem corporis ſectantur: nec poſſunt ſecundum carnem viuere, qui toto affectu futura præſentibus anteponunt. Quamobrem nos, qui mirum in modũ ſeducti ſumus, debemus poſthac odiſſe laudẽ humanam, corporíſque relaxationem, vnde peruerſæ cogitationes nobis etiã nolentibus renaſcũtur: & ex animo dicere Domino illud

Pſ.138 d

Prophetæ dictũ, Nónne qui oderunt te, Domine, oderam: & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti ſunt mihi. Et re vera cogitationes prauæ ſunt inimici Dei, prohi-

1.Tim.2.b.

bentes ne fiat voluntas eius; ſiquidem hic vult oẽs homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: illæ verò per affectionem ſeducunt nos, & excludunt à ſalute. De quibus etiam Dominus dixit, eas non ab Adamo, ſed ex corde prodire, & idcirco coinquinare hominem. Certum autem eſt, eas non

Ioan.5.g.

à fide, ſed à vana gloria exoriri. Quomodo enim, inquit, poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis? Quãdo igitur oderimus vanam gloriã, ac de omnibus Deo fidẽ habuerimus, omnẽ cordis cogitationem & rationis fiduciã in eo tanquã fundo figẽtes: tum, ſicut initio fidei per baptiſmũ quæſitæ, corpus Chriſti cibus erat viri fidelis: ſic in ſpe intellectuali, & cogitationum abnegatione, firma fide præditus

Ioan.4.c. 1.Tim.2.b.

ac purus animus, fit cibus Ieſu, dicentis, Meus cibus eſt, vt faciã voluntatem patris mei: vt oẽs homines ſalui fiant, & veniãt ad agnitionem veritatis, ſecundum Pauli ſermonem. Veritatem autem dicit eius fidei, quæ reperitur in mente iuncta ſpei, vt antè diximus, quæ quidem non iam ex auditu, ſed per effi-

Rom.10.c. Hebr.11.a.

caciã ſacroſancti Spiritus creditur: quæ eſt ſubſtantia eorum quæ ſperãtur, ex ſcriptura. Eſt enim fides ex auditu, & eſt fides ſperandarũ ſubſtantia rerum. At nõ baptizatus, aut vanæ gloriæ deditus, ad agnitionem huiuſce veritatis peruenire non poteſt. In primis enim baptizabitur in Eccleſia Catholica: & per baptiſmũ donatur myſticè gratia Spiritus ſancti, quæ clàm inhabitat: & deinceps pro modo impletionis mandatorum ac ſpei intellectualis reue-

Ioan.7.f.

latur iis qui ita credunt Domino dicẽti, Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autẽ dixit de ſpiritu, quẽ accepturi erant credentes in eum. Hanc ob rem credimus, per baptiſmum nos libertatem & purgationem myſticè conſecutos eſſe, ex ſententia eius qui

1.Cor.6.c.

dicit, Sed nunc abluti eſtis, nunc iuſtificati eſtis, nunc purgati eſtis. Ac talia ſcribit Corinthiis, nondum ſecundũ ſpem intellectualẽ, per abnegationẽ cogitationũ, expurgatis, & per operationẽ ſpiritus in corde ſanctificatis: ſed improbis adhuc, iniuriam facientibus, ac fraudantibus, & hęc in fratres committentibus: vt oſtendat baptizatos dono quidem Chriſti myſticè purgationem adeptos eſſe, ob ſuam verò exilitatem fidei, vnũquemque torqueri à con-

Iacob.1.c

cupiſcentia ſua abſtractum & illectum, vt ſcriptum eſt; Deinde concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatũ: peccatum verò cùm cõſummatum fuerit, generat mortem. Igitur ex propria concupiſcentia naſcitur conceptum peccatum: cuius executionis conſummatio eſt, quam ſcriptura mortem appellauit. Quòd autẽ à baptiſmate ſit in nobis gratia ſpi-

A ritus ſancti, quæ nos docet omnem veritatem, iuxta verbum Domini, diſce denuò ex ſcriptura & rebus ipſis. En in Actis Apoſtolorum quid dicit beatus Petrus turbæ? Pœnitentiã agite, inquit, & baptize- Act.2.f.
tur vnuſquiſque veſtrum in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, in remiſſionẽ peccatorũ: & accipietis donũ ſpiritus ſancti. Quatenus autẽ quis nõ credit, mox obſidetur à peccato. En etiam apud Epheſum quomodo Apoſtolus increpat duodecim viros ſine fide baptizatos, & ait, Si Spiritum ſanctũ accepiſtis Act.19.a.
credentes? At illi dixerũt ad eum, Sed neque ſi ſpiritus ſanctus eſt, audiuimus. Ille verò ait illis, In quo ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt, In Ioannis ba-

B ptiſmate. Dixit autem Paulus, Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitẽtiæ populũ, dicẽs, in eum qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederẽt, hoc eſt, in Ieſum. His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu. Et cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit ſpiritus ſanctus ſuper eos. Nunc etiã tibi perſuaſum eſt, ſtatim à baptiſmo donari ſpiritũ ſanctum firmiter credentibus: infidelibus autẽ, aut malè credentibus ac non baptizatis non conferri. Quòd autem nos ſimus ij, qui cõtriſtant illũ, aut in ſeipſis extinguũt, diſcito ab Apoſtolo dicente, Spiritum nolite extin- 1.Theſſ.5.c.
guere, prophetias nolite ſpernere. Et iterũ, Nolite Epheſ.4.g.
contriſtare ſpiritũ ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis

C in die redemptionis. Iſta verò teſtimonia adducimus, nõ quòd dicamus, omnem hominẽ qui baptizatus eſt, & gratiam adeptus, poſthac immutari non poſſe, & vltrà non egere pœnitentia: ſed quòd à baptiſmo per Chriſti beneficentiam plena gratia Dei nobis donata eſt ad implẽda cũcta mãdata. Quod reliquum eſt, quicũque myſticè illã accepit, non tamen facto implet mandata, pro modo defectus torquetur à peccato, quod quidem Adamo nõ eſt imputandũ, ſed negligenti, eo quòd conſecutus facultatem operandi, opus non peregit. Defectus autem ab infidelitate naſcitur: infidelitas autẽ haud peccatum alienum, ſed eius qui non credit, quod qui-

D dem poſtea fit omnis peccati mater & introductio. Itaq; ſiue celeritet ſiue lentè volumus euadere perfecti, debemus integrè Chriſto credere, & omnia mandata eiũs operi mandare: quippe qui ab ipſo ſic operãdi facultatẽ accepimus: nõ quòd vnumquodque ſigillatim & particulariter ſit exequendũ, ſed in generalioribus ſingularia comprehendere debemus, & hac ratione, vniuerſa cõpendiariè peragere. Sunt enim præcepta generaliora, quæ cõplectũtur in ſe magnã reliquorum multitudinem. Hoc igitur certamen duntaxat ineundũ nobis eſt aduerſus noſtram ipſorum perfidiã: neq; negligẽda ſunt vniuerſalia præcepta, per quæ reuelatur apertè donata no-

E bis gratia. Quod quidẽ ſanctus Paulus nobis euenire precatur, dũ ait, Huj⁹ rei gratia flecto genua mea Epheſ.3.c.
ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti: vt det vobis Dominus virtutẽ corroborari per ſpiritũ eius in interiori homine, Chriſtũ habitare per fidẽ in cordibus veſtris, cum omni plenitudine & ſenſu. Sed iam opportunũ fuerit, etiã rebus ipſis hoc teſtimonium cõfirmare, vt antea dixim⁹. Ecce enim, quantũ credẽtes peragimus mãdata, tantum etiã proprios fructus edit in nobis ſpiritus ſanctus. Fructus autẽ ſpiritus apud ſanctũ Paulũ ſunt, charitas, gaudiũ, pax, Galat.5.d
lõganimitas, benignitas, bonitas, fides, mãſuetudo,

continentia. Quis ergo post acceptũ baptisma effectibus istis omnino non est initiatus, vt à baptismo gratiam sancti spiritus accepisse se, negare audeat? Quis autem è diuerso, nondum peractis mandatis, quotidie sine intermissione sic in his fructibus exercetur, vt dicere possit, Perfectus ego sum, & immutabilis? Ex quibus declarat, quemadmodũ perfecta quidem est gratia, nos autẽ, quia mãdata non facimus, imperfecti, sic sanctũ baptismum erga nos esse perfectũ, nos autem erga illũ imperfectos esse. Tute igitur, ô homo qui baptizatus es in Christo, exhibe dũtaxat operationem, ad quam facultatem es adeptus: teq; ipsum præparato, ad manifestãdum eũ, qui inhabitat: & ita Dominus, prout pollicitus est, spiritaliter quẽadmodũ ipse nouit, tibi seipsum manifestabit. Dominus autẽ, spiritus est: vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Tumq; intelliges quod dictum est, nempe, Regnũ cœlorum intra vos est. Hoc quoque necessariò sciendũ est, quòd particularia præcepta, quæ de numero particularium sunt, eadémque singularia vocantur, implẽtur ab ipsis: & qui particulariter exequuntur mandata, iuxta proportionem illam intrant in regnum. At qui perfectionem attingere desiderant, debent comprehensim cuncta seruare mandata. Comprehẽsiua autem omnium mandatorũ est abnegatio animæ, quæ est mors. Et quemadmodum qui viuit in carne, destitutus est hac operationis perfectione: sic ob antè dictum defectum non potest vsque ad exitum non esse susceptiuus insultantium affectionum: Si quis ergo fidelium rectè versatus in præceptis, pro modo illo spiritalem quandã affectionẽ nactus sit, credat se iam antè adeptum esse vim illius, cùm per baptismum gratiã sancti spiritus acceperit, omnium bonorum causam: dico sanè nõ modò occultarum & spiritalium virtutum, sed etiam manifestarum procuratricem. Nemóq: studentium virtuti existimet, se suapte duntaxat facultate boni quippiam fecisse: quia bonus homo non à seipso, inquit verbum, sed de bono thesauro cordis profert bonũ: thesaurum appellans, spiritũ sanctum in corde fideliũ absconditum. Nã simile est regnũ cœlorum thesauro abscondito in agro, quẽ qui inuenit homo, abscondit: & abiens vẽdidit vniuersa, & emit agrũ illum. Istud enim magnam cum iis quæ dicta sunt, habet affinitatem. Nam qui exactè, secundũ Apostolum, perspicit, in seipso, à baptismo se Christũ reconditum habere, abiectis omnibus huiusce mundi negotiis, permanet in suo ipsius corde, omni custodia cõseruans illud; quærẽs, iuxta parœmiam, exitum è vita. Quare non est existimandũ, Adæ peccatũ certaminibus amputari posse, neque etiã propria peccata, quæ post baptisma susceptũ accidũt, nisi per Christum. Ipse enim est, qui operatur in vobis, velle & perficere, pro bona volũtate. Addẽs enim istud, pro volũtate, demõstrat bene velle circa virtutes, in nostra situm esse voluntate. Dum autẽ ait, Sine me nihil potestis facere: & hoc, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: in eandem concurrit sententiam. Ac fortè sic etiã illud intelligi debet, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factũ est nihil, quod factũ est: si quidem nostra sunt de numero omnium: & illud, Nemo venit ad patrem, nisi per me, Ea quoque de causa propheta nõ dixit, Ab Ierusalem in templum

2. Cor. 3. d
Luc. 17. c
Luc. 6. g.
Matt. 11. f
Phili. 2. b
Ioan. 5. a
Ioan. 15. a
Ioan. 1 a
Ioan. 14. a

A tuum offerent tibi reges munera (quod verisimile erat, & fieri solebat) sed, A templo tuo in Ieruſalem tibi offerent reges munera. Quoniam animus cuiusque, maximè regius, ab occulto cordis sui tẽplo primùm sumit honestas & bonas suggestiones, quæ suggerũtur ab inhabitante Christo: quas etiã adducit ad politiã virtutibus plenã, quam Ierusalem nominauit: iterumq; per intentionem bonã offert eas ipsi, qui donauit, Christo. Cęterùm ista dixim⁹, non q, futura velimus excludere: sed confitentes, quòd implendorũ mandatorũ accepimus facultatem, & vinculis mortis exoluti sumus. Quod supereſt, operari debemus: ac nisi mãdata Dei peragamus, gratia B nobis donata manifestari non potest. Quo enim pacto nos, qui mortui eramus in peccato, potuissemus à nobisipsis boni quippiã agere, nisi Dominus ipse per lauachrũ regenerationis viuificasset nos, & cõtulisset nobis gratiã spiritus sancti? Vnde cognoscimus, perfectam sancti spiritus gratiam nobis esse donatam, ad explẽda omnia mandata: quæ promouendi in Christo præstat accessionẽ, suósque operarios confirmat vsque ad mortem; donec occurramus oẽs in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virũ perfectũ, in mẽsurã ætatis plenitudinis Christi, iuxta seriem paternam, de qua sumus antè locuti.

Ps. 67. d
Suggestiones honestæ sunt à Christo.
Ephe. 4. c

Baptizatus ergo quem mysticè recipit Christum, an spiritum sanctum? Interdum enim Christum, quandoque spiritum sanctum inhabitare dixisti? C

Interrogatio.

In baptismo spiritũ sanctum suscipimus. At quoniam dicitur etiã spiritus Dei, & spiritus Christi, hac de causa, per spiritũ sanctũ, patrẽ & filiũ recipimus.

Responsio.

Sanctus igitur spiritus est Trinitas?

Interrogatio.

Non sic in vnica persona Trinitatem consistere dicimus, sed quia Spiritus sanctus à patre filióque non separatur, propterea in ipso, secundum suam ipsius diuinitatem, Trinitatem esse confitemur. Sicut enim in patre est filius ac spiritus sanctus, & rursum in filio pater & Spiritus, sic & in Spiritu sancto est pater & filius: non confusione triũ hypostaseῶn, D sed vnione eiusdem & vnius sententiæ ac deitatis: Adeò vt nos, siue Patrem, siue Filium, siue Spiritum sanctum particulariter nominemus, sub vnico nomine Trinitatem vocemus, vt modò diximus.

Responsio.

Qua ratione scriptura dicit, Ieruſalem cœlestem, tu verò illam esse in corde dixisti?

Interrogatio.

Scimus non modò Ieruſalem, sed etiam reliqua bona, quæcunque in resurrectione, iusti sunt accepturi, sursum esse: sed horum arrabones & primitias spiritali modo exercere vim suam, etiam in hoc sæculo, in cordibus firmiter credentium: vt certam de futuris habentes persuasionem, cuncta præsentia contemnamus, & diligamus Deum vsque ad E mortem. Quapropter non dixit, Potestis accedere: sed, Accessistis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cœlestem. Nam à baptismo capaces horum facti sumus: At hi soli digni putantur, qui consequantur ea, nempe firmiter credentes: qui Christi amore quotidie moriuntur, hoc est, omnem cogitationem humanam excedentes, nihil aliud versant animo, quàm illud duntaxat, vt occurrant aliquãdo ad perfectam dilectionẽ Christi: quæ est cordis interior apertio, quò præcursor introiit Iesus. Hoc in primis quærens sanctus Paulus, dicebat. Sequor autẽ, si quomodo comprehendam,

Responsio.
Heb. 11. f
Philip. 3. c

in quo

in quo cõprehensus sum: hoc est, vt diligam, in quo & dilectus sum à Christo. Hac autem ipsa dilectione cõprehẽsa, nõ vltrà poterat aliud quippiã animo cõplecti: nõ afflictiones corporis huius, neque miracula creaturæ: sed omnẽ propè cogitationem auersabatur, non ferens si vel ad horam priuaretur effectu Spiritus sancti. Declarauit autem, quæ spiritalis dilectionis causa repudiabat, & ait, Quis nos
Rom. 8.g. separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia, an persecutio, an fames? an nuditas? an periculum? an gladius; & quæ sequuntur. Et rursum, Certus sum, inquit, quod neque mors, neque vita. &
Ibidem. Ibidem. reliqua. Iterúmque, Neque vlla alia creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro: propterea quòd tale nihil animo concipiebat, præter hoc solum vt in eo statu permaneret.

Interrogatio. Quomodo paulo antè dixisti, perfectè Spiritum sanctum in nobis habitare?

Respõsio Primitias dixi; non quod partem aliquam totius aut diuisionem quandam sancti Spiritus introducere vellem (neque enim diuiditur, nec alteratur) sed capacitatem nostram ostendere: quæ vim vniuersam Spiritus sancti capere nõ potest, nisi per mãdatũ perfectum, id est, per mortẽ. Siquidẽ & mors pro veritate Christi, mãdatum Dei. Quo igitur modo sol perfectus, plenum, simplex, & æquale cũctis suũ ipsius beneficium confert: quisque vero quatenus purgatũ habet oculũ, hactenus, etiam si plebeius fuerit, lucem recipit: ita Spiritus sanctus à baptismo suscepto credentes ei omnium actionum ac donorũ capaces reddidit: non tamen omnibus concessit, vt æqualiter dona exercerent: sed cuique pro dignitate & pro modo executionis mãdatorũ, quatenus testificatus est operibus bonis, & perspicuam edidit suæ
Galat. 4.a. in Christum fidei mensuram. Quapropter, inquit, misit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamã-
Rom. 8.c. tem, Abba, pater. Et, ipse spiritus testimoniũ reddit spiritui nostro, q; sumus filij Dei. Verùm q; nemo sibiipsi peccatum Adæ possit amputare, sed solus Christus, iuxta proportionem fidei in illum, audi
1. Cor. 15. a Apostolum dicentẽ, Christus mortuus est pro peccatis nostris, secũdum scripturas. Et rursum, Com-
Rom. 5 b. mendat autem charitatẽ suam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro
Rom. 6. a. nobis mortuus est. Et, Consepulti sumus cum illo per baptismum: vt quomodo Christus surrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, &
Ibidem. b Ephe. 1. b. Ephes. 5. b reliqua. Et, Qui mortuus est, iustificatus est à peccato. Et, Gratia estis saluati per fidem, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Et iterum, Eratis enim
Galat. 4 d. aliquando tenebræ, nunc autẽ lux in Domino. Vt
1. Pet. 2. c. filij lucis ambulate. Et rursus, Nos non sumus ancillæ filij: sed liberæ. In libertate igitur, qua Christus nos liberauit, state. Et iterũ, Quasi liberi, & non quasi velamen habẽtes malitiæ, libertatẽ. Vides, vt scriptura hæc appellet nouitatis, libertatis, ac lucis opera, quorum certamine dicis rescindi peccatum?
Arbitrij liberi conuersiones. Declarat etiã liberi arbitrij conuersiones: quas Adę dicis esse peccatũ. Istud enim, Habere libertatẽ vt velamen malitiæ: &, Cõtristare spiritum sanctum: &, Facere volũtatem carnis & cogitationũ: & hoc, Qui spiritu cœperunt, nunc carne consummari: &,
Rom. 8. c. Debitores sumus, non carni, vt secundùm carnem

viuamus, hæc & similia cũ sciat scriptura, in nostra facultate positum esse, vt hæc agamus, nécne: propterèa non Satanam, neque peccatũ Adæ, sed nos increpat. Atqui si velis attentè audire, compẽdium omnium tibi refero. Tute cogitationes & transformationes (animi) asseris esse peccatũ Adæ: & ecce, beatus Paulus clarè & studiosè propter hanc mẽtis nequitiam, nos, velut authores, accusat, & inquit,
Rom. 12. a Nolite cõformari huic sæculo: sed reformamini in nouitate mentis vestræ. Sin autem ista nõ pendẽt à nostra voluntate, sed à tyrannide Satanæ, & à reliquiis peccati per Adamum contracti quamobrem nos accusamur à scriptura, qui nolentes vexamur à peccato, à Satana tyrannicè tractamur? Nónne immeritò puniemur? Aut forsan etiã iniustus est Deus, qui præcepit ea quæ sunt supra naturam: & præter naturam exigit à nobis, quæ vires excedãt? Sed hoc non ita est. Absit. Nam ego interrogabo te: & da mihi responsum. Quantamcũque pietatis vim habet natura nostra, hánccne quotidie debemus offerre Deo, nécne? Planè dices mihi, vtique fieri debere: cùm Deus liberaliter hoc naturæ largitus sit ac pro modo virium nostrarum dederit mandata. Ergo si bonum, quod illi offertur hodie, debitum est hodiernum: ostende mihi, quid pẽsatum sit pro tuo vel Adæ veteri peccato. Ego verò tibi dico, te
Nemo præstat Deo quod debet. non modò hoc ostẽdere non posse: sed ne illud quidem, te debitum quotidianum absque vllo defectu persoluere. Et vnde hoc liquet? Ex eo quòd non semper inueniare perseuerans in eisdem virtutibus. Quantum enim addideris hodie virtuti, tãtundem præteritæ debere conuinceris, dũ vires naturæ declarasti. Siquidẽ per adiectionẽ hodiernam ostensum est, nõ naturæ, sed voluntatis accessionem esse, vel defectũ, eáque de causa interimimur à peccato.

Interrogatio. Donetur hæc ita se habere: vnum tamen scio, si non esset Adam transgressus, me non experturum fuisse oppugnationem vitij.

Respõsio. Neque hoc rectè dixisti, quia insultantis expertẽ esse viti, pertiẽt ad naturam conuersioni non obnoxiam, nõ autem ad humanam. Nos enim vnius cum Adamo sumus naturæ. Decebat illum nostrî, nósque illius esse similes. Quare tibi persuadeat ille ipse
Peccatum Adæ fuit voluntarium. primus homo, se non fuisse mutationis expertem, nec ad vitium particulariter conuertibilem: neque necessitate naturæ, sed bene placito voluntatis trãsgressum esse mandatum. Quemadmodum ille parere poterat oppugnationi Satanæ: habebat autem potestatem: sic & nos.

Interrogatio. Nunc fortè suffero te quia nõ tollis impetũ Satanæ.

Respõsio Ephes. 6. b Ego quidem superioribus sermonibus nunquam negaui: Scio enim etiam Iob à diabolo tentatũ esse, scripturámque dicere, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ: sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, cõtra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Et iterum, Resistite diabolo, & fugiet à vobis. Et alibi,
1. Pet. 4. b. 1. Pet. 5. c. Aduersarius vester diabolus, tãquam Leo rugiens, circuit quærens quẽ deuoret. Sed cùm nos prauas cogitationes non à nobis, sed ab aliis quibusdã manare putemus, dicentes, interdum ipsas esse peccatũ Adæ, quando ipsum Satanam, aliquando violentã ipsius Satanæ aggressionẽ: hac de causa dicimus, aliud esse peccatum Adæ, aliud Satanã, & aliud im-

petum Satanę:aliud etiã peruerſas cogitationes noſtras, licet ab impetu ſumant occaſionem. Satanas quidẽ eſt ipſa diaboli perſona, quæ etiam Dominũ tentare conata eſt: Adæ verò primi peccatum eſt, mandati per primum hominem cõmiſſa tranſgreſſio:Impetus autem Satanæ eſt, rei peruerſæ cogitationi duntaxat obiecta ſpecies:quæ quidẽ ob puſillam fidem reperit occaſionem adeundi mentẽ noſtram. Cùm enim animus, accepto mandato,ne cuiuſquam alterius rei curã gerat, ſed omni cuſtodia ſuũ ipſius cor conſeruet, & quærat ſitum intra nos regnum cœlorum,cœperit cor & antedictam indagationem deſerere; confeſtim locum præbet inſultationi diaboli,fitq; pronus ad recipiendum ſuggeſtionem malam. At ne tũc quidem diabolus habet poteſtatẽ commouendi cogitationes noſtras: alioqui nunquam parceret nobis, ſed nullam non immitteret vi conceptionẽ prauã, nec ſineret bonum quippiam animo complecti: poteſt autem cogitatione duntaxat & prima animi conceptione ſuboſtentare peruerſas inſtructiones, vt tẽtet interiorem affectum noſtrũ,an inclinet in ſuggeſtionem ipſius, an ad mandatũ Dei. Nam hęc mutuò aduerſantur. Quare nos in rebus nobis gratis quamprimùm cõmouemus cogitationes ad propoſitũ exemplar, & cũ affectu ſermocinamur animo cum re ſuggeſta: in odioſis autem immorati nõ poſſumus, ſed & ipſam obiectionẽ odio habem⁹. Quòd ſi odioſa ſuggeſtio duret (poteſt enim cõtingere) non tamen ex recentiore affectu,ſed ex antiqua præoccupatione, vires capit: ob idq; in loco manet innoxia,& cogitationẽ non tranſgrediens:vt quæ,prę tędio cordis, ad intellectum & affectum pergere prohibeatur; Quia odioſa ſpecies quæ gerit vnicam perſonam, apud eum qui ſeipſum obſeruat, nõ habet naturam commouendi & cogendi mentem ad perturbationem intellectus, niſi per ſolam animi voluptatem. Itaq; ſi recederemus prorſus à deliciis, neque præoccupantium imaginationũ ſola ſpecies nos vltrà lædere poſſet, nec iuxta futurorũ certitudinẽ damnare conſcientiam. Nam vbi agnoſcit animus inutilem præoccupantis cogitationis contentionẽ,vetúſque peccatũ Deo confitetur, ſtatim interimitur huiuſmodi tentatio: denuoq; poteſt animus attendere cordi,& omni cuſtodia conſeruare illud: & in penetralia ipſius, omni perturbatione carentia, ingredi conatur: vbi nulli cogitationũ improbarum venti violentè impellunt animam & corpus in prę-cipitia voluptatum, aut in puteos bituminis deturbant: neque vlla via lata & ſpatioſa, quæ verbis & habitu ſapientiæ mundanæ ſauciata, ſequẽtes eam illiciat,etiam ſi valde cordati ſint. Interiora verò animæ pura cubicula domúſque Chriſti nihil ſuſcipiunt, quod ab hoc ſæculo nudè inferatur, ſiue rationabile, ſiue alienum à ratione, præterquàm hæc tria,quæ nominauit Apoſtolus,fidem,ſpem,& charitatem. Poteſt igitur quiſpiam ſtudioſus veritatis & ex animo laborare cupiens, nõ fatigari præſumptis cogitationibus, ſecundum antè dictam conſecutionem:ſed attẽdere cordi, & interiùs proficere, Deóq; appropinquare, modò non moleſti ſint labores in illa attentione & perſeuerantia ſuſcepti. Nequaquam enim poteſt cor non affligere, qui iactationibus conceptis animum attẽdit, & voluptatibus carnis quotidie,non exteriùs modò,ſed & interiùs ſeipſum circunſcribit: quibus intellectus & actio ſæpè ſubuerti ſolent. Vnde cogitationi obiectam inſultationem ſcimus eſſe coactã:cùm, etiamſi ſit odioſa, perduret. At cum iectis cogitationibus familiaritatem contrahere, ſpontaneum eſt. Quod ita eſſe demonſtrarunt etiam, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ: qui quidem oppugnationem prohibere non potuerunt cogitationum, omnem tamen familiaritatem & affectionem erga illas auerſati ſunt.

Nõne tranſgreſſionem Adæ (quod eſt animæ noſtrę rationalis peccatum) neceſſariò ſuſcepimus? Peccatum,non eſt Adami tranſgreſſio; ſed index voluntatis cuiuſque. At neque tranſgreſſionem ſuſcepimus; nam per ſucceſſionem oporteret omnes tranſgreſſores eſſe, nec reprehendi debere à Deo, qui tranſgrediuntur neceſſitate ſucceſſionis naturalis. Nunc autẽ non ita eſt: quia non oẽs tranſgrediuntur mandatũ, neque item oẽs ſeruamus. Vnde clarum eſt, tranſgreſſionem non à neceſſitate originem trahere,ſed à voluptate. Quòd ſi dicas,illius cauſa veniſſe Dominũ:quamobrẽ non prorſus eam delebat in ſuſceptione baptiſmi:ſed quiſque etiam nũc habet poteſtatẽ tranſgrediendi,vel nõ? Quare tranſgreſſionẽ,quæ ſpontanea eſt, vt demonſtrauimus, nemo ſuſcipit ex neceſſitate: ſuſcipimus tamẽ ex hac neceſſariò cõſequentem mortem: quæ eſt, alienatio à Deo. Primo ſiquidem homine mortuo, hoc eſt,alienato à Deo,nec nos in Deo viuere poteramus: propterea venit Dominus,vt per lauacrũ regenerationis nos viuificaret & reconciliaret Deo, quod etiã præſtitit. Quocirca nõ ſuſcepimus tranſgreſſionem,quoniã in illum quoque neceſſariò dominata eſſet ea,quæ regnauit etiã in eos qui nõ peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ.

Concedatur, Adamum vltrò tranſgreſſum eſſe, atque ob id nos ſimilis cõſortes naturæ ſpõte etiam labi: nunquid vltrò perferebat impugnationem? Profectò neceſſariò tolerabat impugnationem illã. At oppugnatio non eſt peccatũ aut iuſtitia: ſed argumentum liberæ volũtatis noſtræ. Quapropter opponere propugnaculũ nobis etiã permiſſum eſt: vt ij qui tendunt ad mãdatũ, velut fideles coronari demõſtrentur:qui verò tendunt ad voluptatẽ,condemnari tanquã infideles. Cæterùm hoc etiã ſcire debemus, nõ ab vnaquaque noſtrûm conuerſione ſtatim nos probos aut reprobos iudicari:ſed cùm in tota vita quã agim⁹ in carne, per inſultationes probati fuerimus modo vincẽtes,nunc ſuperati: modo cadẽtes, nunc excitati: modò errantes,nunc ad rectam viã deducti: tum in die exitus omnibus computatis, iuxta proportionẽ iudicabimur. Quãobrẽ oppugnatio nõ eſt peccatũ. Abſit. Quãuis enim ex neceſſitate,cogitatione tenus, res oſtẽtet, nos tamẽ per Dominum ſpiritaliter operãdi vim accepimus: eſtq; in noſtra poteſtate à prima cõceptione probare quid ſit noxiũ,quid vtile:nec à neceſſitate,ſed ab affectu depẽdet, vt creſcẽtes cogitationes repudiemus aut amplectamur. Sed ponamus, vt exiſtimas, ex neceſſitate & per ſucceſſionẽ has renaſci: quare prauarũ cogitationũ nomine cõdẽnat nos ſcriptura diuina? Aut quo pacto poſſum⁹ eas excludere,cũ ex neceſſitate & ſucceſſione nos ĩfeſtãt? Sin dixeris mihi

Satanas tentauit Chriſtum & Adamum.

Diaboli impotentia.

Suggeſtiones variæ.

Interrogatio. Reſponſio. Crede tutò,poſt Baptiſmum remanere fomitem peccati, quem Paulus vocat legem repugnantẽ legi mentis Dei.

Rom. 5. 6. Interrogatio.

Reſponſio.

Libera voluntas.

Iudicium in die noſtri exit⁹.

mihi, Possumus per gratiam quam accepimus à baptismo, secũdum scripturas: hac etiã ratione nosce, nos authores esse: qui consecuti sumus à Deo facultatem excludendi illas, à prima apprehensione & redditione. Si quis autem alium statuat authorẽ suorum ipsius vitiorum, nõ modò peccat audacter: sed etiam blasphemat aduersùs Deum: vt qui permittat insontes homines oppugnari.

Interrogatio. Cur igitur ego baptizatus, & Deum obsecro, & gratiam eius imploro: totísq; votis à prauis cogitationibus liberari ac exolui desidero: nec tamẽ possum? Nónne clarum est, hanc irrecusabilem hæreditatem nobis ex Adæ præuaricatione relictã esse?

Respõsio. Oportebat nos ratione præditos scire quid audiamus. Sed quoniã anima voluptatis amore vanáque gloria obscurata, in profundũ ignorationis delapsa est: iã non audit mandatum scripturæ, non ordinẽ naturalem, nec peritorum moderationẽ: proprias duntaxat conceptiones sectatur. Quis enim, si fidẽ habeat scripturæ diuinæ, Dominique mandata peragat, nõ reperit cõsimili modo paulatim desinere cogitationes, certiórque fit, illas non ex potẽtia regnare, sed ob exilitatem fidei nostræ & mandatorũ defectum? Quapropter non omnes statu pares sumus, neque iisdẽ impellimur conceptionibus: quia spontaneæ sunt causæ conceptionum. Nam si necessariò manarent ab Adamo, cuncti pariter agitaremur, & ineuitabili modo obsideremur: nec opus haberemus admonitione scripturæ, natura per successionẽ dominante, non voluptatibus dedita voluntate. Nunc autẽ non ita res est. Absit. Ecce enim videmus, nõ omnes nos æqualiter torqueri, nec iisdem temporibus, nec easdem ob res. Sed quatenus quisque domino credidit de futuris bonis humanę gloriæ, voluptatum studio contẽpto: hactenus exclusit cogitationes, & trãquilliore est animo, quàm is qui voluptatibus afficitur. Propterea alter ab altero tum animi conceptione, tũ vita discreti sumus. Cùm ergo in eo cauillemur etiã veritatem, & quæramus extinguere cogitationes nõ ex fide Iesu, hoc est, non in mãdatis eius exequẽdis aut per simplicitatẽ & humilitatem cor affligendo: sed occulta voluptate, vana inquã gloria, hominibus placendo, opinione & imaginatione victoriæ atque arrogãtia ducti, aliisque similibus: quorũ frustrationes, cupiditatũ plenas augent cogitationes: hac de causa non possumus. Quid igitur retinẽtes causas, iniustè naturales earum affectus abiicere tentamus? Sin falsum est quod dicimus, ac citra culpã nostrã vexamur tentationibus, accuratè perpendamus, vt confitẽtes Deo. Quis ignorat, nos quotidie facto, verbo, & animo, antedictas affectiones accersere: & eos qui adiuuãt, vt beneficos, amare: qui verò impediũt, velut hostes, auersari? Sin autem affectiones, quas antè diximus, vsqueadeo diligimus, vt palã eas vendicemus: qui fiet, vt earum insultationem, quę fit cogitatione tenus odio prosequamur? Vbi verò cõceptionem primã amplexi fuerimus, quomodo dependentes ab ea cogitationes non subsequentur?

Interrogatio. Luc.18.b Respõsio. Quanuis hęc ita se habere ponamus: sic in Euangeliis promisit Dominus, se facturum vindictam clamantium ad se die ac nocte.

Dominus quidem non dicit parabolã iis qui spõtè iacent in deliciis: sed illis, qui solis apprehẽsioni-

A bus impugnãtur. Idcirco hos quidem iniuriã patiẽtes, ab hostibus vindicaturũ se pollicitus est: illos autẽ, vt qui abiecerint ferens opem madatũ, increpat, dicens, Quid vocatis me Domine: & non facitis, quæ dico? Quos etiam assimilat viro stulto, qui super arenam voluntatum suarum, ædificat domũ suam. Ne ergo inconstãtia animi & rationis experti consilio ductus, omnibus opinionibus tuis innitare, tanquam veris, dicens interdum. Ego sum baptizatus, Deum inuoco, gratiam eius accerso, tota voluntate desiderans liberari à cogitationibus malis, & nequeo: tanquam sine culpa detinearis cogi- Luc.6.g

B tationibus: quandoque verò contrà expectãs à Domino vindictam, quam facturum in euangeliis denuntiauimus: vbique teipsum insontem constituens; quod quidem ingentis est blasphemiæ. Veruntamen ego te etiam rogabo sensum opinionis tuæ: & responde mihi. Scio autem, quòd à veritate coactus, aut maioris arrogantiæ verba perferes, aut tuã ipsius culpam confitebere.

Interrogatio. Quamobrem Dominus cùm dixerit, Citò faciet vindictam, non celeriter facit: sed moratur, & relinquit te in cogitationibus prauis, licet deprecantem ex toto corde, & absque hæsitatione, quemadmodum dixisti? Luc.1.b.8

Respõsio. Ille verò dixit, Non puto, vllam aliam ob causam

C eum tardare, quàm patientiæ meæ. Quanto enim plus quispiam per impugnationem perpessus fuerit, tanto maiore afficietur gloria. Ego quidem respondere dũtaxat decreuerã opinioni quam imbibisti: tu verò etiam adiecisti blasphemiam. Nam vt ascriberes tibi nomen falsæ patientiæ, constituisti Deum tuo proprio sermone mentientẽ: prauáque cogitationes, quæ prodeũt ex corde, iuxta verbum Domini, & coinquinant hominẽ, non esse iam ex scriptura diuina procuratrices nequitiæ, deliciarũ, totiúsq; peccati: sed patientiæ causas esse. Ego verò nunquã reperi, cõstrictos prauis cogitationibus à scriptura diuina laudari, siue in veteri, siue in no-

D uo testamento: sed vt reos potiùs & condemnatos haberi. Deus siquidẽ vt peruersas cogitationes odit sic & cor, vnde nascuntur. Quare nos, qui ipsas alimus, lugere debemus, velut amantes peccati: & nõ intumescere, quasi pugnemus aduersus externa vitia. Scito igitur, ô homo, Dominum intueri corda omniũ, eósque qui primã improbarũ cogitationum conceptionem oderunt, confestim vindicare, sicuti promisit: neq; dimittere, legionẽ multiplicis apprehẽsionis insurgentẽ, vt inquinet ipsorum animũ & conscientiã: Illos autem qui per fidem ac spem primas pullulationes non euertunt, sed quasi discẽdo

E & probãdo deliciis adhærent, velut infideles à seipsis auxilium petentes, etiã à subsequentibus cogitationibus pulsandos dimittit: quas ideo nõ perimit, quia videt nos impugnationem nostri diligere ac non odio prosequi, vbi primùm obscurè cœperit apparere. Si quis verò post tantam támque claram disputationẽ, fidem non habeat iis quæ dicta sunt, re ipsa det operam, vt discat veritatem. Si verò non credit scripturæ, neque ipso facto vult seipsum certiorem facere, is apertè demonstrat se diligere & amplecti suam opinionem. Quid enim delectabilius ea quæ suggerit, peccatum cogitationum extraneum esse, efficitque vt velut innocentes

Cogitationes vitiosæ cur nõ statim à Deo excidantur.

gloriemur & extollamur potiùs, quàm praua commenta confiteamur ac lugeamus?

Interrogatio. Dixisti superiùs, nos non præuaricationem Adæ, sed mortem eius susceпisse. Cùm ergo mors vigeat, vigent etiam cogitationes prauæ.

O infidelitatem! Qua igitur de causa venit Dominus in carne: nisi planè vt vnus pro omnib⁹ moreretur, secũdum scripturas, & destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum? Sin arbitraris adhuc regnare mortem ex Adamo profectam, citra nostram malam fidem, aduentum Christi profectò cõtemnis: & baptismum habes imperfectum, si baptizati, paterna morte citra suam culpam adhuc detinentur. Quapropter, ô homo quo pacto per gratiam Christi nouus Adam factus es, & veteris nihil circunfers necessariò, nisi malæ fidei præuaricationisque tũræ quippiam habuisses? Nostra causa venit Dominus, mortuus est pro nobis, exoluit nos morte paterna, purgat nos ac renouat per baptismum, collocat nos in paradiso Ecclesiæ, ex omni ligno quod est in paradiso, permittit edere, hoc est, omnem baptizatum in Ecclesia diligere, & delinquentem tolerare: & ne quis aliũ in suis mutationibus reperisse gaudeat, qui diligat quidẽ in his quę prospera putãtur, oderit autem in his quę existimantur aduersa: quod est lignum scientiæ boni & mali, de quo cùm gustauerit animus, in suam infirmitatem protinus delabitur, & per malignam inuẽtionem in rebus ad proximum pertinentibus, quam antea ignorabat compassione velatam, reperit suiipsius denudationem. Quare mandata dedit his qui constituti sunt in paradiso Ecclesiæ, dicens, Nolite iudicare, & non iudicabimini. Dimittite, & dimittetur vobis. Horum compendium inquit. Quæcunque vultis, vt faciãt vobis homines, & vos facite illis similiter. Hæc est enim lex & prophetæ. Perinde tibi erit, vt alij feceris. Quoties igitur hæc mandata contaminauimus? Quoties proximum absque vlla compassione condemnauimus? Quoties odio prosecuti sumus: aut etiam nihil nos lædentẽ affecimus iniuria? Quòd si hæc ita se habent quid adhuc de Adamo cõquerimur, & accusamus aliena vitia? Nam & in mortem consimilem incidimus: immò, perinde ac ille sponte mãdatum transgressi sumus. Tria igitur contigerũt Adamo, nõ ita vt existimas: quæ quidẽ sunt, ex dispensatione, impugnatio, transgressio pro modo suæ perfidiæ, & ex iusto Dei iudicio mors quæ nõ minùs sequitur ipsam cũ dispensatione permissam impugnationẽ, quàm nascentẽ è perfidia trãsgressionẽ. Solam ergo mortem ab Adamo susceпimus, quoniã ex mortuis viuentes effici nõ poteramus, donec venit Dominus, qui cunctos vitæ restituit. Atqui primam conceptionem habemus ex dispẽsatione, quemadmodum & ille: & perinde ac ille, pro arbitrio possumus obtemperare, vel non obtemperare. Nobis etiam suadent, in libera voluntate situm esse, vt per cogitationes transgrediamur, ij qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, vt ait Apostolus. Si enim qui orti sunt ab Adamo, potuerunt nõ peccare in similitudinem præuaricationis Adæ, certè nos etiam possumus. Quid igitur præteximus excusationes in peccatis, & perperam de Deo loquimur, quasi nos iniustè permittat alienis oppugnari vitiis? Quapropter exactè scire debemus post vniuersam Adæ culpam à Domino deletam, si quispiam aliquid vitij patiatur, quicunque sit ille, hoc ei accidere, quòd perfectionem, quam mysticè adeptus est in baptismo, sua perfidia, aut potiùs voluptatis amore contempsit. Etsi enim homo, cùm imperfectæ sit fidei & operatione destitutus, nondum nouit quid accepit, Deus tamen rem perfectã donauit. Inquit enim, Omne donum perfectum, de sursum est, descendens à patre luminum. Hoc autem ipsum perfectum nõ leuiter aut temerè quis animo consequitur, etiam si totius orbis intellectũ adhibuerit, præterquàm exequendis mandatis diuinis: idq; iuxta proportionem: quia pro varietate operationis, donum etiam variè nobis reuelatur. Nullus ergo verbis aut habitu se comprimat, non allato huius generis intellectu. Inquit enim, Non qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quẽ Deus commendat. Ille porrò qui commendationes accipit à Domino, debet rectè & prudenter vti: ac scire diligenter, quòd quantum quis contra suã ipsius perfidiam certauerit, & profecerit in fide, & boni quippiam adeptus fuerit, non nuda modò cognitione, sed operando: nihil amplius consequitur aut consequi poterit, quàm id quod antè mysticè per baptismum acceperat, quod est Christus. Quicunque enim, ait, in Christo baptizati estis, Christum induistis. At cùm Christus sit perfectus Deus, baptizatis perfectam sancti Spiritus gratiam largitur: quæ nullum à nobis incrementum accipit, sed reuelatur & seipsam prodit nobis, pro modo obseruationis mandatorum: quæ nobis præstat accessionẽ fidei, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Si quid igitur regenerati offeramus ei, illud iam erat ab eo in nobis reconditum, quemadmodum scriptum est; Quis cognouit sensum Domini; aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in sæcula sæculorum Amen.

Peccatum vnde.

Heb.2.d.

Iacob.1.c

2.Co.10.d

Gen.2.

Galat.3.d

Matt.7.a
Luc.6.c
Matt.7.b

Ephes.4.c

Rom.11.d

Peccatum Adami.

Rom.5.a

Arbitrium liberum.

SANCTI MARCI HEREMITÆ, AD NICOLAVM PRÆcepta salutaria.

CVm de tua Ipsius salute nuper admodum solicitus essem, multámque curam gererem de vita secundùm Deum agenda, occurristi nobis, res tuas commemorans: quibus laboribus, & quàm feruenti impetu animi adhæsurus esses Domino, exacta vitæ conuersatione, continentia, omnique alia afflictione, crebris vigiliis, & vehementi decertans oratione: quæve bella & carnalium affectionum pulsationes in natura corporea sese vibrarent, & aduersùs animam excitarentur à lege peccati, repugnante legi mentis nostræ: grauiùs ab affectu irascendi perturbari te querebare: ac methodum quãdam hortatoriósque sermones requirebas: quibúsue laboribus & certaminibus vtens, pernicios affectionibus antè dictis superior euadere posses. Ac illo quidem tempore, quoad fieri poterat, præsentes, dilectionem tuam exhortati sumus, propositis consilij & prudentiæ præceptis animæ salutaribus,

ribus, oſtendentes quibus laboribus & contentionibus exercitatoriis cum prudentia & cognitione illuſtrata rationabiliter ſecundum Euangeliũ verſans anima, adiuta gratia per fidem poſſit interiùs ſcaturientia cordis vitia ſuperare: maximè verò ſuprà dictas affectiones. Quarum enim affectionum præoccupatione & familiaritate frequentiùs perturbata, & celeriùs agitata eſt anima, vehementius & aſſiduum aduerſus eas debet inire certamen, donec carnales & irrationales affectus vitiorum ſubiugauerit, quib⁹ antea ſubiiciebatur & agitabatur, & continua ſimulatione cogitationum, prauáque meditatione per internum animi conſenſum abducebatur captiua. Cùm ergo corporeo modo à corpore tuo, non animo, diſiuncti ſimus, qui venimus in Deſertum ad veros operarios & athletas Chriſti, vt & nos vel quantulumcunque dimicantes, & vnà pugnantes cũ fratribus certantibus aduerſus contrarias facultates, & affectionibus viriliter reſiſtentibus, pigritiam omnem exueremus: abiectáque à nobiſipſis omni negligentia, omne ſtudium & diligentiam ad beneplacitum Dei peragendum alacres reſumeremus. Quapropter exiguam admonitionem & exhortationem animæ perutilem decreui mandare literis ingenuitati tuæ: vt perinde ac ſi præſentes eſſemus, per ea quæ paucis ſcriptura noſtra exhortatoria mediocri cõplexi ſumus, diligentẽ nauans operam, ſpiritalem fructum percipias eorum de quibus tecũ præſens diſſerebã.

Initium igitur, ô fili, præmonendi ſecundùm Deum tuum hinc facere debes: Perpetua & nulla obliuione delenda memoria, cum aſſidua meditatione, perpendi debent vniuerſæ Dei humaniſſimi adminiſtrationes, in te collata beneficia ſaluti animæ tuæ gratia: & ne per ſocordiam & obliuionem multorum & ingentium beneficiorum eius excidat è memoria tua tegi, vitia, ideóque reliquũ tempus inutiliter & ingratè tranſigas. Nam continua huiuſmodi memoria cor pungens, inſtar aculei, perpetuò excitat illud ad confeſſionẽ, abiectionem, & gratiarum actionem cum anima contrita, ad omne bonum ſtudium: & vt mãſueta vitæ ratio benignique mores rependantur Deo cum omni eo digna virtute: ſemper animo bene conſcio meditãdo illud propheticum elogium. Quid retribuemus Domino, pro omnibus quæ retribuit nobis? Cùm enim ſecum anima beneficia reputauerit ab humaniſſimo Deo collata, à tempore natiuitatis: aut è quantis periculis ſæpiùs erepta ſit: aut in quãta mala ruens & crebrò delictis ſuccumbens delapſa, ſpiribus, qui ſeduxerant eam, tradita non fuerit in interitum & mortem, vt iuſto iudicio poterat: ſed humaniſſimus Dominus longanimiter diſſimulãs delicta, conſeruauerit eam, illius conuerſione ſuſcepta: & eam quæ hoſtibus & ſpiritibus malignis vltrò per affectiones inſeruierat, ipſe fouens & per omnia prouidens alebat: quam ſpiritu bono tandẽ duxerit in ſalutem: & amatorio poculo exercitatoriæ vitæ cordi indito: ei, vt mundum & vniuerſam carnalium affectionum eius ſeductionem læta deſereret, vires addidit: exornauit etiam Angelico habitu ordinis Angelici: effecitque vt à ſanctis patribus in cœtũ fraternitatis facilè aſſumeretur. Quis porrò bene conſcio præditus animo his conſidera-

Memoria diuinorũ beneficiorum.

Pſal. 115. a

Fraternitas.

tis, habens tanta pignora, nullúmque bonum pluris faciens quàm percepta beneficia, non ſemper contrito corde permaneat? Nónne firmam fiduciã perpetuò reſumet, hoc perpendens, nempe, Si cùm nihil egiſſem boni, ſed coram eo multum peccaſſem deprehenſus in carnis impuritate aliiſque permultis vitiis, non ſecundum peccata fecit, neque ſecundum iniquitates retribuit: ſed tanta munera gratiáſque ad ſalutem ſuppeditauit. Quamobrem ſi nos in poſterum deuouerimus integrè ſeruitio illius, in omni pura conuerſatione & conſummatione virtutum, bonis omnibus ac ſpiritalibus chariſmatibus nos dignabitur, deducens ad omne bonũ opus, & corroborans. Idcirco qui perennem huiuſmodi cogitationem conſeruat, non oblitus taliũ beneficiorum, ſe placat & dirigit, impellítq; ad omne bonum exercitium virtutis & omnem operationem iuſtitiæ prompto & parato ſemper animo ad peragendam Dei voluntatem. Quare, dilecte fili, qui per Dei gratiam habes naturalem intellectum, hanc aſſiduam meditationem & exercitationẽ bonam iugiter apud teipſum conſerua, non obrutus obliuione pernicioſa, non impeditus ignauia, quæ deſipientem reddit animum & à vita ſeducit, non habens cogitationem obſcuratã ignoratione, malorum omnium cauſa: non illectus mala prorſus negligentia, non cõcuſſus voluptate carnis, nõ habens à cupiditate captum animum, non exercens in teipſo, per conſenſum, lubricarum cogitationũ pollutionem: non victus ira, quæ fraternum parit odium: vt qui miſeranda & infœlici quadam occaſione proximum angas, & angare, eíque memoriã colligas prauarum cogitationum, deſtitutus munda erga Deum precatione, & emancipato animo, ferinóque conceptu fratrem vnanimem ſubintuẽs, & irrationalibus affectus carnalis motibus deuinctam habens cõſcientiam, maligniſque ſpiritibus quibus traditus eras erudiendus ad tempus, donec ex omni parte ſpoliatus animus & triſtitia atque ignauia abſorptus, perdita propter ſcelera præcedentia promotione diuina, denuò per multam humilitatem repetere incipiat initium viæ ſalutaris: cúmque precibus & integris vigiliis nocturnis multùm inſudauerit, diſſolutis culpis per deiectionem & confeſſionem Deo factam, hac ratione ſobrietatem incipiat reſumere, ac per gratiam diuinam illuſtratione cognitionis Euãgelicæ ſplendẽs cognoſcat: eum videlicet, qui per humilitatẽ animi ſeipſum cruci planè non dedicauerit, abiecerítque conculcandum ab omnibus, contemnẽdum, afficiendum iniuria, illudendum & ſubſannãdum, eáque omnia læto animo perferat propter Dominum, nullo prorſus modo ſibi vendicans humana: verbi gratia, gloriam, honorem, laudem, voluptatem cibi potioniſq; vel indumenti, verum chriſtianum euadere non poſſe. Itaque nos, qui hactenus huiuſmodi certamina, conflictus & coronas nobis non propoſuimus, ſub ſpecie ſimulatæ pietatis Domino ſeruimus: dum aliud eſſe exiſtimamur à multis, aliud in abdito eſſe cognoſcimur & reuelamur. Nam ſancti credimur ab hominibus, re vera tamẽ moribus admodum agreſtes ſumus: formam quidẽ habentes pietatis, virtutem autem eius coram Deo non poſſidentes: qui virgines & puri putamur à

Pſal. 102.

Naturalis intellectus.

Hypocriſis.

pleriſque, at apud eum qui nouit abſcondita, quia A lubricis cogitationibus aſſentimur, ſpurcitiis interiùs inquinati ſumus, & paſſionum affectibus ſordeſcimus: ac per exercitium noſtrum ſimulatũ humanis laudibus ducti laboramus ignauia, animóq; excæcato ſumus. Hucuſque ergo in vanitate mentis ambulamus, & Euangelicæ ſapientiæ non incũbimus, & conuerſationem in conſcientia ſitam nõ agnoſcimus, vt hanc diligenter perſequamur, quò conſcientiæ libertatem conſequamur: ſed adhuc in putatiua externi hominis iuſtitia perſiſtimus: & penuria cognitionis veræ, externis duntaxat officiis ipſi nos ſeducimus, volẽtes hominibus placere, gloriam & honorem cum laudibus ab ipſis venantes. B Veniet proculdubio is, qui reuelat abſcondita tenebrarum, & manifeſtat conſilia cordium, iudex qui falli non poteſt: nec diuitem reueretur, nec miſeretur pauperis: qui exteriorem formam amputat, & veritatem interiùs latentem emittit in lucẽ: qui veros certatores & athletas ſecundum conſcientiã verſantes, coram Angelis ſub nutu patris ſui coronat: ac de ſimulatis, ſpeciémque pietatis indutis, qui apparentem duntaxat conuerſationem oſtentant hominibus, & in ea manent incaſſum fixi, ſuum ipſorum animum alioqui fallentibus, in ſuperna vocatione ſanctorum & vniuerſo cœtu cœleſti triumphum agit, illis grauiter erubeſcentibus, qui C ab exteriori ſpecie iudicantur, more fatuarum virginum: quæ externis quidem partibus corporis virginitatem ſeruauerunt (de eo ſiquidem non ſunt accuſatæ) ſed & oleum particulatim habebant in vaſis, hoc eſt, quarundam virtutum ac rerum bene geſtarum participes erant, ideóque lampades earũ aliquatenus ardebant: ſed præ negligentia, ignoratione, & ignauia puritatem internam ſibi non cõparauerunt: & latentem intus affectionem turbam à malignis cogitationibus & ſpiritibus agitatam, exactè non agnouerunt: ſed ab aduerſariis affectibus intellectum ſuum corrumpi paſſæ ſunt, dum ſeipſas mouerunt ad præſtandum conſenſum co- D gitationibus, illectæ clàm & victæ peſſima inuidia, zelo, odio habente quod bonum eſt, lite, odio, cõtentione, ira, acerbitate, ſimulatione, indignatione, ſuperbia, vana gloria, hominibus placendi ſtudio, amore pecuniæ, cupiditate carnis, quæ delectationẽ pariunt in cogitationibus: perfidia, ſecuritate, timiditate, incuria, triſtitia, contradicendi ſtudio, mollitie, ſomno, opinione ſui, iuſtitia, elatione, arrogantia, auiditate inexplebili, luxu, auaritia, omnibus grauiore deſperatione, & reliquis vitiorum minutiſſimis effectibus. Quæ quidẽ virgines ſibi videbantur hominibus bonas operationes & præclaram conuerſationẽ agere, laudes ab illis pro fructu ferentes, & ſi chariſmatum quorundã participes erant, ſpiritibus vanæ gloriæ ſtudiique hominibus placendi chariſmata diuina permutabant: habentes autem communionẽ cum reliquis affectionibus, permiſcebant honeſta ſtudia prauis & carnalibus cogitationibus, ideóque, inſtar oblationis Cain, impura & ſuſceptu indigna perpetrabant, quamobrem adeptæ ſunt conſimilem finem, ſponſi gaudio priuatæ & thalamo cœleſti excluſæ. Hæc igitur cum reputatione & diſcretione tractãtes, noſcamus & intelligamus quinam ſumus: vt dum pœnitentiæ conuerſionique tẽpus adhuc habemus, ipſi nos corrigamus: vt opera noſtra bona purè facta, genuina ſint & honeſta, & voluntati carnis non permixta: ne, velut reprehenſibile ſacrificium, ob ſecuritatem, negligentiã, & cognitionis veræ defectum, reiectitia fiant: ne quo etiam pacto, exhauſtis virginitatis, continentiæ, ieiunij, vigiliarum & afflictionis laboribus, diebúſque cõſumptis, & affectionum cauſis ſuprà dictis, hæ quas arbitramur iuſtificationes, velut culpandum ſacrificium, non inueniantur dignæ quæ ſuſcipiantur à cœleſti pontifice Chriſto. In primis ergo filì, cognitionis & intelligẽtiæ cura eſt habenda ei qui crucem tollere & ſequi Chriſtum deſiderat: per aſſiduã apud ſeipſum cogitationum ſcrutationem, immodicam de ſalute ſolicitudinem, ingens ad Deum perueniendi deſiderium, multam prudentiam & interrogationem eorum qui concordi & vnanimi ſententia Deo ſeruiunt, idémque certant certamen: ne ignarus ambulet in tenebris, & ſine lumine & lucerna incedat. Qui enim priuatum ſequitur genium, & abſque cognitione & directione euanglica graditur, impingit in multa, & in foueas & laqueos multos diaboli cadit, in multis labitur & errat, in multa pericula dilabitur, nec nouit qualem conſequatur exitum. Plerique ſiquidem non modicos labores & exercitationes decurrerunt, afflictiones & ærumnas multas, tanquam Dei nomine, pertulerunt: priuatáque diſpoſitio & indiſcretio, item arbitrati ſe non egere auxilio proximi, ipſorum tam graues labores, fatigationes & vexationes, infructuoſas effecerunt. Tu ergo, dilecte filì, quemadmodum initio exhortationis noſtræ diximus, ne furto & pigritia ſeductus, obliuiſcare beneficiorum in te collatorum à Deo hominum amãtiſſimo: ſed iis quæ donata ſunt ab initio natiuitatis tuæ vſque ad præſens tempus tam corporeis quàm ſpiritalibus beneficiis ante oculos poſitis, hæc meditare, & in his continenter exercere, iuxta id quod dictum eſt, Et noli obliuiſci omnes retributiones eius: vt promptè & facilè te inducant ad diligendũ Deum. Mouetur enim animus ad reddendam pro viribus vitam ſynceram, conuerſationem virtutibus deditam, conſcientiam religioſam, ſermonem bene conuenientem; & vt flexus memoria tãtorum bonorũ quibus affectus es à bono & humano Domino, teipſum illi totum dedices: quò per hanc beneficiorũ memoriam ſpõtaneo quodam modo, immò potiùs auxilio ſuperno tecum operante, vulneretur cor tuum in amorem & deſiderium: quia quę admiranda ſummo iudicio non contulit aliis, ſua ipſius indicibili humanitate tibi præſtitit. Da igitur E operam, vt perpetua memoria teneas cuncta bona quæ tibi obuenerunt à Deo: potiſſimúmque illius admirandæ gratiæ beneficiique ne ſis vnquam immemor, quod præbuit tibi vna cum matre tua, è ſanctis locis Conſtantinopolim nauigãti, quemadmodum ipſe retuliſti nobis: quando horrenda illa & intolerabili procella ingentique tempeſtate noctu excitata, omnes qui erant in naui vnà cum nautis & ipſa matre tua perierunt in profũdo: & ex inſperata & diuina potentia tu ſolus cum duobus aliis proiecti ſeruati eſtis: & qua ratione, Deo ita diſpenſante, factum eſt, vt anchora vectus, & à libero quodam

Iuſtitia putatiua.

Matt. 25.

Iuſtificationes non dignæ.

Memoria diuinorũ beneficiorum.

Pſal. 102.

Sancta loca.

ro quodam homine paternis viſceribus exceptus, A copulatus es affectu cum Epiphanio religioſiſſimo filio: vt ambo deducti operâ ſancti viri veniretis in viam ſalutis, ac velut germani filij à ſanctis Dei ſeruis ſuſciperemini. Horum ergo cunctorum bonorum nomine tibi conceſſorum à Deo, quid dignũ reddere poſſis ei qui vocauit animam tuam ad vitã æternam? Tibi enim in poſterum viuere non debes (vt æquum eſt) ſed ei qui tua cauſa mortuus eſt, & excitatus ad omnem virtutem iuſtitiæ, & omnem promotionem in mandatis: ſemper inquirens quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta: & ei toto conatu dare operam, hánque perſequi. Cæterùm, ô fili, iuuẽtutem tuam ita ſubiice verbo Dei, B vt ipſum verbum exiget. Exhibe corpus, vt hoſtiã viuentem ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium: omnémque humorem cupiditatis carnalis, cibi potúsque parſimonia & integrarum noctiũ vigiliis refrigera & deſicca: vt ipſe dicas ex affectu, Pſ. 118.b Factus ſum ſicut vter in pruina: iuſtificationes tuas non ſum oblitus. Galat. 5.d Et cùm agnoſcas, te eſſe Chriſti, crucifige carnem tuam, iuxta vocem Apoſtolicam, cum vitiis & cõcupiſcentiis: & mortifica membra quæ ſunt ſuper terram: non eam modò immunditiam quæ ſtuprum carni procurat, ſed eam etiã quę inducitur à malignis ſpiritibus. Immunditia à malignis ſpiritibus inducitur. Nec eò vſque certamen conſtituit, qui veræ, impollutæ, perfectæque C virginitatis coronã accipere deſiderat: ſed Apoſtolicam doctrinam ſecutus, etiã ipſius affectionis cõſortium ac motum interimere contendit. Non ita tamen amoris vehementia perſuaſum habet, ſe vocem Euangelicã & impollutam virginitatem accepiſſe, & in corpore ſuo habitare: ſed & ipſam cupiditatis conceptionem in ſola cogitatione animæ poſitam, citra motum & actionem affectionis corporeæ, quæ aduentu ſuo ventilat animum, deletam iri precatur, hoc autem duntaxat ope potentiáque ſuperna, ſancto Spiritu ſuppeditante, fœliciter peragi poteſt. Quocirca etſi quidam hac gratia digni ſunt habiti, is tamẽ qui puræ & immaculatæ virgi- D nitatis coronam ſuſcipit, mortificat membra ſuper terram, acceſſione & continuatione tontinentiæ: corrumpens exteriorem hominem, extenuãs & fallens eum, ac deſiccatum efficiens: vt per fidem, certamina, efficaciã gratiæ, renouetur interior homo, de die in diem proficiens in melius: dum augetur charitate, ſpe creſcit, mãſuetudine exornatur, pace Chriſti palmã reportat, benignitate ducitur, exultatione ſpiritus lætatur, bonitate tutus eſt, timore Dei cõtinetur, intellectu & cognitione illuſtratur, ſplendeſcit ſapientia, humilitate dirigitur. His & conſimilibus virtutibus renouatus animus, characterem imaginis diuinam ſpeciem referentis in ſe- E ipſo perſpicit, & arcanam ac intellectualem ſimilitudinis dominicæ pulchritudinem intelligit, & per ſe doctæ & à ſeipſa diſcentis ſapientiæ internæque legis opes aſſequitur. Proinde, fili, inutilem carnem extenua, & iis quæ dicta ſunt, ſagina immortalem animam, ac ſuprà dictis virtutibus animum renoCato iuuenilis, porcus ſagina-tus. ua, cooperante Spiritu ſancto. Aiunt enim, iuuenilem carnem variis cibis viníque potionibus ſaginatam, eſſe velut porcum mactationi paratum. Sic ardore voluptatum corporis mactatur anima, & cupiditatis prauæ feruore captiuus redditur animus, vt reſiſtere non poſſit voluptatibus carnis. Nam acceſſio ſanguinis imminutionem ſpiritus parit. In primis autem ne vini ſumptionem iuuentus odoretur: ne flamma duplex accenſa, feruore inquam naturaliter inſito, & vini potu exteriùs infuſo, tormẽto compunctionis ex ea ſuſcepto, ſpiritalem abigat lætitiam, & confuſionem ac incendium gignat in corde. Imò in gratiam ſpiritalis deſiderij ne deſideret iuuentus aquæ ſatietatem. Valde enim confert ad promouendam temperantiam aquæ penuria: quod cùm re ipſa tentaueris, periculo facto exploratum habebis. Non enim hoc ſancimus aut præſcribimus, quaſi iugum neceſſarium tibi velimus imponere: ſed amica exhortatione tibi proponimus excogitationem & methodum probam ad iuuandum virginitatem veram, & exactam temperantiã: atque conſulimus, relinquentes libero tuo arbitrio, quod ei libuerit. Age verò poſthac & de expertę rationis ira pauca tractemus: quæ totam animam reddit deſolatam, confuſam & obtenebratam: necnon tempore motionis & affectionis ſuæ oſtendit hominem beſtiarum eſſe ſimilem: illum maximè, qui facilè & celeriter labitur in illam affectionem. Hæc ſuperbia potiſſimùm ſtabilitur & confirmatur ac fit indiſſolubilis: quandiù videlicet amaritudinis, iræ & indignationis arbor diabolica humectatur aqua ſuperbiæ vitioſa: quæ quidẽ arbor florens & virens adfert fructum iniquitatis copioſum: & hac ratione domus ipſius maligni ſtruitur in anima, hoc ſuffulta & firmata ſuperbiæ fundamento, vt diſſolui nequeat. Si ergo libuerit arborem iniquitatis, affectum dico acerbitatis, iræ, & indignationis, in te exareſcere & ſterilem fieri, vt aduenies ſecuris Spiritus ſancti amputet eam & mittat in ignem, iuxta ſermonem euangelicum, tollátque cum omni nequitia: ſi etiam velis domũ iniquitatis, quam Malignus, ita diſpenſante Deo, nullo non tempore conſtruit in anima, coaceruáns, inſtar lapidum, varias occaſiones rationabiles aut D ratione carentes, ex materia negotiorum aut verborum poſitorum in cogitationibus, ædificium nequitiæ moliens in anima, ſuggeſtis pro munimento & firmamento cogitationibus ſuperbiæ: ſi velis, inquam, horum diſſolui & effodi domicilium, habeto in corde tuo humilitatẽ Domini nulla obliuione delendam, quis ſit, quid noſtra cauſa factus ſit, à quali ſublimitate lucis diuinitatis, quæ reuelata eſt, quantùm ferre poſſunt ſupernæ Subſtantiæ, & glorificatur in cœlis ab omni rationali natura, ab angelis, archangelis, Thronis, Dominationibus, Principatibus, Poteſtatibus, Cherubim & Seraphim, & aliis innominatis Virtutibus intellectualibus, quaE rum nomina non peruenerunt ad nos, vt obſcurè locutus ait Apoſtolus: in quantam profunditatem humilitatis hominum, indicibili bonitate ductus, deſcendit: & aſſimilatus per omnia nobis ſedentibus in tenebris & vmbra mortis, & affectionum vi in poteſtatem inimici redactis. Dominus ergo vniuerſæ creaturæ tam viſibilis quàm inuiſibilis, non erubuit nos in huiuſmodi captiuitate conſtitutos, & quí inuiſibilis & malignæ mortis imperio regebamur: ſed humilians ſemetipſum & aſſumens hominem affectionibus obſcœnis ſubditum, & ſententia dominica condemnatum, per omnia noſtrî

Iuuenes ne vinum bibant.

Methodus conſeruãdæ Virginitatis.

Iræ fundamentum ſuperbiæ.

Humilitas Chriſti, eſt antidotum contra Superbiam.

similis factus est, excepto peccato; hoc est, demptis ignominiosis affectibus. Nam inflictas homini voce dominica ob peccatum transgressionis pœnas mortis, afflictionis, famis, sitis, omniúmque similiũ assumpsit; factus id quod sumus, vt efficeremur id quod est. Verbum, caro factum est; vt caro Verbum
Ioan.1. fieret. Cùm esset dives, nostra causa factus est pauper, vt nos illius paupertate ditescceremus. Beneuolentia qua complectebatur hominem, factus est similis nostri, vt in omni virtute similes eius essemus. Ex quo siquidem Christus aduenit, re vera nouus homo per gratiam & virtutem sancti Spiritus renouatur ad imaginem & similitudinem (Dei) perueniens ad gradum perfectæ charitatis quæ foras mittit timorem, nec potest vltrà labi. Charitas enim
1 Ioan. 4.c nunquam excidit. Deus enim charitas est, inquit Ioannes: & qui manet in charitate, in Deo manet. Hunc ipsum gradum meruerunt Apostoli, & qui, perinde ac illi, virtutem exercuerunt, & exhibuerũt seipsos Domino perfectos, ac pleno desiderio per totam vitam suam secuti sunt Saluatorem. Si semper animo perpenderis sine vlla obliuione tantam abiectionem, quam arcana beneuolẽtia ductus ob suam in nos charitatem Christus assumpsit, vtpote verbi Dei habitationem in vtero, hominis assumptionem in vtero, natiuitatem ex muliere, crescentem paulatim ætatem corpoream, ignominias, iniurias, opprobria, conuicia, flagella sputa, colaphos in maxillam, derisiones, ludibria, chlamydem coccineam, spineam coronam, principum aduersus eũ sententiam, iniquorum Iudæorum qui contribules
Ioan.19.c erant, acclamationem in eum, Tolle, tolle, crucifige eum: crucem, clauos, lanceam, arundinem, aceti cum felle potionem, triumphum inimicorum, illusionem prætereuntium, qui dicebant, Si Filius Dei
Mat.27.c es, descende de cruce, & credemus tibi: & reliquas passiones, quas quidem nostra causa pertulit, crucifixionem, mortem triduanam in monumento, sepulturam, descensum ad inferos. Deinde qualia &
Passionis Christi fructus. quænam sint Passionum emolumenta; hoc est, resurrectionem à mortuis, inferni mortisq; spoliationem, earum quæ cum Domino venerunt, animarũ assumptionem in cœlos, sessionem à dextris Patris, honorem & gloriam cuius nomen extollitur supra omnem principatum, potestatem, & omne nomen, angelorum omnium adorationem erga primogenitum mortuorum ob susceptas passiones, vt Apo-
Philip.2.a stolica voce dicitur, Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomẽ: vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. En in quantam gloriam & celsitudinem,
Remediũ contra Irã. prædictorum causæ iusto Dei iudicio dominicum extulerunt hominem. Itaque si desiderio & affectu non obliuioso memoriam horum conseruaueris in corde tuo, affectus iræ, acerbitatis & indignationis, nõ imperabit tibi. Euanescẽtibus enim affectionis superbiæ fundamentis per humilitatẽ Christi quã

A versas animo, totum ędificium iniquitatis, indignationis, & iræ facilè & sponte soluitur. Nam quod tam durum cor & lapideum, si continenter habeat in animo tantam Deitatis Vnigeniti propter nos susceptam humilitatem & enumeratam antè dictarum passionum memoriam; non conteratur? Nónne se libenter terram & cinerem fieri, & ab omnibus hominibus conculcari sinet? Dum autem sic humiliatur & conteritur anima, intendens in humilitatem Domini, velut in scopum, quæ indignatio eam occupare potest? qualis ira, qualis acerbitas superare? Sed vt verisimile est, harum perutilium & viuificantium nos cogitationum obliuio, huius itẽ
B soror pigritia, & harum adiutrix & prædita similibus moribus ignoratio, quæ sunt profundiores & interiores affectiones animæ inuentu correctúque difficiles, graui curiositate velantes & obtenebrantes animam, efficiunt vt delitescant & operentur in ea reliqui vitiosi affectus: & cuique affectioni quantum ad viam & facultatem agendi audacter & facilè probent & indunt contemptum & negligẽtiam
Peccati generatio in animo. bonorum. Quandoquidem vbi velata fuerit anima mala prorsus obliuione, pernicioſa pigritia, omniúmque malorum matre & nutrice ignorantia; cuique rei visæ, conceptæ vel auditæ facilè miser &
C occæcatus animus adhæresci, verbi gratia, si pulchritudinem mulieris conspexerit, carnali cupiditate mox vulneratus est: & ita postmodum susceptiua memoria performationem conceptuum prauámque meditationem depingit intus imagines eorum quæ cum affectu & libenter conspecta sunt: eáque ratione, spiritibus malignis operam dantibus, miserum & affectibus adhuc debitum animũ
Caro affligitur reũ memoria. inquinat. Quod superest; caro, si pinguis, si iuuenilis, si humidior fuerit; huiusmodi memoriis ab
D affectu quamprimùm excitata, mota pro libidine versatur circa ea quæ reperit in eis, exercens immũditias interdum in somniis, quandoque inter vigilandum. Licet enim homo qui communionem nõ habuerit exteriùs cum muliere, temperans, virgo, & purus apud homines putetur, & habeatur, & sanctus: apud Deum tamen, qui existimat occulta, pollutus, fornicator, & intemperans iudicatur: & iustè condemnatur in illa die, nisi lamentetur & lugeat, macerans continenter carnem ieiuniis, vigiliis & precibus: & sanctis monimentis & meditationibus verbi Dei curans & emendans animum, pœnitentiam dignam obtulerit Deo, in cuius conspectu cogitauit mala vel commisit. Verax enim est viua vox, quæ dicit, Ego autem dico vobis, Om-
Mat.5.d nis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Proinde maxi-
Mulieres prorsus fugiendæ. mè confert adolescentibus nullo prorsus modo, si
E fieri potest, versari cum mulieribus, etiam si sanctæ habeantur. Quòd si semotam etiam ab hominibus vitam agere liceat, leuius superest bellum, cognitio quoque multò planior: potissimùm si quis seipsum, ac cibi & potus aquæ modicitatem diligenter obseruet, in multis vigiliis & precationibus transigere vitam contendat, versari & esse cum peritis è Patrum spiritalium numero, atque ab ipsis deduci studeat vehementer. Nam periculosum
Solitudo est periculosa. est, solum, arbitrio proprio, nullo teste, & cum imperitis belli spiritalis viuere. Aliis enim bellorum rationibus

rationibus,qui eiuſmodi ſunt,capiuntur:quia multæ ſunt vitiorum machinæ & inſidiæ latentes, variíque laquei inimici, quacunque ex parte confixi. Ideóque ſtudendum eſt ac certandum,vt aſſiduè ſit & conuerſetur cum viris cognitione pollentibus: quò ſi vel ipſe careat lucerna veræ cognitionis, ob imperfectam & puſillam adhuc ætatem intellectiuam, gradiens cum eo qui præditus eſt, non ambulet in tenebris,nõ periclitetur in caſſibus& laqueis, non incidat in beſtias intelligibiles, quæ paſcuntur in tenebris,& obambulantes in eis abſque intellectuali lucerna verbi diuini, rapiunt & perdunt. Si placuerit ergo tibi, filî, interiùs comparare lucernã propriam luminis intellectualis cognitionis ſpiritalis, nocte profundiſſima ſæculi huius inoffenſè poteris ambulare, & à Domino dirigentur greſſus tui:vt per experientiam fidei, iuxta Propheticum eloquium,vehementer amplecti deſideres viam Euangelij, hoc eſt, perfectiora ſtatuta euangelica, & deſiderio votóque animi particeps eſſe Paſſionum Domini. Cæterùm oſtendo tibi admirandam & ſtabilem methodum rationis ſpiritalis,quæ non opus habet labore aut certamine corporeo : ſed animo deſiderióque animæ & attento intellectu, & cum timore & dilectione Dei operatur: cuius ex cogitationis beneficio phalangem hoſtium fugare facilè poteris,more beati Dauidis:qui per fidem & fiduciam quam habebat in Deum,gigantem vnum ex alienigenis interemit, & hoc pacto cum ſuo populo multa milia hoſtium facilè vertit in fugam. At verò pro ſubiecta ſpecie ſermonis noſtri propone ante oculos,tres ex alienigenis validos & potentes gigantes,quibus ſuſtentatur tota vis omnia confundentis intellectualis aduerſarij : iísque deletis omnis malignorum ſpirituum potentia tendens in perniciem noſtri facilè frangetur. Sunt porrò qui robuſti gigantes illius maligni nominantur, antè iam dicta ignoratio , malorum omnium mater:obliuio,quæ eſt eius ſoror adiutrix & ſocia:&,quæ tenebroſum atræ nubis amictum & velamen ſubtexit animæ, ſocordia: quæ fulcit & confirmat ambas,eisque præbet vt ſubſiſtant,efficiens vt in anima negligentiſſima vitium immoretur . Nam ab ignauia,obliuione,& ignorantia reliquorum affectuum fulcimenta firmantur & creſcunt: quia ſe mutuò iuuant,& vna reliquis abſentibus ſubſiſtere nequit. Potentes aduerſarij vires, & validi principes illius maligni demonſtrantur: vtpote quorum operâ vniuerſus exercitus ſpirituum nequitiæ ſubingreditur,ſuffulcitur,& quę excogitauit,peragere poteſt: ſine quibus propoſita conſiſtere nequeunt. Si velis igitur aduerſus affectiones antè dictas reportare victoriam , & aciem alienigenarum intelligibilium facilè fugare, precibus & auxilio diuino roboratus,tam in teipſo quàm in profundo cordis, inueſtigato hoſce tres potentes diaboli gigantes, obliuionem,inquam, ignauiam , & ignorationem: hoc eſt præſidium alienigenarum intelligibilium: vnde reliqui vitioſi affectus ſubingreſſi agũt, viuũt & valent in animis hominum voluptatibus & vanæ gloriæ deditorum. Et vbi per ſummam attentionem & animi ſolicitudinem,ope ſuperna fauente,inueneris ignota pleriſque vitia, reliquis tamen magis exitialia, per arma iuſtitiæ ex aduerſo reſpõdentia,illam(inquam) bonã memoriam,omnium rerum honeſtarum cauſam: & notitiam illuſtratam,à qua anima expergefacta ignorantiæ tenebras à ſeipſa depellit:& per optimam animi promptitudinem, quæ inſtruit ad ſalutem, & inducit in animum quæ pertinent ad virtutem: indutus arma in virtute Sancti Spiritus per omnem orationem & obſecrationem ſtrenuè & viriliter expugnabis tres alienigenarum intelligibilium antè dictos gigantes. Optima quidem & Deo grata memoria, quæcunque ſunt vera, quæcunque præclara, quæcunque iuſta, quæcunque pura, quæcunque bonæ famæ, ſi qua laus, ſi qua virtus omnia conſiderans, peſſimam omnium obliuionem à teipſo excuties: illuſtrata verò cœleſtíque cognitione, pernicioſam & caligine plenam delebis ignorationem:honeſtiſſima autem & omnium virtutum ſtudioſa alacritate animi,expellas ignauiam Deo carentem, & omnium in anima vitiorum procreatricem. Has porrò virtutes cùm obtinueris, non nuda aut ſola voluntate, ſed diuina potentia & ope ſancti Spiritus cum ſumma attentione & precibus amplificabis: húncque in modum poteris robuſtorum diaboli gigantum ſuprà dictorum moleſtia liberari. Cognitionis enim veræ,ac memoriæ verbi Dei, probæq; alacritatis animi conſonantiâ, per gratiam efficacem in anima,quæ procuratur vt ſimul adſit & ſtudioſè conſeruetur, veſtigium obliuionis, ignorantiæ, atque ſocordiæ deletur in anima:& tandem eò redigitur,vt non ſit:in ea regnante gratia per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.Cui gloria & imperium in ſecula. Amen.

Reſipiſcẽtiæ modus.

Deo grata memoria.

Gygantes mysticè qui ſint.

1.Reg.17.

RESCRIPTVM A NICOLAO, MISSVM AD MARCVM EXERCITOREM,

quo agit illi gratias ob † Præcepta Salutaria quæ illi per Epiſtolam ſcripſerat.

† Habentur ſupra col.108.

GRATIA ſit, gratia ſit(inquam) Deo, gratia incredibili & inenarrabili dono eius: quòd animum grauibus detentum perturbationibus, & totum propemodum à ſe abalienatum, beneuolè ac humaniter complexus eſt:quòd etiam illum viſitauit per intimam & totam prorſus in Deo collocatam intentionem, ſanctum dico deditúmque virtutibus ac Deo agglutinatum animum tuũ, quo tu ad me miſſus es ſcintilla fulgens, diuini plena luminis,hamus eſca ſpiritali imbutus;quòd tandem beneficio lucernæ ſermonum cum labore & deſiderio editorum à cogitatione Deo vnita, miſeram animam meam extraxit ab obſcuriſſimis tenebris & turbine:fecítque Dominus eximius,vt intellectus meus abnueret & auerſaretur tres indicatos mihi gigantes. Re enim vera ſunt gigantes magni & immites, qui nunquam intermittunt bellum in genus humanum. Quem porrò in terra ſic ferociter ac moleſtè detinent, vt me, qui malè & proprio arbitrio illis adhuc inſeruio? At miſericordia motus is qui nullo modo delectatur interitu viuentiũ, longanimitatem ſuam humanitatémque declarauit, & emotâ illâ cogitatione piâ excitauit propoſitum profundiſſimo ſomno demerſum, oſtenſis ac

Gygantes Magni.

manifestatis mihi, quos dixi, gigantibus. Primùm A
Obliuio. Adami. sanè dico, obliuionem: quæ expulit Adamum è paradiso. Nam nisi Domini præceptum oblitus fuisset, nunquam eâ gloriâ excidisset. Secũdum, socordiam: qua ignauus effectus paruit coniugi. Tertiũ,
Socordia. Ignorantia. ignorantiam: qua ductus ignorauit tum quis esset, tum quid ageretur. Hosce tres Spiritus Dominus Iesus manifestos mihi reddidit per Spiritum sanctũ habitantem in te. Nã emisit profectò gladium bis acutum, quod est verbum Dei, quo admodum placatè bipartitus est animum meum. Nec hucusque duntaxat processit, sed etiam quasi suauitatẽ quandam spiritalem verborum tuorum indidit voluntati meæ. Quot igitur ora, quótue linguæ suppetere poterunt, ad dignè gratias agendas Domino ac B
Deo vero, pro mihi reductis in memoriam à te beneficiis? Commodam item Epistolæ methodum, & sitam in verbis intimam beneuolentiam, quæ incitant ad inuestigandam veritatem, ad obseruanda mandata Dei, multum denique conferunt ambulare volenti viam Domini, quæ deducit ad vitam ęternam, quis dignè laudabit? Neque verò mihi solùm hoc commodum accessit, è sermone tuo: sed & omnium eorum, qui ipsum audierunt, intellectus magnificè illustratus est, multúmque fructum excerpsit è verbis efficaciter proculdubiò perinde rata erant, ac res ipsæ: sermonésque exaudiebantur, C
non vt sermones, sed velut opus manifestum, quod subiicitur oculis nostris. Mox enim sermo temperantiam summam indidit animis. Et quia efficax erat sermo, manere non poterat otiosus: sed confestim, productis spicis, fructum tempestiuum exhibuit. Neque etiam eò vsque solùm processit: sed eo satiari nemo poterat (ita nouit Deus) quandocunque enim incido in illum, anima mea misera satietatem non capit. Precibus igitur sanctitatis tuæ hoc donum perpetuò inhęrebit, vt ego scintilla cœlestis permaneam: deletis prorsus iam dictis gigantibus in finem vsque: ne fortè etiam liberi arbitrij
Arbitrium liberum. oblitus, meipsum prodens in antè dicta mala me D
coniiciam, & fiam pabulum aduersariorum meorum. Cæterùm credo Dominũ meum Iesum Christum, qui in te inhabitat, ope sanctitatis tuæ, aliorúmque perinde ac tu certantium, non aspernaturum esse me, nec traditurum in ora modò dictorũ gigantum: verùm assidua opera sanctorum seruorũ suorum suggestorum, vt ego miser, adiutus sanctis tuis precibus, perspectam habeam viã suam. Quare deprecor ac supplico misericordi sanctæque animę tuæ, ne me damnes eo nomine, quòd nimia fiducia adductus ausus sum rescribere literas sanctitati tuę, quoniam vbi animaduerti aperta esse viscera paterna, statui vel leuibus literis obsecrare te & precari, E
vt hora quacunque memor sis mei. (semper enim obseruat Dominus assidentem sibi & irremissum cultorem, mentem dico benedictæ animæ tuæ dignè purgatam.) vt per sanctimoniam tuam ego quoque liberer à vitiis meis, fœlicémque consequar exitum, per gratiam Christi Dei. Cum quo, patri honor & imperium, vnà cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

SANCTI MARCI CAPITVLA, AD TEMPERANTIAM *pertinentia.*

1 QVi iuxta legem Euangelicam fidelis est dũtaxat, fide transfert à seipso moutem nequitiæ, instabili reuolutione à seipso excutiens affectum sub sensu positum, qui priùs in sensu residebat. Qui verò potest esse discipulus, à verbo suscipiens manibus fragmenta panum, notionem præstantium; alit multa milia: ostendens ipso facto multiplicari vim verbi. Cui autem peruenire licet ad gradum Apostoli is curat omnem morbum & omnem languorem: eiiciens dæmonia, hoc est, fugans affectionum efficaciam: sanans ægrotos, spe reducens ad habitũ pietatis eos qui illo priuati erant: perstringens verbo fidei, quos reperit ignauia languẽtes. Qui enim iussus est conculcare caput serpentum & scorpionum, delet caudam peccati.
Panum multiplicatio, mysticè quæ fit.

2 Sabbata sabbatorum, est requies animæ inquam rationalis: quæ à cunctis ipsis rerum diuinioribus sermonibus mẽtem correptam amoris excessu solum planè Deum induit, ipsámque prorsus insęparabilem à Deo mysticæ Theologiæ beneficio reddit.
Sabbatum Sabbatorũ

3 Messis messium, est omnis inaccessa Dei intellectio, & quæ post mysticã rerum sub intellectum cadentium speculationem, modo nobis ignoto, consistit in intellectu: quam commodè promit, qui ex conspicuis, & inuisibilibus creaturis pro dignitate veneratur creatorem.
Messis Messium quid.

4 Qui peremptis antè primis peccati motionibus sextum agit Euangelicè diem, ope virtutum, omni vitio vacuũ apprehendit statum affectibus carẽtem, mente quiescens vel ab ipsa nuda affectionum imaginatione. Qui verò Iordanem transmisit, migrat in regionem notitiæ: qua mens ædificata, mysticæ pacis operâ Dei domicilium euadit in spiritu.

5 Qui cum exhibitione operum & cogitationum sextum sibiipsi diuinè compleuit diem, ac Deo fauente rectè sua peregit opera, omnem intellectu traiecit hypostasin naturalem & temporaneã: estq; translatus in mysticam sæculorum & æternorum contemplationem, animo rerum plenè relictarum & transmissarum, ratione nobis ignota, sabbatum agens. Sin octauo quoque die dignus habitus resurrexit à mortuis, nempe ab omnibus inferioribus Deo rerum sensilium & intelligibilium sermonibus & conceptibus, vixit beatam Dei vitam (cùm lex re vera propriè vitæ sit & dicatur) quali promotione diuina factus est ipse Deus.
Dies octa

6 Omnia quæ subiacent oculis, egent cruce: sub qua habitus contineat habitudinem eorum quæ sensu peragunt. Cuncta verò quæ percipiuntur intellectu, exigunt sepulchrum: in quo nullus sit eorũ motus quæ versantur animo. Naturali enim, circa res omnes actione motúque vnà cum habitudine sublatis, ratio nuda in seipsa consistens velut à mortuis excitata, emergit super omnia quæ circunscribuntur ab ipsa: cùm nihil sit prorsus, quod per naturalem habitudinem cum ipsa familiaritatem habeat. A gratia siquidem oritur, non à natura, salus eorum qui saluantur.
Salus ex gratia.

7 Donec purè animo egressi fuerimus habitum, quem gerimus erga nostram omniúmque inferiorũ Deo substãtiam, immunitatem auersionis à virtute nondũ accepimus. Vbi enim hæc dignitas prosperè nobis per charitatẽ obuenerit, tũ agnoscemus vim promissionis

promissionis diuinæ. Quoniam qui digni sunt, credere debent, illic esse domicilium immotum, Vbi præueniens animus virium suarum per charitatem fixit radices. Nam qui à seipso & ab omnibus quæ quomodocunque comprehenduntur animo, non fuerit egressus, & in silentio intellectum excedente constitutus, ab omnium mutatione liber esse non potest.

8 Omnis intellectio profectò plurium aut ad minimum duorum significationem habet. Est enim habitudo media inter extrema quædã illis inuicem Intellectio consentanea. Quandoquidem tum illud quod intelligitur, officio cuiusdam subiecti fungitur, tum etiam ipsum intelligens neutrũ enim omnino simplicitatem natura seruare potest habens planè facultatẽ intelligendi, quæ simul intelligatur ab ipso: vel erga subiectam substantiam eius qui præditus est facultate. Nulla enim res prorsus extat, quæ per seipsam simplex substantia sit aut intellectio, vt sit vnitas indiuidua. Deus autem siue substantia dicatur, non habet à natura facultatem intelligẽdi quæ vnà intelligatur ab ipso, ne sit compositus: siue dicatur intellectio, nõ habet naturaliter subiectam substantiam intellectionis susceptiuam. At verò Deus ipse secundum substantiam est intellectio, & totus intellectio, ac solus & totus excedens substantiam & intellectum: ideóque vnitas indiuidua, simplex & carens partibus. Proinde qui quomodocunque præditus est intellectione, nondum exiit binarium: qui verò hunc prorsus reliquit, aliquantisper in vnitate vim intelligendi præstantissimè deposuit.

9 Equidem multis in rebus est diuersitas, dissimilitudo atque differẽtia: dicere verò Deum, qui propriè vnus ac solus est, illius expertem esse, est multorum de Deo speculationes incessere. Et hoc ita se habere, declarat Moyses, qui fixo extra castra tabernaculo intellectus, familiariter est cum Deo locu- Periculosũ est loqui de Deo. tus. Periculosum enim est, sermone prolato ineffabilem eloqui tẽtare, quia sermo prolatus, dualis est ac pluralis. At animo solo sine voce contemplari ipsum ens, tutius est: quoniam in indiuidua substitit vnitate, non in pluribus. Etenim pontifex, cui Num.4. vix mandatum erat, vt semel in anno ingrederetur in sancta sanctorum intra velamen, docet, illum solum qui aulam & sancta transiit & ad sancta sanctorum peruenit, hoc est, rerum sensibilium ac intelligibilium vniuersam naturam trãsgressus est, & omni vitio peculiari, quod contraxit à natiuitate, purgatus, nuda apertáque mente in imaginationes de Deo irrumpere debere.

10 Magnus ille Moses cùm fixisset extra castra suũ Exod. 33. ipsius tabernaculum, hoc est, semotis iis quæ cernuntur, firmasset animum & intellectum; cœpit adorare Deum: & in nubem caliginosam ingressus, in amœnum & materia carentem notitiæ locum, illic manet, vt initietur sacrosanctis mysteriis.

11 Qui vita & conuersatione legem exequitur, is vitiosis duntaxat connexionibus vacat, immolans Deo irrationalem affectuum operationem: cui modus ille sufficit ad salutem, ob exilitatem sui spiritus.

Vita Euãgelica. 12 Qui vitam Euãgelicam verè complectitur, initium & finem suiipsius à vitio secreuit, omnémque virtutem opere & sermone percurrit, immolans sacrificium laudis & confessionis: ereptus ab omni perturbatione quæ gignitur ex affectuum vigore, & liber à conflictu mentis aduersus illam: alens dũtaxat animo, spe futurorum bonorum, delicias nullam afferentes satietatem.

13 Metus gehennæ instruit nouitios, vt fugiant vitium: desiderium autem remunerandi accepta be- Metus Gehennæ. neficia, largitur promotis alacritatem animi ad ea quæ bona sunt peragenda. At charitatis mysterium Charitas. supra creaturas omnes extollit mẽtem, efficiens illã cæcam quoad vniuersa Deo posteriora. Illos enim solos Dominus, patefactis quæ diuiniora sunt, sapientiã docet, qui cæci sũt in rebus Deo inferioribꝰ.

14 Qui nosse desiderat, immota animæ fundamẽta figit apud Dominũ: quemadmodum Deus dixit Deu.5.d Mosi, Tu verò hîc sta mecũ. Sciendũ porrò discrimen esse inter eos qui stant apud Dominũ, si modò Mat 16.d non abs re legitur illud à discendi studiosis. Sũt quidam de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute. Nõ enim Dominus omnibus apud eum stantibus semper apparet gloriosus: sed ad nouitios quidem accedit in forma serui: illis verò qui sequi possunt eum ascendentẽ in excelsum montem transfigurationis Mat.17. suæ, apparet in forma Dei, in qua erat antè quã mũdus extaret. Potest ergo fieri, vt simul idẽ Dominus Dei cognitio. appareat omnibus apud eum constitutis: verùm his quidem hoc modo, illis verò aliter, pro modo fidei cuiusque, nempe pro variorum meditatione.

15 Oritur sol, & occidit sol, inquit scriptura, Pro- Eccl.1.a inde etiam verbum quãdoque superno modo existimatur, quandoque inferno: pro dignitate videlicet, ipso sermone & animo percurrentium virtutẽ, & circa diuinam cognitionem versantiũ. Sed beatus est ille, qui possidet adytum in seipso, more Iesu filij Naue, solem iustitiæ: qui totus est modus diei nequitiæ præsentis vitæ, non circunscriptus vespera & ignoratione: vt legitimè fugare possit malignos dæmones insurgentes in eum.

16 Qui pietati deditam percurrit Philosophiam, Orandũm contra inuisibiles Potestates. stans in acie aduersus inuisibiles potestates, deprecetur, vt naturaliter insita sibi discretio mediocri lumine prædita, & illuminatrix gratia sancti Spiritus secum permaneant. Illa enim moderatur carnẽ, ad virtutem exercendã: hæc autem illustrat animũ, vt conuersationem quæ sapientia regitur, omnibus anteponat: qua destruuntur arces tum vitiorum, tũ celsitudinis omnis extollentis se aduersus cognitionẽ Dei. Quod perspicuum facit Iesus Filius Naue, postulans, precibus vt subsisteret sol contra Gabaonitas, hoc est, vt arcanũ lumen illud cognitionis Dei Ioſ.10. conseruaretur in monte contemplationis animi: & luna in valle, hoc est, discretio naturalis in carne debili posita, absq; virtutis alteratione perduraret.

17 Qui metu Iudæorum in Galilæa sedẽt in tabulato claudẽtes portas, id est, qui timore spirituũ malignorum, in regione reuelationum per sublimitatẽ diuinarum contemplationũ securè viuunt, claudẽtes sensus instar portarũ, suscipiunt aduenies ignoto modo verbum Dei, sine vllius sensus operatione apparẽs illis. Quod quidem per tranquillitatem & distributionẽ sancti Spiritus insufflans confert affectionum vacuitatẽ: præstátq; robur aduersus malignos spiritus, prolatis suorum mysteriorũ indiciis,

Terra Chaldæorum, Mysticè quid sit.

18 Terra Chaldæorum, est vita affectionibus dedita in qua peccatorum idola fabricantur & adorantur. Mesopotamia verò, est quæ particeps est vtrinque morum cõtrarium. Terra autem promissionis, est status omni genere bonorum plenus. Quicunque ergo ab hoc habitu, Israëlitarum antiquorum more permotus, repetit seruitutem, donata priuatur affectuum liberatione.

Babylon.

19 Notandum est, sanctorum neminem descendisse visum in Babylonem: nephas enim est neque intellectui rationali congruit, eos qui Deum diligunt, deteriora pro bonis eligere. At verò si quidam illorum per vim abducti sunt illuc cum populo, per hos intelligimus, non opinione potissima, sed circunstantia quadam salutis, manuducendorum gratia, sublimiorem notitiæ sermonem dimisisse, affectuum disciplina præterita. Propter quod magnus

Phil.1.

Apostolus iudicauit, vtilius esse in carne versari, hoc est, in doctrina morum, discipulorum causa: cũ alioqui totus desideraret solui doctrina morali, &

Ibidem.

esse cum Christo, per simplicem & supramũdanam animi contemplationem.

Peregrinari à Domino, & à carne. 2 Cor.5.

20 Peregrinatur à carne, qui ab actiuo transit ad cognitionis habitum, instar nubium raptus à sublimioribus conceptibus in translucidũ mysticæ contemplationis aërem vt perpetuò esse possit cum Domino. Peregrinatur autem à Domino, qui non potest pura mente speculari pro viribus intellectiones absque sensilibus operationibus, nec citra ænigmata capit simplicem de Deo sermonem.

21 Qui fit, vt in volumine sanctæ scripturæ variè per ænigmata videamus incorporatum Deum Dei verbum, nondum tamen animo conspexerimus incorporeum, simplicem, vnicum, ac solum patrem, velut in corporeo, vnico, ac solo filio, iuxta illud,

Ioan.14.a

Qui videt me, videt & patrem: Et, Ego in patre, & pater in me est. Proinde egent plerique scientia, vt priùs velamenta verborum, Deo verbo circumposita contemplari possint: deinceps animo nudum

De Deo quomodo inquirendum.

& purum existentẽ, qui se reuelat hominibus. Quare necesse est, eum qui religiosè Deũ inquirit, nulli addictũ esse dictioni: ne ignarus accipiat loco Dei, quæ de Deo feruntur, id est, ne vice Dei verbi periculosè amplectens eloquia scripturæ, dũ ipsum Dei verbum fugit animum, ex vestimentis teneat eum

Gen.39.

qui videatur esse verbum incorporeum, more Ægyptiæ, quæ non ipsum Ioseph, sed eius indumenta apprehẽdit: & veterum hominum exemplo, qui solo eorũ quæ subiacent oculis splendore capti, ignari seruierunt creaturæ potiùs quàm creatori.

Rom.1.

22 Cùm plures de verbis veritatis opiniones sibi insitas discutit animus, tum clarus apparet illi sermo veritatis, qui præbet ei pignora veræ notitiæ: & antè conceptas opiniones, velut squammas, excutit à facultate videndi, quemadmodum accidit diuino & magno Apostolo Paulo. Re enim vera opiniones, solis scripturæ verbis adhærentes, & sensiles eorum quę cernuntur speculationes affectibus deditæ, sunt squammæ appositæ visiuæ facultati animæ, impedientes ne perueniat ad syncerum veritatis sermonem.

Act.9.

23 Qui luctatus est strenuè aduersus affectiones corporis, & immũdis spiritibus fœliciter expugnatis, eorũ consilia expulit è regione animæ suæ, precetur, cor mundum sibi donari, & spiritum rectum in visceribus innouari, hoc est, improbis cogitationibus penitùs exhauriri, diuinis autem conceptionibus per gratiam impleri: vt efficiatur Dei mũdus intellectualis, splendidus & ingens, qui moralibus, naturalibus, & Theologicis constet præceptis.

Cor mundum.

24 Cor mundum est illud, quod exhibet Deo memoriam omni specie formáque vacuam: paratum insigniri Solis ipsius typis, quibus euadere solet illustre.

Ioan.14.

25 Quærunt nonnulli disciplinarũ studiosi, quonam pacto se habebit illa mansionum æternarum & promissionum distinctionum secũdum localem subsistendi rationem, an secũdum intellectionem, hypostasi spiritali per singulas mansiones peculiarem habente qualitatem & quantitatem. Et quibusdam placet prior opinio, aliis verò posterior. At

Luc 17.c

qui nouit, quid sit homo, Regnum Dei intra vos est: item illud, In domo patris mei mansiones mul-

Ioan.14.a

tæ sunt: posteriori rursum fauebit.

26 Qui diuino desiderio ductus animæ vicit affectum erga corpus, incircunscriptus euasit: tametsi degit in corpore. Deus enim, qui trahit desiderantis appetitum, sine vlla cõparatione celsior est omnibus: nec finit optãtem rei cuipiam, quæ post Deũ sit, affigere desiderium. Quocirca desideremus Deum totis viribus appetitionis nostræ, demúsque operam, vt voluntas nullis rebus corporeis teneri possit: & affectu supra cuncta feramur, quæ sensu verè percipiuntur aut intellectu, ac nihil prorsus damni animo patiemur ab hac vita naturali, quò minus cum Deo versemur, naturâ minimè circunscripto.

Interrogatio. Respõsio.

Sempérne ingreditur homo res eiusmodi? Gratia quidem continenter adest, radicata & permixta ab ineunte ætate, ac veluti naturale quiddam & concretum nunquam abest ab eo: idque vt vnica gratia, quæ diuersa ratione pro nutu moderatur, ad vtilitatem hominis. Quandoque enim vehementiùs ardet & accenditur ignis, interdum remissiùs & molliùs. Ipsum quoque lumen quibusdam temporibus intensiùs accenditur & lucet, quandoque verò remittitur & subtristius est. Ita hæc lucerna, nempe gratia, semper ardens & splendens, quãdo nitidior apparuerit, vehementiùs accenditur ab ebrietate dilectionis Dei: rursúmque dispensatione quadam lucet, luménque, quod inest, obtusius redditur. Porrò beneficio luminis apparuit quibusdam signum crucis, penetrans interiorem hominem. Aliàs item inter orandum inuentus est homo velut in excessu mẽtis, ad altare stãs in Ecclesia, cui oblati sunt tres panes velut oleo fermentati: de quibus quanto plus edebat, tanto magis crescebant & augebãtur. Aliàs iterum apparuit velut indumentũ quoddam lucidum, quale non extat super terram in hoc vsque sæculum, nec manibus humanis parari potest. Quemadmodũ enim Dominus ascendẽs in montem cum Petro & Ioanne trãsfiguratus est, & vestimenta sua instar fulguris, † splendida reddidit, huius generis erat illud indumẽtum: quo indutus homo ille obstupescebat. Alio tempore perpetuò visus est in corde, qui aperiebat interiorẽ, profundiorem, & secretiorem lucem, nouus item mũdus lucidus cum Domino laudans & glorificans:

† Alba ut quam nix, dixerunt Euangelistæ. Mat.14.

adeò

adeò vt totus homo absorberetur in illam suauitatẽ & speculationem, nec iam sui compos esset, sed ob nimiam dilectionẽ & suauitatem arcanáque mysteria esset huic mundo velut stultus ac barbarus: ita vt illo tempore homo liber peruenirет ad perfectũ gradum, essétque purus & immunis à peccato. Sed postea, subductâ gratiâ, successit velamen aduersariæ potestatis, aliquatenus tamen apparẽs, licet adhuc homo consistat in vno gradu inferiori perfectionis. Nam (verbi gratia) necesse est quempiam decurrisse duodecim gradus, vt perfectionem attingat: & accidit interdum eò peruenisse, vt ad mẽsuram illam pertingeret, perfectionémque assequeretur. Denuo inclinat gratia, & reuertitur vno gradu diminuta, quæ subsistit in vndecim gradibus. Porrò qui diues est in gratia, continenter noctes atque dies permanet in statu perfecto, liber ac purus, semper captiuus & suspensus. Cæterùm si admirãda illa quæ homini patuerunt, & quorum periculũ fecit, ei semper adessent, nequaquam ministerium verbi aut onus aliquod ferre posset: imò neque de ipso audire, aut sui vel crastinæ diei curam agere, quando res exigeret: sed tantùm in vno iaceret angulo suspẽsus & inebriatus. Quare status perfectus non est concessus homini: vt possit operam nauare, & fratrum curam habere, ac ministrandi. Veruntamen medius ille paries, qui obstruebat, dissolutus est, ac mors superata. Res autem sic se habent. Quẽadmodum caliginosa quædam vis adiacet, & instar aëris crassi subtiliter tegit lucernam semper ardentem & lucentem: sic adiacet lumini illi velamẽ. Vnde confitetur vir ille, quod minimè perfectus sit & penitus immunis à peccato: ita vt dicere audeat, liberum se esse, & non liberum, ac destructum quidẽ esse & perfossum parietem illum medium qui obstruit, ac rursus aliqua in parte minimè esse dissolutum. Neque semper erat æqualis precatio. Quandoque enim gratia pleniùs hominem accendit, cõsolatur, & componit: interdum verò subducitur & imminuitur, pro ratione dispensationis ipsius, quãtúmque expedit homini. Sed quis vnquam perfectum illum gradum assecutus est, ac gustauit & expertus est sæculum illud: Nondũ enim quempiam vidi Christianum perfectum aut liberum. Itaque licet quis requiescat in gratia, & pertingat ad mysteria, & reuelationes, ad multam denique dulcedinẽ gratiæ: nihilominus intus adhuc habet peccatum. Atqui huiusmodi homines ob superabundantem in ipsis gratiam ac lucẽ, se liberos ac perfectos existimant. Qui quidem licet vim gratiæ obtineant, tamen falluntur, tanquam non experti. Nullum porrò vidi hactenus liberum. Siquidem & ego aliquatenus interdum ad gradum illum pertigi: discẽdóque cognoui, quòd nullus est homo perfectus.

Status perfectus.

Nemo perfectus in vita.

Interrogatio. Respõsio.

Dic nobis, Quisnam est status tui modus?

Statim post signum crucis gratia sic operatur, Sedat omnia membra, pariter & cor: ita vt anima præ summo gaudio videatur esse velut puellus mali nescius ac simplex: nec in posterũ homo condemnat Græcum aut Iudæum, peccatorem vel mundo deditum: sed internus homo cunctos vt vnũ intuetur oculo puro, gaudetq; de vniuerso mũdo æqualiter: & vult, vt omnes tam Græci quàm Iudæi filiũ Dei adorent, vt patrem. Alia quadam hora, perinde ac Filius regis, confidit Filio Dei tanquam patri: & aperiũtur ei fores, per quas ingreditur intrò in multas mansiones: & quanto magis penetrat, denuo aperiuntur ei iuxta proportionem, supra centũ mansiones aliæ centum: túmque ditescit. Et quanto locupletior euadit, rursum alia mirabilia & magis noua demonstrantur ei. Cui tanquam filio & hæredi committũtur res, quas humana natura non potest eloqui, nec os aut lingua pronũtiare. Alia item hora tãquam legatus Dei, summa dilectione, qua fertur in eum, incipit deprecari pro mundo: vt saluetur mundus, qui totus Adam est: ardens charitate, volénsq; cunctos saluari, docet Verbũ vitæ, & quæ pertinent ad regnum, legatione fungẽs pro Christo enarrans, quantum audire licet, cœlestia infiniti & incomprehensi sæculi. Alia hora totus armatur homo, induens armaturã Dei: assumptóque exercitu cœlesti trucidare incipit hostiũ castra, & illic multas cædes cadauerum multorum committere. Alia hora excolit animã, ac mutuò secum lætantur Dominus & anima: fruitúrque homo ingenti luce & lætitia, tam erga Dominum quàm erga fratres. Attamen lampas & lumen noctu diúque ardet, ipsum autem totũ per dispositionem diuinam non alteratur: & purus est totus homo, ac propemodũ non est vt oportet: abscissus est tamen murus intermedius, & mors deuicta. Quandoque lampas feruẽtiùs ardet & exhilaratur: ita vt homo splendorem illum & vibrationem sufferre nequeat, sed quasi soluatur. Contrà quandoque lumẽ accensum propè subtristatur: cui adiacet aër tenuis & caliginosus, vt in pelle potestatis aduersariæ: propterea inquit homo ille, Nõ sum plenè liber. Gloria domino in sęcula. Amẽ.

Veri Anachoretæ studia, & exercitia.

Ieiunium, vigiliæ, peregrinatio, bona sunt: sed hęc pertinent adhuc ad honestam viuendi rationem. Atqui status Christianorum magis interna respicit, quàm hæc: neque debet quisquam in istis collocare fiduciam. Itaque contingit quosdam esse participes gratiæ, apud quos vitium, intus adhuc existẽs, struit dolos, interim vltro cedens absque vlla operatione: hoc solum efficiens, vt putet homo se mẽte purum esse: quod superest, eò extollit hominem, vt existimet se Christianum perfectum esse. Deinde verò, cùm homo se liberum putans securè agit tunc furtiuo quodam modo subrepit vitiũ struens latebras, tentátque illum, ac detrudit in infima terrę. Si enim homines annum agentes vicesimum, prædones aut milites, insidias moliri norunt aduersus hostes, & subsidentes in paratis cuniculis comprehẽdunt eos à tergo, & vndiquaque concluſos interficiunt: quãto magis vitium tot annorum milia natum, hoc facinus habens perpetrãdum, interimet animas? Nouit struere latebras in corde, quiescere certis temporibus, vt efferat animam in opinionem perfectionis. Christianæ porrò vitæ fundamentum est istud, Quæcunq; opera iustitiæ fecerit homo, ne glorietur eorum nomine, néve de seipso magnificè sẽtiat: sed pauper sit spiritu: ac licet sit particeps gratiæ, ne seipsum adeptum esse quippiam existimet, neque se putet aliquid esse, aut docere incipiat. Sed etsi fuerit honestæ cõuersationis, pollẽs ieiunio, multa peregrinatione, precibus, & gratiæ participatione: ne animã suam habeat aliquo in pretio: sed tum re vera gratiæ initium esse maximè incipit: cùm afflictionẽ

Peregrinatio bona est.

Vitium inueteratũ, est periculosum.

Superbia fugienda.

Peregrinatio.

Gratiæ initium.

pertulerit,esurierit,ac sitierit, ne sit satiatus, séque ipsum iustum aut gratiæ diuitē existimet: verū lugeat & lachrymetur, perinde ac si esset mater vnicū habens filium, quem erudiisset: & hunc factum virum mori contingeret. *Reliqua desiderantur.*

EIVSDEM DISPVTATIO CVM SECVLARI QVODAM *Causidico.*

QVidam causarum forensium peritus percontatus senem Exercitorem, ait, Obsecro, suadete mihi scire desideranti, quid vobis venit in mentē dum vos monachi dicitis, non esse vocandos in ius eos qui iniuriā inferunt? Quidve negotij tractātes, abstinetis ab operibus corporeis? quorum nomine vehemēter vos insimulamus, quasi & iustitiā præter leges, & otiū præter naturā sectemini. Sin Philosophandi gratia hoc facere agnoscitis, procul dubiò etiam ipse ab accusatione desistam, vestrámq; virtutem æmulabor. Tum Exercitor priùs Deum mēte precatus, hæc inquit. Oportebat, ô difertissime, hæc te sciscitari à peritis, adhuc enim nos discipuli sumus. Cæterùm, quia doctus ad idiotas transfugisti, tanquam habiturus fidem de his quæ proposuisti, audi. Monachi nō sectantur alienam ab Ecclesia doctrinā: sed Christi doctrinā tenere conantur, ex Apostoli sententia dicentis, Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cū in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiēs, in similitudinē hominum factus, & habitu inuētus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autē crucis; Quamobrē scito, Dei donū esse & summæ virtutis, vt quis, inquā, sit studiosus humilitatis. Re autem ipsa præcepit Ecclesię Dominus, hoc opere complere, his verbis, Operamini, non cibū qui perit, sed qui permanet in vitam æternā. Tum Forensis, Sciamus quæso, inquit, etiā nos, qualēnā sit hoc opus. Cui Exercitor, Precibus quærere regnum Dei, & iustitiā eius quod quidem regnum intra nos esse dixit: & quærentibus illud, pollicitus est omnia quæ corpori sūt necessaria. Cùm ergo hæc audierimus à Domino, & habita illi fide pro viribus operamur, qui dicis, nos agere præter naturā? Quod si tibi videtur esse præter naturam, videto quē arguas. Deus enim est, qui præcepit. Itidē non iudicare nocentes, est præceptū Dei. Quo igitur pacto transgrediuntur legē, qui hæc faciūt: cùm Dominus dixerit per Prophetam, Mihi vindictam: ego retribuā, dicit Dominus: Et in Euangeliis, Nolite iudicare, & non iudicabimini. Et Apostolus, Nolite ante tempus iudicare. Et iterum, Non defendentes vosmetipsos. Ac rursum, Tu quid iudicas alienum seruum? Quis igitur iustiores his præscribat leges? qui, tanquam innoxius, & velit ante tempus iudicare nocentes: & eos qui legem Dei seruare nituntur, transgressionis accuset: ac tolerantiam malorum appellet malitiam? Hæc vt audiuit Scholasticus, ait, Magistratus ergo peccant, dum vindictam sumūt de nocentibus, seruata læsis iustitia: Respōdit Senex, Minimè peccāt iudices: sed qui tradunt eis, & rē Deo nō relinquūt. Primum quidē, quicquid accidit illis, propriorū facinorum est appendix, trahēs eos ad pœnitentiam, nō ad vindictā. Deinde verò, etsi passi sunt iniustè, delictum illud qualequale remittere debent ei qui cōmisit, cùm audierint Dominum dicentē, Dimittite, & dimittetur vobis: Et nō, retaliatione per humanum iudicem facta, sua ipsorum scelera irremissibilia reddere. Principes autē non sunt timori boni operis: sed mali. Non enim adigūt fideles & benignos ad accusandū eos qui iniuria affecerunt, neque arguunt tolerantes malorum, quòd offensi nō vtantur iudiciis: sed desiderantibus vltionem præbent: illos verò qui Dei nomine æquiore animo ferunt, velut sapientiores, honore prosequuntur & excipiunt. Proinde quemadmodū non attrahunt accedere nolentes: ita dum vindicant accusantes, non peccant. Quare, ô doctissime, decet, vt post acceptā secularium artium & legum disciplinam: quod supereſt, etiā spiritalem amplectare legem, ac pietatis & religionis causa labores suscipias: item aduersa tibi obuenientia tolleres vt propria, sine quibus nemo potest euadere sapiens. Quærenti verò Scholastico ac scire cupienti quinam essent illi labores pro religione subeundi, dixit Senex esse Christi præcepta: quorum primum atq; maximum est charitas: quatenus non cogitat malum: sed omnia suffert, omnia sperat, omnia credit, omnia sustinet, secundum scripturam. Quæ dum hæc agit, in iudicium vocare nequit eum, qui ipsam offendere videtur. Circa hāc alter ab altero discrepamus, cùm tamen eius dignitate per omnia longè inferiores simus. Atqui benignè ferentes per gratiam Christi defectuum cōplementum, ne pro viribus operari negligamus. Nouit enim Deus quantum per infirmitatem operari nequeamus, quantúmve per ignauiam non exerceamus opus charitatis. Et quia non tantùm susceptis vltro laboribus firmatur, sed etiam accidentariis afflictionibus, multam nobis à Deo patientiam ac mansuetudinem impetrare debemus. Propterea inquit Apostolus, Qui vult esse sapiens in hoc seculo stultus fiat, vt sit sapiens. Hic antecessores suos, quo ad voluntatem perfectæ charitatis nō iudicat: sed seipsum potiùs ad illorū excellentiam porrigit: quos assecutus, rursum alios quærit seipso præstantiores: hos nactus contendit cum illis, nec vnquam cessat à cursu, donec inueniat quosdā qui illum instituant in virtute charitatis. Quorum quidem si quis par non sit superioribus, illos nihilominus vt non perfectos iudicet, condemnat eum non nosse seipsum. Ait enim, Nolite condemnare: & non cōdemnabimini. Vnde qui verbo tenus sunt sapientes, hos solū peccare arbitrantur, qui lædūt: spiritales autē, etiam læsi, seipsos accusant, quando non libenter & cū gaudio ferunt offensas: nec ob eam rē duntaxat, sed etiā quòd è veteri illorum culpa afflictiones exoriuntur: quanquam peccatū est aliud alio leuius. Qui enim seipsum vlciscitur, videtur cōdemnare Deū, quòd iustitiā nō faciat. Qui verò occurrentem sibi calamitatem tolerat vt propriā, suā præsumptionem cōfitetur: propter quam etiam tolerāter aduersa patitur. Indignabūdus porrò secularis ille, eo quòd conuinceretur, ait, Si præcipit hæc lex vestra spiritalis, ex oracluo, vt ais, diuino, quamobrem quidam monachorum istorum labuntur, tenentes legem? Cui Senex, Non labuntur, qui tenēt eā: sed qui deserunt ac negligunt, quæ illi valde cōgruunt,

Ioan.6.c
Luc.17.
Deu.32.c
Rom.12.d
Luc.6.e
1.Cor.4.a
Rom.12.d
Rom.14.a
Phili.2.a
Luc.6.e
1.Cor.13.a
1.Cor.3.d
Sapiens nō iudicat suos antecessores.
Luc.6.e
Spiritales læsi, accusant, seipsos.

gruũt, precationem dico & humilitatem, curis huius vitæ & vana gloria seducti. Quare Diabolus nõ deterret solùm, ne cogitemus quicquid ad vitam pertinet: sed etiã ab oratione seducit & humilitate, quia nouit quæcunque citra hæc duo geruntur, tametsi bona sint, tandem sed quandoque ablaturũ. Orationẽ autem dicimus, non quæ tãtùm gestu quodã corporeo demonstratur, sed quæ etiam per intellectum indistractũ offertur Deo. Quoniã horum vnum si distrahatur importunè, ne alterũ quidẽ singulariter sumptũ præstò est Deo, sed propriæ volũtati. Rogat Scholasticus, Habétne caro volũtatẽ, præter eam quę est in intellectu? Respõdit Exercitor, Habet, ita sentiẽte Apostolo, sub his verbis, Eramus aliquãdo & nos increduli, facientes volũtatẽ carnis. Et iterum, caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus, aduersus carnem. Videto igitur, carnẽ habere cupiditatem & voluntatẽ, quæ quidẽ ignoramus, propterea quòd confusionem cogitationũ non animaduertimus, vnde non solũ qui negligũt orationẽ, sed & qui non attendunt animum, offendũtur. Ista porrò diximus, non vt de aliis iudicemus, sed vt nostros ipsorum defectus confiteamur. Illud enim, est arrogãtiæ nota: hoc, humilitatis. Et superbis quidẽ resistit Dominus, humilibus verò dat gratiam, per quã non ad notitiam duntaxat, sed ad habitũ sacræ virtutis nos etiã ducit, hoc est, indistractæ precationis, quam nullo modo vult à nobis negligi beatus Paulus, dicẽs, Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Vnà verò etiam ostendit Paulus depressionem animi, his verbis, Nolite conformari huic sæculo: sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis vos quę sit volũtas dei bona, bene placens, & perfecta. Nam cùm Deus pro exiguitate fidei nostræ atque infirmitate posuerit varia præcepta, vt quisque pro sua ipsius virili & vitet pœnam, & salutẽ consequatur: hac de causa deducit nos Apostolus ad voluntatẽ Dei perfectam: vt qui nolit prorsus nos in dãnationem incidere: Qui sciens orationem cooperari ad omnia mandata rectè peragẽda, nõ definit aliis atque aliis modis de oratione præcipere: aitque, Orãtes omni tẽpore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instãtia & obsecratione. Vnde perspicimus, orationẽ aliam ab alia lõgè differre. Aliud siquidẽ est, pacato intellectu mẽtéque non turbata Deũ implorare: & aliud, adesse corpore, animo verò vagari. Aliud itẽ, opportunum tempus obseruare, & post curam eorũ quæ pertinent ad corpus, opportunitate quæsita, precari: & aliud, postpositis huius mũdi curis, quoad fieri potest, orationẽ præferre ac præripere, secundũ Apostolum inquientẽ, Dominus propè est. Nihil soliciti sitis: sed in omni oratione & obsecratione petitiones vestræ innotescant apud Deũ. Quemadmodum & beatus Petrus, ait, Estote itaque prudẽtes, & vigilate in orationibus, omnem solicitudinem vestrã proiicientes in Deũ. In primis verò Dominus, qui norat omnia per orationẽ tuta esse, dicit, Ne soliciti sitis, quid mãducetis, aut quid bibatis, aut quo induamini: sed tantùm quærite regnũ Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. At fortè per hoc etiã nos ad maiorẽ sibi fidẽ habendam, Dominus inuitauit. Quis enim abiecta rerũ tẽporalium solicitudine, nullius rei factus egenus, nõ habeat etiã ei posthac fidẽ de bonis æternis? quod & ipse verbis hisce declarauit, Qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. Nihilominus & in eo perhumaniter egit nobiscum, quia non ignorãs, diurnam corporis solicitudinem vitari non posse, non amputauit curam quotidianam: sed cõcessa nobis hodierna solicitudine, de crastino iubet nõ esse solicitos: planè prout Deũ decebat & hominem. Fieri enim nequit, vt qui carnem gestamus, atque homines sumus, prorsus ea negligamus, quæ sunt vitæ corporeæ necessaria. Fieri quidem potest, vt precationis & temperantiæ gratia, multa contrahantur in pauca, omnino verò prætermitti nõ possunt. Quocirca, quicũque vis, secundum scripturam, occurrere in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, nõ debes temerè vniuersa rei familiaris ministeria præponere, nec item citra necessitatem coarctare: neque si ex necessitate quadam & ex dispensatione diuina occurrãt, prætextu orationis summouere & repellere. Sed agnoscendum est discrimen, inseruiendúmque diuinæ dispensationi, etiã absque alio decreto. Qui enim nõ ita sentit, minimè credit, iuxta scripturam mandatorum aliud alio præstantius esse, latiúsque patere: neque, vt sentit Propheta, ad omnia mãdata diuina dispensatione occurrẽtia dirigi desiderat. Cũ ergo necessaria & per diuinã dispensationem accidentia vitari nequeant, antepositа precatione sũmouendæ sunt occupationes parũ opportunæ: potissimùm illæ, quæ nos attrahũt ad maiorem tum rerũ preciosarũ, tum pecuniæ copiã habendã. Quantum enim quis illas coërcet in Domino, & superfluam illarũ materiã amputat, tantũ animi cogitationẽ ab inutilibus vagationibus coërcet: quantum verò arctat conceptũ animi, tantũ loci præbet orationi puræ, fidémq; sincerã in Christũ perspicuam efficit. At vero si quis modicã ob fidẽ, aliámve quãdã imbecillitatẽ hoc facere nõ possit, saltem agnoscat veritatem: & pro viribus nitatur, suam accusans infantiam. Satius est enim defectus sui reddere rationem, quàm erroris, aut arrogãtiæ. Cuius rei fidẽ tibi faciat parabola Domini, quæ vnum Pharisæum, alterũ Publicanũ introducit. Quapropter nos etiam precibus ac spe nitamur omnem curam secularẽ expellere, quod si cõsequi nequimus absq; vitio, defectuum certè confessionem Deo offeramus: nec tamen his ipsis operam dare cessemus. Quia satius est, delicti cuiusdã particularis reũ fieri, quàm talẽti planè absconditi. Atqui inter omnia studiosi precũ esse debemus. Etenim dũ quisque versatur circa id quod sibi gratũ & ex vsu est, debitum obsequiũ exoluere videtur: ignorans, se pluris facere debere quod placet Deo, quàm quæ ad rem suam, faciunt. In his autem hoc difficile est discernere, mandata non semper neque eadẽ esse necessaria, & quæ vitari nequeãt: sed aliud alij suo tempore præferendum esse. Quandoquidẽ non semper omnibus, sed certis temporibus officium exhiberi solet: munus autem orãdi sine intermissione, nobis lege statutum est, quapropter illud occupationibus necessariis est præferendũ. Hanc ipsam differentiam Apostoli docentes multitudinem, quæ ipsos attrahere volebat ad ministeria, dicebant, Non est æquum, nos derelinque-

Dæmõ auertit nos ab Oratione.

Eph. 2. a Galat. 5. c

1. Pet. 5. b

1. Thes. 5. d

Rom. 12. a

Eph. 6. c

Oratio.

Phili. 4. a. c

1. Pet. 5. b

Mat. 6. d

Luc. 16. c

Solicitudo Corporis.

Orandi tempus.

Act. 6. b

re verbum Dei,& ministrare mensis. Considerate ergo ex vobis viros boni testimonij septem, quos constituamus super hoc opus: nos verò orationi & ministerio verbi instates erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine. Ex his discimus,illos incumbere debere ministeriis, qui in oratione perdurare nequeat,ne vtrisque destituamur: qui verò possunt, his,quod præstantius est, nõ esse negligendum. Forensis autem his auditis, hunc in modum locutus est,Quî fit, vt non labantur, qui neglecta precandi ratione,more sæculi sapiunt,sed ope Philosophiæ seipsos conseruãt? Tum Exercitor ingemiscens vsus est his verbis,Rectè dixisti,eos nõ labi. Qui enim semel ceciderunt ingenti ac duplici casu,arrogantiæ(inquam)& negligentiæ,nec resurgere possunt absque precibus, nec habent vnde labantur. Quæ si quidẽ cura supereſt his, qui semper prostrati iacent, & nũquam eriguntur, certãdi cum diabolo? Sunt equidem alij, qui modò vincũt modò vincuntur: cadunt,& resurgũt:affligunt, & affliguntur: impinguant,& expugnantur. Alij etiã multam ob ignorãtiã in ipso primo lapsu immorãtur,ac se cecidisse nesciunt,quibuscum non sine cõmiseratione disputat Propheta, Nũquid qui cadit, non resurget?& qui auertit se,non conuertetur? Et iterũ, Surge qui dormis, & exurge à mortuis: & illuminabit te Christus. His porrò qui recusant exsurgendi laborem susc ipere,in oratione perseuerare,ac futurum ob regnum,pietatis nomine affligi, ait. Corruptioni tuæ, Israël,quis opem feret? Non est vulnus,non est cicatrix, non est plaga tumens, nec quicquam aduersorum quæ præter voluntatẽ euenire solent. Istud est peccatum ad mortẽ, quod ne aliorum quidem precibus sanatur. Medicamẽtum applicuimus Babyloni,& non est sanata: quia spontaneus erat morbus, Non iam malagma, non oleum,non ligatura,aut quæ ab aliis afferuntur adminicula adhiberi possunt. His ac similibus verbis scriptura diuina alloquitur eos qui eleuant orationem, & citra necessitatem aut infirmitatem horis & opportunitate circunscribunt eam: cum Dominus quidem semper, noctu diúque: Apostolus verò sine intermissione ipsam offerri Deo omnipotenti sanciuerit. En quo pacto vetus etiam testamẽtum abscindit eum,qui sibi ipsi confidit, & de sapientia sua effertur,inquiens, Sta fidens in Dominũ in toto corde tuo: & ne innitaris prudentiæ tuæ. Non sunt hæc nuda verba,vt quidam arbitrati sũt: qui propterea libros cõpararunt, & agnita scriptorum vi, nihil eorum opere complentes,supra modum intumescunt de nuda intelligentia: & disputationibus ac quæstionibus seipsos inuoluentes, apud imperitos laudem consequuntur: qui tamen studium atque diligentiam non attingentes, cùm nullam operandi mentionem faciant,atrociorem à Deo & studiosis piisque viris referunt condemnationem. Itaque dum introductoria scripturarũ notitia vtuntur, non ad opus aliquod, sed ad ostentationem,gratia per Spiritum sanctum operante priuati sunt. Hi sunt,qui gloriantur in facie,& non in corde. Quare qui expertes sunt operis, huic manũ admoueant. Nam quæ commemorat scriptura, nõ vt intelligamus duntaxat inuenta sunt: sed vt illa exequamur. Sumamus igitur initium ab opere, & ita deinceps promouentes, inueniemus non solùm spem in Deum, sed etiam firmã fidem,dilectionem non simulatam, malorum obliuionem, fraternum amorẽ, temperantiam, patientiam, internam cognitionem, liberationem à tentationibus,charismatum dona, confessionem à corde manantem,& copiosas ex oratione lachrymas fidelibus innasci. Nec ista modò: sed etiam afflictionum obuenientiũ tolerantiam,remissionẽ proximo sincerè factam, legis spiritalis notitiam,iustitiæ diuinæ adeptionem,aduentũ sancti Spiritus, Thesaurorum spiritualium largitionem, omnia denique quæcunque promisit Deus se præstiturũ fidelibus hominibus tum hîc, tum in futuro sæculo. Et vt in summa dicam, non potest anima repræsentare imaginem Dei, nisi per gratiam diuinam ac fidem ex animo perseueret homo in summa humilitate,& oratione non hæsitante. Qua igitur ratione qui hisce tantis bonis per ignorantiam & orationis neglectum sunt destituti, aiunt, Non cecidimus: sibique ipsis sapientiam ascribũt. Nisi verò proprium interitum agnoscant, miseri sunt ob casum, & ob imperitiam miseri: hoc duntaxat faciẽtes lucri, quòd nos copiosiùs instruunt ad maiorem fidem habendam scripturæ, quæ dicit, Sapientiam huius mundi stultitiam esse apud Deum: quæ autem ex Deo est, desursum est, descẽdens à patre luminum, cuius indicium est humilitas. Qui ergo placere volunt hominibus, pro diuina sapientia nacti sunt humanam: de qua inflati & gloriantes, deceperunt plures è simplicioribus: dũ suaserunt illis, vt Philosopharentur non circa studia pietatis & orationis, sed in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis: de qua continenter queritur Apostolus,euacuationem crucis appellans. Inquit enim in Epistola ad Corinthios, Nõ misit me Christus baptizare, sed Euangelizare, non in sapientia verbi: vt non euacuetur crux Christi. Et iterum, Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes: & ignobilia mundi & contẽptibilia elegit Deus,& ea quæ nõ sunt, vt ea quæ sunt destrueret? vt non glorietur omnis caro in cõspectu eius. Cum ergo, vt demonstratum est nõ sint grata Deo Græcanicæ sapientiæ verba, sed potius orationis & humilitatis studia: quid inaniter sapiunt, & derelicta prima colẽdi Dei à ratione, quasi à recto aberret, nõ per secũdam, neque per tertiã seruari volũt: & ita circunueniunt simpliciores? Tum Scholastico scire cupienti, quinam essent colendi Dei modi; respondit Exercitor: Primus est, non peccare; Secundus, cùm quis peccauerit, quæ illi accidunt aduersa vt toleret; Tertius, si non ferat æquo animo vt lugeat patientiæ defectiones: propterea quòd hîc non emendatæ per ea quæ adnata sunt accidentia, necessariò posthac orientem inde nobis infligunt condemnationem nisi fortè nos Deus, vbi conspexerit lugentes & humiliatos, omnipotenti (vt nouit)bonitate sua, & gratia diuina deleat peccata nostra. Sin ad eorum quę diximus,neglectum, accedat luctus & humilitatis omissio,& insuper ipsi nobis placeamus de humanæ sapientiæ verbis,ita vt de illis extollamur aduersús simpliciores: quo pacto posthac misericordiã consequemur,qui contraria misericordię perpetramus? ô,qua ratione probabile fiet, quanta cum difficultate reperiatur humanæ

Iere.8. b
Ephe.5. c
Esa.1.b
Iere.51.a
Pro.3.a
1.Cor.3.d
1 Cor.1.
Ibidem.d
Modi, diuini cultus.

manæ complacentiæ affectus: quæ vel ipsorum sapientum animos tenet? Reliquarum enim perturbationũ operationes perspicuæ sunt his, qui earum sunt participes: ob idque præparant ad humilitatẽ, quos occupauerint: humana verò complacentia adeò tegitur verbis & habitu religionis, vt qui ea sunt inescati, diuerticula illius facilè perspicere nõ possint. Percontatus est Sæcularis, Quænam sunt humanæ complacentiæ diuerticula? Imò verò antea discere malo, quid est humana complacentia, quoniam animaduerto te, secutum eos qui venantur lucra, non dicere consentanea naturæ: sed omnes de culpa imperitiæ suspectos habere, & quæ sunt vtilia ineptis argumentis improbare. Idcirco edissere mihi primum proprietatem denominationis huius: & ita credemus, te maximè generalia eiꝰ incommoda complexum esse. Tum Exercitor ait, Complacentia humana est, vt arbitror, hominibus placere, hanc scio captandi quæstus esse proprietatem, Forensis autem admiratus quod dictum est, tãquam magnum quiddam, inquit, Equidem ad naturã aptè dixisti; Cur ergo, vir religiosissime, iniustè vituperas quod iustum est? Existimásne æquũ esse, cuique concedi suorum operum approbationem: an aliis potiùs honesti iudicium esse permittendum, quàm sibiipsi? Ego verò non placere hominibus, & non laudari à proximo, assero planè non esse virtutem appellandam, quod quidem audiui scripturam dicentem, Laudet te proximus, & non os tuum: aliena, & non tua labia. Et rursum, Vnusquisque vestrûm proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. Et iterum, Sine offensione estote Iudæis & gentibus & Ecclesiæ Dei. Quis autem, nisi placeat hominibus, potest esse sine offẽsione? Cur ergo tam profunda disputatione cõplacentiam humanam reprehendis? Si, vt sententia tua est, recipiantur qui non placent, peropportunè posthac laudare potes latrones, homicidas, raptores & insidiatores. Nemini siquidem hominũ placẽt. Cæterùm ne mireris, quòd hactenus, dum habuisti sermonem præcedentem, tacuimus: quia nõ vt nescientes scripturas, aut quod iustum est ignorantes, hoc fecimus: sed quòd priùs sermonem vestrum audire cuperemus. Nouimus autem condonare his, qui sermocinando falluntur, dummodo non proficiscatur hoc à voluntate quæ causa sit imperitiæ, & probatis denominationibus vitium ascribat, quod quidem tibi, vir religiosissime, præter opinionem accidit: volebas enim, vt arbitror, explicare quid esset αὐταρέσκεια, hoc est, sui complacentia. Cum igitur tibi non ab ignauia, sed ab imperitia acciderit, æquum fuerit, explicata denominatione, etiam causas veluti falsas silentio prætermitti, quas tam futiles & inuẽtu difficiles existimasti, vt vel sapientum animos impediant. Exercitor autem, vt cognouit illum in argumentis manifestè excandescere, ac de his quæ dicẽda erant conqueri, modicum obstupuit, ita vt cũcti auditores coniicerent, illum, velut syllogismis confossum, congressiones esse relicturum. Sed is aperto ore dicere cœpit, Quoniam non animo vincendi deuenimus ad has disputationes, sed vt fructum aliquem consequamur: tu vero hactenus silentio vsus es, non quòd ignorares, dixisti, quid iustius sit, sed quòd priùs explanationem nostrã audire expeteres: hac de causa magnitudinem tuam admirandam obsecramus, vt pollicitationi finem imponas, ac demõstres, scripturam diuinam (quam vniuersam cum probè calleas, improbè hactenus subticuisti) non ex sua persona & ipsa specie reprehendere cõplacentiam humanam, sed sub alterius nomine. Ita enim fiet, vt te narrante, quæ sunt scripturæ, non ob ea solum quæ dicta sunt, adducamur ad credendum: sed etiam in rebus permultis exponendis, te iustiora dicentem libenter feramus: licet ex simplicitate & imperitia, vt dixisti, permutatis nominibus, perturbationis loco virtutem proposuerimus. Sæcularis autem, his auditis respondit, Nequaquam dixi, me scire scripturam omnem, sed aliqua ex parte. Tute igitur ne me prouoces ad dicendum: sed vbi incœperis, si de aliqua forte disputatione dubites, tace: & à nobis veniam consequêre. Sin potes demonstrare nominatim, prout nosti, complacentiã humanam, dicite: & necessariò nos, vel inuiti, fatebimur veritatem. Tum Exercitor inquit, Isthæc ita se habeant; Reprehensiones autem tuas iniustas quo in loco ponemus? Sub legem, inquit, Forensis, longanimitatis, quam nos antea docuisti. Senex porrò sic respondit, Laudo te sapientiæ nomine, ne dicam calliditatis, quòd ignorationi compassionem induxisti, dum ex præstandi promissione accepturum te præuides. Cæterùm, his prætermissis, reuertamur ad institutum. Audi igitur scripturam suas enuntiãtem querelas aduersùs humanam complacentiam, & in primis Prophetam dicentem, Quoniam Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Et Apostolus, Non ad oculum seruiẽtes, quasi hominibus placẽtes, Et rursum, An quæro hominibus placere? Et rursum, Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Et multa alia decerpens è scriptura diuina reperies. Tum Sæcularis, Quid ergo, inquit, cùm ea quoque scripta sint, quæ dixi, num scriptura à seipsa dissonat? Ait Exercitor, Minimè dissonat à seipsa: sed nos cæcutimus in demonstratione veritatis. Cùm enim non omnes homines sint impij, neque omnes pij simus, hanc ob rem nõ omnibus placere debemus, verum bonis: itidem non omnibus displicere debemus, sed malis. Quo fit, vt apertè Dominus dicat in Euangelio, Væ cùm benedixerint vobis omnes homines. Neque verò in his duntaxat, sed etiam in his quæ præ se ferunt speciem boni placere nos vetat hominibus: quando non emendationis aut imitationis gratia, sed studio laudis aut remunerationis, ostentamus hominibus quæ sunt recta. Et meritò. Nã si rettributionis corporeæ causa velit quispiam hominibus placere charisma spiritale non recipit à Deo, neque repositas illic consequitur remunerationes, cùm recipiat mercedem suã, vti Dominus etiam declarauit in Euangeliis, non semel, sed sæpius: necnon in dandis orationis, ieiunij, & eleemosynę præceptis, denuntiat, vt illa occultentur hominibus. Scholasticus autem, dum hæc proferrentur adhuc verbo, intensa voce dixit, Sufficit; hanc rem compertissimam habeo. Superest tibi, vt non sub ænigmate aut coniectura, sed clarè dicas, quæ sint diuerticula nequitiæ, vt axactè

Complacentia humana quid sit.

Prou. 27. a
Rom. 15. a
1. Cor. 10. g

Psal. 52. b
Ephe 6. a
Galat. 1. b
Ibidem.
Luc. 6. d

sciamus, an sint, vt dixisti, tenebris obducta & inuentu difficilia, vt possint, cùm occurrunt, etiam prudentes occupare. Dixit Exercitor, Audi attentè, & recitabo tibi nominatim: ipse verò insistas, si non reperias cuncta illa per omnia hæc affectui ipsi valde connexa. Primum igitur & mater horũ diuerticulorum est infidelitas: quam postea, velut fœtus, sequuntur inuidia, odium, æmulatio, dolus, contentio, hypocrisis, personarum acceptio, obsequium oculis exhibitum, detractio, mẽdacium, religionis species & imago, non veritatis, & quæcũque similes obscuræ & caliginosæ perturbationes. Et quod peius est omnibus, orationis artificio nõnulli cumulant ista velut bona, & sub eo latentia tegunt incommoda. Quod si placet, eorum versutiam speciatim explicabo. Callidus, & qui placet hominibus, dum vni consulit, alteri insidiatur: si laudat alium, alium vituperat: dum admonet proximum, seipsum stabilit: patrocinatur in iudicio, nõ vt quod iustum est iudicet, sed vt de inimicis sumat vltionem: blandè reprehendit, donec contumeliosè exceperit suum ipsius inimicum suppresso nomine calumniatur, vt suam detractionem occultet: iureiurando adigit pauperes profiteri quibus indigeant, tanquam elargiturus quippiam: cúmque declarauerint, diffamat eos, vt efflagitatores: gloriatur apud imperitos, & apud doctos submissa voce loquitur, vt qui venetur ab vtrisque laudem: ægrè fert dum celebrantur encomiis, qui dant operam virtuti, aliáque narratione interiecta contrahit encomium: magnates, cùm adsunt, deprimit, præsentes autem in faciem extollit: subsannat humiles, & magistros reprehendendi gratia curiosè obseruat: simplices probro afficit, vt seipsum sapientẽ ostentet: virtutes omnium cauillatur, & vitia tenet memoriâ. Et, vt semel dicam, captat occasiones, inseruit personis, quò probatum reddat valde multiplicem humanæ complacentiæ affectum: sua ipsius vitia cælare nititur, alienorum rogatione. At verè monachi non sunt eiusmodi, imò contrà, aliorum vitia compatiendo dissimulant, sua verò declarant Deo, ideóque apud ignaros homines parui fiunt: quia non tam student hominibus placere, quàm Deo: in hoc quidem rectè placentes, illo verò seipsos condemnantes: vtroque tamen nomine accepturi remunerationem à Domino dicente, Qui se exaltat, humiliabitur. Scholasticus autem argumentis fatigatus ait, Ego tum animi tui sensa, ô Exercitor, tum astutiam tuam demiror: de qua cùm obscurè ipse alios accuses, hac tamen ipse teneris. Destitutus siquidem liberalibus disciplinis, redactus es in eam quæ secundum Deum est stultitiam, asserens illam maximam & Deo gratam esse sapiẽtiam: cui precationem & labores pro pietate susceptos adiunxisti, vt imperitiam manifestam obscura religione tegeres. An verò tuarum enarrationum sis prorsus artifex, cras denuo comites agnoscemus. Et his dictis surgens abiit. Tum Senex, eo à se dimisso, cõuersus obtestabatur cum gemitu: fratres autem rogabant, vt gemitus sui causam exponeret, qui dixit, Video quosdam vestrûm perturbatos, quod inde coniicio, quia non in commodum, sed in detrimentum, Causidici verba excepistis: & nihilo adiutos vosipsos his quæ dicta sunt existimastis, imò contumelia affectos, hæc est causa mœroris mei, quòd legem spiritalem eloquimur aliis, ipsi verò non seruamus. Si verò non secutus sum ingenuè morosorum voluntatem, qui legem Dei tenẽt, & credunt, iuxta scripturam, aduersa omnia nõ iniustè accidere, mihi, vt seni, ob imbecillitatem intellectus condonate, vt contingentium saltem nobis molestiarum reos nos esse credamus, & si non recenter aut ob præsentia facinora, aut ex antiquo debito. Tunc vnus è fratribus, qui de sua fidebat continentia, & ea de causa veritatem ignorabat, qui etiàm aduersitates omnes sufferre conabatur, verum se velut martyrem immeritò pati existimabat, respondit audacter, inquiẽs, Vbinam scriptura dixit, iusto Dei iudicio, pro culpa cuiusq;, calamitates hominibus euenire? Senex verò valdè sereno vultu excipiens quæ dixerat, inquit, Multis in capitulis, ô dilecte, si quæras, hoc reperies, tum in veteri, tum in nouo testamento: ac si velis, pauca subiiciemus oculis: ipse verò vbi didiceris, abiecta arrogantia postula humilitatẽ Christi, dicentis, Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Subditus porrò disputationi occurrẽs dixit, Si quisque nostrum imitatur in eo humilitatem Christi, quòd arbitratur ea quæ accidũt, esse velut proprium debitum, quemadmodum dixisti, profectò etiam Christus, dum passus est, proprium debitum persoluit, quod fit, vt ego eũ blasphemare affirmem, qui hoc dicit. Hæc cùm audisset qui præerat, ait Conabar equidẽ pristinam tuã quæstionem priùs soluere: sed quoniam huic & alteram iniecisti, tanquam infinitarum quæstionum confusione solutiones obruisti. Nos tamen de eo per dominum satisfaciemus, congruentibus vicissim vtentes interrogationibus. Dicito mihi, qui ex mutuo debitum proprium contrahunt, hinc soli debitores existunt: an & illi qui spondent pro eis? Respondit subditus, Vtique & qui fideiubent eorũ nomine. Cui Senex, Exploratũ igitur tibi sit, Christum quando nos suscepit, seipsum, secundum scripturas diuinas, debitorem constituisse, Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, Qui factus est pro nobis maledictus, Qui mortẽ omnium suscepit, & pro omnibus mortuus est, nõ se duntaxat excepit. Hoc apertè confitere, & nos vicimus. Frater autẽ se prosternens inquit, Etsi velut pusillus ignorantiâ falsus sum, non tamen abnego redemptorem ac susceptorem animarum nostrarum. Scio enim nullam aliam superesse spem salutis hominibus, cùm dicat Apostolus, Omnes peccauerunt, & egẽt gloria Dei: iustificati gratis per gratiam ipsius. Recreatis autem omnibus ob agnitionem & respiscentiã fratris, Senex ait: Superest, vt demõstremus è scriptura, ex aduersis quæ cuique accidunt, nullum iniustè euenire, sed omnia ex iusto Dei iudicio: dũ alij propter sua scelera, alij proximorum nomine patiuntur. iniquis omnia recidunt in sinum: à Deo tamen omnia iusta. Et iterum, Omnia opera Dei cum iustitia. Et, Quod seminat homo, hoc & metet. Et, Si iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus est Deus, qui infert iram? secundum hominem dico. Absit. Ecce, tres pueri in caminũ proiecti, docent nos ita sentire

Infidelitas & eius fœtus.

Callidi/ hominis improbitas.

Veri Monachi quales sint.

Luc.14.c

A B C D E

Matt.11.d

Christus quomodò debitor fuit.

Ioan.1.d Galat.3.b

Rom.3.c

Prou.16.d Ibidem.b Gal.6.b Rom.3.a

Dan.3.

sentire debere: cùm aiunt, pro sua culpa & castigatione diuina se iniectos esse, licet aliam personam susciperent. Sanctus quoque Dauid dum iussu Dei affligitur à Semei, ob facinora propria se fatetur afligi. 2. Reg. 16. Esaias item & Hieremias, Ezechiel, Daniel, & reliqui Prophetæ, tam populo quam gentibus prophetarunt, pro cuiusque peccato venturas ipsis calamitates: vnáque causas & occasiones antè declarauerunt. Ait enim, Pro eo quod loquebatur hæc & illa, & ista committebant: hæc & illa eueniebant eis. Psal. 118. k Quod apertè dicebat sanctus Dauid in Psalmo, Psal. 38. b Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliasti me. Et iterum, Opprobrium insipienti dedisti me: obmutui, & nõ aperui os meũ, quia tu fecisti. Et de missa sibi latentium in nobis cogitationum prauarum cogitatione gratias agit: vt exactè perpensis animi nostri conceptibus, corrigamus nosipsos, & non versemur in ancipiti, vitiorum nostrorum multitudinem ignorãtes. Integri siquidem viri est, in suis delictis non torpescere. Quòd si conspicua delicta, sunt nobis cognitu difficilia, quanto magis cogitationes? Quamobrem, ea commodo nostro cõtingere, quæcunque Dominus immittit, & per ea admodum bene nobiscum agere. Nam efficit in primis, vt indagemus quæ nos clam occupãt cogitationes: his repertis, sinceram & non simulatam humilitatẽ addit: deinde reuelationem, quæ iubet, vt opinione nostri vana liberemur: quẽ- Psal. 91. b admodum scriptum est, Prospexerunt omnes qui operantur iniquitatem, vt intereãt in sæculum sæculi. Hoc ergo fratres accuratè scitote & cognoscite, nos occulta vitia non inuẽturos, nisi cum fide & gratiarum actione perferamus ea quæ nobis immittuntur: illis verò planè non repertis, prauas cogitationes insitas abigere non possumus, nec malorum priùs admissorum propitiationem quærere, neque de futuris esse securi. INTERROGATIO. Si quæ dixit Forensis, redarguunt facinora nostra, cur dictis reprehẽsionib⁹ nosipsos esse obnoxios nõ sentimus? RESPONSIO. Impressiones & castigationes non sunt ipsa euidentia culpis cõsimiles: verùm quo ad Spiritum, omnem conseruant æqualitatem iustitiæ, quod vel è scriptura sancta possumus cognoscere. Luc. 13. Non enim qui sub turre Siloë ceciderũt, aliis instaurarũt turrim: & qui pœnitentiæ nomine captiui spatio septuaginta annorum abducti sunt in Babylonem, alios quosdam captiuos cœperunt ad pœnitentiam, non ita se habent conditiones castigatoriæ. Militum castigatio. Sed velut milites in delicto deprehensi vapulant quidem, non tamen eadem patiũtur supplicia quæ hi qui scelera commiserunt: sic etiam omnes per ea quæ obueniũt, erudimur opportunè & conueniẽter & ad pœnitẽtiam: non eodẽ modo, aut eodem tempore, neque earundem rerũ euentu. Et hoc est, quod deducit multos, vt non credant iustitiam diuinam, temporis videlicet prorogatio, & eorum quæ infliguntur, disparitas. Cùm ergo permultæ nobis contingant afflictiones, partim quidẽ per homines inuidos, adulatores, detractores, calumniatores, sycophantas, seductores, ineptos, effossores, fures, spoliatores, scandalorum authores, Tribulationũ genera infinita. persecutores, contemptores, osores, pulsatores, ad nocendum paratos, & quæcunque homini ab homine possunt euenire, quæ item à proprio corpore

A laſciuiente, infestante, requiem postulante, & inter accidentia morsus canum, serpentium virus iaculantium, aut belluarum carnes vorantium: prętereà pestis, terræmotus, glacies, ardores, senium, paupertas, desertio, & quęuis similia: partim verò operâ eorum, aduersus quos nobis colluctationem esse declarauit Apostolus, nempe spirituum nequitiæ, ser- Ephe. mones nostros & actiones obseruãtium: vnde consequentia quadam suspicantur cogitationes nostras esse similes, meritò quidem hæc nobis obueniunt. Quia nisi mẽs nostra liberi arbitrij compos, Liberũ arbitrium. per infidelitatem contrahat familiaritatẽ cum suggestionibus probatoriis, & spe catholica relicta cogitationes excitet, non edũtur sermones, nec actiones perficiuntur. INTERROGATIO. Ipse dixisti, calamitates omnes cuique euenire prout in causa est, eásque ad notitiam diuinæ iustitiæ nos adducere. Explica ergo nobis causas, vt hac ratione credamus, nos reos esse casuũ nostrorum, & occurrẽtes afflictiones ferre debere: ne in iudicio, non vt peccatores duntaxat, sed vt qui medelam recusauerimus, grauiore supplicio plectamur. RESPONSIO. Cunctorum casuum causæ sunt cogitationes vniuscuiusque. Poteram etiam dicere, sermones & operationes: sed quoniam hæc non præcedũt conceptionem idcirco totum cogitationibus libenter ascripserim. Cùm ergo cogitatio præeat & dominetur, in reliquo sermones & actiones præbent nobis mutuæ societatis occasionem. Sunt autem duæ societatis rationes: vna, quæ proficiscitur à dilectione: altera, quæ oritur à vitio. Per societatem vicissim spondemus pro iis quos nõ nouimus. Sponsionibus autem necessariò succedunt impressiones, vt ait scriptura, Qui fideiubet pro amico Pro. 6. a. suo, hosti tradit manum suam. Ita fit, vt quisque nõ solùm sibi peculiariter accidentia ferat, sed etiam proximi nomine, in quibus pro eo spopondit. INTERROGATIO. Discere peroptamus vnum sponsionis modum, qui dicitur trahere originem à vitio. RESPONSIO. Spõsio vitiosa fit præter animi sententiam. Quæ sic accidit, Qui spoliat, pro arbitrio, recipit in se redundantes tentationes eius qui spoliatur: qui studet auaritiæ, tentationes rei desideratæ: necnon sycophanta, eius quem defert: vexator, eius quem vexat: detractor, eius cui detrahit: contemptor, eius quem contemnit: calumniator, eius qui calumniam patitur: &, ne per singula dicã, quicunque damnum dat, iuxta proportionem recipit tẽtationes eius qui damno afficitur. Hisce testimonium præbet scriptura diuina, quæ dicit, Iustus de angustia liberabitur, pro eo verò traditur impius. Pro. 11. a. Et iterum, Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui Pro. 26. d voluit lapidem, in seipsum reuoluit. Et rursum, Iniquis omnia redundant in sinum; à Deo autem prodeunt cuncta. Si ergo iniquitas nostra, secundum Communis Latina & Hebraica lectio, habet, *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino tẽperantur.* Apostolum, iustitiam Dei commendat, inuicem, quid dicemus? Nunquid iniquus est Deus, qui infert iram, non his modò qui per impressiones eruditur, sed his etiam qui earum euentu inconsideratè exasperantur? INTERROGATIO. Hæc ex ordine audita, ita se habere credimus. Superest, vt edisseras nobis spõsionem, quæ fit ex charitate: ne hoc quoque ignoremus. RESPONSIO. Ex charitate prodiens sponsio est, quam Dominus Iesus per Prou. 16. d Rom. 3. a.

omnia nobis exhibuit. Qui ſanat in primis infirmitates animæ noſtræ: deinde curat omnem morbum, & omnem languorem: qui tollit peccatum mundi: qui puram reſtituit naturam his qui firmiter credunt ei, redemptionem à morte, atque Dei cultum donat, pietatem & religionem docet, oſtendit ad mortem vſque perferendas eſſe afflictiones charitatis gratia, neceſſariam in eum vſum patientiam gratuitò nobis largitur, per communicationem ſancti Spiritus, nécnon futura bona, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt. Propter quod & noſtra cauſa tentationes ſuſcipit, dum ſubſannatur, probris afficitur, ligatur, proditur, colaphis cæditur, bibendum cum felle acetum ei porrigitur, calumniã patitur & perſecutionem, dum etiam alapis tunditur. Ille, cùm carnem ſpiritúmque communem nobiſcum haberet, paſſionéſque noſtro nomine ſuſcepiſſet, denuò hanc ipſam legem tradidit Apoſtolis ſuis, Prophetis, patribus, & Patriarchis, qui hos quidẽ anteriore tempore per ſacroſanctum ſpiritum edocuit, illorum verò ſubiiciens oculos per corpus impollutum, hanc ſponſionem, planè dicebat, Confidite: ego vici mundum. Et rurſum, Ego pro eis ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate. Et iterum, Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt ponat quis animam ſuam pro amicis ſuis. Vnde ſanctus Paulus imitans Dominum, aiebat, Nunc gaudeo in paſſionibus meis pro vobis gentibus, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. In quo etiam ipſe ſignificat obſcurè ſponſionem ex charitate ſuſceptam. Vis tibi magis perſpicuũ fieri, quo pacto omnes Apoſtoli nobiſcum inierunt ſocietatem intellectu, ſermone, & opere ipſo? qua ſocietate permoti ſuſceperunt pro nobis tentationes. Intellectu quidem, dum aperientes nobis Scripturas, adductis prophetiis ſuadent credere Chriſto vt redemptori: certiſſimámque fidem faciunt, inſeruiendum eſſe illi, tanquam natura Filio Dei: dum precãtur pro nobis, lachrymis emiſſis; & agũt quæcunque per intellectũ Fidelibus efficere licet. Verbis autem, dum exhortantur, admonent, reprehendunt, perſtringunt incredulitatem noſtram, Scripturas interpretantur, ſubiiciunt oculis tempora, confitentur Chriſtum ipſum eſſe Verbũ hominem factum, & crucifixum prædicant; vnum, non duos aſſerunt, licet intelligatur ex duobus vnitis abſque vlla diuiſione aut confuſione: in omni re, loco, & tempore, malam fidem amputant: non aſſentiuntur mẽdacio: cum his qui gloriantur ſecundùm carnem, non miſcent colloquia; cum deditis vanæ gloriæ non cõuerſantur, arrogantes ne intuentur quidem, malignè verſantes nihili faciũt, amplexantur humiles, cum piis & religioſis familiaritatem contrahunt; & nos eadem facere docuerũt. Ipſo autem facto, dum perſecutionem patiuntur, mittuntur in carcerem, malè tractantur, ſubſannantur, ſpoliãtur, affliguntur, & interficiuntur, & quæcunque eiuſdẽ generis paſſi ſunt noſtra cauſa. Hunc igitur in modum ſocietate ducti ſuſceperũt in ſe tẽtationes noſtras. Siue enim, inquit, tribulamur, pro veſtra exhortatione & ſalute: ſiue cõſolamur, pro veſtra cõſolatione & ſalute: vt qui legem acceperunt à Chriſto, dicente, Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt ponat quis animam ſuam pro amicis ſuis. Et nobis etiam ipſi tradiderunt, his verbis, Si Dominus animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Et rurſum, Alter alterius onera portate: & ſic adimplebitis legem Chriſti. Quare perſpectam habentes duplicem ſocietatis mutuæ rationem, ac conſequentem neceſſariò ſponſionem, occurrentes item ex proportione tentationes, non eſt vobis valde laborandum quo pacto, quando, aut per quem eueniant, hoc enim cuique adnatum eſt. Scire porrò earum, quæ differri nequit, acceleratione, aut tendẽtem eò creaturæ vniuerſæ cooperationẽ, ſolius eſt Dei. Nos autem credere duntaxat debemus iuſtitiæ diuinæ, & exploratum habere quicquid nobis inuitis accidit, aut propter dilectionem, aut ob nequitiam contingere, ideóque tolerandum nobis eſt illud, non auerſandum: ne peccatis noſtris addamus peccata. Ante omnia, fratres, obſecro vos, vt attendatis accuratè his quæ dicta ſunt: ne ſine fructu nos perferamus tentationes ſermonum cauſa, vóſque ignauia ducti tradatis obliuioni quæ diximus. Obliuio ſiquidem filia eſt ignauiæ: ambæ verò ſunt neptes incredulitatis. Reſponderũt ad hæc, fratres: Promptior eſto, pater, ad enarrãdum; tenemus enim quæ audiuimus, certiores de Scriptura diuina quæ hæc aſſerit: nempe eorum quæ præter voluntatem hominibus contingunt, citra iuſtitiam diuinam nihil accidere; tametſi, quòd homines ſumus, non aſſequimur myſticum accidẽtium concurſum, & congruam acceleratione, quemadmodum ipſe antea dixiſti. Idcirco quidã, ex his quæ dicta ſunt, amentior effectus; ait: Supereſt, vt dicas nobis, quid ſit voluntas carnis; & qua ratione extra intellectum ſubſiſtere poſſit. Nam Scholaſticus quæſiuit tantùm, an ſit; quò autem modo ſe habeat, aut quid ſit; non eſt percontatus. Dixit ad hæc Exercitor: Volũtas carnis eſt motus corporis naturalis, cum ſubſequente citra rationẽ feruore: quæ quidẽ à ſomno & membrorum remiſſione vires accipiũt. De quibus Petrus Apoſtolus ait, Chariſſimi, nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quaſi noui aliquid vobis cõtingat. Beatus etiã Paulus de hiſce dixit, Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum: ſpiritus autẽ aduerſus carnẽ. Ideóq; denuntiat inquiens, Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis vnquam. Quæ dixerunt, eò quòd nollẽt vllũ nobis eſſe fœdus cum huiuſmodi motionibus.

Ioã.16.d. Ioan.17.c. Ioan.15.b. Coloſ.1.d. Apoſtolorũ, in nos beneficia. Vitæ Chriſtianæ officia. 2. Cor.1.b Ioan.15.b

1. Ioan.3.d. Galat.6.a. Obliuio, Ignauiæ eſt filia. Voluntas Carnisque ſit. 1.Pet.4.c. Galat.5.c.

EIVSDEM; CONSVLTATIO INTELLECTVS CVM SVA *ipſius anima.*

AVDI rationalis anima, ſocia cõſiliorum meorum: myſticum quippiam, remq; vtrique noſtrum communem commemorare tibi deſidero: qua deprehendi, te non prorſus expurgatam iri perturbationibus, ſed per gratiam Chriſti minus fore deditam. Certò equidem ſcio, ô anima, cùm tu & ego præter naturã agitamur, nos ignoratione falli: ob idque, dum vitiũ extra nos eſſe dicimus, de noſtris ipſorum peccatis alios accuſare: atque interdum quidem ipſi Adamo, quandoque Satanæ, aliquando

quãdo hominibus culpam aſcribimus. In quo dum aliis bellum inferre putamus, ipſi bellum nobiſcum gerimus: dum nos tueri mutuò arbitramur, ego & tu inuicẽ pugnamus: dum de nobis ipſis bene mereri exiſtimamus, noſipſos percutimus, labores inutiles & probra non immeritò perferentes: ſpecie quidem amplectentes mandata, ipſorum autẽ cauſas, vtpote ſeducti, proſequentes odio. Vnde certò ſcio, nos à nulla poteſtate ſiue ad bonum, ſiue ad malum, iniuria trahi: ſed ſtatim à baptiſmo in ipſis rerum initiis, cuicunque ad nutum inſeruierimus, ſiue Deo ſiue diabolo: is meritò in poſterum nos ad ſuas partes adigit. Cæterùm initia rerum ſunt obiecta duo, quæ non animaduertuntur, laus humana, & remiſſio corporis: quæ ſponte ſua obtruſa, antequam voluntas noſtra accedat, nec vitia ſunt neq; virtutes: ſed propenſionẽ animi noſtri, quóve inclinemus, arguunt. Nam cùm Dominus iubeat ferre contumelias & moleſtias, diabolus autẽ velit contraria, vbi placuerimus nobis in obiectis illis, perſpicuum eſt, obaudito Domino, propenſionem animi nos tradidiſſe ſpiritui voluptuario: quando verò ſuggeſtionibus ſuprà dictis angimur, certum eſt amplexos anguſtias inclinationem Deo deditam habere. Hanc igitur ob rem duo illa obiecta hominibus proponi permiſſa ſunt, vt qui mandata Dei colunt, momentum voluntatis ſuæ tradant Chriſto: qui nactus introitum, deducat mentem in veritatem. Ad eundem modum intelligito mihi contrarium. Nam ediuerſo, quicunque gloriam humanam amplectuntur, & remiſſionem corporis, præbẽt aditum diabolo: qui etiam ipſe ingreſſu peculiari reperto, ſua ſuggerit vitia quę tandiu creſcere non deſinunt, quandiu cogitant quæ grata ſunt ei: donec ex corde oderint, quæ priùs diximus obiecta. At nos vſqueadeò diligimus ea, vt eorum gratia non ſolùm prodamus virtutem, ſed etiam illorum ipſorum alterum altero, data occaſione, commutemus, interdum voluptatis gratia ſubimus ignominiam. Quando verò citra dolorem illis aſſentimur, poſtmodum illorum promotricem materiam indagamus. Atqui vanæ gloriæ voluptatiſque materia eſt auaritia: quæ, ex ſententia ſcripturę diuinæ, radix eſt omnium malorum. Verùm, dices equidem mihi, anima chariſſima, nos aurũ in theſaurum non recondere, neque poſſeſſiones habere: Et ego tibi dico, aurum aut poſſeſſiones non nocere, ſed, vt antè dixi, inhærẽtem affectui abuſum eorum. En, quidam citra affectionem locupletes, Deo pergrati fuerunt, veluti ſanctus Abraham, Iob, & Dauid. Nonnulli verò, etiam carentes opibus, affectum auaritiæ fouemus in rebus leuiſſimis, ideóque miſeriores ſumus his qui multa poſſederunt: quia relictis vniuerſim prauis affectionibus, quaſi Deum lateamus, calliditati voluptatis affectum adiungimus. Fugientes enim auaritiam, non fugimus voluptatem: non recondentes aurum, res viles coaceruamus: magiſtratum atque imperium repudiamus, gloriam tamen & honorem eorum quouis modo venamur. Reliquimus poſſeſſiones, harum tamen fruitionem non auerſamur: ſi quando vero auerſari videmur, non quòd auaritiam fugiamus, ſed velut execrantes Dei creaturas, dicimus. Ne tetigeris, neque guſtaueris, neque contrectaueris. Cùm audieris, anima chariſſima, Adami & Euæ tranſgreſſionem, credas equidẽ initio per illos propriè commiſſam eſſe: nunc autem, quod ad intellectum, per me ac te committi reperies. Hæc enim in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram; &c. Quandoquidem, ecce, per baptiſmum renati, tranſgreſſi ſumus mandatum eius qui nos regenerauit: quia cùm Dominus præcepiſſet, vt omnes eandem fidem profitentes diligeremus, & ex omnibus prodeuntem fructum toleratẽr ederemus, quemadmodum dictum eſt, vt ederent ex omni ligno quod erat in paradiſo: nos ſuaſionibus ſerpentis vſi, quoſdam, vt bonos, dileximus: alios, tanquam malos, habuimus odio, quod eſt lignum cognitionis boni & mali: quod vbi guſtauimus, morimur animo: non quòd Deus creuerit mortem, ſed quòd proximũ oderit homo. Deus enim mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuentium: non mouetur affectu iræ, non excogitat quicquam, vt poſtea ſumat vltionem, neque mutatur cuiuſuis dignitate: ſed omnia ſapienter condidit, quæ per legem ſpiritalem iudicari præfiniuit. Propterea non dicit Adamo, Quacunque die comederitis, ego tradam vos morti: verùm certiſſimè prædicit iuſtitiæ legem, hac voce, Quacunque die comederitis, morte moriemini. Et planè cuicunque rei, ſiue bona ſit, ſiue mala, annexum natura decorum largitus eſt, non quod poſtea excogitet illud, vt quidam legem ſpiritalem ignorantes putauerũt. Nos verò, qui aliqua ex parte tenemus illam, noſſe debemus, ſi quempiam eorum qui parem nobiſcũ ſortiti ſunt fidem, vt malũ, oderimus; nos quoque, cùm mali ſimus, Deo fore odioſos: & ſi, velut peccatorem, illum repulerimus à pœnitentia, nos etiã, qui ſumus peccatores, excludendos: & ſi proximo non dimittimus peccata, nec dimittentur nobis. Hanc legem declarans legiſlator Chriſtus, dixit, Nolite iudicare, & non iudicabimini: dimittite, & dimittetur vobis, Eandem legem ſciens Paulus, explicabat his verbis, Qui iudicat alterum, ſeipſum condemnat. Quod non ignorans propheta clamabat ad Deum, inquiens, Nempe tu reddes vnicuique iuxta opera ſua. Alter item propheta ſub perſona Dei dicit, Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Cæterùm quid ſingula commemoro? quando ſcriptura tam vetus quàm noua, & maximè ſummus ille pſaltes, nobis omnibus clariùs hanc ſubindicat legem: vt illam ſpiritalem & myſticè præſcriptam eſſe inuenerimus, de vniuerſa noſtra inclinatione metuẽtes, non in ſpeciem duntaxat, ſed etiam in ſecretis animi diligere fratres enitamur. Non enim eſt lex Moſaïca, quæ manifeſta iudicare ſolet: ſed ſpiritalis, quæ etiam occulta corripit, quanquam etiam ſuis temporibus congruam tulit idem Deus: impleuit autem eam, per gratiam Domini noſtri, qui dixit, Non veni ſoluere legem, ſed adimplere. Quamobrem (vt omni de re ſummatim dicam) debemus poſthac condonare ei, qui quempiam offendiſſe videtur, iuſta vel iniuſta ſit offenſio: certò ſcientes, condonandi virtutem quacunque virtute præſtãtiorem eſſe. Verùm quia præoccupãte nos peccato impediti, nequimus hoc efficere, debemus obſecrare Deum cum vigiliis & macerationẽ carnis immodica, donec conſequa-

Peccati ſeruitus vnde.

Auaritia eſt voluptatis & vanæ gloriæ materia.

Diuites quidam, Deo grati.

Paupertas non volũtaria, qualis ſit.

Coloſ. 2. d

1. Cor. 10. c

Gen. 2.

Sap. 1. d

Gen. 2. c.

Odium Proximi.

Luc. 6. c.

Rom. 2. a

Ierc. 32. c.

Deu. 32. e. Heb. 10. f.

Matth. 5. c.

Iniuriarũ condonatio, eſt Dei donum.

mur propitiationem,eámque comparemus facultatem. Deinde in omni re, loco, & tempore vnus nobis, ô anima, proponendus est scopus, vt quouis modo læsi ab hominibus, gaudeamus,& nulla afficiamur tristitia gaudeamus autem, non vtcunque aut temerè sed quòd nacti sumus occasionem,tum remittendi ei qui peccauit, tum peccatorum nostrorum remissionem consequendi. Hæc est vera Dei notitia, quæ cognitionem omnem complectitur:qua possumus inuocare Deũ,& exaudiri. Hæc est precationis vbertas: cuius ví licet nobis tollere crucem, & sequi Dominum. Hæc primorum & summorum mandatorum mater existit. Per hanc enim possumus diligere Deum ex toto corde, & proximum sicut nosipsos. Huius ope, ieiuniis, vigiliis, & macerandæ carni danda nobis est opera: quò animus & viscera aperta suscipiant isthæc, & non repellant. Ita enim fiet, vt secretò nobis donatam sancti baptismatis gratiam, non iam obscurè,sed cum omni certitudine & sensus perceptione operari agnoscamus, eò quo proximo peccata remittimus. Veruntamen hanc virtutem duo impediunt vitia, vana gloria, & voluptas,quæ conuenit in primis ex animo auersari, & ita amplecti virtutem. Quamobrem,ô anima, quæ horum duorum vitiorum obsequẽdo voluntati,teipsam prodidisti, neminem accuses,non Adamum,nõ Satanam,non homines: sed contende cum voluntate tua, & ne cõtemnas. Bellum enim est intestinum. Nam non est externum, vt nobis pugnãdum sit aduersus fratres qui versantur nobiscum,sed intestinum est bellum. In pugna nemo hominum nobis aderit: vnicum habemus commilitonem, qui per baptismum in nobis arcanè recõditus est, Christum inuictum, & quem nihil latet. Is autem certabit à partibus nostris,si mãdata eius pro virili peragamus. Quæ verò bellum nobis inferunt,sunt,vt antè diximus, voluptas permixta corpori, & vana gloria; quibus ego & tu detinemur. Illa,inquã,duo seduxerunt Euam, & Adamum fefellerunt. Voluptas quidem ostendit lignum esu bonum,& contemplatu formosum: vana autem gloria subiecit illud, Eritis sicut Dij, cognoscentes bonum & malum. Quemadmodum ergo Adam primò formatus & Eua erubescebant inuicem:ita etiam nos,vbi abiecto intellectualium oculorum vitio,nos ipsos nudos conspicimus, mutuo conscientiæ pudore suffundimur, Et iam folia ficus nobis ipsis consuimus, dum extraneis sermonibus, figuris & iustificationibus nos induimus. Dominus autem parat nobis vestimentum è pellibus, & ait, In patientia vestra possidete animas vestras. Et suadet quæ sequuntur, his verbis, Qui inuenit animam suam,hoc est,reductis in memoriam offensionibus, perdet eam. Et qui in ea memoria perdit animam, in vitam æternam inuenit illam. Ipsi gloria in sæcula. Amen.

Cauta legeq

Sola volũtas peccati causa est.

Adami Peccatum.

Gen.3.a

B

Luc.11.d. Mat.10.d

DE SALVIANO EPISCOPO MASSILIENSI EX GENNADII SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM CATALOGO.

Claruit sub Zenone Imp. ad Ann. 480. Trithem.

SAluianus Maßilienſis presbyter, diuina & humana literatura inſtructus,& vt abſque inuidia loquar,Epiſcoporum magiſter,ſcripſit Scholaſtico & aperto ſermone multa,ex quibus iſta legi.

*De virginitatis bono ad Marcellum presbyterum, Lib.*III. *Aduerſus auaritiam Lib.*IIII. *De præſenti iudicio Lib.*V.

*Et pro eorum merito ſatisfactionis ad Salonium Epiſcopum Lib.*I.

*Expoſitionis extremæ partis Eccleſiaſtis ad Claudianum Epiſcopum Viennenſem Lib.*I. *Epiſtolarum Lib.*I.

*In morem Græcorum de principio Geneſis vſque ad conditionem hominis compoſuit verſu quaſi Hexametro Lib.*I.

Homilias Epiſcopus factus,multas:Sacramentorum verò quantas nec recordor: viuit vſque hodie in ſenectute bona. *

SALVIANI MASSILIENSIS EPISCOPI DE VERO IVDICIO ET PROVIDENTIA DEI ET IPSIVS GVBERNATIONE HOMINVM & rerũ mundi huius,libri octo,ad sanctũ Salonium Episcopũ Viennensem.

PROOEMIVM.

SANCTO Epiſcopo Salonio SALVIANVS Epiſcopus in Domino ſalutem: Omnes admodum homines,qui pertinere ad humani officij culturam exiſtimarunt, vt aliquod linguarum opus ſtudio ingeniorum excuderent,id ſpiritali cura elaborarunt, vt ſiue vtiles ac probas, ſiue inutiles atque improbas materias ſibi delegiſſent,ſeriem tantum rerum nitore verborum illuſtrarent, cauſíſque ipſis quas loqui vellent, loquendo lucem accenderent. Itaque ad hanc ſe partem ex vtroque genere literarum ſcriptores mundialium negociorum plurimi contulerunt,non ſatis conſiderates quàm probabilibus materiis ſe impẽderent, dummodo ea quæcunque dicerent,aut compto,aut blando carmine canerent,aut luculenta oratione narrarẽt. Omnes in ſcriptis ſuis cauſas tantum egerunt ſuas, & propriis magis laudibus quàm aliorum vtilitatibus conſulentes, non id facere adniſi ſunt vt ſalubres ac Salutiferi,ſed vt ſcholaſtici ac diſerti haberentur. Itaque ſcripta eorum aut latinitate ſunt tumida,aut falſitate infamia, aut verborum fœditatibus ſordida, aut rerum obſcœnitate vitioſa, vt vere cum ingeniorum tantum laudem cupientes tam indignis rebus curam impenderent,non tam illuſtraſſe mihi ipſa ingenia, quàm damnaſſe videantur. Nos autem qui rerum magis quàm verborum amatores, vtilia potius quàm plauſibilia ſectamur, neque id quærimus vt in nobis inania ſeculorum ornamenta,ſed vt ſalubria rerum emolumenta laudentur,in ſcriptiunculis noſtris non lenocinia eſſe volumus,ſed remedia: quæ ſcilicet non tam ocioſorum auribus placeant,quàm ægrotorum mẽtibus proſint,magnum ex vtraque re cœleſtibus donis fructum reportaturi. Si enim hæc ſalus noſtra ſanauerit,quorundam non bonam de Deo noſtro opinionem, fructus non paruus erit quod multis profuit. Sin autem id non prouenerit,& hoc ſaltem ipſum infructuoſum non erit quod prodeſſe tentaui. Mens enim boni ſtudij ac pij voti,etiam ſi effectum non inuenerit cœpti operis,habet tamen præmium voluntatis. Hinc ergo exordiar.

Qui ingenia ſua deplorarint.

SALVIANI

SALVIANI MASSILIENSIS EPISCOPI DE VERO IVDICIO ET PROVIDENTIA DEI, LIBER PRIMVS.

INcurioſus à quibuſdam & quaſi negligẽs humanorum actuum Deus dicitur, vt pote nec bonos cuſtodiens, nec cohercens malos, & ideò in hoc ſeculo bonos plerumque miſeros: malos, beatos eſſe. Sufficere quidem ad refellenda hæc, quia cum Chriſtianis agimus, ſolus deberet ſermo diuinus. Sed quia multi incredulitatis Paganicæ aliquid in ſe habent, etiam Paganorum forſitan, electorum atque ſapientum teſtimoniis delectarentur. Probamus igitur ne illos quidem de incurioſitate ac negligentia iſta ſenſiſſe, qui veræ religionis expertes nequaquã vtique Deum noſſe potuerunt, quia legem per quam Deus agnoſcitur neſcierunt. Pythagoras philoſophus, quem quaſi magiſtrum ſuum philoſophia ſuſpexit, de natura ac beneficiis Dei diſſerens, ſic locutus eſt: Animus per omnes mundi partes commeans atque diffuſus, ex quo omnia quæ naſcuntur animalia vitam capiunt. Quomodo igitur mundũ negligere Deus dicitur? quem hoc ipſo ſcilicet ſatis diligit, quod ipſum ſe per totum mundi corpus intendit? Plato & omnes Platonicorum ſcholæ, moderatorem rerum omnium conſitentur Deum. Stoici eum gubernatoris vice intra id quod regat ſemper manere teſtantur. Quid potuerunt de affectu ac diligentia Dei rectius religioſiúſque ſentire, quàm vt eum gubernatori ſimilem eſſe dicerent? Hoc vtique intelligẽtes, quod ſicut nauigans gubernator nunquam manum ſuam à gubernando, ſic nunquam penitus curam ſuam Deus tollit à mundo. Ac ſicut ille & auras captans, & ſaxa vitans, & aſtra ſuſpiciens, totus eſt ſimul tam corporis quàm cordis officio operi ſuo deditus: Ita ſcilicet Deum noſtrum ab vniuerſitate omniũ rerum, nec munus dignantiſſimæ viſionis auertere, nec regimen prouidentiæ ſuæ tollere, nec indulgẽtiam benigniſſimæ pietatis auferre. Vnde etiam illud fabuloſè myſtico autoritatis exemplo, quo ſe non minus philoſophum Maro probare voluit quàm Poetam, dixit, Deum namque ire per omnes Terráſque tractúſque maris, cœlúmque profundũ. Tullius quoque: Nec verò Deus ipſe, inquit, qui intelligitur à nobis alio modo intelligi poteſt, quàm mens ſoluta quædam & libera & ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens & mouens. Alibi quoque: Nihil enim, inquit, præſtantius Deo? igitur mundum regi neceſſe eſt. Nulli igitur naturæ obediẽs aut ſubiectus Deus: omnem ergo regit ipſe naturam, niſi forte nos videlicet ſapientiſſimi ita ſentiamus, vt eum à quo omnia regi dicimus, & regere ſimul & negligere credam. Cùm ergo omnes etiam religionis expertes, & quadam neceſſitate compulſi, & ſentiri omnia à Deo, & moueri, & regi dixerint: quomodo nunc eum incurioſum quidam ac negligentem putant, qui & ſentiat omnia per ſubtilitatẽ, & moueat per fortitudinem, & regat per poteſtatem, & cuſtodiat per benignitatem. Dixi quid de maieſtate ac moderamine ſummi Dei, principes & Philoſophiæ ſimul & Eloquentiæ iudicarint. Ideò autem nobiliſſimos vtriuſque artis magiſtros protuli, quo facilius vel omnes alios idem ſenſiſſe, vel certe ſine authoritate aliqua diſſenſiſſe monſtrarem. Et ſanè inuenire aliquos qui ab iſtorũ iudicio diſcrepauerint, præter Epicureorum, vel quorundam Epicurizantium deliramenta non poſſunt: qui ſicut voluptatem cum virtute, ſic Deum cum incuria ac torpore iunxerunt, vt appareat eos qui ita ſentiũt ſicut ſenſum Epicureorum atque ſententiam, ita etiam vitia ſectari. Non puto, quod ad probandam nunc rem tam perſpicuam etiam diuinis vti in hoc loco teſtimoniis Dei debeamus, maximè quia ſermones ſacri ita abundè & euidenter cunctis impiorum propoſitionibus contradicunt, vt ne dum ſequentibus calumniis eorum ſatisfacimus, etiam ea quæ ſupradicta ſunt plenius refutare poſſimus. Aiunt igitur à Deo omnia prætermitti, quia nec coherceat malos, nec tueatur bonos, & ideò in hoc ſeculo deteriorem admodum ſtatum eſſe meliorum: bonos quippe eſſe in paupertate, malos in abundantia; bonos in infirmitate, malos in fortitudine: bonos ſemper in luctu, malos ſemper in gaudio: bonos in miſeria & abiectione, malos in proſperitate & dignitate.

Primùm igitur ab iis qui ita hoc eſſe vel dolent vel accuſant, illud requiro: de ſanctis, hoc eſt de veris ac fidelibus Chriſtianis, an de falſis & impoſtoribus doleant. Si de falſis, ſuperfluus dolor, qui malos doleãt non beatos eſſe: cùm vtique quicunque mali ſunt, ſucceſſu rerũ deteriores fiant, gaudentes, ſibi nequitiæ ſtudium bene ſuccedere. Et ideò vel ob ipſum miſerrimi eſſe debent, vt mali eſſe deſiſtant, vindicantes improbiſſimis quæſtionibus nomen religionis, & præferentes ad ſordidiſſimas negociationes titulum ſanctitatis: quorum negociis ſi miſeriæ comparentur, minus ſunt miſeri quàm merentur: quia in quibuſlibet miſeriis conſtituti, non ſunt tamen tam miſeri quàm mali. Nequaquam ergo pro his dolendum, quod non ſunt diuites ac beati: multo autem pro ſanctis minus: quia quamuis videantur ignorantibus eſſe miſeri, tamen nõ poſſunt eſſe aliud quàm beati. Superfluum autem eſt, vt eos quiſpiam vel infirmitate, vel paupertate, vel aliis iſtiuſmodi rebus exiſtimet eſſe miſeros, quibus ſe illi confidunt eſſe felices. Nemo enim aliorum ſenſu miſer eſt, ſed ſuo. Et ideo non poſſunt cuiuſquam falſo iudicio eſſe miſeri, qui ſunt vere ſua conſcientia beati. Nulli enim, vt opinor, beatiores ſunt, quàm qui ex ſententia ſua atque voto agunt. Humiles ſunt religioſi, hoc volunt: pauperes ſunt, pauperie delectantur: ſine ambitione, ambitum reſpuunt: inhonori ſunt, honorem reſpuunt: lugent, lugere geſtiunt: infirmi ſunt, infirmitate lætantur. Cùm enim inquit Apoſtolus, infirmor, tunc potens ſum. Nec immeritò ſic arbitratur, ad quem Deus ipſe ſic loquitur: Suffi-

Pythagoræ opinio de prouidentia.

Plato in Timæo. Gubernatori ſimilis Deus.

Maro in Georgicis; Tullius de natura Deorum.

Soli Epicurei prouidentiam negauerũt.

Mali, deteriores fiũt rebus ſecũdis.

Suo ſenſu quiſque miſer.

2. Cor. 12.

Afflictio infirmitatum.

cit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Nequaquam ergo nobis dolēda est hęc afflictio infirmitatum, quam intelligimus matrem esse virtutum. Itaque quicquid illud fuerit, quicunque verè religiosi sunt, beati esse dicendi sunt: quia inter quantumlibet aspera nulli beatiores sunt, quàm qui hoc sunt quod volunt. Solent quamuis esse nonnulli, qui turpia atque obscœna sectantes, & si iuxta opinionem suam beati sunt quia adipiscuntur quod volunt, re tamen ipsa beati non sunt, quia quod volunt nolle debuerunt. Religiosi autem hoc cunctis beatiores sunt, quia & habent hoc quod volunt, & meliora quàm quæ habēt omnino habere non possunt. Labor itaque, ieiunium, & paupertas, & humilitas, & infirmitas non omnibus sunt onerosa tolerantibus, sed tolerate nolentibus. Siue enim grauia hæc siue leuia, animus tolerantis facit. Nam sicut nihil est tam leue quod ei graue non sit, qui inuitus facit, sic nihil est tam graue, quod non ei qui id libenter exquitur, leue esse videatur, nisi forte antiquis illis priscę virtutis viris, Fabiis, † Fabritiis, Concinnatis graue fuisse existimamus, quòd pauperes erant qui diuites esse nolebant, cum omnia scilicet studia sua, omnes conatus suos ad communia emolumenta conferrent, & crescentes Reipublicæ vires priuata paupertate ditarent. Nunquid parcam illam tunc agrestémque vitam cum gemitu & dolore tolerabant; cùm viles ac rusticos cibos ante ipsos quibus exercebantur focos sumerent, eósque ipsos capere nisi ad vesperam non liceret? Nunquid ægrè ferebant, quòd auara illos à diuite conscientia auri talenta non prę merent, cùm etiam argenti vsum legibus cohercerent? Nunquid illecebræ & cupiditatis pœnam putabant, quod distenta aureis nummis marsupia non haberent, cum patritium hominem, † quod ad decem vsque argenti libras diues esse voluisset, indignum curia iudicarent? Non despiciebāt tunc puto pauperes cultus, cum vestem hirtam ac breuem sumerent, cum ab aratro arcesserentur ad fasces, & illustrandi habitu consulati, illis fortasse ipsis quas assumpturi erant imperialibus togis madidum sudore puluerem detergerent. Itaque tunc illi pauperes magistratus opulentem Rempub. habebant: nunc autem diues potestas pauperem facit esse Rempub. Et quæ rogo insania est, aut quæ cæcitas, vt egestuosa ac mendicante Repub. diuitias posse credant stare priuatas? Tales ergo tunc veteres Romani erant, & sic illi tunc contemnebant diuitias, nescientes Deum, sicut nunc non spernunt sequentes Dominum. Quanquam quid ego de illis loquor, qui cura imperij propagandi, contemptum propriæ facultatis ad publicas opes conferebant: & licet priuatim pauperes essent, diuitiis tamen abundabant communibus: cum etiam Græci quidam sapientiæ sectatores sine vllo publicæ vtilitatis affectu, propriæ omni se rei familiaris vsu, assequendæ gloriæ auiditate nudauerint. Nec solùm hoc, sed etiam vsque ad contemptum doloris ac mortis, doctrinæ suæ culmen erexerunt, dicentes scilicet etiam in catenis atq; suppliciis beatum esse sapientem. Tantam vim virtutis esse voluerunt, vt non possit esse vnquam vir bonus nisi beatus. Si ergo illi à quibusdam nunc etiam sapientibus viris miseri non putantur, qui nullos laboris sui fructus nisi ex præsenti tantum laude capiebant: quanto magis religiosi ac sancti viri miseri non putādi sunt, qui & præsentis seculi oblectamenta capiunt, & beatitudinis futuræ præmia consequentur; Dixit quidam ex istis de quibus querimur, cuidam sancto viro secundum veritatis regulam sentienti, id est, quod Deus omnia regeret; ac pro humano genere necessariam moderationem suam & gubernaculum temperaret. Quare ergo, inquam, tu infirmus es, hoc vtique iudicio? hoc est si Deus vt putas in hac præsenti vita omnia regit, si Deus cuncta dispensat, qua ratione fortis ac sanus est homo quem peccatorem scio: & tu infirmus, quem sanum esse non ambigo? Quis tam profundi cordis virum non admiretur, qui merita religiosorum atque virtutes tam magnis retributionibus dignas putat, vt in præsenti hac vita carnes atque fortitudines corporum, præmia putet esse debere sanctorum? Respondeo igitur non vnius tantum religiosi nomine, sed vniuersorum. Quæris igitur quisquis ille es, qua ratione infirmi sunt sancti viri. Respondeo breuiter, quia ideò sancti viri infirmiores se esse faciunt; quia si fortes fuerint, sancti vix esse possunt. Opinor enim omnes omnino homines cibis ac poculis fortes esse; infirmos autem abstinentia, ariditate, ieiuniis. Nō ergo mirum est, quòd infirmi sunt, qui vsum earum rerum respuunt, per quas alij fortes sunt. Et est ratio cur respuant, dicente Paulo Apostolo de se ipso: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cùm aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar. Si infirmitatem corporis appetendam sibi etiam Apostolus putat, quis sapienter euitat? Si fortitudinem carnis Apostolus metuit, quis rationabiliter fortis esse præsumit? Hæc ergo ratio est quæ homines Christo dedit. Sed infirmi sunt. Et volunt esse. Absit autem vt hoc argumento religiosos putemus à Deo negligi, per quod confidimus plus amari. Legimus Timotheum Apostolum carne infirmissimū fuisse, nunquid negligebatur à Domino, aut ob infirmitatem Christo nō placuit, qui ad hoc infirmus esse voluit vt placeret? quémque etiam ipse Apostolus Paulus licet nimis iam infirmitatibus laborantem, non tamen nisi pusillulum vini sumere ac delibare permisit. Hoc est, ita eum voluit infirmitati suæ consulere, quod noluit tamen ad fortitudinem peruenire. Et hoc cur ita? Cur? Absque dubio nisi quia, vt ipse dicit, Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunque vultis illa faciatis. Non imprudenter quidam hoc loco dixit, quid si repugnante corporis fortitudine, quæ optamus facere non possumus? Infirmandum nobis sit carne, vt optata faciamus. Infirmitas enim carnis, inquit, vigorem mentis exacuit: vt affectis artubus vires corporum in virtutes transferantur animorum, non turpibus flammis medullæ æstuent, non malesanam mentem latentia incentiua succendant, non vagi sensus per varia oblectamenta lasciuiāt: sed sola exultet anima, læta corpore affecto, quasi aduersario subiugato. Hæc ergo, vt dixi, religiosis viris causa infirmitatis est, eámque esse nec tu, vt arbitror, iam negas. Sed sunt fortasse, inquis, alia

Animus tolerātis facit leuia aut grauia quæ illi ceneniunt.

† Vide Valer. Max. Lib. 4. Cap. 3. & 4.

Eum nominat. Valeri⁹ Max. Lib. 2. Cap. 4. Cornelii Rufinum.

Dives potestas.

Crates, sponte voluntaria sua pauper.

Fortes infirmi fiunt, vt sancti fiant.

1. Cor. 9.

1. Tim. 5.

Gal. 5.

Infirmitas carnis, mētis vigorē acuit.

Corpus affectū, aduersarius subiugat.

alia maiora, id est quòd multa in vita ista aspera atque acerba patiuntur, quòd capiuntur, quòd torquentur, quod trucidantur. Verum est. Sed quid facimus quod & Prophetæ in captiuitatem abducti sunt, & Apostoli etiã tormenta tolerarunt? Et certe dubitare non possumus, quod tunc Deo maximæ curæ erant, cum pro Deo ista paterentur. At forsitan hoc ipso magis probare te dicis, quod Deus in seculo isto omnia negligat, & futuro totum iudicio reseruauerit, quia semper boni omnia mala passi sunt & ferunt. Non infidelis quidem videtur assertio, maximè quia futurum Dei iudicium confitetur: sed nos ita iudicãdum humanum genus diximus, vt tamen etiam nunc omnia Deum, prout rationabile putat, regere ac dispẽsare credamus: & ita in futurum iudicaturum affirmemus, vt tamen semper etiam in hoc seculo iudicasse doceamus. Dum enim semper gubernat Deus, semper iudicat, quia gubernatio ipsa est iudicium. Quot modis hoc vis probemus? ratione, an exemplis, an testimoniis? Si ratione, quis tam expers humanæ intelligentiæ est, & huius ipsius de qua loquimur veritatis alienus, qui non agnoscat & videat pulcherrimum mundi opus, & inæstimabilem supernarum infernarúmque rerum magnificentiam ab eodem regi à quo creata sit: quémque elementorum fabricatorem, eũdem etiam gubernatorem: qui cuncta scilicet esse quâ potestate ac maiestate condiderit, eâdem etiam prouidentiâ ac ratione moderetur. Præsertim etiam cùm in his quæ humano actu administrantur, nihil penitus sine ratione consistat, omniáque ita à prouidentia incolumitatem, quasi corpus ab anima vitã, trahant. Ideóq; in hoc mundo non solùm imperia atque prouincias, atque rem ciuilem & militarem, sed etiam minora officia & priuatas domos, pecudes denique ipsas, & minutissima quæq; domesticorum animãtium genera, non nisi humana ordinatione atque consilio, quadam manu & gubernaculo contineri. Et hęc omnia sine dubio volũtate ac iudicio summi Dei, scilicet vt eo exemplo omne genus humanum particulas rerum & membra regeret, quo ipse summum totius mundani corporis gubernaret. Sed in principio, inquis, creaturarũ hæc sunt à Deo statuta atque dispositа. Cæterùm patrata vniuersitate rerũ atque perfecta, remouit à se cunctam terrestrium curam, & ablegauit: laborem videlicet forta fugiens à suo loco amandauit, & molestiã fatigationis euitans, aut occupatus negociis aliis, partem rerum reliquit, quia totum obire non possit. Remouet igitur à se inquis, curam mortalium Deus. Et quæ ergo nobis diuinæ religionis est ratio, quæ vel causa Christum colendi, vel spes propiciãdi. Si enim negligit Deus in hoc seculo genus hominum, cur ad cœlum quotidie manus tendimus, cur orationibus crebris misericordiã Dei quærimus, cur ad Ecclesiasticas domos currimus, cur ad altaria supplicamus? Nulla est enim nobis ratio precãdi, si spes tollitur impetrãdi. Vides ergo quàm stulta atque inanis sit huius persuasionis assertio, quæ vtique si recipitur, nihil penitus de religione seruatur. Sed ad illud forte confugies, vt dicas nos metu futuri iudicij Deum colere, & ideò omnium præsentium officiorum cultu elaborare, vt in die futuri seculi mereamur absol-

Captiuitas, & Tormenta Sanctorũ.

Prouidentia diuina, ex humana demonstratur.

Supplicate ad Altaria.

A ui. Quid ergo sibi vult Apostolus Paulus, præcipiens quotidie in Ecclesia ac iubens, vt offerantur iugiter Deo nostro orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones: & hæc omnia quam ob causam? quam vtique nisi vt ipse dicit, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni castitate. Pro præsentibus, vt videmus, Domino supplicari iubet. Vtique non iuberet, nisi exorare confideret. Quomodo ergo aliquis pro obtinendis futuri temporis bonis, apertas Dei aures: pro præsentibus autem clausas atque obstructas putat? Aut quomodo nos in Ecclesia supplicantes, præsentem nobis salutem à Deo poscimus, si audiendos nos penitus non putamus? Nulla ergo nobis vota pro incolumitatibus ac prosperitatibus nostris facienda: quin vt modestia supplicationis vocem conciliet postulantis, dicendum nobis est fortasse, Domine non prosperitatem vitæ istius petimus, nec pro bonis præsentibus supplicamus: scimus enim aures tuas his obsecrationibus clausas esse, & auditum te ad preces huiusmodi non habere: sed pro his tantummodo petimus quæ sunt futura post mortem. Esto igitur, postulatio talis vtilitate non careat, quomodo ratione subsistit? Si enim Deus à respectu huius seculi curam remouit, & postulantium precibus aures suas clausit: absque dubio qui non audit nos pro præsentibus, non audit etiam pro futuris: nisi forte credimus pro precum diuersitate aures suas Christum vel tribuere, vel negare, id est, vt claudat eas cùm rogãtur præsentia, aperiat cum futura. Sed de his dicendum amplius non est. Tam stulta enim sunt & tam friuola, vt cauendum sit, ne ipsum quod pro honore Dei dicitur, iniuria Dei esse videatur. Tanta quippe est maiestatis sacræ & tam tremenda reuerentia, vt non solùm ea quæ ab illis contra religionem horrere, sed etiam ea quæ pro religione nos ipsi dicimus, cum grandi metu ac disciplina dicere debemus. Igitur si stultè atque impiè creditur quod curam humanarum rerum pietas diuina despiciat, ergo non despicit. Si autem non despicit, regit. Si autem regit, hoc ipso quod regit, iudicat: quia regimen esse non potest, nisi fuerit iugiter in rectore iudicium. Sed parum esse fortasse quispiam putet, quod hæc ratio declarat, nisi probetur exemplis. Videamus qualiter mundum à principio Deus rexerit, & ita eum omnia semper gubernasse monstrabimus, vt simul etiam iudicasse doceamus. Quid enim scriptura dixit? Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in eum spiraculum vitæ. Et quid postea? Posuit eum, inquit, in paradiso voluptatis. Quid deinceps? Dedit scilicet legem, præceptis imbuit, institutione formauit. Quid autem post hoc secutum est? Præteriit homo mandatum sacrum, sententiam subiit, Paradisum perdidit, pœnam damnationis excepit. Quis non in iis omnibus gubernatorẽ Deum videat & iudicem? Constituit enim Adam in paradiso innocentem, expulit reum. In constitutione ordinatio est, in expulsione iudicium. Quando enim eum in loco voluptatis posuit, ordinauit: quando autem reum de regno expulit, iudicauit. Ergo hoc de primo homine, hoc est de patre. Quid de secũdo, id est de filio? Factum est, inquit scriptura sacra, post multos dies,

1. Tim. 2.

Ibidem.

Vota pro huius seculi prosperitate.

Maiestatis sacræ reuerentia.

Hoc ipso quod regit Deus iudicat.

Diuinæ prouidentiæ exẽpla, Gen. 2.

Gen. 4. vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primitiis gregis sui, & de adipibus eius. Et respexit Dominus ad Abel & munera eius, ad Cain verò & ad munera eius non respexit. Priusquam de euidentiori iudicio Dei dicam, puto etiam quod in his quæ iam diximus quædam censura iudicij est. In hoc enim quod vnius sacrificium Deus suscepit, alterius exclusit, euidentissime vtique & de iustitia ac de iniquitate alterius iudicauit. Sed hoc parum est. Cùm igitur futuro facinori viam sternēs, Fratrem in solitudinem trahit, secretis patrocinātibus, scelus peragit impiissimus pariter & stultissimus', qui ad perpetrandum maximum nephas suffieere sibi credidit si aspectus vitaret hominū, fratricidium Deo teste, facturus. Vnde puto, quod hæc in illo iam tunc opinio fuerit, quæ nunc in multis est, Deum terrestria non respicere, & actus sceleratorum hominum non videre. Nec dubium est cùm post facinus admissum, Dei sermone conuentus, nihil se de Fratris cæde scire responderit: adeò insciũ facti sui Deum arbitrabatur, vt crederet feralissimum nephas tegi posse mendacio. At aliter expertus est quam putabat. Nam Deum à quo non existimauit videri scelera cùm occideret, sensit videre cùm dānaretur. Hinc nunc requirere volo ab illis qui negantes res humanas vel respici à Deo vel regi, vel iudicari, an cuncta in his quæ diximus ediuersa sint. Puto enim quod præsens est, qui sacrificio interest: & regit, qui Cain post sacrificia castigat: sollicitus est, qui ab interfectore interfectum requirit: & iudicat, qui percussorem impium iusta animaduersione condemnat. In quo quidem etiam illud non incommode, verùm ne miremur, nunc sanctos homines quædam aspera pati, cùm videamus quod iam tunc Deus etiam per maximum nephas primum sanctorum sinit occidi.

Cain non credebat prouidentiam.

Cur Sancti multa patiantur ab impiis.

Quæ quidem qua ratione patiatur, neque humanæ imbecillitatis est plena indagine cognoscere, neque nūc temporis disputare. Item probare satis est, omnia istiusmodi non negligentia aut incuria Dei fieri, sed consilio ac dispositione permitti. Nequaquam enim iniustum possumus dicere, in quo diuinum esse iudicium non possumus denegare, quia summa iustitia est, voluntas Dei. Neque enim ideò iniustum est quod diuinitas agit, quia capere vim diuinæ iustitię homo non valet. Sed ad propositum reuertamur. Videmus ergo in his quæ dicta sunt nihil de incuria actum, sed quia quædam ex his dispositio diuina ordinauit, quædam patientia sustinuit, quædam substantia iudicauit. Sed non satis forte quidam existimāt hæc quæ dicimus nos probasse per paucos, videamus an id ipsum manifestare possimus etiam per vniuersos. Aucta igitur ac multiplicata humani generis multitudine simul & iniquitate, Gen. 6. Videns Deus, inquit scriptura sacra, quod multa malitia esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit Deum quòd hominē fecisset in terra, & tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominem quem creaui à facie terræ. Considerēmus quemadmodum in his omnibus & sollicitudo Domini pariter & seueritas indicetur. Primùm enim ait: Videns autem Deus: secundò, tactus dolore cordis intrinsecus: tertiò, delebo, inquit, hominē quē creaui. In hoc siquidem quod videre omnia Deus dicitur, cura eius ostēditur. In hoc quod dolet, terror irati. In hoc quod punit, seueritas iudicantis. Pœnituit ergo, inquit scriptura, Deum quod hominem fecisset in terra: non quod Deus sit obnoxius huic motui, aut illi subiaceat Passioni, sed sermo diuinus ad insinuādum plenius nobis veram scripturarum intelligentiam, quasi humano affectu nobiscum loquens, sub nomine pœnitentis Dei, vim demonstrauit irati. Ira est autem diuinitatis, pœna peccantis. Quid ergo post hoc secutū est? Cùm, inquit, vidisset terram Deus esse corruptam, dixit ad Noë: Finis vniuersæ carnis venit corā me, repleta est terra iniquitate à facie eorū, & ego disperdā eos cum terra. Et quid postea? Rupti sunt, inquit, omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt, factaq; est pluuia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Et paulo post: Consumpta est omnis caro quæ mouebatur super terram. Et deinceps: Remānsit autē solus Noë, & qui cū eo erant in arca. Hic nunc requirere ab illis volo, qui incuriosum rerum humanarū appellāt Deum, in illo tempore vel curasse eum terrestria credāt vel iudicasse. Puto enim non iudicauit tantum, sed etiā dupliciter iudicauit. Nam & dū seruat bonos, pium se retributorem: & dū condemnat malos, seuerum iudicem comprobauit. Sed hæc forsitan apud stultos, quia ante diluuium, id est quasi alio quodā seculo gesta sunt, minus autoritatis habere videātur, quasi verò alius Deus tūc fuerit, aut postea candē mundi curam habere noluerit. Possum quidē diuino munere per singulas post diluuium generationes probare quæ dico, sed & enormitas vetat, & tamē certa quædā & maiora sufficiunt; quia cum idem sit absque dubio maiorum pariter & minorum Deus, id profecto intelligendum est in minoribus, quod in maioribus comprobatur. Igitur cum post diluuiū generationi hominum benedixisset Deus, immensámque hominum multitudinem benedictio ipsa generasset: loquitur ad Abrahā Dominus de cœlo, iubens vt deserat terram suam, inquirat alienam. Vocatur, sequitur, adducitur, collocatur, fit de paupere locuples, de ignoto potens, infimus peregrinatione, excellentissimus dignitate. Sed ne hęc tamen quæ ei data à Domino fuerant, muneris tātum viderentur fuisse non meriti, qui lætabatur prosperis, probatur aduersis. Sequitur quippe labor, periculum, timor: vexatur commigratione, fatigatur exilio, contumelia afficitur, vxore priuatur: immolari sibi filium Deus iussit, pater obtulit, & quantum ad defunctionem cordis pertinet, immolauit. Rursum exilia, rursum metus, Phyliſtinorum inuidia, Abimelech rapina, multa quidē mala, sed tamen paria solatia. Nā etsi à plurimis afficitur, tamē de omnib⁹ vindicatur. Quid igitur in cūctis istis quæ memorauimus, nū Deus nō est & inspector, & inuitator, & ductor, & solicitus, & spōsor, & protector, & munerator, & probator, & sublimator, & vltor, & iudex? Inspector quippe est dū exo mnibus vnū elegit, quem meliorē vidit. Inuitator dū vocat, ductor dū ad ignota perducit, solicitus dum ad ilicem visitat, spōsor dū futura promittit, protector quia inter gētes Barbaras protexit: munerator, quia locupletauit: probator, quia tētari asperis voluit: sublimator, quia

Gen. 9. Sermo diuinus, humano quodam affectu nobiscum loquitur.

Gen. 6.

Ira Dei, quid.

Gen. 7.

Gen. 11.

Abrah merita.

Dei varia nomina ac munera.

quia potentiorem omnibus fecit: vltor, quia eum de aduersariis vltus est: iudex, quia dum vlciscitur iudicauit. Subiungit autem huic historiæ Deus, dicens: Clamor Sodomorum & Gomorræ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Clamor, inquit, Sodomorum & Gomorræ multiplicatus est: Pulchre clamorem dixit in se habere peccata. Grandis absque dubio peccantiũ clamor est, qui à terra ascendit ad cœlum. Quare autem peccata hominum quasi clamare testatur? Scilicet quia cædi aures suas Deus dicit clamoribus peccatorum, vt non differatur pœna peccantium. Et verè clamor & grandis clamor est, quando pietas Dei, peccatorum clamoribus vincitur, vt peccantes punire cogatur. Ostendit ergo Dominus quàm inuitus puniat etiam grauissimos peccatores, dicens, quod clamor Sodomorum ad se ascenderit: hoc est dicere Misericordia quidem mea mihi suadet vt parcam, sed tamen peccatorum clamor cogit vt puniam. Cum ergo ista dixisset, quid cõsecutum est? Mittuntur Angeli Sodomam, proficiscuntur, introeunt, bonorum fouentur officio, malorum vexantur iniuria, cæcantur improbi, saluantur probi. Loth cum affectibus piis vrbe educitur, vrbs cum habitatoribus concrematur impiis. Interrogo hîc, vtrũnam cum Deus ex iudicio Sodomitas punitos à Deo dicit, iniquum Deum arguit? Si autem cum iudicio malos perdidit, iudicauit vtique. Equidem iam quasi ad instar futuri iudicij iudicauit. Cum enim ad supplicium malorum gehennam in futurum arsuram esse manifestum sit, Sodomam & vicinas eius vrbes cœlesti flãma consumpsit. In præsenti autem, illud quod futurum est Deus voluit declarare iudicium, quando super impium populum gehennam misit è cœlo. Sicut etiã Apostolus dicit, quod Deus ciuitates Sodomam & Gomorram euersione damnarit, exemplum ponens impie acturis: quamuis id ipsum quod ibi actũ est, plus habuerit misericordiæ quàm seueritatis, Quod enim pœnam eorum tandiu distulit, misericordiæ fuit: Iustitiæ, quod aliquando puniuit. Et ideo cum Angelos Sodomam Deus mittere, hoc nobis probare voluit, quod etiam malos puniret inuitus. Scilicet vt cum legeremus quæ à Sodomis Angeli pertulissent, & videremus scelerum immanitatẽ, criminum turpitudinem, libidinum obscœnitatem: probaret vtique nobis Deus quod ipse eos noluerit perdere, sed ipsi extorserint vt perirẽt. Possum iunumera proferre, sed vereor ne dum satis rem probare nitimur, historiam texuisse videamur. Moses in deserto positus gregem pascit, rubũ ardere conspicit, Deum ex rubo audit, præcepta accipit, potestate exaltatur, ad Pharaonem mittitur, venit, loquitur, contemnitur, vincit. Ægyptus percutitur, Pharaonis inobedientia verberatur, & quidem non vno modo: sed vt plus sacrilegus torqueatur, diuersitate supplicij. Et quid? postremo decies rebellat, decies verberatur. Quid ergo diximus? Puto quod in his omnibus & curare pariter res humanas Deum, & iudicare, cognoscas. In Ægypto quippe, tunc enim non simplex tantum, sed multiplex constat Dei fuisse iudicium. Quotiescunque enim rebellantes Ægyptios percussit, toties iudicauit. Sed post ista quæ diximus, quid secutum est? Israël dimittitur, Pascha celebratur, Ægyptios spoliat, diues abscedit. Pharaonem pœnitet, exercitum contrahit, ad fugientes peruenit: castris iungitur, tenebris separatur: siccatur pelagus, Israël graditur, officiosa vndarum patientia liberatur: Pharao sequitur, mare super eum voluitur, fluctu operiente deletur. Puto iam non obscurũ, in his quæ acta sunt, Dei esse iudicium. Et quidem non iudicium tãtum, sed etiam moderationem atque patientiam. Patientiæ enim fuit, quod Aegyptij rebellantes sæpe percussi sunt: iudicij, quod cõtumaciæ, pertinaces, morte damnati. Igitur post rerum gestarum ordinem victrix ingreditur eremum sine bello gens Hebræorum. Agit iter sine itinere, viatrix sine via, primo Dei diuino consilio honorabilis, ductu cœlesti potens, sequens mobilem colũnam, nubilam, die igneam nocte, congruas colorum diuersitates pro temporum diuersitate sumentem: scilicet vt diei lumen lutea obscuritate distingueret, & caliginem noctis, flãmeo splendore claritatis irradiaret. Adde huc fontes repente natos adde medicatas aquas, vel datas vel immutatas, speciem seruantes, naturam relinquentes. Adde aperta erumpentibus viis montium capita, adde scaturientia nouis puluerulenta arua torrentibus, adde illos itinerantium castris alitum greges Dei pietate indulgentissima, non vsibus tantum hominum, sed etiam illecebris seruientes: datum per quadraginta annos, astris quotidie famulantibus, cibum, rorantes iugiter escis dulcibus polos, non ad victum tãtum, sed etiam ad delitias perfluentes. Adde homines in nullis membrorum suorum partibus accessus & decessus humanorum corporum nescientes, vngues non auctos, dentes non imminutos, capillos semper æquales, non attritos pedes, non scissas vestes, calceamenta non rupta, redundãtem hominum honorem vsque ad induuiarum vilium dignitatem. Adde huc erudiendæ gentis officio descendentem ad terras Deum, accõmodãtem se terrenis vsibus Dei Filium, innumeræ multitudinis plebem in consortium diuinæ familiaritatis admissam, sacræ amicitiæ honore pollentem. Adde huc tonitrua, adde fulgura, terribiles buccinarum cœlestium sonos, tremendum vndique totius aëris fragorem, polos sacris clangoribus mugientes, ignes, caligines, nebulas Deo plenas, loquentem cum Mose Dominum, legem diuino ore resonantem, incisas Deo digito literas, rupices paginas, saxeum volumen, discentem populum, & docentem Deũ, ac mixtis penè hominibus atque Angelis vnã cœli ac terræ scholam. Sic enim scriptum est, quod cũ retulisset Moses verba populi ad Dominum, dixit ei Dominus: Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat populus me loquentem ad te. Et paulo post, ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem. Et iterum: descenditque Dominus super montem Synai in ipso montis vertice, ac deinceps loquebatur cum Moyse, videntibus vniuersis, quod colũna nubis staret ad ostium tabernaculi, stabántque & ipsi & adorabant per fores tabernaculorum suorum. Loquebatur Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum. Quæ cum ita sint, videtur ne hominis habere cu-

Gen.18. Peccata hominum clamant. Gen.19. Loth. Sodomæ incendiũ, ad exemplar Gehennæ. 2.Pet.2. Malos, inuitus punit Deus. Exod.13. Exod.15. Num.25. Iudæorũ vita in eremo. Deut.29. Deut.29. Exod.19.

ram Deus? Hæc tanta tribuens, hæc tanta præſtãs, participem ſermonis ſui homunculum vilem faciens,& quaſi in cõſortium ſacræ ſodalitatis admittens,aperiens ei plenas diuitiis immortalibus palmas ſuas,alens eos nectaris poculo,paſcens cœleſti cibo? Quam rogo maiorem eis gubernãdi ſui præſtare curam , quem maiorem præſtare potuit affectum , quàm vt cum præſentis ſeculi vitam agerent, ſpem iam futuræ beatitudinis poſſiderent? Sed reſpondeatur forte hoc loco, habuiſſe quondã hanc hominum curam Deũ,cæterùm nunc pœnitus non habere. Vnde hoc ita credimus? Forſitan quia vt illi tunc,mãnam quotidie non comedim⁹, cum agros triticeos plenos meſſibus demetamus: quia coturnices humanis ſe manibus ingerẽtes nõ apprehendimus, cũ omnia auium, pecudũ, beſtiarũ genera deuoremus: quod ſaliẽtes rupibus aquas apertis oribus nõ accipimus, cũ vinarias domûs vinearũ fructibus irrigemus. Addo ego amplius aliquid,quod nos ipſi qui illos Deo fuiſſe curæ,& nos ideo negligi dicimus, ſi accipere pro præſentibus bonis præterita poſſemus,reſpueremus penitus cõditionis iſtius optionem. Nollemus enim hæc quæ nunc habemus amittere,vt poſſemus ea quibus tũc illi vſi ſunt, poſſidere: non quod nos nunc meliora habeamus quàm gens illa tunc habuit, ſed quia & illi qui quotidiano tunc cœli ac Dei miniſterio paſcebãtur,antiquam vẽtris ingluuiem bonis præſentibus præferebant: turpiſſima ſcilicet ciborum carnaliũ recordatione mœſti,& fœtidiſſimo ceparũ atque alliorum amore ægreſcẽtes,non quod potiora eſſent quibus antea vſi erant , ſed quæ non erant deſiderabant. Nos magis laudamus illa quæ tunc fuerunt, quàm iſta quæ nunc ſunt: non quia ſi eligendi facultas eſſet ſemper habere illa mallemus, ſed quia vſitatum hoc eſt humanæ menti, cũ intueatur illa magis ſemper quæ deſunt. Et quia , vt ille *ait,aliena,nobis; noſtra,plus aliis placent. Accedit quoque illud,quod generale fermè eſt omni homini, vt Deo ſemper ingratus ſit; inſitóque hoc, & quaſi natiuo malo ſe cuncti inuicem vincunt, vt beneficiis Dei detrahãt,ne debitores ſe eſſe cognoſcant. Sed hæc hactenus; nunc ad negocij dudum cœpti ordinem reuertamur. Quamuis vt reor,non mediocriter probauerimus quæ propoſuimus; addamus tamen adhuc, ſi placet, quippiam,quia melius eſt plus probare aliquid quàm neceſſe eſt, quã minus forſitan quàm negocio debeatur: liberatus quõdam de Pharaonis iugo populus Hebræorum, ad Syna montem præuaricatus eſt; & ſtatim,à Domino, pro errore percuſſus. Sic enim ſcriptum eſt: Percuſſit ergo Dominus populum pro errore vituli quem fecit Aarõ. Quod potuit maius & euidentius de peccatoribus Deus ferre iudicium; quã vt ſtatim cõſequeretur pœna,peccantes? Et tamẽ cum omnis populus reus fuerit,cur nõ eſt in omnes miſſa dãnatio ? Quia pius ſcilicet Dominus partẽ percuſſit ſententiæ ſuæ gladio,vt partẽ corrigeret exemplo , probarétque omnibus ſimul,& cohercendo cenſuram:& indulgendo, pietatem . Cenſura enim fuit, quod caſtigauit: pietas,quod pepercit,quãuis vtrũque impari modo . Plus ſiquidem tunc pietati datũ eſt quã ſeueritati. Ideo vtique quia cum indulgẽtiſſimus Dominus propiorem ſe ſemper miſera-

Dei beneficia in Moſem.

*Mimus Publianus.

Exod.19.

Exod.32.

Cur non omnes rei puniãtur à Deo.

tioni præſtet quàm vltioni,licet in coercenda tunc Iudaici exercitus parte iudicio & ſeueritati cenſura diuina aliquid attribuerit, maiorem tamen ſibi populi portionẽ pietas vindicauit: ſpecialiter quidem hoc & peculiari tunc innumeræ plebis miſericordia,ne omnes ſcilicet quos reatus complectebatur, pœna conſumeret. Cæterum erga quaſdam perſonas,vt legimus,ac familiâs,cenſura Dei inexorabilis ſicut illud , vbi ociante ſabbatis populo, is qui colligere ligna vſurparat, occidi iubetur: quãuis enim opus ipſum hominis videretur innoxium, faciebat tamen eum diei obſeruatio criminoſum: vel cum duobus lite certantibus,vnus qui blaſphemauerat,morte mulctatur. Sic enim ſcriptum eſt: Ecce autem Filius mulieris Iſraelitidis, quẽ peperat de viro Aegyptio inter filios Iſrael, iurgatus eſt in caſtris cũ viro Iſraelite.Cúmque blaſphemaſſet nomen domini , & maledixiſſet ei, adductus eſt ad Moſen,& paulo poſt, Miſerunt, inquit, eum in carcerẽ,donec viderẽt quid iuberet Dominus: qui locutus eſt ad Moyſen: dicens: Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt, manus ſuper caput eius,& lapidet eum populus vniuerſus. Nũquid non præſens Dei eſt manifeſtúmq; iudiciũ , & prolata quaſi iuxta humani examinis formam cœleſti diſceptatione ſententia ? Primum enim qui peccauerat comprehenſus eſt Secundò quaſi ad tribunal ad ductus. Tertiò accuſatus, deinde in carcerem miſſus. Poſtremò cœleſtis iudicij autoritate punitus: Porrò autem non punitus tantum,ſed punitus ſub teſtimonio , vt damnare ſcilicet videretur reum iuſtitia, non poteſtas: exemplo ſcilicet ad cunctorum emendationem proficiente, vt ne quis poſtea admitteret, quod omnis, in vno, populus vindicaſſet . Hac igitur ratione atque iudicio omnia Deus & nunc agit,& ſemper egit,ſcilicet vt correctioni omnium proficeret quicquid ſinguli tuliſſent. Sicut etiã & illud fuit cũ Abiu & Nabad,ſacerdotalis ſanguinis viri, cœleſti igne cõſumpti ſunt. In quibus vtique non iudicium tantũ, ſed præſens Deus , oſtendere voluit, impendénſq; iudicium,ſic enim ſcriptum eſt Quod cum egreſſus ignis à Domino deuoraſſet holocauſtum, arreptis Nadab & Abiu Filij Aaron thuribulis poſuerunt ignem & incenſum deſuper offerentes coram Domino ignem alienum,quod eis præceptum non erat. Egreſſúsq; ignis à Domino,deuorauit eos, & mortui ſunt coram Domino. Quid enim aliud quã extentam ſuper nos dexteram ſuam, & imminentẽ iugiter gladium voluit oſtendere, qui errorem ſupradictorum ſtatim in ipſo opere puniuit: nec peractum prius penè eſt facinus peccantium, quàm vlciſceretur pœna peccatum ? quamuis non tantũ hoc in hac re actum ſit, ſed etiam multa alia. Cum enim in illis tunc non mens impia, ſed facilitas nimium incõſulta punita ſit:declarauit profectò Dominus quo ſupplicio digni eſſent,qui cõtemptu diuinitatis aliquid admitterent,quando etiã illi adeò eſſent, qui ſola mentis conſideratione peccãtes:aut quàm rei eſſent qui contra iuſſionem Domini ſui facerent,cum etiam illi taliter plecterentur qui iniuſſa feciſſent. Porrò autem ex hoc conſulere Deus voluit noſtræ correctioni per cenſurã ſalubris exẽpli,vt omnes laici intelligerent quantum irã Dei timere

Deus erga quoſdam inexorabilis. Num.15.

Num.25. Leuit.10. 1.Par.24.

Pœnas Nadab.& Abiu,quid indicauerit.

Laici,

Sacri Ministerij priuilegium.

mere deberẽt, cùm à præsenti pœna filios sacerdotis nec meritum Parentis eriperet, nec ministerij sacri priuilegiũ vindicaret. Sed ego quid de his dico? Quorum inconsiderantia quodãmodo Deum tetigit, & ad cœlestem iniuriam redundauit. Maria contra Mosen loquitur, nec punitur tantùm, sed

Num.12. & 20.

more iudicij punitur. Primùm ad iudiciũ vocatur; deinde arguitur: tertio, verberatur. In obiurgatione excipit vim sententiæ. In lepra autẽ patitur piaculum criminis; quamuis coercio istiusmodi, non Mariam tantùm sed etiam Aaronem humiliauit. Quia etsi deformari lepra, summũ Anstititem non oportuit; & ipsum tamẽ Domini castigatio flagellauit: nec solum hac in pœna quã Maria patitur, Aaron etiam quasi culpæ particeps coercetur: Maria enim supplicio afficitur, vt Aaron confusione mutetur. Porrò autẽ vt inexorabilẽ in quibusdam agnosceremus formam diuini esse iudicij; ne illius quidẽ intercessu, qui læsus fuerat, indulsit. Sic enim legimus ad Aaronem & Mariã dixisse Dominum:

Aaron, sororis Lepra punitus.

Num.12.

quare igitur nõ timuistis detrahere seruo meo Mosi? Iratúsque abiit; & ecce Maria apparuit cãdens lepra quasi nix: clamauítque ad Dominũ Moses, dicens; obsecro Domine sana eã. Cui Dominus respondit: si Pater eius spuisset in faciem illius, nõ debuerat saltem decẽ dierũ rubôre suffundi? Separetur septem diebus extra castra, & posteà reuocabitur. Sufficiũt igitur de hoc genere diuisionis, & de parte sermonis, ista quæ diximus. Infinitũ enim est de omnibus disputare, quæ nimis longum est etiam sine disputatione numerare. Sed adhuc tamen aliquid addamus: pœnitet gẽtem Hebræorum de Aegypto receſſisse; percutitur: dolet deinde fatigari se labore itineris, affligitur: carnes desiderat, verberatur. Et quia quotidie mannam edens, explere ex illecebris ventris cupit ingluuiem, optata quidẽ cupiditate saturatur, & in ipsa tamen saturitate torquetur. Adhuc enim, inquit, scriptura, esca erat in ore ipsorum & ira Dei ascendit in eos, & occidit plurimos eorum, & electos Israel impediuit. Nam contra Mosen rebelles extinguũtur: Core conuiciatur, obruitur: Dathan & Abiron murmurant, deuorantur. Aperta est enim, inquit, terra, & deglutiuit Dathã, & operuit synagogam Abiron. Ducẽti quoque & quinquaginta, vt sacer sermo testatur, principes viri, qui tempore consilij per nomina vocabantur, surrexerũt contra Mosen. Cúmque stetissent aduersus Mosem & Aaron, dixerunt: Sufficiat nobis quia omnis multitudo sanctorũ est, & in ipsis est Dominus, cur eleuamini super populũ Domini? Et quid post hæc? Ignis, inquit, egressus à Domino, interfecit CCL. viros, qui offerebant incensum. Sed cum hæc tanta fierent, cœlestis cura non profuit: adhibita est sæpissime coercio, sed emendatio non est secuta. Sicut enim nos cũ assidue flagellamur, non corrigimur: ita & illi, cum cæderentur sæpissime, non emendabantur. Quid enim scriptũ est? Murmurauit atem omnis multitudo filiorũ Israel sequenti die cõtra Mosen & Aaron, dicẽs: Vos interfeciſtis populũ Domini. Et quid postea? Percussa sũt statim, & diuina igne cõsumpta XIIII. milia hominum & septingenti. Cum omnis ergo tunc populi multitudo peccauerit, cur non est in omnibus vindicatum? Præsertim cum ex illa quã

Exod.16.

Psalm.77.

Num.26.

Psalm.105.

Cur aliquando vniuersũ tantem, aliquãdo partem peccatorũ punit Deus.

Num.14.

supra dixi seditione Core, nullus euaserit, Cur ibi cunctum peccantium cœtum interfici Deus voluit, hic tantummodo portionem? scilicet quia plenus & iustitia & misericordia Dominus, & pietati suæ multa donat per indulgẽtiam, & seueritati per disciplinam. Et ideo præstitit disciplinæ, vt proficeret cunctorum emẽdationi, pœna omniũ noxiorum. Hic autem misericordiæ suæ tribuit, ne vniuersus populus deperiret. Et tamẽ cũ tã misericorditer egerit, quia in parte plebis castigatio toties repetita nõ profuit, ad vltimum omnes morte dãnauit: quæ res & timori, & emendationi nostræ simul proficere deberet, scilicet ne qui illorũ exemplo penitus non corrigimur, illorum fortasse exitu puniamur. Nõ enim dubium est, quid actũ de eis fuerit: nam cũ vniuersa gens Hebræorum ad hoc de Aegypto exierit, vt terrã repromissionis intraret, præter duos tantum sanctos nullus intrauit. Sic enim scriptum est: Locutus est Dominus ad Moysen & Aarõ, dicẽs: Vsquequò multitudo hęc pessima murmurat cõtra me? Viuo ego, ait Dominus, sicuti locuti estis audiente me hodie, sic faciã vobis: In solitudine hac iacebũt cadauera vestra. Et quid postea? Paruulos, inquit, vestros, de quibus dixistis quod prædæ hostibus forent, introducam vt videant terram quæ vobis displicuit. Vestra cadauera iacebũt in solitudine. Et quid deinde? Omnes, inquit, mortui sunt, atque percussi in cõspectu Domini. Quid est quod in his omnibus non sit? Vis videre rectorem? Ecce & præsentia corrigit, & futura disponit. Vis videre iustum & seuerum iudicem? Ecce noxios punit. Vis videre iustum & pium? Ecce innocentibus parcit. Vis videre in omnibus iudicẽ? Ecce vbique iudicium est. Nam vt iudex arguit, & vt iudex regit. Iudex præmisit sententiam, iudex noxios punit, iudex innoxios munerat.

SALVIANI MASSILIENSIS
EPISCOPI DE VERO IVDICIO & Prouidentia Dei, Liber secundus.

SVfficiunt igitur de exemplis ista quę diximus, quibus vtique iugiter Deus noster & contemplator solicitissimus, & gubernator pijssimus comprobatur. Sed cogitat de imperitioribus forte aliquis. Si sic aguntur nunc à Deo omnia vt tunc acta sunt, quid est quod mali præualent, affliguntur boni: & tunc cum irã mali senserint, & misericordiam boni, nunc videntur sentire quodammodo iram, & mali gratiã? Paulò post ad ista respondebo: Nunc quia tria hæc, id est præsentiam Dei gubernationem, atque iudicium, tribus his probaturum me promisi, hoc est ratione, exemplis, ac testimoniis: quia ratione & exẽplis iam satisfecimus, superest vt testimoniis declaremus: Quamuis exempla ipsa quæ diximus: haberi pro testimoniis debeant, quia recte testimonium esse dicitur, quo rerum veritas approbatur. Quid igitur ex illis rebus quæ supra dicta sunt, per testimonia sacra primum probari debet? præsentia, an gubernatio, anne iudicium? Præsentia opinor quia vel recturus est, vel iudicaturus. Præsẽs igitur absque dubio esse debet, vt vel regere quicquid illud est, vel iudicare possit. Loquens in suis

Testimonium quid sit.

Prou.15. voluminibus sermo diuinus sic ait: In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Ecce habes præsentem, ecce intuentem, ecce in omni loco cura ac prouisione vigilantem. Idcirco enim bonos ab eo considerari & malos dixit, vt probaret scilicet nihil ab eo negligi, quem ostenderet vniuersa rimari. Quod vt plenius capias, audi quod in alio scripturarum loco idē testatur Spiritus sanctus. Oculi, inquit, Domini super timentes eum, Psal.32. vt eripiat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Ecce cur aspicere iustos homines Deus dicitur: vtique vt conseruet, vt protegat. Aspectus enim diuinitatis propitiæ, munus est conseruatio- Aspectus propitiæ diuinitatis
B nis humanæ. Nam & alibi idem diuinus Spiritus Psal.33. sanctus: Oculi, inquit, Domini super iustos, & aures eius in preces eorū. Vide qua benignitate agere cum suis Deum scriptura dicit. In hoc siquidem quod ait, oculos Domini super iustos esse, affectus aspicientis ostenditur. In hoc autem quod aures in precibus paratas, semper exaudientis largitas domonstratur: Quamuis per id quod dicit, diuinas aures in precibus, semper esse iustorum, non audientia tantum Dei, sed quædam quasi obedientia Dei designetur. Quomodo enim in precibus iustorum diuinæ aures sunt? Quomodo? Nisi vt semper audiant, nisi vt semper exaudiant, nisi vt prompte
C audita tribuant, nisi vt illico exaudita concedant. Semper ergo ad audiēdas sanctorum preces paratæ Domini nostri aures, semper attentæ sunt. Quàm beati essemus omnes, si quàm promptam erga nos Dei audientiam legimus, tam prompte ipsi Deum audire vellemus. Sed forsitan dicis, hoc quod aspicere Deus legitur iustos, parum prodesse causæ: quia non sit generalis diuinitatis intuitus, qui iustis tantum speciali benignitate tribuatur. Iam quidē superius sacer sermo testatur, quia oculi Domini contemplantur malos & bonos. Sed si hoc etiam nūc vis plenius probari, respice quid sequatur, hoc Psal.33. enim subditur: Vultus autem Domini super faciē-
D tes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Vides absque dubio quia non potest queri, quod nō aspiciat etiam iniustos Deus: quippe cum intelligis generalem quidē esse in omnes Dei visionem, sed meritorum fieri disparilitate diuersam: boni quippe aspiciuntur vt conseruentur, mali vt disperdantur: cum quibus vtique partem & ipse habens qui homines à Deo aspici negas, non solum videri te à Domino euidenter intellige, sed periturum quoq; indubitanter agnosce. Nam cum ad hoc sit vultus Psal.33. Dei super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum de generatione omni: necesse est vt qui aspicere Dei vultum perfidia negas, aspicientis iram perditione cognoscas. Igitur de præsentia ac Ratio aspiciendi.
E de aspectu Dei ista sufficiunt. Videamus an qui nūc respicit, regat: cum vtique ipsa ratio aspiciēdi causam in se habeat gubernandi: quia ad hoc non respicit, vt cū aspexerit negligat qui scilicet per idipsum non negligere intelligitur, quia respicere dignatur: præsertim cum superius sacer sermo testatus sit, malos ad perditionem à Deo aspici, bonos ad salutem. Hoc ipso vtique dispensatio diuini gubernaculi demonstratur, hoc est enim ista gubernatione regere, & singulos quosque homines pro meritorum diuersitate tractare. Sed accipe tamen

A de hac re plenius testimonium: dicit ad Deum Patrem in Psalmo Spiritus Sanctus: Qui regis Israël intende. Israel videns Deum interpretatur: quem vtique cum Christiani fide & corde videant, qui fideliter credūt, licet gubernator omnium sit Deus, illis tamen peculiariter regimen præstari à Deo dicitur, qui regi peculiariter à diuinitate mereantur. Vnde & tu quicunque ille es, si Christianus es, necesse est vt regi te à Deo credas. Si autem gubernari te à Deo cum cæteris Christianis omnino nō putas, necesse est extra omnes Christianos te esse cognoscas. Sed si illud, vt supra iam diximus, magis quæris, quod ad homines omnes, non quod ad solos pertineat Christianos: ecce euidenter dicit volumen sacrum, cuncta quotidie nutu diuinitatis regi, & incessabiliter à Deo omnia gubernari. Ipse enim, inquit, diligit consilium & disciplinam. Nec Sap.12. est enim alius Deus, cuius cura est de omnibus. Cū sis ergo, inquit, iustus, iustè omnia disponis, & cum magna reuerentia disponis nos: Ecce habes iugiter disponentem Deum, iugiter gubernantem: quamuis in isto scripturæ loco non gubernatio tantum sacra, sed etiā dignitas declaretur humana. In hoc enim quod ait, disponit nos, vis diuinæ gubernationis: In hoc autem, quod cum magna reuerentia, culmen humanæ ostenditur dignitatis. Alibi quo- Hier.23.& que in Propheta: Nunquid non cœlum, inquit, & 42. terram ego impleo? Cur autem cuncta impleat, ipse declarat. Quia vobiscū sum, inquit, vt saluos faciam vos. Ecce enim non modo regimē suum Dominus & impletionem, sed etiam vim ac beneficiū ipsius adimpletionis ostendit. Hunc enim modum in se habet diuinitatis impletio, vt saluet ea quæ Act.17. adimplētur. Et ideo in Apostolorum Actibus beatissimus Paulus: In ipso, inquit, & viuimus, & mouemur, & sumus. Plus absque dubio, quàm gubernator est vitæ, in quo motus ipse inuentus est. Non enim dixit, ab ipso nos, sed in ipso moueri, docens scilicet insitā intra virtutes sacras omnium nostrū esse substantiā: quia in ipso profectò viuimus à quo hoc ipsum ducimus, quod sumus. Sed & Saluator Mat.11. ipse in Euangelio: Ecce ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Nō solum nobiscum se esse dixit, sed etiam omnibus diebus esse nobiscum. Tu eum ô ingratissime homo, qui sine cessatione nobiscū est, nec curā nec respectū habere dicis? Quid facit ergo nobiscum? Nunquid ad hoc nobiscū est, vt non respiciat & negligat? Et quomodo sibi vtrunque cōuenit, vt qui pietati præstat præsentiam, impietati tribuat Ironicè dictum. incuriam? Ecce enim, inquit, vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Præclare scilicet affectum Dei interpretamur, si nos calumniamur ab eo iugiter negligi, cum ille nos à se testetur iugiter non relinqui. Ille per hoc ostendere voluit, quod à nobis affectu & protectione iugiter non discederet, quia à nobis etiam præsentia non abesset: nos in contemptum nostri, diuinam vertimus charitatē: nos amoris testimonia, in odij argumenta mutamus. Hoc enim quod præsentem se esse dicit, odij magis testimonium esse volumus, quàm amoris. Nam si absentem se Dominus futurum esse dixisset, minus causari forsitan de incuria poteramus absentis: maioris contemptus res est

atque

atque faſtidij, ſi nos iugiter negligit, qui à nobis iugiter non recedit: & plus in ſe odij noſtri habet, ſi ad hoc nobiſcum ſemper permanet, vt qui nos præſentia nunquam deſerit, ſemper repudiet affectu. Sed abſit hoc de piiſſimo ac miſericordiſſimo Deo credi, vt ad hoc ſemper nobis voluerit aſſiſtere, vt nos maiore faſtidio negligere videretur aſſiſtens. Abſit hoc ſcelus dici. Nemo enim puto vel in toto humano genere tam malus eſt, qui ideo cum vllo hominum velit eſſe, quia non amet, & ad hoc tantum vti præſentia ſua cupiat, vt maiore odio poſſit deſpicere præſentem. Ipſa vel doceat nos humana natura vel vincat: ſi non ideo cum quocunque homine eſſe cupimus, quia eum cum quo eſſe cupimus, diligimus. Et quia vtique diligimus, prodeſſe ei præſentiam noſtram cupimus, quem amamus. Quod ergo etiam malo homini auferre non poſſumus, à Deo tollimus, & peiorem peſſimis hominibus Deum facimus, qui ad hoc futurum nobiſcum ſe eſſe dixerit, vt faſtidioſius nos negligeret cum fuiſſet. Sed hæc hactenus: ſupereſt vt quia teſtimoniis ſacris & reſpici, ac regi à Deo omnia iam probauimus, etiã iudicari plurima in hoc ſeculo à diuinitate doceamus. 1.Reg.25. Dauid ſanctus cum à Nabale Carmelio contumeliæ pertuliſſet iniuriam, quia ſe ipſe vlciſci diſtulit, vltionem ſtatim Deo executore percepit. Extincto itaque paulo poſt aduerſario ſuo, & manu cœleſti obruto ſic locutus eſt: Benedictus Dominus qui iudicauit cauſam opprobrij mei de manu Nabal. Eundem quoque cum fugaſſet è regno Filius perſecutor, iudex in breui Dominus vindicauit. Nec vindicauit tantum, ſed cumulatius vindicauit quam ipſe voluit qui vindicabatur, vt oſtenderet ſcilicet Deus grauiorem ſibi eſſe iniuriam iniuſta tolerantium, quam tolerantibus, ſuam. Nam qui ſupra votũ eius vindicat qui vindicatur, quid aliud vult intelligi, quam ſe ipſum, in eo quem ſic vlciſcitur vindicare? Acto itaque in crucem non manufactam filio patricida, vindictam ei diuinitus attributam ſic nunciatam refert ſermo diuinus: Bonum apporto nuncium Domine mi rex: iudicauit enim pro te hodie Dominus de manu omnium qui ſurrexerunt contra te. Vides quomodo non rebus tantum, vt ſupra diximus, & exemplis, ſed ipſo nomine atque appellatione iudicij, Deum etiam præſenti ſeculo iudicare, diuinæ per ſacros teſtes literæ probant. Sed forſitan dices id ſpecialiter ſancto viro à Deo præſtitum, vt de aduerſariis eius protinus iudicaret. Dies me deficiet, ſi de præſentibus in hoc mundo ſententiis Dei atque iudiciis dicere velim. Sed tamen vt euidenter agnoſcas, cenſuram ſuam & examen ſacrum non tam perſonis præſtare, quàm cauſis, audi quod iudex Deus, qui pro Dauid ſeruo ſuo ſententiam aſſiduè euidentem dedit, cõtra Dauid ipſum ſæpius vindicarit. Et quidem hoc non in multorum hominum negocio: aut quod forſitã potuiſſet Deum magis mouere, ſanctorum: ſed in cauſa & vnius hominis & barbari: & tibi tantum virum perſona penitus aggrauauerat, niſi cauſa mulctaſſet? 2.Reg.11. Interfecto Vria Etheo, homine gentis impiæ & nationis inimicæ, ſtatim fit ad Dauid ſermo diuinus: Vriam Etheum percuſſiſti gladio, & vxorem illius accepiſti vxorem tibi, & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem nõ recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum. Itaque hæc dicit Dominus: Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo. Tu enim feciſti abſconditè, Ego vero faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu ſolis huius. Quid dicis tu, qui non ſolum non iudicari quæcunque agimus, ſed nec reſpici à Deo omnino credis? Vides ne etiã à ſecreto illo, quo Dauid ſemel lapſus eſt, nequaquam Dei oculos abfuiſſe? Vnde & tu, qui ad ſolatium (arbitror) peccatorum tuorum, conſiderari actus noſtros à Deo non putas ex hoc ipſo, & aſpici te à Chriſto ſemper intellige, & puniendum forſitan propẽdiem eſſe cognoſce, quia etiam Dauid ſanctum, vides vnum errorem ſuum, nec ſecreto occultorum penetralium potuiſſe contegere, nec à præſentibus pœnis priuilegio ſaltem maiorum operum vindicare. Priuilegiũ maiorum operum. Quid enim ait ad eum Dominus? Tollam vxores tuas in conſpectu tuo, & gladius nõ recedet à domo tua vſque in ſempiternum. Vides quàm præſens accipiat tantus vir pro vno tantum errore iudicium: protinus culpam damnatio eſt ſecuta, & damnatio ſtatim puniens, nihil reſeruans, atque illico coercens reum, non in futurum differens reatum. Et ideo non dixit, quia feciſti hoc, vẽturum iudicium Dei ſenties, & futuro gehẽnæ igne torquebere: ſed præſentia, inquit, tormenta ſenties, atque imminentem iam ceruicibus tuis diuinæ ſeueritatis gladiũ ſuſtinebis. Et quid poſt hæc? agnoſcit ſcilicet reus culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet: gemmas regias abdicat, crepantia auro textili indumenta deponit, purpura exuitur, diademate exoneratur, cultu & corde mutatur: totum regem cum ornatibus ſuis abiicit: pœnitentem cum patrocinio ambitioſi ſqualoris aſſumit, ieiunio exigitur, ariditate ſiccatur, fletu effunditur, ſolitudine carceratur. Dauidis vera Pœnitentia. Et tamen rex tanti nominis, ſanctitate maior quàm poteſtate, prærogatiuis meritorum antecedentium ſupereminens, cum tanto habitu ſupplicet, non euadit. Prærogatiuæ meritorum. Et hic tantus, tã grandis fructus pœnitentiæ eſt, quod æternis quidẽ piaculis non addicitur, ſed in præſenti tamen veniã non meretur. Pœnitẽtiæ Dauidis fructus. 2.Reg.12. Denique quid pœnitenti Propheta ait? Quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc filius qui ex te natus eſt, morietur. Præter pœnam acerbæ orbitatis, etiam hunc addi piiſſimo Patri intellectum ſummi ſupplicij Deus voluit, vt dilectiſſimo Filio cauſa mortis pater ipſe exiſteret, qui doleret, cum vtique natum ex crimine puerum crimen ipſum occideret, quod creaſſet. Hoc ergo primum eſt diuinæ animaduerſionis exordium. Primum vtique, non ſolum: ſecuta nanque ærumnarum ingentium longa ſeries, atque à domo eius iugis admodum malorum continuatio non receſſit. 2. Reg. 13. Thamar amoris furore corrumpitur, Amon ab Abſalone iugulatur. Scelus quidem grãde ab vno fratre committitur, ſed peius tamen ab alio vindicatur. Dauidis ærumnæ. Inter hæc Pater Dauid facinore vtriuſque punitur: duo Filij peccant, ſed tres duorum ſcelere perduntur. In Thamar enim virginitas amittitur, in Amone etiã Abſalonis perditio lugetur. Et quidem neſcias quẽ de Filiis duobus tam bonus pater potiſſimum amiſerit, illum qui manu Fratris occiſus eſt in hoc ſeculo, an illum

Iniuſta tolerantium, iniuria Deo grauis.

qui ſua periit in futuro. Iam vero hinc iuxta verbũ Dei inæſtimabilis mali cumulus: inſidias diu Pater à Filio patitur, regno pellitur, & ne occidatur, profugus abſcedit. Impurior neſcias, an cruentior Filius: quia interficere Patrem non poteſt parricidio, fœdat inceſtu: & quidem inceſti nephas, per induſtriam accumulandi ſceleris elato: cum vtique facinus, quod etiam ſecreta abominabile facerent, perſecutor parentis publice perpetraret: ſcilicet vt feraliſſimo crimine non Pater tantum abſconſus deformaretur, cum oculi etiam totius orbis publico fœdarentur inceſtu. Iam ſi addenda eſt & ipſius fugę facies, quale illud fuit, cum tantus & ex tanti nominis cunctis regibus altior, mundò maior, omnes admodum ſuos cum pauciſſimis ſuis fugeret, in comparatione dudum ſui egeſtuoſus, in comparatione ſui ſolus: fugiens cum metu, cum dedecore, cum luctu: operto, inquit ſcriptura, capite, & nudis pedibus incedens: ſuper iſtis, Prioris ſtatus à ſe ipſo exulans, pœnæ iam poſt ſe viuens: deiectus vſque in ſeruorum ſuorum, vel quod graue eſt, cõtumeliam, vel quod grauius, miſericordiam, vt vel ſibi compateretur, vel maledicere publice non timeret. Ita Dei iudicio à ſe aliter effectus, vt ei quem timuerat totus orbis, vnus in faciem inſultaret inimicus. Vbi ſunt qui à Deo reſpici res humanas negant? Ecce quoties teſtes ſacri in perſona vnius hominis non reſpexiſſe tantummodo Deum, verum etiam iudicaſſe docuerunt. Et cur hæc omnia? Cur vtique, niſi vt intelligeremus eandem futuram ſemper in mundo cenſuram & coërcionem Dei quæ fuiſſet, & ideo etiam ſanctos homines quodam iudicio Dei legimus caſtigatos, vt iudicandos nos Deo iudice etiam præſenti ſeculo noſceremus: quia ſicut Deus ſemper eſt, ſic iuſtitia Dei ſemper: ſicut omnipotentia Domini indeficiens, ſic cenſura indeuitabilis: ſicut Deus iure perpetuus, ſic iuſtitia perſeuerans: & ideo omnes admodum ſancti in libris ſacris inter diſcriminum imminentium motus, & perſecutorum gladios conſtituti, præſens iudicium Dei poſtulant. Sic enim iuſtus dicit in Pſalmo: Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta. Quod ne ad futurum Dei iudicium trahi poſſit, ſubdit ſtatim: Ab homine iniquo & doloſo eripe me. Præſens vtique iudicium Dei poſtulat, qui liberari ſe de manu perſecutoris implorat. Et bene pro conſcientia bonæ cauſæ non tam ſuffragium Domini quàm iudicium deprecatur, qui bonæ cauſæ ſemper optimum ſuffragium tribueret ſi cum iuſtitia iudicaretur. Alibi quoque hoc euidentiſſimè indicat, Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi. Vides etiam hoc loco non futuri examinis ſeueritatẽ, ſed cenſuram præſentis iudicij poſtulari. Hoc eſt enim quod ait: Apprehende ſcutum, & corripe gladium: ſcutum ſcilicet ad protectionem, gladium ad vltionem. Non quia hoc iudicans Deus egeat apparatu, ſed quia in hoc ſeculo hæc terribilium rerum nomina, terribilium iudiciorum ſunt inſtrumenta, ad humanum intelligentiam humanarum rerum ſignificationibus loquens, quia iudicari ac vindicari ſe de aduerſariis precabatur, per inſtrumenta terrenæ iſtius vltionis, iram diuinæ animaduerſionis expreſſit. Denique alibi Propheta idem, quid inter præſens & futurum iudicium Dei eſſet, oſtendit. Quid enim de cenſura præſentis examinis dicit ad Dominum? Sedes ſuper Thronum qui iudicas æquitatem. Quid autem de futuro æternóque iudicio? Iudicabit, inquit, orbem terræ in ęquitate. Et iterum: Iudicabit populos cum iuſtitia: ipſis ſcilicet verbis præſentis temporis & futuri, tempus iudicij vtriuſque diſtinxit. Vt enim præſens iudicium oſtẽderet, Iudicas, poſuit: vt autem futurum diſtingueret à præſentibus, ſubiecit poſtea, Iudicabit. Hæc igitur de cura erga nos Dei & gubernaculo & iudicio, ratione, exemplis, teſtimoniis ſatis eſt probaſſe, maxime quia etiam quæ poſt hoc ſecutura ſunt, ad ipſum omnia pertinebunt. Nunc ſi à Deo, cuius negocium agimus, vires ad agendum acceperimus, ea quæ contra hæc ab aduerſariis dici ſolent, & proferre ſimul & refutare tentabimus.

Abſalonis impietas.

2. Reg. 15.

Pſal. 42.

Pſal. 34.

Humanarum rerum ſignificationes.

Pſal. 9.

Pſal. 95.

Argumentum Librorũ ſequentium.

SALVIANI MASSILIENSIS EPISCOPI DE VERO IVDICIO & *Prouidentia Dei*, *Liber* III.

BEne ſe res habet, iacta ſunt fundamenta operis pia molitione cœpt, & diuini officij amore ſuſcepti. Et ideo non ſunt ſublimi loco poſita, nec tẽporali lapide conſtructa, ſed ſacrarum expenſarum confectione valida, & diuini magiſterij arte firmata. Quæ vt ipſe in Euangelio Deus dicit, nec ventis poſſint furentibus concuti, nec alluuione fluminũ ſubrui, nec pluuiarũ infuſione diſſolui. Cum enim hoc opus manus quodammodo diuinorum voluminum inſtruxerit, & cœleſtiũ ſcripturarum compago ſolidarit, neceſſe eſt tam firma hæc per Dominum Ieſum Chriſtũ eſſe quæ facta ſunt, quam firma illa ſunt quæ fecerunt ædificium. Itaque hoc naturam ſtatûs ſui de ſtirpe ſumet, & labefactari ſaluis autoribus ſuis non poteſt. Sicut enim in terrenis ædificiis deiicere parietes nullus poteſt, niſi prius lapides & cementa deiecerit: ſic ædificiũ quod ſtruximus, diſſoluere nullus valet, niſi id vnde ſtructũ & conſummatum, ante diſſoluerit. Quod quia labefactari vtique nequaquam poteſt, rectè etiã à nobis incolumitas ædificij præſumitur cuius ſtatus ſubſidiis immortalibus continetur. Quæritur itaque, cum hæc ſint ita, ſi totũ quod in hoc mundo eſt, cura & gubernacula, & iudicio Dei agitur, cur melior multo ſit Barbarorum conditio quam noſtra. Cur inter nos quoque ipſos, ſors bonorum durior quam malorum: cur probi iaceant, improbi conualeſcãt: cur iniquis vel maxime poteſtatibus vniuerſa ſuccumbant. Poſſum quidem rationabiliter & ſatis conſtanter dicere: Neſcio ſecretũ, & conſilium diuinitatis ignoro, ſufficit mihi ad cauſæ huius probationem dicti cœleſtis oraculũ. Deus à ſe, vt libellis ſuperioribus iam probauimus, omnia dicit aſpici, omnia regi, omnia iudicari. Si ſcire vis quid tenendũ ſit, habes literas ſacras: perfecta ratio eſt hoc tenere quod legeris. Qua cauſa autem Deus hæc de quibus loquimur ita faciat, nolo à me requiras. Homo ſum, non intelligo ſecreta Dei, inueſtigare non audeo, & ideo etiam attẽtare formido: quia & hoc ipſum genus quaſi ſacrilegæ temeritatis eſt, ſi

Matt. 7.

Sacrilega temeritas.

plus

plus ſcire cupias quam ſinaris: ſufficit quod tibi Deus à ſe agi ac diſpenſari cuncta teſtatur. Quid me interrogas quare alter maior ſit, alter minor: alter miſer, alter beatus: alter fortis, alter infirmus? qua cauſa quidem hæc Deus faciat non intelligo, ſed ad pleniſſimam rationem abundè ſufficit, quod à Deo agi iſta demonſtro. Sicut enim plus eſt Deus, quàm omnis humana ratio: ſic plus mihi videri debet quam ratio quod à Deo agi cuncta cognoſco. Nihil ergo in hac re opus eſt, nouum aliquid audire, ſatis ſit pro vniuerſis rationibus autor Deus: nec licet vt de his quæ diuino agũt arbitrio, aliud dicas iuſtum, aliud iniuſtũ: quia quicquid à Deo agi vides atque conuinceris, neceſſe eſt plus quam iuſtũ eſſe fatearis. Hæc ergo de gubernaculo Dei atque iudicio expeditiſſimè ac fortiſſimè dici poſſunt. Neque enim neceſſe eſt, vt argumẽtis à me probetur, quod hoc ipſo quia à Deo dicitur, comprobatur. Itaque cũ legimus dictum à Deo, quia aſpiciat iugiter omnem terrã, hoc ipſo probamus quod aſpiciat, quòd aſpicere ſe dicit. Cũ legimus quod regat cũcta quæ fecit, hoc ipſo approbamus quod regit, quia ſe regere teſtatur. Cum legimus quod præſenti iudicio vniuerſa diſpenſet, hoc ipſo eſt euidens quod iudicat: quia ſe iudicare confirmat. Alia enim omnia, id eſt humana dicta, argumentis & teſtibus egent: Dei autẽ ſermo ipſe ſibi teſtis eſt: quia neceſſe eſt quicquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum ſit teſtimoniũ veritatis. Sed tamen cum per ſcripturas ſacras ſcire nos quaſi de arcano animi & mentis ſuę quædam voluerit Deus noſter, quia ipſum quodãmodo ſcripturæ ſacræ oraculũ Dei mens eſt, quicquid vel agnoſci per ſuos, vel prædicari Deus voluit, non tacebo: vnum quamuis prius quàm loqui ordiar, ſcire cupiã, cũ Chriſtianis mihi loquendum an cum Paganis ſit. Si enim cũ Chriſtianis, probaturum me quod ago eſſe non dubito. Si autem cum Paganis, probare contemno: non quia deficiam in probatione, ſed quia profuturum quod loquor eſſe deſpero. Infructuoſus quippe eſt & inanis labor, vbi non recipit probationẽ prauus auditor. Sed tamen quia eſſe nullum omnino arbitror Chriſtiani nominis hominem, qui non ſe Chriſtianum videri velit: ego cum Chriſtiano agam. Quamuis enim quis impiæ ac Paganicæ infidelitatis ſit, mihi tamẽ ſatis eſt, à Chriſtiano probari quod dico. Cauſaris igitur, quid ſit iſtud, quod Chriſtiani qui Deũ credimus, omnibus miſeriores ſumus. Sufficere mihi ad reſpondendum hoc loco poterat, quòd Apoſtolus ad Eccleſias dicit: Nemo moueatur in tribulatione, ipſi enim ſcimus qui in hoc poſiti ſumus. Et ideo cum in hoc poſitos nos eſſe Apoſtolus dicat, vt ærumnas, vt miſerias, vt triſtitias perferamus: quid mirum eſt ſi mala cuncta perferimus, qui ad tolerãda vniuerſa militamus? Sed quia multi iſta non ſapiunt, & putant homines Chriſtianos hæc quaſi ſtipendia fidei ſuæ à Deo capere debere, vt quia ſint cunctis gentibus religioſiores, ſint cunctis etiã fortiores, acquieſcamus opinioni eorum atque ſentẽtiæ. Sed videamus quid ſit Deũ fideliter credi. Qui enim tam magnam credulitatis & fidei mercedem in hoc ſeculo eſſe volumus, qualis credulitas aut fides eſſe debeat, cõſiderare debeamus. Quid eſt igitur credulitas aut fides? Opinor hominem fideliter Chriſto credere, id eſt, fidelem Deo eſſe, hoc eſt fideliter Dei mãdata ſeruare. Sicut enim ſerui hominum diuitum aut procuratores, quibus vel ſupellectilis copioſa vel cellaria opulẽta creduntur, fideles abſq; dubio dici non queunt, ſi res traditas deuorarent: ſic profectò etiam Chriſtiani homines fideles non ſunt, ſi bona ſibi à Deo aſſignata corrumperẽt. Quæritur forſitan, quæ ſunt bona quæ Deus Chriſtianis hominibus aſſignet, quæ? niſi omnia per quę credimus, id eſt, per quæ omnia Chriſtiani ſumus. Primum ſcilicet legẽ, deinde Prophetas, tertiò Euãgelium, quartò Apoſtolicas lectiones. Poſtremùm generationis nouæ munus, ſancti Baptiſmatis gratiam, diuini Chriſmatis vnctionem: ſcilicet vt ſicut apud Hebræos quandã, id eſt peculiarẽ ac propriã Dei gentem, cum iudiciarius honor in poteſtatem regiam deſcendiſſet, probatiſſimos ac electiſſimos viros, per primogenitum regum vocauit in regnum: ſic omnes homines Chriſtiani cum poſt chriſma Eccleſiaſticum omnia Dei mandata feciſſent, ad capiendum laboris præmium vocarentur ad cœlũ. Cùm ergo iſta ſint omnia per quæ fides conſtat, videamus quis tanta hæc fidei ſacramenta cuſtodiat, vt fidelis eſſe videatur: quia infidelis, vt diximus, ſit neceſſe eſt, qui fidei commiſſa non ſeruat. Et quidẽ non quæro, vt cuncta faciat quæ Teſtamenta duorum temporum iubent, remitto cenſuram legis antiquæ, remitto has Prophetarum minas, etiam quæ omnino remitti non poſſunt, vel Apoſtolicorum librorum ſeueriſſimam inſtitutionem, vel Euangelicorum voluminum plenam omni perfectionis genere doctrinam. Pauciſſimis ſaltem præceptis Dei quis obſequatur interrogo, nec illa dico quæ ita multi refugiunt vt penè execrentur: tantum apud nos honor & reuerentia Dei proficit, vt quæ in deuotione non facimus, etiam odio digna eſſe dicamus. Denique hoc quod ſaluator cogitare nos de craſtino prohibuit, quis audire dignatur? Quod cõtentos ſingulis tunicis iubet eſſe, quis recipit? quod ambulare excalceatos præcipit, quis non modo faciendum, ſed vel ferendum arbitratur? Itaque & ego iſta prætereo. In hoc enim fides per quam confidimus recidit, vt quæ Dominus nobis ſalutaria eſſe voluit, nos ſuperflua iudicemus. Diligite, inquit, ſaluator, inimicos veſtros: benefacite his qui vos oderunt, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Quis hæc omnia facit, quis pro inimicis ſuis orat, iſtáque quæ Deus iuſſit, nõ dico votis, ſed verbis ſaltem agere dignatur? Aut etiã ſi quis ſe cogit vt faciat, tamen ore, non mẽte. Præſtat quidem vocis officium, ſed animi non mutat affectum: ac per hoc etiam ſi pro aduerſario ſuo orare ſe cogit, loquitur, non precatur. Longum eſt de ſingulis dicere, ſed adhuc tamen aliquid addam, vt intelligamus nos non modo non omnibus Dei obtemperare verbis, ſed nullis penè illius obedire mandatis. Et ideo Apoſtolus clamat: Nam qui ſe exiſtimat aliquid eſſe cũ nihil ſit, ſe ipſum ſeducit. Hoc enim ad crimina noſtra addimus, vt cum in omnibus rei ſimus, etiam bonos nos & ſanctos eſſe credamus, ac ſi in nobis cumulentur iniquitatis offenſæ, etiam præſumptione iuſtitiæ. Qui odit, inquit Apoſtolus, fratrem ſuum, homicida eſt. Intelligere ergo poſſumus multos eſſe homicidas qui ſe innoxios putant,

Iuſta ſunt Dei opera omnia.

Humana dicta teſtibus egent, diuina non item.

Prauus auditor.

2. Pet. 4. Roma. 5.

Deum fideliter credi.

Bona Chriſtianis attributa.

Chriſma diuinum.

Chriſma Eccleſiaſticum.

Dei præcepta vel minima neminem obſeruare.

Matt. 10.

Matth. 5.

Oratio pro inimicis.

Gal. 6.

1. Ioan. 3.

quia vt videmus homicidium non sola tantummodo occidentis manu, sed etiam odientis animo perpetratur. Vnde est quod saluator mandati huius normã censura adhuc seuctiore cumulauit, dicens: Matth.5. Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio. Ira, Odij mater. Ira mater est odij: Et ideo saluator excludere iram voluit, ne ex ira odium nasceretur. Si ergo non solũ odium, sed etiam ira nos videri iudicio reos faciet, euidenter agnoscimus, quod sicut nullus omnino est immunis ab iracũdia, sic nullus omnino immunis esse poterit à reatu. Prosequitur autem Dominus, quasi fibras præcepti istius, & omnes penitus Ibidem, frutices ac ramusculos secans, ait: Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennę ignis. Qui dixerit Fratri Racha cõuicium. suo, racha, reus erit concilio. Racha quod genus sit contumeliæ multi nesciunt: fatuitas autem quàm iniuriosè obiiciatur, optimè norunt. Et ideo scientia sua potius homines quàm ignorantia vtentes, malunt reatus suos per id conuicium quod sciunt, diuinis ignibus: quàm per id quod nesciunt, humanis conciliis expiari. Quæ cum ita sint, & cum hæc omnia quæ iubentur à Domino, non modo à nobis omnino non fiant, sed penè in diuersum omnia fiãt quando maiora illa faciemus? Qui enim, inquit, saluator, non renunciauerit omnibus quę possidet, nõ Lucæ 14. Mat. 20. potest meus esse discipulus. Et qui non tulerit crucẽ 1.Ioan.2. suam, & secutus me fuerit, nõ est me dignus. Et qui C se Christianum dicit, debet quemadmodum Christus ambulauit, sic & ipse ambulare: quæ non modo illos qui voluptates & pompas seculi sequũtur, sed ne illos quidem implere certum est, qui secularis amoris ius derelinquunt. Nam & qui renunciare diuitiis videntur, non sic renũciant, vt penitus renũciasse videantur: Et qui putantur crucem portare, Crucem portare. sic portant, vt plus habeant in cruce dignitatis, quã in Passione supplicij. Et omnes tamen isti, etiam si aliquid horum bona fide implerent, illud absque dubio nullus efficeret, vt per viam vitæ istius sic incederet, sicut saluator incessit. Qui se enim, inquit Apostolus, dixit in Christo manere, debet quem- D admodum Christus ambulauit sic & ipse ambulare. 1.Ioan.2. Sed dura quidã forsitan putant Apostolorum esse præcepta. Dura planè existimanda sunt, si plus ab aliis officiorum exigunt, quàm sibi sumunt. Porrò autem si multo minus cæteris imperant quàm sibi, nõ modo non graues magistri, sed parentes indulgentissimi iudicandi sunt, qui onera quę ceruicibus filiorum per amoris indulgentiã detrahunt, sibi per affectum religionis imponunt. Quid enim ab vno Gal.4. ex ipsis ad Apostolos Ecclesiasticos dicitur? Filioli, 1.Cor.11. inquit, mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. Et rursũ: Imitatores, inquit, mei estote sicut & ego Christi. Nobis hoc imperat, vt se E imitemur: qui sibi hoc impositum erat, vt Christi esset imitator. Et quòd quidem ipse Christum imitatus sit, nullum dubium est: Christus enim se pro nobis subdidit mũdo, & se ipse pro Christo. Christus pro Paulus Christum imitatus est. nobis tędia & labores grauissimos pertulit, & ipse pro nobis & pro Christo. Christus pro nobis contumelias passus est, & hoc ipse pro Christo: Christus pro nobis Passionem mortémq; tolerauit, & hoc ipse pro Christo. Et ideo non sine causa meritorum 2.Tim.4. suorum conscius dicit: Certamen bonum certaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Itaq; cum ille Christum sic imitatus sit, vi- 1.Cor.4. deamus quis nostrum Apostoli imitator appareat. Scribit enim de seipso primũ, quod nulli vnquam dederit offensionem, sed in omnibus exhibuerit se sicut Dei ministrum in patientia multa, in tribulationibus, in plagis, in carceribus, in lacerationibus. Et alibi dum se aliis cõparat, sic ait: In quo quis au- 1.Cor.11. det, in insipiẽtia dico, audeo & ego: vt minus sapiẽs dico, plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci. Sanè etsi de cæteris quas dicit virtutibus Apostolicis nihil facimus, in hoc tamen vno, vbi Apostolus ter naufragasse se dicit, etiam vincere possumus. Non enim ter tantummodo naufragauimus, quorum penè omnis vita nau- Naufragamus vbique non Christiani. fragium est. Intãtum quippe vitiosè ab omnibus viuitur, vt propè nullus Christianorum sit, qui non iugiter naufragare videatur. Sed dicit fortasse aliquis non id esse nunc tẽporis vt pro Christo perferamus quæ tunc Apostoli pertulerunt. Verũ est, non enim sunt principes pagani, non tyranni persecutores, nõ sanguis sanctorum funditur, nec fides suppliciis cõprobatur. Contentus Deus noster est, vt ei pax nostra seruiat, vt sola ei immaculatorum actuũ puritate & vitæ incontaminabilis sanctitate placeamus. Deus non minora nobis exigit. Quo plus ei fides & deuotio nostra debet, quia minora à nobis exigit, & maiora concessit. Et ideo cũ & principes Christiani sint, & persecutio nulla sit, & religio non inquietetur, qui ad probandum fidẽ experimentis durioribus non compellimur, inferioribus saltem officiis Domino plus placere debemus. Probat enim etiam in maioribus, si res exigat, executorem se idoneum fore, à quo minora complẽtur. Dimittamus ergo illa quæ beatissimus Paulus pertulit, imò quæ in libris postea de religione conscriptis omnes admodum Christianos legimus pertulisse: qui ad cœlestis regiæ ianuam gradibus D pœnarum suarũ ascendentes, scalas sibi quodãmodo de eculeis catastísque fecerunt. Videamus si in illis saltem religiosæ deuotionis obsequiis, quæ minora atque cõmunia in summa quiete & omni tẽpore omnes Christiani obire possumus, præceptis dominicis respondere tentamus. Iubet Christus ne litigemus. Quis iubenti obtemperat? Nec solum iubet, sed intantum hoc iubet, vt ea ipsa nos de quibus lis est relinquere iubeat, dũmodo litibus exua- Matth.5 Luc.6. mur. Si quis enim, inquit, voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, relinque ei & pallium. Interrogo qui sint qui spoliantibus aduersariis cedant, immò qui sint qui aduersarios suos nõ spoliare conentur. Tam procul enim abest, vt cum tunicis etiam alia relinquamus, vt si quo modo possumus, pallium aduersariis tunicásq; tollamus. Tã deuote enim mandatis dominicis obedimus, vt nõ sufficiat nobis, quod aduersariis nostris etiam minima vestimentorum nostrorum parte non cedimus, nisi eis quantũ in nobis est, si res sinat, cuncta rapiamus. Iungitur autem præcepto huic par & cõsimile mandatum, quo ait Dominus: Qui percusserit te in dextram maxillã, præbe ei & alteram. Quantos putamus esse, qui dicto huic vel aures modestè præbeant, vel certè etiamsi id facere videntur, animis acquiescant?

acquieſcant? Aut quotus quiſque eſt, qui ſi ictum vnum acceperit, non multos pro vno reddat tantũ ab illo abeſt, vt cædenti maxillam præbeat, vt tum ſe vincere putet, non quando aduerſarium vapulãdo, ſed quando cædendo ſuperauerit. Quæ vultis, inquit, ſaluator vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis ſimiliter. Huius ſententiæ partem tã bene nouimus, vt nunquam prætereamus: partem ſic prætermittimus, quaſi penitus neſciamus. Nam quid ab aliis præſtari nobis velimus, optimè nouimus: quid autem ipſi aliis debeamus præſtare, neſcimus. Atque vtinam neſciremus, minor eſſet ignorantiæ reatus, ſecundum illud: Qui neſcit voluntatem Domini ſui, vapulabit paucis: qui autem ſcit & non facit eam, vapulabit multis. Nũc autem maior in hoc offenſa eſt, quod partem ſententiæ ſacræ pro commodorum noſtrorum vtilitate deligimus; partem pro dei iniuria præterimus. Exaggerat quoque hoc Dei verbum officio prædicationis ſuæ Apoſtolus Paulus, dicens: Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius. Et iterum: Non quæ ſunt, inquit, ſinguli cogitantes, ſed ea quæ aliorum. Vides quam fideliter præcepta Chriſti fuerit executus, vbi cum ſaluator ſic nos pro aliis ſicut pro nobis iuſſerit cogitare, ille plus aliorũ nos commodis iuſſit conſulere quàm noſtris: boni ſcilicet Domini bonus famulus, & ſingularis magiſtri præclarus imitator, qui in veſtigiis Domini ſui ambulans, patentiora quodãmodo & expreſſiora pedibus ſuis fecit Domini ſui eſſe veſtigia. Quid ergo horum facimus Chriſtiani, quod Chriſtus, an quod Apoſtolus iubet? Puto omnino, quod neutrũ. Tantum abeſt, vt aliorum commodis aliquid cum propria incõmoditate præſtemus, vt omnes vel maximè noſtris commodis cum aliorum incommodo conſulamus. Sed eligere forſan maiora quæque videmur quæ nullus impleat, & vt ipſi putant implere omnino nõ poſſint, & præterire alia, quæ & impleri queant, & ab omnibus impleantur. Sed primũ illud conſiderandũ eſt, quia nulli ſeruorum licet, ex his quæ Dominus ſuus imperat eligere pro arbitrio, & inſolentiſſima abuſione quod placuerit aſſumere, quod diſplicuerit repudiare: maximè cum & terreſtres domini nequaquam æquo animo tolerandum putent, ſi iuſſiones ſuas ſerui ex parte audiant, & ex parte contemnant, & pro libidine ſua quæ putauerint facienda faciãt, quæ putauerint conculcanda conculcent. Si enim pro arbitrio ſuo ſerui Dominis obtemperant, ne in his quidem in quibus obtemperauerint obſequuntur. Quando enim ſeruus ex Domini ſui iuſſu ea facit tantũmodo quæ vult facere, iam non dominicã volũtatem implet, ſed ſuam. Si ergo nos qui homũculi imbecilli ſumus, contemni tamen à ſeruis noſtris omnino nolumus: quos etſi nobis ſeruitutis conditio infirmiores, humana tamen ſors reddit æquales: quàm iniquè cœleſtem Dominum contemnimus, qui cum homines ipſi ſimus, contemnendos nos tamen à noſtræ conditionis hominibus nõ putamus: niſi tanti fortaſſe conſilij ac tam profundæ intelligentiæ ſumus, vt qui pati iniurias ſeruorum nolumus, ſubditum iniuriis noſtris Deum eſſe velimus: & quæ ipſi toleratu humano indigna credimus, Deũ à nobis digne hæc tolerare credamus. At per hoc ſi qui ſunt, vt ad ſuperiora redeamus, qui de maioribus nos Dei præceptis dicere exiſtiment, & minora reticere, ſuperfluè queri intelligendi ſunt. Neque enim iuſta accuſatio eſt, cur præferantur aliqua, vbi facienda ſunt omnia. Sicut enim dominorũ carnalium ſeruis eligere, vt iam dixi, omnino non licet, quæ ex præceptis ſeruilibus faciant, aut quæ non faciant: Sic nos qui ſerui noſtri Domini ſumus, illicitũ omnino exiſtimare debemus, vt vel illa quæ placent, pro animi oblectatione ſumamus, vel illa quæ diſplicent, pro ſuperbiæ abuſione calcemus. Sed acquieſcamus tamen his, qui ex præceptis dominicis idcirco forſitan nos volunt maiora dicere, quia ſe putant minora complere: non quia ſufficiat ad ſalutem, ſi maioribus ſpretis minora faciamus, ſecundũ illud: Quicũque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus: ac per hoc licet nobis non ſufficiat parua ac minima quæ facere, acquieſco tamen ego minora dicere, vt oſtendam Maximam Chriſtianorũ omnium partem; ne exigua ſaltem ac minima feciſſe. Iuſſit ſaluator noſter, vt Chriſtiani non iurarent. Plures inuenies qui ſæpius periurẽt, quàm qui omnino non iurent. Iuſſit quoque, vt nemo malediceret. Cuius ſermo, non maledictio eſt? Prima enim ſemper tela irarum, maledicta ſunt: & quicquid nõ poſſumus imbecilli, optamus irati, ac ſic in omni animorum indignantiũ motu votis malis pro armis vtimur. Vnde vnuſquiſq; hominum euidentiſſimè probat, quicquid fieri aduerſariis ſuis optat, totũ ſe velle facere ſi poſſet. Sed videlicet quia omnes hac improbitate linguarum facilè vtimur, qui iuſſis dominicis obtemperamus, idcirco etiam apud Deum facilè putamus eſſe qui iuſsit. Maledici, inquit ſermo diuinus, regnum Dei non poſsidebunt. Hinc ergo intelligere poſſumus quàm grauis ſit & pernicioſa maledictio, quando etiam ſi alia bona adfuerint, ſola excludit à cœlo. Inuidiã iuſsit procul eſſe à nobis: at nos econtra, non extraneis tantum, ſed etiam proximis inuidemus. Nec ſolũ inimicos, ſed etiam amicos liuore perfundimus, adeò propè in omnium ſenſu hoc malum regnat, adeo eſuriendi libido terminum habet, detrahendi libido terminũ non habet. Nam ſæpè admodum cibo, nunquam detractione ſaturamur. Sed forſitan leuis pœna iſtius labis eſt, detrahens, inquit, ſcriptura ſacra, eradicabitur. Grauis profectò & tremenda animaduerſio, ſed tamen nulla correctio dura: modo enim vnuſquiſque hominum alium lacerare nõ deſinat, tanti putat, vt etiam ſibi ipſe non parcat: ſed digna planè mali iſtius retributio eſt, quæ ſolũ perſequitur autorem: illi enim nihil nocet penitus cui detrahit, tantummodo illum punit à cuius ore procedit. Sed delirare, opinor, videmur iſta repetendo, & fero vt nos delirare videamur. Nũquid delirauit dominus, qui præcepit, Omnis enim, inquit per Apoſtolum ſuum, clamor auferatur à vobis cum omni malitia? Vtrunque quidẽ hoc in nobis iugiter perſeuerat, ſed tamẽ magis malitia quàm clamor. Clamor quippe non ſemper eſt in oribus noſtris, malitia autem ſemper in cordibus noſtris: ac per hoc puto quod etiã ſi in nobis clamor deſineret, tamẽ malitia permaneret. Sine murmuratione quoque & querela nos Deus noſter eſſe præcepit. Quãdo hæc in humano genere nõ fuerũt? Si æſtus eſt, de calidi-

Luc.6. Matth.5. Luc.12. 1.Cor.10. Boni domini bonus famulus. Serui Dominorum cõtemptores. Iacob.2. Ephes.5. 1.Cor.6. Detractio. Rom.1. Inuidia ſolum autorem perſequitur. Ephe.4. Phil.2. Hominum murmur contra Deum.

tate cauſamur: ſi pluuia, de inundatione conquerimur. Si infœcundior annus eſt, accuſamus ſterilitatem: ſi fœcundior, vilitatem: adipiſci abundantiam cupimus, & eandē adepti accuſamus. Quid dici hac re improbius, quid contumelioſius poteſt? etiam in hoc de miſericordia Dei querimur, quia tribuat quod rogamus. Abeſſe à ſeruis ſuis omne omnino, etiam oculorum, ſcandalū Deus præcepit. Et ideo ſi quis, inquit, viderit mulierem ad concupiſcendū, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Hinc intelligere plenè poſſumus, quàm caſtos nos eſſe ſaluator iuſſerit, qui etiam licentiam viſionis abſcidit. Sciēs enim feneſtras quodammodo eſſe noſtrarum mentium, lumen oculorum: & omnes improbas cupiditates, in cor, per oculos quaſi per naturales cuniculos, introire: extinguere eas penitus foris voluit, ne intus orirentur, & lætaliter creſcentibus fibris conualeſcerent fortaſſe in animo, ſi germinaſſent in viſu. Idcirco itaque ait Dominus, petulcos impudicorum hominū intuitūs noxa adulterij non carere ſcilicet vt qui bona fide fugeret adulterium, cuſtodiret aſpectum. Perfectæ ſiquidem ac ſinceriſſimæ ſanctitatis volens cultores ſuos facere Saluator, iuſſit ab his cautiſſimè etiam minima vitari: & vt quā pura eſt pupilla oculi, tam pura eſſet Chriſtiani hominis vita: & ſicut ſalua intuitus incolumitate, pulueris labem in ſe oculus non reciperet: ſic vita noſtra labem in ſe penitus impudicitiæ non haberet. Vnde eſt illud etiam quod in ſequentibus ait Dominus: Si ſcandalizat te oculus tuus, erue eum. Et ſi ſcandalizat te manus tua, abſcinde eam. Expedit tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Si igitur iuxta Dei verbum in gehennam ſcādalis trahimur, rectè profecto vt gehennam vitare poſſimus, etiam manibus oculiſque mulctamur: nō quod membris ſuis quis priuare ſe debeat: ſed quia tam neceſſariæ nobis ſunt quædam domeſticorum obſequiorum neceſſitudines, vt his quaſi oculis, interdum autem quaſi manibus vtamur, rectè nobis præſentium miniſteriorum officia ſubtrahimus, ne æterni ignis tormenta patiamur. Vbi enim de miniſterio agitur, & vita, rectius profecto Chriſtiano eſt, miniſterio carere, quàm vita. Itaque cum in omnibus his quæ diximus, obedire nos ſibi Dominus noſter iuſſerit, vbi ſunt qui aut in vniuerſis mandatis, Deo, aut certè vel in paciſſimis obſequantur? Vbi ſunt qui aut inimicos diligant, aut perſequentibus benefaciant, malos in bono vincant, qui maxillas cædentibus præbeant, qui ſpoliantibus res ſuas ſine lite concedant? Quis eſt apud quem delectationis penitus nihil liceat, qui conuitio ſuo neminem lædat, qui ſilentio os coerceat ne in amaritudinem maledictionis erumpat, quis eſt qui faciat hęc minima? Vt non dicam illa, de quibus diximus paulo ante, maiora. Quæ cum ita ſint, & cū à nobis nil penitus dominicæ iuſſionis fiat, quid eſt quod nos queramur de Deo, cū queri magis Deus de omnibus poſſit. Quæ ratio eſt vt doleamus nos non audiri à Deo, cū ipſi Deum non audiamus: & ſuſurremus non reſpici à Deo terras, cum ipſi non reſpiciamus ad cœlum: & moleſtum ſit deſpici à domino preces noſtras, cum præcepta eius deſpiciantur à nobis? Fac nos pares Domino noſtro, quis eſt iuſtæ querimoniæ locus, hoc pati quenquam quod fecerit? ſaluo eo quod probare facilè poſſum, nequaquā nos pati illa quæ facimus, & mitiùs multo nobiſcum Deum agere, quàm nos cum Deo. Sed interim tamē hac agamus lege qua cœpimus. Sic enim etiam ipſe Dominus dicit: Clamaui ad vos, & nō audiſtis me, & vos clamabitis ad me, & non exaudiā vos. Quid enim dignius aut quid iuſtius? Non audiuimus, non audimur: non reſpeximus, non reſpicimur. Quis rogo ex carnalibus Dominis hac cum ſuis lege agere cōtentus eſt, vt contemnat tantummodo ſeruos ſuos, qui fuerat ab eis ipſe contemptus? Quanquam nos non hac ſolum iniuria contemnamus Deum, qua contemni à ſeruis ſuis curiales ſolent: quia ſeruorū hic contemptus eſt maximus, ſi non faciant quod iubetur. Porrò autē nos omni ſtudio, omni niſu, nō ſolum iuſſa nō facimus, ſed cōtra id facimus quod iubemur. Iubet enim Deus, vt omnes nobis inuicē chari ſimus, omnes autē nos mutua infeſtatione laceramus. Iubet Deus, vt cūcti egētibus ſua tribuāt, cūcti admodū aliena peruadūt. Iubet Deus, vt omnis qui Chriſtianus eſt etiam oculos caſtos habeat, quotus quiſque eſt, qui nō ſe luto fornicationis inuoluat: & quid plura? Graue & luctuoſum eſt, quod dicturus ſum. Ipſa Dei Eccleſia, quæ in omnibus debet eſſe placatrix Dei, quid eſt aliud quàm exacerbatrix Dei: aut præter pauciſſimos quoſdam, qui mala fugiunt, quid eſt aliud penè omnis cœtus Chriſtianorum, quàm ſentina vitiorum? Quotum enim quenque inuenies in Eccleſia non aut ebrioſum, aut helluonem, aut adulterum, aut fornicatorem, aut raptorem, aut ganeonem, aut latronē, aut homicidam? Et quod omnibus peius eſt, propè hæc cuncta ſine fine. Interrogo enim Chriſtianorum omnium conſcientiam, ex his vel flagitiis, vel ſceleribus quæ nunc diximus, quotus quiſque hominū non aliquid eſt eorum? Aut quotuſquiſque non totum? Facilius quippe inuenias qui totum ſit, quàm qui nihil. Et quod diximus nihil, nimis forſitā grauis videatur eſſe cenſuræ. Plus multo dicam, facilius inuenias reos malorum omniū, quàm non omnium: facilius maiorum criminum, quàm minimorum: id eſt facilius qui & maiora crimina cum minoribus, quàm qui minora tantum ſine maioribus perpetrarint. In hanc enim probroſitatem morum propè omnis Eccleſiæ plebs redacta eſt, vt in cūcto populo Chriſtiano genus quodāmodo ſanctitatis ſit, minus eſſe vitioſum. Itaque Eccleſias, vel potius templa atque altaria Dei minoris reuerentiæ quidā habent, quàm cuiuſlibet minimi ac municipalis iudicij domum. Siquidem intra ianuas non modo illuſtrium portarū, ſed etiam præſidum aut præpoſitorum, non omnes paſſim intrare præſumunt, niſi quos aut iudex vocauerit aut negociū traxerit, aut ipſa honoris proprij dignitas introire permiſerit: ita vt ſi quiſpiam ingreſſus inſolenter fuerit, aut cædatur, aut propellatur, aut aliqua verecundia atq; exiſtimationis ſuæ labe mulctetur. In templa autē, vel potius in altaria atq; in ſacraria Dei, paſſim omnes ſordidi ac flagitioſi ſine vlla penitus reuerētia ſacri honoris irrumpunt: nō quia nō omnes ad exorandū Deum currere debeant, ſed quia qui ingreditur ad placandū, non debet egredi ad exacerbādum. Neq; ciuſdē officij eſt, indulgentiā poſcere, & iracūdiam prouocare.

Matt. 5.

Oculi ſunt feneſtræ mentis.

Minima etiam vitanda.

Mar. 9.

Prouer. 1. Mich. 3. Pſal. 17.

Eccleſia Dei exacerbatrix.

Templorum contemptus.

Nouũ mõstri genus.

prouocare. Nouum ſiquidem monſtri genus eſt, eadem penè omnes iugiter facere, quæ feciſſe ſe plangunt. Et qui intrant Eccleſiaſticam domum vt mala antiqua defleant, exeunt, & quid dico exeunt, in ipſis penè hæc orationibus ſuis ac ſupplicationibus moliuntur. Aliud quippe ora hominum, aliud corda agunt: & dum verbis præterita mala plangunt,

Oratio improborum Pſal. 108.

ſenſu futura meditãtur: ac ſic oratio eorum, rixa eſt magis criminum, quam exoratrix, vt verè illa in eis ſcripturæ maledictio compleatur, vt de oratione ipſa exeant condemnati, & oratio eorum fiat in peccatum. Denique ſi vult quiſpiam ſcire quid in templo huiuſmodi homines cogitauerint, videat quid ſequatur. Siquidem conſummatis ſolẽnibus ſacris, ſtatim ad conſuetudinaria omnium ſtudia diſcurrunt: alij ſcilicet vt furentur, alij vt inebrientur, alij vt fornicentur, alij vt latrocinentur: vt euidẽter appareat hoc eos eſſe meditatos dum intra templum

Vitia ad ſeruos relegata.

ſunt, quod poſtquã egreſſi fuerint, exequuntur. Sed videlicet hæc cuncta mala, & omnium vitiorũ probroſitatem quam ſupra dixi, ad ſeruos fortaſſe quidam & ad abiectiſſimos quoſque homines referendam putant: cæterùm nomen ingenuum hac flagi-

De Vita Negociatorum.

tiorum labe nõ pollui. Quid autẽ aliud eſt cunctorum negociãtium vita, quàm fraus atque periuriũ? Quid aliud eſt curialium quàm iniquitas? Quid aliud officialium, quàm calumnia? Quid aliud militantium, quàm rapina? Sed putas forſitã, quod hoc etiam de perſonis iſtiuſmodi fieri poſſit. Hic eſt, inquis enim, eorum actus quæ & profeſſio, ac per hoc nihil mirum eſt, ſi agunt quod profitentur: quaſi vero aut agere vllum Deus res malas velit aut profiteri, aut nulla ſit penitus ſacræ maieſtatis offenſa, ſi maximum ſcelus minores videantur agere perſonæ præſertim cũ in hac hominũ multitudine quo maior eſt peccantiũ turba, eo maior eſt diuinitatis in-

Nobilitas.

iuria. Sed omnis, inquis, nobilitas ab his ſceleribus immunis eſt. Parum eſt id quidem, quia non aliud videtur nobilitas in toto mundo, quàm vnus homo in grandi populo. Sed videamus tamen ſi vel ipſum parum ſit carens crimine: ac primum cõſideremus quid de huiuſmodi hominibus ſermo dicat diuinus. Arguens quippe Apoſtolus Dei populum, ſic

Iaco. 2.

ait: Audite Fratres mei dilectiſſimi: Nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni quod promiſit Deus diligẽtibus ſe? vos autem exhonoraſtis pauperem. Nónne diuites per potentiam opprimunt vos, nónne ipſi blaſphemãt bonum nomen quod inuocatũ eſt ſuper nos? Grande hoc teſtimonium Apoſtoli eſt, niſi fortè immunes ſe ab eo nobiles putẽt, quia ſunt ſoli diuites no-

Nullus habetur nobilis, niſi qui diues.

minati. Sed aut iidem ſunt nobiles, qui & diuites: præter nobiles, ſunt tamen & ipſi quaſi iam nobiles quia tanta eſt miſeria huius temporis, vt nullus habeatur magis nobilis, quàm qui eſt plurimũ diues. Sed ſiue de alterutris, ſiue de vtriſque Apoſtolus dixerit, facilè de hoc componi poteſt. Non enim in-

Nobiles eſſe flagitioſiſſimos

tereſt de qua hoc potiſſimum parte dictũ ſit, quod vtrique certum eſt cõuenire. Quis enim eſt vel nobilium omnino, vel diuitum, horrens crimina? quãuis in hoc fefellerim. Multi enim horrent, ſed pauciſſimi euitant. In aliis quippe horrent, quod in ſe admittunt, mirum in modum & accuſatores eorũdem criminum & excuſatores. Execrantur publicè, quod occultè agunt: ac per hoc damnare ſe cæteros putant, cũ ipſos ſe magis propria animaduerſione condemnent. Sed relinquamus iſtos, qui magis rei ſunt. Quis eſt omnino diues vel nobilis, aut innocentiam ſeruans, aut à cunctis ſceleribus manus abſtinens? quanquam ſuperfluè à cunctis dixerim. Vtinam vel à maximis, quia volunt ſibi id forte quaſi maiores priuilegium dicare, vt iure ſuo crimina vel minora committant. Itaque de peccatis facilioribus nihil dico. Videamus an à duobus illis quaſi capitalibus malis vllus immunis ſit, id eſt vel ab homicidio, vel à ſtupro. Quis enim eſt aut humano sãguine non cruentus, aut cœnoſa impuritate nõ ſordidus? vnum quidem ex his ad pœnam æternã ſufficit, ſed propè nullus diuitum non vtrunque cõmiſit. Sed cogitat fortè aliquis de hoc numero: Ego iã iſta non facio. Dando ſi non facis, ſed tamen ante feciſti: & non eſt nunquam omnino feciſſe, facere ceſſaſſe. Quod ſi ita eſſet, quid prodeſſet tamen vnũ à ſcelere deſiſtere, & multos in ſceleribus permanere? Non ſanat vnius conuerſio crimina plurimorũ: nec ſufficit ad placandum Deum, quod vnus peccata deſerit, quem vniuerſitas totius humani generis offendit: prẽſertim cũ is qui conuertitur vt mortem æternam poſſit euadere, magnos profecto conuerſionis ſuæ fructus capiat ſi euadat, nedum contingere ei poſſit, vt ab aliis pœnam damnationis auertat: quia & hoc intolerabilis ſuperbiæ atq; immanis piaculi eſt crimen, ſi tam bonum ſe aliquis eſſe credat, vt etiã malos exiſtimet per ſe poſſe ſaluari. Loquens Deus de terra quadam, vel de populo peccatore, ſic dicit: Si fuerint tres viri iſti in medio eius, Noë, & Daniel, & Iob, non liberabunt Filios & Filias, ipſi ſoli ſalui erũt. Neminem reor tam impudentem fore, qui ſe his talibus viris audeat cõparare: quia quamuis nunc placere aliquis Deo ſtudeat, hoc ipſum tamen genus maximę iniuſtitiæ eſt, ſi ſe iuſtum præſumat: ac per hoc ſublata eſt omnis ſpes falſę opinionis, qua credimus innumeram perditorum hominum multitudinem ſuffragio paucorum bonorum à præſentibus malis poſſe defẽdi. Cũ enim nullus ipſis quos ſupra diximus par ſit, quę eſſe ſpes illis poteſt, quod liberari & extranei, & innumeri, & mali à pauciſſimis bonis poſſunt? cũ illi familiariſſimi Deo ſancti ne hoc quidem à Domino promeruerint, vt in Filiis ſuis vel membra ſoluerent: & rectè. Nam licet omnes admodum Filij membra parentum eſſe videantur, non putandi tamen ſunt membra eorum eſſe, à quibus affectu cœperint diſcrepare: quia morũ degenerãtium prauitate pereunt in talibus beneficia naturæ. Quo fit vt etiã nos qui nos Chriſtianos eſſe diximus, perdamus vim tanti nominis, vitio prauitatis. Omnino enim nihil prodeſt nomen ſanctum habere ſine moribus: quia vita à profeſſione diſcordans, abrogat illuſtris tituli honorẽ, per indignorum actuũ vilitatẽ. Vnde cũ penè nullam Chriſtianorũ omnium partem, penè nullũ Eccleſiarum omniũ angulum non plenum omni offenſione, & omni lætalium peccatorũ labe videamus: quid eſt in quo nobis de Chriſtiano nomine blandiamur? Cũ vtique hoc ipſo magis per nomen ſacratiſſimũ rei ſimus, quia à ſancto nomine diſcrepamus. Nã & ideo plus ſub religionis titulo Deum lædimus, quia poſiti in religione peccamus.

Ezec. 14.

Innumeros perditos nõ poſſe ſuffragiis pauco rum bonorum ſubleuari.

Filij membra parentum.

Chriſtianorum nomen.

SALVIANI MASSILIENSIS EPISCOPI DE VERO IVDICIO & Prouidentia Dei, Liber Quartus.

DIscedatur itaque ab illa, quam supradiximus, Christiani nominis prærogatiua, vt putemus quia sumus cunctis gentibus religiosiores, debere nos esse fortiores. Nã cum, vt diximus, hęc sit hominis Christiani fides, fideliter Christi mandata seruare: sit absque dubio, vt nec fidem habeat qui infidelis est: nec Christum credat, qui Christi mandata conculcat: & apertè hoc totum in id reuoluitur, vt qui Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videatur. Nomen enim sine actu atque officio suo, nihil est. Nam sicut ait quidam in scriptis suis: Quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine nomine? Aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Itaque vt iisdẽ verbis etiam nos vtamur, quid est aliud sanctum vocabulũ sine merito, nisi ornamẽtum in luto? Sicut etiã per diuinas literas sacer sermo testatus est, dicens: Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua. Et in nobis itaque Christianũ vocabulũ, quasi aureum decus est: quo si indigne vtimur, fit vt sues cum ornamento esse videamur. Denique qui vult plenius scire vocabula nihil esse sine rebus, respiciat quomodo innumerabiles populi cessantibus meritis etiã nomina perdiderunt. Duodecim Hebræorũ tribus cum electæ quõdam à Deo essent, duo nomina sacrosancta acceperunt: populus enim Dei, & Israël appellatæ sunt. Sic quippe legimus: Audi populus meus, & loquar: Israël, & testificabor tibi. Ergo Iudæi aliquando vtrunque, nũc neutrum. Nam nec populus Dei dici potest, qui cultũ Dei iam olim reliquit: nec videns Deum, qui Dei Filiũ denegauit, sicut scriptum est: Israel vero non me cognouit, & populus me non intellexit. Propter quod alibi etiam Deus noster de Iudæorum plebe loquitur ad Prophetam, dicẽs: Voca nomen eius, nõ dilecta. Et iterum ad Iudæos ipsos: Vos nõ estis populus meus, & ego non sum Deus vester. Cur autem hoc de eis ipse diceret, ipse alibi euidenter ostẽdit. Sic quippe ait: Dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum. Et iterum: Verbum, inquit, Domini proiecerunt, & sapientia nulla est in illis. Quod quidem timeo, ne nõ magis tunc de eis dici potuerit, quàm de nobis nunc dici possit: quia nec verbis dominicis obtemperamus, & qui verbis Domini non obsequimur, sapientiam profecto in nobis penitus non habemus: nisi fortasse credimus, sapienter nos Deum spernere: Et hoc ipsum quod Christi mandata contemnimus, summam prudẽtiam iudicamus. Et quidem causa est cur hoc ita existimare credamur. Nã tanto consensu omnes peccata sequimur, quasi sũmi consilij conspiratione peccemus. Quæ cum ita sint, quæ ratio est, vt ipsi nos falsa opinione fallamus, æstimantes scilicet quia Christiani esse dicamur, quod opitulari nobis inter mala quæ agimus, nomen bonum possit, cum Spiritus sanctus nec fidẽ quidem dicat hominibus Christianis sine operibus bonis posse prodesse: & vtique multo plus est habere fidẽ quam nomen: quia nomen est vocabulũ hominis, fides autem fructus est mentis. Et tamen hũc ipsum fidei fructũ infructuosum Apostolus sine operibus bonis esse testatur, dicens: Fides sine operibus mortua est. Et iterũ: Sicut enim corpus sine spiritu, sic fides sine operibus mortua est: addit quoq; asperiora quædã ad confundẽdos eos, qui sibi præsumptione Christianæ fidei blandiũtur. Sed dicet aliquis: Tu fidem habes, & ego opera habeo: Ostẽde mihi sine operibus fidẽ tuam, & ego ostẽdam tibi ex operibus fidem meam. Quo vtique hoc indicat, actus bonos, Christianæ fidei quasi testes esse: quia Christianus nisi opera bona fecerit, fidem suã penitus approbare non possit: ac per hoc quod probare non valeat quia sit, sic omnino habendum esse quasi non sit. Nam quod pro nullo hoc habendum existimaret, in subditis statim ipse demonstrat, dicens ad Christianum: Tu credis quia vnus est Deus bene facis, & dæmones credunt & contremiscunt. Consideremus quid voluerit hoc loco Apostolus dicere, ne irascamur diuinis testimoniis, sed acquiescamus: ne cõtradicamus, sed proficiamus. Tu credis, inquit ad Christianum sermo diuinus, quod Deus vnus est, bene facis, & dæmones credunt, & contremiscunt. Nunquid errauit Apostolus, vt hominis Christiani fidem dæmoni compararet non vtique, sed ostendere illud volens quod supradictũ est: quia sine operibus bonis nihil sibi per fidei supercilium deberet. Idcirco autẽ à dæmonibus Deũ credi, scilicet vt sicut dæmones cum Deum credũt, tamen in peruersitate perdurent: ita & quosdã homines quasi credulitatem dęmoniacam habere, qui cum se Deum credere asserant, tamen à malo opere non cessant. Subiungi autem ad pudorem & condemnationem horum peccatorum, nõ credere solum dæmones Dei nomen, sed etiam timere & cõtremiscere: hoc est dicere. Quid tibi blandiris ô homo quisquis es, credulitate, quæ sine timore atque obsequio Dei nulla est? Aliquid plus dæmones habent. Tu enim vnam rem habes tantummodo, illi duas. Tu credulitatem habes, non habes timorem: illi credulitatem habent pariter & timorem. Quid miraris ergo si cædimur, quid miraris ergo si castigamur, si in ius hostiũ tradimur, si infirmiores omnibus sumus? siue miseriæ nostræ, siue infirmitates, siue euersiones, siue captiuitates, & penè improbæ seruitutes, testimonia sunt mali serui & boni Dei. Quomodo mali serui? quia patior scilicet vel ex parte quod mereor. Quomodo boni Dei? Quia ostendit quid mereamur: etsi non irrogat quæ mereamur, clementissima enim ac benignissima castigatione mauult nos corrigere quàm perire. Nos siquidem quantum ad crimina nostra pertinet, lætalibus suppliciis digni sumus: sed ille plus misericordiæ quàm seueritati tribuens, maluit nos clementis censuræ temperamento emendare, quàm plaga iustæ cohercionis occidere. Ingratũ nobis esse quod cædimur, satis certus sum. Sed quid miramur, si peccantes nos Deus verberat, cũ ipsi peccantes seruulos verberemus? Iniusti iudices sumus: homũculos nos flagellari à Deo nolumus, cum ipsi cõditionis nostræ homines flagellemus. Sed nec minor, quod tam iniqui in hac re sumus, natura in nobis & nequitia seruilis est: volumus delinquere & nolumus verberari: ipsi in nobis mores sunt, qui in seruulis nostris, omnes volumus impune peccare. Denique si mentior, cunctos consulo. Nego vllum esse quantumlibet magni criminis reum, qui

Cauta lege.

Christiani qui.

Prou. 11.

Vocabula nihil sunt sine rebus.

Esai. 1.

Plus est habere fidẽ quã nomẽ. Iaco. 2.

Oseę 1.

Hiere. 2. & 8.

Iacob.

Credulitas dæmoniaca.

Tribulationes patienter ferendæ.

qui se acquiescat debere torqueri. Hinc ergo cognosci potest, quàm iniqui & praui sumus: aliis seueriſſimi sumus, nobis indulgentiſſimi: aliis asperi nobis remissi. In eodē crimine punimus alios, nos absoluimus. Intolerabilis prorsus & contumaciæ, & præsumptionis, nec agnoscere volumus in nobis reatum, & audemus de aliis vsurpare iudiciū. Quid esse iniusti⁹ nobis, aut quid peruersius potest? Id ipsum scelus in nobis probabile esse dicemus, quod in aliis seueriſſimè vindicamus. Et ideo non sine causa ad nos Apostolus clamat: Propter quod inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas, in quo enim aliū iudicas, te ipsum cōdemnas. Eadem enim agis quæ iudicas. Sed non eadē, inquit aliquis ex diuitibus, nos agimus quæ serui. Ex seruis enim fures ac fugitiui sunt: ex seruis enim gulæ ac iugiter ventri seruiētes. Verū est esse hæc vitia seruorū, sed plura tamen sunt ac maiora dominorū, quamuis nō omnium. Excipiendi quidā enim sunt, sed pauciſſimi: quos ideo non nomino, ne non tā eos nominando laudare, quàm alios non nominando videar publicare. Ac primùm serui si fures sunt, ad furandū forsitan egestate cogūtur: quia etiā si eis stipendia vsitata præstentur, consuetudini hęc magis quàm sufficientiæ satisfaciunt: & ita implent canonē, quod non explent satietatem. Ac per hoc culpam ipsam inopia minus culpabilē facit, quia excusabilis furti reus est, qui ad furtum cogi videtur inuitus. Nam & scriptura Ecclesiastica quasi subexcusare quodāmodo miserorum omnium noxas videtur, dicens: Non grandis est culpæ, cum quis furatus fuerit, furatur enim vt esuriētem impleat animam. In Salomone furatur, vt expleat animam suam: ac per hoc non satis à nobis accusandi sunt, qui diuino sermone excusantur. Quod autem de furtis seruorum dicimus, hoc etiā de fuga: immo hoc rectius de fuga, quia ad fugam seruos non miseriæ tantum, sed etiā supplicia compellunt. Pauent quippe actores, pauent silentiarios, pauent procuratores, propè vt inter istos omnes nullorū minus serui sint, quàm dominorum suorum: ab omnibus cædūtur, ab omnibus conteruntur. Quid amplius dici potest? multi seruorum ad dominos suos fugiunt, dum cōseruos timent. Vnde illorum fugam non tam ad eos debemus referre qui fugiūt, quàm ad eos qui fugere cōpellunt. Vim patiuntur infœliciſſimi, famulari optant, & fugere coguntur: discedere à seruitio dominorum suorum omnino nolunt, & conseruorū suorum crudelitate non permittūt vt seruiant. Mēdaces quoque esse dicuntur. Ad mendacium nihilo minus attrocitate præsentis supplicij coartantur. Siquidem dum tormentis se volunt eximere mentiuntur. Quid autem mirum est, si positus in metu seruus mentiri mauult quàm flagellari? Accusantur etiam gulæ & ventris auidi: nec hoc nouum est, magis desiderat satietatem, qui famem sæpe tolerauit. Sed esto, non perferat famem panis: certe perfert delitiarū, & ideo ignoscendum est, si auidius expetit quod ei vel iugiter deerat. Tu vero nobilis, tu vero diues, qui omnibus bonis affluis, qui hoc Deū sanctis operibus honorare plus debes, quod beneficiis illius sine cessatione perfueris: videamus si actûs nō dico sanctos sed vel innoxios habes. Et quis, vt superius dixi, diuitum præter paucos non cūctis criminibus infectus est? Et quod paucos excipio, vtinam plures atque omnes excipi liceret. Salus erat omniū, innocentia plurimorum. Neque ego de vllo dico nunc, nisi de eo tantum, qui in se id quod dico esse agnoscit. Si enim extra conscientiā suam sunt quæcunque dico, nequaquam ad iniuriā eius spectant, cuncta quæ dico. Si autē in se esse nouit quæ loquor, nō à mea sibi hoc lingua dici existimet, sed à cōscientia sua. Ac primum vt de vitiis seruilibus dicam, si fugitiuus est seruus, fugitiuus es etiam tu diues ac nobilis. Omnes enim dominum suum fugiunt, qui legē domini derelinquūt. Quid ergo diues culpas in seruo? hoc facis quod & ille. Ille fugitiuus est Domini sui, & tu tui. Sed hoc culpabilior es, nam ille fugit forsitā malū dominū, & tu bonū. Incontinentia vētris quam in seruo arguis, in illo rara est per indigentiam, in te quotidiana per copiam. Vides ergo Apostolica sententia te potissimum verberari: immo te solum, quia in quo alium iudicas, teipsum condēnas, eadem enim agis quæ iudicas: immo non eadē agis, sed maiora multo ac nequiora. In illo quippe etiam infrequentem ventris intemperantiam punis, & tu assidua distenderis. Furtum quoque, vt putas, seruile vitium est: & tu furtum diues facis, quando à Deo vetita præsumis. Omnes siquidem furta faciunt, qui illicita committunt. Sed quid ego tam minutè, & quasi allegoricè de hoc loquor, cum facinoribus apertissimis non furta tantum diuitum, sed latrocinia cōprobentur? Quotus quisque enim iuxta diuitē pauper, aut intactus, aut tutus est? Siquidem peruasionibus prępotentū, aut sua homines imbecilli aut etiam seipsos cum suis pariter amittūt, vt non immerito de vtrisque personis sacer sermo testetur, sic dicens: Venatio leonis onager in eremo, sic pascua sunt diuitum pauperes. Quamuis tyrannidem hāc non pauperes tantum, sed penè vniuersitas patiatur generis humani. Quid est omnium aliud dignitas sublimiū, quàm præscriptio ciuitatū: aut quid aliud quorundam, quos taceo, præfectura, quàm præda? Nulla siquidem maior pauperculorum est depopulatio, quàm potestas. Ad hoc enim honor à paucis emitur, nisi vt cunctorum vastatione satietur. Quo quid esse indignius aut iniquius potest? Reddūt miseri dignitatum precia, quas non emunt. Commercia nesciūt, & solutionem sciunt. Vt pauci illustrētur, mundus euertitur. Vnius honor, orbis excidium est. Denique sciunt hoc Hispaniæ, quibus solū nomen relictum est. Sciunt Africæ, quæ fuerunt. Sciunt Galliæ deuastatæ, sed non ab omnibus, & ideo in pauciſſimis adhuc angulis vel tenuē spiritum agentes, quia eas interdū paucorum integritas aluit, quas multorū rapina vacuauit. Sed euagati longius sumus dolore cōpulsi. Ergo vt ad superiora redeamus, quid est in quo non seruilibus vitiis etiā nobiles polluātur, nisi forte ideo, quia illa quæ in seruis peccata puniūt, ipsi quasi licita cōmittūt. Neque ad has peruasiones, quas, vt supra dixi, nobiles agunt, seruus nec aspirare permittitur: quamuis mentiar. Quidam enim ex seruis nobiles facti, aut paria, aut maiora fecerunt. Sed hoc tamen imputari seruis nequaquā potest, quod quibusdam seruilis conditio tam feliciter cessit. Homicidia quoq; in seruis rara sūt terrore ac metu mortis. In diuitib⁹ assidua spe ac

Hominum iniquitas.
Rom. 2.
In diuites.
Serui defenduntur.
Seruorum furta. Prou. 6.
Seruorum fuga.
Seruorum mendacia.
In nobiles & diuites.
Ecclesiast. 13.
Dignitas sublimiū.
Diuitum incontinētia.
Diuitum furtum.
Homicidia diuitū.

fiducia impunitatis, nisi forte iniqui sumus, hoc quod diuites faciunt ad peccatum referendo: qui illi cum occidunt seruos suos, ius putant esse non crimen. Non solum hoc, sed eodem priuilegio etiã in exercendo impudicitiæ cœno abutuntur. Quotus enim quisque est diuitum connubij sacramenta obseruans, quem non libidinis furor rapiat in præceps? cui non domus ac familia sua scortum sit? & qui nõ in quãcunque personam cupiditatis improbæ calor traxerit, mentis sequatur insania? secũdum illud scilicet quod de talibus dicit sermo diuinus: Equi insaniẽtes in fœminas facti sunt. Quid enim aliud, quàm de se dictum hoc probat, qui totum peruadere vult concubitu, quicquid concupierit aspectu? Nam de concubinis quippiam dici forsitã etiã iniustũ esse videatur: quia hoc in comparatione suprad ictorum quasi genus est castitatis, vxoribus paucis esse contentum, & intra certum coniugij numerum frenos libidinum continere. Coniugium dixi, quia ad tantam res impudentiam venit, vt ancillas suas multi vxores putent: atque vtinam sicut putantur esse quasi coniuges, ita solæ haberẽtur vxores. Illud magis tetrũ ac detestabile, quod quidã matrimonia honorata sortiti, alias sibi rursum seruilis statûs coniuges sumunt, deformantes sancti connubij honorem, per degeneris contubernij vilitatẽ: non erubescẽtes maritos se fieri ancillarum suarum, præcipitantes fastigium nobilium matrimoniorum, in cubilia obscœna seruarum: digni prorsus etiam illarum statu, quarum se putãt dignos esse consortio. Non dubito ex iis plurimos, vt sunt nobiles, aut videri nobiles volunt, superbe & aspernanter accipere, quod dum consideramus hæc talia quæ locuti sumus, minus flagitiosos diximus seruos quosdam esse quam dominos. Sed cũ hoc ego non de omnibus, sed de his qui tales sunt prædicauerim, nullus irasci omnino debet, qui nequaquam se talem cognoscit, ne hoc ipso quod irascitur, de cœtu ipsorum esse videatur. Quin potius quicunque ex nobilibus hæc mala horrent, irasci talibus debent, quod facinoribus sordidissimis nobilitatis nomen infament: quia licet hi qui tales sunt, omnem grauent populum Christianum, specialiter tamẽ illos sordibus suis polluunt, quorum pars esse dicuntur. Diximus itaque nobiles quosdam esse seruis deteriores: quod dixmus, comprobamus. Ecce enim ab hoc scelere vel maximo, prope seruorum numerus immunis est. Nũquid enim aliquis ex seruis turbas concubinarum habet? nunquid multarum vxorum labe polluitur, vt canum vel suum more tantas putet coniuges suas esse, quãtas potuerit libidini subiugare. Sed ad hæc respondeti potest, quod facere seruis ista non liceat. Nã profecto facerent si liceret. Credo: sed quæ fieri non video, quasi facta habere non possum. Quantumlibet enim in eis improbæ mentes; quantumlibet malæ cupiditates sint, nullus pro eo quod non admittit scelere punitur. Malos esse seruos ac detestabiles satis certum est, sed hoc vtiq; ingenui ac nobiles magis execrandi, si in statu honestiore peiores sunt. Quo fit, vt ad illum rei huius necesse sit, non vt serui sint à reatu nequitiæ suæ absoluendi, sed vt plurimi diuites magis sint seruorum comparatione damnandi. Nam illud latrocinium ac scelus quis digne eloqui possit, quod cum Romana Respublica vel iam mortua, vel certe extremũ spiritum agens, in ea parte qua adhuc viuere videtur, tributorum vinculis, quasi prædonum manibus strangulata moriatur: inueniuntur tamen plurimi diuitũ, quorum tributa pauperes ferũt, hoc est, inueniũtur plurimi diuitum, quorũ tributa pauperes necãt: & quod inueniri dicimus, plurimos: timeo ne verius dixerimus, omnes. Tã pauci enim mali huius expertes sunt, si tamẽ vlli sunt, vt in ea parte qua multos dixim⁹, omnes pene diuites possimus reperi re. Ecce enim remedia pridẽ nõnullis vrbibus data, quid aliud egerũt, quàm vt cũctos diuites immunes redderent, miserorum tributa cumularent: vt illis demerentur vectigalia vetera, istis vt adderentur noua: illos vt etiam accessio minimarum functionum locupletaret, istos vt accessio maximarum affligeret? Illi, vt eorũ leuiter ferebant immunitione diteſcerent: isti vt eorũ quæ etiam ferre nõ poterant, multiplicatione morerentur: ac si remedium illud alios iniustissime erigeret, alios iniustissime necaret: aliis esset sceleratissimum præmium, aliis sceleratissimum venenum. Vnde aduertimus, quod nihil esse & diuitibus sceleratius potest, qui remediis suis pauperes perimunt: & nihil pauperibus infelicius, quos etiam illa quæ pro remedio cunctis dantur, occidunt. Iã vero illud quale, quã sanctum, quod si quis ex nobilibus ad Deum conuerti cœperit, statim honorem nobilitatis amittit: aut quantus in Christiano populo honor Christi est, vbi religio ignobilem facit? Statim enim vt melior esse tentauerit, deterioris abiectione calcatur: ac per hoc omnes quodammodo mali esse coguntur, ne viles habeantur. Et ideo non sine causa Apostolus clamat. Seculum totum in malo positum est. Meritò enim totũ esse in malo dicitur, vbi boni locũ habere non possunt. Siquidẽ ita totum iniquitatibus plenũ est, vt aut mali sint qũi sunt in illo, aut qui boni sunt multorũ persecutione cruciẽtur. Itaque sicut diximus, si honoratior quispiam religioni se applicuerit, illico honoratus esse desistit. Vbi enim quis mutauerit vestem, mutat protinus dignitatem. Si fuerit sublimis, fit despicabilis. Si fuerit splendidissimus, fit vilissimus: Si fuerit totus honoris, fit totus iniuriæ. Et mirantur mũdani quidam & infideles, si offensam Dei aut iracundiam perferunt, vbi Deum in sanctis omnibus persequũtur. Peruersa enim sunt, & in diuersum cuncta mutata. Si bonus est quispiam, quasi malus spernitur. Si est malus, quasi bonus honoratur. Nihil itaque mirum, si deteriora quotidie patimur, qui deteriores quotidie sumus. Et noua enim quotidie mala faciunt, & vetera non relinquunt. Surgunt recẽtia crimina, nec repudiantur antiqua. Quis ergo est causationis locus? quamlibet aspera & aduersa patiamur, minora patimur quàm meremur. Quid querimur, quod dure agat nobiscum Deus? multò nos durius cum Deo agimus. Exacerbamus quippe Deum impuritatibus nostris, & ad puniendos nos trahimus inuitum. Cúmque eius naturæ sit mens Dei atque maiestas, vt nulla iracundiæ passione moueatur, tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, vt per nos cogatur irasci. Vim, vt ita dixerim, facimus pietati suæ, ac manus quodã-

modo

Diuites impurissimi.

Hier. 5.

Genus castitatis.

Diuites mariti adulteri ancillarum.

Ne quis irascatur ob concions.

Canum & Suum libido.

Tributorum vincula, ferunt pauperes prodigitibus.

Remedia vrbibus data, pro pauperum vectigal.

Bonos reprimi.

De publicis calamitatibus.

Religione ignobilis.

1. Ioan. 5.

modo afferimus miſericordiæ ſuæ. Cúmque eius benignitatis ſit, vt velit nobis iugiter parcere, cogitur malis noſtris ſcelera quæ admittimus vindicare. Ac ſicuti illi ſolēt, qui munitiſſimas vrbes obſidēt, aut firmiſſimas arces vrbiū capere & ſubruere conantur, omnibus abſque dubio eas & telorum, & machinarum generibus oppugnāt: ita nos ad expugnandam miſericordiam Dei omni peccatorum immanium ſcelere, quaſi omni telorum genere pugnamus: & iniurioſum nobis Deum exiſtimamus, cum ipſi iniurioſiſſimi Deo ſimus. Omnis ſiquidem Chriſtianorum omnium culpa, diuinitatis iniuria eſt. Nā cum illa quæ facere à Deo vetamur admittimus, vetantis iuſſa calcamus, ac per hoc impie in calamitatibus noſtris ſeueritatem diuinam accuſamus. Nos quippe nobis accuſandi ſumus. Nam cū ea quibus torqueamur admittimus, ipſi tormentorum noſtrorum ſumus autores. Quid ergo de pœnarum acerbitate querimur? vnuſquiſque noſtrū ſe punit. Et ideo propheticum hoc ad nos dicitur: Ecce omnes vos ignem accenditis, & vires præbuiſtis flammæ, ingredimini in lucem ignis veſtri, & flammæ quam accendiſtis. Totum namque humanum genus hoc ordine in pœnam æternā ruit, quo ſcripta memorauit. Primum enim ignem accendit, poſtea vires ignibus præbet, poſtremo flāmam ingreditur quam parauit. Quando igitur ſibi primum homo æternum accendit ignem? ſcilicet cum primum peccare incipit. Quādo autem vires ignibus præbet? cum vtique peccata peccatis cumulauit. Quando vero ignem æternum introibit? Quando irremediabilem iam malorum omnium ſummam creſcentium delictorum iniquitate compleuerit, ſicut ſaluator noſter ad Iudæos principes ait: Implete menſuram patrum veſtrorum, ſerpentes, progenies viperarum. Non longe à plenitudine peccatorum erant, quibus ipſe dicebat dominus, vt peccata complerent. Ideo aſque dubio, vt quia iam digni ſalute non eſſent, implerent iniquitatum numerū, quo perirent. Vnde & cū lex vetus peccata Amorreorum completa eſſe memoraſſet, ſic locutos eſſe ad ſanctum Loth Angelos refert. Omnes qui tui ſunt educ de vrbe hac, delebimus enim locum iſtū, eo quod increuerit clamor eorum coram domino qui miſit nos, vt perdamus illos. Diu profecto flagitioſiſſimus ille populus ignem illum accenderat quo peribat. Et ideo cōpletis iniquitatibus ſuis, arſit flammis criminū ſuorum. Tā male enim de Deo meruit, vt gehennam quæ in futuro iudicio datur, etiā in hoc ſeculo ſuſtineret. Sed nulli ſunt, inquit aliquis, illorum exitu digni, quia nulli illorum impuritatibus comparandi. Verum fortaſſis eſt, vt ſit, attamen quid facimus quod ſaluator ipſe omnes qui Euangelium ſuum ſpernunt, peiores eſſe memorauit? Denique ad Capernāū ſic ait: Si ſic in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent in hunc diem. Veruntamen dico vobis quia Sodomis remiſſiꝰ erit in die iudicij, quā tibi. Si Sodomitas minus dicit eſſe damnabiles, quā cunctos Euangelia negligentes, certiſſima ergo ratio eſt, qua & nos qui in plurimis Euangelia negligimus, pœnas timere aliquando debeamus: præſertim cum vſitatis iam & quaſi facilioribus malis eſſe contenti nolumus. Non ſufficiunt enim multis cōſuetudinarij reatus, non ſufficiunt lites, non rapinæ, non calumniæ, non ſufficiunt vinolentiæ, nō ſufficiunt comeſſationes, non ſufficiunt falſitates, non ſufficiunt periuria, non ſufficiunt adulteria, non ſufficiunt homicidia, non ſufficiunt denique cuncta iſta, etſi atrocitate inhumaniſſima, re tamē ipſa ad humanas iniurias pertinentia, niſi blaſphemia furioſarum mentium manus iniiciant etiā in Deum. Poſuerunt enim, ſicut de impiis ſcriptū eſt, in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit ſuper terram, & dixerunt: Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo: Et illud: Non videbit, nec intelliget Deus Iacob. Ad quos vtique tales rectiſſime Propheticum illud referri poteſt: Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Nam qui nihil à Deo aſpici affirmāt, propè eſt vt cui aſpectum adimunt & ſubſtantiam tollant, vt quem dicant omnino nil eſſe. Equidem licet nullum admodū malum facinus ratione ſubſiſtat, quia rationi non poſſunt ſcelera coniungi, nullum tamē eſt, vt puto, vel irrationabilius, vel inſanius. Quid enim tam furioſum, quàm vt aliquis cum Deum creatorem omnium rerum non neget, & gubernatorem neget: & cū factorem eſſe fateatur, dicat negligere quæ fecit? quaſi nulla hæc ei faciendorum omnium cura fuerit, vt quæque feciſſet negligere creatorem. Ego autem intātum eum curam creaturarum ſuarū habere dico, vt probem priuſquam etiam crearet, habuiſſe. Res quippe ipſa hoc euidenter oſtendit. Nihil enim faceret, niſi curam faciendi habuiſſet antequam faceret, præſertim cum etiam in ipſo humano genere nullus ſit fermè hominum tam hebes, qui ad hoc aliquid agat atque perficiat, vt quæ perfecta ſint nō curet. Nam & qui agrū excolit, ad hoc colit, vt culta conſeruet: & qui vineam plantat, ad hoc plantat, vt plātatā cuſtodiat. Et qui initia gregum præparat, ad hoc parat, vt curam multiplicandis gregibus impendat. Et qui domum ædificat, vel fundamentum locat, & ſi necdum habitationē paratam habeat, iam tamen ipſa quæ adhuc facere molitur, ſpe futurę habitationis amplectitur. Et quid de homine hîc loquar, cum etiam minima animalium genera, futurarum rerū affectum omnia diligant? Formicæ in ſubterraneis latibulis varia frugum genera condentes, ad hoc cuncta contrahunt ac reponunt, quia affectum vitę ſuæ diligunt. Quæ recondunt apes, cum fundamina mellis ponunt, vel cum è floribus natos legūt, qua cauſa, vel thymo, niſi ſtudio & cupiditate mellis, vel floſculis quibuſdam, niſi futuræ ſobolis charitate lætantur. Deus ergo qui etiam minimis animantibus hunc affectum proprij operis inſeruit, ſe tantūmodo ſolum creaturarum ſuarum amore priuauit? Præſertim cum omnis in nos rerum bonarū amor, ex illius bono amore deſcenderit. Ipſe eſt enim fōs & origo cunctorum: & quia in ipſo, vt ſcriptū eſt, & viuimus & mouemur & ſumus, ab ipſo vtique affectum omnem quo pignora noſtra amamus accepimus. Totus nanque mundus, & totum humanum genus, pignus eſt creatoris ſui. Et ideo ex hoc quoque affectu, quo amare fecit pignora noſtra, intelligere nos voluit quantum ipſe amaret pignora ſua. Sicut enim, vt legimus, inuiſibilia eius per ea quę facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ita amorē

Similē. — Diuinitatis iniuria. — Eſa. 50. — Homines quo ordine in pœnam ruāt. — Matt. 23. — Gen 9. — Euangelii cōtempto res. — Lucæ 10. — Pſal. 72. — Pſalm. 93 & 52. — Nullum malum ratione ſubſiſtit. — Deus priuſquàm creauit, curam creaturarum habuit. — Formicæ — Apes. — Act. 17. — Rom. 1.

Ephes.3. erga nos ſuum, per eum quem nobis erga noſtros dedit amorem, voluit intelligi. Et ſicut omnem, vt ſcriptum eſt, paternitatem in cœlo & in terra à ſeipſo voluit nominari, ſic à nobis, Patris in ſe affectū voluit cognoſci. Et quid dicam Patris? immò benigniſſimi patris. Probat quippe hoc vox ſaluatoris in Euangelio dicentis: Sic Deus dilexit hūc mūdum, vt filium ſuum vnicum daret pro mundi ſalute. Sed & Apoſtolus dicit: Deus, inquit, filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illū: quomodo non etiam cum illo nobis omnia donauit? Hoc eſt ergo illud quod ſupra dixi, quia plus nos amat Deus, quàm filium pater. Euidens quippe res eſt, quod ſuper affectum filiorum nos Deus diligit, qui propter nos filio ſuo non pepercit. Et quid plus addo? & hoc filio iuſto & hoc filio vnigenito & hoc filio Deo. Et quid dici amplius poteſt? & hoc pro nobis, id eſt pro malis, pro iniquis, pro impiiſſimis. Quis æſtimare hunc erga nos Dei amorem queat, niſi quod iuſtitia Dei tanta eſt, vt in eum aliquid iniuſtum cadere non poſſit? Nam quantum ad rationem humanam pertinet, iniuſtā rem homo quilibet fecerat ſi pro peſſimis ſeruis filium bonum occidiſſet. Vtique hoc magis inæſtimabilis pietas, & hoc magis mirabilis Dei virtus eſt, quò intelligi ab homine magnitudo iuſtitiæ ſuæ non poteſt: vt quantum ad imbecillitatem humanam pertinet, penè iniuſtitiæ ſpeciem magnitudo iuſtitię habere videatur, & ideo Apoſtolus ad indicandam nobis aliquatenus miſericordiæ diuinæ immenſitatem ſic ait: Vt quid enim Chriſtus cum adhuc impij eſſemus ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt? Vix enim pro iuſto quis moritur. Oſtendit profecto nobis vna hac ſententia pietatē Dei. Nam cum vix vllus pro ſumma iuſtitia mortē ſuſcipiat, probauit Chriſtus quantum præſtiterit pro noſtra iniquitate moriendo. Sed hoc cur fecerit dominus, ſtatim in ſubditis docet, dicēs: Commendat autem ſuam charitatem Deus in nobis: nā ſi cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt multo magis igitur iuſtificati nūc in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum. Hoc ipſo ergo gratiam commendat, quia ob impios mortuus eſt. Maioris enim precij eſt beneficium, quod præſtatur indignis. Id circo itaque ait: Commendat ſuam charitatem Deus in nobis. Quomodo commendat? ſcilicet quia nō merentibus præſtat. Si enim ſanctis & benemeritis præſtitiſſet, non videbatur quæ non debuerat præſtitiſſe, ſed quæ debuerat reddidiſſe. Quid ergo nos pro his omnibus retribuimus, vel potius quid retribuere debemus? Primum ſcilicet illud quod beatiſſimus propheta ei debere ſe, & redditurum eſſe teſtatur, dicens: Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiā, & nomen domini inuocabo. Prima ergo hæc retributio eſt, vt mortem pro morte reddamus, ac pro eo quod mortuus pro nobis eſt, pro nobis nos moriamur omnes, tametſi minoris multo precij mors noſtra eſt quàm ſua. Quo fit vt etiam ſi mortem ſuſcipiamus, debita tamen nō exoluamus. Sed tamen quia maius referre non poſſumus, totū reddere videmur, ſi totum quod poſſumus reddere curamus. Itaque prima, vt dixi, hæc retributio eſt. Secunda autem, vt ſi debitum morte non ſoluimus, vel amore ſoluamus. Nam ipſe ſaluator ideo, vt ait Apoſtolus, moriendo pro nobis commendare voluit omnibus charitatem ſuam, vt nos ad reddendā pietatem tanta viciſſitudine pietatis ſuæ traheret: ſicut illas naturę admirabilis gemmas ferunt, quæ ferro propius admotæ, duriſſimum licet calybem affectu quaſi ſpirante ſuſpendunt: ita etiam ille, id eſt ſumma & clariſſima negociorum cœleſtium gēma, hoc ſcilicet, voluit: vt dum ſe licet duriſſimis nobis deſcendens de cœlo propius adiūgeret, affectu ſuo nos quaſi amoris ſui manibus admoueret. vt agnoſcentes vtique dona ſua ac beneficia, intelligeremus quid nos pro domino tam bono facere conueniret, cum ille pro malis ſeruis tanta feciſſe comperiretur. Hoc quod Apoſtolus dicit, vt mortificemur charitate illius tota die, & neque tribulatio, neque perſecutio à charitate Chriſti, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro, nos ſeparet. Cum ergo hæc à nobis debere domino ſatis certū ſit, videamus quid pro his cunctis reddimus quæ debemus. Quid ſcilicet, niſi totū quod ſupra diximus, quicquid indecens, quicquid indignum, quicquid ad iniuriam Dei pertinens, actus improbos, morſus flagitioſos, ebrias comeſſationes, cruentas manus, fœditates libidinis, rapidas cupiditates, & quicquid illud plus poteſt conſcientia habere quàm ſermo. Quæ enim, inquit Apoſtolus, in occulto fiunt ab eis, turpe eſt etiam dicere. Nec hoc ſolum: nā hoc vetus eſt, & tam præſentis temporis quàm præteritorū: illud grauius & lugubrius, quod peccatis veteribus noua addimus. Nec ſolum noua, ſed quædam paganica ac prodigioſa, & in Eccleſiis Dei antè non viſa: iactantes ſcilicet profanas in Deū voces & contumelias, blaſphemantes, dicentes Deū incurioſum, Deum non gubernantem, ac per hoc immiſericordem & impræſtabilem, inhumanum, aſperum, durum. Nam qui non reſpiciens & incurioſus, & negligens eſſe dicitur, quid ſupereſt, niſi vt aſper & durus, & inhumanus eſſe dicatur? O cæcam impudentiam, ô ſacrilegam temeritatem. Nō ſufficit enim nobis, quod peccatis innumerabilib⁹ inuoluti; rei in omnibus Deo ſumus, niſi & accuſatores Dei ſimus. Et quæ rogo, homini ſpes erit qui ipſum accuſat iudicem iudicandus? Si ergo, inquiunt, reſpicit res humanas Deus, ſi curat, ſi diligit, ſi gubernat, cur nos infirmiores omnibus gentibus, & miſeriores eſſe permittit? Cur vinci à barbaris patitur? Cur iuri hoſtium ſubiugari? Breuiſſimè, vt ante dixi, ideo nos perferre hæc mala patitur, quia meremur vt iſta patiamur. Reſpiciamus enim ad turpitudines, ad flagitia, ad ſcelera illa Romanæ plebis, quæ ſupra diximus, & intelligemus, ſi protectionem mereri poſſumus, cum in tanta impuritate viuamus. Itaque quia hoc argumēto plurimi nō reſpicere res humanas Deum dicunt, quod miſeri, quod imbecilles ſumus, quid meremur? Si enim in tantis vitiis, in tanta improbitate viuentes, fortiſſimos, florentiſſimos, beatiſſimóſque eſſe pateretur, ſuſpicio fortaſſe aliqua eſſe poterat, quod non reſpiceret ſcelera Romanorum Deus, qui tā malos, qui tam perditos beatos eſſe pateretur. Cum vero tā vitioſos, tam improbos, infirmos & miſerrimos eſſe iubeat, euidentiſſimè patet & aſpici nos à

Plus nos amat Deꝰ, quàm filiū pater.

Rom. 8.

Simile.

Rom. 8.

Ephes.5.

Cur Deus permittit Chriſtianos à Barbaris affligi.

Deo

Deo & iudicari, quia hoc patimur quod meremur, sed mereri nos absque dubio non putamus: & hinc est quod magis rei & criminosi sumus, quia non agnoscimus quod meremur. Maxima quippe accusatrix hominum noxiorum est vsurpatrix innocentiæ arrogantia. Inter multos siquidem eorundem criminum reos nullus est criminosior, quàm qui se putat non criminosum: itaque & nos hoc solum malis nostris addere possumus, vt nos innoxios iudicemus. Sed est, inquit, aliquis peccator & malignissimus, certè quidem negari non potest quod meliores barbaris sumus. Ex hoc itaque ipso manifestum est, quod non respicit res humanas Deus: quia cum meliores sumus, deterioribus subiugamur. An meliores simus barbaris, iam videbimus. Certè, quod non est dubium, meliores esse debemus. Ex hoc vtique deteriores sumus, si meliores non sumus, qui meliores esse debemus. Criminosior enim culpa est, vbi honestior status: si honoratior persona peccantis, peccati quoque maior inuidia. Furtum quidem est in omni homine malum facinus, sed dãnabilius si senator furatur aliquando. Cũctis fornicatio interdicitur, sed grauius multo est si declero aliquis quàm si de populo fornicetur. Ita & nos qui Christiani catholici esse dicimur, si simile aliquid barbarorũ impuritatibus facimus, grauius erramus. Atrocius enim sub sancti nominis professione peccamus. Vbi sublimior est prærogatiua, maior est culpa & ipsa etiã errores nostros, religio quam profitemur, accusat. Criminosior est eius impudicitia qui promiserit castitatem. Fœdior inebriator, sobrietatem fronte prætendens. Nihil est philosopho turpius vitia obscœna sectante, quia præter eam deformitatem quam vitia in se habent, sapientiæ nomẽ plus notatur. Et nos igitur in omni humano genere philosophiam Christianam professi sumus, ac per hoc deteriores nos cunctis gentibus credi atque haberi necesse est: quia sub tam magnæ professionis nomine viuimus, & positi in religione peccamus. Sed scio plurimis intolerabile videri, si barbaris esse deteriores dicamur. Et quid quid facimus, quod causæ nostræ hoc nihil proficit, si intolerabile id nobis esse videatur? Immò causam nostram hoc magis aggrauat, si deteriores sumus, & meliores nos esse credamus. Qui enim (inquit Apostolus) se existimat aliquid esse cùm nihil sit, se ipsum seducit. Opus autem suum probet homo: operi autem nostro debemus credere, non opinioni: rationi, non libidini: veritati, non voluntati. Igitur non ferendum quia existimant, vt deteriores, aut non multo etiam meliores barbaris iudicemur. Videamus autem quomodo meliores simus, aut quibus barbaris. Duo enim genera in omni gente omnium barbarorum sunt, id est, aut hæreticorum, aut paganorum. His ergo omnibus quantum ad legem diuinam pertinet, dico nos sine comparatione meliores: quantum autem ad vitam & ad vitæ actûs; doleo ac plãgo esse peiores, quamuis id ipsum tamẽ, vt antè iam diximus, non de omni penitus Romani populi vniuersitate dicam⁹. Excipio enim primum omnes Religiosos; deinde nonnullos etiam seculares Religiosis pares: aut si id nimis grãde est; aliqua tamen Religiosis actuum honestorum probitate consimiles. Cæteros verò aut omnes, aut penè omnes, magis reos esse quàm barbaros. Hoc est autem deteriorem esse, magis reum esse. Ita quia nonnulli irrationabile atque absurdum arbitrantur, vt aut deteriores, aut non multum etiã meliores iudicemur: videamus, vt dixi, aut quomodo, aut quibus barbaris. Ego enim præter eos tantummodò Romanorum, quos paulò ante nominaui, cæteros aut omnes, aut penè omnes maioris reatûs dico & criminosioris vitæ esse quàm barbaros. Irasceris forsitan qui hæc legis, & condemnas insuper quæ legis. Non refugio cẽsuram tuam; condemnes si mentior, condemnes si non probauero, condemnes si id quod affero non etiam Scripturas sacras dixisse monstrauero. Igitur qui meliores nos multò, cunctis quæ sunt in Mundo gentibus iudicamus; nec ipse quòd Romanos dico in plurimis deteriores, abnego in quibusdam esse meliores. Vita enim, vt dixi, & peccatis sumus deteriores; lege autem Catholica, sine comparatione meliores. Sed istud considerandum est, quia quòd lex bona est, nostrum non est; quod autem malè viuimus, nostrũ est: & nihil vtique nobis prodest quòd lex est bona, si vita nostra & conuersatio non est bona. Lex enim bona, est muneris Christi; vita autem non bona, criminis nostri: immò hoc magis culpabiles sumus, si legem bonam colimus, & mali cultores sumus. Quin potiùs nec cultores si mali, quia cultor dici non potest, malus cultor. Neque enim colit, qui rem sanctam non sanctè colit. Ac per hoc accusatrix nostrî est lex ipsa quã colimus. Remota igitur legis prærogatiua, quæ nos aut nihil omnino adiuuat aut etiam iusta animaduersione condemnat; vitam barbarorum atque nostrorum studia, mores, vitia comparemus. Iniusti sunt barbari; & nos hoc sumus; auari sunt barbari, & nos hoc sumus; impudici sunt barbari, & nos hoc sumus. Omnium denique improbitatum atque impuritatum pleni sunt barbari; & nos hoc sumus. Sed responderi fortasse possit: Ergo si pares vitiositate barbaris sumus; cur non sumus etiam viribus pares? Cùm enim similis sit improbitas, atque idem reatus; aut tã fortes deberemus esse nos, quàm sunt illi; aut certè tam inualidi quàm nos sumus, illi esse deberent. Verum est; ac per hoc supereſt, vt illi nocentiores sint, qui infirmiores. Quomodò hoc probamus? Scilicet quia, vt superiùs locuti sumus, omnia ex iudicio Deũ facere monstrauimus. Si enim, vt scriptum est, in omni loco oculi Domini speculantur bonos & malos, & iuxta Apostolum, *iudicium Dei est secundùm veritatem in omnes malos*: videmus nos, qui non desinimus mala agere; ex iudicio iusti Dei, pœnas malitiæ sustinere. Sed eadem, inquis, mala etiam barbari agunt, & non sunt tamen tam miseri quàm nos sumus. Hoc ergo interest, quòd etsi eadem agant barbari quæ & nos agimus; nos tamen maiore offensione peccamus. Possunt enim nostra & barbarorum vitia esse paria, sed in his tamen vitiis est necesse peccata nostra esse grauiora. Nã cùm omnes, vt antè iam diximus, barbari, aut pagani sint, aut hæretici; de paganis, quia peior illorum error est, priùs dicam. Gens Saxonũ fera est, Francorum infidelis, Gepidarum inhumana, & Hunnorum impudica: omnium denique gentium barbarorum vita vitiosa; sed nunquid eundem reatum

Vsurpatrix innocentiæ arrogantia.

Gal. 6.

Duo genera barbarorum.

Christiani plurimũ deteriores barbaris. Religiosis vix pares. Seculares

Magis reũ esse.

Lex bona, nõ prodest si vita nõ sit bona.

Malus cultor legis bonæ, magis culpabilis est.

Prou. 15. Rom. 2.

Barbarorũ vitia.

An meliores simus barbaris.

Sancti nominis professio.

habent illorum vitia quem noſtra? nunquid tam vitioſa eſt Hunnorũ impudicitia quàm noſtra? nunquid tam accuſabilis Frãcorum perfidia quàm noſtra? aut tam reprehẽſibilis ebrietas Alemãni, quàm ebrietas Chriſtiani? aut tam damnabilis rapacitas Albani, quàm rapacitas Chriſtiani? Si fallat Hunnus vel Gepida; quid mirum eſt? qui culpam falſitatis penitus ignorat. Si periuret Francus; quid ni faceret; qui periurium ipſum ſermonis genus putat eſſe non criminis? Et quid mirum, ſi hoc barbari ita credunt, qui legem & Deum neſciunt; cùm maior ferè Romani nominis portio ita exiſtimet, quæ peccare ſe nouit. Nam vt de alio hominum genere non dicam, conſideremus ſolas negociatorum & † Syricorum omnium turbas, qui maiorem fermè ciuitatum vniuerſam partem occupauerũt: ſi aliud eſt vita iſtorum omnium quàm meditatio doli & tritura mendacij; aut ſi non perire admodum verba exiſtimant? quæ nihil loquẽtibus proſunt! Tantus apud hos Dei honor eſt prohibentis etiam iuſiurandum: vt ſingularem exiſtimẽt fructuum omnium, periurium. Quid ergo mirum barbaros fallere, qui falſitatis crimen ignorãt? Nihil enim contemptu agunt cœleſtium præceptorum, præcepta Domini neſcientes, quia non facit aliquid contra legem, legis ignarus. Noſter ego hic peculiariter reatus eſt, qui legem diuinam legimus, & legalia ſemper ſcripta violamus; qui Deum noſſe nos dicimus, & iuſſa ipſius, ac præcepta calcamus: ac per hoc cùm ſpernamus quem coli à nobis credimus atque iactamus; id ipſum quod cultus Dei videtur, iniuria eſt. Denique vt de peccatis aliis nihil dicam; quis eſt, oro, hominum ſecularium præter paucos, qui non ad hoc ſemper Chriſti nomen in ore habeat vt peieret? Vnde etiam paruulum hoc ferè & apud Nobiles, & apud ignobiles ſacramentum eſt; per Chriſtum: quia ago per Chriſtum, quia hoc facio per Chriſtum, quia nil aliud dicturus ſum per Chriſtum, quia nil aliud acturus ſum. Et quid plura? in id penitus deducta eſt res, vt ſicut de paganis barbaris priùs diximus, Chriſti nomen non videatur iam ſacramentũ eſſe, ſed ſermo. Nam intantùm apud plurimos nomen hoc paruipenditur, vt nunquam minùs cogitent quippiam facere, quàm cum ſe iurant per Chriſtum eſſe facturos. Et cùm ſcriptum ſit; *nomen Domini tui non nominabis in vanum*: in id reuerentia Chriſti decidit, vt inter cæteras ſeculi vanitates, nihil penè iam inanius quàm Chriſti nomen eſſe videatur. Denique multi non otioſas tantummodo res & aniles, ſed etiam ſcelera quædam ſe iurant per Chriſti nomen eſſe facturos. Hinc enim loquẽdi vſus eſt talibus: per Chriſtum quia tollo illud; per Chriſtum, quia occido illum: ad hoc res cecidit, vt quòd Chriſti nomine iurauerint, putent ſe ſcelera etiam religioſè eſſe facturos. Denique quid mihi ipſi euenerit, dicam. Cùm antè aliquantulum tempus, victus cuiuſdam pauperis prece, præpotentiori cuidam ſupplicarem obſecrans ne homini miſero & egeſtuoſo rem ac ſubſtantiam ſuam tolleret; ne ſubſidium ac ſtipem ſuã, qua paupertas illa nitebatur, auferret: tamẽ ille qui eius rebus ſiti rabida inhiauerat, ac prædam iam ſpe & cupiditate ardentiſſima deuorauerat, reſpiciens ac vibrans in os meum reſpondit; quaſi verò iuſſu aut ſcripto id ſacro faceret, quod penitus præterire non poſſet. Cúmque ego cauſam, qua hoc fieri nõ valeret quærerem; dixit rem violentiſſimam, & cui contradici penitus non deberet: Iuraui, inquit, res illius à me eſſe tollendas; vide an poſſim vel non efficere, quod etiam interpoſito Chriſti nomine me iuraui eſſe facturum. Tum ego (quid enim amplius facerem cùm res tam iuſta oſtendebatur & ſancta) audita religioſiſſimi ſceleris ratione diſceſſi. Hîc nunc interrogo omnes qui ſanæ mentis ſunt: quis vnquam crederet vſque in hanc cõtumeliam Dei, progreſſuram eſſe humanæ cupiditatis audaciam; vt id ipſum in quo iniuriam Chriſto faciunt, dicant ſe ob Chriſti nomen facturos? O inæſtimabile facinus & prodigioſam! Quid non auſæ ſint improbæ mentes? armant ſe ad latrocinandum per Chriſti nomen; autorem quodammodò ſuo ſceleri Deũ faciunt; vt cùm interdictor ac vindex malorum omnium Chriſtus ſit, dicant ſe ſcelus quod agunt agere pro Chriſto. Sed de hoſtili iniquitate conquerimur, & paganicam barbariem peierare cauſamur. Quantò minori peccato illi per dæmonia peierant, quàm nos per Chriſtum? Quãto minoris res criminis eſt, Iouis nomẽ ludificare quàm Chriſti? ibi homo mortuus eſt per quem iuratur; hic, Deus viuus qui peieratur: ibi nec homo vllus, nec Deus ſummus: hîc cùm maximi ſacramenti ſit deieratio, neceſſe eſt maximi ſit reatûs & peieratio: ibi cùm propè nullum ſit ſacramentum, nullum conſtat eſſe periurium. Nam cùm Deus non ſit per quem iuratur; non eſt periurium cùm peieratur. Denique qui vult ſcire quàm verum ſit, audiat beatum Apoſtolũ Paulum ipſa quæ nos dicimus prædicantem. Sic quippe ait: *Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege ſunt loquitur.* Et iterum: *Vbi*, inquit *non eſt lex, nec præuaricatio.* Duabus his ſententiis, duas euidenter expoſuit partes generis humani: extra legem poſitos, & in lege viuentes. Qui ſunt igitur nunc in lege poſiti? qui ſcilicet niſi Chriſtiani, ſicut ipſe Apoſtolus fuit, qui de ſe ait: *Sine lege Dei non ſum, ſed in lege ſum Chriſti.* Qui igitur ſine lege Chriſti? qui; niſi pagani homines, legem Dominicam neſcientes? & ideo de his dicit; *Vbi nõ eſt lex, nec præuaricatio.* Quo dicto vtiq; oſtendit, Chriſtianos tãtùm cùm peccauerint, legis præuaricatores eſſe: Paganos autem qui legem neſciãt, ſine præuaricatione peccare; quia nullus poteſt eſſe rei præuaricator quam neſcit. Nos ergo tantum præuaricatores diuinæ legis, qui (vt ſcriptum eſt) legem legimus, & non facimus eam: ac per hoc nihil eſt aliud ſcientia noſtra quàm culpa, qui ad hoc tantummodò legem nouimus, vt maiore offenſione peccemus: quia quod lectione & corde nouimus libidine ac deſpectione calcamus. Et ideò rectiſſime Apoſtolicum illud, ad omnem dicitur Chriſtianum: *qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis, Deum inhonoras, nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes.* Cuius ergo criminis, rei ſint Chriſtiani; ex hoc vno intelligi poteſt, quia Dei nomen infamant. Et cùm ſcriptum ſit nobis, vt omnia faciamus in gloriam Dei; nos ediuerſo cuncta in Dei facimus iniuriam. Cúmque ipſe Saluator noſter, ad nos quotidie clamet: *ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant filij hominum opera veſtra bona, & magnificent Patrem*

Franci putant periurium eſſe genus ſermonis.

† For. Syrorum. Negociatorum vita.

Chriſtianorũ peccata grauiora quã Barbarorum.

Nobilium Sacramentum per Chriſtum

Exo. 20. Deut. 5.

Cõtra iuramẽta de malè agẽdo.

Rom. 3.

Rom. 4.

Rom. 4.

Ibidem.

1. Cor. 10.

Matth. 5.

trem vestrum, qui in cœlis est: nos ita viuimus è contrario; vt filij hominum videant opera nostra mala, & blasphement Patrem nostrum qui est in cœlis. Quæ cùm ita sint; magna videlicet nobis prærogatiua de nomine Christianitatis blandiri possumus; quia ita agimus & viuimus, vt hoc ipsum quod Christianus populus esse dicimur, opprobrium Christi esse videamur. At ediuerso, in paganis; quid horum simile quæ dicimus? Nunquid dici de his potest: Ecce quales sunt qui Christiani esse dicuntur? Nunquid de Saxonibus aut Francis; ecce quæ faciunt, qui se asserunt Christi esse cultores? Nunquid propter Maurorum efferos mores, lex sacrosancta culpatur? Nunquid Scytharum aut Gepidarum inhumanissimi ritûs, in maledictum atque blasphemiam nomen Domini Saluatoris inducũt? Nunquid dici de vllis istorum potest; vbi Catholica est lex quam credunt? vbi sunt pietatis & castitatis præcepta, quæ discunt? Euangelia legũt, & impudici sunt; Apostolos audiunt, & inebriantur; Christum sequuntur, & rapiunt; vitam improbam agunt, & probam legem habere se dicunt. Nunquid hæc de vlla istarũ gentiũ dici queant? Non vtique; de nobis quippe omnia ista dicuntur. In nobis Christus patitur opprobrium, in nobis patitur lex Christiana maledictum: de nobis enim illud quod suprà diximus dicitur; Ecce quales sunt, qui Christum colunt: falsum planè illud est quòd aiunt se bona dicere, quod iactant se sanctæ legis præcepta retinere: si enim bona dicerent, boni essent. Talis profectò secta est, quales & sectatores; hoc sunt absque dubio quod docentur. Apparet itaque & Prophetas quos habent, impuritatem docere; & Apostolos quos legunt, nepharia sensisse; & Euangelia quibus imbuuntur, hæc quæ ipsi faciunt prædicare. Postremò sancta à Christianis fierẽt, si Christus sancta docuisset: Æstimari itaque de cultoribus suis potest ille qui colitur. Quomodò enim bonus magister est, cuius tam malos videmus esse discipulos? Ex ipso enim Christiani sunt, ipsum audiunt; promptum est omnibus Christi intelligere doctrinam. Vide Christianos quid agant, & euidenter potes de ipso scire qui doceat. Deniq; quàm prauè ac nephariè pagani semper de sacris Dominicis opinati sint; docent Persecutorum immanium cruentissimæ quęstiones, qui in sacrificiis Christianorum nihil aliud quàm impura quædam fieri atque abominanda credebant. Siquidem initia ipsa nostræ religionis, non nisi à duobus maximis facinoribus oriri arbitrantur. Primùm scilicet homicidio; deinde quod est homicidio grauius, incestu. Nec homicidio solùm & incestu; sed quod sceleratius quiddam est incestu ipso & homicidio: Incestu matrum sacrosanctarũ, & homicidio innocentium paruulorũ: quos non occidi tantùm à Christianis, sed quod magis abominandũ est, etiam vorari existimabant: & hæc omnia ad placandũ Deum; quasi vllo facinore magis possit offendi; ad purgandũ piaculum, quasi vllum aliud maius esset; ad commendandum sacrificium, quasi vllam rem magis Deus possit horrere; ad promerendam vitã ęternam, quasi verò etiam si possit his rebus accipi, tanti esset ad eam per scelera tam immania peruenire. Intelligere possum⁹ autẽ quales esse Pagani crediderint Christianos, qui talibus sacrificiis Deum colerent: aut qualem sollicitent Deum ipsum, qui hæc sacra docuisset. Et hoc cur vtique, nisi ob eos qui Christiani esse dicũtur & non sunt; qui per flagitia ac turpitudines suas nomen religionis infirmant; qui, vt scriptum est, *confitentur se nosse Deum, factis autem negant cùm sint abominabiles & increduli, ad omne autem opus bonum reprobi*: per quos, vt legimus, via veritatis blasphematur, & sacrosanctũ nomen Domini Dei, sacrilegorum hominũ maledictione violatur. Quàm grauius autem ac singularis piaculi malum sit, nomen diuinitatis in blasphemiã gentium dare, etiam Dauid beatissimi edocemur exemplo: qui cùm per suffragia iusticiarum suarũ, æternam pro offensionibus suis pœnam per vnam tantùm confessionem meruit euadere; huius tamen criminis veniam, nec per pœnitentiam patrocinantem potuit impetrare. Nam cùm ei, errores proprios confitenti, Nathan Propheta dixisset; *transtulit Deus peccatum tuum, non morieris*: subdidit statim; *Verùntamen quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius qui ex te natus est, morietur.* Et quid post hæc? depositò scilicet diademate, proiectis gemmis, exutis purpuris, remota omni splendoris regiæ dignitate; cùm pro his omnibus, solitarius, gemens, clausus, sacco squalidus, fletu madidus, cinere sordidatus, vitam paruuli sui tot lamentationum suffragiis peteret, & piissimum Deum tanta precum ambitione pulsaret: sic rogans & obsecrans obtinere nõ potuit, cùm tamen quod fortissimum petentibus adiumentum est, & impetraturum se quod sic à Deo peteret credidisset. Ex quo intelligi potest; quòd nullum penitus maioris piaculi crimẽ est, quàm blasphemãdi causam gentibus dare. Quicunque enim sine blasphemia aliorum grauiter errauerit, sibi tantùm affert damnationem; qui autem alios blasphemare fecerit, multos secum præcipitat in mortem; & necesse erit, vt sit pro tantis reus quantos secum traxerit in reatum. Nec solum hoc; sed quicũque peccator ita peccat vt alios tamẽ peccato suo blasphemare non faciat, peccatum suum ipsi obest tãtummodò quod peccauerit; sacrosanctum autem Dei nomen sacrilega blasphemantium maledictione non lædit: qui verò blasphemare alios, peccans fecerit; necesse est peccatum huius supra criminis humani esse mẽsuram, quia per cõuitia plurimorum inæstimabilem Deo facit iniuriam. Hoc autem, vt dixi, malum peculiariter tantùm Christianorũ est, quia per eos tãtummodò blasphematur Deus, qui bona discunt, & mala faciunt: qui, vt scriptum est, Deum verbis confitentur, & factis negant: qui, vt idem Apostolus ait, acquiescunt legi & sciunt voluntatem eius, & probant quæ potiora sunt: qui habent formam scientiæ & veritatis in lege, qui prædicant non furandum, & furantur; & qui legunt, non mœchandum, & mœchantur: qui in lege gloriantur, & per præuaricationem legis Deum inhonorãt. Et ideò, hoc ipso Christiani deteriores sunt, qui meliores esse deberẽt. Non enim probãt quod confitentur, & impugnant professionem suam moribus suis: magis enim damnabilis est malitia quam titulus bonitatis accusat; & reatus impij est, pium nomen. Vnde etiam Saluator in Apocalypsi ad tepidum Christianum ait: *Vtinam aut calidus esses, aut*

Ob Christianorum improbitatem, lex Christiana blasphematur.

Initia Christianæ religionis, qualia esse putarent Gentiles.

Incestus grauior homicidio

Tit.1. 2. Pet.2.

Nomen diuinitatis, in blasphemiam gentium dare.

Alienæ Blasphemiæ pœnas luit Dauid.

2.Reg.12.

Pœnitẽtia Dauid.

Fortissimũ, petẽtibus, adiumentũ fides.

Blasphemię occasionẽ dare alteri, quàm sit graue.

Malũ peculiare Christianis. Rom.1.

Malitia sub titulo bonitatis. Apoc.3.

frigidus; nunc autem quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Rom. 12. Omnem Christianum, Dominus, fide ac spiritu iubet esse feruentem: Sic enim scriptum est; *Vt simus spiritu feruentes, domino seruientes.* In hoc ergo feruore spiritus, fidei religiosæ ardor ostenditur; de quo ardore qui plurimum habet, feruens esse agnoscitur & fidelis: qui nihil omnino habet; & frigidus esse intelligitur ac Paganus. Qui verò inter vtrumque vel neutrũ est: tepidus atque exosus est Domino Christianus: & ideò ad eũ dicitur; *Vtinam aut calidus esses, aut frigidus, nunc quia tepidus es incipiã te euomere ex ore meo*, hoc est dicere: Vtinam aut calorem, ac fidem haberes bonorum Christianorum: aut certe frigus & ignorantiam Paganornm: aut enim fides te calida Deo insinuaret, aut certè ad præsens adhuc legis ignorantia aliquatenus excusaret: nunc autẽ quia Christũ iam agnouisti, & negligis quem agnouisti; qui susceptus es quasi intra os Dei per fidei agnitionẽ, proiiciêris per tepôrem. Quod quidem etiã beatus Apostolus Petrus euidenter exposuit, dicens de vitiosis & tepidis, id est male viuentibus Christianis: 2. Pet. 2. *melius erat illis non cognoscere veritatem, quàm cognoscentes retrorsum reflecti à tradito sibi mandato; contigit illis res veri prouerbij; Canis reuersus ad suum vomitum, & Sus lota in volutabro luti.* Quod vt euidenter de his dictum intelligamus, qui sub Christiano nomine in sordibus Mundi atque impuritatibus viuunt; audi quid eisdem in eodem loco dicat: Si enim, inquit, refugientes coinquinationes mundi in agnitionem Domini nostri & cõseruatoris Iesu Christi his rursus impliciti superãtur, facta sunt illis nouissima peiora prioribus. Quod quidem & beatus Apostolus Paulus, eodem modo dicit: Rom. 2. *Circũcisio quidem prodest, si legem custodias; si autem præuaricator legis sis, circuncisio tua præputium facta est.* Circuncisionem autem, Christianitatem intelligẽdam ipse euidentissimè docet, dicens: *nos enim sumus Circuncisio, qui spiritu Deo seruimus & non in carne cõfidimus.* Ac per hoc videmus, quòd malos Christianos Paganis cõparat: nec comparat tantùm, sed penè postponit, dicens, *si autem præputium, legis iustitias custodiat, nónne præputium illius in circuncisionem reputabitur, & iudicabit id quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per literam & circuncisionem præuaricator legis es?* Phil. 3. Rom. 2. Ac per hoc intelligimus, vt suprà dixi, culpabiliores multò plus nos esse qui legem Dei habemus & spernimus; quàm illos qui nec habẽt omnino, nec nôrũt. Nemo enim ignota contemnit: *Concupiscentiã* quippe Apostolus *nesciebam* (inquit) *nisi lex diceret non concupisces.* Rom. 7. Neque enim præuaricantur à lege quam non habent; quia, vt scriptum est, *vbi non est lex, nec præuaricatio.* Ac per hoc; si non præuaricantur à lege quam non habent, ergo non contemnũt legis scita quæ non habẽt; quia nemo, vt dixi, potest despicere quod nescit. Nemo cõtemnit quod nescit. Nos ergo & contemptores pariter & præuaricatores sumus; ac per hoc Paganis deteriores, quia illi non nôrunt Dei mandata, nos nouimus: illi ea non habent, nos habemus; illi inaudita non faciunt, nos lecta calcamus. Et ideò apud illos ignorantia est, apud nos præuaricatio; quia minoris criminis reatus est legem nescire quàm spernere.

Euomere Deo quid sit.

Circuncisio, est Christianitas apud Apostolũ.

SALVIANI MASSILIENSIS EPIscopi de Vero Iudicio & Prouidentia Dei.

LIBER QVINTVS.

SCio infidelissimos quosque & veritatis diuinæ incapaces, dicere aduersum hæc posse quæ diximus: si tantus sit Christianorum infidelium reatus, vt plus peccẽt prętermittentes mãdata Domini quæ sciant, quàm Paganæ gẽtes, quæ nesciant; salubriorem his fuisse ignorantiã quàm agnitionem, & cõtra reos esse admodum quod agnouerint veritatẽ. Quibus hoc respondendũ est; non veritatẽ his obesse, sed vitia; nec legem nocere, sed mores: deniq; mores boni, & legis scita pro nobis sunt. Tolle vitia, lex prodest: 1. Tim. 1. *Scimus* enim, inquit Apostolus, *quia bona est lex, si quis ea legitime vtatur.* Legitimè itaque lege vtere, & legem tibi bonã ipse fecisti. Scimus enim, inquit, quia lex est bona, si quis ea legitimè vtatur; sciens hoc, quòd iusto nõ est lex posita: ac per hoc iustus esse incipe, & eris liber à lege, quia non potest venire lex contra mores, quæ iã habetur in moribus. 1. Timo. 1. Scimus ergo inquit, quia lex bona est, si quis ea legitime vtatur, sciens hoc quòd iusto nõ est lex posita, sed iniustis, & non subditis; sed sceleratis & impiis, & peccatoribus, & si quod aliud sanæ doctrinæ aduersatur: ac per hoc non tam lex tibi, ô homo, quàm tu legi aduersaris: nec lex contra te, benè præcipiendo; sed tu contra legẽ malè viuẽdo agis. Immò illa pro te est tu contra illã: illa enim tibi cõsulit sancta dicendo; tu contra illã venis, praua faciendo: nec contra illã tantùm, sed etiam cõtra te, quia in illa salus & vita tua est. Ac per hoc dum legẽ diuinam deseris, salutem propriã relinquis. Non aliter ergo nos de Dominica lege querimur, quàm queri de optimo Medico impatiens ægrotus solet; qui cum ingrauescere sibi morbos fecerit vitio suo, imperitiã medentis accusat. Quasi verò curare vllam infirmitatẽ præcepta possint, si eis nõ obedierit infirmus; aut sanare quempiã obseruantia valeat quam medicus ei imperat, si eam sibi ægrotus ipse non præstat. Quid iuuat stomachum abstinentia, si statim dulcia subsequantur? Quid conferunt phrenetico silẽtia, quem statim suus clamor occidit? aut quid prodesse poterit antidotum, cui superfunditur venenũ? Et nobis itaque lex est antidotũ; sed vitiositas, venenũ. Sanare nos non potest legis antidotũ, quos occidunt venena vitiorũ. Sed iam de his & anteà satis diximus; & si ita res postulauerit, etiã post hæc iuuante Deo aliqua dicemus. Interim quia duo superiùs barbarorum genera vel sectas esse memorauimus; paganorum atque hæreticorum: quia de Paganis iam, vt arbitror, satisfecimus; de hæreticis quoque, vt causa poscit, subiiciemus. Potest enim quispiam dicere; etiamsi à Paganis lex diuina non exigat vt mãdata faciant quæ nõ sciunt, certe ab hęreticis exigit qui sciunt: eadẽ enim etiã illos legere quæ nos legimus, eosdẽ apud illos prophetas Dei, eosdẽ Apostolos, eosdem Euãgelistas esse; ac per hoc, aut non minus ab illis legem negligi quàm à nobis, aut etiã multò magis: quia cùm eadem legant scripta quæ nostri, multa faciunt deteriora quàm nostri. Vtrunque ergo videamus. Eadem (inquis) legunt, quæ à nobis leguntur. Quomodò eadem, quæ ab Autoribus quondam malis & malè sunt interpolata, & malè tradita? Ac per hoc iam non eadem, quia non possunt penitus dici ipsa, quę sunt in aliqua suî parte vi-

Ler, est dicus.

Hæretici nõ curãt nobiscum Scripturas habẽt quas vitiatas dicunt.

te vitiata. Incolumitatē enim non habent, quæ plenitudinē perdiderūt; nec ſtatū ſuum omnino ſeruāt quæ ſacramentorum virtute priuata ſunt. Nos ergo tantùm Scripturas plenas, inuiolatas, integras habemus, qui eas vel in fonte ſuo bibimus: vel certe de puriſſimo fonte hauſtas, per miniſterium purę trāſlationis haurimus, non tātummodò bene legimus: atque vtinā quàm benè legimus, tam benè impleremus. Sed vereor, ꝙ qui non bene obſeruamus, nec benè lectitemus; quia minor reatus eſt ſancta nō legere, quàm lecta violare. Cæteræ quippe nationes, aut non habēt legem Dei, aut debilē aut conuulneratā habēt; ac per hoc, vt diximus, nō habent. Nā etſi qui gentiū barbararum ſunt, qui in libris ſuis minus videātur Scripturam ſacram interpolatam habere vel lacerā; habēt tamen veterū magiſtrorū traditionem corruptā: ac per hoc traditionē potius quam Scripturā habent: quia hoc nō retinēt, quod veritas Legis ſuadet, ſed quod prauitas malę traditionis inſeruit Barbari quippe homines, Romanæ; immò potiùs humanę eruditionis expertes; qui nihil omnino ſciūt, niſi quod à doctoribus ſuis audiūt: quod audiūt, hoc ſequuntur: ac ſic neceſſe eſt eos qui totius literaturæ ac ſciētiæ ignari, ſacramentū diuinæ legis doctrina magis quàm lectione cognoſcūt; doctrinam potiùs retinere quàm legem. Itaque traditio eis magiſtrorum ſuorum & doctrina inueterata quaſi lex eſt, qui hoc ſciūt quod docentur: hæretici ergo ſunt, ſed non ſcientes. Denique apud nos ſunt hæretici, apud ſe nō ſunt. Nā intantū ſe Catholicos eſſe iudicāt, vt nos ipſos titulo hęreticę appellationis infament. Quod ergo illi nobis ſunt, hoc & nos illis. Nos, eos iniuriā diuinæ generationi facere certi ſumus, quòd minorem Patre Filium dicāt: Illi nos iniurioſos Patri exiſtimant, quia æqualē eſſe præſumunt. Honor Dei apud nos eſt, ſed illi hoc arbitrātur honorē diuinitatis eſſe quod credunt. Inofficioſi ſunt, ſed illis hoc eſt ſummū religionis officiū. Impij ſunt, ſed hoc putant verā eſſe pietatē. Errāt ergo, ſed bono animo errāt; nō odio, ſed affectu Dei, honorare ſe Deū atque amare credētes. Quamuis nō habeāt rectā fidē; illi tamē hoc perfectam Dei exiſtimāt charitatē. Qualiter pro hoc ipſo falſę opinionis errore ī die iudicij puniēdi ſint, null⁹ poteſt ſcire niſi Iudex. Interim idcirco eis, vt reor, patientiam Deus cōmodat, quia videt eos, etſi nō recte credere affectu tamē pię opinionis errare: maximè cùm ſciat eos ea facere quæ neſciunt, noſtros autē negligere quod credunt: ac per hoc illos magiſtrorū peccare vitio, noſtros ſuo: illos, ignorantes, noſtros, ſciētes: illos facere quod putant rectū, noſtros quod ſciant eſſe peruerſum. Et ideò iuſto iudicio illos patientia Dei ſuſtinet, nos animaduerſione caſtigat, quia ignoſci aliquatenus ignorātię poteſt, contēptus veniam nō meretur. Sic enim ſcriptū eſt: *Seruus qui neſcit voluntatem domini ſui & non facit eam, vapulabit paucis qui autem ſcit eam & non facit, vapulabit multis.* Nō ergo miremur, quòd multis cędimur, quia non inſciētia, ſed rebellione peccamus. Scientes enim bona non bene agimus: & diſcretionē recti ac praui intelligētes, praua ſectamur: legē legimus, & legitima calcamus: & ad hoc tantū præceptorū ſacrorū ſcita cognoſcimus, vt grauiùs poſt interdicta peccemus. Deū colere dicimus nos, & diabolo obtēperamus.

Scripturæ ſacræ ſunt tantū apud Catholicos Miniſteriū purę Tranſlationis.

Veterum magiſtrorū Traditio corrupta ab Hæreticis.

Romana eruditio.

Hæretici, Catholicos appellant hæreticos.

Cæcitas Hæreticorum.

Contemptus, veniā non meretur. Luc. 12.

Et poſt hæc volumus vt bona à Deo accipiamus, cū mala ſemper malis addamus: fieri volūtatē noſtram à Deo cupimus: cū Dei, nos facere nolimus: quaſi nos ſuperiores Deo eſſemus, agimus. Volumus vt voluntati noſtræ Deus iugiter pareat, cū omnes nos volūtati eius iugiter repugnemus. Sed ille iuſtus eſt licet nos ſimus iniuſti. Caſtigat enim quos caſtigādos putat, patitur quos eſſe patiendos. Vtrumque ad vnā rem vult proficere, vt & caſtigatio in Catholicis peccandi refrenet libidinē, & quandoque hæreticos patiētia Dei faciat plenam fidei noſcere veritatē: maxime cum ſciat eos forſitan catholica nō indignos fide, quos videat catholicis vitę comparatione præſtare. Omnes autem iſti de quibus loquimur, aut Vuandali ſunt aut Gothi. Nam de Romanis hæreticis quorū innumera multitudo eſt, nihil dicimus: neque aut Romanis eos aut Barbaris cōparamus: quia & infidelitate Romanis ſunt deteriores, & fœditate vitæ barbaris turpiores. Sed hęc nos ſolū nō iuuant, ſed etiam ſupra id quod à nobis ipſis eſt grauamē, grauant, quia & ij quos tales cauſamur eſſe Romani ſunt. Vnde intelligere poſſumus quid mereatur Romana Reſp. cum pars Romanorum offendat Deum vita: pars, & infidelitate pariter & vita: ſaluo eo quòd etiā ipſę quondā hæreſes Barbarorū de Rom. magiſterij prauitate fluxerūt. Ac perinde etiam hoc noſtrū crimē eſt, quòd populi Barbarorū hæretici eſſe cœperūt. Porrò autē quantùm ad cōuerſationē Gothorū, aut Vuandalorū ptinet: quid eſt in quo eis aut præponere nos, aut etiā cōparare poſſimus? Ac primùm vt de affectu & charitate dicam, quā præcipuā dominus docet eſſe virtutē, & quā nō ſolū per oēs Scripturas ſacras ſed etiā per ſe ipſe cōmēdat, dicēs: *In hoc ſcietur quòd diſcipuli mei eſtis, ſi vos inuicem diligatis*: Oēs ſe ferè Barbari, qui modo ſunt vnius gētis & regis: mutuò amāt: oēs penè Romani, ſe mutuò perſequuntur. Quis enim ciuis nō inuidet ciui? quis enim plenā vicino exhibet charitatē? Oēs quippe à ſe, etſi loco nō abſunt, affectu abſunt etſi habitatione iūgūtur, mēte diſiuncti ſunt. Atque vtinam hoc licet ſit peſſimum malum, vtinam ciues tantùm atque vicini: illud eſt grauius quòd nec propinqui quidem propinquitatis iura conſeruant. Quis enim ſe Proximis ſuis proximum reddit? Quis ſoluit charitati, quod ſe cognoſcit debere vel nomen? Quis hoc eſt animo, quo vocatur? quis tam propinquus corde quàm ſanguine? in quo non liuidus maleuolentiæ zelus ardet? cuius non ſenſum liuor inuaſit? cui nō proſperitas aliena ſuppliciū eſt? Quis nō bonū alterius, malū ſuū credit? Cui ita ſufficit fœlicitas ſua, vt etiam aliū velit eſſe felicē? Nouū & inæſtimabile, nunc in plurimis malum eſt: parum alicui eſt, ſi ipſe ſit felix, niſi alter fuerit infelix. Iam vero illud quale, quàm ſæuum, ex hac impietate deſcendens: quàm alienum à barbaris, quàm familiare Romanis, quod ſe inuicem exactione proſcribunt? Immò non inuicem: nam hoc tolerabilius fermè eſſet, ſi pateretur quiſque quod fecerat: illud eſt grauius quòd plurimi proſcribuntur à paucis quibus exactio publica peculiaris eſt prędа: qui fiſcalis debiti titulos faciūt quæſtūs eſſe priuatos: & hoc nō ſummi tantum, ſed penè infimi: non iudices ſolùm, ſed etiam iudicibus obſequentes. Quæ enim ſunt non modò vrbes, ſed etiam

Cur meliùs aliquando agatur cum hæreticis.

Romanorū diſcordiæ, & odia.

Inæſtimabile malū, inuidia.

Exactionibus, pauci proſcribūt plurimos.

Ioan. 13.

Curiales tyranni.

municipia atq; vici, vbi non quot Curiales fuerint, tot tyranni sint? quanquam fortè hoc nomine sibi gratulẽtur, quia potẽs & honoratus etiam videtur. Nam & latrones fermè oẽs gaudent & gloriantur, si atrociores admodùm quàm sunt esse dicantur.

Sanctos pro Ecclesiasticis & Religiosis dicit.

Quis ergo, (vt dixi) locus est, vbi nõ à principalibus ciuitatũ, viduarum, & pupillorum viscera deuorentur, & cum his fermè Sanctorum omnium? Nam & hos quasi viduas & pupillos habẽt; quia tuêri se aut pro studio professionis suæ nolũt, aut innocẽtia atque humilitate non possunt. Nemo itaq; tutus horum est; nec vllus admodũ præter summos, à vastatione latrocinij populantis immunis, nisi qui ipsis latronibus par est in hac conditione: immò in hoc scelus res deuoluta est, vt nisi quis malus fuerit, saluus esse non possit. Sed videlicet cùm tot sint qui bonos vastãt; sunt fortasse aliqui, qui in hac vastatione succurrant: qui, vt scriptũ est, eripiant *egenum & pauperem de manu peccatoris*. Non est qui faciat bonum, nõ est penè vsque ad vnũ. Ideò dixi, penè vsq; ad vnum; quia tanta est raritas bonorũ, vt penè vnus esse videatur. Quis enim vexatis atq; laborantibus opem tribuat; cùm improborũ hominum violẽtiæ, etiam sacerdotes Domini nõ resistant? Nam aut tacent plurimi eorum: aut similes sunt tacentibus etiam si loquantur; & hoc multi non inconstantia, sed consilio (vt putant) atque ratione. Exertam enim veritatem proferre nolunt, quia eam aures improborum hominũ sustinere nõ possunt; nec solùm refugiunt, sed etiam odiunt & execrãtur: & non modò auditam non reuerentur aut metuunt, sed maiore etiam superbientis peruicaciæ perduellione contemnunt. Et ideò tacent etiam qui loqui possunt, dum ipsis interdum malè parcunt; nec volunt eis vim apertæ promere veritatis, ne faciãt eos ingesta acriùs veritate peiores. Intereà vastantur pauperes, viduæ gemunt, orphani proculcantur; intantùm, vt multi eorum & non obscuris natalibus editi & liberaliter instituti, ad hostes fugiãt ne persecutionis publicæ afflictione moriantur: quærẽtes scilicet apud barbaros Romanam humanitatem, quia apud Romanã barbaram inhumanitatẽ ferre non possunt. Et quamuis ab his ad quos confugiũt discrepent ritu, discrepent lingua, ipso etiam, vt ita dicam, corporum atque induuiarum barbaricarum fœtore dissideant; malunt tamen in barbaris pati cultum dissimilem, quàm in Romanis iniustitiam sæuientem. Itaq; passim vel ad Gothos, vel ad Baogandas, vel ad alios vbique dominãtes barbaros, & commigrasse non pœnitet. Malũt enim sub specie captiuitatis viuere liberi, quàm sub specie libertatis esse captiui. Itaque nomen ciuium Romanorũ aliquando non solùm magno æstimatum, sed magno emptum; nunc vltro repudiatur ac fugitur: nec vile tantùm, sed etiam abominabile penè habetur. Et quod esse maius testimonium Romanæ iniquitatis potest, quàm q; plerique & honesti & quibus Romanus status summo & splẽdori esse debuit & honori; ad hoc tamẽ Romanæ iniquitatis crudelitate compulsi sunt, vt nolint esse Romani? Hinc est etiã, quòd hi qui ad barbaros non confugiunt, barbari tamen esse coguntur: scilicet vt est pars magna Hispanorum, minima Gallorum, omnes deniq; quos per vniuersum Romanũ Orbem fecit Romana ini-

Mali tantũ salui. Psal. 81. & 52.

Bonorum raritas.

Sacerdotes non resistunt violentiæ.

Improbi contemnũt auditã veri tatem.

Sacerdotes malè parcunt improbis tacita veritate.

Baogandæ

Ciuium Romanorũ nomen.

A quitas iam non esse Romanos de Boagandis nunc mihi sermo est, qui per malos iudices & cruentos spoliati, afflicti, necati; postquam ius Romanæ libertatis amiserant, etiam honorẽ Romani nominis perdiderant. Et imputatur his infelicitas sua, imputamus his nomen calamitatis suæ, imputamus nomen quod ipsi fecimus. Vocam⁹ rebelles, vocamus perditos; quos esse cõpulimus criminosos. Quibus enim aliis rebus, Baogandæ facti sunt, nisi iniquitatibus nostris, nisi improbitatibus iudicũ, nisi eorum proscriptionibus & rapinis qui exactionis publicæ nomen in quæstus proprij emolumenta verterant; & indictiones tributarias, prædas suas etiã B fecerunt: qui in similitudinem immaniũ bestiarum nõ rexerunt traditos sibi, sed deuorârũt; ne dũ spoliis hominũ (vt plerique latrones solent) sed laceratione etiã; &, vt ita dicã, sanguine pascebãtur: ac sic actum est, vt latrociniis Iudicum strangulati homines & necati, inciperent esse quasi barbari quia non permittebãtur esse Romani: acquieuerũt enim esse quod non erant, quia non permittebãtur esse quod fuerant; coactiq; sunt saltem vitam defendere, quia iã libertatẽ se videbant penitus perdidisse Aut quid aliud etiã nunc agitur, quàm tunc actũ est: id est, vt qui adhuc Baogãdæ nõ sunt, esse cogãtur? quãtùm enim ad vim atq; iniurias pertinet; compelluntur & C volũt esse, sed imbecillitate impediũtur vt non sint. Sic sunt ergo, quasi captiui iugo hostium pressi; tolerant supplicium necessitate, non voto: animo desiderant libertatem, sed summam sustinent seruitutem. Ita ergo & cum omnibus fermè humilioribus agitur; Vna enim re ad duas diuersissimas coartantur. summa seruitus exigit vt aspirare ad libertatem velint, sed eadem vis posse nõ sinit quæ velle compellit. Sed imputari his posset forsitan quod hoc velint homines, qui nihil magis cuperent, quàm ne cogerentur hoc velle: summa enim infelicitas est quod volũt; nam multò cum his meliùs agebatur, si nõ cõpellerentur hoc velle. Sed quid possunt aliud D fieri quàm miseri; qui assiduũ, immò continuũ exactionis publicæ patiũtur excidiũ: quibus imminet semper grauis & indefessa proscriptio; qui domos suas deserũt, ne in ipsis domibus torqueãtur; exilia petunt, ne supplicia sustineant? Leuiores his hostes quàm exactores sunt: & res ipsa hoc indicat; ad hostes fugiunt, vt vim exactionis euadant. Et quidem hoc ipsum quãuis durũ & inhumanũ; minus graue tamẽ atq; acerbũ erat, si oẽs æqualiter atq; in commune tolerarẽt. Illud indignius ac pœnalius, quòd omnia non oẽs sustineãt: immò quod pauperculos homines, tributa diuitũ premant; & infirmiores, ferunt sarcinas fortium; nec alia causa est quod sustinere nõ possunt, nisi quia maior est miserorũ sarcina; quàm facultas. Res diuersissimas dissimillimásq; patiuntur; inuidiam & egestatem. Inuidia est enim in solutione, egestas in facultate. Si respicias quod defendũt; abundare arbitrêris: si respicias quod habẽt, egere reperies. Quis existimare rem huius iniquitatis potest? Solutionẽ sustinẽt diuitũ, & indigẽtiã mẽdicorũ: plus multò est quod dictur⁹ sum; indictiones tributarias ipsi interdũ diuites faciũt, pro quib⁹ pauperes soluũt. Sed dicas: cùm ipsorũ maximus cẽsus sit, & ipsorum maximæ pẽsiones; quomodo id fieri potest, vt ipsi sibi augeri debitum velint? neque

Baogandæ facti Iudicũ iniquitatibus.

Exactionis publicæ nomẽ, in quæstum proprium vertere.

Iudicum latrocinijs strangulati homines.

Exactiones publicæ exitiosum excidium.

Exactores leuiores sunt quàm hostes.

Fortes, in firmos opprimunt.

Pauperes soluũt tributa, diuites indictiones.

neque ego id dico quod sibi augeant: nam & ideò A augét, quia non sibi augent. Dicam quomodò: Veniunt plerumq; noui Nuncij nouarũ epistolarum, à summis Sublimitatibus missi, qui commendantur illustribus paucis ad exitia plurimorũ: decernuntur his noua muneta, decernũtur nouæ indictiones; decernunt potentes, quod soluant pauperes, decernit gratia diuitum, quod perdat turba miserorum: Ipsi enim in nullo sentiunt quod decernunt. Sed non possunt, inquis, non honorari & liberalius accipi, qui fuerint à maioribus missi. Estote ergo vos diuites, primi in conferendo; qui estis primi in decernendo. Estote primi in largitate rerum, qui primi estis in liberalitate verborum. Qui das de meo, B da & de tuo: tametsi rectissime quisquis ille es, qui solus vis capere gratiam; solus paterêris expensam. Sed acquiescamus pauperes, vestræ (diuites) voluntati; quod pauci iubetis, soluamus omnes. Quid tam iustum, quid tam humanũ? grauant nos nouis debitis decreta vestra, facite saltem debitum ipsum nobiscum esse cõmune. Quid enim iniquius esse aut indignius potest, quàm vt soli sitis immunes à debito, qui cunctos facitis debitores? Et quidem miserrimi pauperes sic totũ hoc quod diximus soluunt; quod, quare vel qua ratione soluant, penitus ignorant. Cui enim licet discutere cur soluatur, aut cui permittitur explorare quod debeat? sed tunc id C euidentissime proditur, cùm inuicem sibi diuites irascuntur, cum indignantur aliqui eorum, quòd sine consilio ac tractatu suo aliqua decreta sint: tunc à quibusdam eorum audias dici; ô facinus indignũ! duo aut tres statuunt quod multos necet à paucis potentibus decernitur, quod à multis miseris depẽdatur. Honori enim suo vnusquisque diuitum hoc præstat, vt nolit aliquid se absente decerni: non iustitiæ, vt iniqua nolit se pręsente cõstitui. Deniq; quod in aliis reprehendunt; ipsi postea aut pro contẽptus præteriti vltione, aut pro potestatis præsumptione cõstituũt. Ac per hoc infelicissimi pauperes, sic sunt quasi inter cõcertantes procellas in medio mari po- D siti: nunc istorum scilicet, nunc illorũ fluctibus obruuntur. Sed videlicet qui in hac parte iniqui sunt, in alia moderati inueniuntur & iusti; ac prauitatem vnius rei, alterius probitate compensant: nam sicut in onere nouarum indictionũ pauperes grauant; ita in nouorum remediorum opitulatione sustentant: sicut tributis nouis, minores maximè deprimuntur; sic remediis nouis, maximè subleuantur. Immò par est iniquitas in vtroque. Nam sicut in aggrauatione primi pauperes; ita in reuelatione, postremi. Si quãdo enim, vt nuper factũ est, defectis vrbibus imminuẽdas in aliquo tributarias functiones, potestates summæ existimauerunt; illico remediũ cũctis datũ, E soli inter se diuites partiuntur. Quis tunc pauperũ meminit: quis ad cõmunionem beneficij humiles & egestuosos vocat? quis eum qui primus est semper in sarcina, vel vltimo esse loco patitur in medela? Et quid plura? tributarij omnino pauperes non putantur, nisi cũ his tributi cumulus imponitur: extra numerum autem tributariorum sunt, cùm remedia diuidũtur. Et putamus quòd pœna diuinæ seueritatis indigni sumus, cùm sic nos semper pauperes puniamus: aut credimus cũ iniqui nos iugiter simus; quòd Deus, iustus in nos omnino esse nõ debet: Vbi enim aut in quibus sunt nisi in Romanis tãtùm, hæc mala? quorum iniustitia tantũ, nisi vestra? Franci enim hoc scelus nesciunt: Hunni ab his sceleribus immunes sunt: Nihil horum est apud Vuandalos, nihil horum apud Gothos. Tam longe enim est, vt hæc inter Gothos barbari tolerent, vt ne Romani quidem qui inter eos viuunt, ista patiantur. Itaque vnum illic Romanorum omnium votum est, ne vnquam eos necesse sit in ius transire Romanum. Vna & consentiens illic Romanæ plebis oratio; vt liceat eis, vitam quam agunt, agere cum Barbaris. Et miramur, si non vincantur à nostris partibus Gothi; cùm malint apud eos esse quàm apud nos Romani. Itaque non solùm transfugere ab eis ad nos, fratres nostri omnino nolũt; sed vt ad eos confugiant, nos relinquunt. Et quidem mirari satis nõ possum, quòd hoc non omnes omnino faciunt tributarij pauperes & egestuosi; nisi quòd vna causa tantùm est qua non faciunt, quia transferre illuc reculas atque habitatiũculas suas familiásque non possunt. Nam cùm plerique eorum, agellos ac tabernacula sua deserant vt vim exactionis euadant, quomodò non quæ compelluntur deserere vellent, sed secum si possibilitas pateretur auferrent? Ergo quia hoc non valent quòd fortè mallent; faciunt quod vnum valent. Tradunt se ad tuendum protegendúmque maioribus; & dedititios se diuitum, faciunt; & quasi in ius eorum ditionémque transcendunt. Nec tamen graue hoc esse aut indignum arbitrarer, immò potius gratularer hanc potentum magnitudinem quibus se pauperes dedũt, si patrocinia ista non venderent; si quod se dicunt humiles defensare, humanitati tribuerent non cupiditati. Illud graue ac peracerbũ est quòd hac lege tuêri pauperes videntur, vt spolient: hac lege defendunt miseros, vt miseriores faciant defendendo: Omnes enim hi qui defendũtur, defensoribus suis omnem ferè substantiam suam priùs quàm defendantur addicunt; ac sic, vt patres habeant defensionem, perdunt filij hæreditatem. Tuitio parentum, mendicitate pignorum comparatur. Ecce quæ sunt auxilia ac patrocinia maiorum. Nihil susceptis tribuunt; sed sibi hoc etiam pacto aliquid à parentibus temporariè attribuitur, vt in futuro totum filiis auferatur. Vendunt vtique & quidem grauissimo pretio vẽdunt, maiores quidam; cunctáq; præstant. Et quid dixi vendunt? vtinã venderent vsitato more atque communi; aliquid forsitã remaneret emptoribus. Nouũ quippe hoc genus venditionis & emptionis est. Venditor nihil dat, & totũ accipit: Emptor nihil accipit, & totum penitus amittit. Cúmque fermè omnis contractus hoc in se habeat, vt inuidia penes emptorẽ, inopia penes venditorem esse videatur; quia emptor emit ad hoc vt substantiam suam augeat, venditor ad hoc vendit vt minuat: inauditum hoc commercij genus est; venditoribus crescit facultas, emptoribus nihil remanet nisi sola mendicitas. Nã illud quale? quàm non ferendũ? & quod non dicam pati humanæ mẽtes, sed quod audire vix possunt; quod plerique pauperculorũ atq; miserorũ spoliati reculis suis & exterminati ab agellis suis, cùm rem amiserint, amissarũ tamen rerũ tributa petũtur: cùm possessio ab his recesserit, capitatio nõ recedit? Proprietatibus carent, & vectigali-

Franci misericordes.

Patrociniũ venditur.

Nouum genus venditionis & emptionis. Inuidia sequitur Emptorem.

Nunciis Regũ decreta munera.

Diuitum liberalitas, pauperum oppressio est.

Liberalitas verborum.

Diuites immunes à debito.

Superbia diuitum Hypocrisis.

Pauperes, procellis Diuitum obruuntur.

Pauperum infœlix cõditio in Tributorũ diuisione.

bus obruuntur! Quis æstimare hoc malum possit? rebus eorum incumbunt inuasores, & tributa miseri pro peruasoribus soluunt! Post mortem patris, nati obsequiis iuris posthumi, iuris sui agellos non habent, & ad agrorũ munus enecãtur. Ac per hoc, quid aliud sceleribus tantis agitur; nisi vt qui priuata peruasione nudati sunt, publica afflictione moriantur; & quibus rem deprædatio tulit, vitã tollat exactio? Itaque nonnulli eorũ de quibus loquimur, qui aut consultiores sunt; aut quos cõsultos necessitas fecit; cùm domicilia atq; agellos suis aut peruasoribus perdunt, aut fugati ab exactoribus deserũt, quia tenere nõ possunt, fundos viarũ expetunt, & coloni diuitũ fiunt. Aut sicut solent hi qui hostiũ terrore compulsi, ad castella se conferunt; aut qui perdito ingenuæ incolumitatis statu, ad asylum aliquod desperatione cõfugiunt: ita & isti cùm habere amplius vel dignitatẽ suorũ nataliũ non queunt; iugo se inquilinæ abiectionis addicunt: in hanc necessitatem redacti, vt exactores nõ facultatis tãtùm, sed etiam cõditionis suæ; atque exulantes non à rebus tantùm suis sed etiam à seipsis, ac perdentes secum omnia sua, & rerum proprietate careant, & ius libertatis amittant. Et quidẽ quia ita infelix necessitas cogit; ferenda vtcunque erat extrema sors eorum, si non esset aliquid extremius. Illud grauius & acerbius, quòd additur huic malo seruilius malũ. Nam suscipiuntur aduenæ; fiunt præiudicio habitationis, indigenæ: exemplo quodã illius maleficæ potentis, quæ transferre homines in bestias dicebatur. Ita & isti omnes qui intra fundos diuitum recipiũtur, quasi Circei poculi transfiguratione mutantur. Nam quos suscipiunt vt extraneos & alienos; incipiunt habere quasi proprios: quos esse constat ingenuos vertunt in seruos. Et miramur si nos, Barbari capiunt; cùm fratres nostros nos faciamus esse captiuos? Nil ergo mirum est, tot vastationes atque excidia ciuitatum: diu id plurimùm oppressione elaborauimus, vt captiuando alios, etiam ipsi inciperemus esse captiui. Sentimus enim & si tardiùs multò quàm merebamur; sentimus tamen illa quæ fecimus. & iuxta sermonem sacrum; *labores manuum* nostrarum *manducamus*, ac iusto iudice Deo soluimus quæ debemus. Miserti quippe exulum nõ sumus; ecce ipsi exules sumus peregrinos fraude cepimus; ecce ipsi peregrinamur! Præiudiciis temporũ, ingenui statũs homines circumuenimus; ecce ipsi nuper quidẽ in alieno solo viuere cœpimus, sed præiudicia iam timemus! Et; ô quanta est infidelissimarum mentium cæcitas! damnationem perferimus iudicantis Dei, & necdũ nos agnoscimus iudicari. Et mirãtur aliqui Sanctorũ, quòd exemplo nostro cæteri non emẽdentur, qui nihil adhuc tale tolerârunt; cùm tormẽtis nostrarum iniquitatum, nec ipsi quidẽ qui iã à Deo plectimur, corrigamur! O superbiã non ferẽdam! plurimi pœnas peccatorum suorum perferunt, & intelligere causas peccatorum nemo dignatur! Sed est causa euidens quæ hanc superbiã facit: scilicet quia etsi aliqua iam patiamur, nondum tamen patimur qualia meremur! Tanta est enim misericordia Dei, vt & si nos vult pati aliqua de piaculis nostris; nolit tamen cuncta tolerare: quia castigat malos, non reddit mala. Agnoscere nos peccata nostra mauult, quàm sustine-

Inquilina abiectio.

Pſal. 117.

Peccatorũ pœnas patimur, & eorum causas intelligere dedignamur.

re: scilicet vt & piis ac salubribus flagellis ostendat nobis quæ ferre mereamur, sed tamen non inferat quę meremur; iuxta illud scilicet beati Apostoli dictum, quo ait: *Ignoras quoniam bonitas Dei, ad pœnitentiam te adducit? secundùm duritiam tuam & impœnitẽs cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Et verè ita agimus, vt dicit Apostolus: Deus enim vocat nos ad pœnitentiã; sed nos thesaurizamus iram. Deus nos inuitat ad veniã; sed nos quotidiè cumulamus offensam. Vim Deo facimus iniquitatibus nostris, ipsi in nos iram diuinitatis armamus. Cogimus ad vlciscendas criminum nostrorum immanitates, nolentem Deum: Propè est, vt eum nõ permittamus vt parcat. Nam cùm in eum, nullum vnquam iniustitiæ signum cadere aut apparere possit: sic agimus, vt si enormitates nostrorum scelerum non vlciscitur, iniustus esse videatur. Sed videlicet peccator fuit aliquando aliquis; fortasse iam non est: aut est vllus criminum modus, & non prius est vt de vita homines quàm de iniquitate discedant. Quis enim non cum suis iniquitatibus moritur; & cum ipsis admodũ, atque in ipsis sceleribus sepelitur? vt vere propheticũ illud de his rectissimè dici possit: *Sepultura eorum, domus eorum in æternum: & comparati sunt iumentis insipientibus* & similes sunt illis: atque vtinã iumẽtis. Melius quippe fuerat beluina imprudentia deuiasse. Illud peius & criminosius, quia non ignorantia Dei sed despectione peccârunt. Atque hoc videlicet Laici tantummodò: non quidam etiam Clericorum seculares, non multi etiam Religiosi:: immò sub specie religionis, vitiis secularibus mancipati. Qui scilicet post veterum flagitiorum probrosa crimina, titulo sanctitatis sibimet inscripto; non conuersatione alij sed professione; nomen tantùm demutauere non vitam: & summam diuini cultús, habitum magis quàm actum existimantes, vestem tantummodò exuêre non mentem. Vnde illi se minore inuidia criminosos putant; qui cùm pœnitentiam quasi egisse dicantur, sicut mores pristinos ita etiam habitum non relinquunt. Nam taliter fermè omnia agunt, vt eos non tam putes anteà pœnitẽtiam criminum egisse, quàm posteà ipsius pœnitentiæ pœnitere: nec tã priùs pœnituisse quòd malè vixerint, quàm posteà quòd se promiserint benè victuros. Sciunt me verũ loqui, & testimonium mihi etiam conscientia sua dicunt, cùm multi alij tum præcipuè illi nouorum honorum Religiosi ambitores; & post acceptum pœnitentiæ nomen, amplissimæ ac prius non habitæ potestatis emptores: adeò non Seculares tantùm, sed plus etiam quàm Seculares esse voluerunt; vt non sufficeret eis quod ante fuerant, nisi plus essent quàm fuissent. Quomodò igitur tales istos, pœnitentiam se egisse non pœnitet; sicut etiam illos de conuersione ac Deo aliquid cogitasse; qui à coniugibus propriis abstinentes, à rerum alienarum peruasione se non abstinuerunt; & cùm profiteantur continentiam corporum, in incontinentiam debacchantur animorum: Nouum prorsus conuersionis genus; licita non faciunt, illicita committunt! Temperant à concubitu; & non temperant à rapina! Quid agis stulta persuasio? peccata interdixit Deus, non matrimonia; non conueniunt vestris studiis facta vestra! non debetis esse amici criminum, qui dicitis vos effectores esse

Rom. 2.

Cogimus Deum ad vlciscendas nostra peccata.

Prius de vita, quã de iniquitate homines discedant.

Pſal. 48.

Religiosi etiam plus quam seculares.

Animorum incontinentia.

esse virtutum. Præposterum est quod agitis; non est A conuersio, sed auersio: qui iam pridem (vt fama est) opus etiam honesti matrimonij reliquistis; tandem à scelere cessate. Et quidem iustũ est, vt ab omni scelere: sed tamen si nõ ab omni, quia hoc fortasse durum & impossibile esse creditis; certè vel maximo & prodigioso. Esto! iuxta te (quicunque ille es) boni manere non valeant! Esto! pauperes habitare non possint! Esto! sis persecutor multorum inopum, vastatórque miserorũ! Esto! sis afflictor omnium, dũmodò extraneorum. Tandem (quæso) vel tuis parce: & si non omnibus tuis; quia etiam hoc forsitan onerosum tibi & graue iudicas, si omnib⁹ tuis parcas: parce saltẽ vel illis tuis, qui te non affinibus tãtùm aut aliis propinquis, sed personis etiam clemẽtissimis & pignoribus charissimis prætulerunt. Et quid dicam pignoribus ac filiis? prætulerunt te etiã animabus penè ac spẽbus suis: non quidem laudabiliter; & errorem suum, qui ita egit, ipse cognoscit. Sed quid ad te tamen, cui ipsum hoc præstitit quod errauit? Hoc enim plus ei debes, quia dilectionis tuæ nimietate peccauit. Cæcus quidem factus est affectu tuo, & notatur à cunctis atque reprehenditur; sed tu tamẽ hoc magis ei obnoxius factus es, quia se ab omnibus fecit pro tuo amore culpari. Quid ergo simile apud barbaros Gothos? quis eo- C rum, amantibus nocet? quis diligẽtem insequitur? quis chari sui mucrone iugulatur? Tu amantes persequeris; tu offerentibus munera, manûs amputas; tu diligentes Proximos necas: non metuis, non expauescis. Quid faceres, si iudicium Dei præsens in proxima flagellatione sensisses? Addis insuper & adiungis malis prioribus noua crimina. Considera quæ te maneant grauiora facientem, cùm minora soleant etiã per dæmones vindicari! Contẽtus esto iam (quæsumus) amicorum tuorũ sodalium latrociniis! sufficiat vexatos fuisse pauperes; sufficiat spoliatos à te fuisse mendicos. Penè iuxta te nullus intrepidus; nullus potest esse securus. Faciliùs, præcipitati ex Alpina rupe Torrentes, aut incendia ventis agitata tolerantur: nõ sic pereuntes (vt ita dixerim) nautæ, Charybdis voracitate; aut Scilleis (vt aiũt) canib⁹ deuorãtur! Exturbas possessiũculis suis vicinos tuos; habitatione ac facultate, Proximos tuos. Nunquid, vt scriptũ est; super terrã solus habitabis? Hoc vnum quippe est quod obtinere nõ poteris: quamlibet enim cuncta peruadas, vicinũ semper inuenies. Respice (quæso) alios, quos (velis nolis) & ipse suspicis. Respice alios, quos (velis: nolis) etiam ipse miraris! altiores sunt cæteris dignitate, & minores humilitate. Scis profectò etiam ipse ad quẽ nunc loquimur; de quo loquamur: & idem de quo nunc querimur, debes agnoscere, quem hac laude veneramur. Atque vtinam multi essent qui laudarẽtur; salubritas esset omniũ, generositas plurimorum. Sed esto; nobis ille sit laudabilis; cur tu vis esse (quæso) damnabilis? Cur inimicitia nil amicius? cur auaritia nil iocundius? cur rapacitate nil charius? Cur nil iudicas precioſius quàm nequitiã; cur nil præstantius quàm rapinam? Disce vel à pagano homine, virum bonum: Charitate enim, inquit, & beneuolentia septum oportet esse non armis. Fallunt te itaque opiniones tuæ; fallit prauæ & cæcæ mentis improbitas. Si vis probus, si vis potẽs, si vis magnus esse; honestate debes cæteros, nõ malignitate superare. Legi quondam in quodam loco; Nemo malus, nisi stultus: si enim saperet, bonus esse mallet. Et tu ergo, si redire tamen adhuc ad sanitatem potes; exue nequitiam, si vis habere sapiẽtiam. Si enim optas vel sapiens omnino esse, vel sanus; exuendus tibi omnino & commutãdus es. Abdicâte itaque à te ipso, ne abdicêris à Christo: repudia te, vt recipiaris à Christo: perde te ipse, ne pereas. Qui enim, Saluator inquit, perdiderit animã suam propter me, inueniet eam. Dilige itaque hãc tuam salubrem perditionem, vt assequaris veram salutem. Liberandus enim à Deo ipso omnino non B eris, nisi te ipse priùs damnaueris.

gnitate alios superare.

Nemo malus nisi stultus, ex Stoicorũ placitis.

Luc. 9.

Esa. 5. Vicinum semper inuenies.

Charitate septum esse, non armis.

Qui vult magnus esse, debet honestate omnes superare.

SALVIANI MASSILIENSIS EPISCOPI DE VERO IVDICIO ET *Prouidentia Dei, Liber V.*

PErsonanter diu locuti sumus; & excessisse videmur regulam disputãdi. Cogitat enim, absq; dubio, is qui legit (si fuerit tamen aliquis qui hæc Christi amore conscripta, ob Christũ legat) de me, fortè ille dicit: cũ causa generalis sit quã exequitur; quid negocio huic contulit, quod in personam vnius tanta congessit? Esto enim ille de quo locutus est, talis: sed nũquid officit bonitati vnius, crimẽ alterius? aut quod fortius multò est; nunquid læditur scelere personali, causa cunctorum? Possum quidem euidentibus testimoniis approbare, quia læditur. Achar enim quondam de anathemate quippiam furto abstulit; & crimen vnius hominis, plaga omnium fuit. Dauid numerari plebem Israëliticam iussit; & errorem illius, Dominus clade totius populi vindicauit. Rabsaces locutus quædam est in contumeliã Dei; & centum octoginta quinque milia hominũ, stragem pertulerunt, quod vnius prophani hominis procax lingua maledixit. Et ideò nõ immeritò etiã beatus Apostolus Paulus eiici de Ecclesia pestilentem iubet; & cur iubeat, ostendit, dicens: *quia modicum fermentum totam massam corrumpit.* Inde euidenter agnoscimus, etiam vnum malum hominem sæpissimè perditorem esse multorum: nec iniuria. Intelligere is quicunque legerit, debet; non superfluè me superiùs de vno malo aliqua dixisse; cùm scilicet frequentissimè diuinæ maiestatis iracundia, etiam per vnũ, legatur accensa. Sed ego nõ ago hac descriptione id quod dico. Neq; enim necesse est, vt vnum obesse omnibus putem, cùm omnes mutuò sibi obsint. Non conuenit, vt per vnum cunctos periclitari putem; cùm per se cuncti periclitentur. Omnes enim admodum in perditionem ruunt; aut E certè, vt aliud dicam leuius, penè omnes. Vnde enim hoc bonum populo Christiano; vt aut certè minor, aut certè vel idem esset malorum numerus qui bonorum? O miseriam lachrymabilem! ô miseriam luctuosam! quàm dissimilis est nunc à seipso populus Christianus: id est; ab eo qui quondam fuit! Tunc princeps Apostolorum Petrus, Ananiã & Saphyram, quia mentiti essent, morte mulctauit. Beatissimus quoque Paulus etiam de Ecclesia malum expulit, ne contactu suo plurimos inquinaret.

Vnius Crimen pluribus officit.

Iosue 7.

2. Reg. 24.

Esa. 36.

Vnus im prob⁹ perdit multos.

Act. 5.

1 Cor. 5.

Christiani quàm sint degeneres à primorũ Christiano rum puritate.

Nunc nos etiam, pari vtriusque partis numero cõtenti sumus. Et quid, *contenti*, dicam? Exultare nos potiùs ac tripudiare gaudio conueniret, si parilitas nobis ista contingeret. Ecce in quid recidimus! ecce in quid, post illam Christiani populi puritatem, qua omnes quondam immaculati erant! Ecce in quid redacti sumus; vt beatam fore Ecclesiam iudicemus, si vel tantùm in se boni habeat quãtùm mali. Nam quomodò beatam non arbitremur, si mediam plebis partem haberet innoxiam; quam penè totã nunc esse plangimus criminosam? Vnde superflue dudum de vno malo locuti summò, superfluè vnius scelera defleuimus: aut omnes enim, aut omnes penè flendi atque lugendi sunt. Nã aut plurimi tales sunt; aut certè quod non minùs criminosum est, cupiunt tales esse, & laborant actu malorũ operum non impares videri: ac per hoc etiam si minora mala faciunt, quia minus possunt; non minùs tamen mali sunt, quia nollẽt minùs esse si possunt. Denique quod vnum possunt; vel voto tales sunt, ac voluntate nõ cedunt: & inquantũ facultas suppetit, superare contendunt. Est enim (licet in dissimilibus rebus) hæc illorum æmulatio quę bonorũ; vt sicut boni optant cũctos honestate mẽtium vincere, sic mali cupiãt prauitate superare. Nam sicut hæc bonorũ gloria est, vt quotidiè meliores sint; sic malorum omniũ, vt deteriores: & sicut, optimi cupiunt virtutum vniuersarum culmen ascendere; sic, pessimi optant palmas sibi vniuersorum scelerũ vẽdicare. Et hoc vtique in malũ nostrum: maximè nostrã; hoc est, Christiani qui scilicet, vt iam diximus, malitiã sapientiam putant. Et de quibus Deus specialiter dixit: *perdam sapientiã Sapientum, & intellectum prudentiũ reprobabo*. Cúmque Apostolus clamet: *si quis videtur sapiens, stultus fiat vt sit sapiens*: hoc est dicere; si quis vult esse sapiens, sit bonus; quia nemo verè sapiens est, nisi vere bonus. Nos diuerso malarũ mẽtiũ vitio; & vt diuinitas ait, reprobo sensu: bonitatem pro stultitia repudiantes, & nequitiam pro sapientia diligentes; tantò quotidiè prudentiores esse nos credimus, quantò peiores sumus. Et quæ tãdem (rogo) spes emendationis in nobis est; qui nõ errore opinionis ad malũ ducimur, sed studio malæ voluntatis adnitimur vt semper peiores esse videamur? Et hinc est quòd dudum questus sum, deteriores nos multò esse quàm barbaros; quia illos ignorantia legis excusat, nos scientia accusat. Illi per imperitiam veritatis; quia quæ sunt bona, nesciunt; mala pro bonis diligunt: nos, cùm scientiã veritatis habeamus; quæ sunt bona optime nouimus, & hoc multis modis. Primùm, quòd nihil fermè vel criminum vel flagitiorum est quod in spectaculis nõ sit: vbi summum deliciarum genus est, mori homines: aut quod est morte grauius acerbiusq; lacerari, explêri ferarum aluos humanis carnibus, comedi homines cum circunstantium lætitia, conspicientium voluptate: hoc est non minus penè hominum aspectibus, quàm bestiarum dentib⁹ deuorari. Atque vt hoc fiat, Orbis impendium est. Magna enim cura id agitur & elaboratur: adeuntur enim loca abdita, lustrantur inuij Saltûs, peragrantur syluæ inexplicabiles, conscenduntur nubiferæ Alpes, penetrantur niuiferæ valles. Et vt deuorari possint à Feris viscera hominum; nõ licet naturam rerum, aliquid habere secretũ. Sed hæc (inquis) non semper fiunt. Certum est; & preclara est erroris excusatio, quia non semper fiunt! quasi verò vnquam fieri debeant quæ Deum lædant; aut ideò quæ mala sunt benè fiant, quia non iugiter fiant! Nam & homicidæ, homines nõ semper occidunt; & homicidæ tamen sunt etiam quãdo non occidunt, quia interdum polluuntur homicidio: & latrones omnes, non semper latrocinãtur; sed latrones tamen esse non desinunt, quia etiã cùm (rebus ipsis) latrocinia non agunt, animis tamen à latrocinio non recedunt. Sic vtique omnes hi qui spectaculis huiusmodi delectantur; etiam quando non spectant, innoxij tamen à spectaculorum piaculis mente non sunt, quia semper vellent spectare si possent. Nec solùm hoc; sed sunt etiam alia maiora. Quid enim? Nunquid non volãtis pẽnæ auguria quæruntur; ac penè omnia fiunt quæ etiam quõdam Pagani veteres friuola atque irridẽda duxerunt? Et cùm hæc omnia ipsi agãt qui annis nomina tribuũt, & à quibus anni ipsi exordium sumunt; credimus nobis benè annos posse procedere, qui à rebus omnibus potiùs quàm à Deo ordiantur. Atque vtinam sicut hæc propter Consules tantùm fiunt; ita illos tãtùm incestarent propter quos fiunt. Illud est feralissimum & grauissimum, quod dum consensu publico aguntur; honor pauciss̃imorum, fit crimẽ omnium: ac si ex singulis bini inaugurentur, prope est vt in omni Mundo nullus euadat. Sed de his putamus hoc satis dictũ esse, quod ea quoque, vt ipsi excusatis, nõ semper fiũt. De quotidianis tamẽ obscœnitatibus loquamur; quas, tales ac tã innumeras, Legiones dæmonum excogitauerunt; vt etiam honestę ac probæ mentes, etsi nõnullas earũ spernere ac calcare possint, omnes tamẽ penitus superare vix possint. Sicut enim Exercitûs pugnaturi, ea loca per quæ venturas hostium turmas sciunt, aut foueis intercludere, aut sudibus præfigere, aut tribulis infestare dicuntur; scilicet vt etiã si non in omnia ea quispiam incidat, nullus tamen penitus euadat: Ita etiam Dæmones, tam multas in vita ista, humano generi illecebrarum insidias prętendêrunt; vt etsi plurimas eorum aliquis effugiat, tamen ab aliqua capiatur. Equidem quia longum est nũc dicere de omnibus; amphitheatris scilicet, odeis, lusoriis, pompis, Athletis, Pẽtaminariis, Pãtomimis, cæteríque portentis; quia piget dicere malum tale, vel noscere; de solis Circorum ac Theatrorum impuritatibus dico. Talia enim sunt quæ illic fiunt, vt ea non solùm dicere sed etiam recordari aliquis sine pollutione nõ possit. Alia quippe crimina, singulas sibi fermè in nobis vendicant portiones; vt cogitationes sordidæ, animos; vt impudici aspectûs, oculos; vt auditûs improbi, aures; ita vt cùm ex his vnum aliquid errauerit, reliqua possint carere peccatis: In Theatris verò, nihil horũ reatu vacat, quia & concupiscentiis, animus; & auditu, aures; & aspectu, oculi polluũtur. Quę quidẽ omnia tã flagitiosa sunt, vt etiã explicare ea quispiã atq; eloqui saluo pudore non valeat. Quis enim integro verecundiæ statu dicere queat, illas rerũ turpium imitationes; illas vocum ac verborũ obscœnitates; illas motuum turpitudines; illas gestuũ fœditates? Quæ quanti sint criminis; vel hinc intelligi potest,

Etiam improborum sua est æmulati

Aduersus Spectaculorũ incõmoda.

1. Cor. 1

Ibidem.

Augurijs incestati. Christiani in consulibus designandis.

Non possunt anni benè procedere, quos à Deo non ordinamur.

Dæmonũ tam multæ sunt insidiæ, vt nullus possit omnes euperare.

Theatrorũ impuritas.

Singula peccata, singulas corporis portiones sibi vendicant.

gi poteſt,quòd religionẽ ſui interdicunt. Nõnulla quippe etiam maxima ſcelera ,incolumi honeſtate referuntur, & nominari, & argui poſſunt; vt homicidium,latrocinium,adulterium, ſacrilegium, cæteráque in hunc modum: ſolæ Theatrorũ ſunt impuritates,quæ honeſtè non poſſunt vel accuſari:ita noua, in arguenda harum turpitudinum probroſitate, res euenit arguenti; vt cùm abſque dubio honeſtus ſit qui accuſare ea velit; honeſtate tamen integra, ea loqui & accuſare non poſſit. Alia quoque omnia mala agẽtes, polluũt non videntes vel audientes. Siquidẽ etſi blaſphemum quendã audias:ſacrilegio nõ pollueris,quia mente diſſentis. Et ſi interuenias latrocinio; non inquinaris actu, quia abhorres animo. Solæ ſpectaculorũ impuritates ſunt, quæ vnum admodũ faciunt & agentiũ & aſpicientium crimen. Nam dum ſpectãtes hæc comprobãt ac libenter vident;omnes ea viſu auditúque agunt, vt verè in eos Apoſtolicũ illud peculiariter cadat: *quia digni ſunt morte non ſolùm qui faciunt ea, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Itaque in illis imaginibus fornicationum; omnis omnino plebs animo fornicatur: & qui fortè ad ſpectaculum,puri venerant', de Theatro,adulteri reuertũtur. Nõ enim tunc tantũmodò quando redeunt, ſed etiam quando veniunt fornicantur: nam hoc ipſo quòd aliquis rẽ obſcœnam cupit; dum ad immunda properat, immũdus eſt. Quæ cùm ita ſint;ecce qualia,aut omnes aut penè omnes Romani agũt. Et cùm hæc ita ſint;qui talia agimus,negligi nos à diuinitate cauſamur:relinqui nos à Domino noſtro dicimus,cùm ipſi Dominum relinquamus. Fingamus enim, quòd reſpicere nos Dominus noſter velit, etiam non merentes; videamus,ſi poteſt. Ecce innumera Chriſtianorum milia in ſpectaculis rerũ turpium quotidiè cõmorantur: poteſt ergo Deus illos reſpicere, qui tales ſunt? Poteſt ad eos reſpicere, qui bacchãtur in Circis; qui mœchãtur in Theatris? An fortè hoc volumus,& hoc dignum putamus; vt cũ in Circis nos & in Theatris Deus videat, ea quæ nos aſpicimus aſpiciat quoque ipſe nobiſcum; & turpitudines quas nos cernimus, cernat & ipſe nobiſcũ? Alterutrum enim fieri neceſſe eſt: quòd ſi nos videre dignatur, conſequens eſt, vt etiam illa vbi nos ſumus videat: aut ſi ab illis (quod non dubium eſt) auertit oculos; etiã à nobis qui illic ſumus pariter auertat. Et cùm hæc ita ſint, facimus hæc tamen ac ſine ceſſatione, quæ dixi. An fortè in morem veterum paganorum; Theatrorũ & Circorum Deũ, nos habere arbitramur? Faciebãt enim hæc illi quondam, quia has Idolorũ ſuorũ delicias eſſe credebãt: nos, quomodò hæc facimus, qui, odiſſe Deum noſtrum hæc, certi ſumus? Aut certè ſi placere has turpitudines Deo nouimus,nõ prohibebo,quin ſine ceſſatione faciamus. Si vero in cõſcientia noſtra, hoc eſt quod Deꝰ horret,quod exẽcratur; quod ſicut in his ſit paſtus Diaboli ita offenſio Dei: quomodò nos in Eccleſia Deum colere dicimus,quia in obſcœnitate ludorũ ſemper Diabolo deſeruiamus;& hæc generaliter ac ſcientes,de cõſilio & induſtria? Et quæ nobis (quæſo) quæ ſpes erit apud Deũ,qui non caſu aut imprudentia Deum lædimus,ſed exẽplo illorum quondã Gigantũ quos inſanis conatibus Superna tẽtaſſe, & quaſi in nubes gradũ tuliſſe legimus? Sic nos per iniurias quas in omni Mũdo,Deo ſemper inferimus; quaſi cõſenſu publico,cœlum oppugnamus. Chriſto ergo; ô amentia monſtruoſa; Chriſto Circenſes offerimus & mimos:& tũc, hoc maximè cùm ab eo aliquid boni capimus,cùm proſperitatis aliquid ab eo attribuitur,aut victoria de hoſtibus à diuinitate præſtatur. Et quid aliud hac re facere videmur,quã ſi quis homini beneficiũ largiẽti iniurioſus ſit; aut blandientem, conuiciis cædat; aut oſculantis vultũ mucrone transfigat? Interrogo enim omnes potentes ac diuites Mũdi huius; cuius piaculi reus ſit ſeruus ille qui probo ac bono Domino, malũ cogitet, qui benè merenti,conuicium faciat, & pro libertate quam accipit,cõtumeliam reddat! abſque dubio, maximi criminis reus creditur qui malũ pro bono reddit,cui etiam malũ pro malo reddere non liceret. Hoc ergo etiam nos qui Chriſtiani dicimur, facimus:irritamus in nos, miſericordem Deũ, impuritatibus noſtris; propiciantẽ, ſordibus lædimus, blandientem,iniuriis verberamus. Chriſto ergo; ô amentia monſtruoſa! Chriſto Circenſes offerrimus & Mimos; Chriſto pro beneficiis ſuis, Theatrorum obſcœna reddimus; Chriſto, ludicrorũ turpiſſimorũ hoſtias immolamus! Videlicet,hoc nos, pro nobis in carne natus, Saluator Mundi noſter edocuit! Hoc vel per ſeipſum, vel per Apoſtolos prædicauit! Propter hoc humanæ natiuitatis verecundiam ſubiit; & contumelioſa terreni ortus principia ſuſcepit: propter hoc, in præſepio iacuit, cui ſeruierũt Angeli cum iacẽret. Propter hoc, inuolui ſe pãnorum crepundiis voluit, qui cœlum regebat in pannis. Propter hoc, in patibulo pependit, quem pendentem Mũdus expauit. *Qui propter nos*, inquit Apoſtolus, *pauper factus eſt, cùm diues eſſet, vt illius inopia vos honeſtaremini*. Et *cùm in forma Dei*, inquit, *eſſet humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autem crucis*, His nos videlicet Chriſtus imbuit, cùm pro nobis iſta toleraret. Præclaram Paſſionis eius reddimus viciſſitudinem: qui, cùm morte ipſius redemptionem acceperimus, vitam turpiſſimam repẽſamus. *Apparuit* enim, inquit beatiſſimus Paulus, *gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, erudiens nos vt abnegantes impietatem & ſeculária deſideria, ſobriè ac iuſtè, ac piè viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem & aduentum Domini gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret populum ſibi acceptabilem, ſectatorem bonorum operum*. Vbi ſunt qui hæc faciant, propter quæ veniſſe Chriſtum Apoſtolus dicit? Vbi ſunt qui non deſideria ſeculi faciant? vbi, qui vitã piè ac iuſtè agunt? vbi, qui ſperare ſe ſpem beatam, bonis operibus oſtendant? & immaculatam vitam agentes; hoc ipſo ſe perhibent regnum Dei expectare, quia merentur accipere. Venit (inquit) Dominus Ieſus Chriſtus vt mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Vbi eſt populus ille mundus? vbi populus acceptabilis? vbi populus boni operis? vbi populus ſanctitatis? *Chriſtus* (inquit, Scriptura) *pro nobis paſſus eſt, nobis exemplum relinquens vt ſequamur veſtigia eius*. Videlicet veſtigia Saluatoris ſequimur in Circis, veſtigia Saluatoris ſequimur in Theatris! Tale nobis ſcilicet Chriſtus reliquit exemplum, quẽ fleuiſſe legimus, riſiſſe non legimus. Et hoc vtrumque pro no-

Contra theatrica ſpectacula.

Rom. 1.

Theatrorũ ac Circorũ Deus.

Gigantum audacia cum Deo pugnamus.

Ludi Circenſes, in Chriſti honorem, à Chriſtianis impiè celebrati.

Chriſti, in nos, beneficia.

Contumelioſa terreni ortus principia.

2. Cor. 8.

Phil. 2.

Tit. 1.

1. Pet. 2.

Fleuiſſe Chriſtum legimus non riſiſſe.

bis; quia fletus compunctio est animæ, risus corruptio disciplinæ. Et ideo dicebat; *Væ vobis qui ridetis* Lucæ 6. *quoniam flebitis*; & *beati qui fletis, quoniam ridebitis*. Nobis autem ridere & gaudere non sufficit, nisi cùm peccato atque insania gaudeamus; nisi risus noster impuritatibus, nisi flagitiis misceatur. Quis (rogo) hic error est; quæ stultitia? Nunquid lætari assiduè & ridere non possumus, nisi risum nostrum atq; lætitiam scelus esse faciamus? An fortè infructuosum putamus, gaudium simplex; nec delectat ridere sine crimine? Quod rogo hoc malum est; aut quis furor? Rideamus (quæso) quamtumlibet immensuratim lætemur quamlibet iugiter; dum modo innocenter. Quæ vecordia est & amentia, vt non putemus risum & gaudium tanti esse; nisi Dei in se habeat iniuriam? Iniuriam vtique & maximã. In spectaculis enim quædã apostatatio fidei est; & à symbolis ipsius & cœlestibus Sacramentis, lætalis præuaricatio. Quæ est enim in Baptismo salutari, Christianorũ prima confessio? Quæ scilicet; nisi vt renũciare se Diabolo ac pompis eius atque spectaculis & operibus protestentur? Nam spectacula & pompæ; etiam iuxta nostram professionem, opera sunt Diaboli. Quomodò igitur, ô Christiane; spectacula post Baptismum sequeris, quæ opus esse Diaboli confiteris? Renunciâsti semel Diabolo & spectaculis eius; ac per hoc, necesse est, prudens & sciens dũ ad spectacula remeas, ad Diabolum redire te cognoscas. Vtrique enim rei simul renunciasti, & vnum vtrumque esse dixisti. Si ad vnum reuerteris; ad vtrunque remeasti: abrenuncio enim (inquis) Diabolo, pompis, spectaculis, & operibus eius. Et quid posteà? Credo (inquis) in Deum Patrẽ omnipotẽtem, & in Iesum Christum Filium eius. Ergo primùm renũciatur Diabolo, vt credatur Deo; quia qui non renunciat Diabolo, non credit Deo: & ideo qui reuertitur ad Diabolũ, relinquit Deũ. Diabolus autem est in spectaculis, pompis suis: ac per hoc, cùm redimus ad spectaculum, relinquimus fidem Christi. Hoc itaque modo omnia Symboli Scramenta soluuntur; & totum quod in Symbolo sequitur, labefactatur & inquinatur. Nihil enim sequens stat, si principale non steterit. Dic mihi, tu Christiane; quomodò tenere te sequẽtia Symboli putas, cuius principia perdidisti? membra sine capite nihil prosunt; & ad exordia suî, cũcta respiciunt: quæ vtique si perierint, omnia pessum trahunt. Si quidem stirpe sublata; aut non sunt reliqua: aut si sunt; sine emolumẽto sunt, quia sine capite nihil constat. Si cui itaque leue spectaculorum crimen videtur; respiciat cuncta ista quæ diximus, & videbit in spectaculis nõ voluptatẽ esse sed mortem. Quid enim est aliud, quàm mortem incurrere, vitæ originem perdidisse? Vbi enim fundamentum Symboli euertitur; vita ipsa iugulatur. Rursum ergo necesse est redeamus ad illud quod sæpe diximus: Quid simile apud Barbaros? vbi apud illos, Circenses? vbi Theatra? vbi scelus diuersarum impuritatum? Hoc est spei vestræ ac salutis exitium; quibus illi, etsi (vt pote Pagani) vterentur; minore tamẽ culpa sacræ offensionis, errabũt: etsi esset impuritas visionis, præuaricatio tamen non erat Sacramenti. Nos vero quid respõdere pro nobis possumus? Tenemus Symbolum, & euertimus; confitemur munus salutis pariter, & negamus. Ac per hoc vbi est Christianitas nostra; quid ad hoc tantũ modò Sacramentum salutis accipimus, vt maiore posteà præuaricationis scelere peccemus? Nos Ecclesiis Dei ludicra anteponimus; nos Altaria spernimus, & Theatra honoramus. Omnia denique amamus, omnia colimus; solus nobis in comparatione omnium, Deus vilis est. Denique præter alia quæ id probant; indicat etiam hoc, res ipsa quã dico. Si quando enim vsu venerit (quod scilicet, sæpè euenit) vt eodem Die, & festiuitas Ecclesiastica, & Ludi publici agantur; quæro ab omnium conscientia, quis locus maiores Christianorum virorũ copias habeat, Caueáne ludi publici, an atrium Dei! Et templum omnes magis sectẽtur, an Theatrum! dicta Euangeliorum magis diligant, an Thymelicorum! verba vitæ, an verba mortis! verba Christi, an verba Mimi! Non est dubium, quin illud magis amemus quod anteponimus. Omni enim feralium ludicrorum die, quamlibet Ecclesię festa fuerint; non solùm ad Ecclesiam non veniunt qui Christianos se esse dicunt; sed siqui inscij fortè venerunt, dum in ipsa Ecclesia sunt, si ludos agi audiunt, Ecclesiã derelinquunt. Spernitur Dei templũ, vt concurratur ad Theatrum: Ecclesia vacuatur, Circus impletur: Christum in Altario dimittimus; vt adulterantes visu impurissimo, oculos Ludicrorum turpium fornicatione pascamus. Sed videlicet qui posteà corrumpimur rebus prosperis; faciendum aliquid in principio putamus. Et ideò rectissimè ad nos Dominus Deus dicit: *Propter spurcitiam exterminati estis exterminio*. Et rursum: *exterminabũtur* (inquit) *aræ huius risus*. Sed videlicet respõderi ad hęc potest; non in omnibus Romanorum vrbibus hoc agi! Verum est, etiam plus ego addo; ne illic quidem nunc agi, vbi semper sunt acta anteà. Non enim hoc agitur iam in Massylienſium ciuitate; sed quia excisa & delecta est. Non enim Agrippinę; sed quia hostibus plena. Non agitur Treuirorum vrbe excellentissima; sed quia quadruplici vastatione est prostrata. Non agitur denique in pluribus vrbibus Galliarum & Hispaniarum; & ideo væ nobis atque impuritatibus nostris, væ nobis atque iniquitatibus nostris! Quæ spes, Christianorum plebibus, est ante Deum? Quandoquidem ex illo tempore in vrbibus Romanis hæc mala non sunt, ex quo in Barbarorum iure esse cœperunt. Ac per hoc; vitiositas & impuritas, quasi germanitas quædã est Romanorum hominum, & quasi mens atque natura; quia ibi præcipuà vitia, vbicunque Romani. Sed grauis forsitan hæc atque iniqua conquestio! grauis, si falsa. An falsa? inquam: quomodò nõ falsa (inquis) cùm in paucis nunc fortè Romanis vrbibus fiant ista quæ diximus? Plurimas iam autem harum, impuritatis labe non polluit; licet sint loca ipsa ac domicilia erroris antiqui, nequaquam tamen aguntur illa quę priùs acta sunt! Considerandum ergo vtrumque est: id est; quid sit quòd adhuc loca ipsa ac diuersoria ludicrorum sint. Ludicra autem esse cessauerunt: loca enim & habitacula turpitudinũ idcirco adhuc sunt, quia illic impura omnia priùs acta sunt: nunc autem ludicra ipsa ideò non agũtur, quia agi iam prę miseria temporis atque egestate non possunt. Et ideò quod priùs actum est, vitiositate

Contra risum intẽpestiuum & vitiosũ. Ridere innocenter.

Abrenunciationes quæ fiunt in Baptismate.

Symboli recitatio in baptismate.

Nihil cõstat sine capite.

Christianis Ludicra præponit Ecclesia.

Cauea ludorum.

Christus in altum.

Esa. 16.

Massilia deleta.

Treuiri, quater vastati.

Grauis est conquestio, quæ est falsa.

Mēdicitas Romani ærarij.

tioſitate fuit;quod nūc non agitur,neceſſitate. Calamitas enim Fiſci,& mendicitas iam Romani ærarij non ſinit,vt vbique in res nugatorias perditè profundantur expenſæ. Pereant adhuc quamlibet mala,& quaſi in cœnum proiiciantur: ſed modò tamē perire iam tanta non queunt, quia non ſunt tanta quæ pereant.Nam quantùm ad votum noſtræ libidinis atque impuriſſimæ voluptatis attinet:optaremus profectò vel ad hoc tantummodò plus habere,vt poſſemus in hoc turpitudinis lutū plura conuertere. Et res probat quanta prodigere vellemus,ſi opulenti eſſemus ac ſplendidi;cùm prodigamus tāta mendici. Ea eſt enim labes præſentium morum atque perditio, vt cum iam non habeat paupertas quod poſſit perdere, adhuc tamen velit vitioſitas plus perire. Non ergo quidem blandiri nobis aliquid in hac re poſſumus, vt dicamus non in omnibus nunc vrbibus agi illa quæ acta ſunt:Ideo enim non in omnibus iam aguntur, quòd vrbes vbi agebantur illa, iam non ſunt: & vbi quidem acta ſunt; id effecerunt,vt vbi illa agebantur diù eſſe non poſſent:ſicut ipſe Deus ad peccatores locutus eſt per Prophetam, quia horum recordatus eſt Dominus: *Aſcendit*, inquit, *ſuper cor eius, & non poterat vltra Dominus portare propter malitiam ſtudiorum noſtrorum, & propter abominationes quas feciſtis, & facta eſt terra noſtra in deſolationem & ſtuporem, & in maledictum.* Per hoc ergo iam factum eſt,vt maior pars Romani orbis in deſolatione eſſet,& in ſtuporem,& in maledictum. Atque vtinam acta tantummodo prius eſſent, & agere hæc Romana vitioſitas aliquādo ceſſaret, forſitan, vt ſcriptum eſt, propiciaretur Deus peccatis noſtris. Sed nequaquam ita agimus,vt propitietur. Mala enim malis inceſſabiliter addimus, & peccatis peccata cumulamus:& cum maxima pars noſtri iam perierit,hoc agimus vt pereamus omnes. Quis rogo interfici alterum iuxta ſe videt,& ipſe nō metuit? Quis domum vicini ſui ardere cernit, & non efficere omnibus modis nititur, ne ipſe incendio concremetur? Nos non vicinos noſtros tantum ardere vidimus, ſed ipſi iam maxima parte noſtrorū corporum arſimus. Et quid hoc, proh nephas,mali eſt, arſimus, & tamen flammas quibus iam arſimus,non timemus! Nam quod non vbique, vt dixi,quæ prius acta ſunt agantur, miſeriæ eſt beneficium,non diſciplinæ. Denique hoc facilè probo. Da enim prioris temporis ſtatum, & ſtatim vbique ſunt quæ fuerunt. Plus addo: quantum ad vota hominum pertinet, & ſi iam non vbique ſunt,vbique adhuc ſunt: quia vbique ea populus vellet eſſe Romanus.Cum enim ab homine mala res ſola neceſſitate non agitur, ipſa rei turpis cupiditas pro actione damnatur. Nam, ſicut dixi, iuxta Domini noſtri dictum: Qui mulierē viderit ad concupiſcēdum, reus eſt adulterij corde concepti. Intelligere poſſumus,quod etiam ſi res turpes atque damnabiles neceſſitate non agimus, ipſa tamen rerum turpium voluntate damnamur. Et quid dicam de voluntate? Per omnes hæc fermè cum poſſunt, aguntur. Denique ſi cuiuſlibet ciuitatis incolæ Rauennam aut Romam venerint, pars ſunt Romanæ plebis in circo,populi Rauennatis in Theatro. Ac per hoc nemo ſe loco aut abſentia excuſatum putet. Omnes turpitudine rerum vnum ſunt,qui ſibi rerū turpium voluntate ſociantur. Et blandimur nobis inſuper de probitate morum, blandimur nobis de turpitudinum raritate. Ego amplius dico, non ſolū agi nunc illas ludicrorum infamiū labes, quæ prius actæ ſunt, ſed criminoſius multo agi, quàm prius actæ ſunt. Tunc enim integra Romani orbis membra florebant, anguſta eſſe horrea publica opes fecerant cunctarum vrbium, ciues diuitiis ac delitiis affluebant,vix poterat religionis autoritas inter tātam rerum exuberantiam, morum tenere cenſurā. Paſcebantur tunc quidem paſſim in locis plurimis autores turpium voluptatum, ſed plena ac referta omnia erant. Nemo ſumptus Reipub. cogitabat, nemo diſpendia, quia non ſentiebatur expenſa. Quærebat quodammodo res ipſa publica vbi perderet, quod penus poſſet iam vix recipere: & ideo cumulus delitiarum, qui iam ferè modum exceſſerat, etiam in res nugatorias redundabat. Nunc autē quid dici poteſt? Receſſerunt à nobis copiæ veteres, receſſerunt priorum temporum facultates, Miſeri iam ſumus, & necdum nugaces eſſe ceſſamus. Cúmque etiam pupillis, prodigis vel prodigioſis ſoleat ſubuenire paupertas, ſimúlque vt deſtiterint eſſe diuites, deſinunt quoque eſſe vitioſi: nos tantum nouum genus pupillorum ac perditorum ſumus, in quibus opulentia eſſe deſiit, ſed nequitia perdurat: adeo nos non vt alij homines cauſas corruptelarum in illecebris, ſed in cordibus habemus: & vitioſitas noſtra, mens noſtra eſt, ad emendandos nos non facultatum ablatione, ſed malarum rerum amore peccemus. Quanta autem vitia Romanorum ſint, quibus Barbaræ gentes non coinquinantur, licet hactenus per ſatis dixerim, addam tamen multa quæ deſint: ſed illud admoneo tamen antequàm dico, ne vllum penitus culpæ genus, quod ad contumeliam Dei pertinet, cuiquam leue eſſe videatur. Si enim illuſtrem ac præpotentem virum nequaquam exhonorari à quoquam licet, & ſi quiſquam exhonorauerit, decretis legalibus reus exiſtit,& iniuriarum actor iure damnatur. Quanto itaque maioris piaculi crimen eſt, iniurioſum quēpiam Deo eſſe? Semper enim per dignitatem iniuriam perferentis,creſcit culpa facientis:quia neceſſe eſt quanto maior eſt perſona, quæ contumeliam patitur, tanto maior ſit noxa eius qui facit. Et hinc eſt quod legimus in lege, etiam eos qui videntur contra mandatum ſacrum leuia feciſſe, ſeueriſſimè tamen eſſe punitos: vt intelligeremus ſcilicet, nil ad Deum pertinens,leue eſſe dicendum:quia etiam quod videbatur exiguum eſſe culpa, grande hoc faciebat diuinitatis iniuria. Denique Oza ille Leuites Dei,qui contra mādatum cœleſte fecit,quod vacillantem arcam Domini ſuſtinere tentauit, nihil enim hinc erat lege præceptum, & ſtatim dum tenebat percuſſus eſt:non quia vt videtur ad ſpeciē contumaci aliquid aut inofficioſa ſaltem mente cōmiſerit, ſed ipſo officio inofficioſus fuit,qui iniuſſa præſumpſit. Homo Iſraëliticæ plebis cum ligna ſabbatis collegiſſet, occiſus eſt, & hoc iuſſu & iudicio Dei, piiſſimi ſcilicet ac miſericordiſſimi iudicis, & qui parcere abſque dubio quàm occidere maluiſſet, niſi rationem miſericordiæ ſeueritatis ratio viciſſet: periit: ne multi per incautelam poſtea deperirent. Et quid de ſingulis dicam, vniuerſa

Plura perderemus diuites, qui tanta prodigimus mendici.

Labes præſentium morum.

Hiere.3.

Pſal.102.

Turpis rei cupiditas.

Matth.5.

Res Romana adhuc integra.

Pupillos prodigos emendat paupertas.

Dignitas iniuriam perferētis.

Exo.31. Num.20. & 25. 1.Par 13. Oza percuſſus.

Num. 15.

gens Hebræorum cum per eremũ iter ageret, quia
Num. 11. consuetudinarias carnes desiderauit, partem suæ
A plebis amisit. Et quidem interdictum nondum fuerat ne desideraret, sed legali, vt reor, obseruantia proficere Deus voluit, vt rebellem concupiscentiam coerceret: quo facilius cunctus populus agnosceret, quantum euitare deberet, quæ Deus scriptis cœlestibus interdiceret, quando etiam illa cum admissa læderent, quæ necdum lege vetuisset. Labo-
Num. 21. rem quoque se sustinere idem populus ingemuit, & propter hoc plagis cœlestibus verberatur: non quia laboranti gemere non liceat, sed ingratus scilicet fuit gemitus, Dominum quasi autorem immaculati laboris accusans: ex quo intelligi conuenit quantum placere Deo debeat, qui rerum iocundarum
B beatitudine fruitur, quando etiam de his queri non licet quæ ingrata videãtur. Quæritur forsitã, quorsum ista pertineant? quorsum, absque dubio, nisi vt nihil leue existimetur quo Deus læditur. De ludis enim publicis dicimus, ludibriis scilicet spei nostrę,
Pro. 10. ludibriis vitæ nostræ. Nam dum in Theatris & circis ludimus, deperimus, secundum illud vtique dictũ sermonis sacri: Stultus per risum operatur scelus. Et nos itaque dum inter turpia ac dedecorosa ridemus, scelera committimus. Et quidem scelera
Duo maxima mala. non minima, sed in hoc ipso pœnaliora quia cum videantur specie esse proba, rebus sunt exitiosis pestilentissima. Nam cum duo sint maxima mala, aut
C si homo se perimat, aut Deum lædat, hoc vtrunque in ludis publicis agitur. Nam per turpitudines criminosas æterna illic salus Christianæ plebis extinguitur, & per sacrilegas superstitiones maiestas diuina violatur. Dubium enim non est, quod lædunt Deum, vtpote idolis consecratæ. Colitur nanque & honoratur Minerua in gymnasiis, Venus in Theatris, Neptunus in circis, Mars in arenis, Mercurius in palęstris: & ideo pro qualitate autorum, cultus est superstitionum. Quicquid immunditiarum est, hoc exercetur in Theatris, quicquid luxuriarum in palæstris. Quicquid immoderationis in
D circis, quicquid furoris in caueis. Alibi est impudicitia, alibi lasciuia, alibi intemperantia, alibi insania. Vbique dæmon, immò per singula ludicrorũ loca, vniuersa dæmonum monstra. Præsident enim sedibus suo cultui dedicatis. Ac per hoc in spectaculis huiusmodi non sola est illecebra, nec sola vitiositas: admisceri enim huic Christianum hominẽ superstitioni, genus est sacrilegij: quia eorum cultibus communicat, quorum festiuitatibus delectatur. Quod quidem licet semper admodum graue sit, tunc tamen magis intolerabile, cum præter consuetudinarium vitæ vsum hoc vel aduersa nostra faciunt criminosius vel secunda, quia & magis pla-
E candus est in aduersis Deus, & minus lædendus in prosperis. Placari quippe debet cum irascitur, lædi non debet cum placatur. Aduersa enim nobis per
Sua ipsius misericordia Deus exoratur. iracundiam Dei veniunt, secunda per gratiam. Nos autem ediuerso omnia agimus. Dicis, Quomodo? Accipe, ac primum si quando exoratus sua ipsius misericordia Deus (neque enim vnquam nos ita viuimus, vt exorari mereamur) sed si quando, vt dixi, à seipso exoratus pacificos nobis dies, prouentus vberes, diuitem bonis omnibus tranquillitatem, & abundantiam dederit super vota crescentem: tanta

Res secundæ. 1. Tim. 4. secundarum rerum prosperitate corrumpimur, tãra morum insolentium prauitate vitiamur, vt & Dei penitus obliuiscamur & nostri: & cum omnem fructum datæ à Deo pacis in hoc consistere Apostolus dicat, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate: ad hoc tantum à Deo data quiete vtimur, vt in ebrietate, vt in luxuria, vt in flagitiis, vt in rapinis, vt in omni scelere atque improbitate viuamus: quasi vero beneficium datæ pacis, vacatio sit probrositatis, & ad hoc inducias trãquillitatis Deo donante capiamus, vt licentius atque securius peccemus. Indigni itaque cœlestibus donis sumus, qui beneficiis Dei non bene vtimur: Indigni sumus cœlestibus donis. qui facimus rem operum bonorum, materiam tantum esse vitiorum: quo fit vt pax contra nos sit, quia sic agitur à nobis, ne expediat rem recipere qua deteriores sumus. Quis hoc credere queat, mutamus naturam iniquitatibus nostris: & quæ Deus bona fecit munere pietatis suæ, ea nos nobis facimus mala esse moribus malis. Sed videlicet qui corrumpimur rebus prosperis, corrigimur aduersis: & quos intemperantes pax longa fecit, turbatio facit esse moderatos. Nunquid populi ciuitatum, qui impudici rebus prosperis fuerant, asperis casti esse cœperunt? Nunquid ebrietas quæ in tranquillitate & abundantia creuerat, hostili saltem depopulatione cessauit? Vastata est Italia tot iam cladibus: ergo Italorum vitia destiterunt? Obsessa est vrbs Roma, & expugnata: ergo desierunt blasphemi & furiosi esse Romani? Inundarunt Gallias gentes Barbaræ; ergo quantum ad mores perditos spectat, non eadem sunt Gallorum crimina quæ fuerunt? Transcenderunt in Hispaniæ terras populi Vuandalorum: mutata quidem est sors Hispanorum, sed non mutata vitiositas. Postremo nequa pars mundi ab exitialibus malis esset immunis, nauigare per fluctus bella cœperũt: quæ vastatis vrbibus mari clausis, & euersis Sardinia ac Sicilia, id est fiscalibus horreis abscissis, velut vitalibus venis, Africam ipsam, Bella nauigare cœperunt. id est quasi animam cepêre Reipub. Ecquid ingressis Barbaris gentibus terram illam, forsitan vel metu vitia cessarunt: aut sicut corrigi ad præsens etiam nequissimi quidam seruorum solent, modestiam saltem ac disciplinam terror extorsit? Quis æstimare hoc malum possit, circumsonabant armis muros Carthaginis populi Barbarorum: & Ecclesia Carthaginensis insaniebat in circis, luxuriabat in Theatris: alij foris iugulabantur, alij intus fornicabantur: pars plebis erat foris captiua hominum, pars intus captiua vitiorum. Cuius peior fuerit captiuitas, incertum est. Illi quidem erant extrinsecus carne, sed isti intus mente captiui: & ex
Carthago à barbaris obsessa. duobus letalibus malis, vt reor, leuius est captiuitatem corporis, quàm captiuitatem animæ sustinere, Matt. 10. secundum illud quod docet saluator ipse in Euangelio, grauiorem multo animarum mortem esse, quàm corporum. An credimus fortè, quod captiuus animus populi illius non fuerit, qui lætus tunc in suorum captiuitatibus fuit? Captiuus corde & sensu non erat, qui inter suorum supplicia ridebat, qui iugulari se in suorum iugulis non intelligebat, qui se in suorum mori mortibus non putabat? Fragor, vt ita dixerim, extra muros, & intra muros, præliorum, & ludicrorum confundebatur:

tur: vox morientium vóxque bacchantium: ac vix discerni forsitan poterat plebis eiulatio quæ cadebat in bello, & sonus populi qui clamabat in circo. Et cum hæc omnia fierent, quid aliud talis populus agebat, nisi vt cum eum Deus perdere adhuc fortasse nollet, tamen ipse exigeret vt periret? Sed quid ego loquor de longe positis, & quasi in alio orbe submotis, cum sciam etiam in solo patrio, atque in ciuitatibus Gallicanis omnes fermè præcellentiores viros calamitatibus suis factos fuisse peiores. Saluiani patria. Vidi ego ipse siquidem Treueros domi nobiles, dignitate sublimes, licet iam spoliatos atque vastatos, minus tamen euersos rebus quàm moribus. Quamuis enim depopulatis iam atque nudatis aliquid supererat de substantia, nihil tamen de disciplina: adeo grauiores in semet externis hostibus erant, vt licet iam à Barbaris euersi essent, à se tamen magis euerterentur. Euertere seipsum. Lugubre est referre quæ vidimus, senes honoratos, decrepitos Christianos, imminente iam admodum excidio ciuitatis, gulæ ac lasciuiæ seruientes. Quid primum accusandum est? quod honorati, an quod senes, an quod Christiani, an quod periclitantes? Quis enim hoc fieri posse credat, vel in securitate à senibus, vel in discrimine à pueris, vel vnquã à Christianis? Iacebant in conuitiis obliti honoris, obliti ætatis, obliti professionis; obliti nominis sui. Principes ciuitatis cibo confecti, in vinolẽtia dissoluti, clamoribus rabidi, bacchatione furiosi, nihil minus quam sensus sui: immo quia prope iugiter tales, nihil magis quàm sensus sui. Sed cum hæc ita essent, plus multo est quod dicturus sum, finem perditioni huic nec ciuitatum excidia fecerunt. Denique expugnata est quater vrbs Gallorũ Treueris opulentissima. Treueris quater ex pugnata. Promptum est de quo dicam. Sufficere vtique debuerat emendationi prima captiuitas, & instauratio peccatorũ non instaurasset excidium. Sed quid plura? Incredibile est quod loquor, assiduitas illic calamitatum, augmentum illic criminum fuit. Sicut enim anguinum illud monstrum, vt fabulæ ferunt, quod Hydra. multiplicabat occisio, ita etiam in Gallorum excellentissima vrbe quibus ipsis coercebantur scelera his crescebant, vt putares pœnam ipsorum criminum non aliud quàm matrem esse vitiorum. Et quid plura? Ad hoc quotidie malorum pullulantium multiplicatione peruentũ est, vt facilius esset vrbem illam sine habitatore, quàm vllum penè habitatorem esse sine crimine. Igitur hoc in illa. Quid in alia non longe, sed propè eiusdem magnificentiæ ciuitate? nónne eadem & rerum ruina pariter & morum? Nam præter cætera, cum duobus illic præcipuis & generalibus malis auaritia & ebrietate omnia concidissent, ad hoc postremo rabida vini auiditate peruentum est, vt principes vrbis ipsius ne tunc quidem de conuiuiis surgerent, cum iam vrbem hostis intraret: adeò etiam Deus ipsis euidenter, vt credo, manifestare voluit cur perirent, cum per quam rem ad perditionem vltimam venerant, eam ipsam agerent cum perirent. Vidi ego illic res lachrymabiles, nihil scilicet inter pueros differre & senes. Vna erat scurrilitas, vna leuitas, simul omnia luxus, potationes, perditiones, cuncta omnes pariter agebant: ludebant, inebriabantur, enecabãtur, lasciuiebant in conuiuiis, vetuli & honorati, ad viuẽdum propè iam imbecilli, ad vinum præualidissimi. Infirmi ad ambulandum, robusti ad bibendum: ad gressum nutabundi, ad saltandum expediti. Et quid plura? In hoc per cuncta illa quæ diximus deuoluti sunt, vt compleretur in eis dictũ illud sermonis sacri: Vinum & mulieres apostatare faciunt à Deo. Eccl. 19. Nam dum bibunt, ludunt, mœchantur, insaniunt, Christum negare cœperunt. Et miramur post omnia ista: si ruinam rerum suarum passi sunt, qui tanto antè mentibus corruerunt? Nemo itaque vrbem illam excidio suo tãtum periisse credat. Vbi enim talia acta sunt, prius iam perierant quàm perirent. Prius perierant quã perirent. Dixi de vrbibus præclarissimis: quid reliquæ in diuersis Galliarum partibus ciuitates? Nunquid non consimilibus habitatorum suorum vitiis conciderunt? Non ita cunctos crimina sua presserant, vt nec metuerent periculum suũ? Prænoscebatur captiuitas, nec formidabatur: ablatus quippe erat à peccatoribus timor, ne posset esse cautela. Itaque Barbaris penè in conspectu omniũ sitis, nullus metus erat hominum, non custodia ciuitatum. Tanta animorum vel potius peccatorum cæcitas fuit, vt cum absque dubio nullus perire vellet, nullus tamen id ageret ne periret. Totum incuria & segnities, totum negligentia & gula, totum ebrietas & somnolentia possidebant, secundum illud scilicet quod de talibus scriptum est: Sopor DOmini irruerat super eos. Sopor quidem infunditur, vt perditio subsequatur. 1. Reg. 26. Gen. 15. Cum enim, scriptum est, completis iniquitatibus suis peccator quis meretur vt pereat: prouidentia ab eo tollitur, vt perituras nõ euadat. Sed hæc hactenus, Satis, vt arbitror, quod proposui euidenter ostẽdi, ne in summo quidem rerum discrimine cessasse vnquam vitia ciuiũ, vsque ad excidia ciuitatum. Atque hæc fuerunt fortasse, iam non sunt, aut vnquam esse cessabunt. Videlicet siqua adhuc hodie aut ciuitas, aut prouincia plagis cœlestibus afficitur, vel hostili populatione vastatur, humiliatur, conuertitur, emendatur. Et non cunctos fermè Romani nominis populos prius est interire, quàm corrigi: non prius ipsos, quàm in ipsis vitia non esse. Denique id breuiter probari potest. Prius intereunt quam corrigantur. Excisa ter continuatis euersionibus summa vrbe Gallorum, cum omnis ciuitas bustum esset, malis & post excidia crescentibus. Nam quos hostis in excidio non occiderat, post excidium calamitas obruebat, cum id quod in excidio euaserat morti, post excidium supereresset calamitati: alios enim impressa altius vulnera longis mortibus necabant, alios ambustos hostium flammis etiam post flammas pœna torquebat. Alij interibant fame, alij nuditate, alij tabescentes, alij rigentes, ac sic in vnũ exitum mortis per diuersa genera corruebant. Et quid plura? Vnius excidio vrbis affligebantur aliæ quoque ciuitates. Iacebant siquidem passim, quod ipse vidi atque sustinui, vtriusque sexus cadauera nuda, lacera, vrbis oculos incestantia, auibus canibúsque laniata: lues erat viuentium, fœtor funereus mortuorum, mors de morte exhalabatur, ac si etiã qui excidiis supradictæ vrbis non interfuerant, mala alieni excidij perferebant. Et quid post hæc, inquam, quid post hæc omnia? Quis æstimare hoc amentiæ genus possit? Pauci nobiles, qui excidio superfuerant quasi pro summo deletæ vrbis reme-

Honestissimum votum.

dio, circenses ab imperatoribus postulabant. Vellẽ mihi in hoc loco ad exequendum rerum indignitatem, parem negocio eloquentiam dari, scilicet vt tantum virtutis esset in querimonia, quantum doloris in causa. Quis enim existimare possit, quid primum in his de quibus diximus accusandum sit, irreligiositas an stultitia, an luxuria, an amentia: totum quippe in illis est. Quid enim aut irreligiosius, quàm petere aliquid iniuria Dei: aut quid stultius, quàm quid petas non considerare: aut quid tam perditi luxus, quàm in luctu res desiderare luxuriæ: aut quid amentius, quàm in malis esse, & malorum intelligentiam non habere? Quanquam in his omnibus nulla res minus culpanda est, quàm amentia: quia voluntas crimen non habet, vbi furore peccatur. Quo magis hi de quibus loquimur accusandi sunt, quia sani insaniebant. Circenses ergo Treueri desideratis & hoc vastati, hoc expugnati, post cladem, post sanguinem, post supplicia, post captiuitatem, post tot euersæ vrbis excidia: quid lachrymabilius hac stultitia, quid luctuosius hac amentia? Fateor, miserrimos vos esse credidi, cum excidia passi estis: sed miseriores vos video, cum & spectacula postulatis. Putabam enim vos in excidiis rem tantum atque substantiam, nesciebam etiam sensum atque intelligẽtiam perdidisse. Theatra igitur quæritis, circum à principibus postulatis: cui quæso statui, cui populo, cui ciuitati? Vrbi exustæ & perditæ, plebi captiuæ, & interemptæ, quæ aut periit, aut luget. De qua etiam siquid supersit, totum calamitatis est: quæ cuncta aut mœstitudine est anxia, aut lachrymis exhausta, aut orbitate prostrata: vt in qua nescias penè cuius sit sors peior ac deterior, interfectorum, aut viuentium. Tantæ enim miseriæ sunt superstitum, vt infelicitatem vicerint mortuorum. Ludicra ergo publica Treuir petis, vbi quæso exercenda? An super bustum & cineres, super ossa & sanguinem peremptorum? Quæ enim vrbis pars his malis omnibus vacat, vbi nõ cruor fusus, vbi nõ strata corpora, vbi non concisorum membra lacerata? Vbique facies captæ vrbis, vbique terror captiuitatis, vbique imago mortis. Iacent reliquiæ infelicissimæ plebis super tumulos mortuorum suorum, & tu Circenses rogas. Nigra est incendio ciuitas, & tu vultum festiuitatis vsurpas. Lugent cuncta, tu lætus es. Insuper etiam illecebris flagitiosissimis Deum prouocas, & superstitionibus pessimis iram diuinitatis irritas. Non miror planè, non miror, tibi euenisse mala quæ consecuta sunt. Nam quia tua te excidia non correxerunt, quartò perire meruisti. Hæc autem omnia ideo copiosius paulo prolata sunt, vt probaremus scilicet, omnia quæ pertulimus, non improuidentia nos Dei atque neglectu, sed iustitia, sed iudicio, sed æquissima & dignissima dispensatione toleraſſe. Neque vllam penitus Romani orbis, aut Romani nominis portionem, quamlibet grauiter plagis cœlestibus cæsam, vnquam fuisse correctam. Et ideo nequaquã vti meremur prosperis, quia non corrigimur aduersis: quamuis nobis etiam indignis interdum tribuantur bona, quia bonus Dominus, quasi indulgentissimus Pater, etsi nos nonnunquam sinit pro peccatis nostris humiliari, non diu tamen patitur affligi: & ideo nunc asperis rebus castigat suos pro disciplina, nunc tranquillis fouet pro indulgentia. Sicut enim optimi ac peritissimi medici dissimilibus morbis curas dispares præstant, atque aliis per dulcia medicamina, aliis per amara succurrunt, & quosdam curant cauteriorum adustione, quosdam malagmatum placabilitate, aliis adhibent duram ferri sectionem, aliis blandam infundunt olei lenitatem, & tamen diuersissimis licet curis eadem salus quæritur: Ita etiam Deus noster, si quando nos plagis austerioribus coercet, quasi cauteriis & sectionibus curat: quando autem rebus prosperis refouet, quasi oleo ac malagmatibus consolatur. Per diuersam enim opem, ad vnam nos vult perducere sanitatem. Solent quippe etiam nequissimos seruos: quos supplicia non correxerunt, blandimenta corrigere: & quos dominis suis verbera non submiserint, beneficia submittunt. Infantes quoque & omnes ferè paruulos contumaces, quos morigeros minæ ac ferulæ non efficiunt, interdũ πάνχρη atque blanditiæ ad obedientiam trahunt. Vnde intelligere debemus nos & seruis nequissimis nequiores, & insipientibus paruulis stultiores esse, quos nec quasi malos seruos tormenta corrigunt, nec quasi infantulos blandimenta conuertunt. Et quidem quemadmodum nullam Romani nominis partem pœna correxerit, satis, vt arbitror, iam probauimus. Supereſt vt quemadmodum nec munera, nec blandimenta nos Dei corrigant, comprobemus. Munera autem Dei & blandimenta quænam sunt, quæ scilicet nisi pax nostra & quies nostra, & famulantes votis ac voluptatibus nostris rerum secũdarum tranquillitates? Aliquid ergo, quia res exigit, etiam speciale dicamus. Igitur quoties in metu, in angustiis, in periculis sumus, cum aut ciuitates ab hostibus obsidentur, aut prouinciæ populatione vastantur, aut quibuscunque rerum aduersitatibus Reip. membra cæduntur, & opem cœlestis manus votis precamur, si quo sacræ miserationis auxilio aut seruatæ vrbes fuerint, aut finita populatio, aut hostiles exercitus fusi, & metus omnis dono diuinitatis ablatus, quid statim post hæc omnia facimus? Compensare credo Domino Deo nostro, cultu, honore, reuerentia, beneficia, quæ ab eo accepimus adnitimur. Hoc enim est consequens, atque id etiam vsus vitæ humanæ habet, vt referatur gratia fœneratoribus gratiarum, & recipiant vicem munerum munerantes: ita ergo nos forsitan facimus: atque humanis saltem cum Deo nostro retributionibus agentes, cũ ab eo bona accepimus, bona reddimus: ad domos videlicet statim Dominicas currimus, corpora humi sternimus, mixtis cum fletu gaudiis supplicamus. Illustramus donariis sacra limina, aras muneribus. Et quia ipsi dono illius festi sumus, templum quoque ipsius vultu nostræ festiuitatis induimus: aut certè quod ei non minus est, prioribus ex ipso corde vitiis renũtiamus, operũ bonorũ victimas cædimus, & pro gaudiis nouis nouę cõseruationis hostias immolamus. Omnibus deniq; immunditiis bellum sanctum indicimus. Circorũ insanias fugimus, fœditates Theatralium ludorum execramur. Vouemus domino nouam vitam, & ad obtinendam eius perpetuo protectionem, nosmetipsos Deo sacrificamus. Cũ hæc ergo quæ diximus pro recentibus beneficiis Dei debeant fieri, videamus

Sani insaniebant.

Simile.

Munera Dei blandimenta quædam sunt.

Referendi gratia.

Ironica.

Vouere animam.

mus quæ fiant: ad ludos protinus curritur, ad insa-
Abuti prosperitate. nias conuolatur, in Theatris populus diffunditur, in circis plebs tota bacchatur. Ille nobis ad hoc bona præstat, vt boni simus: nos ediuerso, quoties bona accepimus, mala nostra cumulamus: ille nos beneficiis suis vocat ad probitatem, nos ruimus in improbitatem: ille beneficiis suis prouocat ad compũctionem, nos ruimus in dissolutionem: vocat ille ad castitatem, nos ruimus in impuritatem. Præclare videlicet sacris muneribus respondemus. Præclarè dona eius vel agnoscimus, vel honoramus, qui quãtum ab eo beneficij accepimus, tantum ei iniuriarũ
Hominis ingratitudo. repensamus: aut iniuria Dei hoc fortè non est, aut esse indignior possit, aut multis & magnis opus sit: sed inueterata in nobis malorum omnium labe aliter iam non vitiosi esse non possumus, nisi vt omnino, non simus. Quæ in nobis rogo spes bonæ frugis est? Qui ignorantia peccant, errore agnito corrigũtur. Qui religionis expertes commutauerunt sectã, mutare incipiũt disciplinam. Postremò, vt dixi, qui, aut abundantia nimia, aut securitate vitiantur, desinunt esse perditi, cũ destiterint esse securi. Nos nec ignorantia labimur, nec religionis experteș sumus, nec prosperitate rerum ac securitate corrumpimur. Omnia siquidem ediuerso sunt. Religionem nouimus, ignorantia non excusamur. Pacem & diuitias priorum temporũ non habemus. Omnia quæ fue-
Sola vitia creuerunt. rant, aut ablata, aut immutata sunt, sola tantum vitia creuerunt. Nihil nobis de pace & prosperitate pristina reliquum est, nisi sola omnino crimina, quę prosperitatem non esse fecerunt. Vbi nanque sunt antiquæ Romanorum opes, & dignitates? Fortissi-
Romani quondam fortes. mi quondam Romani erant, nũc sine viribus. Terrebant Romani veteres, nos timemus: vectigalia illis soluebãt populi barbarorum, nos vectigales barbaris sumus. Vendunt nobis hostes lucis vsurã, tota admodum salus nostra commercium est. O infelicitates nostræ, ad quid deuenimus? Et pro hoc gratias barbaris agimus, à quibus nos ipsos precio cõparamus. Quid potest esse nobis vel abiectius, vel miserius? Et viuere nos post ista credimus, quibus vita sic constat? Insuper etiã ridiculos ipsi nos facimus, aurum quod pendimus, munera vocamus. Dicimus donũ esse quod precium est, & quidẽ preciũ cõditionis durissimæ ac miserrimæ. Omnes quippe captiui cum semel redẽpti fuerint, libertate potiuntur: nos sẽper redimimur, & nunquã liberi sumus.
Simile. Illorũ more dominorũ nobiscũ barbari agunt, qui mancipia obsequiis suis nõ necessaria mercedibus promerendis locant. Similiter enim nunquam ab hac sumus liberi functione quam pendimus. Ad hoc quippe mercedes iugiter soluimus, vt sine cessatione soluamus.

A ciat humanas res Deus: quia cum Romani quondam pagani & vicerint, & regnauerint, nunc Christiani & vincantur, & seruiant. Sufficere quidem ad confutationem obiectionis istius poterant illa, quæ dudum de cunctis ferè paganis, gentibus dicta sunt: id est magis peccare eos qui scientes negligant legem Dei, quàm qui non faciunt nescientes. Sed tamen si Deus annuit, cum ad eam negocij partem accesserimus, vt de veteribus Romanis aliqua dicantur, euidenter diuino munere approbabimus, tam iustum tunc erga illos fuisse Domini fauorem, quàm nunc ergo nos iustam seueritatem. Et tam dignum illud fuisse, quod Roma-
B nos tunc Deus auxilio suo extulit, quàm nunc dignum esse quòd puniuntur. Atque vtinam pœna ipsa prodesset. Illud grauius ac luctuosius multo, quod post pœnam nulla correctio est. Curare nos vult castigationibus suis Dominus, sed curam non
Post pœnã non emendari luctuosum est. remedia sequuntur. Quid hoc mali est? Iumenta ac pecudes sectione curantur. Et putrefacta mulorum, asinorum, porcorum viscera, cum adusta cauteriis fuerint, munus medicæ adustionis agnoscũt, statimque vbi aut cremata, aut desecta fuerit vitiatorum corporum labes, in locum demortuæ carnis viua succedit. Nos & vrimur, & secamur: sed
C nec ferri desectione, nec cauteriorum adustione sanamur: immo quod est grauius, cura ipsa deteriores sumus. Et ideo non frustra nobis euenit, quod euenire pecudibus & iumentis solet, quæ irremediabiles morbos ferunt. Nam in omnibus partibus mundi quia curis medicantibus non corrigimur, morte atque occisione finimur. Ecce enim, vt non repetam, quæ multo ante iam dixi, hoc ipsum quale est quod paulo ante memoraui, scilicet quia & miseri pariter & luxurioși sumus! Esto enim sint vitia ista fœlicium, quamuis nemo quidẽ probrosus possit esse & fœlix: quia vbi non est vera honestas, non est vera fœlicitas. Sed modo, vt su-
Vera fœlicitas. pra dixi, esto sint vitia fœliciũ, & longè flagitiosiùs
D laborauerunt ad exacerbandum. An fortè falsum est, & odiosè potius, quàm verè ista dicuntur? Non oratoria probatione qua vti alij in causis solent, vt producam quoscunque ad probãdum aut paucos, aut extraneos, aut minus idoneos testes: ipsos interrogemus à quibus acta sunt: falsum sit quod diximus, si negarint: fatentur etiam. Et quidem quod est grauius sic fatentur, vt in ipsa confessione non doleant: idem enim nunc est animus in fatentibus, qui in agentibus fuit. Sicut tunc non puduit flagitia committere, sic nunc omnino nõ pœnitet flagitiosa fecisse. Exceptis tamen perpaucis fermè sanctis atque insignibus viris, qui, vt quidam de nume-
E ro ipsorũ ait: Sparsis redemerunt crimina nummis.
Hemistichium ex Poeta quopiam. Exceptis, inquam, his quos loquar, vtique etiam in illa tunc generali admodum colluuione vitiorum, rectè minorum criminũ reos fuisse credimus, qui corrigi à diuinitate meruerunt. Non penitus enim dominũ lædit suum, cui propitiatio reseruatur. Et quid plura? Puto quod sẽper & in ipso errore respexerit, à quo hoc obtinere potuit, ne diutiùs erraret. Cæteri autẽ & plurimi fermè ac nobilissimi, propè idem omnes: vnus gurges, omnium gula: penè vnũ lupanar, omniũ vita. Et quid dicã de lupanaribus?
Lupanaria. Minoris etiam criminis lupanar puto. Meretices

SALVIANI MASSILIENSIS EPISCOPI DE VERO IVDICIO ET *Prouidentia Dei*, LIBER VII.

VM autem de infirmitate ac miseria Romanorum nonnulla dixerim, contraria forsitan negocio quod nunc agimus, dixisse videbimur. Scio enim posse hoc loco subiici, Hinc maximè probari, quod non respi-

enim quę illic sunt, fœdus connubiale non norunt, ac per hoc non maculant quod ignorant. Impudicitiæ enim piaculo sunt obnoxiæ, sed reatu tamen adulterij non tenentur. Adde huic quod & pauca fermè sunt lupanaria, & paucæ quæ in his vitam infœliciſſimam viuunt. Damnauere meretrices apud † Aquitanos: at vbi ea ciuitas in locupletiſſima ac nobiliſſima sui parte non quasi lupanar fuit? Quis potentum ac diuitum non in luto libidinis vixit? Quis non se barathro sordidiſſimæ colluuionis immerſit? Quis coniugij fidem reddidit? Immo quantum ad passiuitatem libidinis pertinet, quis non cōiugem in numerum ancillarum redegit? Et ad hoc venerabilis connubij Sacramenta deiecit, vt nullà in domo eius vilior videretur in maritali deſpectione, quàm quæ erat princeps Matrimonij dignitate. Cogitat fortè aliquis non ita ad plenum esse vt loquor, habuisse enim illic matresfamilias ius suū, & dominarum honorem poteſtatémque tenuisse. Verum est, habuerunt quidem multæ integrum ius dominij, sed nulla fermè impollutum ius Matrimonij: & nos modo non quærimus quæ mulierum poteſtas, sed quàm virorum corrupta fuerit diſciplina. Quamuis nec poteſtatem quidem illic matresfamilias integram habuisse dicam, quia quæcunque ius connubij inuiolatum ac saluum non habet, nec dominium saluum habet. Haud multum enim matrona abest à vilitate seruarum, vbi paterfamilias ancillarum maritus est. Quis autem Aquitanorum diuitum non hoc fuit, quem non sibi ancillæ impudiciſſimæ, aut adulterum aut maritum iure dixerunt? *Equi enim emiſſarij, vt Propheta* ait, *in fœminas facti sunt*. Vnusquisque enim ad vxores proximi sui irruebat: atque illi de quibus hæc scripta legimus, & minore fortasse crimine, & minore, vt reor, numero criminum ac passiuitate peccabāt. Hi autem verè vt emiſſarij equi non ad paucas tantum, sed penè ad omnes vernulas suas, id est ad greges proprios irruebant, & in morem eorum pecudum, qui mariti gregum appellantur, feruidæ libidinis debaccatione grassantes, in quamcunque eos primum fœminam ardens impudicitiæ furor traxerat, irruebant. Hic iam quæro à sapientibus, cum hæc ita essent, quales putent fuisse illic familias, vbi tales erant patresfamilias? Quanta seruorum, illic corruptela, vbi dominorum tanta corruptio? Morbido enim capite, nil sanum est: neque vllum omnino membrum officio suo fungitur, vbi quod est principale non constat. In domo autem sua pacis & opulentiæ securitas. Cur quæso illic sunt, vbi iam nulla pax, vbi nulla securitas. In omni enim fermè vrbè Romana, pax & securitas non sunt. Cur sola vitia tantum perdurant? Quis rogo ferre possit in homine egestuoso esse lasciuiam? Criminosior quippe est luxuriosa paupertas, & maioris est inuidiæ miser nugator. Quis captiuitatem expectans de circo cogitat? Quis metuit mortem, & irridet? Nos & in metu captiuitatis ludimus, & positi in mortis timore ridemus. Sardonicis quodammodo herbis omnem Romanum populum putes saturatum. Moritur & ridet, & ideo in omnibus ferè partibus mundi risus nostros lachrymę consequuntur: ac venit etiam in præsenti super nos illud Domini nostri dictum: *Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis*. Si forsitā cum de ludicris ac fœditatibus publicis diutissimè dixerimus, in hoc tantum deteriores esse nos putes barbaris, quia illi hæc non agunt, nos agimus, cæterum ipso carnalis libidinis scelere & fornicationis funestæ cœno non ita pollui. Comparemus, si placet, cæteris nationibus etiam in hac parte Romanos: & quidem nescio an vllis rectius comparentur, quàm his quos Deus in medio Reip. suæ positos, possessores fecit ac Dominos soli esse Romanis. Vnde quāuis nihil disputari de iudicio Dei possit, tamen cū ablatam nobis iuris nostri optimā partem barbaris dederit, videamus an id quod nobis tulit & illis tradidit, iusto iudicio tradidisse videatur. Nemini dubium est Aquitanos omnes populos medullam ferè omnium Galliarum, & vber totius fœcunditatis habuisse: nec solum fœcunditatis, sed quæ præponi interdum fœcunditati solēt, voluptatis, iocunditatis, pulchritudinis: adeò illic omnis admodum regio aut intertexta vineis, aut florulenta pratis, aut distincta culturis, aut consita pomis, aut amœnata lucis, aut irrigata fōtibus, aut interfusa fluminibus, aut circundata messibus fuit: vt verè possessores & Domini terræ illius, non tam soli istius portionem, quàm paradisi imaginem possedisse videantur. Quid ergo post ista omnia? Officiosiores absque dubio Deo esse debuerant, quos specialiter Deus abundantissima beneficiorū suorum dote ditauerat. Quid enim rectius aut quid dignius, quàm vt quibus per munera sua Dominus quasi specialiter videbatur placere voluisse, iidem quoque specialius Domino cultu ac religione placuissent? præsertim cū à nobis Deus nil onerosum, nil graue exigat. Non enim nos ad aratra, aut ad ligones vocat, non ad scindendas terras, neque ad vineas pastinandas, non denique illa exigit à suis seruis quæ nos exigimus à nostris. Quid nanque ait? Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue, & onus meum leue. Non ergo nos ad laborem vocat Dominus, sed ad refectionē. Quid nāque à nobis exigit, quid præstari sibi à nobis iubet, nisi solam tātummodo fidem, castitatem, humilitatem, sobrietatem, misericordiam, sanctitatem? Quæ vtiq; omnia non onerant nos, sed ornāt: nec solum hoc, sed adeò vitam præsentem ornant, vt futurā plus ornare possint. O pium, ô inæstimabilis misericordiæ Dominum, qui ad hoc nobis in præsenti religionis munera tribuit, vt ipsa in nobis postea quæ nunc dat munera muneretur. Tales igitur etiā omnes absque dubio Aquitani esse debuerant. Et quidem, vt diximus, specialius tales, quia specialia Dei munera possidebāt. Et quid post hæc omnia, quid secutum est? Quid, nisi cuncta quæ diuersa sunt? In omnibus quippe Galliis sicut diuitiis primi fuere, sic vitiis. Nusquam etiā improbior voluptas, nusquā inquinatior vita, nusquā corruptior diſciplina. Hanc pro muneribus sacris dederūt domino retributionē: vt inquātum eos beneficiis suis ille ad se illexerat ad propitiandū, intantum, illi ab eo recederēt. Dominus quasi corporis sui caput est, & vita eius cunctis quasi norma viuēdi. Pessimúmque est hoc in hoc negocio, quod libentius omnes deteriora

Aquitani
† For. Auxitanos.
Passiuitas.
Contēptus vxoris.
Paterfamilias ancillarum maritus. Hiere. 5.
Emiſſarij equi.
Morbidū caput.
Luxuriosa paupertas.
Risus sardonius. Risum lachrymæ cōsequuntur.
Luc. 6.
Galliarum fœcūditas.
Suā munera numerat Deus.
Diuitiis primi & vitiis.
Liberalis nostra iniquitas.
Matt. 11.

deteriora sectantur: & facilius mala institutio damnat bonos, quam bona emendat malos. Porrò autẽ cũ etiam boni atque honesti Patresfamilias famulos bonos facere non possint, quãtam illic putamus fuisse labem familiarum, vbi domini erant impuritatis exemplum? Quamuis non exemplum illic tãtummodo fuerit, sed vis ac necessitas quędam: quia parêre impudicissimis dominis famulæ cogebãtur inuitæ: & libido dominantium, necessitas subiectarum erat. Ex quo intelligi potest, quantum cœnum impudicarum sordium fuerit, vbi sub impurissimis dominis castas esse etiamsi voluissent fœminas non licebat. Sed videlicet difficile hoc probari potest, & nulla omnino extant præteritarum turpitudinũ flagitiorúmque vestigia. Ecce etiam nunc multi ex eis licet patria careant, & in comparatione præteritarum opum pauperes viuant, peiores fermè sunt quàm fuerunt. Peiores autem non vno modo, quia etsi eadem faciunt quæ antè faciebant, hoc ipso tamen deteriores sunt quia à scelere non cessant. Siquidem facinora eorum etsi maiora non sunt, attamen plura sunt: ac per hoc etsi criminum nouitate non crescunt, pluralitate cumulantur. Adde autem quod hæc, vt dixi, faciũt iam senes, adde quod pauperes. Vtrunque enim sceleris augmentum est: minus siquidẽ prodigiosum est peccare iuuenes, peccare locupletes. Quæ autem in his spes aut remediũ est, qui ab vsitata impuritate, nec miseriarum egestate, nec vitæ extremitate reuocantur? Esto enim quosdã aut stulta præsumptio longæ vitæ, aut spes quandoque agendæ pœnitentiæ consoletur: nonne nouum hoc monstri genus est, esse aliquos etiam in morte vitiosos? Quæ cum ita sint, nunquid est aliquid quod dici amplius possit? Sed adhuc tamen addamus, scilicet quod multi hæc agunt hodie etiã inter hostes siti, & quotidiano discrimine ac timore captiui. Cúmque ob impurissimam vitam traditi à Deo barbaris fuerint, impuritates tamen ipsas etiã inter barbaros non relinquunt. Sed tales fortè hostes sunt inter quos agunt, vt eos ista delectent, & offendantur grauissimè, si cum impudici sint, videãt castos esse Romanos: quod si ita esset, nequaquam tamen facere nos improbos improbitas deberet aliena: quia quemlibet hominum magis sibi præstare conuenit vt sit bonus, quàm alteri vt sit malus: & plus id laborandum est vt placeamus Deo per honestatem, quàm vt hominibus per impuritatem: ac perinde etiam si inter impudicos quis barbaros viuat, magis tamen pudicitiam amet, siquidem quæ sibi expedit, quàm impudicitiam, quæ impuris hostibus placet. Sed quid accidit insuper ad mala nostra? Inter pudicos barbaros impudici sumus. Plus adhuc dico, offenduntur barbari ipsi impuritatibus nostris. Esse inter Gothos non licet scortatorem Gothum, soli inter eos præiudicio nationis ac nominis permittuntur impuri esse Romani. Et quæ nobis rogo spes ante Deum est? Impudicitiam nos diligimus, Gothi execrantur: puritatem nos fugimus, illi amant: fornicatio apud illos crimen atque discrimen est, apud nos decus. Et putamus nos ante Deum posse consistere? Putamus nos posse saluos esse, quando omne impuritatis scelus, omnis impudicitiæ turpitudo à Romanis admittitur, & à barbaris vindicatur? Hîc nunc illos requiro,

Senex turpis monstrum.

Inter pudicos barbaros impudici.

Fornicatio apud illos crimen.

qui meliores nos putant esse quàm barbaros. Dicãt quid horum vel pauciſſimi Gothi faciunt, vel quid non horum Romani omnes, vel penè omnes: & miramur, si terræ vel Aquitanorum, vel nostrûm omnium à deo barbaris datæ sunt: cum ea quæ Romani polluerant fornicatione, nunc mundent barbari castitate. Sed fortè hoc in Aquitanicis tantũ: transeamus etiam ad alias mundi partes, ne de solis tantummodo Gallis dixisse videamur. Quid Hispanias? nónne vel eadem, vel maiora forsitan vitia perdiderunt? Quas quidem cœlestis ira etiam si aliis quibuslibet barbaris tradidisset, digna tamen flagitiorum tormenta tolerauerunt puritatis inimici. Sed accessit hoc ad manifestandam illic impudentiæ damnationem, vt Vuandalis potissimum, id est publicis barbaris traderentur. Dupliciter in illa Hispanorum captiuitate Deus ostendere voluit, quantum & odisset acrius libidinem, & diligeret castitatem, cum & Vuandalos ob solam maximè pudicitiam illis superponeret, & Hispanos ob solã vel maximè impudicitiam subiugaret. Quid enim? Nunquid non erant in omni orbe terrarum barbari fortiores, quibus Hispaniæ traderentur? Multi absque dubio, immò ni fallor, omnes. Sed ideo ille infirmissimis hostibus cuncta tradidit, vt ostẽderet scilicet nos vires valere, sed causam: neque non tunc ignauissimorum quorundam hostium fortitudine obrui, sed sola vitiorum nostrorum impuritate superari: vt verè in nos venerit dictum illud, quod ait ad Iudæos Dominus: Secundum immunditias suas & secundum iniquitates suas feci illis & auerti faciem meam ab eis. Et alibi ad gentem ipsam: Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & vngulis, inquit, equorum suorũ omnes plateas cõculcabunt, & populum tuum gladio interficient. Completa ergo in nos sunt omnia quæ ait sermo diuinus & iura verborũ cœlestium luit pœna cunctorũ: sed tamen cum omnes ferè barbaræ gentes Romanum sanguinẽ biberint, omnes viscera nostra laceraue-
rint, quid est quod Deus noster maximas Reipub. opes & locupletissimos Romani nominis populos in ius potissimum ignauissimorũ quorundã hostiũ dedit? Quid, nisi vt cognoscceremus scilicet quod supra dixi, meritorum hoc fuisse, non virium: vtq; ipsum quoque hoc nobis in confusionẽ cederet ac pœnam, quod ignauissimis traderemur: & vel sic plagam cœlestis manus agnoscceremus, quia nos nõ fortissimi, sed ignauissimi subiugarent. Sic euidenter Deus intelligi voluit, magna opera sæpè patrari per paucos. Ita per infirmos res acta est, ne opus cœlestis dexteræ virtuti assignetur humanæ, sed diuinæ: siquidẽ & dux Sisara, quẽ Hebræus timebat exercitus, à muliere prostratus est. Et Abimelech ciuitatũ expugnatorẽ fœminea manus percutit, & ferratæ Assyriorũ acies vidua opitulante ceciderũt. Et ne de solis fœminis tantũ loquar, Benadab regẽ Syriæ, cui præter innumera populi sui milia, & triginta duo reges, exercitúsque eiusdẽ numeri seruiebãt, nõne ideo à paucis principũ pedissequis Dominus vinci voluit, vt qui esset autor talis victoriæ nosceretur? Cõtra Madianitas quoq;, qui, vt liber Iudicũ refert, instar locustarũ cuncta cõpleuerant: Gedeon iubetur pugnare cũ paucis, non quia plures in exercitu nõ haberet, sed vetatur multos ad bellum du-

Non vires valere, sed causam

Ezech. 38.

Deut. 28.

Hispania.

Vuandali.

Iudicum 4. & 9.

3. Reg. 20.

Victoriæ autor. Iudic. 7.

cere, ne multitudo sibi possit aliquid de victoria vsurpare. Vnde cum triginta milia armatorum congregasset, sic ad eum Dominus locutus est: Multus est tecum populus, nec tradetur Madian in manus eius. Et quid postea? Homini aduersum innumera barbarorum milia pugnaturo CCC. tantum viros reliquit. In eam quippe exiguitatem redigi agmen militum iussit, vt sibi de patrato diuinitus belli opere paucitas vsurpare nihil posset: denique cur hoc Dominus faceret, ita ipse euidentissimè declarauit, dicens: Ne glorietur contra me Israël & dicat, viribus meis liberatus sum. Audiant, inquam, hoc omnes improbi, audiant omnes præsumptuosi, audiant præpotentes, audiant cuncti quid Deus dicit: Ne glorietur, inquit, contra me Israël, & dicat: Meis viribus liberatus sum. Audiant, inquam, omnes contraria & blasphema iactantes, audiant hæc spem suam in homine ponentes, loqui vniuersos aduersum se Deus dicit, qui liberari se viribus suis posse præsumunt. Quis autem est Romanorum non ita dicens? Quis est non ita sentiens? Quis nostræ partis non propè iugiter in hac parte blasphemat? Nullas esse iam Reipub. vires, omnium conscientia est, & ne sic quidem agnoscimus, cuius hoc beneficiis, quod adhuc viuimus, debeamus. Siquando enim nobis prosperi aliquid præter spem nostram & meritum Deus tribuit, alius ascribit hoc fortunæ, alius euentui, alius ordinationi ducum, alius consilio, alius magistro, alius patrocinio, nullus Deo. Et miramur si nobis cœlestis manus aliqua non præstet, cui quicquid præstiterit, derogamus? Quid enim aliud facimus, cum bona quæ præstat, nos vel euentibus casuum, vel virtutibus ducum, vel quibuscunque aliis rebus friuolis deputamus? Hoc enim modo & terris nos oportet gratias agere quod fruges annuas metimus, & vineis quod vindemiamus, & mari quod pisces capimus, & syluis quod ligna cædimus, & ouibus quod veste tegimur, & pecudibus cæteris quod carne saturamur. Nam quæ ratio est, vt ei pro muneribus aliis grati esse videmus, cui maximorum beneficiorum gratiam derogamus? Aut quis contentus est homo nostræ conditionis, vt ei quis acceptum referat, cui de donis suis detraxerit summa? Ita & nos licet Deo in nullo dignè gratias agamus, parum tamen erat si pro his tantummodo grati esse vellemus, quæ ad vsum viuendi dedit: Cur hanc gratiam tollimus, quod nos in angustiis iuuat, & in periculis liberat, & in medio barbararum gentium suos iugi protectione conseruat? At non ita Gothi, non ita Vuandali, malis licet doctoribus instituti, meliores tamen in hac parte quàm nostri. Offendi quosdam quamuis suspicor his quæ diximus: sed quia veritas magis quàm offensio cogitanda est, dicam, & sæpè dicam: non ita Gothi, non ita Vuandali, qui & in discrimine positi opem à Deo postulant, & prosperitatis suæ munus diuinis nominibus appellant. Denique probauit hoc bello proximo infelicitas nostra. Cum enim Gothi metuerunt, præsumpsimus nos, in viribus spem ponere, illi in Deo: cum pax ab illis postularetur, à nobis negaretur: illi Episcopos mitterent, nos repelleremus: illi etiam in alienis Sacerdotibus Deum honorarent, nos etiam in nostris contemneremus: prout actus vtriusque partis, ita & rerum terminus

Pugna Gedeonis.

Ibidem Audiant improbi.

Omnia Deo sunt accepta ferenda.

Veritas odiosa.

Episcopi.

fuit. Illis data est in summo timore palma, nobis in summa elatione confusio. Verè & in nobis tunc & in illis euidenter probatum fuit illud Domini nostri dictum, Quoniam qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Illis enim exaltatio data est pro humilitate, nobis pro elatione deiectio. Nanque agnouit hoc ille dux nostræ partis, qui eandem vrbem hostium quam eodem die victorem se intraturum esse præsumpsit, captiuus intrauit. Probauit scilicet quod Propheta dixit, quia non est hominis via eius, nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos. Nam quia viam suam iuris sui existimauit, nec gressum directionis habuit, nec viam salutis inuenit. Effusa est, vt legimus, abiectio super principem, seductus est in inuio, non in via: & ad nihilum deductus est, velut aqua decurrens: in quo quidem præter ipsam rerum infœlicitatem præsens iudicium Dei patuit, vt quicquid facturum se vsurpârat, patereturr. Nam quia sine diuinitatis auxilio ac Dei ductu capiendû à se hostem credidit, ipse captus est: consilij ac sapientiæ summam vsurpauit, ignominiam temeritatis incurrit: vincula quæ aliis parauit, ipse sustinuit. Et quod rogo euidentius Dei iudicium esse potuit, quàm vt habens prædatoris fiduciam, præda fieret: triumphum præsumens, triumphus esset, circundaretur, corriperetur, alligaretur, retorta brachia tergo gereret, manus quas bellicosas putabat, vinctas videret? Puerorum ac mulierum spectaculum fieret, illudentes sibi barbaros cerneret, irrisorum sexus promiscui sustineret: & qui maximum habuerat supercilium fortis viri, mortem subiret ignaui? Atque vtinam hoc ipsum breue remedium malorum esset, non diuturna toleratio. Ille autem, quantum ad pœnarum longitudinem pertinet, longo tempore & diuturna in ergastulo barbarorum tabe consumptus, in hanc miseriam redactus est, vt quod plerunque homines etiam pœnis ipsis grauius atque acerbius putant, in miserationem hostium deueniret. Et hoc cur absque dubio, nisi quia, vt iam dixi, illi Deo humiles, nos rebelles: illi crediderunt in manu Dei esse victoriam, nos in manu nostra, immo in sacrilega atque impia, quod est peius nocentiúsque quàm natiua. Denique ipse rex hostiũ, quantum res prodidit ac probauit, vsque ad diem pugnæ stratus cilicio preces fudit, ante bellum in oratione iacuit, ad bellum de oratione surrexit. Priusquàm pugnam manu capesseret, supplicatione pugnauit, & ideo fidens processit ad pugnam, quia iam meruerat in oratione victoriam. Non dissimiliter autem illud etiam apud Vuandalos, ad quos cum in his partibus sitos nostra pars pergeret, tantámque ad debellandos eos præsumptionis fiduciam ferret, quantam etiam proximè ad Gothos, pari superbiæ, pari fastus exitu corruerunt. Venit q; super exercitum nostrum Prophetæ dictum: Obruet Dominus confidentiam tuam, & nihil habebis prosperum. Confidebamus enim in sapientia nostra & fortitudine, contra Dei mandata dicentis: Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me quia ego sũ Dominus. Nõ immerito itaq; metu numinis ad meliora se illi subsidia cõtulere

Luce 14.

Prou. 16. & 20.

Psa. 105.

Militaris pietas.

Oratio vincit.

Hier. 2.

Hier. 9.

tulere quàm noſtri; nam cum armis nos atque auxiliis ſuperbiremus, à parte hoſtium nobis liber diuinæ legis occurrit. Ad hanc enim præcipuè opem timor & perturbatio tunc Vuandala confugit, vt ſeriè nobis cœleſtis eloquij opponeret, & aduerſũ aduenientes ora reſeraret. Hîc nunc requiro, quis hoc vnquam è noſtris patribus fecerit, aut quis nõ irriſus fuerit ſi putaſſet eſſe faciendum, irriſus vtique, ſicut à noſtris omnia fermè religioſa ridẽtur. Et ideo quid prodeſſe nobis prærogatiua illa religioſi nominis poteſt, quòd nos Catholicos eſſe dicimus, quòd fideles eſſe iactamus: quod Gothos ac Vuãdalos hæretici nominis comprobatione deſpicimus, cum ipſi hæretica prauitate viuamus. Itaq; rectiſſimè nobis dicitur illud quod Iudæis in lege fidẽtibus dixit ſermo diuinus: Quomodo dicitis, ſapiẽtes ſumus, & lex Domini nobiſcũ eſt? Nolite, inquit, confidere in verbis mendacij, dicẽtes, templum Domini, templum Domini, tẽplum Domini eſt: quoniã ſi benedixeritis vias veſtras & ſtudia veſtra, & aduenæ, & pupillo, & viduæ nõ feceritis calũniã, nec ſanguinem innocẽtum effuderitis in loco hoc, Habitabo vobiſcũ in loco iſto à ſeculo vſque in ſeculũ. Quo vtique oſtenditur, quod ſi iſta nõ facimus, ſuperflua nobis catholici nominis prę-ſumptione plaudamus vbi Dei iuge iudicium eſt. Illi creſcunt quotidie, nos decreſcimus: illi proficiunt, nos deprauamur: illi floreſcunt, nos areſcimus, vt verè in nos veniat dictum illud quod de Saul ac Dauid ait ſermo diuinus: quia Dauid erat proficiens, & ſemper ſeipſo robuſtior, domus autẽ Saul decreſcens quotidie: Iuſtus eſt enim, vt Prophe-ta ait, iuſtus eſt Dominus, & rectum iudiciũ ſuum. Iudicamur itaq; etiam præſente iudicio à Deo & ideo excitata eſt in pernicię noſtrã ac dedecus genś ignauiſſima, quæ de loco in locũ pergẽs, de orbe in orbẽ tranſiens, vniuerſa vaſtaret. Ac primũ de ſolo patrio effuſa eſt in Germaniam primã, non nomine Barbarã, ditione Romanã, poſt cuius exitiũ primũ arſit regio Belgarum, deinde opes Aquitanorũ luxuriantiũ. Et poſtea quid fuit totũ Africæ territoriũ, quàm domus vna vitiorũ, aheno illi ſimilis, de quo Propheta dicit: Væ ciuitati ſanguinum, ollæ cuius rubigo in ea eſt, & rubigo eius non exiuit de ea. Ciuitatem, vt videmus, aheno, & iniquitatem ſanguini comparauit, vt intelligamus ſcilicet ſic eſſe in ciuitate populi iniquitatem, ſicut in aheno ſanguinem bullientem. Non diſſimile eſt autem huic illud ſacri ſermonis: facti ſunt mihi domus Iſraël commixti omnes æramento, & ferro, & ſtagno, & plumbo, & in medio argentum permixtum eſt. Propterea ſic dicit hæc Dominus: Pro eo quod facti eſtis omnes in permixtionem vnam, conflabo vos & inſufflabo vos in igne iræ. Diſſimillima inter ſe genera metallorum ſacer ſermo memorauit. Et quomodo in eodem conflatorio res diuerſæ conflantur? Scilicet quod in diuerſitatibus metallorum diſſimilitudo hominum deſignatur. Et ideo etiam argentũ, id eſt, nobilioris materiæ metallũ iiſdem ignib⁹ datur, quia naturæ nobilioris ingeniũ vita degenerãte damnatur. Sicut etiam de principe Tyri dixiſſe legimus Deũ per Prophetã: Filî hominis accipe lamentum ſuper principẽ Tyri, & dic illi: Hæc dicit Dominus De⁹

Irridetur religio. prærogatiua religioſi nominis.

Hiere. 8. & 7.

Pſal. 118.

Germania.

Ezec. 24.

Ezec. 22.

Diuerſitas metallorũ.

Ezec. 27.

tu conſignatio ſimilitudinis, & corona decoris in delitiis paradiſi fuiſti: omnem lapidem precioſum indutus es, Sardonicem, & Topazium, & Smaragdũ. Et iterũ: Argento, inquit, & auro impleſti Theſauros tuos, à multitudine negociationis impleſti promptuaria tua. Quæ omnia nunquid non talia ſunt, vt vel ſpecialiter de Africis dicta videantur? Vbi enim maiores Theſauri, vbi maior negociatio, vbi prõptuaria pleniora? Auro, inquit, impleſti Theſauros tuos à multitudine negociationis tuæ. Ego puto adeò diuitem quõdam Africam fuiſſe, vt mihi copia negociationis ſuæ non ſuos tantum, ſed etiam mũdi Theſauros videatur impleuiſſe. Et quid poſt hæc? Exaltatum eſt, inquit, cor tuum in decore tuo, propter multitudinem peccatorum tuorum in terrã te proiecci. Quomodo Africanæ potentiæ & hoc competit, aut quomodo proiecta eſſe videtur in terram! Quomodo, niſi quando amiſit potẽtiæ veteris altitudinem, quaſi cœleſtem perdit dignitatem. Et educam, inquit, ignem de medio tui, hic te deuorauit. Quid hac re verius? de media quippe eorum iniquitate ignis peccati exiit, qui felicitatem prioris tẽporis deuorauit. Et omnes, inquit, qui te nouerunt inter nationes, contriſtabũtur ſuper te. Conuenire illis hoc non putemus, ſi non euerſio Africani ſoli, luctus eſt generis humani. Perditio, inquit, factus es, & non eris amplius in æternum. In perditionem illic iam deducta omnia ſatis conſtat. Supereſt ne malorum præſentium pœnas etiam æterna continuatio conſequatur: non patitur hoc autem pro affectu ſuæ miſericordiæ Deus. Nam quantum ad meritum noſtrorum criminum pertinet, ita ſe res habet, vt pati poſſe videatur. Quid enim piaculorum eſt nõ illic ſemper admiſsũ? Ne de omnibus dicã, quia & enormia ferè ſunt, & ſciri & dici tanta non poſſunt, de ſola vel maximè obſcœnitate impuritatum loquor: & quod eſt grauius, ſacrilegiorum. Prætermitto in aliquo rabiem cupiditatis, vitium totius generis humani. Prætereo auaritiæ inhumanitatẽ, quod propriũ eſt Romanorum penè omniũ malum. Relinquatur ebrietas nobilibus ignobilibúſque cõmunis. Taceatur ſuperbia & tumor, tam peculiare hoc diuitum regnũ eſt, vt aliquid forſitan de iure ſuo ſe putent perdere, ſi hinc ſibi alius quicquã voluerit vẽdicare. Tranſeatur denique propè omne fraudũ, falſitatum, periuriorum nephas, nulla vnquam his malis Romana ciuitas caruit, ſed ſpecialiùs hoc ſcelus Afrorum omnium fuit. Nam ſicut in ſentinam profundæ colluuiones omnium ſordium: ſic in mores eorum, quaſi ex omni mundo, vitia fluxerunt. Nullam enim improbitatem ſcio quæ non redundauerit, cum vtique etiam paganæ ac ferinę gentes, etſi habeant ſpecialiter mala propria non eſt tamen in his hoc corpus omnium.† Galliarum, ſed paulatim id ipſum tamen, vt dum pars clade cæditur, pars exemplo emendetur. Sed vbi apud nos emendatio, aut quæ pars Romani orbis quamuis afflicta corrigitur! Omnes enim, vt legimus, declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. Et ideo Propheta clamat ad Deum, & dicit: Percuſſiſti eos, & non doluerunt: attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinã. Indurauerunt facies ſuas ſuper petrã, & noluerũt reuerti. Quàm vere autem

Ezec. 28.

Africæ diuitiæ.

Romani auari.

Simile.

Pſal. 52.

Hiere. 5.

etiam in nos hoc cadat, res ipsa indicat. Vastata est A diu Gallia, ergo emẽdata est cum vicina esset Hispania. Nec immerito, quia nullus erat omnino timor, nulla correctio, flammis quibus arserunt Galli, Hispani ardere cœperunt. In quo illud est, vt supra dixi, sceleratissimum & grauissimum: quod cũ arserint, vt ita dicam, membra hominum peccatorum, curata nõ sunt vitia peccantium. Et ideo cõpulsus est criminibus nostris Deus, vt hostiles plagas de loco in locum, de orbe in orbem spargeret, & excitatas penè ab vltimis terræ finib⁹ gentes etiã trans mare mitteret, quæ Afrorum scelera punirẽt. Quid enim? Nunquid abductæ à solo patrio degere intra Gallias non potuerant? Aut ne degerent, quem timebant, cum illæsæ à nobis vsque ad tempus illud cuncta vastauerint? Sed esto intra Gallias formidabant: quid in Hispania, vbi exercitus nostros etiam bellando contriuerant, nunquid cõstare aut permanere metuebant iam victores, iam triumphantes? Quibus vsque ad hoc fortitudinis factum contingeret ascendere, & post experimenta belli diu parati intelligerent sibi Romanæ Reipub. vires etiam cum barbarorum auxiliis pares esse nõ posse. Potuerant ergo illic degere, nec timebant: sed illa vtique cœlestis manus, quæ eos ad puniendã Hispanorum flagitia illuc traxerat, etiam ad vastandã Africam transire cogebat. Ipsi denique fatebantur non suum esse quod facerẽt, agi enim se diuino iussu ac perurgeri: ex quo intelligi potest quãta sint mala nostra, ad quos vastandos, atque cruciandos ire barbari compelluntur inuiti, secundum illud quod vastator terræ Israëliticæ rex Assyriorũ ait: Nunquid sine Domini voluntate ascendi in locum istum? Dominus dixit mihi: Ascende ad terram hanc, & demolire eam. Et alibi sacer sermo: Hoc dicit Dominus exercituum Deus Israël, ecce ego mittam & assumam Nabuchodonosor regem Babylonis seruum meum, veniénsq; percutiet terram Aegypti. Vnde agnoscere possumus cũcta quidem quæ affliguntur, iudicio Dei percuti, sed tamen vt sæpe memoraui, propter peccata subuerti. Ac per hoc quicquid actum est, peccatis non Deo ascribendum: quia recte illi rei factum ascribitur, qui vt ita fieret, exegit. Nam & homicida cùm à iudice occiditur suo scelere punitur: & latro aut sacrilegus cum flammis exuritur, suis criminibus cõcrematur. Vnde & quod Vuandali ad Africã transierunt, non est diuinæ seueritati, sed Afrorũ sceleri deputandum. Graui enim eos antequàm illuc pergerent ac longa iniquitate traxerunt. Et ideo intelligere debem⁹, quia pietatis diuinæ fuit, quod pœnam diu debitam distulit: piaculorum autem & criminum, quod aliquando peccator populus quæ merebatur accepit: nisi fortè Afros hoc non metuisse credimus, cum vtique nulli magis, vt pote in quos omnia simul improbitatum atque impuritatũ genera cõfluxerint. Cæteri enim homines etsi nõnullis flagitiorum vitiis obligati sunt, quibusdam tamen non implicantur: etsi vinolentia non carent, maleuolentia carent: etsi libidine æstuant, rapacitati non seruiunt. Multos denique etsi accusat incontinentia corporum, simplicitas cõmendat animorum. In Afris penè omnibus nihil horum est, quod ad vtrunque pertineat, id est bonum æque ac malum: quia totum admodum malum. Adeò exclusa naturæ originalis synceritate, aliam quodãmodo in his naturam vitia fecerunt. Exceptis enim pauciss. Dei seruis, vbi non omnia execratione digna? Gothorum gens perfida, sed pudica est; Alanorum impudica, sed minus perfida: Franci mendaces, sed hospitales: Saxones crudelitate efferi, sed castitate venerandi. Omnes denique gẽtes habent sicut pecularia mala, ita etiam quædam bona. In Afris penè omnibus nescio quid non malum. Si accusanda est inhumanitas, inhumani sũt; Si ebrietase, briosi sũt. Si falsitas, fallaciss. Si dolus, fraudulentiss. Si cupiditas, cupidiss. Si perfidia, perfidiss. Impuritas eorum atque blasphemia his omnibus admiscenda non sunt: quia illis quæ supra diximus malis aliorum gentium vitia, his autem etiam sua ipsorum vicerunt. Ac primum, vt de impuritate dicamus, quis nescit Africam totam obscœnis libidinum tædis semper arsisse: non vt terram ac sedem hominum, sed vt æthnã putes impudicarum fuisse flammarum. Nam sicut æthna intestinis quibusdam naturę feruentis ardoribus, sic illa abhominandis iugiter fornicationum ignibus æstuauit. Nec volo in hac re assertionibus meis credi, testimonium requiratur generis humani. Quis non omnes omnino Afros impudicos generaliter sciat, nisi fortè ad Deum conuersos, id est Fide ac religione mutatos. Sed hoc tam rarum est ac nouum, quàm rarum videri potest quẽlibet gaeonem non esse gaeonem, aut quemcunque sæuum non esse sæuum. Tam infrequẽs est enim hoc & inusitatum, impudicum non esse Afrum, quàm nouum & inauditum, Afrum non esse Afrum. Ita enim generale in eis malum impuritatis est, vt quicunque ex eis impudicus esse desierit, Afer non esse videatur. Nec discurram per loca singula, aut cunctas discutiam ciuitates, ne studiosè videar quęrere, aut inuestigare quæ dicam: vna tantum vniuersarum illic vrbium principe, & quasi matre cõtentus sum, illa scilicet Romanis arcibus semper æmula, armis quondam & fortitudine, post splẽdore & dignitate. Carthaginem dico & vrbi Romæ maxime aduersariam, & in Africano orbe quasi Romam, quæ mihi ideo in exemplum ac testimonium sola sufficit: quia vniuersa penitus, quibus in toto mundo disciplina Reipub. vel procuratur, vel regitur, in se habuit. Illic enim omnia officiorum publicorum instrumenta, illic artium liberalium scholæ, illic Philosophorum officinæ, cũcta deniq; vel linguarum gymnasia vel morum: illic quoque etiam copiæ militares & regentes militiam potentes, illic honor proconsularis, illic quotidianus iudex & rector, quantum ad nomen quidem procõsul, sed quantum ad potentiam consul: illic quoq; omnes rerum dispensatores, & differentes inter se tam gradu, quàm vocabulo dignitates omnium, vt ita dicam, platearum & compitorum procuratores, cuncta fermè & loca vrbis, & membra populi gubernantes. Hac ergo tantum contenti sumus ad exemplum ac testimonium cæterarum; vt intelligamus scilicet quales illæ fuerunt ciuitates, quæ minores habuerunt probi officij procurationes, cũ viderimus qualis extiterit vbi summi semper fuere Rectores. Quo loco, propè est vt pœniteat me

profes-

Vastata Gallia.

Bellorum causæ.

Esa. 36.

Hiere. 25.

Causa malorum peccata non Deus.

Vuandali.

Mores Gothorum. Alanorum. Francorum. Omnium gentium peculiaria bona & mala. Afri in.

Afrorum impudicitia.

Carthago.

professionis meæ: id est; quod superiùs spopondi, cunctis propè Afrorum criminibus prætermissis, de impuritatibus præcipuè ac blasphemiis eorum me esse dicturum. Video enim quasi scaturientem vitiis ciuitatem, video vrbem omnium iniquitatũ genere furentem; plenã quidem turbis, sed magis turpitudinibus; plenam diuitiis, sed magis vitiis: vincentes se inuicem homines nequitia flagitiorum suorum; alios rapacitate, alios impuritate certantes; alios vino languidos, alios crudelitate distentos; hos sertis redimîtos, illos vnguẽtis oblîtos; cũctos vario luxús marcôre perditos, sed penè omnes vinolentia temulentos, sed omnes peccatis ebrios. Populos putares non sani statús, non sui sensús; nõ animo incolumes, non gradu (quasi in morem Baccharum) crapulæ cateruatim inseruientes. Iam verò illud cuiusmodi, aut quàm graue; genere quidem dispar, sed iniquitate non dispar; nisi fortè in hoc dispar, quia maius. Proscriptiones dico orphanorum, viduarum afflictiones, pauperum cruces: qui ingemiscentes quotidiè ad Deum; finem malorum imprecantes; & (quod grauissimũ est) interdum vi nimiæ amaritudinis, etiam aduẽtum hostium postulantes; aliquando à Deo impetrauerunt, vt euersionem tandem à Barbaris in cõmune tolerarent, quam soli ante à Romanis tolerauerant. Sed esto; hæc omnia prætermittantur, quia & in toto fermè aguntur Orbe Romano, & spopõdi me de his malis nunc pauca dicturum. Quid ergo? impudicitia atque impuritas de qua loquor: nũquid non ad euersionem Afrorum sola sufficeret? quæ enim fuit pars ciuitatis non plena sordibus; quæ intra vrbẽ platea aut semita nõ lupanar? Adeò penè omnia compita, omnes vias, quasi foueæ libidinum interceperant, aut quasi retia prætexerãt; vt etiã qui ab hac re penitus abhorrerent, tamen vitare vix possent. Latronum quodammodò excubias videres commeantium viatorum spolia captãtes; qui insidiarum frequentium densitate, ita omnes admodum calles, omnes anfractûs, ac diuerticula sepîssent, vt nullus fermè tam cautus esset qui nõ in aliquos insidiarum laqueos incurreret, eti qui se de plurimis expedîsset. Fœtebant, vt ita dixerim, cuncti vrbis illius ciues, cœno libidinis; spurcum sibimetipsis mutuæ impudicitiæ nidorem inhalantes. Sed horrori eis tamen horrida ista non erant, quia idem omnes horror infecerat. Vnam illic putes fuisse libidinum fornicationúmque sentinam; cœnum, quasi ex omni platearum & cloâcarum labe collectũ. Et quæ illic spes esse poterat; vbi præter id quod in Domini templo erat, nihil videri penitus nisi sordidum licebat? Quanquam quid dicã in Dei templo? hoc quippe totum ad sacerdotes tantùm & Clerũ pertinet, quos non discutio, quia Domini mei ministerio reuerentiam seruo: & quos ita solos puros arbitror fuisse in altario, sicut pereũtibus Sodomis solum Loth fuisse in mõte legimus. Cæterùm, quantùm ad plebem pertinet; quis in illo numero castus fuit? Castum dico? quis nõ fornicarius, non adulter; & hoc sine termino? Rursum clamitem itaque est necesse: quæ spes in illo populo esse poterat, vbi cùm vnus interdum adulter plebem Ecclesiasticam polluat; vbi inter tot milia, si diligentissimè quæreres, castum vel in Ecclesia reperire vix posses? Plus multò dicam: vtinã hæc essent sola quæ diximus, & contenta illic virorum impuritas fuisset solis sordidarum mulierum fornicationibus inquinari. Illud grauius & scelestius, quòd illa de quibus beatus Apostolus Paulus cum summa animi lamentatione conqueritur, in Afris penè omnia fuerunt: scilicet quia *masculi relicto naturali vsu fœminæ, exarserũt in desideriis suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem exercentes, & mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes; & sicut non probauerunt Deum, se habere in notitia, tradidit illos in reprobum sensum, vt facerent quæ non conuenit.* Nunquid hoc beatus Apostolus de Barbaris aut feris gentibus dixit? non vtique, sed de nobis: id est; specialiter de Romanis quos quidẽ Afri, quia nequaquam olim vincere imperio ac sublimitate valuerunt; quod potuerunt vnum, impuritate viceruntQuicunque ergo iure se mihi irasci putat; magis Apostolo irascatur: scilicet quia quod dicimus nos fuisse Afros, hoc ille dixit dominos eorũ esse Romanos. Sed fortè id vel occultum quod loquimur erat, & saltem hoc prouidebant procuratores ne publicæ passim disciplinæ oculos, ciuitatis scelera propalata polluerent. Quod si factum vtique fuisset; quamuis multi extitissent opere ipso sordidi, non omnes tamen fuerant visu atque animo sordidati: & solet res flagitiosa quando agitur occultè, fidem facinoris non mereri. Supra autem omnem monstruosi piaculi execrationem est; scelus summum admittere, & pudorem sceleris non habere. Quid (rogo) fieri illic prodigiosius potuit? in vrbe Christiana, in vrbe Ecclesiastica; quã quõdam doctrinis suis Apostoli instituerant, quam passionibus suis Martyres coronârant; viri in semetipsis fœminas profitebãtur: & hoc, sine pudoris vmbraculo, sine vllo verecundiæ amictu; ac si parum quippe piaculi esset, si malo illo malorum tantùm inquinarentur autores, per publicam sceleris professionem, fiebat etiam scelus integrę ciuitatis, Videbat quippe hæc, vniuersa ciuitas, & patiebatur: videbant Iudices, & acquiescebant; populus videbat, & applaudebat: ac sic diffuso per totam vrbem dedecoris scelerísque consortio, etsi commune hoc omnibus non faciebant actûs, commune omnibus faciebat assensus. Sed finis aliquis forsitan, mali aut emendatio aliqua labis istius fuit! Quis credere aut audire etiam possit, conuertîsse in muliebrem tolerantiam viros, non vsum suum tantùm atque naturam; sed etiam vultum, incessum, habitum, & totum quicquid penitus aut in sexu est aut in vsu viri? adeo versa in diuersum omnia erant, vt cùm viris nihil magis pudori esse oporteat quàm si muliebre aliquid habere videãtur: illic nihil viris quibusdam turpius videretur, quàm si in aliquo viri viderentur. Sed paucorum hoc, inquis, dedecus fuit; & quod non à pluribus perpetratum est, cũctis nocere non potuit! Iam quidem supra dixi sæpissimè; in Dei populo, etiam vnius facinus, pestem fuisse multorum; sicut ex furto Achar fugit populus, sicut ex zelo Saulis exorta est pestilentia, sicut ex Dauid numeratione mortalitas: ita est enim Dei Ecclesia, quasi oculus. Nam vt in oculum, etiã si parua sordes incidat, totum lumen obcæcat: sic in Ecclesiastico corpore etiamsi pauci sordida faciant,

Marcor vitiilu-xus.

Pauperum imprecationes contra Remp. ex nimia amaritudine.

Nulla platea, Carthaginis, non fuit lupanar.

Sacerdotes non discutiẽdi. Gen. 19.

Rom. 1.

Oculi publicæ disciplinæ.

Flagitium occultum non meretur fidem facinoris.

Impudentia superat omne flagitium.

Viris, nihil magis est pudẽdum quàm si quid habeant muliebre.

Iosue 7. 1. Reg. 19. 2. Reg. 24.

Ecclesia, est quasi oculus.

propè totum Ecclesiastici splendoris lumen offuscatur. Et ideo Saluator ipse, principalem Ecclesiæ
Mat. 6. partem oculum nominauit, dicens: *Lucerna corporis tui est oculus tuus? si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus nequam fuerit,*
1. Cor 5. *totum corpus tuum tenebrosum erit.* Vnde & Apostolus: *Nescitis* (inquit) *quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* quamuis ego illic non modicum de hoc malo, sed nimis; bene dicam, non quia molles plurimi fuerint, sed quia mollicies paucorum labes est plurimorum. Nam etsi pauci sunt, qui dedecorosa sustineant; multi tamen sunt qui paucorum sordibus polluantur. Quemadmodum enim vna meretrix multos fornicatores facit; sic plurimam populi partem inquinat paucorum effœminatorũ abhominanda permixtio. Et nescio, qui eorum ante Deũ deteriores sint, cùm æquali, in Scripturis sacris, sorte dãnentur: *Neque molles* enim, inquit, *neque masculorum cõcubitores regnũ Dei possidebunt.* Illud ergo magis ingemiscendum atque lugendum est; quòd tale hoc scelus, crimẽ etiam totius Reipub. videbatur; & vniuersa Romani nominis dignitas, facinoris prodigiosi mouebatur infamia. Cùm enim muliebrem habitum viri sumerent, & magis muliẽbrẽ gradum fingerent; cùm indicia quædam sibi monstruosæ impuritatis innecterent, & fœmineis tegminũ illigamentis capita velarent; atque hoc publicè in ciuitate Romana, vrbe illic sũma & celeberrima: quid aliud quàm Romani imperij dedecus erat, quòd in medio Reipub. sinu execrandissimum nephas palàm liceret admitti? Potestas quippe magna & potentissima, quæ inhibere scelus maximũ potest; quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari: In cuius enim manu est vt prohibeat; iubet agi, si non prohibet admitti. Iterum quia dolor exigit; ab his qui irascuntur, requiro in quibus hæc barbaris gentibus aut facta sint vnquam aut fieri publica impunitate licuerit! Denique ne longiùs de hac re ambigere aut inuestigare necesse sit; ipsos illos Africæ vastatores, Afrorum populis cõparemus. Videamus quid simile in Vuandalis factum sit! Et certè Barbari, elatione tumidi, victoria superbi, deliciarum ac diuitiarum affluẽtia dissoluti: qui profectò etiamsi continentissimi & castissimi semper fuissent, mutari tamen cum tanta rerum obsecundantiũ felicitate potuerunt: ingressi scilicet, vt diuinis literis scriptum est, *terram lacte & melle manantem*, fœcundam, opulentissimã, omnium deliciarum copiis quasi ebriam: In qua vtiq; minimè mirum fuerat, si luxuriasset gens barbara vbi similis quodammodò luxurianti erat ipsa natura. Ingressos hæc loca; Vuandalos quis nõ putet omni se vitiorum atque impuritatũ cœno immersisse; aut vt leuissimè dicam, saltem illa fecisse quæ Afris iugiter facta fuerãt, in quorum iura migrarent? & certè ob ea tantùm cõtinẽtissimi ac modestissimi iudicandi erant, quos non fecisset corruptiores ipsa felicitas. Quotus enim quisque sapiẽtium est, quem secunda non mutent? cui non crescat cum prosperitate vitiositas? ac per hoc, temperatissimos fuisse Vuandalos est certum, si quales illi fuerant qui capti ac subiugati sunt, tales illi fuissent victores! Igitur in tanta affluentia rerum atq; luxuria, nullus eorum mollis effectus est. Nunquid parum videtur? certè familiariter etiam hoc nobiles fecêre Romani. Sed quid adhuc addo? in illis, nullus vel qui Romanorũ illic molliũ pollueretur incestu. Certè hoc apud Romanos iam pridẽ tale existimatum est, vt virtus potiùs putaretur esse quã vitium: & illi se magis viribus præditos esse crederent, qui maximè viros fœminei vsũs probrositate fugissent. Vnde etiam illud fuit, quòd lixis puerorum quondam exercitûs prosequẽtibus; hæc quasi bene meritis expeditionibus stipendia laboris decernebãtur; vt quia viri fortes essent, viros in mulieres demutarẽt. Proh nephas; & hoc, Romani! plus addo: & hoc; Romani, non huius temporis: attamen ne veteres accusemus; Romani, sed non antiqui: iam scilicet corrupti, iam dissoluti, iam sibi & suis dispares, & Græcis quàm Romanis similiores! vt (quod iam diximus) minimè mirum sit, si Romana Respub. aliquando patitur quod iamdiù meretur. Hæc ergo impuritas, in Romanis & ante Christi Euãgelium esse cœpit; & quod est grauius, nec post Euangelia cessauit. Et quis post hæc non admiretur; populus Vuandalorum qui ingressi vrbem opulentissimam vbi hæc omnia passim agebãtur, ita delitias corruptorum hominum adepti sũt quò corruptelas morum repudiarent, & vsum bonorum possiderent, malorum inquinamenta vitãtes? Sufficere igitur ad laudem eorum hæc possunt talia, etiam si alia non dicam; abhominati enim sũt virorum impuritates. Plus adhuc addo; abominati etiam fœminarum: horruerunt lustra ac lupanaria; horruerunt concubitûs contactúsque meretricum. Nũquid hoc credibile vllis videri potest. Romanos hæc admisisse, Barbaros horruisse? aut nũquid est post ista quæ diximus, quod dici posse videatur? Sed est tamen, & multò plus est! Nam quòd vitasse eos res fœdas diximus; minus est: Potest enim quis inhonesta horrere, non tollere: illud magni & singularis est meriti, non solùm ipsum labe nõ pollui, sed prouidere etiam ne vnquam alij polluantur. Procurator enim est quodãmodò salutis humanæ, qui non tantũ id agit vt ipse bonus sit; sed efficere hoc nititur, vt alij mali esse desistant. Grande est profectò quod dicimus, grande ac supereminens. Quis credat Vuandalos, in ciuitatibus Romanis ista feciss̃e? Remota quippe est ab illis, omnis carnis impuritas. At quomodò remota? nõ sicut remoueri aliqua Romanis solent; qui statuũt non adulterandum, & primi adulterant: statuunt, nõ furandũ, & furãtur: quamuis penè non nõ possim dicere quòd furentur; non enim sunt quæ agũt furta, sed latrocinia. Punit enim Iudex, in alio, peculatum, cùm sit ipse peculator; punit rapinam, cùm ipse sit raptor; punit sicarium, cùm ipse sit gladiator; punit effractores claustrorum & ostiorum, cùm ipse sit euersor vrbiũ; punit expoliatores domorum, cùm ipse sit expoliator ciuitatum atque prouinciarum. Atque vtinam illi tãtùm qui in potestate sunt positi, & quibus ius exercendorum latrociniorum honor ipse largitur: Illud grauius ac magis intolerabile, quòd hoc faciunt & priuati iisdem ante honoribus functi. Tantùm eis adeptus semel honor dat beneficij, vt semper habeant ius latrocinãdi. Adeò etiam cùm destiterint, ad ministrandum potestatem habere publicam? non desinunt

Mollicies paucorũ, labes est plurimorum.

Lixæ puerorum, pro sequentes exercitus.

Mollicies virorum Carthaginensium.

Potestas, scelera permittens, ea probat.

Rerum obsecundantium fœlicitas mutat castitatem. Exod. 13.

Ipsa natura luxurians.

Modestissimi sunt quos fœlicitas non facit corruptiores. Prosperis deteriores sumus.

Barbari iustiores quam Romani.

Salutis humanæ procurator est qui impedit vitia.

Iudicum peculatus. Iudices admittunt grauiora quàm quæ ipsi in alios puniunt.

Magistratus, exercendorum latrociniorum ius tribuunt.

nunt tamen ad latrocinandum, poteſtatem habere priuatam: ac ſic leuior eſt poteſtas illa quam habuerunt Iudices, quàm hæc quam priuati habent. Illa enim ſæpe eis ſucceditur; in hac, nunquã. Ecce quid valeant ſtatuta legum, ecce quid proficit definitio Sanctionum; quæ illi ſpernunt maximè, qui miniſtrant. Sanè ad parendũ, humiles abiectiq; coguntur; compellũtur iuſſis obtemperare, pauperculi: & niſi obtemperauerint, puniuntur: eandem enim rationẽ habent in hac re, quam in Tributis. Soli iuſſis publicis ſeruiunt, ſicut ſoli tributa ſoluunt; ac ſic in ipſis legibus & in ipſa iuſta rerum præceptione maximum iniuſtitiæ ſcelus agitur, cùm ea minores quaſi ſacra obſeruare coguntur, quæ maiores iugiter quaſi nulla conculcant. Exceſſi pauliſper cœptũ ſermonis ordinem, rerum indignitate compulſus. Nunc ad ſuperiora redeamus. Diximus quippe plenas fuiſſe impuritatibus mõſtruoſis Africæ ciuitates, & præcipue illic reginam & quaſi dominam, Vuandalos autem iis omnibus non fuiſſe pollutos. Non tales ergo iſti de quibus loquimur barbari ad emendandam noſtrarum turpitudinum labem extiterunt: abſtulerunt enim de omni Africa ſordes virorum mollium, contagiones etiam horruere meretricum: nec horruerũt tantùm, aut temporarie ſubmouerunt, ſed penitus iam non eſſe fecerunt. O pie Domine, ô Saluator bone, quantum efficiũt per te ſtudia diſciplinæ, per quæ mutari poſſunt vitia diſciplinæ, ſicut ab illis ſcilicet immutata ſunt: at quomodo immutata? Intereſt enim non ſolum effectus rerum, ſed etiam effectuum cauſas dicere. Difficile eſt quippe impudicitiam verbo aut iuſſione tolli, niſi fuerit ablata: & difficile eſt pudicitiam verbo exigi, niſi fuerit exacta. Quod iſti vtique ſcientes ſic impudicitiam ſummouerunt, quod impudicas conſeruauerint, non interficientes mulierculas infelices: ne vitiorum curam crudelitate reſpergerent, & dum peccata auferre cuperent, ipſi in peccatorum reſecatione peccarent. Sed ita errantes emendauerunt, vt factum eorum medicina eſſet, pœna non eſſet: iuſſerunt ſiquidem & compulerunt omnes ad maritalem thorum tranſire meretrices. Scorta in connubia verterent, implentes ſcilicet Apoſtoli dictũ atque mãdatum: Et vt vnaquæque mulier virum habeat ſuum, & vnuſquiſque vir coniugem ſuam, vt quia cohiberi incontinẽtia ſine hac carnalis vſus permixtione non poſſet: ita legitimum vſum calor corporalis acciperet, vt peccatum incontinentia non haberet. In quo quidem non id tantummodo prouiſum eſt, vt viros fœminæ haberent, quæ ſine viris eſſe non poſſent, ſed etiam vt per conſeruatores domeſticos ſaluæ eſſent, quæ ſeipſas ſeruare neſcirent, & adhærentes iugiter tabernaculo maritali, etiam ſi ad improbum eas facinus conſuetudo anteactæ impuritatis illiceret, coniugalis tamen cuſtodia ab improbitate prohiberet. Addiderunt quoque ad libidinem comprimendam, ſeueras pudicitiæ ſanctiones decretorum, gladio impudicitiam cohercentes, vt puritatẽ ſcilicet vtriuſque ſexus, & domi connubij ſeruaret affectus, & in publico metus legum: ac ſic duplici præſidio caſtimonia niteretur, cũ & intus eſſet quod amaretur, & foris quod timeretur. Leges autem illorum nequaquam illis ſunt legibus conſentaneæ, quæ ita partẽ improbitatis remouent, vt partem obſcœnitatis admittant, vt Romana illa decreta, quæ ſcortatores quidem ab alienis vxoribus remouerunt, ad omnes autem ſolitarias paſſim admiſerint, adulteria vetãtes, lupanaria ædificãtes. Timuerũt videlicet ne nimis caſti homines ac puri eſſent, ſi ab omni eos penitus impuritate prohiberent. At non barbari, quoniam Romani non ſunt. Parum eſt quod dicimus. Quæ nobis rogo ante Deum aut vitæ eſſe, aut venię ſpes poteſt, quando caſtitatẽ in barbaris cernimus, & nos ſic caſti ſumus? Erubeſcamus quæſo & confundamur. Iam apud Gothos impudici non ſunt, niſi Romani, iam apud Vuandalos nec Romani. Tantũ apud illos profecit ſtudium caſtimoniæ, tãtum ſeueritas diſciplinæ, non ſolum quod ipſi caſti ſint, ſed vt rem dicamus nouam, rem incredibilem, rem penè etiam inauditam, caſtos etiam Romanos eſſe fecerunt. Si infirmitas id humana pateretur exclamare ſuper vires meas cuperem, vt toto orbe reſonarẽ. Pudeat vos Romani vbique populi, pudeat vitæ veſtræ, nullæ penè vrbes luſtris, nullæ omnino impuritatibus vacant, niſi illæ tantũ in quibus barbari eſſe cœperunt. Et miramur, ſi miſeri qui tam impuri ſumus, miramur ſi ab hoſte viribus vincimur, qui honeſtate ſuperamur. Miramur ſi bona noſtra poſſident, qui mala noſtra execrantur. Nec illos naturale robur corporũ facit vincere, nec nos naturæ infirmitas vinci. Nemo ſibi aliud perſuadeat, nemo aliud arbitretur, ſola nos morũ noſtrorum vitia vicerunt.

Pauperes puniuntur niſi obediant Legibus.

Rerum indignitas.

Effectum, cauſæ dicendæ.

1. Cor 7.

Matrimonium.

Vitia nos vicerunt.

SALVIANI MASSILIENSIS EPISCOPI DE VERO IVDICIO ET *Prouidentia Dei, Liber VIII.*

ARbitror, immò certus ſum faſtidioſam plurimis ſtyli huius prolixitatem fore, maximè quia morum noſtrorum vitia caſtigat. Omnes enim admodum ſe laudari volunt. Nulli grata reprehenſio eſt, immo quod peius multo eſt, quamlibet malus, quamlibet perditus mauult mendaciter prædicari, quàm iure reprehendi, & falſarum laudum irriſionibus decipi, quàm ſaluberrima admonitione ſeruari. Et cum hæc ita ſint, quid agendũ eſt? nunquid voluntati improborum hominum ſeruiendũ? aut ſi ſibi illi etiam friuolas laudes deferri volunt, decet nos friuola atque irridenda deferre? maxime cùm à fidelibus viris, nec illi quidem irrideri debeant, qui ſe rideri volũt: ſicut ne illi quidem mendaciter prædicari, qui ſe cupiunt titulo falſæ laudis ornari: quia non tam illud quod vnuſquiſque eorũ cupiat audire, quàm quod nos dicere deceat conſiderandũ eſt: præcipuè cum propheta dicat: Væ illis qui dicũt dulce amarum, aut amarum dulce: ac per hoc modis omnibus tenenda veritas, vt quod in re eſt, hoc & in verbis ſit: quæ in ſe dulcedinem habẽt, dulcia: quæ amaritudinem, amara dicantur: præſertim nunc in negocio ſacro, vbi à plurimis noſtræ iniquitates tanquam Deo dulces exiſtimantur: & ne accuſabiles ipſi eſſe videantur, Deum accuſare præſumunt. Cùm enim eum incurioſum & negligentem, réſque humanas aut non ex iudicio gubernare, aut etiam nec gubernare blaſphement: quid

Reprehenſio omnibus ingrata.

Eſa. 5.

aliud vtique Deum, quàm inertiæ, & abusionis, & iniquitatis accusant? O humanæ insipientiæ cæcitatem. O insanæ temeritatis furorem. Deum ergo ô homo incuriosum ac negligẽtem vocas: si quemlibet ingenuorum hominum hac contumelia læderes, iniuriarum insolentium reus esses: certè si illustriorem quempiam aut sublimiorem, etiam censurã iuris publici sustineres. Pupillis enim vel maximè prodigis hæc obiiciuntur opprobria, perditorum hoc adolescentium speciale conuitium est, vt abusores scilicet & incuriosi ac negligentes rerum suarum esse dicantur. O sacrilegæ voces, O profanæ procacitates. Deũ ergo hoc esse dicim⁹, quod etiam inter homines non nisi perditissimos nuncupamus, quãuis non sola ista dicantur. Nota quippe ei, vt antè iam dixi, etiam iniquitatis impingitur. Si enim nos quæ patimur nõ meremur, & indigni miseriarum præsentium tolerantia sumus, iniustum vtique Deum dicimus, qui nos iubeat mala tolerare. Sed non tam, inquis, iubet, quàm permittit: acquiescamus hoc ita esse: sed quàm longè quæso est à iubẽte permittẽs? qui enim sinit nos ista perferre. & prohibere potest ne perferamus, probat absque dubio debere perferre, & quæcunque patimur sustinere. Vnde videmus quia iudicij est, sed iusta permissio: ita isti de quibus loquimur, qui sic inhibuerunt scorta vt adulteria, qui & fœminas nullis voluerũt esse fœminas nisi maritis suis, & viros nullis voluerunt mulieribus esse masculos, nisi vxoribus suis. Qui euagari obscœnas libidines extra legitimum thorum non sinunt, leges suas scilicet ad diuinæ legis regulam dirigentes, vt nihil sibi in hac re crederent licere, quod Deus voluit non licere. Et ideò non putauerunt à se vlli homini permittendũ, nisi quod fuisset omnibus à diuinitate permissum. Scio quàm intolerabilia quibusdam videantur ista quæ diximus, sed ratione rerum agendum est, non libidine. Volo tantùm dicat mihi quisquis ille est, qui indignatur me ista dicere. Num ita sapientissimus omniũ Socrates semper existimatus testimonio scilicet Delphici dæmonis, qui quasi princeps Philosophorum sicut ille dæmoniorũ erat. Videamus ergo quas Socrates de pudicitia leges sanxerit, & quas illi de quibus loquimur. Vxorẽ, inquit Socrates, propriam nullus habeat, matrimonia enim cunctis debẽt esse communia: sic nãque maior erit concordia ciuitatum, si omnes viri fœminis sine discretione omnibus misceantur, & omnes fœminæ se omnibus viris sine distinctione substernãt: ac sic fiant omnes viri omnium mulierum mariti, omnes fœminæ virorum omnium vxores. Nunquid vllum vnquã aut phreneticum, aut dęmoniacum varia insaniarum labe furiosum, tale aliquid locutum esse agnouimus? Tu dicis maximè philosophorum hac ratione omnes viros esse fœminarum omnium maritos, & omnes fœminas virorum omnium vxores, paruulos omnes omnium filios: at ego hac ratione dico, neque vllum virum vllius fœminæ maritum, neq; vllam mulierem vllius mariti vxorem, neque vllum pignus vllius parentis filium. Vbi enim promiscua omnia & confusa sunt, nemo est qui suum possit aliquid vendicare. Nec suffecit sapiẽtissimo, vt quidam aiunt, Philosopho docere hoc, nisi ipse feciſſet, vxorem enim suam alteri viro tradidit. Sicet sicut etiam Romanus Cato, id est, alius Italiæ Socrates. Ecce quæ sunt & Romanæ & Atticæ sapientiæ exempla, omnes penitus maritos, quantum in ipsis fuit, lenones vxorum suarum esse fecerunt. Sed vicit tamẽ Socrates, qui de hac re & libros cõdidit, & memoriæ hæc pudenda mãdauit. Plus habet vnde gloriari præceptis suis possit. Quantum ad doctrinã suam pertinet, lupanar enim fecit mũdo. Iniustè damnatus dicitur à iudicibus, & verum est. Rectius enim hæc eum talia prædicantẽ genus damnaret humanũ, sicut absque dubio damnauit. Nam cùm in hac re doctrinam eius omnes repudiauerint, omnes eam non solum sententiæ auctoritate, sed quod multo maius est, vitæ electione damnauerunt, & rectè. Conferantur enim cum iis quæ ille constituit illa quæ statuerunt ij, quos dominari Africæ Deus iussit. Statuit ille, vt nullus penitus haberet vxorẽ suam, isti vt nullus penitus nõ suam: ille vt omnis fœmina viris omnibus subiaceret, isti vt nulla fœmina alium quàm suum virũ nosceret; ille generationem mixtam atque confusam, isti puram & ordinatam: ille omnes domos scortari voluit, isti nullam: ille in cunctis habitaculis lupanaria est conatus ædificare, isti etiam è ciuitatibus sustulerunt: ille prostare voluit omnes virgines, isti castas fecere meretrices: atque vtinam hic Socratis tãtum error fuisset, non & complurium Romanorum ac penè omnium, qui etsi nequaquam Socratis vitam in cæteris, in hac re tamen Socratica instituta sectantur: quia & complures viri vxores plurimas singuli, & innumeræ mulieres viros complures singulæ habent, omnes denique ciuitates, nunquid non lustris plenæ sunt, ac lupanaribus fœtent? Et quid dixi omnes? certè nobilissimæ quęq; ac sublimi adeò dignitate: quæ etiam prærogatiua est honorum in magnis vrbibus, vt quantum præcellunt cæteris magnitudine, tantum præstent impuritate. Et quæ esse rogo Romano statui spes potest, quando castiores ac puriores sunt, de quibus dixi? ex sententia certè est quod patimur. Cùm enim sint omnia ditionis sacrę, & nutu Dei cuncta moderentur, quicquid malorum quotidie pœnarúmque perferimus, censura est diuinæ manus: quam vtique censuram nos inardescere facimus, & peccatis nostris iugiter commouemus. Nos cœlestis iræ ignem accendimus, & excitamus incendia quibus ardeamus, vt rectè vtique quoties mala ista perferimus, etiam ad nos dici illud propheticum possit: Ite in flammam ignis quam accendistis. Ac per hoc iuxta sententiam sacram: Ipse sibi parat peccator quisque quod patitur. Nihil est itaque quod de calamitatibus nostris Deo imputare possimus. Nos calamitatum nostrarũ autores sumus. Deus enim pius est & misericors, & qui, vt scriptum est, neminem velit perire vel lædere. Nos ergo aduersum nos omnia facimus. Nihil itaque, nihil est in nobis, crudelius nobis. Nos, inquam, nos etiam Deo nolente cruciamus. Sed videlicet aduersum meipsum dicere arbitror, qui cum superius dixerim, ob peccata nostra nos puniri à Deo, nunc dicam nos puniri à nobis ipsis. Vtrunque verum est, à Deo quippe punimur, sed ipsi facimus vt puniamur. Cùm autẽ punire nos ipsi facimus, cui dubiũ est quin ipsi nos nostris criminibus puniamus: quia quicũque dat causam qua puniatur,

Prodigorum conuicium.

Cato alter Italiæ Socrates.

Leges Socratis cum Vuandalorum constitutionibus confert.

Meretrices illicitæ

Magnæ vrbes impuriores.

Socrates de communibus vxoribus.

1. Cor

Esa. 50. Psal. 7.

1. Tim. 2.

Homo sibi crudelis.

Psal. 11.

puniatur, ipse se punit, secundũ illud: Funibus peccatorum suorum vnusquisque cõstringitur. Ergo si funibus peccatorum suorum peruersi homines alligantur, ipse se absq; dubio alligat peccator quisq; cùm peccat. Sed quia de impuritate Afrorum iam multa diximus, nunc de blasphemiis saltem pauca dicamus. Professa enim illic iugiter plurimorum paganitas fuit. Habent quippe intra muros patrios

Afrorum blasphemiæ.

† Cœlestis Afrorum dæmon.

intestinum scelus. Cœlestem † illũ scilicet, Afrorũ dæmonem dico, cui ideò reor veteres Pagani tam speciosæ appellationis titulum dederunt; vt quia in eo nõ erat numen, vel nomen aliquod esset: & quia non habebat aliquam ex potestate virtutem, haberet saltem ex vocabulo dignitatem. Quis ergo illi Idolo non initiatus? quis non à stirpe ipsa, forsitan etiam à natiuitate, deuotus? nec loquor de hominibus sicut vita ita etiam professione ac vocabulo paganis, & qui sicut profani erant errore, sic nomine. Tolerabilior quippe est, & minus nepharia gentilitas in hominibus professionis suæ: illud perniciosius ac sceleſtius, quod multi eorum qui professionem Christo dicauerant, mente idolis seruiebant. Quis enim non eorum qui Christiani appellantur, Cœlestem illum, aut post Christum adorauit, aut quod est peius multo ante quàm Christum? Quis non dæmoniacorum sacrificiorum nidore plenus, diuinæ domus limen intrauit, & cum fauore ipsorum dæmonum Christi altare conscendit? vt non tam immanis criminis fuisset ad templum Domini non venire, quia Christianus qui ad Ecclesiam nõ venit, negligẽtiæ reus est: qui autem sic venit, sacrilegij. Minoris enim piaculi res est, si honor Deo nó deferatur, quàm si irrogetur iniuria: ac per hoc quicunque ista fecerunt, non dederũt honorem Deo, sed derogarunt. Nam etiam ipsam quodammodo Ecclesiæ salutationem idolo præstiterunt, quia secũdi loci officiositas honori illius proficit, cui principalia deferuntur. Ecce quæ Afrorum & maximè nobilissimorum fides, quæ religio, quæ Christianitas fuit? dicebãtur Christiani ad contumeliã Chri-

1. Cor. 10.

sti, cùm Apostolus declamet; *non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum; nõ potestis mensæ Domini participare, & mensæ dæmoniorum.* Illis, hoc satis non erat; vt cùm calicem biberent dæmoniorum, nisi illũ etiam prætulissent: nec sufficiebat, vt mensam dæmonum mensæ Dominicæ compararent, nisi post superstitionum nephariũ cultum, ad Dei templa veniẽtes, sacrosanctis Christi altaribus, ductu ipsius diabolici spiritus, spurcissimum nidôrem inhalassent. At inquis: non omnes ista faciebãt, sed potẽtissimi quique ac sublimissimi! Acquiescamus hoc ita esse. Sed cùm ditissimæ quæque ac potentissimæ domûs, turbam faciant ciuitatis; vides per-

Altaria Christi.

Familia, Domus familia.

paucorum Potentium sacrilega superstitione, vrbem cunctam fuisse pollutam. Nemini autem dubium est; omnes dominorum familias, aut similes esse dominis, aut deteriores; quamuis hoc vsitatius, vt deteriores: ac per hoc; cùm etiam domini boni, seruos vel maximè malos habeant; promptum est intelligere, quales illic familiæ omnes fuerint: cùm seruiles animos iam per se malos, etiam dominorũ nequitia faceret peiores. Esto ergo! illa quæ diximus, ad potẽtissimos quosque ac nobilissimos pertinuerunt; nũquid illa leuiora quæ nobilibus ignobilibúsque communia? odia scilicet, atque execrationes Sanctorum omnium dico. Sacrilegij quippe genus est, Dei odisse cultores. Sicut enim, si seruos nostros quispiam cedat; nos, in seruorum nostrorum cædit iniuriam: Et, si à quoquam filius verberetur alienus: in supplicio filij, pietas paterna torquetur: Ita & cùm seruus Dei, à quocunque lædi-

Sacrilegij genus, Dei cultores odisse.

tur; maiestas diuina violatur, dicente idipsum ad Apostolos suos Domino: *qui vos recipit, me recipit; &* Matth. 10.
qui vos spernit, me spernit. Benignissimus ac pijssimus Dominus communem sibi cum seruis suis & honorem simul, & cõtumeliam facit; ne quis cùm læderet Dei seruum, hominem tantùm à se lædi arbitraretur; cùm absque dubio, iniuriis seruorum Dominicorum, Dei admisceatur iniuria; testante id, suis, Deo, affectu indulgentissimo in hunc modum:
quoniam qui vos tangit, quasi qui tangit pupillam oculi mei. Zach. 2.
Ad exprimendam teneritudinem pietatis suæ, tenerrimam partem humani corporis nominauit: vt apertissimè intelligerem⁹, eum tam parua sanctorũ suorum cõtumelia lædi; quàm parui verberis tactu, humani visus acies læderetur. Infectabantur itaque Afri, atque oderant seruos Dei; & in iis, Deum. Sed quæritur forsitan, quibus modis probetur odium illorum! Scilicet; quibus etiam Iudęorũ odia comprobantur in Christum, cùm dicebant ad eum: *Sa-* Ioan. 8.
maritanus es, & dæmonium habes: cùm irridebant, cùm maledicebant, cùm insufflabant in faciem eius & frendebant dentibus super caput eius. Vnde etiam in Psalmis dicit Saluator ipse qui pertulit: *Omnes qui* Psal. 21.
conspiciebant, aspernabantur me, & locuti sunt labiis, & mouerunt caput. Et alibi: *Tentauerunt* (inquit) *me, & deriserunt derisu, frenduêrunt in me dentibus suis.* Ita igitur Hier. 20.
& in monachis, id est sanctis Dei; Afrorum probatur odium, quia irridebant scilicet, quia maledicebant, quia insectabantur, quia detestabantur; quia omnia in illos penè fecerunt quæ in Saluatorem nostrum, Iudæorum impietas fecit anteà quàm ad effusionem ipsam diuini sanguinis peruenîret. Sed isti (inquit) sanctos non occidêrunt, sicut Iudæos fecisse legimus. An occiderint, nescio; non affirmo. Sed tamen magna defensio; si hoc tantùm in eis Paganorum non fuit persecutione, quod habet persecutio ipsa postremum! Putemus ergo occisos illic non esse sanctos, sed quid faciemus, quòd non sunt longè ab occidentibus, qui animo occisionis oderunt? præsertim cùm Dominus ipse dicat; *Qui odit* Mat. 5. & 1. Ioan. 3.
fratrem suum sine causa, homicida est: quamuis non sine causa persecuti sunt seruos Dei. Nam quis dicere possit, quòd sine causa: homines scilicet, omnibus à se vitæ studiis discrepantes; in quibus nihil videbãt suum, quoniam Dei totum? Maxima enim causa est Causa discordiarum maxima.
discordiarum, diuersitas voluntatum: quia fieri aut omnino non potest aut vix potest, vt eam rem in alio quisquam diligat à qua ipse dissentit. Itaq; eos non sine causa (vt dixi) oderunt; in quibus omnia sibi æmula atque inimica cernebant. Illi enim viuebant, iugiter in nequitia; isti, in innocentia: illi, in libidine; isti, in castitate: illi, in lustris; isti, in monasteriis: illi, propè iugiter cum diabolo; isti, sine cessatione cum Christo. Non sine causa itaque istud fuit, quòd intra Africæ ciuitates; & maximè intra Carthaginis muros; palliatum, & pallidum, & recisis comarum fluentium iubis ad cutem tonsum vi-

Monachorum & secularium vitæ antithesis.

Palliati, Pallidi, & Tonsi ad cutem monachi.

dere; tam infelix ille populus quàm infidelis, sine conuitio atque execratione vix poterat. Etsi quando aliquis Dei seruus, aut de Ægyptiorũ cœnobiis, aut de sacris Hierosolymorum locis, aut de sanctis eremi venerandisque secretis, ad vrbem illam officio diuini operis accessit; simul vt in populo apparuit, contumelias, sacrilegia, & maledictiones excepit. Nec solùm hoc; sed improbissimis flagitiosorum hominum cachinnis, & detestantibus ridentium sibilis, quasi taureis cædebatur: verè vt siquis ea, inscius rerum, fieri videret; non aliquem hominem ludificari, sed nouum inauditúmque Monstrum abigi atque exterminari arbitraretur. Ecce Afrorum, & præcipue Carthaginensium fidem! Quondam, Apostolis, paganas vrbes licuit intrare; & minùs primum eorum aduentum atque conspectum, feri illi ac Barbari sacrilegorum coitûs detestabantur! Sanctum electionis vas, Paulum Apostolum; de vnius Dei cultu ac maiestate, superstitiosissimus licet Athenienſium populus patienter audiuit! Lycaonii autem, intantùm etiam admirati sunt, vt cùm Apostolis diuinas virtutes inesse cernerent, esse eos homines nõ putauerint! Intra Carthaginem verò apparere in plateis & compitis, Dei

Crudelitas Carthaginenſium, in monachos.

Act. 17.

Act. 14.

A seruos sine cõtumelia atque execratione vix licuit! Persecutionem hoc quidem fuisse non putant, quia non & occisi sunt. Latrones hoc quidem prouerbio vti solent; vt quibus non auferant vitam, dedisse se dicant. Sed in vrbe illa, non tam hominum fuerunt hæc beneficia, quàm legum. Interfici enim indemnatum quemcunque hominem; etiam duodecim tabularum decreta vetuerunt. Ex quo agnoscitur, quòd magna illic prærogatiua Dominicæ religionis fuit; vbi ideò tantùm seruis Dei licuit euadere, quia à pagano iure defensi sunt, ne Christianorum B manibus trucidarentur. Et miramur, si nunc Barbaros illi perferũt; cùm videamus quòd sancti viri, in illis barbaros pertulerunt? iustus ergo est Dominus, & iustum iudicium suum. Quæ enim, vt scriptum est, seminârunt: hæc & metunt: vt verè videatur, de improbitate illius gentis dixisse Dominus; *Reddite ei secundùm opus suum, iuxta omnia quæ fecit facite illi, quia contra Dominum erecta est.* Miremur itaque aut indignemur, quòd aliqua nunc illi ab hominibus mala perferant: multo illa maiora sunt, quæ ipsi in Deum antè fecerunt; iuxta personarum diuersitatem existimẽtur, quæ patiantur & quæ fecerunt. C

Latronum prouerbio.

Indemnatum interfici vetant etiam duodecim tabulæ.

Gal. 6.

Hier. 50.

Cœlestem illum scilicet. *Huius Carthaginensium dæmonis seu Idoli, Herodianus, Historiæ Lib. 5. Negans (inquit) Antoninus, Deo (Heliogabalo scilicet, seu Soli) cordi esse belligeram & armatam vxorem, Palladem; simulachrum Vraniæ iussit afferri: quod scilicet Carthaginensibus omnique Africæ venerabile positum fuisse à Phœnissa Didone, creditur; quo tempore antiquam Carthaginem dissecto corio ædificauit. Hanc Afri, Vraniam vocant; Phœnices, Astroarchen, Lunam esse affirmantes. Congruere igitur aiebat Antoninus matrimonium Solis & Lunæ; &c. Tum & Treb. Libro de 30. Tyrannis in vita Celsi; eum Imperatorem appellatum, Lybici peplo deæ cœlestis ornauerunt. Tum & Iulius Capitolinus in Pertinace: in Africano consulatu (inquit) multa perpessus vaticinationibus earum quæ de templo cœlestis emergũt. Vide Philastrium Brixiensem; libro de Hæresibus, huius Bibliothecæ, Tom. 4.*

SALVIANI EPISCOPI MASSILIENSIS IN SVVM, NOMINE TIMOTHEI, LIBRVM; AD SALONIVM EPISCOPVM, PRÆFATIO.

Apochryphus stylꝰ.

QVæris à me, ô mi SALONI, charitas mea; cur libellis nuper à quodam huius temporis homine, ad Ecclesiam factis, Timothei nomen inscriptum sit! Addis præterea, quòd nisi rationem vocabuli euidenter expressero; dum nominatur Timothei, inter apocrypha sint fortassè reputandi. Ago gratias, ita vt debeo; quòd de me ita iudicas, vt pertinere hoc æstimes ad fidei meæ curam, ne quid Ecclesiastici operis vacillare permittam: Scilicet; vt res summæ salubritatis, non sit minoris pretij per opinionis incertum. Sufficere itaque ad excludendam penitùs apocryphi stylie suspicionem, etiam hoc solùm poterat: quod superius indicaui; libros neotericæ disputationis esse, & à præsentis temporis homine (diuinarum rerum studio atque amore) conscriptos: Carent enim Apocryphi suspicione, qui agnoscuntur Timothei Apostoli non fuisse. Sed requirit forsitan aliquis quis ille author sit, si Apostolus non est: & vtrùm suum libellis ipsis an alienum nomen inscripserit! Verum est, potest hoc quidem quæri; & rectè quæritur, si inquisitio valet ad fructum aliquem peruenire. Cæterum si infructuosa est; quid necesse est vt laboret curiositas, cùm profectum curiositatis nõ sit habitura cognitio? In omni enim volumine, profectus magis quæritur lectionis, quàm nomen Authoris. Et ideò si profectus est in lectione, & habet quisquis ille est quod potest instruere lecturos; quid ei cum vocabulo, quod iuuare non potest curiosos? Ita vt Tob. 5. 17. *digniſsimè huic inquisituro, angelicum illud respõdeatur:* Patriam quæris, an mercenarium? *Cùm enim nullus profectus sit in nomine; qui profectũ in scriptis inuenit, superfluè nomen Scriptoris inquirit; Causæ ergo (vt dixi) istæ sufficiũt. Sed quia tibi ô mi SALONI, decus nostrũ atque subsidium, negare nihil possumus; euidentiora dicemus. Tria sunt, quæ in libellis istis de quibus loquimur, quæri possunt: Cur is qui scripsit ad Ecclesiã scripserit: & vtrum alieno nomine, an suo. Si non suo; cur alieno. Et, si alieno, cur Timothei potissimùm nomen quod scriberetur, elegit. Igitur vt libelli ad Ecclesiam scriberentur; hæc causa est. Scriptor ille, vt etiam scripta ipsa testantur; habet hunc in se cultum atque affectum Dei, vt Deo nihil præponendum putet; secundùm illud scilicet Domini nostri dictum, quo ait:* Qui amat filium aut filiam plus quàm me, non est me dignus. *Quamuis dictum hoc, tepidissimi ac negligentissimi quique homines solo tantùm Persecutionis tempore putent esse seruandum: Quasi verò, vllum omnino tempus sit quo præferri aliquid Deo debeat; aut qui Persecutionis tempore pretiosiorem omnibus rebus Christum habere debet, reliquo omni tempore habere debeat viliorem. Quòd si ita est; amorem Dei, Persecutioni debebimus*

Prof. ex lectione, magis quàm authoris nomẽ quæritur.

Matt. 10.

non

Rebus aduersis, affectum Deo debemus maiorem.

Deo anteponantur omnia.

In Pœnitentibus, magis est Pœnitētiæ nomē quā fructus.

Etomologesis, & Satisfactio Secularium & Religiosorum auaritia.

Homines Mundiales

Viduæ, continentiam professæ

Puellæ in sacris Altaribus consecratæ.

non fidei: Et tunc tantum poterimus, quantum nos impij persequentur: cum vtique aut maiorem, aut certè non minorem tranquillis quàm asperis rebus affectum Domino debeamus: Quia & hoc ipso à nobis plus debet diligi, quia nos à malis non patitur adfligi; indulgentia scilicet piissimi & mollissimi patris nobiscum agens, qui magis vult nos in pace & quiete fidem nostram religiosis operibus ostendere; quàm in Persecutione, pœnis nostrorum corporum comprobare. Et ideò si tunc ei nil præferendum est quando nobiscum asperè agitur; ne tunc quidem præferri debet, quando per indulgentiam plus meretur. Sed hæc alij tempori magis congruunt: nunc quod cœpimus exequamur. Videns igitur Scriptor ille quem diximus, graues atque multiplices Christianorum penè omnium morbos; atque à cunctis in Ecclesia positus, non solùm non postponi omnia Deo sed propè cuncta præponi: Nam & ebriosi, in ebrietatibus Deum spernere videntur; & cupidi, in cupiditate; & impudici, in libidine; & cruenti, in crudelitate; & in his omnibus, penè omnes: atque hoc, eò grauiùs quòd non solùm hæc per scelus atrocissimum diu admittuntur, sed ne postea quidem per pœnitentiam corriguntur: maximè cum etiam in his qui Pœnitentes esse dicuntur, nomen sit magis pœnitentiæ quàm fructus, quia parùm sunt rerum vocabula ipsas res non habentia; & nihil, virtutum verba sine viribus. Plurimi namque, ac penè cuncti; & rerum abundantes, & conscij criminum ac flagitiorum suorum; non modò ea quæ admiserunt, in Exomologesi ac satisfactione, sed ne hoc quidem (quod facillimum est) donis saltem & misericordiis redimere dignantur. Atque non solum, id in prosperis negligunt: sed, quod multo irreligiosius; in aduersis, non solùm incolumes sed etiam deficientes. Tanta incredulitas est hominum, & tam grauis infidelium languor animarum; vt cum multi, maximas opes hæredibus, interdum etiã extraneis derelinquant; hoc solùm se putant perdere, quod pro spe sua dederint ac salute. Et quidem istud licet in omnibus ferè graue sit; præcipuè in his tamen quos in consimili crimine infidelitatis, etiam professio sanctitatis accusat. Sed idem morbus hic, non Sæcularium tantùm est sed etiam eorum qui sibi nomen religionis vsurpant. Et ideò, vidēs ille qui scripsit, commune esse hoc malum prope vniuersorum labémque hanc non ad Mundiales tantùm homines, sed etiam ad pœnitentes atque Conuersos, ad viduas quoque iam continentiam professas, atque ad puellas in sacris altaribus consecratas: quódque vt ita dixerim, prope inter Monstra reputandum est, ad Leuitas etiam atque Presbyteros; & quod his feralius multò est, etiam ad Episcopos peruenisse: ex quibus, multi quos supra dixi, sine affectibus, sine pignore; non familias, non filios habentes opes & substantias suas non pauperibus, non Ecclesiis, non sibiipsis, non denique (quod his omnibus maius est ac præstantius) Deo; sed Sæcularibus, vel maximè & diuitibus & extraneis deputarent: factus est in corde ipsius, sicut scriptum est, zelus Domini quasi ignis ardens. Et quia æstuantibus sacro affectu medullis suis, aliud in tali æstu facere non potuit; in vocem doloris erumpit. Vox autem ipsa, cui imponderetur; nullus magis idoneus visus est, quàm Ecclesia, cuius vtique pars ipsi erant qui ista faciebant: Superfluè enim vni aut paucis scribitur, vbi est causa cunctorum. Hæc ergo ratio, & persuasit & compulit, vt libelli de quibus loquimur, ad Ecclesiam mitterentur. Nunc illud dicimus quod secundum est; scilicet cur in titulo libellorum; non sit nomen authoris: cuius rei licet vna sit causa maxima; multæ tamen (vt reor) esse potuerunt. Ac prima illa veniens à mandato Dei; quo præcipimur vitare omnibus modis, terrestris gloriæ vanitatem; ne dum humanæ laudis aurulam quærimus, præmiũ cæleste perdamus: Ex quo etiam illud est, quod & orari Deus, & donari occultè iubens; vult nos fructum boni operis commendare secretò, quia nulla sit maior fidei deuotio quàm quæ conscientiam vitat hominum, Deo teste contenta: Nesciat (enim inquit Saluator) manus tua sinistra, quid faciat dextera tua, & Pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi. Et ideò Scriptori illi, ad subtrahendum ei titulo nomen suum atque cœlandum, sufficere hæc tantummodò causa potuit; vt quod in honorem Domini sui fecerat, diuinæ tantum scientiæ reseruaret; & res commendabilior, Deo fieret, quæ famam publicam deuitasset. Sed tamen quod confitendum fuit, præcipuum illud fuit, quia scriptor ille (vt legimus) humilis est in oculis suis, ac vilis sibi; exiguum se penitus, atque vltimum putans: Et hoc quod maius est mira fide, non officio humilitatis adsumptæ, sed iudicij simplicis veritate; inde est quòd iure se etiam ab aliis habendum putat qualis à semetipso haberetur; rectè libellis suis alienũ nomen inseruit: scilicet authoritatem salubribus Scriptis, personæ suæ paruitas derogaret: omnia enim ad modum dicta tanti existimantur, quantus est ipse qui dixit: Siquidem tam imbecilla sunt iudicia huius temporis, ac penè iam nulla; vt hi qui legunt, non tam considerent quid legant quàm cuius legant: nec tam dictionis vim atque virtutem, quàm dictatoris cogitent dignitatem. Idcirco igitur Scriptor ille abscondi & latitare omnibus modis voluit, ne Scripta quæ in se habent plurimum salubritatis, minora forsitan fierent per nomen authoris. Habet itaque, quisquis ille est qui requirit; cur alienũ nomẽ adsumptum sit. Restat dicere, cur Timothei: quod vt dicamus; ad authorem denuò reuersuri sumus. Is enim causarum omnium causa est, qui sicut humilitati præstitit vt alienum, sic timori atque cautelæ, vt Timothei nomen scriberet. Pauidus quippe est & formidolosus; ac nonnunquam etiam, leuium mendaciorum fugax; atque in tantùm peccare metuens, vt interdum & non timenda formidet. Cum ergo subtrahere & titulo nomen suum, & inserere vellet alienum: Timothei, in hac nominum commutatione mendacium nequaquam scilicet admittendum putans, etiam in officio sancti operis maculam falsitatis. Positus itaque in hoc ambiguæ opinionis incerto, optimum fore credidit vt beati Euangelistæ sacratissimum sequeretur exemplum, qui in vtroque diuini operis exordio, Theophili nomen inscribens, cum ad hominem scripsisse videatur, ad amorem Dei scripsit: hoc scilicet dignissimum esse iudicans, vt ad ipsum affectũ Dei, scripta dirigeret, à quo ad scribendum impulsus esset. Hoc ergo etiam Scriptor hic de quo loquimur, vsus est argumento atque consilio: Conscius enim sibi, sic se omnia in scriptis suis pro Dei honore fecisse, qua ratione ille Theophili, hac etiam hic Timothei nomine scripsit: Nam sicut Theophili vocabulo, amor, sic Timothei, honor diuinitatis exprimitur. Itaque cùm legis, Timotheũ ad Ecclesiam scripsisse, hoc intelligere debes, pro honore Dei ad Ecclesiam scriptum esse: immò potius ipsum honorem Dei, Scripta misisse, quia rectè ipse scripsisse dicitur, per quem factum est vt scriberetur. Hac causa igitur, in titulum libellorum, Timothei nomen inscriptum est: Congruum siquidem Scriptor ille existimauit, vt cùm in honorem Dei libellum scriberet, ipsi diuinitatis honori titulum consecraret. Habes, ô mi Saloni, charitas mea, habes quod exegisti, impleui opus muneris imperati: Superest vt quia ego functus sum partibus meis, & tu fungaris tuis: id est, ores dominum Deum nostrum, & orando id impetres vt libelli ad Ecclesiæ Christi honorem conscripti tantùm apud Deum Scriptori suo prosint, quantùm eos prodesse ipse omnibus cupit: Nec iniustum (puto) est desiderium, quo tantùm sibi aliquis præstari postulat pro salute, quantùm ipse optat cunctis pro charitate. Vale decus nostrum, atque subsidium.

Sacerdos auarus, est monstrum. Ezech. 36

Matth. 6.

Matth. 6.

Tanti estimantur scripta, quãti Scriptor.

Sanctus Lucas, non ad hominem sed ad Theophilum, scripsit Apostolorum Acta. Theophilus. Timothe⁹.

SALVIANI EPISCOPI, AD ECCLESIAM CATHOLICAM TOTO ORBE DIFFVSAM; LIBER PRIMVS.

INter cæteros graues atq; mortiferos exitialis peſtilẽtiæ morbos, quos tibi antiquiſſimus ille ac fœtidiſſimus Serpens; grauiſſima lętiferæ æmulationis inuidia, & teterrimo illo virôſi oris ſpiritu inhalat: neſcio an vlla te acerbior animarum infidelium peſtis, & tetrior filiorum tuorum labes conficiat; quàm quod plerique ex tuis, parũ exiſtimãtes ſi in hac vita rebus ſibi ad opus ſanctũ à Deo traditis, ſine fructu miſericordiæ atque humanitatis incumbant; niſi auaritiã (id eſt, idololatriæ ſeruitutem) etiã in futura poſt mortem tempora, extendant. Circunſpicis fortaſsè, & circunſpectas, qui iſti ex tuis ſint quos appellem. Non longa tibi ac difficili inquiſitione opus eſt ad inueniendũ. Omnes inquam; omnes penè hoc ſunt quod loquor. Abiit quippe illa egregia ac ſupereminẽs dudum primitiuæ plebis tuæ beatitudo: qua omnes Chriſtũ agnoſcentes, caducas rerũ mundialium facultates, in ſempiternas cœleſtium poſſeſſionum opes conferebant, mulctãtes ſe vſu præſentium, & præclarã ſpem futurorũ (immortales diuitias) præſentis paupertatis ambitu emẽtes. At nunc pro his omnibus, auaritia, cupiditas, rapina; quæq; his ſocia, & quaſi germana vnitate coniuncta ſunt, inuidiæ, inimicitiæ, crudelitates, luxuriæ, impudicitiæ, perditiones; quia ſuperiora illa, iſtorũ vſibus militãt; ſucceſſere: ac ſic neſcio quomodò pugnãte cõtra temetipſum tua fœlicitate; quãtum tibi auctũ eſt populorũ, tantum penè vitiorũ: quãtum tibi copiæ acceſſit, tantum diſciplinæ receſſit; & proſperitas venit quęſtuũ, cum magno fœnore detrimentorum. Multiplicatis enim fidei populis, fides imminuta eſt; & creſcentibus filiis ſuis, mater ægrotat! factaq; es, Eccleſia, profectu tuæ fœcunditatis infirmior; atq; acceſſu, relabens; & quaſi viribus, minùs valida. Diffudiſti ſiquidẽ per omnẽ Mundum, religioſi nominis mẽbra, religionis vim non habẽtia: ac ſic eſſe cœpiſti turpis opulẽtia, fide pauper: quantò ditior multitudine, tãtò egentior deuotione; latior corpore, anguſtior mẽte; eodẽq; vt ita dixerim, & in te maior, & in te minor; nouõque penè & inaudito genere proceſſũs & receſſũs, creſcens ſimul & decreſcens: Vbi enim eſt illa nũc eximiæ formæ tuæ, totius corporis pulchritudo? illud de viuis Virtutibus tuis diuinorum apicum teſtimoniũ, dicens! *Multitudinis autem Credentium erat cor vnum & anima vna; & nemo, quicquã ex eo quod poſſidebat, ſuũ eſſe dicebat:* Cuius tu nunc; ô dolor ac lamentatio! lectionẽ tantùm habes, virtutẽ non habes; cui quãtùm ſcientia, tantùm interim conſcientia abes. Maxima quippe nunc filiorũ tuorum portio, mortiferarum rerum negociatrix eſt; Propoliſque & cauponibus, ſimilis; terrenis (immò Tartareis) perituris ſimul atq; perdentibus ſtudet nundinis: lucro enim pecuniæ, dãnum vitæ emẽtes; vt acquirãt quæ nõ ſunt ſua, prodigant quæ ſunt ſua: mandantes terræ, theſauros luctuoſos; hęredibus breue gaudiũ, authoribus longũ mœrorẽ allaturos: fraudantes vſu rerum præſentiũ, tam alios quàm ſeipſos; cõdentes profundis ſpecubus infernas opes; ſimul pecuniã ſuam ac ſpẽ ſuam infodientes; ſecundùm illud ſcilicet Domini noſtri dictum, quo ait: *Vbi fuerit theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum.* Matth. 6 Inuidentes itaq; ſaluti ſuæ; animáſq; proprias quæ vocãtur ad cœlũ, terrenis ponderibus in terrã premunt; Mens enim theſaurizãtis, theſaurũ ſuum ſequitur, & quaſi in naturam terreſtris ſubſtãtię demutatur; nec ſolùm nunc, ſed etiam in futuro atque perpetuo. Nam cùm (vt ſcriptum eſt) *ante hominẽ vita pariter ac mors* ſint; & ad quod vult, manum porrigat: neceſſe eſt, ea, vnuſquiſque hominũ æternitate poſſideat, quæ hîc quaſi manu ſua ipſe peruaſerit; volũtatiq; ſentẽtiæ ſuæ deditus, his in futuro adhæreat cõditione quibus hic adhæſit affectu. Sed videlicet; immunes ſe ab hoc piaculo quidam putãt; qui fortaſsè aurum ac facultates ſuas in terra nõ habẽt! Attamẽ vbicũq; abſtruſas, habẽt; nemo ſe ridiculis opinionib⁹ fallat. Quicunq; agendi, opibus terrena cupiditate famulãtur; aurũ terræ ſemper infodiunt. Hoc eſt enim illud quod Saluator in Euãgelio docet, dicens: *nolite theſaurizare vobis theſauros in terra.* Et iterũ: *Theſaurizate autẽ vobis theſauros in cœlo.* Intelligi iuxta carnalẽ auditũ iſta nõ poſſunt: Nũquid enim viſibiliter; aut oẽs mali, in terra corporales theſauros ſuos; aut oẽs boni, cœlo locãt? Nõ vtiq;. Et ideò effectûs ſpiritaliũ rerũ atq; virtutes, vis ſacræ Locutionis expreſſit: ſcilicet; vt quia cupiditati & auaritiæ, terrena atq: tartarea; miſericordiæ autẽ ac largitati, cœleſtia ac ſempiterna debẽtur; idcirco diuerſitas terreni & cœleſtis theſauri poſita eſt, vt qui cupiditati & auaritię theſaurizarẽt, in Inferno ſe opes locare cognoſcerent: qui verò miſericordiæ & humanitati; cœleſtes ſe theſauros pręparare gauderẽt. Loca itaq; theſaurorũ, de meritis theſaurizãtium nominauit, ibi enim dicuntur eſſe iam theſauri, vbi ſunt theſaurizãtes futuri. Sed auſtera forſitan videtur eſſe ſentẽtia, cũctos æqualiter ad perfectionem vocans, & vna oẽs lege compellans; cum vtique nõ ſit vniuerſorũ vna cõditio. Rectiſſimè quidẽ dici ad iſta poterat: quod cùm oẽs perpetuò velint viuere; oẽs id agere deberent, vt vitam participare poſſint: Quia incõſultiſſimum ac ſtultiſſimum eſt, id quoſdam agere; vt quod affectu ac voto volunt, idipſum re atque actu nolle videantur. Sed tamen videamus eam maximè, ô Eccleſia, Chriſtianorum (id eſt; filiorum) partem, quæ certis rerum impedimentis, & inexpugnabilibus (vt putat) neceſſitudinum vinculis, à perfectione reuocatur. Ac primùm in hac parte, illi (opinor) ſunt, qui ad quærendas pecunias & ampliandas latiſſimè opes, compelli ſe pignorum cura & quaſi violento filiorum amore, cauſantur: Quaſi verò quicunque patres ſunt, niſi diuites fuerint, patres omnino eſſe non poſſint; & amare filios ſuos, ſine opum multiplicatione non valeãt. Aut verò, virtus ac medulla affectuum, auaritia & cupiditates ſint: quia ſcilicet (vt illi putant) ſicut corpus ſine medulla; ſic amor ſine cupiditate eſſe non poſſit. Quod ſi ita eſt, omnis abſque dubio pietas mali cauſa eſt, neque in ea ſenſus ſunt affectuũ bonorum, ſed incentiua vitiorum. Et vbi illud ſacrum diuinæ authoritatis oraculum. Pietas ad

Animarum nulla peſtis acerbior quàm extendere auaritiam in futurũ.

Eccleſiæ fœlicitas illam oppugnat.

Religioſi nominis mẽbra, religionis vim, non habentia.

Act. 4.

Auaritiæ pernicies.

Matth. 6

Meritu, benè aut malè theſaurizantis.

Auaritiæ cruciatus manebit etiam in futuro ſeculo.

Velamen auaritiæ filii.

Amatis erga liberos medullam, quam auaritiam dicunt.

ad omnia vtilis est? Hoc enim modo nō solùm non ad omnia vtilis, sed penè in omnibus insalubris. Si enim generatrix cupiditatum est, plus in se multo malorum continet, quàm bonorum, secūdum illud scripturæ sacræ: Radix omnium malorum est cupiditas. Itaque si radix malorū est cupiditas, atque ex pietatis matrice gignitur, & quasi viroso eiusdē lacte nutritur, non tam cupiditas reprehendēda, quæ ex pietate parente nascitur, quàm ipsa pietas, ex qua talis filia procreatur. Quo fit, vt si tam pestilens est pietas, ac tam nocens, vt nec amare expediat, nec amari: quia nec parentes amorē debent appetere sibi noxium, nec desiderare filij parētibus obfuturum: Quamuis ille non parentibus tantum, sed etiam filiis morbum ferat: quia & illis grauis est qui pernicioſas capiunt hæreditates: & illis qui inter improbissimos quæstus improbi educantur hæredes. Ec hinc est quod penè omnes parentibus suis filij non magis in patrimonia, quàm in vitia succedunt: nec magis facultates paternas sumūt, quàm prauitates; ac si transeuntes semper in mores patrum ante eorum incipiunt nequitiam quàm substantiam possidere. Et est ratio cur hoc fit: bona enim parentum non nisi mortuis eis possident: viuentibus autem adhuc & valentibus mores. Ac si priusquā in Dominio suo habere incipiant res paternas, habent in animis ipsos patres: & antequam habeant illa quæ falso dicuntur, bona, antè habent illa qúæ verè probantur mala. Quid ergo? cùm hæc ita sint, interdicere forsan parentibus filiorum videor affectū? Minimè. Quid enim tam ferum, tam legi æmulum, quam si non amandos dicamus filios, qui amandos fatemur inimicos? Aut si affectū, quem natura præstat, prohibeamus, qui etiā eum quem natura prohibet impendimus? Aut si charitatem menti extorqueamus quam habet, qui etiam illam ei conamur inferere, quam non habet? Non ita est. Non solùm enim amandos dicimus filios, sed præcipuè ac per omnia amandos, nec quicquam his omnino anteponendum, nisi Deum solum. Nam & hoc est præcipuè ac super omnia amare, solum illum filiis anteponere, quem non expediat omnino postponere. Quid est ergo, aut quomodo amandos dicimus filios? quo, absque dubio nisi quo Deus ipse constituit? neque enim est vllus melior filiorum amor, quàm quem ille docuit, qui ipsos filios dedit: neque possunt pignora melius amari, quam si in eo ipso à quo data sunt amentur. Quomodo igitur Deus amari filios iusserit, non dico ego, dicat sermo ipse diuinus, qui ad patres omnes generaliter ita loquitur, vt tradant mandata Dei filiis suis, vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei sui, & mādata eius exquirant. Alibi quoque ad vos inquit patres: Nolite ad iracundiā prouocare filios vestros, sed edocete illos in disciplina & correptione Domini. Videtis quas parari opes à parentibus filiis Deus iubeat, non pecuniarios thesauros, nec graues metallo aureo saccos, habentes quidē multum pōderis, sed plus tamen iniquitatis: non superbas ac præminentes excelsis vrbibus domos: non supra humanos visus elata culmina, nec inserta nubibus aëreo habitatore fastigia: non denique fundos interminabiles, & notitiam possessoris sui excedentes, qui consortes pati indignum æstiment, &

Filius, patrimonii & prauitatis plerumque successor.

Bona falsò dicta.

Quomodo verè amētur filij.

Psal. 77.

Eph. 6.

Graues ornamēta.

Quæ parāda filiis.

A vicinitatem iniuriam putent. Non ergo hæc Deus præcipit, nec in seruilia terrenæ procurationis officia curam patriæ pietatis extendit. Pauca sunt quæ mādat, sed salutaria: expedita, sed sancta præcepto parua, sed fructu grādia: scripto breuia, sed beatitudine sempiterna: Parētes enim inquit, nolite ad indignationē prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione domini, id est, edocti à vobis & informati, vt ponāt scilicet, sicut Propheta dixit, in deo spem suam, & non obliuiscantur operū dei sui, & mādata eius exquirāt. En quales diuitias deus diligit, en quas pignoribus recōdi exigit opes, en quas parari imperat facultates, fidē scilicet B ac timorē dei, modestiam, sanctimoniā, disciplinā: non terrena, nō vilia; non pereuntia, non caduca & rectè ac mirabiliter præclara vtique: Cū enim deus viuorū sit, non mortuorū, rectè illa parari filiis iussit, per quæ in æternū viuerēt, non per quæ in æternitate morerētur. Nemo enim dubitat omnib⁹ fermè malis & infidelibus diuitias mundiales causam mortis magis esse quàm vitæ, secundum illud quod deus dicit: quam difficile hi qui pecunias habent, introibūt in regna cœlorum. Et iterū facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Vnde & illud est, quod specialiter iubet dicens. Nolite thesaurizare C vobis thesauros in terra, thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo. Superioribus ac sequentibus dictis duo thesaurorū genera monstrātur: vnum scilicet quo filiis thesaurizēt patres: aliud quo sibi. Filiis quomodo? Vt erudiant illos officio ac timore diuino. Sibi quomodo? Vt thesaurizent sibi thesauros in cœlo, Mirifice scilicet, vt quia pecunia caduca res est, disciplina immortalis, & oēs fermè parentes plus amēt filios quā seipsos, sibi cōferāt bona caduca, filiis sempiterna: ac sic & pietati suæ cōsulant & saluti, cū duplici atq; immortali bono & per ea quæ æterna sunt æternos esse filios suos faciāt, & ad conquirendā sibi beatitudinē ea quæ naturaliter cadu- D ca sunt, bonis operibus in æterna conuertant: quid ergo æstuas paterna pietas? quid ad cōquirenda terrena & peritura distēderis? nihil maius præstare filiis potes, quā si hoc bonū per te habeāt, quod nunquā penitus amittāt. Nō necesse est ergo, vt filio tuo terrenos thesauros recōdas: nulla re eum facies ditiorem, quam si ipsum filium tuum thesaurum Dei feceris. Quāquā hæc licet se ita habeāt, & sint vera ac saluberrima, tamē non ita dicam, quasi filios bonis & facultatibus paternis penitus excludam. Sed de hoc posteà disputabimus. Interim quia reos se quidā futuros non putāt, si substātias non ad Euangelij honorem, non ad salutem suam, non ad vllum E officium Dei conferāt, sed pro libidine & infidelitate qnibuscūque hęredibus passim vel irreligiosis, vel locupletibus impia & paganica varietate transcribant, videamus breuiter vel à quo sint datæ facultates ipsę, vel ob quid datæ, vt cum & authorem, & causam datæ rei ostenderimus, facilius, & ad quem præferenda, & in quem vsum conferēda sit approbare possimus. Omnem substantiam mūdialem diuino possessoribus cunctis munere dari, nullus homo, vt reor, ambiget, qui modo in hominum numerum referri potest: nisi fortè quis tantæ sit insipientiæ, vt cū humano generi mundus ipse à Deo

Matt. 19.
Ibidem.
Matth. 6.

Duo thesaurorum genera.

Diuitiæ reliquendæ filiis.

Diuitias à Deo dari.

datus sit, ea quæ in mũdo sunt nõ à Deo hominib⁹ data arbitretur. Igitur si omnia omnibus Deus tribuit, nemini dubium est, quod ea quæ Dei dono accepimus, ad Dei cultum referre debeamus, & in eius opere cõsumere, quæ eiusdem sumpsimus largitate: Hoc est enim agnoscere munus Dei, & diuinis beneficiis benè vti, vt datis suis illum honores, à quo data ipsa acceperis: quæ quidẽ etiam humanarum rerum exempla docent: Si enim vsus rerum aliquarum cuipiam homini alterius hominis beneficio ac largitate tribuatur, ísque immemor illius à quo fructum rerum indeptus est, auertere ab eo proprietatem præstitæ rei atque alienare conetur, nónne ingratissimus omnium hominum atque infidelissimus iudicetur? qui oblitus scilicet hominis beneficij ac liberalissimi, spoliare illum iure dominij sui velit, qui eum ipsum vsus possessione ditauerit? Et nos itaque vsum tantùm earum rerum accepimus quas tenemus: commodatis enim à Deo facultatibus vtimur, & quasi precarij possessores sumus. Denique egredientes è mundo isto, velimus nolimus hîc cũcta relinquimus. Cur ergo cùm possessores vsufructuarij simus, quod nobiscum auferre atque asportare nõ possumus, auertere à proprietario domino atq; alienare tẽtamus? Cur non bona fide à Deo resculis vtimur? Tenuimus quoad licuit: tenuimus quod permisit ille qui præstitit. Quid rectius? quid honestius? quàm vt vbi res ab eo discedit qui vsum habuit, reuertatur ad eum possessio, qui vtendam concessit? Denique etiam ipsum hoc Dei voces per linguas literarum sacrarum iubent, dicentes quotidie ad vnumquenque nostrum: Honora Dominum de tua substantia. Et alibi: Redde, inquit, debitum tuum. Quàm pius est & indulgẽs nobis Dominus Deus noster, qui inuitans ad erogandam terrenæ substantiæ facultatem, honora, homini inquit, honora Dominum de tua substãtia: cùm vtique totum suum sit quod ab eo accepimus, nostrum esse dicit vt demus: ideò scilicet nostrum appellãs, proprietate possessionis, vt maior sit merces operantis? quia plus fructum necesse est largitor habeat, vbi de suo videtur esse largitio. Sed tamen ne hoc ipso humana mens insolesceret, quod substantiam hanc Dominus nostram esse dixisset, adiecit salubriter: Redde debitum tuum, hoc est, vt quem deuotio non illiceret ad largiendum, necessitas cogeret ad exoluendum: & quem ad opus sanctum fides sua ipsa nõ retraheret, saltem necessitas coarctaret. Prius ait: honora Dominum de tua substãtia, deinde: redde inquit, debitũ tuũ, hoc est dicere: Si deuotus es, da quasi tuũ: si indeuotus, redde quasi non tuum. Bene itaque posuit & dãdi voluntatem, & soluendi necessitatem. Hoc est vtique dicere omni homini, ad opus sanctum & hortatione inuitaris, & exactione cõstringeris. Da si vis, redde si non vis. Apostolus quoque idipsum monens diuitibus præcipit, ne superbè sapiant, neque sperent in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis, inquit, omnia ad fruendũ in voluntate operum bonorum. Vno dicto vtrũque docuit, hoc est, & qui daret diuitias, & cur daret: dicens enim sperandum à Deo qui præstitit omnia, ostendit à Deo diuites fieri: Addens autẽ in voluntate operum bonorum, docet idipsum quod dixit à Deo tribui propter bona tãtùm opera præstari: Præstat enim omnia in voluntate operum bonorum, hoc est, ad hoc facit homines substantia esse locupletes, vt bona operatione sint diuites, id est, vt commutẽt diuitias quas acceperunt, & facultates ipsas in bonis operibus collocantes, Dei opes, quas habent in hoc sæculo temporarias, bene vtẽdo faciant sempiternas: ac sic agnoscentes munera Dei duplici bono gaudeant, cùm qui sint diuites in hoc sæculo, esse quoque diuites mereantur in cœlo. Sic ergo habendæ sunt diuitiæ, sic petendæ, sic tenendæ sic propagandæ; alioqui inæstimabile malũ est, bonis à Deo datis non bene vti: Auaro enim, inquit Scriptura sacra, nihil est scelestius: & pessimũ ac feralissimũ morbi genus diuitiæ conseruatæ in malũ domini sui. Verum est, quid enim peius, aut quid miserius, quam si quis presentia bona in mala futura cõuertat? & quę ad hoc à Deo data sunt, vt pararetur ex eis vitæ beatitudo perpetua, per hæc ipsa quæratur mors ac dãnatio sempiterna? In quo & illud considerandũ est, quod si seruatæ diuitiæ ad malum hominis conseruantur; quanto vtique ad maius malum coaceruãtur? Quotus enim quisque nunc diuitum tantæ est continentiæ, qui opes custodire cõtentus accumulare iam nolit? O miseria temporis, & Ecclesiasticæ plebis, ad quid redacta es? vbi cùm scriptũ sit, quod seruare opes genus sit magni criminis nõ augere diuitias, iam genus putatur esse virtutis? Ergo vt suprà diximus, quomodo se quidam reos futuros omnino esse non putãt, si nec in morte sibimet per dispensationem substãtiæ cõsuluerint, huic sæculo seruientes, cùm etiam ex hoc rei sunt, quod vsque ad mortẽ cũcta seruauerint? Aut quomodo rei non erunt, qui facultates suas ad quoscũque homines infidelissima vanitate transmiserint, cùm etiam illi rei futuri sint, qui non seipsos in vita ista aliqua ob honorem Dei rerũ suarũ parte priuauerint? ostendente id ipsum etiã per Apostolũ suũ Domino nostro, atque dicente: Agite nunc diuites, plorate in miseriis, quæ aduenient vobis: diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt, aurũ & argẽtum vestrũ eruginauit, & erugo eorũ in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis, thesaurisastis irã in nouissimis diebus. Præter illã quę in mysterio latens maior est multo ac terribilior diuinorũ verborũ seueritas, sufficere ad metũ ac tremorẽ omnibus puto illa quæ prõpta sunt: ad diuites enim peculiariter loquitur: plãgere eos præcipit, mala futura nũtiat, ignẽ perpetuũ cõminatur. Et hoc quo minæ ipsæ magis timẽdæ sint, non propter homicidia, nõ propter fornicationes, nõ ob sacrilegas impietates, aut alia postremo vitia, lætali gladio animas, & perenni occisione iugulantia, sed propter solas tantũmodo opes, propter insanã cupiditatẽ, propter auri atq; argẽti famem: vt ostẽderet scilicet sufficere hæc homini ad æternã dãnationẽ, etiãsi reatus alij non fuissent. Quid dici simplicius, quid euidẽtius potest? Nõ dicit diuiti: torquẽdus es quia homicida es, torquẽdus es quia fornicator, sed torquẽdus tãtummodo quia diues, hoc est, quia diuitiis malè vteris, quia datas tibi ad opus sanctũ diuitias nõ intelligis: nõ enim ipsæ diuitiæ per se noxiæ, sed mẽtes malè vtẽtiũ criminosæ, nec ipsæ opes homini pœnæ causa sunt, sed de opibus sibi pœnas diuites

Precarij possessores sumus diuitiarum.

Prou. 3.

Eccl. 4.

Eccl. 4.

Debitum reddere.

Diuitiæ à Deo.

Diuitiæ fructus Eccles.

Auaritiæ miseria.

Nullus otiosus.

Iacobi 5.

Diues habens diuitias.

Diuitiæ

diuites faciunt: quia dum vti diuitiis benè nolunt, ipsas sibi diuitias in tormenta conuertunt. Thesaurizatis, inquit, in nouissimis diebus, benè cum dixisset, thesaurizatis, addidit, in nouissimis diebus, hoc est, vt maior thesaurizantium reatus esset, cum thesaurorũ inuidiam etiam sæculi extrema cumularent: Thesaurizatis, in nouissimis diebus. Per thesauros cupiditas: per nouissimos dies infidelitas accusatur: ac per hoc duplex & cupiditatis noxa est, & infidelitatis: quia thesauros, quos iuxta id quod Exod.20. Deus dicit, non concupisces, crimen vtique fuit & alio tempore cõcupiscere: maius absque dubio per infidelitatem ipsam, crimen est etiam in mũdi fine cumulare. Durũ fortasse aliquis sermonem meum hactenus iudicabit. Et verè durus est, si aliquid nõ ex testimoniorum sacrorum authoritate commonuit: Duru sexistimetur, aliquid tale habuit, quale hic Apostolus prædicauit, vt nõ addamus illud domini nostri dictum, quo omnes penitus indignos se dixit esse, qui non renuntiassent omnibus quæ possederint. Quæ cum ita sint, nónne quæso in- Luc.14. dulgentissimum, modestissimum, ac mollissimum existimari cõuenit quod locuti sumus, scilicet qui hominibus, quibus perfectam incolumitatem tribuere non possumus, opem saltem desperatæ salutis inquirimus: & quorum vitam sanare non possumus, mortem leuare tentamus: Quid est enim perfecta sanitas? quid? nisi in vita hac benè agere? Quid Sanitas perfecta. postrema curatio? quid? nisi vel in extremis bonum viaticum cõparare? Quid est enim perfecta sanitas? quid? nisi rebus à Deo traditis benè vti? Quid vltimum remedium? quid? nisi saltem postea facere, quod pœniteat te non ante feciſſe, aliquis putat esse quæ dico: dura planè dura existimentur, nisi talia sint vt in comparatione Apostolicæ seueritatis, mollia, ac remissa videantur: Apostolus enim ad plãctum diuites vocat, nos ad remedium. Apostolus diuitias ignem nominat, nos facere ex diuitiis aquas cupimus, ignem æternum extinguentes, secundum illud: Sicut aqua extinguit ignem, sic eleesyna extinguit peccatum. Apostolus in diuitiis malè conseruatis damnationem esse testatur, Ego ex his quæ dicit ille mortem æternam omnibus facere, vitam opto perpetuam comparare: Nõ quidem quod vlli vitiis carnalibus implicato sufficere ad vitam æternam putẽ, si cum vsque ad mortem in flagitiis consenuerit, in obitu benè cuncta dispensẽt, nisi antea & peccatis renuntiauerit, & sordidam illã criminum tunicam, lutulẽtámque proiecerit, & nouam cõuersionis ac sanctimoniæ vestem de manu Apostoli prædicantis acceperit: alioqui peccare non desinit, quem in extremis situm recedere à criminibus sola tantum fecit impossibilitas, non voRelinquimur à sceleribus, nõ relinquimur ipsi. luntas: Quid enim à malis actibus tantum morte discedit, nõ relinquit scelera, sed relinquitur à sceleribus; Ac per hoc necessitate exclusus à vitiis: & tum puto peccat quando cessauerit, quia quantum ad animum necdum desiit, qui adhuc velit peccare, si possit. Nõ bonis itaque spebus innititur, qui ad hoc semper tantum peccat in vita, vt peccatorum molem redimat in morte. Et ideo se euasurum putat, non quia bonus, sed quia dives sit: quasiverò Deus non vitam quærat hominum, sed pecuniam atque à cunctis malorum redimendorum spe malè agentibus accipere solos pro criminibus nũmos velit, & corruptorum iudicum more argẽtum exigat, vt peccata vendicat. Non ita est: prodesse enim largitionem plurimum certum est, sed nõ illis, qui vltima futuræ largitionis spe male viuunt, qui fiducia redimendæ immunitatis scelera committũt, sed illis qui decepti aut lubrico ætatis, aut nubilo erroris, aut vicio ignorantiæ, aut postremo lapsu fragilitatis humanę resipiscere tandẽ quasi postmodũ grauissimæ infirmitatis, aut quasi post fluctum turbatæ mentis incipiunt. Et sicut ad sensum suum insani homines post furorem, sic isti redeunt post errorem, in vno tantummodo à se dispares, quod illi gaudent postquam euaserint ægritudinem, isti plãgunt postquam acceperint sanitatem, nec immerito: illi enim tanto plus gratulantur, quanto plus incolumitatis indeptos esse se sentiunt: isti tanto plus confunduntur, quanto euidentiùs morbum sui erroris agnoscunt. Quo fiat necesse, vt illi exultent, & isti lugeant: quia illi quod ægrotarunt imputant veletudini, isti quod errauerunt sibi: ac sic illi læti sunt de re medio, & isti anxij de reatu. Vnde admoneo cum omnes, tum præcipuè eos, quos grauium delictorum terror exagitat, & in quibus infelicior conscientia peccatorum pœnalium recordatione suspirat, primum vt licet lapsi sint, non commorẽtur in lapsu, nec in volutabris suis sordentium Suũ Sus in cœno. more versentur: Quæ cum æstuantes aluos cœno immerserint, nequaquam sordidis voluptatib⁹ satisfaciunt, nisi tota penitus luto membra conuoluant. Non ergo horum naturalem sequantur illuuiem, nec malè blandis lapsibus adquiescant, aut in barathro libidinum cõmorantes, in ipsis se sepeliant ruinis suis. Sed illico vbi cõcidêre, consurgãt, & eleuationem protinus meditentur in lapsu. Ac si fieri vllo modo solertia ac pernicitate pœnitudinis potest, tam velox sit remedium resurgentis, vt vix possit vestigium apparere collapsi. Ergo in huiusmodi causis hac primũ medela opus est, vt morbos suos languentes horreant, curare plagas festinent saucij, & ilico è corporibus sagittas rapiãt vulnerati: Optimè enim malagma vel fibula semper calidis adhuc vulneribus imponitur & citus sibi plagarum caro sauciatur, quæ nõ diu hiare permititur. Vlcus quippe in corpore si computruerit, dilatatur: Et si plagas cancroma sequitur, cancrum necesse est consequatur occasus. Fugienda itaque primum hæc peccatoribus mala sunt, nec dandus diabolo locus: qui stantes impulit in ruinam, vt lapsos præcipitet in mortem. Quod si aut tanta vis morbi, aut tanta ęgrotorum fuerit incuria, vt valetudinis curam & labem vsque ad dies vltimos trahant, quid dicam nescio, quid promittam, penitus ignoro: Reuocare ab inquisitione vltimi remedij periclitantes, durum & impium: spondere autem aliquid in tam fera curatione, temerarium. Sed melius tamen est absque dubio, quamuis diuturna paralysi aridas manus aliquo tamen nisu ad cœlum erigi, quàm lethali penitus desperantia dissolui: Melius est enim nihil inexpertum relinquere, quàm morientem non curare: maximè: quia nescio an in extremis aliquid tentare medicina sit, certè nihil tentare perditio. Et vnum scio quod quicunque in hanc miseriam longęui languoris extrema perdu-

Peccatores excusabiles ex parte.

Odisse morbum primus gradus est ad sanitatem.

xerit, ineffabile dictu est quantum lamentationis erroribus suis debeat, quia nunquã errata cognouit. Et quid inter hæc fiet! Quãdo enim lugebit, qui dies lugendi perdidit? quando satisfaciet, qui tempus satisfactionis amisit? Ad ieiunia forsitan longa confugiet. Est quidem hoc aliquid, sed eleemosynis
Tob. 12. misceatur, secũdum illud: Bonum est ieiunium cũ eleemosyna. Sed quomodo ei exomologesis diu-
Pœnitendi ritus. turna opitulabitur iam in extremis sito? Sed cilicio carnes conteret, ac fauilla & cinere sordidabit, vt molliciem videlicet præteritæ voluptatis presentiũ asperitatum duritia compenset: & reatum longarũ delitiarum officio patrocinantis soluat iniuriæ. Sed quando hæc tam grandia faciet, & vicino iam exitu etiam à mediocrium actione discluſus? Crucib⁹ denique diuersarum ærumnarum reum in suo corpore hominem iudex fidei seueritas subiugabit, vt indulgentiam scilicet absolutionis æternæ præsentis pœnæ ambitione mereatur. Sed fatiscẽte iã corpore, vbi exercebit districtionis officium censor animus! Rei enim seueritatis arbitrio iudex non potest, quando reus iam non sustinet iudicari. Vnum ergo est, quod amissis omnibus adiumentis atque subsidiis perfugium nutanti ac destituto opitulari queat, vt confugiat scilicet ad illud beatissimi Da-
Dan 4. nielis sacrum ac salubre consilium: qui Babylonio regi mederi volens, vlceribus de offensione contractis, malagma de miseratione composuit dicens: Propter quod, Rex consilium placeat tibi: peccata tua misericordiis redime & iniustitias tuas in miserationes pauperum, fortasse erit patiens Deus delictis tuis: Ita ergo & iste faciat, vt ille dixit: vtatur medicamento allij oblato ad sua vulnera, vereatur cõtumaciæ inobedientis exẽplum, cogitet quid ipse sit passurus in morte, cum videat quæ rex Assyrius pertulerit in vita. Euidens est de superbia ac rebellione, documentum, consideret an ipse si non audierit mortuus euasurus sit, cum videat quod Rex ille qui non audiuit seipsum viuus amisit. Offerat ergo vel moriens ad liberandam de perennibus pœnis animam suam: quia aliud iam non potest, saltem substantiam suam, sed offerat tamen cum compunctione, cum lachrymis, offerat
Affectus non pretiũ placet Deo. cum dolore, cum luctu. Aliter quippe oblata nõ prosunt: quia non pretio sed affectu placent: nec enim animus dantis datis, sed animo commendantur data: nec pecunia fidem insinuat, sed pecuniam fides. Ac per hoc qui prodesse sibi vult, quæ Deo offert hoc modo offerat: Neque enim homo Deo præstat beneficium in his quæ dederit, sed Deus in his homini quæ acceperit: quia etiam quod homo habet, Dei ac domini sui munus est, ac per hoc in his quæ offeruntur ab homine homo non suum reddit, dominus suum recipit. Itaque cum offert Deo quispiam facultates suas, non offerat quasi præsumptione donantis, sed quasi humilitate soluentis: nec absoluere se peccata sua credat, sed abluere: nec offerat cum redemptionis fiducia, sed cum supplicationis officio: nec quasi totum debitum reddẽs, sed quasi vel parum de magno reddere cupiens: quia etiam si tradat quod habet pro modo rerum, non reddit quod debet pro magnitudine peccatorum. Et ideo licet offerat, oret Deum, vt lẽta sua placeat oblatio, plangens id ipsum quod A tardè offert: plangens ac pœnitens quod non prius. Sic erit vt iuxta Prophetam propitietur forsitan Deus delictis suis. Sed dicit aliquis: Totũ ergo Deo oblaturus est quod habet? Non offert totũ quod ha- Quid offerendum Deo.
bet, si non putat se debere totum quod habet. Non quæro cuius sit quod offertur, à quo sit acceptum ante quod redditur: Hoc dico solum, non offert totum pro debito, si debere se totum non putat pro reatu. Totum ergo, inquit aliquis, quamuis magnorum criminum reus, oblaturus est totum domino? Immò nihil, si non cum fide: immò nihil, si non cum ambitu: immò nihil, si non cum prece: immò
B nihil, si nõ hoc animo, vt hoc ipsum inter præcipua Dei beneficia reputet, quod & animum offerendi dedit, plus sibi in his quæ Deo relinquit præstari æstimet, quàm illis quæ prius habuit: quia hoc quod habetur ab homine temporarium est, quod autem Deo relinquitur, sempiternum. Totum, inquit aliquis, oblaturus est? At ego dico homini in æternum periclitanti, etiamsi offerat totum, esse tamen hoc totum parum. Quid enim iam scit aliquis, an peccatorum mensuram oblata compensent? iam scit aliquis, an tantum in officio placationis, quantum est in offensione discriminis? Si nouit quisquam hominum peccatorum quantum redimere delicta possit, vtatur scientia ad redemptionem: Si vero
C nescit, cur non tantum offerat, quantum potest? vt si compensare peccata non valet pretij magnitudine, saltem mentis deuotione compenset. Perfectum enim conscientiæ fructum exhibet, qui intra conscientiam nil relinquit. Dura nonnulli hæc absque dubio & immensurata causantur: maximè quia Propheta is, de quo diximus, Babylonium regem hoc tantum admonuisse videatur, vt multa donaret, non vti munera distraheret. Non profero interim testimonia Euangelij, nec confugio ad loquentis in sacris voluminibus vocem Dei, non dico aliud vetere, aliud noua lege præceptum. Vn-
de etiam Apostolus: Ecce, inquit, vetera transie- 2. Cor. 5.
D runt: facta sunt omnia noua, omnia autem ex Deo. Quibus vtique dictis docet, non vetera secundum litteram, sed noua secundum Deum esse facienda. Ea tantum re interim contentus sum, quam Propheta dixit: Sermo enim & cum Rege erat: Et quidem cum rege non vnius orbis sed vt tunc videbatur, totius orbis. Quia itaque non poterat populos quos regebat per testamentum egenis tradere, & nationes barbaras indigentibus quasi nummos dare, aut in pauperum stipes diffusa longe ac late regna conuertere, & ideo Propheta: Peccata in- Daniel. 4.
quit, tua in misericordiis redime; hoc est, aurum da indigentibus, quia non potes regnum dare, facultates distribue, quia potestatem non vales prorogare. Ac per hoc videtur iussisse, vt totum daret:
E quem hoc solum non iussit distribuere, quod non poterat erogare. Exaggeramus fortè rem verbis, & nimis altè attollimus. Videamus ergo idipsum quale sit: Peccata, inquit, tua in misericordiis re- Redimere peccata misericordiis.
dime. Quid est aliqua redimere? Opinor pretiũ rerum quæ redimuntur dare. Non quæro quæ illius Regis peccata fuerint; ipse sciat quanti debuerit redimere quæ fecit. Te alloquor, cuius causa est: te appello, cuius discrimen agitur, hoc facito Ibidem.
quod Propheta dixit: Peccata tua in misericordiis redime:

redime: Noli tantum Deo relinquere, quantum habes: Si pro peccatis tuis neceſſarium non putas quantum habes, æſtima diligentiſſimè culpas quas admiſiſti, æſtima peccatorum diuerſitates, vide quid pro mendaciis debeas, quid pro maledictis atque periuriis, quid pro negligentiis cogitationum, quid pro impuritate ſermonum, quid pro omni denique malæ voluntatis adfectu? Adde poſtremo etiam, ſi aliqua de his intra conſcientiam tuam ſunt, de quibus Apoſtolus dicit: adulteria, fornicationes, impudicitiæ, ebrietates, immunditia Deo exoſa, auaritia idololatriæ famula, & præter hæc aliqua fortè crimina etiam de humani ſanguinis effuſione contracta, cúmque omnium ſupputaueris numerum, expende pretia ſingulorum, & poſt hæc non quæro vt pro peccatis totum Deo tradas quod habes; hoc ſolum redde quod debes, ſi potes æſtimare quod debeas. Addo autem præter iſta omnia, quod cum tractaueris delicta tua, atque taxaueris, tanto plus pro malis tuis debes, quanto peccata tua vilius æſtimâris: Quoniam qui ſe, inquit Apoſtolus, exiſtimat eſſe aliquid, cum nihil ſit, ſeipſum ſeducit: Vt non dicam tibi, quod regi illi victuro, adhuc & fortè iuueni vt feſtinaret tamen peccata ſua redimere præceptum eſt. Tu autem tanto plus pro te debes, quod hæc quæ ſupra dixi, vel moriens facis, vel iam iámque moriturus. Grandis enim munificentia ac deuotio futura eſt, quæ poſſit id cõpenſare, quod hæc tum demum domino tuo reddis, quando habere ipſe iam non potes. Præſertim cum addatur ad iſta omnia, quod Propheta ipſe, qui regem illum ad redemptionem criminum vocat, per hæc ipſa quę dicit debere fieri, non tam ei veniæ ſecuritatẽ, quàm veniam inquirendæ ſalutis oſtendit: Dicens enim ad eum: Peccata tua in miſericordiis redime, & forſitan propitiabitur Deus delictis tuis. Hoc ipſum quod dicit forſitan, ſpem indicat, non fiduciam pollicetur. Ex quo intelligi poteſt, quàm difficile iam in ſupremis poſiti peccatores qualibet munificentia ad perfectam indulgentiam peruenire poſſint: quando Propheta ipſe, qui ſuadet propitiationẽ Dei inquirendam, promittere tamẽ non auſus eſt promerendam: dat conſilium de actu, & tamen dubitat de effectu. Hortatorem ſe agendi, non impetrandi authorem facit. Quare ita? Quia omnes ſcilicet peccatores debent pro ſe vel in ſupremis cuncta tentare, etſi non poſſunt vlla præſumere. Si enim regi Propheta ille per ſolam bonorum operum largitatem abſolutam indulgentiam non promittit, intelligere peccator non acta errorum pœnitentia poteſt, quanta ei & quàm larga in ſupremis munificentia opus eſt, qui vult obtinere à domino per ſeram deuotionem, quod non poteſt vſurpare per legem.

Galat. 5. Auaritia.

Galat. 6.

Liberalitas morti proximorum.

Daniel. 4.

Sera deuotio.

SALVIANI MASSILIENSIS EPISCOPI AD ECCLESIAM CATHOLICAM *toto orbe diffuſam, Liber II.*

DIximus de remediis peccatorum, immo potius de ſpebus remediorum atque ſolaciis, ſcilicet hoc primum inquirendæ ſalutis eſſe ſuffragium, vt peccatorem pœniteat erroris: tum vt iuxta ſermonem ſacrum, ſtatim peccata ſua miſericordiis redimat: poſtremo ſi id non fecerit, ne quid ſaltem moriens inexpertum relinquat, vel vltima ſibi rerum ſuarum oblatione ſuccurrat. Sed reſpõdeatur fortaſſe hoc loco illud: Si peccatores homines, hac redimendorum criminũ neceſſitate teneantur, ſanctos abſque dubio qui ſunt expertes criminum non teneri, ac per hoc nõ habere eos cauſam ſubſtantiæ largiendæ, qui non habeãt quod redimere eos neceſſe ſit largitate. Audio: ſed id quale ſit iam videbimus. Interim etiãſi præterita mala non ſint, quæ ſanctum hominem oporteat rebus cunctis redimere, ſunt tamen perennia bona, quæ magno debeat comparare. Sed de hoc tamen plenius poſtea: Nunc autem hoc dico liberè, & conſtanter affirmo: neminem eſſe omnino ſanctorum, qui non in multis ſit Deo debitor, per hoc, cum quæcunque domino ſuo dederit, non tam donare quàm ſoluere. Ac primum vt de beneficiis generalibus dicã, id eſt, quod quiſquis vel ſanctorum es ille, vel diuitum: primum beneuolentia ac dono Dei & natus, & altus, & educatus es: quod rebus ad vitam neceſſariis communitus, quod etiam non neceſſariis locupletatus, quod pl' ad vſum tibi dominus tuus tribuit, quam modus vſum poſtulauit: quod extendit denique ſuper ſpes tuas munera ſua, & quod eſt maximum ac rariſſimum, dona illius etiam tua vota vicerunt. Addo autem poſt iſta omnia quod idem dominus, qui te primum munere ſuo genuit, poſtea etiam paſſione ſaluauit, quod propter te, ô homo, terram ac lutum, immò exiguam terræ ac luti partem rerum vniuerſarum dominus è cœlo venit, terras adiit, ex carne pariter, & in carnem proceſſit, humiliatus vſque ad humani exordij pudorẽ, & pannorum illuuiem & præſepij vilitatẽ, tolerans indignas ſe, vitæ iſtius paſſiones edendi, bibendi, ſomnij, vigiliarum ægras viciſſitudines, & caducæ iſtius conuerſationis contumelioſas neceſſitates: ipſam denique hominum circa ſe conuerſantium fœtidam cõmemorationem, populos peccatorũ ſordentium luto oblitos, ſemper malæ conſcientiæ admiſſu reos, turpium ex ſe actuum nidorem exhalantes. Et ideo cœleſtium præceptorum incapaces, nec ſuſtinentes ſacri fulgoris iubar, quia caligantes peccatis oculos ſplendor diuini luminis obruebat: nec ſolũ hoc, ſed poſt hæc omnia adde proteruas ſuperbiẽtis populi contradictiones, adde cõuitia, adde maledicta, impiam inſectationem, teſtimonium falsũ, iudiciũ cruentum, irriſiones populi, ſputa, verba, acerbiſſimas quidem pœnas, ſed indignitates pœnis acerbiores, coronam ſpineam, aceti poculum, cibum fellis, damnatum ab hominibus dominum vniuerſorum, pendentẽ in patibulo humani generis ſalutẽ, Deũ terrenæ conditionis lege morientẽ. Quæ cum ita ſint, quicũque ille aut ſanctus es, aut ſanctũ te eſſe credis, dic mihi quæſo, nũquid ſolui hæc ſola poſſunt, etiãſi nulla alia debeãtur? Quicquid libet enim homo pro Deo perferat, ſolui omnino non poteſt quod Deus pro homine perpeſſus eſt: Quia etiãſi paſſio ipſa nõ differat genere pœnarum, multũ tamẽ diſtet neceſſe eſt diuerſitas patiẽtiũ. Sed forſitan dicis, generale in his quæ diximus omniũ hominum eſſe debitũ, & in hoc vniuerſo-

Daniel. 4.

Omnes debitores ſumus Dei.

Dei in homines beneficium.

Deo par reddi non poteſt.

rum hominum genus indiſcrete obnoxium. Verũ A eſt. Sed nunquid aliquis ideo minus debet, ſi & alius idem debeat? aut ſi centum hominum cautiones de centenis ſeſtertiis ſcriptæ ſint, num idcirco alleuatur vnius debitum, ſi omnes ſint eiuſdem numeri debitores? Vnuſquiſque enim, inquit Apoſtolus, ſuum onus portabit, & vnuſquiſque proſe rationẽ
Galat. 6. reddet. Nequaquam ergo vnius pondus pondere alleuatur alterius, nec abſoluitur reꝰ ſocietate multorum: neque ideo minus eſt cuilibet tetra damnatio, ſi multos videatur complices pœnæ habere dãnatos. Ita hoc quod ſupra dixi, licet generale ſit debitum, & ſpeciale tamen eſſe non dubium eſt: licet B ſit commune omnium, eſt tamen peculiariter ſingulorũ: Ita ad omnes æqualiter peruenit, vt tamen de ſumma vnicuique nil recedat. Chriſtus enim ſicut pro omnibus paſſus eſt, ſic pro ſingulis & cũctis ſe impẽdit pariter & ſingulis, & totũ ſe dedit vniuerſis, & totum ſingulis: Ac per hoc quicquid paſſione ſua Saluator præſtitit, ſicut totum ei debent vniuerſi, ſic totum ſinguli: niſi quod propè hoc plus ſinguli, quàm vniuerſi: quod tãtum acceperunt ſinguli, quantum vniuerſi: Vbi enim hoc vnus accipit, quod vniuerſi, & ſi par eſt menſura, maior inuidia eſt. Quo fit vt licet ipſum accipiat, & plus debere videatur: quia magis fit vnus obnoxius, qui videC tur omnibus comparatus. Hæc ergo hactenus, & hæc ideo, quia debitores Deo quidam ſanctorum eſſe ſe non putant, cum debitum ęſtimare non poſſint. Sed dicit fortaſſe aliquis: non quidem debitores non eſſe ſanctos, ſed multorum maiora hominũ fæcularium eſſe debita, quorum ſunt plura peccata. Quod tale eſt, ac ſi quiſpiam dicat: Ideo ego ſum innocens, quia alius magis eſt nocens: ideo ego iuſtus, quia alter iniuſtus: ideo ego apprimè bonus, quia alius ſingulariter malus. Iam primum indecorum hoc ſanctimonię eſt, vt bona ſua creſcere malis arbitretur alienis, & meliorem ſe eſſe æſtimet comparatione peiorum: Infeliciſſimum enim cõ-
D ſolationis genus eſt, de miſeriis hominum peccatorum capere ſolatiũ, cùm Apoſtolus gaudere nos cum gaudentibus iubeat, & deflere cum flentibus: & non quæ ſua ſunt ſingulos cogitare, ſed ea quæ aliorum. Sed eſto iſtiuſmodi comparatio iuſta atq; honeſta videatur, nunquid etiã fida exiſtimari poteſt? Quis enim de illo tanto, ac tam terribili futuro Dei iudicio ſatis certus eſt? Aut quis dicere poteſt: ego minus debeo, ille plus debet? Quis poſtremo de ſe præſumere, aut de alio deſperare? Omnes enim, inquit Apoſtolus, ſtabimus ante tribunal Chriſti, & vnuſquiſque onus ſuum portabit. Nihil ergo, inquit aliquis, inter ſanctos & peccatores eſt? Multum plane, & penè immenſurabile: Sed quia
E ſcriptura dicit: Beatus homo qui ſemper eſt pauidus, & nunquam eſt de ſalute propria mens ſecura ſapientis: licet multum inter ſanctos & peccatores ſit, quæ tamen ab omnibus religionem profeſſis, quis ſibi iuxta ſuam conſcientiam ſatis ſanctus ſit? Quis de illa futuri examinis tremenda ſeueritate non trepidus? Quis de perpetua incolumitate ſecurus? Quod ſi vtique non eſt, ſicuti neque eſſe debet, dicat mihi obſecro quilibet hominum, cur nõ totis ſubſtãtiæ ſuæ viribus id adnitatur, vt vel mortis deuotione redimat quicquid vitæ offẽſione cõ-

Rom. 1ᵒ. Infelix conſolationis genus.

Incertum Dei iudicium.

2. Cor. 2.

Prou. 28.

traxit? Quanquam hæc quæ loquor ſcire omnes legentes volo, non me de omnibus ſanctis, ſed de his tantum loqui, qui licet religionem profeſſi ſunt, tamen diuitias non relinquunt. De illis enim, qui expediti aut omnibus, aut penè omnibus ſarcinis Saluatoris viam ſequuntur, & Dominum Ieſum Chriſtum non ſanctitate tantum, ſed etiam paupertate imitantur, nihil eſt quod dici poſſit, niſi illud tantũ quod etiam Propheta dixit: Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus. Hos enim ego omnes non aliter quàm imitatores Chriſti honoro, nõ aliter quàm Chriſti imagines colo, non aliter quàm mẽbra Chriſti ſuſcipio. Et ad hoc tantum illorum memini, vt eorum memoria dignus fiam. Sed iniurioſa forſitan illa, que ſupra diximus, religioſæ profeſſioni eſſe videantur. Quid enim, inquit aliquis, ſi vidua ſit diues, & viduitatem tamen in magna opum copia non relinquens? Quid ſi virgo integritatem profeſſa, & impolluti corporis ſanctitate deutoa? Quid ſi coniugium ſine opere coniugali, negans ſeipſum ſibi, & habens ſe quaſi nõ habẽs? Quid ſi monachus ab incunabulis Deo militans? quid ſi clericus ſacri miniſterij ſeruitute fideli ſeruitutem cõſummans? Nqũid etiam ij æternæ ſalutis fructu periclitãtur, ſi aut viuentes opes integras beãt, aut morientes indigentibus non relinquunt? Paruus eſt ad promulgandam de huiuſmodi quæſtione ſentẽtiam ſermo atq; authoritas mea. Videamus ergo quid de his omnibus ſacrorũ volumiuũ linguæ, ac præceptorum cœleſtium voces ſonẽt, & tunc rectiſſimè ſecundum datam à Deo normam atque ſententiam opinionis noſtræ regulam dirigemus. Ac primum non eſt quod confugiendum ſibi huc quiſquam putet ad veterum exemplorum eſſe ſolatia, vt dicat aliquos fortaſſe ſanctos, aut in lege, aut ante legem diuites fuiſſe. Abiit quippe illud tempus, mutata ratio eſt. Ante legẽ enim liberũ omnibus erat vel habendæ, vel etiam conſeruandæ facultatis arbitrium: quia ſcilicẽt adhuc tunc virga interdictorum cœleſtium non caſtigabatur: Vbi enim, inquit Apoſtolus, non eſt lex, nec præuaricatio. Lex ergo fecit aliquid non licere, ſecundum illud: Nam concupiſcentiam, inquit Apoſtolus, neſciebam, niſi lex diceret: non concupiſces. Et ideò opes quas ante legem Deus non reprehenderat, homo libere poſſidebat. In lege quoque nihilominus prope idem iuris omnibus ſuppetebat: quia lex vetus hominem dummodo iuſtè, habere quod vellet penitus non vetabat. Itaque nunc omnes omnino ſancti cunctis facultatibus ſuis iuxta præſcriptos legis terminos vtebantur, ambulantes, vt legimus, in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Dei ſine querela. Sicut vtique illi ipſi ambulauerunt, de quibus iſta memorantur, ſicut Prophetiſſa Anna in ieiuniis atque orationibus viuens: ſicut Nathanaël ille quẽ legimus, viri Iſraëlitæ, laude ſublimis, & ipſo Domino ac Deo teſte mirabilis: ſicut Tobias, qui magnanimitate deuotionis præcepta legis excedẽs, ſepulturis hominum mortuorum etiam cum mortis periculo ſeruiebat, & indigentibus vſque ad indigentiam ſuam conſulẽs, in tantum largitatis affectum venerat, vt vni mercenario ſuo partem bonorum omnium mediam deputaret. Et hoc quò magis poſſit mirum eſſe, iã diues:

Paupertas.

Pſal. 138.

Pauperes ſunt imagines Chriſti.

1. Cor. 7.

Rom. 7.

Ibidem.

Luc. 2.

Luc. 1.

Ioan. 1.

Tob. 4.

Miſericors Tobias.

diues & quò mirabilius, diues ex paupere: quia ma- A iorem fermè excitant habendi cupiditatē opes poſt indigentiam. Tales ergo tunc ſancti erant, ſecundū legem omnia habētes, ſecundum legem omnia relinquentes: ac ſic perfectus fuit omnis qui legi paruit, etiam deuotus, qui ſub lege tunc minus fecit, quàm nunc in Euangelio qui plus facit: tunc enim quaſi Euangelium lex fuit. Quo fit quod qui ſe obtemperantem tunc legi præbuit, quaſi Euangelia compleuit. Non eſt ergo quod fugiendum ſibi nūc quiſquam ad legem putet: vetera etenim, vt ait Apoſtolus, tranſierunt, facta ſunt omnia noua. Plus tunc indulgentiæ erat, & plus licentiæ: tunc eſus carnium prædicabatur, nunc abſtinentia: tunc in B omni vita ieiuniorum pauciſſimi dies, nunc quaſi vnum ieiunium vita omnis: tūc læſis vltio ſuppetebat, nunc patientia: tunc iraſcentibus lex miniſtra erat, nunc aduerſaria: tunc accuſatori gladium porrigebat, nunc charitatem: tunc etiam carnali illecebræ lex indulgebat, nunc Euangelium nec aſpectū: tunc corporeæ voluptates habebant quandam licentiam, nunc iubentur etiam oculi cuſtodire cenſuram: tunc ad multas vxores recipiendas vnius mariti Thorum lex dilatabat, nunc etiam ad vnam excludendam caſti affectus deuotione conſtringit. Supereſt enim, inquit Apoſtolus, vt & qui habent C vxores ita ſint, ac ſi non habeant, & qui flent tanquā non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt tanquam non poſſidentes, & qui vtuntur hoc mundo tanquam nō vtantur: præterit enim figura huius mundi. Videte quàm breuiter miſſus à Deo doctor cuncta moderatus ſit, & intra vnam perfectionem vniuerſa concluſerit, non illicita ſolum intercidendo, ſed etiam licita coarctando: Circuncidens ſcilicet & vſum coniugiorum, & infidelitatem fletuum, & intemperantiam gaudiorum, & habendi libidinem, & emēdi cupiditatem, & ipſam denique mundi huius breuem atque vmbratilem voluptatem. Et hæc omnia cur? Cur vtique, niſi, vt ipſe dixit, præterit forma huius mundi. D Quam longe ergo ſunt à mandato Dei, quos cum ipſos iuſſerit Deus viuentes opibus renunciare, illi eas cupiūt etiam in cognatis ſuis mortui poſſidere? aut quàm longe ab ea deuotione ſunt, vt exhæredēt ipſos ſe propter Deum, qui exhæredare nolunt ſaltem extraneos propter ſe? Quibus libenter libere dicerem? Quæ inſania eſt, ô miſerrimi homines, vt hæredes alios quoſcunque faciatis, vos ipſos vero exhæredetis? Vt alios relinquatis vel breui diuites, vos ipſos æterna mendicitate damnetis. Sed quærit fortaſſe aliquis, quid ſit iſtud quod nunc plus exigat Deus è Chriſtianis per Euangelium, quàm à Iudæis antè per legem; Aperta iſtius rei ratio eſt: E Ideo enim maiora nunc Domino noſtro ſoluimus, quia maiora debemus. Iudæi quippe habebāt quādam vmbram rerum, nos veritatem: Iudæi fuerunt ſerui, nos adoptiui: Iudæi acceperunt iugum, nos libertatem: Iudæi maledictum, nos gratiam: Iudæi literam interficientem, nos ſpiritum viuificantem: Iudæis ſeruus, Magiſter miſſus eſt, nobis Filius: Iudæi per mare tranſierunt ad eremum, nos per baptiſma introimus in regnum: Iudæi manna manducauerunt, nos Chriſtum: Iudæi carnes auium, nos corpus Dei: Iudæi pruinam cœli, nos Deum cœli; qui cum, vt Apoſtolus ait, in forma Dei eſſet, humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autē crucis: non contentus ſcilicet ſimplicem pro nobis ſubire mortem, niſi ipſam voluntariæ necis ſuſceptionem ſummorum ſuppliciorum perpeſſione cumulaſſet. Pro hoc ergo ſolo quid ſoluere homo poterit, cui ſe per vltimam pœnarum acerbitatem Chriſtus impendit? Aut quid pro ſe dignum Domino repenſabit, qui ipſum Deo à quo redemptus eſt Deum debet? Hæc ergo cauſa eſt, qua deuotiores eſſe nos Dominus ſibi velit: quia tam magno deuotionem noſtram pretio comparauit. Et ideo beatiſſimus Paulus: Quis ergo, inquit, nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio; An anguſtia? An perſecutio? An fames? An nuditas? An periculum? An gladius? Non Apoſtolus ſolam pecuniam, nec ſolas deberi à nobis diuitias Deo dicit, ſed tribulationem, anguſtiam, famem, Gladium, Paſſionem, effuſionem ſanguinis, animæ exhalationem, mortē denique omni pœnarum genere ſublimiter cōdiatam. Vnde intelligant omnes religioſi, non ſatis ſe Deo reddere, etiam ſi vniuerſas dederint facultates: quia licet ſua cuncta diſpenſent, ipſos ſe tamen debent. Et ideo ſicut ſupra dicere cœperamus, ſi vidua eſt quæpiam, nequaquam ſibi ſufficere ad æternam ſalutē nomen viduitatis putet, ſed videat qualem eſſe in Apoſtolo viduam Deus iubeat, dicens: Quæ verè vidua eſt, deſolata ſperat in Domino, inſtat orationibus nocte ac die: Nam quæ in delitiis agit, viuens mortua eſt. Vno eodémque præcepto duas Apoſtolus formas viduitatis expreſſit: vnam vitæ, alteram mortis: in delitiis mortē poſuit. Ergo abſque dubio diuitem eſſe non vult, quam delitioſam eſſe non patitur: quia omnis fructus diuitiarum in vſu eſt poſitus delitiarum: alioqui remoto vſu delitiarum cauſæ opum non relinquuntur. Cum itaq; Apoſtolus in delitiis viduæ mortem eſſe memorauerit, promptum eſt quod ad vitæ æternæ fructum vult vniuerſa diſtribui, qui nō vult ad mortis vſum aliqua reſeruari. Et ideo dicit: Quæ verè vidua eſt deſolata, ſperat in Domino: docens ſcilicet parum eſſe, ſi non ſit vidua delitioſa, non diues, niſi fuerit Deo adhærens, niſi orationi dedita, niſi à cunctis mundi illecebris deſolata, & per hæc omnia verè vidua. Quod ſi ita eſt, quæcunque ſe vitæ cupit eſſe, non mortis, nequaquam ſufficere ſibi æſtimet, ſi & delitias ſibi ob Deum, & diuitias abnegârit, niſi & oratione, & labore id promeruerit, vt verè vidua Dei eſſe videatur: Quia non eſt dubium, quod quēadmodū quis in hoc ſæculo Chriſto adhæſerit, ita in Chriſti corpore permanebit, ſecūdum illud: Adhæſit anima mea poſt te, me autem ſuſcepit dextera tua. Quod declaratur, quod eam tantum animam, quæ Deo adhæſerit in hoc ſæculo, dextera Dei ſuſcipit & in futuro. Hæc ergo viduitatis eſt regula: Nam de coniugibus continentiam profeſſis, & ſpiritu Dei plenis, dubitare quis debeat: quin ſua hæredibus mundanis ſeruire nolint, qui ſeipſos mundo eliminauerint? Quomodo enim ad ſe pertinētia aliis addicant, qui ipſos ſe ſibi denegant? Tam noua enim virtute præditi, conceſſásque, & quod maius eſt expertas corporum voluptates admirabilis cōtinentiæ auſteritate calcantes, quēmadmodum aliquid rerum ſuarum non Deo voueant, qui ipſum

Auidiores qui ex ſortib. emerſerunt.

2. Cor. 5.

Differentia legis & euangelij elegans.

1. Cor. 7.

1. Cor. 7.

Quare mandata Chriſtus præcepit nobis quàm Iudæis ſit præceptū.

Corpus Dei manducamus. Philip. 2.

Rom. 8.

1. Tim. 5. Viduarum duplex ordo.

1. Tim. 5.

Pſal. 68.

Coniugati continētes

intra se Deum esse fecerunt? Vt meo quidem iudicio etiam de tali coniugio rectissimè dici possit: Lætare sterilis quod nõ paris, erumpe & exclama quod non parturis, quia multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virum. Et sterile nanque est quòd non parit, & desertum quod ab omnibus se mundi illecebris seperauit: Et sine viro, quòd sine viri vsu ita virum habet, vt non habere videatur. Hos ergo coniuges tales quis dubitet, & dum viuunt, sicut in se, ita etiam in suis substantiis Deo viuere, & cum è vita exeunt, cum sua ad Deum, cui vixerint, facultate migrare? Aliter enim quilibet horum si res suas sæculo deditas, atq; ipsi sæculo derelinquit, frustra sibi nomẽ religionis inscripsit: ei videtur semper vixisse cui moritur. De coniugibus itaque ista sufficiunt, transeamus ad sacras virgines, quibus legem deuotionis Saluator ipse præscripsit, exemplo scilicet decem virginum, ex quibus fatuarum numerũ puellarum ideo tantummodo dicit pœnis perennibus dandum, quia sit ei opus misericordiæ defuturum: Quo dicto euidentissimè docuit, quanti prætij iudicarit largam misericordiam, sine qua dixit, nec integritatem quidem ipsam virgini profuturã. Sed blandiuntur sibi fortasse quædam, & sufficere sibi æstimãt, si cum multa ac magna in facultatibus habeant, saltem exigua largiantur. Nec ego abnuo vt si ita ratio est, ita esse credatur. Parum detur, si parum dedisse sufficit. Sed ego sufficere parũ, scio. Immò parum non sufficere certè scio. Si aliter ipsæ sciunt, apud seipsas sciant: Ego vnũ scio, quod Deus dicit extinctas fatuarum virginum lampadas, operũ bonorum oleum non habentes. Sed tu, quæcunque es, habere te oleum abundè putas: & illæ profectò, de quibus dixi, stultæ virgines sic putabant: nisi enim habere se credidissent, prouidissent vt haberẽt: Nam cum postea, vt ait Dominus, mutuari vellẽt, & omni studio atque ambitione perquirerent, absque dubio etiam ante quæsissent, nisi eas habendi fiducia decepisset. Et tu itaque quæ cum virgo es, vide ne sic non habeas, licet habere te credas: eiusdem enim nominis es; cuius, illæ: eiusdem professionis. Tu virgo es; & illæ virgines erant: tu præsumis te esse sapientem; & illæ, se esse fatuas non putabant: tu lumen habere lampadem tuam iudicas, & illæ profectò lumen præsumptione futuri luminis perdiderunt: nam & ideò scribuntur aptasse lampadas suas, quia illuminandas esse credebant, Et quid plura? etiam emicuisse in eis quiddam luminis puto: cum enim ipsæ (vt legimus) extinguendas fortè lampadas suas reformidauerint; habebãt profectò aliquid quod verebãtur extingui; nec falsa opinio metuentium fuit. Extinctæ siquidem & obcæcatæ sunt; nihil enim profuit illi integritati, quòd in ea lumen virginitatis apparuit, quod substantia olei non suppetente defecit. Ex quo intelligimus; id quod parum est, quasi nihil esse: quia nequaquam omnino prodest, illicò extinguendum lumen accendi; nec iuuat aliquid illucescere, quod in ipso ortu habeat occasum; & ad hoc tantummodò habere initium viuentis, vt possit finem habere morientis. Planè itaque lucerna opus est, vt lumen possit esse diuturnum. Nam si in lichnis ipsis quibus ad breue tempus vtuntur homines, languescit lumen ac deficit, nisi oleum largè fuerit infusum;

Esaiæ 54.

VIRGINES. Matth. 25.

Oleũ boni operis defuit fatuis virginibus.

Quod parum est, quasi nihil est.

A quanta tibi (quæcunque illa es) quanta tibi olei abundantia opus est, vt lucerna tua luceat in æternum? Nemini itaque ad vitam perennem sat est, si putet se habere quod non habet: Stultæ enim præsumptiones, perditionis causæ sunt; non, salutis: Nam *quisse* (inquit Apostolus) *existimat esse aliquid, cùm nihil sit: seipsum seducit*: nisi fortè tibi (quæcunque illa es) reuelatos à Spiritu sancto donandi terminos habeas, quos excedi piaculum putes; ac trãsgressionis quodammodò genus iudices, si religiosior fueris quàm à Deo esse iubearis. Si ita est, non prohibeo quin vtaris scientia à diuinitate cõcessa. Quòd si tam falsum est, quàm friuolum; quæ insa- B nia est, vt non quanta potes omnino facias per cautam & timidam prouisionem, cum ignores penitus, quid tibi competat ad salutem? Supereſt de ministris & sacerdotibus quiddam & Clericis dicere; licet superfluè fortè aliqua dicantur: quicquid enim de aliis omnibus dictum est, magis absque dubio ad eos pertinet qui exemplo esse omnibus debent, & quos vtique tantò antistare cæteris oportet deuotione, quantò antistant omnibus dignitate: Nihil est enim turpius, quàm excellentem esse quẽlibet culmine; & despicabilem vilitate: quid est enim aliud, Principatus sine meritorum sublimitate; nisi honoris titulus sine homine? Aut quid est C dignitas in indigno; nisi ornamentum in luto? Et ideò cunctos qui sacri Altaris suggestu eminent, tantùm excellere oportet merito, quantùm gradu: Si enim viris in plebe positis, & mulierculis ipso sexu infirmioribus talem ac tam perfectam Deus viuendi regulam dedit; quantò vtique esse illos perfectiores iubet, à quibus omnes docendi sunt vt possint esse perfecti: & quos tam magni esse exẽpli in omnibus, Deus voluit; vt eos ad singularem viuendi normam, non nouæ tantùm sed antiquæ legis seueritate constringeret? Nam licet decretum vetus largam cunctis ampliandarum opum dederit facultatem; omnes tamen Leuitas & sacerdotes, in D tra certum habendi limitem coartauit: quos scilicet neque segetem, neque vllum omnino Fundum habere permisit. Ex quo intelligi potest; an ea nunc Deus noster velit in Euangelio viuentes Clericos suos, mundanis post se hæredibus derelinquere, quæ adhuc in lege positos, ne ipsos quidem voluit possidere. Vnde est quòd eis Saluator ipse in Euangelio; non vt cæteris voluntarium, sed imperatiuũ officium perfectionis indicit: quid enim eum Laico illi adolescenti dixisse legimus? *Si vis esse perfectus, vende quæ habes, & da pauperibus.* Quid autem ministris suis? *Nolite* (inquit) *possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* E Videte quanta sit in vtroque hoc Dei sermone, diuersitas. Laico dixit; si vis, vende quæ possides: Ministro autem; nolo possideas. Sed & hoc parum existimauit, vt possessionem ei substantiæ amplioris auferret, nisi etiam Peram ipsam acturo iter longum Apostolo, sustulisset; & vnius eum tunicæ singularitate mulctasset. Et quid posteà? Nec hoc satis est; nudis quoque insuper seruos suos lustrare pedibus Orbem terrarum iubet; & calceamenta, plantis gelu rigentibus, tulit. Quid dici ampliùs potest? Pedum de Apostoli manu rapuit: & peragrantibus

Esaiæ 54.

Galat. 6.

Presbyteri debẽt, cæteris deuotione præstare.

Dignitas nihil vilius est in indigno.

Ornamentum in luto est, dignitas in indigno.

Clericis nõ est concessa ampliandarũ opum facultas.

Matt. 19.

Matt. 10.

Apostolica perfectio.

grantibus vniuersum Mundum ministris suis vsum vnius virgulæ non reliquit. Et post hæc; parum est successoribus eorum (id est Leuitis, ac sacerdotibus) tanta diuinarum rerum administratione fungentibus; si ipsi tantùm diuites fuerint, nisi etiam hæredes diuites derelinquant. Erubescamus (quæso) hac infidelitate! sufficiat nobis quòd videmur, vsque ad vitæ terminos, Dominum spernere: cur id agimus, vt contemptum ipsius, etiam post mortem extendamus? Diximus de personis atque officiis singulorum: & hæc omnia, ideò quia (vt supra diximus) quidam religionem professi; aut non debere se sicut cæteros Mundiales substantiam suam Domino, aut certè minùs debere arbitrarentur: cùm vtique hoc magis debeant, *quia seruus qui scit voluntatem Domini sui & non facit, is vapulet multis: qui autem nescit, vapulet paucis*. Religio autem scientia est Dei: ac per hoc; omnis Religiosus, hoc ipso quòd religionem sequitur. Dei se voluntatem nôsse testatur. Professio itaque religionis non aufert debitum, sed auget; quia adsumptio religiosi nominis, sponsio est deuotionis: ac per hoc, tantò plus quispiam debet opere, quantò plus promiserit professione; secundùm illud: *melius est non vouere, quàm post votum, promissa non reddere*. Sed forsitan dicit aliquis: Si hæc ita sunt, tutior ergo est irreligiositas, quàm Religio. Minimè! religiosus enim per hoc est debitor, quòd profitetur religionem; irreligiosus autem, per id quòd neglexerit Religionẽ: ac per hoc, ambo habent pro diuersitate conditionis debitum suum: Religiosus debet quicquid se professus est agnouisse, Irreligiosus verò, etiam quod non dignatur agnoscere; secundùm quòd specialiter Sermo diuinus de eo dicit: *noluit intelligere vt bene ageret*. Sed tamẽ qui oneratos se Religiosos hac re videmur; quia professionem nominis, sponsionem esse diximus religionis; remoueamus hanc sarcinam: putemus nõ ita esse quæ dixi; consideremus denique non quid professione, sed quid ratione; non quid voto, sed quid salubritate ipsa facere debeamus. Dicite mihi (quæso) omnes Religiosi; nunquid est vllus hominum qui non omnia quæ fecit, vel salutis suæ vel certè vtilitatis gratia faciat? Nemo; opinor! Omnes enim ad affectum atque appetitũ vtilitatis suæ, naturæ ipsius magisterio atque impulsione ducuntur. Ideóque, & qui militant, id sibi pulchrum, & qui negociantur, id sibi vtile, & qui agricolantur, id sibi fructuosum esse existimant. Et quid plura? Fures quoque ipsi, & latrones, & venefici, & sicarij, & omne improbæ conuersationis genus, id sibi quod agit congruum putat: non quòd vlli praua conueniant, sed quòd ille qui prauis vtitur, hoc sibi credat congruum esse quod prauum. Ergo & nos, non alia (opinor) causa, Religionis Philosophiam adpetere, adpetiuimus, quam quod nobis id conueniens arbitrati sumus: cogitantes scilicet & præsentium rerum breuitatem, & futurarum æternitatem: quã prauum istud, quàm grande illud: Cogitãtes quoque futurũ Iudicem, & tremendi iudicij graues exitus, ardentem in medio populorum circunstantiũ, vallem perennium lachrymarum, quam non solùm ntroiri atque tolerari, inæstimabile ac summũ malium; sed etiam videri ac timeri, pars mali summi sit. Cogitantes quoque inter hęc horrenda & pœnalissima, alia hic præclara ac beatissima: nouos scilicet cœlos & nouam terram, vultum rerum omniũ pulchriorem, æternum iustitiæ habitaculum, recens ædificium creaturarum, aureas super cœlos Sãctorum omnium domos, aulas gemmis intermicantibus expolitas & immortalium metallorum fulgore pretiosas, lumen illîc septuplò illustrius, puniceo semper splendore radians: beatitudinem ineffabilibus bonis diuitem, lætam cum incolis suis perennitatem, Patriarcharum consortiũ, Prophetarum societatem, Apostolorum germanitatem, Martyrum dignitatem, & in omnibus Sãctis angelorum similitudinem: opum cœlestium copiam, deliciarum immortalium affluentiam, communem cum Deo vitam. Hæc itaque cogitantes, hæc contemplantes; ad cultum Religionis sacræ officiúmque confugimus, eúmque nobis ad obtinenda hæc bona suffragatorem quodammodo & aduocatũ efficacissimæ intercessionis adsumpsimus; atq; in eius protectionem ac patrocinium, ambitiosa humilitate contulimus. Vnde cũ hæc tanta & cogitauerimus pariter & expetiuerimus; videamus nunc & perpendamus diligentissimè, si est vel in actibus nostris vel in substantiis vnde hæc tãta à Deo emere possimus. Quod si non est; cur (rogo) non vnusquisque nostrum, totum pro se offerat quod habet, qui non potest totũ offerre quod debet? Maximè cum Saluator ipse ac Deus noster, nihil tutius ac salubrius omni homini esse dixerit, quàm rem suam atque substantiam in vsu misericordiæ collocare; idque præcipuè, & in vetere & in noua Lege mandauerit dicens; quòd qui diuidant propria, ditiores fiant, & quòd misericordia à morte liberet. Et alibi de sancto viro: *dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum*. In euangelio quoque: *Nolite* (inquit) *thesaurizare vobis Thesauros in terra*. Et iterum: *non potestis Deo seruire & Mammonæ*. Et iterum: *Væ vobis diuites, qui habetis consolationes vestras*. Auaris quoque, & inhumanitatis crimine reis: *Ite* (inquit) *in ignem æternum quem parauit Pater meus, Diabolo & Angelis eius*. Quorum, quæ pœna semper futura sit facilè intelligitur, quibus sors cum Diabolo deputatur: per quæ tamen tormenta maxima, non atrociſsima in eis fornicationum, aut sacrilegiorum crimina puniuntur, sed sola tantummodò auaritia, & abdicatrix misericordiæ inhumanitas. Vnde intelligere nos conuenit, quid passuri sint quos præter alia peccata, etiam auaritia reos fecerit, cùm summo supplicio adficiendi sint, quos (expertes omnium peccatorum) solum auaritiæ crimen morte damnârit: quæ vtique si futura omnia credimus, absque dubio euitare debemus. Si autem non euitamus, profectò non credimus: si autem non credimus, Christiani nequaquam sumus; neque enim possumus quenquam dicere Christianum, qui non putat Christo esse credendum. Sed esto: illas quas supra diximus pœnas non timeamus Rei, nunquid etiam præmiũ sperare possumus, non merentes? Et ideò si opes non damus ob peccatorũ redemptionem, demus saltem ad emendam beatitudinem. Si nõ damus ne damnemur debemus saltem vt muneremur: quia (vt antè iam dixi) etiamsi præterita mala non sint quæ oporteat sanctos (de quibus nũc specialiter loquimur) facultatibus suis redimere, post tamen perennia bona quæ magnò

Dei contemptum etiam post mortem extendere.

Professi religioné, debẽt Deo suam substantiam. Luc. 12.

Religio, est scientia Dei.

Professio religionis, est sponsio deuotionis.

Ecclʃ.

Irreligiositas non est tutior Religione.

Psalm. 55.

Votum religionis.

Vtilitatis gratia omnia fiunt.

Religionis Philosophia.

Iudicij extremi hypotyposis.

Paradisi hypotypo-sis.

A

B

C

D

E

Religionis cultus, aduocatus efficacissimæ intercessionis ad obtinẽda bona cœlestia.

Psal. 111.

Matth. 6.

Mat. 25.

Non est Christianus qui Christo nõ credit.

Emenda est opibus, futura beatitudo.

debeant comparari (etiamsi pœna non sit quæ timeatur) est tamen regnum quod ambiatur. Ac per hoc; etiam si non habent sancti quæ redimant, habent tamen quæ emant: nisi fortè aliquis damnum in emptione vereatur; videlicet ne plus commodet quàm recipiat, ne grandia fœneranti parua reddantur, ne largitionem redhibitio non repensęt, & data semel pretij magnitudine pecunia periclitetur emptoris; ac, si magnum quid Domino commodârit in terra, non habeat Christus forsitan postea, vnde ei soluat in cœlo. Planè si ista dubitatio est, fieri nihil suadeo; quia nec prosunt omnino vlla, dubitanti: cassa quippe est operatio, si fides certa non fuerit; frustra fœnerat qui de receptione desperat: Christus enim (vt credimus) factorum omnium retributor est. Si ergo aut inopem eum qui retribuere non possit, aut infidelem putas esse qui nolit; quomodo ab eo retributionem sperare poteris, quem & impossibilitatis & infidelitatis ipse damnaueris? Quòd si ita non est, nec ambigis facturum esse quæ dixit; quæ insipientia aut qui error est, vt non ei tãtum des quantum potes, cùm vtique non dubites, multo te plus recepturum esse quàm dederis? Quæ denique miseria; vt mâlis nihil ex his recipere quæ relinquis, cùm tecum possis penitus possidere quod credis? Sed miserum me! puto; non creditur Deo: Et quid dico, puto? vtinam ambiguè putarẽ, & non euidenter agnoscerem? Laborarem fortassè intra me; vincerem opiniones meas; & cogerem sensum meum dubia non credere, vt possem mentem melioribus applicare. Sed quid agimus? non dubiis rebus vincimur, sed euidentibus coarctamur. Quis enim Domino, mente credit; & facultate non credit? Quis Deo animam suam mancipat, & pecuniã negat? Quis promissis cœlestibus fidem cõmodat, & non agit vt esse possit particeps promissionum? Et idem cùm videamus homines hæc non agere; cogimur, non credentes, palàm & euidenter agnoscere. Non licet vt eos nos Deo fidem putemus adhibere, cùm illi se rebus clament negare; in quo necesse est infidelitatem penè omnium hominum plãgi atque lugêri. O miseria! ô peruersitas homini, ab homine creditur; & non creditur Deo! Humanis promissionibus, spes commodatur; Deo negatur! Omnia denique in rebus humanis, spes futurorum agunt: vita quoque ipsa hæc temporaria, non nisi spe alitur ac sustinetur. Ideò enim terris frumenta credimus, vt cum vsuris, credita recipiamus: ideò in vineis labor maximus ponitur; quia homines, spes vindemiæ consolatur: Ideò negociatores emptionibus vacant, dum Thesauros suos venditionibus sperant esse cumulandos: ideò nauigantes, vitã ventis ac tempestatibus credunt, vt spẽbus suis votisq; potiantur. Et quid plura? Pax quoque inter feras ac barbaras gentes spe innititur; & fide adstipulante firmatur: latrones quoque ipsi & sanguinarij, fidẽ sibi inuicem nõ negant; & quæ promiserint mutuò, seruaturos esse confidunt. Totum denique, vt dixi, inter homines spebus agitur: solus Deus est de quo desperatur. Cúmque elementa ipsa, & naturam totius Mundi, Dominus noster fidelem fecerit; illi tãtùm propè ab omnibus non creditur, qui solus fecit vt rebus omnibus crederetur. Sed dici fortè hoc loco possit, quòd rebus suis vtãtur homines, non esse infidelitatis interdum sed necessitatis, neque Deo non credere Religiosos, sed vitæ atque vsui necessaria reseruare: Multos enim sanctorum hominum, à summa dispensandarum opum perfectione, aut sexu nonnunquã aut ætate aut ipsa infirmioris corpusculi imbecillitate prohiberi. Esto: hoc ferri possit, sed tamen etiam si fertur, ita ferendum est vt pro qualitate necessitatum atque causarum sufficientia retineantur; immoderata resecentur. *Habentes* enim (inquit Apostolus) *victum, his contenti simus, nam qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem Diaboli*. Ergo vt videmus, in rebus tantùm necessariis est salus, in superfluis laqueus, in mediocritate, Dei gratia, in diuitiis, Diaboli catena. Denique quid statim Apostolus subdit? *quæ demergunt* (inquit) *hominem, in interitum & perditionem*. Ergo si diuitiæ interitum in se habent; euitemus opulentiam, ne in interitum corruamus: Ampla ac locuples facultas perditionem inferre dicitur, refugienda est itaque ampla possessio, ne consequatur profunda perditio: Ac per hoc; siue sexus, siue ætas, siue infirmitas, necessaria victui requirat, sufficientibus tantum debet esse contenta vt quicquid temporariũ excedit vsum, religiosum absumat officium. Cæterùm, si tu; quicunque ille, aut quæcunque illa es sanctæ professionis, si tu aut conseruandis opibus aut cumulandis facultatibus inhias, superfluè de infirmitate causaris: Nunquid enim infirmior sexus ducere aliter vitam non potest, nisi animi sui curas, multa ingentis patrimonij administratione distenderit? Nunquid puella sacra, aut vidua, castitate deuota; seruare illæsam sanctæ professionis perseuerantiam non valet, nisi argenti & auri ponderibus incubârit; Ac tantas intra conscientiam opes possidere se nouerit, quantas vsus possidentium non requirit? Aut quia huic & sexui pariter & pudori, quies vel maximè necessaria est, nunquid impossibile sibi quæpiam fortè æstimat, inter pauca famulãtium ministeria inuiolatã quietem posse seruare; nisi aures eius, familiæ ingentis strepitus verberârit? Et turbarum circunsonantiũ tumultuosus clamor obtuderit? Quæ vtique omnia, sanctæ animæ & quietem veram desideranti, non pati tantùm, nimis magna inquietudo: sed etiã videre, quodammodò pars est inquietudinis: quásque etiam, si subdere aliquis disciplinæ, ac silentio velit comprimere; tamen earũ inquietudinem cum sua quiete videre non possit: adeò, etiã ipsum commercium alienæ inquietudinis, perturbatio est nostræ quietis. Hæc autem quæ de hoc sexu locuti sumus, ad omnes pertinent, omniumq; pariter ætati, sexui, infirmitatique conueniunt. Non est itaque quod competere quisquam, aut non obesse diuitias religioni putet: Impedimenta hæc sunt, non adiumenta; onera, non subsidia. Possessione enim & vsu opum, non suffulcitur religio, sed euertitur, secundùm illud quod Dominus ipse dicit: *Solicitudo istius sæculi & fallacia diuitiarum, suffocant Dei verbum*, & sine fructu efficitur. Propriè vtique ac satis pulchrè, fallaces dixit esse diuitias: bona enim & putantur & appellantur, ac per hoc, fallunt homines nomine præsentium bonorum, cùm sint causa malorum æternorum. Sed licet hæc ita sint vt Deus ipse prædixit, acquiescamus tamen miseriis quorũdam atque languoribus, qui putãt se sine magnis omnino vitã agere

1. Ti. 6.

Catena diaboli, diuitiæ.

Religionis officium debet absumere omnia non necessaria.

Temporario vsu diuitiarum simus contenti.

Sãcta professio castitatis.

Videre quædam tumultuosa, officit quieti.

Religio euertitur opibus. Mat. 13.

Fallaces diuitiæ sũt.

Homini creditur, Deo non creditur.

Spe alitur vita.

agere non posse. Esto! tu, quicunque ille es, aut quę- A
cunque illa es sancti nominis ac professionis: esto!
diuitias: esto! copias tuas vsque ad finem vitæ istius
habeas, dūmodò saltem in fine tibi conferas. Esto!
rebus ac facultatibus tuis in vita hac vti velis, dum-
modò tuî (vel moriens) non obliuiscaris; & ad eius
cultum atque honores referendam tibi substātiam
tuam memineris, cuius te munere accepisse cogno-
scis? Humanum est quod ab omnibus vobis (ô di-
uites Mundi huius) petitur, ac delicioſum; si im-
petrari ab vno quoque vestrûm non potest, vt esse
in hoc sæculo pauper velit, præstet sibi saltem ne in
æternitate mendicet: qui præsentem inopiam tan-
tùm fugitis; cur in perpetuum non reformidatis? In B
breuibus meticuloſi, longa & interminabilia vitâ-
re. Quid tantopere in vita ista paupertatem horre-
tis? Quid expauescitis? Minus multò est quod hic
timetis. Si tenuitatem temporariam grauem duci-
tis; qualis (quæso) erit illa quæ nunquam desinet?
Quasi vestri apud vos animi rem agimus, vestrique
voti. Si vsu vestrarum rerum penitus carere non
vultis; id agite ne aliquando careatis. Delicioſam à
vobis rem & voluptariam poscimus: qui sine diui-
tiis omnino esse non acquiescitis; id agite vt diuites
semper esse possitis, secundùm illud: *Si ergo delecta-*
mini sedibus & stemmatibus, Reges populi: diligite sapientiā,
vt in perpetuum regnetis. Alioqui; qui error, aut quæ in- C
sania est: quenquam hominem esse posse, qui acta in
amplis opibus (quod solum, sufficit ad reatum) vs-
que ad diem vltimum, vita: ne in supremo quidem
exitu, largè ac salubriter suî memor sit, nec in ipsa iā
de suo sibimet ægra extremitate succurrat: Præser-
tim cùm in diuitiis (quæ per se sufficiunt ad reatū)
per se, Dominum accusantibus (secundùm illud
Domini dictum, *Væ vobis diuites*) etiam alia ipsi di-
uiti, peccatorum genera non desint quæ in ipso di-
uitiarum sinu atque matrice quasi in naturali quo-
dam fomite pullulârint. Vel quæ insania est, vt non
in vltimis suis id agat, id elaboret, id omni rerum
suarum ambitu promereatur ne reus vadat; ne cru- D
ciandum posteà corpus, cruciāda etiam ad præsens
anima derelinquat? Quis ergo est aut tam infidelis,
aut tam insanus, qui hæc non cogitet, hæc non ti-
meat? aut qui de substantia sua, aliis magis quàm si-
bi consulat? Et cuncta iam penitus spe vitæ huius,
cunctis subsidiis destitutus; vnam tantummodò ta-
bulam cui inhæreat; adhuc (quasi in medio Mari
naufragus) post amittat: nec amittat tantummodò,
sed abiiciat, atque à se penitus expellat: omnibus
modis id elaborans, ne quid sibi omnino reliquum
esse faciat, quo periturus euadat? Quæ cùm ita sint;
dicite mihi (quæso) omnes Christum amantes; si
esse vlli omnino homines tam sæui ac tam crudeles E
aduersùm inimicos suos possunt, quàm sunt isti ad-
uersùm se? Nulli quippe sunt tā feri, aut tā inhuma-
ni; qui non vel desperatos iam atque morientes ad-
uersarios suos persequi desinant; isti, seipsos etiā in
morte positi persequuntur. An non est hoc perse-
cutio, aut esse alia maior potest; exhæredari homi-
nem à seipso? Extorrem bonorum omnium fieri, &
quasi in exilium à seipso agi: atque hoc non cōmuni
more aut vsitato, sed nouo & crudelissimo? Omnes
enim exules, etsi corporibus ablegantur, animis nō
eliminantur: & si carne captiui sunt, cordibus tamē
(si volunt) liberi perseuerant: Hoc autem vnde nūc
loquimur, nouum exilij genus atque tormentum
est; scilicet vbi in exilium anima ipsa mittitur, vbi
facultatibus suis spiritus abdicatur. O quantò le-
uiores sunt extranei & carnales inimici? Illi enim
corporum tantùm hostes sunt; vos, spirituum: illi
tantùm, artuum; vos, & animarum. Leue est itaque
in comparatione facinorum vestrorum, & illorum
odium; facile est enim quicquid in præsenti sæculo
nocet; illud graue, illud pernicioſum est quod in æ-
ternitate iugulabit. Et ideò Saluator ipse: *nolite* (in-
quit) *eos timere qui possunt corpus occidere, animam autem*
non possunt. Facile est ergo odium quod corpus læ-
dit, animam non lædit, quia læso corpore extra dā-
num est; & passionibus carnium, beatitudo spiri-
tuum non interpolatur. Illud itaque, illud inexpia-
bile malum est, illud æstimari omnino non potest,
quod totum omnino hominem, & intus & foris si-
ne fine damnabit. Et ideo leuiores vobis inimici
vestri sunt, quàm vosipsi. Omnis siquidem inimi-
citia, morte dissoluitur; vos, contrà, ita agitis vt ini-
micitias vestras nec post mortem euadatis.

Saltē morituri, debemus nobis ipsis de nostra substantia saltem partem.

Sapien. 6.

Diuitiæ, per se sufficiunt ad reatum.

Luc. 6.

Diuites, aduersùm se crudeles

Exhæredamus nos ipsos.

Animæ exilium.

Matt. 10.

SALVIANI MASSILIENSIS EPISCOPI AD ECCLESIAM *Catholicam toto Orbe diffusam,*

LIBER III.

DVOBVS superioribus libris, cū duabus filiorum tuorum partibus; id est, vna mūdi amatrice, alia religionis imaginē præferente (ô domina mea Ecclesia Dei) quasi separatim locuti sumus. In hoc autem, si Deus annuit; ad vtramque, prout causa ac ratio postulauerit loqui cupimus; nunc diuisim alterutram, nunc ambas pariter alloquentes. Superest vt ab vtraque earum agnoscente, in lectionis serie, partes suas; quicquid pro affectu Dei à nobis dicitur, cum affectu Dei recipiatur. Igitur quia in cunctis quæ iam locuti sumus, speciale Christianorum omnium bonū misericordiā ac largitatem esse memorauimus; præcipuéque in eis, & merita sanctorum, & peccatorū remedia contineri, idoneis (vt reor) ac multis testibus approbauimus: non opinor à quoquā plura expectari: maximè cū siquis cupidus est pluriū, ipsos adire debeat libros Dei, qui tam multis ac magnis testibus pleni sunt vt vniuersarum cœlestium Literarū penè vnum sit testimoniū. Supereſt aduersùm eas responsionum infideliū causas quæ à quibusdā mortiferæ excusationis gratia opinione solēt quippiam dicere: Loquens Saluator in Euangelio, propterea commodari hominibus opes à Domino ac pecuniam dicit, vt cum vsuris multiplicibus commodata reddantur, dicens auariſſimo illi ac nequissimo debitori: *Serue male ac piger, sciebas quòd ego meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi; oportuit ergo te pecuniam dare numulariis, vt ego veniens, cum vsuris recepissem quod meum est; tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.* Ac paulò pòst: *Et seruum* (inquit) *nequam, proiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Quod, tametsi etiam ad aliud quiddam referri potest; tamen loco quoque & causæ huic non insalubriter coaptatur.

Misericordia est speciale bonū Christianorum.

Matt. 25.

Pauperes sunt, Numularij Dei,

Cùm enim numularij Saluatoris, pauperes & egeni rectè intelligantur; quia pecunia quæ talibus dispẽ- A satur, augetur: cum vsuris absque dubio, Deo redditur quicquid egentibus erogatur. Vnde & alibi apertiùs ipse Dominus; distribuere, diuites, opes Mundi, & facere sibi sacculos qui non veterescant,

Luc.12. iubet. Sed & in Vase electionis suæ, idcirco locupletibus diuitias à Domino dari indicat, vt bono

Primum Christianæ religionis officium est, diuitias pro Dei honore cõsumere. opere diteſcant. Et ideò etiam ego minimus & indignissimus famulorum Dei; primum ac saluberrimum religionis officium esse duco, vt Christianus diues dum in hac vita est, diuitias Mundi huius pro Dei nomine atque honore consumat: Secundum autem; vt si id, vel metu, vel infirmitate, vel causa, B vel necessitate aliqua præpeditus, fortè non fecerit; saltem moriens, vniuersa dispensset. Sed dicit fortasse: Filios habeo! Iam de hoc quidem principalis libelli pagina; & conuenientia (vt arbitror) & non pauca memorauit; satisque ad hanc rem, Domini

Matt.10. sermo sufficit dicens: *qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Sed & Propheticum illud quod

Ezech.18. ait, neque patres pro Filiis neque Filios pro parentibus iudicandos, sed vnumquenque hominum aut sua iustificatione saluandum aut sua iniquitate pe-

Nihil proderit in iudicio, diuitem hæredem reliquisse. riturum: Ac per hoc, quaslibet diuitias homo filiis suis congerat; nequaquam hoc ei proderit in iudi- C cio, quod diuitem reliquit hæredẽ. Sed esto! ignosci parentibus possit, si ex parte aliqua hæreditarias facultates filiis derelinquant; si tamen idipsum, bonis; si tamen sanctis: esto quoque! ignoscí possit, si etiam malis, quiddam, atque vitiosis! habere aliquam excusationis speciem videntur, dicentes; Pietas vicit, vis sanguinis compulit, natura ipsa quasi

Iugum incarnatæ necessitudinis. amoris manu in ius suum traxit. Scimus quid iustitia Dei poscceret, quid sacra veritas postularet; sed subacti (fatemur) sumus, iugo incarnatæ necessitudinis, & dedimus captiuas manûs vinculis charitatis; cessit sanguini, fides; & vicerunt deuotionẽ

Vmbra excusationis nõ dat reatus securitatem. religionis, iura pietatis. Dici aliquid potest, tametsi salubriter dici non potest: est vmbra excusatiuncu- D læ non excusans, dans reo, deprecatiunculæ speciẽ, non reatús securitatem. Nequaquam enim id vlli spondeo quòd possit cuiuslibet rei firmum habere subsidium, qui aliquid plus amauerit quam Deum; secundùm illud quod scriptum est) in hoc futurum

Ioh.3. esse iudicium, quòd venerit *lux in hunc Mundum, & dilexerint homines magis tenebras quàm lucem:* nemini enim dubium est, totum id tenebras futurum homi-

Homini, quid sit Tenebræ. ni, quicquid diuinæ prætulerit charitati. Hæc ergo ita sunt. Sed esto vt dixi, indulgeri parentibus possit, naturæ insalubriter indulgentibus: quid quòd

Cõtra Testamentarias Adoptiones. nonnulli filios non habentes, à respectu se tamen salutis suæ & remedio peccatorũ penitus auertunt; E ac licet semine sanguinis sui careant, quærunt tamẽ quoscunque alios quibus substantiam propriæ facultatis addicant: id est; quibus vmbratile aliquod propinquitatis nomen inscribant; quos sibi quasi adoptiuos imaginarij parentes filios faciant, & in locum eorum quæ non sint pignorum, perfidia generante succedant; ac sic miserrimi quique & impiissimi, cùm vinculis filiorum non cõstringantur, ipsi tamen sibi vincula parant quibus infelicia animarum suarum colla constringant; cùm vis domesticarum necessitudinum nulla sit, foris discrimen arcessunt? Et licet causæ desint periculorum; ruunt tamẽ quasi in interitum voluntarium: quorum errores infelicissimi, quo affectu animi accipiẽdi sint ac ferendi, propè incertum apud quosdam videri potest, irascendum ne his an dolendum sit! Error enim, dolore dignus est, impietas, execratione: ad fletum trahimur infelicitate, ad iracundiam, infidelitate, In vna re est quod pro hominum insipiẽtia lugeamus, in alia, quòd pro Dei amore moueamur, vllum omnino inueniri aut esse posse qui de cursu infelicis vitæ istius (breui spatio, in ipsa extremitate iam pendens) iturus illicò ad tribunal Dei, quicquam aliud cogitet præter finem suum, quicquam aliud præter exitum suum, quicquam aliud præter periculũ suum, & neglecta spe sua atque anima, cui opitulari aliquatenus vel in vltimis suis omni nisu, omni re ac substãtia sua debeat, hoc solùm cogitet, hoc solũ animo suo voluat, quàm lautè hæres suus res suas comedat. Miserrimè omnium; quid sollicitus es? quid æstuas? quid authorem te ipse rerum periturarum facis? An times fortè, ne desint qui (te mortuo) quod dereliqueris vorent? Nolo metuas, nolo verearis: Vtinam tam facilè tu saluus esses, quã tua omnia deperibunt: O infidelitas, ô peruersitas! etiam vulgò dictum est, † omnes sibi melius velle quam alteri. Nouum hoc mõstri genus est, cuilibet quenquam velle consulere, tãtùm ne sibi. Ecce iturus es (infelicissime omnium) ad examen sacrum, ad tremendum illud intolerandúmque iudicium, vbi peregrinanti animæ atque anxiæ nullum potest omnino esse solatium, nisi sola tantummodò bona conscientia, nisi sola tãtùm innocens vita, aut quod proximum est bonæ vitæ; misericordia: Vbi reo homini nullum est adiutorium, nisi sola mens larga, nisi pœnitentia fructuosa, & eleemosynæ copiosæ, quasi validæ: Vbi denique pro diuersitate meritorũ, aut summum bonũ inuenies, aut summum malũ aut immortale præmiũ, aut sine fine tormentum. Et vt de locupletandis quibuscunque hæredibus tuis cogitas, de opibus agnatorum tuorũ cognatorúmque suspiras, quem potissimum inter cæteros ditiorem patrimonio tuo facias, cui supellectilis variæ ornamenta transcribas, cuius apothecas copiis tuis repleas, cui maiorem seruorum numerum derelinquas: Infelicissime omnium, cogitas quam benè, alij post te viuant, non cogitas quã malè ipse moriaris? Dic mihi (quæso) ô miser, ô infidelis, cùm multis patrimonium tuũ diuidas, cùm multos facultatibus tuis dites, nunquid de solo te es tam malè meritus, vt tibi nec inter extraneos locũ facias hæredis? Ecce expectat te iam egressurum de vita ista, officiũ Tribunalis sacri, expectant tortores Angeli, & immortalium tormentorum terribiles ministri: & tu futuras post te hæredum mundialium voluptates, animo volutas? Tu delicias aliorum, mente pertractas? Quàm benè scilicet, post te, hæres tuus de tuo prandeat, quibus copiis ventrem expleat, quomodò vsque ad nauseam redundantem, viscera exaturata distendat. Infelicissime omnium, quid tibi est cum his næniis? quid tibi cũ his deliramentis? quid cum stultitia huius erroris? quid cũ perditione istius vanitatis? Nũquid succurrere hoc tibi inter supplicia sũma poterit, si is qui res tuas prodigè comedit, lautus & pransus benè eructârit? Aut etiam vt tibi, qui

Lugẽdi quod quia piam non rituros, aliud quod exitum suũ cogat.

† Terẽtianus in Andria.

Vnum est animæ vitæ dicandæ solatium, bona conscientia.

deuoranda

deuoranda tua omnia tradidisti, redundanti crudi-
tate plus præstet si benè vomuerit? Sed de his vnde
nunc loquimur; si res ac ratio postulauerit, etiam
post hæc, aliqua subdemus. Interim hoc specialiter dico, & peculiari admonitione commoneo, ne
vllum omnino aliquis (quamuis charissimum pignus) animæ præferat: neque enim iniquum est vt
quilibet Christianorum etiã, legitimis hæredibus,
in hoc sæculo consulat; dummodò sibimet in æter-
nitate succurrat multis modis: quia & facilius est,
hîc deesse filiis quippiam, quàm Parentibus in fu-
turo; & multò est leuior præsens tenuitas, quàm æ-
terna paupertas: maximè quia cùm illîc non pau-
pertas tantùm sed etiam mors ac pœna timeantur:
& facilius est vtique hîc hæredibus deesse quiddã
de patrimonio; quàm illîc, testatoribus, de salute:
idque & ipsi quibus hæreditas derelinquitur, si mo-
dò pietatis aliquid in se habent, specialiter velle
debeant ne illic pereant qui relinquunt. Quod v-
tique si nolunt; multò minùs digni sunt quibus ali-
quid relinquatur: quia non iniustè Testator sapiẽs
non relinquit, quod hæres impius non meretur.
Ita optimum est, vt vnusquisque sibi consulat, &
animæ ac saluti suæ omnia derelinquat; sint quam-
uis interdum non filij tantùm quibus videtur na-
turaliter plus deberi, sed etiam pignora alia eius vel
meriti vel conditionis vt eis ad impartiẽdum quid-
dam ac largiendum iustitia ipsa ac Dei cultus pa-
trocinetur: & quibus non solùm piè aliquid relin-
quatur, sed etiam irreligiosè non relinquatur: sci-
licet si aut parentes sint calamitosi, aut germani
Deo fideles, aut sanctæ coniuges; aut vt longiùs
denique munus pietatis extendam, si aut propin-
qui inopes, aut affines egestuosi, aut denique cu-
iuslibet necessitudinis indigentes: vel certè quod
super omnia est, Deo dedit: hoc enim est præcipuũ
ac supereminens, si idipsum quod agit aliquis; pie-
tatis officio, religionis facit affectus. Ille enim qui
suos ipse diuini amoris spiritu amat; cuius charitas,
Christi cultus est; qui in naturæ vinculo Deum di-
ligit, deum cogit naturarum patrem: & amoris mu-
nera, in sacrificia conuertens: tantùm sibi immor-
talis lucri & beatorum fructuum parat, vt dum id
quod pignoribus suis præstans Domino suo fœne-
rat, hoc ipso quòd suis libertatem tribuit tempora-
riam, sibi mercedem pariat sempiternam. At verò
nunc diuersissimè & impiissimè, nullis omnino, à
suis, minus relinquitur, quàm quibus ob Dei reue-
rentiam plus debetur: nullos pietas minùs respicit,
quàm quos præcipuè religio commendat. Deni-
que si qui à Parentibus filij offeruntur Deo; omni-
bus filiis postponuntur oblati indigni iudicantur
hæreditate: qui digni fuerant consecratione: ac per
hoc, vna tantùm re parentibus viles fiunt, quia cœ-
perint Deo esse pretiosi. Ex quo intelligi potest,
quòd nullus penè apud homines vilior est, quam
Deus: cuius vtique sit dispectione, vt eos præcipuè,
parentes, filios spernãt qui ad Deum cœperint per-
tinere. Sed præclaram videlicet, qui hæc faciunt,
rationem consilij sui reddunt, dicentes: Quid opus
est, vt filiis iam Religiosis æqua cum fratribus suis
hæreditatis portio relinquatur? Nihil ergo iustius,
nihil dignius, quàm vt quia cœperunt religiosi esse,
mendicent: non quidem quòd eos hæc res mendi-

hæredibus relinquere patrimonium, non est contra Christiani officium.

Testator non relinquit iniustè, quod hæres impius non meretur.

Quibusdã aut Parentibus aut amicis aliquid irreligiosè Testamento non relinquitur.

Instituendorum hæredum ratio.

Amoris munera, in Sacrificia conuertere

Filij Deo consecrati, reliquis viliores sunt apud Parentes.

Deo nihil vilius apud homines.

Religiosi filij non exhereda-di.

citate oppressura sit, quòd à terrenis facultatibus A
abdicantur, cœlum spe possidentes, citò etiam re-
possessuros; regente illos Deo suo ac protegente,
qui eos cum immortali spe æternorum etiam suffi-
cientia temporalium muneratur. Sed tamen quan-
tùm ad inhumanitatem Parentum pertinet, egent;
à quibus sic relicti sunt, vt egerent. Certè etiam,
si qui non penitus domo eliminantur, & quibus
non omnino extorribus, quasi aqua & igni inter-
dicitur, cùm aut tenues aut certè vsufructuarij re-
linquuntur; tamen tantò inferiores fratribus re-
linquuntur, vt etiamsi paupertate non egeant, com-
paratione tamen egere videantur. Dicitis quòd o- Aequa, Re-
pus sit Religiosis, æquam accipere cum fratribus B ligiosorũ
patrimonij portionem? Respondeo; vt Religionis cum fratri-
fungantur officio; vt Religiosorum rebus, Religio bus, portio.
ditetur; vt donent, vt largiantur, vt illis habenti-
bus, cuncti habeant non habentes: immò si tanta
est eorum fides atque perfectio, vt habeant, citò
non habituri, beatiùs vtique, postquam habuerint,
non habentes: cur eis (quæso; ô inhumanissimi pa-
rentes) necessitatem indignissimæ paupertatis im-
ponitis? Permittite hoc religioni ipsi cui filios tra-
didistis: rectiùs, pauperes à se fiunt. Si tantùm
eos inopes esse cupitis; concedite id, ipsorum de-
uotioni liceat eis (quæso) vt velint pauperes fieri; C
eligere inopiam debent, non sustinêre. Postre-
mò, etiam si sustineant; deuotione eam tolerent,
non damnatione patiantur. Cur eos velut à natu-
ra expellitis, & quasi è iure sanguinis abdicatis? Et
ego esse eos pauperes volo, sed vt habeat tamen
præmium suum ipsa paupertas; ac præclara de-
mutatione eligant inopiam ex copia, vt ex inopiæ
electione copiam consequantur. Quanquam quid
ego vos per ipsum sanctissimæ rationis officium,
trahere ad humanitatem pietatémque contendo;
cùm id maximè obsistat, & hæc res parentes im-
pios faciat quæ magis pios facere deberet? Nam
cùm vos, ideò plus relinquere ex patrimonio ve- D
stro Religiosis filiis deberetis, vt aliquid ad Deum
ex facultatibus vestris saltem per filios perueniret;
ideo filiis non relinquitis, ne illi habeant Deo
quod relinquant: præclara videlicet ratione atque
cautela contenti eritis; vos, filios non agnoscere,
tantùm ne illi se filios Dei esse cognoscant; ma-
gnificam repensantes beneficiis sacris vicissitudi-
nem dum id studiosissimè procuratis, ne vel per
vestros aliquid honoris Deus habere possit, cùm
vos omnia per dei munus habeatis. Cur (rogo) tam
infideliter, cur tam impiè? Non exigimus, vt ve-
stra Domino largiamini: aliquid, Deo, de suo red-
dite! cur tam auarè: cur tam impiè agitis? Non est
vestrum quod denegatis. Iniquum ergo arbitrami- E
ni, vt Sæcularibus filiis Religiosos filios substantia
pares esse faciatis. Id ergo agitis, vt pœniteat eos
cœptę religionis, quos religio apud vos fecerit vi-
les. Pius itaque est ac bonus Dominus qui seruet in
eis propositũ ac professionẽ suam: cæterùm quan-
tùm in vobis est; id agitis vt sæculi eos cultores esse
faciatis, quibus Sæculares filios antefertis. Quid
est enim aliud quã Religionẽ interdicere: ob Reli-
gionẽ despectui habere? Sed iniusti fortasse vide-
amur, cũctos parẽtes in hoc negocio æqualiter accu-
sando: cùm scilicet non omnes pari agant iniqui-

Suscepta spõte pau-pertas, Christia-nos decet.

Diuitiæ non sunt nostræ.

Cœptæ Religionis penitet eos qui Reli-gione fiũt viliores.

tate cum filiis. Sunt enim (inquit aliquis) sunt ex parentibus multi, qui æquales filiis suis faciant portiones; nisi quòd vna tantùm eos conditione discernunt, quia in iis ipsis partibus quæ filiis Religiosis videntur adscribi, vsum, iubent, ad eos, proprietatẽ, ad alios; id est, ad sæculares filios pertinere. At verò hoc multò est peius & infidelius: tolerabilioris quippe impietatis esse videtur, hæreditatem, aliquem, filiis suis minus relinquere, quàm proprietatem his rerum penitus auferre. Potest enim aliquatenus ferri ista conditio, si aut amicis, aut affinibus, aut propinquis hac lege aliquid relinquatur? filiis verò qui proprietatem rerum non tribuit, nil relinquit. Sed inuenit iniquissima infidelitas Parẽtum, quomodo à patrimonio suo Deũ penitus excludat, proprietatem rerum Religiosis filiis auferẽdo: Vsum enim his dedit, vt esset quo ipsi viuerent, proprietatem his tulit, vt quod Deo relinquerent, non haberẽt. O nouum irreligiosæ mentis ingeniũ? inuênit, quò videretur, filiis suis, maiore erga Deũ sua impietate consulere: Fecit enim vt sancta soboles vsum rerum habens, ius rerum non habens, quasi locuples quidem viueret sed quasi mẽdica moreretur: ac sic testator infidelissimus, plena de hoc Mũdo possit securitate discedere, cùm sciret de suo ad Deum penitus peruenire nil posse. Quamuis in hoc ipso quod supra dixi, per vsum rerum aliquem, filios Religiosos opum imaginem possidere, ne hoc sit quidẽ: quia etsi vsus videtur aliquid habere, conscientia tamen vtentis nõ habet, nemo enim potest se vel breui diuitem credere, qui scit se proprium nil habere. Quid agis, miserrima infidelitas, & paganicæ (vt ita dixerim) religiositatis error? Itáne tãtum odisti Deum, vt possis etiam filios tuos ob hoc tantùm quòd ad Deum pertinent non amare? Meliori enim conditione quidam relinquunt libertos suos, quàm tu relinquis filios tuos. In vsu siquidem quotidiano est, vt serui (etsi non optimæ; certè, non improbæ seruitutis) Romana à dominis libertate donentur: in qua scilicet; & proprietatem peculij capiunt, & ius testamentarium consequuntur; ita vt, & viuentes cui volunt res suas tradant, & moriẽtes donatione transcribant. Nec solùm hoc, sed & illa quæ in seruitute positi conquisierant, ex dominorum domo tollere non vetantur. Tantùm eis interdum gratiæ patronæ liberalitas impartit, vt etiã iuri suo detrahat quod libertorum dominio largiatur. Quantò; ô quisquis ille es infidelissime pater: quantò Domini illi meliùs cum Libertis agũt, quã tu cum liberis! Illi, quæ donant; perpetuò iure donant; tu, temporario: illi, testamenti faciendi arbitrium dant libertis; tu tollis, liberis: illi, postremò seruos suos dant libertati; tu, quasi addicis filios seruituti. Nam quid est aliud quàm seruituti addicere, quos non vis aliquid quasi ingenuos possidere? More ergo illorum veteris, qui seruos suos non benè de se meritos, quia ciuitate Romana indignos iudicãt, iugo Latinæ libertatis addicunt: quos scilicet iubẽt quidem sub Libertorum titulo agere viuentes, sed nolunt quicquam habere morientes: negato enim his vltimæ voluntatis arbitrio; etiam quæ superstites habent, morientes donare non possunt. Ita ergo & tu religiosos Filios tuos, quasi Latinos iubes esse libertos, vt viuant scilicet quasi ingenui, & moriantur vt serui, & iuri frãtrum suorum quasi per vinculum Latinæ libertatis adstricti, etiamsi videntur arbitrij sui esse dum viuunt, quasi sub illorum tamen positi potestate moriantur. Quid tantùm (quæso) sceleris in titulo esse religionis putas; vt ideò eos qui religiosi sunt Deo, filios tuos esse non credas, quia Filij Dei esse cœperunt? In quo, tibi, hoc tam bonæ voluntatis quasi piaculo rei facti sunt; vt idcirco eos putes habendos esse peiores, quia optant esse meliores. Sed dicitis, non eo à vobis animo hoc agi! Quod idem est ac si quispiam dicat; malas res bono animo à se fieri, & impietatis facinus pia mente committi. Quid prodest (ô inhumanissimi parentes) quòd Filios religiosos, bono à vobis dehonorari animo adseratis? Res ipsa hoc respuit; res refellit. Parum est quòd nudis adsertionibus dicitis, ipsi actibus vestris contra vos testes estis. Indignum ergo arbitramini, vt sancta ac placita Deo pignora, Filij, Mundo seruiẽtibus comparentur. Verum est, & benè arbitramini, si tamen arbitrio isto, iuste & in diuersum vteremini: id est, vt comparandos bonis filiis, malos, & peccatores, sanctis non putaretis: & quia apud Deum vita ac meritis notis antecellerent, iidẽ apud vos gratia atque honore superarent. Quid enim rectius? quid magis iustum, quàm vt qui meliores sunt, iidem etiam honoratiores essent? & qui vincunt iudicio, iidem vincerent præmio: & qui antistant in Euangelio sacro, iidem quoque in testamento humano antistarent: & hac saltem re concordaret cum voluntate Christi parentum pietas ac voluntas, vt quos Deus præposuisset electione, eosdem etiam parentes anteponerent dignitate. Sed non solum hoc non agitur, sed in diuersum omnia aguntur: Præponuntur enim puris inuiolatisque commaculati, præponuntur fidelibus impij, præponuntur lumini tenebræ, præponitur vita morti, præponitur terra cœlo, præponitur mundus Deo, & euasuros se huiusmodi parentes vel in hoc solo iudicium Dei æstimat, qui cum Dei & dignitatem iudicij sui indignitate conculcant. Sed videlicet non contemptu Dei dicunt parentes hæc à se fieri, sed causa atque ratione: quibus enim, inquiunt relictam substantiam relicturi sunt filios non habentes? Dicam quibus nec nominabo eos, quos supra dixi pauperes Dei, non alienos aut longè positos, ne durum aut inhumanum fortè videatur: illos dico charos & indiuiduos, & quos rectè etiam vos qui multas soboles habetis filiis antefertis, ipsos se, inquam, homines, ô infidelissimi parentes, ipsos se, inquam, dicimus. Nunquid potest cuilibet quicquam seipso prius, nunquid charius inueniri. Suam vnicuique vestrûm animam, suam salutem, suam spem commendamus. Et pios vos esse dicitis, quia filios diligitis? Nihil planè durius vobis, nihil inhumanius, nihil tam ferum, nihil tam impium dici potest, à quibus impetrari omnino non potest, vt vos ipsos ametis: Pellem, inquit, Diabolus in scripturis sacris, pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua: Dilectissimam esse animam suam homini etiã diabolus nõ negauit: & qui auertere omnino cunctos ab affectu animarũ suarũ nititur, idẽ tamen charissimas esse debere cũctis suas animas cõfitetur.

Non est diues qui nihil habet proprium.

Libertatẽ quæ sequantur commoda.

Latinæ libertatis iugum.

Malas res bono animo nõ fit.

Excusatio parentum.

Cœlibes sacerdotes

Iob. 1.

Amorem nostrũ bolus cũ fatetur.

fitetur. Quis ergo furor est, viles à vobis animas vestras haberi, quas etiam diabolus putat esse pretiosas? Quis furor est, viles à vobis haberi, quas etiam ille charas vobis debere esse dicit, qui viles facere conatur? ac per hoc quicunque animas suas negligunt etiã, infra iudiciũ diaboli se amant. Quæ cum ita sint, videte vos, qui putatis religiosos homines nõ habere quibus relinquãt substantiã suam: videte vel iuxta diaboli opinionẽ: videte si non habent, qui seipsos habẽt. Sufficere quidemad hanc negocij portionẽ de qua nũc agitur, hæc quæ iam diximus, satis arbitror, id est, quod præponere vitam, spẽ, salutémq; vestrã cunctis omnino rebus atque affectibus debeatis. Sed ostendi id vobis forsitã non solis virtutibus rerũ, sed etiã authoritatibus exẽplorum desideratis: Possim quidem dicere, maiora exẽplis omnib⁹ Dei esse mãdata, clamãtia quotidie in omni mundo: Nolite Thesaurizare vobis Thesauros in terra, Thesaurizate autẽ vobis Thesauros in cœlo. Et alibi: Quæcunque homo seminauerit, hæc & metet. Quæ vtique tã ad mundi homines, quàm ad Dei: tã ad eos qui filios habẽt, quàm ad eos qui nõ habent æquè pertinet: quia cum vitam æternã cuncti desiderent possidere, non est dubium, quod vbi per vniuersorum votum est ad habendum, parem esse curam omnibus ad promerẽdum, nec interesse ad augẽdam diuinorum verborum authoritatẽ, impleant ea homines, an non impleant, quia virtutem eorum ex Domini certum est constare persona, non ex seruorum obedientia, nec addi eis, nec decedere aliquid potest: quorum honor per authorem Deum semper æqualis est. Sed tamen si adiuuari se etiam exemplis hominum humana optat infirmitas, scilicet quo facilius etiam ipsa nunc faciat, quæ alios fecisse ante cognoscat, ostendimus primo libro hæc, quæ etiã nunc ab aliquantis Christi imitatoribus fiunt, nõ mediocriter, sed abundãter: nec à paucis, sed à populis: nec ab antiquissimis, sed penè à recentissimis nuper esse completa: Quid enim noui, & adhuc propè in oculis constituti Apostolorum actus loquuntur? Omnes, inquam, qui credebant habebant in vnum omnia communia. Et iterum: Gratia quoque magna erat in illis omnibus: nec enim quisquam egens erat inter illos: Quicunque enim possessores prædiorum ac domorum erant, vendentes adferebant pretia venditorum, & ponebant ante pedes Apostolorum. Alibi quoque: Et nemo ex eo quod possidebat, suũ proprium esse dicebat. Atqui hoc non paruus credentium numerus: ne quem forsitan minus scriptorũ authoritas moueat, dum exempla esse paucorum. Quæ fuerit quippe tunc multitudo Ecclesiæ principalis vel ex hoc solo agnosci potest, quod in principiis statim ipsis octo hominum millia Ecclesiæ accessisse referuntur, pateátque omnium æstimationi, quæ cæteris diebus vniuersi generis multitudo concreuerit, vbi duo tantummodo dies, præter disparem ętatem pariter ac sexum, tantam virorum copiam procrearint. Vnde cum etiam innumerabilis iam tunc, & tam perfecta plebs fuerit, quæro à vobis cum quibus loquor, Christo dicati cuncti parentes in illis tot ac tantis tunc credentium millibus, tanta fidei perfectione viuentibus omnes ne cum filiis, an omnes sine filiis fuerint? Neutrum

Matth. 6.

Luc. 9.

Act. 4.

opinor: Nulla enim Ecclesiæ plebs est non de vtroque permixta. Et ideo cum Ecclesia vtrunque habuerit, intelligere ergo possunt quicunq; ex Christianis filios non habent, cui relinquere substantias suas debeant, cum videant cui relinquerint tunc illi filios non habentes, Sin autem habent, discant quid etiam ipsos oporteat facere, cum illos videant tunc parentes Dei amorem filiis prætulisse. Habet igitur omnis conditio quod sequatur: quicunque est participem se beati faciat exempli. Si illi tunc ob Deum donãtes omnia sua etiam seipsos exhæreditauere viuentes, discite vos quæsumus, bona vestra vel ipsi hæreditate morientes: Quæ quidem, vt dixi, etiam vos ô fidelissimi parentes curiosius attentiùsque pro vobis conuenit cogitare: Oportet quippe vos, mihi credite, etiam inter filios vestros salutis animarúmque vestrarum non obliuisci: Propinqua enim vestra pignora esse vobis & coniunctissima satis certum est: sed mihi credite, nemo vobis propinquior, nemo cõiunctior quàm vos ipsi, Amate itaque, non obsistimus, amate filios vestros, sed tamen secundo à vobis gradu: ita illos diligite, ne vos ipsos odisse videamini. Incõsultus namque & stultus amor & alterius memor & sui immemor: Non accipiet, inquit scriptura sacra iniquitatem Patris Filius neque Pater accipiet iniquitatem filij sui. Sed & Apostolus: vnusquisque, inquit, proprium suum portabit, Relictæ itaque filiis diuitiæ parentes non liberant de mendacitate, immo relicta immoderatè filiis facultas parentum est sempiterna mendicitas: ac per hoc nulli parentibus magis noxij, quam filij nimis amati: Dum enim illi, patriis bonis effluunt, parentes in sempiternitate cruciantur. Etiamsi tam pius sit filius, vt refrigerandi supplicij paterni gratia communicare cum patre postea bona relicta cupiat, nõ valebit reddere: siquidem post mortem Patris pietas filij non proderit, quod vnicuique indeuotio sua & infidelitas denegarit. Ideóque iuxta Apostolum, vnusquisque sarcinas suas cogitet, quia vnusquisque hominum sua onera portabit. Flammæ infelicium mortuorum diuitiis non refrigerantur hæredum. Dives ille in Euangelio, qui purpura induebatur & byssо, absque dubio qui locuples in hoc sæculo ipse fuerat, etiam hæredes suos morte ditarat, sed nequaquam hoc ei proderat, quod opibus ac talentis eius germani diuites incubabãt: & ille guttam refrigerij impetrare non poterat. Illi erant in abundantia, sed ille in egestate: illi in gratulatione, sed ille in dolore: illi in diuitiis, sed ille in tormentis: illi fortasse iugiter in luxuria, sed ille semper in flamma. O infelix ac miseranda conditio: Bonis suis aliis præparatat beatitudinem, sibi afflictionem: aliis gaudia, sibi lachrymas: aliis voluptatem breuem, sibi ignem perennem: Vbi erant tunc affines; Vbi propinqui? Vel filij, si habuerat, vel germani, quorum meminerat, & quos certè tanto amore dilexerat, vt eorum ne in supplicio quidem positus obliuiscereturⁿ? Quid ei proderant, quid suffragabantur? Torquebatur infelix, & opes suas aliis deuorantibus ille refrigerij guttam ardens petebat, & impetrare non poterat. Et hoc, si quid addi ad pœnam potest, per illum sibi tribui postulabat, quem aliquando contempse-

Sic diligẽdi filij vt nõ se odisse videantur parentes. Ezech. 18.

Galat 6. Luc. 16.

Mira viciſſitudo diuitis & pauperis.

rat: per illum qui pure ac ſanie computruerat: per illum, cuius fœtorem ac ſqualorem longè refugerat, qui membrorum ſuorum vlceribus canes pauerat, quem ſcatentes vermium globi etiam intra receſſus pereſi corporis exararant. O grauis nimium & lugenda conditio: Pauper beatitudinem emit mendicitate, diues ſupplicium facultate: Pauper cum penitus nil haberet, emit æternas diuitias egeſtate. O quanto has facilius tam multa rerum poſſeſſione diues potuerat cõparare, qui inter tormẽta æſtuãs, & inter ſupplicia proclamans. Pater, inquit, Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, Luc.16. vt intinga t extremum digiti ſui in aqua vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flãma. Non Digitus Lazari. horrebat tunc ſcilicet diues ille Lazari quondam pauperis manum, nec dedignabatur auxiliũ. Inſeri eius digitos ori ſuo, & mitigari intolerandas fau- Rerũ mutatio. cium flammas illius pridem fœtidæ ac ſqualentis manus munere poſtulabat. O quanta rerum mutatio facta fuerat. Tangi tunc ab eo deſiderabat, quẽ etiam videre ante deſpexerat. Hæc ergo diuites cogitẽt qui redimere facultatibus ſuis nolunt, ne iſta patiantur. Diues fuit ille de quo nunc loquimur: Aduertant diuites. diuites ſunt & iſti ad quos nunc loquimur: Vnius ſunt nominis, caueant ne ſint etiam conditionis vnius: Non liberabũt enim filij diuites parẽtes reos, nec reſtinguet flammas miſeri teſtatoris delitiis affluentibus opulentus hæres. Durum eſt ab aliquo filiis ac propinquis parum relinqui. Multo eſt durius in æternitate torqueri: Opinor enim diuitem illum cum torqueretur, Non tantum delectabant opes hæredis ſui, quantum angebant tormẽta corporis ſui, non tantum delectabat, quod hæres ſuus benè epulabatur, quàm angebat quod ipſe malè cruciabatur, non tantũ delectabat quod hæres ſuus in exquiſitis deliciis affluebat, quàm angebat quod Opes iniquitamenta malorum. ipſe intolerandis ignibus diffluebat. Non tantum eũ delectabat, quod hæres ſuus paſcebat paraſitos & helluones copiis ſuis, quãtum angebat, quod ipſe paſcebat flammas medullis ſuis. Et puto, ſi quis ei tunc opinionis copiam præſtitiſſet, vtrũne mallet diuites hæredes ſuos eſſe, an ſe in miſeriis tormentiſque non eſſe, voluerat profecto illos omnibus bonis alienari, dummodo ille poſſit malis ombus liberari. Voluerat offerre omnia quæ poſſederat, dummodo euaderet quæ perferebat. Voluerat cunctam illam ſubſtantiam quam habuerat, & tẽporales argenti & auri Theſauros pro ſe dare, vt iuges ſuppliciorum immortalium cruces & perenne illud incendium ſuperiecta, ſi quo modo poſſet, diuitiarum ſuarum mole reſtingueret, & exundantes ignium globos, oppoſita ingentium facultatũ immenſitate prohiberet. Et quid dicam voluiſſe eũ, vt interminabile illud malum redimeret facultatibus ſuis? Plus dico aliquid: Voluerat omnem ſubſtãtiam ſuam tradere, vt poſſet ſibi in flãmis ſ tus vnius ſaltem horæ requiem comparare. Deſiderans enim ad mitigandas faucium flammas vel tinctum aqua pauperis digitum, quon o lo non quantolibet pretio mercari requiem præoptauerat, qui paruam refrigerij guttam tam magno ambitu poſtulabat? Sed iam iſta quid proderãt? Aut quid iuuabat miſerum quod tunc pro ſe offerre omnia volebat, qui malè ante noluerat? Vel quid tunc proderat, quod dare cuncta cupiebat quæ iam amiſerat? Qui nihil tunc pro ſe dederat, quando omnia poſſidebat. Sera quippe, vt ait in ſcripturis Spiritus ſanctus, ſera eſt pœnitentia mortuorum. Quoniam non eſt enim, inquit ad Deum patrem ſermo diuinus, non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autẽ quis cõfitebitur tibi? Excludi penitus à confeſſione peccati peccatorem mortuũ proteſtatur, nec poſſe eſſe quenquam poſtea Dei memorem, qui in hac vita ſui fuerit oblitus. Adeo omnis eis ſpes penitus abſcinditur, & omnis vitæ aditus obſeratur, vt cum vna ſit reo ſalutis via, preces ad Deũ fundere, & cœleſtem miſericordiam inceſſabiliter orare, etiam hac peccator lætiferæ obliuionis animaduerſione damnetur, vt ei nec memoria quidẽ Dei, à quo ſperare debeat, relinquatur, Hæc ergo cogitẽt, qui dũ filios habere poſt mortẽ diuites cupiũt, futurorum ſuppliciorum nec in morte meminerũt. Hæc cogi- Cogitent diuites. tẽt, qui vt hac caduca & breui vita hæredes diuites habeant, æterna ſeipſos morte condemnant, In quo quidẽ nõ tam hæredibus conſulũt, quã ſibi obſunt: Non tã illos amãt, quam ſe oderunt: quia non tam ſalubris amor eſt qui breui conſulit, quam graue odiũ q̃ in æternitate cruciabit. Et ideo Deus noſter, vt in primo dudum libello diximus; diſciplinam parẽtes theſaurizare iubet filiis, nõ pecuniã: perennia Theſaurizare cœlum ſi terram. pręcipit, nõ peritura cõferre. Scilicet quia res iſtiuſmodi, atque opus ſanctũ, & filiis pariter & parentibus proſunt, filiis vtique per diſciplinę inſtitutionẽ: parẽtibus per munificentiæ largitatẽ. Et filiis enim hoc diſciplina præſtat, vt ſalutem capiant perpetuã: & parentibus largitur, vt mortem effugiant ſempiternam. Sed cui hæc dicimus, aut cur dicimus: Vbi apertas aures aut videntes oculos inuenire poteri- Pſal.13. mus? Omnes enim, vt de impiis legimus, penè omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt penè vſque ad vnum: no- Corruptiones & Religioſi. ua quippe amẽtia tam ſa culares, quam etiam quoſdam religionem profeſſos inceſſit homines: Si qui dem vt dudum dicere cœperamus, iam non tantum filiis aut nepotibus, quod ob naturæ neceſſitudinẽ ferri poteſt, ſed etiã agnatis, atque cognatis neque ſolum, vt aiunt, ex directo, ſed etiam ex obliquo, & ex tranſuerſo, immò potius ex auerſo peruerſóque venientibus res propriæ facultatis, id eſt, pretium ſuæ redemptionis addicunt, ſicut ſcriptum eſt: Nõ dedit Deo propitiationem ſuam, & pretium redẽ- Pſal.48. ptionis animæ ſuæ. Et paulo poſt: Simul, inquit, inſipiens & ſtultus peribunt, & relinquent alienis diuitias ſuas, & ſepulchra eorum domus eorum in æternum. Quid inter ſtultum ſit & inſipientem, non eſt nunc differendi locus: nec ſanè intereſt quæ inter eos meritorum ſit differentia, quorum eſt vna perditio. Quod cauſæ itaque ſufficit, cum dixiſſet ſimul inſipientem & ſtultum eſſe perituros. Videamus quid vel ad cauſam, vel ad cumulum perditionis adiecerit. Relinquent inquit, alienis diuitias Pſal.48. ſuas. Verum eſt: quid enim ſiue tam ſtultum, ſiue tam perditum: quàm vt aliquis de ſuo non ſibi cõſulat? Præſertim cum Deus dicat nihil prodeſſe homini ſi totum mundum lucrifaciat, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit, in- Matt.16. quit homo commutationem pro anima ſua? Si ergo homines totum mundum ſpernere oportet, ne animarum

animarum damna patiantur: & propter ſuam ſalutem debet quiſpiam etiam ſua lucra contemnere, quàm infidelis eſt, quam inſipiens eſt, qui vt alium diuitem faciat, animam ſuam ipſe condemnat? Maximè cum & ille non multum adipiſcatur qui vſum temporalium rerum accipit, & ille inæſtimabilia damna perferat qui fructũ beatæ æternitatis amittit? Nam & ideo ſequitur in Pſalmo: Sepulchra eorum domus eorum in æternum. Quàm miſera ergo Pſal. 48. erit perdita ſors eorum, qui quaſi ſepulchris perẽnibus deputati, quam conditionem poſt mortem fecerunt corporum, eandem quodammodo patiãtur animarum: & quidem minùs miſeram, ſi eandẽ, aut ſi ad eos adiumẽta inſipientia, nec bonorũ ſenſus nec malorum paſſionũ atq; intolerabile, quod ſimiliter pereunt, ſed non ſimiliter puniuntur: illorum enim mors ſempiterma ſine ſenſu eſt: iſtorum omnium cum dolore. Ac ſic conditionem hominum peccatorum perditio quidem facit pecudibus eſſe ſimilem, ſed tamẽ pœnam grauiorem. Cogitent igitur cuncta iſta quæ dicimus, immò cogitent cuncta illa quæ Deus dicit, qui ſibi nec ante mortem omnino cõſulunt, nec in morte ſuccurrũt, apud quos obliuio eſt penitus animarum ſuarum: nec intereſt penè iam apud homines quibus conſulant, dummodo ſibi omnino non conſulant. Si qui Obliuio animarum. enim ex iſtis de quibus loquimur morte appropinquante filios non habent, quærunt infideliſſimè quos aut propinquos, aut affines ſuos dicant: Aut ſi id fortè deeſt, quærunt ſaltem aliqua nouarum neceſſitudinum ficta nomina, nec intereſt, vt dixi, apud eos quorum meminerint, dummodo ſui obliuiſcantur: non intereſt quos amare ſe dicant, dummodo animas ſuas oderint: non intereſt quos diuites faciant dummodo ſe æterna mẽdicitate conſumant. O infidelitas, ô infælicitas, ô inſania. Quid tantum quæſo de ſe miſerrimis omnium mali promeruerunt, vt dum aliorum voluptatibus ſeruiunt, ſe perpetuo perſequantur? Vides enim à quibuſdã infeliciſſima vanitate inueſtigari quoſdã nouos ac nobiles propinquos: videas incognitarum agnationum pudenda nomina, & recentium ac præpotentium affinitatum ridicula cõmenta: cum dicat quis de aliquo adoptiuo ac ſubitaneo propinquo: illum Ficta pro pinquitas. hæredem facio parentem meum, Aut quæcunque ſanctæ profeſſionis vidua vel puella: Illum hæredẽ ſcribo proximum meum: ac ſic quoſdam quos in omni vita quaſi extraneos alienóſque habuerant, ſubito in extremis propinquos habẽt: & qui extranei ſemper fuere viuentium, parentes eſſe incipiũt mortuorum. Introducunt enim multi repente in teſtamentum, quos nunquam introduxere in affectum: & hoc maximè, vt dixi, aut locupletes, aut nobiles, aut honoratos, & qui niſi potentes eſſent, parentes forſitan non fuiſſent. Ridicula miſeri teſtatoris ambitio, dans cenſum propriæ facultatis ad comparandum mendacium propinquitatis: emens pretio hæreditatis, nomen hæredis, & totis patrimonij ſui viribus hoc elaborans, ne ſe ille qui hæres ſcribitur, parentem neget: & vt teſtator infæliciſſimus ſtultiſſima ac miſerrima vanitate, facto hærede nobili, qui in vita ſua humilior eſſe viſus eſt, honoratior in morte eſſe videatur. O cæcitas, ô inſania, quãto ſtudio imprudentiſſimi, infęliciſſimíque homines id efficitis, id efficere curatis, vt miſeri æternitate ſitis? Quãto minore cura, minore ambitu id vobis pręſtare poteratis, vt ſemper beati eſſe poſſetis? Cuius rei quidem cauſam aliã omnino inuenire nõ poſſumus niſi ſolam tantummodo incredulitatem atque perfidiã, id eſt quod aut iudicandos ſe à Deo homines eſſe non putent, aut reſurrecturos omnino eſſe non credunt: Nemo eſt enim qui reſurrecturum ſe & iudicandum à Deo de operibus bonis ac malis certus ſit, qui nõ vel ſpei ac beatitudini ſuę præſtet, vt pro bonis operibus perennia bona capiat: vel timori atque diſcrimini, ne pro malis mala æterna patiatur. Sed aberrare hoc videlicet à Chriſtiano nomine videtur, vt dicatur bona æterna futura non credere. Quid ergo cauſæ eſt, vt ſi quiſpiam Chriſtianus futura credit, futura non timeat? Quid ergo cauſæ eſt, vt ſi credit quæ dixit Deus, non timeat quæ minatur Deus? Si non credit verbis quæ dixit Deus, non credat præmiis quæ promittit Deus? Neque enim ſe probat promiſſionibus Dei credere, qui non ſic agit, vt poſſit ad promiſſa à Deo præmia peruenire: in ipſa quippe hac vita hominum ſi iudicandum ſe aliquis ab humana hac poteſtate, & rapiendum ad tribunal terrenum eſſe cognouerit, aduocatos requirit, patronos adhibet, officialium atque apparitorum gratiam fauorémque mercatur, & hæc omnia metu iudicij futuri agit: cum tamen euentum iudicij comparare non poſſit, adeo vt ſi victoriam emere ipſam non valet, ſpem tamen victoriæ magno emit. Dic mihi igitur quiſquis ille es, qui credere te iudicium Dei dicis, tu ſi vel ſupradictorum exemplo hominum iudicandum te eſſe à Deo crederes, nónne ſpem ac ſalutem tuam quolibet pretio comparares? Sed nõ credis vtique, non credis: Et licet credulitatem tuã verbis velis adſeuerare, non credis: verbis enim vt ait Apoſtolus, confiteris, ſed factis negas. Deniq; Tit. 1. vt infidelitatem tuã tibimet ex teipſo probem, dic mihi obſecro, quiſquis ille es, qui ſubſtantiam tuã vel propinquo cuipiam diuiti, vel affini, vel ſi hi fortè deſunt, etiam extraneo derelinquis, cur ea non ſanus à te atque incolumis abdicaſti? Cur non ſoſpes ac vegetus hæredibus tradidiſti? Sed in teſtamento ipſo prouidentiſſimè caues, & ſollicitè ac diligenter inſcribis: quandocunque ego ex rebus humanis exceſſero, tũc mihi tu ille chariſſime hæres eſto. Dic mihi quæſo, cur huic chariſſimo, vt ipſe ais, ac deuinctiſſimo tuo iam diu nihil de tuo tribuis? Tandiu nihil de tuo tradis: quandiu te putas eſſe victurum, ſed tum cum te vides eſſe moriturũ? Et quid dicam cum eſſe te moriturum vides? Immò id caues prouidentiſſimè, ne vel ſpirante, vel moriente te quicquam de tuo habeat, ſed iam defuncto omnino, iam mortuo. Et mirum eſt quod hoc ipſum ſinis, & non addis vt iam funeſtato te tua habeat: iam exportato atque tumulato. Quamuis etiam in hoc quod ais: quando ego ex rebus humanis exceſſero, idipſum cauiſſe videaris. Hoc eſt enim ex rebus humanis penitus excedere, totũ omnino cum ſuo corpore hominem in præſentia humanarum rerum eſſe deſiiſſe. Dic mihi itaque, cur hæc tam prouidè in teſtamento caues? Cur tam ſollicitè, ac diligenter interſeris? Abſque dubio quia neceſſariam tibi dum viuis rem tuam iudicas, quia

Fidem verbis infidelitatem vita declaram⁹.

Teſtantiũ verba.

alienare te facultatibus tuis non vis. Et iniquissimũ putas, viuo te & incolumi alium tuo diuitem fieri, te autem mendicitate consumi. Verum est, ac rectum putas, nec irrationabilem curam abnuo. Et quicquid à te in hunc modum dicitur probo: sed in vno tamen mihi satis cupio fieri à te: Quid est quod tu, qui tibi in vita ista vsum rerum tuarũ tantopere necessarium putas, fructus ac reditus facultatis tuæ post mortem necessarios esse non putas? Dicis absque dubio, quia mortuo nihil opus est, nec reseruandum mihi quicquam in tempus illud est, quia defunctus ac nihil sentiens nec delectari possum possessione rerum mearum, neque amissione cruciari. Euidens causa est ergo, idcirco moriẽs substantiam tuam alteri deputas, quia capere ex ea fructus post mortem ipse nõ possis. Sed quid quod electissimum vas Dei Apostolus Paulus testificatur & clamat, quod quæcunque homo in vita hac seminauerit, hęc post mortem metat: & qui parce seminat, parce & metet: & qui seminauerit in benedictione ex benedictione & metet? Ex quo aperte intelligi voluit, eos qui seminauerint in parcitate, benedictionem metere non posse: Cum enim dicens, qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictione, ex benedictione & metet, euidenter vtique benedictionem in sola posuerit largitate: ostendit parcos seminatores mendicitatem, largos benedictionem esse messuros. Sed fortassè hæc tibi, quicunque es ô infidelis, aut parum valida, aut parum aperta esse videantur. Quid quod Dominus ipse in Euangelio nihil quenquam de operibus bonis perdere Christianũ manifestissimè docet, dicens. Quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, amen dico vobis nõ perdet mercedem suam. Quid dici euidentius potuit? Etiam eam rem in futuro habituram præmium esse dixit, quæ in præsenti pretium non haberet. Tantum honoris cultui suo tribuit, vt nonnihilum esse illic per hominum operantium fidem, quod hic omnino nihil esse per rerum vilium paruitatem. Sed tamen ne in hoc sibi quidam forsitan blandirentur, si multa habentes exiguis se putarent magna mercari, subtiliter posuit, etiam pro calice aquæ frigidæ nõ perituram esse mercedem. Hoc vtique euidenter ostẽdens, non pro paruo aliquid magnum esse reddendum, sed tamen qualecunque fidei opus non esse periturum. Habes itaque indubitabilem futurę retributionis securitatem: habes recipiendorum bonorum operum satis idoneum vadem, quidem tantæ non solum fidei, sed etiam misericordiæ, atque pietatis est, vt non soluat tantum quod promiserit quasi debitum, sed etiam ostendat aliquid atque ingerat, quo se magis faciat debitorem. Nam qui pro calice aquæ frigidæ redditurum se dixit esse mercedem, non solum vult soluere quæ acceperit, sed etiam demonstrat aliqua quæ soluat, pius scilicet ac misericordia plenus, & consulere volens non solum diuiti largitati, sed etiam pauperculæ officiositati, ostendit quo obnoxium sibi in aliquo Deũ facere possit, etiam qui quod fœneraret penitus nõ haberet. Sed forsitan tibi, quicũque diues es, indignum hoc facultatibus tuis opus pauperculorum esse videatur, & velis aliquã ad te peculiariter pertinentem sponsionem dominicæ repromissionis audire. Habes primum illud, quod ad diuitem illũ Deus in Euangelio loquitur: Vade, vende omnia bona tua, & da pauperibus, & habebis Thesaurum in cœlo. Deinde illud quod præcepto interdictorio generaliter iubet: No litr Thesaurizare vobis Thesauros in terra. Et rursũ Thesaurizate autẽ vobis Thesauros in cœlo. Postremo illa quibus omnes rerum mundialium possessores ad opus profluę largitatis spe infinitæ remunerationis inuitat, dicẽs quod omnis qui propter honorem atque amorem suum, aut domũ, aut agrum, aut quãcunque aliam facultatẽ in vsus misericordiæ prorogauit, centuplum accipiat in futuro. Insuper autem inquit: Et vitam æternam possidebit. Quid spondere maius credentibus sibi potuit, qui magis fœneratoribus suis centuplum se rediturum esse promisit? Nec solum hoc, sed vitam, inquit, æternam possidebunt. Hoc multo plus est quam ipsa centupli retributio: quia idipsum quod quis in centuplo acceperit, in perpetuò possidebit. Nõ erit ergo tũc fragilis & caduca possessio, nec in similitudinẽ terrenarũ diuitiarũ vmbræ prætereũtis, aut somnij vanescẽtis more peritura. Quicquid datum à deo fuerit, immortale erit, quicquid acceptum fuerit, sine termino permanebit: ac per hoc, vt dixi, plus quàm centuplum accipit: qui sic accipit: quia vincit centupli pretium idipsum esse centuplum sempiternũ. Quæ cum ita sint, & cum tanta absque dubio recepturus sit qui Deo credit, quomodo tu his rebꝰ quas Deo dederis, vsurũ te esse post mortem non putas? Quarum tibi nõ vsum tantummodo Dominus, sed augmentum etiam, & superexcellẽtem cumulum pollicetur? An fortè accipere hæc non vis? Sed hoc ratio non patitur, vt nolis: Nemo enim est inter homines, qui cum beatus esse valeat, miser esse malit: nemo est qui cum habere possit delitias summi boni pati velit supplicium summi mali. Nullus profecto, nullus, & ideo ne tu quidem, nisi fortè mõstrosa sit in te aliqua & discrepãs ab humano genere natura, vt solus tibi penitus benè esse nolis, solus beatitudinem fugias, solus suppliciis delecteris. Quod si vtique non est, quid ergo causæ est, vt non vel moriens & in vltimis situs, id saltem supremæ oblationis officio, & omni rerum tuarum ambitu agas, vt si mereri à Deo potes, locuples ac beatus sis? Sin autẽ id non potes, certè vel hoc promerearis, vt miser nõ sis, certè vt non vraris, certè hoc nõ torquearis, certè vt tenebris exterioribus non iniiciaris, & ardẽtibus sine fine flammis non decoquaris. Quæ cum ita sint, quid ergo, vt dixi, causæ est, vt non omnibus modis vel mala fugias, vel bona adsequi velis? Quid causæ est quod hæc nõ agis? Quid causæ est, vt bona æterna non emas? Quid causæ est, vt mala æterna non timeas? Quid vtique, nisi illud quod prælocutus sum, quod aut iudicandum à Deo te esse non putas, aut resurrecturum omnino esse non credis: si enim crederes, quomodo non futuri iudicij inæstimabile malum fugeres, & immortalia suppliciorum tormenta vitares? Sed non credis, vtique non credis, ac licet aliud & sermone adseras & professione, non credis: sermo enim & professio tua iactitant fidem, sed vita atque obitus publicant infidelitatem: Alioqui vince me: vinci volo,

Matt.10.

Calicem aquæ frigidæ, non carere sua mercede.

Paupercula officiositas mercede non caret.

Omnes beatitudinem appetunt.

Aut iudicium aut resurrectionem non credit auarus.

Vita infidelis.

297

volo, non quæro vt mihi credulitatem tuam superioris vitæ actibus probes, vno contentus sum testimonio supremorum tuorum: Ecce iam, ecce morieris, egressurus de domo corporis tui, nescies quò iturus, quò abducēdus, ad quàm pœnalia, & quàm tetra rapiendus: cui vnum tantummodò supersest inter suprema perfugium, vna effugiendi æterni ignis specula datur, vt pro te offeras saltem quod in substantia habes: quia aliud quod possis Deo offerre iam non habes, & tu immemor tui, oblitus salutis tuæ, de legatariis nouis cogitas, de locupletando hærede suspiras. Et hæc faciens credere te iudicium Dei dicis, qui tibi cùm iudicandus sis vel inter suprema non consulis: & cogitare te aliquid de salute animæ tuæ loqueris, cui nullus est anima tua vilior, apud quem prope non interest cui prosis, dummodo tibi noceas? Et credere te futurum iudicem dicis, apud quem? nullus est minor, atque despectior, quam ipse iudex: nam intantum eum spernis, intantum despicis, vt nec tibimetipsi consulas, dummodo eius iussa contemnas. Aut refelle me, & conuince si mētior: Clamat tibi ecce morienti ipse qui te iudicaturus est iudex tuus, ne vllum omnino hominem in prorogādis rebus ac facultatibus tuis plus quam te ames, ne vlli de substātia tua moriens magis quàm tibi cōsulas: nullū tibi anima tua propinquiorem, nullū iudices chariorem. Quid enim proderit, inquit Saluator, homini, si lucretur mundum totum, detrimentum faciat animæ suæ? aut quid dabit homo commutationem pro anima sua? Hoc est dicere: quid tibi, ô infelicissime homo proderit, si omnem mundum aut ipse habeas, aut tuis posteris relinquas, si salutis atque animę detrimenta patiaris? Damna enim animæ totum penitus secum auferunt, nec quicquam homo omnino habere poterit, qui seipsum damno animæ pereuntis amittit. Aut quid, inquit, homo commutationem dabit pro anima sua? Hoc est dicere, non respicias, ô homo, pecuniam, non possessionem, nec dubites saltem moriens pro spe tua quantum potes rei tuæ ac facultatis offerre: quicquid libet enim dederis pro te vile est, quicquid pro te obtuleris, parui pretij est: quia anima tua in omnium rerum est comparatione pretiosior. Et ideò nihil dubites pro te dare, quia si te amiseris, omnia in te perdis: si autem te lucrifeceris, tecum & in te omnia possidebis. Cum hic ergo tibi iam morièti, ô homo quisquis es, Dominus Deus tuus clamet, tu mentem obduras, tu cutem obstruis, & nudis sermonibus fidem adserens, sufficere tibi putas verba pro rebus: ac satis te firmum æstimas credulitatis habere subsidium, si Deum quem rebus atque operibus tuis despicis, verbis mendacibus honorare videaris: Fili, inquit scriptura sancta, si habes bene fac tecū, & Deo bonas oblationes offer. Et alibi: Miserere, inquit animæ tuæ. Vide pietatem erga te Domini nostri, vide quàm misericors sit Dominus Deus noster, qui nos ipsos pro nobis misericordiam rogat, miserere, inquit, animæ tuæ, hoc est dicere, miserere etiam illius, cuius vides miseratione me frangi: miserere illius tandem, cuius misereor, ego semper: miserere tu animæ saltem tuæ, cum misereri me cernas alienæ. Et quid post hęc, ô miserrime homo, cùm Deus sic tecum agat, non adquiescis? rogat te vt tui misereris, & non vis: causam tuam apud te agit, & à te nō admittitur: dignatur te pro te petere, & à te non potest impetrare. Et quomodo, quisquis es ô miserrime homo, quomodo te posteà supplicantem ille in iudicio suo audiet, cum tu hic eum pro te rogantem audire ipse nolueris? Sed videlicet causa grandis est, qua Deum audire nō possis: circunstāt enim te ægrotantem cognati atque agnati tui, circunstāt locupletes matres familiæ, circunstant nobiles viri, obsidet lectum infirmitatis tuæ sericis atq; auratis vestibus circunfusa numerositas. O quātus fructus æternitatis est, talibus bona propria erogare mendicis: digna videlicet causa & satis iusta est, vt tua animæ tuæ auferas, quod egenis talibus derelinquas. Sed nimirum misericordia frāgeris, & lamentātiū propinquorū pietate superaris. Est certa ratio. Vides quippe opulētissimi ac splendidissimi cultus homines, tibi anxios, tibi flētes, tristi vultu, & festo habitu cōpositas ad mœstitudinem facies tibi ostētātes, per imaginariam sollicitudinem suam ementes hæreditatem tuam, quem non moueat tanta pietas? quem non moueat talis dolor? Aut quomodo cum hæc talia videas non obliuiscaris tui! Vides enim exortas lachrymas, simulata suspiria, fictam anxietatem, non optantem vt conualescas, sed expectantem quando moriaris: Vides defixos in te, & quasi accusantes tui obitus tarditatem omnium vultus. O infelicem te ac miserrimum, cuius supremum exitum tantus desiderat ac precatur numerus propinquorum, nisi quod scio ac satis certus sum nihil omnino apud Deum vota talium præualere: Nā mirari possem forte, posse te viuere, quem mori tam multi velint: & propter hos, quisquis es, ô miserrime omnium, propter hos tales animam tuam deseris, & credere te iudicium Dei dicis, cùm adhuc eius iussa despicias, vt patrimonium tuum talibus derelinquas. Dispersit, inquit, Propheta de eo qui Deum credit, dispersit, dedit pauperibus iustitia eius manet in æternum. Sed & Saluator ipse ad omnes diuites: Vendite, inquit, quæ possidetis, & date eleemosynam. Et alibi: Vende quæ habes, & da pauperibus. Nunquid dicit, agnatis tuis da? nunquid affinibus? Non vtique, sed pauperibus, sed egenis. Nunquid propinquo diuiti? nunquid vlli omnino hominum præpotenti? Non vtique, sed inopi, sed egestuoso. Et rectè. Nunquid enim cum locupletibus cognatis tuis substātiam tuam dederis, iustitia tua manet in æternū? aut cùm diuitias eorum diuitiis tuis auxeris, thesaurū habebis in cœlo? Væ, inquit, Propheta, his qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce. Etiam laudari à te tales hos Deus prohibet, & tu ditare non metuis? Dari his prædicatoria verba nō volunt, & tu etiā talēta largiris? Honorari vitam eorum fictis sermonibus vetāt, & à te thesauri eorum diuitiæq; cumulantur? Sed vereris videlicet vultus circunsidentium propinquorum, & præsentes, atque obsidentes lectulum tuum metuis offendere. Ne timueris eos, inquit Dominus per Prophetam, neque paueas à facie eorum, quoniam domus exasperans est. Ideò etiam tu esto intrepidus, & constans, non formides vultus eorum, neque frangaris ambitu eorum, despice concupiscentes hæreditatem tuam, & diuidentes iam inter substantiam tuam, qui non te, sed patrimonium

Circunstātium hæredū turba.

Ficta suspiria.

Matt. 16.

Nobis amissis ea pereunt.

Ecclesiast. 30.

Inexorabilis auarus.

Psal. 11.

Luc. 12.

Dandum pauperibus non parentibus.

Esaiæ. 5.

Hiere. 12. Cognati non amant nos, sed res nostras.

tuum diligunt,immò qui cupiditate rerum tuarum te execrantur:nam dum impatiẽter ſitiunt, te oderunt, præſentiámq; tuam quaſi æmulam ſibi, & aduerſariam iudicantes, obicem atqùe obſtaculum putãt cupiditatis ſuæ eſſe,quod viuis. Deſpice ergo hos tales, ac nihil facito, non te moueant blandimenta eorum, venena tibi ſunt, non reſpicias adulationes eorum, gladij ſunt iugulatores tui, & quidem ferreis atque hoſtilibus gladiis tetriores: illos enim homines cuncti vident iſtos incauti non vident:illi quia apertè ſæuiunt,euitantur:iſti quia occultè inſidiantur, occidunt: & hoc periculoſiores ſunt, ac nouo nocẽdi genere peiores, quod illis ferreis gladiis nemo eſt penitus qui ſe lædi velit, iſtis multi ſe etiam occidi volunt:noua atque inæſtimabilis mali lætalis illecebra. Illis gladiis quicunque percutitur, & timore pariter, & dolore torquetur: iſtis quicũque occiditur,delectatur. Fuge ergo hoc malum tale,fuge aſſentationes inſidiantes tibi,fuge obſequelas noxias tibi, fuge ambitus deceptores tuos,iſta ſunt officia quæ te iugulant, iſta ſunt quæ in mortem trahunt: fuge eorum taliũ blandimẽta, fuge horum ſedulitatem:iſti ſunt carnifices ac tortores tui, qui te in præſenti quidem ambiunt,ſed in futuro necant, & conſertis quodammodo manibus ac velut coniurati mutua factione in ſempiternos Tartari ignes cogere ac præcipitare conantur. Et ideò non timeas eos,non expaueſcas, erige animum,& vim ſanctæ authoritatis adſume: Si enim illi tantopere adnituntur vt pereas, cur non maiore tu animo adnitatis vt viuas? Confortare ergo, & conſtãti animo tibi conſule. Satis infidelis,ac ſatis eſt ſtultus,qui mauult præſtare aliis vt ſit miſer,quã ſibi vt ſit beatus: & vt alios affluere faciat delitiis temporariis, ſe tradit vrẽdum ignibus ſempiternis.

Aſſentatio parentum.

Galat.1.

Vitæ finẽ nonnulli donabant propinquitatibus.

TIMOTHEI EPISCOPI AD ECCLESIAM CATHOLICAM. *Liber IIII.*

NOn me præterit domina mea Eccleſia, cultrix beatæ ſpei, hæc quæ libellis ſuperioribꝰ diximus, nõnullis filiis tuis Chriſtum parũ amantibus diſplicere. Sed nos voluntates eorum non magni pendimus, quia nec mirum eſt, ſi eis eloquentia de Deo verba non placeant,quibus ipſe forſitan Deus non placet,nec expectandum, vt inſinuatorem ſalutis atque animarum ſermonem ament, qui ſalutem ipſam atque animas ſuas non amant. Sufficiant vtique ſicut in aliis, ita etiam in hac parte nobis ſenſus tãtum & iudicia ſanctorum, quibus itaque vnum atque idem apud nos ſentientibus, certi profectò ſumus etiam Deum ipſum ſentire nobiſcum, qui cùm in ſanctis ſuis ſpiritus Dei maneat, abſque dubio Deus illic eſt,vbi illa pars fuerit, à qua Dei ſpiritus non recedit. Prauorum enim hominum, id eſt, vel paganorum vel mundialium ſenſus, aut parui exiſtimandi ſunt,aut nihili omnino faciendi:quia ſi hominibus, inquit Apoſtolus placere vellem,Chriſti ſeruus nõ eſſem. Illud durius ac moleſtius, quod quidam, vt arbitror,filiorum tuorum ſub religionis titulo à religione diſſentiunt, & habitu magis ſæculum relinquere,quam ſenſu. Quorum ni fallor,ſentẽtia hoc habet atque adſerit: Omni omnino homini Chriſtiano propinquitatem in exitu magis conſiderandam eſſe,quam Chriſtum. Et quia profana penitus perſeuerat execrabiliſque ſententia,velare,vt puto, infideliſſimam prædicationem quaſi vmbratili, vt reor,qnadam adiectione conantur,dicentes: Cunctos qui credant Deum, ſanos tantum atque incolumes officioſos Chriſto eſſe iam debere, cæterum exeuntes à ſæculo, carnalis magis propinquitatis, quã diuini officij oportere meminiſſe. Quaſi vero homines Chriſtianos alios eſſe oporteat incolumes, alios iam de hoc ſæculo recedentes: & alios ſe cuncti exhibere Chriſto debeant in ſoſpitate, alios in ſuperiore vita,alios in poſteriore. Quod ſi ita eſt, ergo alterum quis habiturus eſt Chriſtum iuuenis, alterum ſenex,& toties debent homines demutari fide, quoties demutantur ætate. Si enim erga Dei cultum alter quiſpiam futurus eſt vigens, alter infirmus,alter ſanus,alter ægrotans,ergo prout ſtatus fuerit humani corporis inæqualis, ita erit homini etiam Deus ipſe mutabilis:& quoties fuerit in homine valetudo contraria, tõties erit etiam religio diuerſa, quaſi vero qui incolumes Chriſti eſſe debent,morientes Chriſti eſſe non debeant. Et vbi illud eſt: Qui perſeuerauerit in finem hic ſaluus erit? Aut illud in Prouerbiis ſacris diuini ſermonis oraculum: Sapientia in exitu canitur. Quo vtique oſtenditur, licet ſalubris ſit in omni ætate ſapientia, præcipuè tamen omnes in exitu ſuo debere eſſe ſapientes,quia ſapiẽtia,inquit,in exitu canitur,id eſt, laudari penitus anteactæ ætatis prudentia non merebitur,niſi bono fine claudatur. Sufficit,inquit peſtilens prędicatio,ſufficit præteritum opus homini, etiã ſi in fine nihil faciat: Ego multo plus addo, aut non minus eis ſi poteſt morte vicina, aut certè plus multo eſſe faciendum: Primum,quia de bono opere nihil nimis eſt, Deinde quod ad tribunal Dei pergens magis placare iudicem debet, quaſi iam in iudicio conſtitutus: Poſtremo quod ſi aliqua ante exitum bona fecit, multo magis facere iam in exitu ſuo debet, ne deterior ſcilicet ſuperioribus vitæ actibus finis eſſe videatur. Si autem bonis operibus parum ſtuduit, multo vtique magis facere eum vel in exitu ſuo conuenit, vt quod vita anteriore non reddidit, ſaltem in extremitate perſoluat: & qui ex hoc reus eſt, quod ante neglexit, vel per hoc excuſari aliquatenus Domino ſuo poſſit, quod præteritam inhumanitatẽ vltima ſaltem deuotione compenſet. Sed ad ſuperiora redeamus: Sapientia, inquit ſermo diuinus, in exitu canitur. Cur eam non dixit cani in pueritia?cur non in iuuentute?cur non in ſtatu rerum incolumium? cur non in proſperitatibus ſecundorũ?ſcilicet quia in his omnibus quicquid laudatur incertum eſt. Quàmdiu enim quis ſubiacet mutationi, non poteſt cum ſecuritate laudari:& ideò vt ait ſapientia in exitu canitur. Exiens enim quis de incertis periculorum, certum merebitur euaſa omni rerum varietate ſuffragium: quia tunc ſtabilis & firma laus eſt,quando meritum non poterit iam perire laudati:ſapientia, inquit,in exitu canitur. Quid eſt quæſo ſapientia Chriſtiani? quid niſi timor & amor Chriſti? Initium enim,inquit,ſapientiæ timor Domini. Et alibi: Perfecta, inquit, dilectio foras mittit timorem. Ergo vt videamus initium ſapientiæ in timore Chriſti, perpetuo in amore

Matth.10

Sapientia Chriſtianorum, timor & amor.

amore: Itaque si sapientia Christiani timor est atque amor Domini, ita demum verè sapientes sumus, si Deum super omnia diligamus, & hoc cum omni tempore, tum præcipuè in exitu nostro: quia sapientia in exitu canitur. Si ergo sapientia per hoc maximè in exitu canitur, si Deus super omnia diligatur, quæ igitur insania est, vt dicat aliquis, Christum carnali propinquitati præponi ab incolumibus oportere, à morientibus non debere? Cur enim eum præferant incolumes, si non debent præferre morientes? Aut si potest quispiam religiosè agnatos atque adfines suos Christo in morte pręponere, aut si potest, cur nõ religiosè etiam ante præponat. Aut si est vlla horum in vita vltima, qua quis plus alios diligere debeat quam seipsum aut Deum, cur non & in vita anteriore plus diligat. Ac sic fit vt soluantur omnia & euanescant, intereántque, neque vllum quis viliorem habeat quàm seipsum, neque vllum inferiorem quam Deum. Si enim vllum est tempus, quo ab aliquo possit Deus adfinibus aut propinquis iure postponi, nullum est quo possit iure prępponi: sin autem, quod verum est, nullum est omnino tempus, quo Deo quisquam debeat anteponi, nullum est omnino tempus, quo possit iure postponi, nullũ vtique: & ideò ne in extremis quidem, quia etiam iustum hominem Propheta in die qua errauerit, dicit esse perituru. Itaque si omnis iudicio Dei error errantis ꝓditione mulctatur, & his quoque erroribus vita hominum periclitatur; quibus vsitatè atque communiter innocentia humana polluitur, quid futurum existimamus, vbi in Deũ ipsum detestabili infidelitate peccatur? Si enim inquit Apostolus, òmnis inobedientia iustam accipit mercedis retributionẽ, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Nullus autem salutem veram plus negligit, quam qui Deo aliquid anteponit: cùm enim salus nostra munus ac misericordia Dei sit, quæ ei ratio consequendæ salutis est, qui Deum ipsum despicit, in cuius misericordia salus nostra consistit? Aut cùm iudex & viuorum sit Deus & mortuorum, quæ ei spes in Dei iudicio esse poterit, quem etiam moriens iudicio suo spreuerit, à quo est statim mortuus iudicãdus? Et ideò, vt scriptura diuina ait: In quo iudicio iudicat, in eo iudicabitur de eo. Hoc est, quo iudicio iudicat de Deo, eo ipso iudicabitur à Deo, neque iniquum putare poterit, si eum cunctis in futuro Dominus postposuerit, qui in præsenti Deum cũctis ipse postponit: nec quęri, si cum omnibus Deus æstimet damnabiliorem, cum ipse omnibus Deum ęstimet viliorem, Sed dicit aliquis, non se hoc animo ista facere, quo aut contemnat Deum, aut vilem putet, sed quia vel amet eos, quos hæredes instituit, vel honoret. Adquiescamus hoc ita esse, omnibus fermè etiam aliis flagitiosissimis, & criminosissimis reis excusatio ista suppetit: Nam dicere & fornicatoribus licet, non se hoc animo fornicari, quod Deum spernant, quia calore corporis atque infirmitate vincantur. Et homicidæ id affirmare possunt, non se contemptu Dei humanum sanguinem fundere, vel odio enim se, vel cupiditati tantũ scelera præstare. Sed quid prodest malis hęc excusatio, cùm scilicet nihil interfit, qua se quispiam dicat peccare causa, cùm sit omne peccatum diuinitatis iniuria? Adquiescamus tamẽ vt supra dixi hoc ita esse, nec ex contemptu Dei res suas quempiam alij magis quàm Deo tradere, sed vel honore hęredis sui, vel gratia se ad hoc tradi, vel certe amore compelli. Sed quid facimus? quod hoc ipso magis incuria Dei probatur atque contemptus? Si enim, ô quisquis es ille per id quod hæredibus tuis vel quibuscunque res proprias derelinquis, & honorare te eos indicas & amare, Deum vtique cui non relinquis, nec honorari à te indicas, nec amari. Ac per hoc quicquid pro te dixeris, contra te est, & ad contemptum atque ad contumeliam Dei pertinet amor & honorificentia cæterorum! Cùm enim aliis ideò relinquas, quia eos honoras, Deum cui non relinquis vtique non honoras, cum aliis ideò relinquas multa, quoniam amas: Deo ideò non relinquis: profectò, quia non amas. Ecce enim adsistit tibi morienti atque testanti homo pariter ac Deus. Res aperta est, & non dubia, quem elegeris prætulisti. Si in vno est honor solo, necesse est in alio inueniatur esse despectio. Si homo qui prefertur gaudet se à te diligi, necesse est vt se doleat Deus qui prætermittitur, non amari. Sed putas Deum videlicet munificentia hominis non egere, & ideò quid necesse est, inquis, ab homine ei quippiã tribui, qui ipse cũcta omnibus dedit? Vtrum egeat munificentia nostra Dominus, an nõ egeat, aut quomodo vel egeat, iam videbimus. Interim, quia ab eo cunctis cuncta præstari etiam tu negare non ausus es, hoc dignior est absque dubio largitate nostra, quia nobis ipse ante largitus est, hoc iustius ei officiis respõdere tentamus, quò beneficiis illius magis impares sumus: Nam & natura ipsa hominum, consuetudóque cõmunis hac quasi generali cunctos lege constringit, vt à quibus aliquid liberalitatis accepimus, plus eis gratiæ debeamus: arctat quippe nos ad retributionem dati accepta largitio: Ante vsum enim ac munificentiam liberalitatis alienæ liber est quispiam, beneficiorum fœnore non grauatus, coguntur autem omnes ipsa conscientia sua ad repensationem vicissitudinis, postquam esse cœperunt debitores: Ita ergo & Deo hoc maiora debemus, quod ab eo cuncta percepimus, & hoc respondere beneficiis illius minus possumus, quod ei etiam si quod debemus reddere cupiamus, tamen de suo reddimus. Ac per hoc non est quod placere sibi quispiam largitione sua debeat, sicut sua non sunt cũcta quæ à Domino suo accipit: sic suã non sunt cuncta quæ reddit. Et ideò perfidiæ quidem pœna debetur ei, qui negauerit Deo quæ sunt sibi ab eodem commodata. Imputare autem largitionem non potest, qui reddiderit accepta, nihil minus quam vt non egeat. Sed Deus, inquis, non eget retributione: Non eget enim iuxta potentiam suam, sed eget iuxta præceptionem suam: non eget secũdum maiestatẽ suam, sed eget secũdum legem suam: & in seipso quidem non eget, sed in multis eget: non quærit in se munificentiã, sed in suis quærit. Et ideò non eget quidem iuxta omnipotẽtiam, sed eget iuxta misericordiam, non eget deitate pro semetipso, sed eget pietate pro nobis. Quid enim dicit ad pios ac largos dispensatores Deus? Venite benedicti, possidete regnum Patris mei, quod vobis paratum est à constitutione Mundi: esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere. Et alia in hũc

Ezech. 18

Heb. 2. Deo aliquid præponere, si contemnere salutem.

Matth. 7.

Excusatio nulli deest auaro, vt nec relinquis, etiam flagitiosissimus.

Quomodo Deus, munificentia nostra egeat.

Gratiæ referendæ ratio.

Deo debemus omnia.

Deus eget in pauperibus.

Matt. 25.

modum. Et ne hoc cauſæ, de qua nunc loquimur, parum forſitan videretur, adiecit rerum diuerſitatem auaris & infidelibus dicens: Ite maledicti in ignem æternũ, quem parauit Pater meus diabolo, & Angelis eius: eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & nõ dediſtis mihi bibere: nudus fui, & non operuiſtis me. Vbi ergo illi ſunt, qui dicunt Dominum Ieſum Chriſtum officio noſtrorum munerum non egere? Ecce & eſurire ſe pariter & ſitire, & algere commemorat. Reſpondeat quilibet horum ſi non eget qui eſurire ſe queritur? ſi nõ eget qui ſe ſitire teſtatur? Ergo plus addo aliquid, Chriſtum non ſolum egere cum cæteris, ſed plus multo egere quàm cæteros: in omni enim pauperum numero, non eſt vniuerſorum vna paupertas. Sũt enim quidã, quibus etiã ſi veſtimẽta deſunt alimẽta nõ deſunt: multi ſunt hoſpitio egẽtes, veſtibus nõ egẽtes: multi domo carẽtes, ſed non ſubſtantia. Sũt deniq; quibus etſi deſint multa, nõ deſunt omnia. Chriſtus tantummodo ſolus eſt, cui nihil eſt quod in omni humano genere non deſit. Nullus ſeruorum ſuorum exulat, nullus frigore ac nuditate torquetur, cum quo ille non algeat. Solus cum eſurientibus eſurit, ſolus cũ ſitientibus ſitit. Et ideo quantum ad pietatem illius pertinet, pluſquam cæteri egẽt: omnis enim egeſtuoſus pro ſe tãtum & in ſe eget: Solus tãtummodo Chriſtus eſt, qui in omnium pauperum vniuerſitate mẽdicet. Et cùm hæc ita ſint, quid ais ô homo, qui Chriſtianũ te eſſe dicis, cùm Chriſtum egere videas, & facultates tuas in quibuſcunque non indigentibus derelinquis? Chriſtus pauper eſt, & tu opes diuitum cumulas? Chriſtus eſurit, & tu delitias affluentibus paras? Chriſtus etiam aquam ſibi deeſſe queritur, & tuæ apothecæ ebrioſorum vino replentur? Chriſtus tibi pro muneribus à te datis præmia ſempiterna promittit, & tu nil præſtaturis cuncta largiris. Chriſtus tibi & pro bonis bona immortalia, & pro malis mala ęterna proponit, & tu nec bonis cœleſtibus flecteris, nec malis perennibus cõmoueris? Et credere te Domino tuo dicis, cuius nec remunerationẽ deſideras, nec iracundiã cõtremiſcis? Nõ credis igitur, ſicut iam diximus libro ſuperiore, non credis, & licet de Cõuerſorum venerabili choro eſſe videaris, licet religionẽ veſtibus ſimules, licet fidem cingulo adſeras, licet ſanctitatẽ pallio mẽtiaris; non credis, omnino nõ credis, & hoc tã viris iſtiuſmodi, quàm fœminis dici nõ credũt. Induat ſibi quãuis quilibet habitũ ſancti nominis, & titulũ ſacræ religionis inſcribat, ſi de ſubſtãtia ſua aliis magis quã ſibi conſulit, profectò non credit: nemo eſt enim credens qui facultates ſuas aliis prodeſſe malit, quam ſibi: nemo eſt qui beatitudinem aliis miſericordia ſua emere contentus ſit: nemo eſt qui vt aliis paret delicias tẽporarias, ſubire egeſtates cupiat ſempiternas. Et ideò qui patrimonio ſuo aliis magis quàm ſibi conſulit, profutura ſibi quæ Deo dederit omnino eſſe non credit. Dicat enim mihi quilibet horum, cur facultates ſuas aliis derelinquit? nunquid ideò quia profuturas cui reliquerit eſſe non ambigit? Ideò abſque dubio quicũque ille es, ſi ea quæ aliis relinquis ideò relinquis quia profutura ei cui reliqueris certus es, ſic profecto, ſi quæcunque religioſis muneribus prorogaſſes profutura eſſe tibi abſque dubio peculiariter deputares: quia quãtò te plus amas quàm eos quibus relinquis, tantò magis tibi relinqueres ſi profutura ea tibimet vel tenui opiniũcula iudicares. Non enim te odiſti, vt prodeſſe tibi nolis, ſed quæ pauperibus dereliqueris profutura tibi eſſe non credis. Vnde eſt quod aliis magis quàm tibi conſulis, quia profuturum tibi opus religioſum eſſe non credis, ſicut credis itaque ſic recipies: Tu Saluatorem perparuipendis, & te Saluator nihili: Tu Chriſtum poſtponis aliis, & te omnibus Chriſtus: Tibi comparatione etiam hominum perditorum vilis eſt Dominus, & tu eris inter perituroru vltimus deputandus. Sed blandiris tibi forſitan, vt iam ante aliquo religioſæ profeſſionis intuitu, ignorans quòd magis es Deo debitor, quia propoſito ſanctitatis maiora promittis, & ideò plus tolerabis ſupplicij, quia minus ſolueris ſponſionis. Seruus enim, inquit ſermo diuinus, qui neſcit voluntatem Domini ſui, & nõ facit ea, vapulabit paucis: qui autem ſcit, & non facit ea, vapulabit multis. Et tu ſpecie profeſſionis grandia polliceris, & rebus nulla reſtituis, falſarij criminis reus es, Deo cuncta mentiris. Nec immerito ſacer ſermo iudiciũ de templo Dei incipiendum eſſe teſtatur: Iudicium enim, inquit, de domo Domini. Alibi quoque: Et à ſanctis inquit, meis incipite. Sed ad ſuperiora redeamus. Ite inquit auaris atque incredulis Deus, ite in ignem æternum, quem parauit pater meus diabolo & Angelis eius. Ad liberandum videlicet te ab hoc malo, quibuſdam forſitan bonis corporalibus vetêris, pudicitiã quippe amaſſe te iactas: Sed memento, quia & illos quos in Euangelio immortalibus pœnis Saluator tradidit, impudicitiæ non notauit. Sobrietatem tibimet placuiſſe commemoras: Nec illi de quibus ſcriptura loquitur, ebrietatis crimine puniuntur. Ieiunaſſe te dicis: Nec illos prandia reos eſſe fecerũt. Sed videlicet magna cauſa eſt, qua tibi abſtinentia ac ieiunio tuo placeas: qui ad hoc ieiunaſti, ad hoc parcè exiliterque vixiſti, non vt poſt mortem tuam egenos facultatibus tuis paſceres, ſed vt cenſum cuiuſcunque hęredis diuitiis ampliares, magnos videlicet abſtinentiæ fructus capis. Minus enim panis tu manducaſti, vt auri alius plus haberet. Tibi venter frugalitate decreuit, vt cuiuſcũque hominis fortaſſe vitioſi theſaurus creſceret. Cùm ergo ad iudicium Dei veneris, iure imputare ei ieiunium tuum poteris, dicens: Ieiunaui Domine & abſtinui, ac diu me ab omnium delitiarum fruge ſuſpendi, & res hoc probat. Ecce enim nunc hæredes mei de meo affluunt, & immenſarũ diuitiarum copiis abundant. Et vt aliquid pro te etiam Euangelica lectione præſumas, hoc quod Saluator dixit de perditiſſimo illo diuite, potes & tu forſitan de hæredibus tuis dicere: Induuntur purpura & biſſo, & epulantur ſplendidè, incubant defoſſis à me talentis, premunt argenti & auri congeſtas ſtrues, materiam quoque his voluptatum omniũ præparaui, diſtendũtur delitiis à me relictis: Ego diu abſtinui vt nunc illi inebriarentur: Crapula nũc eſt illorum vetus frugalitas mea, natant tricliniorum pauimẽta vino falerno nobili lutum faciant, menſæ eorum ac toreumata mero iugiter madent, ſemper vda ſunt, luxuriant in periſtromatis, quæ ego feci: fornicantur in ſericis, quæ reliqui. Et cùm hæc omnia pro te dixeris,

Chriſtus eſurit, ſitit, alget.

Chriſtus mendicat.

Præterere religionẽ cultu corporis. Veſtis, cingulũ, palliũ Religionis.

Vt credit impius, & recipiet.

Luc. 12. Religioſus negligens, peccat grauius.

Ezech. 9.

Matt. 25.

Eleemoſyna neceſſaria.

Luc. 16.

Fructus ſobrietatis, eleemoſyna.

Sobrietas parentum, nepotum plerunque inglauuies eſt.

dixeris,quomodo non æternam à Christo remunerationem mereri poteris, cui in talibus sanctis tantarum delitiarum copiam præparâris?O quãto melius quæcunque illa es, quanto melius & salubrius pauper fueras & egestuosa, quàm diues: paupertas enim te Deo insinuare potuisset, diuitiæ ream esse fecerunt. Rectius ergo per indigẽtiam salua fieres, quàm per opes tuas & te & alios prægrauasses:te scilicet, dum mala aliis relinquis:alios, dum à te relicta & ipsi vsu inhumanissimo malè possidẽt,& post se malè aliis derelinquent. Si vis ergo, quæcunque illa es,si tibi esse consultum, si vis æternam habere vitam,& cupis videre dies bonos,relinque substantiam tuam indigentibus sanctis, relinque claudis, relinque cæcis,relinque languentibus, sint facultates tuæ alimenta miserorum, sit opulentia tua pauperum vita,vt illorum refrigeria præmia tua sint, vt illorum refectio te reficiat. Si enim illi de tuo edẽt, tu saturaberis:si illi de tuo biberint,tu sitis tuæ æstũ ardorémque restingues: te illorum vestitus vestiet, te illorum apricitas delectabit. Nõ ergo vile ac despicabile putes, si substantiam tuam miseris atque egentibus derelinques, Christum in illis facies hæredem: Et quid dicam de Christi nomine? Christũ quidem hæredem facis, sed tu hæreditatis emolumenta percipies:quęcunque enim Christo reliqueris, per Christum omnia possidebis. Sed hæc tu vt reor, friuola esse iudicas, & quasi somnia quædam ac deliramenta contemnis: non enim credis Christum vera dixisse, & res probat nequaquã te ei credere: nam qui mandata eius nec in postremis facis, aut nulla esse omnino ęstimas,aut falsa esse cõtẽdis. In quo quidem,vt ante iam dixi,lugere omnes sanctos ac flere conuenit, nulli te & alios tui similes, nulli minus quàm Christo credere. Si tibi quicunque ex cauponibus quid promitteret, fidem promittẽti non abnegares. Si mutuum quippiam propola aut salsamẽtarius postularet, redditurum eum non diffideres quæ dedisses. Mendacibus denique interdum atque periuris, cautione facta & dato fideiussore,res creditur:Christus tibi & fidelissimam cautionem & fideiussores optimos dedit, cautionẽ scilicet Euangelium, fideiussores Apostolos suos. Et si id parum est, Patriarchas, Prophetas, Martyres suos, totum denique diuinarum seriem literarum, & non credis ei, nec fidẽ commodas? Quem rogo tam prodigum inter homines, ac tam miserum inuenire possis,cui fidem sub tot fideiussoribus denegares? Das itaq; res tuas diuitibus, & egenis negas. Das luxuriosis, & negas sanctis. Das cuicũque fortasse perdito,& negas Christo. Prout ergo iudicasti, sic iudicaberis: sicut elegeris, sic recipies. Non habebis cum Christo partem. qnem despexisti: cum his habebis,quos prætulisti. Sed dicit fortasse aliquis ex infidelium numero non dignam esse causam quæ vel Deum moueat, vel homines in æternum periculum trahat. Scio quidem quod omnes rei veniabiles putant semper reatus suos: nã & furta furibus leues culpæ sunt, & innocua ebriosis videtur ebrietas, & apud impudicos fornicatio scelus non est: quia nullum omnino tam grande crimen est, quod non cuius facinore committitur eius sententia subleuetur. Sed si quis vult ex peccatoribus scire, quàm grauiter cẽsenda à Deo sint magna crimina, discat qualiter in semetipsis puniant sancti etiã leuia peccata, conscij scilicet iam ex ipsius Dei dictis futuri examinis, ac per domini sui verba etiã iudicia rimantes, & ideo semper in Dei opere,semper in compunctione, semper in cruce positi beati, qui cum omnium misereantur, sibi nunquam penitus ignoscunt:in nullo sibi parcentes, sed toto se admodum Deo impendentes, & ideò in futuro iudicio digni præmio: quia hic apud se iugiter in reatu. Nam de misericordia eorum ac largitate quid dicam? quæ virtus quasi virtutum omnium initiatrix est. Plerique enim eorum hæc habent quasi exordia & quasi incunabula cõuersionis suæ,vt priusquam limen sanctæ professionis introeant, de propriis sibi facultatibus nil relinquant, secundum illud scilicet Domini nostri dictum, quo ait: Vende omnia bona tua, & da pauperibus, & veni sequere me. Et illi itaque secuturi vocantem Deum, prius vendunt omnia quàm sequantur: Diuitias enim onerum atque impedimẽtorum loco esse ducentes, expeditos se non putant ad sequendum Deum, nisi omnia prius carnalium sarcinarum impedimenta proiecerint,simul vt more hominum commigrantium prius ad locum habitaculi destinati res suas transferant,quàm seipsos scilicet, vt cum ea quæ ad se pertinent vniuersa transtulerint, tum ipsi in plenam ac refertam bonis immortalibus domum præmissa rerum omnium facultate commigrent: securi absque dubio,nihil sibi postea defuturum,qui exituri de habitaculo vili & contemptibili, ac iam iámq; ruituro, nihil illic de suo penitus reliquerint quod periret. Hæc ergo sanctorum spes,hęc fiducia est, sic sibi ex opulenta rerum transmissione prospiciunt, vt æternis immortalium facultatum copiis perfruãtur. Cæterum tu quicunque ille es, aut quæcunque quæ animæ tuæ ac salutis oblita, ipsa te reculis tuis spolias, quomodo in futuro quasi condita ac parata reperies, quæ hic aut non indigentibus,aut etiam abundantibus deputaris? Quomodo reddenda tibi à Deo credis, quæ Deo ipsi non credis? Postremò quomodo reddi vis quæ reddi non vis?Nemo enim sibi solui vult, quæ nõ commodat, nec tam stultus est, vt quæ non fœnerauerit putet esse reddenda. Et ideò tu nequaquam à Deo quasi reddendum sperare poteris, quod Deo vtique non credens reddere tibi Deum ipse nolueris. Vnde completur dictumin diuinũ illud necesse est, quia reliquisti aliis, vel alienis diuitias tuas, sepulchrum tuum erit domus tua in æternũ. Et illud quod Saluator ad similem tui loquitur: Quia tepidus es, sed neque feruẽs, neque frigidus, incipiam te euomere ex ore meo. Et illud dicis: Diues sum,& diuitias habeo, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & pauper,& cæcus,& nudus. Nemo itaq; sibi in vita, in morte,in actu,in dono, in testamento suo hominem Deo præferens de vitæ ac professionis prærogatiua aliquid blandiatur, pœnalis est homini ac pernitiosa securitas, præsumptæ spes sarcinæ sunt reatus,vsurpata absolutio damnationẽ parit. Quicunque sibi se excusat, accusat Deo, secundum illud: Nam qui se existimat esse aliquid cùm nihil sit, se ipsum seducit. Nemini itaq; facilis sua causa sit, nullus difficilius euadit, quàm qui se euasurum esse præsumpserit. Dura hæc forsitan atque austera vi-

Diuitiæ reos nos faciunt nonnũquam.

Christum aliquo modo hæredẽ facimus.

Cauponi potius quã Christo creditur.

Christus fideiussores dedit nobis promissorum suorum.

Blandiuntur sibi peccatores.

Misericordia, pro incunabulis, est Christianis.

Matt. 19.

Psal. 48.

Apoca. 3.

Galat. 6.

Hebr.12. debuntur. Quid ni? Omnis enim disciplina, vt ait sermo diuinus, non est gaudij sed mœroris. Dura

Aspera, sūt pulchra. hæc & austera sunt. Sed quid facias, nō licet rerum mutare naturas, & nuntiari aliter veritas non potest, quàm virtus ipsa exigit veritatis. Dura hęc quidam putāt scio, & satis certus sum. Sed quid facias, nisi duris non itur ad regnum: Arcta enim inquit

Matt.7. Rom.8. Dominus, & angusta via est quæ ducit ad vitam. Et Apostolus: Existimo inquit, quod non sint cōdignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Indignum esse ad futuræ gloriæ comparationem omne opus dicit humanum, & ideò nihil durum aut austerum Christianis videri debet: quia quantalibet pro sempiterna beatitudine Christo offerant, vile est quod datur, vbi tam grande est quod accipitur. Nihil magnum in terris ab homine Deo soluitur, vbi quod est in cœlo maximum comparatur. Durum est auaris vt largiantur sua.

Inuitis, omnia dura sunt. Quid mirum? Totum durum est quicquid imperatur inuitis. Penè omnis sermo diuinus habet æmulos suos, quot genera præceptorum sunt, tot aduersariorum. Si largitatem esse in hominibus iubet Dominus, auarus irascitur. Si parsimoniam exigit, prodigus execratur sermones sacros: improbi hostes suos ducunt. Horrent raptores quicquid de iustitia scribitur: horrent superbi quicquid de humilitate mandatur: aduersantur ebrioſi, vbi sobrietas indicitur: detestantur impudici, vbi castitas imperatur. Aut nihil ergo dicendum est, aut quicquid dictum fuerit cuicunque supra dictorum hominum displicebit. Mauult quilibet improbus execrari legem, quàm emundare mentem: mauult præcepta odisse, quàm vitia. Inter hæc quid agant quibus loquēndi à Christo officia mandantur? Deo displicent si tacent: hominibus, si loquuntur. Sed vt Iudæis Apostoli respōderunt: Expedit magis Deo obedire, quàm hominibus. Deo tamen consilium omnibus, quibus grauis & onerosa est lex Dei, si accipere non recusant, quemadmodum placere eis possint quæ Deus præcipit: cuncti enim qui oderunt mandatum sacrum, causam odij in seipsis habent. Omne fastidium non in præceptis legis, sed in moribus suis: Lex quippe bona est, sed mores mali, ac per hoc mutent homines propositum & adfectum suum: Si enim mores suos probabiles esse fecerint, nihil eis ex eo quod lex bona præcipit, displicebit: quando enim bonus quis esse cœperit, non potest non diligere legem Dei, quia hoc intra se habet lex Dei sancta, quod sancti homines in moribus. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum Spiritu tuo. Amen.

EXPLICIT LIBER IIII. SALVIANI MASSILIENSIS Episcopi ad Ecclesiam Catholicam.

IOANNIS CLIMACI OPVSCVLVM, CVI TITVLVS, CLIMAX; SIVE, SCALA PARADISI.

Vita Ioannis Climaci, sub compendio à Daniele humili monacho conscripta.

Gal. 4. *Vænam hunc virum diuinum ciuitas tulerit, atque ante cœlestis militiæ gloriosam exercitationē educauerit; non facile dixerim, cùm id mihi non satis diligenter exploratum sit. Quænam verò, modò ipsum ferat, æternisque & immortalibus deliciis pascat; longè ante nos Paulus expressit. Est enim & ipse penitus cœlestis illius Hierusalem effectus municeps, in qua Ecclesia primitiuorum est;* quorum, *inquit*, conuersatio in cœlis est: *vbi spiritus purgatissimo atque ab omni materia remoto, diuina insatiabiliter hauriens, pulchritudines inuisibiles contemplans; digna sudorum præmia recipit, laborúmque mercedem quietissimam refert. Nam cœlestis regni hæreditate potitus, cum illis iam inæternum tripudiat, iungitque lætitiam cum iis quorum pes stetit in directo. Quonam vero modo beatitudinem istā sibi cōparauit; iam dicere instituā. Hic cùm per ætatē corporeā, sedecim fermè esset annorū; seipsum obtulit Christo*

Monasteriū in Sina. *sacrificium gratū atque acceptabile, monasticæ vitæ iugo colla subiiciēs in mōte Syna; eo (puto) cōsilio; vt ipsa visibilis loci commoratione admonitus, ad inuisibilem Deum facilius dirigeretur & aptiùs perduceretur. Atque peregrinationē vt intellectualium adolescentularū magistrā imprimis adamauit; per quam, turpi & noxia confidentia omni reiecta, humilitate honestissima assumpta, dæmonem illum à quo nonnunquā vt nobisipsis placeamus nobísque confidamus inducimur, à se penitus eliminans, ab ipso quoque cordis aditu reiecit. Inclinās verò ceruicem, & confidens in Domino, ac ei qui se susceperat patri veluti optimo cuidā gubernatori se totum permittens, altissimos atque sæuissimos vitæ præsentis fluctūs sine periculo traiiciebat. Adeò verò perfectè*

Philosophiæ tumor, ab humilitate Chxisti, lōgè remot° est. *Mundo propriisque voluntatibus mortuus erat; vt inexpertem rationis ac voluntatis animam quandam habere videretur, atque proprietate naturali omnino liberatam. Idque; cùm ante hanc cœlestem simplicitatem, Mundanæ sapientiæ non fuerit imperitus; sanè mirabilius est. Philosophiæ enim tumor, à Christi humilitate (vt plurima alia) longè remotus est. Decē igitur & nouem annis ita cōuersatus est, ac beatæ subiectionis exēplar omnib° factus, cùm is qui illū exercuerat Senior sanctus migrasset ad*

Tholas. *Christū, & ipse ad vitæ Solitariæ studiū egreditur; illius orationibus vt armis potētissimis fretus ad destructionē munitionū Sathanæ. Quinto autē ab Ecclesia, lapide; palestræ suæ domicilium constituit, loco cui Tholas nomen est. Ibique quadraginta annos summa animi magnanimitate & alacritate trāsegit, ardētissimo amore ac diuinæ charitatis igne semper æstuās. Iam verò quis posit, quātos illic pertulit labores; dignè, aut verbis aut plausibus prosequi? Quomodò enim id efferri in lucē poterit; cū omnis eius labor, clā & sine arbitrio exactus sit? Veruntamen ex primitiis quibusdā & velut præuiis occasionibus, beatissimi viri sanctū vitæ institutū audiamus. Edebat quidē ex omnibus quæ sibi per professionis suæ votum edere licebat; sed modicè omnino, vt &*

Sobrietas Climacis. *ex hoc fastum atque elationis cornu sapientissimè deiecerit: breuitate quidem victus, insanā gulæ rabiem penitus affligens, atque illi propemodùm clamās; tace, obmutesce: & ex omnibus, modicè gustādo; tyrānidem inanis gloriæ sub iugū mittens. Solicitudine præterea & raro hominū congressu, fornacis huius flammā (luxuriā scilicet) adeo extinxit, vt omnino obstructa sedaretur,*

Ephes. 5. *nullásque molestias irrogaret. Cupiditatem vero (quam idolorum venerationem Apostolus esse diffiniuit) misericordia Deiterúmq; exiguitate fortissimè fortis iste superauit. Accediam vero, animique desidiam (quam merito iugem animæ mortē dixerim)*

mortis

Acedia, est animæ morsiugis.

mortis memoria, iugíque pietatis exercitatione deuitauit. Cúmque nullius mortalis rei affectione teneretur, æternorúmque solum sensu pasceretur; noxiæ tristitiæ liber euasit. Iracundiæ verò tyrānidem in seipso per obedientiæ gladium occiderat. Raro præterea congressu corporis, rarioréque vsu sermonis; inanis gloriæ sanguisugam araneæ simillimam mortificauit. Quid octaui vitij supremam diligentißimámque emundationem (superbiæ scilicet) prosequar: quam cœpit quidem per obedientiæ mansuetudinem nouus hic Beseleel; perfecit vero cœlestis Ierusalē Dominus, præsentia sua adueniens, humilitatémque aduersùs illam exaltans, qua sine, diabolum eiúsque conformem Classem destrui posibile non est. Vbi verò, in huius coronæ contextu, ponam lachrymarum illius fontem: rem quidem raram, & quæ in multis non facilè inuenitur; quarum hodiè supereſt secreta officina, spelūca breuissima in extremitate quadam ad radicē montis posita, tātúmque ab illius atque omni alia cellula remota, quantùm ad obseruandas gloriæ inanis aures satis esse videbatur? Ad cœlum verò vsque, gemitibus, suspiriis, singultibus, precibúsque, & eiusmodi reliquis quæ ab his fieri solent qui gladiis cauteriísque punguntur, & quibus effodiuntur oculi; perstringens, Somníque tātum capiebat quantum sufficere posse arbitrabatur ad seruandam animi intellectúsque substantiam; ne per enormitatem vigiliarum contabesceret. Ante somnum verò vt plurimùm orationibus vacans, libellos etiam conscribere solitus erat; quo solo opere, Acediæ languorē ab se fugabat. Porrò cursus eius omnis, perpetua erat oratio, amórque incomparabilis ad Deum: hunc enim die noctúque, mundissimo castitatis speculo intuens, satietatem vllam capere nolebat: immo vero vt magis propriè eloquar, non poterat. Huius aliquādo diuini patris vitam imitari cupiens eiusque disciplinis imbui, atque ab eo veræ Philosophiæ elementa percipere, quidam ex his qui vitam solitariam delegerat, Moyses nomine; plerosque sanctorum Patrum precatores exhibuit: per quos, vt se in discipulum susciperet, summis precibus orauit. Igitur illorum precibus fretus, à sancto viro vt optauerat, susceptus est. Huic aliquando sanctus pater præceperat, vt quodam ex loco pinguis glebæ materiam conacheret; pro lætiori, hortuli olerúmque cultura. Peruenies igitur Moyses ad denotatum sibi locum; quod iussus fuerat, impigrè exequebatur. Sed cùm iam meridianum tempus adesset; & Solis incendio, fornacis in morem locus ille igneſceret (erat enim mensis Augustus) victus Moyses, & ex transuectione fatigatus, aliquantula requie opus sibi esse decernit, atque sub immanis saxi vmbra seipsum dimittens obdormire cœpit. Sed clementissimus Deus fideles seruos suos in nullo contristari permittens; cùm iam periclitaretur Moyses, consueta illū misericordia hoc modo præoccupat. Magnus hic pater noster Ioānes cùm in cellula sua degeret, sibiipsi & Deo vt consueuerat vacans, in somnum quendā tenuissimum incidit; viditque per visum, virum quēdam angustiore facie & habitu se excitantem, somnósque sibi exprobantem, ac dicentem: Túne Ioannes ita securè obdormis, & Moyses periculo proximus est? Citiùs itaque euigilans, oratione statim armatur pro discipulo supplicans. Quem postmodum ad vesperam reuertentem, interrogat num aliquid sibi aduersum atque insperatū contigisset! Tunc ille: Saxum (inquit) miræ magnitudinis, parum abfuit quin me demoliretur & penitus contereret, cùm sub illo profundè obdormirem; nisi vocem tuam me audire existimans, ex loco, concito saltu, timore plenus desiliissem. Quo facto continuò saxum illud è ripa euulsum ac terræ affixum, conspexi: Quo audito, vir Dei; verè mente humilis, nihílque ex his quæ viderat & audierat discipulo annuncians; occultis clamoribus & intimis charitatis vocibus hymnum dicens, gratias vberrimas retulit Deo. Erat enim vir sanctus occultorum vulnerum medicus. Monachus enim quidā Isaac nomine, quum aliquādo graui carnis æstuaret incendio, cursu ad illum peruenit, vndique mœrore circumfusus, intestinúmque bellum singultibus & lachrymis patefecit. Eius itaque fidem & humilitatem vir Dei admiratus, blandè his vocibus consolatur dicēs: Stemus, inquit, ambo ad orationem filî, & omnino clemens & misericors dominus preces non despiciet nostras. Quod quum factum fuisset, necdum oratione completa, adhuc prono in faciem infirmo fratre prostrato, voluntatem serui sui dominus fecit, vt ex hoc prophetam suum vera dixisse ostenderet. Serpénsque carnis effugit, flagellis intentissimæ orationis edomitus. Porro is qui hactenus fuerat æger, liberatū se ægritudine conspiciēs, omníque iam huiusmodi perturbatione curatum, obstupuit valde, deóque & inclyto eius famulo gratias retulit. Cum verò præterea hic venerandus pater verbo gratiæ ad se venientes affatim exsaciaret, ac doctrinæ fluēta largissimè profunderet, maligni quidam homines inuidiæ facibus inflammati, tantámque frugem, quanta ex illius doctrina gignebatur cohibere molientes, loquacem illum ac nugacem vocare cœperunt. Quod ille animaduertens, cūctáque in eo qui se cōfortabat Christo posse edoctus, nec solum per sermonis exhortationem, eos qui ad se vtilitatis suæ causa veniebant erudire volens, sed multo potius per silentium & per operum Philosophiam, vt sicut scriptū est, abscinderet quærētium occasiones, vsque ad certum tempus tacere instituit, melli fluúmque doctrinæ fluuium compescere. Statius esse & melius existimans hoc interim detrimento affici studiosos bonorum amatores, quibus fortasse per silētium amplius profuturus erat, quàm ingratos illos iudices amplius irritari, ne vlterius eorum malitia & maleuolentia excresceret. Quocirca & illi reuersi humilitatem ac modestiā viri, cōsciíque quod sibi eiusmodi vtilitatis fontem obturauerant, quantóque detrimento omnibus extiterant, ad virū supplices adueniūt, doctrinæque sermonem communi voto cum aliis exposcunt. Cesit igitur statim, vt qui contradicere non norat, & denuo prioris status arripuit normam. Cum igitur ita bonis omnibus excelleret, vt similis inueniri non posset, vno simul omnes voto vnóque affectu, tanquam nouum quendam Moysem inuitum illum ad fratrum magisterium & regimen assumpserunt, lucernam (vt ita dixerim) super principatus candelabrum eleuantes, optimi sane talium iudices, nec spe sua frustrati sunt. Ascendit enim & ipse ad montem, sacratámque caliginem subiens, Dei manibus conscriptam legem suscipit, deíque contemplatione fruens, & intellectualibus gradibus scandens, verbo Dei aperuit os suum, & spiritum attrahens eructauit verbum bonum de bono thesauro cordis sui. Sic igitur impleuit finem visibilis vitæ in principatu Israelitarum monachorum, in hoc solū à Moyse differens, quòd supremam Hierusalem summa facilitate conscendit. Illi enim nescio quomodo, etiam terrena frustratus fit. Attestātur autem his quæ diximus, quotquot per eū spiritus sancti eloquiis & gratia potiti sunt, plurimíque ex his eius gratia saluati sunt hodieque saluantur. Testis optimus sapientis huius salutis simúlque sapientiæ nouus Dauid. Testis item & pastor noster optimus Ioannes, à quo magnus ille exoratus de Synai monte ad nos vsque cognitione descendens, veluti nouus aliquis Dei speculator, suas à Deo tabulas inscriptas ostendit nobis: extrinsecus quidem actiuæ vitæ, intrinsecus verò contemplatiuæ doctrinam continentes.

Lachrimæ Climaci.

Moyses, Ioannes Climaci discipulus.

Isaac Monachus.

Psal. 144.

Serpens carnis.

Philip. 4.

filētij laus.

Matth. 5.

Exod. 19. Psal. 44. Matth. 12.

Epistola Ioannis abbatis Raychu, ad Ioannem abbatem montis Synai, cognominatum Climacum.

Monachus doctor.

DOmino singulariter mirabili, æquali angelis, patri patrum, & doctori eximio, Ioanni abbati Montis Synai, Ioannes, peccator, abbas Raychu in domino salutem. Agnoscentes nos à perfectione longius remoti, tuam discussionis gnaram singularémque, ac virtutibus cæteris ornatam obedientiā, in ea præsertim parte, in qua te cum talento tibi à deo tradito lucrari cōuenit huiusmodi supplicatione vtimur, Prophetici illius dicti memores: Interroga patrem tuum, & annūciabit tibi: seniores

Deut 32.

tuos,& dicent tibi. *Quocirca tibi, veluti communi omnium patri, cunctisque in exercitationis lucta seniori, mentisque acumine ac virtutibus omnibus & perfectione doctrinæ prædito, per nostras literas procidimus, virtutúmque tuarum culmen exoramus, vt nobis imperitis ac rudibus ea præscribas, quæ in diuina speculatione, sicuti ille olim Moyses, in hoc ipso mõte vidisti, ac veluti tabulas quasdam diuinitus scriptas librum ad nos à te dimittas, atque in doctrinam nouo Israeli proponas eis, scilicet qui perfectè atque integrè de spirituali Aegypto atque vitæ huius mari exierũt. Sicut igitur deiloqua lingua instar virgæ fretus mirabilia in mari gessisti, ita nunc quoque exoratus, ne declines monasticæ perfectioni congruentia, vt es reuera summus magister, impigrè summáque cum moderatione describere in salutem & consolationem omnium, qui sanctam hanc atque euangelicam conuersationem elegêre. Neque assentandi gratia istud à nobis dici arbitreris. Nosti quippe, ô sanctum caput, istiusmodi adulationes alieniſsimus esse à proposito atque instituto nostro. Sed illud nos dicere existima, quod certissimè omnes & vident, & intelligunt, & dicunt. Idcirco confidimus in Domino citò susciperе atque complecti, quod speramus insculptos tabulis venerandos apices, quibus hi veraciter ducantur, qui sine errore, sequi eos cupiunt ac veluti quandam scalam vsque ad cœli ianuas erectam, eósque qui cupiunt ascendere innocuos illæsosque perducentem transcendentes liberè, & absque vllo impedimento spiritalia nequitiæ & Mundi, Rectores tenebrarum, & principes aëris. Nempe enim, si Iacob ille pastor ouium cum esset, adeò terribilem scalam in visione conspexit, multo profecto magis rationabilium pecorum magister non visione solùm, sed veritate quoque ascensum ad Deum tutum, & errore omni liberum ostendet. Vale in Domino charissime, ac nimium venerande pater.*

Monachis mus, sancta & euangelica conuersatio. Ephes. 6. Genes. 28.

Epistolam Ioannis Climaci. Ioannes Ioanni gaudere.

Accepi conuenientissimam honestissimo tuo atque impassibili instituto mundóque & humili cordi, quam ad nos pauperes & virtutibus inopes scripsisti, venerandam epistolam tuam, immò verò præceptum ac vires nostras excedentem iussionem. Tuum enim erat reuera, tuum tuæque sanctæ animæ proprium, nobis rudibus verbo & opere imperitissimis doctrinæ atque correptionis præcepta præscribere. Familiare enim tibi semper fuit, nobis per teipsum proponere humilitatis exempla. Sed nos (vt id fateamur quod verissimum est) nisi metus & periculum esset iugum sanctæ obedientiæ (quæ virtutum omnium mater est) à nobis excutere, nunquam profectò ea, quæ supra vires nostras sunt, tẽtare ausi fuissemus. Oportebat enim, ô admirabilis pater, conueniénsque erat, hæc te ab illis potius quærere, qui ea iamdudum calluissent. Nos enim in discipulorum adhuc ordine annumerandi sumus. Quoniam vero Dei veri patres nostri veracísque scientiæ magistri obedientiam diffiniunt in iis rebus, quæ supra vires sunt, nihil discernendo obtemperare præcipientibus, imbecillitatem nostram piè obliti, ea quæ supra nos sunt audacter tentare aggressi sumus. Non quidem vt aliquid, quod tibi profuturum sit, nos dicturos putemus, aut certè aliud explanaturos, quod ipse longe melius non noris, quàm nos, ô diuinum sacrúmque caput. Mihi enim persuasum est (puto autem, quod & prudentium singulis) mundissimum tuæ mentis oculum, ab omni terrena & tenebrosa purificatum conspersione, libere & absque vllius obicis retardatione diuinam intueri lucem, atque ab ipsa omnino illustrari. Cæterum (vt dixi) inobedientiæ notam reformidãs, & veluti metu ad obediendum impulsus timore simul ac desiderio tuæ sanctæ iussionis obtemperare instituí, vt gratus, obediens, atque pictoris optimi inutilis filius, exili & admodum tenui scientia mea gracilique oblatione, solo atramento simpliciter viuentia eloquia adumbrans. Tibi verò iam relinquens, ô magistrorum summe & congregationis princeps, ista & ornare & clarius disserere, atque ea quæ desunt implere, tanquam seruatori spiritalis legis. Hunc tamen sane conatum nostrum non ideo misimus ad te, tanquam tibi futurum emolumento. Adsit id penitus (hoc enim esset extremæ dementiæ, cum ipse in Christo idoneus sis non solum alios, verum etiam & nosipsos moribus sacris & doctrinis erudire) sed illum vocatæ à Deo congregationi, quæ vna vobiscum abs te (doctorum optime) instituitur transmisimus. Quorum precibus, quasi quibusdam spei intellectualibus manibus imperitiæ mole leuiatus, iámque calami velum explicans, atque optimo gubernatori nostro CHRISTO verbi gubernacula promittens, votis omnibus fretus iussione tua, huius ad illos sermonis iam initium facio. Obsecro autem omnes, quorum in manus liber iste venerit, vt si quid in illo vtile fortasis inuenerint, id optimi præceptoris nostri esse non ingratè intelligant. Nobis verò solius conatus remunerationem à Deo donari intentissima oratione deposcant. Non his quæ dicuntur intendentes. Sunt enim reuera viliſsima, atque omni ignoratione & simplicitate plena. Sed propositum & alacritatem, vt illius ex Euangelio viduæ susciपientes. Neque enim numero & laborum multitudini Deus mercedem reddit, sed alacri proposito atque feruentissimæ voluntati. Epistolæ finis.

Obedientia vera.

Luc. 21.

D. IOANNIS CLIMACI DE INANIS VITÆ FVGA. GRADVS PRIMVS.

CVm summæ incomprehẽsibilis atque incircunscriptæ bonitatis deus noster & Rex sit, (Est enim conuenientissimũ, vt ad Dei seruos loqui instituẽtes, à Deo ipso sumamus orationis exordium) cunctas ad se conditas rationales creaturas, liberi arbitrij dignitate honorauerit. Alij quidẽ amici illius sunt. Alij verò fideles ac legitimi serui. Quidã penitus inutiles. Alij verò ab ipso prorsus alieni. Nonnulli verò quãuis imbecilles, tamẽ aduersarij. Et amicos quidẽ Dei proprie (O sacrũ caput) nos rusticiores esse arbitramur eas quæ circa illũ sunt intellectuales incorporeásq; subst̃atias. Fideles autẽ seruos eos, qui sanctissimæ illius volũtati A obtemperauerũt, & impigrè ac infatigabiliter obtẽperãt. Porrò inutiles seruos, quotquot diuino baptismate dignati, pacta & conuenta cũ illo legitimè nõ obseruauerũt. Alienos verò adeò atq; inimicos intelligimus, quoscunq; à recta fide deuiasse cernimus. Hostes autẽ sunt ij, qui præcepta Dei nõ solũ repulerunt, atq; à semetipsis abiecerunt, verum eos quoq; validissimè oppugnãt, qui ea perficere contendũt. Quãuis igitur singulis, quos modo memorauim⁹, proprius & peculiarius debetur sermo nobis tamẽ imperitis ad pręsens de omnibus prosequi vtile nõ est. Age, iã age ad eos, qui nos pio violẽtissimæ charitatis iure subegerũt, & fideliter coegerũt fidelissimos Dei indignã manum nostram per obediẽtiam indiscussam extẽdentes, & ab illorũ scientia

Liberum arbitrium.

tia ſuſeptum verbi Dei calamum ſubtriſti & perlucidę humilitati intingentes, húncque in illorum lenibus & cãdidiſſimis cordibus, velut in chartis quibuſdam immo vero ſpiritalibus tabulis condentes diuináque eloquia pingentes, hoc orationis noſtræ initium ſumamus. Omnibus qui voluntate & libero arbitrio vtuntur, Deus communiter proponitur omnibus vita, omnib⁹ ſalus, fidelibus & infidelibus: iuſtis, iniquis: piis, impiis: vitioſis, vitiis carentibus: ſecularibus, monachis: ſapiẽtibus, rudib⁹: ſanis, imbecillibus: iuuenibus, prouectioribus, nõ aliter quã infuſio lucis, & ſolis aſpectus, temporúmque viciſſitudines. *Neq; enim eſt perſonarum acceptio apud Deum.* Impius eſt homo, igitur rationalis mortaliſque naturæ ſponte vitam fugiens, creatorémque ſuũ qui ſemper eſt, veluti non eſſe exiſtimans. Iniquus eſt, qui legẽ Dei ad intellectum ſuum malum violẽter intorquet, & cum ſit cõtrariæ hæreſeos Deo ſe credere putat. Chriſtianus eſt, qui Chriſtũ, quantũ homini poſſibile eſt, imitari nititur verbis & operib⁹, & tota intentione animi in ſanctã Trinitatẽ recte atque incomprehẽſibiliter credẽs. Dei amator eſt, qui naturalium omnium rerum, & earum quæ per leges ſine peccato permittũtur particeps, bona quæ poteſt operari nõ negligit. Continẽs eſt, qui in medio tentationũ & laqueorũ verſatur, moréſque trãquillos turbíſq; ac tumultibus liberos viribus omnibus imitari & aſſequi contẽdit. Monachus eſt ordo & ſtatus angelicus in corpore materiali & ſordido conſummatus. Monachus eſt, qui ſolũ ad Deũ acie mentis intentus, illum ſemper orat in omni tẽpore, *& loco* & re. Monachus eſt, perpetua naturæ violentia, ſenſuúmque vigilantiſſima & indefeſſa cuſtodia. Monachus eſt caſtificatum corpus, expiatum os, animúſque ſemper diuino lumine irradiatus. Monachus eſt afflictus & mœrens animus, qui iugi mortis memoria, ſiue vigilans, ſiue obdormiẽs ſeipſum ſemper exercet. Mundi derelictio, eſt ſpõtaneum odium abnegatióque naturæ ex deſiderio fruẽdi eis rebus, quæ ſupra naturã ſunt, tanquã ex ſua ſtirpe progenita. Quicunque præſentis vitæ cõmoda ſpõte alacritérque relinquũt prorſus, aut futuri regni gratia, aut ex peccatorũ multitudinis memoria, aut ſola diuinæ charitatis cauſa iſtud faciũt. Porro ſi quis nulla ex prędictis intentionibus duce id faciat huius irrationabilis eſt renunciatio, verũtamen finẽ curſus qualemcũque inuenerit agonotheta noſter optimus approbat. Imitetur is qui peccatorum ſuorũ onus deponere feſtinat eos qui extra ciuitatem ante ſepulchra ſedent, nec deſiſtat effundere feruidas & igneas lachrymarũ guttas cordiſque tacitos mugitus, quod ipſe quoque venientẽ videat Ieſum lapidémque noſtræ cæcitatis à corde remouẽtẽ, & Lazarũ animũ ſcilicet peccatorũ vinculis liberantem, miniſtris angelis iubentẽ, Soluite illũ vitiorũ nodis, & ſinite ad beatã placidãq; tranquillitatem ire. Sin vero alias fecerit, nihil omnino proficiet. Quicũque ex Ægypto egredi Pharaonẽq; cupimus effugere, prorſus Moyſe aliquo ad Deũ ac poſt Deũ mediatore nobis opus eſt, qui pro nobis medius inter actionẽ & cõtẽplationem ſtans manus extẽdat ad deũ, vt hoc duce directi traiiciamus mare atq; amalech, vitiorũ principẽ fugemus. Seducti igitur ſunt qui ſibiipſis confidẽtes, nullo ſibi duce opus eſſe arbitrati ſunt, & illi quidẽ qui ex Ægypto egreſſi ſunt, Moyſẽ; qui vero ex Sodomis fugierũt, angelũ Dei habuere ducẽ. Atque hi quidem qui ex Ægypto profecti ſunt, eos ſignificãt, qui animarũ ſuarũ morbos per medicorum curã & diligẽtiã ſanare cupiũt. Qui vero ex Sodomis fugêre, illos deſignant, qui miſeri immunditiã corporis exuere votis omnibus deſiderãt. Quocirca angelis etiã videlicet æquali (vt ita dixerim) adiutore homine op⁹ habent. Nã ſecundũ vulnerũ putredinẽ peritiſſimo etiã artifice & medico egemus. Sũma reuera violẽtia, indefeſsíſque, & iugibus laboribus illi opus eſt, qui in cœlũ aſcẽdere cũ corpore nititur, idq; maxime in principio renunciationis ſuæ, donec mores noſtri aſſueti voluptatibus, & cor noſtrũ hactenus ſine doloris ſenſu, in amorẽ Dei, caſtitatíſq; ſanctificationẽ per intentiſſimũ luctum conuertãtur. Labor enim reuera & ingens labor ſummáque amaritudo proponitur, eis maximè qui negligẽtiùs affecti sũt, quo macello & voracitati aſſuetũ carnẽ noſtrũ animum ſcilicet ſpeculationis & caſtitatis ſtudioſũ per ſimplicitatẽ & profundã iræ extinctionẽ cautiſſimámq; diligẽtiã efficiamus. Cõfidamus tamẽ quotquot vitiis pulſamur, etiã ſi nondũ ſatis viriũ contra hæc adepti ſumus. Fidéq; firmiſſima infirmitatẽ noſtrã & animæ languorẽ Chriſto ſupplici cõfeſſione offeramus, & omnino ipſius adiutoriũ vltra merita noſtra reportabimus, ſi tamẽ noſmetipſos iugiter in humilitatis profundũ deiecerimus. Nõ ignorãt, qui ad honeſtiſſimũ iſtud durúmq; & arduũ, ſed leue certamẽ accedunt, quòd in ignẽ inſilire pergũt, ſiquidem diuini amoris ignẽ in ſeipſis habitare cupiũt. *Probet verò ſeipſum vnuſquiſque, & ſic de pane illius* cũ amaritudinibus comedat, & de calice illius cũ lachrymis bibat, ne ad iudiciũ ſibiipſi mi litet. Si non omnis qui baptiſma cõſequitur, ſaluus eſt, ſilebo reliqua. Cũcta abnegabunt. Omnia deſpiciẽt. Omnia irridebũt, vniuerſa excutiẽt, qui fũdamẽtũ optimum iactare pergũt. Porro fundamẽtum optimũ triplex eſt, tribúſque colũnis fulcitur: Innocentia, ieiunio, & pudicitia. Omnes qui in Chriſto infantes ſunt, ab his tribus incipiant, atque infantes per ætatẽ ſibi ad exẽplum ſumant. Nihil in illis inuenitur callidũ, nihil durum, nihil ſimulatũ; Nõ auiditas inſatiabilis, nõ venter inexplebilis, nõ ardens in corpore libidinis commotio. Cæterũ ſecundum eſcarum incrementa fere etiã libidinis incẽtiua ſuccreſcũt. Odioſum ſanè periculíq; pleniſſimũ eſt, ab ipſo ſtatim conflictus cõgreſſu flacceſcere luctantẽ. Eſt enim futuræ necis nõ obſcurũ argumentũ. Erit nobis omnino perutile, forte, & validũ renũciationis initium arripere, etiã ſi poſtmodũ molleſcere cõtingat. Anima enim quę viriliter pugnare cœperit, turſúmq; debilitata ceſſerit, antiquę virtutis & ſtudij memoria quaſi ſtimulo quodã & flagello vulneratur, atq; ex hoc nõnunquã plurimi priſtinum vigorẽ receperunt, prioréſque pennas reſumpſerũt. Quoties igitur anima ſeipſã prodiderit colorémq; amabilem, ac beatiſſimũ amiſerit, Inquirat diligẽter qua ex cauſa id ſibi cõtigerit, atque aduerſùs illã bellũ omne ac ſtudiũ sũmis viribus reſumat. Neq; enim poterit per aliã portã illũ reuocare, niſi per quã egreſſus eſt. Qui ex timore initiũ renũciationis accepit, timiamiti ardẽti ſimilis fortaſ-

A.

Chriſtianus.

Monachus quid ſit.

Ioan. 11.

Exod. 14.

Fundamentum pietatis.

Incipiendũ magno animo.

se videatur, quod initio quidem ab odoris suauitate cœpit, postmodum verò in fumum desiit. Qui verò ob mercedis spem, mola asinaria profecto est, quæ semper similiter mouetur. Qui autem ex diuina charitate seculo abrenunciat, ab ipsis statim initiis ignem promeruit, qui fortassis in syluam iniectus, rogum semper vehementiorem vlterius exuscitat. Sunt nonnulli qui supra lapides, lateres ædificant. Sunt item alij qui super terram columnas erigunt. Et sunt alij qui cum modicum itineris pedibus fecerint, cum calefactis iam artubus & nerMatt. 24. uis, ociùs postmodum proficiscuntur. *Qui legit intelligat*, quid sermo iste significet. Tanquã à Deo & B rege nostro vocati curramus alacriter, ne si fortè pauco tempore vixerimus, in die mortis infructuosi inueniamur, & fame pereamus. Ita Deo & domino nostro placere satagamus, vt regi suo milites. Nam post militiam tunc demum à nobis diligentissima seruitus exquiritur. Metuamus dominum, sicut metuimus bestias. Vidi enim viros furari cupientes, qui cum Dei metu à scelere non reuocarẽContemptus peccatoris. tur, canum latratibus perterriti statim reuersi sunt, quódque Dei timor non fecerat, id canum metus effecit. Diligamus dominũ, sicut amicos colimus, vidi enim sæpe nonnullos qui cum Deum suis sceleribus ad tristitiam prouocassent, nullam reconci- C liationis curam habuerunt. Cum vero charos suos in aliquo vel leuissima re irritassent, omni industria, omni intentione, omni afflictione, omni confessione delicti per seipsos, per cognatos, per amicos, per munerum largitionem contra moliti sunt, vt illos in antiquam charitatem reuocarent. Prorsus vero in ipsis abrenunciationis initiis non deficiamus in laboribus, non sine labore & violentia & amaritudine virtutes operamur. Cum autem iam proficere cœpimus, sine mœrore vel certè cum minimo mœrore exercemur. At verò cum mortalis sensus noster penitus fuerit absorptus, atque ab alacritate nostra superatus, tunc iam cum omni eas gaudio & D studio & desiderio & diuinæ charitatis flãma perficimus. Quanto sunt laudibus digniſsimi, qui ab ipsis confestim initiis cum gaudio & alacritate sũma virtutes omnes arripiunt, & Dei mandata perficiunt: tanto sunt miserabiles æstimandi, qui cũ in hac exercitatione diutius vixerint ægrè adhuc & cũ labore eas subeunt, si tamen vel tandem subeunt.
Multi casu videntur ad religionem accedere. Ne illa quidem renunciationum genera vituperemus, aut condemnemus, quæ casu fiũt. Vidi enim quosdam fugientes cum procedenti regi inuiti occurrissent, repentè in illius obsequium atque inter illius milites ascribi, regiámque aulam vna ingredi atque inter illius conuiuas numerari meruisse. Vidi semen in terram de agricolæ manu negligenter la- E psum, fructum lætissimum ac plurimum tulisse. Sicut econtra etiam vidi nonnunquam in taberna medicorum quẽdam alterius cuiuspiam necessitatis causa aduenisse, ibique medici solertia & comitate deprehensum, luminibus suis iniectam amisisse caliginem. Sicque fit vt in plerisque ea & firmiora sint, & magis rata quæ inuitis accidunt: quàm quæ illis ex sua sententia prouenerunt. Nemo pondus multitudinémque peccatorum attendens, indignũ se monastica professione dicat, nec se ita decipiat, vt seipsum humilem existimet, si vt fruatur voluptatibus, arduam virtutis semitam ingredi detrectans, prætendens occasiones in peccatis. Nam vbi putredinis plurimum est, ibi maxima medicorum arte opus est, vt ea putredo omnis deputetur. Qui enim sani sunt, medicorum tabernas non adeunt. Si vocante nos terreno, & mortali rege, & in suum obsequiũ militare nos iubente, nihil moraremur, neque occasiones quæreremus, sed omnibus dimissis illi summa alacritate pareremus: attẽdamus nobis ipsis caueamúsque diligẽter, ne forte rege regum & domino dominãtiũ & Deo Deorũ vocãte nos ad cœlestẽ hunc ordinem, per nostram desidiam & negligentiam obtemperare recusemus, & postmodum ante tribunal illud horrendum inexcusabiles inueniamur. Fieri quidem potest, vt is qui seculi negociis & ferreis curis se deuinxit, incedat, sed tamen non liberè. Nam & hi quorum pedes ferro compediti sunt, sæpe incedunt, & semper offendunt vulneráque suspiciũt. Is quidem qui sine vxore in mũdo degit, solis negotiis obligatus, ei similis est, cui ferreis nexibus manus circumligatæ sunt. Ideóque si ad solitariam vel monasticam vitam currere voluerit, non prohibetur. Qui verò vxori coniunctus est, ei qui vinctas habet manus & pedes similis videtur. Audiui ego quosdam in mundo negligenter permanentes dicere ad me: Quomodo possumus coniugibus vnà cohabitantes, curisque reipublicæ circumuallati, vitam monasticam arripere? Ad quos ego: Omnia, inquam, bona quæ facere potestis, facite, maledicta in nullum iaciatis, nemini mentiamini, furto abstinete, contra nullum eleuemini, neminem oderitis, ecclesias & collectas frequentate, indigentibus misericordiam præstate, neminem scandalizetis, alienis parietibus ne propinquetis, contentíque estote vxorum vestrarum stipendiis. Ista si feceritis, non longe eritis à regno cœlorum. Cum gaudio & metu ad egregium istud Stipendia vxoris certamen accingamur, inimicos nostros nulla ratione formidantes: intuentur enim illi, & si non videantur à vobis, animarum nostrarum vultus. Et si illos viderit formidine contrahi vel immutari, contra nos acerbius armantur. Intelligũt enim versutissimi timorem nostrum. Magno igitur animo aduersus illos arma capiamus: cõtra eum enim qui alacriter pugnat, nullus oppugnãdo præualet. Mira dispensatione dominus rudibus adhuc militibus suis bella tẽperarit, ne initio statim prælij magnitudine deterriti ad seculum rediret. Quocirca gaudete in domino semper omnes serui Dei, hoc in vobis signum primum superne aduersum vos pietatis & charitatis, quódque ille vos vocauit agnoscẽtes. Et hoc item facere Deus sæpius agnoscitur. Cum enim fortes animas viderit, ab exordiis statim bello vehementiori pulsari permisit, eas celeriter coronari cupiens. Abscondit dominus à secularibus stadij difficultatem, immo vero facilitatẽ. Si enim hanc nouissent, nunquam profecto abrenunciasset omnis caro. Da labores iuuentutis tuæ Christo, & Dabis Christo in senectute gaudebis super pacatissimæ quietis opibus, ea quæ iuuentute congregauerimus cum in senectute postea debiles fuerimus, nos nutriunt & consolãtur. Laboremus iuuenes ardenter, cutramus sobriè & vigilanter, mors enim incerta horis omnibus imminet. Hostes reuera nequissimos habemus,

317

bemus, acerrimos, verſutos, callidos, validiſſimos, nunquã dormientes, inuiſibiles, omni materiæ impedimento liberos, ignem in manibus tenentes, tẽplúmque Dei per flammam, quæ in eis eſt, incendere omni ſtudio deſiderãtes. Nemo cum iuuenis eſt, inimicos ſuos dæmones audiat, dicentes: Noli carnem tuam ita atterere, ne morbos & ægritudines incurras, vix enim reperietur hac præcipuè ætate, qui hanc mortificare delegerit, etiam ſi ſe multis & lautioribus cibis priuauerit. Hæc enim ſane eſt dæmonis aſtutia, idq; niſibus omnibus contendit, vt ingreſſum certaminis noſtri mollem negligẽtiæ pleniſſimum faciat, finéque poſt medium initio cõſentientem. Ante omnia iſtud inquirent qui Chriſto fideliter ſeruire cupiunt, vt loca, mores, ſeſſiones, ac ſtudia quæ ſibi ex patrum ſpiritalium ſentẽtia, & ex cognitione propria competere præuiderint, eligant. Neque enim omnium eſt in cœnobiis degere, atque eorum maximè qui gulæ illecebris pulſantur. Neque rurſus omnium eſt vitæ ſolitarię quietem ſequi, & eorum in primis qui ad iracundiã procliuiores ſunt. Vnuſquiſque diligenter inſpiciat cui ſtatui aptior ſit. In tribus maximè principalibus ſtatibus monaſtica continetur vita. In anachoreſeos: In vnius vel duorum contubernio:

Dæmonũ impietas.

Mortificatio.

Diligenda vitæ ratio.

Triplex monachorũ genus.

Prou. 4. In Cœnobij, cum tolerantia, commoratione.

In anachoreſeos vel ceſſionis certamine & ſolitudine: *Ne declines*, inquit, Eccleſiaſtes, *ad dexteram vel ad ſiniſtram, ſed via regia ingredere.*

Eccles. 4. Medius enim prædictorum ſtatuunt aptiſſimus plurimis fuit. *Væ enim ſoli* (inquit) *quoniam* ſi in acediã *ceciderit*, aut ſomnum, aut deſidiam, aut deſperationem, *non eſt* in hominibus *qui illum erigat:* vbi verò Matt. 18. *ſunt congregati duo vel tres in nomine meo, ibi ſum in medio eorum, ait dominus.* Quis ergo eſt fidelis & prudens monachus? Qui feruorem ſuum ſeruauit inextinguibilem, & indies vſque ad finem vitæ ſuæ ignem igni adiicere, feruorem feruori, deſiderium deſiderio, ac ſtudium ſtudio, nunquam deſiit.

De vacuitate affectionum, gradus II.

QVi Deum in veritate diligit, qui futuro regno perfrui veraciter quærit, qui pro peccatis ſuis veraciter dolet, qui reuera ſupplicij memoria tangitur, qui reuera metum mortis aſſumpſit, nihil iã in præſenti ſeculo diliget, nullius rei curis angetur, non pecuniarum, non prædiorum, non parentum, non mundanæ gloriæ, non amicorum, non fratrũ, nõ vllius omnino terrenæ ac mortalis rei. Sed omnem huiuſmodi affectum, omnem harum rerum curam ab ſe excutiens & execrans, præterea & carnem ſuam odio habens, nudus, ſecurus, impiger Chriſtum ſequitur, in cœlum ſemper aſpiciens, atque inde adiutorium expectans, ſecundum Dauid Pſal. 62. verba, dicentis: *Adhæſit anima mea poſt te.* Alteriúſ- Ierem. 17. que memorabilis viri ſentẽtiam dixit: *Ego autem non laboraui te ſequens & diem aut requiem hominis non deſideraui Domine.* Confuſio ſane maxima eſt his omnibus, quæ prædicta ſunt omiſſis, poſt vocationem qua nõ homo, ſed Deus vocauit nos, alicui⁹ alterius rei curam gerere, quæ nobis in hora vltimæ neceſſitatis, videlicet obitus noſtri prodeſſe non poſſit. Hoc e- Luc. 9. nim eſt quod dixit dominus *conuerti retro* nec *inueni aptum regno cœlorum.* Non ignorans dominus lubricum noſtri tyrocinij, quódque facilè ſi ſecularium contubernio & familiari congreſſu vtamur, rurſus ad ſeculum conuertimur, ad quendam qui ſibi dixerat: *permitte mihi vt abeam & ſepeliã patrem meum, ait:* Lucæ 9. *ſine mortuos vt ſepeliant mortuos ſuos.* Solent dæmones cum iam ſeculo abrenunciauerimus, nobis miſericordes ac pios ex ſecularibus præponere, atque vt illos beatos, nos contra miſeros exiſtimemus ingerere, qui omni eiuſmodi virtute deſtituti ſumus. Ea vtique intentione inimici nobis iſta ingerunt, vt per adulterinam humilitatem nos aut ad ſeculum reuocent, aut ſi permanſerimus monachi, in deſperationem præcipitent. Sunt qui ſeculares homines elationis cauſa deſpiciant & nihil exiſtimẽt. Sunt item & qui vt deſperationis prærupta diffugiant & ſpem ampliorem ſibi acquirant, abſentes eos ſimiliter contemnunt. Audiamus quid adoleſcenti illi qui cuncta fere mandata impleuerat, dixerit dominus: *Vnum deeſt tibi, Vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus*, & teipſum pauperem conſtitue, Marc. 10. alienáque miſericordia indigentem. Si prompte & celeriter currere volumus, intentius inſpiciamus quomodo omnes in ſeculo manentes & viuentes, dominus mortuos dixerit, dicens ad quendam: *Sine* Lucæ 9. *ſeculares ſepelire mortuos ſuos ſeculariter mortuos.* Nihil adoleſcentem illum quo minus baptiſma ſuſciperet impediuêre diuitiæ. Quàm igitur inanes ſunt qui dicunt quod baptiſmatis gratia dominus illi diuitias vendere præcipit? Sufficiat nobis vt gloriam profeſſionis noſtræ certius nouerimus, huiuſcemodi teſtimonium. Qui in mundo degunt vigiliiſque & ieiuniis & laboribus aliiſque afflictionibus ſeipſos conterunt, cum ad vitam monachorum veluti ad quandam probationis officinam vel ſtadiũ ſecedant. Priorem exercitationem ſuam in adulterinam & fictam non vlterius arripiant. Vidi plurima variáque virtutum germina ab his qui degunt in ſeculo plantari & ex inani gloria tanquam ex cloaca & cœno irrigari, & ex oſtentatione circumfodi, atque ex laudibus humanis ſtercorari, quæ tamẽ tranſlata poſtmodum in deſertum ſolum atque ſeculi hominibus inuium, omníſq; inanis gloriæ cœnulenta aqua vacuũ, confeſtim exſiccata ſunt. Neque enim ſolent aquis proximæ arbores in duris & in aquoſis exercitationum locis fructum afferre. Si quis mundum omnino odit, hic triſtitiam effugit. Porrò ſi quis qualibet viſibilium rerum affectione mordetur, triſtitia ndum liberatus eſt. Quomodo enim non contriſtabitur, ſi eo quod diligit priuetur? In omnibus quidem grandi vigilantia nobis & ſobrietate opus eſt, ſed hoc ante omnia vigilantiſſimè attendere & cauere debemus. Plurimos in ſeculo aſpexi præ ſolicitudinibus & curis occupationibúſque & vigiliis mundanis, proprij corporis inſanos motus effugiſſe eos ipſos, tamen cum exuti curis omnibus vigiliis ad monaſticam conuolaſſent, turpiter ac miſerabiliter corporis cõmotione ſordidatos. Attendamus nobis ipſis, ne fortè dum anguſtam & arduam viam nos pergere aſſerimus, latam & ſpatioſam teneamus, nóſque ipſos ſeducamus. Anguſtam viam tibi indicabit vẽtris afflictio: pernoctatio ſtabilis, aquæ menſura, panis inedia, ignominiæ ſalubre, & purgatiuum poculum, ſubſannationes, irriſiones, ludibria, abſciſſiones propriarum voluntatum: offenſionum tolerantia, cõ-

temptus noſtri, ſine murmuratione toleratio, vim ſibi in tolerando contumelias inferre, iniurias fortiter perpeti, detrahentibus non indignari, contẽnentibus non ſuccenſere: condemnantibus humilitatem exhibere. Beati qui prædictam viam pergũt quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Nemo in cœleſtem thalamum coronatus ingreditur, niſi qui primam & ſecundam & tertiam abrenuntiationem impleuerit. Vt ſcilicet primò abrenuntiet rebus omnibus & hominibus & parentibus. Secũdò volũtati propriæ. Tertiò inani gloriæ, quæ ſolet obedientiam ſubſequi. *Exite de medio eorum & ſeparamini & immunditiã ſeculi nolite tangere dicit dominus.* Quis enim apud illos miracula vnquam fecit? Quis mortuos ſuſcitauit. Quis dæmones expulit? profecto nullus. Hæc enim ſunt monachorum inſignia quę mundus capere non poteſt. Nam ſi poſſet ſuperflua eſſet exercitatio videlicet ſeceſſio. Quotiẽs poſt abrenunciationem noſtram dæmones parentum aut fratrum memoria corda noſtra importunè concaleſcere cœperint, tũc maximè aduerſus eos orationis arma capiamus, atque ſempiterni ignis memoria, noſipſos incendamus & huius conſideratione improbum & importunũ cordis ignem extinguamus. Si quis eius rei nulla ſe affectione tangi putat, cuius priuatione triſtatur, hic perfectè decipitur. Quicunque iuuenes corporum amoribus & deliciis inſanè addicti poſtmodum vitam monaſticam adire cupiunt, tota intentione animi omníque vigilantia ſeipſos exercere ſtudeant, ſibíque delitiis omnibus & vitiis abſtinendum perſuadeãt, *ne fortè fiant illorum nouiſſima deteriora prioribus.* Portus enim & ſalutis & periculorum cauſa eſt, atque hoc nouere qui iſtud mare nauigant. Miſerabile ſanè ſpectaculum, eos in portu naufragium paſſos aſpicere, qui in mari ſeruati fuerint.

Esa. 31.

Matt. 12.

De peregrinatione & ſomniis: Gradus III.

PEregrinatio eſt omnium quæ ſunt in patria cõſtãtiſſima deſertio, quibus à pietatis deſtinatione atque exercitatione impedimur. Peregrinatio eſt omni confidentia noxia vacuus affectus, ignota ſapientia, publicum fugiens prudentia, ſecreta via, inuiſibilis deſtinatio, occulta cogitatio, vilitatis appetitus, anguſtiæ deſiderium, diuini affectus argumentum, amoris copia, inanis gloriæ abnegatio ſilẽtij profundum. Solet fere & iſta cogitatio in initiis ſedulò ac vehementer perturbare amatores Dei velut diuino igne, videlicet elongatio à patria & ſuis, intentione proſequendæ vilitatis atque afflictionis prouocans huiuſmodi amatores. Veruntamen quanto eo maior eſt & laudibus dignior: tanto diſcernenda cautius eſt. Neque enim omnis peregrinatio ſi ſummis (vt ita dixerim) laudibus vel labiis fiat probabilis eſt. *Nam ſi omnis propheta ſine honore eſt in patria ſua*, vt ait dominus, caueamus ne fortè peregrinatio fiat nobis inanis gloriæ occaſio. Peregrinatio enim vera, eſt omnium prorſus rerũ deſperatio, ea ratione ſuſcepta vt nunquam cogitatio noſtra à Deo ſeparetur. Peregrinus eſt luctus perpetui & penitus in memoria conditi amator. Peregrinus eſt qui omnem ſuorum alienorúmque affectuum ac memoriam fugit. Cum ad peregrinationem vel ad ſolitudinem properas, noli expectare dũ tecum pertrahas affixas ſeculo animas. Furenim ex improuiſo ſubrepit. Multi quippe cum negligentes quoſque & deſidioſos ſecum ſeruare molirentur cum illis vnà periere extincto ex diuturnitate diuini amoris igne. Statim vt ſuſceperis flãmam curre. Neſcis enim vtrum breui extinguenda ſit, ne fortè in tenebris te deſerat. Seruare alios non exigimur, ait enim ſanctus Apoſtolus. *Itaque vnuſquiſque noſtrum pro ſe rationem fratres reddet* Et iterum: *Qui doces alium, teipſum non doces.* Tanquam dicat, de aliis quidem neſcimus, ſeipſos autem omnino norunt omnes. Qui peregrinationẽ amplecti inſtituis, caues gyrouagum & ſtudioſum voluptatis dæmonem. Solet enim peregrinatio ei præbere occaſionem. Præclarum eſt, nulli rerum mortalium affici, ſed huius virtutis peregrinatio mater eſt. Qui propter Deum peregrinatur, habitus omnéſque affectus ſeculi deponat, ne perturbationibus ludibrio ſit. Qui à ſeculo peregrinatur, mundũ iam nullatenus attingat. Solent enim diu ſopita vitia facillimè reuiuiſcere. Eua in paradiſo inuita exulat, monachꝰ patria ſua ſe ſponte abdicat. Illa enim rurſus ad cõcupiſcendum inobedientiæ lignum pertracta fuiſſet, hic autem periculũ profecto à carnalibus propinquis ſuſtinuiſſet. Fuge non ſegnius quàm infeſtiuum flagellum ruinæ proxima loca. Eius enim fructus qui non adeſt, non vſque adeo deſiderio mouemur. Neque hic fallaciæ furum modus te velim, lateat. Suggerunt plerumque nobis, vt à ſecularibus non ſeparemur, mercedem inde maximam nos conſecuturos aſſerentes, ſi videntes fœminas noſipſos contineamus, ac reluctando concupiſcẽtiam ſuperemus. Cum annos aliquot remoti à patria egerimus, parúmque religionis aliquid vel cõpunctionis vel continentiæ nobis ipſis acquiſierimus, tunc iam cogitationes vanitatis acriùs incumbunt. Vtq; iam reuertamur in patriam importunè ſuggerunt ad ædificationem formámque & vtilitatem plurimorum, qui actus noſtros & opera illicita nouerunt. Quod ſi quam docendi facultatẽ aut tenuem ſcientiam fuerimus adepti, tunc iam vt animarum ſeruatores & magiſtros ad ſeculũ redire perſuadent, vt quæ in portu benè congregata ſunt, peſſimè in pelago diſpergant. Non vxorem Loth, ſed ipſum imitari ſtudeamus. Anima quippe quæ illuc vnde exierat conuerſa fuerit, vt ſal infatuabitur iámque immobilis manebit. Fuge Ægyptum atque ita fuge vt nunquam illuc reuertaris. Corda enim, quæ illuc reuerſa ſunt, pacatiſſimam quietiſſimámque terram Hieruſalem non aſpexerunt. Illicitum tamen non eſt, vt hi qui in initio conuerſionis ob tuendam ſpiritalem infantiam ſuam, omnia patriámque reliquerunt, cum perfectè purgati fuerunt ad eam vtiliter redeant, ea ſcilicet intẽtione, vt cum ipſi ſalute potiti fuerint, nõnullis etiam cauſa ſalutis fiant: Siquidem & Moyſes ille qui Deum viderat, ad ſalutem gentis ſuæ à Deo miſſus, plurima in Ægypto pericula, videlicet in mundo tenebras pertulit. Vtilius eſt parentes mœrore afficere quàm Deum. Ille enim nos formauit ſimul & redemit. Illi vero quos dilexerunt nõnunquam perdiderunt. Peregrinus ille eſt, qui veluti alterius linguæ inter ignotæ ſibi linguæ homines in ſui agnitione ſecum habitat. Non quo propinquos noſtros & patrios agros oderimus. Idcirco ab illis

Matt. 11.

Gen. 19.

ab illis ſecedimus. Abſit id penitus. Sed vt detrimẽ- A tũ quod ab illis in nos manare ſolet fugiamus. Qua in re ſicut fere in omnibus aliis dominus noſter nobis magiſter & documentum eſt, qui & ipſe ſæpenumero parentes reliquiſſe deprehenditur. Et cum à quibuſdam audiſſet: Ecce mater tua & fratres tui quærũt te, mox præceptor noſter optimus impaſſibile nobis odium ſubinſinuauit, dicens: Mater mea & fratres mei ſunt hi, qui faciunt voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt. Ibi tibi pater ſit, qui ad deponendam peccatorum ſarcinam conlaborare tibi & poteſt & vult. Mater vero compunctio ſacra, quæ te poſſit ſordibus abluere. Frater autem is, qui tecũ ad cœleſtem curſum perficiendum laborat & certat. Sociam tibi & vxorem quære, quæ nunquam à te ſeparetur, memoriam mortis. Porrò filij tibi amantiſſimi ſint, gemitus cordis. Seruũ poſſide corpus tuum. Amicas verò, ſanctas virtutes Angelicas, quæ tibi exitus tui tempore auxiliari poterũt, ſi eas modo tibi amicas familiarius feceris. Hæc eſt ſanè generatio quærentium dominum. Affectus Dei, parentum excludit affectum. Qui vero vtrunque ſe habere dicit, ipſe ſe decipit, cum audit dominum dicẽtem: Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ. Et: Nõ veni, inquit dominus, pacem mittere in terram & charitatem parentum ad filios & fratres, qui mihi ſeruire delegerant, ſed gladium & pugnã. Separare enim veni amatores Dei ab amatoribus ſeculi. Terrenos & materiales ab his, qui terrena omnia omnémque materiam ſuperauerunt. Gloriæ auidos ab humilibus: Lætatur enim dominus in hac contentione & ſeparatione, dum fit propter illius charitatem. Caue obſecro, ne fortè cuncta aquarũ tibi plena videantur, ſi propinquorum affectu & amore tenearis, atque diluuio amoris ſeculi cum eis vnà pereas. Noli miſereri parentum & amicorũ lachrymis, alioqui in æternum lachrymaberis. Quotiens tu vt apes circundederint, immo verò vt veſpæ, ac ſuper te lamentari cœperint propinqui tui, conſtanter ac celerrimè ac mortis atque operũ tuorum conſiderationem conuertere, vt dolorẽ poſſis excludere. Pollicentur nobis ſubdolè noſtri & non noſtri amici lęta omnia & iucũda ſe exhibituros, ea ſanè intentione, vt curſum noſtrum optimum præpediant, ſicq; inde iam ad ſuam voluntatem pertrahant. Sit autẽ noſtra ſeceſſio ad eas partes, quæ humiliores ſint & minus celebres, & ab omni cõſolatione ſeculi remotiores. Abſconde quantum potes, nec præ te feras ingenuitatẽ & claritudinem generis, ne aliter in ore, aliter in rebus affectus inueniaris. Nullus ita ſeipſum peregrinationi expoſuit, vt magnus ille patriarcha cui dictum eſt. Egredere de terra tua & de cognatione tua: & de domo patris tui, cum profecto in barbarã atque alterius linguæ terram vocaretur. Cuius tamen peregrinationẽ mirabilem, qui pro magnis viribus imitari ſtuduerũt, eos nonnunquam Dominus inſigni gloria affecit, & ſi hanc diuinitus conceſſam gloriam conueniat per humilitatis clypeum fugere & declinare. Quotiens nos dæmones peregrinationis alicuius vt magnæ virtutis gratia laudãt, totiens illius qui de cœlis ad terras propter nos peregrinatus eſt, intentiſſima cogitatione meminerimus, inueniemúsq; noſipſos in ſæculum ſæculi tantæ propter nos aſſumptæ peregrinationi nõ poſſe ſatisfacere. Grauis eſt & omnino vitabilis ad propinquorũ vel etiã extraneorũ aliquẽ immoderata affectio, cum ea nos ad ſæculũ ſenſim poſſit attrahere ignémque compunctionis noſtræ penitus extinguere: Sicut impoſſibile eſt vno oculo in cœlũ, altero in terram aſpicere, ita fieri non poteſt, vt in his anima nõ periclitetur, qui corpore & cogitatione ab omnibus & propinquis & extraneis nõ ſe peregrinum fecerit. Labore ingenti & fatigatione, mores graues: & optimos acquirimus & quos multo temporis labore quæſiuerimus, fieri poteſt vt vno momento temporis amittamus. Corrumpit enim mores bonos colloquia mala ſæcularia ſimul & turpia. Qui poſt abrenunciationem cũ ſæcularibus verſatur, ſiue iuxta illos cõmanet prorſus, aut in eoſdem laqueos incidet: aut cor in eiuſmodi cogitatione inquinabit: aut certè ſi nõ inquinatus fuerit, eos qui inquinantur iudicans atque condemnans & ipſe inquinabitur.

DE SOMNIIS.

QVod noſter cognitionis intellectus imperfectus ſit, atq; omni ignorãtia repletus occultari non poteſt. Guttur enim cibos, auris autẽ intelligẽtias diiudicat. Etiam imbecillitatẽ quidem oculorũ manifeſtat ſol: ignorantiam vero animæ patefaciũt verba. Veruntamen charitatis vel etiã ad ea quæ vires noſtras ſuperant differenda nos cogit. Reor igitur & ſi certè ſtatuere non audeo, conſequens eſſe etiam de ſomniis hîc pauca inſerere, vt huius quoq; fallaciæ malignorũ non ſimus penitus ignari. Somniũ eſt animi motus in immobilitate & quiete corporis. Fãtaſia eſt oculorũ ſeductio, inſopita mente. Fantaſia eſt animi exceſſus vigilante corpore. Fantaſia eſt ſpeculatio parum loco ſubſiſtens. Cauſa ob quam in hoc nobis de ſomniis dicendum eſſe arbitrati ſumus, aperta eſt. Cum enim relictis domibus, & propinquis noſtris, diuinæ charitatis cauſa noſipſos peregrinationi expoſuimus: tunc iã dæmones in ſomniis nos perturbare moliuntur. Propinquos nobis ſubinſinuant aut plorãtes, aut morientes, aut noſtri cauſa languore aliquo vel etiam detrimento fatigatos. Qui igitur ſomniis credit, ſimilis eſt ei, qui poſt vmbram ſuam currit & eam apprehendere nititur. Dæmones inanis gloriæ in ſomniis prophetice quæ futura ſunt vt aſtutiſſimi nobis iniiciunt, atque ea nobis per ſomnium prænunciant, vt cum impleta fuerint, quæ per quietem vidimus, ſtupore maximo detineamur. Et quaſi iam propheticæ gratiæ proximi cogitatione tumeſcere incipiamus. In his qui ſibi credunt, dæmon ſæpè propheta fit. Porro iis, qui ſe ſpernunt, ſemper mentitus eſt. Spiritus enim cum ſcit quæ intra hunc aërẽ ſunt, videt omnia, & cũ intellexerit moriturum aliquem, id per viſum leuioribus prædicit. Nihil futurorum ex præſcientia nouerunt, namq; & venefici mortem nobis prædicere vtique poſſent. In Angelum lucis ſe transfigurantes & in martyrũ ſpeciem ſępius transfigurantur, accedentésque ſeipſos nobis per ſomnium oſtendunt, excitãtes vero elatione & gaudio præcipitant. Hoc autem tibi erit deceptionis ſignũ: Cruciatus & iudicia & ſeparationes per viſum nobis Angeli oſtendunt, atque experrectos tremẽtes, mœſtósque relinquũt. Cum in ſomno dæmonibus credere cœpimus, tunc iam & vigilantes ab ipſis il-

Matth. 12. Pſal. 23. Matth. 7. Marci. 10. Gene. 11. 1. Cor. 13.

ludemur. Qui somniis credit, per omnia reprobus est & stultus. Qui vero eis nulla ratione credit, hic A reuera philosophus est habendus. Solis eis crede, qui tibi cruciatum & iudicium denunciant. Quod si te desperatio conturbat & istud est à dæmonibus.

De obedientia, gradus. IIII.

NVnc iam nobis ad Christi pugiles ac pietatis athletas procedens sermo deinceps apertissimè occurrit. Omnẽ quippe fructum præcedit flos, omnémque obediẽtiam peregrinatio aut corporis aut voluntatis. In his enim duabus virtutibus veluti in aureis pennis ad cœlum impigre se sancti viri anima sustollunt. De qua Spiritu sancto afflatus quidam fortasse concinit. Quis dabit mihi pennas sicut Columbæ, & volabo & requiescam? Per actiuã B
Psal. 54. & per contemplationẽ & humilitatem. Ne ipsum quidem fortissimorum bellatorum habitum negligenter prætereundum existimemus. Vt illi clypeũ teneant fidem, scilicet ad Deum atque ad exercitationis suæ magistrum, per ipsum, vt ita dixerim, omnem infidelitatis, omnémque præuaricationis cogitationem repellentes. Gladiúmque spiritus assiduè vibrent, voluntates suas omnes sibi propinquãtes necaturi. Loricásque ferreas patientiæ scilicet ac mansuetudinis se induant, per quas omnem contumeliam ac aculeum, sermonísq; iaculũ repellant. Habeant & galeam salutis orationis patris spiritalis C præsidium. Stent præterea non vinctis pedibus, sed alterum quidem ad ministeria prætendant, alterum vero fixum in orationibus atque immobilẽ teneãt. Obedientia est animæ propriæ perfecta abnegatio, per corpus certius ostensa. Aut fortè versa vice, obedientia est mortificatio membrorum in viuente animo. Obediẽtia est inexaminatus atque indiscussus motus, spontanea mors, vita curiositate carens, securum periculum, immeditata ad Deum excusatio, metus, mortis contemptio, tuta nauigatio, confectum dormiendo iter. Obedientia est sepulchrũ voluntatis, & excitatio humilitatis: nihil resistit, nihílque discernit mortuus in bonis aut his quæ vi- D dentur mala. Nam qui piè animam suam mortificauerit, securus pro omnibus rationem reddet. Obedientia est discretionis depositio inter diuitias discretionis. Initium quidẽ mortificationis vel membrorum corporis vel animæ voluntatis labor est. Medium vero interdum labor, interdum requies. Finis autem iam omni motus perturbatione, omníque laboris sensu vacat. Tũc demum labore & dolore fatigari deprehenditur, viuens hic beatus mortuus, cum se animaduerterit voluntati propriæ obtemperasse, metuẽs scilicet propriæ volũtatis onus. Quicunque ad intellectualis cõgressionis stadium exire conamini, quicunque iugum Christi tollere E super ceruices vestras cupitis, & sarcinam vestram alterius collo imponere satagitis, quicunque vẽditiones vestras sponte scribere curatis, vt pro illis in æternam libertatem conscribamini, quicunque aliorum manibus sublati, & natantes mare hoc magnum traiicitis: scitote quod breuem quandam & asperam viã pergere conamini, in qua vnus & solus latet error, quẽ Græci ἀδιορυθμίαν, nos suimet moderationem dicere possumus, cũ scilicet quisque sibi idoneus ad se regendum & moderandũ videtur. Quem qui effugerit, ad ea quæ honesta & spiritua-

lia sunt, ac diuinæ maiestatis oculis gratissima, ferò A antè veniet quã ire cœperit. Obediẽtia est enim nũquam sibi, ne in his quidem quæ videntur optima, vsque ad consummationẽ vitæ credere. Cum igitur ceruicem nostram in Domino inclinare atq; alteri credere desiderio acquirendæ humilitatis ac propriæ salutis insistimus, antè huius militiæ ingressũ, si qua in nobis est calliditas & prudentia, gubernatorem cautissimè examinemus & discernamus, atq; (vt ita dixerim) tentemus, ne fortè nautam pro gubernatore, languentem pro medico, vitiosum pro vitiis carẽte, postremo, infestum pelagus pro placidissimo portu ignari deligamus, nobísque ipsos paB ratum, promptúmq; naufragium constituamus. Cũ verò pietatis & obedientiæ studiũ fuerimus ingressi minimè iam optimum institutorem nostrum in aliquo penitus diiudicare licebit, etiam si in illo (homo enim est) modica aliqua delicta animaduertimus. Si verò aliàs fecerimus, nihil nobis obedientia prodesse poterit. Necesse omnino est, vt qui fidem certam & immobilẽ ad magistros suos habere cupiunt, eorum rectè facta profundo corde hauriant, eáque indelebiliter memoriæ cõmendẽt, vt cum dæmones infidelitatem aduersus eos vllam nostris cordibus inserere conati fuerint, ex his quæ memoria tenemus, illorum ora obstruamus. Quanto C enim fuerit in corde viridior fides, tanto corpus ad officia omnia & ministeria prõptius occurrit. Qui vero per infidelitatem offenderit, lapsus est. Omne enim quod fidei caret fundamento, peccatum est. Cũ tibi cogitatio suggesserit, vt prælatum aut diiudices aut damnes, ab ea non secus quàm à fornicatione desidi. Neque prorsus huic serpenti requiem præstes, non locũ, non ingressum, non initium, loquere ad huiusmodi draconem, atque eũ his verbis incesse: O maligniſſime seductor non ego ducem meum iudicandũ suscepi: sed ille me, nõ ego illius, sed ille mei iudex est. Arma quidem iuuenũ, Psalmorum cãtus: murum vero orationem: lauachrum autem mundissimas lachrymas esse patres diffiniũt. Beatam vero obedientiã, cõfessionem, qua sine vitiosorum nemo Deum videre merebitur. Qui subiectus est atq; alterius paret imperio, ipse aduersus seipsum sententiã fert. Nam siquidem propter deũ perfectè obedierit, etiam si non perfectè obtemperare videatur, omni iudicio se exuit. Quod si in quibusdam suam implere voluerit etiamsi obedire visus fuerit, ipse sibi onus luit vel addicit. Quem tamen si prælatus arguere nõ destitit, rectissimè omnino fecit, si autem tacuit, nescio quid inde dixerim. Qui in simplicitate domino subiiciuntur, felicem cursum peragunt, dũ non per superstitiosas cauillationes in se dæmonum versutias irritãt. Ante omnia verò culpas nostras præclaro iudici nostro soli confiteamur, omnibúsque si ita ille iusserit cõfiteri, parati simus. Nam in lucem eductus vulnera nunquam in deterius proficiẽt, sed sanabuntur. Cũ in cœnobium quoddam deuenissem aliquando, animaduerti iudicis, pastorísque optimi terribile iudicium. Nã dum illic morã traherem, contigit quẽdam ex latronũ ordine ad monasticæ conuersationis gratiã venire. Quẽ optimus ille pastor, peritissimúsque medicus per dies VII. quieti omni perfrui iussit, vt monasterij statum, normámque omnem perspiceret.

325 perſpiceret. Poſt diē verò ſeptimum ſeorſum accitum paſtor interrogat: Num ſibi cenſeret optimū, cum illis vnà habitare. Cum verò illū ſibi cum omni ſynceritate annuentis voce reſpondiſſe cerneret, rurſum: Quid in ſeculo iniquum operatus eſſet, interrogat. Poſtquam ergo illū ſibi promptè & ratiocinabiliter omnia conceſſum vidit, iterum ad illum tentandi gratia, dicebat: Volo, inquit, vt hæc omni cœtu fratrum aſtante confitearis & detegas. Ille reuera ſua deteſtans ſcelera, omníque confuſione calcata iudubitanter id ſe facturum pollicitus eſt. Et ſi vis, inquit, etiam in Alexandriæ ciuitatis medio id faciā, Deinde collectis in Eccleſia paſtor omnibus ouibus ſuis (erant autem in numero CCXXX.) Cum conſummarentur diuina myſteria (erat enim dies dominicus) lecto Euangelio inferri iam reum illum nihil contra querentem iubet, quibuſdā illū ex fratribus trahentibus, modicéq; verberantibus, vinctum poſt terga manus, aſperrimóque cilicio amictum, conſperſúmque cinere caput præferentē, adeo, vt ex ipſo aſpectu omnes ſtupefacti, protinus exorto gemitu ingenti proclamarent ac mugitum redderēt. Neque enim quiſquā illorum quid fieret ſciebat. Cū vero iam Eccleſiæ ianuis appropinquaret, magna illum & terribili voce compeſcuit, ſacrū illud caput clementiſſimi iudicis: Sta, inquiens, es enim indignus vt huius loci limen attingas. Tū ille paſtoris voce percuſſus, quæ ad illum ex intima veri medici, ſapientiſſimáq; ratione ſonuerat, videbatur enim ſibi (vt nobis poſtea ſub iureiurando firmabat) non vocantis hominis, ſed terribilis tonitrui vocem audiuiſſe, tremebundus & omnino pauore turbatus in faciem protinus corruit. Cū vero iaceret humi & pauimentum madefaceret lachrymis, permittitur ab admirabili medico, qui cuncta ad illius ſalutem moliebatur, formámque ſalutis ac certiſſimæ humilitatis omnibus dari cupiebat, cuncta quæ geſſerat ſingulatim & per ſpecies dicere. Ille verò cū horrore ingenti omnia ſingulatim cōfeſſus eſt, quæ audiens omnis cœtus penitus exhorreret. Nō † tamen quæ per corpus † præter naturā, † ac ſecundum naturam in † irrationabilibus & mutis animantibus deliquerat, verumetiā veneficia & homicidia, &c. quæ audire aut ſcripturæ tradere fas nō eſt; omnino nihil reticens. Cōfeſſum igitur, ſtatim tōderi, fratribúsq; aggregari permiſit. Ego vero ſancti illius admiratus ſapientiā, ſeorſum interrogaui illū ſecretius. Cuius rei gratia tam peregrinā iudicij formā exhibuiſſet. Ille autē vt verus medicus, duarum, inquit, rerū gratia. Primum quidem vt cōfitentem per præſentē, temporalémq; cōfuſionem æterna confuſione liberarē, quod & factū eſt. Neq; enim ex pauimento ſurrexit, ô Ioannes, quin peccatorum omniū remiſſione potitus eſt. Neque vllo huius rei ſcrupulo velim mouearis. Nam vnus ex fratribus, qui illic aderant mihi procerum quendā ac terribilem ſe vidiſſe aſſeuerauit, conſcriptā chartam & calamum tenentem: & cum frater ille humi proſtratus, peccatū confitens pronunciaret; hoc, ille calamo delebat: & meritò ſanè, dixi, inquit, *pronūciabo aduerſum me iniquitatem meam Domino, & tu remiſiſti, impietatem cordis mei.* Secundo ſanè, quia habeo nonnullos qui peccata quidē necdum confeſſi ſūt. Quo circa iam & illos ad confeſſionē hoc exemplo prouoco, qua ſine nullus remiſſione potietur. Et alia igitur plurima admiranda & memorabilia in illo digniſſimo, ſempérque memorando & grege & paſtore perſpexi, ex quibus plurima nobis referare animus eſt. Permāſi enim apud illos tempus nō modicum, illorū aſſiduè conuerſationem ac viuēdi genus explorans. Stupens quomodo terreſtres illi cœleſtes Angelos imitarentur. Charitatis quidem omnes inuicem inſolubili vinculo cōſtringebantur, & quod eſt omnino mirabilius, nulla apud illos inepta confidentia, nullus ocioſus ſermo deprehendi poterat. Obſeruabant verò id cautiſſimè vt in nullo fratris vulneraretur conſcientia. Quod ſi quis inter eos quenquā odiſſe inueniretur, hunc paſtor vt dānatitium ad ſeparatum huiuſmodi reis Monaſteriū veluti in exilium mittebat. Maledixerat aliquando vnus ex illis proximo ſuo, quem protinus pater ſanctus eliminari iuſſit, æquum nō eſſe aſſerens in monaſterio viſibilem atque inuiſibilem diabolum perpeti. Vidi ego apud ſanctos illos res maximè ſanè vtiles atque admiratione digniſſimas, fratrū cœtum in vnum collectū Chriſtique charitate deuinctum in vtraque vita, actiua ſcilicet & contemplatiua mirabilē, adeo enim ſeipſos ſinguli diuinis rebus exercebant, vt ferè nihil opus haberent à patre admoneri, ſed ſe inuicē vltro ad diuinam euigilationē excitarent. Nam ſi quando cōtingeret, vt eorum aliquis abſente abbate quicquā maledici aut alias noxij vel ocioſi ſermonis loqui cœpiſſet, occulto nutu latenter eum frater alius grauitatis admonens, illū à cœpto ſermone retrahebat. Quod ſi ille fortaſſis minus animaduerteret, iā qui admonuerat proſtrato antè illum toto corpore abibat. Si quid verò neceſſariò loquēdum erat, omnis illorum collocutio iugis erat mortis collocutio vel admonitio, æterníq; iudicij cōſideratio. Nō præteribo ſilētio coqui monaſterij illius admirabilem, ſingularémque virtutē. Cum enim illum animaduerterem in tam frequenti, perpetuóque miniſterio, iugiter ſecum habitare, gratiámque poſſidere lachrymarum, oraui ſupplex vt mihi quodammodo meruiſſet iſtiuſmodi gratiā, reuelare dignaretur. Qui tādem precibus fatigatus meis, ita reſpondit: Nunquam mē hominibus ſeruire arbitratus ſum, ſed Deo; & indignum meipſum quiete omni iudicans; ex huius ignis contemplatione, ſempiterni incēdij, iugi memoria cōpungor. Aliud iterum ſingulare virtutis illorum genus referre placet. Nam ne ad menſam quidem ſedentes à ſpiritali opere ceſſabāt. Cæterū ſigno quodam, nutúq; incognito occultè in animo orationis ſemetipſos, beati illi viri admonebant. Neque verò ad menſam ſolum reſidentes, hoc eos facere animaduerteres, verùm & cum ſibi obuiarent, cum ſimul conuenirent, id faciebant. Porrò ſi quis ipſorum in aliquo vnquā deliquiſſet, vides fratres alios notis omnibus ab illo flagitare, vt ſibi curam reddendæ patri rationis relinqueret, atque ab illo debitam increpationis vehementiam perpeti ſineret. Quod tamen diſcipulorum opus maximus ille vir cum exploraſſet leuiore iam increpationis genere vtebatur, ſciens eum qui corripiebatur inſontem eſſe. Neque tamē quis propriè deliquiſſet, inquirebat. Quando verò apud illos locum inueniret aut ocioſi ſermonis aut ſcurrilitatis memoria. Si quis autem ex illorum

† ſolùm. † ſecundū † ſed & præter. * In rationalibus & etiam in irrationalibus.

Pſal. 31.

numero aduersus fratrem contendere vnquam cœ-
pisset, præteriens alter aduoluebatur illorum genibus, sicq; iracundiæ motum mitigabat. Quod si seruare illos iniuriæ memoriam sensisset, rẽ protinus ad eum referebat, qui post abbatem secundus monasterij in regimine præerat, eósque ante occasum solis in gratiã reuocare nitebatur. Sin verò illi obdurati amplius exasperarẽtur aut cibum sumere vsque ad reconciliationem non permittebantur, aut certè monasterio expellebantur. Laudabilis sanè, memorabilísq; diligẽtia, ex qua fructus vberrimus gignebatur atque nascebatur. Plurimi apud sãctos illos viros deprehensi sunt actu & speculatione, districtionéque & humilitate mirabiles. Videres in eis terribile quoddam, angelicúmque spectaculũ, senes canicie verendos, auguſtiore facie infantiũ in morem ad obediendum semper paratos, huc illúcq; discurrere, gloriámque sibi maximam per humilitatem comparare. Vidi illic viros L. fere annos in obedientiæ certamine egisse, à quibus cũ addiscere orarem quam ex labore isto consolationem, quem profectum inuenissent. Alij quidẽ in abyssum humilitatis iam se peruenisse dicebant, per quam bellum omne semper excluderent ac superarent. Alij sensum omnem laboris & doloris in maledictis & contumeliis se perfectè exuisse dicebant. Vidi alios ex illis æternè memorandis viris, angelico aspectu, venerandáque canicie ad profundissimam innocẽtiam, simplicitatémque sapientiæ plenissimã, summa alacritate propositi, deique adiutorio quæsitam non irrationabilem quandam & insipidam vt in seculi senibus contingit, quales deliros vocare solent, peruenisse extrinsecus quidem mites totos, blãdos, placidos, lætos, nihil fictum, nihil negligens, nihil adulterinum in suis verbis aut moribus habentes, rẽ quidem quæ in paucis inuenitur. Interius vero in anima Deum ipsum ac prelatum infantium in morem ambientes, mentísque aciem aduersus dæmones & vitia audacem, firmissimámque intendentes. Deficiet me vitæ meæ tempus, ô sacrum caput & Deo dilecta congregatio si voluero beatorum illorum virtutes & ad cœlum vsque pertingentem vitę sanctitatem enarrare. Sed tamẽ existima nos tutius in illorum sudoribus ac laboribus sermonem hunc nostrum exornare, quo acrius ad huiusmodi gratã Deo imitationem excitemini, quã propriis, vilibúsque monitis. Nã absque vlla controuersia id quod deterius est à præstantiore adornatur. Illud autẽ in primis rogo, vt nihil nos fictũ scribere existimetis. Solet quippe infidelitas corrũpere vtilitatẽ. Igitur ad ea quæ cœpimus rursus accingamur. Vir quidã Isidorus nomine, Alexandriæ ciuitatis primarius, in ipso cœnobio ante hos annos seculo abrenũciauit, quem & ipse illic videre merui. Hũc pastor ille mirabilis suscipiens, aspectúque ex ipso asperũ quẽdam & intractabilem, superbúmque ac seculi dignitate tumidum, coniiciens humana arte dæmonum fastum sapientissime deiecit, aitque ad Isidorum: Si reuera Christi iugum tollere decreuisti, volo vt ante omnia te obedientiæ laboribus exerceas. Cui ille sicut, inquit, fabro ferrum subiectũ est, ita & ego ô sanctissime meipsum obedientiæ expono. Quo ille responso, gratissimóque exemplo curatus, cõtinuo Isidoro exercitij manus admouit, vt ferro, volo, inquiens, fratrũ ante monasterij ianuam existas, omniúmque ingredientium & egredientiũ prouolutus genibus dicas. Ora pro me pater, quoniam peccator sum. Sic autẽ ille obediuit sicut Angelus Domino. Itaque cum VII. annos ille peregisset, atque ad profundissimã humilitatem, compunctionémq; peruenisset. Voluit pater post incomparabilem viri tolerantiam, cuius superiori tempore aptum documentum dederat, hunc fratribus connumerare. Et vt reuera dignissimum etiam ordinatione honorare, verum ille plurimis multorum & meipsius precibus apud patrem egit, vt ibidem illum sineret, sicuti hactenus fecerat degere, cursúmque suũ perficere intelligens, neque obscurè his verbis significans finẽ suum iam ac vocationis diem imminere. Quod & factum est. Nam cum in ipso ordine illũ permanere magister permisisset, post decimũ diem per abiectionem & ignominiam glorioſissimè migrauit ad Christum. Póstque septimum dormitionis suæ diem ianitorem quoque monasterij assumpsit. Dixerat enim ei: beatus ille, pollicitúsque fuerat, quod si post excessum suũ confidentia ad dominum frui mereretur, inseparabilis ille sibi comes fieret, idque celeriter. Quod & factum est, vt certissime nobis meritorum eius & perfectæ obedientiæ, sacræq; ac diuinæ humilitatis esset indicium. Interrogaui ego enim cum adhuc supereſſet magnum hũc præclarũ virum, quam exercitationem mens eius habuisset, cum ad portam moraretur. Neque abscondit à me cũ prodesse mihi cuperet, memorabilis ille ac dulcissimus pater: Initio, inquit, hoc existimabã quod pro peccatis meis essem venditus. Vnde cũ amaritudine summa & violẽtia & sanguine prouoluebar omnium pedibus, impleueramvix annum cum sine mœrore iam ac tristitia id faciebam, mercedem à Deo tolerãtiæ expectans. Impleto autem rursus anno alio, toto affectu cordis indignum meipsum existimare cœpi conuersatione Monasterij, patrúmq; aspectu & contubernio, diuinorúmque participatione Sacramentorũ, indignum itẽ qui in alicuius faciem intẽderem. Quocirca defixis in terra luminibus, nec ab oculis discrepante animo, intrantes atque exeuntes vt pro me orarent, deprecabar. Cũ ad mensam aliquando consedissemus, summus ille magister inclinans suum sanctũ os ad aurem meam vis, inquit, tibi ostendã in extrema profundáque canicie diuinum sensum atq; prudentiam? Cúmque id summis precibus orarem. Aduocat ex proxima mensa quendam Laurentiũ nomine, qui XL. fere & VIII. annos in Monasterio degerat, sedénsque erat sacrarij presbyter. Qui cũ veniſſet atque abbati genibus flexis astaret ab illo quidem benedicitur. Sed cũ surrexisset nihil illi penitus dixit, sed sic ante mensam sine cibo stare permãsit. Erat autẽ tũc prãdij initiũ. Itaque prolixam horam atq; fortasse duas immobilis stetit, adeo vt ipse quoque erubescerem. Neque enim in illius faciem intueri præ verecũdia possem. Erat enim canus totus, octogesimúmq; iam agebat ætatis annum. Mansit autem sine responso vllo vsque ad refectionis finẽ. A qua cũ surgeremus mittitur iã à sancto illo, vt memorato Isidoro diceret XXXIX. Psalmi initium. Non omisi ego, vt sũ versutissimus, quin senem illum tentarem. Itaq; cũ eũ postea interrogarẽ, quid astãs cogitasset, Christi, inquit,

Isidorus.

Humilitas.

Sacrarij presbyter Benedictus abbas.

Patientia mirabilis.

329 inquit, imaginem pastori imposui, neque enim ab illo hoc penitus præceptum exisse, sed à Deo, existimaui. Quare ô Pater Ioannes, non coram mẽsa hominum, sed coram altari diuino astare me putans orabam. Nullámque penitus malignam cogitationẽ aduersum pastorem admittebam, pro syncera in illum fide mea & charitate, dictum est enim, *charitas non cogitat malum*. Sed & illud scito pater, quod cum quis innocentiæ ac simplicitati se omnino dedidit, nullũ iam maligno contra se aut tempus aut locũ dabit. Reuera autem qualis erat ille iustus rationabilium pecorum pater, ac per Deum pastor, talẽ etiam habebat à Deo sibi traditũ monasterij dispẽsatorem, pudicum & moderatum, vt quis alius mitẽ vero, vt admodum pauci. In hunc aliquando ad cæterorũ vtilitatem magnus ille inuectus est absq; vlla causa, iussitque de Ecclesia proiici intempestiuè sanè. Ego cum scirem eum eius criminis quod sibi pater obiecerat, insontẽ, seorsum magno illi dispensatoris commendabã innocentiam. Ad quem & ille sapiẽtissimè. Scio, inquit, Pater, sed sicut crudele est ex ore famelici infantis manibus panẽ rapere, ita & seipsum & operarium lædit, qui animas suscipit regendas, nisi illi coronas, quantas illum sustinere posse nouit horis singulis prouidere satagit, siue per contumelias, siue per ignominias, siue per obiectiones, siue per ludibria. Tria enim maxime cauenda committit. Primũ, quod ipse increpationis mercede priuatur. Secũdum, quod aliis ex alterius virtute prodesse posset id agere omisit. Tertiũ verò quod est grauissimum quod ij nonnunquã qui videntur esse probatissimi & laboris patientissimi, si ad tẽpus negligãtur atque iam vt virtutibus præditi à prælato non corripiantur, siue probris atque iniuriis afficiantur, ea quæ in eis inerãt modestia & tolerantia destituentur. Nam & si bona & frugifera, pinguísque terra est, consueuit tamen aquæ id est ignominiæ defectus illam infructuosam, ac syluestrem efficere, spinásq; fornicationis & noxię securitatis in ea germinare: Hoc non ignorans magnus ille Apostolus Timotheo scribit: *Insta, inuehe, argue illos opportunè importunè*. Ego cũ illi spectatissimo duci adhuc resisterem, infirmitatémque ætatis huius allegarem, vtq; plurimi fere frustra increpiti, immo & fortasse non frustra à grege abrumperentur. Ita rursum obiectioni meæ, sapiẽtiæ domiciliũ occurrit: Anima, inquit, quæ propter Deum pastori fide & charitate deiũcta est vsque ad sanguinẽ sustinẽs, nũquam recedet. Et maximè si antea ab ipso in suis vulneribus fuerit adiuta, solatióq; & beneficiis affecta, memor illius, qui dixit: *Neque angeli, neq; principatus neque Virtutes neque creatura Vlla à charitate Christi nos separare poterit*. Quæ autem ita colligata & solidata agglutinatáque non fuerit, mirum valde, si non frustra in loco moram facit. Non enim veræ, sed fictæ obedientiæ annexa est. Nec sanè magnus ille vir spe sua frustratus est, sed direxit & perfecit atq; obtulit Christi immaculatas hostias. Audire libet sapiẽtiã Dei, admiratíque in vasis fictilibus inuentam. Admirabar ego illic præsens nouiter ex sęculo venientiũ fidem & tolerãtiam atque in ignominiis & contumeliis & aliquando etiam persecutionibus insuperabilem patientiam, quas non tamen ab abbate, sed ab his quoque qui longè inferiores erant, perpetiebantur. Itaque ædificationis gratia quendã ex fratribus sciscitatus sum, qui annos XV. in monasterio egerat, Abbacyrum nomine, quem maximè affici iniuriis ferè ab omnibus videbam. Nonnunquã verò etiam à ministris ex mẽsa fugari. Erat enim frater ille naturaliter linguæ aliquantulũ incõtinens, dicebam itaque ad illum: Quid est frater Abbacyre, quod te quotidie à mensa expelli video, ac nonnunquã dormire incœnatum? Qui ad hæc respondit: Crede mihi pater, probãt me patres mei vtrum monachus esse cupiam, non autem verè id faciũt, Quam ego patris aliorúmque intentionem non ignorans, leuissimè ac sine vlla molestia omnia tolero. Et ecce XV. iam annum ego istud cogitans sicut & ipsi, quãdo monasteriũ intraui, dixerũt mihi quod vsque ad XXX. annum renunciãtes probare solerent. Et rectè quidem pater Ioannes. Sine probatione enim aurũ non perficitur. Hic igitur egregius Abbacyrus secũdo anno postquã aduenerã migrauit ad Dominũ in monasterio hoc, patribus cum deficeret, dicẽs: Gratias ago Domino & vobis patres, quod me ad salutẽ meam tẽtastis iugiter, hac enim ex causa immunis à tentatione dæmonũ hactenus mansi. Quem etiã tanquã confessorem & cũ his qui illic obierant sanctis digníssimè æquissimus pastor sepeliri iussit. Detrimento non minimo affi-cio probitatis æmulos, si virtutẽ certaménque Macedonij, qui primus erat monasterij diaconus, monumento silentij sepeliam. Hic dilectus Domini aliquando imminente Epiphaniæ sanctæ solennitate, abbatem ante duos dies obsecrat, vt se propriæ necessitatis gratia ad Alexãdriam proficiscí sineret. Citius tamẽ se ob diei festi ministeriũ & prꝛeparationem rediturũ spondẽs. Igitur infestus bonis omnibus Diabolus, diacono impedimento fuit, vt dimissus ab abbate ad monasteriũ die sacrosanctæ solennitatis nõ rediret. Igitur post diem vnũ peractæ festiuitatis, reuertentem abbas amouit à monasterio, atque in vltimo incipientiũ cõstituit ordine. Suscepit bonus patientiæ diaconus, fortissimúsq; tolerãtiæ Archidiaconus patris verbũ, ac sententiã adeo absq; mœrore, vt quasi non ipse, sed alius videretur increpatus. Igitur cum in tali ordine dies XL. peregisset, rursus illum ad pristinum gradũ reduxit sapientissimus pater. Quem itẽ post vnũ diem archidiaconus obsecrat, vt se in eadem ignominiæ humilitate restituat, deliquisse se graue quoddam atq; infandũ in ciuitate, asserens autẽ sanctus hunc non vera prosequi, sed humilitatis gratia hoc inquirere, cessit parere honesto desiderio. Vidisses caniciẽ venerãdam degere in incipientiũ ordine, syncerè omnes vt pro se orarent, deprecantẽ. Cecidi enim, aiebat, in fornicationẽ inobedientiæ. Mihi tamen humili reserauit hic magnus Macedonius, cuius rei gratia hãc propositi humilitatẽ ita spõte accurrisset. Nunquã enim, inquit, ita me bello omni leuigatum sensi, diuiníq; luminis dulcedinem in meipso vidi. Atqui naturæ Angelorũ est nõ cadere, vt aiunt quidã, fortè non valentiũ: hominum verò cadere, rursúmque cum hoc contigerit surgere: dæmonũ verò cũ tamen semel ceciderint, nunquã penitus resurgere; Is autẽ cui monasterij dispensatio tradita erat, hoc mihi enarrauit: Iuuenis, inquit, cum essem atq; in cura animalium degerem, contigit vt in grauissi-

Inuectio vbique causa.

Simile.

Augere coronas subditorũ.

1. Cor. 13.

1. Tim. 4.

Rom. 8.

Festum Epiphaniæ tempore Climaci.

mam animæ ruinam præcipitarer, mihíque consuetudo erat nihil vnquam in cordis fouea tectum seruare. Igitur apprehensa cauda) quam finem operis appello) medico mox facinus meũ denudaui. Qui serena facie subridens, leuitérque maxillam meam feriens, abi, inquit, fili, ministeriúmque tuum, vt prius exequere, nil penitus metuens. Ego itaq; fide firmissima roboratus, paucísque diebus sanitatis meæ certior factus, viam meam gaudio simul & tremore plenus currebam. Habet omnis creaturæ ordo, vt aiunt quidã, differentias plurimas. Itáq; quoniam & in illo fratrum cœtu erãt profectuum, sententiarúmque differentiæ. Si quos fortè pater sanctus ostentationi studere denotasset, cum seculares ad monasterium veniebant, hac eos arte curabat. Contumeliis illos in conspectu aduentantium afficiebat, ministeriáque illis ignobiliora iniũgebat: Quo illi increpationis genere ita sanabãtur, vt iam si qui ex seculo ad monasterium venissent, aspectũ eorum cursu fugerent. Erátque iucundum spectaculum videre ipsam persequentem, homines quia fugientem. Noluit me Dominus ex eo monasterio absque viatico orationum sancti cuiusdã viri demigrare, assumpsitq; inde septimo die antequam proficiscerer virum per cuncta mirabilem, Mennam nomine, secundum post abbatem in monasterij regimine, qui annos iam quinquaginta & nouem egerat in monasterio, omnémq; cœnobij administrationem executus fuerat. Tertia igitur die celebrantibus nobis pro dormitione tanti patris, officiũ cõsuetum, subito locus ille vbi sancti viri corpus iacebat, miri odoris fragrãtia impletus est. Permisit igitur magnus ille loculum, in quo repositũ erat corpus, detegi, quod cum factum esset vidimus omnes ex illius preciosissimis plãtis veluti ex duobus fontibus vnguenti manare suauitatem. Túc ad omnes monasterij magister cõuersus, videtis, inquit, vt fatigationem eius ac laborum sudores quasi reuera vnguentum preciosissimum oblati, susceptíq; Deo sunt. Multas quidem & alias huius beatissimi Mẽnæ virtutes nobis loci eiusdem patres referebant. Dicebant vero & istud quod volens aliquando insignem illius pater monasterij probare patientiam, reuersum ad monasterium prostratúmque abbati & benedictionem secũdum consuetudinem suscipere orantem à vespera vsque ad collectę horam ita illum humi iacere prostratum permisit. Tunc verò iam illum benedicens & veluti ostensionis gratia cuncta facientem, ac impatientissimum obiurgans erexit tandem. Sciebat enim sanctus quã id fortiter ferret, quocirca & istud ad cunctorum ædificationẽ spectaculum edidit. Huius vero sancti Mennæ discipulus, qui magistri omnia plenissime nouerat, & de his certiores nos reddere solebat. Cum illum curiosius interrogarem an ante abbatẽ ita prostratus somno depressus fuisset, asseuerabat illum sic humi iacentem, psalterium omne ceciniſſe. Non omittã sermonis nostri coronam & præsenti illustrare smaragdo. Moui ego aliquando quibusdam ex illis fortissimis senibus de solitariæ vitæ quiete quæstionẽ, illi vero serena ac subridẽti facie læto atque placidissimo gestu aiunt ad me. Nos ô Pater Ioannes terreni cum simus, terræ etiam propius vitæ institutũ cœpimus: illud conuenire iudicantes, vt pro mẽsura infirmitatis nostræ etiam bella subiremus, satius esse existimantes cũ hominibus luctari qui aliquãdo quidem efferantur, aliquando vero mansuescũt resipiscunt, quàm cum dæmonibus, qui aduersum nos semper armantur & sæuiunt. Alius vero ex illis rursus sempiternè memorãdis viris, cum me in Domino plurimum diligeret, méque familiarissimè vteretur, mihi semel placidissime dixit. Si reuera sapientissimus cum sis, effectum virtutémque verborum eius qui dixit. *Omnia possum in eo qui me confortat*, si Christum tota animi intentione complexus es, si Spiritus sanctus castitatis rore vt olim in virgine ita superuenit in te, si virtus patientiæ obumbrauit tibi accinge sicut vir lumbos tuos obedientiæ linteo, & à quietis cœna consurgens, in Spiritu contrito fratrum pedes laua, immo vero abiecta mẽte fratrum pedibus aduoluêre. Statue in cordis tui ianua seueros ianitores & vigiles. Tene insuperabilem atque immobilem mẽtem in corpore huc illúcque distracto. Exerce in membris agilibus ac mobilibus intellectualem quietem. Atque id quod miracula excedit omnia; esto in medio tumultuum impauidus animo. Restringe insanam linguam, ne ad contradicendum facile desiliat. Pugna aduersus hanc rabidam dominam dies septuagies septies. Affige in animæ ligno (quam crucem dicimus) incudem videlicet mentem, vt per alternos malleorum ictus, & crepitus percussa ludibriis, & maledictis, irrisionibúsq; lacessita, iniuriis affecta, infracta & in nullo læsa seu dissoluta perseuerãs, tota lenis & plana immobilisque persistat. Exue te voluntatibus tuis, vt confusionis amictu, atque his nudus: stadium pietatis ingredere. Indue quod rarum & difficile inueniri potest ad certaminis magistrum immobilem vel immobilem fidei loricam, quam nulla iam infidelitas dissoluere & violare possit. Contine fræno pudicitiæ tactũ impudenter prosilientẽ. Reprime perpetua meditatione mortis, oculũ, ne horis singulis magnitudines ac pulchritudines corporum curiosius intueri velit. Refræna iugi tui ipsius cura curiosum animum, qui dum sui negligens est, fratrẽ semper condemnare vult, omnémque dilectionem & misericordiæ affectum ad proximum syncere semper ostẽde. In hoc enim amantissime pater vere cognoscent homines quod Christi discipuli simus, si in vnum congregati *dilectionem habuerimus ad inuicem.* Irrisiones horis singulis vt aquam viuam bibe. Huc huc rursus aiebat amicus optimus, accede hic nobiscum vnà morare. Nam cũcta quæ sub cœlo sunt perscrutatus, iucũda & læta sanctus Dauid, nouissimè omniũ hęsitans vel exultans aiebat. *Ecce nũc quid bonũ aut iucundum?* Nihil sanè aliud, *quàm habitare fratres in vnum.* Quod si nondũ huiusmodi patientiæ & obediẽtiæ tam præclaro bono digni simus, reliquũ est vt infirmitatem agnoscẽtes nostrã, procul à certaminis stadio in solitudine stemus, atq; huiusmodi athletas beatos cõfiteamur eisque patientiã imprecemur. Victus sum fateor verbis optimi patris ac præstantissimi magistri, qui mihi Euãgelica, & Prophetica authoritate, ac lõgè amplius syncerissimi amoris iure repugnauerat. Ex quo factũ est vt sãctæ obediẽtiæ absq; vlla cõtrouersia iã palmã non inuitus darẽ. Vnã adhuc perutilẽ illorũ beatorũ virtutẽ memorabo, ac veluti ex paradiso exiẽs ad ineptam rursus

S. Mennæ virtutes.

Benedictio abbatis.

Vita nobis heremi ca nulla.

Ephes. 4.

Ioan. 13.

Psal. 132.

rursus & inutilem ac spinosam orationem nostram remeabo. Ad orationē plerunque stantibus nobis, animaduertit Pater Sanctus quosdā inuicem colloquentes, quos ante fores Ecclesiæ statuens iussit, vt per septē dies cunctis intrantibus & exeūtibus prosternerētur siue clerici siue Presbyteri fuissent. Cōsiderans ego quendam ex fratribus ad psallendum attentius altantē, atque in principio maximè hymnorum veluti ad quosdam nutibus suis & facie loquentem, rogabam vt mihi quid sibi mos ille & nutus ille vellet, aperiret: Qui prodesse mihi cupiēs nihilque abscondere decernens, ego (inquit) pater Ioānes cogitationes meas & mentem atque animū colligere à principio collectæ consueui, & coram conuocatis eis acclamare, venite adoremus & procidamus Christo regi ac Deo nostro. Eum vero qui parandæ fratribus refectioni præerat, cū curiosius inquirerem, hoc facere animaduerti. Ad cuius latus cum appensum cingulo breuem libellum conspicerem, didici eum quotidie cogitationes suas in eo notare, háque omnes nuntiare pastori solitum. Non solum autem illum sed & alios quamplures id facere ibidem prospexi. Erat enim vt comperi, patris sancti mandatum. Expulsus est aliquando à Patre vnus ex Fratribus, qui apud illum proximū suū, vt nugis & loquacitati deditum criminatus fuerat. Qui ad monasterij ianuam septem dies perseuerans orabat vt ingressu, simul & venia potiri mereretur. Quod cum didicisset studiosus animarum custos, nihilque omnino sex illis diebus illū comedisse explorasset, hoc illi denuntiat, vt si habitare omnino in monasterio vellet, statuendum se sciret in pœnitentiū ordine. Cum igitur hoc libenter amplecteretur pœnitens, iubet eum pastor ad separatū, peccata lugētibus monasteriū deduci, quod & factum est. Quoniam vero se occasio, vt dicti monasterij mentionem faceremus, pauca de illo necessario dicenda sunt. Locus erat vno tantum lapide à magno monasterio distās, carcer, appellatus, omni mortali consolatione destitutus. Nō illic vnquam fumi vapor apparebat, non vinum, non oleū, ad cibum non aliud quicquam præter panem & minutata olera. In hoc si qui post supernam vocationem deliquissent, ita eos claudebat pater, vt procedere inde nusquam valerent. Non quidem omnes simul, sed seorsum singulos, aut certè multū, duos simul ibíque tādiu morabantur, quo ad eū Dominus de singulorū remissione certiorem faceret. Constituerat autē illis, qui præesset loco, magnum & singularē quendā virum Isaach nomine qui perpetuam ferè orationē ab his qui sibi seruandi tradebantur exigebat. Erant illis etiam ad accidiam vitandā plurima palmarum folia. Hæc vita, hic status, hoc propositum est faciē Dei Iacob reuera inquirentium. Est quidem præclarum labores sanctorū admirari, imitari vero instituta salutem præstat. Porro illorū conuersationē velle quempiam repente totam imitari, irrationabile est simul & impossibile. Quotiens reprehensi mordemur atque angimur, tāgat nos memoria nostrorum delictorum, donec violentiam nostrā, quā vult à nobis perpeti, intuens Dominus, & peccata nostra & angētem cor nostrum dolorem vna deleat & in gaudium conuertat. *Secundum enim multitudinē dolorum meorum in corde meo, inquit: consolationes tuæ læti-*

Cogitationes suas annotare, & cōfiteri.

Locus pœnitentium.

Carcer monasterij.

ficauerunt animam meam. Tēpore idoneo nō obliuiscamur eius qui dicit ad Dominum: *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & conuersus viuificasti me, & de abyssis terræ cùm corruissem iterum reduxisti me.* Beatus qui propter Deum quotidie maledictis & conuitiis lacessitus sibi vim fecerit. Hic enim cum martyribus tripudiabit, & Angelis parem confidentiam & gloriam merebitur. Beatus monachus qui seipsum omni ignominia omníque abiectione dignum horis singulis existimat. Beatus qui voluntatem suam ad finem vsque mortificauit, suíque ipsius curam omnem atque diligentiā spirituali magistro permisit. Nam ad crucifixi dexteram constituetur. Si quis increpationem siue iustam siue iniustam ab seipso abiicit hic salutem suam abnegauit. Qui vero hanc siue cum labore, siue sine labore suscipit cito suorū delictorum venia & remissione potietur. Deo eam quam ad patrem tuum habes fidem syncerámque charitatem in intimis ostende. Et ille hunc occultè certiorem faciet tui in illum affectus integerrimæq; dilectionis, vt tibi posthac vberiori benuolentia & familiaritate iungatur. Is qui serpentem omnem semper prodere paratus est, certissimè de se fidei argumentum dedit, qui vero illum in sui cordis latebris occultat, adhuc vagus errat. Si quis amorem suum ac propriam dilectionem quam ad fratres habet explorare cupit, tunc inde certior fit, cum se in fratris delictis lugere intentius prospexerit, rursusq; in illius profectibus & gratiis lætari. Is qui dum loquitur verbum suum quamuis illud sit verum firmare voluerit, sciat se Diaboli morbo ægrotare. Quod si cum suis æqualibus colloquendo id facit, fortasse, aliquando maiorū increpatione curabitur. Sin vero in maiorū & sapientiorum sermone cōtra sentiētium pertinax in sua opinione perseuerat, humana arte nunquā sanari poterit. Qui in verbo humilis non est, nūquam profecto erit in opere. *Nam qui in modico infidelis est in magno quoque infidelis erit,* neque cuiusquam cedet authoritati, frustráque laborabit, neque sancta obedientia quicquam sibi præter iudicium reportabit. Siquis conscientiam suam mundissimam in Patris spiritalis subiectione seruauit, hic iā mortem vt somnum, immo vero vt vitam quotidie intrepidus expectat, certissimè sciens obitus tempore sui ipsius non à se sed à patre rationē esse requirendam. Si quis in Domino nulla vi impulsus à Patre ministrationem suscipit, atque in ea præter spem & expectationem suā lapsus in aliquo fuerit, nō ei qui dedit arma, sed sibi qui suscepit ruinæ causam imputet. Suscepit enim arma ad pugnādum contra inimicum: conuertit autem ea in cor. Quod si coactus id fecit, infirmitatémq; suam iniūgenti ministeriū prædixit, bono animo sit, nam & si ceciderit non morietur. Nescio quomodo, me penè fugerat, ô amantissimi & hunc vobis apponere suauissimū virtutis panem. Vidi enim illic obedientes in Domino qui seipsos iniuriis & cōtumeliis atque ignominiis quotidie afficerent, vt cū illi sibi ab aliis irrogarētur hoc exercitio parati inuenirētur tāquā assueti, nō angi ignominiis. Anima quæ semper confessionē delictorū meditatur, hoc veluti freno à peccatis coercetur. Nā quæ confiteri detractamus, ea veluti in tenebris sine vllo metu perpetrari cōsue uimus. Quotiens absente patre eius nobis faciē sin-

Psal. 93. Psal. 70.

Patiens conuitiorum.

Beatus Monachus quis sit.

Veræ charitatis indicia.

Luc. 16.

Rixæ & contumeliæ.

Confessio.

gimus,ipſumq; nobis aſtare putamus,congreſſúmque omnem aut ſermonẽ aut cibum aut ſomnum, aut aliud quodlibet eiuſmodi quod ſibi ingratũ fore putamus, fugimus & auerſamur, tunc reuera obedientiam liberam & minime adulteram nos arripuiſſe ſciamus. Nam pueri ſegnes & ignaui ex magiſtri abſentia lætantur, quã ardẽtes & induſtrij sũmum detrimentũ ſibi arbitrantur. Interrogaui quẽdam ex illis probatiſſimis patribus, quomodo obedientiæ virtus humilitatẽ poſſidet. Qui ait etiam ſi mortuos ſuſcitet gratus obediens, & ſi lachrymarũ poſſideat donum,etiam ſi à bellorũ fremitu permaneat liber,omnia penitus ſpiritualis patris precibus conſecutũ ſe arbitrabitur, atque ita ab inani tumore permanebit liber. Quando enim in illa re efferri, atq; gloriari poterit,quam non ſuo ſtudio vel merito,ſed ſolo patris adiutorio ſe egiſſe conſtanter tenet. Nõ nouit ſolitarius huiuſmodi virtutis munus. Quippe plus in illo iuris habet inanis tumor, cũ ſibi ſuggerit proprio illum labore ac ſtudio virtutes parturiſſe. Cum is qui ſubiectus eſt duos euaſerit laqueos,manebit deinceps ſeruus Chriſti perpetuus obediens. Contendit dæmon obedientiæ deditos,
Sordidi humores.
hunc quidẽ ſordidis inquinare humoribus, hos ve-
Tentationes variæ.
ro duros corde, & præter morem ſolitũ turbulẽtos aridósq; & fructuoſos gulæ deditos, adque orationem pigros ſomnolentósque & tenebris plenos efficere, vt eos ita affectos veluti qui ex obedientiæ virtute nil proficiant, immo vero etiam retroeant ab inſtituto certamine retrahat. Neque enim eis in mentem venire permittit,quod dum iſta quæ vidẽtur optima nobis ſingulari Dei diſpenſatione ſubtrahuntur,materia nobis profundiſsimæ humilitatis datur. Repulſus eſt ſæpenumero quorundã tolerantia huiuſmodi deceptionis auctor, cum poſt paululum adhuc iſto loquente, alius Angelus poſt modicum aſtans altero nos modo ſeducere nititur. Vidi populos obedientię deditos facile compungi, placidos eſſe,continentes,ſtudioſos,feruẽtes, quos Patris præſidiũ bello ſeruauerat immunes. Quibus
Seducti ſpe vitæ ſanctioris.
aſtantes dæmones eos iã eſſe idoneos qui ad ſolitudinẽ properarent ſuggeſſerunt, veluti per eã poſsẽt ad faſtigiũ ſummæ ac planiſsimæ quietis euadere, his illi perſuaſi ac ſeducti atque è portus fida ſtatione ad pelagi profunda tranſeuntes, tempeſtate ingruẽte ſolatio gubernatorũ deſtituti,ſordido falsóque mari miſerabiliter abſorpti ſunt. Neceſſe eſt enim cõuerti mare & turbari atq; efferari vt tũc materiam omnem quam perturbatio & vitiorũ flumina in ipſum deduxerunt, omnémq; putredinem & herbam per eadem rurſus in terrã deiiciat. Inueniemus ſi diligẽtius inſpiciamus, poſt feros fluctus maris maximam tranquillitatẽ ſequi ſolere. Qui patri ſpiritali, nunc quidem obedit, nunc vero inobediẽs eſt, is ei cõparãdus eſt qui oculis ſuis modo colliriũ modo calcem imponit. Vnus eũ, inquit,ſi ædificet & alius deſtruat,quid niſi labores acquiſierũt. Noli
Eccl.34.
ô fili atq; Domino obediẽs ſpiritu elationis decipi, neque peccata tua veluti ex perſona alterius magiſtro denuncies. Neq; enim licet abſque verecũdiæ rubore æterna confuſione liberari. Aperi, denuda, detege medico vulnus tuum. Dic,age,noli confundi. Meum vulnus eſt pater, mea plaga, cuius mihi
Confeſſio peccati.
cauſa fuit non alterius ſed mea negligentia. Nemo huius autor extitit,non homo,non ſpiritus,nõ corpus,non aliud quicquam,niſi deſidia mea. Eſto dũ confiteris habitu,ſpe,cogitatione,vt condemnatus reus dimiſſis in terram luminibus, atque ſi fieri poteſt magiſtri aut medici pedes: vt Chriſti pedes lachrymis riga. Solent nonnunquam dæmones nos vt aut non confiteamur hortati,aut certè vt hoc veluti ex alterius perſona faciamus,ſiue vt alios quoſdã peccati noſtri inſimulemus auctores. Sicut certum eſt,conſuetudo plurimum valet, & cuncta ex ea pendent,eámque ſequuntur,omnino longe amplius ea valebit in bonis, cum potẽtiſſimum habeat adiutorem Deum. Noli ô fili annis plurimis laborãs laſſeſcere,donec in te ipſo beatiſſimam inuenias requiem. Quod ſi te ipſum in initio toto animo ignominiis expoſuiſti, ne indignũ putes adiutori ac magiſtro tuo tãquam Deo vultu animóq; dimiſſo culpas tuas confiteri. Vidi enim reos quoſque miſerabili omnino habitu,vehementioriq; confeſſionis & ſupplicationis vi duritiam ac ſeueritatẽ emolliſſe iudicis, illiúsque iracundiam in miſericordiam cõuertiſſe. Quocirca Ioannes quoque domini præcurſor antequam baptiſmi lauachra donaret,ab accedẽtibus confeſſionis humilitatẽ requirebat. Non quidem vllo eorum ipſe indigens: ſed eorum ſaluti modis omnibus conſulẽs. Nec metu vllo, aut magna admiratione teneamur, ſi etiam poſt confeſſionem oppugnamur,præſtat enim cum inquinatione carnis quam cùm elatione mentis habere conflictũ. Noli citius accurrere neque eleueris facilè, cum enarrari audis ſolitariorũ atque anachoritarum patrum vitas, tu enim protomartyris militia incedis. Neq; ſi cadere in conflictu contingat,fraterna exacie excedendum eſt. Nam tunc maxime indigemus medico,cum vulnera ſuſceperimus. Is enim qui adiutorio ſubnixus pedem in lapidem offendit, ſi adiutorio deſtitutus eſſet, non offenderet ſolum ſed omnino moreretur. Quoties lapſis lapſi cecideri-
Matth.
Luxuria eſt elatione tetrior.
mus,ocius dæmones atque acrius inſtant, ac veluti rationabilem, imo vero irrationabilẽ occaſionem nacti,tunc iam nobis quietẽ ſolitudinis ſuggerunt, ea intẽtione vt ruinæ noſtræ ruinã etiam adiiciant. Cum ſe medicus de virium ſuarum impotentia excuſat,tunc ad aliũ neceſſario eundum eſt. Nam ſine medici peritia pauci curantur, Quis ille erit qui aduerſetur ita diffinientibus nobis eam nauem, quam gubernator optimus ac peritiſsimus regit,ſi naufragium incidat omnino perituram ſi gubernatore deſtituta eſſet: Ex obedientia humilitas,ex humilitate vero placida animi tranquillitas naſcitur. Quippe in humilitate noſtra memor fuit noſtri Dominus;
Pſal.135.
& redemit nos de inimicis noſtris. Nihil igitur dicere prohibet ex obedientia tranquillitatem naſci, per quam finis humilitatis acquiritur. Hæc enim illam inchoat ſicut Moyſes legem, perficit autem filia matrem: ſicut Maria ſynagogam. Supplicio re vera omni digni apud Deũ ſunt illi ægroti, qui medici peritiam vtiliter experti antequã perfectæ reddantur ſanitati,hunc deſerunt alterúmque illi præferunt. Noli eius manus fugere,qui te obtulit Domino. Neque enim alium ita vt illum in via tua reuereberis. Nequaquã tutum eſt imperito & gregario militi ad gladiatoriũ certamen deſcendere: Ita ne monacho quidem tutum eſt, animæ ignaro,rudi adhuc

adhuc perturbationum, neque in his antea exercitato ad ſolitudinem contendere: Ille enim in corpore, hic verò in anima periclitabitur. Boni enim (inquit ſcriptura) ſunt duo ſuper vnũ. Hoc eſt, bonũ eſt filio vna cum patris adiutorio per operationem ſancti Spiritus aduerſus anticipationes ſiue vicioſam conſuetudinem pugnare. Qui cæcum duce paſtore, gregẽ viæ ignarum ductore, infantẽ patre ſuo, ægrotum medico, gubernatore nauẽ deſtituit, fraudat, vtriſque periculum parat. Qui vero ſine Patris auxilio contra Spiritus nequam pugnare nititur, ab illis occiditur. Hic quidẽ qui ad medicorum tabernas in initio aduenium dolores ſuos, qui vero ad ſubiectionem accedunt, eam quæ in ſe eſt humilitatem notent. Nam illis quidem dolorũ leuigatio, iſtis vero ſuæ reprehẽſionis adiectio certiſſimum ſignum ſanitatis eſt. Sit tibi conſcientia ſubiectionis ſpeculum & ſatis eſt. Hi quidem qui in ſolitudine patri ſubiecti ſunt, dæmones tantum aduerſarios habent, qui vero in cõgregatione ſunt, dæmonibus atque vna hominibus colluctãtur. Et priores illi quidem ex iugi conſpectu præceptoris diligẽtius illius mandata cuſtodiunt, ſequentes vero nonnunquam per illius abſentiam ea paululum tranſgrediũtur. Verum ſi ſtudioſi laborúmque patientes, fuerint per offenſionum tolerantiam illum copioſiſſimè ſupplent, coronáſque duplices referũt. Omni cuſtodia ſeruemus noſmetipſos. Portus enim manibus repletus eas facilè cõterere ac demoliri ſolet atque maximè illas quæ ab iracũdia veluti à verme aliquo latenter perforatæ fuerint.

Dum ſub magiſtri manu ſumus, ſilentio ſupremo ignorantiam ſemper prætendentes nos ipſos aſſuefaciamus. Vir enim tacitus philoſophiæ filius: plurimam ſemper ſcientiam poſſidet. Vidi eum qui ſubditus erat verbum ex ore magiſtri rapuiſſe, déque eius ſubiectione deſperaui animaduertẽs illum ex eo ſuperbiam potius quam humilitatem acquiſiſſe. Omni vigilantia proſpiciamus, omni diligentia obſeruemus omnique cuſtodia prouideamus, quando aut quomodo miniſterium orationi præferendum ſit. Neque enim ſanè id ſemper faciẽdum eſt. Attende tibi ipſi quando in conſpectu fratrum tuorum aſtas, vt non velis eis iuſtior videri in vllo penitus. Duo enim mala facis dum & illos ex hoc tuo falſo ac ficto ſtudio cõturbas & tibi ex omni loco arrogantiã & ſuperbiam conquiris. Eſto animo ſtudioſus ac ſolicitus, neque id penitus corpore fingens, non habitu, non ſermone, non ſigno, iſtúdque ſi proximum tuum ſpernere ac minimum vel minimi exiſtimare quieuiſti. Quod ſi hactenus ad id pronus exiſtis, eſto fratribus tuis per omnia ſimilis neque per elationem diſſimilis. Vidi plerũque improbum diſcipulum cum de magiſtri virtutibus coram hominibus quibuſdam gloriantem, qui tamen dum ſibi ex aliena fruge gloriam venaretur, acquiſiſſe, ignominiam potius retulit, cunctis ad illum conuerſis ac dicentibus. Et quomodo arbor bona ramum infructuoſum tulit? Non tunc nos patientiæ deditos, aut virtuti exiſtimemus cum patris obiurgationem fortiter tulerimus, ſed cum à cunctis hominibus contempti ac verberibus etiam affecti conſtanter tolerauimus, Patrem enim idcirco toleramus, quia reuere-

Solitudo periculoſa Eccl. 4

Qui ſint in periculo.

Hypocriſis malum.

Iracundia vermis.

Matth. 7.

A mur, illicq; pro impenſa nobis cura debitores ſumus. Bibe ſumma alacritate obiurgationes atque irriſiones, à quouis homine tibi propinatas non aliter, quã a quam vitæ. Potare enim te quærit ſalubri potione & per quã omnis animi laſciuia & luxuria purgetur. Nã huiuſmodi reuera hauſtu orietur intima & profunda caſtitas in anima tua, luxq; Dei candidiſſima ex corde tuo nõ deficiet. Nemo cum ſub ſeipſo viderit fratrũ cœtũ requieſcere, in mente ſua incautus glorietur. Fures enim iuxta ſunt. Recolens recole, quid Dominus dixerit, Cum omnia feceritis quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus quod debuimus facere fecimus. Porro

B qua iudicij ſublimitate labores noſtros Deus examinet, in exit' noſtri tẽpore ſciemus. Cœnobiũ eſt terreſtre cœlũ. Idcirco quaſi angeli miniſtrãtes domino affici in corde ſtudeamus. Nõnũquã hi qui in eiuſmodi cœlo ſunt corde fere lapidei fiũt. Nonnũquã vero per compunctionẽ molliuntur, vt per huiuſmodi duritiam elationẽ fugiãt & per lachrymas labores conſolẽtur. Modicus ignis plurimum ceræ molliuit. Modicúmq; contingẽtis ignominiæ omnẽ ſæpe cordis feritatẽ, omnem duritiã, omnemq; cæcitatẽ repente molliuit, obdulcauit, deleuit, niſi aliquãdo duos latenter obſidere, certantiũq; gemitus, ac labores obſeruãdo auſcultare: ſed alter imi-

C tandi ſtudio id faciebat, alter vt cum tempeſtiuum cerneret, iſta cum exprobatione publicaret ac Dei famulũ à ſacra iſta exercitatione retraheret. Noli præter rationem ſilere, ne ex tui ſilentij improbitate aliis turbationis & amaritudinis author fias. Neque morib' tardus inceſſúque celer ſis, alioquin turbulẽtis & inſanis deterior eris. Vidi, vt ait Iob huiuſmodi nonnũquam morum tarditate, interdũ vero etiam ex dexteritate animas parere & perire malitiæq; varietatem admiratus ſum. Qui in frattũ medio conſiſtit non tam ex Pſalmorum modulatione quam ex oratione lucrari poterit. Nam ſæpe ex alterius vocibus & modulationibus ne virtutem intellectúmque Pſalmis conſequi poſſimus, impe-

D dimur. Certa tota animi intentione, mentémque ſemper inquietã ac vagã infatigabiliter cõtine, teipſum ad teipſũ colligẽs. Neque enim ab his qui obedientiæ legibus viuũt orationẽ ſine vllo cogitationũ ſtrepitu quietã requirit De'. Noli triſtari aut mœrore vllo affici ſi dũ oras ſubtiliſſimè inimicus irreperit, animique intentionẽ clã vt fur auertit, ſed bono animo eſto dum ſemper lùbricã reuocas mẽtẽ. Angelis enim ſolis datum eſt huiuſmodi nõ patere furibus. Qui ſibi ipſi latẽter perſuaſit nũquam ſibi ab huiuſmodi conflictu recedendum vſque ad extremũ ſpiritũ, imo ſi mille mortes vt ita dixerim, animæ & corporis immineant nihil huiuſmodi fa-

E cilè incurret. Nã cordis hæſitatio & infidelitas, locorúmq; mutatio offendicula ſemper atq; calamitates parare cõſueuerũt. Qui enim proni ac faciles ad migrationẽ mutationémq; locorũ ſunt, improbi omnino iudicantur. Nihil ita boni operis fructus cõſueuit obtũdere, vt locorũ crebra mutatio. Si ignotũ tibi hactenus medicum ſiue medicinæ offenderis tabernam, eſto vt præteriens viator, cunctorúmque illic degentium clam experimẽtum ſume. At ſi ex opificibus & miniſtris quidquam auxilij & emolumenti in tuis ægritudinibus te accepiſſe per-

Bibere irriſiones.

Luc. 17.

Cœnobiũ.

Non ſilendum nimium.

Modulatio intellectum impedit.

Loci mutatio.

senseris, maximè vero in tumore animæ, quem euacuare quæris tunc iam securus accede, téque ipsum vende illic humilitatis auro, sub obedientiæ chirographo & administrationis literis, testibúsq; angelicis horum in conspectu disrumpe atque conscinde propriæ volũtatis chartam. Nam si huc illúcque circumeas, fœdus iam & precium quo te Christus emerat, violas. Admoneat te iugiter sepulchri memoria. Nemo è monumento progreditur ante cõmunem resurrectionẽ omnium. Sin vero exierint aliqui, considera quia & mortui sunt. Quod nos vti ne patiamur, Dominum intẽti oremus. Cum senserint fragiliores quique ac segniores grauia sibi imperari, tunc orationes præferre contendunt, cum verò leuiora, tunc ab hac velut ab igne diffugiunt. Sunt nonnulli qui postquam administrationis officium susceperint, pro consultatione & quiete fratris requisiti, illo se abdicant atque id ei concedũt. Sunt item qui ex pigritia id faciũt. Sunt qui ex inani gloria facere id volunt. Et sunt qui ex alacritate animi. Si te rapuit quodlibet genus viuendi, vidéque in eo, animæ oculum absque profectu persistere, disiungi ab instituto quàm celerius satage. Verum is qui probatus est æquè in omnibus probatus est sicut etiam econtra. Maledicta in seculo atque iniuriæ multa sæpe difficilia fecerunt. Ita & in religiosis congregationibus gulæ illecebra, ruinã omnem & negligentiam atque contemptum operantur. Hanc tu rabidam dominam si subigere volueris, omni in loco placidissimam quietem acquirere valebis. Illa vero si tibi dominetur, extra monumẽtum omni in loco periclitaberis. Dominus quidem illuminat cœcos obedientium oculos ad contuendas magistri virtutes. Idémque eos excęcat ne defectus videant, econtra vero bonis omnibus infestus dæmon facere conatur. Sit nobis ô fili forma optimæ subiectionis argentum: quod viuum dicitur quod quamlibet in omnia voluatur, manet tamen omni sordium commixtione liberum. Qui soliciti ac studiosi sunt seipsos cautissimè attendant ne dũ negligentiores quosque iudicant, seuerius quam illi condemnentur. Idcirco enim vt reor, iustificatus est Loth, qui cum in flagitiorũ medio versaretur nunquam illos penitus iudicasse deprehensus est, semper quidem conseruãdus est quietus animus atque ab omni perturbatione liber, sed attentius tamen cum Domino psallimus. Student enim maximè dæmones, perturbationibus orationem nostrã impedire atque demoliri. Is reuera minister idoneus censetur, qui cum hominibus corpore assistat, mente tamen per orationem cælos pulsat. Iniuriæ quidem atque contumeliæ, obiectionésque & huiusmodi cætera in obedientis anima absinthij amaritudini similia sunt, laudes vero, honores gloriosíque rumusculi in his talia studiosè aucupantur in morem mellis suauitatem maximam gignũt. Inspiciamus ergo diligentius naturam vtrarumque rerũ. Absinthium quippe omnem intestinorum fecem purgare certum est. Mel vero bilem augere solet. Securè eis credamus in Domino qui curam nostri susceperunt, etiamsi quædam imperent quæ contraria ac saluti nostræ videãtur aduersantia. Tunc enim fideles ad illos nostra veluti in fornace humilitatis comprobatur. Hoc enim est veriſſimæ fidei indicium, si contraria quàm sperabamus aspicientes præcipientibus absque vlla hæsitatione obtemperemus. Ex obedientia vt diximus humilitas nascitur, ex humilitate discretio, vt à magno quoque Cassiano in eo sermone quem de discretione conscripsit, venustissimè atque altissimè disputatũ est. Ex discretione vero animo clarissimum lumen infunditur, ex quo etiam præuisio nascitur. Quis igitur ad hoc tam præclarum iter obedientiæ non læto animo accurrat, cum ante se tantam bonorum copiam videat? De hac singulari virtute cantor ille optimus aiebat. Parasti in dulcedine tua pauperi obedienti Deus, præsentiam tuam in corde ipsius. Nunquam excidat tibi in tota vitatua, Maximus ille athleta qui totis decem & octo annis auribus exterioribus nunquam à magistro audiuit: Salueris, interioribus vero quotidie audiebat à Domino, nõ quidem salueris, quod optatiuum est ac pro incerto ponitur, sed saluus factus es: quod firmum simul ac diffinitum est. Plerique ex obedientium grege cum facilitatem patris animaduertunt, sensim dũ nesciunt ad suas voluntates eorum nutus inclinãt. Sciant autem huiusmodi se cõfessionis corona omnino excidisse. Obedientia est simulationis propriíque desiderij omnimoda renunciatio. Sunt qui susceptο imperio cum imperantis intentionem in hoc parum gratum animaduerterent, id repudiarunt. Sunt item qui cum idem persentirent, tamen instanter ac sine vlla hæsitatione obtemperauerũt. Quærendum quinam ex his religiosius fecerunt, possibile non est vt Diabolus suæ ipsius resistat voluntati, idq; tibi persuadent qui in negligentia viuunt, & in vna solitaria cellula siue in cœnobio perseuerant. Cum vt loco excedamus oppugnamur, fit ea pugna nostræ illic virtutis indicium. Nam si oppugnamur, quis pugnare nos ambigat. Non ero occultator iniquus, nec fraudator inhumanus, vt ea apud vos fileam quæ silere omnino nephas est. Ioannes Opanij Osabaitis vir mihi charissimus res mihi retulit auditu mirabiles, & memoratu dignissimas. Quod autem is vir perturbationibus & passionibus sit liber atque à mendacio procul, verbóque & opere mundus, cum eius experimentum cœperim, noui pater optime. Hic itaque mihi ista narrauit: Erat, inquit, in monasterio meo quod est in Asia (inde enim iustus ille aduenerat) senex quidã negligentissimus ac parum moderatus quod nõ iudicandi causa, sed veritati studens dico. Huic erat discipulus minor Achatius nomine, quem nescio quo pacto sibi acquisierat, simplex quidem animo ac voluntate, sed sensu ac cogitatione prudentissimus. Qui tanta ab huiusmodi sene passus est, quanta si referre voluero plurimis forte videbuntur incredibilia. Non enim iniuriis solum atque contumeliis & ignominiis, verumetiam verberibus cũ quotidie afficiebat. Erat autem hæc illius tolerantia non sane irrationabilis. Ego igitur cum illum quotidie vt emptitium seruum suprema in ærumna degere aspicerem, obuians illi sæpissime dicebam: Quid est frater Achati? Quomodo tibi est hodie? Ille vero continuo nunc quidem liuentem tumidúmque oculum, aliquando vero faciem fractam & ceruicem, sæpe ictum caput ostendebat. Ego itaque sciens eum patientiæ operarium, aiebam illi:

Bone

Memoria sepulchri.

Perturbationes cauendæ.

Dauid cantor. Psal. 5.

Senex crudelis.

Bone ſuſtine viriliter & proderit tibi. Cum igitur egiſſet annos nouem ſub immiti & acerbo ſene, migrauit ad Dominum, ſepultúſque eſt in patrum cimiterio. Poſt quinque autem dies abiit ad magnũ quendam illic ſenem Achatij magiſter, dixítque illi: Pater Achatius mortuus eſt. Quod cum audiſſet ſenior, reſpondit: Verè ſenex nõ id mihi perſuades. Qui ait: Veni, & vide. Continuo ſurrexit ſenex, venitque cum beati pugilis magiſtro ad cimiterium. Clamauit tãquam viueret ad eum, qui verè in beata requie viuebat. Dicens frater ACHATI: Putas ne mortuus es? Tum vero gratus ille obediens, etiã poſt mortem obedientiam oſtendens magno illi ita de ſepulchro reſpõdit: Et fieri quomodo poteſt pater, vt moriatur homo obedientiæ deditus? Tunc ſenex ille, qui pridie illius magiſter appellatus fuerat, tertius in faciem cum lachrymis cecidit, atque à monaſterij abbate petiit, vt ſibi iuxta tumulum eius cellulam cõſtruere liceret. Illícque iam ſobriè vixit, dicens patribus ſemper: Homicidium feci. Mihi quidem Pater Ioannes videtur hunc ſenem, qui cum mortuo locutus ſit, eſſe magnum Ioannẽ. Aliud enim quoddam veluti de alio mihi enarrauit beata eius anima: fuit autem ipſe, vt poſtea certior factus ſum, cum id exploraſſem diligentius. Alius (quidam aiebat) in eodem Aſiæ monaſterio cuidam monacho miti atque manſueto in diſcipulum eſt datus. Hic cum videret ſe à ſene quaſi honorari, ac præſtari ſibi requiẽ, quod plurimis periculoſum eſſe ſolet, bene & prudenter excogitat. Obſecrat ſenem, vt illum ab ſe dimittat. Quod idcirco non valde moleſtum fore videbatur, quia habebat ſenior alium diſcipulum. Profectus igitur ab illo eſt, literíſque commẽdaticiis magiſtri, ſiſtitur in quodam Ponti cœnobio. Prima autem nocte, qua cœnobium ingreſſus eſt, vidit quoſdam per ſomniũ ab ſe rationem exigere. Tandem poſt terribile id, horrendúmque examen, debere ſe reperit centum auri libras. Experrectus itaque, viſúmque diiudicans, ait: Humilis Antioche (hoc enim erat ipſi nomen) verè graui ære oppreſſi ſumus alieno, pluriméque perſoluenda reſtant. Sic igitur in cœnobio, inquit, permanſi annos tres, obediens omnibus, nihílque diſcernens cum me omnes ſpernerent, atque vt peregrinum iniuriis afficerent. Neque enim erat ibi præter me peregrinus alius monachus. Poſt triennium vero rurſus in ſomnis aſpicio quendam, qui decem debiti mei libras obolitas oſtendit. Expergefactus itaque intellexi viſionem, & dixi: Decem ſolummodo libras perſolui, & quando impleturus ſum reliquum debitum? Tunc ad meipſum dixi: Humilis Antioche, ampliore labore & ignominia opus habes. Ex tunc itaque me amẽtem & fatuum ſimulare cœpi, nihil tamen miniſterij mei penitus omittens. Quocirca in tali me ordine atque alacritate cernentes, immites patres cuncta mihi monaſterij grauia opera iniungebant. Cum vero in hoc inſtituto vitæ xiij. annis perduraſſem, vidi eos qui mihi antea apparuerunt rurſus ad me venire, totiúſque debiti ſolutionem impletam ex integro oſtendere. Cum igitur in aliquo me vexabant, monaſterij monachi debiti mei, ſtatim reminiſcebar atque ita fortiter ferebam. Iſta mihi ſapientiſſimus Ioãnes, veluti ex alterius perſona enarrauit,

Obediens non moritur.

Homicida religionis ſpecie.

Amentia ſimulata.

ideòque ſe eſſe Antiochũ cognominauit. Hic autẽ fuit reuera qui chirographum ſuum per patientiam fortiter conſcidit. Qualem vero diſcretionis gratiã ſanctus iſte pro ſuprema obediẽtiæ virtute adeptus ſit, referre libet. Cum aliquando ſederet in monaſterio ſancti Sabbe, acceſſerunt ad eum tres adoleſcentes diſcipuli illius fieri volentes. Quos continuo hoſpitio lætiſſimè ſuſcepit, omnibúsque humanitatis officiis proſequutus eſt, volens illos ex itineris labore recreari. Poſt diem ergo tertium dicit eis ſenex. Ignoſcite mihi fratres, quia homo malignus ſum, nec poſſum ex vobis quempiam ſuſcipere. Illi vere nihilominus ſcandalizati non ſunt, ſciebant enim ſenis opera. Sed cum maximis precibus vt ſe ſuſciperet obtinere non poſſent, proſtrati iam ante pedes eius obſecrabãt vt vel viuendi normãm eis traderet, quo in loco & quomodo habitare debuiſſent. Ceſſit ſenior ſciens quod cum humilitate ad obtemperandum parati id peterent. Aitq; vni: vult Dominus te ô fili in ſolitariis locis cũ patre ſubiectione perſiſtere. Secũdo autem dixit: Abi, vende voluntates tuas & Domino da, & tollẽs crucem tuam perſiſte in conuentu & cœnobio fratrũ, & omnino Theſaurum habebis in cœlo. Deinde, dicit & tertio, Aſſume in animo tuo inſeparabiliter, & tota intentione verbum illud: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. In intimis viſceribus reconde, abiénſque ſi fieri poteſt, eum exercitationis tuæ in Domino ducem ac magiſtrum quære: quo in omnium mortalium natura ſit aſperior aut grauior, ſub quo perſeuerans iugiter obiurgationes & irriſiones quotidie, vt mel & lac bibe. Ad quem frater illi inquit: Si huiuſmodi negligẽs fuerit, quid facio pater? Et ſi fornicari, inquit, illum videris, noli diſcedere, ſed ad teipſum cõuerſus dic: Amice ad quid veniſti? Tunc aſpicies tumorem tuæ mentis diſſipari, excandeſcentiámque miteſcere. Contendamus toris viribus omnes qui Dominum metuimus, ne in virtutis gymnaſio nequitiam nobiſipſis acquiramus, malitiámque & acerbitatẽ & aſtutiam, per quæ curſus impeditur noſter. Solet enim id contingere, nec mirum. Quàndiu enim homo aut priuatus, aut nauta, aut agricola fuerit, non vſque adeo aduerſus inimici regis armantur. At cum illum à rege ſigillũ accepiſſe viderint, ſcutúmque & gladium & arcum & frameam, veſtéque indutum militari, tunc maximè aduerſus eum infrendunt dentibus ac modis omnibus necare contendunt. Quocirca non dormiamus, vidi plerumque infantes pueros ſimplicitate ac decore mirabiles, ſapientiæ & eruditionis atque vtilitatis acquirendæ gratia ad magiſtros proficiſci, nihílque inde eruditionis conſequi, niſi tantum faſtum & nequitiam ex reliquorum contubernio. Qui ſenſum habet, intelligat. Impoſſibile eſt, vt qui artem aliquam totis animis addiſcunt, non illa quotidie proficiant, verum alij quidem ex his profectũ ſuũ agnoſcunt, alij vero Dei diſpenſationem ignorant. Optimus ille trapezita eſt, qui quotidie veſpere lucrum, ac detrimentum omnino computat. Quod ſcire manifeſtius non poteſt, niſi horis ſingulis in tabulis omnia denotet. Nam cum calculi ſingulis horis ponuntur, totius diei ratio poſtmodum clarius agnoſcitur. Quoties exprobatur & condem-

Matt. 10.

Irriſiones vt lac bibere. Fornicari. Matt. 26.

Odioſi dæmonibus monachi.

Mala educatio.

Annotare in tabulis delicta.

natur ſtultus, dolet atque angitur, volénsque argu- A
Patientia. enti citius ſilentium imponere, veniam proſtratus poſtulat; non humilitatis gratia, ſed vt ille exprobare deſinat. Cum obiurgaris, tace, ac ſuſcipe animæ cauterium, immo vero caſtitatis luminaria. Cũ ceſſauerit medicus adurere, tunc demũ vt tibi ignoſcat, ſuppliciter obſecra. Nam in illo feruore increpationis fortaſſe pœnitentiã non ſuſcipit. Quicunque in congregationibus degimus, aduerſus omnia quidem, ſed contra hæc duo præcipuè vitia horis ſingulis pugnare debemus: aduerſus inſaniã
Edacitas & iracundia cænobitis ſuperanda. ventris atque iracundiam. Hæc enim in turba fratrum propriis materiis abundant. Solet Diabolus eis qui in ſubiectionis humilitate viuunt, virtutum B quas ſequi non poſſint deſiderium immittere, ſimiliter & in ſolitudine viuentibus, aliena & ad ſe nihil pertinentia ſuggerere. Euolue diligenter & explica ſubditorum reproborum mentem, inuenies illic vagam & variam intentionem, ſollicitudinis deſiderium, ieiunij enormitatem, orationis inſuperabilis affectum, ſummum gloriæ contemptum memoriam mortis indelebilem, perpetuæ compũctionis imaginem, iracũdiæ omnimodam ſedationem, altiſſimi ſilentij caſtitatiſque excellentiſſimę ſtudium. Quibus rebus cum ex diſpenſatione Dei initio carent, nonnulli decepti fruſtra acceptis ſtudiis deſilierunt. Iſta enim idcirco ante tempus ini- C micus eos fecit inquirere, ne perſeuerantes cum tẽpeſtiuum eſſet, eis fruerentur. Contra his qui ſolitariam vitam delegerunt, ſeductor aſtutus obedientium gloriam ingerit, hoſpitum ac peregrinorum curam miniſtrationémque: Fraternitatis ſtudium, contubernij familiaris dulcedinem, infirmantium obſequia, &c. quæ ſui ſtudij non ſunt, vt iſtos quoque ſicut & priores verſutus ille inſtabiles faciat. Paucorum reuera eſt ſolitudinem, vt dignum eſt, proſequi, eorum ſolummodo qui ad laborum tolerãtiã atque ad auxilium bellorum diuina conſolatione recreantur. Pro qualitate autem noſtrarum paſſionum ſubiectiones quoque diſcer- D
Libidinoſus. namus ac promptè eligamus. Si te ad libidinem ac laſciuiam pronum animaduertis, is te pater exerceat qui ventri indulgere non norit, non qui miraculis coruſcet, paratúſque ſit ſemper ad ſuſcipiendos peregrinos. Porrò ſi elata ceruice es, feruidus atque inclemens, non mitis ac blãdus moderetur. Non eos inquiramus qui futura prænoſcũt ac præuident, ſed ante omnia penitus humiles, noſtríſque ægritudinis ac moribus atque habitatione cõgruẽtibus. Imitare iuſtum illum Abbacyrum, cuius antea mentionem fecimus, & hic enim optimus ac præclarus ad promptè abtemperandum modus eſt, ſi ſemper ita tecum reputes. Tentat te pater, neque E
Signũ habitantis ſpiritus. Luc. 1. vnquam penitus ſalueris. Si cum iugiter à Patre obiurgaris, ampliorem in eum fidem & charitatem aſſumis, habitat in anima tua Spiritus ſanctus inuiſibiliter, & obumbrabit tibi virtus altiſſimi. Noli ergo gloriari ac lætari ſi contumelias & ignominias fortiter toleras, ſed luge magis, quod aliquid omnino dignum contumelia egiſti, patríſque animam contra te commouiſti. Rem dicturus ſum mirabilem, ſed vide omnino ne hæſites, cuius habeo ſententiæ patronum Moyſen: Expedit in Deum magis peccare, quam in Patrem noſtrum. Nam ſi Deũ
Offendere ducem & præfectũ.

ad iracundiam prouocauerimus, dux noſter illum reconciliare nobis poterit. Si vero ducem ipſum perturbauerimus, nullum iam qui nobis illum propitium faciat, habebimus. Quæ vtraque mihi in vnum recurrere videntur. Inſpiciamus diligenter & diſcamus ſobriéque ac vigilanter attendamus quid quo tempore ſeruandum ſit. Nonnunquam enim Quando obiurgatio fugienda. cũ à paſtore incuſamur, gratificè tolerare ac tacitè debemus, nonnunquam vero facti noſtri rationem Quando respondendum. reddere. Mihi quidem in his omnibus ſilendum videtur, quæ nobis vllam ignominiam afferant, lucri enim tempus eſt, in his verò quæ in perſonam alterius redundant rationem reddendam ob vinculum charitatis atque inſolubilis pacis. Quicunque ab obedientia deſilierunt, hi tibi poſtmodum vtilitatem eius enarrabunt. Tunc enim in quo cœlo ſtabant, agnouerunt. Is qui ad placidiſſimam animi quietem atque ad Deum currit, die omni qua maledicta non ſuſtinet, ingens detrimẽtum ſe ſuſtinuiſſe arbitratur, Sicut enim arbores quæ à ventis agitantur altioribus ſemper radicibus nituntur, ita, & qui in obedientia degunt, validas atque inconcuſſas animas poſſidẽt. Qui in ſolitudine reſidẽs agnouit imbecillitatem ſuam, migránſque ſeipſum obedientiæ vendidit, hic cæcus cum eſſet, ſine labore reſpexit ad Chriſtum. State, ſtate, dicam iterum ſtate fratres currentes athletæ audientes, quid de vobis ille Sapiens clamet: Sicut aurum in fornace Dominus, immo vero in cœnobio probauit eos & ſicut holocauſti hoſtia accepit illos in finibus ſuis. Pſalm. 6

Maledicta ſingulis diebus ſustinenda.

De accurata pœnitentia, Gradus V.

PŒnitẽtia eſt reuocatio baptiſmatis. Pœnitentia eſt ſecundæ vitæ conuentio ad Deum. Pœnitens eſt humilitatis emptor. Pœnitentia eſt corporeæ cõſolationis perpetua & iugis repudiatio. Pœtentia eſt ſeipſum ſemper condemnans cogitatio ſecuráque cuiuſque ſui cura. Pœnitentia eſt ſpei fiLia, infidelitatíſque, & deſperationis abnegatio. Pœnitens eſt reus confeſſione liber. Pœnitentia eſt reconciliatio Domini per bona opera peccatis repugnantia. Pœnitentia eſt conſcientiæ emendatio. Pœnitentia eſt voluntaria earum rerum omnium quæ affligant, toleratio. Pœnitens eſt cruciatuum ſibi ſẽper opifex. Pœnitentia eſt valida vẽtris afflictio animæq; in ſenſu firmiſſimo iugis reprehenſio. Pſal. 6. Cõcurrite & accedite, venite & narrabo vobis omnes qui Deũ irritaſtis. Cõgregamini & videte quãta ad ædificationem oſtendit Deus animæ meæ. Præferamus ordine atque honore eorũ narrationẽ qui per ignominiam ſerui atque operarij venerabiles ſunt. Audiamus, obſeruemus, faciamus quicunque præter ſpem ruinã vllam paſſi ſumus. Surgite, & ſedete qui per ruinam ſcelerũ iacetis. Attendite fratres mei, verba mea. Inclinate aurem veſtram, qui Deum rurſus vobiſipſis per veram conuerſionẽ reconciliare cupitis. Cum audiſſem ego imbecillis magnum quendam eſſe & peregrinum ſtatum, atque humilitatem eorum qui ſeparatum illud monaſterium (quod carcer appellatur) incolebant, Carcer Monaſterii. quódque illi luminari luminarium de quo ante mẽtionem fecimus, adiacebat, obſecraui iuſtum illũ, vt me illuc viſendi gratia perduci faceret. Ceſſit precibus

Cauta Lege.

precibus meis ſummus vir, nolens animam meam in vllo cõtriſtari omnino. Cùm igitur peruenissem ad pœnitentium monaſterium, immò verò ad religionem fugiẽtium, vidi reuera(ſi dicere id audeam) quæ negligẽtis oculus non vidit, auríſque deſidioſi non audiuit, & in cor pigri hominis non aſcenderunt res & verba quæ Deo vim inferre poſſent, habitus & ſtudia quæ ipſius clemẽtiam celerrime flecterent. Quoſdam enim ex reis illis vidi noctibus totis vſque mane ſub diuo ſtare peruigiles, pedéſque immobiles tenere, túmq; ſomno miſerabiliter depreſſi agitarentur, vim naturæ inferre, nullámq; ſibiipſis requiem omnino indulgere, ſed ſeipſos increpare, ignominiiſque & contumeliis afficere atque excitare. Alios miſerabiliter in cœlũ intuentes, & illic adiutorium cum gemitu & ſuſpiriis & vocibus inuocantes. Alios in oratione exiſtẽtes, ac reorum in morem vinctis poſt terga manibus humi luridas facies ſuas inclinantes, indignóſque qui ſe in cœlum aſpicerent, vociferantes, nec quicquam ad Deum dicere orando præ cogitationum & conſcientiæ hæſitatione præſumẽtes, neque quomodo vel vnde orationem facerent, præſumentes, ſolámque animam tacitam mutámque mentem Deo offerẽtes, tenebris ac deſperatione plenam. Nonnullos in pauimento ſtrato cilicio & cinere ſedentes, ac faciem genibus operientes, frontémque in terram collidentes. Alios iugiter pectora tundentes, animámq; ſuam ac viam ſuſpirio ingenti reuocantes. Ex his alij quidem pauimentum madefaciebant lachrymis, alij verò quia lachrymarum imbres non haberent, ſeipſos miſerabiliter lamẽtabantur. Plurimi, vt fieri in mortibus ſolet, ſuper animabus ſuis vlularum diræ vocis emittebant, anguſtiã cordis ferre non valentes. Alij ex intimo corde rugiebant, atque intra os gemitus ſonum cohibebãt. Interdum verò cum ſe cõtinere non poſſent, repentè exclamabant: Vidi ego illic nonnullos habitu & cogitatione & actu quaſi à ſemetipſis exceſſiſſent, ac ſtuporem mẽtis incurriſſent, veluti æneos quoſdam ſummo ex mœrore effectos, totos tenebris obſitos, & ad omnia vitæ huius veluti inſenſibiles factos. Mentem quippe iam in humilitatis abyſſum demerſerant, ac mœroris igne oculorum lachrymas fixerant. Alios item mœſtos ſedere, atque in terram fixis obtutibus ſtare perſpexi, capútque aſſiduè mouere & leonum in morem ex imo corde rugitum ac gemitum emittere. Ex his alij pleni ſpe remiſſionem omnimodam inquirentes orabant. Alij ex ineffabili humilitate indignos ſe remiſſione iudicabant, nec omnino poſſe Deo rationem reddere clamabãt. Quidam hic excruciari, vt illic miſericordiam conſequerentur à Domino ſupplices poſcebant. Plerique ex conſcientiæ onere attriti ac depreſſi, ſatis ſibi ex intimis eſſe dicebant, ſi vel ſupplicijs eximerentur, regnóque non potirentur. Vidi illic animas humiles contritas & prę graui pondere incuruatas ac deiectas, quæ vocib⁹ illis ſuis ad Deũ emiſſis lapides quoque ipſos ad compũctionis ſenſum emollire potuiſſent. Ita enim defixis in terram luminibus aiebant: Nouimus ſanè, nouimus, omnibus iam pœnis atque cruciatibus nos eſſe digniſſimos. Et merito quidem, neque enim idonei iam ſumus, qui pro debitorum noſtrorum multitudine ſatisfacere poſſimus, etiam ſi orbem vniuerſum, vt pro nobis lugeat conuocauerimus. Illud ſolum oramus, iſtud deprecamur, id tota animi intentione ſupplicamus neque in ira tua arguas nos, neque in furore tuo corripias nos, neque iuſtiſſimi iudicii tui legibus excrucies nos, ſed parcius & miſericordius. Satis enim nobis eſt ingenti illa tua ac terribili comminatione, ſuppliciiſque illis occultis, ignotis atque inauditis liberari. Neque enim vt pœnis omnino liberemur, petere audemus. Qua enim facie, quo animo id audeamus, qui profeſſionem noſtrã violamus, eámque poſt priorem clementiſſimámque remiſſionẽ ſordidauimus? Illic profectò ô dulciſſimi amici, illic verba Dauid rebus ipſis cernereris impleta, ærumnis affectos homines, atque vſque in finem vitæ incuruatos, totiſque diebus mœſtos incedentes, & ex putrefactis corporis partibus fetorem exhalante, qui quaſi ſine vlla carnis cura degerent obliuiſcebantur comedere panem ſuum, potúmque aquæ cum gemitu miſcebant, & cinerem cum pane manducabant, Adhæſerunt illorum oſſa carni, ipſiq; vt fœnum exaruerãt, nec quicquam apud illos audiuiſſes, niſi hæc verba: Væ, væ, me miſerum, me miſerum. Iuſte, iuſte, parce, parce Domine. Nonnulli miſerere dicebant. Alij verò rurſus miſerabilius clamabant: Ignoſce, ignoſce Domine, ſi poſſibile eſt. Vidiſſes in illis æſtuantes linguas inſtar canum ex ore procedẽtes. Ex his alij ſub ardentiſſimo ſolis æſtu ſeipſos cruciabãt. Alij contra acerrimo frigore ſe affligebant. Quidam modicum aquæ deguſtantes ne omnino ſiti exareſcerẽt ita quieſcebant. Nõnulli cum panis exiguum quid accepiſſent, reliquum manu longius proiiciebant, indignos ſe qui rationali cibo veſcerentur aſſerentes, quippe qui irrationabiliter egiſsẽt. Quem apud illos locũ riſus habere poterat? Quem ocioſus ſermo? Quem iracũdia? Quem furor? Nec enim quod in hominibus iracundia eſſet, ſciebant, adeò luctus furorem omnem penitus extinxerat. Vbi apud illos contradictio? Vbi feſtiuitas? vbi confidenria? vbi corporis obſequium & cura? vbi vel veſtigium inanis glorię? vbi deliciarum expectatio: vbi tenuis viri cogitatio? vbi pomorum deguſtatio? Vbi feruentis ollę ſolatium? Vbi gulę vlla illecebra? Horum enim omnium apud illos ſpes nulla erat. Nõ terrenæ cuiuſquã rei cura angebantur. Non iudicare vllũ omnino hominũ didicerãt. Nihil horũ penitus in illis inueniſſes. Cæterum iugiter ad Dominum clamabant, ſoláque orationis vox audiebatur. Alij enim pectus valide manibus cædẽtes: quaſi iam ad ipſam aſtarent cœli ianuam ad Dominum dicebãt: Aperi nobis iudex ianuam. Aperi nobis, ex quo illam nobiſipſi per peccatum clauſimus. Clamabat alius: Oſtende faciem tuam tãtum, & ſalui erimus. Alius ecõtra. Appare his qui in tenebris & vmbra mortis ſedent humilibus tuis. Alius rurſus: Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes perimus, quia deſperauimus, quia nimium defecimus. Nonnulli autem aiebant: Putas ne apparebit Dominus vltra ſuper nos? Alij verò: Num pertranſiit anima noſtra debitũ intolerabile? Alij, Putas ne adiiciet Dominus vltra conſolari in nobis? Putas illum audiemus dicentẽ nobis, qui ſumus in vinculis inſolubilibus: exite, & qui in inferno pœnitentiæ ſedemus, laxa-

1. Cor. 2. — Vigiliæ. — Suſpiria. — Orationes. — Cilicium Cinis. Tunſio pectoris. — Lachrymæ — Extatici. — Humilis cogitatio. — Pſal. 6. — Pſal. 101. — Exclamationes. — Pſal. 79. Luc. 1. — Pſal. 78. — Pſal. 123.

mini. Putas ne clamor noſter ad aures Domini ingreſſus eſt. Cuncti verò ſedebant ſemper ante oculos ſuos mortem attendentes ac dicentes: Quid putatis continget? Quænam erit illa ſententia? Quis finis noſter? Putas erit reuocatio? Num ſupereſt vlla ſpes veniæ mœſtis humilibus reis? Num valuit oratio noſtra ingredi ante cõſpectũ Domini? Aut merito repudiata eſt, abiecta atque cõfuſa? Aut ſi forte intrauit quãtum peregit? Quãtum placauit Deum? Quantum profecit? Quantum operata eſt? Emiſſa quippe ex immũdis corporibus & labiis, parum virium habere potuit. Putas omnino recõciliauit iudicem? An ex parte? An vulnerum vel medietas deleta eſt? Quippe maxima cùm ſint plurimis & laboribus & ſudoribus & doloribus indigent. Putas appropinquauerũt nobis Angeli cuſtodes noſtri? An adhuc longius à nobis ſtant? Niſi enim illi appropient nobis, inutilis & infructuoſus eſt omnis labor noſter. Neque enim habet vim confidentiæ oratio noſtra, neque munditiæ pẽnas, vt ingredi ad Deum poſſit, niſi hanc è proximo aſſumãt Angeli qui nobis præſunt, eamq; offerãt Domino. Nõnunquam verò hæſitãtes huiuſmodi ad inuicẽ dicebãt? Num fratres aliquid proficimus? Num petitione noſtra potiemur? Num iterum ſuſcipit? Alij verò ad iſta reſpondebant: Quis nouit, vt dixerunt Niniuitæ, fratres noſtri, ſi forte pœniteat Deus atq; ab ingẽti illa pœnitentia nos liberet? Tamen quod noſtri muneris eſt non negligamus. Et ſi quidem ille aperuerit, bene eſt. Si verò alias benedictus Dominus iuſte excluſit nos: Veruntamen perſeueremus pulſantes, vſque ad finem vitæ noſtræ. Forſitan improbitati noſtræ ac perſeuerantiæ cedens aperiet, benignus quippe & miſericors eſt. His atque huiuſmodi ſeipſos exhortantes atque excitantes aiebãt: Curramus fratres curramus, curſu enim opus eſt & vehementi curſu, quoniam cœtu noſtro decoro atque optimo excidimus. Curramus, neque huic carni noſtræ ſordidæ atque nequam parcamus fratres, ſed occidamus illam ſicut prius occidit nos. Sic beati illi rei faciebãt. Genua illis ex perpetuo orationis vſu obcalluerãt. Oculi defecti atque defatigati intus profunde receſſerant, pilis omnibus ciliorum amiſſis. Genæ ardentium feruore lachrymarum aduſtæ videbantur, facies marceſcẽtes ac pallidæ ſquallebãt, nihilq; à mortuis in comparatione differebant. Pectora tunſionum ictibus dolebant, ſaliuæq; ſanguinis ex pectoris illiſionibus emittebant. Vbi electi vſus? Vbi indumenti munditia & firmitas? Omnia ibi diſci iſſa erãt & ſordida ac pediculis operta. Quid autem eſt eorũ qui à dæmonibus arripiuntur, ſi illis conferatur afflictio? Quid mortuos plangentium amaritudo? Quid mœror in exilio degentiũ? Quid parricidij reorum pœna? Nihil ſanè eſt illorũ pœna ſuppliciumq; quo inuiti afficiuntur, ſi voluntariæ iſtorum pœnæ conferantur. Sed quæſo fratres ne ea quæ dicta ſunt fabulas exiſtimemus. Rogabant nonnunquã iſti magnum illum iudicem paſtorem dico, inter homines Angelum, vt ferrum ac torques collo ac manibus imponeret, pedéſque patientium conſtringeret ligno, nec eos prius inde ſolueret, quàm ſepulchrum ſuccederet. Immò verò nec ſepulchrum quidem. Neq; enim profectò hãc quoque beatorum illorum reuera mirabilem ad Deum charitatem atque pœnitentiam abſcondam. Quoties ad Dominũ profecturi & incorrupto tribunali iudicis ſiſtendi erant, felices illi regionis pœnitentium ciues, hoc per eum qui ſibi præerat adiurantes ab magno illo ſummis precibus petebant, ne ſepultura humana dignarentur, ſed brutorum inſtar, aut fluuialibus vndis traderẽtur, aut in campũ proiecti beſtiis deuorãdi permitterẽtur. Quod etiam nonnũquam fecit illorũ precibus obtemperans diſcretionis lucerna, iubẽs illos omni pſalmodia omniq; honore priuatos proiici. Cùm verò extrema illorũ hora adueniſſet terribile omnino miſerandúmque ſpectaculnm cerneres. Nam cùm eum qui ſe præcedebat efflare, iam animam ſenſiſſent, ſocij adhuc ſenſu integro vigẽte, circumſtabant illũ ſiti æſtuantes & lugẽtes ac deſiderio pleni, miſerabili omnino habitu mœſtioréque ſermone capita ſua commouentes, efflantem iam animam interrogabãt, miſericordiáque flagrantes aiebant ad illum: Quid eſt frater? Quonãmodo tecũ agitur? Quid dicis? Quid ſperas? Quid ſuſpicaris? Percepiſti ne ex labore tuo quod quærebas? Aut nõ valuiſti? Perueniſti ad portum, aut nondum potitus es ſpe tua? Accepiſti certam aliquam fiduciã, an adhuc incerta ſpe fluctuas? Conſecutus es libertatẽ, an agitatur, ambigitq; cogitatio? Senſiſti aliquam in corde tuo lucem, an tenebris adhuc & ignominiæ cõfuſione plenum eſt? Vlla ne tibi vox intrinſecus facta eſt, dicens: Ecce ſanus effectus es, aut dimittuntur tibi peccata tua, aut fides tua te ſaluũ fecit? Illam ne tibi adhuc vocem audire videris, qua dicitur: Conuertantur peccatores in infernum? Et ligatis manibus & pedibus mittitẽ illum in tenebras: & tollatur impius ne videat gloriam Dei? Quid ais frater? Dic nobis, oramus, vt & nos ſcire poſſimus, quid nã illic nos maneat. Tuum quippe tempus iam clauſum eſt, aliúdque de cætero in æternum non inuenies. Ad hæc quidem alij dormientium, benedictus aiebant, Dominus, qui non dedit nos in captionẽ dẽtibus eorũ. Alij verò illud gemẽtes dicebãt; forſitan pertrãſibit anima noſtra aquam intolerabilẽ. Quod nondum confidẽtes aiebant, ſed conſiderantes quàm ſit pauẽdum illud terribile incertúmque iudicium. Alij verò etiam mœſtius quiddam reſpondebant ac dicebant. Væ animæ illi quæ non ſeruauit profeſſionem ſuam integrã & immaculatam, hac enim hora tamẽ ſciet, quid illi præparatum ſit. Quæ ergo omnia cum apud illos audiſſem & vidiſſem, parum abfuit quin deſperatione abſorberer, cum meam intuerer malitiam & negligentiam, eámque ſanctorum illorum afflictioni comparare. Quænam verò qualis ve erat eius loci facies & habitatio tota tenebroſa erat informis, fœtida, ſordida, ſquallida. Carcer enim & condemnatio rectiſſime appellabatur. Ipſa denique vel ſola loci contẽplatio perfectæ pœnitẽtiæ ac luctus magiſtra erat. Sed ea quæ aliis difficilia atq; impoſſibilia vidẽtur, eíſq; virtute ac ſpiritalibus diuitiis ſe excidiſſe meminerũt, grata ſunt & amabilia, fitq; eorum perfacilis aſſumptio. Anima enim quæ priori confidẽtia priuata, ſpe conſequendæ beatæ tranquillitatis excidit, ſigillúmque caſtitatis aperuit, diuitiiſque gratiarum ſpoliata, & diuina conſolatione deſtituta eſt, pactúmq; & placitum Domini violauit, extinxitque iam in ſe decorum

Angeli cuſtodes

Ionæ 3.

Non parcere carni.

Caro quæ occidit occidatur.

Cautè carnem cõcupiſcentias intellige.

Mirare hæc.

Mirandũ

Priuati mortuo pſalmodia

Luc. 7.

pſal. 9. Matt. 22.

Ibidem.

corum lachrymarũ ignem, quoties horum memoria tangitur, quæ ſuam negligẽtiam ſe amiſiſſe retinet, acerrimo dolore compuncta & vulnerata, non ſolum quos prædiximus labores, cum omni ſtudio & alacritate ſuſcipit, verum etiam ſeipſam mactare per exercitationis magnitudinẽ contẽdit, ſi tamen in illa charitatis ac timoris Domini fauilla vlla derelicta eſt. Huiuſmodi profectò erant beati, hoc enim ſecum in animo voluẽtes, virtutiſq; qua exciderant altitudinem conſiderãtes, memorati ſumus (aiebant) dierũ antiquorũ, ignitiq; illius ſtudij noſtri. Alij ad Dominum clamabãt: Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ, quas oſtendiſti animæ noſtræ Pſal.88. in fortitudine tua? Memor eſto opprobrij & laboris ſeruorũ tuorum. Alius verò: Quis me ponat, aiebat, ſecundum menſem dierũ meorum priorum, in quibus me cuſtodiebat Deus, quando lucebat lucerna lucis eius ſuper caput cordis mei? Sicq; priores omnes virtutes ſuas memorabant, atque iſta infantium amore plorabant dicẽtes: Vbi eſt orationis puritas, vbi huius certiſſima fiducia? Vbi dulces lachrymæ in amaritudine? Ecce, vbi ſunt! Vbi intimæ munditiæ & caſtitatis ſpes? Vbi beatiſſimę ac placidiſſimæ quietis expectatio? Vbi ſyncera ad paſtorem fides? Vbi orationis illius in nobis efficacia & virtus? Perierunt iſta omnia, & quaſi nunquã viſa ſint, defecerunt, vtq; nũquam fuerint, ita deleta ſunt & perdita. Iſta cum gemitu & lamẽtatione proſequẽtes, ita demum alij vt à dæmonio arriperentur orabant. Imprecationes pœnitentium. Alij vt morbũ inciderẽt precibus à Domino poſcebant. Plurimi oculos amittere, miſerandumq; omnibus ſpectaculũ fieri optabant. Nõnulli paralytici fieri, & languorẽ corporis contrahere, ſolum ne futura ſupplicia experiri cogerẽtur cupiebãt. Ego autem ô amici neſcio, quo pacto diutius inter lugẽtes verſatus ſum, totóq; animo in illorum admiratione ſuſpẽſus meipſum cõtinere non potui. Sed vt ad id vnde aberrãrat, redeat oratio, cũ triginta dies in cuſtodia illa perſeueraſſem, impatiens in magnũ illud cœnobiũ, ad magnum patrem reuerſus ſum, qui vt me aſpexit immutata facie totũq; veluti attonitũ, agnouit ſapientiſſimus immutationis cauſam, & ait ad me. Quid eſt pater Ioannes? Vidiſti ne laborantium certamina? Ad quem ego: Vidi inquam, pater, vidi & admiratus ſum, felicioréſque exiſtimaui, qui poſt lapſum ita lugẽt, quam qui nunquã lapſi ſunt, & ſeipſos nõ ſic deflent. Illis anim ruina ſua cauſa fuit beatiſſimæ ac tutiſſimæ reſurrectionis. Tum ille: Sic (inquit) eſt, ac protinus adiecit veraciſſima illius lingua. Erat hic ante decem annos frater quidam nimium ſolicitus atq; ſtudioſus, taliſque operarius, vt cum ego illum cernerem ita ſpiritu feruentem tremere cœperim, illíque à diaboli inuidia nimium metuere, ne forte dum vehemẽtius currit, offenderet ad lapidẽ pedem ſuũ, quod fere eis euenire ſolet, qui celerius vadunt. Quod & factum eſt. Diſcretio neceſſaria impingua-mur. Cùm verò profundo veſpere regrederetur ad me, nudat vulnus, quærit emplaſtrum, petit cauterium, perturbatur vehemẽtius. Cùm verò medicum aſpiceret, ſe vti durius nolẽtem (erat enim miſeratione dignus) proiecit ſe in pauimentũ, apprehẽdit pedes, multíſque illos lachrymis vbertim rigans, petiit ſe ad eam quam vidiſti cuſtodiã damnari, impoſſibile eſſe clamans illuc non proficiſci. Quid multa? Egit

A vi ſua vt clementia medici in duritiam verteretur, quod in languẽtibus perrarum eſt atq; omnino mirabile, aduolat ocyus pœnitentes, additúrq; illis ſocius ad luctũ promptus atq; mœroris particeps. Igitur doloris gladio percuſſus in corde, quem diuina charitas acuerat, octauo poſtquam eò peruenerat die migrat ad Dominũ, id petẽs ne ſepultura frueretur. Quem ego vt ſanè digniſſimũ & huc retuli, & in patrum ſepulchro ſepeliui. Idcirco & poſt ſeruitũtis ſeptimã octauo die liber euaſit. Nec defuit qui id certiſsime cognoſceret, non illum ante à ſordidis & vilibus pedibus meis reſurrexiſſe, quàm ſibi Deus propitius ignoſceret. Nec mirũ ſanè, ſumpta enim in corde illius meretricis fide eadem & ipſe ſpe & confidẽtia lachrymis pedes meos inutiles rigauit. Omnia verò poſsibilia eſſe credẽti Dominus prędixit. Vidi impuras animas corporum amoribus Mar. 9. adinſaniam vſque ſeruientes, quæ ex amoris experimento ſumpta occaſione pœnitentiæ, eundem amorem tranſtulerunt ad Dominũ, omniq; protinus timore reiecto in Dei charitatẽ inexplicabiliter amplectẽdam incitatæ ſunt. Quocirca pudicæ illi me- Lucæ. 7. retrici non dixit, quia timuit, ſed quia dilexit multum, potuítq; facile amore amorem repellere. Non autem ignoro (admirabiles viri) fore, vt iſta quibuſdam videãtur incredibilia, aliis verò ad credendum difficilia, nonnullis etiam deſperationẽ parientia, quæ modo enarraui beatiſſimorũ illorum certamina. Porrò vir fortis ex his ſtimulũ magis, igneúmq; iaculum ſumpſit, zelíque cõceptum feruorẽ in corde ferens abiit. At qui illo alacritate minor eſt, cognita imbecillitate ſua, atque ex hac cognitione & reprehenſione ſui facile humilitatẽ poſſidens, poſt primum cucurrit, neſcio an apprehẽderit: vir autẽ negligens, iſta quæ dicta ſunt, ne audiat quidem, ne forte id modicum quod interim operatur omnino deſperans diſſipet, compleatúrq; in illo quod Dominus dicit: Ab eo autem qui non habet alacritatẽ, Lucæ 8. & ipſum quod habet auferetur ab eo. Fieri non poteſt, vt qui in lacum cecidimus iniquitatũ, inde vnquam emergamus, niſi nos in abyſſum humilitatis pœnitentiũ deiiciamus. Alia adhuc peccantiũ conſcientiæ reprehẽſio, & alia quæ perfectis per Dei operationem prouenit diues ac lætifica humilitas. Humilitas duplex. Alia eſt triſtis mœrentiũ humilitas. Ne quæſo hanc tertiam verbis inuenire ſtudeamus alioquin inaniter erremus. Quæ verò humilitatis ſignũ eſt ignominiæ perfecta toleratio, lugẽti quoq; nonnunquã Signum humilitatis. præcedens conſuetudo violenter dominatur. Nec mirum, iudiciorũ atque ruinarum ratio obſcura eſt atque tenebroſa, nulláq; hãc anima facile animaduertit, difficillimè enim comprehẽdi ac diſcerni poteſt: quænam nobis per noſtram negligentiã, quænam per diuinã derelictionem, qua nonnunquam Deus humanam animam prouidentiſſima diſpenſatione deſerit, quænam per auerſionem Dei nobis ruinæ contingant. Verum id mihi quidam aſſeuerauit, eas quæ per diuinam prouidentiam contingunt celeri conuerſione ſolere aboleri, neque enim permittit nos Deus illis diutius teneri, quibus noſtri profectus gratia ad tempus traditi ſumus. Quicunque lapſi ſumus, ante omnia ſpiritui mœroris Spiritus mœroris. reſiſtamns, ipſe enim orationis tempore aſſiſtens, prioríſq; confidẽtiæ nos admonens, orationem no-

ſtram impedire nititur. Noli turbari ſi quotidie laberis, neq; reſilias: ſed ſta viriliter, prorſus enim reuerebitur tolerantiam tuam cuſtos tuus Angelus.

Recēs vulnus curatur. Dum adhuc recēs atque in ſanguine eſt vulnus facile curari ſolet. Nam quæ dura & neglecta atque obducta vetuſtate ſunt, difficilime ſanantur, ingentique labore & ferro & cauterio & igni viſibili vt curari poſſint indigēt. Plurima ſunt, quæ tempore fiunt inſanabilia, Deo tamen omnia ſunt poſſibilia. Antequā corruamus clemētem eſſe dæmones ſuggerunt, poſt ruinam verò durū & immitem dicunt.

Dæmonū perſuaſio. Noli ei credere, qui poſt grauiorem lapſum in minimis defectibus ingemiſcēti, dicit: Vtinam id non feciſſet. Nā iſtud quidē nihil eſt. Sæpe enim parua munera ingentem iudicis iram mitigarunt. Qui reuera reatus ſui pœnam dat, is omnem diem qua nō luget ſe amiſiſſe arbitratur, etiamſi qua fortaſſis bona alia in illo fēcerit. Nullus eorum, qui ſe pœnitentiæ lamentis attriuit, in exitu ſecurus fieri expectet. Nam quod incertū eſt, id ſatis firmum non eſt.

Pſal. 38. Dimitte mihi per certam ſecuritatem vt refrigerer, antequā hinc incertus abeam. Vbi ſpiritus Domini, ibi nexus ſoluti ſunt. Itidémq; ibi humilitas profunda & inuiolabilis. Nam qui ſine his duob⁹ hinc proficiſcuntur, nō ſe fallant, vincti ſunt: qui ſeculo ſeruiunt ſoli huiuſmodi certis ſecuritatibus & maxime priore alieni ſunt. Nōnulli tamen per eleemoſynam & pietatis opera currentes, lucrum ſuum in exitu cognoſcunt. Qui ſeipſum pœnitētiæ lamentum aut caſum, aut querimoniam non facile agnoſcit. Canis ſi à fera vlla mordeatur, aduerſus ipſam vehementius accenſus, animatur, ex dolore vulneris, incomparabili ferocia inſaniens. Caueamus ne forte non ex munditia, ſed ex falſa confidentia ſeipſam conſcientia deſiſtat reprehendere. Id erit ſolutionis delictorum certiſſimum indicium, ſi ſemper quiſque debitorem ſe exiſtimet. Nihil Dei miſera-

Non deſperandum. tionibus æquale aut maius eſt, atq; ideò qui deſperat ſibiipſi mortem conſciuit: dignū item diligentis atque accuratæ pœnitentiæ eſt, ſi omnibus inuiſibilibúſque tribulationibus atque etiam pluribus dignos nos nō eſſe, conſtāter teneamus. Moyſes cum Deum vidiſſet in rubo, rurſus in Ægyptum, id eſt, ad ſeculi tenebras, ad faciendos lateres intellectualis fortaſſe Pharaonis rediit. Verum rurſus ad rubū, immò verò ad montē Dei protinus regreditur. Qui intelligit quid ſibi hæc velit ſpeculatio, nunquam omnino deſperabit. Magnus ille Iob ex diuite pauper effectus eſt, ſed rurſus illi opes duplicatæ ſunt.

Iob. 1. In his qui negligētes ſunt, grauior omnino poſt vocationē ruina eſt, quæ ſpem placidiſſimæ tranquillitatis conſequendæ obtūdit, beatúmq; & maximè optabile exiſtimare perſuadet poſſe omnino vel ex hac fouea reſurgere. Attende quæſo, diligētius attende. Neque enim penitus per quam viam aberrauimus, per eandem reuertemur, ſed per aliam longe breuiorem. Vidi duos eodem modo eodémq; tempore currentes, ex quibus vnus erat ſenior, laboribus excellēs, alter diſcipulus, atque is ſene celerius cucurrit, priórq; ingreſſus eſt in humilitatis monumentum. Caueamus omnes, ſed in primis qui cecidimus, ne impij Origenis morbo cor noſtrū ægrotare incipiat. Is enim ſceleſtus doctrinæ morbus, cū nimiam Dei clementiam præferat, voluptatū ama-

Iſaac. 2. Origenes impius.

toribus maximè acceptus eſſe conſueuit. In meditatione mea, immò verò in pœnitentia mea exardeſcet orationis ignis, omnem adurēs materiam, finis tibi & forma & exemplar & imago ad pœnitentiā ſint ſancti illi rei, quos paulò antè memorauimus, atq; ita in omni vita libris omnino op⁹ nō habebis, donec tibi illuceſcat Chriſtus filius Dei, & Deus in reſurrectione ſtudioſæ & accuratæ pœnitentiæ. Amen.

Quibus gratia rigor. Pſal. 50.

De memoria mortis. Gradus VI.

OMne verbū præcedit cogitatio, mortis autem & ſcelerum memoria fletum prēcedit & luctū. Quocirca & in hoc opuſculo in ſuo ordine ponūtur. Memoria mortis eſt quotidiana mors, memoria verò exitus iugis per horas ſingulas gemitus.

Formido mortis. Formido mortis, naturæ eſt proprietas, quam intulit obedientiæ peccatum. Timor autem mortis, peccatorum, quæ nulla pœnitentia deleuerit, certum argumentum eſt. Formidat Chriſtus, non tremit mortem, vt duarū naturarū proprietates apertiſſimè oſtendat. Sicut cibis omnibus panis vilior eſt & magis neceſſarius, ita præſtat omnibus operibus mortis cogitatio. Memoria mortis his, qui fratrum in medio verſantur, labores & exercitationes parit, immò verò ignominiæ dulcem appetitum, eis verò qui ſolitudine ab omni tumultu remoti degunt, deponere curas omnes perſuadet, & orationi perpetuæ inſiſtere, mentémque diligentiſſimè ſeruare, quæ ſane virtutes oēs huius & matres ſunt & filiæ. Sicut ſtannum ſi argento propius admoueatur quomodolibet aſpectu ſimilimum fit, manifeſtiſſimè agnoſcitur, ita & his qui diſcernere nouerūt, aperta & manifeſta eſt naturalis & ea quæ præter naturam eſt & exitus formido. Id autem veriſſimum eorum, qui toto corde mortis meminērunt, argumentū eſt. Si ſponte totius creaturæ affectionē abnegēt, volūtatem propriā omnino derelinquant. Probatus ille quidē eſt, qui mortem diebus ſingulis expectat: ſed ille ſanè ſanctus, qui hanc horis ſingulis deſiderat. Non omne mortis deſiderium probabile aut bonum eſt. Sunt enim qui iugiter conſuetudinis violentia adacti, peccant, mortémque cum humilitate optant. Sunt item qui pœnitere nolunt, & eam ex deſperatione aduocant. Et ſunt qui per operationem ſancti ſpiritus, ſuum è corpore exceſſum quærunt. Hæſitant nonnulli religioſi, cuius rei gratia cum tantum nobis beneficij & emolumenti conferat mortis memoria, ipſius præcognitionem à nobis abſconderit Deus, non aduertentes, quod mirabiliter Deus ſalutem noſtram moliatur. Nemo enim ſi prēſciſſet mortem ſuam, ad baptiſma ſiue ad monaſticam vitam protinus accederet, ſed omnes dies ſuos in iniquitatibus conterens, ad ipſum iam exitum ſuum ad baptiſmum & ad pœnitentiam ſe conferre feſtinaret, ſed cum per longam temporis morā, vitiis iam eſſet aſſuetus, migraſſet vtique ſine vllo emendationis fructu. Caue qui luges, ne vnquā canem illum ſuſcipias, qui miſericordem Deum pollicetur. Agit enim hoc, vt abs te interim luctum ac ſecuriſſimum expellat metum. Tunc verò ſolum clemētiam eius tibi pollicēre, cum te deſperatione abſorberi videris. Qui mortis diuiniq; memoriam iudicij ſemper in ſeipſo continere cupit, curiſque ſecularibus

Mortis fiducia.

Mortis dies cur ignorat.

Simile. 353 secularibus distrahẽdum se exponit, is ei similis est, qui dum natat, plaudere manibus ambabus vult. Memoria mortis valida & efficax, ciborum abscidit appetitum, quibus per humilitatem excisis passiones simul exciduntur. Cordis indolentia excæcauit animum, ciborum autem multitudo exiccauit fontes. Sitis & vigiliæ attriuerũt cor, attrito autem corde exilierunt aquæ. Dura gulæ deditis quæ diximus videntur, & negligentibus incredibilia: porrò vir exercitatus tentabit alacriter, & cùm periculũ fecerit, subridebit: in his verò quæ adhuc inquirit, mœstior abibit. Sicuti perfectam charitatem sine lapsu esse patrum authoritas diffinit, ita & ego perfectum mortis sensum sine timore esse denũcio. Plurimæ quidẽ sunt actiuæ mẽtis operationes, puta intẽtio charitatis ad Deũ, memoria Dei, memoria ipsius præsentis Dei, secundum illius verba qui dixit: Prouidebã Dominũ in conspectu meo semper, memoria sanctarum intellectualiũmque virtutum, memoria exitus occursúsque siue cruciatus. A magnis quidem cœpimus, in his verò quæ præter lapsum sunt definimus. Monachus quidã Ægyptius mihi aliquãdo narrauit, quod cùm in intimo corde memoriã mortis penitus fixisset, vellétq; aliquando necessitate vrgẽte carnis huius luto solatij quiddam indulgere, ab huiusmodi memoria veluti à quodam iudice prohibitus sit. Quódque mirabilius est, cùm vehementer vellet hanc memoriam expellere à se, non potuerit. Alius quidam hic iuxta commanens, loco qui Collas dicitur, ex huiusmodi sæpe cogitatione repẽtè obstupescebat, ac animo deficiens veluti insensibilis fiebat, repertúsque à fratribus nonnunquam ab eis, vt qui fere efflasset animam baiulabatur. Non omittam etiam solitarij illius, qui in Choreb habitabat referre historiam. Hic cùm diutius negligẽtissime vixisset, nullámq; animæ suæ curã penitas haberet, morbo tandem comprehensus ad extrema deductus est. Cumq; iam corpore perfectè migrasset, post vnam horam in seipsum rediit. Orauitque nos omnes, vt inde protinus abscederemus, & cellæ aditu lapidibus obstructo, permansit intus annis xij. nulli omnino quicquã loquens, nec aliud quicquã præter panem & aquam degustans. Sedens autem ea tantum quæ in excessu viderat, attonitus voluebat, atque in his adeò fixo semper erat cogitatu, vt nunquam iam vultum immutaret, sed semper sic attonitus perdurans vim lachrymarum feruentiũ tacitus profunderet. Cùm verò iã morti esset proximus, rupto ac patefacto aditu ingressi sumus. Cumq; ab illo doctrinæ verbum supplices inquireremus, hoc ab illo tantummodò audiuimus: Ignoscite mihi. Nemo, qui reuera mortis memoriam agnouerit, peccare vnquam poterit. Nos verò nimium mirati sumus, intuentes eum, qui pridie ita negligens fuisset, repentè mutatum, ac beatissima transformatione alterũ effectum. Illo igitur in proximo cimiterio sepulto, cùm post dies aliquot sacras illius reliquias requireremus, non inuenimus, Domino in hoc quoque nos certiores faciente, sollicitæ illius & accuratæ laudabilísque pœnitentiæ, atque omnibus fiduciam præstante, qui etiam post summam vitæ negligentiam seipsos emendare norunt. Sicuti abyssum quidã infinitũ esse diffiniunt, locum enim sine fundo eam vocãt, ita & mortis intenta cogitatio ineffabilẽ & incorruptã castitatem atque operationẽ parit. Quod firmatur facto huius quem modo memorauimus iusti. Huiusmodi sanè timorem timori iugiter adiiciunt, nec vnquam desinunt quo ad ipsa quoque ossium virtus consummatur. Et hoc autẽ cum bonis eius reliquiis donũ Dei esse nobisipsis persuadeamus. Qui ad ipsa quoque monumenta nonnũquam proficiscentes, duri quodammodo ac sine lachrymis persistimus, cùm verò ab huiusmodi spectaculo remoti sumus, sæpius compungimur. Qui ad omnia mortuus est, is mortis memoriã tenuit: qui verò adhuc ad aliquid afficitur, hic vacare sibiipsi non poterit, suis se insidiis appetens. Ne velis verbis omnes certiores facere tuæ ad illos dilectionis, sed à Deo postula, vt hãc illis secretius reuelet, alias non sufficiet tempus, vt illud affectibus & compunctioni impartiri possis. Noli falli stulte operarie, vt tempore tempus reparari præsumas. Neque enim sufficit dies quæque vel sui ipsius debitum Domino persoluere. Non est (ait quidam) non est præsentem diem pie pertransire, nisi hanc esse vltimam totius vitæ nostræ existimemus. Et quod sit mirabilius, certe Gentiles quidam tale aliquid locuti sunt. Nam & summã Philosophiam, mortis meditationem esse diffiniunt.

Perfecta charitas.

Pſal.15.

Mortis recordatio.

Solitudo.

Mortis memor non peccat.

Mortuus mundo.

Omnis dies extrema putetur. Platonicũ.

De luctu, gaudij opifice. Gradus VII.

LVctus secũdum Deũ, est mœror animæ, afflicti cordis affectus, semper id quod sitit ardẽtissime inquirens, quo non potitur, summo id cum labore persequitur, atque post ipsum anxie mœrens vlulat. Vel ita: Luctus est stimulus animi, omni affixione & affectione nudatus, atq; ad seruandũ cor à sancta tristitia immobiliter fixus. Compunctio, est iugis cõscientiæ excruciatio, quæ per intellectualẽ confessionẽ igniti cordis refrigeriũ molitur. Confessio, est obliuio naturæ, siquidem ex hoc oblitus est quidam comedere panem suum. Pœnitẽtia, est voluntaria & læta totius corporeæ delectationis vel consolationis repudiatio. Proprium illorum est, qui in beato luctu proficiunt continentia labiorúmque silentium, eorum verò qui iam profecerũt, non irasci, iniuriásque omnino obliuisci. Eorum verò qui perfecti & consummati sunt, profunda animi humilitas, ignominiæ, sitis, vexationúmque inuitis aduenientium spõtanea esuries, peccãtium non condemnatio, sed vltra vires miseratio. Suscipiẽdi sunt primi, sed laudabiles secundi: sed illi beati, qui esuriunt afflictionem, & ignominiam sitiũt, quoniam cibo insaturabili saturabuntur. Qui luctum acquisisti, illum viribus tene. Solet enim, nisi firmè solidetur, auolare à tumultibus curísque corporeis ac delitiis fugatus, maximè vero facile à multiloquio & scurrilitate dissoluitur, non secus quam ab igne cera. Maior ac potentior baptismate post baptisma (& si audax dictu id videatur) fons lachrymarum est illud enim præcedentia delicta nostra purgauit, illud verò posteriora. Atque illud quidem omnes ab infantia acceptum inquinamus, per hoc autem & illud repurgamus. Quod nisi diuino munere datũ esset omnibus, rarissimi omnino qui saluarentur inueniri potuissent. Mœstitia & gemitus ad Dominũ clamant, timoris autẽ lachrymæ legatione funguntur. Porrò illæ quas sancta charitas effundit, susceptas atq; exauditas esse preces nostras ĩdicãt nobis.

Non irasci.

Appetere aduersa, perfectio est.

Scurrilitas.

Lachrymæ legationes ad Deum.

Sicut humilitati nihil æque congruit, vt luctus, ita nihil reluctatur vt risus. Continẽs pro viribus beatæ compunctionis beatam lætificámq; tristitiã retine, neq; in ea operari vllatenus cesses, quoad sublimem te, atque ab humanis cõtagiis purum Christo Domino sistat. Perscrutari ne desinas, atque in teipso imprimere abyssum sempiterni ignis, crudeles ministros seuerũ crudelémque iudicem nemini tũc ignoscentẽ, inferni ignis chaos, infinitum, subterraneorum terribiliúmque locorũ ac voraginum terrificos descensus, atque eorum omnium imagines, vt siqua est in anima nostra luxurię lasciuia, ingenti tremore percussa transeat in incorruptam ac perpetuã castitatem, & per gratiã luctus igne omni clarius illucescat. Sta in orationis prece tremẽs, nec aliter quam reus iudici assistẽs, vt & interiori & exteriori habitu fauorem iusti iudicis concilies. Neque enim animã patitur despicere viduam sibi anxiè astantem, molestiásque inuiolabiliter patientem. Si quis animæ lachrymas possedit, huic omnis locus aptissimus est ad luctum, quod si solis adhuc exterioribus occupatur, loca moréque eligere ac discernere non desinat. Sicut thesaurus occultus eo qui in foro propositus est, & inuiolabilior est, & minus fures solicitat, ita & ea, quæ prædiximus intelligamus. Noli eis esse similis, qui mortuos sepeliunt, qui nunc quidem super eis lugent, nunc ipsorum gratia inebriãtur, sed esto vt vincti ad metalla damnati, qui horis singulis à carnificibus cædũtur. Is qui modò lugere, modò delitiis & risu solui deprehẽditur, ei similis est, qui canem voluptatis cum pane lapidat, qui hunc quidem persequi actu videtur, reuera autem sibi assidere hortatur. Esto subtristis ostentationis inimicus, ac iugiter ad cordis tui custodiam attonitus. Metuunt quippe seueram tristitiam dæmones haud secus, quàm canem fures. Non est fratres eadem nostra, quæ ad nuptias vocatio. Prorsus enim vt nosipsos lugeamus vocati huc à Deo sumus. Quidam dum lachrymas profundunt in illo ipso beato tempore, vt nil omnino cogitent, sibiipsis vim faciunt. Improbe id quidem, non enim intelligunt, lachrymas absque cogitatione & intentione animi profusas, brutæ non rationabilis naturæ esse proprias: ex cogitatione lachrymæ procedunt. Pater enim cogitationis, rationalis animus est. Cùm in lectulo decubas, sit tibi ipse iacentis habitus figura in sepulchro clausi, minúsque dormies. Ipsa quoque mensæ delibatio lamẽtandæ sortis vermium illorum te admoneat, minúsq; delitias requires. Sed & in ipso aquæ potu flãmę illius sitim ne obliuiscaris, atque ita vim naturæ omnino facies. Quoties verò præceptor noster honorificãs nos contumelia, & terrore & ignominia affecerit subeat mentem nostram terribilis illa iudicis sententia, sicq; insitam nobis irrationabilem tristitiam & amaritudinem, mansuetudine & tolerantia, veluti gladio ancipiti, omnino iugulabimus. Tẽpore (vt ait Iob) arescit mare, sic & tempore & tolerantia quæ dicta sunt fiunt in nobis & perficiuntur. Memoria æterni ignis tecũ singulis noctibus dormiat, tecúmq; euigilet, nec vnquam tempore psalmodiæ dominabitur tibi negligentia. Ipsum quoque indumẽtum tuũ te ad exercitiũ luctus hortetur. Omnes enim qui mortuos lugent, nigris vestibus operiuntur. Si igitur nõ luges, propter hoc luge. Sin verò luges propter hoc, maximè te lamentis affice, quod ex honorabili & trãquillo ordine teipsum per tua scelera in humiliorẽ & laboriosum deiecisti. Sicut in cæteris omnibus, ita & in lachrymis iudex quoque noster optimus atq; æquissimus naturæ vires omnino diiudicat. Vidi modicas guttas instar sanguinis cũ labore effundi. Vidi & fontes absq; labore perfluere. Ego denique mœrentium dolorem ac gemitum pluris æstimaui, quàm lachrymas, puto quod & Deus sic iudicet. Non cõuenit lugentibus theologiæ sermo, nam ex eo maximè solui illorũ fletus consueuit. Is enim qui de theologia disserit in solio doctori põpã prę ferenti, qui autẽ luget in silẽtio vel cilicio & sterquilinio sedẽti cõparatur. Atque hoc est, vt reor, quod Dauid maximus interrogantibus respõdit: Quomodo cantabimus canticũ Domini in terra aliena, id est, vitiosa? Sicut creatura motum aliquãdo ex se gignit, nonnunquã verò aliundè suscipit, ita & de cõpunctione quoq; sentiendum est. Quotiẽs anima nil etiã curãtibus, vel studiosè operantibus nobis, in lachrymas vi secretæ cõpunctionis excitata, in solo fletu requieuerit curramus solicite, Dominus enim nõ vocatus aduenit, spõgiámque diuini mœroris & refrigerij piarũ lachrymarũ aquas nobis clemẽs porrigit, quibus deleãtur scelera chirographi nostri. Serua eã vt pupillã oculi tui, donec sponte abeat. Lõge enim maior est huiusmodi cõpunctionis vis, quàm eius quam studio nostro & labore acquisiuimus. Non qui quãdo vult luget, is gratiã luctus adeptus est: sed hic magis, qui in quibus vult luget: ne is quidẽ, qui sicut vult luget. Nõnunquam enim luctui, qui secundũ Deum est, inanis gloriæ miscẽtur ingratæ lachrymæ. Quod tunc fieri piè & prudẽter animaduertimus, cùm lugere nosmetipsos, & tamẽ malignari viderimus. Cõpunctio propriè est animi dolor, omni elatione carens, nec vllam sibi omnino cõsolationem indulgẽs, solámq; resolutionem suam horis singulis meditans consolationémq; Dei, qua humiles monachos visitat, vt aquam frigidã expectãs. Quicũque toto cordis sensu luctũ possederunt, hi vitam quoque ipsam suam, vt laborũ plenissimã, lachrymarúmq; & dolorum iugiter materiã sibi ministrantẽ oderũt, corpúsque suum vt inimicũ auersati sunt. Quotiens in his qui secundũ Deum lugere videntur, superbiam aut iram deprehenderis, horũ scito lachrymas, non ex eis esse, quas cõpũctio salubris elicit. Quæ enim 2. Cor. 6. societas, inquit, lucis ad tenebras? Solet adulterina compunctio elationem gignere: ea verò quæ laudabilis & probata est, consolationem. Sicut ignis stipulam inflammat & consumit, ita castæ lachrymæ sordes omnes & visibiles & inuisibiles consumunt. Lachrymarum rationem plerique patrum non patere & esse obscurissimam, atque ad inueniendam difficillimam definiũt, idque in his potissimum qui rudes imbuuntur. Ex multis nanque eas & variis occasionibus gigni, puta ex natura, ex Deo, & afflictione vituperabili, itémq; ex laudabili, ex inani gloria, ex fornicatione & dilectione, ex mortis memoria aliisq; plurimis. Verum omnibus his lachrymarũ modis diuino timore discussis & cognitis ex iugi nostræ resolutionis memoria mundissimas, & ab omni fraudis suspitione alienas lachrymas nobis comparare

Iudicij recordatio.

Tremat orans.

Inebriari in gratiam mortuorũ.

Lugere.

Dormiens in lecto, mortuo similis.

Patientiæ methodus.

Nigræ lugentium vestes.

Doctor pompæ præfertur.

Lachrymarum multiplices.

comparare ſtudeamus. Neq; enim eſt in eis elationis furtiuæ ſuſpitio, ſed emundatio magna profectuſque charitatis in Deũ peccatiq; abolitio & candidiſſima, & ab omni perturbationũ ſtrepitu remota, ac feliciſſima requies. Eos ſanè qui lugent, nonnunquam ab optimis lachrymis inchoaſſe, & in deteriores deſinere, nec nouum, nec mirum eſt, ſed à contrariis aut etiã naturalibus in ſpirituales tranſferri lachrymas, & ſingulare eſt, & laudibus reuera digniſſimum. Hoc autẽ problema manifeſtius nouerunt, qui circa inanem gloriam proniores ſunt. Noli antequam perfecte emunderis, lachrymarum tuarum imbribus credere. Neque enim habet fidem vinũ ſtatim è torcularibus expreſſum. Omnes quidem lachrymas noſtras, quas ſecundum Deum profundimus, eſſe mirum vtiles, nemo eſt qui refragetur. Quænam verò ſit vtilitas earum, in tempore noſtræ migrationis agnoſcemus. Qui ex iugi luctu in Deum proficit, is epulari quotidie & feſta celebrare nõ deſinit. Qui verò corporaliter epulari non deſinit, hũc ſempiternus luctus recepturus eſt. Non enim rei eſt in carcere lætitia, ita ne monachis quidem vera in terra ſolẽnitas. Atque idcirco forſitan honeſtus ille fletus emaculator ingemiſcẽs aiebat: Educ de cuſtodia animã meam, vt exultem iam de tua ineffabili luce. Eſto ſicut rex in corde tuo ſublimis, in humilitate reſidens, & riſui iubens: Vade, & vadat, dulci fletui: Veni, & veniat, ſeruoq; & tyrãno corpori: Fac hoc, & faciat. Si quis beato gratioſoq; luctu ſe veluti ſpõſali indumẽto veſtire curauit, hic ſpecialẽ animę cognouit riſum. Quis putas erit huiuſmodi, qui tempus ſuũ omne tam piè ac religioſè in monaſtica conuerſatione conſumpſit, vt nullum diem, nullam horam, nullum momentũ aliquando perdiderit, quod non in diuino ſeruitio religioſiſq; operibus expenderit, id apud ſe iugiter ac ſolicite reputãs, poſſibile non eſſe eundem diem bis in vita conſpicere? Beatus quidem is monachus, qui cœleſtibus ac intellectualibus virtutibus defigere animi obtutus valet. Sed ille ſanè abſque metu ruinæ eſt, qui ex mortis ſcelerúmque memoria, genas ſuas viuentium aquarum perpetuis imbribus rigat. Facile autem adducor, vt credã priorem illum ſtatum per hũc ſecundũ, profeciſſe, atque ad illam felicitatem perueniſſe. Vidi ego mendicos ac pauperes improbos, facetis quibuſdã verbis ipſa quoq; regũ corda ad miſericordiam inclinaſſe. Vidi item pauperes, ac virtutibus inopes, nõ vrbanis quidẽ, ſed humilibus, tenebráſque ac hæſitationem teſtantibus verbis, ex profundo corde ad cœleſtẽ regem ſumma improbitate atque perſeuerantia clamantes, inuiolabilem illius naturam atque clementiam violaſſe. Qui lachrymarũ ſuarum gratia in animo inflatur, eóſq; qui non lachrymãtur damnat, is ei ſimilis eſt, qui ab imperatore contra inimicos ſuos accipit arma, híſq; ipſis ſemetipſum necat. Non indiget Deus lachrymis noſtris, ô ſocij, neque hominem ex cordis anguſtia lugere vult, ſed magis ex inſigni ad Deũ charitate, in hilaritate animæ lætari. Peccatũ remoue, & ſuperfluæ iam erunt iam ſenſibilibus oculis fuſæ mœſtæq; lachrymæ. Neq; enim cauterio opus eſt, ſi vulnus deſit. Non erant in Adam ante præuaricationem lachrymæ, ſicut nec poſt reſurrectionem iam deſtructo peccato erunt. Siquidẽ tunc aufugit

Pſal. 141.

Matth. 8.

Tempus irreuocabile.

Verbis corda flectere.

Comẽnens alios ſe interimit.

A dolor & triſtitia & gemitus. Vidi in quibuſdam luctum, vidi item in aliis, eo quod luctu indigerẽt luctum: his autẽ & ſi luctus nõ deſit, tamẽ & qui illum non habẽt ita afficiuntur, per quam hanc animi decoram caſtitatẽ inuiolabiles furibus permanẽt. Atque hi ſunt, de quibus dictũ eſt: Dominus ſapiẽtes facit cæcos. Solẽt enim ipſę quoq; lachrymæ leuiores quoſdã nonnunquã attollere, quocirca quibuſdam diuina diſpẽſatione ſubtrahũtur, vt dum ſeipſos priuatos viderint, ſtudioſius eas requirentes miſeros ſeipſos agnoſcãt, gemitibúſque & mœrore ac dolore animi profundáq; triſtitia & hæſitatione ſe conterãt, quæ omnia lachrymarũ vices implere ſolent, & ſi ab ipſis nimiũ viliter nihil æſtimentur. Inueniemus nonnunquam, ſi obſeruemus diligẽtius, ridiculũ quiddam dæmones in nobis moliri. Nam cum ſaturitate diſtenti fuerimus, compungunt nos, rurſum cùm ieiunauerimus obdurãt, vt ſeducti lachrymis parẽti vitiorũ gulæ ac delitiis noſipſos exponamus. Quibus obtemperãdum non eſt, ſed omnino cõtra faciẽdum. Equidem ipſam compũctionis vim cõſiderans ſtupeo, quonã modo ea, quæ luctus & mœror dicitur, gaudiũ intrinſecus & lętitiã, veluti mel & fauum, comeſta poſſideat. Quid igitur ex hoc nobis innuitur? Id profectò, quod proprie Dei donũ huiuſmodi compũctio eſſe pro conB feſſo habeatur. Eſt tũc in anima iucunda voluptas, Deo latenter mœſtos & cõtritos corde cõſolante. Verũ vt occaſio efficaciſſimi luctus doloríſq; perutilis nõ deſit, hiſtoriã omnino miſerabilẽ ad ædificationem animarũ referre libet: Stephanus quidã hoc in loco habitãs, ſolitariã & quietam vitam adamauerat. Hic cùm annos plurimos in monaſtico certamine egiſſet, ieiuniſſq; maximè & lachrymis eſſet ornatus, aliiſq; prętereà virtutũ priuilegiis floreret, cellulã ad radicem mõtis, in quo ſacrã illã diuinámque viſionem ſpeculatus olim fuerat Helias, ſibi cõſtruxerat. Hic igitur tã venerandus moribus, intẽſione maioris laborioſioríſque pœnitẽtiæ profectus eſt ad Anachoritarũ locum, cui Fides, nomẽ erat. Quo in loco cùm annos aliquot arctiſſimo vitæ inſtituto peregiſſet! erat enim hic locus ab omni conſolatione mortali penitus remotus, omnibúſq; ferè hominibus inuius (ſeptuaginta enim ferè milibus paſſuũ ab omni humana habitatione diſiunctus erat) rurſus extremo vitæ tẽpore rediit, cupiens in cellula ſua priore ſancti illius mõtis habitare. Erãt autẽ ibi duo ex Palęſtina diſcipuli admodum religioſi, qui etiã pridie obſeruabant cellulam ſenis. In qua cum paucos egiſſet dies languorẽ incurrit, ex quo & mortuus eſt. Igitur ante vnũ exitus ſui diẽ repẽte animo obſtupuit, apertiſq; oculis ad C dexteram atq; ad ſiniſtram partem lectuli circumſpiciebat, & quaſi rationem quidam à ſe exigerent, cunctis qui aſtabant audientibus, aiebat aliquando quidẽ; ita ſanè, Sic reuera eſt, ſed pro hoc tot annis ieiunaui. Aliquãdo verò: Non certè, ſed mẽtimini, hoc non feci. Deinde rurſus: Ita vere eſt, hoc ita eſt, ſed fleui, ſed miniſtraui. Ac rurſus: Vere me accuſatis. In quibuſdam etiam aliquando aiebat: Ita ſanè, & quidem ad hæc quid dicam non habeo, ideò miſericordia eſt. Et erat profectò ſpectaculum horrendum ac terrificum, inuiſibile illud ſæuiſſimúmque iudicium, in quo etiam (quod terribilius eſt) &

Lachrymæ poſt ſaturitatem.

Compunctio donũ Dei.

Hiſtoria.

3. Reg. 19.

Fides anachoritarũ locus.

Viſio ante mortem.

quod non fecerat illi obiiciebãt (me miserũ) quietis ac solitudinis sectatori, in nonnullis verò peccatorum suorũ quid ad hoc respõdere posset se non habere dicebat, qui iam fere quadraginta annos monachus fuerat, & lachrymarũ gratiã habuerat. Væ, væ, vbinam erat Ezechielis vox, quam illis obiiceret: In quacũque hora ingemuerit peccator, saluus erit. Et illud: Quia in quo te inueniam, in eo te iudicabo dicit Dominus. Vere nihil huiusmodi respondere potuit. Cuius rei gratia illi gloria, qui solus agnouit. Quidã verò mihi veraciter affirmauerunt, quod hic, dum esset in eremo, leopardũ quoque ex manu sua nutriebat. Hic ipse tamen cùm adeò infeste ratio à se exigeretur, carne solutus est, quod iudicium, quis terminus, quæ sententia, quis rationis eius finis fuerit, incertũ penitus relinquẽs. Sicuti vidua, quæ viro suo fuerat orbata, si filius sibi sit vnigenitus, illi soli vnitur, eiúsque post Dominũ solatio potitur, ita anima si lapsa fuerit, nullo alio solatio exitus sui tempore tam secure nititur, vt abstinẽtiæ labore ac lachrymis. Huiusmodi nũquàm concinet, neque in hymnis secũ iubilabit, hęc enim luctum interrumpũt & perimũt. Quod si tu per ea luctum tibi constituere studes, adhuc ea res abs te remotissima est. Luctus quippe certus fixúsque dolor est animæ peritæ præcursor beatissimæ trãquillitatis, in plerisque præaptans & immundans consumẽnsque omnium virorum syluam. Quidam honesti hùius boni probatus operarius, ista mihi de se narrauit. Cùm, inquit, sæpius studiose instituerem aduersus inanem gloriã siue iracundiam siue ventris saturitatem omnino bellum gerere, luctus ratio subclamãs mihi intrinsecus attestabatur: Noli inani gloria efferri, nam recedam abs te. Similiter quoque in aliis perturbationibus dicebat. Cui ego aiebam: Nunquã tibi ero inobediens, donec me Christo Domino sistas. Luctus quidẽ profunditas consolationem aspicit, cordis verò mũditia illustrationem suscipit. Illustratio ineffabilis est quædam efficacia, quã ignotè intelligim⁹, & inuisibiliter aspicimus. Consolatio, est refrigerium afflicti animi, infantis in morem in seipso vagientis, simúlque gratè & iucundè subridentis. Suffragio est animæ quæ in mœrore ceciderit innouatio, afflictas lachrymas in eas quæ sunt pacatissimæ mirabiliter transferens. Lachrymæ solent metum excludere, vbi verò timor excussit timorem, continuo serena lux gaudij illuxit. Cùm autẽ indeficiens id gaudium desierit, flos sanctæ charitatis orietur. Humilitatis manu adueniens gaudiũ abs te vt indignus abiice, ne forte dum nimium facilis ad susciendum es, lupum pro pastore suscipias. Noli propere ad contemplationem currere in alieno tempore, vt hæc humilitatis tuæ pulchritudinem insequens tibi in seculum seculi castissimo iungatur amplexu. Principio quidem infans cùm agnoscit patrem, gaudio penitus impletur: si verò ille certa ratione peregrè profectus fuerit atque iterum redierit, gaudij simul & mœroris infans plenus efficitur. Gaudij quidẽ, quia eũ quem cupiuerat videt, mœroris, quia tãto tempore honesta illa pulchritudine priuatus est. Abscondit seipsam infantis mater, quem si se viderit anxiè inquirere, gaudio afficitur, sicq; illũ instruit sibi adhærere iugiter, affectumq; suum altius infanti imprimit, eumq; ad se ardẽtius amandũ inuitat. Qui habet aures audiẽdi audiat, ait Dominus. Non angetur spectaculorũ ordinandorum cura is reus, in quẽ fuerit lata sententia: ita ne is quidẽ qui attentius luctui studet, delitiis aut gloria aut furore aut iracundia vndecunque capietur. Luctus est pœnitentis animæ certus & fixus dolor, quotidie dolores doloribus adiiciens. Iustus & sanctus Dominus, qui & eum qui ratione sectatur quietẽ, ratione compungit, & eum qui ratione subditur quotidie lætificat. Qui horũ alterũ non legitimè arripit, hic luctu priuatũ se intelligat. Abiice abs te eum, qui in profundissimo luctu ad te accedit canẽ, Deumq; tibi inclementem & immisericordem suggerit. Nam si diligenter obserues, inuenies illũ cùm ad peccatum te hortatur clementẽ & misericordem, atque ad ignoscendum facilem Deũ tibi polliceri. Exercitatio assiduitatem gignit, porrò assiduitas in sensum infirmissimũ definit. Quod autem in sensu fit, difficile auferri potest, etiam quodlibet magnũ atque electissimum vitæ institutũ arripueris, id quasi externum & nothum existimare debes, nisi cor afflictum mœrénsque possideas. Oportet enim reuera maximéque necesse est, vt qui post salutare lauacrum inquinati sunt, igne cordis infatigabili ac miseratione Dei manus suas (vt ita dixerim) pice excutiant. Vidi ego apud quosdã supremum terminũ luctus, sanguinem enim eos præ afflicto & percusso corde profundere ex ore conspexi, recordatúsq; sum eius qui dixit: Percussus sum vt fœnũ, & aruit cor meũ. Illæ quidem lachrymæ, quas metus gignit in seipsis custodiã possident: quæ verò ex charitate prodeũt antequã ipsa perficiatur in quibusdã facile fortasis auolãt, nisi forte ignis ille sempiterne memorãdus operis tempore cor penitus incẽdat. Et est sanè mirabile quomodo id quod vilius & indignius est, certius atq; securius sit suo in tempore. Sunt materiæ quæ fontes nostros exiccant, sunt item quæ in ipsis & cœnum & feras beluas pariant. Per priores quidem illas, Loth filiabus suis nequiter congressus est: per feras vere diabolus decidit. Ingens in hostibus nostris versutia, summa nequitia est, vt virtutũ materias, materias vitiorũ & humilitatis authores, materias superbiæ opifices faciant. Solent nonnunquam ipsæ etiam sedes nostræ & locorum species animum nostrum ad compunctionẽ excitare. Doceant te hoc Iesus & Helias & Ioannes soli apud se orantes. Animaduerti plerunque in ipsis quoque ciuitatibus mediisque tumultibus moueri nobis lachrymas, ea profectò arte dæmonum, vt putantes quidã nihil se ex his tumultibus lædi, sæculo appropinquare non metuerent. Verbum vnum nonnunquam dissoluit luctum, mirum verò si vnum quoque verbum rursus illum reuocare, postquam auolauerit, possit. Non accusabimur ô socij, neque nobis crimẽ dabitur in separatione animæ à corpore, quod non miracula egimus, quod nõ de theologia disseruimus, quod non contemplationi operam dedimus, sed ob hoc maxime rationem omnino Deo reddituri sumus, quia lugere vnquam destitimus.

Inanis gloria.

Ezec. 18.

Luc. 1.

Matt. 11.

Simi

Sangui

Psal. 101.

Prou

Genes.

De iræ vacuitate & mansuetudine. Gradus VIII.

SIcut aqua, si paulatim igni adiiciatur, flammam penitus extinguit: ita & veri luctus lachrymæ omnẽ flammã iracũdiæ ac furoris extinguere consueuerunt.

ſueuerunt. Quocirca nos quoque iſta conſequenter ſuo ordine ſubiiciemus. Iræ vacuitas inexplebile eſt ignominiæ deſiderium : ſicut contra in his qui inani gloriæ ſtudent, infinitus eſt laudis appetitus. Iræ vacuitas, eſt naturæ ſuperatio abſque vllo iniuriarum ſenſu, ex certaminibus & ſudoribus proueniens. Manſuetudo, eſt animi immobilis ſtatus inter vituperationes & laudes eodē modo perſeuerans. Initium quidem iræ vacuitatis, eſt labiorum ſilētium in perturbatione cordis, medium autem, ſilentium quoque ipſarum cognitionum in animi tenuiſſimo metu : finis vero eſt inter immundorum ſpirituum flatus ſtabilis ac fixa trāquillitas. Ira, eſt toleratio occulti odij, memoria ſcilicet iniuriarum altè animo impreſſa. Ira eſt deſiderium, quo cum qui nos irritauit affligi cupimus. Iracundia, eſt ſubita cordis excandeſcentia, nec diuturna. Amaritudo eſt iniucundus atque inſuauis motus in animo conſidens. Furor, eſt morum inconſtans motus animique turpitudo. Sicut cum ſol apparuerit fugātur tenebræ, ita cum afflare cœperit ſuauiſſimus humilitatis odor, omnis amaritudo, omníſque furor ex animo exterminatur. Quidā cum ſint nimiū ex furore mutabiles, negligentiores ad hunc ſanādum curandúmque fiunt, non intelligentes miſeri quid ſcriptura ſacra commemoret dicens: Momētum furoris eius ruina eſt illi. Velox eſt motus molæ vno ſæpe momento, amplius triticum animæ, & fructum vitæ conterens atque demoliens, quam faceret die aliàs integro. Quocirca prudenter & toto animo attendendum eſt. Ea ſæpe flamma, quam ſubito vehemens ventorum flatus accenderit, fructū cordis amplius adurit & perimit, quā ea quæ & lentius exſiccata eſt, & diutius viget. Ne iſtud quidem vos latere debet amici, quod ad tempus iniqui ſe dæmones aſtu ſubducunt, vt dum maxima vitia veluti minima negligimus, iam inſanabiliter ægrotemus. Sicut lapis acutus angulis aſper, ſi aliis lapidibus contundatur & collidatur, omne illud acumen amittit, ſolidáque eius aſperitas contrita diſſoluitur, fitq; rotundus atque leuis: ita & anima dura atque ad iracundiam prona, ſi duræ & iracundæ vitiorum multitudini admiſceatur, atque cum eis vnà degat, alterum à duobus ſuſtinet: aut enim ex tolerantiæ virtute proprium curabit vulnus, aut ſi iniuriis fatigata ceſſerit, ſuam penitus infirmitatem noſcet, quam ſibi ignauia hæc fuga veluti ſpeculum quoddam ante oculos ponet. Furibundus, eſt caducus voluntarius, qui dum anticipatur, inuitus cadens, colliditur atque diſrumpitur. Nihil minus pœnitentibus conuenit, quam concitatus furor. Quippe conuerſio, ſumma indiget humilitate, hic vero maximi timoris argumentum eſt, ſi is demum ſupremæ humilitatis terminus pro confeſſo habetur, vt eo etiam præſente à quo irritamur, ſereno illum ac trāquillo corde diligamus, is ſine dubio finis furoris erit, ſi ſoli dum degimus, aduerſus eum qui nos in aliquo læſerit, & verbis & geſtibus repugnantes vtamur. Si ſpiritus ſanctus animæ pax & diffinitur & eſt, nihil æque vt furor eius à nobis præſentiam ſegregare poterit. Cū per multas atque diras furoris ſpecies agnouerimus vnam ipſius ſolámque progeniem (& ſi adulteram) vtilem tamen eſſe deprehendimus. Vidi enim nōnullos, qui cum vſque ad inſaniam excanduiſſent, diuturnámque adeo ac penitus in medullis inſitam iniuriarum memoriam euomuiſſent, per vitium illius cōmotionis fuiſſe liberatos, cum is qui eos læſerat prioris diuturníque doloris, illos vel pœnitentia vel ſatisfactione curaſſet. Vidi itē alios, qui irrationabili longanimitatis ſpecie ex ſilentio memoriam illatæ iniuriæ in intimis recōdiderunt, eóſque inſanis deteriores atque infeliciores eſſe iudicaui, quippe per atramentum columbæ candorē demoliti eſſent. Summa igitur aduerſum ſerpētem iſtum cura & diligentia pugnandum eſt, & ipſe enim naturam habet adiutricem nō ſecus, quam turpis cōcupiſcentiæ coluber. Vidi nonnullos iracundiæ furiis ſuccēſos, præ amaritudine animi cibumà ſe omnino reieciſſe qui tamen ex hac irrationabili continentia venena venenis adiecerunt. Vidi itē alios, cum veluti rationabilē cauſam furoris nacti eſſent, gulæ illecebris ſeipſos addixiſſe, ac veluti ex fouea in præcipitium corruere. Alios item aſpexi prudentiores, qui peritorū more medicorū, vtriſque commixti ex æquabili & moderata conſolatione maxima emolumenta conſecuti ſunt. Nonnunquā moderata melodia furorem optime lenit & mitigat, ſępe vero ea quæ immoderata eſt & importuna cum voluptate coniungitur. Ea igitur ſic demum optime vtemur, ſi tempora aptiſſime ad normam dirigamus. Cum ſederem aliquando cuiuſdam neceſſitatis cauſa iuxta quorundam ſolitariorum cellulā audiui illos perdicum more intus ſumma amaritudine & furore apud ſe corrixantes, atque in eius perſonam qui ſe læſerat tāquam is præſens eſſet petulantiſſimè inſilientes. Quos ego ne vltra in ſolitudine ſederent pie & fideliter monui, ſi nollent ex hominibus dæmones fieri. Vidi rurſus alios corde laſciuo ac lubrico eſcarū nimietate diſtēdi, qui mites ſe eſſe & blādos, atque (vt ita dixerim) amatores fratrū ſimulantes, perſonam ſibi ſanctitatis & honeſtatis imponerēt, quos vt ſolitudinē ſectarentur hortatus ſum, veluti ferramentum quoddā luxui & eſcarum nimietati inimicum, ſi nollent ex rationali in brutam naturā miſerabiliter decidere. Cū vero quidam mihi vtriſque ſe miſerabilius efferri, dicerent, eos ego ſuæ voluntatis arbitrium ſequi prorſus inhibui, eorúmque præceptoribus hoc amice ſuggeſſi, vt hunc aliquādo, nonnunquam vero illū ordinem eos ſequi permitterēt, dum illi per omnia rectori atque gubernatori ceruice ſubmiſſa perfecte obtēperarēt. Is etenim, qui voluptatibus ſtudet, ſeipſum fortaſſis aut alterum ſuorum morum diſcipulū corrūpere ac perdere ſolet: iracundus vero lupi in morem gregem totum ſæpe perturbat, animáſque plurimas humiliās vulnerat. Graue quidē eſt oculū cordis præ furore turbare, ſecūdū Pſalm. teſtimoniū dicentis: Turbatus eſt à furore oculus meus, longe vero grauius & labiis etiam animi impetū exprimere, grauiſſimum autem ac totius monaſticæ & Angelicæ diuinæque cōuerſioni alienū atque omnino inimicū, manibus quoque furori ſatisfacere. Si feſtucā alterius ſanare vis, vel magis tibi velle videris, noli pro ſcalpello trabē hanc velle recidere atq; retundere. Trabs quippe ſermo durus eſt geſtúſque indecorus, ſcalpellū vero māſueta doctrina mitiſque reſpōſio. Argue enim, inquit, incre-

Manſuetudo.

Simile.

Prou. 28.

Pſal. 6.

1. Tim. 4.

pa, obsecra, non autem etiam percute. Si vero & hoc fieri oporteat, raro omnino ne tunc, quidē per teipsum facere debes. Si diligentius inspiciamus, animaduertemus pleroſque ex his, qui iracūdiæ facib⁹ exagitantur, prōpte ieiunare, vigilare, quietē ſolitudinis ſectari. Eſt enim ea verſutiſſimi dæmonis intentio, idque ſummopere inquirit, vt veluti per rationabilem occaſionem pœnitētiæ & luctus, eas materias, quæ morbo huic incremēta dare poſſint, ſequendas illis perſuadeat. Si lupus vnus (vt antea diximus) gregem totum auxilio dæmonis perturbare poteſt, & vnus profecto ſapientiſſimus frater, velut vter oleo repletus, Angeli adiutorio fretus, fluctuum rabiem in ſerenitatis tranquillitatem cōuertet, nauémq; ſeruabit illæſam, ac pro magnitudine iudicij, quod prior ille promeruit, mercedem à Deo referet, profectus forma omnibus factus. Initium beatæ tolerantiæ eſt, in amaritudine & dolore animæ, ignominias ſuſcipere: medium vero, eas tolerare ſine mœrore: finis autem & conſummatio, ſummam illas laudem exiſtimare. Gaudeas prior, valeas ſecunde, ſed tu felix ac beatus tertie, quippe qui in domino exultas. Notaui miſerandū omnino ſpectaculum in his, qui iracundiæ inſeruiunt, quod illis latenter ex elatione contingit: indignati enim eo quod ira fuiſſent ſuperati, rurſus iraſcebantur. Admiratúſque ſum cum intuerer illos, ruina ruinam vlciſcentes, ac peccato peccatum perſequentes, miſeratus ſum, dæmonúmque verſutiam ſtupens, parum abfuit quin de mea ipſius vita deſperarē. Si quis ſe ipſum tumore & iracundia, nequitiáque & ſimulatione facile ſuperari perſpiciēs, contra hæc manſuetudinis & tolerantiæ ancipitē gladium educere inſtituit: hic profectus veluti fullonum ſalutarem officinam fratrum monaſterium ingredi laboret, atque eorum qui maximè duri immites ſunt, ſiquidem hæc vitia perfectè exuere cupit, vt illic ex contumeliis & ignominiis, dum fratrum vexationibus extenditur atque intellectualiter pulſatur, fortaſſis vero etiam ſenſibiliter calcibúſque tunditur & conculcatur ſordes quæ animæ illius veſtes macularent, diluat. Ipſa te plebeia vox perſuadeat, probrum & contumeliam lauachrum eſſe vitiorum animæ. Solent enim ſeculares, cum aliquem in faciem ignominiis & contumeliis reſperſerint, gloriantes ad alios dicere: Laui illum. Quod profecto verum eſt. Alia in his qui adhuc rudes imbuuntur ex fletu, eſt iracundiæ necatio, & alia in his qui perfecti ſunt, commotionis commoda ceſſatio. Quippe prior illa lachrymis veluti freno quodam ligata eſt, hæc velut ſerpens à beata trāquillitate veluti à gladio quodam acutiſſimo necata eſt. Vidi ego tres vnà monachos iniuriis affectos, ex quibus vnus mordebatur quidem iniuriis, atque perturbabatur, ſed tamē ſilētio premebat iracundiā alius vero gaudebat quidem ex lucro ſuo, ſed eius qui ſe maledictis inſectatus fuerat peccato angebatur: tertius vero proximi tantum damna ſecum voluens, vim ardentium lachrymarum perfundebat. Erátque ſuaue ſpectaculum, timoris & mercedis & charitatis operario aſpicere. Sicuti corporū febris cum vna ſit, non vnam, ſed plures habet ſui occaſiones ardoris, & furor atque commotio, fortaſſis vero & aliarum ſpecies perturbationum noſtrarum plurimas ac varias occaſiones & cauſas habere noſcuntur. Quocirca poſſibile non eſt, tantam rerum varietatem eodem modo diffinire, ſed magis conſilium ex animo meo do, vt pro ſolicito ægrotantium ſtudio quiſque medicinæ cōpendium inquiramus. Primum itaque remedium erit, vt quiſque cauſam ſui doloris agnoſcat. Cauſa quippe cognita contra hanc medicamenti etiam auxilium ex prouidentia Dei ſpiritaliúmque virorum diligētia ſuſcipiemus. Qui nobiſcum in domino vnà ingredi cupiunt, noſtro exemplo admoniti in illud propoſitum nobis intellectuale iudiciū ingrediantur, prędictáſque turbationes ſiue cauſas quodāmodo ſubobſcure ſimul examinent. Vinciatur iam tyrannus iſte manſuetudinis nexibus, flagellóque lōganimitatis verberatus, atque à charitate pertractus ſiſtatur tribunali rationis, atque vt conuenit examinetur & ita diſcutiatur. Dic nobis ô ſtulte & turpiſſime genitoris tui, & eius quæ te male peperit appellationem, filiorúmque tuorum, & ſceleratiſſimarum filiarum, præterea & eorum qui te debellant & necaturi ſunt nomina edicito. Ille vero ſic interrogatus, ita reſpondere videbatur: Plurimæ generationes meæ ſunt, nec vnus mihi pater eſt. Matres vero meæ ſunt, inanis gloria, cupiditas, gaſtrimargia, nonnunquam vero & fornicatio. Qui autem me genuit, faſtus appellatur. Porro filiæ meæ, memoria iniuriarum, inimicitia, diſceptatio, & odiū. Aduerſariæ vero meæ, quibus nunc vinctus teneor quæ his obiectæ ſunt, manſuetudo & iniraſcentia. Ea autem quæ mihi inſidiatur, humilitas dicitur. Quis vero illam genuerit, loco ſuo illam interrogate.

De memoria iniuriarum. Gradus IX.

SAnctæ quidem virtutes Iacob ſcalæ comparantur, vitia vero nepharia ei qui cecidiſſe legitur ex Petri ſummi Apoſtoli manibus catenæ. Et illæ quidem ſimul nexæ, atque altera ad alteram tranſmittentes in cœlum ſuſtollunt amatores ſuos, vitia vero ſe inuicem gignere atque arctiſſime complecti conſueuerunt. Quocirca cum iam audierimus implacabilem furorem, progeniem ſuam memoriam iniuriarum appellantem, de ea nunc inuitante nos tempore loquamur. Memoria iniuriarum, eſt furoris complementum, peccatorum cuſtos iuſtitiæ odium, virtutum perditio, venenum animæ, mētis aſſiduus vermis, orationis confuſio, deprecationis exciſio, charitatis alienatio, clauus infixus animæ, iniucundus ſenſus, qui in amaritudinis ſuauitate diligitur, iuge peccatum, nunquam dormiens iniquitas, horis ſingulis admiſſa malitia. Eſt iſtud quoque tenebroſum ac moleſtiſſimum vitium. Dico vero iniuriarum memoriam, vnum ex his quæ generātur, nec gignūt, ſiue etiā gignūt, atque ideo plura de illo loqui volumus. Qui iracūdiā ſedauit, is huiuſmodi memoriā peremit. Dū enim viuit pater filios generare nō ceſſat. Qui charitatē poſſidet, iracundiam ab ſe fugauit. Qui autem inimicitias exercet, importunos ſibi labores congregat. Charitatis menſa diſſoluit odium, & dona mundiſſima emolliunt animam. Menſa neglecta mater confidētiæ, & per feneſtram charitatis vētris ingluuies ingreditur. Animaduerti odium, vinculum fornicationis

Gen. 28. 12. Petrus & mus apoſtolus.

Memoria iniuriarum.

cationis diuturnum dirupisse, memoriámque iniu- A riarum illic iam mirabiliter & præter spem perse-
ueraſſe. Mirandum sane spectaculum, dæmonem à
dæmone sanari conspicere: sed hoc fortassis est ex
dispensatione opus Dei, non dæmonum. Longissi-
me à charitate valida & naturali remota est memo-
ria iniuriarũ, eíque facile appropiabit fornicatio,
videásque latẽter in columba corruptionem. Ideo
quem mordet iniuriarum memoria, aduersus dæ-
mones id magis patiatur: & quem delectat blandũ
inimicitiarum venenatúmque odium, corpori suo
semper infestus inimicus sit. Amicus ingratus ac
Scripturã detorquet iracundus. doloſus, caro est: & si foueatur, amplius lædit. Solet B
scripturas differere memoria iniuriarum, atque ad
propriæ affectionis sensum sancti spiritus eloquia
Oratio Christi. violenter attrahere. Confundat huiusmodi Iesu
oratio, quam si iniuriarum memoriam seruemus,
cum illo dicere non possumus. Si post ingẽtem lu-
ctam huiusmodi peruersitatem omnino destruere
non valeas, saltem verbis & corporis habitu inimi-
co tuo te pœnitere significa, vt vel hanc ad illum si-
mulationem diutiùs veritus, perfecte tandem illum
diligere cogaris, à conscientia veluti ab igne quo-
Quis iniu- riæ obli- tus. dam assiduè admonitus. Hac vero putredine ac pe-
ste tum demum perfectè te curatum intellige, non
cum pro eo qui te contristauit oraueris, non cum C
illum muneribus affeceris, non cum ad mensam
tuam eum perduxeris: sed cum cognita illius ali-
qua calamitate, siue corporali, siue spirituali, quasi
ipse eam perpessus fueris, ita te angi dolore atque
illachrymari perspexeris. Monachus solitarius, qui
hanc seruat in semetipso memoriam, aspis nidificãs
est, læthale virus secum vbique circumferens. Me-
Cogitatio iracundi. moria passionum Iesu huiusmodi curabit animam,
dum in illius clementiam ac tolerantiam intuens,
valide confusa erubescit. Ligno putrido intrinse-
cus gignuntur vermes, & mitissimis moribus quie-
tique adulterinæ cohæret iracundia. Qui hanc eii-
cit, remissionem repetit: qui vero illi agglutinatus
est, miseratione priuatur. Laboribus se quidam ac D
doloribus, vt veniam mererentur exposuerunt: hos
tamen vir, qui iniurias obliuiscitur, facile anticipa-
uit. Siquidem illud verissimum est quod dicitur:
Matt.6. Dimittite celerius, & copiosè dimittetur vobis. Ve-
ræ germanæq; pœnitentiæ certum argumentũ est,
obliuio iniuriarum: qui vero inimicitias tenet, &
se pœnitere existimat, similis est ei, qui se in somnis
currere putat. Vidi iniuriarum memores, dum se
huiusmodi salutari obliuione admonerẽtur, verba
sua reueritos ab hoc quicuisse vitio & peste. Nemo
huiusmodi obtenebrationem simplex esse ac tenue
vitium existimet. Solet enim ad ipsos quoque spi-
rituales sæpius ostendi. E

De detractione. Gradus x.

NVllus reor prudentium & rectè sentientiũ ex
odio & iniuriarum memoria detractionẽ nasci
refragabitur. Quocirca & post maiores suos, veluti
in serie constituta est. Detractio est proles odij, te-
nuis languor, pinguis & occulta ac latens sangui-
suga, quę charitatis omnem consumit ac demolitur
sanguinem, dilectionis simulatio, cordis sordes, ac
duritiam parans, castitatisque exterminatio. Sicuti
quædam sunt adolescẽtulæ, quæ mala sine vllo ve-
recundiæ rubore operantur, nonnullæ vero, quæ

grauiora his, clam ac verecundius faciunt, ita & in
passionibus ignominiæ fieri videas. Huiusmodi ve-
ro adolescentulæ sunt, simulatio, nequitia, mœror,
memoria illatæ iniuriæ, cordisque detractio, quæ
alias suggerere videntur, & ad alia intentæ sunt.
Audiui detrahentes quosdam, eósque protinus in-
crepatione coercui. Qui cum mihi satisfacere vel-
lent, hoc se ex eius charitate & cura, cui detrahe-
bant facere, dixerũt. Ego vero eis, quiescite inquã Psal. 100.
atque ab huiusmodi charitate cessate, ne ille men-
tiatur, qui ait: Detrahentem secreto proximo suo
hunc persequebar. Si te dicis diligere, clam, ora ne-
que obiurges: hunc quippe charitatis modũ Deus
libentissime suscipit. Neque istud cogitare obmit-
tas, si te à iudicando peccantem sobrium omnino
seruare cupis; quod & Iudas in choro discipulorum
fuit, & latro in homicidarum numero: mira tamen
in vno temporis momento vtriusque facta est retri-
butio & commutatio. Si quis detractionis spiritũ
superare cupit, non peccanti fratri, sed suggerenti
dæmoni causam scelleris ascribat. Nullus enim est,
qui in Deum peccare velit, & si omnes non coacte,
sed sponte peccemus. Vidi aperte peccantem, atq;
occulte pœnitentiam agentem, & quem vt nequis-
simum iudicaueram, inueni pudicum ac sobrium
apud Deum existimari, cum illum per conuersionẽ
& pœnitentiam sibi propicium fecisset. Noli eum Detractor corripien-
vereri, qui apud te proximo detrahit, immo vero dus.
dicito ei: Quiesce frater, ego in his quæ grauiora
sunt quotidie delinquo: illũ ergo quomodo dãna-
re possum. Hoc enim vnico medicamento duo ista
lucraberis, quod & teipsum & proximum curabis. Matt.7.
Est inter reliquas quę ad remissionem peccatorum
ducunt, & ista admodum compendiosa via scilicet Iudicate.
à iudicando abstinere. Siquidem id verissime dici-
tur: Nolite iudicare, & non iudicabimini. Alienis-
simus est ab aqua ignis, ita & iudicare ab eo qui pœ-
nitere cupit, etiamsi in ipso animæ à corpore digres-
su quempiam peccare videris, ne tum illum qui-
dem damnare audeas. Incertum est enim homi-
nibus iudicium Dei. In magnis quidem delictis
aperte lapsi sunt, maiora vero clam operati sunt. Se-
ducti sunt ergo, qui libenter aliorum mores corri-
piunt, fumum pro sole amplectentes. Audite me
obsecro, audite pessimi aliorum iudices. Si verum Matt.7.
est, vt est profecto verissimum, quod in quo iudi-
cio iudicaueritis iudicabimini, proculdubio in qui-
bus causati fuerimus proximum, in eadem quoque
ipsi incidemus, siue spiritalia illa fuerint, siue cor-
poralia, neque aliter fieri potest. Qui celeres nimi-
úmque diligẽtes proximi iudices sunt, hoc idcirco
patiuntur, quia nondum peccatorum suorum fixã
ac perfectam memoriam curámque susceperunt. E
Nam si quis amoto proprij amoris velamine mala
sua diligẽter inspiciat, nullius iam rei alterius in hac
vita curam geret, id apud se reputans tempus sibi
sufficere non posse, quo seipsum lugeat, etiam si
centum annos vixerit, etiamsi totum Iordanẽ flu-
uiũ in lachrymas versum ex oculis suis manare per-
spexerit. Notaui luctum, nec vllum in eo detracti- Cogitans sua, aliorũ peccata nõ aduertit.
onis aut condemnationis vestigium inueni. Aut ita-
que peccare nos dæmones vrgent, aut cum nõ pec
cauerimus iudicare peccantes, vt per hoc secundũ
primum illud homicidæ inquinent. In hoc scito

Memor iniuriæ. eos qui memoriam illatæ sibi iniuriæ seruãt, atque inuidos aperte dignosci, quod doctrinam & opera virtutésque proximi libenter & facile vituperant & calumniantur, spiritu odij miserabiliter præcipitati ac demersi. Vidi quosdam clam ac sine arbitris scelera penitus horrenda perpetrare, qui quod putarent se esse mũdissimos, eis qui publice leuia admittunt aliqua, grauissime imminebant. Iudicare, est impudens direptio diuinæ dignitatis, condemnare autem, animæ propriæ interitus. Sicuti elatio sola absque alio vitio comite perdere se habentem potest: ita & iudicandi vitium, & si solum in nobis

Lucæ. 18. fuerit, perfecte nos perdere valebit. Siquidem & pharisæus ille, ex hoc solo cõdemnatus est. Bonus & probus vuæ lector matura acina comedens, acer-

Simile. ba legere nũquam patietur: porro grati viri ac prudentis animus quotquot in aliis virtutibus inspexerit, studiosissime notabit: insipiens vero querelas defectúsque perscrutabitur, de quo & dictum

Psal. 63. est: Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutationes. Neque si oculis suis peccatum videris, condemnes, neque illis credas: sæpius enim falluntur & ipsi.

De loquacitate. Gradus XI.

DIximus in præcedentibus breuiter, quam sit periculi plenissimum, vtq; eos quoque qui spirituales videntur, nonnunquam subrepit iudicare proximos, immo vero iudicari, atque à lingua cruciari: nunc vero causam iam & ianuam per quam ingreditur & egreditur, consequens est paucis eloqui suóque loco statuere. Loquacitas, est inanis gloriæ sedes, per quam seipsam iudicare atque in publicum producere solita est. Loquacitas, ignorantiæ est certum argumentum, detractionis ianua scurrilitatis dux, mendacij opifex, compunctionis desolatiõ, acediæ author siue euocatrix, somni prę-cursor, intentæ fixæq; cogitationis dissipatio, custodiæ exterminatio. Contra vero taciturnitas in cogitatione mater est orationis, captiuitatis reuocatio, ignis diuini amoris obseruatio, cogitationũ diligens inspectio, specula hostium, carcer luctus, lachrymarum amica, memoriæ mortis operatrix, suppliciorum pictor, iudicij indagatrix, sagax mœroris subministratrix, inimica fiduciæ, quietis coniunx, ambitiosæ doctrinæ aduersatrix, scientiæ adiectio, speculationis opifex, secretus in Deum profectus, occultus ascensus. Qui peccata cognoscit, continet linguam suam, qui vero loquax est, nondũ seipsum, vt oportet, agnouit. Studiosus silentij appropiat Deo ipsiq; iugiter in abdito cordis assistens illustratur ab eo. Iesu silẽtium admirationi &

Ioan. 19. reuerentiæ Pilato fuit. Viríque quieta & silens vox profligauit inanem gloriam. Verbum dixit Petrus & fleuit amariter, quia illius immemor fuit, qui

Amariter. Psal. 38. ait: Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Alteriúsque dicentis: Melius est è sublimi cadere in terram, quàm ex lingua cadere. Plura quidem de his scribere nolo, & si plures me huius vitij astutiæ id facere hortentur. Audiui tamen aliquando virum quendam cuius apud me plurimũ valebat authoritas, cum de solitudinis quiete loqueretur asserentem, loquacitatem ex vno horum penitus gigni, aut scilicet ex peruersione & iniqua intemperantíque consuetudine. Lingua enim mẽbrum corporis cum sit etiam quo iam erudita fuerit eius consuetudinem requirit. Aut rursus in his qui in certamine sunt, maxime vero ex inani gloria nõnunquã vero ex ingluuie ventris. Quocirca plurimi sæpe cum frenarent ventrem violentia iam ac debilitate quadã, & linguam & eius verbositatem concluserunt. Qui curam sui exitus gessit, circuncidit verba, & qui possidet animi luctum, vt ab igne ita fugit, à loquacitate. Qui diligit solitudinis quietem, clausit os suum. Qui vero processionibus gaudet, hunc vitium hoc cella perturbat. Qui altissimi diuiníque ignis flagrantiam sensit, is non secus quã apis fumum, omnem fugit hominum cœtum. Apẽ quippe fumus exagitat, huius vero proposito cœtus hominum est contrarius. Paucorum reuera est aquam nullis aggerum molibus septam suis meatibus arcere, sed multo paucorum est incontinens edomare os.

Loquacitas pessima.

De mendacio. Gradus XII.

EX lapide quidem ac ferro excutitur ignis, ex loquacitate vero ac iocis mendacium nascitur. Mendacium est charitatis exterminatio, periuriũ vero Dei abnegatio. Nullus recte sentientium parum esse mẽdacij peccatum existimat. Quippe cõtra nullum vitium terribiliori sententia spiritus sãctus vsus est. Sicut ait Dauid ad Deum: Perdes omnes qui loquuntur mendacium quid iam illi passuri sunt, qui iuramentis mendacia coniungunt & consumunt? Vidi nonnullos mendaciis gloriari, eísque se honestari putare, qui cum iocis ociosóque sermoni ridicula nonnulla subtexerent, audientium luctus miserabiliter demoliti sunt. Quoties dæmones ab huiusmodi facetiarum auditu, velut à pesti-

Facetiæ lentiali morbo statim post inchoationem grauis ac molesti authoris nos fugere velle perspexerint, tũc iam gemina nos ista cogitatione illaqueare nitun-

Ma tur, nobis ita suggerentes. Noli contristare fratrem talia narrantem, aut certe noli teipsum cæteris astantibus meliorem diuinarúmque rerũ studiosiorem iudicare. Exi citius nec moram vllam ibi feceris. Sin alias, in oratione tua ridiculosarum rerum tibi imagines finges. Neque inde fugias solum verum & iniquum cœtum religiosa seueritate dissolue mortis atque iudicij mentionem in medium adducens. Est quippe præstantius ex hoc fortasse modicum inani gloria respergi, vt plurimis ita inuenias vtilitatis author, quam per ignauum & improbum silentium tibi pariter & aliis detrimenti causa fieri. Simulatio, mendacij mater est, sæpe verò etiam materia. Quippe quidem simulationem nihil aliud esse definiunt, quam mendacij meditationẽ atque opificem agglutinatum sibi atque connexũ habentem iusiurãdum. Qui timorem domini possidet, alieniissimus est à mendacio, iudicem habens incorruptum conscientiam suam. Sicut in perturbationibus reliquis damni differentiã agnoscimus ita & in mendatio quoque. Aliter enim ille iudicatur qui per supplicij timorem, aliter qui nullo proposito mentitur. Alius deliciarum mentitur causa. Alius voluptatis gratia. Alius vt astantibus moueat risum. Alius vero vt insidietur fratri eúmque detrimento

mento aliquo afficiat. Ex cruciatibus principum deletur mendacium, ex lachrymarum vero multitudine in finem perimitur. Dispẽsationem allegat, qui mẽdacium suggerit, & perditionem animæ sæpè iustitiam existimat. Raab se imitari argumentatur qui mendacia confingit, per quæ perditione sua aliorum salutem se moliri dicit. Ait quidam. Cum à mendacio mundi fuerimus, tum si ita aliquando necesse sit tempore admoniti ipsum cum timore subeamus. Nescit puer mendacium ita nec anima quidem quæ fuerit ab iniquitate omnino aliena. Qui vino exhilaratus fuerit, & si nolit, vera in omnibus dicet. Qui vero compũctione fuerit inebriatus, mentiri non poterit.

De acedia. Gradus XIII.

VNus & hic nõnunquam ex loquacitatis ramis est, vt iam in prioribus diximus, patriáque progenies, acedia est. Quocirca cõgruum illi ordinem in nequissima cathena distribuimus. Acedia est animi remissio, mentis resolutio, neglectio vitæ monasticæ, professionis odium, è cellula item prodire hortatur, sonitum aliquem, aut fragorem pedúmq; strepitum excitãs. Qui seipsum luget, acediam nescit, hæc seculares beatos dicit. Deum vt inclemẽtem & immisericordem calumniatur, est in psalmodia inualida, in oratione imbecillis, in ministerio ferrea, in opere manuum impigra, in obediẽtia improba. Vir bene subiectus alienus est ab acedia, & per ea quæ sensibilia sunt ad intellectualia proficit. Cœnobium acediæ resistit, viro autẽ solitario, hæc indiuidua in æternum comes est, neque illum ante mortem deseret, quotidiéque dum vixerit illũ oppugnabit. Hæc anachoritæ cellulam intuita subrisit atque appropinquans iuxta sibi tabernaculum fixit. Manè primo languentes medicus visitat, acedia vero monachos circa meridiem. Hospitum susceptionem acedia suggerit, atq; per laborem manuũ
Matt. 25. eleemosynas fieri precatur. Visitare infirmos hortatur alacriter, illius admonens qui in euangelio dixit: Infirmus eram & visitastis me. A mœrore aliquo affectos ac pusillanimes vt proficiscãtur, inducit, consolari pusillanimes, ipsa pusillanimis suggerens. Ad orationem stantes necessariæ cuiuspiam rei admonet, omnémque mouet artem vt inde nos aliqua, veluti rationabili funeipsa nos irrationabilis attrahat. Tribus horis horrorem, dolorem capitis, febrémque ac vertiginem acediæ spiritus fecit. At vbi hora nona superuenit conualuit modicè, mensa vero posita à stratu exilit, & cum orationis tempus remeauit, rursum corpus grauari cœpit, in oratione assistentes iterum somno demersit, importunisque oscitationibus versum ex ore diripuit. Vitia quidem perturbationésque reliquæ, vna aliqua virtute singulæ euacuantur: acedia vero monacho
Acedia mors est. mors est, quam in se iugiter continet. Virilis ac robusta anima mortuam exsuscitauit mentem: acedia vero ac desidia totas virtutum opes simul dissipauit. Cum sit hoc vnũ ex octo vitiis principalibus omnino grauissimum, quod in illis fieri consequens est, in isto quoque faciamus, & illud tamen præterea addamus, nisi agatur psalmodia, nõ apparet acedia, consummatáque synaxi aperti sunt oculi. Acediæ maxime tempore violenti elucent. Nihil enim æquè vt acedia monacho tot coronas parat. Si consideres diligentius, inuenies eam stantes pedibus oppugnare lassitudine, sedentibus vt super pariete se reclinent persuadere. Vinciatur & hic tyrannus à peccatorum memoria, cædatur ab opere manuum, trahatur à futurorum bonorum intenta cogitatione, astánsque vt conuenit, interrogetur. Dic nobis ô tu remisse & dissolute, quis te malè genuit, aut qui sunt nepotes tui, quíve te oppugnãtes, vel qui sit interfector tuus? Ille vero percunctãtibus ita respondeat. Qui vero mihi per solitudinis quietem cędũt, cum his vnà dego. Ego in his qui vere obedientes sunt, non habeo vbi caput reclinem. Quæ mihi nomen dederũt, plurimæ sunt. Interdum enim insensibilitas animæ, quãdoque vero irreminiscẽtia quædam atq; obliuio cœlestium, nonnunquã etiã immensa laborum magnitudo. Stirpes vero meæ locorum mutationes sunt, quæ mecum fiunt, inobedientia spiritalis patris, futuri iudicij obliuio. Nonnunquam vero etiam professionis derelictio. Porro aduersariæ meæ à quibus nunc vinctus teneor, psalmodia operi manuum coniuncta mortísq; memoria. Quæ vero me penitus necat, oratio est adiũcta futurorum bonorum firmissimæ spei. Quis vero orationem genuerit ipsam interrogate.

De gula. Gradus XIIII.

DE gula loqui instituentes si nunquã alias, nunc maximè contra nosipsos philosophari proposuimus. Mirum enim, si quis vnquam hãc liber euasit, nisi fortè qui sepulchrũ habitauerit. Gastrimargia, est simulatio ventris: cũ enim satiatus fuerit, indigere se clamat: & cum distentus atque disruptus, vociferatur esuriem. Gastrimargia, est saporum variorúmque liquaminum opifex, suauitatis fõs. Obstruxisti venã & aliunde prorumpit, hac quoq; aggeribus obruta via, sibi aliã viã fecit. Extinxisti flãmam, & aliunde reuixit. Istáque rursus extincta superatus ab alia es. Gastrimargia est oculorum seductio, modica suscipiens, & vniuersa simul absorbere suggerẽs. Aduersus gastrimargiã sæpe inanis gloria inimicias gerit, & super infelici monacho quasi veniali mancipio inuicem pugnãt. Hæc illum vt ieiunium soluat, impellit. Illa vt virtutem abstinentia prodat modis omnibus vrget. Sapiens monachus vtrúmque vitabit, & suo tempore alterã altera arcebit, & à se penitus abiiciet. Carnis igne crescente illam puniamus, atque in omni tempore & loco, abstinentiam seruemus. At cum sedatus extinctúsque fuerit, quod quidem dum in vita sumus fieri vix posse puto, tunc iam opus nostrum atque abstinentiam celemus. Vidi nonnunquam illusione dæmonum seniores aliquos benedictione sua iuuenes non sibi subditos ad potandum vinum atque ad remittendum abstinentiam reliquam hortari. His si fuerint probatæ vitæ atque authoritatis, habuerintque testimonium in domino, obtemperandum est, moderate tamen, si vero negligentiores sint, huiusmodi illorum benedictionem non curemus. Atque potissimum si adhuc carnis ardoribus infestamur. Putauit EVAGRIVS sapientissimum se omnium alacritate sensus fieri, sed fraudem passus sibi men- Euagrius.

titus est miser, insipientiúmque insipientissimus ex hoc ipso ostensus est. Quod vt in plerisque aliis, ita & in hoc quoque animaduerti potest. Ait enim quondã cum varios delicatósque cibos anima concupiscit, pane angustetur & aqua. Simile enim quiddam dicere videtur, ac si puero præciperet vt scalarum gradus omnes vno passu repente conscẽderet. Quam nos ipsius irrationabilem sententiã vertentes ita dicimus: Cum varios delicatósque cibos anima concupiscit & quærit, naturę proprium aliquid videtur inquirere. Quocirca summa industria contra huiusmodi callidissimam insidiatricem vigilandum est, alioquí grauissimum contra nos excitabit bellũ, ruinæq; laqueos parabit. Primum itaque abscindamus à nobis eos cibos qui impugnare possũt tum vero etiã calidos ne oleum flãmæ adiiciamus. Deinde vero suaues quoque ac delicatos, si fieri potest, cibos corpori indulgeamus, qui facilè repleant, & maxime leues, vilésque & exigui sunt, vt ex repletione facili inexplebilem eius auiditatem faciemus. Per exiguitatem vero, leuitatẽ atque vilitatem celeri digestione secuta, cito respirare possimus animo atque à calore tanquã à flagello liberari. Si diligentius intueamur, animaduertemus quotquot sunt ex rebus spirantibus cibi, eos omnes suo calore in nobis incentiuum excitare libidinis. Ride eum spiritũ qui tibi post cibũ vt consuetam refectionis horam differas improbe suggerit, cum enim nona hora superuenerit, priorem abnegauit concordiã. Alia insontibus, alia reis continentia conuenit. Illis enim corporis motus in signum est, isti vero vsq; ad mortem & finem aduersus hoc inexorabiliter atque irreconciliabiliter se habent. Ac priores illi iugũ quidem per animi moderationẽ seruare volunt, sequẽtes vero DEVM per animæ mærorem perpetuámq; compunctionem sibi placare studeant. Tempus lętitiæ & consolationis perfecto quidem viro est, cum nulla rerum mortaliũ angitur cura, ei vero qui adhuc in certamine est colluctationis, tempus, vitioso autem festiuitas festiuitatũ, celebritásq; celebritatum. Insomnia ciborum & dapum in corde, gulæ deditorum. Iudiciorúmque, & cruciatuũ in corde lugentium. Escarum facietas fornicationis est mater. Afflictio autem ventris, charitatem parit. Qui leonem blanda demulcet manu, nonnunquam illũ mansuefacit. Qui vero corpus obsequiis fouet, ipsũ amplius efferauit. Gaudet Iudæus sabbato, & diem festum facit. Monachus vero gulæ deditus sabbato die & dominico. Ante tempus computat pascha, & ante plurimos dies escas parat. Secum voluit attonitus famulus ventris, quibus cibis epulabitur, Dei autem seruus quibus gratiis ditabitur. Mox vt aduenit hospes, in charitate totus ex gulę concupiscẽtia mouetur, detrimentúmque suũ consolationem fratris existimat. In aduentu quorundam vinũ bibere statuit, & dum virtutem abstinentiæ sibi videtur occulere, vitij seruus efficitur. Contine ventrẽ, ne ipse ab eo tenearis, túncque incipias cum rubore confusionis continere. Norunt qui dixerunt, qui in secretam foueam inciderunt, viri autem eunuchi hoc experti non sunt. Ventrem cogitatione sempiterni ignis circũcidamus. Quidam enim cum huic obtemperassent, postremo membra sua abscidérũt duplicémque mortem sibi conscíuerunt. Animaduertimus si inquiramus diligẽtius, naufragia nostra omnia ab isto fieri. Mens ieiunantis cum sobrietate orat, intemperãtis autem impletur immundis imaginibus. Ventris saturitas exiccauit fontes: sin vero ille siccetur, pariet latices. Qui vẽtri dum obsequitur fornicationis spiritum vincere vult, is ei similis est, qui oleo incendium extinguere nititur. Si affligatur vẽter, humiliabitur cor: sin autem ille foueatur, superbis cogitatio. Considera teipsum prima diei hora, meridie, & vespere antequã sumas cibum, atque ex hoc addisces ieiunij vtilitatẽ. Exultat nãq; mane atque appropinquat cogitatio. Sexta vero cũ aduenerit, aliquanto remissior fit. Circa vero solis occasum, prorsus humiliatur. Affligе ventrem & omnino frenabitur lingua. Quippe multitudine escarum hæc neruos accipit. Pugnans pugna aduersus ventrem, & sobrietati propter hunc maxime studе. Nam si modicum laboraueris, continuo erit dominus adiutor tuus & cooperabitur tibi. Laxi & molliti vtres capaciores fiunt, sin autem negligantur, minus capient. Qui ventrem ingurgitat, dilatauit intestina. Qui vero aduersus hunc pugnat, contraxit ac restrinxit illa, his autem restrictis nil opus est pluribus cibis, túncque iam naturaliter ieiunãtes efficimur. Sitis nõnunquam sedauit sitim, fame vero famem abscindere & durum est & impossibile. Si quando te vicerit, hũc doma laboribus. Quod si per infirmitatem id fieri nõ potest, vigiliis aduersus rursus pugna. Si grauantur oculi, opus manuum arripe. Si vero non adsit somnus, noli id tangere. Nã possibile non est Deo & mammonæ, hoc est, Deo & operi manuum mentem assistere. Neque illud te lateat quod plerunque dæmon stomacho insidet nostro, facitque vt homo nunquam satietur, etiamsi vniuersam comederit Ægyptum, totúmque Nilũ biberit. Post cibum gulæ iniquus spiritus abscedit, fornicationisque in nobis spiritum immittit. Illíq; quid fecerit nuncians: apprehende, inquit, illũ, occupa & conturba, nam ventre distento non multũ in deiiciendo laborabis. Qui cum venerit, cõtinuo subridet, somnóque deuinctis nostris manibus & pedibus omnia quæcunque voluerit facit atque animam corpúsque contaminabit phantasiis, inquinationibus, obscœníque liquoris egestionibus. Et est sane mirandum spectaculum, videre incorporeã mentem fœda corporis colluuione maculari atque obseruari, eadémque rursus per carnis huius luctũ emundari atque in tenuissimam naturæ suæ redire substantiam. Si angustam durámque viam pergere Christo promisisti, reprime ventrem. Hunc enim si foueas atque distendas, pacta & conuenta cum domino tuo irritasti. Intende animo vt audias dicentem: Lata & spatiosa est via vẽtris quæ ducit ad perditionem fornicationis, & multi sunt qui ingrediũtur per eam. Et quàm angusta ianua atque arcta est via ieiunij, quæ ducit ad viam castitatis, & pauci sũt qui per eam ingrediuntur. Princeps est dæmonum qui cecidit Lucifer, & princeps vitiorum concupiscentia gulæ. Cum ad mẽsam epulis instructam discumbis, procedat in medium iudicij mortisq; memoria, vix enim vel sic parum concupiscentiæ obsistes. Dum calicem bibis, memento item aceti & fellis domini tui, prorsúsq; aut continebis aut certe per gemitum sensu humiliore eris. Noli errare, nũquam

Abstinentia à calidis.

Cibi spirantes.

Pascha optant monachi.

Eunuchi.

Matt. 7.

Cogitatio in mente.

Matt. 6.

quam

375

quam à Pharaone liberaberis, neque ſupernum pascha celebrabis, niſi ſemper amaritudines & azyma comederis. Amaritudines ſunt ieiunij violentia & afflictio. Azyma vero ſenſus minimè inflatus. Imprimatur omnino reſpirationi tuæ ſermo ille dicẽtis: Ego autem cum mihi dæmones moleſti eſſent. i. c. & hu. in. i. a. m. & o. m. in ſinu animæ meæ adhæſit. Ieiunium eſt naturæ violentia, circunciſio ſuauitatis faucium, incentiuorum omnium abſciſio, malarum cogitationum amputatio, inſomniorum liberatio, orationis munditia, inſigne lumen animæ, mentis cuſtodia, obcæcationis ſolutio, cõpunctionis ianua, ſuſpirium humile, læta contritio, loquacitatis abdicatio, quietis occaſio, obedientiæ cuſtos, ſomni leuiatio, ſanitas corporis, trãquillitatis author, peccatorum remiſſio, paradiſi porta & delitiæ. Interrogemus vt alios ita & hũc immo vero præaliis omnibus hunc noſtrorum hoſtium nequam præceptorem, vitiorum ianuam, ruinam Adam, Eſau pernitiem, interitum Iſraelitarum, Noë turpitudinem, Gomorrheorum proditorem, Loth crimen, filiorum Hely exterminatorem, inquinationũ ducem vnde gignatur, quinam ſint eius nati, quis item ſit à quo conteratur, & à quo in finem perimatur. Dic nobis ô mortalium hominum nimium violenta domina, quæ omnes auro inexplebilitatis emiſti, vnde tibi introitum in nobis paras? quídve poſt ingreſſum tuum parare conſueuiſti? & quiſnam ſit tuus ex nobis exitus, quonãmodo ſcilicet ab te liberamur? Illa vero agitata contumeliis, nobis ita tyrannicè cruenta feróxque reſpondit. Quid me maledictis inceſſitis, qui mihi eſtis obnoxij, aut quomodo ſeparari à me ſtudetis quæ naturę connexa ſum? Ianua mea natura ciborum eſt, conſuetudo vero inexplebilitatis mihi cauſa eſt. Porro materia perturbationis meæ, conſuetudo quã dixi, atque indolentia animæ mortíſque irreminiſcẽtia. Stirpium vero mearũ nomina quomodo quæritis addiſcere? Dinumérabo eas & ſuper arenam multiplicabuntur. Primogenitorũ tamen meorum eorũ qui huiuſmodi ſunt appellationes audite. Filius primogenitus meus fornicationis incẽtor eſt, ſecũdus ab illo eſt obdurationis author, ſomnus eſt tertius. Mare cogitationũ, inquinationum fluctus, profundúmq; ſecretarum atque ignotarũ immũditiarum ex me procedũt. Filiæ vero meæ ſunt deſidia, loquacitas, cõfidentia, ſcurrilitas riſum mouens, cõtradictio, ceruicis duritia, tarditas ad audiendũ, inſenſibilitas, captiuitates, elatio atque tumor, temeritas, mũdi amor, oratio immũda, cui ſuccedunt fluctus cogitationũ, nonnunquam vero calamitas quoque præter omnem ſpẽ & expectationem, quas neceſſario ſequitur omnibus acerbior & grauior. Oppugnat quidẽ me, ſed nõ ſuperat peccatorũ memoria, inimicitia per omnia contra me gerit mortis intẽta cogitatio, nihil vero in hominibus eſt quod me perfectè deſtruat. Qui paracletum poſſidet, interpellat aduerſũ me, illéq; exoratus nõ permittit me operari vitioſè. Qui vero nullũ illius guſtũ ſuſceperũt omnino dulcedinis ac ſuauitatis meæ rapiũtur illecebris.

Pſal. 34.

Ieiunium.

Qui gula perierunt.

Stirps gulæ.

De incorruptibili caſtitate. Gradus XV.

AVdiuimus modo veſaniam gulæ concupiſcentiam ſuam eſſe progeniem libidinis & fornicationis pugnam aſſerentem. Quod ſanè mirum non eſt, docet enim nos hoc ipſum vetus ille noſter pater Adam. Nam niſi gulæ illecebris ſuperatus fuiſſet, nunquam quid eſſet coniunx agnouiſſet. Qui igitur primum mandatũ ſeruant, in ſecundum non incidunt præuaricationis malum, ſed permanent filij Adam modicũ quid ab Angelis minorati, atque iſtud ne immortale maneat malum (vt ait vir ille ſummus cui cognomen theologia dedit.) Caſtitas eſt incorporeæ naturæ familiaritas, caſtitas eſt Chriſti iucundũ diuerſoriũ terreſtríſque clipeus cordi. Caſtitas exceſſiua naturæ abnegatio, corporíſque mortalis atque corruptibilis reuera ad incorporeã ſpiritualémq; ſubſtantiam cõtentio. Caſtus ille eſt qui amore amorẽ excluſit, ignémq; igne ſpiritus extinxit. Pudicitia generale virtutũ cognomen omnium eſt. Pudicus eſt ille, qui in ſomnis quidẽ nullũ motum nullámq; ſtatus ſui mutationẽ ſentit. Pudicus eſt ille qui & in ſomnis quidem perfectam ſemper inſenſibilitatem in corporũ ſpecie & varietate poſſedit. Hæc regula huiuſmodi finis eſt perfectæ conſummataéq; caſtitatis, vt ita animata ſicut inanimata intueamur, atq; ita rationalibus vt brutis corporibus afficiamur. Nemo ex his qui ſe ſtudio caſtitatis exercent ſuis hanc laboribus aut ſua induſtria ſe acquiſiſſe putet. Nam poſſibile non eſt, vt quiſpiã naturam ſuã vincat, vbi deniq; natura ſuperata eſt, illic is qui ſupra naturam eſt adueniſſe cognoſcitur. Nam ſine vlla controuerſia id quod deterius eſt à potentiore deſtruitur. Initiũ quidem caſtitatis eſt, cogitationibus ſordidis non acquieſcere, atque per interualla temporum obſcœno liquore illo ſimpliciter & abſque vlla imaginis illuſione reſpergi, medium vero naturalibus motibus ex repletione ciborum aduenientibus abſq; imaginibus inquietari, ita tamen vt ad fluxum vſque illi non perueniant. Finis autem mortificare corpus, iam antea mortuis cogitationibus ſordidis. Felix reuera eſt qui ad omnem calorem corporis atque aſpectum perfectè inſenſibilis affectus eſt, nõ qui carnis lutum ſine ſorde ſeruauit huiuſmodi caſtus eſt, ſed qui huius membra animæ perfectè ſubijcit. Magnus quidem & ille eſt, qui nulla ex tactu paſſione mouetur. Maior vero qui nullo aſpectu vulneratus eſt, atque cogitatione ſupernæ pulchritudinis igneum ſpectaculũ vicit. Is qui per orationem immundam carnem à ſe abigit, pugnanti leoni comparatur. Qui autem reluctãdo fugat, ei ſimilis eſt qui adhuc perſequitur inimicum ſuum. Porro qui huius impetum omnino redigit ad nihilum, is & ſi carne ſuperſte, iam tamen ex aceruo ſurrexit. Si iſtud veræ caſtitatis certum argumentũ eſt, immobilẽ in eis phantaſmatibus quæ per ſomnum videmus perſiſtere, is profecto erit luxuriæ finis, ſi vigilans quiſpiam ex immundis cogitationibus fluxum patiatur. Qui ſudoribus ſuis ac laboribus aduerſus huiuſmodi aduerſarium pugnat, is ei ſimilis eſt qui inimicum ſuum papyro ligauit. Qui vero continentia ac vigiliis pugnat, ei ſimilis eſt qui cathenis hunc torquibúsque deuinxit. Porro is qui alti ſima humilitate & vacuitate iracundiæ ſitíque depugnat: is ei comparatur, qui occidit inimicum atque in arena occuluit. Arenam vero intelligе humilitatem. Neque enim vitiorum gregem paſcit, ſed terra & cinis eſt. Alius qui eſt ex certamini-

A gula ad coniugem.

Cauta lege.

Caſtus quis.

Ignea facies mulieris.

Quomodo vincendũ | turpe pro fluuium.

Initiũ caſtitatis.

bus,alius vero qui eſt ex humilitate profunda, alius item qui ex diuina reuelatione tyrannum vinctum tenet atque captiuum,atque ex his alius quidem lucifero,alius magnæ fulgentiq; lunæ,alius vero ſplẽdidiſſimo ſoli cõparatur. Omnium tamen conuerſatio in cœlis eſt. Ex aurorę quippe cãdore,lux prodiit,ex luce vero ſolis,iubar aceenditur. Ita & in his quos modo memorauimus intelligendũ eſt. Somnum vulpes ſimulant vt auem fallant,dæmon vero & corporis pudicitiam fingit ,vt animam perimat. Ne credas in vita tua luto carnis tuæ,neque tibiipſi omnino fida :,donec Chriſto domino obuiam pergas. Noli confidere ſi per cõtinentiam non laberis, nihil enim comedebat quidam & de cœlo deiectus eſt. Abrenuntiationem quidam doctiſſimi viri pulchrè ita diffiniunt. Aiunt quippe illam inimicitiam eſſe aduerſus corpus atque aduerſus gulæ concupiſcentiam inexorabile bellum. In his quidem qui rudes imbuuntur lapſus corporis ex deliciis maximè fieri ſolet,in mediocribus vero etiam ex elatione animi. Porro in his qui perfectione proximiores sũt, ſolummodo ex condemnatione contemptúque ſuperbo proximi. Quidam eos beatos dixerunt eunuchos,qui ita ſunt geniti tanquam violentiſſima carnis dominatione liberatos. Ego vero eos maximè beatos dico,qui ex quotidiana pugna eunuchi fiũt. Hi enim ratione veluti gladio quodã abſcindere ſe ac mutilare ſolent. Vidi quoſdam non ſpõte ruere, vidi itẽ alios ſponte ruere velle, nec poſſe, eósq; his qui quotidie corruũt infeliciores exiſtimaui,vt qui nõ poſſent fœtorẽ etiam appetere. Miſerabilis quidẽ & ille qui corruit, ſed ille longe miſerabilior qui alteri,ruinæ cauſa fuit. Duorum enim lapſuum alteriúsque voluptatis onus ipſe ſuſtinet. Ne velis fornicationis ſpiritum diſceptando vel contradicendo in fugam conuertere. Ille enim perſuadere probabiliter nouit. Quippe qui aduerſum nos naturaliter pugnat: Qui ſua induſtria carnem ſuam vincere vel debellare vult, in vanum currit. Niſi Dominus domum carnis deleuerit,domúmque animæ ædificauerit, fruſtra quiſpiam hanc ieiunando ac vigilãdo deſtruere nititur. Offer ante oculos Domini carnis naturalem infirmitatem & tuam humiliatus imbecillitatem agnoſcens,prorſus ſuſcipies in intimis caſtitatis donum . Eſt in his qui libidinis vtuntur ardoribus iugis corporeæ coniunctionis appetitus (vt mihi quidam retulit, qui hoc fuerat expertus) poſtea quam reſipuerat & iam continentiſſimè viuebat. Immundus ſanè ſpiritus, inuerecundus, impudicus,immanis eſt & atrox , qui dum cordis ſenſum impudenter occupat,facit quoque vt is qui impugnatur in corpore dolorem ſentiat, atq; in morẽ fornacis vratur,Deum deniq; nõ timet,æterni ſupplicij memoriam nihil extimat,orationẽ execratur, mortuorum reliquias ac ſi lapides intuetur inanimatos, atque in ipſa nephariæ actionis conſummatione infelicem hominẽ mentis impotem ac totius rationis expertem facit,iugíque concupiſcentia inebriat. Cuius niſi breuiati eſſent dies, nõ eſſet ſalua omnis anima,luto iſto ex ſanguine limóq ; ſordido concreto veſtita. Nec ſanè mirũ. Omne enim quod factũ eſt, cognationem ſuam auidiſſimè appetit, vt puta ſanguis ſanguinem,vermis vermem , limus limũ. Et caro igitur appetit carnem:tametſi nos qui

Aſtutia vulpis.

Abrenuntiatio.

Cauſæ lapſus carnis.

Ruere non ſponte.

Pſal.115.

Donum caſtitatis à Deo.

Appetitus iugis rei venereæ.

Vri in fornacis morem.

Cæcitas ardentis libidine.

ne noſtræ vim inferre, ac cœleſte regnum concupiſcere ſatagimus, arte & aſtu, ſeductorem ludere ac fallere conamur. Beati ſanè ſunt qui hoc pugnæ genus experti non ſunt. Nos quoque vt ab huiuſmodi periculo immunes ſimus, Deũ ſuppliciter oremus. Qui enim in huiuſmodi foueam lapſi ſunt,ab aſcẽſu & deſcenſu ſcalæ illius, quam vidit Iacob longè remoti ſunt, his vero qui eiuſmodi ſunt vt ſurgere poſſint,ſudoribus,doloribus,afflictionibus,laboribus,fame,ſiti,ac ſumma rerum omnium penuria opus erit. Aduertamus diligenter & videbimus ipſos ſpirituales inimicos noſtros,vt ſit in bello viſibili,& in ipſo prælio & pugna, quã aduerſus nos inſtruũt, ſingulos munus aliquod ſubire proprium. Quod ſanè mirum eſt: Animaduerti in his qui temptantur caſus caſibus crudeliores. Qui habet aures audiendi, audiat. Cõſuetudo eſt dæmoni eos maximè qui in certamine ſunt conſtituti, quique ſolitariam vitam delegerunt,toto malignitatis ſuæ impetu,omni ſtudio , & arte,omníque tentatione & aſtu,ad ea vicia, quæ præter naturam ſunt, impellere, eſſque inde amplius oppugnare. Vnde & ij qui nunquam cum fœminis degunt cum nulla huiuſmodi concupiſcentia vruntur,ſe beatos dicunt, ignorantes miſeri quod vbi maiori intentus eſt, illic minore opus non eſt. Duabus reor ex cauſis homicidæ illi atque miſerrimi in his quæ præter naturam ſunt, maximè oppugnare nos miſeros atque vaſtare conſueuerũt, & quia ruinæ materia vbique prompta ac parata ſit & quia huic ſceleri ſuppliciũ grauius debetur. Nouit quod dictũ eſt iuuenis ille,qui prius onagris imperans ad extremum à ſpiritualibus ac ſæuiſſimis onagris miſerabiliter deiectus atque illuſus eſt: & qui pridie cœleſti nutriebatur pane, poſtremo tanto ac tam ſingulari munere priuatus eſt. Quódque mirabilius eſt,poſt pœnitentiam ſuam amariſſimè ingemiſcens præceptor noſter Antonius, Columna(inquit) magna cecidit,neque tamen ruinæ illius teſerans modum. Sapientiſſimè ſanè,nouerat enim fornicationem eſſe,quæ corporaliter ſine alterius corporis iunctione admitterentur. Eſt quippe in nobis mors quædam ac ruinæ pernities,quam in nobis ac nobiſcũ ſemper circumferimus,in iuuentute maximè, quam equidẽ ſcripturæ tradere auſus non ſum. Continuit enim manũ meam is,qui ait. Quæ enim in occulto à quibuſdam fiunt,turpe eſt & dicere & ſcribere & audire. Hanc meam,nec meam,inimicã amicam carnem , mortem quidem Paulus appellauit. Infelix enim homo,inquit,quis me liberabit de corpore mortis huius? Alius vero Theologus,vitioſam, & ancyllam & nocturnam eam vocat. Annuebam aut addiſcere cuius rei gratia talibus aduerſus illã appellationibus vtitur. Si ergo (vt prædictũ eſt) caro mors eſt,profecto qui hanc vicit omnino non moritur. Et quis oro ille homo eſt, qui viuet & non videbit mortẽ inquinationis carnis ſuæ ? Quærendum cenſeo quis maior ſit,ille qui cum mortuus eſt reſurrexit:an qui omnino mortuus non eſt. Nónulli ſecundum beatũ dicunt:ſed ij profecto falluntur. Nam Chriſtus cum mortuus fuiſſet,reſurrexit. Qui autem primum beatum putant, nullam volũt ineſſe morientibus, imo vero cadentibus deſperationem. Clementiſſimum Deum eſſe immanis ille inimicus fornicationis author dicit,huic vitio quippe naturali

Sodom.

Antonii

Ephe.

Caro mors cyll.

Rom.

Pſal.

Author fornicationis.

rali facile ignoſcere. Si vero fraudes dæmonũ obſeruemus diligentius, inuenimus eos poſt fœdam actionem, iuſtũ illum iudicem durũ atque inclemẽtem appellare. Nam prius quidem vt nos ad peccatum hortarentur, clementiam illius ſuggerebant, poſt lapſum vero illius inuiolabilem iuſtitiam ſuggerunt, vt nos in deſperationem præcipitent. Cum vero mœrori deſperatio coniungitur noſipſos miſeros agnoſcere & dicere aut accuſare vel vlciſci pro culpa non poſſumus, hac vero amota & extincta, rurſus qui nimiam Dei clementiam ſuggerebat tyrannus inſequitur. Quia incorruptibilis atq; incorporeus Deus eſt, idcirco maximè caſtitate atq; integritate corporis noſtri delectatur. Aiunt quidã nulla re, ita vt fœtore dæmones delectari. Itaque vitio nullo ita delectantur, vt inquinatione corporis noſtri: Caſtitas hominem Deo maximè familiarem & quãtum poſſibile eſt, homini ſimilem facit. Mater quidem dulcedinis terra perfuſa rore, caſtitatis autem mater eſt, quies obedientiæ coniuncta. Nonnunquam corporis beata illa immobilitas: quam ex quiete acquiſiuimus non inconcuſſa permanet, ea vero quæ ex obedientia peruenit vbique probabilis firma atque immota perdurat. Vidi plerunque ſuperbiam humilitatis authorem, venítque in mentem ille, qui dixit. Quis agnouit ſenſum Domini? Rom. 11. Ruinæ foueam faſtus ac ſuperbia gignit: ruina volentibus ſæpe fuit humilitatis occaſio. Qui concupiſcentia gulæ ac ſacietate fornicationis ſpiritum vincere vult, is ei ſimilis eſt, qui oleo extinguit incẽdium. Peccatum vſu non extinguitur. Qui vero ſola continentia bellũ hoc ſedare vel ſuperare nititur, ei ſimilis eſt, qui vna manu natans: pelago liberari contendit. Sit ergo humilitas continentiæ coniuncta. Nã ſine illa prior hæc inutilis agnoſcitur. Is qui ſe vno quodam vitio amplius vrgeri conſpicit, cõtra ipſum, & ſolum ante omnia ſeipſum armet: & maxime ſi hoſtis inteſtinus ſit. Niſi enim iſte profligatus fuerit, nihil nobis reliquos viciſſe proderit. Cũ vero Ægyptium hũc nos quoque percuſſerimus omnino, Deum in humilitatis rubo intuebimur. Senſi ego aliquando cũ tentarer, gaudium quoddam irrationabile, & conſolationẽ animæ, lupum iſtum ad me fallendum excitaſſe, puerilitérque nimium fructũ me, non corruptionem, tenere putabam. Si omne peccatũ quodcunque homo peccauerit, extra corpus eſt, qui autẽ fornicatur in corpus ſuum peccat (quod idcirco ita 1. Cor. 6. dictũ eſt, quia ipſius carnis ſubſtãtiam fluxu inquinare conſueuit) quid eſt quod in aliis peccatis reliquis ſeductos homines conſueuimus dicere, cũ vero quempiam fornicatum fuiſſe audiuerimus, cum dolore dicimus, ille cecidit? Fugit hamum celeriter piſcis, ita & animus voluptati deditus auerſatur ſolitudinis quietem. Seduci & cadere. Quotiens aliquos ſibi inuicem turpi & nephario vinculo Diabolus ligare voluerit vtraſque partes diligenter explorans, illic ignẽ immittere incipit, vbi concupiſcentiæ flammam facilius excitare poſſe aduertit. Nonnunquam hij qui circa voluptatem proni ſunt, compati, miſereri, ac facile cõpungi videntur, qui vero caſtitati ſtudẽt non ſic talia poſſident. Vir quidam ſcientiſſimus problema terribile quæſiuit ex me. Quod inquiens peccatũ omnibus grauius eſt: homicidio, Chriſtiq; abnegatione, exceptis? Cúmque illi reſpondiſſem

A in hæreſim labi. Et quonam, inquit, modo catholica Eccleſia hæreticos quidem, cum hæreſim priorẽ toto animo repudiauerint atque anathematizauerint, ſuſcipit ad ſanctorum myſteriorũ communionem vt idoneos & admittit, eum vero qui in fornicationem lapſus fuerit confitentem atque peccatũ ipſum omnino deſerentem introrſus ſuſcipiens, per annos aliquot eum à venerandis immaculatísque myſteriis ex traditione apoſtolica ſeparare permittit? Hac ego ambiguitate percuſſus ſtupui, ambiguúmque illud permanſit ambiguũ. Perſcrutemur & diligenter metiamur atque obſeruemus, quæ nobis dum pſallimus iucunditas ac ſuauitas ex fornicationis ſpiritu, quænam vero ex ſpiritualibus eloquiis atque ex eorũ virtute & gratia obueniat. Noli ô iuuenis tibi ipſi occultus & ignotus eſſe. Vidi enim quoſdã dum ex animo pro ſuis charis ac dilectis orarẽt, ex huiuſmodi memoria in nequitiæ cõcupiſcentiam præcipitatos, charitatis legẽ ſe implere putauiſſe. Fit nonnunquam vt ex ſolo tactu corpus inquinetur. Nihil quippe ſenſu iſto grauius, nihil periculoſius. Admoneat te is qui matris manui pallium circundedit, atque ab iis, quæ vel naturalia vel præter naturam ſunt à proprio atq; alieno corpore comprime manum. Nemo (vt reor) omnino ſanctus dicitur, niſi prius lutũ hoc in ſanctificationem traduxerit, ſi tamen traduci poteſt. Cum in lectulo decumbimus, tũc maxime ſobrij ac vigilantes ſimus, tunc enim mens exuta corpore, cũ dæmonibus luctatur, & ſi inueniatur voluptatibus addicta, libenter in proditionem labitur. Memoria mortis tecũ ſemper quieſcat, tecúmq; ſimul euigilet, ſoláq; ſemper ruminanda oratio Ieſu. Nullum enim adiutorium in ſomno his præſtantius atq; efficacius inuenies. Sunt nonnulli qui ſola ciborũ cauſa huiuſmodi bella aduerſum nos excitari, atque obſcœni humoris profluuiũ fieri putant, atq; aſſeuerant, ego autem extrema fatigatos ægritudine, & ad ſummũ ieiunantes valide huiuſmodi aſpergine fœdari cognoui. Interrogaui aliquando promptiſſimũ quendã ac diſcretionis gratia ornatũ monachum, quid de hiis ſentiendũ eſſet, mihíque admodum lucidè beatus ille reſpondit. Eſt, inquit, quidẽ in ſomniis quædam ſeminis emiſſio, quę ex ciborũ multitudine & requie eſt. Et alia quæ ex ſuperbia contingit, cũ. s. diutius mundi à fœda hac reſperſione perſtiterimus, & per hoc in ſuperbiam efferimur. Fit rurſus plerunq; cum iudicamus atque cõdemnamus proximũ. Horum inquit, generum duo cõtingere etiã infirmis poſſunt, fortaſſis & omnia. Porro ſi quis ſe ipſum prædictis omnibus cauſis mundũ eſſe cõſpicit, hic ex huiuſmodi tranquillitate beatus eſt. Qui vero ex dæmonum inuidia id patitur, Deo id fieri ad tempus permittente fit: vt per hanc calamitatem quæ ſine peccato eſt, altiſſimam tuto poſſideat humilitatem. Nemo nocturna phantaſmata quæ in ſomniis viderit, per diẽ ſecum voluere ac retractare velit. Id enim dæmones idcirco moliuntur, vt ex huiuſmodi ſomniis vigilantes inquinent. Aliã quoque hoſtium noſtrorum audiuimus aſtutiam: ſicut cibi qui corpus lædunt, poſt annum ſiue diẽ infirmitates in nobis gignere conſueuerunt, ita nonnũquam & in eis cauſis fit quæ animam inquinãt. Vidi quoſdam cum delicatius viuerẽt non ſtatim oppu-

Grauis fornicationis pœna.

Orare pro charis.

Tactus periculum.

Cogitatio in lecto.

Cauſæ pro fluuij turpis.

Tentatio improuisa.

gnari. Vidi item alios cum mulieribus cibum vnà sumere ac degere continuo nunquam cogitatione pulsari, qui tamen hac fiducia decepti ac negligentiores facti, cum in cellula sua pacem atque securitatem esse putauissent, continuo in interitum præcipitati sunt. Cuiusmodi autẽ iste interitus sit, qui singulatim in his solis & in corpore & in anima cõtigit, is qui expertus est, nouit, qui vero expertus nõ est, scire non potest. Quo in tempore summum nobis adiutorium præstabit cilicium & cinis, totísque noctibus statio immobilis, panis desiderium, ardẽs lingua, modicéque irrotata, sepulchrorum habitatio, atque ante omnia humilitas cordis, & si fieri potest, pater spiritualis aut frater solicitus cautúsq; sensu ad auxilium adhibeatur. Miror enim si quispiam solus ex huiusmodi pelago nauem seruare integram possit. Eidem vero sceleri non eadem semper debetur pœna, neque idem indifferenter à quocunque admittitur, sed ex eodem lapsu centuplum alius quam alius puniri merebitur. Intelligitur autem hæc differentia ex locis, profectibus, moribus, aliísq; plurimis. Mirabile mihi quidam supremúmque castitatis insinuauit culmen. Quidam aiebat cum pulchritudinem atque venustatem intueretur corporum, ex ea admonitus magnificè glorificauit opificem, atque ex solo huiusmodi spectaculo in amorem Dei, fontémque lachrymarum excitatus est. Erátque stupor ingens, videre quod alteri fouea ruinæ fuisset, id alteri coronarum causa præter naturam fieri. Huiusmodi vero si semper hoc sensu atque actione perdurat, ante communẽ resurrectionem iam in incorruptionem transiit. Eadem regula & in melodiis & canticis vtemur. Nam ij quidem qui Deum diligunt in hilaritatem diuinámque dilectionem atque in lachrymas & ex mũdanis & ex spiritualibus canticis excitari solent, contrà autem, qui voluptatibus addicti sunt, vndiq, sibi perditionis materiam colligunt. Quidam vt supra iam diximus in remotioribus locis oppugnari amplius solent. Quod mirum non est, habitant enim illic libẽtius dæmones: quippe qui à Domino in desertis atque abyssis ad salutem nostram relegati sunt. Solitarium acerrimè oppugnant nequitiæ spiritus, vt ex desperatione profectus, è deserto ad seculum reuocent. A nobis si in seculo degimus, discedunt: vt dum illis nos minimè oppugnari perspiciamus, secularibus rebus iam securi immoremur, vbi sanè oppugnamur, illic profecto aduersus inimicum pugnamus, nam nisi oppugnetur à nobis, ipse quoque amicus noster efficitur. Dum vero alicuius necessitatis gratia in seculo versamur: manu Domini protegimur, fortassis per orationem spiritualis patris, ne Dominus per nos blasphemetur, nonnunquam vero id fit per indolentiam nostram: quod his quæ dicuntur, ac geruntur in seculo diutius assuefacti occalluerimus, siue quod dæmones sponte secesserint, nobisq; elationis ac tumoris locũ reliquerint, quo vno vitia omnia implentur. Audite astum aliũ, atque versutiã seductoris huius, omnes qui castitatẽ exercere atq; seruare delegistis. Enarrauit mihi quidam ex his qui fraudem hanc experti fuerant, quod is fornicationis spiritus, seipsum ad finẽ vsque subducit, summámque monacho interim religionis reuerentiã suggerit, fortassis vero etiam lachrymarũ flumina, per id maximè tẽpus quo cum mulieribus sedet ac loquitur: suadétq; vt eas de memoria mortis, de iudicij die, de pudicitia admoneat, vt per hos sermones, fictámque religionis speciem ad lupum tanquã ad pastorem infelices ac miseri accurrant, factáque iam fiducia & consuetudine, demum tũc infœlix monachus in flagitij ruinam præcipitatur. Solerter quæso fugiamus, caueamúsque eũ fructũ vel videre, vel audire quem vltra gustare non instituimus. Miror enim si Dauid sublimi illo Prophetа nos ipsos fortiores arbitremur, quod fieri nõ potest. Nempè adeo sublimis ac singularis castitatis laus est, vt eam plerique patrũ impassibilitatem appellare ausi sint. Aiunt quidam post peccati gustũ impossibile esse, quenquam castum nominari. Ab his ego longè dissentiẽs ita diffinio, & possibile esse & facile ei qui syluestrem & inferacem oleam, indecorã ac frugiferã velit inserendo conuertere. Nã si corpore ille virgo fuisset, cui cœlorũ creditæ sũt claues, iustè fortasis isti, prudentérque discerneret, sin vero, ille eos confundat, qui & socrum habuit, & castus fuit, & regni claues à Domino suscipere metuit. Varius ac multiplex est fornicationis serpens, eósq; qui concubitum nunquam experti sunt, vt solummodo experiantur ac desinant, importunè solicitat, eos vero qui iam experti sunt ex memoria obscœni facti, vt iterũ experiri velint infelix hortatur. Plurimi ex prioribus per ignorantiã mali huius minus impugnantur, at qui iam sceleris hoc periculum fecerunt, perturbationes infestius & bella patiũtur, veruntamen contrà nonnunquam contingit. Quotiens ex somno pacifici quidam & trãquilli exurgimus, scilicet nos Angeli latenter consolãtur, idque tamen maximè, fit cum in summa orationis ac sobrietatis intentione obdormierimus. Plerunq; vero etiã ex iniquis somniis & visionibus læti somno expergiscimur. Vidi impium superexaltatũ & eleuatum & perturbatũ in me sicut Cedros libani, & transiui per continentiã: & ecce non erat, vt prius furor eius, & quęsiui eum dũ humiliassem cogitationẽ meam & non est inuentus locus eius, aut vestigiũ, Qui corpus vicit, is etiam naturam superauit qui verò naturã superauit, is profecto supra naturã effectus est. Porrò is cui contingit modicum quid minus quam Angeli habet: vt non dicã nihil. Mirũ nõ est ab incorporeo & omni materia remoto eũ qui ex corpore & materia consistat, oppugnari: atque etiam vinci, sed illud sanè mirũ atque admiratione dignissimum, si is qui corpore indutus est cum hac inimica & insidiosissima materia pugnans, incorporeos hostes in fugã conuertat ac superet. Summã circa nos Deus in hoc quoq; prouidẽtiam gerẽs, procacitatẽ fœminæ quasi freno quodam, pudore restrinxit. Nam si hæc ad marẽ sponte accurreret, non fuisset salua omnis caro, Plerique patrũ discretionis gratia maximè insignes aliud esse diffiniunt primum impetũ, aliud in cogitando moram, aliud consensum, aliud captiuitatẽ, aliud luctã, & aliud eam quæ passio siue perturbatio in animo dicitur. Impetum enim illi beati esse aiunt sermonẽ simplicem siue imaginem cuiuscunque rei cordi recenter iniectam. Moram vero cũ quis ei imagini siue cũ passione aliqua siue præter passionẽ immoratur. Consensum vero nutũ atque inclinationem animæ

Dæmones in desertis.

A B C D E

Impetus. Mora. Consensus.

animæ ad eam imaginem cũ voluptate. Captiuitatem vero violentam inuiti cordis abductionem sine iugem ad quæcunque ingressum atque optimi nostri status exterminium. Luctam vero esse difficiunt cum pari virtute pugnatur & sponte sua quisque vel superatur vel vincit. Passionem autem eam propriam esse dicũt, quæ tempore longiore in animo vitiosius incedit, eúmque iam sui consuetudine in suum habitum transduxit adeo vt sua spõte propriáque iam voluntate ad eam currat. Ex his omnibus gradibus prior quidem sine peccato est, secundus non ita, sed cum aliquo peccato est, tertius vero pro certantium colligitur statu: porro lucta vel coronæ, vel supplicij causa est. Nempè captiuitas aliter orationis tempore, aliter præter orationis tempus iudicatur: aliter item in mediis atque in omnibus malis cogitationibus extimatur. Sed passio sanè in omnibus absque vlla controuersia vel dignæ pœnitentiæ, vel futuro cruciatui substantia subiecta est. Ita is qui primum illum impetum sine vllo passionis sensu auersatur: extrema illa omnia penitus abscidit. Est apud diligentissimos & maximè discretos patrum, alia quoque horum subtilior ratio & notio, quam peraripismum quidam appellari dicunt, id est, subtilissima animi quædam latensque subreptio, quæ flatus instar tenuis sine vlla temporis mora, dictóque omni & imaginatione celerius passionem patienti insinuare consueuit. Nullũ hoc spiritu celeriorem, nullum occultiorem inuenies, quippe qui tenui mora absque vlla consensus immoratione, absque tempore, absque attactu, apud quosdam vero absque notione vlla aduentum suũ animo indicat. Si quis igitur huiusmodi subtilitatẽ per gemitum comprehendere potuit, hic nos instruere iam, ac docere poterit, vt solo oculo, simplicique aspectu, & tactu manus, auditúque cãtici cuiusdam, præter intentionem omnem atque cogitationem fornicari anima, latenti voluptate potest: Aiunt quidam ex cogitatione fornicationis, ad actum nepharium corpus deduci, alij ecõtra ex corporis sensibus iniquis cogitationes gigni assueuerãt. Atqui priores quidẽ illi, hac ratione nitũtur, quod nisi mens, atque animus occurrerent, nunquam sequi poterit corpus, esse enim id sub ditione animi. Sequẽtes vero corporalis vitij malignitatem ita pro affirmatione sensus sui allegant, vt dicant nonnunquam ex venustissimo aspectu vel tactu manuũ vel olfaciendi suauitate vel suauissimæ vocis auditu, cogitationibus nequitiæ aditum patere ad cor. Sed de his qui in Domino post doceat. Sunt enim ista his qui discretionis actione imbui cupiunt, nimiũ & necessaria & vtilia. Nam eis quidem qui in simplicitate ac rectitudine cordis operantur, nulla horum ratio habenda est. Neque enim est omnium sciẽtia, neque rursus est omnium beata simplicitas certa ac tuta contra hostiles nequitias lorica? Nonnulla quidem vitia ex intimis progrediũtur ad corpus, quædam vero contra per corporis sensus ad animam penetrant. Atque hoc vltimum sęcularibus maximè, primum vero illud eis qui solitariam vitã delegerunt, quod eis materiæ non adsint, contingere videas. Ego de hoc illud interim dixerim. Quæres apud malos prudentiam & non inuenies. Quotiens intentius aduersus fornicationis spiritum impugnantes, hunc ex corde per ieiunij lapidem atq; humilitatis gladium excruciatum eiecerimus, tunc iam corpori nostro velut vermis quidam insidens, improbos quosdam ac irrationabiles motus miser ille pelliciẽs nos inquinare conatur. Quod illi maximè perpeti solent qui inanis gloriæ spiritum sequuntur. Dum enim se hac peste liberatos gloriantur, nulla etiam cogitationum nequam assiduitate pulsati, in morbum illum prolapsi sunt. Atq; quod id verum sit, cum se isti ad solitudinis quietem contulerint, se ipsos diligenti inquisitione discutiãt, inuenient profecto cogitationem quandam in cordis abditis, veluti serpentem in sterquilinio delituisse, quæ proprio illos studio atque alacritate virtutẽ intimæ castitatis acquisisse suggerit. Non intelligunt miseri illud Apostoli: Quid habes quod non acceperis? Vel gratis, vel ex Deo, vel ex alterius opere, & oratione. Inspiciant ergo isti diligenter, atque omni studio prædictum colubrum ex cordis sui latebris summa humilitate mortificatum abstrahant, vt ab ipso liberati, possint & ij fortasse aliquando tunicas pelliceas exuere, triumphalémque castitatis hymnum: vt illi castissimi infantes, Deo canere, si tamen exuti nõn inueniantur illorum humilitate nudi. Obseruat & hic ipse spiritus longè amplius cæteris, tempora, & cum corporis habitu aduersus ipsum orare non possumus, tunc maximè nos impurus oppugnare nititur. Conuenit illis qui nondũ veram cordis orationẽ possederunt, corporeæ exercitatio orationis, videlicet manuum extensio, tunsio pectorum, gemituum singultuúmque syncerus ac iugis in cœlum conspectus, perpetua genuũ curuatio. Quæ omnia dum nõnunquam propter præsentes facere non possumus: tũc maximè nos oppugnant dæmones. Cum necdum mentis soliditate orationísque secretissima virtute, contra hostes nostros insurgere valemus, necessario fortasis illis cedimus. Exi citò, si possibile est abscondere modicũ secretius, eleua animæ aciem si potes, sin vero, vel exterioribus luminibus in cœlum aspice: extẽde in figurã crucis immobiles manus, vt per ipsam quoque formam & habitum orantis Amalech confundas & superes. Clama ad eum qui saluare te potest, non in sapientia ornatúque verborum, sed in simplicitate atque humilitate sermonis, antè omnia ita semper exordiẽs. Miserere mei, quoniam infirmus sum. Tunc experieris altissimi virtute atque inuisibiliter inuisibiles per inuisibile persequeris auxiliũ. Qui sic pugnare assuefactus est cito, ac solo nutu animi persequi hostes ac fugare poterit, sed prioris illius laboris hoc extremum in remunerationẽ datur Dei operariis & merito sanè. Cum aliquando in congregatione quadam essem, notaui solicitum atque studiosum fratrem dum à malis cogitationibus molestiam pateretur, nec inueniret illic locum idoneũ orationi, ad naturæ necessaria simulata necessitate exisse, atque illic aduersus hostes validissima oratione cõfligere. Cum vero loci indignitate permouerer, Cur inquit, loci huius.q. minus idonei te facies mouet: Persequebantur me immũdæ cogitationes, ego in loco immũdo vt mũdarer sordibus oraui. Omnes quidẽ dæmones primo intellectũ nostrũ obnubilare cõtendunt, atque ita demũ ea quæ sibi amica sunt, suggerunt. Nisi enim mẽtis nostræ

Captiuitas

Lucta.

Passio.

Vnde sit turpis cogitatio.

1.Cor.4.

Ceremoniæ orantium.

Exod.17.

Psal.6.

Turbatio.

claudantur oculi, thesaurum nostrum furari non poterunt. Sed fornicationis spiritus multo cæteris velocius instat. Hic denique cum nonnunquã principem mentem tenebris obduxerit, ea homines facere inducit quæ soli amentes operãtur. Quæ cum post aliquod interuallũ temporis mente resipiscente agnoscimus, non eos solum qui viderunt, sed nos ipsos quoque erubescimus, turpes actus nostros vel habitus recolentes, priorémque nostram obcæcationem obstupescimus. Deniq; plures sæpè ex huiusmodi discretione ab hac peste quieuerũt. Auersare totis viribus eum hostem, qui te post actum fœdum orare vel religiosè agere vel vigilare prohibet, memor eius qui dixit. Iccirco autẽ quod mihi molesta sit anima mea, anticipationibus violenter oppressa, faciam vltionem eius ex inimicis eius. Quis est qui corpus vicit? Qui contriuit cor, qui seipsum abnegauit. Nam quomodo non conteretur is, qui voluptati mortuus est? Est inter vitiosos, alius vitiosior alio, videásque nonnullos ipsas quoque sordes, ac scelera sua suauiter & cum voluptate confiteri. Solent immũdæ turpésque cogitationes à seductore cordis, fornicationis spiritu suscitari. Quarum tamen medicina cõtinentia est, atque eas nihil existimare. Quonam autem more & modo meũ hũc amicum vinciens in morem cæterorum diiudicem nescio. Prius enim quàm illum vinciam, soluitur, & antequam diiudicem, cum illo in gratiam redeo, & antequam puniam, flector. Quo illum vinciam: quem vt amem à natura suscepi? Quomodo ab eo liberabor, cui in seculum colligatus sum? Quomodo mecum etiam surgentem destruam? Quomodo incorruptibilem ostẽdam, qui naturã accepit corruptilem? Quid illi rationabile dicam, qui per naturam mille rationibus ac persuasionibus mẽtitur? Si enim ipsum ieiunio vinciam: rursus illi, proximũ iudicans, trador, si & iudicare desistens hunc superem, elatus corde in eundem præcipitor. Estq; cooperator & hostis, adiutor atque aduersarius, auxiliator simul & insidiator. Si foueatur, oppugnat: si affligatur, debilior fit, lasciuit per quietem, rursus verba, & flagella non sustinet. Si illum cõtristem periclitor, si foueam, per quem virtutes acquiram non habeo. Quid sit circa me Sacramenti: quænam sit meæ concretionis ratio, quomodo mihi & amicus sim & inimicus: quis videat? Quis intelligat? dic tu, dic mihi ô coniunx mea: ô natura mea, neque enim de te ab alio quam abs te discere curabo, quomodo ex te vulneratus maneam, quomodo possum naturale periculum effugere, quando iam bellum aduersum te gerere Christo pollicitus sum, quomodo tuam tyrannidem superem, ex quo vim tibi inferre delegi? Illa vero aduersus seipsam (vt ita dixerim) respondens, ita dicere videbitur. Non tibi id loquar, quod ipsa non nosti: sed quod simul ambæ cognouimus. Ego in me ipsa dilectione glorior matre. Exterioris quidem incendij genitrix, & causa in primis est cura nimia: atq; immodica requies. Porro interioris flammæ, motúsq; cogitationũ ex præcedẽte requie actibúsq; prẽteritis occasio gignitur. Ego cũ iniqua concœpero, pario scelerãq; simul vt nata fuerint, per desperationẽ generant mortem. Si meam tuámq; profundam infirmitatẽ noris penitus meas vinxisti manus. Si gulæ cõcupiscentiã frenis: meos obligasti pedes, ne gradi in anteriora possint. Si obediẽtiæ collũ submittas à me disiũctus es. Si possideas humilitatem, amputasti caput meũ.

Psal. 76.

Corpus vincire difficile.

Corpus.

De auaritia. Gradus XVI.

PLurimi sapientissimi doctores post præfatum tyrannũ hanc auaritiæ millecipitem spiritũ statuere consueuerunt: Itaq; ne insipientes nos sapientium immutemus ordinem, eandem regulam terminúmque secuti, pauca prius de morbo ipso, ac sic postmodũ de ipsius curatione loquemur: Auaritia siue cupiditas est idolorũ veneratio, infidelitatis filia, infirmitatũ occasiones præfert, senectutis est vates, terræ siccitatem præcinit, venturæ fami prospiciendum suadet. Auarus est Euangeliorum irrisor, transgressórque voluntarius. Qui charitatem possidet, pecunias spargit. Qui vero vtranque rem se tenere dicit, ipse se fallit. Qui semetipsum luget, etiã corpus abnegauit. Nam si ad id se tempus vacet neque illi parcet. Ne dixeris, pauperum gratia pecunias congrego. Duobus enim minutis cœleste regnũ vẽnit. Hospitalis & auarus sibi inuicem obuiauerunt, postremúsque priorem indiscretũ appellauit: Qui vicit hoc vitium, amputauit curas, qui vero illo deuinctus est, nunquam orabit pure. Auaritiæ initium, eleemosynas prætendit, finis vero est odiũ pauperum. Dum congregat quisque misericors efficitur, at cum fuerit pecunia cum copia, contrahit manus. Vidi nõnullos pecuniis pauperes, qui prioris suæ paupertatis obliti, in conuersatione pauperum spiritu diuites effecti sunt, Monachus cupidus nũquam patet acediæ, horis enim singulis illud Apostoli voluit. Qui ociosus est nec manducet. Ac rursus: Manus istæ ministrauerunt mihi & his qui mecum sunt. Nuditas rerum omnium, curarum est depositio, securitas vitæ, viator omnibus impedimentis liber, mœroris alienatio, mandatorũ fides. Nudus monachus mundi totius est Dominus. Deo enim curam sui credidit, & per fidem omnes possidet seruos. Non dicet homini necessitatem suam, sed quæ afferũtur quasi de manu Domini suscipiet. Nudus operarius totius mortalis affectionis inimicus, quæ sibi adsunt quasi non sint, ita existimat, & si apprehendit. Anachoresis omnia arbitrabitur vt stercora, sin vero contristetur in aliquo, nondum quæ sit vera nuditas, agnouit. Vir nudus purissimã orationem emittit. Qui vero cupidus est, materiæ imagines in oratione versat. Qui in sancta subiectione durant, à cupiditate longissimè remoti sunt. Quid enim iam habeant proprium, qui ipsum quoque corpus suum alieno imperio exposuerunt? Huiusmodi vno hoc tantum detrimento affici consueuerunt, quod ad migrandũ prompti semper ac parati sunt. Vidi plerunque monachos in loco ex aliqua materia sibi tolerantiã acquisiuisse, quibus tamen eos ego beatiores censui, qui propter Dominũ virtutẽ illam sectantur. Qui superna gustauit, facile terrena cõtemnet. Qui vero sine gustu illorũ est terrenis lętatur possessionibus. Is qui sine ratione nuditatẽ hãc sequitur, duabus ex partibus læditur. Nã & præsentibus abstinet, & futuris priuatur. Caueamus ergo ô monachi ne auibus infideliores videamur. Illę enim nõ solicitæ sunt, neq; congregãt. Magnus & ille

Act. 20.

2. Tim. 4.

385

& ille quidem est qui pecuniis gratis renunciat, sed ille profecto sanctus est, qui voluntati suæ abrenũtiauit. Nam alter quidem centuplum siue per pecunias siue per gratias accipiet, alter autem sempiternam vitam hereditario iure possidebit. Neque fluctus vnquam deerunt mari, neque auaro iracundia & mœror deesse poterunt. Qui auaritiæ materiam contempsit, hic lite omni & controuersia liber euasit. Qui vero possidere amat, pro acu etiam vsque ad mortẽ corrixabitur. Fides constans rescindit curas, porro mortis memoria corpus ipsum quoque abnegauit. Nõ fuit in Iob vllum auaritiæ vestigiũ, atque priuatus omnibus sine turbatione perstitit. Merito radix malorũ omnium & est & dicitur auaritia. Hæc enim & scelera & furta, inuidias, cædes, diuortia, inimicitias, procellas iniuriarum memoriam, crudelitatẽ, mala deniq; omnia inuenit. Modica ignis scintilla ingentem syluam plerique succenderunt, vna virtute quasi nullis mortalium rerũ afficimur, vniuersa vitia illa diffugiunt. Porro huiusmodi virtutem experimẽtum gustúsque Dei parit, & cura solicita reddendæ à nobis in fine rationis. Non ignorat qui intentius legit matris malorũ rationem. At enim in sua nequam & execrabili stirpe secũdam suam esse progeniem lapideam insensibilitatem. Sed prohibuit me proprium illi ordinẽ distribuere serpens ille multiceps idolorum seruitus: qui nescio quo pacto tertium ordinẽ apud patrum discretissimos in octo principalium vitiorum cathena sortitus est. Quem nos cum mediocriter tetigerimus, loqui iam de insensibilitate volumus, quippe quæ tertia ab ea dicitur, quæ secunda in ordine generationis est. Post quæ rursus de somno & vigiliis, præterea etiam de puerili atque ignaua formidine paucis disseremus. Hi enim morbi proprie illorum sunt, qui adhuc rudes imbuuntur.

Auaro iracundia non deest.

1. Tim. 6.

De Insensibilitate. Gradus XVII.

INsensibilitas & in corporibus, & in spiritibus est mortuus sensus ex diutino languore in insensibilitatem desinens. Indolentia est quæ in habitum transiuit, præsumptionis germen, alacritatis impedimentum, fortitudinis laqueus, compunctionis ignoratio, desperationis ianua, obliuionis mater, quam cum genuerit, ipsius filiæ suæ fit filia, timoris exclusio. Indolens est stultus Philosophus ab seipso damnatus, expositor sibimet, contrarius locutor, cæcus vidẽdi magister de sanitate vulneris disputat atque id fricando exasperare nõ desinit. Cõtra morbum loquitur, & quæ sunt noxia manducare non cessat. Aduersus seipsum orat, & protinus ad opus suum proficiscitur. Id dum perficit sibi ipsi indignatur, nec verborum suorum pudet miserum. Malefacio clamat, & tamen acrius instat. Os contra vitiũ ornat, & corpus pro vitio luctatur, de morte philosophatur, qui quasi non sit moriturus ita viuit. De separatione corporis & animæ seuerius admonet, & quasi sempiternus futurus sit dormitat. De continentia disputat, & pro gulæ concupiscentia certat. Cum de futuro iudicio legit, subridere incipit. De inanis gloriæ fuga meditatur, & eadẽ in ipsa lectione capitur. De vigiliis dum loquitur & ipse somno protinus immergitur. Orationem collaudat & eam non secus quam flagellum vitat. Obedientiam summis laudibus effert, primúsque ipse contra eam agit. Eos qui nulla mundi affectione compediuntur extollit, nec erubescit ipse pro vili panno contendere atque pugnare. Intus amaricatur, atque in ipsa amaritudine rursus irascitur, nec sentit dum ruinam adiicit ruinæ. Saturatus pœnitentiam agit, modicúmque progrediens rursus saturitate distenditur. Silentium beatum dicit, ipsúmque per loquacitatem laudat. De mansuetudine admonet & in ipsa doctrina nonnunquam irascitur. Cum resipuerit, ingemit, atque cogitans caput rursus perturbatione corripitur. Vituperat risum ac subridens de gemitu docet. Semetipsum vt inanis gloriæ cupidum in plerisque accusat, & per sui vituperationem sibi gloriam quærit affectu libidinis in faciẽ respicit & de pudicitia disputat. Deserti & quietis sectatores ipse in sæculo degens collaudat. Misericordes glorificat & pauperes exprobrat. Semper sui accusator est, & tamen resipiscere non vult, ne dicam non potest. Vidi ego huiusmodi plurimos cum de exitu æternóque iudicio verba fieri audirent, illachrymari, & cum adhuc essent in oculis lachrymæ, ad mẽsam solicite accurrere. Admiratúsque sum quomodo luctum quoque hæc pernicioſa & malè olens domina captiuare potuit, ingenti insensibilitate captiuata vel roborata. Sed lapide huius & præcipitis insanæq; simul & fatuæ dominæ vulnera, & dolos, quam satis visum & pro tenui cognitione & facultate mea denudaui, neque diu aduersus illam verbis pugnare consilij est. Porro si quis in Domino est, qui experimento suo possit vulneribus afferre remedia, non illum pigeat id exequi. Ego enim imbecillitatem in hoc meam ingenuè confiteor, quippe qui ab huiusmodi peste forte detineor. Nam neque fraudes illius & artes à meipso potuissem deprehẽdere, nisi hanc summa vi tenuissem, eámque diligenter examinans quæ prædicta sunt confiteri fecissem, timoris Domini & infatigabilis orationis illam duplici flagello cædens. Quocirca & hoc dicere videbatur violenta illa & nequissima domina. Hi qui mihi fœdere deuincti sunt, mortuos videntes, rident, in oratione stantes lapidei toti & duri tenebríſque pleni sunt, sacrámq; intuentes mensam quasi ad gustandum communem panem, cum venerint affecti sunt. Ego cum aliquos compungi video, irrideo. Cuncta quæ ex affectus alacritate gignuntur bona is qui me genuit pater necare me docuit. Itaque stupore percussus atque insanæ sermonibus territus, interrogabam quod esset eius genitoris nomen. Illa vero ad me. Ego inquit, non tantũ vnam natiuitatẽ habeo sed innumerabilis quodammodo instabilis ratio meæ conceptionis est. Ea vero quæ detinetur à me nunquam liberabitur. Insiste ingentibus vigiliis. Iudicium sempiternum infatigabili studio meditare, ita tibi forsan parumper cedam. Intuere diligentius occasionem ex qua tibi nata sum, & aduersus matrem meam constanter certa. Neque enim vna mihi indifferenter est mater: Inter sepulchra frequenter ora, eorúmque indelebilem imaginem in corde tuo pinge. Hanc enim nisi ieiunij stylo tibi descripseris, me in æternũ vincere non poteris.

De somno, oratione, Psalmodia in conuentu.

Gradus XVIII.

SOmnus est naturæ ex parte constantia, imago mortis, sensuum feriæ. Vnus quidē est somnus, habet autem plurimas sicut & concupiscentia occasiones, siue causas. Fit enim verbi gratia: ex natura, ex cibis, ex dæmonibus, fortassis vero ex somnio immoderatóque ieiunio, ex quo dum caro lassescit se ipsam iam per somnum consolari quærit. Sicut immoderatus potus ex consuetudine pendet, ita & de somno sentiendum est. Quocirca in initiis renunciationis, contra hoc vigilantissimè pugnandum est. Perdifficile est enim longam consuetudinem curare. Obseruemus diligentius & inueniem⁹ cum insonuit signum spiritualis tubæ, visibiliter quidem congregari fratres: inuisibiliter vero cōuenire inimicos atque hos quidē cū expergefacti fuerim⁹ astare lectulo, nósque vt iterum decūbemus lectulo hortari. Expecta inquiunt, dum compleantur principales hymni, sicq; demum in Ecclesia proficisceris. Alij cum ad orationē assistere cœperimus, nos in somnum præcipitant. Alij præter consuetudinem ventrem immoderate stimulāt. Alij vt inuicem colloquamur, hortantur. Alij mentem nostrā in turpes cogitationes pertrahunt. Alij super parietem reclinare nos vt debiles admonent. Nonnunquam vero oscitare etiam immodice faciunt. Nōnulli illorum orationis tēpore risum nobis mouēt, vt per hunc ad indignationem cōtra nos Deus prouocetur. Alij per summam desidiam festinare nos in versuum pronunciatione impellunt. Alij contra psalmodiam protrahere, voluptatis causa hortantur. Nonnunquam vero ori etiam assidentes nostro ita illud claudūt vt vix aperiri posse videatur. Is qui dū orat, Deo se assistere intimo cordis affectu existimat, vt columna perstabit immobilis, nec ab vllo horum irridetur quos modo prædiximus. Verus obediens mox vt ad orationem stare cœperit, illustratur totus, nonnunquam vero etiam exultatione perfunditur. Est enim huiusmodi pugil præparatus & per integerrimum purissimúmque ministerium iam antea ignitus. Omnibus quidem possibile est cum multitudine orare, plurimi vero cum vno solo vnanime fratre conuenientius orant, paucorum vero valde est solitaria oratio. Si cum multitudine psallas, purgatissimam & ab omni materia remotā orationem offerre non poteris. Cæterum pro exercitatione mentis ea quæ canuntur eloquia tunc speculare, vel rursus dū vt versum proximus finiat expectas intentius ora. Nihil dum oras immiscere orationi decet, siue illud inutile sit & otiosum, siue vtile & necessariū. Sed orationi & operi distribuēda sunt tēpora. Quod manifeste docuit is qui magnum Antonium erudiuit Angelus. Probat quidē aurum fornax sed studium & charitatem in Deū, monachorū probat orationis intētissima qualitas.

De Vigiliis. Gradus XIX.

TErrenis quidē ac mortalibus regibus, qui astāt alij expediti ac nudi fere sint, alij faces, alij clypeos, alij gladios tenent, est autem ingens atque incomparabilis primorum ad sequētes differentia. Quippe alij proprie cognati regis esse atque familiarissimi solent, hi vero serui & ministri, & ista quidem ita se habent: Age vero iam nos quoque quonam modo in vespertinis diuinisque conuentibus & orationibus Deo & regi nostro assistimus solertius inspiciamus. Quidam enim in vespertinis pernoctationibus expeditissimi ab omni cura nudi, puras ad orationem extendunt manus. Alij cum psalmorum modulatione assistunt in hac. Alij lectioni magis incumbunt. Quidam per opus manuū ex infirmitate viriliter aduersus somnū repugnāt. Nonnulli mortis meditatione se exercēt ex huiusmodi consideratione, compunctionem sibi acquirere studentes. Ex his omnibus primi & postremi diuinis excubiis insistunt, secundi vero monasticæ vitæ propiores sunt, tertij vero inferiorem ambulāt viā. Verū deuotione & virtute offerētiū Deus munera suscipit & æstimat. Vigilans oculus expiauit mētem, immodicus somnus obtudit & excæcauit animam. Peruigil monachus fornicationis inimicus, somniculosus vero contubernalis eius est. Vigiliæ incendium libidinis frangūt atque à somniis liberant. Suffusus lachrymis oculus tenerúmque cor ad sui custodiam erectum cognitiones cautissime obseruat, cibos fornacis in morem consumit, passiones edomat, linguam restringit & reprimit, fugátque phantasmata. Vigilans monachus piscatur cogitationes, eásque per tranquillitatem noctis facillime & considerare & capere potest. Dei amator monachus mox vt sonus tubę increpuerit, ad orationem vacans, lætus & hilaris dicit; Euge euge: negligens vero, væ mihi væ mihi. Mensæ præparatio gulæ deditos arguit, orationis autem exercitatio Dei amatores. Probat prior ille, dum instructā conspicit mensam, gestit lætitia. Sequens autē mœstior fit somnus multus obliuionis opifex, vigiliæ vero memoriam emundant. Diuitias agricolæ ex area & torculari colligūt. Monachi vero suas opes & sciētiam vespertinis maxime nocturnisque orationibus, & animi exercitationibus congregant. Somnus multus, iniquus est socius, & dimidium vitæ negligentibus, siue amplius diripit improbus monachus in collocationibus vigil & fabulis, cum autem orationis hora superuenerit somno illi grauātur oculi. Mollis & lasciuus monachus in loquacitate probatus, vbi lectio illata fuerit, aspicere præ somno non valet. Cum nouissima tuba insonuerit, mortuorum erit resurrectio, ita cum sermo otiosus personare cœperit dormientium, erit euigilatio. Amicus fallax soporis tyrannus, nōnunquam postquam satiati fuerimus cædit, famēque & siti nos acriter oppugnat, opus manuum cum orare pergimus ferre nobiscum suggerit. Aliter quippe vigilātium orationem demoliri nequiuit. Primus hic rudibus oppugnando subrepit: siue vt eos initio negligentiores faciat, siue vt spiritu fornicationis viam paret. Quousque ab eo liberi sumus cū multitudine psallere non deuitemus. Sæpe enim fit vt astantiū oculos veriti dormitare erubescamus. Inimicus est leporibus canis: ita & somno inanis gloriæ spiritus. Finita die venditor, monachus vero psalmodia finita residens computat lucrum. Permane post orationem sobrius ac vigilans: tunc que cateruas dæmonum aspiciens: Nam quia nobis in oratione expugnati fuerint, post orationem iniquis nos phantasiis circunuenire moliuntur. Residens obserua diligentius, inspiciésque eos qui consueti

sunt

sunt primitias animę diripere. Fit nonnunquam, vt in somnis ex assiduitate exercitij laudabilis, psalmorum meditemur eloquia. Plerunque vero dæmones ea suggerunt nobis, vt nos ad superbiam eleuẽt. Tertium genus dicere nolebam, nisi me quidam coegisset. Anima quæ verbum Dei quotidie sine intermissione meditatur, solet per soporẽ quoque in eodem morari, est enim hoc secundum primi proprie remuneratio: qua, scilicet spiritus phantasmata, euitantur.

A

De ignaua formidine. Gradus XX.

QVi in cœnobiis, siue conuentibus virtutem arripit, non valde cõsueuit oppugnari formidine, qui vero in remotioribus locis solitarius degit, caueat ne vnquam sibi formido dominetur, cenodoxiæ germen, & infidelitatis filia formido puerilis est mos in vetula ab inani gloria appressa anima. Formido est fidei conuersio in expectatione earum rerum, quæ non videntur. Timor, est præmeditatum præuisúmque periculũ: Siue ita timor est sensus tremulus cordis, qui de incertis calamitatibus iugiter agitatur indignans. Timor est certæ confidentiæ ac securitatis priuatio. Superba anima est formidinis ancilla, sibiipsi fidens, sonitúsque & vmbras rerum quarumlibet metuens. Hi quidem qui amãt nec dolent formidine omnino carent, qui vero formidolosi sunt lugent & desperant, stuporẽ mentis plerunque patiuntur & merito sane: Iustus enim cum sit Deus, superbos deserit, vt relicti nõ extolli doceantur. Cuncti quidẽ formidolosi sunt, qui inanem gloriam sequuntur. Non autem ideo omnes quoque qui carent formidine sunt humiles. Nam & latrones & qui sepulchra violãt, nulla formidine trepidant. In quibus locis consueuisti expauescere, ad ea non te pigeat noctu proficisci. Nã si his quæ praua sunt cedas: consuescet tecum puerilis ista & ridiculosa perturbatio. Dum vero ad ea proficisceris, orationis arma accingere. Et cum perueneris extende manus: & Iesu nomine cæde inimicos. Nulla enim neque in cœlo neque in terra sunt arma potiora. Liberatus ea peste liberatorẽ tuum collauda. Nam si illi gratias referas, in æternum proteget te. Nunquam poteris ventrem subito implere, ita ne formidinem quidem statim vincere valebis. Pro mensura luctus formido citius vel serius recedit. Inhorruerunt pili carnis meæ (inquit Elyphas) dæmonis astutiam enarrans. Aliquando quidem anima nõnunquam vero corpus ante formidare incipit: alterúmque alteri passionem non communicat. Quotiens formidine concepta in carne, metus improbus in animam erumpere non potest, iuxta est infirmitatis huius liberatio. At cũ per cõtritionem cordis insperata omnia prompte expectamus: tunc reuera formidine sumus liberati. Non tenebræ, non locorum solitudo, dæmones cõtra nos roborant: sed animæ sterilitas, plerumque vero etiam disciplina diuina nobis dispensatione permissa. Qui verus seruus est domini: proprium solúmque Dominum timebit, qui autem necdum metuit, vmbram suam sæpius extimuit. Instante quidem inuisibiliter spiritu terretur corpus, astante vero angelo exultat humilium animus. Quocirca

B

C

D

Iob. 4.

ex affectu huius præsentiam agnoscentes ocyus ad orationem recurramus. Nam vt nobiscũ oret nósque adiuuet clementissimns custos ad nos aduenit.

De Cenodoxia. Gradus. XXI.

SOlent plerique dum de vitiis disputant inanem gloriã seorsum diffinire à superbia, vnde & octo esse principalia & primaria vitia dicunt. Theologus vero Gregorius aliique plurimi doctores septẽ ista esse tradiderunt, quos ego maxime sequor. Quis enim inanem gloriã deuicit, & superbus fuit? Ea vero est ambarum adinuicem differentia, quæ est naturaliter pueri ad virum & tritici ad panem: hoc enim principium est, illud finis. Nunc igitur de initio plenitudine passionum, nephario scilicet tumore: tẽpore admoniti, paucis loquamur. Qui enim de his longissime philosophari nititur, is ei similis est, qui de ventorum pondere incassum curiose quærit. Cenodoxia est specie quidem immutatio naturæ, morúmque peruasio, & obseruatio querelæ: qualitate vero laborum dissipatio, sudorũ perditio, thesaurorum insidiæ, perfidiæ alumna, superbiæ præcursor, in portu naufragium, in area formica. Quæ & tenuis est, laboribus omnibus & fructibus insidiatur. Expectat formica dum perficiatur triticum. Cenodoxia vero dum congregentur opes. Gaudet illa vt furetur, hæc autem vt dissipet: Gaudet desperationis spiritus, cum videt multiplicari vitia. Cenodoxia vero cum virtutem multiplicari videt. Prioris ianua multitudo vulnerum. Secundæ vero diuitiæ laborum. Obserua diligenter & vsque ad mortem & sepulchrum inuenies hanc nefariam labem quotidie vestibus, vnguentis, pompis, aromatibus & aliis florere. Lucet omnibus affatim sol, omnibúsque studiis Cenodoxia aggaudet. Verbi gratia, ieiuno, inaniter glorior, si latendi causa soluo ieiunium, tanquam prudens iterum glorior. Si splendide vestitus, vincor ea peste. Si vilius induar, denuo glorior. Si loquar, hac superor. Si taceam, iterũ superatus sum. Quocunque hunc tribulum ieceris, erecto persistit aculeo. Eiusmodi vero glorioſus est fidelis idolorum cultor, qui Deum quidem colere & venerari videtur, hominibus vero non Deo placere studet. Omnis autem huiusmodi est, qui ostentationi obsequitur. Eius vero ieiuniũ absque effectu mercedis erit, eius item improba oratio, vtraque ad hominũ laudem captãdam operatur. Monachus inaniter glorians, duabus ex partibus læditur. Corpus enim per afflictionem conterit, nec vllam inde mercedem recipit. Quis non rideat Cenodoxiæ operariũ, qui dum ad psallendum stat, ab ea exagitatus interdum in oculis omnium deflet? Abscondit Deus nonnũquam ab oculis nostris etiam quæ possidemus bona, vir autem laudator, immo vero seductor per laudes oculos aperit nostros. His autem apertis à nobis euanuere diuitiæ. Adulator est dæmonum minister, superbiæ dux, compunctionis exterminator, bonorũ dęmolitor, erroneus ductor. Qui enim beatos nos dicunt, inquit ille, nos seducunt. Sublime est quidem illatas contumelias fortiter, libentérque perferre, sanctum vero ac iustum laudes absque læsione transire. Vidi lugentes, dum

E

Isaiæ. 3.

laudarentur, iracundiæ facibus succendi, & veluti in mundo passione passionem commutare. Nemo
1. Cor. 2. quæ sunt hominis nouit, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Erubescant igitur & obmutescant, qui nos beatos in faciem dicere nituntur. Cũ audieris quod te vel proxim⁹ vel amicus tuus maledictis infectatus sit absentem siue & præsentem, tunc ostende charitatis opus, atque illum ipse collauda. Magnũ quidem est laudes hominis ab anima excutere, sed lõge maius auersari dæmonum laudes. Nõ ille humilitatẽ ostendit, qui seipsum deiicit & vilẽ dicit, quid enim mirum si seipsum toleret, sed qui ab alio probris respersus charitatem in illum integram atque inuiolabilem seruat. Animaduerti cenodoxiæ dęmonem dum cogitationes fratri suggereret, alteri quoque prius eas reuelasse, vt cum ab eo quæ in corde suo versarentur, audiret, hunc veluti præcognitorem ac beatum diceret. Ipsa quoque corporis membra carpere, repentinósque corpori tremores excitare consueuit impurus hic spiritus. Nõ illum audias, cum tibi vt Episcopatum vel monasterij principatum suscipias, ingerit. Est enim laboris immodici canem à macelli mensa amouere. Solet cum viderit aliquos vel modicũ in quietis proposito ac tranquillo statu profeciſſe, mox vt relicta eremo ad seculum proficiscantur hortari. Abi inquiens in salutem animarum pereuntium. Alia Ethyopum est: & alia statuarum forma, ita & alius modus est inanis gloriæ eorum qui in seculo morantur; alius eorum qui in desertis degunt. Secularium aduentus præuenit inanis gloria, leuioréque monachos aduenientibus obuiam progredi hortatur, eorúmque prouolui pedibus. Itaque cum sit superbia plenissima, humilitatem simulat, mores, habitum, inceſſumq; moderando componit, submissáque loquitur voce, atque ad manus peruenientium vt aliquid accipiat respicit, Dominos ac patres & primarios appellat, & qui post Deum sint vitæ illorum causa. Ad mensam residentes abstinere hortatur, & inferiores absque misericordia exagitat. Eos qui in psalmodia negligentiores esse solẽt, fortiores facit. Mutisque & sine voce venustatẽ vocis adiicit, somniculosósque vigilantes efficit, adulatur ei qui præest canoni, primatúmque sibi largiri affectat. Et dum hospites abscedant, patrem illum & magistrum nominat. Eos qui honorati sunt, superbos facit, & qui despecti iniuriæ memores ostendit. Cenodoxia nonnunquam pro honore ministrauit ignominiam, suis enim discipulis irata cõfusionem illis maximam indixit. Cenodoxia feruidos, iracundia mites, in conspectu hominum & mansuetos fecit. Hæc naturalibus bonis & donis vt plurimũ insilit & per ea infelices trahit vel sternit. Vidi dæmonem, socium ac fratrem suum perturbasse atque effugasse. Nam cum aliquando frater irasceretur, aduenirẽntque interea seculares hospites; ex iracundia in Cenodoxiam translatus est miser, simul enim vtrique seruire non poterat. Is qui seipsum Cenodoxiæ vendidit, ad duplicem viuit vitam: nam inter monachos, habitu degens; in seculo, mente & cogitatione versatur. Si ad supernam gratiam festinamus accurrere, supernam gloriam degustare studeamus. Qui enim illam degustauerit, terrenam omnem protinus contemnet:

Dæmon, à Dæmone expulsus.

A miror enim siquis absque illius gustu hanc possit aspernari. Sæpè fit vt qui ab inani gloria prædati ac vastati fuimus, conuersi postmodum illam acriùs vastemus. Vidi quosdam operarios spirituale exercitium ex inani gloria cœpisse abiectóque postmodum noxio vitioſóque principio (correcta intentione) laudabili fine quod minus recte cœperant, consummasse. Qui in prærogatiuis naturalibus; puta, acumine, peritia, lectione, pronunciatione, ingenio, cæterísque omnibus quæ nobis sine nostro proueniunt, extollitur, hic nunquam eis quæ supra naturam sunt bonis potietur: qui enim in modico infidelis est, in multo quoque infidelis erit. E-
B iusmodi verò, est seruus inanis gloriæ. Plerique vt supernam tranquillitatem, diuitiásque gratiarum ac miraculorum perpetrationem & virtutem prænoscendi adipiscantur; corpora sua incassum contriuerunt: ignorantes miseri quòd non labores, sed summa humilitas huiusmodi munera pariat. Qui munera pro laboribus exigit; hic periculosum iecit fundamentum: qui verò seipsum debitorem existimat, is inspiratas gratiarum opes repente suscipit. Caue ne proditori vnquam obtemperes, cùm te quasi pro audientium vtilitate virtutes propalare suggerit. Quid enim proderit homini si Mundo vniuerso profit, sibi verò ipsi detrimentum faciat?
C Nihil æquè, vt humilis nec vlla simulatione fucatus habitus, intuentes ædificare poterit. Fit enim & aliis viaticum, nunquam extolli; Quo, quid maius ad vtilitatis rationem esse possit, non video. Notauit quidam ex his qui videre acutiùs poterãt, narrauítque quod viderat. Cum sederem (inquit) in cœtu quodam; aduenientes ad me, Cenodoxiæ & Superbiæ dęmones iuxta me ex vtraque parte sederunt: & vnus ex his quidam digito suo illo nouissimo pulsauit latus meum, hortans vt aliquid quod ad cõtemplationem pertineret, siue op⁹ quodlibet in Deserto à me gestũ loquerer. Quem cum à me expulissem dicens; *conuertantur retrorsum & erubescant qui mala cogitant mihi*: protinus is qui à sinistris erat,
D ad aurem mihi dixit, Eya bene feciſti, magnúsque effectus es, quippe qui imprudentissimam matrem meam viceris. Ad quem ego ritè sequentes Versus assumens, dixi: *Auertantur statim erubescentes qui dicunt mihi, Eya benè feciſti*. Eundem ego cùm interrogassem quomodò inanis gloria sit superbiæ mater, ita respondit: Laudes, inquit, animam eleuant & inflant; porrò cùm anima ad elationem venerit, iã tunc illam superbia assumens in cœlum vsque atollit, & vsque ad abyssos deiicit. Quædam gloria est quæ à Domino prouenit. *Ego* enim (inquit (*eos qui me glorificant, glorificabo*: est & alia quæ ex diaboli-
E co apparatu & fraude proficiscitur; *Væ* enim inquit, *cùm vos benedixerint omnes homines*. Priorem apertissimè cognosces, vbi illam vt detrimentũ existimans, omni conatu auersatus fueris; & quocũque proficiscêris conuersationem tuam occultaueris. Secunda vero cùm vel parum aliquid, vt ab hominibus inspiciaris, operatus fueris, fingere eã quæ in nobis non est virtutem, scelerata suggerit. Sic enim inquit, *sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrũ qui in cœlis est*. Plerumque Dominus, inanis gloriæ cupidos in illius odium per aliquem contingentem sibi

sibi ignominiam traduxit. Cuius odij initium est oris custodia, amórque vilitatis & ignominiæ. Medium verò intellectualium omnium inanis gloriæ studiorum amputatio. Finis verò (si tamen vllus est abysso finis) ea omnia coram multitudine studioſè ac sine vllo doloris sensu quærere, quæ ad ignominiam pertinent nostram. Noli confusionem tuam abscondere, quasi id veritus ne tibi videaris offendiculum ponere. Iam verò etiam secundùm culpæ & erroris speciem, nō eodem fortasse medicamine semper vtendum est. Quoties nos gloriam aduocauerimus, siue cùm inuocata ab aliis tamen ad nos præmissa peruenerit, siue cùm ad inanem gloriam studioſè aliqua facere tentamus; luctús nostri meminerimus, ac nostræ secretionis ac trepidæ orationis, prorsúsque illius improbitatem obtundemus, atque in reuerentiam transferemus; si tamen veræ orationis nobis cura est. Sin autem, vel mortis nostræ considerationem citiùs arripiamus. Si verò ne id quidem possumus, vel eam confusionem metuamus quæ gloriam inanem sequitur (qui enim se exaltat, humiliabitur) non futuro tantùm seculo sed etiā in præsenti; quoties nos, laudatores (imò verò seductores) laudare cœperint; citiùs iniquitatū nostrarum multitudo memorię occurrat, inueniemus nosipsos indignos his quæ in nostrā laudem dicuntur vel gerūtur. Sunt inter inanis gloriæ studioſos, qui in quibusdam petitionibus suis exaudiri à Deo debeant; quorum, Deus ideò anticipare orationes & preces cōsueuit, ne per orationis studiū id quod petierant accipientes, superbiores fiant. Non valdè solent, qui simpliciores sunt, in venenum istud incidere; Cenodoxia quippe, est simplicitatis amissio, fictáque institutio. Vermis plerunque, dum excreuerit, natis alis in sublime subuectus est: & consummata inanis gloria, superbiā peperit, quæ malorum omnium dux, princeps & consummatio est.

Spiritualis medicina contra inanem gloriam.

Superbia, est omniū malorum consummatio.

De superbia, Gradus XXII.

SVperbia, est Dei abnegatio, inuentio dæmonū, aspernatio hominum, condemnationis mater, sterilitatis augmentum, laudū progenies, diuini adiutorij expulsio, stuporis præcursor, lapsuum ministra, casús materia, iracundiæ fons, simulationis ianua, firmamentum dæmonum, delictorum custos, duritiæ & crudelitatis artifex, compassionis & misericordiæ ignoratio, amarus exactor, immitis iudex, Dei aduersatrix. Initium superbiæ, finis est inanis gloriæ: Medium verò, despectio Proximi, & laborum suorum impudēs diuulgatio: Laudis amor, ex corde reprehēsionis odium. Finis autem, est abnegatio diuini adiutorij, propriíque studij elatio, & confidentia, dæmoniacus mos. Audiamus intentiùs omnes, qui foueam istam cupimus effugere. A gratiarum actione plerunque hæc pestis teterrima, solet incrementa suscipere: neque enim initio, improbè Deum abnegare suggerit, sed tum demùm vbi quendam Deo gratias ore agentem, sensúque superbè gloriātem viderit. Testatur id apertissimè, Pharisæus ille qui dixit: *Deus, gratias ago tibi.* Vbi ruina contigit, ibi anteà superbia tabernaculum fixerat. Pri⁹ enim illud, hoc subsequēs inducit. Audiui, insignem quendam & honorabilem virum dixisse duodecim esse passiones ignominiæ; è quibus si vnā harum (elationem dico) volūtate diligas, sola ea reliquarum vndecim locū implebit. Altùm sapiens monachus, contradicit vehementer; humiliter autem sentiens, contradicere nescit. Non sustinet cupressus in terram inclinari; neque monachus elatus corde, obtemperare. Vir excelso corde, dominari appetit: aliter enim perire vtcunque nō potest; imò non vult. *Superbis Deus resistit:* quis iam illos misereri potest? Immūdus apud Deum est omnis elato corde; quis iam huiusmodi mūdare poterit? Disciplina quidem superborū, lapsus est, stimulus, dæmon, derelictio autē stupor. Et in illis quidē prioribus homines ab hominibus sæpe curati sunt, extremum verò curari ab hominibus non potest. Qui reprehensionem ab se excutit, hoc se morbo laborare significat qui vero illam admittit, pestis eius vinculo solutus est. Si absq; alio vitio hoc solo cœlestis quidam de cœlo corruit, quærendum an forte humilitate sola sine virtute alia possibile sit in cœlum cōscēdere. Superbia est diuitiarum, virtutis, sudorúmque perditio. Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret. Idcirco penitus, quia superbia id fecerunt. Clamauerunt ad Dominum & non exaudiuit eos, ideò omnino, quia causas contra quas orabant, non abscinderunt. Superbientem fratrem probatissimus quidā ac discretissimus senior specialiter corripuit. Ad quem ille cæcutiens, ait: Ignosce pater, neque inaniter glorior, neque superbus sum. Tunc sapientissimus senior ad eum: Et quonam, inquit, modo fili declarare manifestius potuisses te hoc morbo laborare? Talibus itaque plurimum confert subiectio deuota, crassius atque ignobilius institutū vitæ virtutúmque clarissimorū patrum, earum quæ naturam excellere videtur intentissima lectio. Fortasse vel sic erit huiusmodi languentibus aliqua salutis spes. Pudor est alieno ornamēto gloriari, extremęq; demētiæ de donis extolli. Quæcūque tibi ante natiuitatem fuere virtutū bona, eis solis gloriare. Nam quæ post generationem tibi Deus largitus est, vt ipsam quoque natiuitatem. Quas ergo virtutes prēter mentem acquisisti, illæ solæ tuæ sunt. Mētem enim tibi largitus est Deus. Et quæ extra corpus exegisti certamina, ex tuo solo studio fuerūt. Corpus quippe non tuum est opificium, sed Dei. Noli confidere quo ad sententiam suscipias. Cùm videas quendam qui postquā introductus in thalamum fuerat atque discubuerat, ligatis manibus & pedibus in exteriores religari tenebras. Noli elata ceruice gloriari, luteus cùm sis. Plurimi enim qui sancti atque omni materiæ pudore fuerāt liberi, de cœlo deiecti sunt. Cùm in suis operariis locum cœperit dæmon, tunc iā ipsis in somnis aut per visum in figura sancti Angeli vel martyris alicuius apparēs, mysteriorum reuelationem vel gratiarum munera largitur, vt per hunc modum seducti miseri, perfecte demum sensu integro & sanitate mentis excidant. Etiam si mille mortes pro Christo pateremur, ne sic quidē satisfacere aut debitum nostrum implere possemus. Alius quippe est Dei, alius seruorum sanguis (secundum dignitatem dico) non secundum substātiam. Nunquam nos ipsos disquirere & diiudicare desinamus, iugiter probatissimorum patrum qui ante nos luminarium in modum splenduerunt, vitā ac mores

Monachus altùm sapiens.

Iac. 4.

Superbia.

Psal. 17.

Matt. 22.

Superbiæ effectus.

Superbiæ medium & extrema.

Luc. 18.

intueamur,nósque ad illorum comparationem studiosius examinemus, tunc sanè, tunc nos ipsos ne vestigium quidem diligentioris conuersationis attigisse inueniemus,sed seculari adhuc instituto immorari. Monachus proprie est animi oculus omni elatione carẽs,immobilísque corporis sensus. Monachus est qui hostes ferarum in morem prouocat & irritat,cum illi ab ipso fugiant. Monachus est iugis excessus mentis, ac mœror vitæ. Monachus est qui ita virtutibus affectus est, vt esset voluptatibus alius. Monachus est lux cordis, oculos iugiter irradians. Monachus est humilitatis abyssus, spiritum omnem præcipitans & suffocãs. Superbia est fastus obliuionem peccatorum ingerens. Naui illorũ perpetua memoria humilitatis est opifex. Superbia est animæ suprema inopia, dum illa diuitias imaginatur,lucémq; esse in tenebris existimat. Non solum non permittit hæc execrabilis pestis in anteriora progredi,sed etiam ex altitudine deiicit. Superbus est punicum malum,interius putridũ,exterius verò decorem præferens. Superbus monachus dæmone opus nõ habet, ipse enim sibi iam & dæmon & hostis & inimicus est. Alieniſſimæ sunt à luce tenebræ & ita superbus à virtute omni alienus est. Sũt in superborũ cordibus blasphemiæ verba, in animabus autem humilium cœlestia dona. Solem execratur fur,superbus verò mites aspernatur. Nescio quo pacto seipsos plerique superbi latuerunt,&cum se putarent esse impassibiles, in exitu paupertatem suam cognouerũt. Qui hac labe deprehensus fuerit, Domini auxilio illi opus est: Vana est enim illi salus hominis. Deprehendi enim seductricem hanc sine capite mecũ aduenisse matris suæ humeris inuectam, ambásque obedientiæ vinculo illaqueans vilitatísque flagello verberans,qualiter in me essent ingressæ dicere cogebam. Itaque cùm crederentur, aiebant: Nos neque initium habemus neque natiuitatem, principes enim & genitrices sumus omnium vitiorum. Oppugnat autem modice in nos contritio cordis ex subiectione initium sumens. Nullius imperio subiici patimur,ideò in cœlis quoque seditiones mouemus. Nos(vt totum simul audias) omnium quæ sunt contraria humilitati genitrices sumus,cuncta quippe quæ illi suffragantur nobis, aduersissima sunt. Nos ignominias, obedientiam,iirascẽtiam, obliuionem iniuriarum, & ministerium sequi sæpe consueuimus. Porrò stirpes nostræ sunt, spiritualium lapsus,iracũdia,detractio, amaritudo, clamor,furor, blasphemia,hypocrisis,odium,inuidia,contradictio, suo quàm alterius malle regi moderamine. Obedientia vnum & solum est, in quo conatus omnes virium nostrarum deficiunt. Idq; tibi coactè dicimus. Si teipsum coram Domino ex intimo cordis affectu semper accuses, nos vt araneas contemnes. Nam vt vides, superbiæ est equus cenodoxia quam cõscendi, sed sancta humilitas & suiipsius iugis accusatio,ridebunt & equũ & ascensorem eius, triumphaléque carmen suauissimè canentes: Cantemus, inquient, Domino glorio.e.h. e.e.& a.proiecit in mare,& humilitatis abyssum.

Superbus.

De ineffabilibus cogitationibus blasphemiæ.

Gradus, XXIII.

SÆuæ radicis & matris sæuiorẽ esse progeniem in superioribus audiuimus, videlicet nephariæ superbię scelleratam filiam blasphemiã. Idcirco necesse est eam in medĩu adduci. Neque enim quiuis est inimicus,sed hostib⁹ omnibus immanior & grauior. Et quod durius est,nõ facile spirituali medico enũciari aut confitẽdo denudari potest. Quocirca plurimis nõnunquam desperationis & diffidentiæ causa fuit, omni illorum consumpta spe non secus quàm à verme consumitur lignum. Iste igitur scelleratissimus & sæpe alias ad sanctam synaxim & ad ipsam horrendam sacrorum mysteriorum horam blasphemare Dominum,& in ipsa qua cõsummantur sacra solet. Ex quo maximè manifestè colligimus,non esse animam nostram,quę illa intus verba locuta sit impia & non ferenda,sed dæmonẽ, DEI bonorúmque omnium aduersarium, qui de cœlis deiectus est,quod illic quoq; dum se per superbiam extollit, in Deum quoque blasphemias & contumelias iaculari visus est. Nam si mea sunt turpia illa & scelerata verba, quid est quod donũ cœleste suscipiens adoro. Quomodo possum vnà & benedicere & maledicere? Plurimos seductor iste animarúmque corruptor in stuporem & amentiam sæpe deducit. Nulla enim alia cogitatio ita difficilis vt ista enunciari potest. Quocirca & multis plerunque consueuit euenire. Nihil enim ita dæmones cogitationésque contra nos roborat vt eas inconfessas in corde nutrire atque occulere. Nemo sibi verborum blasphemiæ causam imputet. Cordis quippe cognitor Dominus nouit nostra non esse huiusmodi verba & inuenta, sed hostium nostrorum. Ebrietas offendendi causa est, & superbia cogitationum indecentium, atqui is quidem qui offendit,non quia offenderit,sed quia ebrietatis causa id passus est, omnino punietur. Cùm ad orationem stamus immũdæ illæ infandæq; cogitationes nobis importunè obstrepunt. At cùm orationem finierimus, protinus excedunt. Neque enim oppugnare eos solent, qui aduersum illas non dimicant. Non solum autem Deum & diuina omnia impius ille spiritus blasphemat, sed & turpissima quædam & teterrima verba in nobis intellectualiter loquitur, vt aut orationem deseramus aut nosipsos in desperationem deiiciamus. Plurimorum quidem intercepit orationem, multos à sacrorum mysteriorum cõmunione separauit, quoniã corrupta mœrore tabescit,alios per ieiuniũ domuit, nequã hic& inanis tyrannus, nullámque eis requiem concessit. Idq; non solum in seculi hominibus, verũ eis quoque qui monasticam vitam subierũt fecit, nullã eis iam salutis spem reliquam improbissime suggerẽs, infidelibúsque omnibus & ipsis quoque gentilibus miserabiliores esse denuncians. Qui blasphemiæ spiritu se perturbari sentit, atque eo liberari cupit, pro certo habeat non suam animam huiusmodi cogitationem esse causam, sed impurum illum spiritum qui aliquando Domino dixit: Hæc omnia tibi dabo,si procidens,adoraueris me. Idcirco nos quoque contemnentes ipsum & quæ ab illo dicuntur nihil existimãtes,securi & intrepidi dicamus. Vade post me Satana.d.d.meum a.& i.f.sermo autem dolúsque tuus in caput tuum conuertetur, & in verticem tuum blasphemia tua descendet, in præsenti & in futuro seculo. Qui præter hunc modum aduersus blasphemiæ spiritum pugnare vult, is ei similis

Similis.

Homer. mysti.

Adorat. cuchat.

Confict. cogitat. nes.

Matth.

397

Simile. milis est, qui manibus suis coruscationem continere nititur. Nam quomodo vel comprehendere vel resistere aut reluctari aduersus eum poterit, qui repentè in cor venti instar pertransit, habétq; verbum momento velocius confestímque euanescit. Nam hostes quidem reliqui insistunt, perstant, moráque trahunt, tempúsque aduersum se pugnantibus præbent, hic autem simul cùm apparuerint abscondit se, statímque vt locutus est mentem pertransiit. Solet plerunque in simpliciorũ atque puriorum mentibus huiusmodi dæmon immorari, quod hi maximè vehementius cæteris cõcuti & perturbari consueuerũt. Quibus sanè non dicimus id ex superbia aliqua propriè, sed ex dæmonum inuidia & calliditate contingere. Desinamus tandem iudicare & condemnare proximum & cogitationes blasphemiæ nõ metuemus. Id enim huius & occasio & radix est. Sicut qui in domo inclusus, audit exterius prætereuntium verba, nec tamen cum eis ipse colloquitur, ita & anima quæ in se ipsa degit dæmonis blasphemias auscultãs quas per illam transiens, loquitur, non turbatur. Qui hunc spiritum despicit, liber euasit: qui verò illi aliter reluctari nititur, tandem subiacebit. Qui enim verbis spiritum continere vult, is ei similis est qui ventos includere nititur. Monachus quidam studiosus cùm ab eo perturbaretur ad viginti annos, carnem suã ieiuniis & vigiliis macerare non destitit, cùm verò nullam vtilitatem se inde cepisse sentiret, profectus conscriptam in charta perturbationẽ ac tẽtationem suam sancto cuidam ac probatissimo seni obtulit, in faciem prostratus, nec illum intueri valens. Vt autem legit senior subrisit, fratrémque erigens dixit: Pone fili manum tuam super oculum meum. Quod cùm fecisset, ait illi senior: Super collum meum sit frater hoc peccatum quotquot annis te oppugnauerit vel oppugnaturum sit. Tu autẽ id obserua, vt hoc iam floccipẽdas & nihil æstimes. Quibus verbis ita roboratus est frater, vt nõ antea cella senis excederet, quàm huiusmodi morbus euanescceret. Hoc autem is qui expertus est mihi postea enarrauit, Deo gratias referens.

Ventos includere.

De mansuetudine & innocentia per gratiam quæsitis. Gradus XXIIII.

PRæcurrit quidem solem matutina lux, omnem verò humilitatem mansuetudo præcellit, Quocirca lucem ipsam audiamus, ita eas gradatim ordinantem: Discite, inquit, à me, quia mitis sum & humilis cordis. Iustũ ergo est & legitimum ante solem lucem illustrari, atque ita demum clarius solem intueri. Fieri enim non potest vt hunc intueatur, qui lucem anteà nõ cognouerit, vt beatorum docet institutio. Mansuetudo est animi incommutabilis status æquè in honoribus se & ignominiis habens. Mansuetudo est in perturbationibus proximi, pro illo affectu summo atque integerrimo orare. Mansuetudo est supereminens iracundiæ pelago scopulus. Mansuetudo est firmamentum patientiæ, charitatis ianua, imò verò mater, discretionis argumentum. Docebit, inquit, Dominus mites vias suas, veniæ ministra, confidentia in oratione, spiritus sancti diuersorium. Ad quem enim, inquit, aspiciam, nisi ad mansuetum & quietum & trementem ser-

Matth. 11.

Psal. 24.

Isaiæ. 56.

A mones meos? Mansuetudo est obedientiæ adiutrix, fraternitatis dux, furentium frenum, irascentium retinaculum, gaudij indultrix, imitatio Christi, angelorum proprietas, dæmonum nexus, atque amaritudinis clipeus. In cordibus mansuetorũ requiescit Dominus, anima verò turbulẽta diaboli est sedes: Mites hæreditabunt terram, imò verò dominabuntur ei, viri autem insani ac furore præcipites ex terra sua vastabuntur. Mansueta anima simplicitatis sedes, mens autem iracunda nequitiæ est opifex. Mitis anima capiet sapientiæ verba, dirigit enim in iudicio mãsuetos Dominus, imò verò in discretione. Anima recta contubernalis est humilitatis, iniqua autem superbiæ est adolescentula. Mansuetorum animæ implebuntur scientia, mentes iracundi tenebris iracundię vel ignorantiæ cohabitant. Iracundus & simulator obuiauerunt sibi, nec inueniri poterat sermo rectus in discrepatione eorum. Si cor prioris explices, inuenies insaniam. Si verò secundi perscruteris animum, aspicies nequitiam. Simplicitas habitus est animæ varietate carens, totiúsque peruersæ intentionis ignarus, & qui nulla mala cogitatione moueatur. Nequitia est sciẽtia, imò verò turpitudo dæmoniaca priuata veritate, & quæ plurimos latere videatur. Hypocrisis est & corporis & animæ contra ius status, adinuentionibus omnibus impletus. Innocẽtia, lætus ac serenus est animi status, omni adinuentione ac figmento líber. Æquitas est intentio curiositate carens, affectus integer, sermo purus, neque vlla fictione vel præparationis arte fucatus, à nequitia remotus. Mũdissima est natura animi in ea qua creata est animi puritate persistens, atque secundum eam omnibus congrediens. Nequitia est rectitudinis peruersio, intẽsio seducta, mentita dispensatio, perplexis verbis annexa iuramẽta, profundum cordis, fraudis abyssus, assuetum transiénsque in habitum mendacium, naturalis exinde tumor, humilitatis aduersarius, pœnitentiæ simulatio, fletus elongatio, confessionis inimicitiæ, propriæ sententiæ volũtatísque defensio, lapsus artifex, resurrectionis aduersatio, contumeliæ risus, fatua grauitas, ficta religio, dæmoniaca vita. Malus est diabolo & familiaritate coniunctus & nomine. Quocirca & Dominus illũ ita appellãdum monuit in oratione, quam ipse instituit dicens: Libera nos à malo. Fugiamus à simulationis pręcipitio & à versutiæ lacu audientes eius sententiã qui dixit: Quoniam qui malignantur exterminabuntur. Et sicut olera herbarum citò decidẽt. Huiusmodi enim pascua est dæmonũ. Sicut De⁹ charitatis, ita æquitas quoque appellatur, atque ideò Sapiens in Canticis ait ad cor: Æquitas dilexit te. Rursúsque Sapientis huius pater: Bonus & rectus Dominus. Eósque qui hoc cum illo appellantur nomine saluari dicit. Ait enim: Qui saluos facit rectos corde. Et rursum: Æquitatem animarum vidit & visitauit faciem eius. Prima incrementi puerorum proprietas est simplicitas omni varietate libera, quam quousque habuit ille Adam, non vidit animæ suæ nuditatem, neque carnis suæ turpitudinem. Bona quidem est ac beata illa simplicitas, quæ quibusdam ineſt naturaliter, longe tamen illa beatior & excellentior, quæ laboribus & sudoribus ex malitia traducta est vel fuerit. Nam illa quidem à varietate multiplici ac

Manſuetudo.

Matth. 5.

Psal. 24.

Matth. 6.

I. Ioan. 4.
Canti. 1.
Psal. 10.
Psal. 7.
Psal. 10.

perturbationibus protegitur atque illæsa seruatur, hac verò altissimæ humilitatis & mansuetudinis genitrix & altrix est. Et priori quidem non minima debetur merces, sequenti verò laudatissima & incomparabilis reddetur. Quicunque ad nos attrahere Dominum cupimus, simpliciter ad illum & absque vlla fictione & varietate & malitia & curiositate velut ad magistrum percipiendæ disciplinæ causa accedamus. Simplex enim ille & integerrimus cùm sit, simplices esse vult & innocentes animas quæ ad se conueniunt. Nunquam enim videas simplicitatem ab humilitate separatam. Malignus est præuisor mendax ex sermonibus cogitationes, & ex habitu cordis intima se comprehendere existimans. Vidi rectos malignari à malis didicisse, atque admiratus sum quomodo proprietatem naturæ atque priuilegium amittere tam citò potuerunt. Vt recti facile decidunt, ita difficile pueri transferri in rectitudinem possunt. Vera peregrinatio & subiectio labiorúmque custodia sæpe valuerunt mirabiliter insanabilia plurima transferre & curare. Si scientia plurimos inflat, vide ne forte simplicitas & imperitia humilitate consueuerunt. Verum documentum certúsque finis ac forma beatæ simplicitatis beatus Paulus simplex tibi erit: tantũ enim támque celerem profectum nemo vsquam vel vidit vel videre vnquam poterit. Monachus simplex rationale iumentum est obediens, quod onus suum ductori suo perfecte deposuit, trahentem sequitur vt
Matt. 16. vult donec mactetur, contradicere non nouit. Difficile diuites ingrediuntur in regnum, stultíque sapientis in simplicitatem. Ruina sępe eos qui ex malis acutiores fiunt frugales facit, salutem illis atque innocentiã inuitis largiens. Pugna & contẽde totis viribus stultam tuam sapientiam decipere, atque ita faciens inuenies salutem & æquitatem in Christo Iesu Domino nostro. Amen.

De victrice passionum omnium altissima humilitate. Gradus XXV.

QVi diuinæ charitatis propriæ sanctæq; humilitatis competenter & beatæ castitatis veræ ac diuinæ illustrationis firmiter, timoríque Domini sine mendacio & certa cordis fiducia sine errore, sensum atque affectum & vim visibili modo enarrare vult, eósque qui hactenus non gustauerũt, huiusmodi narratione se illustrare putet, simile aliquid ei facere videtur, qui eos qui mel nũquam gustauerunt, huiusmodi illius dulcedinem verbis & exemplis docere nititur. Sed hic sane frustra desudat, & incassum & superflue loquitur. Nunquam enim id efficit quod vult. Prior autem ille aut imperitus est narrationis suæ, aut inani gloria vehementer illuditur. Adiecit sermo Thesaurum includere in vasis fictilibus, imo vero in corporibus reconditum, cuius neque agnosci, neque vllis verbis exprimi possit. Solus enim titulus supernæ incomprehensibilis ingentem atque infinitum perscrutandi laborem verbo quærentibus præstat. Erat autem titulus hui usmodi. Sancta humilitas. Quicũque Dei spiritu aguntur, ij nobiscum ad intellectuale hoc sapientissimúmque concilium conueniant. Scientiæ tabulas diuinitus scriptas & manibus intellectualiter ferentes, conuenimus & quæsiuimus ac discussimus venerandi tituli virtutem. Et alius quidem hanc esse dicebat recte factorum intentissimã obliuionem, alius vero extremum se omnium magísq; peccatis obnoxium existimare. Alius mentis contagionem, qua scilicet imbecillitatem propriã infirmitatémque cognoscit. Alius verò in irritationibus anticipare proximum, primúmque iracundiam soluere. Alius gratiæ Dei & misericordiæ agnitionem. Alius rursum contriti animi sensum ac voluntatis propriæ abnegationem. Ego vero cum omnia audissem apud meipsum diligenter & vigilanter examinãs beatissimum illius sensum per eruditum addiscere non potui. Quocirca & omnium nouissimus velut canis cadentes micas ex mensa probatissimorum beatissimorúmque patrum colligens, de hac singulari virtute ita diffiniens, dixi: Humilitas est animi gratia sine nomine, solos apud eos nomẽ habens, qui illius experimentum ceperunt. Humilitas est ineffabilitatis diuitiarum Dei appellatio & donum. Discite enim, inquit, non ab Angelo, non ab homine, non à tabula, sed à me, hoc est, à mea in vobis habitatione & illustratione & operatione, quia mitis sum & humilis corde, & cogitatione & sensu, & inuenietis bellorum requiem & alienationem cogitationum animabus vestris. Aliud est vitis huius in perturbationum adhuc tempestate spectaculum, aliud iam in verno fructuum tempore, aliud in æstate virtutum. Et si in vnam lætitiam & frugem vitis vnius spectacula ista concurrãt, vnde vera & propria signa & argumẽta fructuum habent? Denique quoties in nobis sanctæ huius vitis florem ceperit botrus, mox humanam omnem gloriam, & famã cum dolore execramur, iracundiámque & furorẽ à nobis penitus eliminamus. At cùm iam spirituali ætate in animo profecerit hæc regina virtutum in nihilum, immo vero in execrationem cuncta quæ à nobis geruntur bona existimamus & in diebus singulis oneri nostro nos adiicere per occultam dissipationem arbitramur. Porro diuinorũ copiam nobis indultorum munerum, vt qui hanc præter meritum nostrum acceperimus additionem fore cruciatus amplioris suscipiamur. Idcirco tunc quoque manet inuiolabilis mens nostra, seipsam intra mediocritatis sacculum tutissime continens, furúmque tantummodo strepitum ac ludibria audiens, atque in his omnibus inuiolabilis permanẽs. Siquidẽ inuiolabile penetrale huiusmodi est mediocritas. De florum itaque parturitione celerique profectu virtutis huius sempiternæ fructificantis breuibus disseruisse satis est. Iam vero quod sit huius virtutis perfectum præmium. Quicunque Domini familiares estis, ipsum interrogate. De quantitate igitur ipsius dicere non possum, rursus de illius qualitate loqui, longe impossibilius censeo. De proprietate ergo eius vt initio instituerámus, dicere conemur. Solers & accurata pœnitentia luctúsque quibus omnis macula luctus diluitur, sanctissimáque rudium humilitas, tantum inuicem differunt quantum à pane frumentum & farina. Conteritur quippe prius animus & per efficacem pœnitentiam exterminatur, vnitur vero quodammodo, atque (vt ita dixerim) admiscetur Deo per aquam integerrimi luctus, ex quo etiam igne Domini succensa solidatur

lidatur in panẽ ſancta humilitas, fermẽto iam omni & tumenti faſtu libera. Vnde & in vnam virtutem actionemq; ſeipſam conglobãs ſancta hæc cõſtans tribus annulis catena, immo vero cœleſtis iris, ſuas quodammodo proprietates habet, quodq; alterius ſignum eſſe dixeris, hoc alterius quoque notionem eſſe reperies. Ideóque quod breuiter à me dictum eſt, curabo exemplis atq; authoritate firmare. Proprietas quippe honeſtiſſimæ huius atque omni admiratione digniſſimæ trinitatis prima atque præcipua eſt, ignominiæ ſuauiſsima & iucũdiſſima perpeſſio, quam anima vt morbos ſuos, & peccata maxima ſedet atque conſumat ſupinis manibus expectat atque complectitur. Secunda vero eſt omnis iracundiæ victoria atque in eius extinctione ſeruata mediocritas. Tertius autẽ gradus optimus eſt, vt & bonis ſuis nunquã aliquis infideliter credat iugitérque addiſcere deſideret. Finis quidem legis & prophetarum Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Finis vero immũdarum paſſionum inanis gloria & ſuperbia omni non aduertenti. Quartum cum interemptrix ſit intellectualis iſta terna, contubernalem ſuum omni veneno mortifero ſeruat illæſum, vbi in illa hypocriſis appareat venenum, vbi detractionis rubigo, vbi ſerpens aliquis occultari in ea poſſit, quin ſtatim ex cordis cauernis & terra in lucem adductus occidatur. Nõ apparet in huius coniunctione odiũ, non detractionis ſpecies, nõ inobedientiæ vllus odor, niſi forte fidei ratio periclitetur. Tũc enim obtẽperare perfidiæ, conſiliũ non fuerit. Qui huic veluti ſpõſæ ſpõſus vnitur, mitis, placidus ad cõpunctionẽ facilis, aq; miſericors eſt, ſuper omnia autẽ trãquillus, ſerenus, obtẽperans, & freni patiens, hilaris, vigil, impiger erit. Et quid me neceſſariũ erit multa proſequi. Placida ſemper animi tranquillitate beatus erit. Si quidẽ in humilitate noſtra memor fuit noſtri Dominus, & redemit nos de inimicis noſtris. Monachus humilis nõ curioſe abdita requiret, ſuperbus vero iudicia quoq; Dei curioſitate illicita diſcutiet. Quẽdam probatiſſimũ & diſcretione maxime ornatum fratrẽ aſtãtes dæmones, ita vt oculis eius appararẽt viſibiliter, beatum illum prædicabãt. Ad quos ille ſapiẽtiſsime: Siquidẽ me in mentis ac animæ cogitationibus laudare deſtiteritis, ex diſceſſu veſtro magnũ me exiſtimabo, ſin vero me laudare nõ deſinitis, ex laudibus veſtris fœditatẽ meam cõiicio. Immũdus quippe eſt apud Deũ omnis ſublimis corde. Aut igitur abite, & magnus factus ſum, aut ſi placet laudate, & ampliorẽ veſtri cauſa acquirã humilitatem. Moxq; illi ancipiti verbo ſtupefacti euanuerũt. Caue ne ſit anima tua canale huius vndæ vitalis, vt eam quidẽ emanet, nunc vero emanare deſinat, glorię & elationis ardore cõſumpta, ſed ſit beatæ trãquillitatis fons, paupertatis fluuiũ ſemper ex ipſo gignẽs. Memento chariſsime, quod valles in ſeipſis frumentũ, ſpiritualémq; multiplicant fructũ. Vallis eſt humilis anima inter medium mõtium, ſine arrogãtia ſemper atq; immobilis permanẽs. Non ait ſcriptura, ieiunaui, non ait vigilaui, non habui requiẽ, ſed humiliatus ſum, & ſaluauit me celeriter Dominus. Pœnitẽtia quidem ſuſcitat, luctus vero cœlũ pulſat, ſed ſancta humilitas aperit. Ego autẽ trinitatem in vnitate, & in trinitate vnitatẽ dico atq; adoro. Cũcta quidẽ quę videtur

Proprietas humilitatis.

Rom. 10.

Pſal. 135.

Laus à demonũ.

Pſal. 114.

A ſol illuminat, omnia vero quæ geruntur ratione roborat humilitas. Si nõ adſit ſol, plena ſunt tenebris omnia, & niſi adſit humilitas, noſtra omnia & fœtida & extrema erũt. Vnus in omni creatura locus ſemel aſpexit ſolẽ: & vna plerunq; cogitatio peperit humilitatẽ: vno & ſolo die mũdus omnis exultauit, & vna virtus, hæc eſt quã imitari nõ poſſunt dæmones. Aliud eſſe dicitur extolli, aliud non extolli, & aliud humiliari. Prior enim omnẽ diem iudicat, ſequẽs vero nõ iudicat: porro tertius cũ indẽnatus ſit, ſemper ſeipſum cõdemnat. Aliud eſt humilem eſſe, aliud conari eſſe humilẽ, & aliud laudare humilẽ. Prius illud perfectorũ eſt, ſecundum veraciũ obe-
B dientium, tertiũ vero omniũ fidelium. Qui in intimis humilis eſt, à labiis nõ lædetur, quod enim theſaurus non habet hoc ianua nõ prodit. Solitarius equus nõnunquam currere videtur, ac ſi gregi ſocietur tũc ſuam agnoſcit tarditatẽ. Si iã in naturæ bonis cogitatio gloriari deſinat, principij ſanitatis argumentũ eſt. Sed quouſque fœtorẽ illũ hauriat, vnguenti odorẽ ſentire nõ poterit. Nõ increpabit, nõ iudicabit, non dominari appetet, non circunuenietur is qui amori meo eſt deditus, quo ad mihi cõiũgatur, ait humilitas ſancta. Nã poſt coniunctionem meã ei iam lex poſita non eſt. Cuidã fortiſsimo athletæ Chriſti, qui ad hanc beatiſsimã virtutem feſti-
C nabat impuri dæmones laudem in corde ſubſeminabant. At ille diuina inſpiratione malignorũ ſpirituum nequitiã pio & religioſo compendio vincere aggrediẽtur. Deſcribit in cellulæ pariete altiſsimarũ virtutũ appellationes puta perfectæ charitatis, Angelicæ humilitatis, mundiſsimæ orationis, incorruptibilis caſtitatis & huiuſmodi virtutum reliquarũ. Cum ergo illum cogitationes extollere cœpiſſent, dicebat illis: Eamus ad arguentem, aduenięnſq; relegebat appellationes illas ſibiq; ipſi clamabat: Cũ has omnes poſsideris, tunc ſcies quam longe adhuc à Deo ſis. Cum enim eas poſsideris, ſeruus eris inutilis, feciſti enim quod facere debuiſti. Quænam ſit Luc. 17.
D ſolis huius virtus & ſubſtantia, dicere ipſi non poſſumus, cæterum ex effectibus eius & proprietatibus quæ ſit illius ſubſtãtia colligimus. Humilitas eſt protectio diuina, ex qua fit vt recta facta noſtra non videamus. Humilitas eſt vilitatis abyſſus furibus omnibus inuiolabilis. Humilitas eſt turris fortitudinis à facie inimici. Non proficiet inimicus in Pſal. 88.
eo, & filius immo vero cogitatio iniquitatis nõ apponet nocere ei. Et cõcidet à facie inimicos eius & eos qui oderunt eum in fugam conuertet. Sunt & aliæ magnifico huic profeſſori in animo proprietates, præter illas quæ ſupra demonſtratæ ſunt. Illæ enim vna excepta, diuitiarũ intuẽtibus iudices ſunt.
E Agnoſce autem illas nec decipieris. Cum ſanctam hanc ſubſtantiam in te ipſo eſſe perſpicias, in multitudine ineffabilis luminis, in amore orationis incredibili, anticipabit hęc innoxiũ cor, & aliena peccata accuſare neſcit. Præcurrit hãc quam diximus ſubſtantiã inanis gloriæ totius odium. Qui ſeipſum ex intimo animi ſenſu & affectu nouit, iam in terra ſeminauit, Nam niſi ita ſeminemus, fieri non poteſt vt floreat humilitas. Qui ſeipſum agnoſcit diuini timoris intimã notionem comprehẽdit, per quam ſolicite incedẽs ad charitatis ianuã perueniet. Humilitas eſt regni cœleſtis ianua ſibi propinquantes

Ioan. 10. introducens. De hac reor Dominum dixisse quod ingredietur & ex hac vita egredietur intrepidè, & pascua inueniet & viriditatem in paradiso. Omnes qui per aliam portam inhabitatum venerunt, fures vitæ suæ sunt & latrones. Nũquam disquirere nosipsos desinam⁹, si veraciter agnoscere nos volumus. Quod si proximum nostrum vbique ex intimo affectu cordis meliorem nobis esse arbitramur, iuxta est diuina misericordia. Impossibile est enim ex niue progredi flammam, sed longe impossibilius vt in eo qui alterius sectæ & opinionis sit humilitas propria fidelium ac religiosorũ virtus oriatur. Plurimi nosipsos peccatores dicimus, & fortasse ita existimamus, ignominia vero hoc probat. Nunquam desistet is, qui ad tranquillissimum hunc portum festinat, mores, verba, cogitationes, intentiones, quæstiones, exquisitiones, instituta, conatus, vota, orationes facere, intelligere & excogitare, quoad cooperante Domino ab ignobilioribus institutis infestissimo & procellosissimo elationis pelago animæ suæ nauiculã liberet. Qui enim hac liber euaserit, in omnib⁹ reliquis peccatis facile vt publicanus ille satisfaciet. Nonnulli quidem propter peccata præterita postea etiam quam remissione potiti sunt, humiliatis materiam vsque in finem tenuerũt, per ea tumorem immanissimum colaphis cædentes. Alij rursus considerantes Christi passionem, seipsos debitores constanter esse tenent. Alij ex quotidianis defectibus semetipsos humiliant & vilissimos existimant, plerique ex accidentibus tentationibus, morbis & lapsibus, gratiarum matrem sibi familiarissimam fecerunt. Sunt item nonnulli, qui tamen an modo supersint diffinire nõ possum, qui ex ipsis Dei muneribus quantumlibet in eis profecerint, semetipsos humiliãt, séque indignos esse huiusmodi diuitiis existimant, sicq; afficiuntur tanquam debitis suis quotidie adiiciãt. Hæc igitur humilitas, hæc beatitudo, hoc perfectum consummatúmque præmium est, quotiens aliquem audieris infra paucos annos altissimam acquisisse tranquillitatem, noli hunc existimare aliam, quàm hãc beatam celeremque viã pedibus ambulasse. Sacra est biga charitas atq; humilitas, quippe illa exaltat: hæc exaltatos ne vnquã decidãt tenet. Aliud est cõtritio & aliud humilitas. Cõtritio ex ruina nascitur, qui enim cadit, cõteritur, cadénsq; sine cõfidentia in oratione laudabili cũ verecundia assistit, speiq; baculo vt cõfractus & collisus nititur, ipséq: desperationis canẽ à se abigit. Cognitio est vera & tuta propriæ mensuræ comprehensio, iugisque leuiorum quoque peccatorũ memoria. Humilitas est doctrina intellectualis Christi, spiritualiter ab his qui digni fuerint, in penetralibus animæ recondita, verbísque sensibilibus inaccessibilis. Qui se dicit huiusmodi vnguẽti fragrantiam penitus sensisse, & cum laudatur, vel parum mouetur corde, aut vim verborum intelligit, rapitúrq; vel modice laudibus, hic nõ se fallat, seductus est. Quendã toto affectu animi audiui dicentem: Non nobis Domine, nõ nobis, sed nomini tuo da gloriam. Sciebat enim naturam non facile ab hac illæsam seruari posse. Abs te ergo, inquit, laus mea in Ecclesia magna futuro, scilicet tempore. Prius enim quam illud adueniat, hanc sine periculo ferre non possum. Si hic tandem finis & ratio & modus est supremæ superbiæ, virtutes quæ non adsint gloriæ causam simulare, id profecto erit altissimæ humilitatis argumẽtum, culpas quæ itidem non adsint in quibusdam rebus vilitatis causa vel gratia cõfingere. Quod fecit qui panem & caseum sumpsit in manibus, abiectionis suæ gratia. Et sanctus ille, qui veste reiecta absq; vlla passione, quippe castissimus, ciuitatem circuiuit nudus. Non metuent huiusmodi iam, neque curabunt hominum offensam, cum iam per orationem, virtutem eam consecuti sunt, vt omnes inuisibiliter ædificẽt, cunctísque satisfaciant. Qui prius curat, secundo isto se carere significat. Vbi enim Dominus nos audire paratus est, ibi omnia facere tuto valem⁹, præstat enim contristare homines quàm Deum. Gaudet quippe Deus cũ nos conterendæ vanissimæ elationis causa promptè videt ad ignominias currere. Parat autẽ huiusmodi certamina superna peregrinatio. Magnorum enim reuera est pati, suis esse ludibrio. Nõ te ea quæ dicta sunt perturbent. Nemo vnquam repente vno simul passu scalæ gradus omnes cõscendere potuit. In hoc cognoscent nos Dei esse discipulos, non quia nobis dæmonia obtemperant, sed quia nomina nostra in humilitatis cœlo conscripta sunt. Natura fert vt sterilitas defectúsque fructuum cicerorum ramos in altitudinem tollant, at hi si incuruẽtur, fructũ citius ferunt. Scit quid sibi hoc velit qui prudẽtius considerat. Habent ascẽsum apud Deum sancti huiusmodi gradus, tricesimum, sexagesimum & centesimum. Atque in extremo quidẽ hi qui beatam tranquillitatem consecuti sunt perstant: in medio vero Christi milites fortes, primum autẽ conscendere oẽs possunt. Qui seipsum veraciter agnouit, nũquam profecto illudetur, vt maiora se tentare velit, sed pedem iam securus beato huic triuio imponet. Metuunt minutæ aues accipitrem, ita & humilitatis studiosi contradictionis sonum. Absque prædictionibus quidẽ & illustrationibus, signísq; & prodigiis salutè plurimi potiti sunt: sine humilitate autem nemo vnquam cœlestem thalamum ingredietur. Illorũ enim hæc fida custos, hãc vero illa in his qui leuiores sunt sæpe necauerunt. Istud quoque cũ humiliari nollemus dispensatione mirabili fecit Deus, vt nemo vulnera sua clarius quàm proximus posit intueri. Ex quo necessario fit, vt illi ac Deo nõ nobisipsis sanitatis nostræ gratiam acceptam referamus. Qui mẽte est humili, voluntatem suam semper vt seductricem detestatur, & in postulationibus suis ad Deum fide firmissima, quæ conueniãt consuecuit addiscere, atq; his promptè obtemperare: non magistrorum cõuersationem attendens, sed Deo curã suam fidelissimè committens, qui per asinam quoque Balaam vtilia & necessaria docuit, etiamsi omnia secũdum Deum faciat, cogiter, loquatur, operarius huiusmodi nec sic quidem sibi credat. Humilis enim stimulũ & onus sibi abiectum portabit, si sibiipsi credat, sicut contrà superbus si alteri credat. Mihi Angeli esse videtur, nũquam in peccatũ labi. Audiui enim terrestrẽ Angelum dicentẽ: Nihil mihi cõscius sum, sed nõ in hoc iustificatus sum, qui enim iudicat me Dominus est. Vnde iugiter nosipsos dãnare & accusare debem⁹, vt per vilitatẽ voluntariam lapsus non voluntarios abiiciamus & diluamus: sin autem aliàs omnino in

Luc.18. Rationes atque viæ quibus ad humilitatem peruenitur.

Psal. 113.

Luc.

Luc.

Iob.

Mat.

Humilis necessitas.

Voluntas propria

Num.22.

1.Cor.4.

exitu

405

exitu noſtro à nobis horum exigetur ratio. Qui meritis ſuis minus aliquid à Deo poſtulat, omnino his quę ſupra ſe ſunt potietur. Teſtatur hoc publicanus Luc. 18. ille, qui cum poſtulaſſet veniam iuſtitiam retulit. Solum vt ſui meminiſſet à Domino popoſcit latro, Luc. 23. paradiſumq; totum hæreditario iure poſſedit. Hoc autē in nobis non eſt, dum ſponte peccamus, idque pœnitentiæ illius ſignum eſt. Sciens Dominus exteriori habitu figurari animę virtutem, ſumpto linteolo humilitatis nobis compendium oſtēdit. Studiis aſſimilatur anima, & ad quæ gerit formatur atque ad ea figuratur. Principatus Angelorū cuidam ſuperbiæ materia fuit, cum tamen non ideo vt ſuperbiret illum accepiſſet. Aliter affectus eſt qui in ſterquilinio ſedet. Atque ideo fortaſſis magnus ille Iob. 2. iuſtus extra ciuitatē ſedebat in ſtercore. Tunc enim perfectam conſecutus humilitatem, ex intimo cordis affectu dicebat: Contempſi meipſum & contabui. Exiſtimaui autē meipſum terrā & cinerem. Inuenio Manaſſem illum inter homines cæteris amplius & pernitioſius peccaſſe, templúmque Dei ac Manaſſes. religionem omnem, prophano cultu idolorum inquinaſſe, pro quo ſi mūdus totus ieiunaſſet, nullam ſceleribus eius dignam pœnitētiam inferre potuiſſet: valuit tamen humilitas inſanabilia eius vulnera curare. Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem Pſal. 50. (ait Dauid Deo) corporibus per ieiunium immolatis non delectaberis. Sacrificium Deo & quod ſequitur omnes intelligunt. Peccaui Domino beata hæc humilitas pro adulterio & homicidio aliquan- 2. Reg. 12. do clamauit, & protinus audire meruit: Abſtulit Dominus peccatum tuum à te. Viam quidē huius atque materiam, corporales labores eſſe ſancti & ſemper memorandi patres diffinierūt. Ego præterea obedientiam cordiſq; rectitudinē eſſe dico, quæ Angelus ſuperbia ſit dæmon. naturaliter quoque tumori aduerſatur. Si ſuperbia ex angelis quoſdam dęmones fecit, humilitas prorſus ex dæmonibus angelos efficere poteſt. Quocirca qui ceciderūt, bono animo ſint, & reſurgere ſtudeant, Feſtinemus totiſq; viribus nitamur ad huius ſupremum verticem conſcēdere, ſi minus vel illius humeris inuehi. Quod ſi adhuc pigri ſumus, vel vlnis eius excidamus. Quinā inde ceciderit mirabor, ſi quo ſempiterno munere potiri merebitur. Nerui huius ac viæ ſunt non ſignorum manifeſtatio, ſed nuditas rerum omnium, inuiſibilis peregrinatio, ſapientiæ cauta occultatio, pronūtiatio varietate carens, eleemoſynæ quæſitio, nobilitatis abſconſio, confidentiæ relegatio, loquacitatis elongatio. Nihil enim vt paupertatis ſtatus & mendicorum vita viuere, animam humiliare aliquando potuit. Tunc enim philoſophia noſtra amórque ad Deum ſingularis oſtenditur, cum ſublimari poſſumus, & ſublimitatem conſtantiſſimè fugimus. Si quando contra vitium aliquando armaris, humilitatis maxime Pſal. 90. ſocietate & præſidio nitere, ſuper aſpidem enim & baſiliſcū aſcēdet, conculcabit leonē & draconem. i. ſuper peccatum & deſperationem, diabolúmque & corporis draconē. Humilitas eſt cœleſte inſtrumētum, quod ex abyſſo peccatorū in cœlum animam leuare poteſt. Cum quidā huius aliquando pulchritudinem in corde ſuo fuiſſet intuitus, ſtupore comprehenſus, orabat vt eius, qui illam genuerat appellationem mereretur addiſcere. Ad quem illa clara

A ac nitenti facie ſerenum ſubridēs: quoniam, ait, genitoris mei nomen addiſcere feſtinas, cum ſit ipſe ſine nomine, non tibi id dicā donec poſſideas Deū. Ipſi gloria in ſæcula. Amen.

De diſcretione. *Gradus* XXXI.

DIſcretio in his quidem qui rudes imbuuntur, eſt vera ſuorum intimorum profectuum recognitio, in mediis vero intellectualis ſenſus: bonum quod vere ac proprie bonum eſt, à naturali bono atque contrario ſine errore diſcernēs. In his autem qui perfecti ſunt ſcientia, quæ per diuinam illuſtrationem in eis ineſt, talis vero iſta eſt, vt eſſet quæ in aliis obſcure inſunt ſuo lumine illuſtrare poſſit. B Aut fortaſſe vniuerſaliter hæc agnoſcitur & eſt diſcretio diuinæ voluntatis vera certaq; comprehenſio in omni tempore & loco, quæ ſolis mundis corde & corpore & ore eſſe agnoſcitur. Is quidem qui tres hoſtes religioſa pietate deiecerit, ſimul etiam quinque proſtrauit: qui vero illos negligit, neutrū vincet. Diſcretio, eſt incontaminata conſcientia, & purgatiſſimus ſenſus. Nemo enim cum audierit vel viderit aliquem in conuerſatione monaſtica ſupra naturam profeciſſe, ex ignorantia in infidelitatem incidat. Vbi enim Deus, qui naturæ ſupereminet, inhabitat: ibi iam res quoque ſupra naturam fiunt. C Tribus iſtis maxime generalibus modis, diaboli omne bellum in omnibus excitatur. Aut ſcilicet ex noſtra negligentia, aut ex ſuperbia, aut ex dæmonū inuidia. Ex his primus quidē miſerabilis eſt, ſecundus vero miſerrimus, tertius autem beatus. Ad omnia poſt Deum, conſcientia noſtra, vt norma & regula vtamur, vt cum vnde flatus ventorum aduenerit nouerimus, aduerſus hunc iam pandere vela valeamus. In omnibus quæ ſecundum Deum operamur, tres nobis foueas dæmones parāt. Ad primum quidem bonum, vt ne fiat impedire conantur. Secundo vero, ſi in primo ſuperati fuerint, vt non ſecundum Deum fiat moliuntur: quod ſi hac quo- D que intentione ſua fures iſti potiti non fuerint, tūc iam cum ſilētio conuerſati fuerimus, laudibus nos efferunt & beatos dicūt. Priori quidem illorum arti aduerſatur ſtudium mortíſque cura ſolicita: ſecundæ vero, ſubiectio & contemptus: tertiæ, ſeipſum ſemper accuſare, & aduerſum ſe cōqueri. Hoc vero labor eſt ante nos, donec ingrediatur ignis Dei in ſanctuarium noſtrum. Tunc enim vitioſæ conſuetudinis in nobis neceſſitas vlla non eſt. Deus autē noſter ignis eſt conſumens motum omnem, & concupiſcentiæ ardorem, & obtenebrationem & præſumptionem & obcæcationem interiorem & exteriorem, viſibilem & inuiſibilem. Contraria his dæmones facere conſueuerunt. Nam cum animam vi- E cerint, mentíſque obtuderint ac peruerterint aciē, nihil iam erit id nobis miſeris vtile, non religioſi operis ſobrietas, non diſcretio, non agnitio, non reuerentia, ſed indolentia, inſenſibilitas, indiſcretio, viſúſq; priuatio. Recognoſcūt manifeſtiſſime quæ diximus hi qui ex fornicatione reſipuerūt, quiq; ſe repreſſerunt à ſtulta confidentia, & qui ex imprudentia in pudoris ſenſum venerunt: quomodo poſt mentis reſipiſcentiā, poſt illius obcæcationis, immo vero mutilationis deſtructionem, verecundentur atque erubeſcant, vt ita dixerim ſeipſos in his, quæ prius dum in ea obcæcatione degerent, vel ge-

Tentationum origo triplex.

Laquei quibus dæmones ſuos illaqueare ſtudeant.

Tria ſequuntur remedia cōtra hominis laqueos Matt. 11.

rebant, vel loquebãtur, niſi prius in die animæ ſero factum fuerit, eamq; tenebræ impleuerint. Non furabuntur fures, nec mactabunt, nec perdent. Furtum, eſt ſubſtantiæ reíque familiaris perditio. Furtum, eſt quod bonũ non, id pro bono operari. Furtum eſt ignota animæ captiuitas. Mactatio animæ, eſt mors rationalis mentis, cum in indigna & nepharia opera inciderit. Perditio vero, eſt poſt conſummationem iniquitatis ſui cuiuſque deſperatio. Nemo in præceptis euangelicis impoſſibilitatem quærulus obiiciat. Sunt enim animæ, quæ pluſquã præceptum fuerit illis per euangeliũ, fecerunt. Perſuadebit tibi id penitus, is qui plus quã ſeipsũ proximum dilexit, ac pro eo animam expoſuit, & cum imperium Dei de hoc non accepiſſet. Confidant ac bono animo ſint humiles, quantumlibet perturbationibus & vitiis exagitentur. Nam & ſi incidãt in oẽs foueas, & ſi muſcipulis omnibus illaqueentur, omníque ægritudine ægrotẽt, cum tamen ſani facti fuerint, medici omnibus & luminaria & lucernæ & gubernatores fiunt, eóſque qui caſuri videbantur, per ea quæ experti ſunt ſeruant. Quod ſi quidam etiam præteritis vitiis adhuc vi ſubiguntur, & vel ſimplici verbo docere alios & inſtituere poſſunt, doceant, non tamẽ etiam principatum ſumant. Fiet enim fortaſſe, vt ſuos aliquando ſermones erubeſcentes, ipſi quoque operari incipiãt, cõtingetq; illis id quod in quibuſdam ſe in cœno volutãtibus fieri perſpeximus. Qui quũ luto & cœno prorſus ſordidati eſſent, quomodo ibi cecidiſſent prætereuntes docebant, hoc illis eorum ſalutis gratia narrantes, ne & illi eadem via caderẽt. Quos tamen dum aliorum ſaluti conſulunt, & ipſos cœno ſaluauit omnipotens: ſin vero vitioſi aliqui ſponte ſeipſos voluptatibus immergunt ſilẽtio doctrinam indicabunt, nanque cœpit Ieſus facere & docere. Immane certe durúmque pelagus traiicimus ô humiles monachi, plurimis & ſcopulis vertiginibus & rumoribus & piratis & beluis & ſiphonibus, procelloſiſſimíſque vẽtis & fluctibus plenum. Scopulum quidem in anima feram iracundiã repentinãq; intelligimus. Vertiginẽ vero eas res, quæ præter ſpem circundant mentem, eámque ipſam in deſperationis profundum præcipitare ſtudent. Tumorẽ vero ignorantiam, quæ malum pro bono continet. Beluas autem graue iſtud ac ſylueſtre ferúmque corpus. Piratas duriſſimos cenodoxiæ milites vel ſatellites qui onus noſtrum virtutúmque labores diripiunt. Fluctus vero inflatum tumentemq; ventrem, qui impetu proprio ad beluam tranſimittit. Syphones autem deiectam è cœlo ſuperbiam, quæ nos & in cœlum extollit, & vſque in infernum præcipitat. Nouerunt omnes qui literis eruditi ſunt, quænam ſit diſciplina rudium, quæ mediocrium, & quæ magiſtrorum. Intendamus toto animo videamúſque, ne forte in diſcẽdo diutius remorari adhuc in inſtitutis rudium inueniamur. Eſt enim cõfuſionis immodicæ, videre ſenem in ludum literarum proficiſci. Optimũ in omnibus ac ſalubre alphabetum, videlicet obediẽtia, ieiunium, cilicium, cinis, lachrymæ, confeſſio, ſilentium, humilitas, vigiliæ fortitudo, frigus, labor, ærumna, contemptus, contritio, obliuio illatæ contumeliæ, fraternitatis amor, manſuetudo, fides ſimplex omníque curioſitate carens, curarum ſecularium abiectio, amabile parentum odium, totius rei mortalis repudiatio, ſimplicitas innocẽtiæ coniuncta, ſpontanea vilitas. Porro finis proficientiũ ac ratio iſta, eſt inanis gloriæ & iracũdię vacuatio, facilitas, meliorum ſpes, quies, diſcretio, iudicij fixa & ſolida memoria, miſericordia, hoſpitalitas, modeſtia, correptio omni perturbatione libera, auaritiæ repudiatio. Eorum vero ſpirituũ & corporũ, quæ religioſe ac pie in Deo conſummantur, hic finis, hæc ratio, & lex eſt. Cor captiuatione ſuperius, cõſummata & perfecta charitas, humilitatis fons, mẽtis peregrinatio, Chriſti inhabitatio, lucis & orationis inuiolabilis theſaurus, diuinæ illuſtrationis copia, mortis deſideriũ, odium vitæ, fuga corporis, mũdi interceſſor, Deo vim inferẽs, angelorũ in miniſtrãdo ſociꝰ, ſciẽtiæ abyſſus, myſteriorũ domus, arcanorũ cuſtos, hominũ ſaluator, dæmonum Deus, vitiorũ Dominus, dominator corporis, naturæ procurator, peccato extraneus, beatæ tranquillitatis domiciliũ, imitator Domini per auxiliũ Domini. Nõ parua nobis vigilãtia & ſobrietate opꝰ eſt, cũ corpus morbis fatigatur. Cũ enim nos humi dæmones iacere viderint, nec poſſe interim per imbecillitatẽ exercitatione cõtra eos vti, tũc acerrimè nos oppugnare nituntur. Eos quidem qui in ſeculo ſunt, dũ infirmantur, nonnũquam etiã blaſphemiæ ſpiritus conſequitur, eis vero qui à ſeculo remoti viuũt, ſiquidẽ rebus neceſſariis abũdent, gaſtrimargiæ & fornicationis ſpiritus infeſtus eſt. Sin autẽ in locis humana cõſolatione carẽtibus, Deiq; bellatoribus cõgruis degãt, acediæ atq; perpetui mœroris tyrãnus eis aſſidet. Animaduerti fornicationis lupum, dolores languido adiicientẽ, atque inter ipſos dolores motus in eo turpes excitãtem, eúmque obſcœni illius humoris egeſtione fœdantem. Erat autem res maxime ſtupenda videre, inter duriſſimos aculeos doloris, carnem vigentem atque inſanientem. Propius autem accedens iacẽtes vidi, atque in ipſo ſuo lectulo ex diuina operatione & compunctione capientes conſolationem repellentes. Erant autem eo animo & ſic affecti, vt infirmitate ipſa liberari nunquam vellent: quippe qui per eam veluti per pœnã quandam ſalutarẽ animæ vitiis ſe exutos & liberatos cernerẽt. Itaque glorificaui Deum, qui lutum luto lauerat & emundauerat. Intellectualis mens intellectuali etiam ſenſu omnino amicta eſt. Hunc autẽ ſenſum, qui & in nobis eſt, & in nobis nõ eſt, requirere nõ deſinamus. Illo enim inuẽto & manifeſtato exteriores ſenſus omnino vim amittẽt ſuam, illiq; vnico obtemperabũt. Atq; hoc eſt quod nouerat quidam ſapiens, cum diceret: Et diuinum inuenies ſenſum. Vita monaſtica in intimo ſenſu cordis exerceatur, in operibus, in verbis, in cogitationibus, in moribus, in omnibus denique. Sin vero aliter fiat, non monaſtica ſane erit, ne dixerim Angelica. Aliud eſt prouidẽtia Dei, aliud adiutorium, aliud item illius cuſtodia, aliud miſericordia, aliud cõſolatio. Primum enim illud in vniuerſa creatura declaratur, ſequẽs vero in ſolis fidelibus, tertiũ deinceps in his qui veriſſime fideles ſunt, quartũ in his qui ſibi ſeruiũt, extremũ vero in his qui ſe diligunt, oſtenditur. Fit plerunque, vt quod alteri medicina eſt, alteri venenum ſit. Nonnunquam vero eadem res, ſi eidem ſuo tempore offeratur, medicina eſt,

na est: sin autem intempestiue, venenum efficitur. Vidi medicum ignauum & obtusum, infirmum, confractũ & collisum affecisse contumeliis, nihilque ei præter desperationem parauisse. Vidi itẽ medicũ ingeniosum & peritissimum, inflatum cor per ignominiæ ferrũ curauisse, omníque id fœtoris putredine euacuasse. Vidi eundẽ infirmũ aliquãdo pro purgandis sordibus obedientiæ bibisse poculũ, & moueri, ambulare neque dormire, aliquãdo vero animæ ægrotare, oculis, & quietem agere atque in silentio perseuerare. Qui habet aures audiẽdi audiat. Quidam nescio qua ratione (neque enim existimationes dona Dei cõprehẽdere didici) naturaliter, vt ita dixerim ad continentiam & solitudinis quietẽ & castitatem & confidentiæ noxiæ abiectionẽ, & mansuetudinẽ, & compunctionem proni sũt, quidam vero ipsam fere naturã suam his rebus aduersissimã habẽtes, pro viribus tamen sibiipsis vim facere persistunt, qui & si interdũ succumbunt eos tamen ego naturæ violatores libentius, quam priores illos suscipio atque complector. Noli magnum sapere ô homo, neq; eis diuitiis extolli, quas sine labore acquisisti. Præscius enim domin⁹ largitor munerum summi detrimenti & imbecillitatis atque perditionis tuæ, vel aliquantisper te suis gratis absque vllo tuo merito muneribus seruare decreuit. Sequũtur nos rudimenta infantię naturæ, & educationes & studia, siue obluctantur quoque cum virtutis conuersationísque monasticæ incrementa capere cœperimus. Monachorum quidam lux angeli sunt, cunctorum autem mortalium lux monastica est disciplina. Certent ergo summopere per omnia fieri omnibus optima forma, neque vllam cuiquam dent offensionem. Nam ex his quæ gerunt viuendi normam omnibus proponunt. Denique si lux vertatur in tenebras, tenebræ ipsæ. i. homines seculo addicti, quantum putas pręterea obtenebrabuntur? Itaque si mihi obtemperare vultis, conuenit omnino vt nosipsos nõ variemus, neque in partes diuidamus infelicem animam nostram, ne aduersus millia millium & decies totidẽ inimicos nobis pugnandum sit. Neque enim poterimus omnes eorum astutias addiscere vel omnino inuenire. Trinitate beatissima aduersum tres potissimum armemur, sin aliàs labores nobisipsis plurimos præbebimus. Profecto si nobiscum etiam fuerit qui cõuertit mare in aridam, noster quoque Israël, videlicet mens, Deum videns, ipse sine fluctuum rabie transibit, videbitque Ægyptios in lachrymarum aquis suffocatos, sin vero ille nõ habitet in nobis fluctuũ illius sonos, videlicet carnis huius strepitum, quis sustinebit? Si exurrexerit in nobis Deus per actionem, dissipabuntur inimici eius. Et si per contemplationem illi appropinquauerimus, fugient qui & illum oderunt, & nos à facie illius. Sed & nostro sudore & labore non solo verbo diuina mandata addiscere curemus. Nõ enim verba, sed opera exitus nostri tempore ostendenda erunt. Qui thesaurum aliquo in loco latere audiunt, eum solicite inquirunt, atque ob ingẽtem acquisitionis laborẽ, inuentum cautissimè custodiunt. Nã qui sine labore diuitias adepti sunt, eas item facile effundunt. Est quidem perdifficile eas perturbationes quibus diutius assueti sumus vincere, qui vero eis quotidie addicere non desinunt, aut de seipsis desperauerunt, aut nihil ex renunciatione lucrati sunt: non ignoro tamen Deum posse omnia, nihílque ei esse impossibile. Rem quidem me interrogauerunt ad iudicãdum difficilem, & quæ omnes ætatis nostræ homines trãscendat, in nullóque ex his libris, qui in manus nostras venerunt, contineatur. Aiebant enim, quænam propriè sint principalium octo vitiorum germina, aut quod ex tribus maxime principalibus, cuiusuis quinque reliquorum initium & propago esset. Ego in re tam ambigua ignorantiam meã ingenue confessus, hoc à beatissimis illis viris audiui. Mater quidem fornicationis, est gulæ concupiscẽtia, acedię vero inanis gloria. Porrò trium reliquorum, tristitia origo est, sicut & iracundia, superbiæ vero inanis gloria. Ego rursus à sempiternè memorandis illis addiscere orabam, quænam ex his octo nascerentur, & quid ex qua progenie originem traheret. Illi vero me blande ac placidissime absque vllo elationis vitio edocentes, aiebant nullum ordinem aut prudentiæ rationem inesse in rebus stultis, sed omnem potius peruersionem, atque inconstantiã, atque id mihi veris exemplis & rationibus persuadebant beati illi plurima documenta addũcentes in medium, ex quibus aliqua huic operi inferimus vt ex eis iam alia quoque planissime intelligere possimus: exempli causa, intempestiuus risus aliquando quidem ex fornicatione, aliquando vero ex inani gloria nascitur, cum scilicet apud seipsũ intrinsecus turpiter quisque gloriatur, nonnunquã vero ex delitiis gignitur. Multus somnus aliquãdo ex delitiis, aliquando ex somno vel ieiunio nascitur, cum scilicet illi quum ieiunant extolluntur, aliquando vero ex acedia, aliquando ex natura, etiam multiloquium aliquando ab inani gloria, aliquando à gastrimargia initium sumpsit. Acedia vero aliquãdo ex delitiis, & ex contemptu Dei timoris oritur. Blasphemia propriè quidem est superbię germen, nonnunquàm vero etiam ex iudicando in eadem re proximum, siue etiam ex improba dæmonum inuidia nascitur. Duritia cordis interdũ à satietate, sæpe vero etiam ab insensibilitate atq; affectione vitiosa originem ducit. Hæc vero rursus affectio & à fornicatione, & ab inani gloria, & ab auaritia atque à gastrimargia aliis quoque plurimis oritur. Malitia rursus à tumore ac iracũdia nascitur. Hypocrisis inde potissimum incipit, si quis sibi nimiũ placeat, séque ipse moderetur, neque alterius viuat arbitrio. Porro his contraria à contrariis gignuntur. Et ne plura dicam, deficiet me quippe tempus, si per singula indagare voluero proprie horum interemptrix vitiorum prædictorum humilitas est, quam qui possident, omnia vicerunt. Genitrix malorum omnium est voluptas malitiæ cõiuncta. His qui detinetur, non videbit Deum. Nisi nobis illius abstinentia prioris proderit, nisi à sequenti etiam abstineamus. Timoris domini exemplum à principum ferarúmque metu capiamus. Cæterum affectus ad Deum, forma tibi sit corporum amor. Nihil enim nos prohibet à contrariis rebus virtutum petere exempla. Acerrime declinat in malitiã præsens hæc generatio, totáque elatione & simulatione repleta est, quæ labores quidem corporis fortasse ad antiquorum patrum exẽplar hactenus seruat,

Matt. 6.

ipsorum vero gratiis omnino indigna iudicatur. Cum certe (vt reor) nunquam aliâs ita indiguerit natura nostra his gratiis vt nunc. Et merito sane id patimur. Non enim laboribus Deus delectatur, sed simplicitate & humilitate, atque his se potissimum reuelat. Et si virtus Christi in infirmitate perficitur, non repellit dominus humilem operariũ. Quotiẽs aliquẽ ex athletis Christi corporaliter vexari viderimus, non inclementer vitio illius infirmitatis eius causam deputemus, sed simplici magis & pura charitate, vt proprium membrum, vt militem ex bello vulneratum suscipientes, obsequiis omnibus illum foueamus. Quædam nobis infirmitates pro purgatione peccatorum, quædam pro humiliatione animi contingunt. Pius enim & clementissimus dominator noster & dominus sæpe cum quosdam pigriores ad exercitationem viderit, iam per infirmitatem veluti per leuiorem ac faciliorem exercitationem carnem eorum humiliat, interdum vero animam quoque ipsam à cogitationibus malis ac vitiis emundat. Cuncta quæ nobis siue visibiliter siue etiam inuisibiliter contingunt, aut bene, aut vitiose, aut mediè suscipimus. Vidi tres fratres damno simili affectos, atque vnus ex his indigne tulit, alius sine mœrore perstitit, tertius vero inde ingẽs gaudium cepit. Vidi item agricolas, vnum semen in terra varia intentione iecisse. Alius quippe, vt opes sibiipsi congregaret, id fecit: alius, vt creditoribus suis satisfaceret: alius, vt donis honoraret dominum: alius, vt per decoram frugem & culturæ peritiam laudem sibi à pertranseuntibus viam aucuparetur: alius rursus, vt inimicum suum æmulũ amplius excruciaret: alius vero, ne ociosus ab hominibus exprobraretur. Hæ igitur agricolarum & seminis appellationes, ieiunia sunt, vigiliæ, eleemosynæ, ministeria, atque his similia. Porro intentiones illi prõpte ac solerter in domino fratres examinabunt. Si enim aquam ex fontibus haurimus, nonnunquam etiam eam (quæ dicitur) ranam vna hausimus: ita & cum virtutes exercemus, fit sæpe vt vitia clam illis implicita & connexa simul arripiamus. Exempli causa hospitati gastrimargia, dilectioni fornicatio, discretioni astutia, prudentiæ nequitia, mansuetudini simulatio & tarditas & desidia & contradictio, & sui cuiusque moderatio atque inobedientia silentio doctrinæ atque eruditioni tumor, gaudio elatio, spei pigritia, dilectioni rursum condemnatio, quieti solitudinis acedia & torpor, castitati amaritudo, humilitati confidentia, atque his omnibus veluti cõmune collyrium, immo vero venenum inanis gloria connexa est. Non cõtristemur, quoties petentes aliquid à domino non cito exaudimur. Vellet enim dominus, si id expediret omnes homines, vno temporis momento fieri impassibiles. Omnes qui petunt aliquid à domino, nec petitionis suæ consequuntur effectum, omnino propter aliquam istarum causarum id patiuntur, siue quia intempestiue postulant, vel quia indigne & cum inani gloria, vel quia si acciperent, in superbiam se eleuarent, fierẽtque negligentiores, cum id quod petierant, adepti essent. Quia dæmones ac vitia vel perturbationes ad tempus aliquod, vel etiam iugiter ab anima discedant, nullus fere ambiguit, vt puto: quot autem modis eorum huiusmodi discessio à nobis fiat, pauciissimi sciunt. Recesserunt à quibusdam vitia non solum fidelibus, verum etiam infidelibus, vno excepto: illud enim solum veluti primarium vitiorũ omnium reliquerunt, vt impleret cæterorum locum, cum tale sit, atque adeo noxium, vt è cœlo præcipitare possit. Consumitur prius materia diuino igni inflammata & cum ea à radicibus consumpta animáque purgata fuerit, simul iam & vitia recedũt, nisi forte rursus ea per materiale vitæ institutum & negligentiam nobis attrahamus. Sponte dæmones excedunt, vt dum securi dormitamus, infelicem animam repente inuadant atque diripiant. Nõ ignoro has belluas aliter quoque se solere subducere, cũ scilicet anima omnino vitiis assuefacta, eísque conformis fuerit effecta, tunc enim iam sibi ipsa insidiatur, ipsáque hostis sibi est. Documentum nobis apertissimum eius rei infantes sunt, qui cum diutius matrum vberibus assuefacti fuerint, etiam cum non adsunt vbera, digitos suos sugunt. Noui etiam quandam in anima tranquillitatem ex summa puritate & laudabili simplicitate constãtẽ. Iustum enim adiutoriũ à domino, qui saluos facit rectos corde, eósque dũ non sentiunt à malis liberat. Siquidem & infantes cum exuti fuerint ac vestimentis nudati, non valde id agnoscunt. Malitia quidem aut vitium in natura naturaliter non sunt, neque enim creator est vitiorum Deus, sed virtutes certe naturales plurimæ in nobis ab eo factæ sunt. Ex quibus istæ absque vlla contradictione sunt, Eleemosyna, & gentiles enim miserentur. Charitas, nam & mutæ animantes cum alterius orbantur illachrymari videntur: Fides, omnes enim hanc in nobisipsis gignim⁹: Spes, nam & cum baptizamur, & cum fœneramur & nauigamus & serimus meliora speramus. Igitur si, vt demõstratũ est, charitas in nobis naturalis virtus est, hæc vero vinculum atque impletio legis est, profecto non longe à natura virtutes sunt. Erubescãt ergo qui in istarum exercitatione virtutum imbecillitatem atque impotentiam prætendunt. Supra naturam sunt fateor, castitas, iracũdiæ euacuatio, humilitas, oratio, vigiliæ, ieiunium, perpetuáque compunctio. Ex his aliarum quidem homines, aliarum vero angeli, aliarum vero archangeli, aliarum Deus ipse verbum, magister & dator est. In comparatione malorum, oportet nos quod leuius fuerit eligere, puta cum plerumque ad orationem assistimus, aduenient fratres ad nos, necesséque est è duobus alterum contingere, aut scilicet orationẽ derelinquere, aut fratrem à nobis absque responsione tristem dimittere. Sed maior est charitas oratione. Hæc enim particularis est, illam viro virtutes omnes continere pro confesso habetur. Cum venissem, aliquando in castellum quoddam, siue ciuitatem, sederémque ad mensam iuuenis adhuc, duobus simul vitiis me oppugnari sensi, gulæ concupiscentia atque inani gloria: metuens tamen insaniissimæ gulæ progeniem, inani gloriæ magis me superandum dedi. Cognoui ego gastrimargiæ spiritum sæpe in iuuenibus inanis gloriæ dæmonẽ vicisse. Et merito apud eos quidẽ, qui in mundo sunt radix omnium est auaritia, apud monachos vero gulæ concupiscentia. Sunt apud spirituales viros quædam plerumque vilissima vitia mira Dei dispẽsatione 1. Tim.

413

satione in eis relicta, vt per vilia illa quæ sine pec- A
cato sunt, seipsos semper valde accusantes, humilitatis opes inuiolabiles acquirant. Fieri nõ potest, vt qui sine subiectione viuit, humilitatem statim in principio acquirat. Siquidem & is, qui artẽ aliquam instinctu proprio nullo docente didicit, vmbras atque imagines sequitur. In duabus maxime generalibus virtutibus actiuã vitam patres diffinierunt, & merito, videlicet in humili abstinentia & simplici obedientia, alia vero per hanc humilitatẽ seruant illæsam. Quocirca luctus quoque duplex est, quippe & qui peccatum iugulat, & humilitatẽ efficit. Piorum quidem est omni petenti dare, ma- B
gis vero piorum etiam non petenti tribuere: ab eo autem qui tollit à se aliquid non exigere cum maxime id possint, illorum tantummodo propriũ est, quos nulla tangit perturbationibus & vitiis omnibúsque virtutibus nosipsos solicite inquirere non desinamus, vbinam sumus, in initiis, an in medio vel in fine. Cuncta aduersum nos tentationũ bella vel dæmonum, ex his tribus maxime causis constant, aut scilicet ex voluptatis studio, aut ex superbia, aut ex illorum inuidia. Extremi quidem ex his beati, medij prorsus infelicissimi, primi vero vsque in finem permanent inutiles. Est quidem sensus, immo vero habitus, qui ferre potens .i. laborũ C
potentissimus dicitur, à quo is qui captus fuerit nõ iam formidabit, nec laborem vnquam auersabitur. Hoc venerando habitu martyrum animæ detinebantur, cum supplicia fortiter perferrent ac facile contemnerent. Aliud est cogitationum custodia, aliud obseruatio animi. Quantum distat ortus ab occidente, tantum secunda priore sublimior est & laboriosior. Aliud est contra cogitationes orare, aliud his contradicere & reluctari, aliud eas contemnere ac penitus spernere. Atque priori illi quidem attestatur qui dixit: Deus in adiutorium meũ intende, & his similia. Sequẽti vero qui ait: Et respõdebo exprobrãtibus mihi verbũ contradictionis. D
Et rursus: Posuit nos in contradictionẽ vicinis nostris. Tertij vero est testis ille qui cecinit: Obmutui & humiliatus sum, & non aperui os meũ, & posui illi custodiam cum consisteret peccator aduersum me. Et iterum: Superbi agebant inique vsquequaque, à contemplatione autem tua non declinaui. Medius quidem horum modus priore semper vtitur, quia non satis per se præparatus & instructus sit. Prior autem nondum ita institutus vt secundus inimicos repellere potest. Tertius autem penitus dæmones fugauit, abiecit & respuit. Impossibile est per naturam, vt res incorporea terminetur à corpore, sed omnia tamen ei possibilia sunt, qui Deum possederit. Sicut hi qui olfactus sensu integerrime E
vigent, eum qui clam habeat aromata ignorare nõ possunt, ita & anima purissima fragrantiam odoris, quam ipsa ex Deo acquisiuit, fœtorémque à quo ipsa liberata sit, si sit, in aliis agnoscere cæteris sine odoris sensu permanentibus solet. Non quidẽ omnes beata tranquillitate pacificos fieri possibile est, cunctos tamen saluari & reconciliari Deo non est impossibile. Nõ tui alienigenæ illi dominentur, qui Dei dispensationes arcanas atque ineffabiles siue visiones quæ fiunt in hominibus curiose inquirere volunt, deúmque personarum acceptorem es-

Psal.69. Psal.118. Psal.79. Psal.38. Psal.2 8.

se clam suggerunt. Eiusmodi quippe elationis filij & agnoscuntur & sunt. Sæpe cupiditatis atque auaritiæ spiritus humilitatem simulat, ita & inanis gloriæ spiritus: sic & voluptatis ad erogandas eleemosynas hortatur. Si igitur vtrisque nos mundos seruemus in omni loco misereri non desinamus. Aiũt quidam dæmones obluctari dæmonibus, ego omnes eos noui nostram inquirere perditionem, spiritualem omnem operationem visibilem siue intellectualem præcedit propositum nostrũ optimúmque desiderium, quæ ex cooperatione Dei in nobis fiunt. Nisi enim priora præcesserint, secundũ subsequi non solet. Si tempus omni rei sub cœlo est (vt ait Ecclesiastes) inter homines vero nostræ quoque conuersationis sacratæ res constant, inspiciamus diligentius, si placet, & quid pro tempore fieri conueniat quæramus. Est enim omnino in his qui certant tempus subiectionis tranquillitatis, & tem- Omnia tẽpus habere.
pus perturbationis ob certantium infantiam. Tẽpus lachrymarum, & tempus duritiæ cordis. Tempus subiectionis, & tempus imperandi. Tempus ieiunij, & tempus communicationis. Tempus belli inimici corporis & tempus mortis concupiscentiæ feruentis. Tempus hyemis, & tempestas animæ, & tempus serenitatis mentis. Tempus tristitiæ cordis, & tempus gaudij spiritalis. Tempus docendi, & tempus audiendi. Tempus inquinationum fortassis ob elationem, & tempus mũditiæ propter humilitatem. Tempus luctationis, & tempus tutissimæ quietis vel remissionis. Tempus solitariæ quietis, & tempus necessariæ, nec dissolutæ discretionis. Tẽpus infatigabilis orationis, tempúsque integerrimi & indissimulati ministerij. Non ergo ante tempus quæ sunt temporis propria quæramus, mentis superbia decepti. Non in hyeme calorem, neque in ferente manipulos quæramus. Est enim tempus serendi labores, & tempus metendi ineffabiles gratias. Alioquin in tempore quæ sunt propria tẽporis, non referemus. Quidam ante labores, quidam in ipsis laboribus, plerique post labores, alij in ipsa morte sacra laborum suorum præmia per ineffabi- Desperatio vnde sæpe oriatur.
lem Dei prouidentiam reportauerunt. Quærendũ quis horum altero fuerit humilior. Est quædã desperatio, quæ ex peccatorum multitudine, & conscientiæ onere, atque intolerabili mœrore venit, dum anima multitudine vulnerum plusquam submergitur, atque illorum pondere in desperationis profundum præcipitatur. Est & alia, quæ ex superbia nobis atque elatione contingit, dum scilicet nosipsos veluti indignos, ea quæ forte nobis accidit calamitate existimamus. Hanc vero in vtrisque qui diligẽter obseruet, proprietatem inueniet quod alter seipsum iã vitiis indifferenter exponit, alter vero exercitatione desperationi propior sit, quod absurdum atque omnino inconueniens videtur. Sed horum alterum continẽtia bonæ spei coniuncta, alterum vero humilitas, ac nullum iudica re sanare cõsueuit. Minime vero admirari, ac vel vt in re noua perturbari debemus, cum aliquos videmus mala operari, & bona ex se verba proferre. Nam & in paradiso fortasse serpentem illum elatio cum extulisset perdidit. Hæc tibi forma, hæc regula sit in omni conatu tuo, omníque viuendi genere, siue id subiectum siue non subiectum sit, siue visibile, siue

intellectuale, an secũdum Deum proprie sit, verbi gratia, quoties rudes adhuc aliquid omni studio agere nituntur, nisi ex eius actione plus humilitatis in anima accipiamus, quam prius habuerimus: non mihi videtur nos secundum Deum moliri, siue paruum, siue magnum sit. Atque in nobis quidem infantibus ac rudibus hoc diuinæ voluntatis firmum signum est, in mediis vero fortasse sit bellorum sedatio ac discessus. Porro in his qui perfecti sunt, diuini luminis abiectio & copia secundum Deum id esse quod instituit significabit. Ea quidem quæ parua apud magnos sunt, non sunt vtique parua, magna vero apud paruos, non vsquequaque perfecta. Aer purgatis nubibus clarissimum solis iubar ostẽdit. Anima vero anticipationibus libera & remissione dignata, diuinam lucem protinus aspexit. Aliud est peccatum, aliud ociositas, aliud desidia, aliud vitium, aliud ruina. Qui potest quærere, in domino id apertius quęrat. Quidam mirabilia operari, esséque in spiritualibus gratiis cõspicuum præ omnibus beatum ducunt, ignorantes plurima esse excellentiora, quæ idcirco tutiora sunt ac sine ruinæ metu, quod sunt occulta. Is quidem qui perfecte purgatus est, ipsam, & si non ipsam animã proximi videt quomodo affecta sit: qui autem adhuc imperfectus est, ipsam per corporis habitum coniicit. Sæpe ignis exiguus totam syluam emundauit, sic & minima cauerna totum nonnunquam laborẽ corrumpit ac perdidit. Sæpe fit, vt requies per inimicitias vim animæ exuscitet, nec tamen cõcupiscentiæ ardorem excitet. Fit item nonnunquam, vt ingens carnis afflictio ipsos etiam fortasse motus moueat, vt non in nobisipsis confidamus, sed in Deo, qui carnem hanc incognite mortificat viuẽtem. Cum aliquos secundum Deum nos diligere viderimus, id cautissime seruemus, vt confidentiã omnino fugiamus. Nihil enim ita charitatem soluere, odiúmque consuescit efficere sicut confidentia. Intellectualis ac valde decorus ac lucidus est animæ obtutus, omnémque speciem siue idæã post incorporeas substãtias excellit. Ex quo fit, vt vitiosi quoque sæpe aliarum animarũ cogitationes pro ingenti ad illas dilectione possint cognoscere, idq; tum magis cum à carnis luto demersi per sordes nõ fuerint. Si nihil ita Dei purgatissimæ naturæ contrarium est, vt materia omnis, qui legit intelligat. Obseruationes in secularibus quidem obsistunt diuinæ prouidentiæ, in nobis autẽ intellectuali sciẽtiæ. Hi quidem qui sunt imbecilles & infirmi ex corporis calamitatibus & periculis exterioribúsque tentationibus à Deo se visitari cognoscant qui vero perfecti sunt, ex præsentia sancti spiritus & adiectione gratiarũ. Quoties quietis causa lectulo decubuerimus, aduenies immundus spiritus iniquas ac sordidas cogitationes veluti spicula quædam iaculatur in nos, vt cum per desidiam ad orationem non exurgimus, neque contra illum ocius armamur, in sordidis obdormiamus cogitationibns, sordidáque videamus somnia. Est è spiritibus vnus qui præcursor dicitur, qui nos è somno surgentes protinus excipit, primúmque nostrum cogitatum inquinare nititur. Da domino primitias diei tuæ. Erit enim tota eius qui prior occupauerit. Memorabile verbum, atque auditu digniſſimum operarius quidam optimus locutus est. Ab ipso, inquit, matutino tempore cursum totum meum diei scio. Multa sunt pietatis ac perditionis itinera, quocirca sæpe dum quis alteri aduersatur, alij libentius & charius iungitur, amborúmque intentio grata & accepta est apud Deum. Certant quidem aduersum nos totis viribus dæmones & in eis quæ nobis contingunt tẽtationibus indignum aliquid vel dicere vel facere suggerunt. Quod cum non potuerint efficere iam quietis nobis astãtes, vt superbam Deo gratiarum actionem referamus hortantur. Hi quidem qui superna sapiunt si separẽtur sursum iterum per partes redeunt, qui vero infima infra rursus eunt: eorũ enim qui separantur nullũ prẽterea est mediũ. Vna ex creaturis in alio, non in seipso vt esset accepit, mirúmque sanè est quomodo extra eum in quo esse cœpit constare solet. Pias quidem filias matres pariunt, matres autem dominus condidit. Prædicta quoque regula in contrariis vti non insipienter possumus. Formidolosum ad prælium egredi Moyses (immo per Moysem dominus) vetat, ne forte sit error animæ nouissimus maior priore lapsu corporis atque pernicioſior, ac merito.

Quid cuique agendum vbi surrexerit.

De eadem.

QVemadmodum ceruus solis adustus ardoribus latices desiderat, ita apud monachos desideratur diuinæ bonæ voluntatis comprehensio, prætereáque & commixtæ & cõtrariæ cognitio. De quibus multus reuera nobis est sermo, atque ad interpretandum difficilis, vt scire possimus, quænam illa sint nostra opera, quę sine dilatione fieri, atque omni mora citius debeant, secundum eum qui dixit. Væ qui differt de die in diem, & de tempore in tempus: quęnam rursus morosius atque consolatione, sicut ille admonet qui ait: Cum gubernatione fit bellum. Et rursus: Omnia honeste & ordinate fiant. Non est sanè vna minimarum rerum huiusmodi ad iudicandum difficilis citius, iudicio non aberrante discernere. Nempe enim & diuinus Dauid, qui & spiritum sanctũ habebat in se loquẽtem, hoc sæpius orare videtur, nunc quidem: Doce me facere voluntatem tuam dicens, quia tu es Deus meus, nunc vero: Deduc me in veritate tua. Et rursum: Notam fac mihi viam domine in qua ambulem, quoniam ad te ab omni cura & perturbatione seculari leuaui animam meam & exaltaui. Quicunque reuera voluntatem Christi addiscere volunt, suam prius voluntatem studiose mortificare debent, deinde vero fide atque innocua simplicitate orantes, patrúmque siue fratrum animas sũma cordis humilitate ac sine cogitationum hæsitatione interrogantes, quæ illi consulunt, tanquam ex Dei ore suscipiant, & si contraria suę intentioni sint quę ab illis fuerint dicta, etiamsi hi qui interrogantur non valde spirituales sint. Neque enim est iniustus Deus, vt animas decipiat, quæ se per fidẽ & innocentiam proximi consilio atque iudicio humiliter submiserint. Etsi enim irrationabiles ac muti illi fuerint à quibus petimus, is tamen qui loquitur immaterialis est atque inuisibilis. Ingenti humilitate pleni sunt, qui prædictam regulam nihil hęsitantes sequũtur. Nam si quidam in Psal-

Eccl. 5.

Prou. 20. 1. Cor. 14.

Psal. 142.

Mortificanda voluntas vt voluntas Christi in nobis fiat.

terio ſuum impleuit problema, quãtum putatis rationalem mentem atque intellectualem animã muto ſono eſſe excellẽtiorem? Plurimi vero cum necdum perfectum hoc & leue bonum, ideo quod ſibi nimium placerent, percepiſſent, ſed ex ſeipſis atq; in ſeipſis quicquid Deo gratum & acceptum ſit niterentur comprehendere, vana valde & plurima de hoc nobis iudicia dictarunt. Quidã vero talia quærentes, cogitationem ſuam ab omni affectione remouerunt, & in vtriſque conſiliis ac voluntatibus animæ ſe collocauerunt, videlicet in annuente & contradicente, mentémq; ſuã omni voluntate propria mundatam, per ardentiſſimam orationem domino ſiſtentes, ad certum diem agnitione voluntatis illius potiti ſunt, ſiue intellectuali mente cum mente noſtra intellectualiter loquente, ſiue intentione vna, perfecte ex anima deleta. Alij ex ea quæ conatum ſequitur vexatione & diſtributione hanc eſſe voluntatem Dei didicerunt, ſecundum cũ qui ait: Voluimus venire ad vos & ſecundo, & impediuit nos ſathanas. Cõtra, alij rurſus ex inſperato Dei adiutorio hoc gratum Deo atque acceptũ eſſe ſenſerunt, illud dicẽtes: Omni proponenti bonũ Deus cooperatur. Is qui Deum in ſemetipſo per illuſtrationem poſſidet, in emergentibus & moroſioribus rebus ſecundo modo ſecundum tempus certior fieri à Deo non ſolet. Hæſitare vero in iudiciis ac diu in incertum nutare, animæ lumine carentis atque inani gloriæ deditæ certum argumentum eſt. Abeſt à Deo iniuſtitia, eósque qui cũ humilitate pulſant excludi non patitur. Intentio ſemper in omnibus apud Deum diſcutienda eſt, & in his quæ vrgent & in his quæ differri debent. Omnia enim quæ affectione vituperabili & inquinatione omni, munda, propter dominũ proprie nec propter aliud aliquid fiunt, & ſi non ſint omnino optima, nobis tamen vt optima imputabuntur. Nam earum rerum quæ ſupra nos ſunt inquiſitio, nequaquã finem ſecurũ atque tutum poſſidet. Archanum eſt valde Dei circa nos iudiciũ, mira nanque diſpenſatione ſæpe volũtatem ſuam à nobis abſcõdi Deus vult, ſciens quod ſi hanc didiciſſemus, non illi obtemperaremus, pluráq; vulnera ſuſciperemus. Rectũ cor varietate rerũ liberum euaſit, atque in innocentiæ nauicula tute nauigat. Sunt animæ quędã diuino amore & cordis humilitate fortes, quæ eas quoque actiones quæ ſupra ſe ſunt alacriter aggrediũtur: sũt itẽ ſuperba corda, quę hoc ipsũ faciunt. Intẽtio eſt inimicis noſtris quę ſupra vires noſtras sũt, nobis ſæpe ſuggerere, vt dum illa perficere nõ poſſumus, mœrore ac anxietate animi fatigati ab his quæ poſſumus cadamus, riſũmque maximum inimicis noſtris faciamus. Vidi imbecilles animas ac debilia corpora pro peccatorum multitudine ſuperiora ac maiora ſe certamina arripere, nec ea poſſe ſuſtinere. Quibus ego inquam, humilitatis, non laborũ magnitudine Deus pœnitentiam metitur ac iudicat. Plerunque educatio ſupremorum malorum cauſa eſt, interdũ vero & familiare peſſimorum contubernium, ſæpe tamẽ etiã peruerſa anima ipſa ſibi ad perditionẽ ſufficit. Qui à duobus illis ſegregatus eſt, à tertio quoq, fortaſſe liberabitur: qui vero à tertio tenetur, reprobus in omni loco erit. Nullus enim cœlo certior ac tutior eſt. Ab his quidem qui aduerſum nos mala voluntate dimicant, ſiue infidelibus, ſiue non rectæ fidei hominibus, poſt primam & ſecundam correptionem quieſcamus, his autem qui veritatẽ addiſcere cupiunt benefacere in æternum non laſſeſcamus, vtriſque autem ad confirmationem noſtri cordis vtemur. Irrationabilis ille valde eſt, qui virtutes ſanctorum quæ ſupra naturam ſunt audiens de ſeipſo deſperat, immo vero illæ in altero è duobus te optime erudiũt: aut enim imitationem ſanctæ formæ excitant, aut ad tuiipſius agnitionẽ, & eius quæ in te eſt fragilitatis, demonſtrationem per beatiſſimam humilitatem te conuertunt. Sunt inter immundos ſpiritus reliquis nequiores, qui peccatum ſolos operari nos minime cõſulunt, vt grauiori ſupplicio nos mulctandos parent. Vidi cõſuetudinem malam alterum ab altero didiciſſe, eúmque qui docuerat in ſeipſum reuertiſſe, & pœnitentiam agere cœpiſſe, atque à malo quieuiſſe, ſed tamen pro mala diſcipuli actione inualida fuit ipſius pœnitentia. Sũma reuera, ſumma eſt, atque ad comprehendendũ perdifficilis, malignorum ſpirituum nequitia, paucíſque perſpecta & cognita, ne paucis quidem (vt reor) tota cognita. Quomodo & delicatius viuentes & ſaturitate diſtenti vigilamus, tanquam maxime ſobrij ſimus: ieiunantes autem atque in ærumnis degentes cum aliis compungimur, fame confecti in ſomniis tentamur, impleti vero ſine tentatione perſiſtimus, per inediam obtenebrati ſine ſenſu compunctionis efficimur, porro in potu vini hilares, atque ad compunctionem proni ac faciles ſumus. Ad hoc qui in domino potens ac idoneus eſt, eos qui ſunt ſine lumine illuſtret. Nos enim hactenus ad huiuſmodi ſine lumine & minus idonei ſumus. Illud tamen dicimus, quod non ſemper ex dæmonibus huiuſmodi mutatio fit, ſed plerunque etiam ex concretione datæ mihi (neſcio quo pacto) ſordidæ atque illecebroſæ pinguedinis. Ceterum pro hac ad diſcernendum non facili prædictorum confidentia, ſynceriſſime ſemper deprecemur Deũ. Et ſi quidem poſt orationem atque poſt eius tempus, eodem modo id quod fit operari inuenerimus, proculdubio ſciemus id non ex dæmonibus eſſe, ſed ex natura. Plerunque enim diuina prouidentia per contrarias res nobis benefacere vult, elationem per omnia comprimens naturæ. Eſt quidem grauiſſimum, velle abyſſum iudiciorum Dei curioſe perſcrutari (nam in nauicula elationis curioſi nauigant) dicenda tamen aliqua ſunt ob multorum imbecillitatem. Interrogauit quidam aliquem ex his, qui videre poterant quidnam ſit quod prænoſcens Dominus quorundam ruinas, eos maximè gratiis exornat. Ad quem ille, vt reliquos quoque ait ſpirituales viros cautiores faciat, liberúmque oſtendat arbitrium atque in iudicio inexcuſabiles eos qui lapſi ſunt faciat. Lex quidem vt imperfecta, attende (ait) tibiipſi, Dominus autem vt perfectiſſimus etiã correptionẽ fratris nobis mandauit dicens: Si peccauerit in te frater tuus, & quæ ſequuntur. Si munda eſt ergo reprehenſio tua atque humilis, immo vero admonitio, quod præcepit Dominus implere non negligas, & in eis quæ maxime poſſibilia ſunt. Quod ſi nõdum ad hoc peruenisti, vel in legis exercẽre ſeruitio, noli mirari cũ videris etiam amantiſſimos tuos reprehẽſionum tuarum cauſa inimicos

Quare Deus de multis rebus ſuam nobis non aperiat voluntatem.

Aſtutia dæmonum in tentando.

Iudicia dei non eſſe pericrutãda curioſius.

Luc 23.

Qualis debeat eſſe correctio fraterna.

tibi fieri. Dæmonũ quippe inſtrumenta ſunt huiuſmodi leues, & maximè qui ſibi inimici ſunt. Tenet me vehemens admiratio, quomodo cum in virtutibus quidem omnipotẽtem Deum ſanctósq; Angelos adiutores habeamus, in contrariis autem malũ & ſolum dæmonem paratius tamen ac velocius ad vitia flectamur. De his ergo diligentius loqui nec poſſum nec volo. Si cuncta quæ facta ſunt naturam ſuam ſeruent, ſicq; vt facta ſint permaneãt quomodo (vt ait magnus Gregorius) Dei ſum, & luto cõmiſceor. Sin autẽ creatura aliqua aliter quam facta fuerit conſtat, omnino cognationem ſuam inexplebiliter appetit. Omni arte (vt ita dixerim) omniq; ſtudio quiſque vti debet vt lutum hoc à terra eleuãs in Dei ſolio collocet. Nullus itaque difficultatem cauſetur aſcenſus. Via enim & ianua cũctis aperta eſt. Auditio quidẽ earũ virtutum, quas geſſere ſpirituales patres, mentẽ atque animam ad æmulationem excitat: porrò doctrinæ auditus ad imitationẽ huiuſmodi æmulos perducere ſolet. Diſcretio eſt in tenebris lucerna, errantium reditus, cæcutientiũ illuminatio. Diſcretus eſt ſanitatis inuentor morbíque emendator. Duobus modis omnes qui parua quæque admirantur hoc perpeti ſolent, aut propter ſummam ignorantiam, aut ex intentione ſeruandæ humilitatis proximi opera magnificantes atque extollẽtes. Contendamus toto annixu nõ luctari, ſed etiã bellare contra dæmones. Nã qui luctatur nunc quidẽ vulnerat, nunc autem vulnera excipit, qui vero bellum gerit ſemper inſequitur hoſtem. Qui vicerit vitia, dæmones vulnerat, ac per id quod ſe habere vitia ſimulat, inimicos fallit, perdurátque inexpugnabilis. Quidam ex fratribus aliquãdo ignominia affectus eſt, & cũ omnino corde motus non fuiſſet, in mente ſecretius orauit, atque ita in ignominiis lamentari cœpit, hac ficta perturbatione trãquillitatẽ ſuam ſapientiſſime abſcondens. Alius itẽ ex fratribus cum primam ſeſſionem omnino nõ cupit, hanc ſe appetere auidiſſime finxit. Illius vero caſtitatem quibus verbis eloquar, qui quaſi peccandi cauſa lupanar ingreſſus, meretricẽ ipſam ad pœnitentiam traxit? Cuidam item ſolitario, cum primo mane quidam vuæ botrum attuliſſet, iámque is qui obtulerat profectus ab illo eſſet, ſummo quodã ac celeri impetu illum deuorauit abſque appetitu vllo, per hoc ſeipſum gulæ addictum dæmonibus indicans, atque illos ludens. Alius item cũ modicas amiſiſſet palmas, tota die ſe mœrentem finxit. Summa iſtis vigilantia opus fuit, ne forte dum hoſtes ludere nituntur, illis magis ipſi ludibrio fierent. Hi enim reuera illi ſunt, de quibus ait Apoſtolus: Vt ſeductores & veraces. Si quis corpus caſtum offerre Deo cupit & cor mundiſſimum illi oſtendere, obſeruet omni ſtudio vt non iraſcatur, atque continẽtiam cuſtodiet: abſque his enim omnis labor noſter erit inutilis. Sicuti varia ſunt humanorum oculorũ lumina, ita permultæ ſunt ac differentes, quæ in anima fiunt intellectualis ſolis illuſtrationes, alia nãque eſt quæ per corporis lachrymas, alia quæ per animæ, alia item quæ per corporis oculos, alia, quæ per intellectuales, alia quæ ex auditu verbi, & alia quæ ſua ſponte mouetur in anima lætitia, alia item quæ ex ſolicitudine, & alia quę ex obedientia naſcitur. Præter hæc omnia, alia eſt ſingularis, quæ modo quodã proprio Chriſto per extaſim intellectuali lumine ſecrete atque ineffabiliter ſiſtit. Sunt virtutes, & ſint virtutũ matres. Sapiens itaque magis vt matres acquirat contendet. Matrum quidem Deus ipſe in ſua actione eſt magiſter, filiarum autem plurimi. Caueamus ne forte deliciarum abſtinentiam multo ſomno ſuppleamus. Hoc enim inſipientium eſt opus, ſicuti econtra, Vidi pietatis athletas cum caſu aliquo modice ventri indulſiſſent, citius totis noctibus ſtãdo miſerum fortiter cruciaſſe, iámque cum gaudio ſaturitatem fugere atq; aduerſarij didiciſſe. Luctatur acriter auaritiæ ſpiritus cum his qui nihil poſſident. Cũ vero deiicere inſtituto ſuo non potuerit, tunc iam occaſionem pauperũ præferens, expeditiſſimos mũdanis rebus iterum implicari & impediri ſuadet. Quoties pro peccatis noſtris mœremus & triſtes ſumus, præceptũ Domini ad Petrũ ad memoriam reuocare non deſinamus, ignoſcendi ſcilicet ſeptuagies ſepties peccanti. Quod enim alteri mãdauit, ipſe profecto magis impleuit. Cum vero noſtris meritis extollimur, eius rurſus memineri mus qui ait: Qui totam legem ſpiritualem impleuerit, offenderit autem in vno, factus eſt omniũ reus. Quidam ſunt nequã inuidorúmque ſpirituũ ſtatus, qui ſponte à ſanctis ſe ſubtrahunt, ne ſi illos his bellis quæ vincere non poſſunt inquietent, coronas eis inuiti miniſtrent. Beatos quidem eſſe pacificos nullus eſt qui refragetur, ego diſcordantes etiam beatos vidi. Duo quidem impuro ſe inuicem amore diligebant, quod cum animaduerteret vir prudẽs atque probatiſſimus, ſerendi inter illos odij ſe miniſtrum fecit: illi quidem apud hunc derogãs, vt qui eum maledictis inſectaretur, & huic apud illum ſimiliter, valuítque ſapiẽtiſſimus humano aſtu dæmonum nequitiam repellere, odiúmque inſerẽs fornicationis vinculũ ſoluit. Sunt qui mandati gratia mandatum excludant. Vidi enim iuuenes ſe inuicem caſtiſſimo amore ac ſecundum Deum diligentes, qui tamen dum aliorum conſcientiam inde lædi conſpicerent, conuenit inter eos, vt ſe ab inuicem ad tempus elongarent. Sicuti contraria ſunt nuptiæ & funus, ita male ſibi conueniunt ſuperbia & deſperatio. Videas tamen ex dæmonũ peruerſitate ſæpe conſtare vtraq; ſimul. Sunt nonnulli ex ſpiritibus immũdis, qui interpretationem diuinarum ſcripturarum nobis in exordiis enunciant. Hoc autem in illorum vt plurimum cordibus agere ſolent, qui inani gloriæ ſtudent, & illorum imprimis qui externæ ſapientiæ literis eruditi ſunt, vt illos ſenſim fallentes in hereſes & blaſphemias deducant. Ex ea vero turbatione effuſáque ac turpi lætitia, quam enunciationis illius tempore in anima noſtra fieri ſenſerimus, dæmonũ theologiam immo vero machrologiam. i. loquacitatẽ agnoſcimus. Ordinem quidem & initium, quidam vero ex his quæ facta ſunt finem etiam ab eo qui illa fecit acceperũt, virtus vero finem habet infinitum. Omnis enim ait Pſalm. conſummationis vidi finem, latum vero ac infinitũ mandatum tuum nimis. Siquidem boni ac probati operarij ex vita actiua proficiunt in virtutẽ contẽplationis. Si charitas nunquã deſinit, ſi dominus cuſtodiet introitum timoris tui & exitũ charitatis tuæ. Huius profecto poſſeſſio infinitus eſt finis in qua proficere nunquã deſiſtemus, nõ in præſenti

non

Quanta animi contentione reſiſtendũ ſit diabolo

2. Cor. 6.

Inanis gloriæ ſtudioſos facit in hæreſes labi.

Matt. 18.

Iacobi 2.

Pſal. 118.

non in futuro lumini scientiæ lumen adiiciẽtes. Et si enim pleriſque quod dicturi ſumus nouum videbitur, dicemus id tamẽ ſecundum eam quam prædiximus demonſtrationem. Equidẽ ô admirabilis pater, nec ipſas quidem intellectuales angelicásque ſubſtantias dixerint carere profectu. Sed eas quoq; magis gloriæ gloriam & ſcientiæ ſcientiam ſemper adiicere diffinio. Noli mirari, ſi dæmones nonnunquam nobis vanas cogitationes ſuggerunt, eíſque intellectualiter contradicunt. Ea eſt enim inimicis noſtris intẽtio, vt per hoc nobis perſuadeant ſe noſtras quoque intimas cogitationes agnoſcere. Noli amarus eſſe ac nimium ſeuerus iudex, quoties aliquos videris docere magna & operari negligẽtius: ſæpe námque ſuppleuit defectũ operis vtilitas verbi. Non omnes æqualiter omnia habemus. In quibuſdam enim ſermo vberior eſt opere, in aliis rurſus ſecundum primo maius eſt. Malum quidẽ Deus neque fecit neque creauit. Seducti ſunt ergo qui aiunt, vitia quædã in anima eſſe naturalia, ignorantes quod conſtantes naturæ proprietates nos conuertimus in vitia. Puta ſemen ineſt nobis per naturam, ob liberorũ procreationem, nos illud in fornicationis turpitudinẽ tranſtulimus. Ineſt nobis à natura furor, vt illo contra ſerpentem vtamur, nos aduerſus proximos illo vſi ſumus. Ineſt nobis æmulatio, vt virtutes æmulemur, nos in malam partem æmulamur. Adeſt animæ per naturam gloriã deſiderare ſupernam. Adeſt illi ſuperbire, ſed aduerſus dæmones. Ineſt ſimiliter & gaudium, ſed vt in domino, & de proximi proſperitate lætemur. Accepimus & ſeruare memoriam iniuriarum, ſed contra inimicos animæ. Accepimus ab illa cibi appetitũ, non luxuriæ. Anima impigra & alacris, contra ſe dęmones prouocat, multiplicatis aduerſus eam bellis coronæ quoque multiplicantur. Qui non pulſatur bellis, prorſus non coronabitur. Qui in his caſibus qui contingunt non perturbatur, neque animo laſſeſcit, is vt fortiſſimus bellator ab Angelis glorificabitur. Tres quidem noctes in terra cum feciſſet penitus reuixit, qui vero tres horas vicerit non moritur. Si quando ex diſciplina diuina nobis diſpenſatione permiſſa ſol ille iuſtitiæ poſtquam in nobis ortus fuerit agnouit primum occaſum ſuum, poſuit omnino tenebras, & facta eſt nox. In ipſa vero iam pertranſibunt ad nos, hi qui prius receſſerant feri leonum catuli omnésque beſtiæ ſpinarum paſſionũ, rugientes vt rapiant eam quæ eſt in nobis ſpem & quærentes ſibi adeo vitiorum eſcam ſiue per intentionem & voluntatem, ſiue etiam per actũ. Ortus eſt iterũ nobis ſol per obſcurã humilitatem, & ad ſeipſas beſtiæ congregatæ ſunt atque in cubilibus ſuis videlicet in cordibus voluptuoſis collocabuntur, & non in nobis. Tunc dicent inter dæmones: Magnificauit Dominus facere miſericordiam cum eis. Quibus nos reſpondebimus: Magnificauit Dominus facere nobiſcum, facti ſumus lætantes, vos autem perſecutionẽ paſſi eſtis. Ecce Dominus ſedet ſuper nubem leuem animã videlicet ab omni concupiſcentia terrena exaltatam, & veniet in Ægyptũ ſed cor pridie obtenebratũ, & mouebuntur manufacta ſimulachra, & ſordidæ cogitationes mentis. Si Chriſtus ab Herode corporaliter fugit & quidem omnipotens, addiſcãt improbi & temerarij non ſeipſos in medias tentationes immittere. Pſal. 127. Non des enim, inquit, in commotionem pedem tuum, & non dormitabit qui cuſtodit te Angelus. Connexus atque adiunctus eſt fortitudini faſtus, veluti cipreſſo taxus arbor. Cura ſit nobis perpetua atque indefeſſa, ne tenuis quidem cogitatio aſcendat in mentem noſtram, quæ bonum nos vllum vel minimum habere ſuggerat. Quod ſi hanc proprietatem diligenter obſeruantes inuenerimus mẽtem noſtram huiuſmodi cogitatione pulſari tunc reuera nos in defectu adhuc eſſe intelligamus. Inquire etiam infatigabiliter vitiorum argumenta, túncque plura ex his tibi ineſſe cognoſces. Quæ dũ in morbis adhuc ſumus diſcernere ſiue per infirmitatẽ ſiue quod nos ante profundiſſime occupauerint & penitus ſibi vendicauerunt, non poſſumus. Propoſitum iudicat Dominus, in his vero quæ poſſibilia ſunt nobis actionem quoque clementer inquirit. Magnus ille quidem qui nihil quod factum poſſibile fuerit facere omiſit. Maior autem qui per humilitatem etiam quæ vltra vires ſuas ſunt agere conatur. Plerũque dæmones ea quæ leuiora ſunt & magis vtilia nos vetant. Quæ vero difficiliora, laboríſque pleniora ſunt ea magis arripere hortantur. Inuenio Ioſeph illum caſtiſſimum ideo beatum dici quod peccatum caute declinauerit, nõ quod ſe impaſſibilẽ oſtentarit. Quęrẽdum vero nobis eſt, quot quibúsve modis peccati declinatio coronis donetur. Aliud enim eſt vmbram fugere, aliud ad ſolem iuſtitiæ accurrere. Obtenebratio cauſa fit offenſionis, offẽſio vero lapſus occaſio eſt, lapſus vero mortis. Sæpe hi qui per nimiam vini potationẽ obtenebrati ſunt, aquam bibẽtes ad ſobrietatem mẽtis reuocati ſunt, ita & qui obſcurati vitiis fuerãt per lachrymas reſipuerũt. Aliud eſt perturbatio, aliud effuſio, aliud exçecatio. Priorẽ illam ſanauit cõtinentia, ſequẽtem quies ſolitaria, tertiam obedientia & Deus, qui propter nos obediẽs effectus. Nos ex duobus exemplis, eorum qui terrena, & infima purgare ſolent: duas conueniẽtiſsime purgationes eorũ qui ſuperna ſapiunt colligimus. Et fullonum quidẽ officinam, exempli cauſa dicimus, cœnobium ſecundum Deũ, quod ſordes & craſsitudines atque turpitudinem animarum diluit ac reſecat. Tingentiũ vero officina eſt anachoreſis, his qui in cœnobij exercitatione laſciuiã & memoriam iniuriarum & iracundiã depoſuerunt, iámque ex eo ad quietẽ ſolitudinis migrauerunt. Aiunt quidam quòd in eadẽ delicta denuo incidere ex defectu contingat pœnitentiæ congruæ, ex qua prioribus malis emendatio inferri ſolet. Quærendum vero num omnis quoq; qui in eadem peccata non incidit, digne etiam pœnitentiam egit. Inciderunt quidam in eadem delicta ſiue prioribus profunda obliuione ſepultis atq; obrutis, ſiue quòd ex voluptate nimium clementẽ Deum ſibi ſuggeſſerunt, ſiue quod de ſalute ſua deſperauerunt. Si qui vero me non minus clementer accuſare velit, id quoque addiderim, quibuſdã hoc ideo contingere, quòd inimicum iſtum iam vincere non poſſunt, ſe per conſuetudinis tyrannidem violenter ſubiugantem. Inquirendum quoque diligentius quomodo anima cum ſit incorporea eiuſdem ſubſtantiæ ſpirituum ad ſe venientium naturã videre ſolita non ſit, num forte propter cõiunctio-

Caute legas.

Quomodo bono natu rali abutamur.

Vltra vires aliquid aggredi virtutis ſignũ.

Non abutendum diuina clementia.

nem, quam ſolus ille nouit qui coniũxit? Interrogabat aliquãdo me quidam ſcientia maxime illuſtris his me verbis compellans: Dic oro, dic ſcire cupiẽti mihi quinam ſpiritus humiliare mentem, quíve exaltare in peccatis ſoleant? Ego cum ad huiuſmodi conſultationem hæſitarem, méque id neſcire iuramẽto firmarem, demum me is qui diſcere venerat, inſtruxit ita paucis, dicens: Cum tibi diſcretionis fermentum dedero, de reliquis tibi cum labore inquirendum relinquam. Fornicationis & iracundiæ ſpiritus gaſtrimargiæ, item accediæ & ſomni mentis cornu extollere nõ fere cõſueuerũt. Porro auaritię & principatus appetendi & loquacitatis ſpiritus, aliíq; plurimi malum malo adducere ſolent, idcirco iudicandi quoque ſpiritus his proxime accedit. Si quis cum ad ſeculares profectus fuerit aut eos ipſe ſuſceperit ex illorum ſeparatione triſtitiæ iaculum & nõ magis lætitiam ſuſceperit, vtpote impedimento & laqueo expeditus, hic aut ab inani gloria, aut à fornicationis ſpiritu illuditur. Ante omnia qua ex parte venti flatus impellat inquiramus, ne vela in aliam quã debuimus expãdiſſe inueniamur. Exhortare ex charitate ſenes ſciẽtia & actione claros, qui corpora ſua in exercitatione contriuerunt, modicũ ſibi quietis indulgere. Iuuenes continenter viuere coge, qui animas ſuas in peccatis contriuerũt, ſempiternum illis cruciatum ad memoriam reuocans. Poſſibile non eſt, quod & alibi diximus, ſtatim in ipſis conuerſationis initiis gulæ concupiſcentiã atque inanem gloriam à nobis omnino ſuperari. Nõ tamen erit nobis tutum velle per delitias inani gloriæ reſiſtere, ſuperata nanque inanis gloria iterum inanẽ gloriam gignit in eis potiſſime qui rudes adhuc ſunt. Immo per inediam aduerſus illam confligamus, veniet enim hora & nũc volẽtibus eſt, vt & hanc ſubiiciat Dominus ſub pedibus noſtris. Non eiſdẽ oppugnantur vitiis qui iuuenes & qui ſenes ad Dei ſeruitium accedũt. Sæpe enim diuerſis & penitus contrariis morbis laborant. Quocirca beata ſane eſt, & multum neceſſaria ſancta humilitas, qua & in minoribus & ſenioribus certiſſima ſimul pœnitentia efficitur. Non id perturbet, quod dicturus aduenio. Raræ quidem ſunt, tamen, animæ rectæ & ab omni malitia & nequitia, & ſimulatione & aſtu alienæ. Eis vero aduerſetur maxime hominibus admixta cõuerſatio, cum poſſint (ſi ducem nactæ fuerint) veluti ex portu quodam quietis, in cœlum cõſcendere, atque vitæ communis tumultibus & ſcãdalis liberæ, ſine vllo horum experimẽto perſiſtere. Laſciuientes quidem homines, iniquos autem Angeli curare ſolent, ſuperbis vero ſolus Deus mederi poteſt. Et hoc nonnunquam fortaſſe ſit charitatis ſpecies, proximo cum ſe ad nos contulerit permittere in omnibus facere vt vult. Nobis tamẽ omnem hilaritatem oſtẽdentibus, inquirendum quomodo & quatenus & quando & an pœnitentia, vt mala ita & bona ſoluere ſit ſolita. Summa nobis diſcretione vtẽdum erit, vt nouerimus quãdo ſtare & in quibus & quatenus aduerſus vitiorum materias luctari debeamus, quãdo nos à colluctatione ſubducere. Præſtat enim interdum fugam potius ob imbecillitatẽ noſtrarum viriũ eligere ne moriamur. Videamus atque obſeruemus cautius, quo in tẽpore & quomodo per amaritudinem fel exinanire poſſimus, qui

Quomodo iuuenes à vitiis reuocandi.

Superbis ſolũ Deum poſſe mederi.

A dæmonũ extollant & humilient qui obdurent & qui conſolentur, qui tenebras noſtris mentibus obducant, & qui rurſus illuſtrationem ſimulent, qui tardos & hebetes, & qui contra aſtutos, qui triſtes & lætos nos efficiant. Nõ turbemur ſi initio ſtatim noſipſos procliues in vitia viderimus, in ſtadio noſtræ in hoc mũdo cõuerſationis. Oportet enim cauſas omnes prius moueri, atq; ita demũ caſtitatẽ nobis obuenire. Feræ enim vitiorum beluæ dum interim occulerentur nõ perſpiciebantur. Quoties caſu aliquo hi qui iam perfectioni propinquabant in aliquo tenui delicto ſuperati à dæmonibus fuerint, omni arte vtantur vt hoc rurſus centuplũ diripiant.

B Sicuti venti aliquando per ſeueritatem ſumma criſpant æquoris terga, aliquando maris profundum turbare & vertere ſolent, ita & in tenebroſis malignitatis flatibus intellige. In his enim qui vitioſi hactenus ſunt, ipſum ſenſum quoque cordis intimum fluctibus iactare ſolent, in his vero qui iam profecerunt, mentis tantũ ſuperficiem perturbant. Quocirca hi quoque citius tranquillitatem propriã incontaminatam perſtitiſſe ſentiunt. Perfectorum eſt agnoſcere ſemper in animo quænam ſit conſcientia, quæ Dei, quæ etiam intentio exiſtat dæmonũ. Non enim contraria ab initio ſtatim dæmones ſuggerunt, ac ideo tenebroſa eſt reuera atque ad inueniendum perdifficilis.

C

Compendioſa ſupradictorum recapitulatio.

FIdes firma abrenũciationis eſt mater, quid autẽ contrariũ ſit liquet. Spes indeclinabilis reiiciendæ affectionis eſt ianua. Quid item contrarium ſit manifeſtum eſt. Charitas Dei peregrinationis materia eſt. Quid contrarium ſit item conſtat. Subiectionem genuit, ſuiipſius reprehenſio appetitúsque ſanitatis. Mortis meditatio continentiæ eſt mater, fixáque memoria aceti dominici & fellis. Pudicitiæ adiutrix eſt, ſolitudinis quies, incentiuorúmq; confractio ieiuniorum. Cogitationum turpium aduerſatrix, eſt contritio animæ. Fides & peregrinatio, D mors eſt auaritiæ. Miſericordia vero & charitas prodiderunt corpus. Oratio intentiſſima, & iugis acediam prodidit. Iudicij memoria, alacritatem præſtitit. Medicina furoris, ignominiæ dilectio, hymnorúmq; cantus atque miſericordia. Nuditas rerũ omnium, triſtitiam ſuffocat. Nullíſque ſenſibilium rerum affici, intellectualium ſpeculationem parit. Silentium, & ſolitudo inanis gloriæ ſunt hoſtes. Quod ſi fueris in medio, ignominiam arripe, nec pudeat te exhibere inhonorũ. Viſibilem ſuperbiam ſanabunt mœſtus & abiectus habitus, inuiſibilẽ vero ſolus qui eſt ante ſecula curabit. Omnium ferarũ venenatarum ſenſibiliũ interemptor eſt ceruus, E intellectualiũ vero humilitas interfectrix eſt. Poſſumus ex naturalibus rebus cunctis intellectualia addiſcere. Sicut impoſſibile eſt vt ſerpens vetuſtatẽ ſuam exuat, niſi anguſtans cauernã prius ingrediatur: ita nos quoque anticipationes veteres & vetuſtatem animæ, veteríſque hominis niſi per anguſtã & arctam ieiunij & ignominiæ tranſeamus viam. Sicut impoſſibile eſt vt grauatæ nimis carnibus volucres in cœlum euolent, ita & qui carnem ſuam nutrit & fouet illuc aſcendere non poterit. Exiccatum lutum iam non porcis vſui eſſe vt ibi ſe volutẽt

poteſt,

potest, ita & caro per abstinentiam marcida effecta dæmonibus vltra non præbebit in se quiescendi locum. Sicut viridium lignorum multitudo, plerunq; suffocat & extinguit flammam fumúmque ingentẽ excitat, ita sæpe immodica tristitia fumo ac tenebris plenam animã efficit, lachrymarúmq; exiccat aquas. Vt sagittarius cæcus reprobus est, ita & discipulus contradicens perdetur. Sicut probatũ ferrum improbum acuere potest, ita fratrem lætus & alacer negligentiorem sæpe seruauit. Sicuti volucrum oua si foueantur in stercore viuificantur & in fœtũ erumpunt, ita & cogitationes nisi ex cordis abditis productæ manifestentur in opus prodeunt. Sicut currentes equi cursu inuicem certant, ita & optima quæq; societas se inuicem excitat. Sicut nubes solẽ abscondit, ita cogitationes malæ obtenebrant & perimunt mentem. Sicut is qui sententia contra se lata ad damnationem proficiscitur, nihil de spectaculis curat aut loquitur, ita ne ille quidem qui veraciter luget ventrem fouebit aliquando. Sicuti pauperes cum thesauros regios aspiciũt, suam paupertatem amplius agnoscunt: ita etiam magnificas patrũ virtutes relegens mẽtem suam omnino amplius humiliat. Sicut ferrũ etiam si nolit ad magnetẽ perfugit naturæ vi secretissima pertractum, ita & qui anticipationibus delictorum assueti in earũ habitum transierunt, violenter ab eis opprimuntur. Vt oleum mare inuitum etiam tranquillum facit, ita & ieiunium nolentia quoque & reluctantia incentiua corporis extinguit. Sicut aqua angustiis conclusa in altitudinem tumens erigitur, ita sæpe anima angustata periculis. Sicut is qui fert aromata etiam si nolit ex odore proditur, ita & qui Dei spiritum habet ex verbis suis atque humilitate propria agnoscitur. Vt venti perturbant abyssum, ita furor pluspuam reliqua exagitat mentẽ. Sicut quæ oculus non vidit, ea ex auditu solo quis non nimiũ gustare appetit, ita & virgines casti corpore ingens indeleuamen habẽt. Sicuti fures cum arma regis aliquo in loco posita viderint non illuc facile ascendunt, ita & qui cordi orationem cõiunxit, non fortuito ab intellectualibus latronibus violari poterit. Sicut ignis niuem ex se non gignit, ita & qui in hoc seculo honorem quærit nunquã cœlesti ac perenni honore potietur. Sicut vna sæpe fauilla ingentẽ syluam consumpsit, ita vnũ reperitur bonũ quod magnorum scelerum ingentem multitudinem delere possit. Sicut sine armis feras beluas perimere non possumus, ita nec sine humilitate iniascentiam acquirere. Sicuti per naturã viui absq; cibo nõ potest, ita & ei qui saluari cupit, ad mortem vsque vel ad breue momentũ negligere non licet. Vt solis radius domũ per foramen ingressus cuncta quæ in ea sunt illuminat, ita & timor domini si fuerit in anima, cũcta ei peccata sua etiã minutissima ostendit. Sicuti hi qui dicuntur cancri capi facillime possunt, eo quod aliquando ante aliquãdo retro gradiũtur, ita & anima nunc quidẽ ridens, nunc lugẽs, nunc vero delitiis affluens, profluere vnquã non poterit. Sicut qui somno grauantur facile furibus parẽt, ita & qui secus mundũ virtutes arripere gradiũtur, à prædonibus facile violabũtur. Sicut is qui aduersus leonẽ pugnat, si ab eo oculũ aliorsum deflectat confestim periit, ita & qui contra carnẽ suam pugnat, si hanc per quietem nimiũ fouerit. Sicut hi qui scalã putrẽ & fragilẽ ascendunt ruere periclitantur, ita honor omnis & potẽtia & gloria quæ humilitati aduersissima sunt omnẽ se habẽtem deiiciunt. Sicut impossibile est vt qui esurit non recordetur panis, ita fieri non potest, vt qui saluari cupit exitus sui extremiq; iudicij obliuiscatur. Quemadmodũ aqua delet literas, ita & lachrymæ abolere peccata solent. Sicut hi quibus non adest modus is, aliis literas delere solẽt, ita & animæ quibus desunt lachrymæ per mœrorẽ & gemitum summámq; tristitiã peccata delent atq; abscindunt. Sicut stercoris copia multitudinem gignit vermium, ita multitudo ciborum lapsuum & malarum cogitationũ atque somniorum operatur multitudinem. Sicut is qui cõpeditus est, ambulare nõ valet, ita & qui pecunias sibi thesaurizãt, in cœlũ ascendere non possunt. Sicut plaga recens facile curari potest, ita & diuturna animæ vulnera difficillima ad sanandũ sunt etiã si sanari vnquam possint. Sicut impossibile est mortuũ incedere, ita possibile non est eum qui desperauerit saluari. Qui fidem rectã seruant, nec à peccatis desistunt, hi vultui sine oculis assimilantur. Qui fidẽ non habet & bona quædã forte operatur, is ei similis est, qui haustam aquã in perforatum dolium immittit. Sicut nauis optimo gubernatore freta in portũ tutũ Deo auxiliãte ingreditur, ita & anima quæ pastori optimo innititur, facile in cœlũ conscendit, etiã si mala plurima gesserit. Sicut qui sine duce est, etiãsi prudentissimus sit, facile in via errabundus incedit, ita & qui suo arbitrio monasticã viam pergit, etiã si in omni mũdana sapientia fuerit instructus facillime perit. Cum quis post grauia scelera corporis mala valetudine impeditus fuerit, viã sanctæ humilitatis eiusque proprietatem securus incedat. Aliam enim salutis viã non inueniet. Sicut fieri non potest, vt is qui longissima valetudine laborauit, vno momento sanitatem acquirat, ita ne vitia quidem. Immo vitium aliquod protinus superari potest. Cuiusque virtutis ac vitij signũ quantitatis tibi denota, atque ita poteris nosse profectum tuum. Sicut hi qui luto aurũ commutãt, detrimentum omnino patiuntur, ita & qui pro corporalibus spiritualia sua in publicũ efferentes enunciant, summis afficiuntur incõmodis. Remissione quidẽ cito plurimi potiti sunt, beatã vero tranquillitatem, nemo repente possedit. Hanc enim vt acquirere possimus, tempore longo ac Dei adiutorio & singulari gratia nobis opus est. Solicite quæramus atque obseruemus, quæ nobis in semẽte, quæ in herba, quæ in messe, feræ volucres insidientur, vt laqueos illi, & pedicas conuenientes parare ac tendere possimus. Sicut iniustum simul est & indignissimũ vt is qui febrem patitur seipsum necet, ita minime conuenit, vt quis ante extremum spiritum aliquando desperet. Sicut turpe est atque inhonestum, vt patrem suum sepelierit, mox vt à funere surrexit, ad nuptias proficiscatur, ita eis quoque qui pro sceleribus lugent inconuenientissimũ est honorem atque gloriam in præsenti seculo ab hominibus quẽrere. Sicut alia est ciuium, alia rectorum habitatio, ita omnino immutatus & varius esse debet pro culpis lugentium, atque insontiũ status. Sicut eum militem, qui in prælio durissima in faciem vulnera susceperit, imperator militia nõ abdi-

cat,immo vero amplius in ea illum prouehit atque maximis honoribus cumulat,ita & monachum,qui pericula plurima à dæmonibus perpessus fuerit,cœleſtis Imperator glorioſiſsime coronat. Senſus animæ proprietas illius, eius autem senſus peccatum eſt collapſus. Senſus vero mali vel ſedationem vel immunitionem ex ſe gignit,ex qua rurſus conſciẽtia oritur. Conſcientia vero eſt ratio atque reprehẽſio cuſtodis noſtri, qui ex baptiſmi tẽpore aſsignatus eſt. Atque idcirco non vſque adeo inueniemus eos, qui adhuc in animo illuminati non ſunt, pro malis operibus percuti. Sed multo leuius atque clementius quam qui lumine accepto peccauerũt. Et diminutio quidẽ mali,mali abſtinentiam parit. Mali vero abſtinentia initium eſt pœnitentiæ. Porro pœnitentiæ initium,initium ſalutis eſt. Initium autẽ ſalutis,propoſitum eſt bonum. Ex bono autem propoſito gignitur laborum tolleratio, cuius item initium virtutes ſunt. Porro virtutum initium flos. Flos autem virtutis, initium bonæ actionis. Ex virtute aſſiduitas naſcitur. Aſſiduæ verò meditationes germen ac fructus eſt habitus. Ex eo item ea qualificatio oritur,quæ timoris eſt genitrix. Timor autẽ gignit mandatorum Dei obſeruantiam, mandatorum cuſtodia,charitatis argumentum eſt,charitatis vero initium,humilitatis eſt copia,copia autem humilitatis tranquillitatem parit. Eius vero poſſeſſio, plenitudo charitatis eſt,ſiue Dei perfecta habitatio in his qui beatam tranquillitatem habentes,mundi Matth.5. ſunt corde. Ipſi enim Deum videbunt,ipſi gloria in ſecula, Amen.

Cauta Legas.

De ſacra corporis & animæ quiete.

Gradus XXVII.

NOs quidem,cum ſimus veluti emptitij quidam ſerui atque immundiſſimis vitiis obnoxij, ex hoc ipſo dolos quoq; & mores & imperia etiã aſtutias eorum,qui infelici animæ noſtræ diu dominati ſunt,ſpirituũ vel tantiſper nouimus. Alij vero ſunt, qui per operationem ſancti Spiritus, & quod his iã liberati ſint,artes omnes illorum probe callent. Alius enim eſt,qui ex dolore infirmitatis quietem ſanitatis coniicit. Et alius qui ex ſanitatis gaudio, & requie morbi mœrorem cõiectura comprehendit. Itaque vt imbecilles trepidamus admodum de trãquilliſſimo quietis portu in hoc opere Philoſopharı,non ignorantes canem quendam ſancti conuentus menſæ ſemper aſſiſtere:panémq; ex ea videlicet animam diripere conari, quem cum ori ſuo apposuerit, iam inde curſu diſcedere atque illum ſecretius comedere. Quocirca ne cani huiuſmodi locũ demus,per noſtrum ſermonẽ, vtque occaſionẽ amputemus quærentibus occaſionẽ,nephas eſſe arbitrati ſumus his qui in ardore prælij ſumma animi virtute & conſtantia conſtituti ſunt, Imperatoris noſtri bellatoribus,modo de pace diſſerere. Id ſolũ dicimus quod hi qui fortiter pugnant,tranquillitatis etiam & pacis coronis donandi ſunt. Cæterum ne quem fortaſſe contriſtemus,ſi ſermonem de hoc indiſcuſſum relinquamus, pauca ſi placet, veluti ſub diſcretionis forma nũc loquamur. Eſt quidem corporis quies morum ac ſenſuum cognitio ac moderatio, quies autem animæ eſt cogitationum ſciẽtia atque furibus inuiolabilis intẽtio. Quietis amicus eſt fortis quidam & pertinax vigilque ſenſus sẽper in cordis ianuis excubans,cogitationésque accedentes aut necans aut remouens. Qui ſenſu cordis intimo quieſcit, quod diximus intelligit & recognoſcit. Qui vero adhuc infans eſt,hoc quia nõ guſtauit,ignorat. Quietis ſectator prudens verbis non indigebit,verba enim illuſtrãtur operibus. Initium quietis eſt ſtrepitus omnes vt qui fundum animæ perturbant,amouere. Finis vero tumultus non metuere, ſed inter eos ſine vllo eorũ ſenſu durare. Quietis amicus, qui progrediens nõ verbo progrediens eſt. Manſuetus eſt totius charitatis domiciliũ. Is difficile ad verba moueri & immobilis eſſe ad iracundiam ſolet. Quid autem huic contrarium ſit ſatis conſtat. Quietis eſt æmulus is qui incorporeæ ſubſtantiæ proprietatem in fragili corporis domo (quod eſt omnino mirabile) concludere nititur. Obſeruat quidem murem quæ hũc venatur beſtiola. Intellectualem vero dæmonem, quietis ſolitarij intentio. Non tibi vile vel reiiciendum hoc documentum. Sin vero alias nondum quid ſit quies, agnouiſti. Verus monachus profecto non ſic erit vt monachus alteri monacho adiunctus. Monachus enim ſumma opus habet vigilantia, & mente omni elatione vacua. Priori quidem ſæpe alter opem tulit,ſecũdo vero cooperatur Angelus. Intellectuales virtutes ſpiritualiter quietis ſectatori ſimul aſtant: atq; vnà miniſtrant & in eo veluti in iucũdo diuerſorio libentius inhabitant: Quid huic ſit contrariũ tacebo. Dogmatum ingens eſt & alta profunditas: mens autem ſolitarij nõ abſque periculo inſiliet in ea, Tutum non eſt cum veſte neque cũ Paſſione aliqua Theologiam attingere. Cella ſolitarij concluſio corporis eſt,intúsque habet domicilium ſcientiæ. Is qui animæ morbo laborans quietem ſolitudinis arripere nititur,ei ſimilis eſt qui ex naui in pelagus exiliens per tabulã ad terram peruenire quærit. Quicunque aduerſus carnem luctantur his ſuo tempore quies erit,ſi tamẽ ducem nacti fuerint. Ei enim qui ſolus hanc perſequitur, angelica virtute opus eſt. Eſt autẽ mihi ſermo de his qui reuera quietem & corpore & ſpiritu ſectantur. Solitarius negligens mendacia loquetur, & per ænigmata ſe à quiete deſtitiſſe hominibus perſuadere quæret. Cũ reliquerit cellam,dæmones culpat, latétque ſeipsũ miſer quod dæmõ effectus ſit. Vidi ego quietis ſtudioſos flagrantiſſimos ſuũ in Deum deſiderium inexplebiliter per huiuſmodi quietem impleuiſſe, & ignẽ igne,deſideriúmq; deſiderio genuiſſe. Solitarius eſt forma terreſtris Angeli, qui orationem ſuã charta deſiderij & ſolitudinis literis deſidia & torpore liberauit. Solitarius eſt qui reuera clamare poteſt: Paratũ cor meum Deus. Solitarius quietus ille eſt,qui ait:Ego dormio, & cor meũ vigilat. Claude ianuam cellulæ corpori & linguæ ianuã locutioni, interiorémque animi feneſtram ſpiritibus immundis. Serenitas quidem ac meridianus ſol nautæ patientiam arguit neceſſariorum vero indigẽtia quietis ſolitarij tolerantiã oſtẽdit. Ille quidem indignãs innatat vndis,hic autẽ acedia preſſus miſcetur multitudini. Ne timeas ſonituũ ludibria, luctus quippe formidinem neſcit,neq; illa agitatur. Quorũ mens veraciter orare didicit,hi deo facie ad faciẽ tanquã regi ad aurem loquuntur. Hi autem quorũ os orat, ei ſimiles ſunt qui regi corã omni ſenatu procidũt.

Qui

429

Qui autem in ſeculo morantur, hi in medio totius multitudinis plebis rege mobſecrant. Si artem perire didiciſti, quod diximus non ignorabis. In ſublimi quodam loco reſidens, teipſum obſerua, ſi tamẽ id facere noſti, & tunc perſpicies quomodo, quando, qua ex parte, quot, & qui fures irrumpere ac furari bottos veniant. Cum fatigata fuerit intentio, ſurgens orabit, & iterum reſidens vtiliter priorem operationem tolerabit. Volebat quidam hæc expertus de his ſubtiliter diligentérq; diſſerere, ſed timuit ne quando pietatis operarios negligentiores faceret, verborúmque ſtrepitu currentes atque alacres terreret. Qui de quiete ſubtiliter & diligenter & ſumma cum ſcientia diſſerit aduerſum ſe dæmones excitat. Nemo quippe alius horum turpitudines immiſericordiásque ac nocendi artes ita in apertum producere poteſt. Qui ſolitariam arripit quietem profundum myſteriorum nouit. Non autem in illud prius deſcendit, quàm fluctuum ventorúmque tumultus vel audierit vel viderit, vel eis etiam fortaſſe fuerit reſperſus. Confirmat autẽ hoc quod diximus, magnus Apoſtolus Paulus, qui niſi in paradiſum velut in quãdam ſecretiſſimam quietem raptus fuiſſet, nunquam profecto arcana verba audire potuiſſet. Quieta auris accipiet à Deo grandia. Idcirco & in Iob, quies hæc ſapientiſſima dicebat: Putas ne ſuſcipiet auris mea ab eo ingentia? Solitarius quietus eſt, qui ita omnes abſque odio fugit nolens intermiſſionem diuinæ dulcedinis pati, ſicut alius prompte & feſtinans accurreret. Perge bonáque tua celerius diſperge (vendere enim moram temporis habet) & da pauperibus monachis, vt tibi per orationum ſuffragia ad quietem ſolitariam cõcurrant, & tolle crucem tuam, eam per obedientiã baiulans, onúsque amputationis tuæ volũtatis fortiter tolerans, & tum veni ſequere me ad coniunctionẽ beatiſſimæ & placidiſſimæ quietis, & docebo te virtutum intellectualium viſibilem actionem præclarámque conuerſationem. Nunquam illi ſatiabuntur in ſecula ſeculorum laudare conditorẽ, neque is qui cœlum quietis fuerit ingreſſus, vnquã fatigabitur creatorem collaudare. Non erunt de materia ſoliciti, quibus eſt natura agilis, & omni materia libera, neque de alimento. Hi enim cum ex materia per naturam ſint, materiam tamen omnem exceſſerunt. Non alentur priores vllo cibo, neque indigebunt ſecundi poſſeſſione. Non erunt ſoliciti illi de pecuniis vel poſſeſſionibus, neque iſti de vexatione ſpirituum nequam. Non eſt cœleſtibus viſibilis vllius creaturæ deſiderium, neque in terrenis ineſt concupiſcentia vllius aſpectus, quem ſenſus attingat. Nunquam deſiſtent illi in charitate proficere, ne iſti quidem quotidie cum illis profectu iſto contendere. Non ſunt illis ignotæ profectuum diuitiæ, neque iſtis Aſcenſiónis amor incognitus. Nõ deſiſtent, quouſque ad ipſa Seraphin pertingant, neque vnquam fatigabuntur, quoad Angeli fiant. Beatus qui ſperat, ter totidem beatus qui id futurus eſt quod ſperat, Angelus cum id conſecutus fuerit quod ſperat.

A

B

C

D

E

2. Cor. 12.

Fructus ecclesiastæ.

De differentia quietis.

SVnt in omnibus diſciplinarũ ſtatibus, quod etiã omnibus manifeſtum eſt, ſententiarũ voluntatúmque differentiæ. Neq; enim ſunt omnia perfecta ob defectum ſtudij virtutísq; indigentiam. Sunt igitur qui per portum iſtum, immo vero pelagus, ſiue magis fortaſſe profundũ ingrediuntur, quod ad continendum atque ad frenandas anticipationes corporis imbecillioris ſint: alij quidem proni nimiũ ad iracundiam, cum ſint vt hanc cum multitudine degentes miſeri ſuperare nõ poſſint: alij rurſus ideo quod nutu magis proprio atque conſilio, quam aliorum ductu ex nimia elatione nauigare decreuerunt: alij quod in medio materię conſtituti, materia abſtinere non poſſint: nonnulli quidem vt ex ſecreto ſolitudinis ſtudioſiores fiant, alij vt ſecretius & liberius pro culpis ſeipſos conterentes verberent, quidam vt per hoc ſibi gloriam acquirãt: ſunt item alij (ſi tamen dum venerit filius hominis, huiuſmodi inueniet ſuper terram) qui ob delitias ac ſitim diuinæ charitatis & dulcedinis ſanctæ huic ſolitarię quieti coniuncti ſunt, qui tamen hoc non prius fẽcerunt, quam omnia acediæ libellum darent repudij. Eius.n. coniunctio priori illi comparata fornicatio exiſtimatur, ſecundum eam quæ mihi data eſt admodum tenuem ſcientiam, vt architectus parum ſapiens ſcalam aſcenſionis fabricatus ſum: videat autem vnuſquiſque quonam gradu conſiſtat, an vt nutu ſuo viuat, an vt hominum gloriam captet, an propter imbecillitatem linguæ ſiue ob iracundiæ incontinentiam, ſiue ne cui rei vitioſæ afficiatur, dũ opportunitas ſit: ſiue vt pœnas reatus ab ſe exigant, ſiue vt ſtudioſi fiant, ſiue vt diuinę charitatis ignem ſuauiſſimum acquirant. Erunt nouiſsimi primi, & primi nouiſſimi. Septem quippe ſunt hebdomadæ præſentis ſæculi, operationes quarum aliæ acceptabiles aliæ reprobæ ſunt. Octaua vero futurũ potius ſęculũ ſignificat. Cautius obſeruat ſolitarius monachus ferarum beluarũ horas, alioquin conueniẽtes laqueos tendere non poterit. Si iam perfecte diſceſſit cui repudium dem, labor iam neceſſarius non erit, ſin vero adhuc procacius incumbit, neſcio quo pacto quieſcere poſsim. Cur quæſo non tanta apud Tabeſionitas quãta apud Scythicam eremum fuere luminaria? Qui intelligit, intelligat, ego enim id dicere nequeo, immo vero nolo. Degunt in hoc profundo qui vitia imminuant. Item qui pſallendo plurimum in oratione perſeuerent: & qui contemplationi intentius vacent. Secundum propoſitum ſcalæ modum problema iſtud inquiratur. Qui capit, in Domino capiat. Sunt animæ quædam negligentes immorãtes in cœnobiis, quarum deſidiæ cũ materia facile ſuppeteret in perditione præcipitatæ ſunt. Sunt item qui negligentiã ſuam per aliorum contuberniũ & ſocietatem repulerunt. Quod non ſolum in negligentioribus, verum ſtudioſis quoque ac ſolicitis ſæpe factum eſt. Eadem regula etiam in ſolitudinis vtamur quiete dicentes, plurimos probabiles ſuſcipiens reprobauit, ideo quod in intu ſuo mallent viuere voluptatis eos eſſe ſtudioſos deprehendens atque arguens: Alios item ſuſcipiẽs ex metu & perpetua cura iudicij ac damnationis ſuæ ſolicitos ac feruentes fecit. Nullus qui vel furore vel elatione vel ſimulatione vel iniuriarum memoria perturbatur, ſolitariæ quietis veſtigium vnquam vel videre audeat, ne forte ſtuporẽ animi inde forte lucretur. Qui vero his perturbationibus mundus eſt, ipſe iam quod expedit, agnoſcet,

Qui charitatem ſectatur fugit acediã.

Vide num legendum ſit in nutu.

immo ne ipſe quidem vt reor, totum qui ratione ſolitariam arripiunt quietem, ſigna & ſtudia & argumenta iſta ſunt, mens tranquilla, nullísque agitata perturbationum fluctibus, caſtiſſima intentio, raptus ad Deum, preſens ſemper cruciatuum memoria, mortis properatio, infatigabilis ac inſatiabilis oratio, cuſtodia inuiolabilis, nullísque prædonibus patens fornicationis mortificatio, totius affectionis mortalis ignoratio, mũdi mors, gaſtrimargiæ faſtidium, Theologiæ materia, diſcretionis fons, promptæ lachrymæ ſemper atque in poteſtate: loquacitatis exterminatio & ſi quid huiuſmodi eſt quo ſibi contraria atque infeſta ſolet eſſe multitudo. Porro eorum qui ſine ratione hanc ſubeunt, iſta ſunt diuitiarum inopia, incrementum iracundiæ armarium memoriæ illatæ contumeliæ charitatis imminutio, faſtus ac ſuperbiæ aſſumptio. Sciens ac prudens tacebo reliqua. Quoniã vero ad id ſermo noſter proceſſit, neceſſe eſt vt his quoque qui ſub obedientia & ſubiectione viuunt hic loquamur, his enim mihi nunc maxime ſermo eſt. Eorum qui legitime & caſte atque incontaminate ornatiſſimæ huic & pulcherrimæ virtuti coniunguntur, iſta eſſe argumenta à ſanctis patribus diffinitum eſt, quæ ſuo quidem tempore perficiuntur, quotidie tamen extenduntur & adiectionem profectúmque ſuſcipiunt. Primitiuæ humilitatis incrementum, furoris inminutio, exinanito enim felle quid aliud fieri poteſt? Charitatis aſſumptio, vitiorum alienatio, odij liberatio, quod ex reprehẽſione fit, imminutio laſciuiæ, ignoratio acediæ, ſtudij accumulatio, miſericordiæ dilectio, ſuperbiæ peregrinatio. Virtus ſane omnibus optanda paucísque proueniens. Cum fonti aqua deeſt iam nõ proprie dicitur fons. Quid ſequatur intelligit qui mentem habet. Adoleſcẽtula quæ non ſeruauit Thorum corpus inquinauit, anima vero quæ non ſeruauit pactum, contaminauit ſpiritum, illam quidem ſequitur vituperatio, odium, verbera & quod omnibus miſerabilius eſt ſeperatio atque diuortium, hanc vero ſequuntur, inquinationes, obliuio mortis, inexplebilitas ventris, oculorũ incontinentia, inanis gloriæ operatio, ſomni inſatiabilitas, cordis duritia, inſenſibilitas, cogitationũ horreum, captiuitas cordis, turbationis operatio, inobedientia, contradictio, infidelitatis cor, nulla certa ſalutis fiducia, ſecurum multiloquium, vitioſa affectio, & quæ omnibus grauior eſt confidentia, quodque omnibus miſerabilius eſt, cor abſque vlla compunctionis gratia, cui ſuccedit in eos potiſſimum, qui non aduertunt, indolentia ſpirituum, ac mater lapſuum. Solitariæ quietis æmulos, quandoque ex octo ſpiritibus, ſubiectos vero tres præcipuæ oppugnant. Solitarius aduerſus acediam pugnans ſæpe iacturam facit, tempus enim orationis atque contemplationis, aduerſus hanc excogitãdo ac luctando conſumit. Cum aliquando in cella ſedens deſidia torperem, cellulámque ipſam fere cogitarẽ deſerere, aduenientes viri quidam, vt ſolitariũ ſummis attollebant laudibus, ac beatum prædicabant, citiúsque negligentiæ ſpiritus ab inani gloria fugatus abſceſſit. Admiratúsque ſum quomodo ſpiritibus omnibus tribulus iſte aduerſetur. Aſpice horis ſingulis coniugis & contubernalis tui motus atque obreptiones, momentáque & cõuerſiones quomodo & quorſum vergant. Qui per ſpiritum ſanctum tranquillitate acquiſiuit, ſolus non ignorat hãc ſpeculationem. Principale ſolitariæ quietis opus eſt, omnia negotia eius ſiue rationabilia ſint ſiue irrationabilia negligere. Nam qui aperuerit prioribus, in ſequentia etiam incidet. Impigra oratio ſecundum, & tertium operatio cordis furibus inuiolabilis. Poſſibile nõ eſt, vt qui literas nõ didicit, in libris ſe naturaliter exerceat, longe eſt impoſſibillus, vt qui prius illud adeptus non eſt, duo ſequentia rationabiliter arripiat. Cum medium illud arripuiſſem intermedius effectus ſum, ac ſitientem me illuminabat. Et ecce rurſus erat in illis. Quid quidem in eo erat ante viſibilem formam princeps docere non poterat, neque enim permittebatur. Quomodo autem nunc eſt, vt diceret, orabam. In propriis quidẽ, inquit, ſed nunc in iſtis. Et ego quænam inquam eſt dextra ſtatio, atque in autore ſedes. Impoſſibile eſt hæc aure perdiſcere. Ego autem quo me trahebat affectus, adhuc me inquam, ad tempus illud. Nondum ait venit hora, ob defectũ ignis incorruptionis. Iſta ſiue cum luto hoc neſcio, ſiue abſque eo dicere non poſſum. Difficile ac durum eſt æſtiuo maxime tempore excutere meridianum ſomnũ. Tunc enim & ſolum fortaſſe nequaquam reiiciendum eſt opus manuum. Noui acediæ ſpiritum præparare ac præire fornicationis ſpiritum ſolere, vt valide corpus reſoluens atque in ſomnum præcipitans velut per ſomniũ inquinationes quieſcentibus inducat: Si illis omnino reſiſtas fortiſſime, oppugnabunt te omnino acriter, vt quaſi nihil proficientem à certaminibus reuocent. Nullum certius argumẽtum eſt quo dæmones à nobis victi ſint, ſi nos acerrimè oppugnent. Cum procedis congregata cuſtodi. Solẽt enim aperta ianua incluſæ aues auolare, tunc vero nullũ quietis inueniemus emolumẽtum. Modicus pilus perturbat oculum, & modica cura demolitur quietem. Quies enim eſt depoſitio ſenſuum curarúmque rationabiliũ abnegatio. Is qui reuera quietem apprehendit, ne ipſius quidem carnis ſibi geret curam vllam. Neque enim mentitur qui ait. Qui mẽtem puram Deo cupit ſiſtere curísque agitatur, is ei ſimilis eſt, qui pedes ſuos fortiter vinciens celeriter incedere nititur. Rari quidem ſunt qui ſæcularem philoſophiam, ad ſummum eruditi ſunt, ego vero pauciores eſſe dico, qui veram quietis ſapientiam ſecundum Deum nouerunt. Qui Deum nondum nouit, quieti idoneus non eſt, plurimáq; pericula ſuſtinet. Quies imperitos ſuffocat, nam cũ dulcedinem Dei non guſtauerunt, in captiuationibus & furtis, & mœroribus, & fatigationibus animi tẽpus conſumũt. Qui pulchritudinem orationis attigerit, fugiet turbas vt onager. Quis enim niſi hic dimiſit onagrum liberũ ab omni cõſortio hominũ? Is qui paſsionem obſeſſus moratur in eremo, horũ exercitationi totus incumbit. Sicut & ſenex Sãctus Arſilaites Georgius, quem & charitas tua nõ ignorat, cum aliquando formaret, atque inſtrueret inutilem animã meã, & erudiret ad ſolitudinis quietẽ me, de huiuſmodi loquens edocuit. Notaui, inquit, mane vt plurimũ inanis gloriæ atque concupiſcentiæ ſpiritus ſolere aduenire, meridie vero acediæ & iracundiæ & triſtitiæ, veſpere autem infelices vẽtris ſtercorũ tyrannos. Melior eſt ſubditus pauper quã ſolitarius

Quã fructifera ſit ſolitudo iis qui per turbationibus carẽtes ipſam quærunt, quamque perturbatis noxia.

A ſuo exẽplo inſtitutũ probat.

Acedie ſpiritus quo cum reiiciãdus.

433

Ita maximè tentare soleant.

solitarius qui hic inde distrahitur. Qui ratione quietem arripit, neque ipsius lucra quotidie consi-
derat, is aut non ratione & secundum quod conue-
nit quiescit, aut elatione subripitur. Quies est per-
petuo atque intentissimo cultu Deo iugiter assiste-
re. Iesu memoria fac vt spiritui tuo vniatur, tunc-
Sententia notanda. que agnosces quæ sit quietis vtilitas. Lapsus quidē
subdito voluntas est propria, quieti vero solitarij
orationis intermissio. Si aduentu fratrum ad cellā
tuam gaudeas, scito seipsum acediæ vacare soli, nō
Deo. Exemplar orationis tibi sit vidua illa Euāge-
lica ab aduersario suo diutius afflicta, quietis vero
forma, magnus ille párque Angelis solitarius Arse-
nius. Memento qui in solitudine degis, Angeli hu-
ius solitarij institutum, atque intuere quomodo ad
se aduenientes ne id quod erat maius amitteret, in-
salutatos plerumque remiserit. Certum est dæmo-
nes persuadere his qui irrationabiliter circuire sunt
soliti, vt ad eos sæpius proficiscantur, qui studio-
sissime sectantur quietem, vt horū causa operarios
Dei vel parum impedire possint. Nota eos qui sunt
huiusmodi ô charissime, neque vites religiose &
pie contristare negligentes. Fortassis ex hac salubri
contristatione circuire desinēt. Caue enim ne præ-
dictæ intentionis occasione frustra, & sine causa
animam contristes, quæ forte prę sitis ardore hau-
rire abs te aquam venit. In omnibus vero lucerna
tibi opus est, vita quiescentium, immo vero mo-
nachorum secundum conscientiam ex intimo cor-
dis sensu fiat. Is qui rationabiliter currit, studia sua
ac locutiones & cogitationes & incessus & motus,
omnia secundum Deum fiunt studiosissime atque
ex affectu cordis coram Domino operatur. Quod
si adhuc subripitur, nondum secundum virtutem
operatur: Aperiam ait quidam in psalterio propo-
sitionem meam & consilium ob defectum hacte-
nus discretionis: Ego vero per orationem aperiam
voluntatem meam, atque inde certum aliquid au-
ditionis iudicium accipiam: Fides est orationis
penna, quam nisi habent rursus in sinum meum
reuertetur. Fides est animæ nihil hæsitans status
Virtus fidei quæra. adeo fixus, vt nulla aduersitate motus agitetur, fide-
lis est non qui Deum omnia posse arbitratur, sed
qui credit omnibúsque potietur. Fides est insperā-
tarum rerum indultrix, atque hoc latro ille felix
ostendit. Fidem genuit labor & rectum cor ex qui-
bus ille quidem nihil hæsitātem efficit, hoc autem
eiusdem est author. Quiescentium mater est firma
fides, nisi enim crediderit quis quomodo quie-
scere poterit? Qui compeditus in carcere est, tor-
quentis deterretur metu. Qui vero in cellula qui-
escit, timorem peperit Domini. Non ita prior il-
le quæstionem, vt secundus æternum iudicis iudi-
cium metuit. Summo tibi metu opus est charissime
in solitudine. Nihil enim persequi & fugere ace-
diam vt timor potest. Inspectabit assidue reus quā-
do iudex aduenial in carcerem, verus autem ope-
rarius quando vt exire vrgeat venturus sit. Alli-
Patientiæ afflictio. gatum est priori tristitiæ pondus, sequenti vero la-
chrymarum fons. Si patientiæ quæsieris baculum,
cito desistent canes impudice agere. Patientia est
infractus animi labor, nullis vel proximis ratione-
bilius fragoribus agitatur. Patientia est vexatio-
nis quotidie expectata diffinitio. Patiētia est occa-

A sionum amputatio: suaque sibi cuiusque solicita
vacatio. Non ita suo alimento vt patientia opera-
rius indiget. Si enim illud desit, coronam accipiet,
sin vero hic non adsit, pernitiem refert. Patiens an-
te monumentum mortuus est, sepulchrum enim
cellulam suam fecit. Patientiam spes & luctus pe-
perit, nam qui absque his duobus est, acediæ seruus
efficitur. Scire debet palæstrites Christi, quos ho-
stes animus persequi & quibus cominus congredi
expediat. Luctatio quippe aliquando coronas mi-
nistrauit aliquando vero luctæ declinatio impro-
bos fecit. Sed hoc verbis edocere possibile non est.
Neque enim eisdem omnes neque modo afficimur
B neque qualitas vna omnium est. Vnum spiritum
obserua vigilantius, nam ille & te infatigabiliter
oppugnat, in statu, in transitu, in sessione, in mo-
tu, in accubitu, in oratione, in somno. Plurimi ex
his qui in sanctæ quietis cursu assident eā semper in
se ipsis operationem continent, quam psalmista si-
gnauit. Prouidebam Dominum in aspectu meo Psalm.13.
semper. Neque enim omnes panes ex cœlesti triti-
co spiritualis alimenti eiusdem speciei sunt. Alij
in eo se exercent quod Dominus ait: In patientia Lucæ 21.
vestra possidebitis animas vestras. Alij in eo quod
rursus ait: Vigilate & orate. Alij iterum in eo quod Matt.28. prou.14.
scriptum est: Præpara in exitum tuum opera tua. Psal.114.
C Alij in eo quod dicitur: Humiliatus sum & salua-
uit me. Plerique id semper inspiciunt. Non sunt Rom. 8.
cōdignę passiones huius temporis ad futuram glo-
riam, quę in nobis reuelanda est. Quidam vero il-
lud. Ne quando rapiat vt leo animam meam, & nō Psalm. 7.
sit, qui eripiat intentissime cogitant. Omnes qui-
dem isti currunt, sed vnus accipit brauium. Ex his
sine labore, non solum vigilans, verum etiam dor-
miens is qui iam profecit operatur: Vnde nonnul-
li in ipsis quoque somnis accedentes ad se dæmo-
nes ignominiis, & contumeliis castigant impudi-
casque mulierculas de castitate admonent. Ne sis
in expectatione aduenientium solicitus, neque te
ad id antea præpares, simplex enim totus ac omni
D nexu liber est quietis status. Nulli qui turrim vel
cellam quietis ædificare velit, id ante conatur quā
sedens per orationem cōputet an habeat proprie-
tates perfectioni necessarias, ne forte postquam fū-
damenta iecerit, risum inimicis faciat operariis re-
liquis impedimentum. Inspice diligentius aduenī-
entem in te suauitatem: ne forte ab auaris medicis
immo vero insidiatorib⁹ subdole tibi præparata sit.
Noctu quidem plurimum orationi insiste psalmo- Quæ noctu agenda quæque interdiu.
diæ parum, die vero rursus pro tuis viribus te para-
re satage. Solet lectio nō mediocriter illum illumi-
nare atque colligere mentem, verba enim sunt san-
cti Spiritus, accedentésque ad se omnino dirigunt
E & moderantur. Sit tibi operanti lectio quę infor-
met actionem, nam si adsit operatio, superflua iam
erit lectio. Laboribus potius quàm libris salubrita-
tis verba intelligere satage. Noli antequàm virtute
spirituali præditus sis, eos libros legere qui menti
nocere possint. Nam cum verba reuera tenebrosa
sint, imbecillioribus tenebras obducunt. Vnus sæ-
pe calix, vini gustum dedit, vnusque sermo solita-
rij, his qui gustare possunt, omnem illius interiorē
actionem statim patefecit; Immotum animæ ocu-
lum aduersus elationē constanter tene, nihil quip-

pe aduersus spiritalia furta: hac pernicioſius inuenies. Cum proceſſeris parcito linguæ, plurimos enim labores hæc ſubito ſpargere & diſſipare nouit. In eo te ſtatu exerce, qui curioſitátem neſciat: Nihil enim ita quietē inquinare poteſt, vt curioſitas. His qui ad te veniunt neceſſaria, atque vtilia propone, corpori ſcilicet atque ſpiritui. Et ſi quidem illi ſapientiores ſint, ſilentio Philoſophiam noſtram indicemus, ſin autem fratres fuerint, eiuſdemq; nobiſcum ſtatus, moderate ianuam aperiamus. Præſtat tamen omnes ſuperiores nobis extimare. Cum vellem his qui iuniores adhuc erant corporis opus in collectis omnino interdicere, continuit me, qui arenam in pallio tota nocte ferebat. Sicut rationi dogmatis ſanctæ & increatæ, & adorandæ ſanctæ Trinitatis opponuntur, quæ de diſpenſatione carnis vnius ex tribus perſonis eiuſdem laudatiſſimæ Trinitatis legimus, illa enim quæ ibi pluralia, in hoc ſunt ſingularia, & quæ illic ſingularia hic pluralia ſunt, ita & alia ſolitudinis quieti, alia obediē-
Roma. 11. tiæ, alia ſubiectioni ſtudia conueniunt. Quis agnouit ſenſum Domini? Ait diuinus Apoſtolus. Ego autem dico, quis agnouit ſenſum hominis & corpore & ſpiritu quieti ſolitudinis dedit?

De Oratione virtutum matre, Gradus XXVIII.

Commendatio orationis.

ORatio in qualitate quidem ſua coniunctio atque vnitio eſt, hominis videlicet & Dei, ſecūdum actionem vero conſtantia mūdi, ornatus collectio, reconciliatio Dei, lachrymarum mater, earumque item filia, peccatorum propitiatio, tentationum pons, tribulationum interpoſitus paries, bellorum confractio, Angelorum opus, incorporearum omnium virtutum cibus, futura lætitia, infinita operatio, virtutum fons, gratiarum miniſtra, profectus inuiſibilis, nutrimentum animæ, mentis illuminatio, deſperationis amputatio, ſpei & fidei demonſtratio, triſtitiæ ſolutio, monachorum diuitiæ, ſolitariorum Theſaurus, iræ minutio, ſpeculū profectus menſurarum indicium, ſtatus inſinuatio, futurorum reuelatio, clementiæ ſignificatio. Oratio eis qui rectè orant, curia & iudicium & tribu-
Imitatio ad orationem per proſopopeiam. Matt. 11. nal Domini ante futurum tribunal eſt. Exurgentes audiamus ſacram hanc virtutum reginam excelſa ad nos voce clamantem ac dicentem. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis & ego vos reficiam. Tollite iugum meum ſuper vos, & inuenietis requiem animabus veſtris, plagisque veſtris medicinam. Iugum enim meum ſuaue eſt, & peccata ſanat maxima. Quicunque regi noſtro aſſiſtere & colloqui proficiſcimur, non imparati curſum hunc faciamus, ne forte nos abſque armis & ſtola regio digna conſpectui à longe nos cōſpiciens, miniſtris & famulis iubeat vt vinctos nos longe à facie ſua in exilium mittant, negligentéſque & interruptas orationes noſtras in faciem nobis exprobrent. Cum
Præparatio ad orationem. vultui Domini aſtare proficiſceris, ſit tibi tunica animæ filo omnificatiæ. i. obliuionis iniuriarū omnino cōſuta. Alioquin nihil ex oratione ipſa lucraberis. Sit tibi totus orationis textus vnus, neque vlla varietate maculatus, vno enim verbo & publicanus ille ex Euāgelio, & prodigus filius Deum ſibi reconciliauerunt. Vnus quidem eſt orantium ſtatus, ſed is ingentem ſane varietatem ac differentiā poſſidet. Alij nanque vt amicos & Domino illi familiarius aſſiſtunt pro aliorum iam non pro ſuo adiutorio vel preces illi vel laudes offerentes, alij diuitias & gloriam & confidētiam ampliorem ſibi dari quærunt, alij ab aduerſario ſuo omnino liberari expoſcunt, nonnulli vt dignitatem aliquam accipiant precantur, quidem vero perfectam debiti ſecuritatem, alij cuſtodiæ liberationem, alij criminū ſolutionem conſequi exoptant. Ante omnia, in orationis noſtræ chirographo gratiarum actionem ſynceram ſtatuamus, in ſecundo autem verſu confeſſionem & contritionem animi ex intimo affectu prodeuntem, atque ita demum regi noſtro poſtulationem indicemus noſtram. Optimus hic quem prædixi orationis modus eſt, ſicut cuidam ex fratribus ab Angelo Dei demonſtratum eſt. Si vnquam viſibili iudici obnoxius fuiſti, non tibi alia forma iam opus erit, quā imitari debeas dū orationi inſiſtis. Quod ſi neque ipſe reus extitiſti neq; alios examinari perſpexiſti, vel ex infirmorū precibus, quas medicis dum ſecandi vel vrendi ſunt fundūt huiuſmodi aliquid addiſce. Noli verbis excultioribus in oratione tua vti. Sæpe enim infantium ſimplicia & pura & balbutientia verba Patrem ſuum qui eſt in cœlis placauerunt. Noli conari multum loqui, ne mens tua ad inquiſitionem verborum diſtendatur. Vnius publicani ſermo placauit Deum, vnúmque fidele verbum ſaluauit latronem. Multum in oratione loqui, mentem ſæpe imaginibus illuſit, intētionem diſſoluit. Parum autem aut vnum etiā verbum in oratione loqui, colligere mentem conſueuit. Cum in orationis verbo vel dulcedine perfundi vel cōpungi te ſentis in ipſo perſiſte. Tunc quippe cuſtos noſter nobiſcum orat. Non confidere quantumlibet munditia polleas, ſed ſumma potius humilitate ad orationem attende, tūcque ampliorem confidentiam accipias, ſi totam virtutum ſcalam aſcendiſti, tamen propter remiſſionem peccatorum ora, audiens de peccatoribus clamantem Paulum. Quorum primus ſum ego. Condire obſonia oleum ſolet & ſal, orationem verò in ſublime leuare pudicitia & lachrymæ. Si omnem manſuetudinem & iræ vacuitatem indueris nihil tu laborabis vt eruas de captiuitate mentem tuam. Quouſque orationem fixam certámque non poſſidemus: his qui infantes ad incedendum initio exercent ſimiles ſumus. Contende vt ad ſuperna feras, immo vero vt recludas intelligentiam in orationis verbis. Quod ſi debilitata per infantiam ceciderit, rurſus illā reducere cura, eſt quippe proprium mentis inſtabilitas, Dei vero proprium ſiſtere omnia poſſe. Si infatigabiliter certes, aduenier in te penitus qui mentis mari terminum per gyrum poſuit, dicet illi: huc vſque venies & non tranſgredieris. Poſſibile non eſt ſpiritum ligare, ſed vbi conditor ſpirituum eſt omnino obtemperant. Si ſolem vnquam, ſicut oportet conſpexiſti, poteris illi quoque decenter colloqui, ſin autem: quem non vidiſti veraciter interpellare poteris. Orationis quidē initium, eſt luctus in animo aduenientes ſolo & tacito mentis imperio ex ipſis initiis fugare, nedum vero cum in his quæ dicuntur vel cogitantur mēs tota eſt, finis autē raptus

437

Quod fi- nit.

raptus ad Deū. Alia lætitia eſt, quæ in oratione contingit in cōgregatione degentibus, & alia quę in ſolitudine orantibus prouenit. Illa nanque fortaſſe modicis fantaſiis luditur, hæc autem in humilitate tota plena eſt. Si te ſemper exerceas, vt mens tua nunquam longius euagetur, etiam in ipſa menſæ oppoſitione, prope te erit, ſin autem effrœnis libere vagari patieris, nunquam tecum permanere poterit. Magnus quidam magnæ & perfectæ orationis operarius, volo ait, magis verba menti meæ dicere & reliqua. Sed hoc à pueris & iunioribus alienum eſt. Idcirco & nos cum qualitate & quātitatis multitudine, vt imperfecti obſecramus, per hoc enim B poſtremum ad primum illud peruenitur. Qui dat inquit, orationem mundam impigre oranti: & ſordide, & cum labore. Aliud eſt orationis ſordes, aliud exterminatio, aliud furtum, & aliud macula. Sordes eſt Deo aſſiſtere & iniquum cogitationes in animo verſare. Exterminatio eſt ad curas inutiles captiuum pertrahi. Furtum eſt dum latenter & ſine noſtro ſenſu mens aliquo ſtrepitu agitatur intrinſecus. Macula eſt qualiſcunque impetus tunc nobis appropians. Quoties ſoli eo tempore nō ſumus quo ad orationē aſſiſtimus, formemus intrinſecus orationis impetum, ſin vero non adſunt laudum miniſtri, etiam exteriorem habitum ad preces C componamus. Nā in his qui hactenus ſunt imperfecti mens corpori ſæpe configuratur. Omnes quidem, ſed hi longe amplius, qui debiti remiſſionem accipere à rege cupiunt, ingenti contritione indigent. Si in carcere ſumus adhuc, audiamus dicentem Petro. Accingere obedientiæ linteo & excalciate voluntates tuas, atque his nudus & liber accede ad Dominum in oratione tua, ſolius eius voluntatem implorans, tunc ſuſcipies Dominum animæ tuæ tenentem gubernacula, eáque tuto regentem. Surgens ab amore ſeculi & voluptatum labe, proiice curas, exue intelligentias, abnega corpus. Nihil enim eſt aliud oratio niſi mundi viſibilis & inuiſibilis alienatio. Quid eſt mihi in cœlo? Nihil niſi ſemper tibi in oratione abſque vlla diſtractione adhærere. Nonnullis quidē opes in deſiderio ſint aliis gloria, quibuſdam mortalium quarumlibet rerum acquiſitio, mihi adhærere Deo bonum eſt, atque deſiderabile & ponere in eo ſpem tranquillitatis meæ. Fides orationis eſt penna, qua ſine in cœlū euolare non poteſt. Quicunque perturbationibus variis obnoxij ſumus, oremus inſtanter Dominum. Omnes enim qui eiuſmodi fuerunt, ex perturbationum tempeſtate in beatam tranquillitatem profecerunt. Et ſi non Deum vt Deum metuit iudex, tamen quia ſibi moleſta ſit anima quæ per peccatū & ruinam viduata fuerat, faciet vltionem eius ex E aduerſario illius corpore ſuiſque inimicis ſpiritib⁹. Gratos quidem clemens negociator noſter per celerem poſtulationis effectum ad dilectionem ſuam pertrahit, ingratas vero canum animas per eſuriem petitioniſque ſitim, ſibi aſſidere per orationem ſtudium hortatur. Ingratus enim canis cum panem tulerit, ab eo qui ſtatim dedit abſcedit. Noli cum in oratione perduras, dicere. Nihil profeci. Iam enim ſatis profeciſti. Quid enim ſublimius eſſe poſſit quàm adhærere Domino, atque in hac cum illo iugiter perſeuerare? Non ſic is qui condemnatus eſt, pœnæ ſuæ ſententiam metuit vt qui orationis curam ſolertius habet cū ad illam aſſiſtit, trepidat. Quocirca qui ſapiens & acutus eſt, ex hac memoria maledictum omne & iracundiam & curam & occupationem & vexationem & ſaturitatem & tētationem, & cogitationem auerſari poteſt & fugere. Præpara te ante per ſempiternam animę orationem ad aſſiſtendum precibus tuis, & cito proficies. Vidi quoſdam obedientiæ virtute fulgentes deíque memoriam pro viribus non negligētes prōpte ad orationis ſtudium occurrere, mētémque ſuā cito colligere, lachrymáſque fortium in morē profundere. Erant enim præparati per ſanctam obedientiam. Pſalmodiam quidem cum multitudine, captiuationes & mentis cogitationes ſequūtur, ſolitariam vero non ita, ſed hanc quidem acedia oppugnat, illam vero alacritas adiuuat. Charitatem quidem militis ad imperatorem ſuum indicat bellum, monachi vero charitas ad Deū maxime quo tempore aſtat orationi deprehenditur. Statum tuū oratio tua manifeſtat tibi. Hanc enim monachi eſſe ſpeculum, tradunt Theologi rectiſſime. Qui quodlibet opus incipit & orationis tempore aduenientе adhuc in illo moratur, à dæmonibus illuditur. Intētio nāque furibus eſt horā per horā à nobis furari. Cū vt pro anima aliqua ores poſtularis, noli deuitare, & ſi virtutem orationis non poſſideas. Fides enim petentis etiam cum cōtritione oranti ſæpe cauſa ſalutis fuit. Noli extolli cum pro alio oras ſi exaudiaris. Illius namque fides operata eſt atque præualuit. Solent pueri id quod à magiſtro didicerunt ab eodem diebus ſingulis exigi, ita & mēs omnis eam quam à Deo accepit virtutem in omni oratione iuſte exigitur. Quocirca attendendum ſolicite eſt, cum vigilantius orare cœperis, citius in iracundiam oppugnaberis. Hoc enim ſubtrahere vel ſuggerere moliuntur inimici noſtri vt priuemur orationis fructu. Ad omnem quidem virtutem precipuè tamen orationem ſummo cordis ſenſu & D affectu ſemper exercere debemus. Tunc vero anima ſibi orat, cum iracundia ſuperior euaſerit. Ea quæ plurimis temporibus precibus ac lachrymis acquiruntur, ſolida ſunt atque durabilia. Qui Deū poſſederit, non iam ſibiipſi in oratione intentionem dictabit. Tunc enim ſpiritus pro eo interpellat gemitibus ineffabilibus. Omnem ſenſibilem phanta- Rom. 8.
ſiam noli in oratione ſuſcipere, ne forte ſtuporem atque amētiā incurras. Omnis petitio noſtra quod ſuſcepta fuerit, certum iudicium maxime in oratione percipimus. Porro ad iudicium ambiguitatis liberatio eſt incertæq; rei digniſſima certiſſimáque atque immobilis informatio. Miſericors eſto vehementer ſi oratio reuera tibi cordi eſt. In ipſa enim centuplum accipient monachi, & quod ſequitur in futuro. Ignis quidem aduenіens in cor orationem excitauit, ea vero excitata atque in cœlum aſſumpta, ignis in cœnaculum animæ deſcēdit. Aiunt quidam meliorem eſſe orationem quàm memoriā mortis, ego vnius ſubſtantiæ duas eſſentias collaudo. Equus probatus quanto vltra progreditur, feruere magis & curſui adiicere ſolet. Curſum, hymnorum cantum intelligo, equum vero virilem animum, huiuſmodi vero de longe odoratur bellum & præparatus iam ad omnia inſuperabilis per-

Quæ vitia inter orā- dum contingunt.

Quomodo fugan- da ſupetiora vitia inter orandū

manet. Dirum est aquam ex sitientis ore diripere, sed longe est dirius animam summo affectu cõpunctionis orantem priusquam perfecte consummetur oratio seipsum priuare iucundissimo isto nimiúmque desiderabili statu. Noli ab oratione desilire quoad videas ignem & aquam diuina dispensatione cessauisse, neque enim huiusmodi tẽpus remissioni peccatorum fortassis vltra in omni vita tua inuenies. Qui orationis gustum cœpit, vno sæpe verbo incautius emisso inquinauit mentem, atque in oratione assistens quem cupiebat nequaquam vt solebat, Aliud est crebrius corde speculari, aliud ipsũ cor inspectare, mentis officio principiis in mortem rationabiles hostias Christo offerentis. Nonnullos quidem, vt ait appellatus à Theologiæ cognomine, sanctus atque cœlestis ignis aduenies comburit, eo quod adhuc satis purgati non sunt, alios rursus per mansuram perfectionis illuminat. Idem enim & ignis consumens & lux illuminans dicitur. Vnde & quidam ab oratione exeũtes veluti ex fornace ignis egrediuntur, sordis cuiusdam ac materiæ leuamen sentientes, alij vero veluti à luce illustrati atque duplici humilitatis amicti veste, inde procedunt. Qui vero absque his duobus effectibus ab oratione exeunt, corpore non spiritu, iudaicè dixerim, orant. Si corpus per tactum appropinquãs corpori immutatur actione, quomodo non immutabitur qui Dei corpori manibus innocẽtibus propinquatur? Possumus ad terreni regis similitudinẽ nostrum quoque cœlestem & clementissimum regem aliquando per nosipsos inspicere, aliquando per amicos, aliquando per seruos, nonnunquam etiam incognito modo militibus suis donatiua largientem: iam vero etiam qualitate tunicæ eius, in nobis humilitatis. Quemadmodum terreno regi execrabilis est is qui illi astat, & Domini sui inimicos alloquitur ita eum quoque Dominus abominatur, qui in oratione existens immundas cogitationes recipit. Accedentem canem armis insequere, & si impudentius latret, non ei cedas. Pete per luctum & per obedientiam quære, pulsa per longanimitatem. Nam qui sic quærit, inuenit, & sic pulsanti aperietur. Obserua cautius vt non temere ac indifferenter pro fœmina in oratione tua ores, ne à dextris fortasse te prædator inuadat. Noli corporis act⁹, vt sunt, distincte ac per partes in oratione Deo confiteri, ne tibi ipsi insidiator fias. Noli illud orationi tempus deputare, dum tibi curis necessariis siue spiritualibus negotiis instandum est. Alioquin id quod præstãtius est, tibi fur ille versutus eripuit. Qui baculum orationis iugiter tenet, nõ offendet, sed si offendere eum contigerit non penitus cadet. Quippe oratio pie Deo vim infert. Eius vtilitatem ex his quæ sinaxis tempore contingunt dæmonum impedimentis colligere possumus. Eius & fructum ex inimici profligatione cognoscimus. In hoc enim cognoui, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Belli tempore clamaui inquit Psal. In toto corde meo videlicet corde & animo & spiritu. Vbi enim sunt duo postremi congregati, illic Deus est in medio eorum. Neque corporalia neque spiritualia omnia omnibus eodẽ modo insunt. Quibusdam enim celerius, quibusdam vero morosius psallere profuit: Dum hi aduersus captiuationem, illi aduersus imperitiam pugnare se dicunt. Si contra inimicos tuos regem iugiter interpellaueris, cum ad te accedunt, confide, non laborabis. Ipsi sua sponte abs te discedent. Neque enim impuri & contaminati spiritus patiuntur inspicere, dum coronam ex illorum impugnatione per orationem susceperis. Præterea velut ab orationis igne verberati diffugient. Fortissimo semper sis animo, deúmque magistrum habebis orationis tuæ. Non possumus verbis discere, aspicere Naturam enim id sequitur. Neque orationis pulchritudinem per alterius doctrinã addiscere poterimus. Ipsa enim in seipsa Deum habet magistrum, qui docet hominem scientiam, dátque orationem orãti & benedicit iustorum animas, Amen.

Orationis effectus.

1. Cor. 12.

Oratio munda. Luc. 11.

Orare pro fœmina.

Psal. 40.

Psal. 118.

Matt. 18.

De beata tranquillitate animæ.

Gradus. XXIX.

ECce nos quoque qui in profundissimo ignorãtiæ lacu tenebrosisque perturbationib⁹ & vmbra mortis huius corporis constituti sumus, summa improbitate & audacia de terrestri cœlo Philosophari incipimus. Habet firmamentum, habet stellarum pulchritudinem, beata vero trãquillitas virtutum ornamentum. Nihil enim aliud eiusmodi tranquillitatẽ esse ego reor, nisi mentis intimũ cœlum, versutias dæmonum ludibria iam extimans. Ille igitur proprie tranquillus est & intelligitur, qui carnem quidem omni corruptionis labe purgauit. Mentem vero supra creaturam omnem eleuãs omnes illi subiicit sensus, atque vultui Domini animã sistens supra virium suarum modum in illum se sẽper extendit. Quidam rursus beatam hanc trãquillitatem esse diffiniunt, animæ resurrectionem ante resurrectionem corporis. Alij perfectã cognitionẽ Dei ab Angelis secundam esse aiunt. Hæc itaque perfectorũ perfecta & infinita perfectio, sicut mihi quidam qui illius gustum ceperat aperuit, ita sãctificat atque à terrenis omnibus rapit, vt plurimã iam carnalis vitæ partem postquam hunc cœlestẽ portum occupauerit, veluti in cœlo per excessum mẽtis ad speculationem attollat. De quo is qui bene fuerat expertus quodam in loco ait. Quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt. Hominẽ fuisse Ægyptium illum nouimus, qui quotiens cũ aliquibus orabat, manus suas diutius in oratione extensas non dimittebat. Est inter huiusmodi beatos alius alio tranquillior. Alius enim fortiter aduersatur atque odit iniquitatem, alius inexpleb iliter virtutibus ditatur. Etiam & castitas tranquillitas dicitur, & merito sane. Principium est enim cõmunis resurrectionis atque corruptibilium incorruptionis. Tranquillitatem ostendit qui ait: Sensum Domini possideo: Hanc item insinuauit Ægyptius qui se ait non timere Dominum. Eam itẽ ille ostendit, qui vt ad se perturbationes & tentamenta redirent orauit. Quis ante futuram claritatem, ita vt Syrus iste sacra hac trãquillitate dignus habitus est. Nempe celeberrimus inter prophetas Dauid: Remitte mihi, inquit ad Dominum, vt refrigerer, hic autem Dei athleta, remitte ait, fluent gratiæ tuæ. Tranquillitatem habet anima, quæ ita in virtutum qualitatem atque habitum sicut vitiosi in voluptatem traducta est. Si hic finis est gastrimargiæ se ipsum etiam non appetentem auidè ad cibum

Tranquil. lus quis sit.

1. Cor. 7.

Psal. 96.

441

Vera gastrimargia.

cibum impellere: hic profecto finis erit continentiæ etiam esurientem se continere, natura iam libera atque nulli rei penitus obnoxia. Si hic finis est libidinis, in ipsa muta animalia réſq; inanimatas insanire, iste profecto castitatis finis erit, in omnibus veluti ea sint sine anima, sensus innocuos seruare. Si finis iste auaritiæ est nũquam congregare desinere vel satiari, hoc profecto finis nuditatis erit, neque proprio corpori parcere. Si is acediæ finis est quantalibet requie carere impatiẽtia agitari, hic erit patientiæ finis, vt quamuis in tribulatione quis sit, requiem tamen se habere arbitretur. Si hoc est inanis gloriæ etiam culmen, cum nullus adsit, qui laudare possit, tingere simulationis opera, hæc profecto cõtrariæ rei species erit, si nunquã, etiam in conspectu laudantium, nostra intentio ab inani gloria surripiatur. Si est iracundiæ pelagus nemine præsente irritari atque efferari, sane istud erit longanimitatis profundum siue sit præsens, siue absens, qui maledictis insequitur eadem animi trãquillitate durare. Si hæc species perditionis vel superbiæ est, in vili atque humili habitu extolli, istud certe saluberrimæ humilitatis argumentum, in excelsis conatibus & recte factis humilem tenere mentem. Si hoc perfectæ viciositatis argumentũ est, omnibus quæ dæmones inferunt protinus cedere: hoc reor beatissimæ tranquillitatis indiciũ, posse efficaciter dicere. Declinantem à me malignum non cognoscebam, neque quo modo aduenit, neque cuius rei gratia, neq; quomodo abscessit, sed omnino ad huiusmodi insensibilis sum. Qui totus hoc statu dignus habitus fuerit adhuc in carne degens, ipsum in se habitãtem Deum in omnibus verbis & operibus & cogitationibus ducem & gubernatorem habet vnde & quasi diuinæ voluntatis addito vocem quandam per illuminationem interius percipit: atque humana omni doctrina celsior factus, dicit: Quando veniam & apparebo ante faciẽ Domini? Neq; enim iam fero desiderij vim atque efficaciã, sed quæro quam dedisti mihi ante carnis huius lutum immortalem pulchritudinem. Qui eiusmodi est (ne multa dicam) viuit quidem iam nõ ipse viuit autem in eo Christus, vt ait qui bonum certamẽ certauerat cursumque consummauerat & fidem seruauerat. Non cõstat ex vno precioso lapide diadema regni, neque consummat ista beata tranquillitas si vel vnam aliquam virtutem negligamus. Trãquillitatem intelliges tu quidem cœlestis regis in cœlis regiam, multas vero mãsiones eas quæ sunt intra ciuitatẽ istam habitationes. Porro cœlestis huius Ierusalem murum, peccatorum remissionẽ intellige. Curramus fratres curramus rogo quatenus ingressu thalami regiæ aulæ potiri mereamur. Quod si ex aliquo vel onere vel anticipatione vel tempore ob calamitatem non ferendã præoccupati fuerimus, vel mansionem aliquam circa thalamum ipsum occupare studeamus. Sin vero adhuc tepescimus & remissi sumus, vel intra mœnia ipsa modis omnibus inueniri curemus. Nam qui ante finem vitæ in ea non fuerit ingressus, imo vero illa etiam transcenderit, insolitudine dæmonum & vitiorum commorabitur. Idcirco etiam quidam orabat dicens: In Deo meo transgrediar murum. Et alius quasi ex persona Dei ait. Nonne peccata vestra sunt quæ separãt inter me & vos? Perfigamus, ô amici medium sepis parietem, quem male per obedientiam ædificauimus. Accipiamus hinc debiti solutionem, eo quod in inferno desit qui sanare vel debita dimittere possit. Videamus ergo fratres & festinemus, ad hoc enim in militiam cœlestis imperatoris ascripti sumus, quicũque enim per regenerationis lauacrum Dominum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri dicẽs. Vacate & videte & agnoscite, quoniam ego sum Deus tranquillitásque & à vitiis redemptio. Ipsi gloria in secula seculorum, Amen. Suscitat quidem à terra mentem inopem, atque à stercore vitiorum erigit pauperem. Beata tranquillitas, quæ videlicet liberatio à vitiis cordisque munditia est, laudatissima vero sempérque veneranda charitas collocat cum principibus populi Domini, & sedere facit cum spiritibus angelicis.

Gal. 2. 2. Tim. 4. Ioan. 1. Psal. 45. Psal. 112.

De vinculo fidei, & charitatis.

Gradus XXX.

NVnc itaque post prædicta omnia manẽt Fides Spes, Charitas, tria hæc quibus reliqua omnia coniunguntur atque arctissimè colligata continentur, maior autem ex his, charitas est. Deus enim rite appellatur. Equidem harum virtutum primam radium, secũdum lucem, tertiam circulum intelligo. Ex quibus omnibus vnus splendor atque vna claritas efficitur. Denique prima facere omnia & condere potest, sequens Dei misericordiam circuit & cõfusam facit, tertia vero nunquam excidit, neque vnquam currere desistit, neque eum qui à beata insania vulneratus fuerit, vltra quiescere sinit. Qui de charitate loqui instituit, de perfecto loqui nititur. Enimuero de Deo verba facere & anceps simul & periculosum est, his qui parum caute quid moliantur aduertunt. Sermo de charitate solis Angelis notus est, atque illis ipsis per efficaciã illuminationis est cognitus. Charitas Deus est, eius vero finem qui loqui instituit, cæcus cum sit, in abysso metiri arenam cupit. Charitas quidem secundum qualitatem similitudo Dei est; quãtum in hominibus fieri potest, secundum efficaciam autem ebrietas est animæ: secũdum proprietatem vero, fons est fidei, longanimitatis abyssus: altissimúmque humilitatis pelagus. Charitas denique, perfecta est cuiusque aduersæ prauæq; intensionis cogitationísque depositio. Charitas.n. non cogitat malũ. Charitas & tranquillitas & filiorũ adoptio solis nominibus distincta sunt. Sicut enim lumen ignis, & flãma in vnam actionem conueniũt, ita de his quoque intelligendum est. Pro defectus illustrationísque mensura timor inest animæ. Nã qui sine timore est, aut charitate plenus, aut in anima mortuus est. Ex perfecta tamen charitate verus & sanctus timor Domini nascitur, ex quo rursus Dei amor proficiscitur. Nihil absurdum vel iniquum facere videbimur, si ab humanis reb°, desiderij, & timoris & studij & zeli seruitutisq; & amoris Dei exempla ceperimus. Beatus qui tali in Deum feruet amore quali turpis atque vesanus amator in eam mulierem quam diligit flagrat. Beati qui sic Dominum timent, sicut rei & morte mulctãdi iudicem ac tortorem metuũt. Beatus qui ita vera solicitudine solicitus erga Deum est, vt prudentes serui erga Dominũ suum. Beatus qui in eo zelo virtutibus inuigilat, quo zelotypi

1. Cor. 13.

erga vxores ſuas. Beatus qui ſic in oratione Domina aſſiſtit, quemadmodum miniſtri qui regi aſtant. Beatus qui ita Dominũ vt homines iugiter placare atque obſequio tueri contendit. Non ita mater lactenti puero, vt charitatis Filius Domino, adhęrere ſemper conſueuit. Is qui veraciter amat, eius quem amat ſemper ſibi proponit faciẽ, eamq; intus ſumma cum voluptate complectitur. Nempe qui eiuſmodi eſt, nõ iam vel in ſomnis poteſt quieſcere, ſed tũc quoque eum quem deſiderat videt, atque cum illo vnà immoratur. Sicut in corporalib⁹, ſic in corporeis rebus fieri ſolet. Hoc iaculo quidam vulneratus dicebat de ſeipſo, id quod admiror equidem. Ego dormio propter neceſſitatem & cor meum vigilat per amoris magnitudinem. Id in ſignum tibi erat, ô virorum optime, quod cum interierint feræ beluæ à ceruo anima tunc maxime concupiſcit & deficit ad Dominum charitatis igne velut quodam ſpiculo percuſſa. Famis quidem efficacia & cauſa incerta ſimul & obſcura eſt, ſitis vero aperta atque manifeſta ardorémque ſolis omnibus manifeſtat. Quocirca & is qui Deum cupiebat aiebat. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Si facies eius quem diligimus veriſſime nos totos immutat ſerenóſque & lætos ac ſine mœrore efficit, quid actura eſt Domini facies inuiſibiliter in animam ab omni labe mundatam aduenientis. Timor quidem quotiẽs ex intimo cordis prodierit affectu, liquefacere atque conſumere ſordes conſueuit. Confige enim inquit, à timore tuo carnes meas. Sed & charitas nonnullos quidem vaſtare ſolita eſt & conſumere, ſecundum eum qui dixit: Vulneraſti cor meũ, quoſdam vero etiam exultare facit ac totos irradiat. In ipſo enim ait, ſperauit cor meum & adiutus ſum, & refloruit caro mea, & geſtiente corpore vireſcit facies. Cum vero iam totus homo diuinæ charitati fuerit vnitus, atque fere, vt ita dixerim, commixtus: tunc etiam exterius in corpore veluti per ſpeculum quoddam claritatem ſerenitatémque animæ oſtendet: Eam gloriam cõſecutus eſt Moſes ille Dei ſpeculator. Atque hi, qui huiuſmodi æqualem angelis gradũ adepti ſunt, ſæpe cibi corporalis obliuiſcuntur, immo vero illum rarius appetunt. Nec ſane mirum, nam ſi ſæpe etiam contraria affectio cibi memoriam excluſit, reor eum qui hæc incorruptibilia guſtauerit, cum ſupra naturam factus ſit, nulla iam corporis imbecillitate detineri. Id enim veluti iam incorruptibile effectũ per charitatis flammam expiatũ eſt, qua.ſ.omnis reliqua flamma perrupta atque extincta eſt, immo vero ne ipſum quoque oblatum ſibi cibum cum voluptate vlla ſuſcipere omnino poſſe arbitror. Aqua quidẽ ſubterranea virgulti radicem irrigat, horum vero animas cœleſtis ignis, nutrire conſueuit. Incrementum timoris initium eſt charitatis, finis vero caſtitatis theologiæ argumentum eſt. Cuius Deo perfecte ſenſus vniti ſunt, hic ab eo verbis ei⁹ in ſecreto inſtruitur. Niſi enim illi Deo copulati fuerint, graue ac periculoſum eſt de Deo loqui. Subſtantiale quidem verbum caſtitatem perficit, præſentia ſua mortificans mortem, hæc autem cum mortificata fuerit, protinus Theologiæ diſcipulus illuminatur verbum Dei quod ex Deo eſt, caſtum eſt permanens in ſæculum ſæculi. Qui enim Deũ non cognouit, ſcholaſticè loquitur. Caſtitas diſcipulum Theologum facit, per ſeipſum afferentem Trinitatis dogma. Qui diligit Dominũ fratrem ſuum dilexit, prioris enim demõſtratio, ſecundum eſt. Qui diligit proximum nunquam aduerſus illum obloquentes tolerabit. Qui ſe Deum dicit diligere, fratriq; ſuo iraſcitur: ſimilis eſt ei, qui in ſomnis currit. Fortitudo charitatis eſt ſpes. Per hanc mercedem charitatis expectamus. Spes eſt incertarum diuitiarum opulentia. Spes eſt indubitatus ante Theſaurum, Theſaurus. Hæc laborum requies. Hæc charitatis ianua eſt. Hæc deſperationis iugulatio. Hęc abſentium imago eſt. Spei defectus, exterminatio eſt charitatis. Simul atq; illuxit ſpes, charitas apparuit. Huic annexi ſunt labores, ex hac pendent fatigationes, hac miſericordia circũdatur. Spe ſubnixus monachus, acediæ iugulator eſt. Ex huius gladio illa triumphans. Spem parit diuinorũ munerum experimentum. Nam qui hæc expertus non eſt, non ſine hæſitatione perſtat. Spem ſoluit iracundia. Hæc enim illam confundit. Vir autem iracundus nunquam erit honeſtus. Charitas Prophetiæ indultrix eſt, charitas prodigia fieri præſtat, charitas illuſtrationis abyſſus eſt, charitas fõs igne⁹ eſt, qui quanto mundo magis ſitiẽtem amplius exurendo conſumit. Charitas Angelorum ſtatus eſt, perfectúſque ſeculorum. Annuntia nobis ô decora inter virtutes vbi paſcis oues tuas, vbi moraris in meridie, illumina nos, irriga nos, deduc nos oramus. Iam.n.aſcẽdere cupimus ad te, tu quippe dominaris omnium. Nunc autem in intimis penetralibus vulneraſti animam meam, nec poſſum continere flammam tuam, vnde cum te laudauero quo proficiſcar? Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas atque mortificas. Tu humilias, vt vulneratum ſuperbâ cogitationẽ. In brachio virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos, inexpugnabiléſque facis amatores tuos. Quonã vero modo Iacob te ſcala innixam viderit addiſcere feſtino. Quæſo quænam ſit aſcenſus iſtius ſpecies auide ſiſcitãti loquere, qui modus quod compendiũ illius quos veluti aſcẽſiones compoſitionis graduũ in corde ſuo diſpoſuit amator tuus. Quis præterea ſit horum numerus, ſcire ſitiebam, quãtumcunque curſus illius tempus ſit. Ductores enim annũciauit qui luctam tuam viſionémque didicerat. Cæterum clarius aliud noluit (immo vero non valuit) dicere. Ille vero veluti cœlo mihi viſa regina in auribus animæ meæ colloquens ait: Niſi ſoluaris iſta craſſitudine ô feruens amator, ſpeciem meã cuiuſmodi ſit, addiſcere non potes, Scala vero virtutum ſpiritualem compoſitionem te doceat. In ipſius ego vertice formata ſum, ſicut de me magnus ille arcanorum cognitor aiebat. Nũc vero manẽt Fides, Spes, Charitas, tria hęc, maior autẽ omnibus eſt charitas.

Intenta Concluſio.

HIs qui in libro vitæ nomina ſua aſſcribi volũt, optimam curſus viã liber iſte apertius oſtendit. Hunc enim perlegentes inueniemus abſque errore ſequi ſe volẽtes ducere, atque ab omni lapidis offenſione ſeruare illæſos, ſcalámque nobis à terrenis aduſque ſanctorũ erectam præferentẽ Deúmque dilectionis ipſius culmini innixum indicãtem. Quam ſcalam vt reor, ſupplantator ille vitiorũ Iacob in cubili exercitationis quieſcens vidit, Cæterum

rum aſcendamus quęſo promptè atque fideliter intellectualem hunc atque cœleſtem aſcēſum, cuius quidem initium eſt terrenorum omnium abrenuntiatio, finis vero charitatis Deus.

Exhortatio ad aſcenſum Scalæ.

ASCendite, fratres aſcendite, aſcenſiones in corde prompte diſponentes eiuſque memores qui ait: Venite aſcendamus in montem Domini Dei nostri qui perfecit pedes noſtros ſicut cerui & ſuper excelſa ſtatuit, vt viuamus in via ſua. Currite obſecro cū illo, qui ait, feſtinemus donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, qui per viſibilem ętatem xxx. annorum baptizatus trigeſimum gradum in ſpirituali ſcala ſortitus eſt. Quippe charitas Deus eſt. Illi laus, illi imperium, illi fortitudo, illi omnium bonorum cauſa ineſt, fuitque & erit in infinita ſecula. Amen. Eph. 4.

SANCTI DIADOCHI EPISCOPI PHOTICES IN VETERE EPIRO ILLYRICI, CAPITA CENTVM DE PERFECTIONE SPIRITVALI.

SANCTI NILI CAPITA CENTVM QVINquaginta de oratione ad DEVM. Ad lectorem.

QVo tempore vixerit ſanctus Diadochus, adhuc quærimus. Fuiſſe tamen ex numero veterum patrum teſtis eſt Sanctus Maximus confeſſor, qui Heraclio Imperatore, & Honorio Pontifice aduerſus Monothelitas certauit, & ſcripſit, is enim in reſponſis de obſcurioribus locis ſcripturæ Sācti ad Thalaſſium huius authoris meminit, & huius libri caput centeſimū de igne purgatorio citat, & interpretatur, id quod auctoritatem Diadochi non parum commendat. Appellat præterea Patrem Diadochum honoris, vt mihi quidem videtur, & reuerenti græcia. Meminit deinde Photius in Bibliotheca ſua, id eſt, in libris à ſe lectis, his verbis quæ nos ad verbū interpretati ſumus. Legi librum centum capitibus comprehenſum cum x. definitionibus vice proœmij. Prima fidei, Cogitatio de Deo expers omnis paſsionis. Secunda ſpei, Peregrinatio mentis ad ea, quæ ſperantur. Tertia Pacientiæ, Cernere oculis mentis Deum inuiſibilem, perinde vt ſi eſſet viſibilis, atque ita perdurare. Quarta non auari, Ita velle non habere, vt alius vult habere. Quinta ſcientiæ, Se ipſum neſcire extra ſe poſitū in Deo: Sexta humilitatis, Continua obliuio ſuorum recte factorum. Septima vacuitatis iræ, Vehemens deſiderium non iraſcendi. Octaua caſtimoniæ, Senſus ſemper Deo adhæreſcens. Nona charitatis, Valde eos diligere, à quibus iniuriā quis patitur. Decima perfectæ immutationis. Reputare acerbitatē mortis, gaudiū in Dei oblectatione. His definitionibus ſubiecta ſunt capita centū: Eſt autē hic liber iis compoſitus, qui ſe ad perfectionem exercent: & iis, qui ipſis actionibus perficientibus exercitati ſunt ſcientia enim per experientiā percepta, facile verbis docetur. Auctor vero, vt inſcriptio ipſius libri teſtatur, Diadochus eſt, Epiſcopus Photices, quæ eſt in vetere Epiro. Hactenus Photius Conſtantinopolitanus.

Reperi in alio exemplari hanc inſcriptionem, quæ poteſt eſſe vice θεωρίας argumentum, & propoſitum explicantis. Sermones iudicij, & diſcretionis ſpiritualis Diadochi, Epiſcopi Photices Epiri, de cogitatione & ſcientia, quomodo ad perfectionem vitæ, Duce Deo peruenire oporteat, vt quiſque noſtrum ſecundum figuram Euangelicæ parabolæ fructum feramus.

SANCTI DIADOCHI EPISCOPI PHOTICES.

In vetere Epiro Illyrici, Capita centum de perfectione Spirituali.

Franciſco Turriano Societatis Ieſu Interprete.

De tribus virtutibus, quæ, tanquam Duces, debent antecedere contemplationem mentis Spiritualem. Cap. 1.

OMnem ſpiritualem contemplationem (fratres) antecedant, tanquam duces, Fides, Spes, Charitas, ſed magis charitas. Fides enim, & Spes, docent cōtemnere ea, quæ videntur: charitas verò animam cum ipſis illis Dei virtutibus copulat, perueſtigans ſenſu quodam mētis eum, qui videri non poteſt. B

Quomodo, & quando homo efficiatur bonus. Cap. 2.

SOlus Deus eſt natura bonus: homo autē ſtudio bonorum morum efficitur bonus: dum mutatur in id boni, quod ex ſe ipſe non eſt, per eum, qui vi ſua bonus eſt, tunc ſcilicet, cum anima ſtudio virtutis, tantum Deo adhæret, quantum pro viribus operādo, adhærere vult, ait enim Dominus. Eſtote boni & miſericordes, ſicut pater veſter cœleſtis. C

De peccato, quando, & quomodo incipiat eſſe. Cap. 3.

MAlum nec eſt in natura, nec eſt quiſquā natura malus: Deus enim nō fecit malū. Quando autē in deſiderio cordis aliquis format, id quod nō exiſtit re ipſa, tunc incipit eſſe, quatenus vult, qui id facit. Oportet igitur ſtudio recordationis Dei, & omnis operis boni negligere habitum mali: plus.n. poteſt natura boni, quam habitus mali, quādoquidem illud quidem eſt, hoc vero nō eſt, niſi cum agitur tantum.

Quando, & quomodo aſſequamur, vt ſimus ad ſimilitudinem Dei. Cap. 4.

OMnes homines ſumus ad imaginem dei, illud autē ad ſimilitudinem, illorum tantum eſt, qui per multam charitatem, libertatē ſuam Deo in ſeruitutē addixerunt. Quando enim nō ſumus noſtri, tunc ſimiles ſumus ei, qui nos ſibi per charitatē reconciliauit, quod nemo aſſequetur, niſi perſuaſerit animæ ſuæ, non admirari leuē vitæ huius gloriam.

Quomodo faciendum ſit, vt voluntas ad bonum tantum ſit prompta.

Cap. 5.

LIberi arbitrij poteſtas, eſt volũtas animæ rationalis, quæ promptè mouetur, quò velit: cui quidem tunc ſuadebimus, vt ad bonum tantum prompta ſit, cum memoriam mali, bonis cogitationibus conſumpſerimus.

Quod ſit lumen veræ ſcientiæ, & quid vſus huius luminis in mente efficiat. Cap. 6.

LVmen veræ cognitionis eſt diſcernere ſine lapſu rectum à prauo: quod quidem, cum fit, tunc via iuſtitiæ, quæ ad Deum ſolem iuſtitiæ mentem ducit, vltra in infinitam ſcientiæ illuminationem illam ipſam mentem introducit, tanquam quærentem iam deinceps cum fiducia charitatem. Quare oportet, iuſtitiam ab iis, qui illam contumelia afficere audent, indignatione non irata eripere. Zelus enim pietatis, non habẽdo quenquam odio, ſed arguendo oſtenditur.

Quid efficiat ſermo ſpiritualis, & quod exercitatio charitatis afferat facilitatem, & copiam ad loquendum de Deo. Cap. 7.

SErmo ſpiritualis ſenſum mentis explet: operation. Charitatis à Deo fertur, quamobrem non torquetur mens noſtra tunc tractatione rerum diuinarum. Non enim illo tempore inopiam, quæ ſolicitudinem affert, patitur: quippe quæ tantum ſe contemplationibus dilatat, quantum operatio charitatis vult. Quare pulchra res eſt, expectare ſemper fide per exercitationem charitatis, lumen dicendi. Nihil enim egentius illa mente, quæ de Deo extra Deum Philoſophatur.

Quomodo accedendum ſit ad loquendum de diuinis rebus. Cap. 8.

NEc oportet non illuminatum intendere mentẽ ſpiritualibus contemplationibus: neq; copioſo lumine benignitate Spiritus ſancti repletũ, ſtatim ad loquendũ accedere. Vbi enim eſt inopia, ea affert ignorãtiam. Vbi copia, non ſinit loqui. Tunc enim anima charitate Dei velut ebria, expetit per ſilentium contemplatione gloriæ Domini perfrui. Quamobrem opus eſt, obſeruata mediocritate illuminationis, ad loquendũ de diuinis rebus, deuenire: hæc enim menſura formam quandam ſermonis glorioſi præbet, copioſa vero illuminatio, fidẽ nutrit loquentis in fide, vt qui docet, primus fructum ſcientiæ guſtet per charitatẽ. Laborãtem enim (inquit) agricolã primũ oportet de fructib⁹ percipere.

De chariſmate cognitionis & chariſmate ſapientiæ: quomodo vtrunque illuminet: & quomodo vtrunque acquiratur. Cap. 9.

VNius quidẽ Spiritus ſancti ſunt chariſmata ſapientia, & cognitio, ſicut cætera omnia diuina chariſmata: propriam vero, vt ſingula alia, habent operationẽ. Quamobrẽ aliis ſermonem ſapientiæ, aliis ſermonem ſcientiæ ſiue cognitionis, ſecũdum eundem ſpiritum tribui teſtatur Apoſtolus, cognitio. n. experimento copulat hominẽ cum Deo, non excitãdo animam ad loquendum de rebus. Ex quo fit, vt aliqui ex iis, qui vitã ſolitariam in ſtudio virtutis degunt, illuminentur quidem ab ipſa cognitione in ſenſu: ad ſermones vero de rebus diuinis non accedunt. Sapientia verò, ſi cui cum metu Dei, quod rarum eſt, tribuatur, ipſas cognitionis operationes manifeſtat, quandoquidem cognitio quidẽ operatione, ſapientia verò ſermone ſolet illuminare. Verùm cognitionem quidẽ oratio affert, & quies multa in vacuitate perfecta ſolicitudinis: ſapientiam verò exercitatio ſanctarum ſcripturarum non ambitioſa, & in primis gratia largientis Dei.

Quid curandum, cum iraſcibilis mouetur aduerſus paſſiones: & quid faciendum, ne paſſiones per orationem, vel per eleemoſynam ſedatæ ſuperbiam gignant. Cap. 10.

QVando ea pars animæ, quæ iraſcitur, aduerſus paſſiones mouetur, ſcire oportet tempus eſſe ſilentij, eſt enim tempus luctæ, cum vero viderit quis ipſius animæ motus inconſtantes, vel per orationem, vel per eleemoſynã ſedari, afficiatur amore, & ſtudio ſcripturarum, alas mentis vinculo humilitatis firmans. Nemo enim, niſi ſeſe valde ſummittat, & ſe pro nihilo ducat, poterit de amplitudine Dei narrare.

Cur ſapientia ſpiritualis non ſit ambitioſa: ſapientia vero huius mundi ſit: & vnde exiſtat hæc proprietas ſapientiæ ſpiritualis. Cap. 11.

SPiritualis ſermo ſemper animã à cupiditate inanis gloriæ cuſtodit, dum enim ſenſu luminis omnes partes eius iuuat, facit, vt non opus ei ſit honore hominum. Quocirca ſemper mentem ab imaginationibus vacuam ſeruat, quippe cum totam ad amandum Deum vertat. Sermo vero ſapientiæ huius mundi ſemper ad inanem gloriam, hominem inuitat: & enim quia non poteſt cum experimento ſenſus iuuare, amorẽ laudis alumnis ſuis largitur, tanquam ab ambitioſis hominibus fictus, & formatus. Quamobrem qualitatem hãc ſermonis diuini abſque errore dignoſcemus, ſi ſilentio curis vacuo, tempora, quę ad loquendũ non ſunt conſtituta, in memoria Dei feruida conſumpſerimus.

De dilectione ſui, & amore Dei, & quid ſit proprium amantis Deum, & quid diligentis ſe. Cap. 12.

QVi ſe diligit, Deum amare non poteſt: qui verò ſe non diligit propter excellentiores diuitias amoris in Deum, hic Deum amat. Ex quo fit, vt hic neque ſuam vnquam gloriam quærat, ſed potius gloriãm Dei. Qui enim ſe diligit, gloriam ſuam quærit, qui autem Deum diligit, gloriam auctoris ſui amat. Eſt enim animæ ſentientis, ac Deum amãtis proprium, gloriam quidem Dei ſemper quærere, in omnibus mandatis, quæ facit: ſua verò ſummiſſione delectari, quòd Deum quidẽ propter eius magnificẽtiam deceat gloria, hominem vero ſummiſſio, vt per eam familiares Deo efficiamur: quod quidem, ſi & nos fecerimus lætantes gloria Domini, exemplo Ioannis Baptiſtæ, incipiemus dicere ſine intermiſsione vlla, illum oportet creſcere: nos autem minui.

Quomodo contingat aliquando, vt aliquis videatur ſibi non diligere Deum, vt vellet, cum tamen tunc maxime diligat, & vnde hoc proueniat.

Cap. 13.

Cap. 13.

NOui ego quendam, qui tametsi lugeret, quod non, vt vellet, Deum amaret: tamen ita Deum amabat, vt eius anima huiusmodi desiderio vehementi continenter teneretur, ita vt Deus quidem gloria afficeretur in eo, ipse verò esset, quasi nihil. Qui talis est, neque cum verbis laudatur, se agnoscit, quid sit: siquidem præ nimio humilitatis desiderio dignitatem suam non cogitat, cum alioqui ministret quidem Deo, vt lex præscribit sacerdotibus, ob studium tamen diligendi Deum obrepit ei obliuio dignitatis suæ occultanti in profunda erga Deum charitate per Spiritum humilitatis gloriationem de dignitate sua, vt iam sibi cogitatione sua inutilis quidam puer omni tempore videatur, quasi à dignitate sua alienus, præ humilitatis desiderio: quod quidem & nos facere oportet, & omnem honorem, atque gloriam fugere, propter excellentes diuitias amoris erga Deum, qui vere non amauit.

De eo, qui sensu cordis Deum diligit, & quomodo iste ad ecstaticum amorem veniat, iam, totus extra amicitiam sui positus.

Cap. 14.

QVi in sensu cordis Deum amat, hic est ab eo cognitus, quãtam enim quis Dei Charitatem in sensu animæ capit: tanta eum amat. Quocirca, qui sic est, illuminationem cognitionis vehementer amat, quousque ipsum sensum ossium sentiat, factus iam sui nescius, immò totus à charitate Dei immutatus. Qui talis verò est, adest ille quidem, & non adest in vita: adhuc enim in corpore suo versans, peregrinatur propter charitatẽ perpetua quadam animæ ad Deum profectione, incenso enim deinceps corde vehementer charitatis igne, vi quadam desiderij adglutinatus est Deo, tanquam totus extra amicitiam sui positus, propter charitatẽ Dei, siue enim (inquit) excedimus, Deo, siue sobrij sumus, vobis.

Quando incipiat aliquis diligere proximum: & quare amicitia secundum carnem citò dissoluatur, amicitia vero spiritualis, minimè. *Cap.* 15.

CVm cœperit quis sentire copiosè charitatẽ dei, tunc incipit sensu Spiritus proximum quoque amare. Hæc. n. est charitas, de qua omnes scripturæ sanctæ differunt, amicitia namque secundum carnem, quia non alligatur sensu Spiritus, perfacile praua quapiam occasione inuenta, dissoluitur. Idcirco quamuis contingat irritatio aliqua in anima, in qua Deus operatur, non soluitur vinculum charitatis. Inflammans. n. rursus se ipsam calore charitatis Dei, statim ad virtutem reuocatur & cum magno gaudio charitatem proximi quęrit, tametsi magnam contumeliam, aut damnum acceperit: asperitatem enim contẽtionis, dulcedine Dei consumit.

De amore erga Deum in sensu cordis, quomodo acquiratur, & de perfecta charitate, sine timore Dei purgante: & de altera charitate non perfecta coniuncta cum timore purgante.

Cap. 16.

NEmo potest in sensu cordis Deum amare, nisi prius toto corde eum timeat: timore enim dei efficitur, vt anima pura, & mollis effecta, ad exercẽdum charitatem se applicet, nunquam verò aliquis eiusmodi metum Dei, qui dictus est, capiet, nisi extra omnes vitæ huius solicitudines positus fuerit. Cum enim quietem, & multam curarum vacuitatem mens ceperit, tunc metus Dei solicitat eam, & purgat multo cum sensu, eiiciens omne terrenum, & crassum, vt sic illam ad amandum valde bonitatem Dei adducat. Quare metus quidem cum mediocri charitate, eorum est, qui adhuc purgantur: perfecta verò charitas eorum, qui iam purgati sunt, in quibus nõ est amplius timor. Perfecta enim charitas foras expellit timorem: vtrunque verò est iustorum tantum, qui operatione Spiritus sancti virtutes operantur. Idcirco interdum quidem dicit scriptura diuina. Timete Dominum omnes sancti eius: interdum verò, diligite Dominum omnes sancti eius, vt planè intelligamus, esse quidem metum Dei cum mediocri charitate, eorum iustorum, vt dictum est, qui adhuc purgantur: perfectam verò charitatem, eorum, qui purgati sunt, in quibus non est amplius de illo timore cogitatio: sed potius ardor, & adglutinatio continua animæ ad Deum per operationem Spiritus sancti, sicut scriptũ est: adhæsit anima mea post te: me autẽ suscepit dextera tua.

Quomodo anima ægrota, per metum Dei incipiat curari & paulatim ad perfectam sanitatem per charitatem perduci. *Cap.* 17.

SIcut vulnera, quæ corpori accidunt, postquam squalida, & sine curatione relicta sunt, medicinam, si à medicis adhibeatur, non sentiunt, purgata vero sentiunt vim medicamenti, & celeriter sanantur, sic anima quandiu expers curationis est, & lepra voluptatis tota opera, metum Dei non potest sentire: quamuis ei tribunal Dei horribile, & præpotens perpetuo denuncietur. Postquam verò magna attentione purgari cœperit, tũc sentit veluti remedium quoddam vitæ, Dei metum, qui eam vrit arguẽdo, tanquam igne quodam sine dolore. Vnde paulatim deinceps purgata ad perfectam purgationem euadit, tantum crescente charitate, quantum decrescit metus, vt sic ad perfectam charitatem perueniat, in qua non est timor, vt dictum est: sed potius omnis indolentia, quam gloria Dei operatur. Sit igitur vobis summa gloriatio, continua, & perennis, primum quidẽ timor Dei: deinde vero charitas, plenitudo legis perfectionis in Christo.

Quomodo anima, quandiu est curis mundi inuoluta, non possit Deum amare, neque quod sui officij est erga eum rectè diiudicare.

Cap. 18.

ANima quæ nondum curis mundi soluta ac libera est, neque Deum legitime amabit: neque Diabolum digne execrabitur: est enim solicitudine vitæ huius molesto prorsus tegumento inuoluta. Vnde eorum mẽs, qui tales sunt, tribunal suum agnoscere non potest, vt apud se sine errore suffragia iudicij exploret, est igitur omnibus modis vtilis secessus.

Quæ sint propria animæ puræ. *Cap.* 19.

ANimæ puræ propria sunt sermo non inuidus, zelus malitiæ expers, & cõtinuus amor in Dominum gloriæ. Tunc enim mens lances suas perfecte moderatur, ac temperat, rationi suæ tan-

quã in puriſſimo,&incorruptiſſimo iudicio aſſiſtẽs.

Quod neceſſariò ad fidem opera,& ad opera adiungenda ſit fides. Cap. 20.

FIdes ſine operibus, & opera ſine fide eodẽ modo improbabuntur: oportet enim fideles fidem acta oſtendentem Domino offerre, Nec enim Patri noſtro Abraham in iuſtitiã fides reputata eſſet, niſi fructum eius filium ſuum obtuliſſet.

Qualis ſit fides ſine operibus,& qualis fides per dilectionem operata. Cap. 21.

QVi Deum amat,& legitime credit, idem opera fidei,ſanctè perficit: qui vero tantum credit, & non amat,idem neque fidem ipſam,quam habet, videtur habere. Leui.n.mente credit in quo pondus gloriæ charitatis non operatur. Fides ergo in actione per charitatẽ poſita,magnitudo virtutũ eſt.

De non ſcrutando curioſè profundum fidei. Cap. 22.

PRofundum fidei ſi ſcrutemur, turbulẽtum quidem eſt,trãquillum verò,ſi ſimplici animo contemplemur, non enim patitur profundum fidei, quod eſt aqua obliuionis, vt curioſis cogitationibus illud contemplemur. Simplicitate ergo intelligentiæ in aquis eius nauigamus, vt ſic ad portum voluntatis Dei perueniamus.

Quando mens non poſsit ſentire ſenſu cordis, ſine guſtu animæ odorem cœleſtium bonorum, licet id vehementer deſideret. Cap. 23.

NEmo poteſt, vel diligere, vel credere legitime, ni ſe ipſe ſui accuſatorẽ habeat. Cũ enim conſcientia noſtra, ſeipſam arguendo conturbat, non ſinitur mens odorem cœleſtium bonorum ſentire: ſed potius in ambiguum ſtatim diſtrahitur, ita vt propter antegreſſam experientiam fidei, feruenter quidem id appetat: aſſequi tamen in ſenſu cordis per charitatem propter crebros, vt dixi, motſus, & accuſationes conſcientiæ non poſſit. Cæterum vbi nos ipſi feruidiore oratione, & attentione purgauerimus, cum maiori in Deo experientia,optatum adipiſcemur.

De duplici ſenſu corporis,& mentis:& quomodo ſenſus mentis excitandus ſit ad guſtandum cœleſtia. Cap. 24.

SIcut ad ea quæ nobis pulchra videntur, ſenſus corporis nos quodam modo per vim incitant:ſic ad ea bona, quæ non cadunt ſub aſpectum, ſenſus mentis nos ſolet deducere, quando diuinam bonitatem deguſtarit. Vnumquodque enim ſibi cognatum, & cõgeneum omnino appetit:anima quidem vt corporis expers, cœleſtia bona:corpus vero, vt è terra, terrenas voluptates. Ad experientiam igitur ſenſus materiæ,& concretionis expertis ſine errore veniemus,ſi materiam corporis laboribus attenuauerimus.

De vno ſenſu animæ ſecundum operationem in ſtatu innocentiæ, & diuiſione poſt peccatum, & de ſenſu ſimplici animæ à ſpiritu ſancto. Cap. 25.

IPſa ſanctæ noſtræ cognitionis operatio edocet vnum quidem eſſe ſenſum animæ naturalem ac rationalem,qui in duas poſtea operatione propter peccatum Adę diuiſus eſt:alterum verò ſimplicem, qui ſcilicet à Spiritu ſancto ipſi animæ aduenit, quem nemo poteſt cognoſcere, niſi ij tantum, qui ſe à voluptatibus vitæ huius propter ſpem futurorum bonorum libenter expediunt, & omnem appetitum ſenſus corporei per temperantiam marceſcere faciunt. In his enim mens, quia per vacuitatem ſolicitudinis integra ſanitate mouetur, diuinã bonitatem,quæ inexplicabilis eſt, ſentire poteſt, & ſuum gaudium cum corpore ſecundum menſuram ſui profectus communicare, ratione quadam amatoriæ cõfeſſionis interminata exultãs. In ipſo enim (inquit) ſperauit cor meum & adiutus ſum, & refloruit caro mea, ex voluntate mea confitebor ei, lætitia enim qua tunc anima & corpus afficitur,admonitio quædam certa eſt vitæ immortalis.

Quomodo oporteat perturbationibus carere,ad diſcernendas cogitationes,& vtrum à Deo ſint miſſæ,an à Dæmone. Cap. 26.

OPortet eos,qui certant,animum ſemper extra perturbationum fluctus conſeruare, vt mens cogitationes incurrentes diſcernens, bonas quidẽ, & à Deo miſſas,in penu memoriæ recondat: malas verò & dæmoniacas ex apothecis naturæ eiiciat. Mare enim cum tranquillum eſt, vſque ad fundum eſt piſcatoribus perſpicuum, ita vt tũc nihil fere ibi piſcium, eos lateat:cum vero ventis agitatur, tegit tempeſtate turbida, quæ in placida tranquillitate largiter facit perſpici. Ex quo fit, vt ars eorum, qui piſcatorios dolos machinãtur, otioſa ſit, quod quidem menti,quæ in contemplatione verſatur, euenire ſolet,tunc maxime,cum fundum eius ira iniuſta turbatum eſt.

Cur pauci ſint,qui peccata ſua perfectè agnoſcant:& quid faciendum ſit,vt hoc facere poſsimus. Cap. 27.

PAuciſſimorum eſt, lapſus ſuos perfectè cognoſcere eorum,quorum mentibus nunquam excidit memoria Dei. Quemadmodũ enim noſtri corporis oculi,cum ſani ſunt, cuncta poſſunt cernere, etiam culices in aëre volitantes: cùm vero turbati ſunt,aut humore quodã ſuffuſo, ſepti, ſi quid in eorum aſpectũ incurrat grãde, hoc tenuiter cernunt: minuta verò non ſentiunt ſic anima, ſi ardorem ex cupiditate mundi collectum ſtudiosè reſtinxerit, etiam valde parua errata pro grauiſſimis ducens,lachrymas multas, cum multa gratiarũ actione, continenter Deo offert. Iuſti enim(inquit)confitebuntur nomini tuo. Contra verò ſi perſeueret in cupiditate mundi, cum quid eſt ad cædem pertinens, aut aliud quid magno dignũ ſupplicio, ſentit illa quidem ſenſim, alia verò errata ne ſignificari quidem ſibi vult, immò ſæpenumero in virtutibus ea ducit, & pro eorum defenſione non pudet miſeram orationem vti vehementi.

Quomodo Spiritus ſanctus animam purget,& quid ſit,Spiritum Sanctum extinguere,& contriſtare. Cap. 28.

SOlummodo Spiritus ſancti eſt purgare mentem: niſi enim ingrediatur fortis ille,& diripiat latronem,nunquam præda eripietur. Oportet igitur in omnibus pace animæ Spiritum Sanctũ recreare,vt lucernam cognitionis, ſemper apud nos lucentem habeamus, ipſa enim in penetrali mentis ſemper ſplendentę,non ſolum illi amarulẽti,& tenebricoſi Dæmonũ appulſus patefiũt, ſed etiam magnopere

langueſcunt,

453 languescunt, ab illo sancto & glorioso lumine deprehensi. Idcirco Apostolus ait, spiritum nolite extinguere, id est, ne per maleficia, & prauas cogitationes Spiritum sanctum tristitia afficiatis, ne suo illo splẽdore vos desinat protegere. Nec enim æternum illud, & viuificum Spiritus sancti, extinguitur, quin potius illius tristitia, hoc est, auersio, mentem sine lumine cognitionis obscuram, & caligine circunfusam relinquit.

De vno sensu mentis ante peccatum: & diuisione eius propter peccatum, & quando appetitus irrationalis cum rationali coniũgatur, & consentiat. Cap. 29.

VNum, vt dixi, sensum esse naturalem animæ, quinque verò sensus plane differre totidem vsibus, atque muneribus partium corporis, sanctus & benignus spiritus Dei nos docet. Mens tamen propter peccatum inobedientiæ in totidem ipsius animæ motus distrahitur, quocirca vna quidẽ pars animæ ad passiones se adiungit, vnde, quæ sunt vitæ iucunda, cum voluptate percipit: altera verò rationis, ac intelligentię motu, sæpenumero delectatur: quatenus mens nostra ad cœlestia currere, cum continentes sumus, expetit. Si igitur veniamus ad habitum contemnendi ea, quæ mundo sunt pulchra, poterimus etiam appetitum animæ terrenum cum eiusdẽ appetitu compote rationis cõiungere, cõmunicatione Spiritus sancti in nobis hoc dispensante, nisi enim hæc diuina bonitas efficiẽter penetralia animæ nostræ splendore illustrauerit, nõ poterim⁹ indiuiduo, id est, toto sensu bonũ degustare.

Quomodo, & quando sensu mentis discernantur consolationes veræ à falsis Cap. 30.

SEnsus mentis est gustus perfectus, quo res discernuntur. Quemadmodũ enim gustu, qui est sensus corporis, bona à malis sine errore, cum rectè valemus, discernentes, ea quæ sunt suauia, appetimus, sic mens nostra, cum cœperit integra sanitate, & in multa curarum vacuitate moueri, potest etiam diuinam consolationem affatim sentire & à contraria nũquam rapi. Vt enim corpus cum terreni cibi suauitatem gustat, experientiam sensus habet ab errore liberam, sic mens cum supra prudentiam carnis gloriatur, sentire potest sine errore, Spiritus sancti consolationem. Gustate enim (inquit) & videte quoniam suauis est Dominus, memoriámque habete gustus sine obliuione per operationem charitatis ad probãdum potiora, vt Apostolus ait: & hoc oro, vt charitas vestra magis abundet in scientia, & omni sensu, vt probetis potiora.

De falsa consolatione Satanæ per quietem somni immissa: & quomodo mens per memoriam feruentem nominis Iesu, eam discutit, & Satanam fugat. Cap. 31.

CVm mens nostra consolationem Spiritus sancti sentire cœperit, tũc Satanas animam quodam sensu simulatæ voluptatis consolatur per nocturnam quietem, quando leuissimum somnum, & breuissimum capit. Si igitur tunc mens ita parata reperiatur, vt nomen Domini Iesu feruenti memoria retineat, & hoc sancto & glorioso nomine, tanquam armis aduersus dolos eius vsa fuerit, recedit quidem Diabolus fallax, sed postea ad bellum per se cum anima gerendum accenditur. Ex quo rursus fit, vt mens perfecte iam fallacias Dæmonis agnoscens, magis proficiat in experientia discretionis.

De bona consolatione animæ, quomodo tum per vigiliam, tum per quietem somni existat, & quomodo per falsam consolationem nitatur Diabolus fallere animam in somno. Cap. 32.

BOna consolatio, aut per vigiliã existit, aut etiam per visum in somno, cum quis daturus se quieti, in feruida Dei memoria cum charitate eius veluti conglutinatus est. Fallax verò consolatio semper, vt dixi, se infundit in leuem somnum pugilis cum mediocri Dei memoria. Illa enim vera consolatio, vtpote à Deo proficiscẽs, aperte animas spiritualium pugilum cum multa eorum lætitia hortari vult ad charitatem: hæc verò falsa, quia vento quodam fallaciæ solet animã afflare, nititur furripere per somnum experiẽtiam ipsius sensus mentis, memoriam Dei integrè conseruantis. Si igitur, vt dixi, reperiatur illic mens bene memor Domini Iesu, dissipat quidem illam auram inimici, quæ suauis esse falsò apparebat, mouetúrque exultatione ad pugnãdum cum eo, tanquam habeat deinceps, post gratiã velut secunda arma ipsam de experientia gloriationẽ.

Quomodo vera lætitia Spiritus sancti à falsa Dæmonis dignoscatur: & quando Diabolus aggreditur decipere per falsam consolationem. Cap. 33.

SI anima certa motione, & non animo facta ad charitatem Dei inflammetur, quasi volẽs etiam trahere corpus ad profundum illius charitatis, siue per vigiliam, siue quemadmodum dixi, cum somnum capit is, in quo diuina gratia operatur, nihilque omnino aliud tunc cogitet, quam hoc solum, ad quod excitata est, scire esse operationem Spiritus sancti. Tota enim affecta illa inexplicabili dulcedine, nihil aliud potest tunc cogitare: quoniam lætitia quadam vehementi perfunditur. Sin autem vllam prorsus dubitationem, aut fœdam aliquam cogitationem mens in illa gratiæ operatione concipiat, quamuis sancto nomine Iesu vsa sit ad propulsandum malum, & non magis ad amorem tantum Dei incendendum, sciendum est, consolationem illam falsa specie lætitiæ à fallace Dæmone proficisci: lętitia vero illa est insulsa, & non intima, quippe ab inimico proficiscens, qui animam vult adulterare. Cum enim viderit mentem experientia sui sensus studiose gloriari, tũc quibusdam, vt dixi consolationibus, quæ bonæ videantur, animã consolatur, vt ab illa molli, & humida dulcedine relaxatam, lateat concubitus fraudulentus Diaboli. Hinc igitur cognoscemus spiritum veritatis, & spiritum fallaciæ. Nemo enim potest diuinam gustare suauitatem, aut amarum Dæmonis sensu experiri, nisi sibi persuaserit gratiam quidem Dei in profundo mentis habitare: malos vero Dæmones circum fundum cordis commorari, quod quidem vellent Dæmones, vt nunquam apud homines crederetur, ne, cum mens hoc perfectè cognosceret recordatione Dei se aduersus eos armaret.

De duplici charitate, naturali, & spirituali, & de vtriusque conditione. Cap. 34.

ALia est naturalis charitas animę, & alia quæ ex sancto spiritu proficiscitur, illa enim cũ volu-

mus, noſtra motione moderate cietur. Quamobrē facile à Dæmonibus diripitur, niſi propoſitum volūtatis noſtræ vi teneamus. Hæc vero à Spiritu ſancto profecta tam vehementer animam ad charitatem Dei inflammat, vt omnes partes animæ inexplicabili ſuauitate diuini amoris, in infinita quadā ſimplicitate affectionis glutinētur. Tūc enim mēs, tanquam grauidata ſpirituali operatione, fontem quendam charitatis, & gaudij profert.

De gratia Dei, quomodo ſola omnes animi motus turbidos tranquillet. Cap. 35.

SIcut mare, cum turbatur, oleo infuſo cedit natura ſua tempeſtas, lenitate olei procellam extinguente: ſic anima noſtra; cum lenitur gratia Spiritus ſancti, iucūde tranquillatur: cum gaudio enim cedit victa ipſius gratia, ſicut ille ſanctus ait: Veruntamen Deo ſubiecta eſto anima mea, victa inquam, Spiritus ſancti gratia, quæ ipſam animam inexplicabilis ſuauitatis vmbraculo tegit, idcirco quamuis ſæpe eam dæmones tunc irritent, manet tamen expers iræ, & plena gaudij, cui enim gratia aduenerit, in eo permanet, ſi ex metu Dei animam ſuam ſine vlla intermiſſione iucunditate afficiat, iis enim, qui in vita ſpirituali certant, ſpeciem quandam caſtimonię affert timor Domini: Timor enim Domini, inquit, caſtus permanet in ſæculū ſæculi.

Quomodo anima, & quando poſsit ſentire gloriam Dei, & de fallacia Diaboli oſtendentis lumen, vel aliquid ſplendoris ſimile. Cap. 36.

NEmo, cum ſenſum mentis audit, ſperet videre oculis gloriam Dei, ſentire enim eum dicimus quodam guſtu qui dici non poteſt, diuinæ conſolationis, cum quis animam purgauerit, non autem, quod appareat ei aliquid eorum, quæ ſub aſpectum cadunt, ſi quidem nunc per fidem, & non per ſpeciem ambulamus, ſicut ait beatus Paulus. Si cui igitur eorum, qui certant, vel lumen, vel figura quæpiam ad ſimilitudinē ignis, appareat, ne amplectatur huiuſmodi viſum: eſt enim fallacia inimici manifeſta, quæ quidem res multos fefellit, qui propter ignorantiam à via veritatis deflexerunt. Nos autem ſcimus quòd quamdiu ſumus in hoc mortali corpore, peregrinamur à Deo, id eſt, vel ipſum, vel aliquid cœleſtium miraculorum eius videre aſpectu corporis non poſſumus.

De ſomniis à Deo miſsis, & à Dæmone, & de eorum differentia. Cap. 37.

VIſa, quæ per ſomnum bonitate Dei obiiciuntur animæ, ſunt animæ ſanæ certi quodammodo nuncij & indices. Quocirca neque ex alia in aliam formam mutantur, neque ſenſum terrent: neque vno impetu ridentibus, aut mœrentibus obiiciuntur, ſed potius cum omni lenitate accedunt ad animam, quam ſpiritualis lætitiæ dulcedine perfundunt. Vnde poſtquam corpus à ſomno excitatum eſt, magno cum deſiderio illā ſomnij lætitiam anima requirit. In viſis vero à Dæmonib⁹ per quietem obiectis per omnia contra euenit: Nec enim in eadem figura manent: neque figuram, neque formam quietam multo tempore oſtendunt. Quod enim Dæmones ex propoſito voluntatis non habent, ſed ex ſua ſolum fallacia mutuantur, non poſſunt diu eo contenti eſſe, quin potius grandia loquuntur, & plurima minantur, ſæpenumero in ſe ſpecies militum induentes: aliquando etiam occinunt animæ cum clamore. Vnde mens eos agnoſcens, cum pura eſt, videtur ſibi excitare corpus à ſomno, & quandoque etiam lætari, quòd eorum dolos poſſit intelligere. Quamobrem in ipſo ſomnio, dum eos arguit, magna ira commouetur. Accidit verò aliquando, vt bona etiam ſomnia non afferant animæ lætitiam, ſed potius dolorem quendam dulciſſimum, & lachrymas omnis doloris expertes. Hoc autem in his fieri ſolet, qui habent magnos progreſſus in humilitate.

De virtute non credendi vllis ſomniis. Cap. 38.

DIximus, ſicut ab iis, qui experti ſunt, audiuimus, bonorum, & malorum ſomniorum differentiam ſatis nobis ſit pro magna virtute habere, vt nullis omnino per ſomnū viſis credamus. Somnia enim nihil aliud ſunt, vt plurimum, quàm ſimulachra cogitationum errantium: aut rurſus, vt dixi, dæmonum ludificationes: demum quamuis à Deo, quandoque miſſum ſit viſum, neque admittamus, tamen non iraſcetur nobis ob hanc cauſam ille ſummè miſericors: ſcit enim hoc à nobis fieri propter fallaces inſidias Dæmonū: atque hæc quidem eſt, quam diximus, perfecta ſomniorū diſtinctio. Contingit verò vt ex ſurreptione quadam ſenſum fugiente, (quòd nemo, vt arbitror, qui effugiat, reperiatur) anima fœdetur, amiſſo veſtigio perfectè diſcernendi, & fide ſomniis non bonis, tāquam bonis adhibita.

Exemplum ad intelligendum, quomodo nemini exprobret Deus, quòd ſomnio ab eo miſſo non credat. Cap. 39.

SIt igitur vobis exemplū huius rei famulus, quem reuerſus Dominus noctu, poſt longam peregrinationem, ante veſtibulum domus euocet, cui famulus nullo modo aperire velit: metuit enim ne ſe ſimilitudo vocis fallat, & rerū, quas Dominus commiſit, proditorem faciat, cui quidem non eſt iratus Dominus poſtera die quin potius multis laudibus ab eo dignatus eſt, quod vocē Domini, fallaciā exiſtimauit, dū nihil ex bonis Domini perdere voluit.

Quando anima poſsit, lumen quod in ſe habet, videre; & quando ſe Satanas transfiguret in Angelum lucis: & quid potiſsimū in vita Monaſtica ſtudendum ſit: vt quamuis in mundo ſimus, peregrinemur à mundo. Cap. 40.

NOn eſt dubitandum, quin mens, cum cœperit diuinū lumē in ea operari, tota fiat perſpicua, ita vt lumen id, q̄ in ſe habet, abunde videat. Hoc verò tunc fit, cū poteſtas animæ dominatur in perturbationes. Quòd autem quicquid mēti in figura apparet, ſiue lumen, ſiue ignis ſit, ex callido artificio inimici proficiſcitur, docet nos diuinus Paulus, cū ait transfigurari eum in Angelum lucis. Non igitur oportet, vt hac ſpe vllus monaſticā vitam capeſſat, ne hic inueniat Satanas animā facilem ad rapiendum eam ad ſe; Sed vt ſolummodo tales euadamus, qui in omni ſenſu, & plenitudine cordis Deū amemus: quod quidē eſt amare ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mēte. In quo enim hoc gratia Dei operatur, peregrinatur à mūdo, quāuis in mūdo ſit.

De obedientia, quomodo ſit maxima virtutum, & ianua charitatis, & vias cæterarū virtutum demonſtret. Cap. 41.

Obedientiam

OBedientiam esse omnium virtutum introducentium principem, exploratum est, repudiat enim arrogãtiam, parit autem nobis humilitatem. Vnde ianua, atque aditus charitatis in Deum efficitur, iis, qui libenter eam amplectunctur. Hanc cum Adam abiecisset, decidit in profũdum Tartarum: hanc cum amasset Dominus causa redemptionis, vsque ad crucem patri obediuit: idq; cum nulla ex parte infra illius amplitudinem esset, vt cũ crimen humanæ inobedientiæ sua obedientia diluisset, eos, qui obedientes essent, ad beatam, & immortalem vitam reduceret. Primum igitur huius virtutis curam habere oportet eos, qui studiũ certandi cum superbia Diaboli susciplunt. Hæc enim deinceps progressa, omnes vias virtutum nobis sine vllo errore demonstrabit.

A

Quomodo oporteat continentiam esse in omnibus, ita vt non solum virtutes corporis comparandæ sint, sed virtutes, quæ hominem interiorem purgent.

Cap. 42.

COmmune est omnium virtutum continentiæ cognomentum, oportet igitur certantem, in omnibus rebus se continere. Sicut enim quocunque demum membro hominis, vel minutissimo adempto, totum corpus quamuis sit parua pars, quę desit toti figuræ, informe efficitur. Sic qui vel vnã virtutem neglexerit, vniuersum continentiæ decorum dissoluit, ac delet, nesciens. Oportet igitur nõ solũ virtutes corporis studiosè excolere, sed eas, etiam, quæ hominẽ interiorẽ purgare possunt Quid enim profuerit virginitatẽ corporis seruare, si anima à Dæmone inobedientiæ præside adulteratur? Aut quomodo coronabitur, qui se à gulæ vitio, & omni corporis cupiditate cõtinuerit, superbiam tamen, & studium gloriæ declinare non studuerit, neque breuem laborem tolerauerit? idque cum à iustitiæ lance rependendum sit lumen iustitiæ, iis qui opera iustitiæ in spiritu humilitatis fecerunt.

De vtilitate, & modo seruandi continentiam in victu.

Cap. 43.

SIc igitur oportet in omnes cupiditates eius partis animæ, quæ ratione caret, odium exercere eos, qui spiritualiter certant, vt in habitum illud vertãt. Continentiam verò in victu, ita oportet seruare, vt nemo aliquid cibi detestetur, hoc enim execrabile est, & Dæmonis inuentum. Non enim à cibis, tanquã malis abstinem⁹, absit, sed vt à copioso, & inutili victu nos refrænantes, partes corporis efferuescẽtes moderate castigemus, deinde, vt ex eo, quod nobis superat, pauperibus quantum sufficiat, dispensetur, in quo quidem sincera charitas cernitur.

D

Quomodo effici possit vt ciborum iucunditas, & cæteræ voluptates libenter respuantur.

Cap. 44.

VEsci omnibus cum gratiarum actione, quæ ad vescendũ, & bibẽdum adhibentur, nõ pugnat cum regula sciẽtiæ. Omnia enim, inquit, valde bona, abstinere autẽ libenter à suaui, & à multo cibo, maximæ discretionis, & scientiæ est: tametsi, quæ in hac vita iucũda, & dulcia sunt, nunquã possimus iucũde respuere, nisi Dei dulcedinem in omni sensu cordis, ac omni plenitudine eius deguſtemus.

E

De nimia continentia victus fugienda propter firmitatem corporis, quæ opus sit ad certamen spirituale.

Cap. 45.

VT corpus multo cibo onustum, languidam, & segnem effieit mentem, sic nimia continentia victus debilitatũ facit, vt ea pars animæ, quæ in cõtẽplatione versatur, in mœstitia sit, & in fastidio sermonis. Oportet igitur ad motiones corporis cibos etiã accõmodare, vt dum corpus valet, quãtum cõueniat, castigetur, dũ verò nõ valet, moderatè leniatur. Nec.n. infirmo corpore esse debet, qui certat, sed ita firmo, vt sustinendo certamini, par esse possit, vt anima etiam laboribus corporis conuenienter purgari queat.

De ratione victus soliti temperanda, sine vitio vanæ gloriæ aut incontinentiæ, per moderatam indulgentiam ad aduentum fratrum, aut aliorum hospitum.

Cap. 46.

CVm inanis gloria aduersus nos tumescit, nacta ad vitij sui excusationẽ, aduẽtũ fratrum, aut aliorũ hospitum, quicũque illi sint, rectè fiat, si rationem soliti victus aliquantulũ tẽperemus. Sic enim Dæmonẽ infectis rebus, immo de suo irrito conatu dolentẽ dimittemus: ac legem charitatis cordati implebimus: & mysteriũ continẽtię sine ostẽtatione, per illam moderatam indulgẽtiam seruabimus.

B

De ieiunio, & cæteris virtutibus corporalibus, quomodo sint instrumenta quædam, quæ per se sola non habeant gloriam apud Deum, nisi referantur ad finem, qui est pietas.

Cap. 47.

HAbet quidem per se gloriam ieiunium, sed nõ apud Deum, est enim instrumentum, quod ad tẽperantiam cõponit eos qui volunt, nõ oportet igitur eo gloriari, qui Christianæ religionis pugiles sumus: sed solùm in fide Dei finem propositi nostri expectare, nec enim cuiuscũque artis periti de artificio quod profitẽtur, ex instrumẽtis gloriãtur, quin poti⁹ quisq; eorũ formã susceptiꝰ operis expectat, vt inde perfectũ illud, & absolutũ artis suæ demõstret.

C

De vtilitate tẽperati victus ad fructum spiritualem animæ.

Cap. 48.

SIcut terra si moderate sit irrigata, semẽ sparsum, quod excipit, cũ multa fertilitate effũdit: multis verò imbribus madefacta spinas tantũ, & tribulos fert: sic terra cordis, si moderato vtamur victu, semina sibi innata, atq; insita pura edit: & illa quę sunt ab Spiritu sancto seminata, cũ multa viriditate & vbertate fructuum profert, sin vero potu madeat, ex omnibus cogitationibus suis spinas & tribulos procreat.

D

De intemperantia victus, quomodo ad libidinem prouocet: & de remedio, & eius ratione.

Cap. 49.

CVm mens nostra in fluctu largi potus natat, nõ solum libidinose intuetur simulachra, quæ per somnũ Dęmones figurant, sed in se ipsa quasdã formas pulchras fingẽs, visis suis tanquam quibusdam adamatis vtitur ardẽter. Tepefactis enim feruore vini illis partibus corporis, quæ ad generãdũ datę sũt necesse est omnino vt mẽs sibi vmbrã libidinis cũ voluptate repræsentet. Opus ergo est, vt moderatione victus vtẽtes, incõmodũ, quod ex redũdãtia proficiscitur, vitemus. Cũ enim mẽs voluptate qua ad pingendũ peccatũ illecta succẽdatur, nõ habet, tota manet sine imaginationibus, & iudicium forte, ac virile.

E

De luxuria mixti potus, & quantopere ea, quæ cum vino miscentur, fugienda sint ab iis, qui volunt esse spirituales.

Cap. 50.

OMnia poculenta arte facta, quæ eorum artifices propomata, quasi antepocula vocãt, quòd multitudinem ciborum ad ventrem deducant, declinare oportet eos, qui partes corporis turgescentes cohibere volunt: non solum enim eorum qualitas corporibus pusillum nocet, sed ipsa eorum peruersa temperatio conscientiam, quæ est sedes Dei, percutit. Quid enim in natura vini desideratur, vt variis condimentis permixtis, vini firmitudo mollicie frangenda sit?

Quid Dominus docere voluerit, bibendo in Cruce acetum ex spongia circumposita hyssopo.

Cap. 51.

DOminus noster, idemque vitæ sanctæ magister Iesus Christus acetum in passione ab iis qui Diabolo ministrabant, porrectũ bibit, vt perspicuam normam, quemadmodum in sacro certamine animo affecti esse debeamus, vt mihi videtur relinqueret. Non enim (inquit) oportet iucundis potionibus, aut cibis vti eos, qui aduersus peccatum dimicant, immò acerbitatem pugnæ tolerantes substinere. Adiũctum verò est in illa contumelia hyssopum ad spongiam, vt forma nostræ purgationis, exemplo perfecte repræsentaretur. Illud enim acre, proprium est certaminis: vis vero tergẽdi, perfectionis.

De balneatione fugienda spiritualibus, & quare.

Cap. 52.

COnferre se ad balneum, nemo peccatum, aut à ratione alienum esse dixerit: propter continẽtiam tamen ab eo se abstinere, & virile, & maximè temperantis esse dico. Nec enim illa voluptaria lauatio corpus nostrum emolliet, nec veniet in mentem illius turpis nuditatis Adam, vt de illius foliis ad tegẽdam secundam nuditatem turpitudinis soliciti simus, ij præsertim, qui paulo ante ab huius vitæ corruptione per castitatẽ corporis nostri exilientes, cum pulchritudine temperantiæ copulati esse debemus.

Quare opus sit in cœnobiis vocare medicum ad curationem morbi: & quid faciendum sit iis, qui solitariam in eremo degunt vitam.

Cap. 53.

MEdicos vocare cum non valemus, nihil prohibet. Etenim quia erat aliquando experimẽto humano colligenda ars medicinæ, idcirco prius extiterunt medicamenta ac remedia. Verùm non oportet spẽ sanationis in illis collocare, sed potius in vero saluatore, & medico nostro Iesu Christo. Hæc verò illis, qui in cœnobiis, & ciuitatibus propositum continẽtiæ excolunt, dico: tum quia propter circunstantias, quæ accidunt, non possunt sine vlla intermissione fidem per charitatem operari: tũ etiam, ne in cupiditatem inanis gloriæ, & in tentationem Diaboli incidant. Ex quorum numero nõnulli se non egere medicis coram multis profitẽtur at si quis vitam anachoreticam, id est, ab oculis hominum remotam in locis desertis, inter duos, aut tres vnius moris fratres degit, quibuscunque ille morbis conflictetur, applicet se in fide ad Dominũ, qui sanat omnem morbum, & omnem languorem. Habent enim post Dominum, satis magnum solatium ægritudinum, ipsam solitudinem. Vnde neq; ab exercitatione fidei vnquam vacat iste, eo maxime, quo non reperia tibi locum ostentandi virtutẽ tolerantiæ, pulchro vsus tanquã velo, solitudine: idcirco Dominꝰ habitare facit vnius moris in domo. Iob 37.

Quid indicet ferre molestè morbum, & quid rursus non ferre molestè.

Cap. 54.

CVm morbos corporis molestè ferimus, scire oportet adhuc cupiditates corporis in anima dominari, ex quo fit, vt desiderio corporalis indulgentiæ nolit à bonis vitæ huius recedere; quin potius magnum negocium esse putat, non posse propter morbos frui iis, quæ in vita sunt pulchra. Rursus verò si angores ægritudinum animo grato excipiat, argumentum est, non procul ab indolentia, id est, à vacuitate turbidarum affectionum abesse: Vnde & mortem, tanquam occasionem vitę verioris tunc magno cum gaudio expectat.

Quid faciendum sit, vt non delectetur anima vsura huius lucis, sed potius desideret à corpore separari.

Cap. 55.

NVnquam cupiet anima à corpore separari, nisi ita affecta sit, vt nulla huius aeris quem spirãmus, voluptate capiatur. Omnes enim sensus corporis aduersantur fidei: siquidem sensus sunt præsentium, fides vero bonorum tantum futurorum copiam, & magnificentiam promittit: quocirca opus est pugilem spiritualem, neque arbores pulchris diffusas ramis ad opacandum, neque amœnas fontium scaturigines, neque varietatem pratorum, neque elegantes ædes, neque consuetudinem cognatorum vnquam cogitare: neque de gloria, & celebritate honorum, si ita accidat, meminisse, sed potius vti quidem necessariis cum gratiarum actione: vitam verò hanc existimare viam quandem peregrinam & omni oblectatione carnis vacuam. Sic enim mentem nostram in arctum cogentes, totam ipsam ad vestigia ęternæ viæ conuertemus.

Quomodo vti sensibus corporis immoderatè faciat difficilem memoriam Dei, & mandatorum eius: & quomodo cauendum sit hoc malum.

Cap. 56.

QVod aspectus, & gustus, & reliqui sensus memoriam cordis distrahunt, cum ipsis immoderate vsi sumus, Eua hoc nobis prima confitetur: Tantisper enim dum illa libenter ad arborẽ interdictam non aspexit, memoriam diuini iussi studiosè retinebat. Quamobrem veluti alis diuini amoris tegebatur, vnde nuditatẽ suam ignorabat: postquam verò lignum libenti animo vidit, ac valde cupide fructum eius attrectauit, & cum vehementi gustauit voluptate, continuo ad complexum corporis delinita est, adiungens se libidini, vt nuda, totamque suam cupiditatem ad fruendum præsentibus tradidit, postquam Adamum cum peccato suo propter fructum aspectu iucundum miscuit, ex quo factum est, vt deinceps mens humana Dei, aut mandatorum eius difficile meminisse posset, degamus igitur nos in hac vita fallace, semper in profũdum cordis nostri cum perpetua Dei memoria, tãquam 1. Cor.

quam oculis capti intuentes, profecto enim ad spirituale studium virtutis pertinet, adimere semper alas desiderio earum rerum, quas videmus, quod nos Iob ille experientissimus docet, cum ait, si secutum est cor meum oculum meum, quæ res summæ continentiæ est index. Iob 31.

Quomodo, qui ambulat spiritu, nescit desideria carnis, ac frustra Dæmon eius castitatem tentet.

Cap. 57.

QVi versatur semper in corde suo, absens prorsus à iucundis rebus vitæ huius peregrinatur, qui enim ambulat spiritu, non potest desideria carnis nosse: quandoquidem iam deinceps, in arce virtutũ suas ambulationes conficit, vtitúrq; iis ipsis virtutibus, veluti ianitricibus castimoniæ, quæ est instar ciuitatis paruæ, ex quo fit, vt in hoc irritæ sint machinæ Dæmonum, quamuis vsque ad fenestras naturæ, tela vulgaris amoris pertingant.

De acedia, quæ solet aliquando post repudiatas Voluptates corporis, contingere, qualis sit, & quomodo expellenda.

Cap. 58.

CVm cœperit anima nostra non amplius ea, quæ pulchra, & iucunda sunt, concupiscere, tunc eam desidiosa quædam mens, vt plurimum subiit, quæ neque officio sermonis eam sinit libenter seruire: neque expeditum desiderium futurorum bonorum ei relinquit: immò & hanc caducam vitam ceu valde inutilem habet, vt non habentem opus virtutis dignum: ipsamque cognitionem pro nihilo ducit, antequam aliis quoque multis tributa sit: aut tãquam nihil perfectum nobis significare promittat. Hanc autẽ tepiditatis, & corporis ægritudi nẽ fugiemus, si menti nostræ valde angustos meatus deniemus, vt solum Dei memor sit, hac enim solummodo ratione ad suum reuersa feruorem, potetit rursus ab illa per segnitiem, distractione, sine dolore remoueri.

Quomodo mens reddi possit certa de studio, & diligentia sua in spirituali certamine per memoriam continuam, & feruentem nominis Iesu in profundo cordis.

Cap. 59.

CVm omnes mentis exitus memoria Dei occluserimus, omnibus modis à nobis requirit ipsa mens opus ex quo diligentiam suam plenè nosse debeat. Oportet igitur tradere ei illud solum. Domine Iesu Christe, ad integram, & solidam propositi tractationem, nemo enim (inquit) dicit, Domine Iesu, nisi in Spiritu Sancto verùm ita arcte verbum istud in intimo suo recessu omni tempore cõtempletur, vt ad nullas imaginationes abduci possit. Quicunque enim sanctum & glorioſum nomen hoc, in profundo cordis continenter meditantur, hi etiam lumen mentis suæ semper videre possunt. Cum enim arcta solitudine illud in mente retinetur, sordes quæ in anima apparent, cum multo sensu exurit. Deus enim (inquit) ignis consumens est, vnde animam deinceps ad amorem glorię suæ vehementer incitat Dominus. Illud enim glorioſum, & optabiliſſimum nomen, si diutius in memoria mentis cum feruore cordis habeatur, habitum planè bonitatem eius amandi in nobis, nullo impedimento obsistente, gignit. Hæc est enim precioſa margarita, quam qui omnem substantiã suam vendiderit, comparare potest, & lætitiam maiorem, quam dici possit, de inuentione habere. 1.Cor.12. Heb.12. Deut.4.

De duplici gaudio, inchoante, & perficiente, & vsu vtriusque, & de lachrymis mediis inter vtrumque.

Cap. 60.

ALiud est gaudium inchoans, & aliud perficiẽs, illud quidem non est imaginationibus vacuũ. Hoc vero vim habet humilitatis: his autem interiecta est tristitia Deo amica, & lachrymæ sine dolore. Etenim quia in multitudine sapientiæ multitudo (inquit) cognitionis, & qui cognitionem, addit dolorem, idcirco opus est, vt primum quidem gaudio inchoante ad certamẽ spirituale anima prouocetur: deinde, vt à varietate Spiritus Sancti arguatur, & probetur, tum in iis, quæ prauè egit, tũ in iis, quę adhuc agit, in redarguutionibus enim (inquit) super iniquitate corripuisti hominem, tabescere fecisti, sicut araneam animam eius, vt cum diuina reprehensio, tanquam in ardenti fornace animam probarit, tunc operationem gaudij sine imaginationibus cum feruida Christi memoria capiat. Eccl.1. Psal.38.

Quomodo mens, cum perturbata est, non potest Dei meminisse & quæ sit causa; & quomodo mens, cum est à passionibus libera, solertia sua vtens, & gratia Dei adiuuante, cito obliuionem Dei expellit, & recordatur Domini Iesu: & quomodo contingat toto iam affectu ad memoriam Dei, & charitatem excitari.

Cap. 61.

CVm anima ira commouetur, aut offusa est ei caligo ex crapula, aut graui angore afficitur non potest mens, tametsi ipsa anima vim ei quodãmodo adhibeat, memoriam Domini retinere, quin potius tota mens vehementia perturbationum obscurata, à suo sensu ob hanc causam prorsus alienatur, quamobrem non potest desiderium sigillum suum imprimere, vt mens sine obliuione speciem meditationis ferat, durescente memoria eius propter feritatem perturbationum, sin autẽ extra perturbationes posita sit tametsi paulisper obliuio illud promptum animi surripiat, tamen cito mens, solertia sua vtẽs feruenter, illam salutarem, & maximè expetendam prædam apprehendit, habet enim tunc ipsam gratiam vnà cum anima meditantem, & clamantem, Domine Iesu, sicut mater puerulum suum docet, & cum eo meditatur paternum nomen, donec ad habitum eius nominis eum perducat: & infans puer pro aliquo alio pueri sermone clare patrem etiam dormiens appellet, idcirco ait Apost. similiter autem, spiritus adiuuat infirmitatem nostram: quid enim oremus, quomodo oportẽt nescimus, sed ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, etenim quia ad capiendam virtutis orandi perfectionem paruuli sumus, omnino auxilio eius indigemus: vt cum eius dulcedo maior, quam dici potest, omnes cogitationes commisceat, & suauitate perfundat, toto cum affectu ad memoriam Dei, & charitatem excitemur, quamobrem cum in ipso, vt idem Paulus ait, Deum patrem inclamamus, ab ipso componimur ad vocandnm sine intermissione, Abba pater. Tenebræ animi. Rom.6. Rom.8.

De ira, quomodo, & quando ea vtendum: & quomodo vtiliter à Deo data sit: & quid Dominus docere voluerit quando infremuit spiritu in morte Lazari: & quomodo sit Eliæ, & currus eius igneo similis, qui propter ardorem pietatis ira vtitur sedata.

Cap. 62.

Ira turbat. IRa plus quàm aliæ passiones perturbare, & confundere animam solet, aliquando verò magnopere vtilis est, cum.n.cõtra eos, qui aliquid inique, aut flagitiosè, quodcunque illud sit, committunt, ea sedatè vtimur, vt aut salui fiant, aut pudore afficiantur, tunc mansuetudinem ei adiungimus, eodẽ
Ira vtilis. enim tendimus, quo iustitia, & bonitas Dei spectant, immo sæpe, cum grauiter peccato irati sumus, illud fœmineum quod in ira inest, virile facimus. Quod autem in ipsum spiritum interitus frementes, cum in magno mœrore, & luctu sumus, supra ipsam mortis gloriationem efferimur, nõ est
Ioan. 11. dubitandum, quod quidem, vt nos doceret Dominus, animam Lazari reddidit corpori postquam bis in spiritu infremuisset in mortem, seque cõturbasset: cum alioqui omnia voluntate sola sine vlla conturbatione, quæcunque vult, efficiat. Vt iam, mea quidem sententia, ira moderata magis tanquã telum naturæ nostræ ab auctore nostro tributa sit. Quo si Eua contra serpentem vsa fuisset, nunquam ab illa falsa voluptate delinita esset. Vnde, vt mihi videtur, qui propter studium, & ardorem pietatis ira vtitur sedatè, probatior in lance remunerationum reperietur præ eo, qui nullo modo propter mentis immobilitatem ira mouetur: hic enim aurigam sensuum hominis inexercitatum habere planè cernitur, ille verò semper in equis virtutis, certandi studio feruens, vehitur inter medias Dæmonum copias, quadrigam continentiæ in timore
4 Reg. 2. Dei omni tempore exercens, quam quidem currũ Israël apud scripturam, cum Elias ille in sublime sublatus est, dictam esse legimus: siquidem Iudæis primum, de quatuor virtutibus excellenter locutum esse Deum videmus. Idcirco totus, & in curru ignis sublatus est ille tantus, ac tam admirandus sapientiæ alumnus, tanquam equis, vt mihi videtur, suis vsus virtutibus in Domino, qui illum in aura spiritus ignis rapuit.

Quomodo spiritualis non debeat, neque aliis litem intendere, neque sua in iudicio recuperare.

Cap. 63.

QVi particeps sanctæ cognitionis factus est, & dulcedinem Dei degustauit, neque litigare debet, neque vlli litem, intendere, tametsi vestitum, quo indutus est, alius detrahat: iustitiam enim magistratuum huius sæculi iustitia Dei omnibus modis superat, & antecellit, immò nihil illa est ad iustitiam Dei, quæ enim distantia inter eos, qui Dei & huius sæculi discipuli, & alumni sunt, si horũ ius cum iustitia Dei collatum non cernitur imperfectum, ita, vt alterum dicatur humanum ius, alterum diuina iustitia? Sic igitur, & Dominus noster
1. Pet. 2. Iesus Christus, cum malediceretur, non maledicebat, cum patiebatur, non minabatur: quinimo passus est cum silentio detrahi sibi amictum: & vt, quod plus est, dicam, pro salute maleficorum pa-
Luc. 23. trem precabatur, homines verò huius sæculi non prius litigare desinunt, quàm cum quæstu interdũ res ab iis à quibus in iudicium vocati sunt, recuperent, præsertim cum ante debitum vsuras ferunt, ita vt ius sæpe initium magnæ iniuriæ sit.

De iis, qui causam litigandi excusant, dicentes, non licere dare locum iis, qui res nostras nobis ad nostrum victum, & pauperum necessarias diripere volunt: & quomodo præstet, orationi, & custodiæ cordis operam dare, & iniuriam suam iudicio alterius seculi reseruare.

Cap. 64.

AVdiui pios quosdam dicere, non licere dare locum quibuscunque diripiẽdi, ea quæ ad nos alendos, vel ad pauperes recreandos habemus præsertim si qui hoc committũt Christiani sunt, ne dũ toleranter ferimus, iis, qui nos iniuria afficiunt, occasionem peccandi præbeamus. Hoc verò nihil aliud est, quàm per simulationem sua magis, quàm se amare. O excusationem à ratione alienam. Si enim derelicta oratione, & custodia cordis aduersus eos, qui me vexare, & diripere volunt, paulatim incipiam causas dicere, & ad tribunalium vestibula assiduus esse, liquet iam, pluris me facere recuperata per iudicium, quam salutem meam, ne dicam, quam ipsum mandatum salutare. Quomodo enim Matt.
omnino sequar, quòd Euangelium iubet, non repetere, si quis mea tollat, sed potius læto animo sufferre, & sicut Apostolus ait, cum gaudio suscipere direptionem bonorum meorum, quãdo neque qui in iudicio disceptauit, & quæ voluit recuperauit, violentum illum vsurpatorem peccato liberat? si quidem non possunt præscribere æterna Dei iudicia, quæ in terra exercẽtur. Has enim leges satis implet reus, apud quas contingit ei, causam suam defendere. Quare præclara res est perpeti violentiam eorum, qui volunt iniuriam facere, & preces pro eis adhibere, vt per pœnitentiam, non autem per restitutionem eorum, quæ diripuerunt, de crimine direptionis absoluantur. Hoc enim iustitia Domini postulat vt eum, qui rapuit, non quę rapuit, recuperantes, eundem per pœnitentiam liberemus.

De præstantia, & vtilitate vendendi omnia, & tribuendi ea pauperibus, & quomodo virtus humilitatis magis, quàm reliquæ virtutes, tanquam mater indulgentissima huiusmodi paupertatem foueat, & recreet.

Cap. 65.

REs apta, & omnino vtilis est, post cognitam viã pietatis in Deum, vendere statim omnia bona nostra, & pecuniam redactam, secundum mandatum Domini dispensare, ac non potius per simulationem obediendi mandatis Dei, monitum salutare non audire. Hinc enim sequetur primum quidẽ optima vacuitas solicitudinis, tum deinceps secura, & ab insidiis tuta paupertas, quę altiora cogitat, quàm de vlla iniuria, aut lite: idque quia non amplius habet materiam, quæ ignem auaritiæ inflammet. Fouebit autem nos tunc, magis quàm reliquę virtutes, humilitas, quæ sinu suo, & complexu nudos recreabit, sicut mater puerũ suum gremio exceptum fouet, cũ is puerili simplicitate ductus vestitum suum exuit, & procul abiecit, magis tũc nuditate, vt omnis malitiæ expers, quam varietate vestitus lætus. *Custodit enim* (inquit) *paruulos Dominus: humiliatus sum, & liberasti me.*

De iis, qui

De iis, qui dicunt, Vnde fiet eleemosyna pauperibus, qui quotidie nostris bonis alebantur, si omnia semel vendiderimus? & de humilitate, quam parit nihil iam habere ad largiendum pauperibus: & quomodo quod non potest comparari per eleemosynam, comparabitur copiosius per orationem, & tolerantiam, atque humilitatem, & quomodo qui bona sua reliquerunt, hi præparant se ad recipiendum charisma scientiæ verbi Dei, *vt possint diuitias regni* Dei *prædicare.*

Cap. 66.

2. Cor. 8. SAnè quidem *secundùm id, quod habemus* non autem *secundùm id, quod non habemus*, reposcet à nobis Dominus rationem eleemosynæ. Si ergo quod diu poteram largiri, tempore propter metum Dei benigne dispertio, de qua re amplius, cum nihil habeam accusabor? sed dicet aliquis, vnde igitur misericordia tribuetur iis pauperibus, qui solebant nostris mediocribus bonis paulatim gubernari? discat iste non exprobrare Deo per occasionem auaritiæ suæ: non enim deerit Deo facultas suos quos fecit, gubernãdi, vt à principio gubernauit, nec enim priusquam hic, aut ille ad tribuendam eleemosynam excitati essent, cibus, aut vestitus pauperibus deerat. Præclara ergo res est, statim percepta cognitione melioris status, bene largiendo abiicere temeritatẽ gloriandi ex diuitiis, odio habentem cupiditates quod est animam suam odisse, vt iam non amplius largitione opum lætãtes, nos ipsos nihili faciamus, tanquam nihil boni agentes, dum enim diuitiis affluimus, mirifice iis largiendis delectamur, si tamen virtute vtimur, tanquam hilaritet iussui Dei seruiẽtes, postquam verò bona omnia exhausta sunt, infinitus tunc subit dolor, & summissio, quasi nihil iustitia dignum agamus. Ex quo fit, vt ad se anima cũ multa summissione redeat: vt quod nõ potest quotidie per eleemosynam sibi comparare, hoc per laboriosam orationem, & per tolerantiam, atque humilitatem possit: Psal. 73. *pauper* enim (inquit) *& inops laudabunt nomen Domini*, nec enim charisma theologiæ id est, tractationis verbi Dei, vlli à Deo præparatur, nisi se ipse ita præpararit, vt propter gloriam Euangelij Christi omnium bonorum suorum relinquat possessionem, vt in paupertate Deo amica diuitias Euangelij regni Dei prædicet: hoc enim perspicue Psal. 67. significauit, qui dixit, *parasti in bonitate tua pauperi* Deus, & subiungit Dominus *dabit verbum euangelizantibus virtute multa.*

De charismate Theologiæ, & quot, & quanta bona ex ea proficiscuntur.

Cap. 67.

OMnia dona Dei sunt valde bona, & omnium bonorum causa sed nullum ita nostrum cor inflammat, & illud ad amandum bonitatem eius excitat, vt donum Theologiæ, cũ enim sit fœtus matutinus gratiæ Dei, prima etiam dona largitur animæ: primum enim facit, vt libenter, ac iucũde omnes vitæ huius amicitias contemnamus, vt qui pro cupiditatibus fluxis diuitias verbi Dei maiores, quã dici potest, habeamus. Deinde mentem nostrã igne naturam mutante collustrat: vnde consortem ministrantium spirituum eam facit. Hanc igitur virtutem, fratres charissimi, idoneè ad hoc præparati concupiscamus, quæ pulcherrima est, quæ omnia contemplatur, quæ omni solicitudine vacuũ facit, quæ fulgore arcani luminis plena est: & mentẽ verbis Dei alit: & quæ Deo verbo (ne multa dicam) animam rationis participem per sanctos Prophetas ad inseparabilem cum eo coniunctionem despondit, vt apud homines (ô rem admiratione dignam) hæc diuina pronuba voces, quibus similes Deo efficeremur, & theologici sermones diserte canerentur, aptaret.

Quæ sit causa, cur mens nostra difficilis sit ad orationem, facilis verò, & prompta ad diuinarum rerum contemplationes, & de utilitate orationis, ad proficiendum in contemplatione.

Cap. 68.

MEns nostra, vt plurimum difficilis est ad orationem propter angustam, & cõtractam virtutem orandi, ad Theologiam verò se dat libenter propter latitudinem & laxitatem res diuinas contemplandi vt igitur non faciamus ei liberum, vt multa loqui libeat, nec immoderate exultare, permittamus, quàm plurimum in oratione, & psalmorum cantu, & sanctarum scripturarum lectione occupemur, neque commentationes virorum disertorum negligamus, quorum fides ex sermone dignoscatur: non enim, cũ hoc fit, locus datur, vt mẽs nostra verba propria cum verbis gratiæ misceat, aut ab inani gloria trahatur per nimiam exultationem, ac loquacitatem distracta, immo & ipso contẽplationis tempore mentem extra omnem phantasiam cũstodiemus ac cunctas ferè cogitationes, quæ ad excitandas lachrymas valent, hinc ei cõparabimus, illis enim quietis temporibus recreata mens & ipsa orationis dulcedine maximè delinita, non solũ illis quæ diximus, vitiis liberatur, sed etiam vires adhuc renouat, quas celeriter, ac sine labore ad diuina cõtemplanda intendat: simúlq; in contemplatione ea discernendi, multa summissione proficiat. Illud tamen aduertendum est, esse quidem orationem supra omnem latitudinem: sed hæc illorum est, qui in omni sẽsu & plenitudine, diuina gratia impleti sũt.

Animus ad orationem difficilis.

Studium piorum.

Quomodo gratia in principio cum magna voluptate spirituali soleat animam illuminare: processu verò certaminis spiritualis non ita, vt videamur derelicti, & quæ vtilitas inde instat, & quomodo iis, qui adhuc sunt paruuli in certamine spirituali, nimius dolor, & nimium gaudium noceat.

Cap. 69.

SOlet principio gratia lumine suo in multo sensu animã collustrare: processu verò certaminis sæpe mysteria sua clam in anima diuina contemplanti, operatur, vt nos tunc quidem lætos in vestigia diuinarum rerum, quas contẽplamur, immittat, velut ex ignorãtia ad cognitionẽ vocatos, in medio verò certaminis cognitionem nostram ab inanis gloriæ cupiditate liberam seruet. Oportet igitur, dolere quidem moderate, quasi nos derelictos, quo summissiores simus, ac magis gloriæ Domini subiecti: lætari verò opportune spe bona exultãtes. Vt enim

nimius dolor animam in desperationem,& diffidē- A
tiam proiicit,sic nimia lætitia ad elationem prouocat:de iis loquor qui sunt adhuc pueri sensu, inter illuminationem enim & derelictionem interiecta est experientia:inter dolorem verò & lætitiam spes,
Psal. 39. *expectans* enim (inquit) *expectaui dominum: & intendit mihi*:& rursus,*secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meā.*

De loquacitate, quomodo animam distrahat, & memoria sui priuet, & quæ causa eius, & quàm præclara res sit silentium.

Cap. 70.

SIcut ianua balnei,si crebro aperiatur,cito calorē eius extrudit, sic anima cum multa loqui vult, quamuis valde pulchra sint omnia, memoriam sui per vocale ostium distrahit,ac disturbat.Ex quo fit, vt tempestiuis, & opportunis cogitationibus deinceps priuetur : ipsum verò cōcursum cogitationum quodāmodo tumultuose quibusuis proferat, quia non habeat deinceps Spiritum sanctum, qui animā eius à visis extrinsecus oblatis seruet,bonum enim, vtpote ab omni tumultu,& imaginatione alienum, verbositatem fugit, præclara ergo res est silentium, nihilque aliud, quàm mater sapientissimorum cogitatuum. C

Quomodo,cum quis ea,quæ mundi sunt, incipit repudiare, tūc incipiant passiones esse ei molestæ, & inter eas potissimū ira & odium: & quomodo melius sit flere duritiam iniquorum,quam odio eos prosequi, quamuis odio digni sint.

Cap. 71.

MVltas esse perturbationes,quæ principio animam in contemplatione rerum diuinarū versantem molestia afficiunt, ipse sermo scientiæ nos docet,maximè verò omnium molestæ sunt ira, & maleuolentia: hoc autem animæ non tam propter D
Dæmones, quam propter progressus suos accidit, dum enim cum voluntate mundi consentit, quamuis cernat iura quomodocunque conculcari, neq; mouetur, neque perturbatur. Siquidem dum suis ducitur cupiditatibus,non habet iustitiæ Dei rationem:postquam verò cœperit passiones superare,nō patitur iam tum propter contemptum rerum præsentium, tum propter charitatem, vt videat,ne per somnium quidem legem Dei violari, quin potius irascitur maleficis, quoad videat contumelios os in virtutem iustitiæ, dignitatem iustitiæ pie defendere. Idcirco igitur iniquos quidē odio habet,iustos verò diligit, tunc enim oculus animæ prorsus non E
rapitur errore,cum anima suum tegumētum, id est corpus ad multam tenuitatem per continentiā retexit,sed multo præstantius est duritiam,& stuporē cordis istorum deflere,quàm eosdem odio prosequi
Impij misericordia magis quā odio digni. & si enim maleuolentia digni sunt,tamen ratio non vult animam,quæ Dei charitate teneatur, maleuolentia turbari,& impediri,cum in ea anima,quæ odium habet,cognitio non operetur.

De charismate sapientiæ, & de charismate scientiæ, siue cognitionis: & quomodo secunda virtus plus valeat ad extirpandas passiones,quàm prior: & quare non reperiatur plenè vtraque in singulis.

Cap. 72.

THeologus,id est,rerum diuinarum cōtemplator eloquiis Dei delinitus,& inflammatus animo, applicat se in illa laxitate ac latitudine opportuna contemplationū ad moderandas aliquantum passiones, *eloquia* enim Domini (ait) *eloquia casta:argētum igne examinatum,purgatum terræ.* Qui verò cogni- Psal. 11.
tioni deditus est, experientia cognitionum secundum operationem confirmatus, superior passionibus existit, assequetur autem Theologus experientiam virtutis cognitionis, si se summisse gerat.
B Et rursus qui studio cognitionis tenetur, assequetur item virtutem contemplationis, si eam partem animæ,quæ ad discernendum data est, habeat non errantem. Non enim cuiuis contingit habere ex toto hæc duo charismata, idque vt dum vterque admiratur,& laudat quo alter abundat, humilitas cū zelo iustitiæ in ambobus redundet. idcirco ait Apostolus *alij per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem* 1. Cor.
sermo scientiæ, (siue cognitionis) *secundum eundem spiritum.*

De oratione vocali, & in corde,cui contingat libentius orare voce: & cui rursus libentius in corde, & de simulachro lætitiæ,quod sequitur orationem vocalem, & de lachrymis,quæ sequi solent orationem cordis, & post lachrymas quædam voluptas animi: & quæ sit causa, & quomodo opus sit paulo maiore voce Psalmos canere, cum animus grauiter languet.

Cap. 73.

CVm anima est in affluentia suorum fructuū naturalium,maiore etiā voce psalmos canit, magisque vult orare voce. Cum verò Spiritus Sanctus in ea operatur, tunc cum omni laxamento, ac dulcedine canit,& orat in corde tantum. Sed cum illo priore modo affecta est, sequitur inde, vt videatur sibi gaudere: cum autem posteriore, sequuntur lachrymæ spirituales, ac postea voluptas quædā animi tacita,& silētij amica : memoria enim dum propter temperationem vocis manet feruida, facit, vt quosdam blandos, & lachrymantes cogitatus conferat. Vnde videre sanè est, semina orationis cū lachrymis propter spem metendi gaudium in terra cordis spargi. Cæterum, cum multa mœstitia grauamur, oportet nos paulo grandiore voce psalmos canere, edentes sonos animæ lætitia spei, donec grauis illa caligo aura concentus discutiatur.

De ardore spirituali animæ, & quid inter charitatem naturalem, & spiritualem intersit.

Cap. 74.

CVm anima nosci t seipsam, ex se etiam feruorem quēdam,& pudorem Deo amicum affert: si quidem non confusa solicitudinibus vitæ huius amorem quendam pacis parit,quo Deū pacis quærit:tametsi celeriter ab hoc distrahitur, vel sensibus prodentibus,& vel etiam natura bonum suum propter inopiam cito consumente. Vnde sapientes gētilium, quod per virtutem se assequi existimabant, hoc,vt oportebat, non habebant:quia scilicet eorū mens à perenni,& vera sapientia non agebatur. Fer-

uor

469 uor verò, quem Spiritus Sanctus cordi affert, primũ quidem totus ad pacem ſpectat, conſtánsque eſt, at- A que omnes animæ partes ad deſiderium Dei inuitat, & extra cor non excitatur: immò per ipſum ad charitatem quandam immenſam, & gaudium totũ hominem exhilarat, oportet igitur ardorem illum agnoſcere, ad eúmque peruenire, charitas nánque naturalis index eſt naturæ propter virtutem quodammodo beneualentis, nunquam tamen facere poteſt mentem bonam ad comparandam vacuitatem paſſionum, vt poteſt charitas ſpiritualis.

Quando, & quomodo gratia Spiritus ſancti ſeruet animam puram, & liberam à nebulis paſsionum: & quando item, & quomodo ſpiritus erroris tegat eam nubibus peccatorum.

Cap. 75.

SIcut aër iſte nobis circunfuſus, flante Aquilone propter naturam eius tenuem, & ſerenantẽ, purus permanet: contra verò, flante Auſtro, totus veluti denſatur à natura vẽti huius nebuloſa, qui ex ſuis regionibus, ac locis ratione cuiuſdam cognationis nubes per totum orbem inducit. Sic anima, cum afflatu veri, & ſancti ſpiritus cietur, tota extra nebulas Dæmonis poſita eſt: rurſus verò, cum ab ſpiritu erroris vehementer inflatur, tota nubibus peccati obtegitur. Oportet igitur, vt totis viribus propoſitum noſtrum ad viuificam, & purgantem Spiritus ſancti auram ſemper conuertamus: id eſt, ad ſpiritum, quem propheta Ezechiel venientẽ ab Aquilone in lumine cognitionis vidit. Vt ea potiſſimum Ezech.1. animæ noſtræ pars, quæ in contemplatione verſatur, in ſerenitate perſeueret: vt diuina ſine errore contẽplemur, cernentes ea, quæ ſunt luminis in aëre veri luminis hoc enim eſt lumẽ verę cognitionis.

Quomodo ante baptiſmum ſpiritus veritatis operetur in anima: & quomodo ſpiritus erroris: quomodo item iſti duo ſpiritus operentur poſt baptiſmum. Cap. 76.

NOnnulli exiſtimarunt, gratiam pariter & peccatum, id eſt, ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris in mẽte eius, qui baptizatus eſt, occultari. Vnde alter (inquiunt) mentem ad virtutes hortatur, & prouocat, alter ad contraria. Ego verò tum ex diuinis ſcripturis, tum ex ipſo ſenſu mentis comprehenſum habeo, ante baptiſmum quidem hortari extrinſecus gratiam ad meliora: ac Satanam in imo cordis deliteſcere dantem operam, vt omnes vias mentis, quæ ad dexteram tendunt, obſtruat: ex ipſa verò hora, qua regeneramur, Dæmon quidem foris eſt, gratia verò intus. Vnde comperimus, ſicut olim E error dominatus eſt in animam, ſic in eam poſt baptiſmum dominari veritatem. Exercet quidẽ poſtea Satanas vim ſuam in anima, ſicut antea, & ſæpenumero peius, non tamen tanquam adſit vnà cum charitate; abſit; ſed, quòd dulcedinem voluptatum, quæ à ratione alienæ ſunt, tanquã fumum quendã in mentem per liquorem corporis infundat, hoc autem permiſſu Dei efficitur, vt homo per tempeſtatẽ, & ignem probationis traiectus, ſic ad fruendũ ſi velit, ſummo bono perueniat: *tranſiuimus* (inquit) *per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.*

Quomodo & quando incipiat gratia Dei declarare bonitatem ſuam animæ: & quare tunc permittat Deus, vt plus moleſtiæ exhibeant ei Dæmones: & quàm magna inde vtilitas exiſtat.

Cap. 77.

GRatia, vt dixi, ex ipſo pũcto temporis, quo baptizamur, in ipſa ima ſede mentis occulitur, præſentiam ſuam ſenſui cælans: poſtquam verò toto quis animo Deum amare cœperit, tunc inexplicabili quadam ratione per ſenſum mentis partem bonorum ſuorum cum anima communicat. Vnde qui prorſus vult tutè hoc, quod inuenit, tenere, facile capitur deſiderio relinquendi libentiſſimè omB nium bonorum vitæ huius poſſeſſionem, vt agrum nimirum comparet, in quo theſaurum vitæ abditũ Math.13. reperit. Cum enim cunctas quis vitæ huius opes dimiſerit, tunc locum, in quo gratia Dei recondita eſt, adipiſcitur. Secundum enim proportionẽ progreſſus animæ donum Dei bonitatem ſuam menti patefacit: tametſi permittat Deus Dæmonibus, vt plus tunc turbarum animæ faciant: ſcilicet, vt congruẽter eam doceat, rectum à prauo diſcernere, efficiátque quando purgatur, magis ſummiſſam, propter multam verecundiam turpitudinis ex cogitationibus, appulſu Dæmonum excitatis.

C *Quatenus homo ad imaginem Dei factus ſit, & quid effectum per peccatum Adæ: & quid rurſus per baptiſmum: & quare non poſsint ſimul habitare in homine duo ſpiritus, alter bonus, & alter malus, ſicut nonnulli opinati ſunt, quare poſt baptiſmum relicta eſt duplex voluntas, & impugnatio Dæmonis.*

Cap. 78.

SVmus ad imaginem Dei, ſecundũ notionem a- Geneſ.1. nimæ ad mentem pertinentẽ: corpus enim, tanquam domicilium animæ eſt, igitur quia peccato Adæ non ſolum lineæ formæ animæ ſordidatæ ſũt,
D ſed corpus quoq; noſtrum ſub interitũ cecidit, idcirco ſanctum Dei verbum carnem aſſumpſit, donauítque nobis, vtpote Deus, aquam ſalutarem per Baptiſmus baptiſmũ ſuum ad regenerationem: per aquã enim operatione viuifici ſpiritus regeneramur, quo confeſtim anima, & corpore mundamur, ſi modo toto animo affecti, ad Deũ accedimus, ſpiritu quidẽ ſancto in nobis habitante, peccato verò ab eo expulſo, non enim fieri poteſt, cum ſit vna & ſimplex animæ forma, vt duæ ibi perſonæ adſint, vt quorundam opinio fuit, gratia nánq; Dei per baptiſmum infinito quodã amore ad lineas formæ, quę ad imaginem Dei facta eſt, aptata in pignus ſimilitudinis, vbi poE teſt eſſe locus Dæmoni? cũ nulla ſit *luci cum tenebris* 2.Cor.6. communitas? Qui igitur in ſacro certamine curſores ſumus, credimus multiformem illum ſerpentẽ per lauacrũ incorruptibile ex penetralibus mentis eiici, neq; verò mirari debemus, cur poſt baptiſmũ turpia cũ honeſtis cogitamus: ſanctus enim baptiſmus maculam quidem peccati ex nobis delet, illam verò voluntatem noſtram duplicem non mutat nunc; neque Dæmones, ne nos impugnent, prohibet; aut ne verbis vtantur ad decipiendũ, ſcilicet, vt quod in illo naturali ſtatu poſiti nõ cuſtodiuimus, acceptis armis iuſtitiæ, virtute Dei cuſtodiamus.

Quomodo in profundo cordis, ideſt in mente ipſa habitet gratia Dei: & quomodo ibi, nihil poßit Dæmon operari: & quomodo: & per quas partes operantur Dæmones in anima: & quomodo mens noſtra condelectetur legi ſpiritus, & de gaudio ſpirituali, vnde & quando exiſtat.

Cap. 79.

SAtanas, vt dixi ab anima per ſanctum baptiſmũ excluditur: permittitur tamen ei ob eas, quas dixi cauſas operari in ea per corpus: gratia enim Dei in profundo animæ, id eſt, in ipſa mente habitat. Pſal. 44. *Omnis* nanque *gloria filiæ regis intus*, vt ait Propheta, Dæmonibus inaſpectabilis, quocirca deſideriũ Dei ex ipſo, quaſi profundo cordis veluti ſcaturire ſentimus, quando Dei feruenter recordamur: mali verò ſpiritus in ſenſus corporis deinceps inſiliũt, ibíq; deliteſcunt in iis operantes cũ eſt carnis opportunitas, qui ſunt adhuc anima puerili. Ad hunc igitur Rom. 7. modum mens noſtra ſecundum Apoſtolum ſemper legi ſpiritus condelectatur: ipſi verò ſenſus corporis blanditiis, & illecebris voluptatũ capi volunt. Vnde gratia quidem in iis, qui proceſſus in cognitione faciunt, per ſenſum mentis delectationem gignit, ita, vt mirabili eos gaudio exultare faciat. Dæmones vero cum nos rurſus viderint curſum pietatis negligenter currẽtes, animam per ſenſus corporis captiuam ducunt, violenter illam quidem interfectores illi ad ea, quæ renuit, prouocantes.

Quomodo in cordibus fidelium non poſsint ſimul inſidere ſpiritus gratiæ, & ſpiritus peccati, vt quidam opinati ſunt, male interpretantes illud Ioannis Euangeliſtæ,

Ioan. 1. & tenebræ eum non comprehenderunt: *& quomodo hoc Paulus interpretatus ſit in Epiſt. ad Phil. c. 3.*

Cap. 80.

QVi aiũt duas perſonas, ſpiritum ſcilicet gratiæ, & ſpiritum peccati in cordibus fidelium ſimul inſidere, ex eo, quòd Euangeliſta dixit, *& lumen in* Ioan. 1. *tenebris lucet, & tenebræ eum non comprehenderunt*, opinionem ſuam probare volunt, dicentes non inquinari diuinum ſplendorem, ſpiritus mali congreſſu, quomodocunque diuinum in anima lumen ad tenebras Dæmonis propius accedat. Ipſis tamen Euangelij verbis à ſanctis ſcripturis diſſentire probãtur, quia enim verbum Dei voluit, vt verum lumen ſuum per carnem ſuã hominibus appareret, incenſo in nobis ob nimiam eius beneuolentiam lumine cognitionis, prudentia verò mundi conſilium Dei non comprehendit: ſiquidem prudentia carnis inimica Dei eſt. Ob hanc cauſam vſus eſt Ioannes huiuſmodi verbo, atqui paucis interiectis, ſubiungit Euangeliſta, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, id eſt, eſt dux viæ oſtẽdendæ, ac vitam præſtat, *in mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit, in propria venit, & ſui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine eius.* Ait autem apoſtolus Paulus interpretãs illud, *non comprehenderunt, non quòd acceperim iam, aut* Philip. 3. *iam perfectus ſim; perſequor autem, vt comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu.* Itaque non dicit Euangeliſta, non comprehendiſſe Satanam verum lumen, ab initio enim alienus eſt ab eo, ſi quidem non lucet in ipſo, ſed potius homines ipſos, qui audiebant quidem potentias, & mirabilia filij Dei, ſed propter erroris tenebras cordi offuſas, ad lumen cognitionis eius accedere nolebant, merito verbo illo vituperat.

De duplici genere malorum ſpirituum, partim, cum anima, partim cum corpore luctantium, & quomodo tentent, cum anima eſt extra gratiam Dei, & quomodo, cum non eſt, & quomodo vtriſque reſiſtendum, & de tentatione, quãdo tentat Dæmon ſuggerendo, vt naturam humanam cõtemnamus, quia ſit mortalis: & quomodo ſit tunc occurrendum.

Cap. 81.

DVo eſſe veluti genera malorum ſpirituum, docet nos ſpiritualis cognitio. Alij enim ſunt, tanquam ſubtiliores, alij craſſiores, ſubtiliores igitur animam oppugnant, craſſiores verò quibuſdam ſordidis conſolationibus carnem ducere captiuam ſoliti ſunt. Quamobrem Dæmones, qui cum anima luctantur, & qui cum corpore, ſibi ipſi ſunt aduerſarij, tametſi par vtriſque ſtudium, ac propoſitum nocendi hominibus. Cum ergo non habitat gratia in homine, tunc in profundo cordis inſtar quidem ſerpentis deliteſcunt, non ſinentes omnino animã ad cupiditatem boni aſpicere. Cum verò gratia in mente eſt abdita, tunc tanquã nubes quædam caliginoſæ deinceps per partes cordis in paſſiones peccati diſcurrũt induti in varias formas diſtractionũ, vt memoriam mentis diſtrahẽtes, illam ipſam mẽtem ab vſu, & familiaritate gratiæ diuellant. Quando igitur à Dæmonibus, qui animæ ſunt infeſti, ad paſſiones animæ inflammamur, ac potiſſimum quidem ad elationẽ, quæ eſt omnium malorum parẽs, ſi interitũ corporis cogitamus, inflatos eſſe, & gloriæ cupidos magnopere nos pudet, idem autem facere oportet, cum Dæmones, quibus cum corpore luctatio eſt, eo nos præparãt, vt cor noſtrum in turpia deſideria efferueſcat, hæc enim recordatio mortis poteſt omnes varietates malorum ſpirituum per memoriam Dei fruſtrari: quod ſi dæmones iſti ſubtiliores, qui animas impugnant, nobis de hac cogitatione mortis, vt naturam humanam infinito deſpectui habeamus, ſuadeant, quaſi propter carnem intereũtem nullius precij, aut honoris ſit: hoc enim facere ſolent, cum quis eos huiuſmodi cogitatione mortalitatis torquere vult, reſtat, vt cœleſtis regni decus, & gloriam cogitemus, acerbitatem, & tenebras iudicij interim non negligentes: vt altero leuitatem cordis noſtri premamus, altero triſtitiam noſtram conſolemur.

Quomodo, quandiu eſt aliquis in gratia Dei, non poteſt Diabolus eſſe in corde eius: & quomodo, & vbi hoc docet Paulus: & quomodo pugnet Diabolus cum iis, qui ſunt in gratia Dei: & quomodo cum iis, qui ſunt extra gratiam: & quomodo, qui perfectè pugnet cum Diabolo, non poteſt Diabolus carnem eius ad voluptatis illecebras pellicere, vt Paulum & ſimiles.

Cap. 82.

DOcuit nos Deus in Euangelio, quemadmodũ cum *reuerſus* Satanas *reperit domum ſuam ſcopis* Matth. *mundatam, et vacantem*, id eſt, reperit cor infrugiferũ, tunc

tunc *accipit septem alios spiritus, & ingreditur in eam*, la- A
tétque intus, efficiés *nouissima hominis illius peiora prio-*
1.Pet.2. *ribus*. Vnde aduertendum est, quandiu in nobis est
Spiritus sanctus, non posse Satanam ingressum, in
profundo animæ residere, immo & Paulus aperte
docet nos huius contemplationis intelligentiam,
cõtemplatus enim huius quæstionis genus, ex scië-
tia quidem certandi hunc sermonem profert, *Con-*
Rom.7. *delector* (inquit) *legi Dei, secundum hominem interiorem.*
Video autem aliam legem in corpore meo repugnantem legi
mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in
membris meis: ex perfectione verò illum, *nihil igitur dã-*
nationis in Christo Iesu: lex enim Spiritus vitæ liberauit me
à lege peccati, & mortis dicit præterea in alio loco, vt B
rursus doceat nos, ex corpore oppugnari à Satana a-
nimam Spiritus Sancti participem, *State igitur succin-*
Eph.6. *cti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, cal-*
ciati pedes in præparationem Euangelij pacis, in omnibus su-
mẽtes scutum fidei, in quo positis omnia tela nequissimi ignea
extinguere: & galeam salutis assumite: & gladium spiritus,
quod est verbum Dei. Aliud est, captiuam duci, aliud
luctari: illud significat, per vim abduci: hoc æquis
viribus certari. Vnde Apostolus Diabolum ait ani-
mas Christum in se ipsis ferentes, cum *igneis telis* in-
uadere, vt enim qui non potest eum, cum quo cer-
tat, prehendere, iaculis omnino vtitur aduersus eũ,
vt possit pugnantem eminus pennis telorum vena- C
ri: sic Satanas, quia non potest propter præsentiam
charitatis occultari, sicut prius, in mente luctantiũ,
volitat deinceps super humorem, ac latitat in cor-
pore, vt facilitate eius animam lactet, & pelliciat,
quocirca oportet moderate eũ extenuare, ne mens
Carnis & spiritus, pugna. per humorem eius ad illecebras voluptatum laba-
Rom.7. tur. Credendum enim est Apostolo, in mente qui-
dem eorum, qui in certamine sunt, diuinum lumen
operari, ex quo fiat, vt legi Dei seruiat, eáque dele-
ctetur. Caro enim prauis applaudit, suáque facilita-
te admittit spiritus: quæ causa est, vt ad famulandũ
nequitiæ eorum aliquando trahatur, ex quo maxi-
me apparet, non esse mentem commune Dei, & D
Diaboli domicilium: alioqui quemadmodum illud
diceret, *mente quidem seruio legi Dei, carne verò legi pecca-*
ti, nisi mens mea cum omni libertate in pugna con-
tra Dæmones staret bonitati gratiæ seruiẽs: corpus
verò suauem odorem voluptatum à ratione abhor-
rentium admitteret? quia vt dixi, sinuntur mali &
fallaces Dæmones in corpore eorum, qui certant,
absconditi esse. *Scio enim* (inquit) *quod non habitat in*
me, idest in carne mea bonum, in iis scilicet, qui medio
quodam certamine peccato resistunt. nõ enim hoc
Apostolus de se dicit, cum mente quidem pugnam
Dæmones committere: carnem verò, vt ad illece-
bras voluptatum blandis consolationibus emolliãt E
ac dissoluant, eosdẽ conari, permittũtur enim iusto
iudicio versari in profundo corporis etiã in iis, qui
robuste aduersus peccatum dimicant: quia sit sem-
per experiẽda, & periclitanda libertas humanæ vo-
luntatis: At si quis queat adhuc viuens mori per la-
bores, totus deinceps domus Spiritus Sancti fit, hic
enim priusquã moriatur, surrexit, qualis Paulus, &
quicunq; perfectè cũ peccato certarunt, & certant.

Quomodo, & vnde cor malas cogitationes gignat, & quare cogitationes etiam à Diabolo nobis suggestæ, ex corde exire dicantur in Euangelio.

Cap. 83.

COgitationes quidem tum bonas, tum nõ bonas gignit ex se cor: non quidem, quod malas cogi-
tationes naturaliter ferat, sed quod propter primam
illam fallaciam tanquam habitum quẽdam memo-
riæ eius, quod non est bonum, semel cœperit, pluri-
mas verò, easdémque malas cogitationes ex amа-
rulentia Dæmonũ concipit: vniuersas verò ex cor-
dibus nostris proficisci sentimus, ex quo factum est,
vt nonnulli existimarent, peccatum esse in anima
pariter cum gratia: atque idcirco Dominũ dixisse,
quæ ex ore exeunt, ex corde exire, & illa hominem
inquinare. *Ex corde enim* (inquit) *exeunt cogitationes* Math.15.
B *malæ*, sed ignorant isti, quemadmodum mẽs nostra,
quæ sensu quodam subtilissimo vtitur, illarum co-
gitationum operationem, quas mali spiritus ei sug-
gerunt, quasi per carnem sibi vendicat, corporis fa-
cilitate magis ad hoc, nescio quomodo, animã per
concretionem trahente. Siquidem semper anima
assentationes, & blanditias fallaciæ, immoderate a-
mat, ob hanc causam cogitationes à Dæmonibus
seminatæ ex corde videntur prodire: eas autem no-
stras reuera ipsi facimus, quoties illis delectari vo-
lumus, quod quidem cum Dominus reprehende-
ret, vt scriptura ipsa diuina declarat, iis verbis, quæ
supra c.80. recitauimus, vsa est. Qui enim cogita-
C tionibus, quas improbitas Satanæ subiicit animæ,
delectatur, earúmque memoriam cordi suo veluti
inscribit, non est dubium, quin eas ipsas ex mente
sua, veluti fructus effundat.

Quomodo non possint esse simul in corde hominis gratia Dei, & Diabolus, & de exemplo ad hoc declarandum, & intelligendum.

Cap. 84.

AIt Dominus in Euangelio, *non posse fortem domo* Math.12.
sua eiici, nisi fortior eiiciat, postquam eum alligauerit
& diripuerit. Quomodo igitur poterit cum tãto eie-
ctus dedecore, rursus ingredi, & vnà cum vero ver-
D sari Domino domi suæ quandiu vult, requiescenti?
nunquam enim rex, cum tyrannum aliquem deui-
cerit, qui aduersarius suus aliquando fuerit, in regia
secum adesse cogitabit. Quin potius statim iugula-
bit, aut certè militibus suis alligatum tradet, vt diu-
turnum supplicium de eo sumant, eúmque miserri-
ma morte afficiant.

Vnde accidat, quod simul honesta, & turpia quandoque cogi-
tamus: & quando, ac cur gratia præsentiam suam menti
celet, & quid tunc faciendum sit, & quomodo inter cæte-
ras omnes virtutes nihil possidere maximè conciliet gratiã
Dei ad amandum eum vehementer: & cur aliquando etiã
E *is, qui magnos progressus in virtute fecit, permittatur po-*
testati Dæmonis, relicta eius mente sine lumine.

Cap. 85.

SI quis, quia honesta simul, & turpia cogitamus,
spiritum sanctũ, & Diabolum in mente habitare
eo tẽpore arbitratur, intelligat id accidere, quia nõ-
dum *gustauimus*, neque *vidimus, quam bonus Dominus*; Psal.33.
primum enim, vt superius dixi, cælat gratia præsen-
tiam suam in baptizatis, expectans propositum ani-
mæ: cum verò se quis ex toto ad Dominum con-

uerterit, tunc ſenſu quodam inexplicabili declarat A ſe adeſſe præſentem in corde: ac rurſus motionem animæ expectat, permittit tamen tela Dæmonis vſque ad profundum ſenſum pertingere, vt feruidiore propoſito, ac ſummiſſo animo affectus Deũ quærat. Si ergo incipiat deinceps in obſeruatione mandatorũ progredi, ac Dominũ Ieſum ſine intermiſſione imploret, tunc ignis ſanctæ gratiæ ſenſus etiã cordis exteriores depaſcit, zizania humanæ terræ plenè exurẽdo, ex quo fit, vt procul ab illis locis inſidiæ Dæmonis abſcedant, illam partẽ animæ quæ paſſionibus cõmouetur, ſenſim ac leniter deinceps ſtimulantes. Cum verò qui certat, virtutes omnes, tanquam nodo connectit, ac maximè omniũ virB tutum nihil penitus poſſidendi, tunc totã ipſius naturam profundiore quodam ſenſu gratia colluſtrat circum fouens deinceps ad amandum Deũ vehementer, quocirca tunc extra ſenſus corporis ignei dæmonum arcus extinguuntur: aura enim Spiritus ſancti, quæ ad flatus pacis cor mouet, tela igniferi Dæmonis in aërem allata extinguit, permittit tamen aliquando Deus malitiæ dæmonis eum etiã, qui hos progreſſus fecit, relicta tunc mente eius ſine lumine: ne ſcilicet poteſtas voluntatis noſtræ liberæ, vinculo gratiæ ſit prorſus alligata: non ſolum, quia luctando peccatum vincitur, ſed etiam quia debet homo adhuc ad ſpiritualem experientiã proC ficere: quod enim in eo, qui eruditur, perfectũ exiſtimatur, ſi cum diuitiis erudientis Dei comparetur, imperfectũ eſt in magnificentia charitatis, quã eis proceſſu laborum totam quis *ſcalam* oſtenſam *Iacob* poſſit aſcendere.

Gen. 28.

Rurſus quomodo gratia Dei non poſſit vnà cum Diabolo habitare in mente hominis, & de duplici deceſsione gratiæ Dei: ſecundum eruditionem, & ſecundum auerſionem, & quare gratia Dei ſe aliquando abſcondat menti, & de exẽplo familiari ad id oſtendendum.

Cap. 86.

Luc. 10. DOminus eſt qui ait, *Satanam veluti fulgur è cœlo* D *cecidiſſe*, vt in Angelorũ domicilium deformis ille non aſpiciat. Quomodo ergo qui vel cõmune bonorum miniſtrorum non eſt habitus dignus, vnà cũ Deo in mente hominis habitare poteſt? at dicẽt fieri hoc ſecundum deceſſionem. Sed nihil amplius proficiunt: decedere enim Deũ ad erudiendũ, non priuat animam diuino lumine. Sæpe enim gratia, vt iam dixi præſentiam ſolum ſuam menti cælat, vt acerbitate, & moleſtia Dæmonum animam veluti impellat, vt cũ omni metu, ac magna ſummiſſione auxilium Dei quærat, malitiã inimici ſui paulatim agnoſcens, quemadmodum ſi mater puerulum ſuũ lactentẽ, & leges fugendi detrectãtem, pauliſper ab vlnis ſuis repelleret, vt perterritus à quibuſdã deE formibus hominibus circumſtantibus, aut beſtiis qualibuſcunq; ad ſinus matris cũ magno timore, & lachrymis reuertatur, illa verò deceſſio gratiæ, quæ per auerſionẽ Dei fit, animã, quæ Deum habere nõ vult, Dæmonibus velut vinctam tradit, at nos non

Heb. 10. ſumus *filij ſubtractionis*, auertat Deus. Sed credimus eſſe nos filios gratiæ Dei legitimos qui paruis eius deceſſionibus, & crebris conſolationibus tanquam

Eph. 4. lacte alimur, Vt per bonitatẽ eius *in virum perfectum, & menſuram ætatis plenitudinis Chriſti* euadamus.

Decedere gratiam Dei ad eruditionem, quid boni afferat homini, & rurſus quid mali decedere ſecundum auerſionem, & quid in vtraque deceſſione faciendũ nobis ſit: & quare aliquando gratia Dei auxilium ſuum in anima cælet Dæmonibus.

Cap. 87.

DEceſſio gratiæ ad erudiendum, affert quidem animæ multum doloris, ac ſummiſſionis & deſperationem moderatã, vt ea pars animæ, quæ ſtudio gloriæ & admirationis capitur, decẽter ſe ſummittat: continuò tamen affert cordi timorem Dei, & lachrymas confeſſionis, ac vehemẽs deſiderium optimi ſilentij. Deceſſio verò per auerſionem Dei facta animã repleri ſinit deſperatione ſimul, & diffidentia atque ira, & elatione. Quare oportet, cum vtranque deceſſionem experientia didicerimus, vt vtriúsque earum modus requirit, ad Deum accedere: in altera quidem gratias cum defenſione agere debemus, quod priuatione conſolationis intemperantiam voluntatis noſtræ caſtigarit: vt nos tanquã bonus pater virtutis, & vitij differentiam doceret: in hac vero perpetuam peccatorum confeſsionem, & omni tempore lachrymas, ac maiorem receſſionem adhibere oportet, vt ſic Deum acceſsione laborum ad reſpicienda, ſicut antea, corda noſtra fleCctere poſsimus. Aduertendum tamẽ eſt, quod cum ipſe Satanas per ſe pugnam cum anima committit, in deceſsione, inquam, gratiæ, quæ fit ad erudiendũ ſubducit quidem ſe ipſa, vt dixi, gratia, quodam tamen ignoto, & occulto auxilio animam adiuuat, vt inimicis eius oſtendat animæ eſſe victoriam.

Quomodo Spiritus Sanctus principio gratiam ſuam operetur in inchoantibus vitam ſpiritualem, & de exemplo naturali ad hoc intelligendum: & vnde factum ſit, vt mens etiam nolens eodem tempore honeſta, & turpia cogitet: & qui ſint, qui ſpiritualia tantum cogitant, & quomodo id contingat.

Cap. 88.

QVemadmodum cum quis hyberno tempore alicubi ſub aperto cœlo mane ſe totũ ad Orientem vertit, priores quidem partes omnes corporis à ſole caleſcunt, poſteriores verò omnes ſunt expertes caloris, quia non eſt ſol ſupra caput eius: ſic euenit iis, qui ſunt in initio ſpiritualis operationis, ſcilicet cor eorum teporẽ diuinæ gratiæ ex parte admittit: Vnde fructus tũc ſpiritualium cogitationũ incipit mens effundere, partes verò cordis patentes, ſecundũ carnem ſapiunt, quod nondũ intimo ſenſu omnia cordis membra lumine ſanctæ gratiæ illuſtrentur: quod quidẽ nonnulli, cũ non intelligerẽt, duas perſonas tanquam ſibi inter ſe aduerſarias in mente certãtium eſſe cogitauerunt, ſic igitur accidit, vt anima honeſta, & non honeſta eodẽ puncto tẽporis cogitet, ſicut homo, cuius exemplum ſupra poſuimus, eodem temporis ſpatio friget, & tepeſcit, ex quo enim mens noſtra in duplicem cognitionẽ delapſa eſt, neceſſe habet, vt eodem momento quãuis nolẽs honeſta & turpia cogitata ferat, ij præſertim, qui ad ſubtilitatẽ diſcernendi veniũt. Sẽper enim vt mens properat aliquid honeſti cõſiderare, cõtinuo ſubit

477
subit recordatio mali, quod sit memoria mentis nostræ propter peccatum Adæ nō obediētis in duplicem quandam diuisa cogitationem. Si igitur mandata Dei zelo perficere incipiamus, deinceps gratia Dei omnes sensus nostros in sensu quodam profundo illuminans, cogitatus quidem nostros veluti cōburit: cor verò in pace quadam amicitiæ firmæ, ac constātis dulcedine perfundit: facitque vt spiritualia, & non iam, quæ secundum carnem sunt, mente agitemus, hoc verò iis frequentissime cōtingit, qui ad perfectionem proxime accedunt: qui memoriā Dei perpetuam in corde habent.

Quando, & quomodo faciat Dei gratia, vt imago Dei, ad quam facti sumus, splendeat in nobis: quando item faciat, ac quomodo, vt sit in nobis similitudo Dei, & de exemplo pictoris ad intelligendum vtrunque, & quomodo sine illuminatione dilectionis Dei, quam spiritus sanctus operatur, nemo possit habere similitudinem Dei, quamuis habeat cæteras omnes virtutes, quas naturaliter habere possit.

Cap. 89.

DVo nobis bona per baptismum regenerationis sancta gratia comparat, quorum alterum alteri infinito interuallo antecellit: sed illud quidem statim largitur, renouat enim nos in ipsa aqua, & cunctas animæ lineas, id est, quod est ad imaginem Dei omnibus rugis peccati nostri detractis splendescere facit: hoc verò, id est quod est, ad similitudinem Dei non statim largitur, sed expectat potius, vt illud, nobis adiutoribus, operetur, cum igitur cœperit mens multo sensu suauitatem Dei gustare, scire nos oportet, tunc gratiam incipere veluti depingere in imagine similitudinem. Vt enim pictores primum quidem vno colore figuram hominis depingunt, postea verò colorem colori paulatim imponentes, speciem similis picturæ vsque ad capillum saluam retinent, sic gratia Dei primò quidē quod erat ad imaginem Dei factum, in eum statum, qui erat, cum factus est homo, per baptismum, concinnat, & aptat: cum autem videt nos toto animo pulchritudinem similitudinis concupiscere, staréque in sua officina nudos, ac nullius admiratione rei captos, tunc virtutem virtuti addēs, instar florum, speciémque animæ à claritate in claritatem transferens, formam similitudinis Dei ei adhibet: ita vt sensus quidem declaret, formari in nobis illud quod est ad similitudinem, perfectionem verò similitudinis ex illuminatione cognoscemus, mens nanque proficiendo mēsura quadam & rythmitica temperatione arcana, per sensum virtutes vniuersas recipit: spiritualem verò charitatem nemo comparare potest, nisi ab Spiritu sancto plenissimè illuminetur: nisi enim mens similitudinem Dei per diuinum lumen perfectè recipiat, cæteras ferè virtutes habere quidē potest, perfectę vero charitatis adhuc expers remanet. Siquidem cum similitudinem virtutis Dei accipit, quatenus homo fieri potest similis Deo, tunc fert similitudinem diuinæ charitatis, vt enim in iis tabulis, quæ ad similitudinem aliarum pictę sunt, totum illud floridum colorum, qui sunt additi imagini, similitudinem picturæ per omnia seruat, & retinet vsque ad imitationem etiam subridentis, sic in iis, quos diuina gratia ad similitudinem Dei depingit, illuminatio charitatis addita declarat eum, qui ad imaginem Dei factus est, esse ex omni parte similitudine Dei decoratum, non enim potest alia virtus vacuitatem passionum ipsi animę acquirere, nisi sola charitas: *plenitudo námque legis dilectio est.* Quamobrem renouatur quidē homo noster interior de die in diem in gustu charitatis: impletur verò, cū hæc perficitur. Rom. 12.

De sensu, & experientia diuinæ dulcedinis in initio proficiendi spiritualiter, vnde existat, & quomodo: & cur postea abscondatur nobis huiusmodi dulcedo: & vnde existat difficultas diligendi Deum cum gustu, & in sensu cordis, & quomodo contendendum sit ad eiusmodi gustum charitatis Dei: & quibus contingat perfectio charitatis in hac vita, & perfectus gustus eius.

Cap. 90.

IGitur Spiritus Sanctus initio progressus Spiritualis, si virtutem Dei feruide amamus, annuit animæ, vt dulcedinem diuinā in omni sensu, & plenitudine sentiat, quo possit mens sanctorum laborum, præmium perfectum notitia exacta cognoscere: huius verò viuifici muneris magnificentiam, & amplitudinem diu deinceps nobis cælat, vt quāuis cæteras omnes virtutes operētur, nihil prorsus nos esse existimemus, quia nondum sanctam charitatē tanquam habitu confirmatam habeamus, sic igitur spiritus odij dæmon plus tunc molestiæ animis pugillum spiritualium exhibet, ita vt eos, qui inter se amant, ad odium traducat & vsque ad osculū mortiferum odij actum deferat. Ex quo fit, vt plus anima doleat, quod cum charitatem spiritualem alioqui in memoria ferat, non tamen possit in sensu eā adipisci propter vacationem perfectissimorū laborum. Oportet igitur eam omni vi adhibita eatenus exercere, vt ad eiusdē gustum in toto sensu, ac plenitudine perueniamus, eius enim perfectionē nemo mortalium assequi potest præter sanctos eos, qui vsque ad martyrium, & perfectam confessionē prouecti sunt. Qui enim hoc adeptus est, totus iam mutatur, ita vt neque cibum facile appetat. Quid enim eorum, quæ in mundo sunt, expetat, qui diuina charitate nutritur, & alitur? Idcirco sapientissimus Paulus, amplum illud scientiæ receptaculum, prædicans nobis è sua plenitudine, iustorum futuras delicias, sic ait: *non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto*, qui sunt perfectæ charitatis fructus. Quare possunt quidem gustare eam hic frequenter, qui ad perfectionem proficiunt, ac progrediuntur: perfectè verò gustare nō possunt, nisi prius quod mortale est, absorbeatur à vita. Rom. 14.

De quodā, qui tenebatur ardenti desiderio cognoscendi perspicuè charitatē Dei, quomodo eam cognouerit Dei munere, & de iis, qui eiusmodi charitatem sensu, & gustu cordis experti sunt, quales sint eorū virtutes: & quomodo isti fidem charitate superent: & quomodo hoc Paulus significauerit cum dixit, nunc autem manent Fides, Spes, Charitas tria, hæc, horum maior est Charitas. 1. Cor. 13.

Cap. 91.

NArrauit mihi quidā ex iis, qui voluntate quadam insatiabili Dominū diligūt, quemadmo-

dum cum teneretur desiderio charitatẽ Dei planè, & perspicuè cognoscendi, hoc ille summe bonus in multo sensu, & plenitudine largitus esset, séque eatenus eiusmodi operationem sensisse aiebat, vt anima cum inexplicabili tunc lætitia, & charitate desideraret ex corpore excedere, & ad Dominũ proficisci, ac genus vitæ huius caducæ veluti ignorare. Qui igitur hãc charitatem expertus est, tametsi infinitis contumeliis & incommodis ab aliquo afficiatur (accidit enim interdum, vt qui exercendus sit laboribus, huiusmodi malis implicetur) tamen non irascitur ei: sed potius cum eo, qui contumelias & damna intulit, manet copulatus, in eos verò solũ incitatur, & incenditur, qui in pauperes inuadunt: aut in Deum, sicut ait scriptura, *iniquitatem loquuntur*, aut alio quopiam modo non bene viuũt. Qui enim plus iam Deum, quam se diligit, immo nõ amplius se diligit, sed Deum solum, non iam honorem suum sectatur, sed magis iustitiam eius honorari cupit, à quo ipse honore immortali honoratus est: idque non parua quadam voluntate expetit: quin potius habet deinceps huiusmodi affectum animi tanquã habitu susceptum propter multam experientiam charitatis Dei. Sciendum præterea est, eum, qui in huiusmodi charitatem à Deo actus est, dum illa operatio charitatis durat, supra fidem consistere, tanquam tenentem iam in sensu cordis per multam charitatem eum, quem fide honorabat. Quod quidem aperte nobis Apostolus Paulus significat, cum ait, *nunc autem manent Fides, Spes, Charitas: maior autem horum est charitas.* Vt enim dixi, qui Deum copiosa charitate amplectitur multo maior est tunc sua fides, totus in desiderio Dei positus.

Argumentum existẽtis in nobis charitatis.

1. Cor. 13.

De proprietate mediocris operationis ex cognitione sancta, quomodo afferat nobis magnum dolorem, si quando aliquem offenderimus: & quid faciendum sit tunc, si offensus reconciliari nobis noluerit, aut si procul absens fuerit.

Cap. 92.

MEdiocritas operationis, quam cognitio sancta operatur, non parum dolere nos facit, cũ in aliquem irritati, inimicum nobis cõtumeliis nostris fecimus. Ex quo fit, vt nunquam remittat conscientiæ nostræ morsus, donec in pristinam gratiam cõtumelia offensum multa excusatione recõciliauerimus. Sed ille est acerbissimus conscientiæ morsus, cum aliquis ex vitæ huius hominibus immerito nobis irascitur, valde, enim nos solicito & exercito animo esse facit, quod cuiquam ex numero eorum, qui de hoc seculo loquuntur, offensionem attulerimus. Vnde vacat tunc à contemplatione mẽs: quia sermo scientiæ, cum totus sit charitatis, non sinit agitationem mentis ad concipiendas contemplationes diffundi, ac dilatari, nisi prius eum nobis reconciliemus, qui temere nobis iratus est, quod si noluerit ille, aut rursus procul à nostris locis vbi versamur abest de reliquo necessitas vrget, vt formam vultus eius in quadam animæ non contracta fusione ad nostrum affectum adiungẽtes, sic in profundo cordis legem per charitatem impleamus, oportet enim (inquit) facies eorum, qui intempestiue irascuntur, sedata cogitatione, in animo suo cernere eos, qui cognitionem Dei habere volunt, quod quidem cũ actum erit, non solum in Theologia, id est, in diuinarum rerum tractatione, sine errore mens versabitur, sed ad charitatem Dei cum magna fiducia ascẽdet, veluti ex secundo gradu ad primum sine impedimento festinans.

Quare via virtutis incipientibus appareat aspera & quare medium eius transeuntibus fiat facilis: & quid faciendum sit incipientibus, ad superandum asperitatem, gratia Dei adiuuante.

Cap. 93.

VIa virtutis iis quidem, qui veritatem amare incipiunt, aspera & molesta apparet: nõ quia talis sit, sed quia natura humana statim ab ipso ortu in laxitate voluptatum versatur, iis verò, qui medium eius transire possunt, tota lenis & expedita ostenditur, mali enim mores, honestis moribus vsu virtutis facti obedientes, intereũt vnà cum memoria voluptatum à ratione abhorrentiũ ex quo fit, vt deinceps anima omnes virtutum vias libenter ambulet, idcirco Dominus cũ nos in viam salutis introducit, ait, *angusta & arcta est via, quæ ducit ad regnum, & pauci sunt, qui eam ingrediuntur.* Eis verò, qui multo studio sancta eius mandata capessere volunt, sic ait, *iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Oportet igitur principio certationis violenta quadã volũtate sancta Dei mandata perficere: vt, cũ Dominus propositum nostrum, & laborem, ac voluntatem viderit voluntati suæ glorioſę libentissime deseruire, gratiã suã mittat, (*à Domino enim paratur voluntas*) vt magna cum lætitia nullum tẽpus intermittentes operemur bonum, tunc reuera sentiemus Deum esse, *qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.*

Matth.

Matth.

Prou. 8.

Philip. 2.

Quomodo opus sit per labores, & infirmitates probari, & veluti molliri cor ad imprimendum in eo sigillum similitudinis Dei ex virtutibus eius, & quæ essent probationes sãctorum per infirmitates, quas Paulus vocat, tempore martyrum, & quæ pro illis succesſerint tempore pacis Ecclesiarum, & quomodo operandum sit per tolerantiam in tribulationibus testimonium conscientiæ nostræ.

Cap. 94.

SIcut in cera, nisi multum tepefacta, & mollita sit, nõ potest sigillum imprimi, sic nec in homine sigillum virtutis Dei imprimi potest, nisi ex laboribus, & infirmitatibus probetur. Idcirco Dominus beato Paulo dixit, *sufficit tibi gratia mea, virtus enim mea in infirmitate perficitur.* Apostolus verò ita gloriatur, inquiens, *libentissime igitur magis gloriabor in infirmitatibus meis, vt habitet in me virtus Christi*: immò & in prouerbiis scriptũ est, *quem diligit Dominus corripit, castigat autẽ omnem filium, quem recipit*: Atqui infirmitates vocat Apostolus impugnationes inimicorum verbi Dei, quæ tunc & sibi, & sanctis omnibus crebro accidebant, ne sicut idẽ Apostolus ait, excellẽtia reuelationũ extollerẽtur, sed potius per summissionem in forma perfectionis perseuerarent, diuinũ munus per frequentes contẽptus sanctè custodientes, nos verò nunc prauas cogitationes, & corporũ ægritudines infirmitates appellamus. Illis enim tẽporibus, quia corpora sanctorum qui cum peccato pugnabant, mortiferis verberibus, & aliis variis tormentis

2. Cor. 12.

Prou. 3.

tormentis tradebantur, idcirco passionibus, quæ A ex peccato profectæ in naturam humanam ingressæ sunt, multo erant superiora: nunc verò quia Ecclesiæ multam per Dominum pacem, & tranquillitatem habent, opus est eorũ, qui certãt, corpus quidem frequentium morborum, animas verò malarum cogitationum periclitatione probari: præsertim in quibus cognitio in omni sensu, & plenitudine operatur. Vt extra omnem inanem gloriam & extra illud in sublime positi, sigillum (vt dixit) diuinæ pulchritudinis in cordibus suis per multã summissionem capere possint: sicut ait sanctus ille Propheta, *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Ps. 4. B portet igitur cum gratiarum actione voluntatem Domini sustinere, tunc enim ista ægritudinum assiduitas, & cum dæmoniacis cogitationibus pugna, vice secundi martyrij habebitur. Qui enim illis tẽporibus per impios illos magistratus & potestates sanctis martyribus dicebat, negate Christum, concupiscite vitæ huius glorias & honores, nunc etiam præsto est ad dicendum semper eadem per se ipsum seruis Dei. Qui tunc cruciabat corpora iustorum & magistros honoris summis contumeliis per ministros voluntatis, & consilij diabolici afficiebat, idem nunc confessoribus pietatis, varias passiones cum multis contumeliis, & despicationibus infert, C ac tunc quidem potissimum, cum afflictis pauperibus totis illi viribus propter gloriam Domini opem ferunt, idcirco oportet, vt testimonium conscientiæ nostræ in conspectu Dei tutè, & toleranter operemur: *expectans* (inquit) *expectaui Dominum, & intendit mihi.* Psal. 39.

Secundum martyriũ.

De duplici humilitate, vna mediocrium, altera perfectorum, & quomodo illa mediocrium comparetur, & quomodo altera: & de qualitate, & de conditione vtriusque, & quomodo à priore ad secundam perueniendum sit.

Cap. 95.

D

RES est difficilis ad comparandum humilitas: quò enim maior est, eò est vsus eius laboriosior: duobus verò modis ab iis comparatur, qui sunt cognitionis sanctæ participes, cũ enim in studio pietatis certat, in medio spiritualis experientiæ est, tũc aut propter imbecillitatem corporis, aut propter eos, qui virtutis studiosis summe maleuoli sunt, aut propter prauas cogitationes, modestius ac summissius quodammodo de se sentit. Cum verò mens à sancta gratia in multo sensu & plenitudine illustratur, tunc anima veluti naturalem habet humilitatem: facta enim plenior & quasi pinguior per diuinam gratiã, non potest amplius tumore cupiditatis E gloriæ efferri, quamuis perpetuo mãdata Dei perficiat: quin potius inferiorẽ se omnibus ducit propter summissionis suæ, & diuinæ modestię cõmunionẽ, est autẽ illa quidẽ humilitas vt plurimum in dolore, & mœstitia: hæc verò in lætitia cũ pudore quodam prudentissimo. Quocirca illa quidẽ iis, qui in medio certamine sunt, aduenit: hæc vero iis mittitur, qui perfectioni appropinquant, ob hanc causam illi quidem sæpenumero secundæ res huius vitæ exprobrant: altera verò tametsi quis omnia regna mundi ei afferat, neque stupet, neque admiratur, neque prorsus vehementia iacula peccati sentit. Tota namque spiritualis facta, honores, & glorias ad corpus pertinentes nescit. Opus igitur omnino est, vt qui studium certandi suscipit, cum per illam transierit, ad hanc veniat, nisi enim gratia doloribus ad erudiẽdum illatis, non cogendo, sed periclitatione probando nostram liberam voluntatẽ per illam priorem præmoliat, nunquam nobiscum amplitudinem huius communicabit.

Quæ obseruent Dæmones in religiosis ad oppugnandum eos, arripientes inde occasionem: & quomodo sint illa religiosis cauenda, & in primis cupiditas gloriæ: & quæ mala ex loquacitate sequantur, & quid contra hoc vitium faciendum.

Cap. 96.

QVi voluptates vitæ huius amãt, à cogitationibus ad peccata delabũtur: dum enim iudicio inconsiderato feruntur, fere omnia, quę perturbata mente agitãt, tum in sermones lege solutos, tum in malefacta cõferre cupiunt. Qui vero aggrediuntur monasticã vitã capescere, hi à peccatis ad prauas cogitationes, aut ad mala quædã verba, & noxia deueniunt, hos enim si aut libẽter conuitium facere, aut de otiosis rebus, & intempestiuis colloqui, aut sine decẽtia ridere, aut immoderatè irasci, aut vanam, & inanẽ gloriam cõcupiscere Dæmones viderint, tũc vna mente, & proposito se aduersus eos armãt. Ex cupiditate enim glorię in primis occasionem, malitiæ suæ arripientes, & per illam, tanquam per fenestram quandam obscuram, ingressi, animas diripiunt. Oportet igitur qui volunt cum multis virtutibus vitam degere, eos neque gloriam appetere, neque cum multis congredi, neque crebro prodire, nec vllis conuitiari, quamuis conuitiis digni sint, neque multum loqui, quamuis possint omnia pulchre dicere: multus nanque sermo mentem immoderatè distrahens, non solum otiosam in spirituali exercitatione efficit, sed etiam Dæmoni acediæ eã prodit: qui eandem rursus immoderate relaxans, ac dissoluens, Dæmonibus iracundiæ, & doloris præsidibus tradit. Quare opus est habere animum occupatum in obseruatione sanctorum mandatorum, & in profunda memoria Iesu, Domini gloriæ. Qui enim (inquit) custodit mãdatum, non cognoscet verbum malum, id est, ad prauas cogitationes aut ad prauos sermones non delabetur.

Quid accidat ei, qui incipit purgare cor, & quomodo recordatione Domini Iesu sit cor inflammandum ac purgandum: & quomodo necessarium sit, & quando assequi possimus, vt semper, & sine intermissione oremus.

Cap. 97.

CVm cor feruenti quodã dolore iactus telorum, qui à Dæmonib⁹ fiũt, excipit, ita vt videatur sibi, qui oppugnãtur, ferre ipsa iacula, cũ labore odit anima passiones, vt quæ purgari incipiat: nisi .n. de peccandi impudentia vehementer doleat, nunquã poterit bonitate virtutis affatim lætari. Qui igitur vult cor suũ purgare, sẽper illud recordatione Domini Iesu inflãmet, in eo solũ occupat⁹, & hoc tãtũ

sine intermissione agens: non enim oportet quandóque quidem orare, quandóque verò non eos qui volunt tabem suam abiicere, sed potius dare semper operam orationi in custodia mentis, tametsi extra oratorium sint. Vt enim cum quis vult aurum purgare, si paulisper ignem in fornace cessare sinat, facit, vt rursus materia auri, quæ purgatur, durescat, sic qui aliquando memor Dei est, aliquando nõ est, quod is videtur per orationem comparare, hoc perdit otio. Est autem eius, qui studio virtutis tenetur proprium, id quod est in corde terrenũ, recordatione Dei consumere. Vt anima consumpto ad hunc modum paulatim vitio ab igne huius bonæ recordationis, ad splendorem sibi naturalem cum maiore gloria perfectè redeat.

Quid sit, vacuum esse passionibus in hac vita, & de armatura spirituali ad perrumpendum acies Dæmonum.

Cap. 98.

1. Cor. 5 VAcuum esse passionibus, non est nõ impugnari à Dæmonibus, *alioqui oportet* nos sicut Apostolus ait, *exisse ex hoc mundo*, sed illud potius, ab illis impugnatum, non expugnari, in bellatores enim ferro armatos, iaciunt hostes sagittas, audiúntque ipsi, iactus telorum: immo omnia fere tela in se emissa cernunt, non tamen feriuntur propter armorum, quibus induti sunt, duritiam. Verùm illi quidem ferro protecti, & custoditi expugnari nequeũt in pugna: nos verò armatura sancti luminis, & galea salutis per omnia opera bona armati, acies Dæmonum tenebris circunfusas perrumpemus. Non enim puritatem affert solum, prauas actiones non amplius suscipere, sed studio etiam recte factorum maleficia fortiter repudiare.

De duobus Dæmonibus post vniuersas fere passiones superatis relictis ad luctandum, altero cum anima, altero cum corpore, & quomodo superandus sit qui cum anima luctatur per zelum: & quomodo superandus, qui cum corpore pugnat per libidinem: & causa, cur homo post magnos progressus in virtutibus factos, permittatur tentari per libidinem ab huiusmodi Dæmone.

Cap. 99.

POsteaquàm vniuersas fere passiones homo Dei vicerit, duo remanent Dæmones luctãtes cum eo: quorum vnus quidem turbas facit animæ, dum ita eam ab amore Dei ad importunum zelum traducit, vt nullum alium atque se Deo placere velit: alter verò corpori, dum illud ad desiderium rei Venereæ incendij cuiusdam operatione mouet. Hoc autem corpori accidit, primum quidem quia hæc voluptas propria est naturæ, vtpotè ad generandũ insita: quamobrem facile corpus superatur: deinde, quia cedit Deus, cum enim aliquem in numero luctantium multitudine virtutum excellentem esse videt, permittit eum quandóque ab huiusmodi Dæmone fœdari, vt existimet se omnibus viuentibus viliorem, profecto vel molestia passionis sequitur recte facta: vel recte facta antecedit, vt vel per anticipationem, vel per subsecutionem passionis anima sibi inutilis quodammodo videatur, quamlibet magnæ alioqui sint virtutes eius, & recte facta. Sed cum illo quidem multa humilitate, & charitate pugnamus: cum hoc verò pugnamus: continentia, vacatione iræ, & profunda mortis cogitatione, vt hinc sine vlla intermissione operationem Spiritus sancti sentientes, superiores passionibus in Domino euadamus.

Quomodo à religiosis statim confitenda sint Deo peccata, etiam non voluntaria contra regulam commissa, & quomodo prouidendum, ne se fallat conscientia, dum existimat satis se confessam, & de metu tempore mortis, si non, vt decet, confessi Deo fuerimus, & quomodo huiusmodi metus adiuuet Dæmones in illa hora, & de iis, qui fiducia, & exultatione excedunt ex hac vita, & quæ sit causa eiusmodi fiduciæ, & de iis, qui cum formidine excedunt.

Cap. 100.

QVicunque sanctæ cognitionis participes facti sumus, de omnibus etiam inuoluntariis cogitationibus vanis rationem reposcemur, *annotasti*, (inquit Iob) *si quid inuitus transgressus sum*, ac merito id quidem: Etiam si quis nunquam memoriam Dei interiserit, néque studium mandatorum eius neglexerit, in peccatum voluntarium, aut non voluntarium non decidet. Oportet igitur offerre Domino statim vehementem confessionem etiam erratorum non voluntariorum, quæ scilicet ad exercitationem regulę consuetæ pertinent, non enim fieri potest, quin homo humana committat. Cõfiteri inquam, oportet, donec conscientia confitentis in lachrymis charitatis de remissione eorũ plene persuasum habeat. *Si enim* (inquit) *confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Oportet autem attẽdere semper sensum confessionis ne forte conscientia nostra sibi mentiatur, dum satis se, quis confessum esse Deo suspicatur. Si quidem longe maius est iudicium Dei cõscientia nostra, tametsi exploratũ ei sit plenissime, nihil se sibi cõscium esse, vt beatus Apostolus nos docet, cum ait, *Sed neque me ipsum iudico: nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem me iudicat, Dominus est:* Etenim nisi, vt decet, confessi fuerimus, metum quendam latentẽ tempore obitus nostri in nobis reperiemus. Quare opus est, precari qui Dominum diligimus, vt simus tunc extra omnem metum, nam qui tunc in metu erit, per potestates Tartareas non libere, & fidenter transibit, habent enim illæ veluti adiutorem malitiæ suæ metum ipsum animæ: at anima, quæ in sua erga Deũ charitate hora mortis exultat, supra omnes acies Dæmonum cum Angelis pacis sublimiùs fertur, est enim anima illa, veluti pennata spirituali charitate, vt quæ integre *plenitudinem legis*, ipsam scilicet *charitatem* secum ferat. Quamobrem in aduentu Domini, qui cum huiusmodi fiducia ex hac vita exceſſerint, cum omnibus sanctis rapiẽtur: Qui verò tempore mortis, vel paulisper formidarint, in multitudine omnium aliorum hominũ relinquentur, tanquam iudicium subeuntes, vt igne iudicij examinati, sortes sibi debitas pro ratione factorum à Deo optimo & rege Iesu Christo recipiant, quoniam ipse est Deus iustitiæ, & ipsius sunt in sempiternum diuitiæ benignitatis in nos, qui eum diligimus. Amen.

EX NICEPHORI

EX NICEPHORI ECCLESIAST.
HIST. LIB. 14. CAP. 54.

Alterius cuiusdam Nili Aegyptij Episcopi, & Martyris sub Diocletiano memunit Euseb. Eccles. hist. Hist. Lib. 8. cap. 22.

ADmirando Nilo patria fuit Constantinopolis, cuius etiam (propter egregiam generis nobilitatem) Præfectus fuit. Potentia autem & opibus affluens, Asceticam illis prætulit vitam: quippe qui ad exemplum Dauidis, ad domum Domini Dei abiici, quàm in tabernaculis peccatorum habitare maluerit: Et quum eloquentiæ vi polleret, diuinæque gratiæ neruis validus esset, scripta varia quæ vitæ Monasticæ exercitium instruunt, reliquit, verbis & sententiis ita composita, vt lectoris animum gratia incredibili recreent. Scripsit quoque diuinorum Patrum in mõte Sina obitum & Martyrium facundia & affectu tanto vt satis inde colligere liceat, quam eximia doctrina iuxta & virtute vir is fuerit: vbi etiam suas & filiorum res paucis commemorat, mirabiliter veluti in tragœdia captiuitatem eorum exponens, cũ Barbari Blemmyæ excursione sua cædem ingentem fecere: quod opusculum tanquam spirituale quoddam oblectamentum studiosis reliquit. Alios item libros optimos edidit, spiritualis gratiæ non expertes: inter quos primâs eum ferre puto, quem ad Græcæ superstitionis sectatores scripsit. Et rursum qui ab eo ad Eulogium compositi sunt. Capita autem collegit aliqua quidem fusius, multa autem compendiosius tractata, in quibus spiritualem fructum, perinde atque nectar aut Ambrosiam aliquam oculis subiectum, ita vt facile percipi posset, proposuit. Quem vita defunctum, Iustinus posterior inde translatum in fund. mẽto sacratioris mensæ, in eo quod ab ipso Petro & Paulo Apostolorum principibus, ad Orphanotrophium constructum est templo reposuit.

S. NILI MONACHI CAPITA PARÆNETICA.

Loquacitas.

1 NItium salutis est, sui ipsius accusatio. A
2 Satius est temerè mittere lapidem, quàm verbum.
3 Fac omnibus, quemadmodum tu vis omnes facere tibi.
4 Iustitiam magis opere quàm verbo exerce.
5 Pius est, non qui multorum miseretur, sed qui neminem iniuria afficit.
6 Satius est humi cubantem viuere, & bono esse animo quàm perturbatum in aureo lecto.
7 Dulcis ille amicus est, qui animam pascit.
8 Deum verbis quidem lauda, operibus cole, & B cogitatione honora.
9 Sacerdotem facit intelligentia, & vita, & morum integritas.
10 Pessima res est, omnibus seruire turpitudinib⁹.
11 Verbo virtutem doceto, opere autem eandem declara.
12 Non habere virtutem præclarum putato, sed quemadmodum decet ea vti.
13 Legem honorans, iuxta legem viues.
14 Hospes ille est, cui sordent mundana.
Inuidus. 15 Inuidus seipsum mulctat, qui enim aduersus alterũ loquitur, seipsum insçius malis afficit.
16 Diuiti neque adulare, neque eundum irrita.
17 Vinum roborat corpus animã autẽ verbũ Dei. C
18 Cibis vtere non dulcibus, sed salutaribus.
19 Si conaris placere vulgo, vulgo similis fias.
20 Super omnia autem mortifica corpus tuum.
21 Ille laboriosus est, cui non tempus superat.
22 Ne recipito christiani hominis formam tantũ, sed animæ potius prudentiam.
23 Culpam transferre in Deum non culpandum, peccatum est.
24 Aurium & linguæ magnum est periculum.
25 Timorem & desiderium Dei habeto, & puro conscientiæ testimonio erga omnes vtere.
26 Deum ipsum semper præsentem adesse existima, in omnibus quæ agis.
27 Fugito laudem, & caueto vituperium.
28 Gaude quando virtutem exerces: verùm ne eferaris, ne quando in portu naufragiũ facias.
29 Quanto magis in Lege proficis, tanto magis te abesse à perfectione intelliges.
30 Vniuscuiusque rei finem ante initiũ considera.
31 Diu noctúque ad vltimam horam respice.
32 Ne cõuerseris isti, quem à bonis vides culpari.
33 Studeas nemini damnum dare, his quæ seu facis seu dicis, seu cogitas.
34 Ne læteris floridis vitæ: flos enim gramineus, cum attrectaueris, flaccescit.
35 In tristibus gratias age, & iugum afflictionum leue erit.
36 In tentationibus sis fortis: multos enim etiam maiorum arguerunt.
37 Ne incusa Dei longanimitatem: commune enim est pharmacum.
38 Inæqualitatem vitæ odio prosequere, propter eam verò Deum ne criminator.
39 Attendamus nobis ipsis, & alios non reprehendemus.
40 Multa enim in nobis sunt, propter quæ alios taxamus.
41 Psalmus precationis sit tibi in ore tuo: Deus enim nominatus, fugat dæmones.
Vis orationis. 42 Oratio cum sobrietate fiat, ne à Deo petamus quæ ipsi non grata sunt.
43 Semper recordare Dei, & cœlum sit cogitatio tua.
44 Cohibe oculum: cum enim non attenderis, circumuoluitur.
Loquacitas. 45 Parcè vtere lingua: sæpe enim proferuntur, quæ melius fuisset cælari.
46 Meditatione legis, mentem colito: extirpat enim malas cogitationes, continue frequentata.
47 Virtutes tuas cælato: testes verò vitæ tuæ multos acquirere stude.
48 Odio prosequere carnis voluptates: sordidam enim animam cum corpore efficiunt.
49 Corpori solùm quãtum indiget, impende, nõ quantum cupit.
50 Delicatè viuere ne eligas amorem enim huius vitæ conciliat: inimicitia autem aduer-

sus Deum ex vtroque nascitur.

51 Aduersare in vita gaudium : ipsum enim lubricum est, & præcipitat exultantes.

52 Diuitias si habes, distribue: si vero non habes, ne collige.

53 Armaturam enim ieiunium, orationem murũ, & balneum lachrymas esse putato.

54 Quæcunque iniquè feciſti, omnia cum gemitibus recordare, oritur enim hinc animæ cõtinua compunctio.

55 Pauperes foueto: ipsi enim iudicem nobis cõciliant.

56 Inopiæ sanctorum subueni : per eos enim tibi cum Deo contigit societas.

57 Ecclesiam non secus ac cœlum frequenta: nihilque in ipsa seu loquere, seu cogita terrenum.

58 Necessarium existima, suis rebus contentum esse: permitte autem Deo eius rei curam.

59 Carnem tuam debilitato bonis laboribus: penitus verò eam nõ domari posse existima.

Vini potus. 60 Vinum bibe valde modicum, quantum enim offendit, tantũ etiam corroborat bibentes.

Ira. 61 Iram compesce : insaniam enim parit, modum excedens.

62 In morbis, oratione prius quàm medicis & pharmacis vtere.

63 Sacerdotes omnes honora, bonis verò tantum conuersare.

64 Venerare Dei domus, domum verò Dei etiam te ipsum efficit.

65 In ecclesiam frequenter venias: à perturbationibus enim & fluctuationibus exterioribus liberare nos solet.

66 Quæcunque in terra sunt, temporanea existunt: ne te ergo perturbet, quod tibi aufertur.

Ecclesia. 67 Quando te voluptatis affectus inuaserit, oppone ipsi metum hominum, & Dei offensam.

Contra voluptatem. 68 Munito auditum', & oculos: per illa enim omnia tela malitiæ ingrediuntur.

69 Cum oraueris, mentem ad Deum attolle : & etiamsi inde abstracta descenderit, iterum tamen ipsam recollige.

70 Mens humana nõ vnquam cessat generare cogitationes: tu verò malas quidem expelle, bonas verò colendo exerce.

Humilitas. 71 Humilitate gaude: altitudo enim eius firma est, nec ruere potest.

Labor. 72 Ita exerce corpus, vt compescas carnis motus: & si æger fueris, corpus cura, vt sanitatem adipiscatur, non vt deliciis eneruetur.

73 Prauas cogitationes aliis cogitationibus melioribus abige.

74 Considera cœlestium bonorum decorem, & nullum te capiet desiderium terræ, nec aliud ex ea dulcium.

75 Quando tibi aliqua de Deo subit cogitatio, nõ Deum, sed te ipsum cogita. Nihil. n. tutũ est quod modum excedit, quem seruare conuenit.

76 Prauas cogitationes semen esse diaboli existima: sic enim ipsæ desinunt. ipséque semina-

tor confunditur.

77 Excessum risus fugito: eneruat enim animam. Risus. Anima verò eneruata, facilè à fræno legis exuitur.

78 In labores & orationes oportet animam partiri: sic enim non multos in nobis introitus inueniet diabolus.

79 Laborem esse nõ mediocrem putato legis meditationem: quando mens simul & lingua cognoscere quid volens, in libris cũ labore versatur. Labor.

80 Cum ad labores manum moueris, lingua psallat, & mens oret. Exigit enim Deus vt eius sẽper memores simus.

81 Omne quod agis, oratione obsignato: id verò maximè, de quo mentem vides dubitantem.

82 Si vis manuũ tuarum labores diuinos & nõ terrenos fieri, quædam ex iis communicabis cum egentibus. Eleemos.

83 Gaude sanctorum colloquio: per eos enim Deo tibi manifestatur.

84 Verè sanctos ab operibus dignosce. Vnaquæq; namque arbor è fructu dignoscitur.

85 Semper lucrari aliquid stude ex sanctorũ contemplatione. Obserua verò ipsorum aspectum & habitum: vtrumque enim perutile est.

86 Exerce puritatem in corde, & castitatem in corpore. Ea enim vtraque templum Dei te efficiunt. Castim.

87 Sic itaque templum custodi, vt Dei qui extruxerit, & iudicare volẽtis & imaginẽ tuam (quæ est ipsius imago) puram ad regulam exigentis.

88 Secularium conuersationes mentem à Deo segregant: quapropter ipsos nec alloquere, sed alloquentes declina.

89 Quando conuiciis peteris, considera an aliquid à te factum sit conuicio dignum. Si verò nihil à te admissum fuerit, fumum fugientem conuicium esse existimato. Conuic. tollerãd.

90 In omnibus, in quibus iniuria afficeris, ad patiẽtiam confugito: & super iniuriantes nocumẽtum deuoluetur. Patientia.

91 Cum vides diuitias, aut gloriam, aut mundanã potentiam, consídera labilitatem ipsorum, & effugies illecebram. Diuitiarum instabilitas.

92 Tolera tribulationes: inter ipsas enim virtutes, quemadmodum inter spinas rosæ nascuntur & germinant.

93 Nihil cum virtute, dignitate conferendum esse existima: imago enim Dei est. Ideóque quẽadmodum ipse, immutabilis est.

94 Luge peccatorem fœlicem, gladius enim iustitiæ ipsi imminet.

95 Matrem vitiorum ignauiã existima. Bona enim quæ iam tenes, deprædatur : quæ verò nondũ possides, non sinit acquirere. Ignauia.

96 Quando iniqua agens quis, propterea tamen nullo pudore afficitur, vulnus magis exasperat & error ipsius tendit ad desperationem.

97 Quotiescunque tristaris, reputa quanta bona fidelibus præparata sint: & fructus spiritus facilè tibi aderit.

98 Decet fidelem humiliter se gerere erga omnes: coram quibusdam enim tantum humiliari, Humilitas simulata

fictam

489 fictam quandam humilitatem arguit. A

Charitatis regula. 99 Nihil amori proximi præferas, præterquã ea, propter quæ charitas Deũ nõ recte intuetur.

100 Nemini contra legem Dei adhæreto, neque auxiliator. Indignum enim facit Deum, qui ipsi præfert alium.

101 Ne patrocineris malis: ipsos enim ad mala prouocas, tu verò contaminaris peccati communione.

Correptio. 102 Admoneto peccantem, ne verò accusa errantem: alterum enim conuiciatoris est proprium, alterum verò castigantis.

103 Semper audire & loqui studе, quæ sancta sunt: ad bonum enim zelum animam extimulãt. B

Mens est Ecclesia. 104 Quandoquidem domi nostræ, Ecclesiã, mentem quisque suam, habemus: peragere etiam debemus in ipsa, Ecclesiæ sacrificia.

Apostolicũ Euãgeliũ. 105 Si peragitur cõgregatio in Ecclesia, & tu adesto: si verò non peragitur, tu psallens Apostolicum Euangelium, abito.

106 Virtutis gloriam sanctorum aspicito: ipsorum enim gloria immortalis est, etiã post obitũ.

107 Tunc malitiam maximè oderis, quando cogitabis quòd dæmonum sit fulgurans contra nos gladius.

Correptio fraterna. 108 Si peccãtẽ admones, misce cõpassionis verba: & aures emolliẽtur, cor verò illuminabitur. C

109 Cum inter sanctos loqueris, quæ spiritus sunt loquere: si verò talibus nõ loquaris, de iis ne quicquam.

110 Sẽper bonas actiones vrge, ne quando relictis illis semiperfectus abeas.

111 Sic curre vt assequaris scopum: hoc est, indesinenter. Oportet enim iuxta virtutem viuere, donec vitæ stadium exuperemus.

112 Ne sis in studio mandatorum Dei negligens: talibus enim labor inanis, laborem super laborem aggerit.

Patientia. 113 Patientiam etiam antequam necesse est, exerce, vt ipsius armaturam paratam inuenias, D etiam in necessitate.

114 Improbis resiste cogitationibus, & responde ipsis quæ in lege dicuntur.

115 Diligentia multa oculos à vita hac abstrahe: fumus enim pernicioſus ex ipsa veniens, turbidam reddit animam.

Consuetudo mala quomodo rescindenda. 116 Si consuetudine aliqua mala detentus fueris, paulatim eam rescinde: & sine vllo negocio ab anima spinam eradicabis.

117 Deum purum existentem, purè quoque dilige: & præ eo, in omnibus omnia secundo loco habenda esse existimato.

118 Si vis esse templũ Dei, sacrificiũ assiduitatis, (as- E siduã scilicet orationem) assiduè ipsi offeras.

Consultor. 119 Negligenter & prauè viuentẽ ne accersas consultorem; malis enim gaudens, bona simul odisse, & consulere eadem non potest.

Communicandum Cœnæ Mystic. singulis diebus. 120 Ab omni corruptione abstine, & mysticæ cœnæ omni die particeps fias: sic enim Christi corpus nostrum fieri incipit.

121 In omnibus quando à Deo corriperis, ne murmura: castigat enim vt pater, ideoq; vt benefactor dignus est, vt gratiarũ actione celebretur.

122 Si ignominia affectus fueris, gaude: siquidem enim iniustè, merces tua copiosa erit: si verò iustè, & si resipueris, iã liberatus es à flagello.

123 Vmbræ & rotæ, & tristia & læta huius vitæ cõpara, nam quemadmodũ vmbra non manent, & vt rota vertuntur.

124 Semper proficere in Deo conare: modicum enim modico addens, breui colliget diuitias ab omnibus expetitas.

125 Si vis supplicij effugere molestiã, neminẽ vnquã conuiciis afficies, eo enim Deus exasperatur. Conuicia.

126 Si vis è domo tua expellere omne flagellum, ne maledictis incessas contribulem hominẽ: qui enim ipsum creauit Deus, meritò ad irã prouocatur.

127 Si omni peccato vis esse superior, res alienas ne curiosè inquirito: multa enim in te sunt, de quibus alium suspectum habes.

128 Superbiam fugito ô homo, etiamsi diues sis: ne fortè Deum aduersum tibi habeas. Superbia.

129 Dilige humilitatem, etiamsi magnus sis: vt exalteris in die iudicij.

130 Ne cauillis petas hominem, & reprehẽsionem non incurres in omni vita tua.

131 Cum existis in Ecclesia, ne eleueris: coram rege enim stantes neque rident, neque superbiunt.

132 Ne negligenter habeas vitam tuam, nec temerè contra legem facito: ne contra legem faciens, perniciem incurras.

133 Memor sis horum præceptorũ cum omni studio, vt te clarum in vita reddant.

134 Puram æmulator vitam, vt habeas liberam potestatem increpandi peccantes. Corre

135 Abige à te contumaciã, neque increpa quenquã temerè, ne condemneris vt arrogãtia inflatus.

136 In alterius infortunio ne rideas, ne ridearis à quibus non velis.

137 Obserua abominationes istas, vt coronam tibi gloriæ concilient.

138 Sis obseruans horum præceptorum, vt te clarum efficiant hominibus, & acceptum Deo: sic enim gaudio afficitur Deus, & huiusmodi operibus colitur Deus.

139 Semper proficere in bonis operibus studeto: vitæ enim fuga, via est ad virtutem, bonáque & compendiaria.

140 Oportet incorruptibilium desiderio flagrantem, pro nihilo ducere corruptioni obnoxia.

141 Si vitam quæ verè vita est desideras, expecta semper mortem humanam, & odio prosequere vitam præsentem. Vides enim, quod rota indesinenter voluatur.

142 Ne appetas bona quorum vsus præterit, & possessio perit.

Fœlices & infœlices. 143 Fœliciter agentes ride, infœlicibus verò condole: alterum enim fœlicitatis merces est, alterum verò philosophiæ est documentum.

144 Patientiã exerce, quemadmodũ ipsam cognouisti exercitatã martyribus: quandoquidẽ cõsciẽtiæ testimonio etiam nos examinabimur.

145 Omnibus rebus præferas animam, & sic virtutis cursus sine defatigatione perficitur.

Anima immortalis. 146 Omnia sunt corruptioni obnoxia: anima verò immortalis est. Incorruptibilia ergo præferre decet corruptibilibus.

147 Præpara te contra aduersa, & lucraberis inde plurima.

148 Ne petas à Deo dulcia, sed sola tibi salutaria: illa etenim rogatus non donat, quòd si ea acceperis, nocumentum tibi afferunt.

Paupertas. 149 Ne accuses paupertatem: constantem enim legis athletam efficit.

150 Ne læteris diuitiis: curæ enim quę ipsis impenduntur, à Deo separantur plurimùm, & præter hominum expectationem.

Ignauia. 151 Propè est finis: ignauiæ deditus paret se ad supplicium, non lōgè abest messis: à spinis itaque agrum animæ liberemus.

152 Nihil iudicem latet: frustra ergo peccare conamur, vt lateamus iudicem.

Angeli. 153 Reuerere Angelos magis quàm homines: multi enim nobis adsunt, & ab omni turpi actione recedunt.

154 Meditare sentētiā iudicis, & abige à te omne si quid tibi adhęret adulterinū, mūdanę versutię.

155 Damnum esse ocium & segniciem existimato: sempérque aliquid peragere studeto, quorum rationem possimus reddere.

Vitæ incō-stantia. 156 Semper vitæ considera inconstantiam: & nihil quod in ea vsu venerit, animum tuum diuersè trahere poterit.

157 Læta vitæ huius fluxa ne te oblectent: hami enim sunt, animam vt pisces irretientes.

Pauperum lachrymæ. 158 Arce tētationes, tētat⁹ verò fortitudinē prępsta: nec vnquā pauperem despicias lachrymātem, ne contrà despiciatur orationis tuæ lachryma.

159 Philosophia hominibus res est eximia: vnigenita verò existēs, sola soli vult coire possessori.

160 Virtus Dei indumentum est: hanc contexe, & ornaberis stola Dei naturā humanā induentis.

161 Quæcunque in terra furto auferri possunt, fugito, & acquire cœlestia: ea enim in prædantium digitos non perueniunt.

Deliciæ. 162 Delicatè viuere, fugere oportet: ad opera enim rapit, ex quibus gemitus post sobrietatem oriuntur.

163 Cogitationes carnales satius est abominari: corrumpūt enim corpus, & animam polluūt.

164 Neque terrena bona sine laboribus parantur: cuius gratia igitur cœlestia, propter laborem declinamus?

Labor. 165 Si vis virtuti citra laborē studere, cogita laborem temporaneū esse, mercedē verò æternam.

166 Qui ad voluptates obscœnas colliquescunt, cogitēt illi voluptatis breuitatē, & pœnæ magnitudinem.

167 Si vita est sordida, bestialis est sine dubio anima: debéntque lugere rationem homines, à se ipsis pœnis affecti.

168 Omnia corruptioni obnoxia esse putato: solā verò virtutem incorruptibilem existere.

169 Neglige alia omnia quæ bestialem efficiunt hominem: ea verò perage, quæ te cœlestē habere originem ostendere possint.

Loquacitas fugienda. 170 Operam da virtuti: ipsa enim per philosophiā nouum Adamum te constituet.

171 Si vētri imperas, impera quoq; linguæ: ne tum seruus existas ventris, tum etiā liber sis stolidè.

172 Deum dilige: super ipsum verò domesticos ne colloces, ne fortè iuxta ipsius vocem ipso indignus, cum non vis, inueniaris.

173 Fortiter perfer afflictiones: coronæ enim horū sunt qui in eis certamen sustinent.

174 Res est beata, malis affici: inferre verò, miserrimum: qui enim patitur, Christi hæres: faciens verò, diaboli cohæres esse creditur.

175 Bonus ieiunij est panis: quandoquidem à voluptatis pane immunis existit.

176 Sancta est orationis ara: pertrahit enim ad nos sanctè, sanctum sanctorum.

177 Ne putes iustitiam virtutis esse parergon. Nam sine ipsa omne opus immundum est.

178 Si seminaueris pauperib⁹, quæ tua sunt, serito: aliena enim, zizaniis sunt amariora.

179 Cęcus est misericors, ni existat etiam iustus: colens agrum, quem contemplari non potest.

180 Expecta semper, nec verò metue mortem: vtrunque enim verum philosophiæ signum est.

181 Virtutem colito non vt decipias, sed vt iuues videntes.

182 Honesta loqui decet, etiam non honesta facientem vt incipiat eum pudere verborum quibus opera turpia significantur.

183 Si cœlum desideras, nihil tibi in terra sit negotij: non enim finit ipsa ad cœlum euolare.

184 Ne velis artibus ditescere, vt pauperum sis subleuator: de iustè partis enim iubet Deus misereri iustum.

185 Si poculum frigidæ aquæ iustificat misericordem, quanta putas retributio expectat, distribuentem omnia pauperibus.

186 Mater virtutum est castitas, & compassio: non itaque licet Christo militare sine hac vel illa.

187 Ne negligas compassionem: ipsa enim bonum Dominum è cœlo nobis detraxit.

188 Ne contemnas castitatem: nam illius organū, propter nos incarnatum Christum exhibuit.

189 Ne dicas vlciscar hostem: iustū enim iudicem in cœlo habemus.

190 Ne velis delicatè viuere, nec ditescere, nec gloriæ cupidus esse, corruptio enim hæc sunt vitæ, nos verò non sumus corruptibiles.

191 Propter mortuum ne lugeas, communis enim via est, beatus verò qui præcessit.

192 Peccatum luge, non verò pauperem existentem, coronatur verò iste, ille verò plectitur.

193 Ride rotam vitæ sine ordine rotatā, caue verò foueā, in quā deuoluit dormiētes in ipsa vita.

194 Loquere Deo multa, & hominibus pauca, legis verò meditatione vtraque rectè dispones.

195 Balneum bonum est animæ, orationis lachryma, verùm cum oratione memor sis, cuius gratia lachrymas fuderis.

196 Principes vitæ ne beatos prædica, potentes enim cū sint, potenter quoque præerunt. Vnde ipsi etiam iudicem austeriorem habebunt.

197 Oportet laborare Adami filios, nos enim laborantes in lege, retributionem lucrabimur.

198 Necesse est Euæ filios affligi, verum quando patienter afflictiones sustinuerimus, in benedictionem nobis vertitur maledictio.

199 Conscientia pro lucerna vtere in actionibus. Ea enim quæ in vita bonæ sint actiones, & quę malæ

493 malæ tibi oſtendit.

100 Nos ipſos iudicemus,& iudex placabitur:gaudet enim vt bonus, peccatorem conſpicatus onus ſuum diſcutientem.

101 Si ſordidum quid à nobis commiſſum eſt,pœnitẽtia id lauemus: debemus enim puram noſtram imaginem vt regulam imitari.

102 Priuſquam videantur animæ vlcera, ea curabimus:vt lucremur iis pharmacis pœnam.

103 Quemadmodum vincti difficulter incedunt: ſic curſum virtutis purum haud abſoluunt, vitæ negociis impliciti.

Peccati o- 104 Oportet peccatum odiſſe: ſic enim ipſius laqueum,etiamſi quis eo irretit⁹ fuerit,effugiet. dium.

105 Qui peccatũ non odit inter peccatores, etiãſi non fecerit ipſum peccatum, tamẽ iudicatur.

106 Super proximo peccãte ſuſpira, vt & teipſum accuſes: omnes enim vitiis & peccatis ſumus obnoxij.

107 Commonefacias iudicis amicum qui peccauit, & hoc pacto tuum vulnus curabis: commune enim eſt conſilij pharmacum.

108 Dicere quid volens aut facere, de Apologia eius cogitata paulo poſt adhibenda:& cautius ages,metu correctus.

109 Peccati pœnã metue,turpitudinẽ verò negligeiin vtroq; namque exceſſus periculoſus eſt.

110 Futurorum bonorum & pulchritudo & multitudo infinita eſt.

111 Omnia mũdana, vmbra & fum⁹ & bullæ ſunt.

112 Mala ne ſemina:meſſis enim propè eſt,& ignis excipiet ſpinarum agricolam.

113 Roſæ vitæ,ſunt hypocritæ, uari, & voluptuarij. Cæterùm parumper ſuſtine,& gramen videbis conculcatum.

A 114 Omne opus malum armat diabolum: armatus verò, grauiter armatos accipit.

115 Si vis inimicum imbecillum reddere, peccatum reſcinde: nudatus enim alis, vt paſſerculus,illuditur. Peccatum.

116 Væ impio:cum enim omnes illuminantur, ipſe ſolus manet in tenebris.

117 Væ blaſphemo: nam lingua ligabitur & quo pacto iudici reſpondere poterit.

118 Væ iniquo: ad iudicem enim auſterum, & iuſtum & legiſlatorem proficiſcitur.

119 Væ auaro: diuitię eũ fugiũt,& excipit eũ ignis.

B 120 Væ ſocordi: quæret enim tempus quod malè inſumpſit. Socordia.

121 Væ ſuperbo:cum enim ingreditur ſepulchrũ, quis ſit,edocetur.

122 Væ ſcortatori:ſordidam enim habet ſtolam,& è nuptiis eiicietur.

123 Væ conuitiatori, & vnà cum ipſo, ebrio: cum homicidis enim conſtituitur vterque, & cum mœchis puniuntur ſimul.

124 Væ delicias ſectãti: tempore enim exiguo tanquam vitulus ad mactationem paratur. Deliciæ.

125 Væ hypocritæ: paſtor enim ipſum negabit, & ipſe aries,lupus eſſe demonſtrabitur.

C 126 Beatus qui anguſtam ambulat ſemitam: coronatus enim in cœlum ingredietur.

127 Beatus qui voluptates calcat: metuunt enim dæmones cum eo certamen ſuſcipere.

128 Beatus virtute purus,& anima ſimplex exiſtẽs: mundum enim ille iudicare, nec verò cum mundo iudicari futurus eſt.

129 Beatus qui vigilat in orationibus & lectionibus,& opere bono:illuminabitur enim huiuſmodi,ne obdormiat in mortem. Oratio.

SANCTI NILI CAPITA CL. DE ORATIONE.

SI quis vult conficere thymiama odoratum, commiſceat æquis ponderibus ſecũdum legem, thus lucidum, Caſſiam, Onycha, & ſtactẽ. Hæc verò ſunt quatuor virtutes: etenim ſi ſatis ex plenæ, & æquales fuerint,non prodetur mens. *Cap.* 1.

Anima quæ integra mandatorũ operatione purgata eſt,ordinationem,compoſitionémque mentis ſtabilem comparat: facítque eam aptam ad eum ſtatum,quem quærit capiendum. *Cap.* 2.

Eſt oratio colloquium mentis cum Deo,quo igitur ſtatu oportet eſſe mentẽ, vt poſſit vſque ad Dominum ſuum extendi, & non conuerti retro, cum cóque ſine vllo ſequeſtre,& interprete colloqui? *Cap.* 3.

Si Moyſes, cum niteretur appropinquare rubo, quam videbat, prohibitus eſt, donec ſolueret calceamenta pedum,quomodo qui vult eum qui omnem ſenſum,& cogitationem antecellit, videre, & cum eo verſari, non omnem notionem perturbatam à ſe abiiciet? *Cap.* 4.

Ora, vt lachrymas accipias, vt duritiam animæ tuæ fletu mollias: & confeſſus peccata tua Domino, veniam ab eo impetres. *Cap.* 5.

Vtere lachrymis ad recte orandum, antequam quicquam petas, oratione enim lachrymantis ma- D gnopere Dominus delectatur. *Cap.* 6.

Si lachrymæ,ceu ex fonte, in oratione tua manarint,ne te extollas, quaſi multis antecellas: miſſum enim eſt auxilium orationi tuæ, vt poſſes prompte peccata tua confiteri,& lachrymis Dominum placare. *Cap.* 7.

Ne igitur in paſſionem mutes,quod ad delẽdum paſſiones datum eſt, ne magis irrites eum, qui gratiam dedit:multi enim peccata flentes, obliti quorſum ſpectent lachrymæ,inſanè aberrarũt. *Cap.* 8.

Sta grauiter,& ora intente,& repelle curarum,atque cogitationum incurſus,& congreſſus: turbant enim, & obſtrepunt, vt remittant contentionem E orationis. *Cap.* 9.

Cum te Dæmones promptum ad vere orandum vident, tunc ſubiiciunt quarundam rerum notiones,tanquã neceſſarias: & te paulo poſt aggrediuntur, vt earum recordatione mentem ad inquirendum de eis,excitent,vt rurſus ſi non reperias exitum quæſtionis,diſcrutieris,& doleas. Quãdo verò ſtas ad orationem, tunc tibi illa in memoriam reuocãt, vt quæras,quæ oblitus eras. Id autem machinantur,vt mens ad eorum voluntatem relaxata, fructũ orationis perdat. Contende ergo, vt mentem tuam tempore orationis ſurdam,& mutam reddas,& poteris orare. *Cap.* 10.

Quando occurrerit tibi tentatio, aut controuersia, aut ad vlciscendum aduersarium, vel ad verbum aliquod significatione vacuum, iaciendum irritaberis. Veniat tibi in mentem orationis, & examinis in oratione: & continuo illa animi commotio perturbata quiescet. *Cap.* 11.

Quæ feceris ad vindicandam iniuriam fratris, non erunt tibi commoda tempore orationis. *Cap.* 12.

Oratio est mansuetudo, & fœtus ex vacuitate iræ procreatus. *Cap.* 13.

Oratio est, quæ ex gaudio, & vacuitate iræ, gratiarumq; actione proficiscitur. *Cap.* 14.

Oratio est doloris, & mœstitiæ expultrix. *Cap.* 15.

Abi, fac quod tibi dico: vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: & accepta cruce, abnega te, vt possis sine impedimento orare. *Cap.* 16.

Si vis orare pure, & laudatè, abnega te ad tempus: & quamuis permulta grauia, & molesta patiaris, tolera pro oratione. *Cap.* 17.

Quicquid durum, & asperum, patienter tolerabis, fructum laboris tempore orationis reperies. *Cap.* 18.

Si cupis orare, vt decet, ne animã dolore afficias: alioqui frustra curris. *Cap.* 19.

Matth.5. *Relinque* (inquit) *munus tuum ante altare, & abi reconciliare fratri tuo: & tunc veniens, ora* sedatè: memoria enim iniuriæ obscurat rationem orantis, & eius orationi tenebras offundit. *Cap.* 20.

Qui dolores ex iniuriarum recordatione sibi coaceruant, & sibi interim orare videntur, similes sunt iis, qui aquam hauriunt, & in dolium pertusum infundunt. *Cap.* 21.

Si tolerans fueris, semper lætus orabis. *Cap.* 22.

Te, vt decet, orante, eiusmodi res occurrent, vt videatur tibi æquum prorsus esse, ira vti: non tamẽ illo modo iusta est aduersus proximum ira, etenim si quæras, reperies, recte rem sine ira tractari posse. Omnem ergo machinam, & artem adhibe, ne ira erumpat. *Cap.* 23.

Caue, ne videaris medicinam aliis facere, & tu sis insanabilis, atq; orationi tuæ obsistas. *Cap.* 24.

Qui ab ira se abstinet, prudentem se ostendet, estq; ex numero orantium. *Cap.* 25.

Qui se contra iram armat, non concupiscet, cupiditas enim materiã præbet iræ, quæ oculũ mentis turbat, & statũ orationis subuertit. *Cap.* 26.

Ne ores solo extrinsecus habitu, sed potius mentem tuam ad sensum spiritualis orationis cum magno metu conuerte. *Cap.* 27.

Aliquando quidem, statim vt te ad orationẽ contulisti, bene oras: aliquando verò cum multũ alioqui laboraueris, non tamen propositũ consequeris: vt magis adhuc quæras, & adeptus virtutem atque officium orandi, spirituale esse ducas. *Cap.* 28.

Cum præsto adest Angelus, continuo omnes, qui nobis obstrepunt, abscedunt: ac remanet mens in multa quiete, integre orans, interdum vero illato nobis bello, pugnat mens, & non sinitur respirare: variis enim perturbationibus ante affecta est, tamen *qui* diutius, ac multum *quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.* *Cap.* 29.

Luc.11.

Ne ores, vt fiant, quæ fieri velis: non enim omnes cum voluntate Dei consentiunt. Sed potius ora, sicut orare didicisti, vt *fiat voluntas Dei* in me, atque in Matth. omni re, hoc postula, vt fiat volũtas eius: vult enim quod bonum, & commodum animæ tuæ est: tu verò non hoc omnino quæris. *Cap.* 30.

Sæpe per orationem petij, quod mihi bonum visum est, & perseuerabã in petitione, vim voluntati Dei insipienter adhibens: & nõ dedit mihi illud, vt quod mihi cõmodius esse videbat, hoc potius pro sapienti consilio mihi prouideret: quod tamen cum accepissem, valde molestè postea tuli, quod nõ magis voluntatem Dei fieri petiissem: non enim talis mihi occurrit res, qualem putabam. *Cap.* 31.

Quid bonum, nisi Deus? Igitur reddamus ei omnia nostra, & bene erit nobis: bonus enim idẽ prorsus bonorum quoque munerum dator est. *Cap.* 32.

Ne petas à Deo imperiosè, quod statim velis impetrare: vult enim diutius te beneficio afficere in oratione perseuerantem. Quid enim excellentius, quàm cum Deo colloqui, & vsu eius detineri. *Cap.* 33.

Oratio sine distractione, est summa intelligentia mentis. *Cap.* 34.

Si orare vis, repudia omnia, vt totum possideas. *Cap.* 35.

Ora prius, vt purgeris ab ignorantia, & obliuione, sitq; tertium, vt libereris ab omni distractione, & derelictione. *Cap.* 36.

Quære in oratione solum *iustitiam*, id est, cognitionem: *& reliqua adiicientur tibi.* *Cap.* 37. Matth.6.

Iustum est, non solum pro purgatione propria orare, sed etiam pro omnium purgatione, vt morem Angelorum imiteris. *Cap.* 38.

Vide, vtrum in oratione tua vere astitisti Deo, an laude humana ductus, hanc venari studuisti, vtens tanquam prætextu quodam, & simulatione, prolixitate orationis. *Cap.* 39.

Siue cum fratribus, siue solus oras, contende non consuetudine, sed sensu orare. *Cap.* 40.

Sensus est consideratio cum reuerentia, & compunctione, ac dolore animæ in confessione peccatorum cum suspiriis, sine voce. *Cap.* 41.

Si tempore orationis mens tua circunspicit, nondum intellexisti, te, vt monachum orare: quin potius adhuc ex mundo es, & scenam extrinsecus ornas. *Cap.* 42.

Cum oras, memoriã tuam totis viribus custodi, ne tua tibi proponat, sed ea, quæ te moueant ad intelligendum, vbi ades & astas: est enim mens vehementer apta, vt, cum orat, ex ea prædam capiat memoria. *Cap.* 43.

Veterum rerum simulachra affert tibi inter orandum memoria, aut nouas curas, aut personam eius, qui te dolore affecit, repræsentat. *Cap.* 44.

Vehementer inuidet homini oranti Dæmon, & omni arte, atque machina vtitur, vt illius propositũ lædat, non igitur cessat notiones per memoriam agitare: & omnes passiones per carnẽ commouere, vt eius optimum cursum, & ad Deum profectionem impedire possit. *Cap.* 45.

Cum Dæmon, postquã multa machinatus est, nõ potest orationẽ studiosi hominis impedire, remittit paulũ, & postea eum, qui orauit, vlciscitur, aut enim ira

ira illum incendens, optimum eius statum oratione conflatum disturbat, ac delet: aut ad voluptatē aliquam à ratione abhorrentem prouocans, menti facit contumeliam. *Cap.* 46.

Cum oraueris, vt orare oportet, expecta, quæ non oportet: & sta viriliter custodiens fructum tuum, ad hoc enim à principio positus es, ne igitur postquam laboraueris, quod laboratū est, sine custodia relinquas: alioqui orādo nihil proficies. *Cap.* 47.

Vniuersum bellum, quod inter nos, & Dæmones conflatur, non est de alia re, quàm de oratione: est enim illis oratio valdè aduersa, & odiosa, nobis verò salutaris, & valde benigna. *Cap.* 48.

Volunt Dæmones esse in nobis effectores gulæ, auaritiæ, iræ, memoriæ iniuriarum, & reliquarum perturbationum, vt mens illis hebetata, non possit orare, vt oportet, passiones enim, quæ in alia parte animæ cœperunt esse, non sinunt eam secundum rationem moueri. *Cap.* 49.

Virtutes capessimus propter rationem eorum, quæ aguntur, rationes verò propter rationem substantialem, id est Deum, hæc verò in statu oratio-
Status orationis. nis apparere solita est, status igitur orationis est habitus sine perturbatione, qui mētem studiosam, & spiritualem summo amore in spiritualem altitudinem euehit, & consummat. *Cap.* 50.

Non solum in iram, & cupiditatem eum dominari oportet, qui vult vere orare, sed etiā extra turbidam cogitationem esse. *Cap.* 51.

Amans Deum. Qui amat Deum, semper cum hoc, tāquam cum patre consuetudinem, & sermonem habet, repudiās omnem notionem turbatam. *Cap.* 52.

Non continuo, qui vacuitatem passionū adeptus est, bene orat, potest enim esse in nudis notitiis, & historiis distrahi, ac longe abesse à Deo. *Cap.* 53.

Non continno, quando mens nō facit moram in nudis notitiis rerum, locum iam orationis assecuta est, potest enim semper esse in contemplatione rerum, & de rationibus earū meditari: quæ quidem, etsi sint nuda verba mentis, tamen tanquam contemplationes, informant, atque figurant mentem, & procul à Deo abducant. *Cap.* 54.

Et si mens non contemplatur naturā corporum, nondum tamen timorem Dei perfectè vidit, potest enim esse cognitione notionū, & in ea varie affici. *Cap.* 55.

Matth. 6. Si vis orare, opus est, vt Deus orationem oranti tribuat: ergo implora eum his verbis. *Sanctificetur nomen tuum: adueniat regnum tuum*, id est Spiritus Sanctus, & Filius tuus vnigenitus, hoc enim docuit, cū dixit, *in Spiritu, & Veritate adorari patrem.* *Cap.* 56.

Ioan. 4.

Qui in spiritu, & veritate orat, non amplius laudes Dei ex creaturis celebrat, sed potius ex ipso ipsum laudat. *Cap.* 57.

Theologus vera. Si es Theologus, vere orabis: & si eris Theologus, & vere orabis, Theologus vere eris. *Cap.* 58.

Cum mens tua multo Dei desiderio paulatim se à carne subducit, omnésque ex sensu, aut memoria, aut corporis temperatione ortas cogitationes repudiat, tunc te existima appropinquasse terminis orationis. *Cap.* 59.

Spiritus sanctus, dolens nobiscum infirmitatem nostram, etiam ad nos impuros venit: qui si mētem solam studiosè orantem reperiat, ascēdit in eam, &

A totam multitudinem cogitationū, aut notionum, quæ mentem circundant, delet, hortans eam ad amorem spiritualis orationis. *Cap.* 60.

Cæteri per immutationem corporis efficiunt in mente cogitationes aut notiones aut contemplationes: cōtra verò Deus per se ipsum in mentē ascēdens cognitionem eorum, quæ vult, in illa ponit: & per mētem inæqualitatē corporis tēperat, ac lenit. *Cap.* 61.

Orans iracundè. Qui studiosus est veræ orationis, & simul irascitur, & est memor iniuriarum, idem insanus est: est enim similis ei, qui cupit acute cernere, & idem oculos suos turbat. *Cap.* 62.

B Si orare desideras, nihil facias eorū quæ orationi aduersantur, vt tibi appropinquet Deus, & tecū ambulet. *Cap.* 63.

Qualis fingendus Deus. Cum oras, ne figures Deum in te ipso, immo accede sine materia ad expertē materiæ; & intelliges, minui laqueos aduersariorum, fieri enim solet, vt oranti pure, & quiete adsit repente forma aliqua noua, & alieni generis, vt te in elationem abducat cōiectantem habere Deum formam vt repentina illa ostēsio magnitudinem habere persuadeat, est enim Deus expers magnitudinis, & figuræ. *Cap.* 64.

C Cum non potest inuidus Dæmon memoriam in oratione excitare, tunc temperationi corporis vim infert, vt faciat aliquod inusitatum simulachrū apparere ad figurādum Deum. Cui autē vsus, & consuetudo est hærere in rerum notionibus, facile flectitur, & dum properat ad cognitionē à materia, & figura liberam, fallit seipsum, qui fumū pro lumine retineat. Quamobrem sta in custodia tua, mentémque tuam à notitiis istis inter orandum custodi, vt in quiete tua sis, & qui miseretur imbecilliū, præstò quoque adsit tibi: tūc donum orationis, gloriæ pleniſſimum accipies. *Cap.* 65.

Non poteris orare pure, rebus, ac negociis terrenis implicat⁹, & assiduis curis onustus: oratio enim est depositio cogitationum. *Cap.* 66.

D Sicut non potest currere, qui ligatus est: sic mens, quæ perturbationib⁹ seruit, locū spiritualis orationis videre nō potest, trahitur enim, & huc, atque illuc à perturbatis cogitationibus agitatur: & statum fixum, atq; immobilem non habet. *Cap.* 67.

Cū iam deinceps mens pure, & sine perturbatione orat, non amplius Dæmones à sinistris adoriuntur, sed à dextris, subiiciūt enim illi splendorē Dei, & imaginem quandā eorum, quæ sunt amica sensui, vt videatur sibi finem, ac propositum orationis perfectæ adeptus, hoc autem quidā vir multa actione exercitatus exposuit à vana gloria proficiscī, simulq; à Dæmone locū cerebri attrectāte. *Cap.* 68.

E Existimo Dæmonē, qui locū, quē dixi, attrectat, lumē menti circūfusum, vt ei libet, vertere: atq; ita passionē vanæ gloriæ excitare: ita cogitatione mentem informādo, vt ipsa mēs coniecturā faciat diuinæ, & substātialis cognitionis, itaq; cum iste carnalibus, & fœdis passionibus nō agitetur, immo pure in oratione astet, nō amplius putat aliquid in se ab aduersario fieri. Vnde suspicatur, quod sibi apparet id esse diuinū, dum Dæmō vehemēter vi ingenij sui vtitur, ac per cerebrū lumen coniunctū immutat, & mētem, vt ante diximus, informat. *Cap.* 69.

Angelus verò Dei præsto adest, qui solo verbo

operationem aduersarij sistit, & mouet lumẽ mentis, vt sine errore, ac fallacia operetur, quod in Apocalypsi dicit beatus Ioannes ferre Angelum thymiama, vt daret in oratione sanctorum. Existimo esse gratiam Dei, quam ipse per Angelum operatur, efficit enim cognitionem veræ orationis, vt stet deinceps mens extra omnem agitationem, & acediam, atque segnitiem. *Cap.* 70.

Apo. 5.

Apoc. 8.

Phyalæ thymiamatũ dicuntur esse orationes sanctorum, quas xxiiij. Seniores offerebant.

Cap. 71.

Phyalam verò existimare licet, esse amicitiam cum Deo, perfectam dico, & spiritualem charitatem, quæ efficit, vt in spiritu, & veritate oremus.

Cap. 72.

Cum videbitur tibi non opus esse lachrymis in oratione tua propter peccatum, considera quanto tempore à Deo fueris absens, qui semper in eo esse debebas, & feruidius lachrymaberis.

Cap. 73.

Si considerauerís modum tuum, libentius flebis, miserum te prædicans, exemplo Esaiæ, quod impurus cũ sis, & in medio populi impuri, audeas astare Domino Sabaoth. *Cap.* 74.

Esa. 6.

Si verè oraueris, omnis dubitationis vacuitatem reperies: veniẽtque ad te Angeli sicut ad Danielem, & rationibus eorũ, quæ fiunt, te illuminabunt. *Cap.* 75.

Dan. 9.

Scito sanctos Angelos ad orationem hortari nos, & nobiscum pariter stare cum lætitia pro nobis orantes. Si igitur negligẽtes sumus, cogitationésque contrarias admittamus, magnopere eos irritamus, quod ipsi pro nobis tantopere certent, nos verò vel pro nobis supplicare Deo nolimus, quin potius neglecto eorũ ministerio, & eorum Domino, ac Deo derelicto cum impuris Dæmonibus congressum habeamus. *Cap.* 76.

Ora mansuetè, & quietè, ac cane prudenter, & concinne, & eris tanquam pullus aquilæ, quæ volatu in sublime fertur. *Cap.* 77.

Cantus psalmorum ad perturbationes sopiendas valet, & vt ipsa corporis temperatio sedata sit: Oratio verò facit, vt mens actione sua vtatur.

Cap. 78.

Oratio est actio, atque vsus mentis prẽstantior, & purior qui dignitatem eius in opere docet.

Cap. 79.

Cantus psalmorum variæ sapientiæ est: oratio verò procœmiũ est cognitionis, à materia, & varietate liberæ. *Cap.* 80.

Optima est cognitio: est enim adiutrix orationis, vim intelligendi menti inditam excitans.

Cap. 81.

Si nondum accepisti charisma orationis aut psalmodiæ, insiste, & accipies. *Cap.* 82.

Luc. 18.

Dicebat (inquit) *eis parabolã de eo, quòd oporteret eos semper orare, & nunquam deficere*, igitur ne deficias, nec ægre feras quod hactenus non acceperis, accipies enim postea, subiunxit enim illud deinceps in parabola, *& si Deum non timeo, neque hominem reuereo, tamen quia molesta est mihi mulier, faciam iudicium eius*: sic igitur *faciet Deus vindictam* citò *clamantium ad se die, ac nocte*, quamobrem bono animo esto perseuerans gnauiter in sancta oratione. *Cap.* 83.

Ne velis, vt tibi videtur, sed vt Deo placet quæ ad te pertinent, fieri: ita fiet, vt sis in oratione tua tranquillus, & erga Deum gratus. *Cap.* 84.

Si videris tibi esse cum Deo, caue à Dæmone fornicationis, est enim fallacissimus, & maxime inuidus: vultq; esse velocior motione, & vigilãtia mentis tuæ, vt eam abstrahat à Deo, cum se coram Deo cum reuerentia, & metu sistit. *Cap.* 85.

Luc. 18.

Si tibi cura est de oratione, para te ad incursiones Dæmonum, & plagas ab eis illatas fer toleranter, inuadent enim in te, tanquam truculentæ feræ, & corpus tuum male afficient. *Cap.* 86.

Para te, tanquam expertus pugil, & quamuis spectrum repente videas, ne moueris: quamuis districtum gladium, aut lucernam circum oculos, ne turberis, quamuis formã aliquam deformẽ, & cruentam, ne animo consterneris, quin potius, sta, bonam confitens confessionem, & facile videbis in inimicis tuis. *Cap.* 87.

Qui acerba tolerat, læta etiam adipiscetur: & qui tristia fortiter sustinet, non carebit iucundis.

Cap. 88.

Caue ne te mali Dæmones quopiam viso, ac simulachro decipiant: sed potius esto consideratus, téque ad orationem conuerte, atque Deum implora, vt si ab eo proficiscitur visum, idem te illuminet: sin autem non proficiscitur, cito visum ex te eiiciat, & bono animo esto, quia nõ stabũt canes, si tu grauiter baculo orationis vtaris: statim enim à potestate sub sensum oculorum non cadente verberati procul pellentur. *Cap.* 89.

Matth.

Iustum est hanc quoque fallaciam Dæmonum non ignorare: aliquando seipsi diuidunt, &, si videberis auxilium quærere, ingrediuntur reliqui habitu, atque specie Angelorum induti, qui primos expellunt, vt ab eis decipiaris iudicando, tanquã sancti Angeli sint. *Cap.* 90.

Stude, vt multa humilitate, & fortitudine præditus sis, ita fiet, vt violenta Dæmonum aggressio non te attingat: *& flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, quoniam Angelis suis mandabit de te Deus, vt custodiãt te*, & omnẽ aduersarij vim à te nihil oculis cernente depellent. *Cap.* 91.

Psal. 90.

Strepitus, & voces, & percussiones Dæmonum audiet, cui studium & cura sit pure orãdi, non tamẽ concidet, neque prodet hostibus rationem, si alloquens Deum dicat, *non timebo, quoniam tu mecum es*, & alia huiusmodi. *Cap.* 92.

Cum huiusmodi tentationes accident, breui, & intenta oratione vtere. *Cap.* 93.

Si tibi Dæmones minantur, quòd repẽtè ex aëre apparere velint, & terrere te, atque mentem tibi eripere, aut tanquam feræ carnem tuam lędere, ne paueas, neque vllo modo eorum minas cures: iniiciũt enim terrorem, vt experiantur, vtrum eos attendas, an potius eos prorsus contemperis. *Cap.* 94.

Si astas omnipotenti Deo, & mundi fabricatori, quomodo ita temere, & inconsideratè ei astas, vt relicto metu eius inuicto, culices & scarabæos metuas? An non audisti dicere, *Dominum Deum tuum timebis?* Et rursus, quem horrent, & tremunt omnia à facie virtutis eius, & quæ sequuntur? *Cap.* 95.

Deut. 6.

Sicut panis est alimentum corporis: & virtus animæ,

mæ, sic spiritualis oratio alimentum mentis est.
Cap. 96.

Ne ores Pharisaicè, sed more potius publicani in sacro loco orationis, vt tu à Deo iustificeris. Luc. 18.
Cap. 97.

Stude, vt ne oratione tua contra vllum ores, ne quæ ædificas, euertas, faciásque orationem tuam execrabilem. *Cap.* 98.

Doceat te ille tribunus militum, qui decem millia talentûm debebat, quòd nisi debitori tuo remittas, nec ipse remissionem consequeris, *tradidit* enim *illum* (inquit) *tortoribus*. Matth. 18 *Cap.* 99.

Prætermitte necessitates corporis, dum preces adhibes, ne pungente pulice, aut pediculo, aut culice, aut musca, iacturam facias maximã orationis.
Cap. 100.

Venit ad nos quidam, qui narrabat, quemadmodum Dæmon vsque adeo cuidam sancto cum oraret, resistebat, vt simulátque ille manus tenderet, Dæmon se in Leonis formam verteret, & prioribus pedibus erectis vngues vtrinq; illius manibus infigeret, à quo non prius discedebat, quam manus frangeret: qui verò orabat, non prius remittebat, quã orationes consuetas absolueret. *Cap.* 101.

Talem fuisse intelleximus in lacu quietè cõmorantem Ioannem illum, cognomento Paruum, ego verò magnum interpretor, qui circumplicatus Dæmone in speciem Draconis mutato, & corpus eius mandente, atque in faciem eius vomente, tamen se à colloquio & congressu Dei non dimouebat.
Cap. 102.

Legisti sanè vitas etiam Monachorum Tabẽnesiotarum, in quibus scriptum est, quemadmodum, cum Theodorus Abbas sermonem apud Fratres haberet, duæ viperæ subter pedes eius se intulerũt, ille verò sine vllo metu, aut tumultu, veluti camera ex pedibus facta, illas intus complexus est, donec sermonem absoluit: tunc eas fratribus ostendit, rem totam narrans. *Cap.* 103.

De alio rursus Fratre Spirituali legimus, quod cum oraret, accessit vipera, quæ pedem eius tetigit: ille verò nõ prius manus deiecit, quam solitam orationem absolueret, nihílque incommodi accepit, qui Deum plusquàm se dilexit. *Cap.* 104.

Habe oculos in oratione, non distractos, ac vagos, & cura carni, atque animæ denegata fac adsis mente. *Cap.* 105.

Fuit alius sanctus vir, vitam in solitudine cum silentio transigens, hunc cum studiosè oraret, Dæmones duabus hebdomadibus, velut orbem quendam, in aërem iactabãt, per aëra illum excipientes: mentem tamen nullo modo distrahere ab oratione sua feruida potuerunt. *Cap.* 106.

Fuit item alius charitatis in Deum studiosus, & studio orationis deditus, huic in solitudine ambulanti, duo Angeli se adiunxerunt quos ille minime attendere voluit, ne melioris rei iacturam faceret, meminerat enim Apostoli, cum ait, *nec Angeli, neque principatus, neque potestates poterunt nos à charitate Dei separare.* Rom. 22. *Cap.* 107.

Angelis efficitur *similis* Monachus, qui per veram orationem cupit videre *faciem Patris, qui in cœlis est*.
Cap. 108.

Ne quæras prorsus, vt forma, aut figura vlla tibi inter orandum appareat. *Cap.* 109.

Ne desideres videre Angelos, aut potestates aut Christum sensu oculorum, ne prorsus amens fias, ac lupum pro pastore suscipiens inimicos Dæmones adores. *Cap.* 110.

Initiũ erroris superbia mẽtis, hinc enim fit, vt ipsa Deũ lineamentis figurare, ac circũscribere nitatur.
Cap. 111.

Dicam ipse, quod adolescẽtibus dixi, beata mẽs, quæ, dum orat, omnibus formis omnino vacua est.
Cap. 112.

Beata mens, quæ expeditè, ac sine distractione orat: huic semper plus desiderij accedit.
Cap. 113.

Beata mens, quæ, dum orat, omnino omniũ sensuum vsu vacua est. *Cap.* 114.

Beata est mens, quæ tempore orationis nihil rerum habet, nihil possidet. *Cap.* 115.

Beatus est monachus, qui se omnium peripsema, id est, abiectissimum reputet. *Cap.* 116.

Beatus Monachus, qui post Deum, omnem hominem, tanquam Deum reputat.
Cap. 117.

Beatus Monachus, qui salutem & profectũ omnium, tanquam suum, cum omni gaudio videt.
Cap. 118.

Monachus est, qui ab omnibus est separatus & & ad omnes apte accommodatus.
Cap. 119.

Monachus est, qui vnum se ex numero omnium ducit, quia se in vnoquoque sine vllo discrimine videre existimet. *Cap.* 120.

Hic orat, qui primordia cogitationum & notitiarum mentis suæ Deo dedicat.
Cap. 121.

Mendacium, & omne iusiurandum declinet Monachus, & oret cum desiderio, alioquin frustra simulat, quod sibi non conuenit. *Cap.* 122.

Si vis orare Spiritu, neminem ex carne spectes: & non habebis caliginem tibi offusam.
Cap. 123.

Committe Deo, quæ opus sunt corpori, ita fiet planum, te, quæ opus sunt spiritui, eidem quoque committere. *Cap.* 124.

Si quæ promissa sunt consecutus fueris, regnabis, igitur in promissa illa intuens, æquo animo præsentem paupertatem tolerabis. *Cap.* 125.

Ne repudies paupertatem, & afflictionem, quæ sunt materia orationis expeditæ.
Cap. 126.

Ne virtutes corporis ad virtutes animæ negligenter spectent, neque virtutes animæ ad virtutes spiritus: nec hæ rursus ad illam incorpoream substantialem cognitionem. *Cap.* 127.

Considera, qui oras, cogitationem si ea facile remittit, vnde profecta sit, ne quid occulti mali patiaris negligendo eam. *Cap.* 128.

Aliquando enim Dæmones non subiiciunt tibi cogitationem: & aliquando rursus subiiciendo te irritant, vt contra eos ores, aut eos redarguas, & volentes discedunt, vt deceptus superbe existimes, cœpisse te vincere cogitationes, ac Dæmones terrere.
Cap. 129.

Si oras contra passionem, aut molestias Dæmo-

nis, veniat in mentem eius, qui ait, *persequar inimicos eius, & comprehendam eos, & non cõuertar, donec deficiãt: cadent subter pedes tuos*, & quæ sequuntur, hæc tempestiue dices. *Cap.* 130.

Si te humiliter contra aduersarios armes, ne existimes te iam virtutem comparasse, nisi prius vsque ad sanguinem pro ea pugnaueris. Oportet enim vsque ad mortem peccato pugnaciter, & infracto animo, id est, nõ deficientes, sicut Paulus monet, resistere. *Cap.* 131.

Si hunc iuuabis, alter te lædet, vt accepta iniuria aliquid absurdum vel dicas, vel facias: & malè dissipes, quæ bene congregâris: Huc enim spectant Dæmones. Quare studiosè, & considerate attendendum est. *Cap.* 132.

Expecta impetus, & aggressiones Dæmonum, curam adhibens, quomodo ab eorum seruitute discedas. *Cap.* 133.

Noctu quidem Dæmones per se ipsi expetunt spiritualem magistrum turbare: interdiu verò per homines aduersis casibus, & calumniis, ac periculis implicant. *Cap.* 134.

Ne recuses imitari fullones, qui etsi calcãdo tundunt, nihilominus tamen ab eis albescit vestis. *Cap.* 135.

Quandiu perturbationes non repudiâris, sed potius mens tua cum virtute, ac veritate luctetur, non reperies in sinu tuo odoratum thymiama. *Cap.* 136.

Si cupis orare, transfer à te terrenis ad cœlum, ibíque versare, non verbis tantum, sed actione Angelica, & diuiniore cognitione. *Cap.* 137.

Si solũ in rebus aduersis memor es iudicis, quod sit pertimescendus, & incorruptus: nondũ didicisti *seruire Domino in timore & exultare ei in tremore*. Scito enim etiam in laxamentis spiritualibus, & in conuiuiis seruiendum esse illi. *Cap.* 138. Psal. 2.

Ille est consideratus vir, qui ante perfectam pœnitentiam, non intermittit memoriam cum dolore peccatorũ, & iusti eorum in igne æterno supplicij. *Cap.* 139.

Mens quæ est irretita peccatis, & Deum irritat, audet tamen impudenter ad cognitionem rerũ diuinarum se prouehere, aut etiam ad orationem spiritualem ascẽdere, irrogetur ei Apostolica mulcta, quia non licet ei, nudo & aperto capite orare, debet enim (inquit) quæ huiusmodi est, potestatem habere super caput, propter præsides Angelos, pudorẽ, & humilitatẽ decentem induta. *Cap.* 140.

Sicut ei, qui est lippis oculis, nõ est commodum solem in meridie in maximo eius splendore, ac lumine intentis oculis intueri, sic neque menti perturbatę, & impurę vtilis erit repręsentatio orationis in spiritu, & veritate, quæ naturam antecellit, & deterret. *Cap.* 141.

Si illum, qui ad aram accessit, non admisit is, qui nulla re indiget, & incorruptus iudex est, donec proximum de se conquerentem secum in gratiam reconciliaret; considera quanta cautione, ac iudicio opus erit, vt demus Deo thymiama acceptum in ara spirituali. *Cap.* 142. Matth.

Ne delecteris verbis, neque gloria: alioqui non iam in mẽte, sed in conspectu tuo fabricantur peccatores, erísque eis ludibrio tempore orationis, absurdis cogitationibus ab eis abstractus, & illectus. *Cap.* 143.

Qui attentione orationem quærit, orationem inueniet: attentionem enim sequitur oratio, & aliud quid. *Cap.* 144.

Sicut sensus visus cæteris sensibus præstat, sic attentio omnibus virtutibus diuinior est. *Cap.* 145.

Non spectat ad laudem orationis, quanta sit tantum, sed qualis: quod quidem declarant illi, qui ad templum ascenderunt, vt orarent: immo & illud, quod est in Euãgelio. *Vos autem, cum oratis, nolite multum loqui*, & quæ sequuntur. *Cap.* 146. Matth.

Quandiu attendis proportionem corporis, & mens tua illa, quæ in scena delectant, circumspicit, nondum locum orationis vidisti, immo hæc beata via procul adhuc abest. *Cap.* 147.

Cum stas in oratione, & inde lætitiam capis quæ omnem superat lætitiam, tunc orationem verè reperisti. *Cap.* 148.

SANCTI NILI ABBATIS LIBER ASCETICVS.

AD LECTOREM.

Quisquis ad hæc legenda accedis, attende tibi, si monachuses, ne ea cæteris monachis dicta puta, sed tibi. Si non es monachus, ne monachis tantum scripta, sed omnibus arbitrare. Sic enim lectionis tuæ tibi fructus constabit. Vale.

MVLTI è Græcis, & ex Iudęis nõ pauci philosophiæ studia coluerunt. Soli tamen Christiani veram sapientiam complexi sunt, quippè qui etiam soli, sapientia magistra, & reipsa rationẽ eiusmodi studio conuenientem demonstrante, didicerunt. Priores igitur tanquam in scena fabulam agerent, veræ expertes philosophiæ, & inane duntaxat illius nomẽ sibi vendicãtes, aliena se persona decorarunt. Pallio enim, & barba, & baculo philosophum præ se ferentes corpus sequebantur, & cupiditatibus tanquam dominis seruiebant, ventrísque mãcipia, voluptates, quæ sub ventre sunt, veluti naturæ opus amplectebãtur, iracundiæ dediti, & gloriæ cupidi, splendidis mẽsis more canum auidè inhiabant, ignorantes, philosophum in primis esse liberum oportere, eiq; magis fugiendum esse, cupiditatibus seruire, quàm argento venalem esse, aut è seruis parẽtibus nasci. Quid enim nocet homini humana seruitus, si rectè viuat? At is, qui sub cupiditatum dominatu voluptatibus seruit, in dedecus & ignominiam incurrit. Sunt igitur qui neglecta prorsus bene viuẽdi ratione, logicam, & philosophiam capessunt, & de rebus sublimibus nugantes, demonstrationes conquirunt, séque cæli ma-

505

li magnitudinem, & ſolis menſuram, ac ſtellarum vires ſcire profitentur, nõnũquam etiam theologiã affectant, vbi veritas inacceſſa, & periculoſa coniectura, cum tamẽ fœdius, quàm porci, qui in luto volutantur, vitam degant. Quòd ſi moralẽ aliqui diſciplinã pertractant, his ſunt etiam deteriores: gloriam enim & laudem laboribus aucupantur. Nihil enim aliud ferè homines ſtulti ſibi proponunt niſi oſtentationẽ, & inanes rumuſculos, miſeriæ ſuæ vilem ac futilẽ mercedem captantes. Nã quòd perpetuò ſilent, & veſcũtur oleribus, lacerisque veſtimẽtis induuntur, in dolióque incluſi verſantur, nullũ poſt mortem præmium expectãt. Quid porrò ſtultius, quàm vita hac virtutis præmia terminare, & certamen inire, in quo nulla coronæ ſit ſpes? & pugnam perpetuã ſuſcipere, cui nulla merces proponatur? & fodiendo ſudorẽ aſſequi, ac prẽterea nihil? Iudæi verò, qui talem viuendi rationẽ inſtituerunt, à Ionada ſunt oriundi, & omnes, qui ad ſe, vt eodẽ modo viuant, accedunt, ad eadem ducũt inſtituta. In tabernaculis perpetuò habitant, à vino, atq; omnibus cibis delicatis abſtinẽt, victu tenui contenti corpus affligũt. Magnã igitur morum curam gerũt & contemplationi vacant aſſiduè ex quo Leſſęi appellantur. Ac rectè prorſus vndique conſtat illis propoſitum philoſophãdi, cum nullis de rebus cõtendere profiteantur. Cæterùm quæ certaminum vtilitas, aut qui fructus ex laborioſa vita poteſt illis eſſe, qui remuneratorem Chriſtum ſuſtulerunt? Inanes enim pariter ſunt iſtorum labores, eum negantium, qui prẽmia & veram vitam certantibus dilargitur. Idcircò à philoſophiæ ſcopo aberrauerunt. Philoſophia enim eſt morum correctio cum vera certę cognitionis gloria coniũcta. Ab hac tum Iudæi, tũ Græci, repudiata, quæ è cœlo deſcẽderat, ſapientia, lõgè receſſerunt. Nam ſine Chriſto, qui factis & verbis verã philoſophiã oſtenderat, philoſophari conati ſunt. Hic enim primus hominibus huiuſce ſtudij viã patefecit, puram viuendi rationẽ docens, & animam corporis cupiditatibus reddens ſuperiorem, ac demũ vitam etiam ipſam contẽnendam eſſe re ipſa demonſtrans, cùm hominum ſalus, quam ſibi propoſuerat, vt mortem oppeteret, poſtulauit. Docuit igitur, vero philoſopho, reiectis omnibus vitæ voluptatibus, labores æquo animo ſubeundos, cupiditates ſuperandas, corpus contẽnendũ, & vitam ipſam non eſſe magnifaciendã, ſed alacriter profundendã, cùm id oſtendẽdę virtutis tẽpus exegerit. Ad hanc viuendi rationẽ Sancti Apoſtoli, ſimulátque vocati ſunt, mũdo renunciãtes cõtenderũt. Patria enim, & propinquis, & fortunis relictis, aſperũ & laborioſum vitæ genus complexi ſunt, & per difficillima quæq; tranſierũt, cum afflicti iniuriis affecti, eiecti, nudi, rebus egentes neceſſariis, mortẽ deniq; oppetierũt, & magiſtrum præclarè in omnibus imitati, optimæ nobis viuendi rationis exemplum reliquerunt. Verùm, cùm ad hoc exẽplum vitam dirigere Chriſtianos omnes oporteret, plerique vel noluerunt, vel nequiuerũt, pauci deſpicere mundi perturbationes, & ciuitatũ procellas effugere potuerunt, atque ita tempeſtatibus ſuperaris, & vitam ſolitariam amplexi, apoſtolicæ virtutis effigiẽ expreſſere. Diuitiis paupertatem, vt ſine animi diſtractione viuerent, anteponebant: vt

A impetum frangerent cupiditatum, delicatis epulis tenuem frugalémque victum præferẽtes, quolibet cibo corporis neceſſitati ſatisfaciebant. Mollibus indumentis, vſuíque non neceſſariis reiectis, vt qui voluptatem humanam negligerent, ſimplici ac minimè operoſa veſte, qua frigus à corpore arcerent, induebantur. Indignum enim homine philoſopho qui rerũ cœleſtiũ ſtudiis incumberet, exiſtimabant, de rebus terrenis, & quæ ſponte ſua vel feris ſuppeterent, eſſe ſolicitum. Mundum ignorabãt, cum ab humanis eſſent perturbationibus remoti. Apud eos non erat, qui magis alio vel egeret, vel abundaret, qui iudicaret, aut iudicaretur. Habebat enim quiſ-

B que iudicem incorruptum propriam cõſcientiam. Non erant apud illos alij diuites, alij pauperes. Non liquefiebat alius fame, cùm alius cruditate laboraret: egentium enim inopiam, eorum, qui abundabãt, benignitas explebat. Par inter illos ius & æquabilitas vigebat, reiecta propter ditiorum cũ tenuioribus cõmunionem inęqualitate. Immo verò tunc etiam erat inæqualitas ex eo, quòd, vt nunc propter inſaniam aliis alij ſtudent anteferri, ita tunc humilitate alios alij vincere, & abiectiores eſſe contendebant. Aberat odium, aberat inuidia, exulabat inanis gloria, exulabat arrogantia, omnes ſeditionis cauſæ erant ſublatæ. Ad eiuſmodi enim cupiditates erant velut mortui, atque omni ſenſu carentes,

C adeò, vt ne in ſomnis quidẽ eas viderent. Cũ enim ab initio memoriã earũ abieciſſent, ex quotidiana exercitatione propoſitique conſtantia talem animi habitum ſibi comparauerant. Lucernæ profectò erant in tenebris fulgentes. Et *ſtellæ* minimè *errantes*, quæ vitæ ſplendore noctem illuſtrabant, ac veluti portus quidam tuti, qui perfugium facile omnibus à cupiditatum tempeſtatibus oſtendebant. Verùm accurata ac cœleſtis illa viuendi ratio non aliter, quàm imago præ deſcribentium negligentia, paulatim indies deterior effecta, ad ſummam diſſimilitudinem peruenit, & omnino defecit ab exem-

D plari. Etenim qui mundo erant crucifixi, quíque huic vitæ renunciauerant, atque homines eſſe deſierant, & deuictis cupiditatibus ad cœleſtium illarũ mentium narurã aſpirare contendebãt, rurſum ad terrena negotia reuerſi turpibus occupationibus rectè viuentiũ diligentiã inquinarunt. Et qui virtute celebres eſſe poterãt, propria ſegnitie infames euaſerũt. Et qui aratri ſtiuæ manum admouerant, habitum grauẽ ſeruãtes, propterea quod retrò conuerſi ſunt, & ſtudiosè cõplexi, quæ obliuiſci debuerant, apti regno Dei nõ extiterunt. Neq; enim amplius apud nos frugalitas, ac vitæ ſimpliciras colitur, neque ſilentium, & quies, quæ vtilis eſt, vt ab

E antiquis inquinamẽtis abſtrahamur. Sed negotiorum multitudo, quæ ſolicitudinem à recto viuendi propoſito alienã affert, in pretio eſt, & honoris, rerúmq; terrenarũ cupiditati ſalutariã ceſſerũt inſtituta. Cùm enim omni ratione nos Dominꝰ à terrena ſolicitudine dehortetur, iubeátq;, vt ſolũ *cœlorum regnũ inquiramus*: nos quaſi debita opera per cõtratiã viam incedentes Domini præcepta negleximus, & reiecta illa cura ſpem in manibus noſtris collocauimus. Nam, cùm ipſe dicat: *Reſpicite volatilia cœli, quæ non ſeminant, neque metunt, neque congregãt in horrea ſua, & pater veſter cœleſtis paſcit illa.* Et rurſum *Reſpi-*

Iud. 10.

Matt. 6.

Matt 6.

cite lilia campi, quæ non laborant, neque nent. Præterea cũ iubeat, *vt neque ſacculum, neque peram, neque baculum ſumamus,* ſed ſolo iubentis minimè mendacis promiſſo confidamus, quod diſcipulis fecit, cùm eos ad bene merendum de reliquis hominibus mitteret, *Dignus eſt,* inquiens, *operarius cibo ſuo*, quod quidem promiſſum ad ea, quæ neceſſaria ſunt, ſubminiſtrãda firmius eſt omni noſtra ſolicitudine: nos autẽ nobis minimè tẽperauimus, quo minus quàm maximè potuimus, agrorum ſpatia poſſideremus, ouiumq; greges, & boues aratores tum pulchritudine, tum magnitudine inſignes, & pingues aſinos coemeremus vt agri quidem nobis abundè fruges ſufficerent, boues autem tũ agriculturæ labores ſuſtinerent, tum cibum nobis, & pabulum ſibi ipſis, ac reliquis animalibus ſubminiſtrarent: iumẽta verò, vt quæ regio noſtra non fert, ex aliena conueherent, & victui non ſolùm neceſſaria, verùm etiam iucunda comportarent. Quid? quòd ex artibus eas delegimus, quæ lucri plus eſſent allaturæ quæq; cũ omne temporis ſpatium in ſe conſumerẽt, ad cogitandum de Deo otij nihil omnino relinquerent. In quo vel gubernatorem Deum imbecillitatis damnamus, vel noſmetipſos, priorem profeſſionem abiecerimus. Quamuis enim id verbis non confiteamur, res tamen ipſa nos coarguit, quòd hominum ſæcularium vita delectemur, quandoquidem eadẽ ſequimur inſtituta, ac magis etiam fortaſſe in corporis occupationibus immerſi ſumus, vt ferè iam pietatem quæſtũ exiſtimemus, & nullam aliam ob cauſam priſcum illud liberum vitæ genus excolamus, niſi vt ex ficta religione, laborioſa miniſteria fugiamus, & genio indulgendi licentiam nacti, ſine interpellatore, arbitratu noſtro nos oblectemus, magna cum impudentia ſimplicioribus, & ſuperioribus nonnunquàm inſultantes, quaſi virtutis ſtudium non humilitatis & modeſtię, ſed tyrannidis materiam ſubminiſtret. Inde factum eſt, vt ab iis, à quibus coli nos oportebat, tanquam importuna turba, deſpiciamur, & vicinis atque obuiis hominibus in foro mixti ludibrio ſimus, vt qui nulla re cæteris, vt æquum erat, præſtemus, nec eximia viuendi ratione, ſed habitu tantùm differamus, & tamen eam gloriam furiosè appetamus, quæ debetur virtuti, cùm labores, quibus virtus excolitur, negligamus, & veritatis perſonam duntaxat, tanquàm in ſcena, geſtemus. Et hodie non deſunt qui grauem hunc habitum ſumant, cùm animæ maculas nondum abluerint, nec veterum peccatorũ notas mentibus ſuis impreſſas exemerint, ſed eas adhuc impudicis cogitationibus foueant. Cùmque nondum mores ad id, quod profeſſi ſunt, accommodauerint & diuinæ philoſophię ſcopum ignorent, Phariſaicũ tamẽ ſupercillium tollunt, ſibíque placent, tanquã ſolo habitu virtus acquiratur, circumferunt inſtrumenta, quorum artem non didicerunt, & quam ne ſummis quidem labris guſtarunt, ſcientiam habitu profitentur. Ex quo fit, vt qui portus, & templa Dei, & oues eſſe debuerãt, ſcopuli, & ſepulcra dealbata, & ad eorum, quos deceperunt, perniciem lupi deprehẽdãtur. Cùm enim ex monaſteriis, propterea quòd exquiſitam viuendi rationem ferre nõ poſſunt, aufugerunt petulanter in ciuitatibus verſantur. Hic ventris coacti neceſſitate, quò multitudini imponant, ceruicem inflectunt, & pietatis ſpeciem tanquam eſcam præ ſe ferunt, & nihil facere recuſant, quod corporis neceſſitas cogat. Nihil enim naturali egeſtate ſolertius ad ea, quæ ſunt vſui neceſſaria, conquirenda, præſertim ſi ad ignauiã acceſſerit meditatio, tunc enim callidius ſimulatio progreditur. Obſeruant igitur diuitum fores, non ſecus ac paraſiti, in foro autem more mancipiorum ad eos accurrunt, & illos, qui appropinquãt, arcẽt: quòd ſi repellantur, ipſi ab iis, qui occurrunt, facilè libentérque cedunt, idque mẽſæ gratia, vt ad delicatiores epulas admittãtur, quippe qui voluptatem coercere non didicerunt, nec Moſis refoſſum B neceſſitatis paxillum in balteo gerere voluerunt. Vſu enim edocti non ignorant, omnem, quæ ex cibis prouenit, voluptatẽ gutture terminari, & quocunque cibo neceſſitati fuerit ſatisfactum, importunæ cupiditatis turpitudinem tegi. Ideircò nomẽ Dei blaſphematur, & præclarum vitæ genus deſpicitur, verè ex virtute viuentium inſtitutio fraus exiſtimatur, & iſtorum temerè vagantium pondere premuntur ciuitates, priuatæq; domus affliguntur, & omnes inuiti mendicorum vultus intuentur, cũ eos videãt impudentius foribus inhærẽtes. Quinetiam multi hoſpitio ſuſcepti, cùm exiguum ad tempus religionem ſimularint, & ſub hypocriſis perſona ſanctitatis opinionem occuluerint, acta præda C ſubducunt ſeſe, & in omni vita notatur, infamia. Sic igitur qui modeſti & ſancti putabãtur, tanquã corruptores, ac peſtes, non aliter, ac ſi lepra laborarent, è ciuitatibus expelluntur, & oppugnantur, & minor, quàm ſicariis, & parietum effractoribus illis habetur fides, qui vitam ſolitariam profeſſi fuerãt. Facilius enim ab operta vi caueri poſſe, quã ab occultis inſidiis homines putant. Cùm igitur nullum pietatis guſtum habeant, & ſilẽtij lucrum ignorẽt, quippe qui neceſſitate aliqua adducti ad ſolitariam vitam temerè confugerint, eámque ſibi res neceſſarias ſuppeditaturam exiſtimarint, cui mea quidem ſententia grauius vacarent, niſi ad omnium fores D accederent, ſed habitu maiores vtilitates conquirerent, verùm cùm ex eo velint rerum neceſſarium vectigal corpori pendere, voluptatum deliciæ immenſas illis renouant cupiditates, quibus tanquam peſtiferis morbis laborãtes curare difficile eſt. Quo modo enim bonæ valetudinis commoda queãt intelligere, qui bona nunquàm fuerint valetudine? Sed ab ipſis incunabulis lethali morbo decubuerint, & vſu ipſo ſic affecti ſint, vt ægritudinem à natura differre nihil exiſtiment. Fruſtra verba fundũtur, cùm audiẽtium vita præceps in peius ruit. Cõſilia rapiuntur in partem contrariam, præſertim cũ lucri ſpes alit cupiditatem. Admonitionibus aures occludunt, vt nullus ad eas aditus pateat, mentes in E quæſtus auiditate, licet turpis ſit, occupata. Nos verò, chariſſimi, qui ſtudio virtutis incitati vitę mũdiq; cupiditatibus renuntiauimus, nobíſque Chriſtum ſequendum propoſuimus, quid rurſum ſæculi negotiis implicamur? & quæ bene deſtruximus, malè reædificamus? Cur ea, quæ non decet, exercẽtes malis conſiliis vtimur, & vanitatum ſtudio animos infirmiorum incendimus, & ſimplicioribus viam ad auaritiam patefacimus? cùm ex præcepto Domini curare infirmos, non irritare debeamus,

Luc. 10.

Matth. 10.

& ea complecti, quæ illis vtilia sint, ne si temere sequamur contraria, causa simus, vt ipsi vestigiis nostris insistentes terrenis occupationibus implicentur. Cur mundum magnificimus, quem contemnere edocti sumus? Cur diuitiis & possessionib⁹ cumulandis incumbimus, & in multas atque inutiles curas distrahimur, quæ nos à studiis auocant magis necessariis, & negligere faciunt animi bona atque homines vitæ negotiis inhiantes in magnum barathrum trahunt, dum in fruendis diuitiis summum esse bonum arbitrantur? Vidēt enim eos, qui se philosophos, & voluptatibus superiores profitentur, maximè omnium in id studium incumbere. Neminem manent certiora supplicia, quàm illū, qui multos vitiorum suorum discipulos facit. Imitantium enim interitus pœnarum cumulū affert præceptori. Neque tamen discipuli magnam effugient damnationem, cùm in magistro ea turpiter imitentur, quæ, vti fœda, ratione ipsa duce fugere debuissent. Nemo igitur mihi tunc ob ea, quæ dicuntur, succēseat, sed vel corrigat, quæ multorum negligentia perperam gesta, nomini nostro dedecus attulerunt, vel nomen etiam ipsum recuset. Nam si propositum est philosophari, diuitiæ sunt superuacaneæ, cùm philosophia propter animi puritatem à corpore etiam seiūctionem polliceatur. Quòd si qui diuitiis incumbere, & vitæ voluptatibus frui volunt, cur se verbis sapientiæ studiosos profitentur, cùm re sint ab ea quàm alieniſſimi? cur splendidis se appellationibus exornant, cùm ea faciant, quæ sunt ipsorum professioni contraria? Nónne pudēdum est, nos ab iis, quos mūdanos appellamus, obiurgari, quòd Saluatoris leges violemus, docerique ab illis mandata ipsius, qui ea discere à nobis debebant? Cùm enim
1.Tim.2. nobis rixantibus dicunt: *Seruum Dei litigare non decet, sed erga omnes mansuetum esse.* Et rursum cùm de pecunia aut possessionibus contendimus, & aliquis dicit.
Matt.5. *Si quis tibi tunicam eripiat, da illi & pallium*, quid aliud agunt, nisi nos reprehendunt, & opera nostra professioni repugnantia deridēt? Ne possessionibus quidem ereptis, inquit, pugnare fas est, eáque facere, quæ cura illarum requirit. Mouit aliquis terminum agri tui, & suo adiudicauit; alius in pascua tua pecus immisit; alius aquam hortis influentem auertit. Insaniréne propterea decet, & hæc omnia sigillatim vlciscendo furentibus fieri deteriores? & mētem, quæ rerum contemplationi vacare debet, tribunali affigere, atque animi vim ad speculandū accommodatam negotiandi solertia distrahere, vt eorum, quæ nihil nobis afferunt vtilitatis, prouentus abundè suppetat? Cur aliena nobis vt propria vindicamus? grauésque rerum terrenarum compedes iniicimus? nec prophetā audimus eiusmodi hominū
Abac.2. genus miserentem, dicentémque: *Væ qui congregat, quæ sua non sunt, & vinculum suum graue reddit vehementer.* Nam si, vt scriptum est, *velociores sunt, qui nos persequuntur*, aquilis cœli, nos autem ipsi mundi negotiis oneramur, tardiores ad cursum effecti, facilè ab
1.Cor.6. hostibus capiemur, quæ Paulus mouet vt fugiamus, *fugite*, inquiens, *fornicationem, & auaritiam.* Qui enim ad brauium currunt, nisi totis viribus expediti contendant, ab aduersariis celerius insequentibus longo superantur interuallo. Ad virtutem tendentibus magno est impedimēto rerum affectio terrenarum animóque ac sæpe etiam corpori perniciem affert. Quid enim Nabaoth Israëlitam perdidit, nisi vinea 3.Reg. 21.
inuidiosa, cuius cupiditate vicinus Achab ad cædē ipsius adductus est? Quid duas dimidiatas tribus extra promissionem manere fecit, nisi professionum Ios.22.
multitudo? Quid Loth ab Abraham separauit, nisi Gen. 13.
multitudo ouium, quæ cùm assiduas inter pastores eorum contentiones pareret, postremò diremit etiam ipsorum coniunctionem? Si igitur diuitiæ ad eorum, qui eas possident, inuidiam, homines mouent, & à grauioribus nos studiis alienant, & necessitudines dirimunt, atque inter amicos pariunt inimicitias, & cum æterna vita nihil habent commune, nec multum huic prosunt corpori, cur à Dei seruitute abstracti nos totos addicimus vanitati? Nō sumus nos qui victum nobis comparamus: Deus est, qui illum nobis subministrat. Ac studium quidem humanum sine Dei auxilio finem assequi optatum non potest. Dei verò cōsilium etiam sine opera humana bona præbet perfecta. Quid illis profuit proprium studium, ad quos dixit Deus: *Multa seminastis, & pauca intulistis, & excussi ea de manibus vestris?* Agg.1.
Quid porrò in virtutis studium incumbentibus vnquam defuit, quod vitæ esset necessarium? quāuis nihil omnino soliciti essent? Nónne quadraginta annos pauit Israelem in solitudine, cùm ex agricultura nihil perciperet, nec tamē indiguit cibo? Nouum enim & admirabilem cibum ortygometras attulit mare. Cœlum insolitam, ac peregrinam pluSap. 19.
uiam manna demisit. Petra humoris expers, vberNum.20.
rimos confracta latices effudit? Vestimenta nulla Deut.29.
per totum illud tempus vetustate consumpta sunt. Quomodo porrò Elias agrum colens in torrente nutritus est? Nónne corui cibum illi afferebant? Quid in Sarepta, nonne vidua illi veniēti rebus ipsa indigens necessariis, ereptum ex ore filiorum ci- 3.Reg.17.
bum præbuit? vt perspicuum esset etiam naturæ virtutem antecellere? Hæc quamuis admirabilia sint, alia tamen sunt magis admiranda. Fieri enim potest, vt etiam sine cibo, si Deus velit, vita traducatur. Alioqui quomodo Elias quadraginta dierum iter in fortitudine panis vnius cōfeciſſet? Quomo- 3.Reg.19.
do Moses in mōte dies octoginta cum Deo loquēs Exod.34.
nihil humani cibi degustasset? Cùm enim post dies quadraginta descendisset, statim ob vitulum conflatum indignatus, confractis tabulis, in montem recurrit, ibique rursum totidem dies commoratus, secundis tabulis acceptis, ad populum descendit. Nulla potest humana ratio declarare, quomodo flu xa corporis natura in tanto motu duraret, cùm vires illas, quæ quotidie consumebantur, nihil expleret. At ratio diuina soluit hanc quæstionem: *Non pane solo*, inquiens, *viuet homo, sed in omni verbo quod* Deut. 8.
procedit ex ore Dei. Cur igitur humanis miseriis onerati cœlestia instituta in terra detrahimus, & qui Matt.4.
in cocco educati sumus, vt in lamentationibus suis inquit Ieremias *nos stercore coinquinamus?* Cùm enim in splendidis ac præclaris cogitationibus versamur, in cocco nutrimur. Cùm autem, hac omissa viuendi ratione, terrenis negotiis inuoluimur, stercore nos operimus. Cur à Deo deficientes spem brachij carnem firmamus? Dominique prouidentiam manibus nostris adscribimus? quod sibi Iob maximo cri- Iob.31.
mini verti existimabat si manum ori admotam os-

cularetur,id nos nunc facere non veremur? Mos enim apud antiquos erat, vt manus oscularetur,cum sibi rerum copiam ab illis dicerent submini-
Luc.21. strari. Hos ænigmate lex designat: *Quod manibus*, inquiēs, *incedit, immundum est. Et quod super quatuor pedes semper graditur, immundum est.* Et *quod pedibus multiplicat, immundum est.* Manibus incedit, qui manibus innititur,quique spem in illis omnem sitam habet. Quatuor graditur pedibus, qui in res sensibus obnoxias incumbit, earúmque occupationib⁹ distrahit principem animi partem. Multiplici pedum numero mouetur, qui rebus corporeis circumagitur. Idcircò sapiens ille prouerbiorum auctor, ne duos quidē hominem sapientem habere vult pedes, sed vnum tantum, eúmque rarò ad res corporeas mouere.
Prou.25. *Rarò* (inquit)*infer pedem ad amicum tuum ne forte nimia familiaritate satiatus oderit te*. Si enim rarò ad Christū accesserit rebus egens corpori necessariis,amicus erit quemadmodum discipulos suos Christus appel-
Ioan.15. lat. *Vos* inquiens,*amici mei estis;*sin frequentius, & nihil aliud spectans, vt multi solēt, inuisus erit. Quid enim exorabit,aut quomodo nō erit detestandus, qui rebus eiusmodi semper intentus, nunquam ad rectam viuendi rationem animum excitabit, propterea quòd crura super pedes non habet,quibus è terra se possit erigere? Quemadmodū enim crura, toto corporis onere in se susceptо, terræ parumper appropinquant, statimque illud tollunt in sublime, ita ratio rerum naturæ iudex,simul ac ad ea, quæ corporis vsui necessaria sunt, comparanda sese deiecerit, celeriter rursum leuē ad cœlestia mētem tollit,& nihil terrenis è rebus secum affert. Nā habere crura recta conuenit tum illis, qui deliciis valde sunt dediti,& perpetuò iacent:tum illis etiā mētibus sanctis, quæ nihil omnino rebus egent cor-
Ezech.1. poreis. Quod magnus significat Ezechiel,*Erant*,inquiens, *recta eorum crura, & alati pedes ipsorum*: quod minimè pronam mentem indicat, & naturæ illius ad intelligendum velocitatem. Hominibus autem congruit, vt crura habeant ita mobilia, vt ea modò ad corporeos vsus adhibeant,modo ad sublimes animi consuetudines, quas propter naturæ coniunctionem cum cœlestibus virtutibus habent, tantūque curæ terrenis rebus propter corpus impertiant quantùm necessitas cogit. At semper voluptatibus incumbere, immundum planè est, & ab hominis natura participe rationis alienum. Notandum est, non simpliciter immunda dici, quæ super quatuor pedes gradiūtur,sed quæ semper ita gradiuntur. Iis enim, qui in corpore sunt, tempus concessum est, quō seruiant corporis necessitati. Itaque Ionathas
1.Reg.14. cum Naas Ammonita pugnans, super quatuor incedens illum vicit. Quoniam soli naturæ necessitati paruit. Oportebat enim, vt qui cum serpente, qui super pectus ingreditur (id enim Naas significat) decertabat, paulisper speciem ipsius assumeret, atque ita super quatuor incedēs, & mox in propriā sese formam erigens, eum magna facilitate superarat. Iam historia Isbosēth quid nos aliud docet,nisi vt ne nimium studium rebus corporeis adhibeamus, néve sensui custodiam nostrā committamus? Hic enim cùm esset Rex,& in cubiculo quiescеret, vxori suæ ostium custodire permisit. Venientes autem Rachab & Baana, & videntes eam triticū purgantem & obdormientem,clàm ingressi sunt,& Isboseth ipsum quoque dormientem interfecerunt. Corporis enim studiis superantibus, & mens, & animus, & sensus dormiunt. Triticum enim purgare, significat,mentem accuratè rebus corporeis inseruire,easque nō obiter, sed magno studio curare. Quod autem in historiæ specie id doceat scriptura, facilè patet. Quomodo enim Rex fœminam haberet ostiariam,qui satellitum,& militū multitudine, cū omni appparatu dignitatis, munitus esse deberet?aut quomodo huic opus erat, vt vxor eius triticum purgaret? Sæpè igitur, quod in historia absurdum videtur, occultam indicat veritatem. Animus enim cuiusque tanquam rex foris quodammodo versatur,custode sensib⁹ adhibita cogitatione, quæ cū rebus se corporeis implicat,ad corpus.n.pertinet triticum purgare,hostes dolo facile ingrediuntur, & animum occidunt. Idcircò magnus ille Abrahā non permittit vxori, vt ostium obseruet. Neque enim ignorat, quàm facilè sensus decipiatur, quomodo rerum sensilium aspectu delectatus animum distrahat,persuadeátque, vt secum rebus iucundis oblectetur, quamuis plane periculosa sit oblectatio. At ille assidet Saræ,diuinis cogitationibus aditū patefaciens,& ianuā mundi curis occludens. Quid enim nobis ex tam stulto labore prouenit? *Nónne omnis labor hominis* (vt ait Ecclesiastes) *in ore eius*? Victus autem & vestimentum ex Apostoli sententia satis sunt ad infelicis huius vitæ sustentationem? Cur igitur infinitis laboribus ærumnisque frustra, vt Salomon inquit, affligimur, & terrenis occupationibus animum à diuinis bonis perfruendis abstrahimus? carníque plus, quàm æquum est, indulgentes, eam vicinis iam inimicis & hostibus ita fouemus, vt cùm aduersus animam bellum geratur: ipsa quoque nos vehementius oppugnante, dubia victoria sit, atque periculum, ne expetitæ coronæ atque honores amittantur. Quæ enim corporis est ista necessitas, cuius prætextu cupiditatem ad res paratu difficillimas extendimus? Panis nimirum,& aqua. Nónne fontes vberem fundunt aquarum copiam? Panis autem manu ex recentibus facilè cōparatur. Eiusmodi possumus opera facere, quibus & corporis necessitas expleatur, & parum,aut nihil prorsus interpellemur. At magnam vestitus affert solicitudinem. Immo ne ille quidem magnam habet difficultatem, si ad solam necessitatem, non autem ad solitas delicias referatur. Quas enim aranеę telas, quam byssum, aut purpuram primus homo gestauit? Nónne summus illi opifex vestem è pellibus confecit, vescíque oleribus iussit, hos corporis vsui terminos statuens,& procul reprimens hodiernam hominum turpitudinem? Vt taceā, quòd nos religioni vacātes is nutriet sine dubio, qui *pascit cæli volatilia*,& induet, qui tantam liliis agri gloriā circumponit, quoniam iis, qui ab hac multum absunt credulitate, id persuaderi nō potest. Quis enim virtutem colenti non libenter tribuat necessaria? Si homines barbari, & qui lege belli ceperant Hierosolyma, nempe Babilonij, veriti sunt Ieremiæ virtutem, eique omnia corpori necessaria abunde tribuerunt, nec solum cibos cederunt, sed etiam vasa, quibus solet vescentibus ministrari: quantò magis qui sunt, eiusdem gentis, quíque rectè instituti

sunt, & à barbaris moribus abhorrentes, virtutísq; studiosi, eos, qui ex virtute viuunt, complectentur? Licet enim eiusmodi viuendi rationem exercere nequeant ipsi propter naturæ imbecillitatem, tamẽ in pretio virtutem habent, eiúsque studiosos admirantur. Quis Sunamitidi persuasit, vt *Elisæo cœnaculum ædificaret, & in eo lectulum, & mensam, & sellam lucernámque poneret?* nónne hominis virtus? Quis cùm fames totam regionem vastaret, viduam illam adduxit, vt Heliæ necessitatem anteponeret suæ? certè nisi sapientiam illius esset admirata, nunquã exiguum illud vitæ solatium sibi liberísque suis ereptũ ipsi tribuissent. Quam enim paulò post mortem expectabat, eam præripere voluit, vt in hospitem benigna esset. Tales autem euaserunt, dum in colenda virtute constantiam retinent nullísque laboribus parcunt, & vitæ negotia negligunt, atque contemnunt. Frugalitatem enim amplexi, dum paucis minimísque rebus contenti sunt, eò peruenerunt, vt nullis indigerent, proximéque ad incorporeas virtutes accederent. Quamobrem cùm obscuri ingloriíque essent secundum corpus, illis, qui omnia posse videri volunt, potentiores extiterũt. Tanta enim fiducia Reges alloquebantur, quanta vix illi subiectos sibi homines. Quibus enim armis instructus, aut qua potentia confisus ad Achab dixit Helias: *Non euerto ego Israelem, sed tu, domúsque patris tui.* Quomodo Moses descendit in certamen aduersus Pharaonem, cùm nullum haberet nisi virtutis auxiliũ? Quomodo Elisæus coacto ad bellum exercitu, & duobus Regibus Israël & Iuda dixit ad Ioram: *Viuit Dominus exercituum, cuius in conspectu ego sto, nisi vultum Iosaphat erubescerem, non attendissem te, neque respexissem.* Commotum exercitum non timuit, neque veritus est Regis indignationem, quem verisimile est, belli tempore, & impetu fuisse temerario, & ratione, propter animi solicitudinem confusa. Quis enim Rex tantùm potest, quantum virtus? Quæ purpura flumen diuisit, vt Heliæ pellis? Quæ diademata morbos expulerunt, vt sudaria Apostolorũ? Reprehendebat olim Regem Propheta, quòd iniquè ageret, exercitu stipatum vniuerso, qui cùm ea reprehensione irritatus manum aduersus prophetam extendisset, neque illum cœpit & manũ ad se aridam retrahere non potuit. Erat inter virtutem atque potentiam regiam certamen, & victoria virtutis fuit. Non pugnabat propheta, & virtus repulit bellum. Cessabat pugnator, & fides opus perficiebat. Milites Regis erant certaminis præfecti. Et manus stetit, virtutíque victoriam adiudicauit. Hæc illi gesserunt, cùm neglecto corpore, corporísque necessitatibus, solo se animo viuere iudicarent. Ideo erant omnibus superiores, quia nulla re indigebant. Malebant enim corpus relinquere, & vita, quæ in carne est, spoliari, quàm virtutis prodere dignitatem, aut cuipiam diuiti propter inopiam adulari. Nos autem cùm aliqua re indigemus, abiecta animi fortitudine, qua in rebus angustis & asperis vti debebamus, more canum, qui caudæ motu blandiore ossa, eáque sæpè etiam sine carne, aut panis micas proiicientibus adulantur ad diuites accurrimus, eósque, vt quod cupimus, impetremus, bene meritos, & Christianorũ patronos appellamus omnésq; illis virtutes inesse dicimus, quamuis in summa vitiorum fœditate volutentur. Sanctorum exempla negligimus, quorum vitam imitari nos profitemur. Venit quondam ad Elisæum dux Naaman Syrus, multáque munera secum attulit. Quid igitur? Propheta num illi processit obuiam? statim ne illi occurrit? An per puerum causam, propter quam venerat aperuit, ne ad præsentiam quidem suam illũ admittens, ne muneribus, quæ attulerat, eum curasse videretur? Hæc dicta sunt, non vt discamus arrogantiam, sed ne inopia adducti illis adulemur, qui ea cõplectuntur, quæ nos despicere professi sumus. Cur igitur omisso proposito philosophandi, agriculturæ, mercaturæq; incumbimus? Quid tandem Deo conferimus solicitudine nostra? Concedamus communẽ esse curam agriculturæ. Homo diligentia sua terram proscindit, & semẽ spargit: Deus autem opportunis imbribus, quæ sata sunt, irrigat, facítque, vt mollibus terræ cauernis radices diffundãtur: Solem impertit, qui terram calefaciat, & calore suo plantas sursum eliciat. Ventorum auras immittit eorum, quæ aluntur, ætati congruentes. Principio mollibus viresćentem planitiem flatibus fouet, ne sata calidis extenuata ventis exurantur. Vehementiori mox ventorum vi grana lactentia concoquit. Triturantibus calorem, ventilantibus auram idoneam præbet. Ex his si vnum aliquod desit, inanis deprehenditur hominis labor, & vana sunt nostra studia, nisi Dei muneribus adiuuentur. Sæpè etiam nihil horum defuit ad perfectionem, sed plenior ac vehementior imber præter tempus ingruẽs aut spicas, dum adhuc teruntur, aut purum & in cumulos coactum granum dissipat, vel etiam aliquando in horreo conditum tinea corrumpit, ex ipso, vt ita dicam, ore cibum eripiens. Adeò nobis inutilia sunt nostra studia, Deo rerum gubernacula moderante, atque omnia pro arbitratu suo disponẽte. At in morbis corpus eget auxilio. Quanto satius est mori, quàm aliquid patrare, quod repugnet nostræ professioni? Quòd si voler Deus, nos adhuc viuere, aut vires corpori tribuet morbo ferendo pares, vt patientiæ coronam assequamur; aut ad ægrotantis consolationem remedia reperiet, & fonte sapientię suæ consulet valetudini. Præclarum igitur est, fratres chariſſimi, valdè, inquam, est præclarum, vt ad pristinam beatitudinem aspiremus, & quã veteres secuti sunt, viuendi rationẽ amplectamur. Ea autẽ, vt arbitror, volentibus erit facilis. Quod si aliquis inerit labor non deerit fructus, magnãq; afferet cõsolationem tum præcedentiũ gloria, tum insequentium fortitudo. Hic ad pristinam vitæ rationem reditus illis non parũ afferet lucri, qui vel nũc primũ huiusmodi aggrediuntur instituta, vel ipsa postea deserent. Fugiamus ciuitatum & vicorum celebritates, vt qui in ciuitatibus & vicis habitant, ad nos concurrant. Amemus solitudines, vt qui nos in præsentia fugiunt, ad nos pelliciamus, Si id cuipiam est cordi. Quandoquidem de quibusdam cum laude dictũ est, quòd *relictis vrbibus in petris habitauerint, & dicebantur veluti columbæ meditantes.* Ioannes quidem Baptista in solitudine versabatur & ciuitates ipsæ cum hominibus ad eum confluebant, & qui sericis vestibus induebantur, ad zonæ pelliceæ spectaculũ concurrebant. Sub dio incommodè manere nõ recusant, qui domos auratas incolebant. Super arena

3.Reg.17. 4.Reg.4 3.Reg.17. 4.Reg.3. 4.Reg.1. Act.13. 3.Reg.22. 4.Reg.5. Esa.59. Math.3.

cubare non grauabãtur, qui in lectis gemmis distinctis quiescere consueuerant. Omnia illis licet insolita, tamen erant tolerabilia. Nam videndi viri cupiditas omnem molestię sensum abstergebat, virtutísque spectaculum labores & incõmoda leniebat. Adeò virtus diuitiis antecellit, & vita solitaria multis est diuitiis illustrior. Quàm multi tũc opibus & gloria floruerunt, de quibus nulla nunc extat memoria. Et abiecti viri miraculum ad hoc vsque tempus celebratur, solitariíque laus apud omnes est celeberrima. Virtutis enim gloria est sempiterna, & bonorum illius præconium passim à fama propagatur. Omnium curam abiiciamus, vt veri pastoris habitum assequamur. Ignominiosam relinquamus mercaturam, vt pretiosam margaritã comparemus. Negligamus agriculturã spinas & tribulos producentem, vt Paradisi custodes atque cultores constituamur. Omnia relinquentes vitam quietam & solitariam complectamur, vt qui nos contumeliis nũc afficiunt, & possessiones obiiciunt, reprimãtur. Nihil enim æquè cohibet homines istiusmodi, quàm si te rectè geras in iis, quæ tibi vitio vertunt. Nã eorum, qui reprehenduntur emendatio, silentium reprehendentibus imponit. Præterea turpe illud existimo, & est verè turpe, in quo risum omnibus mouemus. Nuper aliquis ad solitariam vitam se cõtulit, cúmq; vix exercitationis instituta didicerit, quomodo, & quando orandum sit, quæ victus ratio, repentè magister incedit, turbámque discipulorũ secum trahit, cùm ipse adhuc indigeat præceptore, cóq; magis, quo munus ipsum facilius putat. Ignorat enim animarum cura nihil esse difficilius. Primùm enim qua opus à veteribus inquinamẽtis purgatione? Deinde quanta attentio adhibenda est, vt suscipiantur discipulorum virtutis insignia? Iste verò qui nihil aliud, nisi corpoream tenet exercitationem, quomodo subiectorũ mores componet? Quomodo improba victos consuetudine diriget? Quomodo iis, qui à cupiditatibus impugnãtur, opitulabitur, cùm ne animi quidem pugnas intelligat? Aut quomodo vulnera in bello accepta curabit, qui vulneratus ipse iacet indigens curatione? Nulla ars sine tempore discitur, & sine præceptore. Ars artium sola sine magistro percipitur? Agriculturam non profitebitur illius ignarus. Medicæ facultatis imperitus opus medicum non attinget. Deprehendetur enim hic non solùm nullam ægrotãtibus opem ferre, verùm etiam grauiorẽ ipsis morbum efficere. Ille verò agrum incultum ac sterilem reddere. Solã religionis disciplinam, vt rerũ omnium facillimã, cùm sit omnium longè difficillima, audent indocti profiteri. Et quod Paulus ait, *nõdum se comprehendisse*, isti se planè cognitum atque perspectũ habere cõfirmant, qui ne id quidem sciunt, se nihil scire. Ideò ipsorum viuendi ratio contemnitur, & ipsi ab omnibus irridentur. Quis enim non rideat, cùm hodie tanquam virtutis magistrum discipulorum caterua stipatum videat, quem heri in caupona aquã ferentem perspexit? aut cùm eum quem paulò ante ex ciuilibus calamitatibus recessisse non ignorat, modò cernit multis discipulis comitantibus improbe per omnes plateas volitare? Quòd si scirent, quantus sit labor, aliis se ducẽ ad religionem capessendã, præbere, & quantum inde periculum cõsequatur, onus illud, vti grauius, quàm ipsi sustinere possent, profectò detrectassent. Verùm quoniam hæc ignorant, & aliis præesse præclarum existimãt, idcirco facile in barathrum se demergunt, & in caminum ardẽtem desilire nullum esse negotium arbitrantur. Ex quo risum excitant iis, quibus nota est superior ipsorum vita, & petulantia sua Dei prouocant indignationẽ. Sed enim ab ira diuina nec grauitas senectutis, nec vetus loquẽdi libertas, nec sacerdotij dignitas Heli in filiis corrigendis negligentem liberauit: quomodo similem nunc effugient indignationem, qui cum nec vllam ex antè factis authoritatem habeant apud Deum, neque sciant discrimina peccatorum, aut corrigẽdi rationem, sine peritia, gloriæ adducti cupiditate periculosum opus aggrediuntur? Propterea Dominus, dum increpat Pharisęos, *Væ vobis*, inquiens, *Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circumitis mare & aridam, vt vnum proselytum faciatis, & cùm factus fuerit, facitis eum filium gehennæ duplo magis, quàm vos*: ea reprehensione posteros monet, ne eisdem criminibus capiantur, sed illud, Væ, metuentes ab importuna humanæ gloriæ cupiditate caueant, & miseriã grauiorem iudicent. Moueat illos etiam Iob, vt vel similiter atque ille subditos curent, vel si id efficere aut nesciunt, aut nolent, eiusmodi munus recusent. Nam si ille ab occultis etiam animi vitiis filios purgare volens, sacrificium pro ipsis quotidie faciebat, *ne fortè*, inquiens, *filij mei in animo suo maledixerint Deo*: quomodo isti, qui ne inter peccata quidẽ manifesta discrimen norunt, quippe qui collectum ex cupiditatum pugna nõdum ex animo puluerem excusserunt, prosiliunt ad imperandum, & aliorum curam suscipiunt, cum suas nondum curauerint cupiditates, vt ex victoria sui cæteros ad vincendum ducere valeant? Oportet enim prius aduersus cupiditates decertasse, & magna cum sobrietate quæ in bello cõtigerint, memoria repetere, atque ita ex propriis periculis rebúsque gestis subiicere cæteris, quæ cauenda, faciendáque sint, quo facilius victoriam sequantur. Sunt enim, qui cupiditates multa fortasse asperitate superarint, ignoréntque victoriæ rationẽ quòd tanquam in tenebris pugnantes neque cuiusquam consilia secuti sint, neque satis diligenter hostium insidias animaduerterint. Hoc figura quadã Iosue declarauit, qui cum exercitus noctu Iordanũ fluuium traiecisset, iussit lapides è fluuio tolli, & in ripa monumentum constitui, inscribíque, quomodo Iordanem traiecissent, indicans, profunda rectè instituendæ vitæ consilia in apertum esse proferenda, perspicuéque notanda, nec inuidia tegendam esse cæteris rerum vtilium cognitionem. Vt non solùm qui tunc primum accedunt ascendendi rationem intelligant, sed illi etiam, qui antea id sibi proposuerunt, facilioriẽ ex admonitione ascensum inueniant. Vt vnius experientia sit aliorum doctrina. Verùm hæc nec vident ipsi, neque alios discentes audiunt, sed suam tantum vtilitatem respiciunt, & tanquam emptis argento seruilia ministeria fratribus imponunt. In hoc illis gloriæ summa consistit, vt multis præsint. Hoc habent certamen, ne in congressibus pauciores, quàm reliqui, veluti seruos secum ducant. Itaque mercatores potius quàm præceptores videntur. Cum enim verbis quidem facilè putant imperare, quamuis grauia sint imperata,

Math. 11. Luc. 10. Math 10. Philip. 3. 1 Reg. 2 Cor. Act. Iud. 7. Iud. 8. Iosh. Iob. 1 Reg.

rata, factis autem docere nihil volunt, perſpicuè indicant ſibi non eſſe propoſitum, vt adeuntibus proſint, ſed vt imperando ſuæ ſatisfaciant voluptati. Diſcant, ſi volunt, ab Abimelech & à Gedeone, homines non verbis, ſed factis ad imitandum adduci, dum ille quidem lignorum ſarcinam componit, & compoſitam geſtat; *Quemadmodum*, inquiens, *videtis me facere, facite & vos.* Hic autem opus commune primus aggreditur. *Quod à me*, inquiens, *fieri cernetis, idem & vos facietis.* Et Paulus cum ait: *Neceſsitatibus meis, & iis, qui mecum erant, ſuppleuerunt manus iſtæ.* Et *Dominus* primum *faciens*, ac deinde *docens* quibus nõ perſuadeant, præſtantiorem eſſe doctrinam quæ re traditur, quàm quæ ſermone. At iſti ad eiuſmodi exempla conniuent, & arroganter faciẽda præſcribunt. Aliquando tamen horum aliquid ſcire videntur ex auditu, quemadmodum paſtores illi, qui reprehenduntur à Propheta, quòd *gladium ſuper brachiũ* ferant. Quamobrem & ſuper brachiũ dexter ipſorum oculus excæcatur. Neglecta enim per ignauiã actio dexteræ, ſecum ſimul extinguit etiam contẽplationis ſplẽdorem. Quod illis accidit, qui crudeliter & inhumanè paſcunt. Quando enim puniendi poteſtatem promptam habent, ſtatim contemplandi vim amittunt. Actio rurſum expers contemplationis exareſcit. Etenim nec facere, nec videre quicquam poſſunt, qui gladium non ſuper fœmur, ſed ſuper brachium alligant. Super fœmur gladium gerũt, qui aduerſus propria vitia rationis aciẽ ſtringunt. Super brachium verò, qui ad punienda aliorum peccata ſunt promptiores. Sic enim & Naas Ammanites, (quod ſi interpreteris, ſerpẽtem ſignificat) Iſraëli perſpicaci omnem oculum dexterum effoſſurum ſe minitatur, vt nulla dextera cogitatio ad vllam dexteram actionem dirigat. Eos enim, qui à contemplatione ad actionem ſe conferunt, valde proficere non ignorat. Nam illi in actionibus ſuis ſine reprehenſione ſe gerunt, qui mentis oculis acutiſſimis, quid agendũ ſit, antea meditati ſunt. Quòd autem vanorum hominum ſit, & nullam domi vtilitatẽm habentium alios gubernandi munus appetere, vel ex eo patet, quòd nemo, qui quietis & contemplationis bona guſtarit, facilè illud ſuſcipiat, vt terrenis ſeſe occupationibus implicet, animúmque cœleſtia meditantem ad mundi negotia reuocet. Quod etiam ex illa ſimilitudine clarius perſpici poteſt, quam Ioathan viris Sichimitis propoſuit, *Iuerunt*, inquiens, *ligna ſyluæ, vt vngerent ſibi Regem, dixerúntque oliuæ, Impera nobis. Quæ reſpondit: Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dij vtuntur & homines, & venire, vt inter ligna promouear? Dixerúntque ligna ad ficum: Veni, & ſuper nos regnum accipe. Quæ reſpondit eis: Nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructúsque ſuauiſsimos, & ire, vt inter cætera ligna promouear? Locutáque ſunt ligna ad vitem: Veni & impera nobis. Quæ reſpondit. Nunquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum atque homines, & inter ligna cætera promoueri?* Rhamnus verò arbor infructifera & ſpinoſa ſuſcepit imperium, quæ nec propriam, nec ſubiectorum lignorum pinguedinem habet. Neque enim Paradiſi, ſed Syluæ ligna, rectoris indigere dixit ſimilitudo. Quemadmodum enim Oliua, ficus, & vitis lignorum Syluæ recuſarunt imperium, quòd magis fructibus ſuis lætarentur, quàm eiuſmodi dignitate: ita qui fructum aliquem in ſe virtutis aſpiciunt, vtilitatémque ſentiunt licet vocentur ad multorũ imperium, illi commoda ſua ſemper anteponent. Quod autem lignis Rhamnus eſt imprecata, idem hominibus ita negotiantibus euenit: *Nam ſi verè, inquit, me Regem conſtituitis, venite & ſub vmbra mea requieſcite. Si autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & deuoret ligna Syluæ, aut è lignis egrediatur, & deuoret Rhamnum.* Ibidem. Cum enim fœdera ſunt inutilia, neceſſe eſt, vt periculum conſequatur tum eos, qui ſe imperito doctori ſubiecerũt, tum illum, qui diſcipulos ignauos ſuſcepit. Nam vt, doctoris ignorantia diſcipulos perdit, ita diſcipulorum negligentia doctori periculum affert, præſertim ſi ex illius inſcitia proficiſcatur. Nihil enim eum latere debet, quod ad ipſorum inſtitutionem pertineat. Neque diſcipulos decet quicquam præterire, quod à magiſtro præceptũ ſit. Etenim æquè graue periculoſúmque eſt, & hos eſſe contumaces, & illum peccantibus indulgere. Neque verò putent id munus ſuaue atque iucundum. Hominibus enim præeſſe res eſt omniũ maximè laborioſa. Nam qui animalibus rationis expertibus imperant, ea omnibus in rebus reperiunt obedientia, ideóque ferè ſemper illis proſpere cedit imperium. Qui verò homines gubernant & regũt, propter morum diuerſitatem, rationísque ſolertiã, prouinciam difficilem experiuntur. Quam qui ſuſcipiunt, neceſſe eſt, vt ſe tanquam ad laborioſum certamen inſtruãt. Vt & omnium infirmitates magna cùm patientia ferant, & quæ illos propter ignorantiam latent, æquo animo doceant. Idcirco boues in templo peluim ſuſtinent. Candelabrum verò ſolidum atque tornatile eſt. Ac candelabrũ quidem indicat, qui cæteros illuminare profitetur, omnibus eſſe partibus ſolidum, & nihil leue, nihil inane habere, aut vacuum oportere, omniáque ſuperuacanea atque inutilia, vt inculpatæ vitæ exemplũ intuentibus præbeat, circũcidere & amputare. Boues autem ſub pelui declarant eos, qui ſubeũt onus eiuſmodi, nihil reſpuere, aut auerſari debere, ſed & onera & ſordes inferiorum perferre, quoad ſine periculo fieri poſſit. Qui enim aliorum actiones puras eſt effecturus, is quin aliquam ipſe ſordem contrahat, vix fieri poteſt. Siquidem & peluis emundans eorum, quĩ lauantur manus, ſordes illorum ipſa ſuſcipit: Sic & qui de vitiis diſputat, vt ab ipſorum ſordibus alios expurget, non poteſt ipſe ſine aliqua labecula pertranſire. Nam ipſa memoria dicentis animo maculæ nonnihil aſpergit. Quanuis enim rerum turpium notas altiores non imprimat, colore tamen haud ita puro mentem de illis diſſerẽtem inficit. Oportet autem, vt dux prudens ſit eiuſmodi, vt ne hoſtium quidem cogitationes ignoret, vt iis, qui ſub diſciplina ſua militant, occultas etiam pugnas aperiat, & aduerſarij prædicens inſidias, facilem ipſius victoriam paret, & è certamine coronatos educat. Rarò autem ac difficilè talis inuenitur. Magnus quidem Paulus id in ſe teſtatur. Neq; enim, inquiens, ipſius cogitationes ignoramus. Admirabilis verò Iob ea de re dubitans ita loquitur. *Quis reuelabit faciem indumenti eius? Inplicam autem loricæ eius quis ingredietur? & portas vultus eius quis aperiet?* Exod. 25. Quod perinde eſt, ac ſi diceret, facies ipſius non eſt perſpicua. Multis enim indumentis tegit impro-

bitatem. Primo quidem aspectu dolis alliciens, & A
sub insidiis occultam perniciem struens. Ac ne se
quoque inter ignaros artium ipsius numeret, eas
patefacit, vtpotè qui omnem eius malitiam planè
cognitam habeat. *Oculi eius*, inquit, *species luciferi. Viscera eius aspides æneæ*. Hæc dicit, vt retegat malitiam ipsius, qui sumit in oculis speciem luciferi, vt
ad se trahat intuentes, aspides autem intus fouet, vt
accedentibus perniciem afferat. Prouerbium item
Eccl.10. illud rei periculum ostendit. *Scindens ligna periclitatur in eis, si ferrum exciderit*. Qui enim rationis acie
tanquam securi res fecerit, & quæ concutienda
sunt, à coniunctione separans vera bona à falsis se-
iungere profitetur, nisi recto vndique orationis iu- B
dicio vtatur, periculum adit, ne scandalum audientibus præbeat. Sic quidam è discipulis Elisæi, cum
4. Reg.6. ad Iordanem materiam succideret, & ferrum securis in fluuium excidisset, periculo animaduerso, ad magistrum clamauit, *Heu heu*, inquiens, *Domine mi, & hoc ipsum mutuò acceperam*. Id illis accidit qui quæ malè didicerunt, docere conantur, & finem optatum assequi nequeunt, qui non ex proprio habitu loquuntur. Cum autem interim proposito contrarium aliquid dicere deprehenduntur, tunc in mutuato sermone periclitantes imperitiam confitentur. Quamobrem & magnus Elisæus ligno in profundum iniecto supernatare fecit, quod disci- C
pulus amiserat id est dubium illud, quod in profundo latere putabatur, ad claritatis lucem, & sub audientium aspectum peruenire. Ecce Iordanes pœnitentiam significat. Illic à Ioanne baptisma pœnitentiæ fuit institutum. Qui autem de pœnitentia minus accuratè verba fecerat, occultámque benignitatem nimis aperiens, ad pœnitentiam negligendam auditores adduxerat, in Iordanem ferrum proiecit, quid igitur faciendum est? lignum demittendum, quod natare ferrum faciat. Ante crucem pœnitentiæ ratio erat occulta. Itaque qui de ipsa loqui voluit, facilè reprehensus est. Post crucem verò perspicua omnibus fuit, & suo tempore pate- D
facta. Hæc dico non vt suadeam cuipiam, ne ab aliquo se regi patiatur, neque vt vlli prohibeam, ne se cuiquam ducem præbeat ad religionem: sed vt ostendam, priùs, quàm eiusmodi munus suscipiatur, congruentem tanto oneri habitum comparandum, ne quis antequam pax sit constituta, arma militaria in instrumenta rustica conuertat. Tunc enim id faciendum est, & cæteri sunt excolendi, cùm omnes à nobis victæ sunt cupiditates, & nulli nos hostes amplius oppugnant, nec arma ad nos tuendos sunt amplius necessaria. At cùm dominatur cupiditates, & carnis bellum viget, carnis suasu non sunt manus ab armis remouendæ, sed semper in manibus arma continenda, ne qui nos in in- E
sidiis obseruant aduersarij, ex remissione nostra occasionem arripiant, & nullo negotio nos expugnent. Quemadmodum enim ad eos, qui egregiè pro virtute depugnarunt, séque pro singulari humilitate vicisse nondum putant, illa pertinet adhortatio? Esa.2. *Conflate gladios vestros in vomeres, & lanceas vestras in falces*: ne superatis à se hostibus frustra deinceps attendant, sed ad multorum vtilitatem animi vires à bellica exercitatione ad alios excolendos conuertant. Sic ad illos, qui antequam tales euaserint, vel propter imperitiam, vel propter inertiam onus viribus suis impar subire sunt ausi, contraria hæc spectat cohortatio: Conflate vomeres vestros in gladios, & falces vestras in lanceas. Quæ enim vtilitas agriculturæ, cum bellum ingruit, agrósque deuastat, & fructuum copiam non ipsis cultoribus, sed hostibus exponit? Propterea Deus fortasse vetuit Israëlitis, ne agriculturam exercerent, quandiu erant in solitudine, & cum diuersis gentibus pugnabant, ne bellicas exercitationes intermitterent. At fine bellis impositio, consulit, vt agriculturæ dent operã. *Cùm ingressi fueritis*, inquiẽs, *in terram promissionis, plantate in ea omne lignum fructiferum. Antequam autem in terram promissionis ingrediamini, non plantabitis*. Hoc enim illi succedit, ac meritò quidem. Quæ enim ante perfectionem plantantur, non coalescunt, nec stabilia fiunt, cùm adhuc incerto more versentur, & oberrent, qui plantant. Ordo enim, si vlla in re, in religionis cultu maximè est necessarius. Et ex principiis ad veritatem progredimur. Qui enim neglectis initiis iucundiora præripiunt, ad ea redire coguntur necessario, & ordinis rationem sequi. Quemadmodum Iacob Rachelis pulchritudine captus, oculorum Liæ despexit infirmitatem, neque tamen virtutis huius laborem effugit: expleuit enim eius annorum hebdomadam. Qui igitur legitimum vult institutionis ordinem seruare, is non à fine debet ad principia proficisci, sed à principiis progredi ad perfectionẽ. Sic enim & ipse propositum assequetur, & eos, qui sub ipsius sunt disciplina, ducet ad finem virtutis sine reprehensione. Verum plerique cum laborem nullum pertulerint, nec vllum paruum, aut magnum pietatis opus effecerint, temere præfecti nomen arripiunt, nec periculum animaduertunt, nec solùm non repugnant adhortantibus ad munus suscipiẽdum, sed vltrò ipsi per angustas vagantes vias, obuios omnes trahunt, obsequia illis omnia pollicentes, instar eorum, qui cum mercenariis de cibo ve- Ezech.4
stitúque paciscuntur. Itaque necesse est, vt, qui munus eiusmodi sic ambiunt, & in publico magna stipatos caterua se conspici volunt, & manu ducentibus acquiescere, scœnámque omnem tueri, cùm fabulam peragendam susceperint, ne reprehendantur ab iis, qui eam ipsius personam imposuerunt. Necesse, inquam, est, vt multa tribuant eorum voluptatibus, & vnà cum ipsis tanquam aurigæ dimissis habenis, cursúque in præceps voluntati ipsorum permisso, cupiditatibus nullo prohibente dominãtibus, in barathrum præcipites ruant, & in omnia incidant offendicula, cùm nullus sit, qui ea remoueat, aut effrænatos impetus cohibeat. Verùm audiant istiusmodi homines beatum Ezechielem eos commiserantem, qui alienis voluptatibus materiam subministrant, quíque dum omnibus obsequuntur, væ, sibi thesaurizant. Sic enim ait: *Væ illis quæ consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt cerucalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas, propter pugillum hordei, & frustum panis*. Sic & isti corporis commoda sibi ex muneribus colligũt, & in veste tanquam ex centonibus consuta quiescunt, qui nudo capite precari, aut prophetare debebant, virilémque statum vestimentorum integumentis effœminant, atque animas perdunt, quas interire

521

interire non oportebat. In primis autē debebant ex veri præceptoris Christi doctrina curā aliorum re-
Matth. 23. cusare. Sic enim discipulos suos monet. *Vos autem nolite vocari Rabbi.* Quòd si Petrum, & Ioannem, & omnem Apostolorum chorum admonebat, vt ab eiusmodi munere procul recederent, séque ea dignitate indignos existimarent: ecquis erit, qui se illis anteponat, eáque dignitate dignum putet, quæ ipsis non fuit concessa? Nisi fortè cùm diceret. *Nolite vocari magistri*, prohibuit eis, non vt ne essent, sed ne vocarentur. Sin aliquis non sponte sua, sed quoniam vnum, aut alterum suscepit, cogatur & pluribus præesse, is primò se ipsum probet, explo-
rétque, vtrum idoneus sit, qui re magis, quàm ser-
mone doceat, quæ facienda sunt, vitámque suam vt virtutum omnium exemplar discipulis propo-
nat, ne qui illud imitantur, erroris deformitate virtutis inquinent pulchritudinem. Præterea sciat non minus sibi pro illis, quos regit, quàm pro se ip-
so laborandum esse, vt enim pro se, ita pro ipsis ra-
tionem reddet, cùm semel salutem eorum curan-
dam suscepérit. Etenim sanctis viris studium fuit, vt discipulos non virtute inferiores relinquerent, sed ex pristino statu ad præstantiorem perducerēt. Sic Apostolus Paulus Onesimum ex fugitiuo mar-
tyrem fecit. Et Helias Elisæum ex aratore pro-
phetam constituit. Et Moses ad omnia meliora
Iosue prouexit. Et Heli Samuelem præstantiorem se declarauit. Quamuis studium ipsi suum ad asse-
quendam virtutem adhibuerint, omnis tamen il-
lis proficiendi causa in eo sita fuit, quod magistros nacti sunt, qui fumigantem in eis ingenij scintillā excitare, & ad maiorem emittendum splendorem edocere potuerunt. Quapropter & os Dei facti sunt, qui voluntatem eius hominibus patefecerūt. Audiuerunt enim dicentem: Si ex indigno pretio-
sum eduxeris, tanquam os meum eris. Magistri quoque facultatem Deus ostendit Ezechieli, do-
cens, quos ex quibus discipulos deberet consti-
Ezech. 4. tuere. *Fili hominis*, inquit, *sume tibi laterem, & pones illum ante faciem tuam, & describes in eo ciuitatem Hierusalem.* Quibus verbis declarat, opus esse, vt ma-
gister ex luto discipulos faciat templum Dei. Præ-
clarum & illud: *Et pones illum ante faciem tuam.* Sic enim discipulus celeriter melior fit, si in magistri conspectu semper versetur. Assiduæ enim præstan-
tium exemplorum actiones similes in animis non prorsus asperis ac duris imagines imprimunt. Ideò Iezi, & Iudas, furto ille, hic proditione, cecide-
runt, quoniam ex magistrorum oculis sese subdu-
xerant. Quòd si apud bonos mansissent præce-
ptores, non peccassent. Quòd autem magistrum ex discipulorum negligentia periculum consequa-
tur, deinceps ostendit, dicens: *Et pones sartaginem ferream inter te & ciuitatem.* Posteaquam ex luto ci-
uitatem constituit, quæ recedentibus ab eo statu supplicia immineant, debet ostendere. Vt muri separent à noxiis innocentes. Id præcipit Deus E-
Ezech. 9. zechieli, *fili*, inquiens, *hominis, dedi te speculatorem domui Israel. Et si videris gladium venientem, & non indicaueris eis, & aliquem ipsorum comprehenderit, animam eius è manu tua requiram.* Talem murum & Moses sibi posuit, dicens Israëlitis: *Attende tibi. Ne studeas eos se-*

A *qui, quos deleueris.* Accidit enim, vt cùm sibi negligentius attendunt, qui vitia profligarunt, & exciderunt, veluti stolones quidam pullulare incipiant, nempe species veterum cupiditatum, quibus si quis locum det, neque aditum intercludat, animum rursus occupant vitia, atque ita post victoriam sibi suscitat aduersarium. Cupiditates enim domitæ, & boum instar edere fœnum edoctæ, negligentia mansuefacientis efferantur, & ad pristinam sæuitiem redeunt. Proinde ne id fiat, *Ne studeas*, inquit, *eos sequi, quos à te deuictos expuleris.* Ne animus quæ-
rendi consuetudine captus, eiusmodi cogitationi-
bus delectetur, & ad malitiam redeat. Idcirco Bea-
B tus Iacob, cum animaduertisset, ea quæ videntur, & assiduè cogitantur, animo vehementius obesse, in eóque species atque imagines hostium altius im-
pressas defigere, *Deos alienos in Sichimis abscondit.* La- Gen. 35.
bor enim, qui aduersus vitia suscipitur, abscondit & perdit ea non ad breue tempus, sed quandiu est hodie, id est, in perpetuum. Omnis enim dies ho-
diernus sæculo coæquatur, cùm præsens, tempus omne significet. Porrò Sichima, quod est, hume-
rus, significant laborem, qui in domandis cupidita-
tibus sumitur. Quare Iacob patrem eximiam dat Ioseph ipsa Sichima, *quæ in gladio & arcu suo se* dicit, *acquisiuisse.* In quo demonstrat se certando & labo- Gen. 48.
C rando vitia superasse, & in terra Sichimorum defo-
disse. Cæterùm contraria quodammodo videntur, abscondere Deos in Sichimis, & ponere Idola in abscondito. Illud enim laudabile est, hoc vitiosum, & execrandum. *Maledictus*, inquit, *qui ponit Idola in* Deu. 17.
abscondito. Neque enim idem est in terra defodere in perpetuum, & in abscondito ponere. Nam quod in terra defossum est, & à sensu remotū, tempore ipso deletur etiam è memoria. At quod in abscondito positum est, eos fortasse, qui foris sunt, latet, sed cū ab eo, qui posuit, assiduè cernatur, memoriam sui renouat, & circumfert. Omnis enim turpis cogita-
tio, quæ in animo figitur, sculptile est absconditū,
D quod pudor vetat in mediū proferri. Periculosum igitur est, ponere simulachrum in abscondito, sed multò periculosius sequi & exquirere formas iam obliteratas. Cogitatio enim facilè expulsa vitia re-
petit, & voluptatis lancem ad terram vsque depri-
mit. Nam virtutis habitus celeriter admodum ver-
titur, in contrariáq; propēdet, si negligatur. Quod figura quadam nobis scriptura significat, cùm ait: *Terra, ad quam ingredimini, mutabilis est in mutatione popu-
lorum ex gentibus.* Simul ac enim ad contraria se ver-
tit, qui virtutis habitum habet, pariter & ipsa con-
uertitur. Terra enim mutabilis est. Quamobrem initio prauis cogitationibus non est patefaciendus
E aditus ad animum, neque permittendum, vt in Æ-
gyptum reuertatur. Illinc enim ad Assyrios vi per-
trahitur. Nam si ad tenebrosas immunditiæ angu-
stias animum demiserit cogitatio, vi deinceps à cupitatibus ad vitia pertrahetur. Idcircò per figu-
ram legislator voluptati aditum occludens, ser-
pentis caput obseruare iussit, quando & ille calca-
neum obseruat. Scopus enim illi propositus est, vt actio consequatur, quæ nisi fuerit consecuta, haud facilè potest morsui venenum infundere. Nostrum verò studiū in eo vigere debet, vt primū voluptatis

impetum repellamus, quo quidem confracto, vis actionis est imbecilla. Nec Sampson fortasse alienigenarum segetes combussisset, nisi conuersis vulpium capitibus, earum caudas colligasset. Qui enim rationũ fallaciam ex principiis potest coniicere, insidias, atque initia contemnens, quæ illi grauia machinantur, vt finem assequi valeant, is & ex mutua terminorum comparatione caudam cum cauda deuinciens, & iudicij facem in medio ipsarum ponens, argumentorum poterit absurditatem redarguere. Verùm, vt, quod dictum est, clarius fiat, duobus id exemplis explicabo, quibus & reliquorum veritas apparebit. Sæpè ab inani gloria descendit libidinis ratio, & ostendit præclara viarum principia, quæ ad inferos ducunt. Abscõdit autem loca pernicioſa, per quæ ad mortis penetralia perducuntur, qui temerè assentiunt. Proponit aliquãdo sacerdotium, aliquando vitam Monachi perfectam, dat operam, vt multi ad eum propter vtilitatem accedant. Speciem probitatis tum ex verbis, tum ex factis affingit, & cum satis eum his opinionibus imbuerit, longéque abduxerit à naturali sobrietate, tum grauis alicuius fœminæ consuetudinem subiiciens ad flagitium allicit, hominémque sibi nimis confidentem ad summum dedecus impellit. Qui igitur caudam cum cauda vincire vult, sumat vtriusque rationis fines, hoc est, inanis gloriæ honorem, & libidinis fœditatem, & cùm eos inter se planè contrarios repugnantésque conspexerit, tum Sampsonis factum imitetur. Rursum gula voluptatem pro fine propositam habet. Voluptatis autem finis est dolor, dolor enim & molestia statim eos sequitur, qui ab eiusmodi cupiditatibus victi sunt. Qui igitur pugnat, non ciborum oblectamenta, nec libidinis suauitatem considerat, sed fines ipsos, nempè dolorem atque molestiam, atque ita caudam cum cauda liget, & recta iudicij face segetes alienigenarum comburat. Si igitur tanta opus est scientia in bello, quod cum cupiditatibus geritur: considerent, qui alios regendi munus susciPiunt, quanta indigeant peritia, vt quos gubernandos susceperunt, prudenter ad supernæ vocationis brauium ducant, omnésque certaminis artes doceant, ne quæ ad victoriam pertinent, in aëre, tantum gestibus exprimant, sed in vera cum hostibus pugna lethalia ipsis vulnera inferant, ne frustra per inane manus iactitent, sed ipsum feriant & affligant aduersarium. Gymnico enim certamine certamen hoc est multò difficilius. Illic enim pugnantium corpora prosternuntur, quæ facilè possunt excitari. Hic animæ concidunt, quæ vt semel afflictæ sunt, vix erigi possunt. Quòd si quis nondum cupiditates superauit, sed adhuc in pugna & sanguine versatur, & tamen Dei templum ex animis humanis molitur, is nimirum audiet à Deo: *Tu mihi templum non ædificabis, quoniam vir sanguinum es.* Pacificum enim requirit statum diuini templi constructio. Moses item extra castra figens tabernaculum, ostendit, à tumultu bellico quàm longissimè abesse magistrum oportere, & qui ad pacificum & quietum ducit vitæ genus, debere à castris cruentis esse remotissimum. Cæterùm cùm tales inuenti fuerint præceptores, eiusmodi discipulos requirũt, qui se ipsos sic abnegauerint, & propriæ sic renuntiauerint volũtati, vt ab inanimatis corporibus, aut à materia, quæ artifici proposita est, nihil differant. Vt quemadmodum anima in corpore agit, quicquid vult, eo nihil omnino repugnante, & artifex in materia propriam artem ostendit, & nihil ab ea impeditur, quominus ad finem suum perueniat: ita magister in discipulis suis virtutis scientiam exprimat, obedientibus illis, & nihil prorsus aduersantibus. Qui enim curiosus est in explorandis consiliis præceptoris, quique sedulus examinat, & expendit ea, quæ ab ipso præcipiuntur, is sibi ipse, quominus progrediatur, atque proficiat, est impedimento. Quod enim conueniens & consentaneũ ab imperito iudicatur, non idem verè conueniens & consentaneum est apud artificẽ. Horum enim iudicia sunt contraria. Artifex vtitur scientia, Artis ignarus cõiectura. Porrò coniectura rarò assequitur veritatẽ, sed plerunq; aberrat à rectitudine, & facilè fallitur atque decipitur. Quid enim primo aspectu videtur absurdius, quàm cũ gubernator in ea nauigatione, quam naturæ matutinã appellãt, iubet, vt vectores, naui in obliquum vergente, in eo latere cõsideant, quod vndis obruitur, relicto latere sublimiori, præsertim cùm ventus impellat atque vrgeat latus illud in quo iussit pondus inferri? Nónne cõiectura suadebat, vt alterum latus, quod erat sublimius, onere premeretur, omnésque in eo considêrent? Attamen gubernatoris iudicio potius, quàm propriæ coniecturæ atque opinioni vectores credunt & obediũt. Quid ita? Quia, quamuis ea, quæ cernũt, aliter suadeant, arti tamen illius, cui salutem suam commiserunt, necessitas cogit obtẽperare. Sic igitur qui salutem animæ suæ aliis crediderunt, omissis propriis opinionibus & coniecturis, periti rectoris arti cedãt, & scientiã illius cogitationibus suis anteponãt. In primis autẽ, rebus omnibus ita renuntient, vt nihil excipiant, breuissimũ Ananiæ exemplum veriti, qui cum se homines fallere existimaret, diuinitus in furto deprehensus pœnas dedit, sed quemadmodum se ipsos, sic etiam omnia sua tradant. Si quid enim excipitur, id assiduè cogitationem ad se trahit & à præstantioribus studiis animum auertit, ad extremúmque penitus etiam abrumpit à fraternitate. Ideò veterum Sanctorum vitas literatũ monumentis mandari voluit Spiritus sanctus, vt quam quisq; viuendi rationẽ elegit, eam ex propriis exemplis exploret & dirigat ad veritatem. Quomodo igitur Elisæus cum se Heliæ magistro addiceret, mundo renunciauit? *Reperit*, inquit, *Elisæum orantem in duodecim iugis boum, & ipse in duodecim iugis boum arantibus vnus erat. Et tulit par boum, & mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes.* Hæc promptum ardentis animi studiũ declarant. Neque enim dixit, Vendam instrumenta boum, & prudenter disponam. Neque considerauit, ea, si venderentur, emolumenti plus allatura. Sed cũ totus esset incensus cupiditate, qua ad magistri necessitudinem rapiebatur, neglexit ea, quæ videntur, & ab illis se tanquam à recto proposito reuocantibus studuit explicare. Sciebat enim sæpe procrastinationẽ pœnitentiæ causam extitisse. Cur Dominus diuiti vitæ secundum Deũ perfectæ leges præscribens iussit, *vt omnia venderet, & pauperibus daret*, nisi quia quicquid excipitur, ita distrahit, vt omnia distrahebant? Moses item cùm præcipit, vt qui

Iud. 15.

1. Pa. 22.

3. Reg. 19.

Act. 5.

Luc. 18.

Luc. 14.

525

qui se magno voto sanctificare volunt, totum corpus rapdant, indicat, meâ quidem sententia, perfectam rerum omnium renuntiationem : Secundo loco sanguine coniunctos sic obliuiscantur, vt nulla vnquam eorum memoria interpellentur. Si enim vaccæ currui, quo arca vehebatur, iunctæ, naturam & vitulos, qui domi tenebantur inclusi, sic oblitæ sunt ipsius arcæ vectæ maiestate, vt neque ad dexteram, neque ad sinistram declinantes sine errore iter conficerent, neque ceruicis inflexione vllum amoris erga filios signum ostenderent, neque gemitu dolorem, quòd ab illis seiunctæ essent, testarentur, sed quamuis eas & arcæ pondus premeret, & amoris aculeus stimularet, tamen non aliter, quam si præscripta lege incessissent, ne latum quidem vnguem à recto tramite deflexerunt: cur non ij, quibus spiritualis arca gestanda est, idem efficiant? ac multò etiam magis, ne qui sunt rationis participes ab animalibus rationis expertibus in operibus necessariis superentur, nisi videantur id sponte & ratione facere, quod faciunt illa cogente vi ac necessitate? Ob id etiam fortasse Ioseph erat in solitudine, dum in fratrum nominibus perfectionis terminum quærit. Quamobrem vir ille, qui verba eius ad veritatem explorabat, intellecta erroris causa, nempe affectione erga fratres, neque enim dixisset eos pascere, sed gubernare greges, nisi falsum in arte iudicium habuisset, dixit ad eum: *Recesserunt de loco isto. Audiui enim eos dicentes, eamus in Dothaim* (quæ est perfecta derelictio.) Indicat enim, eum, qui circa corpus adhuc est occupatus, assequi perfectionem non posse, nisi planè derelinquat carnis affectionem. Etenim si quis Charam, id est, sensus, qui foramina quædam sunt, relinquit, & ex valle Hebreon, hoc est, à seruilibus operibus discedit, tamen errat in solitudine Cathina, dum quærit perfectionem, quod nisi errorem in derelictionem commutauerit, nihil ei proderit susceptus labor, cùm propter propinquorum amorem aberrauerit à perfectione. Et Dominus Mariæ respondens, quòd se inter cognatos quæsiuisset, eúmque qui patrem, aut matrem plus quàm se, diligeret, indignum se iudicans monet, propinquorum vincula prorsus esse relinquenda. His rectè constitutis, consulendum est iis, qui nuper à mundi tumultu discesserunt, vt quietem ac silentium colant, caueántque, ne frequentius in publicum prodeundo, vulnera per sensus accepta, cogitatione renouent, néue antiquis peccatorum simulacris alias formas adiungant, sed recentium impetu declinato, veterum memoriam omni studio deleãt. Difficile autem est iis, qui nuper mundo renuntiarunt, quietis atque silentij studium. Tunc enim memoria occasionem arripit, & omnem insitam mouet immunditiam, cui antea præ multitudine negotiorum id facere non licuerat. Famem enim, labore, & diuturnitate temporis auctam irritat improbarum cogitationum importunitate. Quare quibus propositum est animum ab omnibus inquinamentis abluere & expurgare, ij quàm longissimè debent ab omnibus rebus, quæ sordes & maculas augent, abscedere, multámque rationi tranquillitatem præbere, & ab irritamentis procul aufugere, ac vulgi consuetudinem euitare, & solam sapientiæ matrem quietem

A amplecti. Facilè enim in laqueos, ex quibus se extricasse arbitrabantur, rursus incidunt, qui sine timore cum immundis turbis versari student. Pernicioſum enim est ei, qui ad virtutem se contulit, iis rebus gaudere, quas ante damnauit & fugit. Nã vestigia in animo relinquunt, quietem magno studio quæsitam interrumpunt, ad pristina reuocant instituta, & mala obliuioni tradita in memoriam reducunt. Mens enim eorum, qui nuperà malitia discesserunt, similis est corpori ex diuturno morbo conualescere incipienti, quod nondum viribus cõfirmatis quælibet offensio grauiorem in morbum impellit. Sic illorum vires adhuc imbecilles & non-
B dum confirmatæ concutiuntur, vt verendum sit, ne redeat ægritudo, id, quod ex turbæ commixtione fieri consueuit. Idcircò Moses cupiens populo nihil mali contingere à percussore, ita præcepit: *Nemo vestrum egrediatur ostium domus suæ, ne vos percussor attingat.* Eodem spectant & Ieremiæ verba dicentis: *Ne exeatis in agrum, neque in vias proficiscamini. Quoniam inimicorum gladius habitat per circuitum.* Virorum fortium est contra hostes progredi, & tutò insidias eorum effugere. Quòd si quis nondum est aptus ad pugnam, domi sine detrimento maneat, & salutem in quiete sine periculo tueatur. Talis erat Iesus filius Naue, de quo scriptum est: *Seruus*
C *autem Iesus, cùm sit adolescens, è tabernaculo non egrediatur:* Nouerat enim, eos, qui in campum ad pugnã præproperam egrediuntur, à fratribus corporis & carnis amicis occidi, ex historia Abel admonitus. Nec minus ex iis, quæ de Dina scripta sunt, intelligimus, muliebris esse mentis atque fœmineæ, ea, quæ vires nostras superant, aggredi, & in iis, vt par est, iudicandis decipi. Nisi enim illa petulanter ad res incolarum spectandas properasset, eatum delectatione allici & capi se non posse confidens, animi iudicium, rerum terrenarum cogitationibus nõ corrupisset. Hoc arrogantiæ vitium hominibus insitum, cùm ex animis nostris vellet Deus radicitus euellere, dixit ad Mosem legislatorem, vt religiosos & cautos faceret Filios Israël. Quamobrem certamina vires nostras superantia confidentius adire à religione est alienum. Non igitur debemus antequam virtutis habitum adepti simus, negotiis nos ciuilibus immiscere, sed ab illis quàm lõgissimè discedere, & procul à strepitu & tumultu cogitationem auocare. Quid enim prodest, si cùm à negotiis recesserimus, eorum tumoribus interpellemur? Et relicta ciuitatis administratione, ad portam, vt Loth, sedeamus, & tumultu ex ea proficiscente repleamur? Foras cùm magno egredien-
E dum est Mosi, vt non solùm opera, sed etiam cogitationes de illis cessent. Tunc enim vera tranquillitas est, cùm nõ solùm facta, sed ne recordatio quidem nos impedit, quo minus animo vacet, loca concluſa videre, & cum singulis pugnare, & ex mente, quæ praua sunt, euellere. Quòd si nouæ species superueniant, nec priores delere possumus, ratione in recentibus occupata, & labor in extirpandis perturbationibus maior efficitur, cùm ex noua accessione paulatim robur auxerint, & fluminis instar perpetuo nouarum cogitationum tanquã fluctuum cursu perspicax animi iudicium obruant. Quemadmodum enim qui fluminis alueum ari-

Exod. 12.

Luc. 15.

Gen. 19. Exod. 19. Heb. 13.

dum videre cupiunt, nihil agant, si pergãt exiccare partem illam quam aridam vocant, cùm noui subinde fluctus superueniant,& exiccatum locum statim impleant. At si rursum ascenderint,& superiores partes exhauserint, aut fontem auerterint, vel obstruxerint, tunc, aqua spontè deficiente, aluei solum aridum relinquetur. Ita formæ cupiditatum effectrices facilè exhaurientur, si sensus, ex quibus illæ tanquam ex fontibus in animum influunt, sic obstruentur, vt eas extrinsecus suppeditare amplius nequeant. Quòd si nouas rerum species assiduè suggerant, difficilè, vel nullo potius pacto fieri potest, vt animus ab eiusmodi inundatione liberetur. Licet cupiditates non lædant, quòd propter assiduos congressus lædendi non inueniunt opportunitatem, clam tamen insinuant sese, & corroborantur, ac maiores ex temporis spatio vires colligunt. Et quemadmodum terra frequenti pedum incessu conculcata, quamuis habeat spinas, tamen eas non profert; exortum enim illarũ cohibet pedum conculcatio: Interim tamen propagantur radices, & simulac tempus concesserit, vberes spinæ florentésque prodeunt. Sic & cupiditates, dum assiduis congressibus & occupationibus in apertum prodire nequeunt, occultè fouentur, & fiunt robustiores, datáque per otium & quietem occasione, graue & periculosum illis, qui eas initio expugnare neglexerunt, bellum inferunt. Itaque Propheta semen è Babylone delere iubet, id est, species ipsas, dum adhuc in sensibus sunt, abolere, ne in animi terram incidentes, coalescant, & germinent, & ipsa meditatione, quasi aquarum copia irrigatæ multiplicem malitiæ fructum ferant, Alius autem propheta beatos appellat, qui cupiditatum fœtus non excipiunt, sed obliuione statim natos interficiunt, *Beatus*, inquiens, *qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram*. Fortè Magnus item Iob de rebus suis differens tale quippiam innuit, *cum in humore virere scirpum didicit, & crescere carectum in aqua, eáque deficiente herbam omnem arescere.* Et illud: Mermycoleo, *seu formicoleo interiit, quia pabulum non habet*, videtur aliquid eiusmodi significare. Cùm enim cupiditatum & vitiorum insidias indicare vellet magnus Iob, ex audacissimo leone, & animalium omnium abiectissima formica vocabulum composuit. Nam impetus cupiditatum ab abiectissimis cogitationibus incipiunt, & formicarum more sensim repunt. Paulatim autem in eam crescunt magnitudinem, vt cuilibet non minus, quàm leones terrorem atque periculum afferant. Quamobrem oportet, vt strenuus pugil tunc cum cupiditate luctetur, cum accedens, veluti formica vilem escam suggerit. Nam si leonis magnitudidem & robur assecuta adoriatur, maxima cum difficultate superabitur. Pabulum est detrahendum: cupiditatum autem vitiorúmque pabulum, vt sæpe iam dictum est, sunt species & imagines rerum sensilium, quæ cupiditates & vitia nutriunt armántque aduersus animam. Idcirco *fores templo reticulatas* legislator instituit, significans, eos, qui mentis suæ templum purum seruare volunt, quemadmodum illud cancellatis foribus instructum erat, ne quid immundum ingredi posset, sic ipsos obstacula sensibus præponere oportere, nempe horrenda futuri iudicij monumenta, quæ species atque imagines rerum impuras ingressu prohibeant. Ob id fortasse & Ochozias ægrotauit, posteaquam cecidit per cãcellos. Pœnas enim futuri iudicij non meminisse in tempore tentationum: & in voluptates delabi, est è cancellis decidere. Quid autem hac ægritudine grauius? Corporis enim morbus est ex naturali elementorum æqualitate, aliquo ex illis prædominante, conuersio in habitum naturæ contrarium. Animi autem ægritudo est à recta ratione declinatio, quæ fit, cùm animus à pestiferis vincitur perturbationibus. Hos cancellos visui præfixit Salomon. *Cum oculi tui*, inquiens, *viderint alienam, tunc cor tuum loquatur aduersa*; aduersa vocat ea, quæ in temporis tributionis sunt euentura. Hæc enim rectè considerata prohibent omnem periculosum oculorum obtutum. Ostendit etiam, qualis tunc esse debeat rationis constitutio: *Iacebis*, inquit, *tanquam in corde maris, & sicut gubernator in multa tempestate*. Qui enim eo tempore poterit visum irritantem vincere, is à suppliciis impendentibus erit liber, vt qui maris tẽpestate iactatur, sine dolore pertransit, fluctibus colluctantibus, nec sentit illatas plagas, vt possit dicere: *Verberauerunt me, & non dolui. Illuserunt mihi, & ego non sensi*. Sagittæ enim paruulorum. *Et ad dolos eorum non sum conuersus*, perinde ac si non adessent. Sic & Dauid eiusmodi contemnens aduersarios dicebat: *Declinantem à me malignum non cognoscebam*. Neque cùm accederent, inquit, neque cum recederẽt, sensum adhibui. Qui autem nescit, magnam inter sensus & res sensiles intercedere coniunctionem, ex qua fraus facilè proficiscitur, nec damnum inde proueniens timet, sed inconsideratè se illis committit, quomodo fraudis tempore insidias animaduertet, cùm nullum in ipsis discrimen agnoscat? Nã quòd inter sensus & res sensiles fiat contentio, patet ex bello, quod Assyrij cum Sodomitis gesserunt. Historiam enim describit scriptura quatuor Regum gentis Assyriorum, qui bellum quinque Regibus Sodomæ regionis intulerunt. Primùm quidem coniunctionem, & fœdera & pacificas victimas exponit ad mare salis, deinde quinque Regum seruitutem per annos duodecim, mox tertiodecimo anno defectionem, tum quartodecimo anno bellum à quatuor Regibus illatum quinque Regibus, & captiuos ab illis factos: Atque historia quidem sic finem habet. Nos autem ex hac historia discimus bellum, quod inter sensus & res sensiles intercedit. Nemo enim nostrum ab ortu suo vsque ad duodecimum annum planè discernit, sed sensus rebus sensibilibus tanquam Dominis subiicit ad faciendum imperata, vt visum coloribus, auditum vocibus, gustum saporibus, odoratum odoribus, tactum rebus, à quibus naturaliter mouetur, nec vllo modo potest illis propter ætatis imbecillitatem repugnare. At cùm ratio consilio confirmata cœperit detrimentum agnoscere, deficere statim cogitat, & eiusmodi seruitutis iugum exuere. Quòd si quis strenuus constanter in ea sententia perstiterit, acerbos Dominos fugiẽs, liber perpetuò manet. Sin iudicij imbecillitate studiũ diligẽtiámque remiserit, rursũ sensus victos captiuósq; relinquit sub rerũ sensiliũ dominatu, qui deinceps sine vlla bona spe tyrannicam seruiant seruitutem. Propterea

Psal. 136. Iob. 8. Exod. 27. 4. Reg. Exod. 22 Pro. 25 Deut. 25 Pro. 23 Psal. 40 Gen. 18 Gen. 31

529

pterea enim quinq; Reges, vt historia tradit, à quatuor victi in bituminis puteos compulsi sunt. Vt intelligamus eos, qui rebus sensilibus cedũt, in sensus, tanquam in puteos & barathra compelli, vt nihil aliud, quàm sensilia percipiant, propterea quòd defixa in rebus terrenis cupiditate, eas cœlestibus anteponat. Sic & seruus, qui diligens Dominum suũ & vxorem eius, ac liberos, veram recusat libertatẽ, propter coniũctionem, quam habet cum rebus corporeis, seruus perpetuus manet, eique subula auris perforatur, ne foramine auditus audiens naturali cognitionem vnquã percipiat libertatis, sed in perpetuum seruus sit, quia bonis futuris præsentia prætulit. Iccircò lex etiam iubet, mulieris manum amputari, quæ duobus viris contendentibus, verenda apprehendit. Quoniam oborta de rebus æternis & caducis contentiones, caduca admissis æternis cõplexa est per verenda enim, ea, quæ ortui atque interitui sunt obnoxia, intelliguntur. Nihil igitur prodest, mundo renuntiasse, nisi in proposito perseueres, sed sinas te retrahi, & terga vertas rationi, ac semper ad ea, quæ reliquisti, te conuertens, tuum erga illa studium declares, vt vxor Loth, *quæ respiciens retrò* stetit exemplum inobedientibus, *conuersa vt nunc est, in statuam salis*. Consuetudo enim, cuius illa speciem gerit, eos qui volunt omnino recedere, ad se retrahit. Lex verò, quæ præcepit, vt ingressus in templum, posteaquam vota persoluerit, per aliam portam egrediatur, quo rectũ iter faciat, & non vertatur retro, quid aliud indicat, nisi continuam & rectà ad virtutem ducentem viam non esse dubitationem diuerticulis interrumpendam. Assidui enim ad ea, à quibus discessimus, prospectus ab instituto cursu nos retrahunt, & progredi non sinunt sed ad pristina mala redire compellunt. Magna est consuetudinis vis. Ad se nos trahit, nec ad instituta virtutis studia reuerti permittit. Ex consuetudine habitus ex habitu natura proficiscitur. Naturam porro mutare difficilimum est. Licet enim vi paulisper inclinetur, celeriter tamen ad seipsam recurrit. Mouetur illa quidem à propriis terminis, sed nunquam planè transfertur, nisi magnus & assiduus labor contrarium habitum introducat. Vide, quomodo animus consuetudinem sequens Idolis insideat, quomodo seipsam in materia informi defigat, rationémque surgere hortantem non audiat, surrecturam se negat. *Non possum*, inquit, *assurgere coram te, quia iuxta consuetudinem fœminarum accidit mihi*. Animus, qui in huiusce vitæ rebus longo iam tempore conquieuit, idolis incubat, quibus ex informi materia constantibus ars humana formam adhibuit. Nónne res informis diuitiæ sunt, & gloria, & reliqua huius vitæ bona, quæ nihil solidum, aut verum habent, sed similitudine quadam afficta veritatem præ se ferunt, & aliam ex alia subinde speciem sumunt? Nos autem illis formam adiungimus, cùm ea ex hominũ opinione ad vsus minimè necessarios adhibemus. Cùm enim, vt corpori satisfaciamus, sumptus incredibiles facimus, & epulas innumerabilibus cõdimentis instruimus, cúmque voluptatis & deliciarum gratia ambitiosè tot vestimentorum varietatẽ excogitamus, & si vanitatis accusemur, quòd frustra tam ingentes impensas facimus, cùm natura paucis expleri possit, nos ea vt honesta congruentiáque defendimus; quid aliud, quam rebus informibus, conamur formam imponere? His autẽ rectè dicimus animam insidere. Si enim de iis, quæ dicta sunt, ita secum ipsa constanter iudicat, rebus istis terrenis inhæret, nec veritati seruit, cui nõ potest assurgere, sed consuetudini, qua tãquam immunditia menstrua, rerum naturam coinquinat. Sedere enim accipitur in scriptura pro ignauum esse, & voluptatibus deditum. Ignauiam locus ille significat: *Sedentes in tenebris & vmbra mortis. Vinctos in mendicitate & ferro*. Tenebræ enim & compedes agentibus sunt impedimento. Voluptatis studium ostendit scriptura, cùm de illis loquitur, qui corde in Ægyptum reuertebantur, sic inter se colloquẽtes: *Meminimus, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus carnes ad saturitatem*. Verè sedent super ollas carnium homines voluptarij & libidinosi, humido & perpetuo calore suas incendentes cupiditates. Porrò libidinis mater est gula. Hæc enim libidinem gignit, & multa item alia vitia, quæ ab eius radice tanquam stolones pullulant, & paulatim in arbores magnas euadunt, malitiæque fructus edunt vberrimos. Auaritia enim, & iracundia & tristitia ex gula proficiscuntur. Nam gulosus pecuniis eget, ad insatiabilem explendam cupiditatem, quam tamen explere nunquam potest. Illis autem, qui obstant, quominus pecunias paret, irascitur necessariò. Et quia nequit vlcisci, in mœrore tristitiáque versatur. Tristitia enim, cùm explendæ voluptatis materia suppetit, in ventrem descendit, deficiente autem illa, in pectus, vbi est iracundiæ sedes, ingreditur. Homines enim voluptarij, si priuẽtur voluptatibus, irascuntur & indignantur. Quãobrem magnus Moses super sacerdotis pectus ponit Rationale, ea nota significans, iracundiæ motus rationis iudicio esse cohibendos. Rationale enim est iudicij regula, qua ratio reiicit iracundiæ vitium vt imperfectum: Perfectus autem Moses totã admit iracundiam, quæ rationi reluctatur. Pectusculũ autem aufert. *Accipit enim pectusculum eleuans illud* impositionem *coram Domino*. Sunt alij, qui neque totã excindunt iracundiam, neque illam ratione cohibent, sed labore superant. Hi pectusculum cum brachio auferũt. Brachium enim est laboris actionísque nota. Ex ventre similiter libidinem proficisci verissimum est. Est enim ferè libidinis causa. Nã expleto vẽtre statim aliarum voluptatum cupiditates excitantur, quæ illo esuriente quiescunt & iacent. Hic animaduertenda est inter proficientẽ & perfectum differẽtia. Moses enim perfectè reiiciens ciborum voluptatem, ventrem & pedes lauit aqua, ventre quidem voluptatem, pedibus autem incessum progressúmque significans. At ille, qui proficit, siue in ventre sunt, lauat, non ventrem totum. In eo quoque, quod dicit, lauit, & lauent, magnum inest discrimen. Illud enim ex voluntate fit, hoc ex præcepto. Perfectus enim vir sponte sua ad colẽdas virtutes moueri debet. Proficiẽs vero, ducis præcepta sequẽs. Illud præterea maximè est obseruandũ, quòd cùm pectusculum totum auferat, ventrem nõ aufert, sed lauat. Sapiens enim totam potest iracundiam vincere & amputare, ventrem nõ potest excindere. Cibis enim vesci natura cogit necessariis

Exod. 21. Deut. 15. Gen. 18. Gen. 31. Psal. 106. Exod. 16. Exod. 28. Leuit. 8.

vel homines temperatissimos. Qui verò rectæ firmæque rationi non acquiescit, luxuria atque libidine corrumpitur. Idcircò venter cõburitur. Cùm enim nimium explet⁹ fuerit, libidinis cupiditas exardescit. Ventre combusto, sequitur, vt femur concidat. Mẽs enim debilis fit, ad ea quę honesta sunt, facienda: quoniam ventre, ciborum copia, libidinis incendium excitante, spiritus nerui dissoluuntur. Hos enim in lege femur significat. Homo voluptarius super ventrem ingreditur, serpens ad voluptates perfruendas. Qui viam virtutis capescit, ventris adipem circuncidit', dum epulas subtrahit, quibus corpus pingue scit. Qui proficit, vẽtris abluit intestina. Qui perfectus est, totum ventrem lauat quę vsui necessariò superuacanea sunt, penitus abiiciens. Valde autem pectori ventríque conuenit illud, Gradieris. Voluptas enim non est ex eorum numero, quæ stant & quiescunt, sed ex eorum, quæ mouentur, & perturbationis sunt plena. Ideóque gulæ & ventri rerum venerearum cõmotio est coniunctissima, quam quidem coniunctionem natura cùm vellet ostendere, generationis instrumẽta sub ventre collocauit, vt ex propinquitate necessitudinẽ declararet. Ac libidinis quidem vitium ex ventris imbecillitate fit infirmum & debile. Contrà viget ac feruet, cùm illi robur & vires venter sufficit. Neque verò gula & ventris ingluuies istorum vitiorũ tãtùm est mater ac nutrix, verùm omnes aufert virtutes. Ea enim superante & dominatum obtinente, temperantia, modestia, fortitudo, constantia, & reliquæ virtutes concidant, necesse est. Quod ænigmate Ieremias ostẽdit: *Euertit* inquiens, *muros Hierusalem per circuitum princeps coquorum Babylonis*. Gulæ vitium appellat coquorum principẽm. Sicut enim ille omnem adhibet diligentiam vt gulæ ventríque satisfaciat, & innumerabiles voluptatũ artes excogitat, sic vitium gulæ omni studio quærit gutturis voluptatem explere. Et ciborum varietas euertit ac diruit virtutum propugnaculũ. Suauitas enim condimentorum, tanquam machina bellica, prosternit munimenta iam à virtute constructa, & firmum ac solidum robur ipsius affigit humi. Iam sicut luxus virtutes opprimit, ita frugalitas malitiæ deiicit munitiones. Quemadmodum enim muros Hierusalẽ, id est, animæ pacificæ, princeps coquorum Babylonis destruxit, ventris voluptates obsoniorum cõdimẽtis irritans: sic Israelitarum panis hordeaceus voluitur, & Madianitarum tabernaculum subuertit. Frugalis enim victus voluendo proficit, & libidinis vitium prosternit. Madianitæ libidinis symbolum gerunt. Hi sunt enim, qui ad fornicationem pellexerunt Israelem. Aptè autem dixit scriptura, Madianitas habere tabernacula, muros verò Hierusalem. Omnia enim, quæ virtute circũdata sunt, firma sunt ac munita. Quæ autem vitiis sunt, circunsepta, tabernaculi speciem habẽt. Ciuitates fugiebant sancti, & multitudinis congressus euitabãt, quia corruptorum hominum consuetudinem quouis morbo pestifero pernicioſiorem existimabant. Iccirco relictis omnibus in loca deserta & solitaria procul ab horum interpellatione se conferebant. Ideò Helias relicta Iudæa montem Carmelum desertum & ferarum plenum incolebat, & præter arbores nullum habebat victus solatium. Harum fructibus vsum explebat necessarium. Elisæus itidem eandem viuendi rationem seruabat: à magistro enim suo cum reliquis virtutibus didicerat, & solitudine delectarĩ. Et Ioannes loca Iordanis desecta colens locustas edebat & mel siluestre, multitudini declarãs, quam facilè possit corporis necessitati satisfieri, & exprobrans illi solicitudinem in voluptatibus cõquirendis. Ac talem fortè legem in vniuersum. Moses tulit, cùm Israelitis præcepit, vt mãna in dies singulos colligerent. Clam enim indicabat quotidianum esse debere hominis victum, non autẽ longum in tempus conquisitum, & homines ratione præditos, rebus esse contẽtos præsentibus, & reliquarum curam in Deum, cuius prouidentia cuncta disponeret, reiicere oportere. Tã anxia profectò solicitudo coarguit nos, quòd Dei gratię diffidam⁹, quasi non perpetuò munera sua hominibus largiatur. *Omnes denique sancti, quibus dignus non erat mundus, propterea relictis hominum celebritatibus, in solitudinibus, & montibus errabant, & speluncis, & cauernis terræ & circuibant in ouillis pellibus & caprinis, egentes, angustiati, afflicti, mansuefacta* hominum vitia, & rerũ alienarum exundationes, quæ in ciuitatibus sunt fugientes, ne ipsi quoque earũ vi tanquam torrẽtis impetu in promiscuam populi confusionem raperentur. Ferarum consuetudine gaudebãt, & minus ab illis, quam ab hominibus metuentes detrimenti homines, vt insidiatores, euitabant, feris tanquam amicis confidebant, quod illæ neque vitia docerẽt, neque à virtutum admiratione & cultu reuocarẽt. Danielem quidem, cùm homines, vt ipsi putabãt, perdidissent, leones seruarunt. Quem homines ex inuidia iniustè damnauerant, custodierunt, & iustitiam, à qua recesserant homines, rectum ipsi de iniustè dãnato iudicium ferentes declararunt. Hominis virtus apud homines inuidiæ & contentionis apud feras venerationis, & honoris occasio fuit. Nos igitur, quibus vitæ præstantioris amor insitus est, Sãctorũ virtutes æmulemur, & deserto in loco ab opifice Deo dimissum onagrum, vectigal exigẽtis increpationem non audientem, deridentémque tumultus ciuitatum, si adhuc onera vehere assuescimus, & malitiæ iugum imposuimus, nunc saltem à vinculis soluamus. Quod si repugnent aliqui non veri Domini, sed qui ex consuetudine sibi dominũ vindicarint: audiant nos, si audire volunt, non lingua solùm, & demissa voce, sed ex mandato dicentes: *Dominus opus illius habet*. Statim dimittent eum, vt Apostolicis ornatus vestimentis Christi vehiculũ fiat; aut ad pristinam rediens consuetudinem in lætis pascuis versetur. Quod illis accidit, qui virentia diuinæ scripturæ dicta sequentes, vitam ab omni reprehensione remotam amplectuntur, in qua magnum animi pastum, delectationémque percipiũt. Sed quærendum est, quomodo lætis in pascuis *onager à Deo dimissus versetur*, cùm *in locis desertis vitam degat, & in terra salsuginis tabernaculum habeat*. Loca enim deserta & salsa ad herbam ferendam non sunt admodum idonea. Deserta nimirum loca, id est, à perturbationibus & vitiis remota, sunt opportuna, vt in rerum diuinarum contemplatione tanquam in pascuis lætissimis versemur. A cupiditatibus & vitiis liberati, sæcularia negotia relinquamus, & animi bona complectamur. Quandiu ludis puerilibus de

Leuit. 1.

Ierem. 51.

Exod.

Hab.

Dan.

Ioh. 9.

Ioh. 9.

Mat. 21.

533

bus delectabimur? Nondum virilem sensum accepimus? Quandiu in agẽdo erimus infantibus imbecilliores? Ab illis saltẽ discamus ad præstãtiora cõtendere. Nam ipsi ætatem mutantes, mutant etiam in rebus ludicris voluntatem, abiiciúntque, quam habebant ad res leuiculas, propensionem. Nucibus exempli gratia, & talis, & pila ludunt, his illi se ludis oblectant, & sibi honori ducunt hæc comparare, quoad prudentia sunt imperfecta. At cùm aliquis eorum in virum euaserit, ea abiicit, & ad gerendam Rempublicam omne studium confert. Nos autem in infantia persistentes, ludicra, & risu digna suspicimus, neglectisque melioribus, prudentiam viris conuenientem sumere recusamus, & terrenis in rebus studium ac delectationẽ nostram collocantes, risum mouemus iis, qui natura duce rectè iudicant. Quemadmodum enim turpe est, virum ætate prouectum in cinere aut puluere considentem puerilia describere: ita turpe, imò longè turpius est eos, qui de rebus æternis perfruendis deberent esse soliciti, in rerum terrenarum puluere volutari, & studiorũ turpitudine professionis suæ fœdare perfectionem. Hui⁹ peruersitatis ea causa est, quòd iis, quæ cernũtur, nihil præstantius ducimus, neque ex præsentiũ futurorúmque bonorum comparatione, vilitatem illorum, atque horum præstantiam cognoscimus. Præsentiũ enim splendor nos capit, & mentis oculos præstringit. Nam semper fit absentia præstãtiorum, vt deteriora pro illis habeãtur in pretio. Quòd si de futuris bonis gustum aliquẽ haberemus, haud ita præsẽtibus inhiaremus. Incipiamus igitur à terrenis animum auocare. Pecuniam, & omnia, quæ mentem demergunt atque opprimunt, contemnamus. Onus abiiciamus, vt nauis parumper subleuetur. Tempestate iactati abiiciamus & magnam supellectilis partem, vt animus tanquam gubernator vndarum impetum queat sustinere, salutíque consulere. Si illi, qui in mari nauigant, sęuiente tempestate merces negligunt, & propriis manibus onera in mare proiiciunt, & fortunis vitam anteponũt, ac ne nauis pondere oppressa submergatur, eam subleuant, & pretiosissima quæque vel in profundum iaciunt: cur non etiam nos propter vitam præstantiorem ea despicimus, quæ animum in profundum detrahunt? Cur idem non potest Dei timor, quod potest timor maris? illi caducæ vitæ cupiditate aliarum rerum iacturam leuem putant: Nos qui ad vitam æternam aspiramus propter illam nihil, quamuis obiectum, contemnimus, sed malumus simul cum onere perire, quàm illo proiecto seruari. Agitè exuamus omnia. Nudus enim constitit aduersarius. Nunquid induti luctantur pugiles? Nónne certaminis lex iubet eos nudos in stadium ingredi? Siue calor sit, siue frigus, depositis vestimẽtis ingrediuntur. Si quis nuditatem recusat, idem certamẽ recuset, necesse est. Nos autẽ, qui nos pugiles professi sumus, quíque multo grauiores habemus aduersarios, non modò non exuemur, sed innumerabilibus in humeros oneribus sublatis, multas aduersariis lædendi ansas præbentes, conabimur decertare? Quomodo pugnabit *aduersus spiritalia nequitiæ*, qui possessionibus vacat acquirendis, vt vndique possit facilè supplãtari? Quomodo cum auaritię spiritu certabit, qui pecuniis obruitur? Quomodo curret aduersus Dæmones omni nudos solicitudine, qui curis indutus est innumerabilibus? dicente scriptura, *Nudus persequetur in illa die*: nudus, inquit, non variis negotiorum curis, tanquã centonibus, circundatus. Nudus, nõ graui possessionũ & pecuniarum sarcina à cursu retardatus. Insidiis enim nudus aut non petitur, aut ægrè capitur. Quare si nudus fuisset magnus Ioseph, non reperisset Ægyptia, quo illum apprehẽderet *Apprehensa enim* inquit *diuina* scriptura, *lacinia vestimenti eius dixit: Dormi mecum.* Vestimenta sunt negotia corporea, quibus apprehensis voluptas nos trahit. His negotiis qui incumbit, necessario destrahitur, dum pugnat cum illis, qui ea detrahunt. Ita pudicus athleta, cũ animaduertisset, ex iis etiam, quę corporis vsui sunt necessaria, se per vim ad voluptatis amplexus trahi, cum sciret, opus fore, vt cum domina, quæ tenere se, & vim afferre posset, nudus coiret relicto in manu eius pallio aufugit, & egressus est foras, tãquam in virtutis paradiso nudus ambulans, primum illũ parentem nostrum imitatus, qui præclarum nuditatis munus à Deo concessum obtinuit, quoad per contumaciam in vestimentorum necessitatem incurrit. Quandiu enim restitit aduersariis suadentibus, vt Dei mandatum violaret, nudus, vt luctator in stadio stetit. Victus verò & seruus effectus, deposita simul cum certãdi habitu nuditate, indutus est. Iccirco prouerbiorum auctor sic pugilem alloquitur, Exue vestimentum tuum, accessit enim. Nam quoad extra stadium fuit, meritò vestimentis non decertantium vtebatur, pugnandi fortitudinẽ sub rerum sensilium tegens indumentis. At vbi in stadium introiuit, vestimenta deposuit. Nudum, immò verò & vnctum oportet certare. Nuditas enim facit, vt ab aduersario luctator apprehẽdi non possit: vnctio autem, vt si quando fuerit apprehensus, elabatur. Propterea luctatores puluerem aduersariis conantur aspergere, vt olei leuitatem iniectu puluueris exasperent, atque ita facilius eos apprehẽdere valeant. Iam quod illic est puluis, id in nostro certamine est terrenis in rebus occupatio. Et quod illic est oleum, hic est quietis studium ab omni solicitudine vacuum. Et quemadmodum illic qui vnctus est, facilè vitat, quas ipsi vocãt, apprehẽsiones, sin puluerem admiserit, ægre colluctantis declinat manum: ita hic qui nulla de re solicitus est, difficilè capitur à diabolo, quòd si occupatus est, & solicitudine, tanquam puluere, mentis exasperet trãquillitatem, ex illius manu haud facilè effugiet. Animus perfectus, ab omni est solicitudine vacuus. Impius solicitudinibus teritur. De animo perfecto dicitur. *Lilium est inter spinas.* Hoc nanque illum inter curas tranquillè degẽtem indicat. Lilium enim & in Euãgelio quietum animũ ac minimè solicitũ significat. *Non laborat*, inquit, *neque net, & tamen maiore, quàm Salomon gloria circũdatur.* De illo autem, qui magnam in rebus corporeis curam & solicitudinẽ ponit, scriptum est. *Tota impij vita in solicitudine.* Etenim verè impium est, totum vitæ spatium in corporis negotiis consumere & nullum in rerum futurarum cogitatione studium collocare, & corpori, cuius necessitati facilè potest satisfieri, omne tempus impendere: animo autem, cui proficienti tam multa sunt necessaria, vt vix tota vita sit satis

Gen. 36.

Cant. 2.

Matt. 6.

ad perfectionem aſſequendam, ne ſucceſſiua quidē tempora impertiri. Ac ſi quid etiam ei aliquando temporis tribuimus, id ſegniter admodum ignauéque facimus, rerum terrenarum ſpecie capti ac deliniti. Nobis enim idem accidit, quod illis, qui amore meretricum turpiſſimarum inſaniunt. Illæ enim cùm naturali careāt pulchritudine, adulterinam aſſumunt, atque ita fœditatem ſuam tegūt & amantium oculos decipiunt. Semel enim rerum præſentium vanitate ſuperati, materiæ turpitudinē affectione decipiente, cernere non poſſumus. Et iccirco, eo, quod neceſſitatis vſus exigit, minimè cōtenti, ſaturitatem vitæ ignominioſam adiunximus in variis poſſeſſionibus conquieſcentes. Nec videmus poſſidendi menſuram corporis neceſſitate circunſcribi, & quod eam excedit, non vſui eſſe, ſed dedecori. Vt enim tunica corporis quadrās magnitudini, vtilitatem affert & ornamentum: quæ autem vndique circunfluit, & pedibus implicatur, & humi trahitur, præterquam quòd turpis eſt, agenti etiam eſt impedimento: Sic poſſeſſio corporis neceſſitate maior & ad virtutem tendentes impedit, & valde vituperatur ab iis, qui naturā hominis rectè metiuntur. Non igitur audiendi ſunt, qui rerū ſenſilium amore decipiuntur, nec temerè ſequendi, qui cùm rerum cœleſtium guſtum non habeāt, ad terrenas ſunt propenſiores, tanquam recta ratione ducti id faciant. Horum enim in rebus expendendis iudicio vti perinde eſt, ac ſi ad diſcernendos colores, cæcos homines adhiberemus, aut ſurdos in muſicis ad ſonos diiudicandos. Cæci enim ſunt, maximè neceſſariis rationis oculis capti, quib° honeſta à turpibus, vtilia à contrariis diſcernuntur. Vnus ex his erat Acham filius Charmi, qui confeſſus eſt Ioſue, ſe *tabernaculo* vitæ *abſcondiſſe, quæ furto abſtulerat, & argentum ſub* iis, *foſſa humo, operuiſſe*. Qui enim varia & ſplēdida materiæ opera magnificiēda exiſtimat, rationem verò ſub his defodit, is, vt animalia bruta, ſenſibus cedit & indulget. Nam ex principatus ſolio rationē in ſubiectorum immo verò dānatorum ordinem redigit. Etenim ſi ratio in ſua dignitate ſedens de rebus iſtis iudicaſſet, iuſtam & rectam tuliſſet ſententiam, impetúmque ad falſa ac decipientia currentem damnaſſet. Honeſtum igitur eſt ac laudabile, intra neceſſitatis terminos ſe continere, eóſque minimè tranſilire. Si quis enim cupiditate ductus, ad ea, quæ in vita iucunda ſunt pauliſper deflexerit, nulla deinde ratione retineri poterit, quominus ad vlteriora progrediatur. Cùm enim vſui ac neceſſitati præſcriptos fines exceſſeris, nullus amplius terminus inuenitur. Sed omnia vaſta, atque infinita, vt inani labore cupiditas nō expleatur, ſed aſſiduè magis augeatur, inſtar flammæ, quæ quò plus materiæ ſuggeritur, eò fit maior. Qui enim ſemel naturalis neceſſitatis terminos tranſierint, in vita ſolutiore liberius progrediuntur, ac pani quidem iucundum aliquod obſonium adiiciūt, aquę autem primò tantulum vini, quod valetudini, deinde quod voluptati ſatisfaciat. In veſtitu non contenti iis, quæ ad tegendum ſunt neceſſaria, primùm lanas emunt excellentiores, & velleris eligūt florem. Deinde tranſeunt ad mixta, quæ ex lino & lana contexta ſunt. Mox ſerica cupiunt, & ea primò quidem ſimplicia, tum præliis, & animalibus, atque hiſtoriis diſtincta. Vaſa argentea aureáque conficiunt, quæ non conuiuiis ſolùm ſatisfaciant, ſed animalibus etiam, & lectulis abundè ſint ornamēto. Verùm quò progredi importuna longius poteſt ambitio, cùm ad fœdiſſimos quoque vſus adhibeatur? Neque enim corporis ſordes in vaſa dignātur excernere, quæ ex alia materia, quàm ex argento ſint conflata. Hæc omnia ſunt præter naturam. Victus enim ſecundum naturam idem nobis atque animalibus præfinitus eſt ab ipſo rerum omniū procreatore: *Ecce*, inquit Deus: cùm hominē alloqueretur, *dedi vobis omnem herbam agri, vt ſit vobis in eſcam & cunctis animalibus*. Cùm igitur communem cum cæteris animalibus eſcam acceperimus, & ad delicias & luxum conuerſi ſimus, nonne magis, quàm illa, rationis expertes meritò poſſumus iudicari? Feræ intra naturæ terminos manent, neque recedunt à Dei præcepto: nos, qui ratione prædīti ſumus, prorſus à prima Dei cōſtitutione declinamus. Quæ feris ſunt obſonia? quæ condimenta? quæ coquorū artes earum voluptatibus obſequūtur? Nónne priſtina frugalitate contentæ herbis veſcūtur, & aquā bibunt? Quamobrem voluptates, quæ ſub ventre ſunt, minuunt, nec vllo pingui cibo earum cupiditatem inflammant, nec vllum vnquam maris, aut fœminæ diſcrimen norunt. Vnum enim atque idē anni tempus hunc vtriſque ſenſum mouet, cùm ad ſimiles gignendos fœtus, conſeruandi ac propagādi generis cauſa, naturæ lex mutuos illis congreſſus inuenit. Reliquis autem temporibus ita ſeparātur, vt nullum eiuſmodi coniunctionis appetitum habeant. Hominibus verò ex ciborum luxu libido veneris inſatiabilis tam efferatas cupiditates inſeuit, vt nullo tempore quieſcant. Proinde cùm magna ex poſſeſſionibus detrimenta proueniāt, & omnibus vitiis peſtiferis pabulum ſubminiſtretur, cauſam hanc abſcindamus, ſi bonæ animi valetudini conſulere volumus. Paupertate curemus auaritiæ morbum. Hominum inutilium familiaritatem fugientes ſolitudinem amplectamur. Pernicioſa eſt cùm vanis hominibus conſuetudo. Quemadmodum qui in aëre peſtilenti verſantur, in morbos incidunt neceſſariò: ſic qui temerè cum quibuſlibet viuunt, in vitia illorum incurrunt. Quid amplius habēt commune cum mundo, qui mundo renunciauerunt? *Nemo militans implicat ſe negotiis vitæ*, vt placeat ei qui ſe militem delegit. Eiuſmodi enim occupatio militaria impedit exercitia. Milites autē inexercitati, quomodo pugnantes peritorum impetum ſuſtinebunt? Quanquam nos, ſi verum dicēdum eſt, tam ignauè ſolutéque pugnamus, vt ne iacenti quidem hoſtí repugnare valeamus, ſed ſtātes ab iis, qui ceciderūt, permittamus nos vinci. Quod enim quibuſdam accidit propter auaritiā, vt dum mortuos ſpoliant, poſt victoriam ſæpe à iacentibus interimātur, & turpis quæſtus gratia poſt trophæa miſerabiliter pereant ad iacentem hoſtem & ſpirātem appropinquantes: Vt enim illi mortuos hoſtes ob prædam excutiendo, ſæpe in ſeminecem aliquē incidunt, & clam lethali vulnere accepto cadunt, glorioſāmque victoriam temeritate fœdant: ſic & nos cùm barbarum aduerſarium continentia ac tēperantia deiecerimus, aut videbimur deiecciſſe, tunc ſpoliorū cupiditate capti, eorum nimirum, quæ in pretio

Ioſ. 7.

Gen. 1.

Pſal. 4.

1. Tim. 4.

537
pretio sunt apud homines, cuiusmodi sunt diuitiæ, principatus, bona valetudo, gloria, ad eum accedimus, aliquid, quod illius sit, detrahere cupientes, atque ita sponte in perniciem atque interitum ruimus. Sic interierũt quinque illæ virgines, quæ cùm Matth. 25. aduersarium pudicitia sustulissent, propter crudelitatem, quam auaritia parit, se ipsas in gladium coniecerunt illius, qui quòd iaceret, stantes interimere nequiuisset. Nihil igitur ex hoste cupiamus, ne cum spoliis eius animam quoque nostram perdamus. Vocat enim & inuitat omnes ad ea, si cui valeat persuadere. Nam si Dominum ipsum hortatus est, *Hæc omnia*, inquiens, *tibi dabo, si cadẽs adoraueris me*, & Phil. 4. his, quæ in hac vita iudicantur præclara, nihil eis indigentem decipere conatus est: quantò magis homines infirmos & pronos ad ea perfruenda, quæ sensibus sunt obnoxia, se decepturũ sperabit? Mens igitur ad pietatem est exercenda. *Nam corporis exercitatio ad modicum vtilis est*, 1. Tim. 4. nempe disciplinis pueribus similis. *Pietas vero ad omnia vtilis est*. Animi enim robur confirmat is, qui de vitiis cupiunt victoriam reportare. Sicut enim qui ad ludicra se exercent spectacula, corporis artus mouere decet assiduè, viris autem luctatoribus conuenit, vires ad pugnandum idoneas parare, séque ad sacra certamina vngere: Sic qui pietatis stadium ingrediuntur, principiò curent, vt opera mala declinent. Satis enim est, si vitia superant, qui œstro voluptatum, in quibus sunt innutriti, concitantur, & sponte propemodum mala trahente consuetudine, ruunt in peccata. At qui in agendo virtutis habitũ sunt assecuti, & mentis contemplationi vacant, omni studio cauere debent, ne inordinato aliquo motu ratio ad inutilia distrahatur. Denique sicut illis curandum est, vt corporis impetus cohibeant, sic his rationis motus ita sunt temperandi, vt concinnè ad vitam homine sapientiæ studioso dignã dirigantur, ne vlla mundi cogitatio à diuinis meditationibus animum auertat. Oportet enim, vt dei cultor omni studio in eius amorẽ ita feratur, vt nulla humana cogitatio tempus vllum inueniat, propriis cupiditatibus indulgẽdi. Si enim quælibet cupiditas, cum in eo, quem possidet, mouetur, rationem tanquam compedibus vinctam cõtinet: cur non virtutis amor animum ab omni alia cogitatione remotum cõtinebit? Quem enim ira percitus aliarum rerum sensum habet, cùm in eo, à quo læsus est, vlciscendo cogitatione defixus sit? Quem pecuniæ cupidus, cum animum ad lucrum aliquod intẽdit? Quid impudicus, nónne sæpe in hominum corona sedens ita speciẽ concupitam mente complectitur, vt cum illa loquatur, præsentiúmque oblitus, tanquam statua, mutus atque immobilis manet, nihil eorum audiens, aut videns, quæ in auribus & oculis eius dicuntur, aut fiunt, sed intentus iis, quæ intus geruntur, totus hæret in ea cogitatione? Animam eiusmodi fortè lex menstruatam appellat, quando procul à sensibus sedens propriam sistit actionem, nec extrinsecus omnino quicquam admittit, propter cogitationem fœdam, qua detinetur. Si hæc rationi ita dominantur, & sic eam afficiunt, vt sensus inertes à suis cessent actionibus: quantò magis sapientiæ studium & amor mẽtem à rebus sensilibus, & ab ipsis sensibus abstractam rapiet in sublime, & rerum cœlestium

A contemplatione fixam retinebit? Quemadmodum enim qui secatur, aut vritur, præ doloris magnitudine non potest ab eo, quod fit, cogitationem auertere: Ita qui perturbatione aliqua torquetur, non potest inde cogitationẽ auocare: perturbatio enim rationem ad se totam rapit, & in naturam propriam conuertit. Voluptas dolorem non admittit, nec lætitiam mœror, neque tristitia hilaritatem, aut contrà. Nam inter se coniungi nequeunt affectiones contrariæ, neque in idem vnquam concurrunt, aut conciliantur, quippe quæ naturali dissident inimicitia. Virtutis igitur splendor terrenis cogitationibus ne coinquinetur, néve contemplationis syncerita corporeis solicitudinibus peruertatur, vt imago veræ philosophiæ propriam retineat pulchritudinem, neque à linguis temerariis vituperetur, aut propter describentium imperitiam derideatur, sed laudetur, si minus ab hominibus, ab Angelis certè, & à Domino Iesu Christo, à quo & viri sancti laudem quæsiuerunt. Vt magnus ille Dauid, qui humana gloria cõtempta, laudem à Deo requirebat, *A te*, inquiens, *laus mea*. Homines enim inuidia plerunque vituperant, quæ honesta sunt. At in cælesti theatro res incorruptè iudicantur, & veritas omnibus suffragiis comprobatur. Hoc ergo theatrum, quod delectare necesse est, bonis operibus oblectemus. Homines verò, qui nec piè viuentibus præmia tribuere, nec impiè vitam traducentes suppliciis afficere possunt, si per inuidiam virtutis operibus vitiorum nomina imponentes, vitam Deo atque Angelis approbatã fictis calumniis & maledictis fuerint infectati, ne moueamur: Eos enim qui bene vixerint, in tempore retributionis, non ex hominum opinione, sed ex bonorũ operum veritate sequentur præmia sempiterna, quibus vtinam nobis omnibus liceat frui per gratiam & benignitatem Domini nostri Iesu Christi, cum quo, Patri gloria simul cum Spiritu sancto, nunc, & semper, & per immensa, atque infinita sæculorum sæcula. Amen.

Psal. 21. Psal. 33.

SANCTI NILI ABBATIS AD Monachos Institutio.

VIctus intemperantiam ieiunium tollit, carnis lasciuiam amputat cõtinentia atque precatio.

Auaritiam, quæ mater est idololatriæ, paupertas cohibet voluntaria: spes autem in Christum, corpoream aufert solicitudinem.

Animum errantem dirigit diuinarum lectio scripturarũ cum vigiliis & orationibus: iracũdiæ verò impetum patientia mitigat, psalmorúmque cantus.

Acediam sedant tolerantia & lachrymæ, mundi tristitiam coercet odium voluptatum.

Hospitalitatem amplectitur humilitas, & principatus excellentiæq; despectus: antiquum autem, & Domino inuisum superbię malum, cui Deus etiam aduersatur, cohibet summissa illa hominis de se opinio, qua se terram & cinerem agnoscit. Atque illa item consideratio, *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborare, qui eam ædificare* conatur & custodire. Psal. 126.

Vt aqua turbata nisi consistat, fluere nequit, ita monachus constitui sine quiete non potest.

Quemadmodum pugil nisi certauerit, non coronatur: ita sine certamine Christianus esse nõ potest.

Quemadmodum lances si grauius in altera pondus sit, æquales esse non possunt: sic Dei mandata, si carni ratio cedat, nequeunt obseruari.

Quemadmodũ nisi adhibita diligentia ars nulla percipitur: sic orationis fructum, nisi in cordis rectitudine Deo vaces, assequi non poteris.

Qui puræ orationis præsidio munitus non est, is armis in bello caret.

Qui Dei virtutibus ornatus instructúsque non extiterit, is Dæmonum erit domicilium.

Vt in sordida pauperis casa Regem habitare non decet: ita Christus, in anima peccatorum sordibus contaminata non habitat.

Vt ager incultus atque siluestris agriculturæ diligentia mansuescit: sic animus peccatorum sentibus horridus diuinæ legis studio purgatur atque excolitur.

Vt saxum in mari quamuis fluctibus vrgeatur, non tamen frangitur, sed firmum atque immobile manet: sic animus virtutibus excultus & confirmatus, licet diaboli prematur insidiis, nõ opprimitur, nec de constantiæ proposito dimouetur.

Quemadmodum medicus congruentem morbo medicinam adhibet: sic qui Dei cognitione præditus est, docet, quomodo pellatur animi ęgritudo, & sanitas conseruetur.

Quemadmodum torrens sibi ipse per præceps aditum patefacit: sic & peccator sibi ipse per scelera ruens parat interitum.

Vt seruus in plagas incurrens haud facilè potest ex illis effugere: sic qui in mundo cupiditatibus indulget, difficilè potest se è peccati laqueis explicare. Prauæ enim cupidines & voluptates catenæ sunt insolubiles.

Vt vitis, nisi fructus bonos ferat, exciditur, ne frustra solum occupet: sic quicunque Spiritus sancti fructus non producit, à Domino eradicabitur.

Vt is, qui sagitta percussus est, læditur necessariò: sic monachus, quem improba inuasit cogitatio, necessariò vulneratur.

Vt qui recta via relicta, errat in aliena regione, quò tendat, ignorat: sic qui in vnius & eiusdem essentiæ Trinitatem non credit, in errore versatur.

Quemadmodum si quis multas in partes diuidatur, natura tamen est vnum: sic & sancta Trinitas, licet & nominibus, & personis distinguatur, natura tamen est vna.

Dei naturam assequi non vales, ne si volatu quidẽ & alis feraris: est enim noster procreator Deus, & iccirco à nobis comprehendi non potest.

Quemadmodum vas figuli naturam & principium ignorat: sic homo nequit Dei naturã, & principium intelligere.

Curiosiùs noli Trinitatẽ scrutari, sed crede tantũ, & adora. Qui eñ curiosiùs scrutatur, nõ credit.

Sapientiam non argentum possidete, præclarum Christi Domini nostri vestimentũ omni veste purpurea splendidius induite. Nam in die mortis nihil diuitiæ proderunt.

Vt ignis syluam exurit, sic peccatores igne comburentur sempiterno: nullum enim habebit finem, cùm illa, quæ comburentur, æterna sint.

Nihil magnũ faciemus, si iusti euadamus: id enim erimus, quod initio eramus, cùm à Deo fuimus procreati, nempe valde boni.

Qui præter naturã viuit, Dei mãdata non seruat.

Omnis sapientia in eo sita est, vt Deum timeamus. Nam quæ Domini legem disciplina non docet, stulta atque insipiens est.

Ab æterno igne non liberabit te fides, nec baptisma sine iustitiæ operibus. Si enim Christo mandata eius te seruaturum promisisti, & quæ futura sunt, credis, ad gloriam contende sempiternam, & flammeum gladium pertimesce. Quod si Dei mandata non obseruas, ne te fidelem dicas esse. Omnes res procreatæ Dei mandato parent: homo autem illi, per quem facta sunt omnia, non obtemperat.

Si nos integros sanctósq; seruabimus, nihil commodi afferemus Deo, sed vitam nobis ipsi parabimus, & bonis illis, quæ verbis explicari nõ possunt, perfruemur.

Ne dixeris, te vel à patre, vel à matre, vel ab vxore, vel à liberis, aut quouis alio impediri, quominus Dei mandatis obtemperes: neque enim illi te ab imminenti ira, & à perpetuo verme liberabunt. Quisquis autem ab obseruatione mandatorũ Dei, virtutúmq; studio te reuocat, is tibi sit execrabilis, ac detestandus, cum eiusmodi enim ne cibus quidem capiendus est.

EIVSDEM SANCTI NILI ABBATIS ADVERSVS VITIA ORATIONES VIII.

De Gula Oratio prima.

PRincipium flos est proficiendi. Et rectè viuendi principium est temperantia. Qui ventrem cohibet, voluptatis vim frãgit: qui autem cibis indulget, incitat cupiditates. Gentium princeps Amalec, & cupiditatũ dux est ingluuies. Ignis materies sunt ligna, ventris autẽ cibi. Lignorum copia ingens excitatur flamma, & ciborũ multitudine voluptatis incendiũ adaugetur. Deficiente materia ignis extinguitur, & ciborum inopia cupiditas coercetur. Qui gulam domuit, is alienigenas superauit, & manuum suarum vincula facilè disiecit. Deuicta gula fons aquæ gignitur, & ingluuie oppressa contemplationis vsus acquiritur. Tabernaculi clauus gulam aduersariam tollit, & continẽtiæ ratio cupiditatem interficit. Appetitio cibi peperit inobedientiam, & gustus iucunditas eiecit hominem è paradiso. Ciborum magnificentia ita gulam oblectat, vt insomnem lasciuiæ vermem nutriat. Venter esuriens orationi vigiliã subministrat, plenus autẽ somnũ adducit. In victu parco fit animus prudens, in lauto mens in profundũ demergitur. Sobrij oratio volat vt aquila, ebriosi autẽ crapula grauis humi repit. Ieiuni mens vt stella sereno cœlo fulget, saturi verò tenebris oppressa iacet obscura. Nebula Solis radios tegit, & ciborum multitudo mentis splendori caliginem offundit. Speculum inquinatum accedentis faciem non exprimit, & animus crapula cõtaminatus Dei notitiam non admittit. Ager incultus spinas gignit, & animus gulosi fœdas parit cogitationes. In cœno nõ licet aromata reperire, neq; in gulosо contemplationis suauitatem. Oculus gulosi conuiuiis inhiat, sobrij verò ad

ad consilia sapientum aspirat. Animus gulosi Martyrum memorias numerat, sobrij autẽ vitas eorum imitatur. Miles ignauus ad sonitum buccinæ prælium indicantis exhorrescit, & homo gulosus sermone ad ieiunium & temperantiam cohortante cõtremiscit. Gulæ deditus ac ventri obnoxius monachus, ne verberibus quidem cursum diurnũ absoluit: at temperantiæ studiosus, quemadmodum viator expeditus celeriter ad ciuitatem, sic ipse ad animi pacem & quietem peruenit. Viator tardus ac piger in solitudine deprehensus sub dio commorabitur, & monachus indulgens gulæ ad tranquillitatis hospitium non accedet. Vapor incẽsi per aëra diffundit odorem suum, & oratio hominis temperati suauissima ascendit in conspectu Dei. Si te ipsum dedideris ciborum cupiditati, illam explebis nunquam: est enim velut ignis, qui quantò plus materiæ suscipit, tantò magis esurit. Vas, cùm id, quod capere potest, acceperit, impletum est: vẽter autem, quamuis disrumpatur, sibi satis esse non dicet. Manuum Mosis sublatio Amalech in fugam cõuertit: & monachi honestis in rebus occupatio carnis cupiditates expellit. Abiice quicquid malitiam spirat, & membra carnis tuæ mortifica vehementer. Nam vt hostis sublatus terrorem amplius non affert, sic corpus mortificatum animam nõ perturbat. Vt cadauer ignis ardorem non sentit, sic qui voluptati mortuus est, cupiditatis incendio minimè commouetur. Si percusseris Ægyptium, in sabulo illum absconditum: & victa cupiditate corpus ne pinguefacito. Quemadmodum enim quod in terra fœcunda conditum est, erumpit, & nascitur: sic in pingui corpore cupiditas reuiresci. Extincta flãma, si materiam aridam adhibueris, rursum accenditur: sic in ciborum satietate iam edomita voluptas excitatur. Noli corpus ob debilitatem querulum misereri, aut ciborum copia pinguefacere, nam si vires recuperabit, in te consurget, téque tandiu bello vexabit, quoad animam tuam captiuam reddat, luxuriæq; dominationi subiiciat. Equus bene frænatus, corpus inedia domitum. Vt enim ille fræno cedit, & equitis paret imperio: sic corpus fame vigiliáque subactum rationis obtemperat voluntati, nec cupiditatis impetu lasciuiens reluctatur.

A B C D

De Luxuria. Oratio. II.

PVdicitiam parit temperantia, gula mater est impudicitiæ. Lucernæ flammam oleum nutrit, & libidinis ardorem accendit consuetudo fœminarũ. Vndarum impetu nauis malè instructa periclitatur: & verborum impudicorum vi mens imparata peruertitur. Libido gulam sibi sociam assumit in bello, vt eius auxilio atque insidiis tandem expugnet aduersarios. Inimici iaculis inuulnerabilis est, qui solitudinem diligit. Qui autem in multitudine versatur, assiduis vulneribus afficitur. Mulierũ aspectus sagitta veneno illita, quæ ferit animum, & venenum immittit, & quò diutius manet, eò magis vulnus computrescit. Qui vitiare cupit eiusmodi vulnera, is à publicis spectaculis abstinebit, neque in celebritatibus versabitur. Satius est enim vt domi maneas, quàm dum putas te celebritates venerari, in manus inimicorum incidere. Si vis pudicè viuere, mulierum fuge familiaritatem, nec aditum illis ad te liberum permitte. Principiò enim regionis mulierũ familiaritatem.

E

Principio enim regionis mulierũ familiaritatem.

A ligionem & verecundiam præ se ferunt, mox impudenter audent omnia. Cùm primum adeunt, oculos humi defixos tenent, modestè loquũtur, pias effundunt lachrymas, in gestu sunt graues, & acerbè suspirant, de castitate quærunt aliquid, atque audiunt diligenter. Cùm iterum accedunt, oculos sublimiùs tollunt. Tertiò nulla pudoris habita ratione irruunt. Si paululum subrisisti, & illæ cachinnos edunt. Ornantur deinde, ostentántque se iam liberè, & vultus ornatu, quid in animo lateat, indicant, intendunt supercilia, & palpebras circumuoluunt, collũ aperiunt, & toto corpore delicias agunt, mollibus vtũtur verbis, & dulci vocis sono auribus blãdiuntur, donec animã tuam planè diripiant, & deprædentur. His veluti hamis atque esca ad mortem raperis imprudẽs, his retibus & variis plagis captus traheris ad interitum. Caue, ne te blandis sermonibus irretiant. Pestiferum enim illis venenum inest. Ad ignem potius ardentem quàm ad mulierem iuuenem iuuenis appropinqua. Nam si ad ignem accesseris, dolore affectus celeriter resilies: At si fœminæ verbis incẽsus fueris, haud ita facilè recedes. Florẽt olera prope aquam sata, & libidinis semina familiaritate mulierum excitantur. Qui ventrem cibis explet, & se castè victurum profitetur, ei similis est, qui dicit, in stipula se flammæ impetũ fræno cohibiturum. Quemadmodum enim furor ignis in stipula sæuiens coerceri non potest: ita luxuriæ vis in corpore cibis distento percurrens retineri nequit. Columna innititur basi sua, & libidinis vitiũ in satietate requiescit. Nauis tẽpestate iactata portum quærit, & viri pudici anima expetit solitudinem. Vt enim illa fluctus maris naufragium minitantes fugit, ita hæc mulierum aspectus perniciem afferentes vitat. Facies mulieris exornata quauis procella pernicioſior est: ex hac enim quisque desiderio vitæ studet euadere: fœminæ verò species ita decipit, vt vitam etiam contemnere persuadeat. Vt rubus in solitudine ab ignis flamma non est combustus, sic homo castus à mulierum conuictu recedens ardore libidinis non exuritur. Nam vt ignis recordatio mentem non vrit, ita cupiditas absente materia nihil potest: si te hostis misericordia ceperit, is aduersum te consurget, & si cupiditati peperceris, te adorietur atque oppugnabit. Mulieris aspectus impudicum allicit ad voluptatem: pudicum verò ad Deum laudãdum adducit. Si in mulierum familiaritate cupiditas animum non commouerit, ei tamen tu minimè fidas. Canis enim, qui multitudini adblanditur, egrediẽs irruit, & insitam improbitatem ostendit. Cùm te mulierum recordatio nihil læserit, scito te ad pudicitiæ culmen peruenisse. At cùm imagines earum & simulacra sic in animo tuo obseruabuntur, vt eum ad cogitandum de specie & membris illarum excitent, tunc à virtute abesse te puta quàm longissimè. Noli diutius in eiusmodi cogitationibus immorari, neque mulierum formas animo considera. Hoc enim vitium subinde reuertitur, & in propinquo periculum manet. Ignis moderatus argentum expurgat, immoderatus ac nimis diuturnus consumit: longior item de mulieribus cogitatio castum animum corrumpit. Caue ne diu ante mentis oculos mulieris species obseruetur, ne cupiditatis ignem accendat, & ani-

Cibi satietas inimica est castitati.

Exod. 30.

Non cogitandum est de forma mulieris.

mæ tuæ areã exurat. Quemadmodũ enim ſcintilla inter paleas diutius morans excitat flãmam: ſic diuturna de mulieribus cogitatio cupiditatẽ incendit.

De Auaritia. Oratio. III.

AVaritia malorum eſt omnium radix,& reliqua vitia tanquã ramos improbos nutrit, nec quæ ex ſe pullulant,ea ſinit areſcere. Qui vitia cupit excindere,radicem euellat. Licet enim reliquos amputes ramos,manente auaritia nihil proficies: nam iterum renaſcentur. Monachus qui multa poſſidet, eſt veluti nauis onerata,quæ in fluctuum tempeſtate facilè ſubmergitur: quemadmodũ enim illa ſingulis vndis aſpergitur,ſic opulentus ſolicitudinibus opprimitur. Monachus,qui nihil poſſidet,eſt veluti viator expeditus, qui tectum vbique reperit. Monachus pauper eſt tanquam aquila in ſublime volans, quæ tũc ad eſcam ſeſe demittit cum vrget neceſſitas. Qui talis eſt, omnes ſuperat tentationes, præſentia deſpicit, & quæ futura ſunt animo complectitur: à terrenis recedit, & in cœleſtibus verſatur. Alas enim leues habet, & nullis onuſtas ſolicitudinibus. Si calamitas inuadit,loco cedit ſine moleſtia: ſi mors aduenit, æquo animo migrat è vita. Nullo enim terreno vinculo anima eius obſtricta eſt. Diues autem ęrumnis & moleſtiis impeditur,& canis inſtar catenis deuinctus eſt: quòd ſi migrare compellatur,diuitiarum memoriã & dolorem inutilem tanquam grauem ſarcinam circumfert, mœrore ſtimulatur,& animo angitur vehementer, Diuitias reliquit,& moleſtia torquetur. Si mors inſtat, à præſentibus diſcedit iniquo animo. Animã agit, nec oculos ab opibus auertit. Inuitus trahitur veluti ſeruus fugitiuus. A corpore, non autem à diuitiis ſeparatur,imò verò ab illis rapitur & detinetur. Nec multitudine fluminũ mare,nec diuitiarum copia auari animus expletur. Pecuniam duplicauit,& eam rurſum ſtudet duplicare, nec à duplicandi augendiq; ſtudio deſiſtit prius quam inane ſtudiũ ipſius mors interrumpat. Prudens monachus corporis conſulet neceſſitati, & pane atq; aqua ventri ſatisfaciet. Propter ventris voluptatem diuitibus non adulabitur, nec animi libertatem multis Dominis ſũbiiciet. Manus enim idoneæ ſunt, quæ corpori ſeruiãt,& quæ naturę ſunt neceſſaria,ſubminiſtrẽt. Monachus, qui nihil poſſidet,eſt pugil inuictus, & curſor leuis, qui vocationis brauium celeriter aſſequitur. Monachus auarus cumulari prouentibus gaudet: pauper autem ſpiritu,coronari virtutũ officiis & rectè factis. Monachus auarus laborat vehementer: pauper ſpiritu precibus & lectionibus incumbit. Monachus auarus auro ſtudet arcã implere: pauper ſpiritu theſaurum in cœlo reponere. Execrabilis eſt, qni facit idolum, & in abſcondito ponit: Huic ſimilis eſt qui auaritiæ vitio laborat. Vt enim cultor idoli numen adulterinũ & inutile veneratur: ſic auarus vanam diuitiarum imaginem animo complectitur,& colit.

Seruit in vinculis qui diuitiis animum apponit.

Auaritia eſt Idolorum ſeruitus.

De Ira. Oratio. IIII.

IRa furori atq; inſaniæ affinis eſt, perturbatio efferatos animos reddit,& ab hominũ cõſuetudine abalienat. Vehemẽs vẽtus non mouebit turrim: nec animũ ab iracũdia alienum concutiet indignatio. Aqua vẽtorum impetu commouetur, & iracundus imprudẽtibus cogitationibus perturbatur. Monachus iracũdus aper ſylueſtris: videt aliquẽ,& dentes exacuit. Aërem caligo craſſiorẽ efficit, & iracundi animũ obtundit indignatio. Solis radios nubes intercipit, & hominis rationẽ memoria impedit iniuriarum. Leo frequẽter in cauea cardines mouet: & iracũdus in cella verſat iræ cogitationes. Trãquilli maris aſpectus iucũdus eſt, ſed pacifici animi ſtatus longè iucũdior: ſedato enim mari delphines inſultant, animo autẽ pacifico diuinis de rebus contemplationes inſidẽt. Monachi mãſuetudo fontis inſtar amœni, iucũditate cũctos aſpergit: iracundi autem acerbitas tanquã aqua turbata cœnoq; oppleta nullius ſitim valet extinguere. Iracundi hominis oculi horribiles & cruenti perturbatę mẽtis indices ſunt: mãſueti verò vultus trãquillus & oculi iucũdi recta intuentur. Vir mãſuetus in pretio eſt apud Deũ, & animus ab iracũdia alienus templũ eſt Spiritus ſancti. In ſpiritu manſuetudinis Chriſtus caput inclinat,& mẽs pacifica ſanctæ Trinitatis eſt domiciliũ. In animo vltionis cupido vulpes inhabitant, & in corde iracũdo & perturbato feræ nidos efficiũt. Vir grauis à turpi abhorret hoſpitio, & Deus ab animo iracũdo. Lapis in aquã coniectus eam perturbat,& hominis mẽtẽ ſermo malus. Expelle ab animo tuo iracũdiæ motus, & indignatio ne reſideat in corde tuo,& ne turberis in tempore precationis. Quemadmodum enim palearum fumus offendit oculos, ſic iniuriarũ memoria precationis tẽpore mentem peruertit. Iracũdæ cogitationes tanquã viperæ fœtus,cor vnde ortæ ſunt,exedunt: Iracundi precatio thus fœtidum ac deteſtabile,& pſalmorũ decãtatio ab iracũdo proueniẽs inuiſa atque execrabilis. Munus illius, qui vltionem animo voluit, tãquam hoſtia verrucis plena ad altare nõ admittitur. Homo iracundus in ſomnis ſpectra cernit horrenda,& ferarũ incurſus cogitat: Vir manſuetus in quiete fruitur Angelorũ cõſuetudine, & ſermones verſat ſpirituales, & in nocte percipit myſteriorũ ſolutiones.

Iracundi effigies.

Delenda memoria iniuriarum inter orandum.

De Triſtitia. Oratio. V.

SPiritus voluptatẽ ignorat Monachus, qui ſe triſtitiæ dat. Eſt autẽ triſtitia, animi contractio & mœror ab iracũdia proficiſcens. Cùm enim iracũdus ab vltionis, quã appetit, ſpe depulſum ſe videt, triſtatur & mœret. Triſtitia leonis eſt os, quod hominẽ mœſtũ facilè deuorat. Animi vermis triſtitia eſt, qui parentẽ exedit. Doloribus afficitur mater, dũ filium parit, ſed poſteaquã peperit, nõ dolet amplius. Triſtitia vero & in ipſo partu dolorẽ affert,& poſteaquã nata eſt vehemẽter excruciat. Vt ille qui febri magna laborat, mellis dulcedinẽ nõ ſentit, ſic Monachus, qui ſe triſtitia ſinit opprimi, ſpirituum eſt expers conſolationis. Monachus triſtis non excitat animũ ad contemplandũ, nec puras vnquam effundit preces. Omnibus enim rebus bonis triſtitia eſt impedimento. Vt vincula pedes à curſu prohibent, ſic triſtitia mentẽ auocat à cõtemplatione. Qui capiũtur à barbaris, ferreis compedibus vinciuntur,& qui ſuperãtur à cupiditatibus, triſtitiæ vinculis coercentur. Nihil roboris habet triſtitia, niſi reliquæ adſint perturbationes: quemadmodũ nec vincula quicquam poſſunt, niſi adſint, qui illa admoueant. Qui triſtitia obſtrictus eſt, is victus eſt à perturbationibus,& triſtitiæ vincula circũfert, tanquam indicia calamitatis ſuæ. Tũc enim præſto eſt triſtitia

Animi vermis triſtitia.

Vera vita laetitia.

tristitia, cùm id quod appetebat caro, consequi non potuit. Appetitio omnibus inest perturbationibus. Qui vicit appetitum, is perturbationes superauit: & qui perturbationum est victor, is tristitiæ non succumbet. Vir temperatus, ciborum penuria non tristatur: nec castus, quod libidini nequeat indulgere, nec qui vitio caret iracundiæ, quod vlcisci se non potuerit. Nec humilis dignitatumque cõtemptor, quòd ad honores humanos non peruenerit. Nec ab auaritia alienus: quod iacturam aliquam fecerit. Quid ita? quia rerum eiusmodi cupiditates abiecerunt. Verum probè armatum minimè lædunt ictus iaculorum: & qui aduersus cupiditates munitus est, à tristitiæ aculeis non vulneratur. Clipeo miles, & ciuitas muro defenditur. Monachus autem victis cupiditatibus vtroque munitior est. Clipeus enim plerunque sagitta transfigitur, & oppugnantium multitudine murus suffoditur: At tristitiæ vis nihil meũ potest, qui domuit cupiditates. Qui verò succubuit voluptati, is tristitiæ vincula non effugiet. Qui tristatur assiduè, séque à perturbationibus liberum simulat, similis est ægrotanti, qui valere se fingit. Quemadmodũ enim ex colore æger, sic ille agnoscitur ex tristitia. Qui mundum diligit, sæpe tristitia afficietur: qui autem contemnit ea, quæ in mundo sunt, in perpetua lætitia versabitur. Auarus facta iactura vitam sibi acerbam putabit, qui autem pecuniam negligit, animo erit tranquillo. Ambitiosus dolebit ignominiæ, honoris despector eam vt sociam æquo animo suscipiet. Fornax argentum haud ita probum expurgat, & tristitia secundum Deum emundat cor peccatis contaminatum. Ignis assiduus plumbũ imminuit, & mundi tristitia mentem atterit. Oculorum aciem hebetant tenebræ, & contemplatricẽ animi vim obtundit tristitia. Aquę profunditas Solis non admittit splendorem, & cor triste non exhilarat lucis contemplatio. Solis ortus, qui omnibus hominibus iucũdus est, displicet animæ in tristitia versanti. Vt gustus vim adimit febris, sic animi sensus aufert tristitia. Verũ qui mũdi voluptates aspernatur, is à tristitia non opprimetur.

Tristitia est ceteras reliquarum perturbationum.

Tristitia secundum Deum purgat Cor.

De Acedia. Oratio VI.

ANimi debilitas est acedia, quæ sanè debilitas nec robur habet naturale, nec strenuè pugnat aduersus tentationes. Quod corpori sano valentique cibus est, idem est tentatio animo forti ac generoso. Plantas enutriunt venti, & tentatio confirmat animi fortitudinem. Nubes sine aqua à vento disiicitur, & animus patientiæ expers ab acediæ spiritu dissipatur. Aëris ros auget fructum agri, & sermo spiritalis animæ statum fouet. Acediæ spiritus domo monachum extrudit, qui autem constans & patiens est, perpetuò quiescit. Ægros visendos proponit acediosus, sed propriæ desidiæ satisfacit. Monachus acediosus ad ministerium velox, & mandatum suæ metitur voluntate. Plantã imbecillem inflectit aura tenuis, & peregrinationis cogitatio trahit acediosum. Arborẽ benefixã non euellit impetus vẽtorũ, nec firmum animi propositũ flectit acedia. Monachus vagus, vt frutex aridus in solitudine paululũ quiescit, & rursum vel inuitus cõmouetur. Planta quæ subinde transfertur, haud facilè coalescit, & Monachus vagus virtutis fructum nõ feret. Æger vno cibo nõ est cõtentus, nec vno opere Monachus acediosus. Homini libidinoso mulier vna non satisfacit, nec acediosо Monacho vnica cella. Monachus acediosus oculos ad fenestras conuertit assiduè, & semper de inuisentibus cogitat. Crepant fores, & ille exilit. Vocẽ audit, & per fenestrã despicit, nec inde recedit prius quàm desidẽs marcescat. Acediosus dũ legit, identidẽ oscitat, & somno facilè capitur: cõfricat palpebras & manus extẽdit, oculos auertit à libro, atq; defigit in pariete, eósque rursum reuocãs paulisper legit, & orationũ fines explicans inaniter laborat, folia numerat, quaterniones recẽsет summissa voce, literarũ formas atque ornatum improbat, tũ plicat librũ & capiti supponit, ac somnum dormit haud satis profundũ. Fames enim animũ eius excitat, & curas affert. Monachus acediosus ad precãdum est piger, nec de obseruationibus vnquã verba facit. Quemadmodũ enim æger graue põdus ferre nõ potest, sic acediosus opus Dei nõ nisi negligẽter facit. Vt enim illũ corporis vires, sic hũc animi nerui deficiũt. Acediæ morbũ curabis patiẽtia, & si feceris omnia diligenter, & cũ timore Dei. In omni re gerẽda modum tibi prescribe, nec prius ab opere desiste, quàm illud absolueris. Assiduè & studiosè precib⁹ incũbe, & acediæ spirit⁹ à te fugiet.

Descriptio scholaris pigri.

Remedia contra acediam.

De Inani Gloria. Oratio. VII.

INanis gloria, est animi perturbatio rationi contraria, quæ omnibus virtutis operibus facilè implicatur. Linea in aqua impressa cõfunditur, itidem labor in animo inanis gloriæ cupido. Man⁹ in sinu latens fit cãdida, & opus absconditũ luce nitet splẽdidius. Hedera sic arborẽ cõplectitur, vt cùm altius sese sustulerit, radicẽ eius arefaciat: inanis gloria sic iuxta virtutes nascitur, vt non recedat prius quàm vim illarum exciderit. Racemus humi iacens facilè putrescit: & virtus inani gloriæ inhærẽs corrumpitur. Monach⁹ inanis gloriæ studiosus, est operarius sine mercede, laborẽ subit, & mercedẽ non accipit. Doliũ pertusum nõ retinet quæ sunt infusa: & inanis gloria profundit virtutis præmia. Hominis gloria cupidi tẽperantia, veluti camini fumus in aëra diffunditur. Pedis vestigiũ vẽtus delet: & inanis gloriæ studiũ perdit eleemosynam. Lapidis iactus non ascendit cœlũ, nec glorioſi hominis preces ad Deũ perueniũt. Inanis gloria est veluti scopul⁹ sub aqua latitans, ad quẽ si nauẽ illiseris, periisti. Vir prudens thesaurũ cælat, & monachus sapiẽs abscõdit virtutis opera. Vt in plateis ores, inanis gloria cohortatur: sed qui ab illa est alienus, orat in cubiculo suo. Homo stultus palàm ostentat diuitias suas, ex quo multi ad struendas insidias commouẽtur. Tu verò cùm inter latrones verseris, absconde quæ tua sunt donec ad pacis ciuitatem peruenias, vbi rebus tuis tutò perfruaris. Virtus hominis glorioſi est victima mutila, quæ ad altare Dei nõ admittitur. Acedia robur animi dissoluit, inanis gloria neruos addit animo Deũ relinquenti, infirmos corroborat, & senes quouis adolescẽte fortiores efficit. Modò multi adsint testes eorũ, quę fiũt, leue iciuniũ videtur, vigilia facilis, atq; preces. Laus enim multitudinis excitat animũ, & alacrem reddit. Tu verò labores tuos ne vendas humanis laudibus, nec futili fama proiicias futurã gloriã. Laus enim humana in puluere domiciliũ habet, & gloria eius extĩguitur super terrã. Vera autẽ & solida virtutis gloria manet in sẽpiternũ.

Inanis gloria sicut hedera suffocat virtutẽ cui inuenitur.

Math. 6.

Laus humana diuinæ postponenda.

De Superbia. Oratio. VIII.

SVperbia est animi tumor sanie plenus, qui si maturuerit in magnum erumpit fœtorem. Fulguris splendor tonitru solitum prænuntiat, & inanis gloriæ præsentia superbiam indicat. Animus superbi valde tollitur in sublime, vnde præceps ruit in profundum. Superbiæ nidum struit, qui à Deo deficit, & viribus accepta refert, quæ rectè facit. Qui propriæ confidit virtuti, non aliter, quàm si araneæ telam conscēdat, humi delapsus affligitur. Fructuum multitudo ramos arboris inflectit, & virtutum copia sensum hominis humilem reddit. Fructus putris ingratus est agricolæ, & virtus superba displicet Deo. Ramum fructibus onustum palus sustentat, & animum virtutibus ornatum timor Dei. Vt fructuum onus ramos deiicit, ita superbiæ pondus animum opprimit virtutibus excellentē. Animum superbiæ ne subiicias, & nō videbis visa formidāda. Animus enim superbus à Deo deseritur, & Dæmonum fit ludibrium. Noctu ferarum irruētium multitudinem cernit, & interdiu formidine perhorrescit. Dormiens frequenter exilit, & vigilans volucris vmbram timet. Foliorum strepitus superbum perterret, & aquæ murmur illum exanimat. Qui enim paulò ante Deo seipsum opposuerat, quíque eius auxilium recusarat, rebus inanibus deterretur. E cœlo deiecit Archangelum superbia, & tanquàm fulgur fecit eum in terram decidere. Humilitas autem hominem in cœlum tollit, & inter choros collocat Angelorum. Quid superbis homo, cum sis lutum, & putredo? Quid supra nubes extolleris? Cōsidera naturam tuam, Nonne terra es, & cinis, & paulò post in puluerem reuerteris? Quid superbis mox vermium cibus futurus? Quid ceruicem erigis, quæ breui putrescet? Magnū quid videtur homo, cùm Dei adest auxilium, à quo derelictus naturæ suæ agnoscit imbecillitatem. Nihil habes boni, quod non acceperis à Deo. Cur igitur alienis rebus gloriaris vt tuis? cur Dei gratia tanquam propria possessione te iactitas? Eum agnosce, qui dedit, & ne admodum extollaris. A Deo creatus es, noli contemnere creatorem. A Deo beneficia accipis, noli benemerentem negligere. Ad sublime vitæ genus ascendisti, sed ille tibi dux extitit. Eum qui te sublimem extulit, cōfitere, vt in ea sublimitate permaneas. Proximū, qui eiusdem est naturæ, qua tu, complectere. Noli ita esse arrogans, vt naturalem necessitudinem neges. Abiectus est ille, & mediocris conditionis, vtrunque tamen Deus procreauit. Abiectiorem despicias hominem, caue. Tutius ille viuit, quàm tu. Humi repit ille: nec facilè cadit: Tu, qui sublimis incedis, si ceciderís, confringeris. Superbus Monachus, vt arbor sine radice, impetum vēti nō sustinebit. Mens superbiæ expers est tanquā vrbs munita, in qua tutus est, qui inhabitat. Vis vēti stipulam iactat, & stultitiæ impetus superbum tollit. Bulla fracta euanescit, & superbi memoria deperit. Vir humilis sermo fomentum est animi, superbè autem refertus est arrogātia. Corona domus est humilitas, & ascendentem seruat incolumem: cùm ad virtutum fastigium perueneris, tum magna tibi opus est custodia. Qui enim ex humili loco cadit, celeriter surgit, qui autem ex alto decidit, mortis adit periculum. Lapis pretiosus in aureo anulo decorus est, & in virtutum corona inserta humilitas excellit.

Omnia timet superbus.

Esa. 14. Luc. 10.

Cogitationes que expellunt superbiam.

Non contemnendi qui videntur abiectiores.

EIVSDEM SANCTI NILI Abbatis ad iuniores Monachos Institutio.

IVuenis colat quietē in corpore, modestiam in vultu, moderationem, atque ordinem in voce. Ad cibum & potum accedat sine tumultu, cùm vrget necessitas. Sileat inter seniores, æquales diligat, minoribus amanter cōsulat, ab improbis, carníque deditis: & curiosis recedat, pauca loquatur, plus cogitet, in sermone caueat arrogantiam, in mutua consuetudine se nemini anteponat. Ne sit promptus ad risum, pudore se ornet, colloquia mulierum vitet, vultu terram aspiciat, cœlum animo, fugiat contentiones, docendi ne ambiat dignitatem, hominum honores ne admiretur, eorum præsertim, qui verum honorem ignorant. Virorum prudentium vtatur familiaritate, quæ bonorum est causa pulcherrima. Dum rectè agit, & in virtute proficit, laudem à Deo tantùm requirat. Quòd si alios doceat, & iuuet, repositam apud Deum mercedem expectet, & tanquam debitum opus Deo persoluens, remunerationem ab eo speret in muneribus sempiternis.

EIVSDEM EPISTOLA AD Anastasium Episcopum.

IOannes Sacerdos admirandus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ, immo verò totius orbis splendor, vir animi perspicacis, omni ferè tempore, videbat domum Domini refertam Angelorum cœtu, & tunc in primis, cùm diuinum & incruentum sacrificium offerebatur, quo quidē tempore stupore & lætitia plenus rem præcipuis amicis spiritualibus priuatim enarrauit. Cùm cœpisset, inquit sacerdos sanctum sacrificium, seu oblationē facere, plurimæ statim ex beatis illis Virtutibus è cœlo descendentes, stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ, altare magno cum silentio & reuerentia, quo ad venerandum illud mysterium expletum fuit, circunsteterunt. Deinde huc illuc singulæ per totam domū diffusæ, Episcopis, & presbyteris, & diaconibus distributionem corporis & pretiosi sanguinis ministrantibus, adhæserunt, satagentes, & sedulo adiuuantes. Hæc autem scribo, vt diuini sacrificij dignitatem cognoscentes, caueatis, ne illud negligenter, diuino timore abiecto, administretis, ne permittatis, vt aliqui inter se contendant, & cum tumultu ad ipsum accedant, aut audacter annuant, & è loco suo prosiliant, aut huc illuc circunspiciant, & ignauè, petulantérque se gerant: Dicit enim Dominus Mosi, & per illum omnibus sacerdotibus: *Religiosos ac verecundos facite filios Israel*, & ne contemnatis.

Angeli adsunt diuino sacrificio.

EIVSDEM DE NIMIS diuturna Præfectura.

TRadunt rerum naturaliū obseruatores, gruem triginta dies commune auium agmen ducere, deinde alteri grui idem munus tradere. Qui nunc gregi tuo præest, ambitiosus imperandiq; cupidus, vt audio, expleto de more iam anno de ministerij sui, non permittit, vt alius regēdi munus curámque suscipiat, & quid dicemus ad hoc?

SANCTI

549 *SANCTI P. N. NILI EX QVODAM (vt verisimile est) Paranetico tractatu fragmentum.*

NVnquid Angelos, vel potestates vel Christum sensiliter videre potes lupum pro pastore sucipiens & dæmones inimicos adorans? Vana gloria est mentis erroris initium, qua mens incitata, id quod diuinum est, formis & figuris circunscribere conatur. Te autem ne hanc quidem fraudem ignorare oportet quòd dæmones seipsos in tẽpore impertiunt, & si visus fueris auxilium petere, sunt deinceps in figuris angelicis innoxij, primos expellentes vt ab ipsis decipiaris tanquam ipsi sint sancti angeli. Dæmones nonnunquã cogitationes suggerunt, & te rursus incitãt ad eis male precandum vel eis contradicendum, & sua sponte cedunt vt fallaris, existimãs te cepisse cogitationes vincere, & Dæmones terrere. Non oportet sacerdotes iustè vel iniustè iudicare, vel eos examinare: sed & si quis in eis labitur, à Deo iudicabitur & arguetur in hoc & in futuro sæculo vel à maiori sacerdote. Sacerdos non est qui pro sacerdotis dignitate nõ viuit. Non oportet offendi propter sacra quæ celebrantur ab improbo sacerdote, eadẽ autem est oblatio & si habeat vitam impuram is qui offert. Audiendi sunt doctores & sacerdotes dum docent ex diuinis scilicet scripturis vt Deo placet, & non secũdum proprias cupiditates vt scriptum est, & non iudicare ipsos etiam si malam vitam habeãt: & si in fide quidem labantur, tunc non oportet credere, sed eos etiam fugere, ac iudicare. Deus quidem non omnes ordinat, sed per omnes operatur vt seruetur populus. Assuescendo sacerdotes contemnere, Deum quoque contemnimus, & quemadmodum in periculo versatur is cui secundum mundum nec exercitus nec dignitas regia commissa est, si ea agat quæ ad regiam dignitatem pertinẽt, ita & qui quæ sunt sacerdotis munera aggreditur etiam si videatur iis longè sapientior.

Dæmonũ fraudes.

Sacerdotes non iudicandi.

Sacra improbi sacerdotis.

Doctores infideles lapsi [illegible].

Sacerdotũ cõtemptus pericula.

THALASSII HVMILIS MONACHI, AD PAVLVM PRESBYTERVM DE SYNCERA CHARITATE AC VERA CONTINENTIA, NECNON DE REGIMINE mentis, Hecatontades quatuor.

Spiritali, & dilecto Domino Paulo, Thalassius quietis monasticæ, vt apparet, ve autem ipsa inanis gloriæ sectator.

HECATONDAS I.

1 AMor si totus ordinetur in Deũ, amantes inter se & cum Deo copulat.

2 Mens spiritali Charitate locuples, nihil quod Charitatem non deceat, de proximo cogitat.

3 Sub charitatis figmento hypocrisin occultat, qui ore probat quod apud se verè nihili facit.

4 Nihil tam atrox, nihilque tam ærumnosum intentare possunt inimici, quod non citra turbationem sufferat charitatem possidens.

5 Sola charitas in vnam verámque concordiam, Deum & creaturam cogit.

6 Charitatem veram possidens, aduersus proximum neque suspiciones, neque verbũ aliquod admittet.

7 Apud Deum & homines honorem meretur qui operam suam ad charitatis dissolutionem negat.

8 Charitatis non simulatæ proprium est, verbum verum è conscientia bona profectum.

9 Sub beneuolentiæ habitu liuorem occultat, qui fratrem quasi ex alieno ore conuiciis lacessit.

10 Vt carnales virtutes humanam, ita & spiritales Dei gloriam contrahunt.

11 Charitas & continentia animam purificant, mentem verò puræ preces illustrant.

12 Verè potens vir est, qui & ab opere & scientia maliciam remouet.

13 Magnam apud Deum gratiam inuenit, qui sedatis affectibus cognitionem spiritualium adeptus est.

14 Si cogitationes animo infestas deesse cupis, stude continentiæ ac charitati in proximum.

15 Vt in tempore precum tuarum cuncta facessant offendicula, caue ab intemperantia & odio.

16 Vt in cœno aromata non inueniuntur, ita neque Charitatis suaueolentia in anima iniuriarum memori.

17 Irascentiæ & concupiscentiæ impera, & quantocius à malis cogitationibus eris alienus.

18 Inanem gloriam abolebis, opera occultè faciendo, superbiam verò, neminem contemnendo.

19 Inanis gloriæ comites sunt, simulatio & vanidicentia, superbiæ autem suspicio & inuidia.

20 Imperator censendus est, qui anima & corpore rationi subiectis, seipsum rexerit.

21 Sinceritas amici in tẽtatione ostenditur, quando scilicet in necessitate communicat.

22 Sensus muni & quieti assuefacito, cogitationes verò in pectore versantes iustifica.

23 Cogitationibus si tristitiam ferant placidè & absque acerbatione occurras. Sin voluptariæ fuerint & illecebrosæ, hostiliter erga eas afficiare.

24 Silentium, preces, charitas, & continentia, quadriiugi equi sunt mentem in cœlum subuehentes.

25 Extenua carnem inedia & vigiliis, statímque voluptuariarum cogitationum vulgus eliminabis.

26 Sicut fluit cæra à facie ignis, sic à timore Dei impurior cogitatio.

27 Grande malum & incommodum animæ sapienti, si mens exprobrandæ perturbationi diutinè immoretur.

28 Triſtium, ærumnoſorúmque euentuum plagas patienter ſuſtine, talibus enim prudentia diuina te purificat.

29 Vbi materiam abieceris, mundóque dixeris, vale, reliquum, vt prauis & inanibus etiam cogitationibus renuncies.

30 Proprium mentis opus eſt, vacare ſemper verbis Dei.

31 Vt Dei opus eſt regere mundum, ita & animæ gubernare corpus.

32 Qua ſpe occurremus Chriſto, adhuc corporeis voluptatibus ſeruientes?

33 Aerumnarum ſiue ſponte aſſumptarum, ſiue diuina prouidentia inductarum tolerantia, & mœror, concupiſcentiam interimunt.

34 Auaritia per ſe mater affectionum, quarũ præſertim illecebroſarum nullus erit modus, ſi inualuerit.

35 Voluptatum penuria parens eſt triſtitiæ, voluptati verò nulla non perturbatio coniuncta eſt.

36 Qua menſura corporis metiris, diuerſa tibi à Deo remetietur.

37 Diuinorum opera iudiciorum, ſunt retributiones eorum quæ per corpora ſunt operata.

38 Immortalitatem parit virtus ac ſcientia, contrà earum priuatio mortis eſt mater.

39 Triſtitia quæ ſecundum Deum eſt, libidines & concupiſcentias conficit, quarum interitus, animæ eſt reſurrectio.

40 Imperturbabilitas eſt animam non moueri à quoquam malo, verum hanc impoſſibile eſt aſſequi ſine miſericordia Dei.

41 Saluator tam animi quàm corporis eſt Chriſtus, cuius veſtigia ſequi à malis reddit liberum.

42 Salutem vis aſſequi, renuncia voluptatibus, amplectere charitatem ac continentiam vnà cum precum aſſiduitate.

43 Propria eſt imperturbabilitati vera diſcretio, iuxta quam in regula menſuráque facito omnia.

44 Dominus noſter & Deus eſt Ieſus Chriſtus, quem ſi mens ſequatur non manet in tenebris.

45 Recollige mentem, & obſerua cogitationes, & ſi quas offenderis in affectiones noxias tranſire, ipſas expugna.

46 A tribus cogitationes accipimus, à memoria, ſenſibus & habitudine corporis, ſed moleſtiſſimas affert memoria.

47 Sapientia prædítus nouit rationes incorporeorum, & quod initium, & quis finis mundi.

48 Actiuam vitam ne habeas neglectui, & illuſtrabitur mens tua. Ait enim: Theſauros inuiſibiles & abſconditos aperiam tibi.

46 Inuenit gratiam apud Dominum, qui liberatus eſt ab affectionibus, inſuper & ille miſericordiam aſſequutus, qui ſcientiam meruit adipiſci.

50 Mens perturbationibus nudata quotidie luculentior euadit, & ad res quæ veræ ſunt cõtemplandas illuſtratur.

51 Vox animæ eſt cognitio ſancta, quæ ſi cui defuerit, is imprudenter obambulabit in tenebris.

52 Imprudens eſt qui in malitia verſatur, ipſum enim ignorantiæ tenebræ excipient.

53 Ieſum amans, à malitia liberabitur, & ipſum ſequendo, veram videbit ſcientiam.

54 Mens à perturbationibus libera', quæ cõſiderat ſiue inuigilet, ſiue dormiat corpore, videt tenacius.

55 Menti in ſummum purificatæ, anguſta ſunt omnia quæ ſunt, ſempérque cupit eſſe extra omnia quæ ſunt facta. Beatus, &c. *Sententia deerat exemplari.*

56 Scrutatur verba Dei, qui eum colit. Inuenit autem quo operatur veritatem.

57 Mens veritatem inuenit ſi à rectitudine dirigatur, amittit autem ſi ab affectione aliqua.

58 Vt Deus ſecundum eſſentiam nobis eſt incognitus, ita ſecundum maieſtatem eſt immenſus.

59 Eſſentia quæ principio caret & fine, neque ſapientia aliqua perſcrutabilis eſt.

60 Salus omnis creaturæ eſt, optima creatoris circa ipſam prouidentia.

61 Suffulſit enim Dominus omnes vacillantes, & in miſerationibus confractos omnes erigit.

62 Chriſtus viuentium & mortuorum eſt iudex, ac iuſtus vniuſcuiuſque operis retributor.

63 Imperare vis animæ & corpori, ante omnia affectionum cauſas circumcide.

64 Adhibe vires: animæ ad ſtudia virtutum, & ab omni affectionum violentia abſolueris.

65 Concupiſcentiarum impetus continentia refrenato, reliquos verò diuina ſpiritaliq; charitate.

66 Silentium & preces maxima virtutum arma ſunt, mentem enim ſimul purificant, ac perſpicaciorem reddunt. Silentio

67 Solum ſpirituale colloquium prodeſt: at cęteris omnibus ſilentium præferendum eſt.

68 In colloquio quinque troporum tres elige, quarto ne ſis frequens, à quinto prorſus abſtine.

69 Silentium amat, qui ad ea quæ huius mundi sũt non afficitur. Omnes autem homines amat, qui nihil humanum in eis amat.

70 Magiſtra verax conſcientia eſt, cui quiſquis auſcultarit, abſque ſcrupuli offendiculo permanet. Conſcientia.

71 Illos ſolos conſcientia ſua non arguit, qui vel in virtutum, vel in vitiorum faſtigium peruenerunt.

72 Ingens imperturbantia ſubtiles efficit cogitatus, ſublimis verò ſcientia ad ignotiſſima adducit.

73 Mœſtitia ex voluntatum defectu concepta vituperabilis eſt, eas enim qui contempſerit, inoffenſus permanet ac iucundus.

74 Omnis triſtitia, voluptatis repreſſio eſt, etiam ſi de mundana ſentias.

75 Dei regnum eſt bonitas ac ſapientia, quas qui nactus, municeps eſt in cœlis.

76 Miſer homo, qui in operibus ſuis corpus quàm animam, & mundum quàm Deum maioris facit.

77 Æqualem in omnes charitatem poſſidet, qui bonis non inuidet, malorúmque miſeretur.

78 Quàm verè idoneus & vtilis ad regendum, qui iam antea animæ corporíque ſuo leges tulit.

79 Ille ſpiritualis eſt negociator, qui ſuauia proſperáque huius mũdi propter futura ex æquo contemnit.

80 Anima, charitate & temperantia firmatur, mens verò puris precibus, ac ſpiritali contemplatione.

81 Quum ſermonem vtilem audis, non iudica dicentem ne teipſum precioſa admonitione priues. Recte de alio iudicandum.

82 Iudicium prauum mala cogitat, & benefacta proximi infideliter narrando eleuat ac imminuit.

83 Ne

553

83 Ne credideris cogitatui mala de proximo cogitanti. Nam qui malum Thesaurum habet, mala etiam cogitat.

84 Bonum cor bonas cogitationes nutrit, qualē enim Thesaurum habet, tales etiam habet cogitationes.

85 Habe rationem cogitationum tuarū, maliciámque fuge, ne obscura mente alia pro aliis videas.

86 Iudæos ante oculos propone, téque ipsum munias. Inuidia enim obcæcati, Dominum & Deum Beelzebulis nomine infamabant. Matt. 12.

87 Suspiciones malæ animū obfuscant, faciúntque vt ea quæ extra viam sunt, videantur esse in via.

88 Iuxta omnes virtutes scaturiunt & vitia, inde est, quare mali virtutes in malam partem interpretantur.

89 Mens, si in re aliqua diutius vel oblectetur, vel mœreat, statim in acediæ graue malum cadit.

90 Cōscientia pura animam excitat, quam rursus in terram immunda cogitatio deiicit.

91 Si affectiones crebrò diiudicentur & agitentur, expellitur inanis gloria, sin conficiantur, tota subuertitur.

92 Vis semel ab omnibus animi perturbationibus liberari, assuefacito te charitati, continentiæ & precibus.

93 Mens apud Deum moram faciens precando, affectiuas animæ vires à passionibus liberat.

94 Sicut Deus omnibus quæ sunt dedit esse, ita & omnia prouidentia sua simul colligauit.

95 Et quum esset Dominus, factus seruus summā erga creaturas prouidentiam declarauit. Excellentia incarnationis,

96 Deus & verbum absque sui cōuersione incarnatus, omni creaturæ per carnem vnitus est.

97 Rarum miraculū in cœlo & in terra, quia Deus super terram, & homo in cælis.

98 Vt homines Angelis associarentur, & omni creaturæ diuinitas tribueretur.

99 Tam Angelorum quàm hominum sanctificatio & deificatio est sanctæ consubstantialisque Trinitatis cognitio.

100 Peccatorum discessio libertatem ab affectionibus præstat, quam qui nondum per gratiā assecutus est, ab eo etiam peccata nondum discesserunt.

ORA PRO ME FRATER DIGNISsime, mala enim expecto grandia, & digna meis studiis, tristitias scilicet animi, & dolores corporis.

HECATONTAS II.

1 VIs semel à malis omnibus liberari, matri malorum Philautiæ renūcia.

2 Animæ sanitas est imperturbātia & scientia, quam nemo voluptatibus seruiens assequi potest.

3 Abstinentia cum patientia, & charitas cum lōganimitate tam corporeas, quàm animales voluptates exiccant.

4 Principium malorū animę fuit Philautia, Philautia autem amor est corporis.

5 Proprium est rationalis, vt rationi subdatur, castigatúmque corpus in seruitutem redigat.

6 Iniuria fit rationali hominis parti, si subiiciatur brutæ alteri & rationis experti, prudentiam suam insumendo ad explenda turpia desideria.

7 Malum rationalis animæ opus est reliquisse cōditorem, & seruire corpori.

8 Iustus es, corpus ministri loco habe, & non vt illius (supra quam exigit natura) seruias cupiditatib⁹.

9 Amicitiæ erga corpus vincula rumpantur, & nō indulgebis seruo. Non enim omnia necessitas requirit.

10 Include sensus intra quietis præsidium, ne in sua desideria mentem distrahant.

11 Vt tibi quies & patientia contingant, in promptu tibi sint, temperantiæ, charitatis, precum, & lectionis arma sanè multò fidissima.

12 Mens, voluptatum escis quas ambit inhiare nō cessat, donec corpore in seruitutem redacto contēplationi vacet.

13 In præceptis seruandis desudandum est, vt ab animi affectionibus liberemur, in diuinis autem dogmatis vt scientiam dignè mereamur.

14 In imperturbantia & cognitione consistit animæ tranquillitas, quam voluptatum mancipiis cōtingere est impossibile.

15 In seruitutem coge corpus voluptatibus circūscriptis, & liberabis mentem à graui seruitute.

16 Liber conditus es & in libertatem accersitus, pigeat igitur impuris voluptatibus seruire.

17 Cum mœsticiis, & voluptatibus, desideriis ac timoribus mentē dæmones per sensilia cōiunxerūt.

18 Timor Domini desideriis dominatur, & tristitia quæ secundum Deum, concupiscētias repellit.

19 Desiderium sapientiæ timorem despicit, cupiditas autem scientiæ voluptas repellit & tristitiam.

20 Quatuor autem in Scripturis traduntur, mandata, placida, minæ & repromissio.

21 Concupiscentias sistunt abstinentia & labor, minuunt autem quies ac diuinus amor.

22 Caues is, ne fratrem verbis ænigmaticis pungas neque enim tu ferres si sic audires è diuerso.

23 Iram si sistunt longanimitas & iniuriarum obliuio, minuunt charitas & compassio.

24 Cui scientia data est, datum est mentale lumē, quod si quis dehonestarit, pro eo tenebras videbit.

25 Seruatio mandatorum Dei parit imperturbantiam, imperturbantia autem animæ custodit scientiam.

26 Sensilia duc sursum in cognitionem intellectualem, ab eis dimouendo sensus.

27 Naturalis & quæ videtur mulier, significat operatiuam animam, ad quam si mens, quæ vir est, accesserit, ex ea virtutes parit.

28 Scrutare eloquia Dei, & doce scientiam Dei eos qui piè ac desideranter veritatem inquirūt.

29 Quod lux est videntibus & visis, hoc Deus est intelligentibus & intellectis.

30 Visibile cœli firmamentum, fidei signat firmamentum, in quo omnes sancti ceu luminaria lucēt.

31 Hierusalem est supercæleſtis incorporearum rerum, contemplatio, in qua visio pacis spectatur.

32 Actiuam vitam caue neglexeris, alioquin & scientia decresceret, hoc enim esset, orta fame, in Ægyptum descendere.

33 Libertas est spiritualis à perturbationibus esse liberum, quæ nulli absque misericordia Iesu Christi contingit.

34 Terra repromissionis regnum est cœlorum, in quam mentē inducunt imperturbantia & scientia. A

35 Ægyptus spiritalis est obtenebratio perturbationum, in quam nemo nisi antea fame laboret, descendit.

36 Aurem tuam spiritualibus sermonibus frequēter accommoda, & mentem ab immundis cogitationibus elongabis.

37 Solus Deus natura bonus est ac sapiens, fit autē mens participatione talis, modo studiosa sit.

38 Impera ventri, somno, iræ & linguæ, & nunquā impinges ad lapidem pedem tuum.

39 Enitere, vt omnes homines æqualiter diligas, actionésque omnes simul à te abiges.

40 Sensibilium rerum contemplatio communis est menti & sensui, intellectualium autem scientia soli menti conuenit. B

41 Impossibile est mētem vacare intellectualibus, nisi amicitiam erga sensus & sensibilia antea amputarit.

42 Sensus natura sensibilibus afficitur, sed quum circa ea distrahitur, distrahitur & mens.

Mens à sensuum consuetudine abducēda.

43 Coge sensus in mentis obsequium, & non des ipsis occasionem, eam distrahendi.

44 Quando mentem sensibilibus vacare cōtigit, obsiste sensibus, & obiecta in mentem subduc.

45 Signum mentis circa intelligibilia occupare, C est floccifacere omnia quæ sensus oblectant.

46 Occupata mēs in contemplatione eorum quæ sunt, solidam in eis voluptatem experitur.

47 Quando mens, vnitatis scientia locupleta fuerit, tunc sensus omnino in seruitutem redactos tenet.

48 Prohibe mentem tuam circum sensilia vagari, ne desideriorum tristitiæque fructus simul ex eis decerpat.

49 Quorum mens per omnia diuinis vacat, iis & affectiuæ animæ vires diuina fiunt arma.

50 Impossibile est mentē scientia perfici, nisi prius affectiua animę portio suis admoueatur virtutibus. D

51 Mēs nō antea erit peregrina eorum quæ in hoc mundo, nisi modis omnibus amicitiam erga sensus resecuerit.

52 Proprium est rationali portioni animæ, vacare cognitioni Dei, affectiuæ autem, charitatem & cōtinentiam amplexari.

53 Non potest mens rei sensili diu immorari, nisi omnino illa afficiatur.

54 Mens perfecta est quam scientia perficit, anima verò virtutibus roborata.

55 Mentis cum sensibus amicitia, eam facit mancipium corporearum voluptatum.

56 Quando à virtutibus suis affectiuæ vires mo- E uentur, tunc etiam mens à scientiæ suæ loco deturbatur.

Ioan. 1. 57 Accepimus potestatem filios Dei fieri, sed non erimus nisi affectiones exuerimus.

58 Nullus se putet filium Dei factum efficacitérque Deum in se operari, si non diuinos characteres intra se possederit.

59 Similitudo morum, vel bonorum, vel malorū, filios facit, vel Dei, vel satanæ.

60 Vir intelligens est, qui seipsum attendit, & accelerat ab omni inquinamento separari.

61 Obcæcata anima, etiam dum vapulat, non sentit, benefactorémque agnoscere renuit.

62 Sordida vestis è diuinis nuptiis eiicit, exterio- Matt. rúmque tenebrarum participem facit.

63 Qui timet Deum, sui ipsius curam gerit, & à prauo consortio se alienat.

64 Impossibile est misericordiam à Deo assequi eum qui seipsum negligit, & voluptatibus seruit.

65 Neminem posse duobus dominis seruire, à le- Matt. su dictum est etiam si credere nolumus.

66 Anima affectionibus sordida adeò obcæcata est, vt nisi secetur & vratur, credere renuat.

67 Obduratos horrenda tormenta excipiēt, nam sine magnis laboribus mollefieri nequeunt.

68 Vir intelligēs solicitam sui curam gerit, vltróque susceptis laboribus eos quos inuitus ferret, effugit.

69 Diligens animæ cura in malorum sustinentia & humilitate consistit, propter eas enim Deus peccata omnia condonat.

70 Sicut concupiscentiæ & iræ peccata multipli- Malorum perpessio humilitas animæ impetrat misericordiam. cant, ita continentia & humilitas easdem exinaniunt.

71 Conterit cor tristitia quæ secūdum Deum est, eam parit tibi timor suppliciorum.

72 Tristitia quæ secundum Deum est, corda purificat, & ab eis voluptatum inquinamenta elōgat.

73 Patientia est, quando anima labores vltrò deditáque opera subit, vbi ea fuerit, inde in exilium abire voluptatum amor cogitur.

74 Quoduis peccatum voluptate committitur, remittitur autem per malorum sustinentiam & luctum.

75 Quisquis pœnitentiam agere per labores vltrò susceptos renititur, is coactus in labores qui iā prædefiniti sunt incidet, quos & inuitus feret.

76 Christus totius mundi saluator est, & pœnitētiam iis qui eam acturi sunt, in salutem concessit.

77 Præceptorum obseruantiam parit pœnitētia: præceptorum vero obseruantia animæ præstat purificationem.

78 Animam purificare, est eam ab affectionibus liberare. Ea autem libertas charitatem Dei nobis parit.

79 Anima pura est quæ Deum diligit, mens verò, pura quæ ab ignorantia secessit.

80 Pro mandatis Christi vsque ad mortem certa, per ea enim purificatus ad vitam ingredieris.

81 Corpore ad ministerium mandatorum vtere, seruans ipsum quantum fieri potest sine morbo & luxu.

82 Carnis seditiones, ex negligentia precum, dietæ, honestæque quietis oriuntur.

83 Formosos liberos formosa parit quies, nempe continentiam, charitatem, puráque preces.

84 Lectio & precum puritas mentem purificant, animæ autem affectiuam partem charitas & continentia.

85 Aequalem continentiam semper obserua, ne per inæqualitatem in contraria incidas.

86 Ne præuariceris teipsum, quum tibi ipsi legem statueris. Seipsum enim falsis rationibus palpans, seipsum seducit.

87 Occasus spiritales sunt, animæ perturbationib' inquietæ.

inquietæ. Sol enim iustitiæ illis occidit.
88 Filius Dei quis est, ob bonitatem & sapientiã, & potentiam, & iustitiam.
89 Maliciæ habitus morbus est animæ, mors autẽ per operationem peccati introducitur.
90 Paupertas spiritalis est consummata imperturbantia, quæ si menti conceditur, ab his quæ hic sunt secedit.
91 Cõsonas animæ virtutes custodi, ex ipsis enim nascitur fructus iustitiæ.
92 Contemplationem eorum quæ mens cõcipit, aiunt, omnino incorporeorum esse, vtpote quæ sit à materia formáque abalienata.
93 Sicut quatuor elementa ex materia & forma, sic & corpora quæ ex ipsis sunt ex ipsis etiam sunt constituta.
De incarnatione. 94 Verbum propter misericordiam caro factum, neque quod erat transmutauit, neque quod factum alterauit.
95 Vt ex deitate & humanitate, & in deitate & humanitate, sic ex duabus naturis, dicimus esse vnum Christum.
96 Vnã hypostasin in Christo confitemur ex duabus naturis inseparabiliter vnitis.
97 Inseparabilem vnam Christi glorificamus hypostasin & citra omnem confusionem naturarum confitemur vnionem.
Trinitas. 98 Trium hypostasium, vnamque deitatis essentiã adoramus, eiusdémq; essentiæ sanctam trinitatem confitemur.
99 Proprietates trium hypostasium sunt paternitas, filiatio & processio. Et communia tribus hypostasibus sunt essentia, natura, deitas, bonitas.

VERVNTAMEN PROPRIE MALA sunt, non quæ carnem affligunt, animam purificant, sed quæ conscientiam quidem tristitia afficiunt, carnem verò titillant.

HECATONTAS III.

1 BOna de eo quod natura bonum, cogita, sed & de omni homine sẽtias bene.
2 Verborum & operum, ac cogitationum rationẽ reddituri sumus in die iudicij.
3 Habitus virtutis vel maliciæ impellit nos vt bene vel malè cogitemus, vel loquamur, vel operemur.
4 Mens cui affectiones imperant, cogitat quæ nõ decent. Quales autem cogitationes sint, produnt sermones & opera.
5 Malæ cogitationis dux est affectio, affectionis autor sensus, quo vt malè vtamur, in causa est mẽs.
6 Include igitur sensus, expugna phantasmata, & affectiones armis mandatorum diripe.
7 Malicia inueterata, longa opus habet exercitatione. Sole clarior enim consuetudo haud subito immutatur.
8 Monastica vita, quam comitantur continentia ac charitas, per patientiam & quietem facile quę iniuncta sunt, exequitur.
9 Mentem subinde iudica, vt precari cogitatio-

A nésque in pectore obuersantes disperdere queas.
10 Virtutum meditatio, patientia opus habet ac longanimitate. Voluptatis enim amor, multa laboris assiduitate in exilium mittitur.
11 Facile huius meditationis labores exercebis, si ad mensuram & regulam opera tua perfeceris.
12 Aequalem piæ exercitationis mẽsuram in omnibus serua, nisi ob inexcusabilem necessitatem regulam soluas minimùm.
13 Vt continentia & charitas purificãt cogitationes, ita omnem superbiam tollunt contemplatio, precúmque puritas.
14 Conscientiam puram faciũt labores monastici, quales sunt ieiunium, vigiliæ, patientia, & longanimitas.
B 15 Qui inexpectatarum tentationum plagas sustinenter fert, modestus & probatus, atque bonæ spei vir erit.
16 Patientia gaudet in ferendis laboribus animæ, consistítque in tentationibus quæ vel sponte suscipiuntur vel inuitis accidunt.
17 Tolerantia rerum grauium maliciam eliquat, constantia autem in finem vsque perseuerans omnino exterminat.
18 Plagæ immissæ sensus affligunt, sed voluptas tristitia illata tollitur.
C 19 Quatuor sunt generales affectiones quib⁹ prudentia sapienter vicissim vsa est.
20 Voluptatem enim tristitia superueniens frangit & contrahit, concupiscentiam verò metus vindictæ abolet.
21 Mens prudẽtis animam suam exercet, & corpus suum omni piæ exercitationi assuefacit.
22 Accelera vt monachum te ostendas, non exteriorem hominem sed interiorem ab affectionibus alienando.
23 Abdicatio prima est vt quis ab operibus, secũda ab affectionibus, tertia vt ab ignorantia liber fiat.
24 Si quis volet, facile à malis operibus alienus erit, sed non item paruo labore ab eorundem affe-
D ctionibus.
25 Si imperas concupiscentiis, cohibe & iram. Nã eadem de causa quis & ira conturbabitur.
26 An non liberati à cogitationibus quæ animam afficiunt, spiritali etiam ac pura oratione fruimur?
27 Magna equidem mens quæ ab affectionibus est libera, & sequestrata est ab his quæ sunt, & in Deo versatur.
28 Sapientiæ vacat, qui in tribus proficit, in mandatis scilicet, doctrinis, & in fide trinitatis.
29 Mens affectionibus exuta inuenietur in tenuibus cogitationibus, contemplatione horum quæ sunt, & lumine nullam referente speciem.
E 30 Occultæ sunt in animabus nostris affectiones pessimæ, deprehenduntur autem vbi opera in lucem prodierint.
31 Imperturbata manet aliquando mens trãquillitatem aliquem particularem nacta, quandiu tamen absunt opera, probata non est.
32 Per tria, scilicet memoriam, habitudinẽ corporis, & sensus, vt prædictum est, scientur affectiones.
33 Mens, custoditis sensibus & corporis habitudine, in obedientiam iustam firmata bellum gerit

aduersus solam memoriam.

34 A sensibus oriuntur affectiones, quoties continentia, spiritalisque charitas adfuerint.

35 Moderatũ ieiunium, vigiliæ & psalmodiæ parabile corpus reddunt.

36 Corporis habitudinem tria in deterius alterãt, nempe dietæ inordinatio, dein virtutum immutatio, tandem & dæmonum infestatio.

37 Rerum memorię quibus affectiones vitiantur, precibus, lectione, continentia ac charitate absoluuntur.

38 Sensus primum claude & quietiores facito, & postea armis virtutum aduersus ea quæ memoriam B infestant præliare.

39 Vt cogitationum abusus, malicia est earum, ita & operum abusus eorundem est malicia.

40 Tàm cogitationum quàm operum abusus est eisdem non religiose & iuste vti.

41 Affectiones turpes mentis vincula sunt, quibus in carnalibus operibus detinetur.

42 Perfectam tranquillitatem assecutus est, qui neque erga opera neque operũ memorias afficitur.

43 Anima bona proximum suum beneficiis prosequitur, & si ingratũ experiatur, longanimiter fert, quin etiam tolerat sustinẽter si ab eo quid patiatur.

44 Tam grauia mala sunt, prauæ cogitationes, vt C nisi quis eis renunciet, scientiã veram nõ addiscat.

45 Christum audiens, seipsum ad lucem adducit. Sequens autem eam, seipsum emendat.

46 Iniuriarum recordatio, lepra est animæ, quæ vel ex ignominia, vel damno, vel suspicionis cogitationibus accidit.

47 Mentem inuidi excæcat Dominus, iniustè enim de bonis proximi cogitat.

48 Obtrectatricis animæ lingua hasta est & tricuspis, nam & seipsam & audientem, quandoque etiam eum cui obloquitur, lædit.

49 Iniurias obliuiscitur, qui pro iis qui se contristarunt, orat, & ab iniuriarum recordatione alien' erit, si eosdem liberaliter donis prosequatur. D

50 Odium erga proximum, mors est animæ, eam fert & infert obtrectatoris lingua.

51 Acedia, negligentia est animæ. Anima autem tunc negligens est, quando studio voluptatum dedita, morbida fuerit.

52 Qui Iesum diligit, laboribus exercet semetipsum, quos quum tolerat, fugat acediam.

53 Monasticis laboribus firmatur anima, & quũ omnia suo modo facit, abigitur acedia.

54 Qui ventri imperat, cõcupiscentias tabefacit, & cogitationibus fornicationum mẽtem suam seruire non finit.

55 Mens continentis, templum est Spiritus sancti, E guloſi autem mens, coruorum est domicilium.

56 Varietatem eduliorum appetere facit satietas, indigentia verò suauem facit siccum & decrustatum panem.

57 Alienus fit ab inuidia, qui ei cui inuiderat, in prosperitate cõgaudet, eúmque in periculis occultat.

58 Ab homine vitam negligenter agente procul abscedas, etiam si apud pleroſque magnum ipsius sit nomen.

59 Amicum tibi para, virum laboris patientem & auidum, & in lapsibus tuis præsidium inuenies.

60 Negligens multis dominis venundatus est, & versatur vtcunque duxerint.

61 Beneuolus tibi erit & amici loco tempore pacis, sed vt hostis tempore tentationis impugnabit.

62 Antequàm tribulationes moueãtur, ponit pro te animam suam, vbi autem motæ fuerint, tuam etiam animam tollit.

63 Terra inculta & deserta, spinis densescit, mẽs autem torpida immundis affectionibus.

64 Mens prudens refrenat animam, castigat corpus, & affectiones sibi seruire facit.

65 Gestus exteriores signa sunt motuum intrinsecus latentium, sicut ignotarum arborum fructus producti.

66 Hypocritam arguunt verba & opera: similiter & pseudoprophetam occultum manifestant.

67 Mens stulta animam suam non erudit, sedà charitate & continentia longè separat.

68 Improbarum cogitationum causa est malus habitus, ex inani gloria, & superbia, & arrogantia conflatus.

69 Vitiis iam memoratis peculiariter adhærent hypocrisis, dolus, versutia, irrisio, ac improbissimũ mẽdacium.

70 Prædictis etiam seruiunt, inuidia & contẽtio, furor ac ira, mœstitia, & vindictæ meditatio.

71 Hæc est via negligenter agentium, & hic thesaurus qui intra me reconditus est.

72 Animam malorum sustinẽtia & humilitas saluant, & à prædictis affectionibus reddunt alienam.

73 Sermo vtilis proprius est menti prudenti, sed virtuosum opus animæ bonę peculiare est.

74 Mens illustrata sapientes profert sermones, anima autem munda diuinas contemplatur cogitationes.

75 Cogitationes studiosi sapientiam meditantur, & verba ipsius auditores illuminant.

76 Si in anima virtutes fuerint, mens bonas cogitationes excolit, sin vitia insederint, malas parit.

77 Anima affectionibus referta, officina est malarum cogitationum, ex hoc thesauro profert mala.

78 Bonus thesaurus est habitus virtutis, & ex hoc mens bona profert bona.

79 Mens diuina charitate afflata, bonas de Deo cogitationes excolit, quæ autem amore suipsius tenetur, omnino diuersas.

80 Mẽs quæ à charitate in proximum mouetur, bona de ipso inceſſanter cogitat, contrà verò, quæ secus affecta est.

81 Bonarum cogitationum causæ sunt virtutes, virtutum autem præcepta, cæterum vt in effectum prodeant, in causa est propositum.

82 Virtutes & vitia siue fiant, siue omittantur quãdo vicissim cogitationes excitant, bene vel malè animam afficiunt.

83 Malarum cogitationum causæ sunt vitia, vitiorum inobedientia, inobedientiæ verò sensuum deceptio, deceptionis autem sensuum, mentis negligentia circa sui securitatem.

84 Proficientes à suis dispositionibus, facile excidere possunt, siue bonæ sunt, siue malæ. Perfectorum aute habitus circa vtrũque difficillimè mouẽtur.

85 Robur

85 Robur animæ est habitus virtutis, difficilè mobilis, & immobilis quem assequutus, dicat cum inuicto Paulo: Quis nos separabit à charitate Christi, &c.

86 Antesignana omnium affectionum est philautia, postrema verò omnium superbia.

87 Ex affectionibus philautiæ tres generales concupiscentiarum cogitationes trahunt originem.

88 Intellige cogitationes gastrimargiæ, inanis gloriæ, & auaritiæ. Quas sequuntur omnes aliæ cogitationes affectionum, sed non omnes communiter.

89 Gulæ cogitationem sequitur fornicationis cogitatio, inanis autem gloriæ cogitationem cogitatio superbiæ.

90 Communiter ad tres sequuntur cogitationes tristitiæ, iræ, machinationis, inuidiæ, & acediæ, &c.

91 Domine omnium Christe, libera nos ex omnibus perniciosis affectibus, & ex cogitationibus quę ex ipsis oriuntur.

92 Propter te facti sumus, vt te delectemur, positi in paradiso à te plantato.

93 Ignominiam autem hanc nostram nobis contraximus, quia prætulimus beatis illis deliciis has pernicioſas.

94 Quare dignam in nobis mercedem accepimus, æterna vita commutata pro morte.

95 Eia ergo Domine sicut respexisti, ita in finem vsque respicias, & sicut homo factus es, ita salua nos omnes.

96 Venisti enim vt saluos nos faceres, quia perditi eramus, ne separes nos à parte saluandorum.

97 Resuscita animas, & salua corpora purificans nos ab omni inquinamento.

98 Rumpe vincula affectionum nos detinentiũ, qui rupisti phalanges immundorum dæmonum.

99 Et libera nos à tyrannide ipsorum, vt tibi æterno lumini seruiamus soli.

100 Vt quum ex mortuis resurrexerimus, cum Angelis beatam ac æternam & indissolubilem choreã tripudiemus.

IGITVR PRECARE CONTINUÈ ad Dominum Deum nostrum, vt simul nos liberet à malis, tam ab his, quæ propriè dicuntur, quàm ab his quæ impropriè habentur mala.

HECATONTAS IIII.

1 QVI mentem ab amicitia ac adulatione carnis sequestrauit, vitali spiritu opera carnis mortificauit.

2 Ne putes mentem à carnis amicitia desciuisse, quum adhuc in his quæ carnis sunt propria occupetur.

3 Sicut carni proprij sunt sensus & sensilia, ita animæ intellectus & quæ intellectu percipiuntur.

4 Abstrahe animam à sensibus & sensibilibus & inuenietur mens in Deo & his quæ mente percipiuntur.

5 Familiares Deitati sunt mentales naturæ soláq; mente perceptibiles. Sensus autem & sensibilia in obsequium mentis creata sunt.

6 Ministrent tibi sensus & sensibilia ad contemplationem spiritualium, & non contractu sensibus, aut his quæ ad carnale desiderium spectant.

7 Iussus es mactare opera corporis, vt voluptatibus per labores emortuis animam resuscites.

8 Dominetur in te Deus, dominúsque esto sensuũ tuorum, & ne deteriori tu melior potestatem in te dederis.

9 Sempiternus Deus & immensus & indefinitus, sempiterna bona & immensa ac ineffabilia, iis qui se audierint, pollicitus est.

10 Mentis proprium est in Deo semper versari & cogitare de ipso, déque prouidentia ac terribilibus ipsius iudiciis.

11 Potestas tibi data est in vtrumuis declinandi. Sis ergo meliori subditus, & deteriorem tibi subiicito. Liberum arbitrium.

12 Boni sunt sensus bona & sensilia, nam opera sũt boni Dei, nullo tamen modo his quæ mente percipiuntur conferuntur.

13 Prædicta autem, quæ communia sunt omnibus in sancta Trinitate & per negationem attribuũtur, magis propria iudicantur iis quæ per affirmationẽ sunt dicta. At non similiter in proprietatibus. Nã, vt prædictum, earum etiam aliquas per affirmationem, aliquas per negationem dicunt: vt genitum esse & similia. Nam innascibilitas singulari significato differt à natiuitate. Per illud enim significatur Pater non esse genitus, per hoc verò filius esse genitus.

14 Sicut absurdum est subesse bonum dominum improbo seruo, ita & absurdum, corruptibilis corporis mancipium esse rationalem mentem.

15 Mens nisi sensus moderetur, per eos in varia mala ruet. Sensilium enim illecebris inescata maliciam sibiipsi pariet.

16 Qui sensibus imperat, muniat etiam memoriã, simulachrum enim per sensus conceptum refricant affectiones.

17 Castiga corpus & sedulò precare, statimque ab occursaculis cogitationum liberaberis.

18 Verbis diuinis continuè vaca, nam diligens in eis studium affectiones absumit.

19 Lectio & vigiliæ, precésque cum Psalmo Deo mentem sistunt, ne circa affectiones vagetur.

20 Sicut ver facit germinare plantas, ita imperturbantia menti concedit contemplari ea quæ sunt.

21 Mandata obserua & inuenies pacem, Deum dilige & scientiam assequeris.

22 Sententia in te lata est, vt in difficultatibus, labore, & sudore vultus tui panem scientiæ comedas.

23 Negligentia primum parentem nostrum fecit transgredi, & pro delitiis paradisi morti adiudicatus est.

24 Impera & tu Euæ, & à serpente caue, ne delusa, tibi quoque de ligno præbeat.

25 Sicut anima corpus secundum naturam viuificat, ita & animam virtus & scientia.

26 Mens opinione sua sibi sapiens visa, nebula est sine aqua à spiritu inanis gloriæ & superbiæ agitata.

27 Qui vanæ gloriæ dominatur, caueat sibi etiam à fornicatione, ne dum honores fugit, incidat in ignominias.

28 Ab inani gloria fugiens, ad Deũ respice. Quod si minus feceris, certum, vel in suspiciones, vel in fornicationes incides,

29 Inanis gloriæ ſtudium eſt oſtentatio, ſuperbiæ A verò contemptus aliorum, & efferata inſolentia.

30 Qui gulam fugit, caueat, ne quærat placere hominibus: pallorem, vultus apparentem monſtrare cupiens.

31 Pulchrum eſt ieiunium modico frugalíque cibo gaudens, hominibus placere fugiens.

32 Quando vſque ad veſperam ieiunas, caue ad ſatietatem vſque implearis, ne videlicet iterũ extruas quæ paulo antè deſtruxeras.

33 Quando non bibis vinum, etiam aqua ne implearis. Sin minus obtemperaris, fornicationi eandem materiam ſuppeditabis.

34 Superbia facit, diuino deſtitui auxilio, confidere in ſeipſo, & inniti hominibus.

35 Duo remedia aduerſus ſuperbiæ mala proponuntur, quæ ſi quis accipere renuit, tertium longè acerbiſſimum habiturus eſt.

36 Superbiam tollunt precari cum lachrymis, cõtemnere neminem, denique damna præter voluntatem accidẽtia.

37 Eruditio per tentationes virga ſpiritalis eſt. Eũ enim qui in ſuperbia extollebatur, humiliter ſentire docet.

38 Proprium mentis opus eſt, ne cogitationem quidem ferre clàm obtrectantem.

39 Sicut hortulanus non eradicans zizanias, ſuffocat olera, ita & mens cogitationes non purificãs, diſperdit labores.

40 Vir intelligentia præditus, conſiliis paret, maximè patris ſpiritualis ea quæ Dei ſunt conſulentis.

41 Quem affectiones ſuæ perdiderunt, conſilium non audit, ſed & ſpiritualis eruditionis conſilium reſpuit.

42 Qui conſilium reſpuit, vias ſuas non corrigit, ſed per prærupta & præcipitia fertur.

43 Monachum verum agit mens quæ ſenſibus ita renunciauit, vt ne videre quidem ferat cogitationẽ voluptatis.

44 Medicum agit mens, quæ ſibiipſi medetur, & D è quibus curata eſt, dein curat etiam alios.

45 Quære virtutem, & inuentam ſerua, ne & viuas turpiter, & moriaris miſerabiliter.

46 Dominus noſter Ieſus Chriſtus omnibus lumẽ præbuit, ſed ſi ſibi inobedientes fuerimus, excæcamus noſipſos.

47 Ne paruam exiſtimes virtutis iacturam, propter eam enim mors in mundum ingreſſa eſt.

48 Mandati obſeruatio, mortuorum eſt reſurrectio. Virtutem enim vita naturaliter ſubſequitur.

49 Mente per mandati tranſgreſſionem emortua, neceſſariò etiam mors corporis ſubſequitur.

50 Sicut Adam in mortem incidit præuaricando, ita & ſaluator obediendo mortem trucidauit. E

51 Maliciam mortifica, ne mortuus non reſurgas, & à breui morte in longam tranſeas.

52 Propter tranſgreſſionem Adæ, ſaluator homo factus eſt vt ſoluta cõdemnatione omnes exuſcitet.

53 E vita in vitam tranſit & affectus interemit, & ab ignorantia ſeceſſit.

54 Scrutare Scripturas, & inuenies mandata, quod ſi feceris quæ dicunt, ab affectionibus liberaberis.

55 Obedientia mandati, animæ præſtat puritatem purificatio autem animam luminis facit participẽ.

56 Lignum vitæ eſt ſcientia Dei, cuius puri participes permanent immortales.

57 Principium vitæ actiuæ fides eſt Chriſti, finis autem charitas Dei.

58 Ieſus eſt Chriſtus Dominus noſter & Deus qui vt nos viuificaret, fidem in ſe nobis conceſſit.

59 Qui ex anima & corpore & Deitate nobis apparuit, vt animam & corpus vt Deus ex morte redimat.

60 Fidem poſſideamus, vt ad charitatẽ è qua ſcientiæ naſcitur illuſtratio, peruenire liceat.

61 Fidei poſſeſſione conſequenter etiam habentur timor Dei, abſtinentia illecebrarum, tolerantia B laborum, ſpes in Deum, mentis tranquillitas, charitas.

62 Ex charitate ſincera naſcitur naturalis ſciẽtia, quam Theologiæ gratia ſummè expetenda, ſubſequitur.

63 Mens affectionibus imperans, extra periculum & timorem eſt, creditque Deo tam de his quæ interminatus eſt quàm quæ promiſit.

64 Cui fides data eſt, continentiam poſtulat, quæ aliquandiu cuſtodita gignit patientiam, habitum ad laborem impigrum.

65 Signum patientiæ eſt amor laborum, quibus freta mens ſperat aſſequi quæ promiſſa ſunt, & euadere quæ comminata. C

66 Exſpectatio futurorum bonorum, mentem bonis exſpectatis coniungit, quibus immorando præſentium obliuiſcitur.

67 Præſentia reiicit qui guſtauit ſperanda. Omne enim deſiderium in hæc euacuatum eſt.

68 Deus ipſe eſt qui futura bona pollicetur, cui ſi continens credat, futura quaſi præſentia deſiderat.

69 Signum eſt mentem in bonis quæ ſperantur verſari, ſi omnem præſentium memoriam abolet, & in cognitione futurorum dilatatur.

70 Bona eſt veritas quam docet Deus veritatis, Hortatur enim pluribus argumentis piam animam vt hinc abeat. D

71 Bona repromiſſionis hæreditatem accepturis, depoſita ſuper ſæcula ſunt, & ante omne ſæculum, ſupráque mentem & rationem.

72 Adaptemus nos regulis veræ pietatis, ne ab affectibus ſubuerſi ſpe excidamus.

73 Ieſus eſt Chriſtus vnus ex hæreditate cuius etiã hæres futurus es.

74 Qui ſcientiam de iis quæ ſunt à Deo didicit, Scripturæ de prædictis haud difficilè credit.

75 Mentem ab affectionibus exutam, comperies à Spiritu ſancto conuenienter ad omnia quæ ſperantur, doceri.

76 Ad proportionem mentis purificatæ, anima diuinorum cognitionem recipit. E

77 Qui ad iuſtam regulam corpus aſſuefecerit, in ſcientia verſabitur per quam & amplius purificatur.

78 Mens quæ in diuina philoſophia exercere ſe incipit, à fide auſpicatur, & tranſiens ea quæ in medio interiacent, in ſummam deſinit fidem.

79 Huius philoſophiæ principium timor ſequens, finem verò charitas præuia conſiderat.

80 Mens quæ à ſtabili fide exorditur, vltra omnẽ eſt philoſophiam, deſinítque in theologiam mẽtis, quam

quam definiunt incomprehensibilem fidem, & incognitæ rei contemplationem.

81 Verba quibus beati sanctíque patres nostri de Deo considerant & loquuntur, non ex his quæ per ipsum, sed quæ circa ipsum, accipiunt.

82 Omnia autem verba quæ circa Deum intelligunt, vel per affirmationem, vel negationem dicta.

83 Essentia, deitas, bonitas, & quæcunque alia affirmatiua per affirmationem dicuntur, cæterum esse sine principio & immensum, & incircumscriptum, & quæcunque negatiua per negationem dici intelliguntur.

84 Quum vna sit sanctæ trinitatis vnitas absconditior quàm ratione vel mente capi queat, prædicta tamen & similia aiunt quæ circa ipsam considerantur.

85 Sicut autem vnam Deitatem sanctæ Trinitatis dicũt, ita & tres hypostases vnius deitatis glorificãt.

86 Intelligunt autem prædicta per negationem & affirmationem, vt communia sunt sanctæ vniusque essentiæ trinitati, absque proprietatum denotatione, quarum nonnullas per affirmationem, nonnullas per negationem enunciant.

87 Appellant autem diuinarum hypostasium proprietates paternitatem, filiationem, processionem, & quæcunque alia propriè dicuntur.

88 Hypostasin definiunt essentiam cum proprietatibus, ideò vnaquæque hypostasis habet quid cõmune essentiæ, & quid proprium hypostasis.

89 Prædicta autem communia omnibus in sancta Trinitate, quæ per negationem attribuuntur magis propria iudicãtur his, quæ per affirmationẽ sunt dicta. At non similiter in proprietatibus. Nam earum etiam aliquas, vt prædictum est, per affirmationem, aliquas per negationem dicunt, vt genitum esse & similia. Etenim non esse genitum, singulari significato differt à genitum esse. Per hoc enim filius genitus esse significatur, per illud verò, Pater non esse genitus.

90 Verbis insuper & nominibus vsi sunt, ad declarandas rationes, quibus ea quæ circa essentiam sunt sanctæ Trinitatis, vt dictum est, considerantur, non vt ea quæ ipsius sunt essentiæ declarent, eiusmodi enim nulla mente cognosci, nullóque sermone eloqui possunt, sed soli Trinitati sunt cognita.

91 Sicut autem dicunt vnam essentiam trium hypostasium, sic & vnius essentiæ confitẽtur sanctam Trinitatem.

92 Enimuerò Patrem contemplantur sine principio, & principium, & sine principio quidem vt ingenitum. Principium autem vt genitorem & eructatorem eorum qui ex ipso nempe sempiterno & in ipso existunt, filij inquam, & Spiritus sancti.

93 Vnitas apud ipsos ad Trinitatẽ vsque promota manet vnitas, & trinitas vsque ad vnitatem iterum coacta manet Trinitas, quod valde admirabile est.

94 Intelligunt quidem omnes Filium & Spiritum sanctum nõ carere quidem principio, sempiternos autem. Et ideò non sine principio, quia ad principium & fontem referuntur, Patrem scilicet. Sempiternos verò, quòd à sempiterno, ille per modũ generationis, hic per modũ processionis Patri coexistit.

95 Vnam autem Trinitatis Deitatem inseparabilem custodiunt, & inconfusas tres hypostases vnius Deitatis discernunt.

96 Proprietates Patris dicunt, non esse genitum, & esse ab initio. Filij vero esse in principio, & esse genitum. At Spiritus sancti, cùm principio esse & procedere. Principium autem Filij & Spiritus sancti non temporale dicunt. Sed quomodo? causam manifestant ex qua, sicut ex sole lumen, & ex sempiterno existentiam habent. Ex ipsa enim secundũ essentiam, non post ipsam.

97 Proprietas item hypostaseôn ab ipsis seruatur immobilis & stabilis, ínque alteram non cadens. Communitas verò essentiæ Deitatis videlicet inseparabilis.

98 Vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate confitemur, vt pote, quæ separet inseparatos, & coniungat separatos.

99 Principium autem vnum omnium patrem scimus. Et principium quidem Filij & Spiritus, vt genitorem & fontem coæternum coæternorum & simul immensorum & indefinitorum, & vnius essentiæ, & incircumscriptorum. Principium verò creaturarũ, vt opificẽ & prospectorem, & iudicẽ, nempe per Filium in Spiritu sancto. Ex ipso enim agit & per ipsum & in ipso omnia, ipsi gloria in sæcula.

100 Coæternos item dicunt Patri, nõ tamen simul cum eo carentes principio, & coæternos quidem, vt coexistentes Patri, ab immenso. Nõ carentes autẽ principio, quia non sine causa sunt. Ex ipso enim licet non post ipsum, sicut ex sole lumẽ, vt prædictũ est. Dicunt autem & carentes principio, vt siquis de temporali principio loquatur ne subesse tempori putentur, à quibus tẽpus cœpit. Non carent igitur principio causali, carent autem principio temporali. Quòd ante omne sæculum & tempus & super sęculum & tempus, per quos & sæculũ & tempus, & quæ in sæculo, & quæ in tempore, & quòd Patri, sicut prædictũ est coæterni. Cum quibus ipsi sit gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

Cauta Legap.

GILDAE SAPIENTIS, PRESBYTERI IN LIBRVM DE EXCIDIO BRITANNIÆ,

PRÆFATIO.

IN hac epistola quicquid deflendo potius quàm declamando, vili licet stylo, tamen benigno fuero persecutus, nequis me affectu cunctos spernentis omnibúsve melioris (quippe qui commune bonorum dispendium, malorúmque cumulum lachrymosis querelis defleam) sed condolentis patriæ incommoditatibus miseriísque eius ac remediis condelectantis edicturum putet: quia non tam fortissimorum militum enunciare trucis belli pericula mihi statutum est, quàm desidiosorum silui fateor, cum immenso cordis dolore, vt mihi renum scrutator testis est Dominus, spatio bilustri vel eò amplius prætereuntis, imperitia, sicut & nunc, vnà consimilibus me meritis inhibentibus,

ne qualemcunque admonitiunculam scriberem. Legebam nihilominus admirandum legislatorem ob vnius verbi dubitationem, terram desiderabilem non introisse; filios sacerdotis alienum admouendo altari ignem, cito exitu perisse, populum verborum Dei præuaricatorem omnem ad vnum (duobus exceptis veracibus) & quidem Deo charissimum (quippe cum iter leuissima stratum profundi glarea maris rubri, cibus cœlestis panis, potus nouus ex rupe viatorius, acies inuicta manuum sola intensa erectione, fuerit) bestiis, ferro, igni per Arabiæ deserta sparsim cecidisse, post ingressum ignotæ terræ, ac fluminis Iordanis, portas vrbis, aduersáque mœnia, solis tubarum clangoribus iussu Dei, subruta, palliolum aurique parum de anathemate præsumptum multos strauisse. Gabaonitarum irritum fœdus calliditate licet extortum nonnullis intulisse exitium, ob peccata hominum, querulas sanctorum Prophetarum voces, & maximè Hieremiæ ruinam ciuitatis suæ quadruplici plangentis alphabeto. Videbam etiam nostro tempore, vt ille defleuerat, solam sedisse vrbem viduam, antea populis ple-

Thren. 10. *nam, gentium dominam, principem prouinciarum sub tributo fuisse factam, id est, ecclesiam, obscuratum aurum, colorémque optimum mutatum, quod est verbi Dei splendorem filios Syon, id est, sanctæ matris ecclesiæ inclytos, & amictos auro puro, amplexatos fuisse stercora. Et quod illi intolerabiliter vtpote præcipuo mihi quoque licet abiecto, vtcunque ad cumulum doloris crescebat, dum ita eosdem statu prospero viuentes egregios luxerat, vt diceret:* Candidiores Na-

Ibid. 4. *zarei eius niue, rubicundiores ebore antiquo, | Saphyro pulchriores. Ista enim & multa alia veluti speculum quoddam vitæ nostræ in scripturis veteribus intuens, conuertebar etiam ad nouas, & ibi legebam clarius, quæ mihi forsitan antea obscura fuerant, cessanti vmbra, ac veritate firmius illucescente. Legebam, inquam Dominum dixisse:* Non veni, nisi ad oues perditas domus Israël. *Et econtrario:* Filij autem regni huius eiicientur in tenebras exteriores,

Math. 15. & 8. & 13 & 7 *ibi erit fletus & stridor dentium. Et iterum:* Non est bonum tollere panem filiorum, & mittere canibus. *Item:* Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ. *Audiebam:* Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac & Iacob, in regno cœlorum. *Et ediuerso,* & tunc dicam eis: Discedite à me

Math. 24. & 25. *operarij iniquitatis. Legebam:* Beatæ steriles, & vbera quæ non lactauerunt. *Et econtrario.* Quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias. Postea venerunt & reliquæ virgines dicentes: Domine aperi nobis, quibus responsum fuerat: Non noui vos. *Audiebam sanè:* Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui

Mar. vlt. Rom. 11. *autem non crediderit, condemnabitur. Legebam Apostoli voce, oleastri ramum bonæ oliuæ insertum fuisse, sed à societate radicis pinguedinis eiusdem si non timuisset, & alta saperet, excidendum. Sciebam misericordiam Domini, sed & iudicium timebam. Laudabam gratiam, sed redditionem vnicuique secundum opera sua verebar. Oues vnius ouilis dissimiles, cernens, meritò beatissimum dicebam Petrum ob Christi integram confessionem: at Iudam infœlicissimum, propter cupiditatis amorem. Stephanum glorioſum, ob martyrij palmam, sed Nicolaum miserum propter immundæ hæreseos notam. Legebam certè:* Erant illis omnia communia. *Sed & quod dictum est:* Quare conuenit vobis tentare Spiritum sanctum

Act. 4. Dei? *Videbam è regione, quantum securitatis hominibus nostri temporis ac si non esset, quod timeretur increuerat. Hæc igitur & multo plura quæ breuitatis causa omittenda decreuimus, cum qualicunque cordis compunctione, attonita mente sæpius voluens, si inquam, nationibus, peculiari ex omnibus, populo, semini regali gentique sanctæ, ad quam dixerat primogenitus meus Israel, eiúsque sacerdotibus, Prophetis, regibus per tota secula, Apostolo ministro, membris etiam eius illius primitiuæ Ecclesiæ Dominus non pepercit, cum à recto tramite deuiarint, quid tali huius atramento ætatis facturus est? cui præterilla nephanda immaniáque peccata quæ communiter cum omnibus mundi sceleratis agit. Accidit etiam illud, veluti ingenitum quid & indelebile insipientiæ pondus, & leuitatis ineluctabile? Quid mihimet aio tibi ne miser veluti conspicuo ac summo doctori talis cura committitur? vt obstes ictibus tam violenti torrentis? & contrà hunc inolitorum scelerum funem per tot annorum spatia interruptè latéque protractum, serues depositum tibi creditum? & taceas? alioquin hoc est dixisse pedi, Speculare, & manui, Fatere. Habet Britannia rectores, habet speculatores. Quid tu nugando mutire disponis? Habet inquam, habet, si non vltra, non citra numerum: sed quia inclinati tanto pondere sunt pressi, idcirco spatium respirandi non habent. Præoccupabant igitur se mutuò talibus obiectionibus, vel multo his mordacioribus, veluti condebitores sensus mei. Hi non paruo, vt dixi, tempore, cum legerim, tempus esse loquendi, & tacendi, in quadam ac si angusta timoris porticu luctabantur, obtinuit, vicítque tandem aliquando creditor. Si non es inquiens talis audaciæ, vt non pertimescas, libertatis aureæ decenti nota inuri, affectum saltem non refugito intelligibilis asinæ eatenus elinguis spiritu Dei afflatæ nolentis se vehiculum fore Tiarati magis deuoturi populum Dei, quæ in angusto maceriæ vinearum, resolutum eius attriuit pedem, ob id, licet verbera hostiliter senserit, cuíque angelum cœlestem ensem vacuum vagina habentem, atque contrarium quem ille cruda stoliditate cæcatus non viderat, digito quodammodo, quanquam ingrato ac furibundo, & innoxia eius latera contra ius fásque cædenti demonstrauit. Inzelo igitur domus Domini, sacræ legis seu cogitatum rationibus, vel fratrum religiosis precibus coactus, nunc persoluo debitum multo tempore antea exactum, vile quidem, sed fidele, vt puto, & amicum quibúsque egregiis Christi tyronibus, graue vero & importabile apostatis insipientibus, quorum priores, ni fallor, cum lachrymis fortè quæ ex Dei charitate profluunt: alij enim cum tristitia, sed quæ de indignatione & pusillanimitate deprehensæ conscientiæ extorquetur, illud excipient. Sed ante promissum, Deo volente, pauca de situ, de contumacia, de subiectione, de rebellione. Item de subiectione ac diro famulatu, de religione, de persecutione, de sanctis Martyribus, de diuersis hæresibus, de tyrannis, de duabus gentibus vastratricibus, de defensione: itémque vastatione, de secunda vltione, tertiáque vastatione, de fame, de epistolis, de victoria, de sceleribus, de nunciatis subitò hostibus, de famosa peste, de consilio, de sæuiore multo primis hoste, de vrbium subuersione, de reliquiis, de postrema pace, quæ temporibus nostris Dei nutu, donata est, dicere conamur.*

GILDAS

GILDAS SAPIENS DE EXCIDIO ET CONQVESTV BRITANNIÆ, SIVE ACRIS CORREPTIO IN TOTIVS BRITANNICÆ nobilitatis ordinem, & Plebem.

BRitannia insula in extremo fermè orbis limite, circium occidentémque versus, diuina, vt dicitur, statera terrę totius põderatrice librata, ab Africo boreali propensius tensa axi, octingẽtorum in longitudinem millium, ducentorum in latitudinem spacium exceptis diuersorum prolixioribus promontoriorũ tractibus, quę arcuatis Oceani finibus ambiuntur tenẽs, cuius diffusiore, & vt ita dicam, intransmeabili vndique circulo absque meridianæ freto plagæ, quò ad Galliã Belgicam nauigatur, vallata duorum ostiis nobiliũ fluminũ Thamesis ac Sabrinæ, veluti brachiis, per quæ, eidem olim transmarinæ deliciæ ratibus vehebantur: aliorũque minorum, munita bis denis, bisque quaternis ciuitatibus, ac nonnullis castellis, murorum, turrium, portarũ, domorum, quarũ culmina minaci proceritate porrecta in edito forti cõpage pangebantur, munitionibus non improbabiliter instructis decorata, campis late pansis, collibúsque amœno situ locati, præpotẽti culturæ aptis, mõtibus alternandis animalium pastibus maximè conuenientibus: quorum diuersorum colorum flores humanis gressibus pulsati, non indecentem ceu picturam eisdem imprimebant, electa veluti sponsa monilibus diuersis ornata, fontibus lucidis, crebris vndis niueas veluti glareas pellentibus, pernitidisque riuis leni murmure serpentibus, ipsorumque in ripis accubantibus, suauis soporibus pignus prætendentibus & lacubus frigidum aquæ torrentem viuæ exundantibus irrigua. Hæc erecta ceruice & mente, ex quo inhabitata est, nunc Deo, interdum ciuibus, nonnunquam etiam transmarinis regibus, & subiectis ingrata consurgit. Quid enim deformius, quídque iniquius potest humanis ausibus vel esse, vel intromitti negociũ, quàm Deo timorem, bonis ciuibus charitatem, in altiore dignitate positis, absque fidei detrimento, debitum denegare honorem? & frangere diuino sensui humanóque fidem? & abiecto cœli terræque metu, propriis adinuentionibus & libidinibus aliquem regi? Igitur non omittens priscos communésque cũ omnibus gentibus, errores, quibus ante aduentum Christi, in carne omne humanum genus obligabatur adstrictum, nec enumerans patriæ portenta, ipsa diabolica penè numero Ægyptiaca vincẽtia: quorum nonnulla lineamentis adhuc deformibus intra vel extra deserta mœnia, solito more rigantia, toruis vultibus intuemur: neque nominatim inclamitans montes ipsos, aut colles, vel fluuios olim exitiabiles: nunc verò humanis vsibus vtiles, quibus diuinus honor à cæco tunc populo cumulabatur, & tacens vetustos immanium tyrannorum annos, qui aliis longe positis regionibus vulgati sunt, ita vt Porphirius rabidus orientalis aduersus ecclesiam canis dementiæ suæ ac vanitatis stylo hoc etiam adnecteret. Britannia, inquiens, fertilis prouincia tyrannorum. Illa tantum proferre conabor in medium, quæ temporibus Romanorũ imperatorum & passa est, & aliis intulit ciuibus & longè positis mala. Quantum tamen potuero non tã ex scriptis patrię, scriptorúmq; monimẽtis quippe quæ vel siqua fuerint aut ignibus hostium exusta, aut ciuium exulum classe longius deportata nõ compareant, quàm transmarina rẽlatione, quæ crebris irrupta intercapedinibus non satis claret. Etenim reges Romanorum cum orbis imperium obtinuissent, subiugatísque finitimis quibusque regionibus vel insulis, Orientem versus, primæ Parthorum, Indorum confinium parta pace, qua peracta in omni penè terra tum cessauere bella, & potioris famæ viribus firmasset, non acies flammæ quodãmodo rigidi † tenoris ad Occidentem, cæruleo Oceani torrente potuit vel cohiberi, vel extingui: sed transfretans Insulæ parendi leges nullo obsistente aduexit, imbellémque populum & infidelem non tam ferro, igni, machinis, vt alias gentes, quàm solis minis, vel iudiciorum concussionibus in superficie tantum vultus, presso in altum cordis dolore sui obedientiam proferentem edictis subiugauit: Quibus statim Romani ob inopiam vt aiebant stipẽdij, repedantibus, & nihil de rebellione suspicantibus, rectores sibi relictos ad annũcianda plenius, vel cõfirmanda Romani regni molimina leæna trucidat dolosa. Quibus ita gestis, cum talia senatui nunciarẽtur, & propero exercitu, vulpeculas subdolas vlcisci festinaret, non militaris in mari classis parata fortiter dimicare pro patria, nec quadratum agmẽ, dextrum cornu, aliiue belli apparatus in littore cõspiciuntur, sed terga pro scuto fugantibus dantur, & colla gladiis gelido per ossa tremore currẽte manus vinciẽdæ, muliebriter protendũtur. Ita in prouerbium & derisum longè latéque effertur, Britanni non sunt in bello fortes, nec in pace fideles. Itaque Romani multis perfidorum cæsis, nonnullis ad seruitutem ne terra penitus in solitudinem redigeretur, mancipatis, patria vini oleíque experta relicta, Italiam petunt, suorum, quosdam relinquẽtes præpositos indigenarum dorsis mastigias, ceruicibus iugum, solo nomine Romanæ seruitutis honorem facturos, ac non tam militari manu, quàm flagris callidam gentem maceraturos, & si res sic postulasset, ensem, vt dicitur, vagina vacuum lateri eius accommodaturos, ita vt non Britannia, sed Romana cẽseretur, & quicquid haberi potuisset æris, argenti vel auri, imagine Cæsaris notaretur. Interea glaciali frigore rigent insulæ quæ velut longiore terrarum secessu, Soli visibili non est proxima, verus ille non de firmamento solum temporali, sed de summa etiam cœlorũ arce tempora cuncta excedente, vniuerso orbi præfulgidum sui lumen ostendens Christus suos radios, id est, sua, præcepta indulget, tempore, vt scimus, summo Tiberij Cæsaris, quo absque vllo impedimento,

† terroris

cius propagabatur religio, indicta ſenatu nolente, à principe morte dilatoribus militum eiuſdē. Quę licet ab incolis tepidè ſuſcepta ſint, apud quoſdā tamen integrè, & alios minus vſque ad perſecutionem Diocletiani tyranni nouennē, in qua ſubuerſæ per totum mundū ſunt eccleſiæ, ſacræ ſcripturæ quæ inueniri potuerāt in plateis exuſtæ & electi ſacerdotes gregis Domini, cum innocētibus ouibus trucidati, ita, vt ne veſtigium quidem ſi fieri potuiſſet, in nonnullis prouincię locis Chriſtianæ religionis appareret. Tunc quantæ fugæ, quantæ ſtrages, quantæ diuerſarum mortiū pœnę, quātæ apoſtatarū ruinæ, quantæ glorioſæ martyrum coronę, quāti perſecutorum rabidi furores, quantæ ècontrariò ſanctorū patientiæ fuere, eccleſiaſtica hiſtoria narrat: ita vt agmine denſo certatim relictis poſt tergum mūdialibus tenebris, ad amœna cœlorū regna quaſi ad propriam ſedem tota feſtinaret eccleſia. Magnificauit igitur miſericordiā ſuam nobiſcum Deus volēs omnes homines ſaluos fieri, & vocans non minus peccatores, quàm eos qui ſe putant iuſtos. Qui gratuito munere ſupradicto, vt cōiicim⁹, perſecutionis tempore, ne penitus craſſa atrę noctis caligine Britānia obſcuraretur, clariſſimos lampades ſanctorum martyrū nobis accendit: quorum nunc corporum ſepulturæ, & paſſionū loca, ſi non lugubri diuortio barbarorū, quàm plurima ob ſcelera noſtra ciuibus adimerentur, non minimum intuentium mentibus ardorem diuinæ charitatis incuterent. Sanctum Albanum Verulaminēſem, Aaron & Iulianum legionum vrbis ciues, cæteróſque vtriuſq; ſexus diuerſis in locis ſumma magnanimitate in acie Chriſti perſtātes dico: quorū prior poſtquam charitatis gratia, confeſſorē perſecutoribus inſectatum, & iā iāque comprehendendum imitās, & in hoc Chriſtum animam pro ouibus ponentem domo primum, ac mutatis demum mutuo veſtibus occuluit, & ſe diſcrimini in fratris ſupradicti veſtimentis libenter perſequendū dedit: ita Deo placēs inter ſacram cōfeſſionem cruorémque, coram impiis Romana tum ſtigmata cum horribili phantaſia, præferentibus, ſignorum miraculis mirabiliter adornatus eſt, vt oratione feruenti, inſtar Iſraëliticæ arentis viæ minúſque tritæ, ſtante diu arca propè glareas teſtamēti, in medio Iordanis canali, iter ignotum trans Thameſis nobilis fluuij alueum cū mille viris, ſicco ingrediens pede, ſuſpēſis vt inque more præruptorum fluuialibus montiū gurgitibus aperiret, & priorem carnificē tanta prodigia videntem in agnum ex lupo mutaret, & vnà ſecum triūphalem martyrij palmam ſitire vehementius, & excipere fortius faceret. Cæteri verò ſic diuerſis cruciatibus torti ſunt, & inaudita mēbrorū diſcerptione lacerati, vt abſque cūctamine glorioſi in egregiis Hieruſalem veluti portis martyrij ſui trophæa defigerent. Nam qui ſuperfuerant, ſyluis ac deſertis abditiſque ſpeluncis ſe occultauere, expectantes à iuſto rectore omnium Deo carnificibus ſeuera quandoque iudicia, ſibi verò animarum tutamina. Igitur biluſtro ſupradicti turbinis necdum ad integrū expleto emarceſcentibúſque necis autorem nephariè edictis, lætis luminibus omnes Chriſti tyrones, quaſi poſt hyemalem ac prolixam noctem temperiem, lucémque ſerenam auræ cœleſtis excipiunt, renouant eccleſias ad ſolum vſque deſtructas, Baſilicas ſanctorum martyrū fundant, conſtruūt, perficiunt, ac veluti victricia ſigna paſſim propalant, dies feſtos celebrant ſacra mūdo corde oréque conficiunt, omnes exultant filij gremio ac ſi matris eccleſię conſorti. Māſit namque hæc Chriſti capitis membrorum cōſonantia ſuauis, donec Arriana perfidia atrox ceu anguis trāſmarina nobis euomens venena, fratres in vnum habitantes exitiabiliter faceret ſe iungi, ac quaſi via facta, trans Oceanum, omnes omninò beſtiæ feræ morti ferū cuiuſlibet hæreſcos virus horrido ore vibrantes, lætalia dentium vulnera patriæ noui ſemper aliquid audire volenti, & nihil certè ſtabiliter obtinenti infigebant. Itémque tādem tyrannorum virgultis creſcentibus, & in immanem ſyluā iam iámque erumpētibus, inſula nomen Romanum nec tamen morem legémque tenens, quin potius abiiciens germen ſuæ plantationis amariſſimæ, ad Gallias magna comitante ſatellitum caterua, Maximum imperatoriis inſignibus quæ nec decenter vſquam geſſit, non legitimè, ſed ritu tyrannico initiatum mittit. Ille callida primū arte potius quàm virtute, finitimos quoſque pagos vel prouincias contra Romanum ſtatum, retia periurij mendaciíque ſui facinoroſo regno adnectens, & vnā alarum ad Hiſpaniam, alteram ad Italiā extendens, & thronum iniquiſſimi imperij apud Treueros ſtatuens, tanta inſania in domos debacchatus eſt, vt duos imperatores legitimos vnū Roma, alterum religioſiſſima vita pelleret. Nec mora tam feralibus vallatus audaciis, apud Aquileiam vrbem capite nephandè cæditur, qui decorata totius orbis capita regno quodammodo deiecerat. Exin Britānia omni armato milite, militaribus copiis rectoribus licet immanibus ingenti iuuētute ſpoliata, quæ comitata veſtigia ſupradicti tyranni domū nuſquā vltra rediit, & omnis belli vſu penitus ignara, duabus primum gentibus tranſmarinis vehementer ſęuis, Scotorum à Circio, Pictorum ab Aquilone cacabilis multos ſtupet gemétque annos, ob quarum infeſtationē, ac diriſſimā depreſſionē, Legatos Romam cum epiſtolis mittit, militarē manū ad ſe vindicandam lachrymoſis poſtulationibus poſcens, & ſubiectionem ſui Romano imperio continuè tota animi virtute, ſi longius arceretur, voues. Cui mox deſtinatur legio præteriti mali immemor, ſufficienter armis inſtructa, quæ ratibus trās Oceanū in patriam aduecta, & cominus cum grauibus hoſtibus cōgreſſa, magnámque ex eis multitudinem cædens, omnes è finibus depulit, & ſubiectos ciues tam atroci dilaceratione ex imminēti captiuitate liberauit, quos iuſſit cōſtruere inter duo maria trans inſulam, murum, vt eſſet arcendis hoſtibus à turba inſtructus terrori, ciuibúſque tutamini: quia vulgò irrationabili abſque rectore factus non tam lapidibus quàm ceſpitibus non profuit. Legione autē domum cum triumpho magno, & gaudia repetente, illi priores inimici ac ſi Ambrones lupi profunda fame rabidi, ſiccis faucibus ouile circumſilientes non comparante paſtore alis remorum remigúmque brachiis ac velis ventorum plenis vecti, terminos rumpunt cæduntque omnia, & quæque obuia naturam ceu ſegetem metunt, & calcant, tranſeunt. Iterumque mittuntur queruli legati ſciſſis, vt dicitur,

573

vt dicitur, veſtibus, operísque ſabulone capitibus, impetrantes à Romanis auxilia, ac veluti timidi pulli matrum fidiſſimis alis ſuccumbentes: ne penitus miſera patria deleretur, nomenque Romanum quod verbis tãtum apud eos auribus reſultabat, vel exterarum gentium opprobrio obroſum vileſceret. At illi quantum humanæ naturæ poſſibile eſt, commoti tantæ hiſtoria tragœdiæ, volatus ſeu aquilarũ, equitum in terra, nautarum in mari curſus accelerantes inopinatos, primum tandem terribiles inimicorum ceruicibus infigunt mucronum vngues, caſibus quæ foliorum tempore certo aſſimilandam iiſdem peragunt ſtragem, ac vt montanus torrens crebris tempeſtatum riuulis auctus, ſonoróq; meatu alueos exundans, vno obiectas ſibi euincit gurgite moles, ita æmulorũ agmina auxiliatores egregij ſi qua tamen euadere potuerant præproperè trãs maria fugauerunt, quia anniuerſarias auide prædas nullo obſiſtente, trans maria exaggerabant. Igitur Romani patriæ denunciantes, nequaquam ſe tã laborioſis expeditionibus poſſe frequentius vexari, & ob imbelles erraticósque latrunculos, Romana ſigna tantum talémque exercitum terra ac mari fatigari, ſed vt potius ſola conſueſcendo armis ac viriliter dimicando terram, ſubſtantiolam, coniuges, liberos, & quod his maius eſt libertatem vitámque totis viribus vindicaret, & gentibus nequaquam ſe fortioribus niſi ſegnitia & torpore diſſolueretur, inermes vinclis vinciẽdas nullo modo, ſed inſtructas peltis, enſibus, haſtis, & ad cædem promptas protẽderet manus, ſuadentes. Et quia hoc putabant aliquid derelinquendo populo commodi adcreſcere, murum non vt alterum ſumptu publico priuatóq;, adiunctis, ſecum miſerabilibus indigenis, ſolito ſtructuræ more, tramite à mari vſque ad mare inter vrbes, quæ ibidem fortè ob metum hoſtium collocatæ fuerant, directo ædificant, fortia formidoloſę populo monita tradunt, exemplaria inſtituendorum armorũ relinquunt, In littore quoque Oceani ad meridianam plagam, quo naues eorum habebantur, quia & inde Barbaricæ feræ beſtiæ timebãtur, turres per interualla ad proſpectum maris collocant, valedicunt, tãquam vltrà non reuerſuri. Itaque illis ad ſua remeantibus, emergunt certatim de Carruchis, quibus ſunt trans Scythicam vallem euecti, quaſi in alto Titane, incaleſcentéque caumate, de arctiſſimis foraminum cauerniculis fuſci vermiculorum cunei, tetri Scotorum Pictorúmq; greges moribus ex parte diſſidentes, & vna eadémque ſanguinis fundendi auiditate concordes, furciferósque magis vultus pilis, quàm corporum pudẽda pudendíſque proxima veſtibus tegentes, cognitáq; condebitorum reuerſione, & reditus denegatione, ſolito confidentiores omnem aquilonarem extremámque terræ partem pro indigenis murotenus capeſſunt. Statuitur ad hæc in edito arcis acies ſegnis ad pugnam, inhabilis ac trementibus præcordiis inepta, quæ diebus ac noctibus ſtupido ſedili marceſcebat. Interea non ceſſant vncinata nudorũ tela, quibus miſerrimi ciues de muris tracti ſolo allidebãtur, hoc ſcilicet eis proderat immaturæ mortis ſupplicium, quod qui tali funere rapiebantur, fratrum pignorúmque ſuorum miſerandas imminentes pœnas cito exitu deuitabant. Quid plura?

A

B

C

D

E

relictis ciuitatibus, muróque celſo, iterum illis fugæ, iterum diſperſiones ſolito deſperabiliores: item ſtrages accelerantur crudeliores, & ſicut agni à lanionibus, ita deflendi ciues ab inimicis diſcerpuntur, vt commemoratio eorum ferarum aſſimiletur agreſtium: nam & ipſis mutuo, nec pro exigui victus breui ſuſtentaculo, miſerrimi ciues latrocinando temperabant, & augebantur externæ clades domeſticis motibus, quod huiuſcemodi tã crebris direptionibus vacuaretur omnis regio, totius cibi baculo excepto venatoriæ artis ſolatio. Igitur rurſũ miſerè mittentes epiſtolas reliquas ad Aetium Romanæ poteſtatis virũ, hoc modo loquentes: Aetio ter conſuli gemitus Britannorũ, & poſt pauca, quærentes inquiunt: Repellunt nos Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros. Inter hæc, oriuntur duo genera funerum, aut iugulamur, aut mergimur, nec pro eis quicquam adiutorij habentes. Interea fames dira ac famoſiſſima vagis ac nutabundis hæret, quæ multos eorum cruentis compulit prædonibus ſine dilatione, victas dare manus, vt pauxillum ad refocillandam animam cibi caperent. Alios verò nuſquam, quin potius de ipſis montibus, ſpeluncis ac ſaltibus, dum conferti continuò rebellabant. Et tum primum inimicis per multos annos prædas agentibus ſtrages dabant, non fidentes in homine, ſed in Deo, ſecundum illud Philonis: Neceſſe eſt adeſſe diuinum, vbi humanũ ceſſet auxiliũ. Quieuit parumper inimicorum audacia, nec tamen noſtrorũ malitia. Receſſerant hoſtes à ciuibus, nec ciues à ſuis ſceleribus. Moris namque continui gentis erat, ſicut & nunc eſt, vt infirma eſſet ad retundenda hoſtiũ tela, & fortis eſſet ad ciuilia bella, & peccatorum onera ſuſtinẽda, infirma, inquam, ad exequenda pacis ac veritatis inſignia, & fortis ad ſcelera & mendacia. Reuertuntur ergo impudentes graſſatores Hyberni domum, non longo poſt tempore reuerſuri. Picti in extrema parte inſulæ, tunc primum & deinceps requieuerunt, prædas & contentiones nonnunquam facientes. In talibus itaq; induciis, deſolato populo ſæua cicatrix obducitur famis, alia virulentiore tacitè pullulante. Quieſcẽte autem vaſtitate, tantis abundantiarum copiis inſula affluebat, vt nulla habere tales retrò ætas meminiſſet, cum quibus commodis & luxuria creſcit. Creuit etenim germine præpollenti, ita vt competenter eodẽ tempore diceretur. *Omninò talis auditur fornicatio, qualis nec inter gentes.* Non ſolum verò hoc vitium, ſed & omnia quæ humanæ naturæ accidere ſolent, & præcipuè quod & nunc quoque in ea totius boni euertit ſtatum, odium veritatis, cum aſſertoribus, amórque mendacij, cum ſuis fabricatoribus, ſuſceptio mali, pro bono, veneratio nequitiæ, pro benignitate, cupido tenebrarum, pro ſole, exceptio Satanæ, pro Angelo lucis. Vngebantur reges non per Dominum, ſed, qui cæteris crudeliores exiſterent, & paulò poſt ab vnctoribus non pro veri examinatione, trucidabantur, aliis electis truciori-bus. Si quis verò eorum mitior, & veritati aliquatenus proprior videretur in hunc quaſi Britanniæ ſubuerſorem omnium odia teláque ſine reſpectu, contorquebantur, & omnia quæ diſplicuerint, Deóque placuerint, æquali ſaltẽ lance pendebantur. Si non gratiora fuiſſent diſplicentia, ita vt me-

1. Cor 5.

ritò illud patriæ propheticum, quod veteri illi populo denunciatum est potuerit aptari. Filij, inquiēs, sine lege, dereliquistis Deum, & ad iracundiam prouocastis sanctum Israël. Quid adhuc percutiemini apponentes iniquitatem? *omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis vsque ad verticem*, non est in eo sanitas. Sic agebant cuncta, quæ saluti contraria fuerint, ac si nihil mundo medicinæ à vero omnium medico largiretur, & non solùm hæc seculares viri, sed & ipse grex Domini eiúsque pastores, qui exemplo esse omni plebi debuerint ebrietate quàm plurimi quam vino madidi torpebant resoluti & animositatum tumore, iurgiorum contentione inuidiæ capacibus vngulis, indiscreto boni malíque iudicio carpebantur, ita vt perspicuè sicut & nunc est, *effundi* videretur *contentio super principes qui eos facerent errare in inuio, & non in via.* Interea volente Deo purgare familiam suam, & tanta malorum labe infectam auditu tantum tribulationis emendare, non ignoti rumores penniger ceu volatus arrectas omniū penetrat aures. Iamiámq; aduentus veterum hostium violentium penitus delere, & inhabitare solito more, à fine vsque ad terminum, regionem, nequaquam tamen ad hoc proficiunt, sed comparati iumentis insipientibus, strictis vt dicitur morsibus, rationis frenum obfirmantes per latam diuersorum vitiorum ad mortem procliue ducentem, relicto salutari licet arcto itinere discurrebant viam. *Dum* ergo, vt Salomon ait, *seruus durus non emendatur verbis, flagellatur stultus & non sentit*: pestifera nanque lues feraliter insipienti populo incumbit, quæ in breui tantam eius multitudinem remoto mucrone, sternit, quantam ne possint viui humare. Sed hac quidem emendatur vt illud Esaiæ prophetæ in eo quoque impleretur dicentis: *Et vocauit Deus ad planctum & caluitium & cingulum sacci: ecce vitulos occidere & iugulare arietes: ecce manducare, & bibere, & dicere: Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.* Appropinquabat siquidem tempus, quo eius iniquitates, vt olim Amorreorum, complerentur: initur nanque consilium, quid optimū, quidve saluberrimum ad repellendas tam ferales & tam crebras supradictarum gentium irruptiones, prædásque decerni deberet. Tum omnes consiliarij vnà cum superbo tyranno cæcantur adinueniētes tale præsidium, immò excidium patriæ, vt ferociſſimi illi nefandi nominis Saxones Deo hominibúsque inuisi, quasi in caulas lupi in insulam ad retundendas aquilonares gentes, intromitterentur. Quo vtique nihil ei vsquam perniciosius, nihílque amarius factum est. O altissimam sensus caliginem, ô desperabilem crudámque mentis hebetudinem! Quos propensius morte, cum abessent, tremebant sponte, vt ita dicam, sub vnius tecti culmen inuitabant, stulti principes, vt dictum est, Taneos dantes Pharaoni consiliū insipiens. Tum erumpens grex catulorū de cubili leænæ Barbariæ, tribus vt lingua eius exprimitur, Cyulis, nostra, longis nauibus, secundis velis omine, augurijsq;, quibus per vates canebatur, certo apud eum præsagio, quod ter centū annos, patriam cui proras librabat, insideret, C. verò. L. hoc est dimidio temporis, sæpius vastaret. Euectus primum in orientali parte insulæ, iubente infausto tyrāno, terribiles infixit vngues, quasi pro patria pugnaturus, sed eam certius impugnaturus. Cui supradicta genitrix comperiens primo agmini fuisse prosperatum, item mittit satellitum canúmq; prolixiorem cateruam, quæ ratibus aduecta aduna-tur cū manipularibus spuriis. Inde germen iniquitatis, radix amaritudinis, virulenta plātatio nostris cōdigna meritis, in nostro cespite feracibus palmitibus pampinísque pullulat. Igitur intromissi in insulam Barbari veluti milites, & magna, vt mentiebātur, discrimina pro bonis hospitibus subituri impetrant sibi annonas dari, quæ multo tēpore impertitæ clausérunt, vt dicitur, canis faucem. Item queruntur non affluēter sibi epimenia contribui, occasiones de industria colorantes, & ni profusior eius magnificentia cumularetur, testantur se cuncta insulæ, rupto fœdere, depopulaturos. Nec mora, minas effectibus prosequuntur, confouebatur namq; vltionis iustæ præcedentium scelerū causa, de mari vsque ad mare, ignis orientali sacrilegorum manu exaggeratus finitimas quasque ciuitates, agrósque populans, nō quieuit accensus, donec cunctā penè exurens insulæ superficiē, rubra occidētale truciq; Oceanum lingua delamberet. In hoc ergo impetu simili Assyrio olim in Iudam facto, completur quoque in nobis secundum hystoriam, quod Propheta deplorans ait: *Incenderunt igne sanctuarium tuum in terra, polluerunt tabernaculum nominis tui*, & iterum: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, coinquinauerunt templum sanctum tuum, &c.* Ita vt cunctæ coloniæ crebris arietibus, omnésque coloni, cū præpositis ecclesiæ, cum sacerdotibus, ac populo, mucronibus vndique micantibus, ac flammis crepitantibus simul solo sternerentur, & miserabili visu, in medio platearum vna turrium cardine auulso, murorúmque celsorū saxa, sacra altaria, cadauerum frusta crustis purpurei cruoris tecta velut in quodam horrendo torcularī mista viderētur, & nulla esset omnimodis præter domorum ruinas, bestiarum volucrúmque vētres, in medio sepultura, salua sanctarum animarū reuerentia, si tamen multæ inuentæ sint, quæ ad ardua cœli id temporis à sanctis Angelis veherentur. Ita enim degenerauerat tunc vinea illa olim bona, in amaritudinem, vti raro secundum prophetā videretur quasi post tergum vindemiatorū, aut messorum racemus vel spica. Itaque nonnulli miserarum reliquiarū in montibus deprehensi, aceruatim iugulabantur. Alij fame confecti accedētes manus hostibus dabant in æuū seruituri, si tamen non continuo trucidarentur, quod altissimæ gratiæ stabat loco. Alij trāsmarinas petebant regiones, cum vlulatu magno, ceu celeusmatis vice, hoc modo subvelorum finibus, cātantes: *Dedisti nos tanquam oues escarum, & in gentibus dispersisti nos.* Alij montanis collibus, minacibus præruptis, vallatis & densissimis saltibus marinísque rupibus vitam suspecta semper mente, credentes in patria licet trepidi perstabāt. Tempore igitur interueniente aliquanto, cum recessissent, domum crudelissimi prædones, roboratę à Deo reliquiæ quibus se coniungunt vndique de diuersis locis miserrimi ciues tam auide, quàm apes aluearīis procella imminente, simul deprecantes cū toto corde, & vt dicitur, innumeris onerantes æthera votis, ne ad internitionem vsque delerētur, duce Ambrosio Aureliano viro modesto, qui solus fortè

577

tè Romanæ gentis tantæ tempestatis collisioni occisis in eadem parentibus, purpura nimirum inductus superfuerat, cuius nunc temporibus nostris soboles magnopere auita bonitate degenerauerit. Vires capessunt victores prouocantes ad prælium, quibus victoria Domino annuente, ex voto cessit, & ex eo tẽpore nunc ciues, nunc hostes vincebant, vt in ista gente experiretur Dominus solito more præsentem Israelem, vtrum diligat eum, an non, vsque ad annũ obsessionis Badonici montis, nouissimæq; fermè de furciferis non minimæ stragis, qui & meæ natiuitatis est, sed ne nunc quidem vt antea ciuitates patriæ inhabitantur, sed desertæ dirutæq; hactenus squalent cessantibus licet externis bellis, sed non ciuilibus. Hæsit etenim tam desperati insulæ excidij, insperatique mentio auxilij memorię eorum, qui vtriusque miraculi testes extitere, & ob hoc, reges, publici, priuati, sacerdotes, ecclesiastici suum quique ordinem seruarunt. At illis decedẽtibus, cum successisset ætas tempestatis illius nescia & præsentis tantum serenitatis non expers, ita cũcta veritatis ac iustitiæ moderamina cõcussa ac subuersa sunt, vt earum nõ dicam vestigiũ, sed ne monumentum quidem in supradictis propemodum ordinibus appareat, exceptis paucis, & valde paucis, qui ob amissionem tantæ multitudinis, quæ quotidie prona ruit ad Tartara, tam breuis numeri habentur, vt eos quodammodo venerabilis mater ecclesia in suo sinu recumbentes non videat, quos solos veros filios habet. Quorum ne quis me egregiam vitam omnibus admirabilem, Deóque amabilem carpere putet, quibus nostra infirmitas in sacris orationibus, vt non penitus collabatur, quasi columnis quibusdam ac fulcris saluberrimis sustẽtatur, si qua liberius de his, immò lugubrius cumulo malorum compulsus, qui seruiunt non solum ventri, sed & Diabolo potius quàm Christo, qui est benedictus in secula Deus: non tam disceptauero, quàm defleuero. Quippe quid cælabũt ciues quod non solũ norunt, sed exprobrant iã in circuitu nationes? Reges habet Britannia, sed tyrannos, iudices habet, sed impios, sæpe prædantes, & concutientes innocẽtes, vindicantes, & protegẽtes, sed reos & latrones, quamplurimas coniuges habẽtes, sed scortantes, crebro iurantes, & periurantes, vouentes, & continuò propemodum mentientes, belligerantes, sed ciuilia & iniusta bella agentes, per patriam quidẽ fures magnopere insectãtes, & eos qui secum ad mensam sedent, non solum amãtes, sed & munerãtes, eleemosynas largiter dantes, sed è regione immensum montem scelerum exaggerantes, in sede arbitri sedẽtes, sed raro recti iudicij regulam quærẽtes, innoxios, humiléque despicientes, sanguinarios, superbos, parricidas, cõmanipulares, & adulteros, Dei inimicos. Si sors, vt dicitur, tulerit, qui cum ipso nomine certatim delendi erãt, ad sydera prout possunt efferẽtes, vinctos plures in carceribus habentes, quos dolo sui potius quàm merito proterũt catenis onerantes, inter altaria iurando demorãtes & hæc eadem ac si lutulenta paulò post saxa despicientes, Cuius tam nefandi piaculi non ignarus est immundæ leænæ Dannoniæ tyrannicus catulus, Cõstantinus, qui hoc anno post horribile iuramẽti sacramentum, quo se deuinxit, nequaquam dolos ciuibus: Deo primum iuréque iurando sanctorum demum choris, & genitrice comitantibus facturum in duarum venerandis matrum finibus, ecclesiæq; carnalis sub sancto abbate Amphibalo, latera regiorum tenerrima puerorum, vel præcordia crudeliter duum totidémque nutritorum, inter ipsa, vt dixi, sacrosancta altaria, nefando ense, hastáque pro dẽtibus lacerauit: quorum brachia nequaquam armis quę nullus penè hominum fortius hoc eis tempore tractabat, sed Deo altarique protenta in die iudicij, ad tuæ ciuitatis portas Christe veneranda patientiæ ac fidei suæ vexilla suspendent, qui ita sacrificij cœlestis sedem purpurea ac si coagulati cruoris pallia texerunt. Et hoc ne post laudãda quidem merita egit: nam multis ante annis, crebris alternatisque fœtoribus adulteriorum victus legitima vxore cõtra Christi magistrique Gẽtium interdictum, depulsa dicentium: *Quod Deus cõiunxit, homo non separet.* Et *Viri diligite vxores vestras.* Amarissima enim quoddam de vite Sodomorum, in cordis sui infructuosa bono semini gleba surculamẽ incrudelitatis & insipientiæ plantauerat, quod vulgaris domesticisque impietatibus velut quibusdam venenatis imbribus irrigatum & ad Dei offensam auidus se erigens parricidij sacrilegiique crimen produxit, in medium. Sed nec adhuc priorum retibus malorum expeditus priscis recentia auget malis. Age iam, quasi præsentem arguo quem adhuc superesse non nescio. Quid sæue stupes animæ carnifex propriæ? quid tibi flammas inferni voluntariæ accẽdis nequaquam defecturas? quid inimicorum vice propriis te confodis spõte ensibus hastas? annè ipsa quidem virulenta scelerum, ac si pocula pectus tuum satiare quierunt? Respice quæso & veni ad Christum siquidem laboras, & immenso põdere curuaris, & ipse te vt dixit, requiescere faciet, veni ad eum, qui non vult peccatoris mortem, sed vt conuertatur, & viuat. Dissolue secundum prophetam, vincula colli tui fili Sion, redi rogo è longinquis licet peccatorum recessibus, ad pientissimum patrem, qui filios porcorum sordidos cibos, despicienti ac pertimescenti diræ famis mortem & reuertenti sibi lætus occidere consueuit vitulum saginatum, & proferre primam erranti stolam, & regium annulum, vt tunc spei cœlestis ac si saporem prægustans sentiret, quàm suauis est Dominus. Nam si hæc contempseris, scias te inextricalibilibus tenebrosísque ignium torrentibus iam iámque inferni rotandum vrendúmque. Quid tu quoque propheta ait, catule leonine Aureli Conane agis? nónne eodem quo supradictus si non exitiabiliore parricidiorum, fornicationum, adulteriorúmque cœno, velut quibusdam marinis irruentibus tibi voraris feraliter vndis? nónne pacem patriæ morum ferum ceu serpentem odiens, ciuiliáque bella & crebras iniustè prædas sitiens animæ tuæ cœlestis portas pacis ac refrigerij præcludis? Relictus quęso iam solus ac si arbor in medio campo arescens, recordare patrum fratrúmque tuorum superuacuam phantasiam iuuenilem immaturámque mortem. Num centenis tu ob religiosa merita, vel coæuus Mathusale exceptus ex omni prole seruaberis? Nequaquam. Sed nisi citius, vt Psalmista ait, conuersus fueris ad Do-

Matt. 19. Ephes. 5.

Aurelius Conanus.

minum, enſem in te vibrabit in breui ſuum rex ille, qui per Prophetam ait: *Ego*, inquit, *occidam*, & *ego viuere faciam*: *percutiam*, & *ego ſanabo*, & *non eſt, qui de manu mea poſſit eruere*. Quamobrem, excutere de fœtido puluere tuo, & cõuertere ad eũ toto corde, qui creauit te, vt *cum exarſerit in breui ira eius*, beatus ſis ſperans in eum. Sin alias æternæ te manebũt pœnæ conterendum ſæua continuè, & nequaquã abſumẽdum Tartari falce. Quid tu quoque Pardo ſimilis moribus & nequitiis diſcolor, caneſcente iam capite, in throno dolis pleno, & ab imis vertice tenus diuerſis parricidiis & adulteriis conſtuprato, boni regis nequam fili, vt Ezechiæ Manaſſes, Vortipor. Demetarũ tyranne Vortipori, ſtupide riges? Quid te tàm violenti peccatorum gurgites, quos vt vinũ optimum ſorbes, immò tu ab eis voraris, appropinquante ſenſim vitæ limite, non ſatiant? Quid quaſi culminis malorum omnium ſtupro, propria tua amota coniuge, eiuſdémque honeſta morte impudentis filiæ, quodam ineluctabili pondere miſerã animam oneras? Ne cõſumas quæſo dierum quod reliquum eſt, in Dei offenſa: quia nunc tẽpus acceptabile, & dies ſalutis vultibus pœnitentium lucet, in quo bene operari potes, ne fiat fuga tua hyeme, vel ſabbato. *Diuerte* (ſecundum Pſalmiſtam) *à malo & fac bonum, inquire pacem bonam, & ſequere eam*: quia oculi Domini ſuper te bona agentem, & aures eius erunt in preces tuas, & non perdet de terra viuentium memoriam tuam, clamabis, & exaudiet te, & ex omnibus tribulationibus tuis eruet te. Cor ſiquidem contritum & humiliatum timore eius nuſquam Chriſtus ſpernit. Alioquin vermis tortionis tuæ non morietur, & ignis vſtionis tuæ non extinguetur. Vt quid in nequitiæ tuæ volueris vetuſta fæce, & tu ab adoleſcẽtiæ annis, vrſæ multorum ſeſſor, aurigáque currus receptaculi vrſi, Cuneglaſus. Dei contemptor, ſortiſque eius depreſſor Cuneglaſe Romana lingua, lanio fulue? quare tantum certamen tam hominibus quàm Deo præſtas? hominibus ciuibus ſcilicet armis ſpecialibus, Deo infinitis ſceleribus. Quid præter innumerabiles caſus, propria vxore pulſa furciferam germanam eius perpetuam Deo viduitatis caſtimoniam promittẽtem, vt Poëta ait, ſummam ceu teneritudinem cœlicolarum nympharum, tota animi veneratione, vel potius hebitudine contra interdictum Apoſtoli denegantis poſſe adulteros regni cæleſtis eſſe municipes, ſuſpicis? quid gemitus atque ſuſpiria ſanctorum propter te corporaliter mœrentium vice immanis leænæ dentium, oſſa tua quandoque fractura crebris inſtigas iniuriis? *Deſine* quæſo, vt propheta ait, *ab ira, & derelinque* exitiabilem ac temetipſum maceraturum, quẽ cœlo ac terræ hoc eſt Deo gregique eius ſpiras, *furorem*, fac eos potius mutatis pro te orare moribus, quibus poteſtas ſuppetit ſupra mundum alligandi, cum in mundo reos alligauerint, & ſoluendi, cum pœnitẽtes ſoluerint. Noli, vt ait Apoſtolus, ſuperbe ſapere, vel ſperare in incerto diuitiarũ, ſed in Deo, qui præſtat tibi multa abundè, vt per emendationem morum, theſaurizes tibi fundamentum bonum in futurum, & habeas veram vitam perennem profectò non deciduam, alioquin ſcies, & videbis etiam in hoc ſeculo, quàm malum & amarum ſit reliquiſſe te Dominum Deũ tuum, & non eſſe timorem eius apud te, & in futuro tetro ignium globo æternorum te exuri, nec tamen vllo modo mori. Siquidem tam ſceleratorum animæ ſunt immortales igni perpeti, quam ſanctorum lætitiæ. Quid tu etiã inſularis draco, multorũ tyrannorum depulſor tam regno quàm etiam vita ſupradictorum nouiſſime in noſtro ſtylo, prime in malo maior multis potentia ſimúlque malitia, largior in dando, profuſior in peccato, robuſtior armis, ſed animæ fortior excidiis Maglocune, in tam vetuſto ſcelerum atramento, veluti madidus vino de Sodomitana vite expreſſo, ſtolide volutaris? qua re tantas peccaminũ regis ceruici ſpõte, vt ita dicã, ineluctabiles celſorum ceu mõtium inuehis moles? Quid te non ei regum omnium regi à quo cunctis penè Britanniæ ducibus tam regno factus es, quàm ſtatus lineamento editior, exhibes cæteris moribus meliorem, ſed verſa vice, deteriorem? quorum indubitatam æquanimiter conuitiorum auſcultato parumper adſtipulationem omiſſis domeſticis, ſæuioribúſque ſi tamen aliqua ſunt leuia, propalata longè latéque per auras admiſſa teſtaturam. Nõne in primis adoleſcentiæ tuę annis, auunculum regem cum fortiſſimis propemodum militibus, quorum vultus non catulorum leonis in acie magnopere diſpares viſebantur, acerrime enſe, haſta, igni oppreſſiſti? parum cogitans propheticum dictum: *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*. Quid pro hoc ſolo retributionis à iuſto iudice ſepares? & ſi non talia ſequerentur, quæ ſecuta ſunt, itidem dicẽte per Prophetam: *Væ tibi, qui prædaris, nónne & ipſe prædaberis*? & *qui occidis, nónne & ipſe occideris*: & *cum deſineris prædari, tunc cades*? Nónne poſtquam tibi ex voto violenti regni phantaſia ceſſit, cupiditate inuecta ad viam reuertendi rectam, diebúſque ac noctibus id temporis conſcientia forte peccaminum remordente, de deifico tenore monachorúmque decretis, ſub dente primum multa ruminans, dein popularis auræ cognitioni proferens, monachum ſine vllo infidelitatis, vt aiebas, reſpectu perpetuo vouiſti? corã Omnipotẽte Deo, Angelicis vultibus, humaníſque fractis, vt putabatur, moduli tui capaciſſimis illis quibus præcipitanter inuolui ſolẽt pingues tauri retibus. Item omnis regni, auri, argenti, & quod his maius eſt, propriæ voluntatis diſtinctionibus ruptis, & rete ac ſi ſtridulo cauum lapſu aërem validè ſecantem, ſæuóſque rapidi harpagones accipitris ſinuoſis flexibus vitantem, ad ſanctorum tibi magnopere fidas ſpeluncas, refrigeriáque ſalubriter rapuiſti ex coruo columbam? O quanta eccleſiæ matri lętitia, ſi non te cunctorum mortalium hoſtis de ſinu quodammodo eius, lugubriter abſtraxiſſet, foret? O quàm profuſus ſpei cæleſtis fomes deſperatorum cordibus te in bonis permanente inardeſceret? O qualia, quantáque animam tuam regni Chriſti prędmia in die iudicij manerent ſi non lupus callidus ille agnum ex lupo factum te ab ouili dominico, non vehemẽter inuitum facturus lupum ex agno ſibi ſimilem rapuiſſet? O quantam exultationem omnium patri Deo ſanctorum, tua ſalus ſaluanda præſtaret? ſi non te cunctorũ perditorum infauſtus pater veluti magnarũ aquila alarum vngniumque dęmõ ad infœlix filiorum ſuorũ agmen, contra ius fáſque rapuiſſet? Ne multa, tantum

tum gaudij ac ſuauitatis tum cœlo terræq; tua ad bonam frugem, conuerſio, quantum nunc mœroris ac luctus miniſtrauit ad horribilẽ morẽ Moloſſi ægri, vomitum nefanda reuerſio. Qua peracta, exhibentur membra arma iniquitatis peccato, ac diabolo, quæ oportuerat ſaluo ſenſu, auide exhiberi arma iuſtitiæ Deo. Arrecto aurium auſcultantur captu non Dei laudes, canora Chriſti tyronum voce ſuauiter modulante, neque eccleſiaſticæ melodiæ ſed propriæ, quæ nihili ſunt, furciferorum refertę mendaciis, ſimúlque ſpumante flegmate proximos quoſque fœdaturo, præconum ore ritu bacchantium concrepante, ita vt vas Dei quondã miniſterio pręparatum vertatur in zabuli organum, quódque honore cœleſti putabatur dignum, meritò proiiciatur in Tartari baratrum. Nec tamen tantis malorum offendiculis tuus hebetatus inſipiẽtiæ cumulo velut quodam obice tardatur, ſed feruidus, ac ſi pullus amœna quæque imperagrata putans per extenſos ſcelerum campos, irreuocabili furore raptatur, augendo priſcis noua piaculis. Sper-
Nuptiæ illicitæ poſt votũ. nuntur namque primę poſt monachi votum irritũ, illicitæ licet, tam propriæ coniugis pręſumptiuæ nuptiæ, alia viri viuentis non externi, ſed fratris filij adamata. Ob quæ dura ceruix illa multis iam peccaminum faſcibus onerata bino, parricidali auſu, occidendo ſupradictum, vxorémque tuam aliquandiu à te habitam, velut ſummo ſacrilegij tui culmine, de imis ad inferiora curuatur. Dehinc illam cuius dudum colludio ac ſuggeſtione tantæ ſunt peccatorum ſubitæ moles, vt etiam publicæ fallaces paraſitorum linguę tuorum conclamat, ſũmis tamen labiis non ex intimo cordis legitimo, vtpote viduatam thoro, ſceleratiſſimo adſciuiſti cõnubio. Cuius igitur ſancti viſcera tali ſtimulata hiſtoria non ſtatim in fletus ſingultuſque prorũpant? quis ſacerdos cuius cor rectum Deo patet, non ſtatim hæc audiens magno cum vlulatu, illud propheticum dicat? *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo in die & nocte interfectos populi mei?* Heu ſiquidem parum auribus captaſti propheticam obiurgationem ita dicentem: *Væ vobis viri impij, quia dereliquiſtis legem Dei altiſſmi, & ſi nati fueritis, in maledictionem naſcemini, & ſi mortui fueritis, in maledictionem erit pars veſtra.* Omnia quæ de terra ſunt, in terram ibunt, ſic impij à maledictione, in perditionem (ſubauditur, ibunt), ſi non reuertantur ad Dominum exaudita ſaltem admonitione: *Fili, peccaſti, ne adiicias vltra, ſed & de priſtinis tuis deprecare.* Et iterum: *Non tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem. Subitò enim venit ira eius*, quia vt Scriptura ait: Rege audiente verbum iniquum, omnes qui ſub illo ſunt, ſceleſti ſunt. Nimirum rex vt Propheta ait: Iuſtus ſuſcitat regionẽ. Sed monita tibi profecto non deſunt, cum habueris præceptorem penè totius Britanniæ magiſtrum elegantem. Caueto igitur, ne tibi quod à Solomone notatur, accidat, *quaſi qui excitat dormientem de graui ſomno, ſic qui enarrat ſtulto ſapientiam, in fine enim narrationis dicet, Quid primum dixeras.* Laua à malitia tuum cor, ſic dictum eſt Hieruſalem, vt ſaluus ſis, ne contemnas quęſo ineffabilem miſericordiã Dei homo modo per Prophetam, à peccatis impios reuocantis. *Repente loquar ad gentem, & ad regnum vt euellam, & diſsipem, & deſtruam, & diſperdam.* (Peccatorem hoc vehementer ad pœnitentiam hortatur) *& ſi pœnitentiam egerit gens illa à peccato ſuo, pœnitentiam & ego agam ſuper malo, quod locutus ſum, vt facerem ei.* Et iterum: *Quis dabit eis tale cor, vt audiant me, & cuſtodiant præcepta mea, & bene ſit eis omnibus diebus vitæ ſuæ?* Itémque in Cãtico Deuteronomij: *Populus*, inquit, *abſque conſilio, & prudentia, vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſsima prouiderent, quomodo perſequatur vnus mille, & duo fugent decem millia.* Et iterum in Euangelio Dominus: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos* requieſcere faciam. *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.* Nam ſi hæc ſurdis auribus audias, Prophetas cõtemnas, Chriſtum deſpicias, nóſque licet viliſſimæ qualitatis ſimus, nullius momenti ducas, Propheticum illud ſyncera animi pietate ſeruantes vtcunque. Si non ego impleuero fortitudinem in ſpiritu, & virtute Domini, vt enunciem domui Iacob peccata eorum, & domui Iſrael ſcelera eorum, ne ſimus canes muti non valentes latrare. Et illud Salomonis ita dicentis. *Qui dicit impium iuſtum eſſe, maledictus erit populis, & odibilis gentibus:* nam qui arguunt, meliora ſperabunt. Et iterum: *Non reuerearis proximum in caſum ſuum, nec retineas verbum in tempore ſalutis.* Itémque: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & redime eos qui interficiũtur.* Ne parcas, quia non proderunt (vt idem Propheta ait) diuitiæ in die iræ; iuſtitia à morte liberat. *Si iuſtus quidem vix ſaluus ſit, impius & peccator vbi parebit.* Ille profectò tenebroſus Tartari torrens ferali rotatu, vndiſque ac ſi acerrimis, inuoluet ſemper cruciaturus & nunquam cõſumpturus, cui tũc erit ſera inutiliſque pœnæ occulta cognitio, ac mali pœnitudo, à quo in hoc tempore accepto, & die ſalutis, ad rectum vitæ iter differtur cõuerſio. Hic ſanè vel antea concludenda erat (vti ne amplius loqueretur os noſtrum opera hominum) tam flebilis hæc queruláque malorum ęui huius hiſtoria, ſed ne formidoloſos nos aut laſſos putent (quò minus illud Eſaianum infatigabiliter canamus: *Væ, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras in lucem, & lucem in tenebras, amarum in dulce, & dulce in amarum, qui videntes non vident, & audientes non audiunt*, quorum cor craſſa obtegitur quadam vitiorum nube) libet quid quantumque minarum Prophetica inclamitent, ſtrictim edicere oracula, quibus veluti pulchro tegmine opuſculi noſtri volumen, ita vt ne certatim irruituris inuidorum imbribus extet penetrabile, fideliſſime contegatur. Reſpondeant itaque pro nobis ſancti vates nunc vt antea, qui os quodammodo Dei organúmque Spiritus ſancti mortalibus prohibentes mala, bonis faMatt. 11.
uentes extitere, contumacibus ſuperbiſque huius ætatis principibus, ne dicant nos propria adinuẽtione & loquaci tantum temeritate, tales minas eis, tantóſque terrores incutere nulli nãq, ſapientiũ dubium eſt, quantò grauiora ſint peccata huius tẽporis quàm primi Apoſtolo dicente: *Legem quis trãſgrediens, duobus mediis vel tribus teſtibus moritur. Quanto putatis deteriora mereri ſupplicia qui Filium Dei conculcauerit?* En primus occurrit nobis Samuel iuſſu Dei, legitimi, regni ſtabilitor, Deo antequam naſceretur dedicatus, à Dan vſque ad Bethſabeæ, omni populo

Iſraël veridicus Propheta, ſignis indubitanter admirandis notus, ex cuius ore Spiritus ſanctus cunctis mundi potestatibus intonuit, denũciando primo regi apud Hebræos Sauli, pro eo quòd quædã de mandatis Domini non compleuerit, dicens *Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui quæ præcepit tibi, quod ſi non feciſſes, iam nunc pararet Deus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum, ſed nequaquam regnum tuum vltra conſurget.* Quid rogo ſimile huius tẽporis ſceleribus adulterium ne, vel parricidium fecit? Nullo modo, ſed iuſſionis ex parte mutationẽ, quia vt bene quidam noſtrorum ait, non agitur de qualitate peccati, ſed de tranſgreſſione mandati. Itaque illum obiecta velut putabat, purgantem & apologias vt generis humani moris eſt, ſagaciter hoc modo adnectentem. Immò audiui vocẽ Domini, & ambulaui in via per quam miſit me, tali animaduerſione mulctauit. *Nunquid vult*, inquit, *Dominus holocauſta, aut victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia quàm victima, & audire magis quam offerre adipem arietum, quia ſicut peccatum ariolandi eſt repugnare, ita quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* Pro *eo ergo quod abieciſti ſermonem Domini, abiecit & te, ne ſis rex.* Et poſt pauca. *Scidit*, inquit. *Deus regnum Iſrael à te hodie, & dedit illud proximo tuo meliori te.* Porrò *triumphator in Iſrael non parcet & pœnitudine non flectetur, neque enim homo eſt, vt agat pœnitentiam*, ſubauditur ſuper duris malorum præcordiis. Notandum ergo eſt, quod dixit, *ſcelus idololatriæ eſſe, nolle Deo acquieſcere*; non ergo ſibi ſcelerati iſti dum non gentium Diis perſpicue litant, ſupplaudant. Siquidem conculcantes porcorum more, precioſiſſimas Chriſti margaritas idololatræ ſunt. Sed licet hoc vnum exemplum ac ſi inuictus adſtipulator, ad corrigendos iniquos abunde ſufficeret, tamen vt in ore multorum teſtium omne comprobetur Britanniæ malum, tranſeamus ad cætera. Quid Dauid numerando populum euenit? Dicente ad eum Propheta Gad: *Hæc dicit Dominus: Trium tibi optio datur, elige vnum quod volueris ex his vt faciam tibi: aut ſeptem annis tibi fames, aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, & illi te perſequentur, aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua.* Nam arctatus tali conditione, & volẽs magis incidere in manus miſericordis Dei quam hominum; ſeptuaginta millium populi ſui ſtrage humiliatur, & pro contribulibus Apoſtolicæ charitatis affectus, vt illos plaga non tangeret mori optauit dicendo: *Ego ſum qui peccaui, ego paſtor iniquè egi, iſti qui oues ſunt quid fecerunt? vertatur obſecro manus tua contra me, & contra domum patris mei*, vt conſideratam cordis elationem propria morte piaret. Nã quid Scriptura amplius de filio eius narrat? *Fecit*, inquiẽs, *Salomon quod non placuerat corã Dominum ſicut pater eius. Dixit Dominus ad eum: Qui habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactum meum & præcepta quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo.* Quid duobus ſacrilegis æque vt iſti ſunt, Iſrael regibus Hieroboæ & Baaſæ accidit? Audite, quibus ſententia Domini dirigitur per Prophetam ita dicentis: *Propter quod magnificaui te principem ſuper Iſrael, quia exacerbauerunt me in vanitatibus ſuis, ecce ego ſuſcitabo poſt Baaſam, & domum eius, & tradã domum eius ſicut domũ Hieroboæ filij Nabath, qui mortuus fuerit de ſuis in ciuitate: comedent eum canes, & mortuum corpus illius in campo comedent volatilia cæli.* Quid illi quoque ſcelerato regi Iſrael iſtorum cõmanipulari cuius colludio & vxoris dolo, Naboth innocens propter paternã vineam, oppreſſus eſt, ſancto ore illius Heliæ atque ignifero Domini alloquio inſtructo minatur ita dicente? *Occidiſti inſuper & poſſediſti, & poſt hæc, addes. Hæc dicit Dominus: In loco hoc in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque tuum ſanguinem.* Quod ita factum fuiſſe, certiſſima ratione cognitum eſt. Sed ne fortè ſecundum ſupradictum Achab, ſpiritus mendax loquens vana in ore Prophetarum veſtrorum ſeducat vos, ſermones Michææ Prophetæ audiatis. *Ecce permiſit Deus ſpiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hîc ſunt, & Dominus locutus eſt contra te malum.* Nam & nunc certũ eſt aliquos eſſe doctores cõtrario ſpiritu repletos, & magis prauam voluptatem quam veritatem aſſerentes, quorũ verba ſuper oleum molliuntur, & ipſa ſunt iacula, qui dicunt, Pax, pax, & non erit in peccatis permanentibus pax, vt alibi Propheta dixit: *Nõ eſt gaudere impiis dicit Dominus.* Azarias quoq; Filius Obed Aſæ reuertenti de cæde, decies centenum millium exercitus Aethiopum, locutus eſt, dicens: *Dominus vobiſcum eſt, dum eſtis cum ipſo, & ſi exquiſieritis eum, inuenietur à vobis, & ſi dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Nam ſi Ioſaphat ferens præſidium iniquo regi, ita ab Iehu Propheta Ananiæ filio increpatur dicente: *Peccatorem tu adiuuas, aut quem Dominus odit, tu diligis, propterea ira Dei eſt ſuper te.* Quid illis qui propriis ſcelerum ſuorum criniculis compediuntur, fiet? Quorum nos neceſſe eſt, ſi in acie dominica volumus dimicare, peccata odire, non animas, dicẽte Pſalmiſta: *Qui diligitis Dominum, odite malũ.* Quid ad ſupradicti Ioſaphat filiũ currus & auriga Iſrael Propheta Helias, Ioram ſcilicet parricidam, qui egregios fratres ſuos vt pro ipſis regnaret ſpuri9 trucidauit, effatus eſt? Sic dicit, inquit, *Dominus Deus Patris tui Dauid, Eò quod non ambulaueris in via Ioſaphat Patris tui, & in viis Aſæ regis Iuda, & ambulaſti in viis regis Iſrael, & ſtuproſe, vt geſsit domus Achab, & Fratres tuos Ioſaphat meliores te interfeciſti, ecce Dominus percutiet plaga magna te & Filios tuos, & Ioram regem Iſrael, vt vos derelinquentem Dominum.* Quid Zacharias filius Ioaidæ vatis minatus ſit, attendite, qui ſurgens à populo dixit: *Hæc dixit Dominus: Quare præteritis præcepta Domini, & non proſperabimini? Quia dereliquiſtis Dominũ, & derelinquet vos.* Quid de autore Prophetarũ Eſaia dicam? Qui proœmium Prophetiæ ſuæ vel viſionẽ ita exorſus eſt dicens: *Audite cœli, & auribus percipe terra, quomodo Dominus locutus eſt: Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Nunc vero illũ qui priuſquam formaretur, in vtero præſcitus, & priuſquam exiret de vulua ſanctificatus, & in cunctis gentibus Propheta poſitus eſt, Hieremiam ſcilicet, quid de populo inſipiente, rigidiſque regibus pronunciauerit, parumper attendentes audite, hoc modo leniter verba initiantem. *Et factum eſt verbum Domini ad me dicens: Vade, & clama in auribus Hieruſalẽ, & dices: Audite verbum Domini domus Iacob, & omnes cognationes domus Iſrael. Hæc dicit Dominus: Quid inuenerunt in me Patres veſtri iniquitatis? Qui elongati ſunt à me, & ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt, & nõ dixerunt:*

585

dixerũt: *Vbi est, qui ascẽdere nos fecit de terra Aegypti?* &c. Sanctus quoque Abacuc proclamat, dicens: *Væ, qui ædificant ciuitatem in sanguine, & præparant ciuitatem iniquitatibus dicentes: Nónne hæc sunt à Domino omnipotente, & defecerunt populi multi in igne, & gentes multæ minoratæ sunt?* Et ita prophetiam querulus incipit: *Vsque quo Domine clamabo, & non exaudies: vociferabor ad te, vt quid mihi dedisti labores, & dolores, inspicere miseriam, & impietatem.* Sed & beatus Osee Propheta; Attẽdite, quid loquatur de principibus, dicẽs: *Pro eo, quod trãsgressi sunt pactum meum, & aduersus legem meam tulerunt, & exclamabant: Cognouimus te qui aduersus sis Israel, Bonum vt iniquum persecuti sunt, sibi regnauerunt, regnauerũt, & non per me, tenuerunt principatum, nec me cognouerunt.* Sed & sanctum Amos Prophetam hoc modo minantem audite. *In tribus impietatibus filiorum Iuda, & in quatuor non conuertam eos, propter quod repulerunt legem Domini, & præcepta non custodierunt, sed seduxerũt eos vana eorum, & emittam ignem super Iudam, & comedet fundamenta Hierusalem, Hæc dicit Dominus: In tribus impietatibus Israel, & in quatuor non conuertam eos, propter quod tradidere pecunia iustum, & pauperem pro calciamentis quæ calciabant super puluerem terræ, & colaphis cædebant capita pauperum, & viam humilium declinauerũt,* &c. Sed & sanctus Micheas vates attendite, quid sit effatus. *Audi,* inquiens *tribus & quid exornauit ciuitatem? Nunquid ignis? Et domus iniquorum Thesaurizans Thezauros iniquos? Et cum iniuria iniustitiam, si iustificabitur in statera iniquus, & in sacello pondera dolosa, ex quibus diuitias suas in impietate repleuerunt.* Sed & Sophonias Propheta clarus quas minas exaggerat audite: *Propè est,* inquiens, *dies Domini magnus, propè & velox valde, vox* Dei *Domini amara cõstituta est potens, dies iræ dies ille, dies tribulationis, & necessitatis, dies nubis & nebulæ, dies tubæ, & clangoris, dies miseriæ, & exterminationis, dies tenebrarũ & caliginis, super ciuitates firmas,* &c. Et quid Aggæus sanctus Propheta dicat, attẽdite: *Hæc dicit Dominus: Semel ego mouebo cœlum, & terram, & mare, & aridam, & auertam sedes Regum, & exterminabo virtutem regum gentium, & auertam quadrigas, & ascẽsores.* Nunc quoque quid Zacharias Propheta electus dixerit, intuemini, hoc modo prophetiam suam exordiẽs. *Reuertimini ad me, & reuertar ad vos, dicit Dominus, & nolite tales esse, sicut patres vestri, quibus imputauerunt Prophetæ priores dicentes: Hæc dicit Dominus omnipotens: Auertite vos à viis vestris, & nõ intenderunt, vt obaudirẽt me,* &c. Sanctus quoque Malachias Propheta dicit: *Ecce dies Domini veniet, succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes iniquitatem vt stipula, & inflammabit eos dies aduenies dicit Dominus exercituum, quæ non relinquet ex eis radicem, & germen.* Sed & sanctus attendite, quid de principio, & fine disceptauerit, dicens: *Propter quid impij viuunt? senuerunt inhoneste, & semen eorum secundum desiderium eorum, & filij eorum ante conspectum eorum, & domus eorum fructuosæ sunt, & timor nunquam, nec plaga Domini est super eos, vacca eorum non abortiuit, & prægnãs eorum pertulit partum, & nõ errauit, sed permanet sicut oues æternæ, & pueri eorum gaudent, & psalterium sumentes & citharam finierũt in bonis vitam suam, in requiem inferorum dormierunt. Nunquid Deus facta impiorum nõ respicit? Non ergo, sed lucerna impiorũ extinguetur, & superueniet eis euersio, & dolores tanquam parturientis eos ab ira tenebunt, & erunt sicut paleæ à vento, & sicut puluis, quem abstulit turbo,* &c. Quid præterea beatus Esdras Propheta ille bibliotheca legis minatus sit, attendite, hoc modo disceptans. *Hæc dicit Dominus Deus: Nõ parcet dextra mea super peccatores, nec cessabit romphæa super effundentes sanguinem innocuum super terram, exibit ignis ab ira mea, & deuorabit fundamenta terræ, & peccatores quasi stramen incensum. Væ eis qui peccant, & non obseruant mãdata mea dicit Deus; Non parcam illis. Discedite filij apostatæ, & nolite cõtaminare sanctificationem meam. Nouit Deus, qui peccant in eum, propterea tradet eos in mortem, in occisionem.* Iam enim venerunt super orbem terrarum mala multa, immissus est gladius vobis ignis, & quis est, qui recutiet ea, &c. Ezechiel quoque Propheta egregius, quatuor Euangelicorum animalium mirandus inspector, quid de sceleratis edixerit, attendite, cui primum Dominus miserabiliter plagam Israel deflenti ait: *Iniquitas domus Israel & Iuda inualuit nimis, quia impleta est terra iniquitate, & immundicia: Ecce ego sum, non parcet oculus meus, neque miserebor, & infra: Quoniam terra plena populis, & ciuitas plena iniquitate est, & auertam impetum virtutis eorum, & polluentur sancta eorum, exoratio veniet, & quæret pacem, & non erit,* Et post aliquanta: *Factus est* (inquit) *sermo Domini ad me: dicens: Fili hominis, terra quæ peccauerit mihi vt delinquat delictum, extendam manum meam, & conteram eius firmamentum panis, & emittam in eam famem, & tollam de ea hominem, & pecora, & si sint tres viri isti in medio eius Noe Daniel & Iob, non liberabunt eam, ipsi in sua iustitia salui erunt, dicit Dominus: Quod si etiam bestias malas inducam super terram, & puniam illam, & erit in exterminium, & nõ erit qui iter faciat à facie bestiarum, & tres viri iusti, in medio eius sint. Viuo ego dicit Dominus: Si filij & filiæ eius liberabuntur, sed ipsi soli salui erunt, terra autem erit in interitum, & iterum filius non accipiet iniustitiam patris, neque pater accipiet iniustitiam filij. Iustitia iusti super ipsum erit & iniquus si auertat se ab omnibus iniquitatibus quas fecit, & custodiat omnia mandata mea, faciat iustitiã, & misericordiam multam, vita viuet, & nõ morietur: omnia delicta eius quæcunque fecit non erunt in sua iustitia quã fecit, vita viuet. Nunquid volũtati volo mortẽ iniusti dicit Dominus, & non vt auertat se à via sua mala, & viuat? Cum se autẽ cõuerterit iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitates secũdum oẽs iniquitates quas fecit iniquus, omnes iustitiæ eius quas fecit nõ erunt in memoria. In delicto suo quo excidit in peccatis suis quibus peccauit, morietur.* Et reliqua. Hæc de sanctorũ Prophetarũ minis dixisse sufficiat, pauca tantum de sapientia Salomonis, quæ cum hortationem vel denuntiationem exprimãt regibus, non minus quàm minas huic opusculo inserere necessarium duxi, ne dicant me grauia & importabilia in humeros hominum verborum onera velle imponere, digito hic meo ea, id est consolatio affatu, nolle mouere. Audiamus itaque quid Propheta regibus dixit: *Diligite,* inquiens, *iustitiam qui iudicatis terram.* Hoc vnum testimonium si toto corde seruaretur, abunde ad corrigendos patriæ duces sufficeret, nam si dilexissent iustitiam, diligerẽt vtique fontem quodam modo, & originem totius iustitiæ Deum. *Seruite Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite eum.* Heu quis victurus est (vt quidam ante nos ait) quando ista à ciuibus perficiantur? Si tamen vsquam perfici possunt, quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in eum. Nam isti sine respectu tentant Deum, cuius præcepta contumaci despectione cõtemnunt, nec fidem

ſeruant illi, cuius oraculis blandis vel aliquãtulum ſeueris, dorſum verſant, & non faciem. *Peruerſæ enim cogitationes ſeparant à Deo.* Et hoc in tyrannis noſtri temporis perſpicuè deprehenditur. Sed quid noſtra mediocritas huic tã aperto ſenſui miſcetur? loquatur nanque pro nobis, vt diximus, qui ſolus verax eſt, Spiritus ſcilicet ſanctus, de quo nũc dicitur: *Spiritus autẽ ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.* Et iterum: *Quoniam ſpiritus Dei repleuit orbem terrarum.* Et infrà: Finem malorum bonorúmque occulto iudicio prætendens, ait: quoniam *ſpes impij tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur, & tanquam fumus qui à vento diffuſus eſt, & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur, & tanquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis. Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces illorum, & cogitatio illorum apud altiſſimum, ideò accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini, quoniam dextera ſua proteget eos, & brachio ſancto ſuo defendet illos.* Diſſimiles etenim qualitate ſunt valdè iuſti & impij, nimirum vt dixit Dominus: *Eos qui honorant* (inquiens) *me, honorabo, & qui me ſpernunt, erunt ignobiles. Ad vos ergo reges hi ſunt ſermones mei, vt diſcatis ſapientiam & non decidatis. Qui enim cuſtodierint iuſta, iuſtificabuntur, & qui didicerint ſancta, ſanctificabuntur.* Hactenus cum regibus patriæ, non minus Prophetarum oraculis, quàm noſtris ſermonibus diſceptauimus, volentes eos ſcire, quæ Propheta dixerat, quaſi inquiens: *A facie colubri, fuge peccata, ſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te, dentes leonis, dentes eorum interficientes animas hominum.* Et iterum: *Quàm magna miſericordia Domini, & propiciatio eius conuertẽtibus ad ſe!* & ſi non habemus in nobis illud Apoſtolicum, vt dicamus: *Optabam enim anathema eſſe à Chriſto, pro fratribus meis*, tamen illud propheticum toto corde poſſumus dicere: *Heu quia anima perit*, & iterũ: *Scrutemur vias noſtras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum*: Leuemus corda noſtra cum manibus ad Deum in cœlum. Sed & illud Apoſtoli, *cupimus vnumquemque veſtrum in viſceribus Chriſti eſſe.* Quàm enim libenter hoc in loco, ac ſi marinis fluctibus iactatus, & in optatum euectus portum remis, ſi non tantos taléſque malitiæ Epiſcoporum vel cæterorum ſacerdotum, aut clericorum, in noſtro quoque ordine erigi aduerſum Deũ vidiſſem montes, verecundia interueniente, quieſcerem, quos me ſecundum legem, ceu teſtes primum duris verborum cautibus, dein populum ſi tamen ſanctionibus inhæret, non vt corporaliter interficiantur, ſed mortui vitiis viuant Deo, ne perſonarum arguar exceptionis, totis neceſſe eſt viribus lapidare. Sed mihi quæſo, vt iam in ſuperioribus dixi, ab his veniam impartiri, quorum vitam nõ ſolum laudo, verum etiam cũctis mundi opibus præfero, cuiuſque me ſi fieri poſſit, ante mortẽ eſſe aliquandiu participem opto, & ſitio, noſtris iam nunc obuallatus ſanctorum duobus clypeis.

Gildas optat preſbyteratum.

GILDAE SAPIENTIS PRESBYteri in Eccleſiaſticum ordinem, acris correptio.

BRitannia habet ſacerdotes, ſed nonnullos inſipientes, quàm plurimos miniſtros, ſed multos impudẽtes, clericos, ſed quoſdam raptores, ſubdolos, paſtores vt dicuntur, ſed occiſioni animarum lupos paratos. Quippe nõ commoda plebi prouidentes, ſed proprij plenitudinem ventris quærentes, Eccleſiæ domos habentes, ſed turpis lucri gratia eas adeuntes, populos docentes, ſed præbendo interdum peſſima exempla, vitia, malóſque mores, raro ſacrificãtes, ac raro puro corde inter altaria ſtantes, plebem ob peccata non corripientes, nimirum eadẽ agentes, præcepta Chriſti ſpernentes, & ſuas libidines votis omnibus implere curantes, ſedem Petri Apoſtoli immundis pedibus aliquos vſurpantes, ſed merito cupiditatis, in Iudæ traditoris peſtilentem cathedram deſidentes: ſæpius detrahentes, & raro vera dicentes, veritatem pro inimico odientes, & mendaciis ac ſi chariſſimis fratribus fauentes, iuſtos, inopes, inanes, quaſi angues toruis vultibus conſpicantes, & ſceleratos diuites, abſque vllo verecundiæ reſpectu, ſicut cæleſtes Angelos venerantes, egenis eleemoſynam eſſe dandam ſummis labiis prædicãtes, ſed ipſi vel obolum non dantes, nephãda populi ſcelera tacentes, & ſuas iniurias quaſi Chriſto irrogatas amplificantes, religioſam fortè matrem ſeu ſorores domo pellentes, & externas velut ſecretiori miniſterio familiares indecenter accipientes, vel potius, vt vera dicam, licet inepta non tam mihi quam talia agẽtibus, humiliantes, Eccleſiaſticos poſthæc gradus propenſius quàm regna cælorum ambientes, & tyrannico ritu, acceptos defendẽtes, nec tamen legitimis moribus illuſtrãtes, ad præcepta ſanctorum ſi aliquando duntaxat audierint, quæ ab illis ſæpiſſimè audienda erant, oſcitantes ac ſtupidos, & ad ludicra & ineptas ſecularium hominum fabulas, ac ſi iter vitæ mortíſque pandant ſtrenuos, & intentos: pinguedinis gratia, taurorũ more, raucos, & ad illicita infeliciter promptos, vultus arrogãter in altum habentes, & ſenſus conſcientia remordente ad ima vel Tartarum demerſos, vno ſanè perdito denario mœſtos, & ad vnum inquiſitum lætos, in Apoſtolicis ſanctionibus ob inſcitiam, vel peccatorũ pondus, ora etiam ſcientium obturantes, hebetes ac mutos, & inflexibus mundi aliorũ negotiorũ mendacibus doctiſſimos, quorum de ſcelerata conuerſatione, multos ſacerdotio irruentes potius, vel illud penè omni pecunia redimentes, quàm tractos, & in eodem veteri infauſtóque intolerabilium piaculorum cœno poſt ſacerdotalem, epiſcopatus, vel preſbyterij ſedem, qui nec ibidem ſæpe ſederunt, vtpote indigni, porcorum more volutantes rapto tantum ſacerdotali nomine, nec tamen tenore, vel Apoſtolica dignitate accepta, ſed qui nondum ad integrã fidem ſunt vel malorum pœnitentiam idonei, quomodo ad quemlibet Eccleſiaſticum vt non dicam ſummum conueniẽtes, & apti gradũ, quem non niſi ſancti atque perfecti & Apoſtolorum imitatores, & vt magiſtri gentium verbis loquar irreprehenſibiles legitimè, & abſque magno ſacrilegij crimine ſuſcipiunt. Quid enim tam impium támque ſceleſtũ eſt, quã ad ſimilitudinẽ Simonis Magi, non interuenientibus licet interea promiſcuis criminibus Epiſcopatus officiũ vel preſbyterij, terreno pretio quod ſanctitate, rectíſque moribus decentiùs acquiritur, quẽpiã velle mercari? Sed in eo iſti propẽſius vel deſperatius ſunt, quo non ab Apoſtolis vel Apoſtolorum ſucceſſoribus, ſed à tyrannis & à patre eorum diabolo fucata, & nunquam profutura emunt ſacerdotia, quin potius velut culmẽ, rectámque

589

rectúmque malorum omnium quoddam, quo non facilè eis improperentur à quo quam admissa prisca vel noua & cupiditatis gulæ q; desideria, scelestę vi-
Contra Symoniacos. tæ structuram supponunt, vt præpositi malorum facilius rapiãt. Nam si talis profectò coëptionis conditio ab impudentibus istis, nõ dicam Apostolo Petro, sed cuilibet sancto sacerdoti pióque regi ingesta fuisset, eadem responsa accepissent, quæ ab Apostolo autor eorundem magus Simon accepit, dicẽte: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Sed fortè heu qui ambitores istos ordinant, immò potius humiliant, atque pro benedictione maledicunt, dum ex peccatoribus, non pœnitentes quod rectius fuisset, sed sacrilegos & desperatos faciunt, & Iudam quodammodo in Petri cathedra Domini traditorem, ac Nicolaum immundæ hæreseos adiutorem in loco Stephani martyris statuunt, eodem modo sacerdotio adsciti sunt, & ideo non magnopere detestãtur in filiis, quinimò venerantur, quod similiter patribus sibi euenisse certissimum est. Etenim eos si in parochia, nonnullis resistentibus sibi, & tã pretiosum quæstum seuere denegantibus commessoribus huiuscemodi Margaritam inuenire nõ possint, prę-
missis antè solicite nũciis, trãsnauigare maria, terrásque spacioſas transmeare nõ tam piget quàm delectat, vt omnino talis species inæquiparabilisque pulchritudo, & vt verius dicam, Diabolica illusio venditis omnibus copiis, comparetur. Dei cum magno apparatu magnáque phantasia, vel potius insania repetentes ad patriam, ex erecto erectiorẽ incessum pingunt, & dudum summitates montium conspicantes, nunc rectè ad æthera, vel ad summa nubium vellera, luminum semidormitantes acies librant ac se noua quædam plasmata, immò diabolica organa, vt quondam Nouatus Romæ domini-
Nouatus. cæ conculcator margaritæ, porcus niger patrię ingerunt violenter manus non tam digni venerabilibus aris, quàm flãmis inferni vltricibus, in tali schema positi sacrosanctis Christi sacrificiis extensuri. Quid tu infelix populè à talibus, vt dixit Apostolus, bestiis ventris præstolaris? his ne corrigeris qui seipsos non modo ad bona non inuitant, sed secundum prophetæ exprobrationem laborãt, vt iniquè agant, talibusve oculis illustraberis qui hæc tãtum auide speculantur quæ procliue ad vitia, id est, ad Tartari portas ducant? Vel certè secundum Saluatoris dictum, si nõ istos rapacissimos, vt Arabiæ lupos, ac si Loth ad mõtem igneum Sodomorum imbrem prępoperè fugeritis, cęci educti à cæcis pariter in inferni foueam cadetis. Sed forsitan aliquis dicat: Non ita omnes Episcopi vel presbyteri vt superius excepisti, quia non schismatis, non superbię, non immundiciei infamia maculantur mali sunt: quod nec vehementer & nos diffitemur, sed licet sciamus eos castos esse, & bonos, breuiter tamen respondebimus. Quid profuit Heli sacerdoti, quod solus non violauerit præcepta Domini, rapiendo in fuscinulis antequã adeps Domino offerretur ex ollis carnes, dũ eadẽ mortis ira qua filij sunt multatur? Quis rogo, eorum de quorum moribus satis multa superius diximus, ob inuidiam melioris hostiæ, cœlestique igne in cęlum euectæ, vt Abel occisus est qui etiam mediocris verbi aspernantur conuitium? Quis perosus est consilium malignantium, & cum impiis non sedit, ita vt de eo veridicè quasi de Enoch diceretur: *Ambulauit Enoch cum Deo, & nõ inueniebatur:* in mundi scilicet vanitate post idola procliue id temporis claudicare relicto deo incipientis. Quis eorum salutari in arca, hoc est nũc Ecclesia vllum Deo aduersantem, vt Noe diluuij tẽpore non admisit: vt perspicuè monstraretur nõ nisi innoxios vel pœnitentes egregios in Dominica domo esse debere? Quis victoribus solum & in tricentenario numero, hoc est Trinitatis Sacramẽto, liberato iusto, regum quinque victriciumque turmarũ exercitus ferales vincentibus, & nequaquam aliena cupientibus sacrificium offerẽs, vt Melchisedech, bene dixit: Quis sponte proprium altari, capite cædendum vt Abraham, Deo iubente, obtulit filium, vt simile quoddã huic impleret Christi Mãdatũ dicentis: Oculum dextrum scandalizantem euelli debere. Et Prophetæ, maledictum esse gladiũ à sanguine prohibentem. Quis memoriam malefacti de corde radicitus, vt Ioseph euellit? Quis in mõte cum Domino locutus, & nequaquã concrepantibus tubis, exinde perterritus, duas tabulas cornutámque faciem aspectu incredulis inhabilem, & horrendam tropico sensu, vt Moyses aduexit? Quis eorum pro peccatis populi, exorans imo de pectore clamauit, vt ipse: *Domine,* inquiens, *peccauit populus iste peccatum grande, quod si dimittis eis, dimitte, alioquin dele me de libro tuo.* Quis vestrum, qui torpetis potius, quàm sedetis legitimè in sacerdotali sede, ei iectus de consilio impiorum, post diuersarum plagas virgarum, vt sancti Apostoli, dignus habitus est, pro Christo vero Deo contumeliam pati? Quis ex vobis, gladij ictu pro confessione Christi, post vincula carceris, naufragia maris, virgarum cædem, post fluminum, latronum, gentium, Iudæorum, pseudo Apostolorum, continua pericula, post famis, ieiunij, vigiliarũ labores, post perpetuam solicitudinem omnium Ecclesiarum, post æstũ pro scandalizantibus post infirmitatem pro infirmis, post admirabilem prædicando Christi Euangeliũ orbis penè circuitum vt vas electionis magistérque gentium electus capite plexus est? Quis vestrum vt sanctus martyr Ignatius Antiochiæ vrbis Episcop⁹, post admirabiles in Christo actus ob testimoniũ eius leonum molis Romæ confractus est? Cuius verba, cum ad passionem duceretur, audientes, si aliquando vultus vestri rubore suffusi essent, non solum in cõparatione eius vos nõ putabitis sacerdotes sed ne mediocres quidem Christianos esse, ait enim in Epistola, quam ad Romanam Ecclesiam misit. A Syria, vsque Romam cum bestiis terra marique depugno die ac nocte connexus & colligatus, decem leopardis militibus dico ad custodiam datis, qui ex beneficiis nostris sæuiores fiunt, sed ego eorum nequitiis magis erudior, nec tamen in hoc iustificat⁹ sum. O salutares bestias, quæ præparãtur mihi quãdo veniẽt? Quando emittentur? Quando eis frui licebit carnib. meis? Quas ego exopto acriores parari & inuitabo ad deuorationẽ mei, & deprecabor, ne fortè vt nõnullis fecerũt, timeant attingere corpus meum, quinimmò si cunctabũtur, ego vim faciam, ego me ingeram. Date quæso veniã, ego noui quid expediat mihi, nũc incipio esse Christi discipulus. Facessat inuidia vel humani affectus, vel ne-

quitiæ ſpiritalis, vt Ieſum Chriſtũ adipiſci merear. Ignes, cruces, beſtiæ, diſperſiones oſſiũ, diſcerptionéſque membrorum, ac totius corporis pœnæ, & omnia in me vnum ſupplicia diaboli arte quæſita compleantur, dummodò Ieſum Chriſtum merear adipiſci. Quid ad hæc dormitantibus animæ oculis aſpicitis? Quid talia ſurdis ſenſuũ auribus auſcultatis? Diſcutite, quæſo, tenebroſam atrámque cordis veſtri caliginẽ temporis, vt veritatis & humilitatis præfulgidũ lumẽ videre poſſitis. Chriſtianus nõ me diocris, ſed perfectus, ſacerdos nõ vilis ſed ſummus martyr nõ ſegnis, ſed præcipuus dicit: Nũc incipio eſſe Chriſti diſcipulus. Et vos ac ſi Lucifer ille de cœlo proiectus, verbis nõ poteſtate erigimini, & quodãmodo ſub dente ruminatis, & geſtibus prætenditis, quæ antea autor veſter depinxerat. *In cœlũ* (inquiens) *conſcendam, & ero ſimilis altiſſimo.* Et iterũ: Ego fodi, & bibi aquam, & exiccaui veſtigia pedũ meorum omnes riuos aggerũ. Multo rectius oportebat vos imitari illum, & audire, qui totius bonitatis & humilitatis verè inuictum exemplar eſt, dicentem per Prophetam: *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* O mirabile quoddã dixiſſe eum opprobrium hominum, cum omnia mundi opprobria deleuerit. Sed vt ad propoſitum reuertar. Quis, (inquã) ex vobis, vt Smyrnenſis Eccleſiæ paſtor egregius Polycarpus Chriſti teſtis, menſam humanè hoſpitibus ad ignem eum auidè trahẽtibus appoſuit, & obiectus flammis pro Chriſti charitate dixit: Qui dedit mihi ignis ferre ſupplicium, dabit vt ſine clauorum confictione flãmas immobiliter perferam. Vnũ adhuc præter magnam verbis volãs ſanctorum ſyluã, exempli gratia, ponã Baſilium ſcilicet Cæſariẽſem, qui, cùm ab iniquo principe minæ huiuſmodi intentarẽtur, quod niſi in craſtinum Arriano cœno, vt cæteri, macularetur, eſſet omnino moriturus, dixiſſe fertur: Ego ſanè ero cras, qui hodie ſum, tu te vtinam mutares. Et iterum: Vtinã haberẽ aliquid digni muneris quod offerrem huic qui maturius Baſilium de nodo follis huius abſolueret. Quis ex vobis Apoſtolici ſermonis regulam quæ ab omnibus ſemper ſanctis ſacerdotibus omni tempore humanam ſuggeſtionẽ præcipitanter ad nequitiam feſtinantem recutiẽtibus, ſeruata eſt, in concuſſione tyrãnorum indiſruptè cuſtodiuit? Quæ eiuſmodi eſt. *Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus.* Igitur cõfugiẽtes ſolito more ad Domini noſtri ſanctorúmque Prophetarum eius voces, vt illi pro nobis oraculorum ſuorum iacula imperfectis paſtoribus vt antea tyrãnis, queis compuncti ſanẽtur, librent. Videamus quid Dominus per Prophetas, ad deſides & inhoneſtos ſacerdotes, & nõ bene populum tam exempla quàm verba docentes, minarum loquatur. Nam & Heli ille ſacerdos in Silo, pro eo quòd non digno Deo zelo ſæuerè in filios contemnentes Deũ vltus fuerat, ſed molliter & clementer, vtpote paterno affectu monuerat, tali animaduerſione damnatur dicente ad eum Propheta: *Hæc dicit Dominus. Manifeſte oſtendi me ad domum Patris tui, cum eſſent in Aegypto ſeruientes Pharaoni, & elegi domum tui ex omnibus tribubus Iſrael mihi in ſacerdotio.* Et poſt pauca: *Quare reſpexiſti in incenſum meum & in ſacrificium meum improbo oculo & honorificaſti filios tuos pluſquam me vt benediceres eos à primordio in omnibus ſacrificiis, coram me, & ſic dicit Dominus: Quoniam qui honorificant me, honorabo eos, & qui pro nihilo habent me, ad nihilum redigentur: Ecce dies venient & diſperdam nomen tuum, & ſemen domus patris tui, & hoc tibi ſignum ſit, quod veniet ſuper duos filios tuos Ophni, & Phinees, in vno die morientur ambo in gladio virorum.* Si hæc itaque patiuntur qui verbis tantum ſubiectos, & non condigna vltione emendant, quid ipſis fiet qui mala hortantur & peccando attrahunt? Eſaiam quoque ſanctum Prophetam de ſacerdotibus hoc modo loquentem audite: *Væ impio, in malum, retributio enim manuum eius fiet ei. Populum meum exactores ſui ſpoliarunt, & mulieres dominatæ ſunt eius. Populi mi qui beatum te dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. Stat ad iudicandum Dominus, & ſtat ad iudicandos populos, Dominus ad iudicium veniet cum ſenibus populi ſui & principibus eius: Vos depaſti eſtis vineam meam, rapina pauperis in domo veſtra. Quare atteritis populũ meum, & facies pauperum commolitis, dicit Dominus exercituum?* Et iterum: *Væ, qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt vt opppimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei vt eſſent viduæ præda eorum & pupillos diriperent. Quid facietis in die viſitationis & calamitatis de longè veniẽtis?* & infra. *Verum hi quoque præ vino neſciuerunt & præ ebrietate errauerunt, ſacerdotes neſciuerunt præ ebrietate, abſorpti ſunt à vino, errauerunt in ebrietate, neſciuerunt videntem, ignorauerunt iudicium. Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu ſordium ita vt non eſſet vltra locus. Propterea audite verbum Domini viri illuſores, qui dominamini ſuper populum meum, qui eſt in Hieruſalem, dixiſtis enim: Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, flagellum inundans cum tranſierit nõ veniet ſuper nos, quia poſuimus mendacium ſpem noſtram & mendacio protecti ſumus.* Et poſt aliquanta: *Et ſubuertet gladio ſpem mendacij & protectionem aquæ inundabunt, & delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit, flagellum inundans cum tranſierit, eritis ei in conculcationem quandocunque pertranſierit tollet vos*, & iterum *Et dixit Dominus: Eo quòd appropinquat populus iſte ore ſuo & labiis glorificant me, cor autem eorum longè eſt à me, ideò ecce ego addã vt admirationẽ faciam populo huic miraculo grãdi & ſtupendo, peribit enim ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentiũ eius abſcondetur*, &c. Hieremias quoque virgo, Prophetaque quid inſipientibus loquatur paſtoribus attendite, *hæc* inquiens, *dicit Dominus: Quid inuenerunt patres veſtri in me iniquitatis quia ſe elongauerunt à me, & ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt? & paulò poſt:* Et *ingreſſi contaminaſtis terram meam, & hæreditatem meam poſuiſtis in abominationem, ſacerdotes non dixerunt: Vbi eſt Dominus?* & *tenentes legem neſcierunt me, & paſtores præuaricati ſunt in me. Propterea adhuc iudicio contendam vobiſcum, ait Dominus, & cum filiis veſtris diſceptabo.* Item poſt aliquanta: *Stupor & mirabilia facta ſunt in terra, Prophetæ prædicabant mẽdacium, & ſacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in nouiſſimo eius? Cui loquar, & conteſtabor, vt audiat? Ecce incircunciſæ aures eorum, & audire non poſſunt. Ecce verbum Domini factum eſt illis in opprobrium, & non ſuſcipiunt illud, quia extendam manum meam ſuper habitantes terram, dicit Dominus: A minore quippe vſque ad maiorem, omnes auaritiæ ſtudent, & à Propheta vſque ad ſacerdotem, cuncti faciunt dolum*, &c. Hieremias virgo.

Sanctus quoque Ioel monens inertes ſacerdotes & deflens,

deflens, detrimentum populi, pro iniquitatibus eorum dixit: *Expergiſcimini, qui eſtis ebrij à vino veſtro, & plorate, & lamentamini omnes qui bibiſtis vinum in ebrietatem, quia ablata eſt ab ore veſtro iucunditas & gaudium. Lugete ſacerdotes qui deſeruitis altari, quia miſeri facti ſunt campi. Lugeat terra: quia miſerum factum eſt frumentum & ſiccatum eſt vinum, diminutum eſt oleum, aruêre agricolæ.* Et iterum: *Flete ſacerdotes, qui deſeruitis Domino dicentes: Parce Domine populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium & dominentur eorum gentes, vti ne dicant gentes: Vbi eſt Deus eorum: Sed hæc vos nequaquam auditis, ſed omnia quibus propenſius diuini furoris indignatio inardeſcat, admittitis.* Quid etiã Oſæe Propheta ſacerdotibus veſtri moduli dixerit, ſignanter attendite. *Audite hæc ſacerdotes & intendat domus Iſrael & domus regis, infigite auribus veſtris quoniam ad vos eſt iudicium, quia laqueus facti eſtis ſpeculationi & velut rete extenſum.* Vobis etiam à Domino alienatio huiuſcemodi intenditur per Prophetam Amos dicentem: *Odio habui, & repuli dies feſtos veſtros, & non accipiam odorem in ſolennibus conuentibus veſtris, quia & ſi obtuleritis holocauſtomata & hoſtias veſtras, non accipiam ea,* &c. Auribus quoque percipite ſanctum Micheam ac ſi cæleſtem quandam tubam aduerſus ſubdolos populi principes conciſius perſonantem. *Audite nunc* (inquiens) *principes domus Iacob. Nónne vobis eſt, vt cognoſcatis iudicium odientibus bona & quærentibus maligna, rapientibus pelles eorum ab eis & carnes eorum ab oſſibus eorum quemadmodum comederunt carnes plebis meæ. Et pelles eorum ab eis excoriauerunt, oſſa eorum confregerunt & laniauerunt quaſi carnes in olla & ſucclamabunt ad Deũ, & non exaudiet eos, & auertet faciem ſuam ab eis in illo tempore, propter quod malitioſè geſſerunt in adinuentionibus ſuis ſuper ipſos,* &c. Quid Sophonias etiã Propheta egregius de veſtris olim comeſſoribus diſceptauerit attẽdite, de Hieruſalem nanque loquebatur, quæ ſpiritualiter Eccleſia, vel anima intelligitur. O, inquiẽs, *quæ erat ſplẽdida & libera ciuitas confidens columba, non obaudiuit vocem nec percepit diſciplinam, in Domino non confiſa eſt, & ad Deum ſuum non acceſsit. Et id quare oſtendit. Principes eius in ea ſicut leones rugientes, iudices ſicut lupi Arabiæ, non relinquebant in mane Prophetæ eius ſpiritum portantes viri contemptoris, ſacerdotes eius prophanabant ſancta, & impie agebant in lege, Dominus autem iuſtus in medio eius non faciet iniquitatem. Mane mane dabit iudicium ſuum.* Sed & beatum Zachariam Prophetam monentem vos in verbo Dei audite, *Hæc enim dicit* Dominus *omnipotens. Iudicium iuſtum iudicate, & miſericordiam & miſerationem facite vnuſquiſque ad fratrem ſuum, & viduam & orphanum & aduenam, & puerperam nolite calumniari, & malitiam vnuſquiſque fratris ſui non reminiſcatur, in corde ſuo. Et contumaces fuerunt ne obſeruarent, & dederunt dorſum ſtultitiæ, & aures ſuas degrauarunt vt non audirent, & cor ſuum ſtatuerunt inſuadibile ne audirent legem meam, & verba quæ miſit Dominus omnipotens, ſuper paſtores exacerbata eſt iracundia mea, & ſuper agnos viſitabo,* &c. Quid præterea ſanctus Malachias Propheta vobis denunciauerit: *audite: Vos,* inquiens, *ſacerdotes qui ſpernitis nomen meum & dixiſtis. In quo ſpernimus nomen tuũ? Offerendo ad altare meum panes pollutos, & dixiſtis: In quo polluimus eos? In eo quod dixiſtis, Menſa Domini pro nihilo eſt, & quæ ſuperpoſita ſunt ſpreuiſtis, quoniam ſi adducatis cæcum ad victimam, nónne malum? Si admoueatis claudum aut languidum, nonne malum? Offer ita-*

A *que illud præpoſito tuo & ſuſceperit illud, ſi acceperit perſonã tuam, dicit Dominus omnipotens. Et nunc exorate faciem* Domini *veſtri, & deprecamini eum, in manibus veſtris facta ſunt hæc, ſi accipiam ex vobis perſonas veſtras.* Et iterum: *Et intuliſtis de rapina claudum, & languidum, & intuliſtis munus, Nunquid ſuſcipiam illud de manu veſtra dicit Dominus? Maledict⁹ doloſus qui habet in grege ſuo maſculum, & votum faciens immolat debile* Domino, *quia rex magnus ego ſum dicit* Dominus *exercituum, & nomen meum horribile in gentibus,* &c. Quid verò Ezechiel Propheta dixerit, attendite, *Væ,* inquiens, *ſuperueniet & nuntius ſuper nuntium erit, & quæretur viſio à Propheta, & lex peribit à ſacerdote & conſilium de*
B *ſenioribus.* Et iterum: *Hæc dicit* Dominus: *Eò quòd ſermones veſtri ſunt mendaces, & diuinationes veſtræ vanæ, propter hoc, Ecce ego ad vos dicit* Dominus, *Extendam manum meam ſuper Prophetas qui vident mendacia, & eos qui loquuntur vana, in diſciplina populi mei non erunt neque in ſcriptura domus Iſrael ſcribentur, & in terram Iſrael non intrabunt, & ſcietis quia ego* Dominus. *Propterea populum meum ſeduxerunt dicentes: Pax* Domini *& non eſt pax* Domini. *Hic ſtruunt parietem & ipſi vngunt eum, & cadet.* Et poſt aliquanta: *Væ his, qui concinnant ceruicalia ſubtus omnem cubitum manus, & faciunt velamina ſuper omne caput vniuerſæ ætatis ad ſubuertendas animas.*
C Sed ſufficiant hæc pauca de pluribus, Prophetarum teſtimonia queis retunditur ſuperbia vel ignauia ſacerdotum contumacium, ne putent nos propria potius adinuentione quàm legis, ſanctorúmque autoritate ſibi talia denunciare. Videamus igitur quid Euangelica tuba mundo perſonans inordinatis ſacerdotibus eloquatur, nõ enim de illis, vt iam diximus, qui Apoſtolicã ſedem legitimè obtinent, quiq; bene norũt largiri ſpiritalia conſeruis ſuis in tẽpore cibaria; ſi qui tamẽ multi in preſentiarum ſunt, ſed de paſtoribus imperitis, qui derelinquunt oues, & paſcũt vana (nã non habẽt vana paſtores periti) nobis ſermo eſt. Euidẽs ergo iudicium eſt, nõ eſſe eũ legitimũ paſtorem, ſed ne mediocrem
D quidẽ Chriſtianũ, qui hæc non tam noſtra qui valde exigui ſumus quã veteris nouiq; Teſtamenti decreta recuſarit vel inficiatus fuerit, ſicut bene quidã noſtrorum ait: Optabiliter cupimus, vt hoſtes Eccleſiæ noſtri quoque abſque vllo fœdere hoſtes & amici, ac defenſores noſtri non ſolum fœderati, ſed etiam patres ac Domini habeãtur. Conueniãt nanque ſinguli vero examine conſcientiam ſuam, & ita deprehẽdent an ſecundũ rectã rationẽ ſacerdotali cathedræ inſideãt. Videamus (inquã) quid ſaluator mũdi factorq; dicat. *Vos eſtis ſal terræ, quòd ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur, ad nihilũ valet, niſi vt proiiciatur foras, & vt cõculcetur ab hominibus.* Hoc vnũ teſtimoniũ ad cõfutãdos impudẽtiſſimos quoſq; abũdè ſufficere poſ
E ſet, ſed vt euidẽtius adhuc quãtis ſemetipſos intolerabilibus ſcelerũ faſcibus, falſi hi ſacerdotes opprimãt, verbis Chriſti cõprobetur, aliqua annectenda ſunt. Sequitur enim: *Vos eſtis lux mundi. Nõ poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, neque accẽdunt lucernam & ponũt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt.* Quis ergo ſacerdotũ huius temporis, ita ignorantiæ cæcitatem depellit vt ceu lux clariſſimæ lucernæ in aliqua domo cunctis noctu reſidentibus ſcientia ſimul & bonorum operum lampade luceat? Quis in vniuerſis Eccleſiæ filiis

tutum, publicum, conſpicuúmque refugium eſt, vt ciuibus firma fortè inæditi montis ciuitas vertice
Matth. 5. conſtituta habetur? Sed & quod ſequitur. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona & magnificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Quis eorum iſtud vno ſaltem die poteſt implere? Quin potius denſiſſima quædam eorũ nebula atráque peccaminum omni inſulæ ita incũbit nox, vt omnes pene à via recta auertat, ac per inuios impeditóſque ſcelerũ calles errare faciat, quorũ non modo pater cœleſtis non laudatur ſed etiam intolerabiliter blaſphematur. Vellem quidem hæc ſcripturæ ſacræ teſtimonia huic Epiſtolæ inſerta vel inſerenda ſicut noſtra mediocritas poſſet omnia vtcũque hiſtorico vel morali ſenſu interpretari: ſed ne in immenſum modum opuſculũ hoc his qui nõ tam noſtra quam Dei deſpiciunt, faſtidiunt, auertunt, protelant, ſimpliciter & abſque vlla verborum circuitione, congeſta vel congerenda ſunt. Et poſt pauca. *Qui enim ſoluerit vnum, de mandatis iſtis minimis & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Et iterum:
Matth. 7. *Nolite iudicare, vt non iudicemini: in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis.* Quis rogo veſtrũ reſpicit ad id, quod ſequitur? *Quid autẽ vides* (inquit) *feſtucam in oculo Fratris tui, & trabem in oculo tuo non conſideras? Aut quomodo dicis Fratri tuo: Frater, ſine eiiciam feſtucam oculo tuo, Et ecce trabes in oculo tuo eſt?* Vel quod ſequitur: *Nolite dare ſanctũ canibus, neque miſeritis Margaritas veſtras ante porcos: ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi diſrumpant vos.*
Matth. 7. Luc. 6. Quod ſæpiſſime vobis euenit. Et populum monens, ne doloſis doctoribus vt eſtis vos ſeduceretur, dixit: *Attẽdite vobis à falſis Prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoſcetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit & mala malos,* & infra: *Non omnis qui mihi dicit Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt ipſe intrabit in regnum cœlorum.* Quid ſanè vobis fiet, qui vt Propheta dixit, labiis tantum, & non corde Deo adhæretis? Qualiter autẽ impletis quod
Math. 10. ſequitur: *Ecce*, inquiens, *ego mitto vos ſicut oues in medio luporum*, qui verſa vice, vt lupi in gregem ouium proceditis? Vel quod ait: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ.* Prudentes quidẽ eſtis, vt aliquem ore exitiabili mordeatis. Nam vt caput veſtrum quod eſt Chriſtus, obiectu quodãmodo corporis defendatis, quem totis operum malorum conatibus conculcatis? Nec enim ſimplicitatem columbarum habetis, quin potius coruino aſſimilati
Gen. 8. nigrori ac ſemel de arca id eſt Eccleſia euolantes, inuentis carnalium voluptatum fœtoribus, nunquàm ad eam puro corde reuolatis. Sed videamus. &c. *Nolite*, ait, *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed timete eum qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam.* Quídnam horum feceritis, recogitate. Cuius verò veſtrum non profundi cordis arcana vulneret, ſequens teſtimonium quod de prauis antiſtitibus Saluator ad Apoſtolos
Matt. 15. loquitur? *Sinite illos, cæci ſunt, duces cæcorum, cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadent.* Egent ſanè populi quibus præeſtis, vel potius quos decipitis, audire. Attendite verba Domini ad Apoſtolos & turbas loquentis, quæ & vos, vt audio, in medium crebro proferre non pudet. *Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & Phariſæi, Omnia ergo quæcunque dixerint*
Matt. 23. *vobis, ſeruate & facite: ſecundum verò opera eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt.* Periculoſa certè ac ſuperuacua Sacerdotibus doctrina eſt, quæ prauis operibus obfuſcatur: *Væ vobis hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante omnes, vos autem non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare*, non ſolum enim pro tantis malorum criminibus quę geritis in futurum, ſed etiam pro his qui veſtro quotidie exemplo pereunt, ferali pœna plectemini, quorum ſanguis in die iudicij, de veſtris manibus requiretur. Sed quid mali quod ſerui parabola prętenderit, inſpicite, *dicentis in corde ſuo,*
Matt. 24. *moram facit Dominus meus venire*, qui ob hoc forſitan cœperat *percutere conſeruos ſuos* manducans, & bibens cum ebriis. *Veniet ergo* (inquit) *Dominus ſerui illius in die in qua non ſperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum à ſanctis* ſcilicet ſacerdotibus, *partémq; eius ponet cũ hypocritis*, cum eis certè qui ſub ſacerdotali tegmine multum obumbrant nequitiæ. *Illic* (inquiens) *erit fletus, & ſtridor dentium.* Quibus in hac vita crebrò euenit ob quotidianas Eccleſiæ matris ruinas filiorum, vel deſideria regni cœlorum. Sed videamus, quid Chriſti verus diſcipulus magiſter gentium Paulus, qui omni Eccleſiaſtico doctori imitandus eſt, ſicut & ego ſum diſcipulus Chriſti in tali negotio prælo-
Rom. 1. quatur in prima Epiſtola, dicens: *Quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deũ magnificauere, aut gratias egerũt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obcæcatum eſt inſipiens cor eorũ, dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Licet hoc gentibus dici videatur, intuemini tamen, quia competenter iſtius æui ſacerdotibus cum populis coaptabitur, & poſt pauca: *Qui cõmutauerunt* (inquit) *veritatem Dei in mendaciũ, & coluerunt, & ſeruierũt creaturæ potius quàm creatori qui eſt benedictus in ſecula, propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.* Et iterum: *Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant quæ non conueniunt repletos omni iniquitate, malitia, impudicitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contẽtione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus inobedientes, inſenſatos, incompoſitos, ſine miſericordia, ſine affectione. Qui, cum iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerunt quomodo qui talia agunt, digni ſunt morte.* Quis nam ſupradictorum his omnibus in veritate caruit? Si enim eſſet caperetur in ſubiecto ſenſu, in quo ait: *Non ſolum qui faciunt ea, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Vt nullus ſcilicet eorum ſit huius mali expers, & infra: *Tu autem ſecundum duritiam tuam, & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua*, & iterum: *Non eſt enim acceptio perſonarum apud Deum, quicunque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege & peribunt. Quicunque in lege peccauerint, per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* Quid ergo ſeueritatis ingeſſit is qui non ſolum implenda non faciunt, & prohibita non declinãt, ſed etiam qui ipſam verbi Dei lectionem vel tenuiter auribus inſtillatam pro ſæuiſſimo angue refugiunt? Sed tranſeamus ad ſequentia. *Quid ergo*
Rom. 6. (inquit) *dicemus? Permanebimus in peccato vt gratia abundet? Abſit. Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo iterum viuemus in illo?* Et poſt aliquãta: *Quis nos* (ait) *ſeparabit à*

Clericis fores Ecclesiæ animæ.

charitate

597

charitate Christi, tribulatio an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Quem vestrûm quæso talis intimo corde occupabit affectus, qui non modo pro pietate non laboratis, sed etiam vt inique agatis & Christum offendatis, multa patimini? Vel quid sequitur? *Nox præcessit, dies autẽ appropinquauit, abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamus* Rom.13. *arma lucis, sic in die honestè ambulemus, non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, sed induite Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis, in concupiscentiis.* Et iterum ad Corinthios prima Epistola. *Vt* 3.Cor.3. *sapiens*, inquit, *architectus fundamentum posui, alius super illud ædificat. Vnusquisque autem videat, quomodo superædificet, fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Iesus Christus: Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, aurum, & argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, cuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit illud, qui in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit, si cuius opus manserit omnia per ignem iudicabuntur.* Item in 1.Cor.4. Epist. ad Cor. secũd. *Ideò*, inquit, *habẽtes hanc administrationẽ, iuxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficiamus, sed abiiciamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterãtes verbum Dei*, per malum exemplum scilicet, & per adulationem. In subsequentibus autem ita de malis doctoribus dicit: Nam hu- 2.Cor.11. iusmodi pseudo-Apostoli sunt *operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi*, & non mirũ, ipse enim *Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Non est magnum, si ministri eius transfigurarentur, vt Angeli iustitiæ, quorum finis erit secundum opera eorum. Attendite quoque quod ad Ephesios dicat: An ne- Ephe.4. scitis vos pro hoc, in aliquo reos teneri? *Hoc*, inquiens dico, *& testificor in Domino, vt iam non ambuletis sicut gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis eorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem omnis immundiciei, & auaritiæ.* Et quis vestrûm sponte expleuerit id quod sequitur? *Propterea nolite fieri imprudẽtes, sed intelligẽtes quæ sit voluntas Dei, & nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed replemini Spiritu sancto.* 1.Thes.5. Sed & quod ad Thess. dicit: *Neque enim fuimus apud vos aliquando in sermone adulationis sicut scitis, neque in occasione auaritiæ nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis, cum posßimus in honore esse vt cæteri Apostoli Christi. Sed facti sumus sicut paruuli in medio vestrum, vel tanquam si nutrix foueat paruulos suos, ita desiderantes vos cupidè, volebamus vobis tradere non solum Euangelium sed etiam animas nostras.* Si hunc vos Apostoli retinetis in omnibus affectum, eius quoque cathedræ legitime insidere noscatis, vel etiam quòd sequitur. *Scitis* (inquit) *quæ præcepta dederim vobis. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, & sciat vnusquisque vestrûm suũ vas possidere in honore & sanctificatione, non in passione desiderij sicut gẽtes quæ ignorant Deum.* Audite item quid de vobis Prophetico Spiritu sanctus idem Apostolus vestrique consimilibus prædixerit ad Timotheum apertè 2.Tim.3. scribens: *Hoc enim scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, erũt enim homines semetipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus inobedientes,*

A *ingrati, scelesti, sine affectione, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita.* Idem & Prophetа dicit: *Odiui congregationem malignorum, & cum* Psal.25. *impiis non sedebo.* Cæterum idem Apostolus euidenter ostendit qualiter se exhibeant suo officio sacerdotes, ita ad Titum scribens: *Teipsum præbe exemplum* 1.Tim.2. *bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum habens irreprehensibile, vt is qui ex aduerso est, vereatur, nullum malum habens dicere de nobis.* Et iterũ ad Timotheũ: *Labora* (inquit) *sicut bonus miles Iesu* 2.Tim.2. *Christi, Nemo militans Deo, implicat se negociis secularibus,*

B *vt placeat ei cui se probauit. Nam & qui contendit in agone, non coronatur nisi legitimè certauerit.* Hæc quidem bonorum adhortatio. Sed quid sparsim positis amplius vtentes testimoniis sensuum diuersorum vndis in despecta ingenij nostra cymbula fluctuamus? Igitur necessarium duximus recurrere tandem aliquando vsque ad lectiones illas quæ ad hoc ex omni penè sanctarum scripturarum textu meritò excerptæ sunt, vt non solum recitantur, sed etiã adsti- Sacerdotum manus initiãtur. pulentur benedictioni qua initiantur sacerdotum vel ministrorum manus, eósque perpetuò doceant vti, ne à mandatis quæ fideliter in eis lectionibus continentur, sacerdotali dignitate degenerantes

C recedant, vt apertius, cunctis pateat & æterna supplicia eos esse mansura, & non esse Sacerdotes, vel Dei ministros qui earum doctrinas atque mandata opere secũdum vires suas non impleuerint. Audiamus ergo quid princeps Apostolorum beatus Petrus de tali negotio signauerit. *Benedictus* (inquiens) 1.Pet.1. *Deus Pater Domini nostri Iesu Christi qui per magnam misericordiã suam regenerauit nos in spem vitæ æternæ per resurrectionem à mortuis Domini nostri Iesu Christi, in hæreditatem incorruptibilem, immarcescibilem, incontaminatam, conseruatam in cœlis, in vobis qui in virtute Dei custodimini.* Quare enim tam insipienter à vobis violatur talis hæreditas quæ non sicut terrena decidua, sed im-

D marcescibilis atque æterna est? Et post aliquanta, *Propter quod succincti estote lumbis mentis vestræ, sobrij, perfectè sperantes in eam quæ offertur vobis gratiam in reuelatione Iesu Christi.* Rimamini nanque pectoris vestri profunda, an sobrij sitis, & perfectè sacerdotalem gratiam examinãdam in Domini reuelatione conseruetis. Et iterum dicit: *Quasi filij benedictionis non configurantes vos illis prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, sed secundum eum qui vos vocauit sanctos, & vos sancti in omni conuersatione estote. Propter quod scriptum est: Sancti estote, quia & ego sanctus sum.* Quis, interrogo, vestrum ita sanctitatem toto animi ardore sectatus est, vt hoc quantũ in se est, auide festinaret implere?

E Sed videamus quid in eiusdem secunda lectione contineatur. *Charissimi* (inquit) *animas vestras sanctificate ad obediẽdum fidei per spiritum in charitate, in fraternitate, ex corde verò, inuicem diligite perseueranter quasi renati, non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei viui & permanentis in æternum.* Hæc quidem 1.Pet.1. 2. Lectio Apostoli in sacerdotum ordinatione. ab Apostolo mandata, & in die vestræ ordinationis lecta, vt ea indisruptè custodiretis, sed nequaquàm à vobis iudicio impleta, sed nec multum cogitata, vel intellecta sunt. Et infrà. *Deponentes igitur omnem malitiã, & omnem dolum, & simulationem, & inuidiam,*

Cauta Leges.

& detractiones, ſicut modò geniti infantes, rationabiles, & ſine dolo, lac concupiſcite vt in eo creſcatis in ſalutem, quoniã dulcis eſt Dominus: Recogitate, an & hæc quoque ſurdis auribus à vobis audita crebrius conculcentur. Et iterum: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, virtutes annuncietis eius qui de tenebris vos vocauit in illud tam admirabile lumen ſuum.* Non ſolum enim per vos, virtutes Dei non annunciãtur, ſed etiam prauiſſimis veſtris apud incredulos quoſque deſpiciuntur exemplis. Audiſtis fortè in eodem die, quod in lectione Actuum Apoſtolorum lectum eſt Petro in medio diſcipulorum ſurgẽte, qui dixit: *Viri Fratres oportet ſcripturam impleri, quã prædixit Spiritus ſanctus per os Dauid, de Iuda.* Et paulò poſt. *Hic itaque acquiſiuit agrum de mercede iniquitatis.* Hoc ſecuro vel potius hebeti corde, quaſi non de vobis lectum fuiſſet, audiſtis. Quis quæſo veſtrum non quærit agrum de mercede iniquitatis? Iudas quoq; loculos compilabat, vos Eccleſiæ donaria filiorumque animas eius vaſtatis. Ille adiit Iudæos vt Deum venderet, vos, tyrannos, & Patrem veſtrum Diabolum, vt Chriſtum deſpiciatis. Ille triginta argenteis venalem habuit omnium ſaluatorem, vos vel vno obolo. Quid plura? Fertur vobis in medium in confuſionem veſtram Matthiæ exemplum, ſanctorum Apoſtolorum electione, & iudicio Chriſti, non autem propria voluntate Epiſcopatum ſortiti, ad quod cæci effecti non videtis, quia longè à meritis eius diſtatis, dum in morem & affectum Iudæ traditoris ſponte corruitis. Apparet ergo eum qui vos ſacerdotes ſciens ex corde dicit, non eſſe eximium Chriſtianum. Sanè quod ſentio proferam, poſſet quidem lenior fieri increpatio, ſed quid prodeſt vulnus manu tãtum palpare, vnguentóve vngere, quod tumore iam vel fœtore ſibi horreſcẽs, cauterio & publico ignis medicamine eget? Si tamen vllo modo ſanari poſſit, ægro nequaquam medelam quærente, & ob hoc modico longius recedente. O inimici Dei, & non ſacerdotes, ô licitatores malorum, & non põtifices, traditores, & non ſanctorum Apoſtolorum ſucceſſores: impugnatores, & non Chriſti miniſtri. Auſcultaſtis quidem ſecundæ lectionis Apoſtoli Pauli verborum ſonum, ſed nullo modo monita virtutémque ſeruaſtis, & ſimulachrorum more quæ non vident? neque audiunt, eodẽ die alteri aſtitiſtis, licet ille tunc & quotidie vobis intonaret. *Fratres, fidelis ſermo eſt, & omni acceptione dignus.* Ille dixit: Fidelẽ, & dignũ, vos vt infidelẽ & indignũ ſpreuiſtis. *Si quis Epiſcopatũ cupit, bonũ opus cupit.* Vos Epiſcopatum magnopere auaritiæ gratia, nõ ſpiritalis ꝓfectus obtẽtu cupitis, & bonũ opus illi cõdignũ nequaquã habetis. *Oportet ergo huiuſmodi irreprehenſibilem eſſe.* In hoc nanque ſermone lachrymis magis quam verbis opus eſt, ac ſi dixiſſet Apoſtolus eum eſſe omnibus irreprehẽſibilem debere. *Vnius vxoris virum.* Quid ita apud nos quoque contemnitur., quaſi non audiretur vel idem dicere? Et virum vnius vxoris *ſobrium, prudentem.* Quis etiam ex vobis, hoc aliquando ineſſe ſibi ſaltẽ optauit, *Hoſpitalem*? Id forte caſu euenerit, popularis auræpotius quàm præcepti gratia factum, nõ prodeſt, Domino ſaluatore ita dicente: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Ornatum, non vinolentum, non percuſſorem ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum.* O feralis immutatio, ô horrenda præceptorũ cœleſtium conculcatio, nónne infatigabiliter ad hæc expugnanda, vel potius obruenda actuum verborúmque arma corripitis, pro queis conſeruandis atque firmãdis, ſi neceſſe fuiſſet & pœna vltrò ſubeunda, & vita ponẽda erat? Sed videamus & ſequentia: *Domum ſuam* (inquit) *bene regentem, filios habentem ſubditos in omni caſtitate*: Ergo imperfecta eſt patrum caſtitas, ſi non item & filiorum accumuletur? Sed quid erit, vbi nec Pater, nec Filius mali genitoris exẽplo priuatus, conſpicitur caſtus? *Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiã adhibebit?* Hæc ſunt verba quæ indubitatis affectibus approbantur. *Diaconos ſimiliter pudicos non bilingues, non vino multo deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes miniſterium fidei in conſcientia pura.* Hi autem probentur primum, & ſic miniſtrent nullum nullum crimen habẽtes. His nimirum horreſcens diu immorari, vnum veridice poſſum dicere. Quin hæc omnia in cõtrarios actus mutantur, ita vt clerici, quod non abſque dolore cordis fateor, impudici, bilingues, ebrij, turpis lucri cupidi, habentes fidem, & vt verius dicam, infidelitatem, in conſcientia impura, non probati in bono, ſed in malo opere præſciti miniſtrãtes, & innumera crimina habẽtes, ſacro miniſterio adſciſcãtur. Audiſtis etiam illo die, quo multo dignius, multóque rectius erat, vt ad carcerem vel cataſtam pœnalem quàm ad ſacerdotiũ traheremini Domino ſciſcitante, quem ſe eſſe putarant diſcipuli. Petrum reſpondiſſe: *Tu es Chriſtus Filius Dei*, eíque Dominum pro tali confeſſione dixiſſe: *Beatus es Simon Bariona, quia ſanguis & caro non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt*: Ergo Petrus à Deo Patre doctus recte Chriſtum confitetur. Vos autem moniti à Patre veſtro Diabolo, inique ſaluatorem malis actibus denegatis. Vero Sacerdoti dicitur: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, ædificabo Eccleſiam meam.* Vos quidem aſſimilamini *viro ſtulto qui ædificauit domum ſuam ſuper arenã.* Notandũ verò eſt, quod inſipientibus in ædificãda domo, arenarum pendulæ mobilitati Dominus nõ cooperatur, ſecundum illud: *Fecerunt reges & non per me.* Itidémque quod ſequitur eadem ſonat dicẽdo. *Et portæ inferi non præualebunt*, eiúſque peccata intelliguntur. De veſtra quidẽ exitiabili factura pronunciatur. *Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerũt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina eius magna.* Petro eiúſque ſucceſſoribus dicit Dominus: *Et tibi dabo claues regni cœlorum.* Vobis verò: *Non noui vos, diſcedite à me operarij iniquitatis*, vt ſeparati ſiniſtræ partis hœdi eatis in ignem æternum. Itémque omni ſancto ſacerdoti promittitur. *Et quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis, & quæcũque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis.* Sed quomodo vos aliquid ſoluetis, vt ſit ſolutum & in cœlis, à cœlo ob ſcelera adempti, & immanium peccatorum funibus compediti? Vt Solomon quoque ait: *Funiculis peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur.* Qua ratione aliquid in terra ligabitis quod ſupra mũdum etiam ligetur propter voſmetipſos, quia ita ligati iniquitatibus in hoc mundo tenemini vt in cœlis nequaquàm aſcendatis ſed in infauſta Tartari ergaſtula non conuerſi in hac vita ad Dominum decidatis. Nec ſibi quiſquam Sacerdotum de corporis mundi ſolum conſcientia ſupplaudat, cum eorum quibus

Lectio altera in ſacerdotum ordinationibus ex. Act. 1.

1. Tim. 3.

Matth. 6.

1. Tim. 3.

Clerici.

Lectio 3. in die ordinationis ſacerdotũ.

Matth. 16.

Matth. 7.

Matth. 25.

bus præest, si propter eius imperitiam, seu desidiã, seu adulationem perierint, in die iudicij de eiusdem manibus veluti interfectoris animæ exquirantur. Quia nec dulcior mors, quàm quæ infertur ab vno quoque hominéq; malo, alioquin non dixisset Apostolus velut paternum legatum suis successoribus derelinquens. *Mundus ego sum ab omnium sanguine, nõ enim subterfugi quò minus annunciarem vobis omne ministerium Dei,* multum nanque vsu ac frequentia peccatorum inebriati, & incessanter irruentibus vobis scelerum cumulatorum ac si vndis quassati, vnam veluti post naufragium in qua ad viuorum terram euaditis, pœnitentiæ tabulam toto animi nisu exquirere vt auertatur furor Domini à vobis misericorditer dicentis. *Nolo mortem peccatoris sed vt conuertatur & viuat.* Ipse omnipotens Deus totius consolationis & misericordiæ pauciſſimos bonos pastores conseruet ab omni malo, & municipes faciat ciuitatis Hierusalem cœlestis, hoc est, Sanctorum omnium congregationis, Pater, & Filius & Spiritus sanctus, cui sit honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

Act. 20.

IDIOTÆ VIRI SANCTI CONTEMPLATIONVM ET ORATIONVM LIB. 3.

De Contemplatione diuini amoris, Liber 1.

Quid sit amor. c. 1.

AMor dulcissime Domine Iesu Christe fons veri amoris, est affectio vehemens cordis & animæ ac mentis applicatio ad aliquid diligẽdum: inclinat enim amor amantem. Neque enim in hoc laborat, licet labor non amãtibus grauis sit: nanque difficultatem non nouit, sed impatiens est, nisi inueniat quod desiderat: nec aliud cogitat, quàm quod diligit, nec accipit de dilatione solatiũ. Lucerna fulgoris est verus amor, ardens in mente per desiderium, & splendens in facie per exemplũ. Et hic amor, iam nudus non est, & purè naturalis, sed indutus fontani amoris radio iam infusus, iam purgatus, iam illuminatus & eleuatus supra naturæ potentiam, iam patiens, iam formatus, qui quum forma est, purè naturalis & per se agens, informis est, impotens, & depressus. Amor naturalis, fulgor oculi in tenebris: amor infusus, fulgor oculi in lumine, vel verius, lumen efficax in fulgore. Amor cæteros affectus in se ducit & captiuat. Viget nanque ipse amor, quum præstò est quod amatur: & languet, quum abest: quod nihil aliud est Domine Deus, quam tædium quoddam impatientis desiderij, quo necesse est affici mentem vehementer amantis, absente eo quem amat. Natura quippe amoris est, semper amare, proprium postponere, & commune præferre, diuersa corda vnire, extraneum domesticum facere, corda iracũdia ignita extinguere, pacem semper procurare. Amor confracta solidat, depressa subleuat, nutantem animum constantem reddit. Amor docet & addiscit, & inimicum nescit. Amor laudat, amor reprehendit, amor praua suspitione caret. Vbi amor defuerit, nihil valet quicquid agitur, contrà, omnia valent, quæ cum amore aguntur. Amor hominẽ lætificat, & à terrenis subleuat. Amor nunquã est otiosus, semper aliquid operatur, sed semper crescit & augetur, Amor vita est animæ: & qui non amat, mortuus est. Verus amor, non requirit præmiũ, etsi mereatur. Sine amore, nec eleemosynę largitio, nec martyrij susceptio, nec aliquorum bonorũ operatio proficere ad habendã salutem potest. Amor hominẽ perficit, omnia sustinet, omnia patiẽter portat. Amor facilis res est, omnib. se exhibet, nulli se negat. Capit eũ bonus & malus, iuuenis & senex, vir & mulier, sanus & infirmus, diues & pauper, sũmus & infimus, liber & seruus, sęcularis & religiosus, debilis & fortis, nec est qui se valeat excusare, quin in alios dirigat radios puri amoris. O amãtissime Domine Iesu Christe vnde omnis defluit amor, ego scelleratissimus peccator, sẽper frigidus fui, & ab amore multipliciter elõgatus singularis fui & sequestratus, ac sine amore & delectatione degẽs, adeò quod frequẽter etiã vixi cũ odio & simultate. Adiuuare ergo me digneris, per tuum dulcissimum amorẽ, & accẽdere cor meũ ad amorem tibi placitum, vt amẽ & diligã quæ amare & diligere debeo, vt vitã amoris, in te amando, consequar sempiternam, Amen.

Oritur amor dulcissime Domine Iesu Christe, fons veri amoris, velut lachrymæ quæ ab oculis in pectus cadunt, quia ab intellectu amor oritur, & cadit in cor per fidem. Sic sancti, per fidem vicerũt regna. Fides enim sanctissimum bonum est humani pectoris, quæ nulla necessitate ad fallendum cogitur, nec vllo corrumpitur præmio, sed est firmamentum stabilitatis & constantiæ in animo. Oritur amor à gratia Dei Patris, sicut tu Domine Iesu Christe, amantium vita, dixisti. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum, scilicet per gratiã ad mei amorem. Intrat vero amor mentem hominũ per auditũ aurium: quia dum de aliquo, bona aliqua audiuntur: ex ipso auditu concipitur amor in corde audientis ad diligendum illum. Oritur amor, per locutionem bonam, quia principium amicitiæ, est bene loqui: malè verò dicere, exordiũ inimicitiarum. Oritur amor, per bona obsequia præstita inuicem & recepta. Nam qui obsequium præstare nescit, iniustè petit, imo etiam in odium cadit. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui omnia diligis: si ista in corde meo continua meditatione cogitarem, super omnia diligere te deberem: videlicet per fidem, quæ sic tibi placet, quòd per ipsam omnes sanas & saluas, quia dicis: Fides tua te saluum fecit, & sine illa nemo tibi placere potest. Oritur etiam amor ad te amandum, per auditum, quia de te scriptum est: Qui audit me, non confundetur: sed beati sunt qui audiunt: & qui te vero amore diligunt. Oritur etiam amor ad te diligendum, per beneficia à te multipliciter nobis collata, quia quicquid boni habemus, à te habemus: & vltra multa dona, teipsum nobis dedisti quum de cœlo propter nos descendisti, *teipsum exinaniens, & formã serui accipiens, minoratus paulominus* à Deo, quum etiã propter nos conuitia, flagella, op-

Vnde oriatur amor Dei. Cap. 2. Hebr. 11. Ioan. 6. Dei Amor ex auditu oritur. Luc. 17. Phil. 2. Psal. 8.

probria, contumelias, ſputa, & tãdem mortem turpiſſimam crudeliſſimámque ſuſtinuiſti. Sed ego ingratiſſimus peccator, licet tanta & tam magnifica dona tua cognouerim, & originem tanti amoris viderim: tibi tamen pauca aut nulla dona rependere curaui, ſed totus ingratitudine plenus, tanquàm quodammodo inimicus aduerſum te me poſui: tibi contraria & diſplicentia, corde, voce, & opere exercendo. Adiuuet igitur me, clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, amor tuus, remittendo quæ iniquè egi, & inflammet ad amorem tuum dulciſſimum, vt te timendo & efficaciter diligendo, tibi placita agã fœliciter, & adimpleam: iniqua autem toto corde & opere reſpuam, vt ad regnum perpetuò te amantium perueniam ſempiternum. Amen,

Qualiter Deus nos dilexit. Cap. 3.

Dilexiſti & amaſti nos dulciter, benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, fons veri amoris, dum carnẽ noſtram mortalẽ humiliter induiſti, ſola dilectione & amore inductus. Dilexiſti nos ſapienter, O amantium vita, Domine Ieſu Chriſte, quia carnem noſtram mortalem induendo, omni peccato caruiſti. Dilexiſti nos fortiter, quia mortẽ turpiſſimã & crudeliſſimã, prò nobis miſeris voluntariè ſuſtinuiſti. Et licet nos in carne viſitaueris, non tamen carnaliter amaſti, ſed in prudentia ſpiritus. Itaque quos in carne quæſiuiſti, dilexiſti in ſpiritu, & redimiſti in virtute. In carnis autẽ aſſumptione, accõmodaſti te nobis, in culpę vitatione, cõſuluiſti tibi, & in mortis ſuſceptione, ſatisfeciſti Deo Patri. Et ſic Domine Ieſu Chriſte, vita noſtra, amicus dulcis, conſiliari⁹ prudẽs, & adiutor fortis fuiſti. Et niſi amaſſes nos dulciter, nõ requiſiſſes in carcere, ſed ad iũxiſti affectioni, & dilectioni ſapientiã, quia tyrãnũ decepiſti: adiunxiſti etiã patientiam, quia offenſum Deũ Patrẽ placaſti. Et ſicut ad operandũ ſalutem medio terrę ex nimia dilectione ſemel veniſti in carne viſibilis, ita quotidie propter maximã dilectionẽ quam habes ad animas noſtras, venis inuiſibilis ad ſaluandas eas, mentes noſtras tua potentia inuiſibili illuſtrando. O clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, indeficiens amor, ſi tuã infinitam dilectionem conſiderarẽ, non oporteret me transfretare maria, penetrare nubes, mõtes tranſire, quia non grandis mihi reſtat via ad te amãdum: ſolum enim opus eſt, vt curram ad meipſum, ſcilicet ad compũctionem & cõfeſſionem, vt ſic exeam de ſterquilinio miſerrimæ conſcientiæ, vt illuc intrare valeas per gratiã & amorẽ. O miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte ego iniquiſſimus peccator, dignus ſum, & dignũ me ſentio odio, non amore tuo, pœna, non gloria, quia licet non cognouerim ex tua immenſa pietate, tuam exuberãtem dilectionem & amorẽ dulciſſimum tamen his obliuioni quomodo traditis, gratias tibi non rependi, nec meipſum diſpoſui, vt tuã dilectionem in me ampliori gratia augeres. Sed tẽpus ad iracundiã & vindictam prouocaui ob miſerabilem vitam meam, quam diuerſis vitiis & peccatis cõtaminaui. Succurre mihi Domine Ieſu Chriſte, per tuum ſanctum amorem, & ſic me miſericorditer diſpone, vt amor tuus dulciſſimus reformetur in me, per quem hic viuẽdo in gratia tua, in fine, amore tuo perfruar ſempiterno, Amen.

Chriſti Aduentus in noſtras Animas.

O amor præceps, amor flagrãs, amor vehemẽs, amor te intra te cohibere non valens, qui præter te aliud cogitare non ſinis, faſtidis cætera contemnis omnia præter te, dulciter capis, ſtrenue ſtringis, ſapienter erudis, glorioſe illaqueas, oneras delectabiliter, feliciter vris, in dicto expectaris, nec Conſilio tẽperaris, nec pudore refrenaris, neque rationi ſubiiceris: affectu es deſiderabilis, experientia dulcis, iucũditate plenus, fruitione æternus, ſatians & reficiens, nunquàm faſtidium generãs. Nihil Domine Ieſu Chriſte, fons veri amoris, amore tuo ſuauius, nihil dulcius, nihil vtilius, nihilque iucũdius: Amor tuus Domine non moleſtat, ſed cum exultatione & gaudio ſtringitur, & cum ſecuritate deſideratur. Vbi tuus amor eſt Domine, labor non eſt, ſed ſapor: ſeipſo cõtentus eſt cõfundit ordines, diſſimulat riſum, ignorat modũ, totúmque quod opportunitatis quod rationis, quod pudoris, & quod conſilij iudicii ve eſſe videtur, triumphat in ſeipſo, & redigit in captiuitatẽ. Amor tuus Domine, libertatẽ donat, timorem pellit, laborem nõ ſentit, meritum non reſpicit, præmiũ non requirit, feſſos alleuiat, debiles roborat, mœſtos lætificat, eſurientes reficit, & deficientes iucũdos reddit. Amor tuus Domine Ieſu Chriſte, qui es fons amoris, imò amor ipſe, diſſimulat & expectat & ſuſtinet delinquentẽ, eúmque benignè trahit, adducit, & conuerti facit ab errore vię eius. Amor tuus Domine Ieſu Chriſte, fons vitę eſt: nec viuere anima poteſt, quæ non hauſerit ex illo: neque haurire poteſt, niſi præſens fuerit ipſi fonti, ſcilicet tibi qui es fons totius amoris. O fons veri amoris & immenſæ dulcedinis, qui nunquã deficis, ſed ſemper reficis: ego miſerabilis peccator, onerat⁹ magno pondere peccatorũ, magnam ſitim amoris patior, quia à te fonte viuo ſum nimium elongatus Reſpicere ergo me digneris miſericorditer, & deducere me ad te fontem amoris & dilectionis, vt hauriam aquam tanti amoris tui, illam bibam, illa recreer, illius ſuauitatem & ſaporem deguſtem: ex illa lauetur & mundetur anima mea ab omni macula peccati, vt mundata ab omni inquinamento, tibi placeat & tibi ſeruiat, ac tecum viuat per amorem in infinita ſeculorum ſecula, Amen.

Quãdo amor Dei. Cap. 4.

De violentia amoris Dei. Cap. 5.

Diuini Amoris effectus.

O violentia diuini amoris, qua ſummus omniũ, infimus factus eſt: hoc nanque fecit verus amor, dignitatis neſcius, dignatione diues, affectu potens, ſuaſu efficax. Nihil enim Domine Ieſu Chriſte, fõs immò abyſſe amoris, violẽtius triumphat de te quã amor, propter quem temetipſum exinaniſti, vt ſciremus plenitudinem effuſam eſſe, altitudinẽ adæquatam, & ſingularitatem aſſociatam. Atque violentia tui amoris, nos fœdos & deformes amauit: non ſic tamen vt tales dimitteres, ſed vt ex fœdis pulchros, & ex deformibus formoſos faceres. Amaſti enim nos Domine Ieſu Chriſte, abyſſalis amor ex abyſſo amoris, & feciſti te, propter nos, hominẽ: ſubieciſti te, & ſuſcepiſti nos: inclinaſti te, vt nos erigeres, exinaniſti te maieſtate, vt impleres nos diuinitate: deſcendiſti vſque ad nos, vt aſcenderemus ad te. Non enim eſt pater, non mater, non amicus, non alius quiſquam qui nos tantum dilexerit, quantum tu Domine qui feciſti nos. Abſorbeat igitur quæſo, amantiſſime Domine, mẽtem meam ab omnibus quę ſub cœlo ſunt, ignita & melliflua vis tui amoris, vt totus tibi inhæream, ſoláque ſuauitatis tuæ dulcedine paſcar, delecter, ac inebrier.

O Domine

605

O Domine Ieſu Chriſte, quam felix bonum eſt & quàm deſiderabile, violentiam tui amoris ſentire, quæ pectora noſtra radiis tanti amoris quotidie illuſtrat, peſtes mẽtis ſanat, ſecreta cordis illuminat, mẽtem fouendo ſaginat,& animã exhilarando corroborat. O quam dulcis eſt miſericordia & ſuauitas amoris tui Domine Ieſu Chriſte, largitor amoris, qua perfruuntur illi qui præter te nihil diligunt, nihil quærũt nihil etiã cogitare cõcupiſcũt? Ad amorẽ tuũ præueniẽdo nos inuitas, præripis, & pertrahis, tãta eſt violentia tui amoris. Nulla .n. eſt maior inuitatio, prę̃reptio & pertractio ad amorẽ, quã prę̃uenire amando, quia animus qui prius torpebat, quũ ſe præamari ſentit, excitatur. Quòd ſi iã feruebat, quũ ſe amari & præamari didicit, magis accenditur. O amãtiſſime Domine Ieſu Chriſte, licet me indicibiliter amaueris, ego tamen impiiſſimus peccator, cor lapideum & ferreum gerẽs, amorem tuũ ignitum in pectore meo frigido nõ recognoui, & licet tuam dilectionem quam vltrò impendebas, deſiderarẽ mihi impendi: nolui tamen vice verſa, dilectionẽ tibi rependere. Auxiliari igitur mihi dignare piiſſime Domine Ieſu Chriſte, qui nõ potes nõ amare, & per violentiã tui dulciſſimi amoris cõpelle rebellẽ animum meũ ad te amãdũ, vt tibi placidè ſeruiam, & vitã obtineã in amore ſempiternã, Amen.

Quomodo cognoſcit anima, ſe diligi à Deo. Cap. 4.

Scio benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, amor & amantiũ vita, quòd qui vehementer diligit te, etiam à te infinities vehementius diligi nõ ambigit. Quódque ſua ſingulari intentione, ſolicitudine, cura, opera, diligentia ac ſtudio, quo inceſſanter & ardẽter inuigilat, quo pacto placeat tibi: multò magis omnia hæc in te indubitanter agnoſcit. Amor enim tuus, amorẽ animæ parit, & tua præcurrẽs intentio intẽtam animã facit, ſolicitudóque ſolicitã. Qualem igitur ſe præparauerit anima tibi, talis & tu eminenter per tuam infinitam miſericordiam appares ei, quia ſcriptum eſt: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris:* quare & cum amãte amans, cũ vacante vacans, cum intento intentus, & cum ſolicito ſolicitus. Tanta eſt Domine Ieſu Chriſte, amantium ſumme, benignitas & miſericordia tua erga animas noſtras, quòd ſi anima ad te vigilat, multò prius vigilas & tu: ſi anima conſurgit in nocte in principio vigiliarum, & accelerat quantum poteſt, etiam ipſas longè anticipare vigilias inueniet te, nec poterit te præuenire. Semper enim in tali negotio, plus aliquid tribuis gratiæ tuæ, & plus ſemper amas: plus quoque extenditur & dilatatur amor tuus ad ipſam animam & antè & poſt. Quæ omnia deuota & tibi grata anima conſiderans, & ſic admirans tuam ineffabilem maieſtatem, cætera non curat, ſed tibi ſoli intendere gloriatur, & ſe tibi ſoli (te donante) poſtpoſitis curis omnibus, tota deuotione cuſtodit. O amator amorum. O amantiſſime Domine Ieſu Chriſte, tanta & tam inæſtimabili bonitate redundas, quòd ſemper amando nos, nos præuenis, quærentibus te exhibes & occuris, diligis, immò tua immenſa dilectio vſque ad inimicos ſe extendit, nulli te negas, nullum ſpernis, ſed omnes manu amica vocas & recipis, niſi quantum per peccatum à te inuito & nolente contumaciter inobedienter recedunt, ſed adhuc tam immenſa & exuberans eſt tua dilectio, quòd in peccatis miſerabiliter iacentes expectas ad pœnitentiam & interdum rebelles redire compellis. Adiuuare igitur me digneris, miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, ignis & lux amoris, & accende & illumina cor meum durum & rebelle ad amorem tuum, quo adiuuante, de peccatis & malis meis propter te doleã, dignè per te ſatisfaciam, opera ſtudioſa, & tibi placita corde puro, humili & amanti exerceam, vt tua gratia præueniente, aſſiſtente, & ſubſequente, ſic in præſenti vita amore tuo viuam, vt illa finita, ad te glorioſe amandum, miſericorditer vitam obtineã ſempiternam, Amen.

De operatione amoris dei. Cap. 7.

O admirãda diuinæ propitiationis dilectio. Serui digni non ſumus. Tu autem Benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, plenitudo amoris, amorem tuũ & dilectionem oſtendendo & operando in indignis ſeruis tuis, & (vt de cæteris taceam) in me miſerabili creatura tua, à multis variiſque periculis me liberaſti: quia me deuiãtem reduxiſti, ignarum docuiſti, dum peccarem, ad pœnitentiam expectaſti, proſtratum erexiſti, & ad te venientem largiſſima pietate tua ſuſcepiſti: omne meritum meum, nihil omninò eſſe poteſt in comparatione operationis amoris tui amor tuus dulciſſime & amantiſſime Ieſu Chriſte, operatur in me, ſine ſpe recipiendi à me, *quia bonorũ meorũ non eges*, neque quicquã cõdignè amori tuo conferre poſſum, nec eum explicare ſermone, quia tantus eſt & tam immenſus amor tuus, quòd dum peccabam, tu ſiſebas: dum non continebam à vitiis & peccatis, tu à verberibus abſtinebas, dum perſeuerabam in iniquitatibus multis & diuerſis, tu vindictam differebas. Ad omnem tribulationem & neceſſitatem apertus mihi fuit dulciſſimus amor tuus, & ſinus tuæ infinitæ dilectionis expaſſus: nec conſiderauit indignum, ſed neceſſitatibus meis omnibus ſubuenit. O amoris inæſtimabilis operatio. Sic enim Domine me viſitaſti, & cor meum durum mutaſti, vt amara ſentiam nunc illa, quæ antea malè dulcia mihi erant: & qui lætabar tunc quum malè in rebus peſſimis agebam, nunc incipiam *tibi recogitare annos meos, in amaritudine animæ meæ*. Quare ô Domine Ieſu Chriſte, amator bone, qui cõmoues terram cordis mei, & conturbas eam, ſana obſecro, contritiones eius, quia commota eſt. Non recedat operatio tui dulciſſimi amoris à me creatura tua; intret in animam meam, & mundet eam à fæcibus peccatorum, illuſtret eam incendio veræ dilectionis, excitet eam à tẽpore ignauiæ: tollat ab ea ignorantiam, & doceat quæ agere & exercere debeã. O miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, qui omnẽ amorem ſuperas, cogitare non valeo, quanta dilectione me amaſti, & quàm liberaliter & gratis: quia licet te diuerſis modis offenderem, nec à peccatis ceſſarem, tu tamen diſſimulabas, nec ad puniendũ me accelerabas, immò tanquàm ouem errantem & pereuntem, vt ſacris humeris imponeres, requirebas, præ incomprehenſibili amore quo cuncta quæ feciſti, amas. Gratias itaque tibi ago, & tuo immẽſo amori, tuæque immenſæ pietati & clementiæ, & te humili corde ac ſimplici precor, vt tua dilectio me non deſerat, ſed mecum ſit, me adiuuet, & me defendat ab omni periculo animæ & corporis, vt hic ad tuum placitum viuendo, tibi ſemper ſeruiam te inceſſanter diligam & tandem ad dilectionem

Pſal. 17.

Iſa 38.

tuam perueniam ſempiternam, Amen.

De magnitudine amoris Dei. Cap. 8.

Licet Domine Deus meus, mundus in maligno poſitus eſſet, & plenus miſeria, tamen pro nobis in mũdum, tuum benedictum filium miſiſti: immò etiam ex abundantia tui amoris illum in infernum tranſmiſiſti, vt inde ſuos extraheret: ad hoc enim miſiſti ipſum in mundum, vt venditus nos redimeret, occiſus viuificaret, iniurias paſſus honoraret, & in filios adoptaret. Miſiſti igitur verbum tuum: miſiſti ſpiritum tuũ, promittis vultum, & ne quid in cœleſtibus vacet, ad opera noſtra ſolicitãda, etiam illos beatos ſpiritus propter nos mittis in miniſterium, & inſuper humanam naturam in eadem perſona diuinæ naturæ aſſociari voluiſti. Dilexiſti nos Domine gratis, morti damnatos, & vita indignos. Omnes enim ducebamur, tanquã latrones ad ſupplicium, quia ad infernũ trahebamur, ſed filius tuus ſuperbenedictus nobis ſubuenit, & pro nobis fideiuſſit: quam fideiuſſionem ſemper in memoria habere debemus, ſicut ſcriptum eſt. *Gratiam fideiuſſoris tui ne obliuiſcaris, dedit enim pro te animam ſuam.* Tu Domine Deus meus, præ magnitudine amoris tui, non pepercisti filio tuo vnigenito, ſed pro nobis omnibus illum tradidiſti, & ad te nos attraxiſti, dum ſororem noſtram, ſcilicet humanam naturam benedictio filio tuo inſeparabiliter copulaſti, ſic enim ſcribitur: In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans tui. Domine Deus meus, ignis amoris conſumens, glorioſius non potuit nubere caro noſtra. Vnde ſi matrimonium inter homines ſic attrahit eos, vt de inimicis valde amicos faciat, quantum deberet homines id attrahere ad amandum te, quòd ſororem noſtram, ſcilicet humanam naturã, tuo benedictio filio inſeparabiliter copulaſti? Sed Domine Deus meus, ego ſum ingratiſſimus ille & ſuperbiſſimus peccator, qui tantam ingratitudinẽ amoris non conſiderans, & tam mirabilem copulam non contemplans, me ad amandum te, tuum filium & ſpiritum ſanctum, vnum Deum & vnum Dominum, non diſpoſui, ſed ad amanda mala, noxia & iniqua fui multipliciter inclinatus, & illa ad effectum frequenter perduxi. Adiuuare ergo me dignare miſericordiſſime Domine indultor amoris, & dirige me, vt te ſuper omnia diligam, & tua infinita beneficia recognoſcam, mente teneam, & pro ipſis gratias tibi agam, & in fine vitam in amore mihi miſericorditer concede ſempiternam, Amen.

De cauſa diligendi Deum.

O miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, cauſa diligẽdi te, tu ipſe es. Et te diligendi modus, eſt ſine modo, quia infinite bonus ſis, & omnimodus noſter diligendi finitus, diligendus eſt ſupra omnẽ modum, & ideo nihil te iuſtius, nihilque fructuoſius diligi poteſt: infinitum nanque Domine Ieſu Chriſte, verè amantium amor, meritus eſt de nobis, quia nobis immeritis temetipſum dediſti. Tu es cauſa efficiens, & finalis amoris & dilectionis, vt occaſionem habeas glorificandi nos, quia tu occaſionem das, tu affectionem creas, tu deſiderium conſummas. Tu enim feciſti hominem, immò factus es homo, vt te amemus. Tuus amor amorem noſtrum præparat & remunerat, præcedit benigniꝰ & expectatur ſuauius, & dies es in omnibus qui inueniunt illum. Se dat in meritum, ſe ſeruat in præmium, ſe apponit in refectionem animarum ſanctarum, & ſe diſtrahit in redemptionem captiuarum. Si tuum meritum quæritur, illud eſt præcipuum, quia tu prior dilexiſti nos. Et ideò dignum & iuſtum eſt, vt te redamemus, præſertim ſi mente humili & deuota deſiderare velimus tuã miſericordiam, gratuitam dilectionem, inopinatam dignationem, inuictam manſuetudinem, & ſtupendã dulcedinem. Quid enim aliud iſta faciunt benigniſſime & ſuperamabilis Domine Ieſu Chriſte, diligẽter cõſiderata, niſi vt cõſiderantis animũ ad te viſceraliter rapiant, vehementer afficiãt, faciántque cõtẽnere omnia, præter te Domine? Verus amor tuus clemẽtiſsime Domine Ieſu Chriſte, vacuus eſſe nõ poteſt, ſed eius præmiũ, incipiẽti proponitur, amãti promittitur, & perſeuerãti redditur. Anima te domine veraciter amãs, aliud præter te, ſui amoris premiũ non requirit: aut ſi aliud requirit, profectò te nõ diligit. O mitiſſime domine Ieſu Chriſte, ego sũ ille peruerſiſsimus peccator, qui te poſthabendo in tranſitoriis & caducis amorem cordis mei poſui, & illa quæ diu conſeruare non poteram, tota mente dilexi. Adiuua me piiſsime Domine Ieſu Chriſte, amator fortis, & dirige cor meum, vt te amem & diligam, mundana contemnens, ea tanquam inũtilia & noxia penitus derelinquam, peccata odio habeã de præteritis doleam, & condigne virtute amoris ſatisfaciam, & à futuris malis & peccatis præcaueam, vt tibi amore ſyncero & aſſiduo ſeruiendo & placendo, tandem tuam dilectionem per infinita ſeculorum ſecula adipiſcar immortalem, Amen.

Qualiter Deus diligatur. Cap. 10.

Non mirum eſt Domine Deus meus, ſi infidelis minus diligit te, minus.n. te agnoſcit. Sed quid eſt Domine de me miſerabili creatura tua? Te.n. per verã fidem agnoſco, & te teneo vitæ meæ nõ ſolum gratuitũ largitorẽ, largiſſimum adminiſtratorẽ, piũ conſolatorẽ, ſolicitum gubernatorẽ, ſed inſuper etiam copioſiſsimũ redemptorem, æternũ conſeruatorẽ, ditatorem, & glorificatorẽ, vrget nanq; ratio & iuſtitia naturalis, vt totũ me per amorem tradam tibi, à quo me totũ habeo: & ſi totum me debeo tibi, quia me feciſti, ad magis amãdum ſum tibi obligatus, quia me refeciſti: nec tam facile me refeciſti, quam feciſti: nam ſemel dicẽdo me feciſti, ſed reficiendo, & dixiſti multa, & geſsiſti mira, & pertuliſti dura, nec tãtũ dura, ſed & indigna. O benigniſsime Domine Ieſu Chriſte, amor meus, *quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuiſti mihi?* In primo enim opere, me mihi: in ſecundo verò, teipſum mihi dediſti, & tunc te mihi dando, me mihi reddidiſti, Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis quidẽ debeo. Quid ergo retribuã pro te? Nam etiam ſi me infinities repẽdere poſſẽ, nihil ſum ego ad te. O Domine Ieſu Chriſte, languentes animos amore reficiens, ſi intelligẽtia quam mihi dediſti, vti vellẽ ſicut deberem, cernerẽ manifeſtè quomodo, immò quàm ſine modo à me creatura tua amari merueris, qui prior dilexit me tantus & tantũ & gratis, tantillum, & talem & ingratũ. Scio Domine, quòd dilectio tua tẽdit in immẽſum & in infinitum, quia tu immẽſus es & infinitus. Quæſo igitur Domine, qualis finis debet eſſe mei vel modus amoris? Amor.n. meus Domine, nõ eſt gratuitꝰ, ſed repẽditur debitꝰ. O clemẽtiſsime Domine Ieſu Chriſte, amicos tuos viuificãs amore, extẽde ad me peccatorẽ miſerabilem tuã & exuberantem

Pſal. 115.

exuberantem dilectionem, vt te diligam pro dono tuo, & modo meo minus quidem iusto, nam etsi quantum debeo non possum, non possum tamen vltrà quàm possum: potero autem plus, quum plus donare dignaberis, nunquam tamen prout dignus haberis. Da igitur mihi tuum amantissimum amorem, quo te donante, te diligam & amem, tibi placeam, tibi seruiam, tua præcepta adimpleam, à te non separer in præsenti & in futuro, sed tecum maneam agglutinatus amore in sempiternum, Amen.

De triplici modo diligendi Deum. Cap. 11.

O immensitas amoris dulcissime Domine Iesu Christe, doce me quemadmodum diligam te: fac mecum tuam misericordiam, vt te amem dulciter, prudenter, fortiter. Dulciter, ne amaritudine auertar: prudenter ne decipiar: fortiter, ne opprimar, aut ab amore tuo vllo modo, siue mũdi gloria, siue carnis illecebris aut voluptatibus abducar. Informes me Domine tu qui sapientia es, ne seducar spiritu mendacij & erroris? Luceſcas in me tu qui es veritas, ne aduersitatibus & scandalis offendar. Confortа me tu qui es virtus, ne deficiam in tuo seruitio. Zelum meum inflammet charitas tua, tua scientia cognitionem meam dirigat, & constantia tua propositum bonum firmet, vt prædictis munitus, sim in tuo amore feruidus, circunspectus, & inuictus, ne teporem habeam, ne caream discretione, & ne timidus efficiar, sed diligam te Dominum meum toto & pleno cordis affectu, diligam te tota rationis vigilantia & circumspectione, diligam te tota virtute, adeò vt nec mori pro tuo amore pertimescam. Sis suauis & dulcis Domine affectui meo, contra fallaces & malè dulces vitæ carnalis illecebras, & vincat falsam dulcedinem dulcedo tua vera, quemadmodum clauum clauus extrudit, & sis intellectui præuia lux, & lux rationi, non solum ad cauendas hæreticæ fraudis decipulas, & ab eorum versutiis fidei veritatem vindicandam: verumetiam vt nimiam & indiscretam vehementiam in mea cõuersatione deuitem. Tu namque Domine sapientia es, & vis amari non solum dulciter, sed & sapienter alioqui facillime zelo meo spiritus illudet erroris, si scientiam negligam. Scio namque Domine quod non habet callidus hostis machinamentum vllum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quã si efficere possit, vt in ea incautè & sine ratione ambulem. Domine Iesu Christe, amantium fortitudo, robur & firmamentum, sim fortis & constans ad te amandum, non cedens terroribus, nec succumbẽs laboribus. *Diligam te Domine fortitudo mea, quia tu es firmamentum meum & refugium meum, liberator meus, Deus meus, adiutor meus*, amor æternus, amor supereminẽs, amor cuius magnitudinis non est finis, amor cuius sapientiæ non est numerus, amor cuius pax exuperat omnem sensum. Diligam te non verbo solum ac lingua, sed opere & veritate, vt tua gratia in præsenti suffultus, in fine ad amantium gloriam, te misericorditer donante perueniam sempiternam, Amen.

Toto corde te diligere clementissime Domine Iesu Christe immensitudo amoris, est non abduci blanditiis, non seduci fallaciis, non frangi iniuriis, sed integrè te sic diligere ex toto corde, vt ad nullius rei dilectionem cor magis inclinetur quàm ad te, nec delectetur in aliqua re magis, quàm in te: minus enim te amat, qui aliquid tecum amat, quod nõ propter te amat, totum námque exigis, qui totum hominem fecisti, diligi enim debes Domine ex toto corde, ratione & creationis, & recreationis: quia enim hominem fecisti, debet seipsum amori tuo, & quia eum redemisti, debet se amori tuo. Et tanto magis debet se amori tuo quàm sibiipsi, quanto tu maior es ipso, pro quo teipsum dedisti. O benignissime Domine Iesu Christe, amor immense, frange, mollifica cor meum durissimum, vt si ad alium non valet eleuari, saltem ad purum amorem sensibilem flectatur, scilicet ad benedictam carnem tuam, & ad illa quæ in carne gessisti vel iussisti, vt omnia libenter audiam, studiosè legam, frequenter recolã, suauiter mediter, te annunciatum contempler deuotè, aut nascentem, aut lactantem, aut docentem, aut ieiunantem, aut prædicantem, aut miracula facientem, aut morientem, aut resurgentẽ, aut ascendentem, aut ad iudicium venientem: sic animus meus stringatur in amore tuo, vt carnis deuitet vitia, fugiat illecebras, desideria maligna extirpet, & in te assiduè recreetur, atque tuo dulcissimo amore pascatur. Scio Domine, quòd per amorem tuum vita carnalis excludetur, mundus contemnetur, & efficietur, ac perficietur vita spiritualis, vt ipsa in omnibus quæ oportet sentire, te sentiat, & vera fide firmetur, puritas conseruetur, diabolica circumuẽtio euitetur, augeatur exercitium virtutũ, & amor tuus mihi dominetur, nec posthac separetur à me, sed sic in præsenti me gubernet, conseruet, & viuere faciat, vt te adiuuante & donante, amor in regno tuo, sit mihi vita sempiterna, Amen.

Diuini Amoris effectus.

Diligendus es Domine Iesu Christe, totius amoris plenitudo, ex tota anima, scilicet fideliter, sicut nos dilexisti qui maluisti animam tuam separari à corpore, quàm animas nostras separari à te. Qui enim diligit tota anima, non timet mortem, quia dilectio est condimentum dulcorans, nam nihil dulcius aut delectabilius amore. Sine amore omnia sunt insipida & amara: quæ autem sunt amara, quãtumcunque sunt amara, fiunt dulcia amore, sicut sancti patres in desertis probauerunt, vtentes pro alimento herbis & arborum corticibus, sicco pane & aqua frigida: terra pro lecto, lapide pro ceruicali, & cilicio pro vestimento, in quibus omnibus propter amorem tuum, saporem & delectationem & dulcedinem magnam sentiebant. Omnia namque grauia & difficilia, verus amor facit facilia, & quasi nulla. Ideò sancti Martyres, omnia tormentorum genera tãquam dulcia non solùm patienter, sed etiã hilariter præ ardenti amore sustinebant: labor namque non fatigat amorem, tormentum amorem non superat, amor quiete fit inquietior. Quiescit afflictio, quiescit tentatio, sed dilectio quiescere nescit, requies enim, est eius inquietudo. Qui huius amoris gustu inebriatus fuerit, ad omne opus bonum hilarescit, dolet, & non sentit: laborat, & non lassatur: deridetur, nec aduertit. Amorem animæ, thesaurus nullus superat: nescit enim homo precium eius, quia omne aurum in comparatione amoris, arena est exigua. Sine amore dives pauper est: & cũ illo, pauper dives est, quia qui Deum tota anima amat & diligit, iam habet quem amat, nec eum verè diligere posset, si eum quem diligit, non haberet.

Quid sit diligere Deum ex tota anima. Cap. 13. Deut. 30.

Diuini Amoris effectus.

Amorem tuum Domine, alienus amor non occupat, nec ei commiſcetur, quia non poſſunt commiſceri vera vanis, æterna caducis, ſpiritualia corporalibus, ſumma imis. O clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, incomprehenſibilis dilectionis author & infuſor, ego miſerrimus peccator omni iniquitate plenus, te non dilexi ex tota anima mea, immò quod damnabilius mihi eſt, tuo amore ſpreto & derelicto, amorem meum poſui in mundanis, vanis & noxiis damnabilibúsque rebus. Et ſic iſte miſerabilis amor, ducet me ad odium tuum perpetuum, niſi tua infinita miſericordia, infinitus amor tuus adiuuare me dignetur. Augeatur igitur in me tuus glorioſus amor, qui me trahat ad te, relicto iſto tranſitorio amore, vt in tua dilectione perpetuò valeam manere, Amen.

Quid ſit diligere Deum ex tota mente. Cap. 14. Prou. 17.

Piiſſime Domine Ieſu Chriſte, totius exaltatio amoris, diligere te debemus ex tota mente, ſcilicet memoran ter, perpetuò ac perſeueranter, vt omnes ſenſus hominis, ſcilicet voluntas, intellectus, memoria, & omnes eorum operationes tibi vacent. Quòd ſi in aliorum dilectione occupentur, iam ex tota mente, qui ſic occupatur, te non diligit. Scriptum eſt enim: *Omni tempore diligit, qui amicus eſt.* Talis igitur dilectio totius mentis, eſt ligamen, viſcum & glutinum, hominem tibi indiſſolubiliter vniens atque ligans, quia amor eſt quædam vis mutua & virtus agglutinatiua, ſumma mouens ad infima, & nouiſſima, id eſt, ſubiecta, ad meliorũ, id eſt ſuprapoſitorum confirmationem, vt anima hoc glutino glutinata, tibi dicat: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. 2. Tãtus eſt namque amor à tota mente procedens, quòd anima tibi vnita tali dilectionis glutino, nec pœna, nec tormento, nec igne, nec ferro, nec vllo alio ſupplicio poteſt diſſolui, niſi adueniat peccati mortalis immunditia: immò citius Domine Ieſu Chriſte amantium portus, manus à brachio, caput à collo ſolueretur, & amoueretur, quàm anima tali glutino amoris tibi vnita & coniuncta, à te aliquo modo ſeparetur: res enim forti glutino glutinata, citius rumpitur & frangitur in aliis locis, quam in ipſa cõiunctura. Sic etiam eſt de anima, vt patet in ſanctis Martyribus, qui à tuo amore, nullis pœnis poterant auelli, vel quãtulumcunque ſeparari, facilius enim pes ſepararetur à tibia, & caput à ceruice, quàm ipſi à te. O dilectio, quàm magnum eſt vinculum tuũ, quo ligari potuit Deus? O piiſſime Domine Ieſu Chriſte, opifex amoris, hoc vinculum te in cruce tenuit, quem omnes funes totius mundi nullatenus tenuiſſent! Amor benigniſſime Domine ex mente procedens, *eſt triplex funiculus*, qui *difficilè rumpitur*, quia te diligere debemus ex toto corde, id eſt, intellectu ſine errore: tota anima, id eſt, voluntate ſine contradictione: & tota mente & virtute, id eſt, memoria ſine obliuione. Concede mihi miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, largitor amoris potentiſſime, gratiam te amandi toto corde, tota anima, & tota mente, vt à te nunquam valeam ſeparari, ſed tecum perpetuò in perfecto amore permaneam, Amen.

Quod amor eſt fortis armatura animæ. Cap. 15.

Homo ſcuto & armatura munitus amoris tui benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, in tentationis prælio ſtat inconcuſſus, inuincibilis, atque firmiſſimus, non timens etiam ſi cum eo tota acies dæmonica decertaret. Tu enim piiſſime Domine Ieſu homini amorem habenti, bonus adiutor & fortis defenſor aſſiſtis, quia tu amor es, & qui in tuo amore ſtat, tecum ſtat. Aſſiſtis etiam homini dilectionem habenti, vt verus & fidelis amicus qui libenter ſubuenit amico ſuo, & eum defendit, ſicut ſcriptum eſt: *Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccatores* (id eſt, dæmones infernales, vel homines peſtilentes) *diſperdet.* Pſal. Sed Domine, non ſic eſt de alia virtute, quia tu, ſi quis ſine dilectione aliquid faciat, non ſic prętò es ei, nec aſſiſtis ad adiuuandum. Dilectio vera in te Domine Ieſu Chriſte, amator veriſſime, hominẽ inuincibilem reddit, eum enim ex omni parte protegit & defendit, quod nulla facit alia virtus, ſed ex vna parte tantum. Nam abſtinentia, à gula tantum defendit: pudicitia, à luxuria, & ita de cæteris. Immò alia virtus ſine dilectione, ex vna parte defendit, & ex altera ſuccumbit, dum ſcilicet de eius actu & opere oritur iactantia, & naſcitur vana gloria, vt patet in eleemoſyna & ieiunio, quæ nihil valent, niſi tua dilectione directa ſint & protecta. Et ideò diabolus hanc armaturam dilectionis inuadere ſummoperè ſtudet. Nam ſi caſtitas in nobis fuerit ſine dilectione, non timet, quia ipſe in carne non premitur, vt in luxuriam diſſoluatur: abſtinentiam non timet, quia cibo non vtitur, qui neceſſitate corporis non vrgetur: diſtributionẽ rerum terrenarum non timet, ſi dilectio deſit, quia diuitiarum ſubſidiis non eget. Sed valde timet in nobis dilectionem veram qua te diligimus, & proximum, & ſemper cõcordiæ inuidet, quia dilectionem quam tenemus in terris, ipſe tenere nolẽs, corruit è cœlis. Dilectio tua Domine Ieſu Chriſte, ab omnibus diligi digniſsimè, omnem tentationẽ repellit, non alia virtus: nam alia virtus cum peccato & informis eſſe poteſt, vt etiam morales virtutes in Philoſophis fuêre. Ideóque non ab omni peccato, nec ab omni tentatione defendunt. Sed dilectio tua omni peccato contrariatur & omni tentationi reſiſtit: immò nec morti, nec tormento ſuccũbit. Vinci nequit, immò de morte obtinet victoriã & triumphum. Hanc veram dilectionem tribue mihi miſericorditer Domine Ieſu Chriſte, tota virtus & vigor amantium, vt tecum in amore maneam in ſempiternum, Amen.

Quòd per amorem peccatum remittitur. Cap. 16.

Tanta eſt vis amoris ſuperamande Domine Ieſu Chriſte, quòd per amorem peccata remittuntur. Non eſt enim peccatum, quod dilectione tua non remittatur, non culpa, non noxa tam grauis vel enormis, quæ adueniente dilectione tua non expellatur, non macula tam fœda, tenax, ac etiam inueterata, quæ non tua dilectione & amore diſſoluatur, quia tua dilectio omni culpæ mortali contrariatur, nec cum aliqua eſſe poteſt: habet enim tua vera dilectio omnem culpam expellere, ſicut calidũ frigus expellit. Sed non ſic eſt de alia quacunque virtute. Vt patet de beata peccatrice, quæ tot peccata habuit, & tamen dilectionis virtute, omnia ſunt ei dimiſſa, ab ore veritatis dictum eſt: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. 7. Licet enim abundanter fleuerit, pedes lachrymis lauerit, capillis terſerit, pedes oſculata fuerit & vnxerit: tamen iſtis nõ attribuitur remiſsio, ſed ſoli dilectioni, quia ſine dilectione parum valuiſſent: ſed fuerunt ſigna quædam

quædã scintillæ ignis, à dilectione præparata, quæ catenus tibi grata fuêre, quatenus ab amore impetrata: dilexit namque te multum, quia ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, quod euidenter patet in iis dilectionis signis quæ ostendit: dilexit enim te super omnia, sed non nimis, quia tu Domine nimis diligi non potes: immò modus diligendi te, sine modo est. Et in hoc etiam patet nobilitas & valor dilectionis eius, quia in excessu nõ amittitur, nec augmentũ eius in vitium vertitur, sed in cõmodum & profectum. Contrà tamen homo potest nimis ieiunare, eleemosynas dare, orare, & sperare. Virtutes quoque morales si transcendant modum vel medium, in vitium & malitiam conuertuntur. O clementissime Domine Iesu Christe, amator bone, ego malus & vitiosus peccator, ista mente reuoluens, nec mẽte, nec opere ad effectum perduxi, sed à vero amore & dilectione elongatus, & totus frigidus factus, in peccatis & vitiis innumerabilibus, tẽpus meum miserabiliter consumpsi. Adiuuare me digneris misericordissime Domine Iesu Christe, immense fons amoris, & vt peccata mea benigne remittas, dilectionem tuam mihi digneris infundere sempiternam, Amen.

Quòd amor est via rectissima ad Deum. Cap. 17.

Vera dilectio benignissime Domine Iesu Christe qui es merces amoris, est via rectissima veniendi ad te, nec opus est aliqua alia virtute, in cuius exercitio potest esse via obliqua, sed solum amore & dilectione quæ ad cœlestem patriam verè ducunt, quia alia quæcunque virtus, informis esse potest & cum peccato, & ex eius actu sæpè oritur vana gloria, quæ vt ventus impedit viatorem, immò impellit in chaos inferni. Nam peregrè pergens, carnis afflictionem assumens, eleemosynas erogans, sæpe vento vanæ gloriæ impetitur, & dum ad pœnitentiam ire credit labitur in infernum. Non ergo Domine Iesu Christe, susceptor amoris & largitor, ieiunium, oratio, eleemosyna est via recta omninò, sed amor & dilectio tua, est via rectissima absque deuio: via breuis, absque tædio, via plana, absque tumulo: via clara, absque nubilo: via secura, absque periculo: via iucũda cum bono socio, scilicet cum te Domine, amantissimo duce, via veniendi ad æterna gaudia, quæ non permittit viatorem ad dextram, quæ est prosperitas, nec ad sinistram, quæ aduersitas est, declinare. Ista via amoris Domine Iesu Christe, dux amantium æterne, est vera non ficta, neque palliata: via cordialis, non verbalis: via fructuosa, non otiosa: via nõ solum sermonis, sed etiam operis: via cauta, non improuida: prudens, non fatua, ita quòd persona ametur, & culpa refutetur: via magna, nõ modica, ita quòd *animam suam ponat quis pro amicis suis*: via constans, non momentanea, sicut tu Domine in fine ostẽdisti: *quia quum dilexisses tuos, in finem dilexisti eos*: si quis igitur Domine Iesu Christe, amator constãtissime, ad patriam cœlestem velit celeriter peruenire, per viã dilectionis & amoris ambulare debet. Quia qui amat ardentius, currit velocius, & peruenit citius. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui ob nimium amorem, etiam non amantium misereris: iniqua & peruersa atque falsa fuit dilectio mea, quia non fuit cordialis, sed verbalis: non vera, sed ficta: meos amicos in suis sceleribus & peccatis defendi, & sic *iniquos odio* non *habui*: amaui fortunam, & ea mutata, amorem mutaui. Parce mihi piissime Domine Iesu Christe, misericordissime amator, & veniam dare mihi dignare, & cõcede mihi misericorditer tantam ad te amandum gratiam, vt relicto vano amore, tibi nõ placito, te super omnia amem & diligam assiduè, & sine alicuius temporis interpositione, nec à tua dilectione separer, sed cum ea permaneam per infinita seculorum secula, Amen.

Quòd amor obtinet quæ in stè petuntur à Deo. Cap. 18.

Amor & dilectio clementissime Domine Iesu Christe, qui es ipse amor, postulata à te promptè & facilè obtinet, quia illum qui te veraciter diligit, libenter exaudis, & postulata ei concedis, quia scriptum est: *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus ℣ocem orationis meæ.* Tam exuberans est amor tuus dulcissime Domine Iesu Christe, spiritualis amator, quòd tu diligenti te, vnà cum spiritualibus bonis, bona etiã temporalia tribuis & cõcedis, sicut dictum est à te: *Si obediatis mandatis meis, ℣t diligatis Dominum Deum ℣estrum, & seruiatis ei in toto corde ℣estro, anima, & mente ℣estra: dabo pluuiam temporaneam & serotinam, ℣t colligatis fructum ℣ini & olei, & fœnum ex agris.* Ostendis etiam & extendis diligenti te misericordiam, sicut scriptum est: *Faciens misericordiam in millia millium iis qui diligunt me.* Infundis etiã sapientiã tuã diligenti te, sicut scriptũ est: *℣nus est altissimus, & sapientiam suã* (.i. datũ suũ) *præbet diligentibus se.* Tribuis etiam & liberaliter concedis diligenti te gaudium & lætitiã, sicut scriptum est: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea ℣nxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Diligentes igitur te Domine Iesu Christe, amantium remunerator largissime, exaudis, & eisdem multa bona impartiris. Sed non sic illis euenit, qui te non diligunt, nec diligere volunt, non enim eos exaudis, sed potius te prouocant ad iram, quum aliqua à te petunt, quia quum indignus ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. O misericordissime Domine, quoties te prouocaui, quia indignissimus & nefãdissimus peccator, multa à te petij, & nullo dignus eram, quia te non dilexi corde & opere, sed solum verbo & lingua. Quare non amore, sed odio dignus eram, pœna & nõ gloria. Sed in tuo indicibili amore confido, piissime Domine Iesu Christe. Te fons inexhaustibilis amoris, quem à me, obsecro, non retrahas, sed illum mihi clementer concedas, quo inflammare digneris cor meum frigidum, ad amandum & diligendum te, vt spreta dilectione transitoria & caduca huius miseræ vitæ, ad te eleuer per puram dilectionem, in te manentem per assiduam contemplationem, in secula seculorum, Amen.

Quòd amor Dei defendit & liberat à malis. Cap. 19. Dan. 6. & 14.

Fidelis & verus amicus es Domine Iesu Christe, amator vigilantissime, qui diligentem te custodis, liberas & defendis à malo & periculo, sicut ostendisti in seruo tuo Daniele, te toto corde diligente, qui coniectus in lacum leonum, illæsus te protegente fuit extractus, & penitus liberatus. Vnde dixit: *Recordatus es mei Domine, & non dereliquisti me.* Liberas igitur Domine diligentem te, à malo, & à leonis infernalis insultu, & illæsum eripis ab eodem. Et quia sicut fidelissimus amicus liberas à malo, protegis & defendis, clamat Propheta in persona cuiuslibet te amantis: *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & liberator meus: Deus meus adiutor* Psal. 17.

meus, & ſperabo in eum : Protector meus & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus. O miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, ineffabilis dulcedo amoris: inæſtimabilis eſt dilectio tua, quæ ſemper adiuuat peccatorem, & defendit. Peccat enim miſerabilis peccator praua ſuggeſtione & cogitatione, ſed tu es diligenti te *fortitudo*, ne cogitatio poſſit introire. Quòd ſi peccator vltra procedat, ſcilicet ad delectationem, tu es tunc ei *firmamentum*, ne poſſit delectatio inualeſcere. Cum autem peccator ad conſenſum voluntati laxat habenas, tu Domine illi es, *refugium*, vt conſenſui contradicat. Quando verò defendit peccatum, tu ei *liberator es*, vt ab audacia abhorreat. Si latenter peccare vult tu illi es *adiutor*, qui vbiq; præſens es, ne id faciat: ſed ſi patenter, tu es ipſius aduerſus nequitiam *protector*. Si autem inducatur in conſuetudinem, tu es ei *cornu ſalutis*. Si verò falsò ſeducatur, vel deſperatione aut induratione cõficiatur, tu eius, ne deſperet, neue induretur, *ſuſceptor es*. Fideliſſimus igitur amicus es Domine, & tua vera amicitia omnem aliam excedit amicitiam. Tu ſemper diligis, in vita & morte. Tu diligis in proſperitate & aduerſitate, & etiam magis fœlicem mortuũ quàm infelicem viuum. Tu Domine plus in immenſum amas quàm ameris: & etiam amas, licet nõ ameris. Tu propter patres, amas filios: immò propter vnum bonum in ciuitate vel ſocietate, amas multos malos. O amantiſſime Domine Ieſu Chriſte, ego miſerrimus & prauiſſimus peccator, omni dilectione vacuus, ſed malitia & iniquitate plenus, te vt debuiſſem, non dilexi, ſed cor durum & vagũ habendo, ad diligenda frequenter mihi damnoſa & noxia ipſum applicui, quod erigere digneris, Domine, ad te amandum ſemper, vt vita mea & gloria mea, ſit dilectio tua ſempiterna, Amen.

quòd amor reficit hominem. Cap. 20.

Non honor, non pecunia, neque aliqua terrena ſubſtantia, nec etiam virtus, nec ars aliqua, vel ſciẽtia, benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, plenitudo amoris, poteſt implere animam, & ſatiare conſcientiam, ſed ſola & vera dilectio tua. Nam dilectio, aut eſt cum gratia, aut ſine: at ſine ea, non poteſt eſſe dilectio vera. Illud autem quod in via poteſt ſolum reficere & quietare animas, eſt gratia, cum qua ſimiliter eſt dilectio vera. Et quia qui diligit te Domine, habet te, ſicut ſcriptum eſt: *Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet*: non poteſt eſſe pauper, quia Deum habet quem amat. Et quomodo poteſt eſſe pauper, qui te, qui es omne bonum, habet in conſcientia. Qui habet aurum in arca, diues non eſt, ſed qui te habet in conſcientia, diues eſt. Vnde ſcribitur de te: *In me ſunt diuitiæ & gloria, vt ditem omnes diligentes me, & theſauros eorum repleam*. O miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, in amore ditiſſime, qui ditari cupit & ſatiari, dilectionem veram debet habere, quæ mentem reficit, perficit, & eidem ſufficit. Nam qui vera dilectione caret, etiam ſi omnes diuitias mundi haberet, & inſuper ſapientiam, fortitudinem, ſimplicitatem, pulchritudinem, omnes denique virtutes à Philoſophis conſcriptas, pauper tamen & miſerabilis eſſet, quia illis non contentus, alia ſemper appeteret. Ideò de quodam diligente terrena, ſcribitur: *Tu dicis quia diues ſum & locuples, & nullius egeo, & neſcis quia tu es miſer & miſerabilis, pauper, nudus, & cæcus: Suadeo tibi, emere aurum ignitum, vt locu-*

Apoc. 3.

ples fias. O clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, amor conſumens, quantam doctrinam nobis peccatoribus oſtendiſti, pro ſaluatione noſtra, monendo, vt emamus aurum ignitum, per quod intelligitur amor & dilectio: quia ſicut aurum excellit omnia alia metalla, ſic dilectio omnes alias virtutes. Debet autem hoc aurum, eſſe ignitum amore tuo, & dilectione tua ſummè inflammatum. Neque emitur nummo vel denario, ſed bona voluntate, bono deſiderio, bono affectu. Vnde hac dilectione nihil melius emitur, & nihil charius eſt, cum poſſidetur. O piiſſime Domine Ieſu Chriſte, locuples in amore, ego ſum miſer & miſerabilis, pauper nudus & cæcus, da mihi hoc aurum ignitum, hoc eſt, dilectionem tuam, quo inflammetur mens mea, vt ea reficiatur & quietetur in te, & ipſe ditatus gratia & dilectione tua ad regnum amoris perueniam ſempiternum, Amen.

Inſiſtendũ eſt clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, amator bone, dilectioni tuæ, quia dilectio non eſt niſi boni, & tu es fons totius bonitatis. Tu es pater creatione & deitate: tu es frater redemptione & humanitate: tu es Dominus naturalis, non extraneus: quicquid habemus, à te habemus, & in fine à te expectamus præmium ſempiternum: & ideò cõueniens eſt vt te diligamus, & tuæ dilectioni continuè inſiſtamus, ſicut ſcribitur: *Audi Iſrael, quid nunc requirit Dominus, aut quid petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, & ſeruias ei in toto corde tuo, anima et mente tua, cuſtodiásque mandata Domini, vt bene ſit tibi?* Iſraël, eſt quilibet fidelis Chriſtianus per fidem te videns, qui ad diligendum te maximè eſt aſtrictus, quia à te magis dilectus, nam dilexiſti nos, & lauiſti in ſanguine tuo. Tu conſulis nobis, & mones dulciter non acriter, quæ à nobis requiris: ſcilicet vt te timeamus, dum dicitur, vt timeas Dominum Deum tuum. Vnde in timore tui originem ſuam habet dilectio, quia ſcriptum eſt: *Timor Domini, initium dilectionis*, quæ vires accipit, & augetur exercitio aliarum virtutum à dilectione imperato. Et ideò dicitur: *Et ambules in viis eius*, id eſt, in bonis operibus: vtpote eleemoſyna, ieiunio, oratione, & cæteris: ex his enim vegetior redditur dilectio, ſicut ignis, lignorum appoſitione. Completur autem dilectio tui Domine, ex affectu interioris amoris, ideò dicitur: *Vt diligas Dominum Deum tuum*. Completur etiam ex actu exterioris honoris, ideò dicitur: *Vt ſeruias ei in toto corde tuo, anima et mente tua*. Conſeruatur denique mandatorũ tuorum obſeruatione, ideò dicitur: *Cuſtodiáſque mandata Domini, vt bene ſit tibi*. O benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, quem iuſtiſsimum eſt amari, vtilem & ſalubrem regulam te diligendi nobis clementer dediſti: nam ſummæ æquitatis eſt, vt te timeamus: ſummæ † leuitatis, vt in viis tuis ambulemus: ſummæ bonitatis, vt te diligamus: ſummæ dignitatis, vt tibi ſeruiamus: ſummæ æquitatis & ſanctitatis, vt mandata tua cuſtodiamus. O piiſsime Domine Ieſu Chriſte, amator miſericors & iuſte, non ponderes peccata mea ad vindictam, ſed miſericorditer mihi ea condonare digneris, déſque mihi gratiam tuam vt per timorem tui oriatur in me vera dilectio, per affectum interioris amoris, & per actum exterioris honoris compleatur, & per obſeruationem mãdatorum

quòd amor reficit hominem.

Deut. 6. & 10.

Eccles. 1.

† Leuitas pro æquitate.

617

torum tuorum conseruetur, vt mihi bene sit, te amando nunc & in perpetuum, Amen.

De vtilitate, & facilitate Amoris Dei. Cap. 22.

Verba tua verissima sunt, misericordissime Domine Iesu Christe, exemplum & forma amoris, qui dixisti: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*, hoc est, Domine te veraciter diligere & amare, quod summè suaue est & leue, adeò quòd nullus habet, nec habere potest causam aut excusationem aliquã te non diligendi. Vnde si alicui dicatur, quòd iciunet, dicere potest, corpus habeo fragile: si dicatur ei quòd det, potest dicere, pauper sum: si dicatur ei vt oret, & limina sanctorum visitet, potest dicere, infirmus sum. Sed quum ei dicitur: dilige Deum & proximum, nullam habet excusationem. Quare benignissime Domine Iesu Christe, delector amoris, scio quod tam facilè est te diligere, quòd ex hoc corpus non affligitur, pes non pungitur, caput non dolet, venter non læditur, lingua non vexatur, crumena nõ euacuatur, quia dilectio propriè consistit in anima, & inde sequitur, quòd qui amat, non laborat. Non est dilectio supra facultatem hominis, ita quòd non possit eã perficere: nec est dilectio longè ab eo scilicet vltra cognitionẽ eius, ita quòd non possit eam apprehendere, sed vt iuxta hominẽ scilicet in ore eius & in corde vt adimpleat eam, & diligat te Domine, qui es summe glorioſus, summè delectabilis, & summè pretioſus. Amicitia namque est respectu boni, honesti, delectabilis, aut vtilis, quę omnia, sunt in te Domine Iesu Christe, superamabilis & superbone. Ex dilectione, homo viuit vita gratiæ, & multiplicat bona opera, vt terrã viuentiũ possideat. Facilis res est Domine Iesu Christe superamande, dilectio, à qua nullus cuiuscunque status, gradus aut conditionis existat, excusari potest. O miser & miserabilis peccator, quid faciã? oculata enim fide hoc video & cognosco, quod facere deberem & non facio: scio clementissime Domine me, nullo modo aliter tibi placere posse nisi per dilectionem. Ad illam, meum animum non conuerto, illam vilipendo, ad illam habendam me non dispono, sed inclinationes meas ad vitia & peccata perficio, in illis permaneo, in illis delector, in illis ferè continuè prostratus miserabiliter iaceo. Respicere ergo me dignare piissime Domine Iesu Christe, animarum per amorem pũrgator, oculo tuę pietatis, & misericordiæ: dele iniquitatem meam maximã, & inclina cor meum prauũ & peruersum ad te diligendum & amandũ. Nõ recedam à te neque à tua benignissima voluntate, sed quicquid præcipis, faciam: quicquid prohibes, euitem totis viribus, cogitatione, locutione, & opere, vt te donante, dilectionem tuam obtineam sempiternam, Amen.

Quòd dilectio Dei & proximi sufficiat. Cap. 23.

Fructus & vtilitas Domine Iesu Christe, totius dilectionis autor, quæ ex dilectione tua acquiritur: nõ solum est æterna gloria, de qua dictũ est, *quòd nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparasti diligentibus te*, sed etiam est vtilitas magna, in hac vita, quia diligens te Domine, castigatur à te, sicut à patre dilectus filius: si contingat eum deficere vel errare, dulciter corrigitur & castigatur, qui de seruo extraneo non curat. Vnde magnum signum amoris tui est Domine, correptio & immissio flagelli. Sed homines desperatos & peruersos, quo libet ire permittis, & in præcipitium peccatorũ incidere, *quia quem diligis, castigas, & flagellas omnem filiũ quem recipis.* Diligens te Domine, pacifice conuersatur: est enim in pace conscientiæ, & tranquillitatis iucunditate, non in simultate & odio: Diligens te Domine, diligẽter per te à malo præseruatur. Sicut enim homo pupillam oculi sui sedulò custodit, & eam summè diligit, sic tu Domine Iesu Christe, amator bone, amicum & dilectum tuum protegis & defendis, & custodis ne in peccatum labatur, néue à diabolo affligatur. Scriptum est enim: *Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eas.* Custodis animas, non cutem carnis splendidam, non possessiones & terras, quia talia tibi chara non sunt. Sed custodis animas sanctorum, ne in peccatum labantur, & de manu peccatoris liberas eas, ne à dæmone affligantur. Diligens te Domine Iesu Christe, amantium gloria, multũ honoratur, quia actus diligendi est, actus tuus & Angelorum, non dæmonum. Tu enim diligis, quia scriptum est: *Ego diligentes me diligo.* In Angelis autem est vis & actus maximi amoris, quo ad te, quo ad eos qui sui sunt consortij, & quo ad nos: diligunt enim adeò, quòd ordo supremus ab ardore charitatis nominatur Seraphim. Diligentem te Domine suscipis ad pœnitentiam, eidem remittis offensam, & tua maxima pietate inenarrabilique benignitate, ac inæstimabili largitate gratiam misericorditer donas & tribuis. O misericordissime Domine Iesu Christe, semper amari plus quàm dignissime, quanta miseria ego nequissimus peccator plenus sum, qui perspecta tanta vtilitate tui amoris, te propter temetipsum diligere debebã? Quòd si pauper teipsum diligere nolebam, saltem propter meipsum & vtilitatem meam te diligere debebam, vt ex inordinato amore, tandem venirem ad verum amorem tuum, qui est diligere te non ob aliud, sed propter teipsum solum. Mihi ergo digneris succurrere benignissime, & creare in me cor mundum, vt ab iis quæ tibi displicent abhorrendo, & ea penitus execrando, te diligam & amem, tibi seruiam, tibi obediam, præcepta tua adimpleam, vt te verè, ordinatè, non ob aliud quàm ob teipsum diligam per infinita seculorum secula, Amen.

Quod amor est vestis preciosa animæ. Cap. 24. Matth. 22.

Inuitatus ad tuas cœlestes nuptias dulcissime Domine Iesu Christe, amantissime cœlestis sponse vestem nuptialem deferre debet, ne si fortè *intret sine veste nuptiali, eiiciatur* iussu tuo *extra*, & *proiiciatur in tenebras exteriores, vbi semper est, & erit fletus & stridor dentium.* Ista vestis ô benignissime Domine, est amor & dilectio, quæ excellit omnes alias virtutes. Ista vestis ex pretiosis filis, id est, tuis beneficiis hominicollatis, est contexta, & subtili magisterio facta & decorata, quæ designatur per tuam *tunicam inconsutilem*, quæ nec scissa fuit nec diuisa, quia amor neque diuidi debet, neque scindi. Et qui eum diuidunt vel scindunt, peiores videntur quàm milites te crucifigentes, qui tuam tunicam diuidere noluerunt. Ista vestis nuptialis Domine Iesu Christe, sponse amoris, summe potens & efficax existit, quia defendit hominem à frigore cupiditatis, & ad tuum amorem hominem inflammat, ipsúmque exornat plurimũ & venustat. Ista vestis nuptialis, sola distinguit filios regni & perditionis, quia qui eam defert, regnum tuum intrabit vt conuiua tuus & filius charissimus

Ioan 19.

qui verò ea caruerit, etiam si deferat omnes alias vestes, id est, omnes alias virtutes, expelletur à regno tuo. Ista vestis *operit multitudinem peccatorum*. Ista vestis commendabilis est colore & valore: est enim deaurata, vel potius aurea, iuxta illud: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato*. Et sic ista vestis ornat animam, quòd sine isto ornatu indigna est anima cœlum ingredi. Ista vestis nuptialis munit hominem, quia *fortis est vt mors, dilectio*. Eius etiam pretiositas patet ex materia, quia si pretiosum sit quod trahitur ex metallis, gemmis & animalibus, longè pretiosius est quod ex te trahitur. Ista autem vestis nuptialis ex te venit, & à te procedit. Ex ea quoque tegimur, viuimus, & ditamur: qui enim hanc vestē habet, nihil ei deest: & sine ista nihil ei prodest. O misericordissime Domine Iesu Christe, cœlestis sponse, ego miserabilis peccator nudus sum, & quū hanc vestem nuptialem non habeam, non sum dignus vt intrem ad tuas cœlestes nuptias, sed vt proiiciar in tenebras exteriores. Succurre ergo mihi piissime Domine Iesu Christe, æterni nuptialis cōuiuij dispensator largissime, & da mihi tua benignitate hanc vestem glorioſissimam, vt inuitatus & vocatus ad tuas sempiternas nuptias, illuc cū veste nuptiali intrem, ibiq; cum amicis tuis, amore tuo perpetuo fruar, te laudem, te admirer, te glorificem æternitatis regem, & glorioſissimum sponsum viuentem & regnantem in secula seculorum, Amen.

Psal. 44.

2. Cor. 13.

Quòd amor, à malis animam custodit. Cap. 25.

Verus amor Domine Iesu Christe, amantium conseruator, custodit hominem à peccatis. Custodit namque ab æmulatione siue inuidia, quæ vehementer corrumpit: inde enim prouenit, vt anima in malis proximi delectetur, & in bonis contristetur. Sicut verus amor facit, vt in bonis proximi delectetur, & in malis contristetur, quia sicut viror naturaliter delectat visum corporis, sic bona naturaliter delectant animam. Custodit Domine verus amor ab ambitione, quæ est quum quis quærit sui exaltationem, & proximi deiectionem, vt sic altior factus, à pluribus videri possit, & in admiratione haberi: nā verus amor sui exaltationem & proximi deiectionē non quærit. Custodit Domine verus amor ab amore nimio proprij boni, ex quo solet fieri vt homini nullo modo cura de bonis proximi, immò cum scādalo sua repetat: quærit nanque propria commoda, & negligit aliena. Verus autem amor quæ sua sunt, non quærit, sed quæ tua sunt Domine. Custodit etiam verus amor à maligna cogitatione super iniuriis vindicandis: talis autem cogitatio quasi ferrum in vulnere semper hæret, & ideò scribitur: Auferte malum cogitationum ab oculis meis. Verus namq; amor Domine, omnia remittit propter te: repellítque non solum actum, sed etiam omnē cogitationem. Custodit Domine verus amor, ne gaudeat homo super iniquitate, quod est diabolicum, & signū magnæ corruptionis animæ & elongationis à te, quum talis iniquitas summè tibi displiceat. Sed verus amor Domine, semper gaudet de bono, & non de malo. O misericordissime Domine Iesu Christe, amantium custos fidelissime, dum premissa omnia & singula mēte reuoluo, sentio me à vero amore elongatum, quia inuidia plenus fui & sum, meipsum exaltaui, & proximum deieci, me nimis dilexi, animum habui vindictæ cupidum, in malis gaudium concepi, & denique ad omne malum, propter amoris tui defectum multipliciter pronus fui. Adiuua me piissime Domine Iesu Christe, largitor & conseruator amoris, & da mihi verum amorem indeficientémque, vt ab iis quæ tibi displicent, abhorream, & quæ tibi placent, recipiam, teneam, & adimpleam, vt in fine tuam gloriam perenniter, & sine fine diligam, Amen.

Ambitiosus quis sit.

Perfectus amor Clementissime Domine Iesu Christe, qui omnes perficis amantes, docet veritatem, quia in dilectione tota lex pendet & Prophetæ. Quicquid latet, & quicquid patet in diuinis sermonibus, & in tota sacra scriptura, dilectio ipsa cōprehendit, quia scriptum est: Plenitudo legis est dilectio. Nam tota lex, immò tota scriptura, aut præcipit & consulit ea quæ faciunt ad tuam & proximi dilectionem, sicut patet in præceptis affirmatiuis, aut inhibet & dissuadet illa quæ impediunt & dirimunt dilectionem, vt liquet in præceptis negatiuis. Quid ergo est quod scribitur: Qui proximum diligit, legem implet, nisi quòd qui diligit proximum, diligit & te Deum? quia eadem est virtus & dilectio qua quis vtrunque diligit: vt idem est radius quo quis solem & terram intuetur, sed illum in imo tuæ dilectionis radio diligit, te autem in illius summo. Aliarum autem rerum dilectio, qualis est in mundo ô Domine Iesu Christe, sol amoris! Miserabilis profectò est & stulta & exprobrabilis insania, quòd scilicet relicto tuo amore, dilectioni aliarum rerū homo adhæreat. Sed benignissime Domine Iesu Christe, ad verum amorē reluctor, ego grauissimus peccator dando meipsum voluntariè quodammodo in reprobum sensum, tuam veram & animę meæ contemnendo, dilexi vanā voluptatem, interdum fortunam & temporalem facultatē, non considerans quòd qui amat diuitias, fructū non capiet ex eis dilexi frequenter mundanam vanitatem, contra cōsilium Scripturæ dicētis: Filij hominū, vt quid diligitis vanitatem? interdū dilexi irrationabiliter cognationem & propinquitatem meam plus quàm te, & sic nō eram te dignus, quia qui amat patrem aut matrem plus quàm te, non est te dignus, aliquoties dilexi munera & dona, sæpe etiam superstitiones & deliramenta, frequenter contumelias, detractiones ac cōuitia. Et ideò dignus eram vt maledictio mihi veniret, sicut scriptum est: *Dilexit maledictionē & veniet ei*. Dilexi interdum vindictam & malitiā & iniquitatem, quas reprehendit Scriptura dicens: *Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quàm loqui æquitatem*. Ista fuit ô superamande Domine Iesu Christe, miserabilis & iniqua vita mea, non attēdentis Scripturam dicentem: *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt*. Sed tu misericors & miserator Domine, ignoscere misericorditer mihi dignare, & illustra mentem meam, vt te perfecte diligam, vt sic informetur anima mea doctrina veritatis, vt tecum qui es amor & veritas, in amore & veritate viuam per infinita seculorum secula, Amen.

Quid amor contineat in se doctrinam veritatis. Cap. 26.

Psal. 118.

Psal. 51.

1. Ioan. 2.

De amore quo Deus diligit homines. Cap. 27.

Amantissime Domine Iesu Christe, tu diligis hominem qui seruat munditiæ puritatem. Simile enim suum diligit: & quia tu purus es, & omnium maximè purus, ideò diligis puros, sicut scriptum est: *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem*. Sic enim dilexisti beatum Ioannem Euangelistam de quo

Prou. 22.

de quo scribitur: *Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus.* Diligis etiam Domine hominem qui tenet sapientiæ claritatem atque veritatem, quia scriptũ est: *Neminem diligit Deus, nisi qui cum sapientia est, quia non potest venire commodum, neque honor de amicitia stulti.* Ideò Domine dilexisti Salomonem, sicut scribitur: *Vocauit Dominus Salomonem, & dilexit eum.* Diligis Domine Iesu Christe, amator innocentissime, illũ qui amat innocentiæ lenitatem, sicut dicitur: Scio Domine Deus (ait Dauid) quòd probas renes & corda & simplicitatem, & non dolositatem diligis. Diligis etiam Domine, amicitiam amicitiæ rependentem, & seruantem amicitiæ firmitatem, sicut tu Domine dixisti: *Ego diligentes me diligo*, hoc namque iustũ est, quòd qui diligitur, diligat. Sic enim Moysen dilexisti, sicut scribitur: *Dilectus Deo & hominibus Moyses.* Diligis Domine Iesu Christe, amantium liberalissime, illum qui ostendit effectu beneficentiæ suæ largitatem, *quia hilarem datorem diligit Deus.* Largi enim & pij diliguntur à te, sicut patet etiam de Martha, cuius animus erat largitate & pietate fœcundus. Ideò scribitur: Diligebat Martham Iesus. Diligis Domine illum qui sectatur iustitiam, & æquitatem, quia scriptum est: *Qui sectatur iustitiam, diligitur à Domino.* Sic enim dilexisti Domine Samuelem æquitate solidum, sicut scriptum est: *Dilectus à Deo Samuel Propheta.* O dulcissime Domine Iesu Christè, omnium perfectè amator, dum omnia prædicta in mentis meæ secreto considero, erubesco, immò corde deficio præ timore, quia non sentio in me miserabili peccatore, aliquam ex causis prædictis, ob quam tu debeas me diligere, sed potius ob opposita odio habere. Sed tamen ad tuam immensam clementiam confidenter accedo, vt parcere mihi digneris, & remittere misericorditer omnia peccata mea, & sic me disponere in cogitatione, locutione & opere, vt per innouationem tibi placeam, & causam habeas me diligendi, vt te diligentem me, per infinita sæculorum secula vicissim rediligam, Amen.

Quid amare est et quotuplex virtus. Cap. 28.

Inter cæteras virtutes benignissime Domine Iesu Christe, superamabilis excellentissime, vera dilectio est excellentissima, & ideò oleo comparatur, quia sicut oleum aliis liquoribus supernatat, sic vera dilectio alias virtutes vel gratias antecellit. Ista vera dilectio sic reddit tibi Domine hominem charum & pretiosum, vt filius tuus nominetur: qui autem illam non habet, despectus est, & erit coram te sicut stilla situlæ, de quo & similibus scribitur: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt, & quasi puluis exiguus.* Scio Domine Iesu Christe, operum & virtutum æstimator iustissime, quòd licet talis exerceat opera de genere bonorum parui tamen valoris sunt, si dilectionem non habeat, nec ex ipsis operibus quantumcunque fuerint pretiosa, obtinere valebit regnum cœlorum, nisi ea faciat in dilectione & amore: hæc enim vera dilectio vnit hominem tibi tanquàm capiti, & fidelibus tanquàm membris. Ideò hæc vnio valde chara debet esse homini: sicut enim vnitas quæ est inter caput & corpus, diligitur: sic etiam incomparabiliter diligi debet vnitas, quæ est ex vera dilectione, inter te & hominem: & abscissionem ac separationem tãtæ vnitatis summopere cauere debet homo, & fugere plusquam proprij capitis abscissionẽ. Sine hac vera dilectione nullum verum bonũ adest homini, immò in vanum & frustrà habentur cætera bona, saltem quantum ad salutem æternã obtinendam. Si autẽ homini adsit vera dilectio, habet omnia bona vel in se, vel in aliis. Vera dilectio Domine, est scientia & sapientia, de qua scribitur: *Dilectio Dei, honorabilis sapientia.* Vnde non solum scientia esse videtur, quia scientia in multis hominem regere non potest, vera autem dilectio potest. O misericordissime Domine Iesu Christe, amantium rector & gubernator, quoties hanc vnionem veræ dilectionis ego miser & sceleratus diuisi & fregi, perpetratione multorum & diuersorum peccatorũ, & proinde opera mea inutilia feci, & tempus mihi datum ad operandum bonum perdidi? Adiuua me piissime Domine, & dele iniquitates meas, & reforma in me veram dilectionem, qua mediante opera talia hic adimpleam, quòd ad regnum amoris æternum tandem pertingere valeam, Amen. Ecclc. 1.

De amore Dei & proximi. Cap. 29.

Ordinata dilectio clementissime Domine Iesu Christe, qui omnia per amorem ordinas, est amor verus ad te & proximum. Nam hominis amor ordinatus ad te est, si te amet propter te & super omnia. Si autẽ amor quo quispiam te amat, est propter ista temporalia, non est amor ordinatus, sed tibi cõtumelioſus, quia qui te amat propter tẽporalia, plus amat temporalia quã te. Vnde cum tali amore præponatur creatura tibi creatori, non est hoc sine cõtumelia & offensa tui: non enim est amor ordinatus, nisi tu super omnia ameris, quum tu in infinitũ melior sis omni creatura. Amor verò proximi ordinatus est, si ametur proximus propter te, & quia æquè ad te ordinatè amandum creatus est. Si autem parentes aut propinqui plus quàm tu amentur, non est talis amor ordinatus, neque sic amans, est te dignus: duo enim sunt præcepta à te nobis data, dilectio Dei & proximi. Et licet duo sint præcepta, tamen vnus est amor, quia alius amor nõ est quo quis diligit proximum, & quo diligit te, alioqui non esset propter te. Nec potest te quisquam diligere, qui in proximi dilectione noscitur oberrare. Cogitatio namque hominis Domine Iesu Christe, veræ dilectionis ordinator, semper debet esse ad te diligendum, & proximum, te quidem ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, proximũ autem sicut seipsũ, vt scilicet caueat inferre proximo, quæ sibi inferri nollet, & impendat ei beneficia quæ sibi vellet impẽdi. Ista namq; benignissime Domine, sẽper sunt attendenda, semper cogitanda, semper retinẽda, & sẽper totis viribus exercenda & adimplenda. Per amorẽ autem proximi cognoscitur amor tuus Domine, conseruari & nutriri: nã qui verè te amare negligit, diligere proximũ nescit. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui solã amas ordinatam dilectionẽ, quid dicã, aut quid faciã ego durissimus peccator, qui præ maxima duritia cordis mei, nõ te ordinatè dilexi, neque proximũ propter te, sed frequenter propter vtilitatẽ propriam consequẽdam, aut dãnũ euitandũ, & ita nõ fuit in me verus amor, sed adulterinus? Auxiliari mihi digneris piissime Domine Iesu Christe, charitatis, & pulchrę dilectionis ordinator, parcẽdo mihi peccatori, & misericorditer impartiẽdo immensã clementiã tuã, & cor

meum lapideum sic mollificando, vt ad te tota mẽ- A te conuertar, te diligam, & proximum propter te, vt tecum inordinata charitate viuam in æternum, Amen.

De Amore inimicorũ. Cap. 30.

Magnum est dulcissime Domine Iesu Christe, qui nihil odis, si erga hominem qui nihil mali mihi fecit, sum beneuolus & pacificus. Sed Domine illud multo maius est, & magnificentissimæ benignitati tuæ similius, si meum diligam inimicum, & ei qui malum mihi intulit, & adhuc inferre vult si possit, bonum semper velim & faciam si possim: à tua gratia & benignitate Domine, hoc procedit. Nihil tibi in natura similius est, quàm homo qui maleuolis & inimicis, se lædentibus placabilis est. B Qui enim diligit inimicum, imitatur te qui dilexisti nos, quum adhuc inimici essemus: & non solum dilexisti, sed & tunc pro nobis mori, morte turpissima voluisti, & pro crucifixoribus rogasti. Nobis quoque præcepisti, vt inimicos diligeremus, sicut

Matth. 5. scriptum est: *Diligite inimicos ⁊ vestros, & benefacite iis qui oderunt ⁊ vos.* Et sequitur præmium quod promittis: *Vt sitis filij patris ⁊ vestri qui in cœlis est.* Vna namque est & summa Domine Iesu Christe, cui proprium est misereri & parcere, probatio dilectionis, si nos eum diligamus, qui nobis aduersatur, & bona nostra impedit. Probari etiam solet dilectio per solam odij aduersitatem. Vnde sicut homo vincitur humana felicitate, sic diabolus vincitur inimici dilectione. O Domine Iesu Christe, in amore misericordissime, & in misericordia amantissime, scio quòd separatio à te, mors est animæ: & contrà vnio per dilectionem tecum, vita. Sicut igitur quilibet naturaliter amat vitã corporalem, & mortẽ timet: sic & amare debet veram dilectionem, & vitare odiũ, quia

1. Ioan. 5. *qui non diligit, manet in morte*: in morte enim culpæ, iam talis est, & debitor est mortis æternæ. O clementissime Domine Iesu Christe, à quo exulare non potest amor, licet tibi non sint occulta quę ego nefandissimus peccator gessi, tamen corde & ore confiteor me iniquè vixisse, & præ mea malitia & D iniquitate, vera dilectione caruisse. Inter alia Domine quæ malè concepi & egi: est quòd inimicum odio habui, & licet scirem ex mandato tuo quòd eum diligere deberem, vilipendi tamen & spreui mandatum tuum. Simulatam contra multos concepi, & conceptam, corde & animo compleui, & si quandoque facto non compleuerim, ad detractiones tamen & infamationes processi. Succurre mihi piissime Domine Iesu Christe, per tuum benedictũ & misericordem amorem, veniam mihi concedendo, vt vitam meam miserabilem emendem, & sic te diligam & alios propter te, vt hic amor nunquam deficiat, sed in vitam perduret sempiternam, Amen. E

Contra Amorem sui ipsius. Cap 31.

Quis est benignissime Domine Iesu Christe, per quem & cum quo æternus processit amor, qui se vere diligit? Credo & scio Domine, quòd ille solus nouit se verè diligere, qui veraciter amat, & sedulò agit, vt te qui es summum & verum bonum amando fruatur. A te Domine manat, vera amicitia, quã non temporalibus commodis, sed gratuito amore metiri conuenit: nemo enim potest veraciter seipsũ amare, qui te veraciter non amauerit: nam te amando, seipsum amat: te autem non diligendo, seipsum

Vera amicitia quæ sit.

non diligit, quia amor proprius & priuatus oculum mentis vehementer claudit, & est omnium causa, radix, & fomes malorum. O Domine Iesu Christe, Sol vnde fluunt radij amoris, quanta insania plenus est ille, qui solummodo seipsum amat? Nam talis peruersio amoris, est fundamentum abiectæ charitatis, & crescit vsque ad contemptũ tui. Duo nanq; amores, ciuitates duas faciunt, scilicet Hierusalem & Babylonem. Cœlestem Hierusalem facit amor tui vsque ad cõtemptum sui, sed infernalem Babylonem facit amor sui vsque ad contemptum tui. O iniquum & peruersum amorem, qui sic me miserũ peccatorem colligauit, & incitauit vt verum amorem abiicerem & contemnerem, & se toto corde amplecterer, se desiderarem, se tenerem, se veteret totis viribus, & se celãdo in occulto pectoris in culpam facilè praui cordis laberer & operis. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui solus amari dignissimus es? quid faciam ego iniquissimus peccator? Quem amatorem potero inuenire qui me diligat, quum nullum dilexerim, nisi meipsum, & in peccatis innumerabilibus vixerim? Quis me liberabit à ventura ira? à rugientibus præparatis ad escam, & à laqueo infernali? Meipsum iuuare non possum, neque te requirere audeo, quum te non dilexerim. Immò quia neminem dilexi, neminem audeo in adiutorium meum inuocare. Sed ad tuam C immensam pietatẽ recurro, ô amor, qui errantes reducis, qui misericors es & miserator, & neminẽ vis perire, sed saluas sperãtes in te. Succurre ergo mihi, & da veniã de peccatis, & gratiam vt nunquam me respiciam, sed te, vel me in te, vt diligã te toto corde nec à tua dilectione vnquã recedere valeã, sed ipsã conseruem nunc & in vitam sempiternam, Amen.

Contra Amorem Mundi. Cap 32. Amor mundi incommoda.

Scio & expertus sum ego ingratissimus peccator, clemẽtissime Domine Iesu Christe, supercœlestis amator, quòd amor mundi animas quas ingreditur quietas esse non patitur: semper enim suspicionibus vanisque terroribus solicitat eas. Talis namque a- mor mundanus, premit amatores suos, & non adducit eos ad bonum: sed qui tali amore vtitur, à tuo amore Domine, excluditur. Talis amor mundanus, cum tuo amore non iungitur, nec ei congruit, neq; ad societatem filiorum tuorum peruenit, qui se à carnali generatione non diuidit. Amor mundi Domine, sese cum suis consolationibus ne dicam desolationibus, vndique ingerit: per auditum namq; quasi per feneſtras irruit, & mentes suorum amatorum vehementer occupat, animam polluit, charitatem violat, proximum lædit, te Dominum spernit, amorem tuum repellit, totum hominem capit, ac eundem decipit: cum labente labitur, & cum cũ tenere quispiam credit, de facili euanescit: non cõsolatur, sed contristat: non permanet, sed fugit. Eius dulcedo in amaritudinẽ vertitur, eius pulchritudo in horrorem mutatur: eius desiderium in pœnam conuertitur. Qui huiusmodi amorem amplectitur, decipitur, & præcludit sibiipsi ingressum tui amoris quia vbi amor mundi inhabitat, non ingreditur amor tuus. O benignissime Iesu Christe, amor increate, væ mihi impiissimo peccatori, qui creaturã amando, te creatorem deserui, propter condita cõditorẽ reliqui, transitoria dilexi, & sempiterna spreui: desolationes pro consolationibus suscepi: pœnã

pro

625

pro gloria, mortẽ pro vita, peccatum pro virtute: & mendacium pro veritate. O misericordissime Domine, respicere me dignare oculo pietatis & misericordiæ, & mihi misericorditer ignoscere. Aufer à me amorem seculi, & da mihi gratiã vt te amem & diligam corde & opere, nec ab amore tuo separer, sed in ipso permaneam in perpetuum, Amen.

Contra Amorem diuitiarũ. Cap. 31.

Certa experiẽtia didici benignissime Domine Iesu Christe, sine mẽsura diues in amore, quod nihil laboriosius est in hoc mũdo, quàm terrenis æstuare desideriis: nã terrenarum diuitiarum amor insatiabilis est, & longè amplius desiderio torquet animã, quàm refrigeret vsu suo, talium quoque diuitiarum acquisitio magni laboris est, possessio magni timoris, & amissio magni doloris. Qui illas amat te Dominũ amare nõ potest, sed cum ipsis labẽtibus labitur in perditionẽ, & qui eis innititur per amorem, cum ipsis defluit in mœrorẽ: qui enim eas inuenit, requiẽ perdit: & quum vigilat, augmentum cogitat: quũ dormit, futes somniat, in die est afflictus, & in nocte pauidus, semper autẽ mẽdicus. O clementissime Domine Iesu Christe, cuius amor nullũ fallit, video per effectũ quòd laqueus est in auro: viscũ in argento, & pedica in prædio: quia qui aurum petit, strangulatur: qui argentum, visco hæret, & qui prędia, alligatur. Qui mane quærit lucrum, vesperi reperit animæ detrimentum, & sic deperit quicquid agitur. Ad tuum Domine, extremum iudicium, sine vlla temporis intercapedine, & continuè volẽs nolens properat, & amat quod necessariò relinquit id verò negligit ad quod necessariò peruenit: amat nãque illa quæ possessa onerant, amata inquinant, & amissa cruciãt, quæque arctius parta quàm cõcupita cõstringunt. O misericordisime Domine Iesu Christe, qui solus verè amandus es, ego nefandissimus peccator, quæ scripsi & scribo, sciui, & veraciter scio talia esse, sed tanta est malitia mea & iniquitas, ingratitudo & superbia, quod omnia tibi placita, cõsilia & præcepta tua, proteruo animo cõtempsi & spreui, & ad miseras diuitias mũdi, cor meum penitus inflexi, illas cõcupiui & desideraui, & vt eas acquirerẽ, laboraui, & ad hoc ipsũ vigilaui, & quascunque vias adinuenire valui, adinueni. O piissime Domine, adiuuare me digneris, & delere tua maxima misericordia omnia peccata mea, segregare mẽtẽ meam à desideriis terrenis, eleuare illã ad diuitiarum cœlestium desideriũ, quæ in tuo solo consistũt amore, vt eas auxilio tuo cõsecutus, te perpetuò diligã, & tuo amore fruar in secula seculorum, Amen.

Contra Amorem pessimum Mulieris. Cap. 32.

Amor carnalis benignissime Domine Iesu Christe, spiritualis amator, & verè in spiritu & spiritualiter amande, insatiabilis est, quia extinctus reaccenditur, & post copiam rursus inops fit, animúmque virilem effœminat, & præter passionem quã sustinet, nihil sinit aliud cogitare, quia rationis obliuio est & insaniæ est proximus. Talis peruersus amor turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit, à magnis & altissimis cogitationib. ad paruas & humillimas attrahit, iracũdos & temerarios facit. Insuper, qui tali amori cõiungitur, tentationibus continuis subiacet. Talis amor est laqueus animæ, discrimen vitæ, mors suauis, blanda percussio, interfectio leniens, mel felleum, pernicies delicata, dulce venenum, malum spontaneum, sapida iugulatio, & omnium rerum calamitas. Nam Adam & Euam de Paradisi deliciis eiecit, cœlestes terrenos fecit, humanum genus in infernũ demersit, vitam abstulit mundo, laborem & pressuram inuenit, & malum quod ad mortem perducit, fœdat pueritiã, perdit iuuentutem, & incitat ac inquietat emortuam carnem & senectutem. Talis amor Domine Iesu Christe, sanctitatis, munditiæ & puritatis amator, est veræ amicitiæ inimicus, ineffugabilis pœna, noxium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, mali natura boni colore depicta, continua solicitudo, indesinens pugna, quotidianum damnum, domus tempestatis, solitudinis & orationis impedimentum, continentis viri naufragium, adulterij vas, pernicioſum præliũ, & pondus grauissimũ. O misericordissime Domine Iesu Christe, casti cõditor amoris, qui me de nihilo creasti, & tuo protiosissimo sanguine redemisti, tuam misericordiam supplex imploro, corde & ore efflagito, vt cor meum fragile, longè facias à tali amore. Erue me à tanto periculo, defende me à tam miserabili casu, protege me à tanta circunuẽtione inimici. Libera me misericordissime Domine à tanto laqueo perditionis, da mihi fortitudinẽ resistendi, concede mihi veniam peccatorum. Eleua mentem & cor meum, vt te amem, & timeam, tibi placeam & seruiam, te verum Deum corde, ore & opere confitear & agnoscam, & à tua infinita misericordia me non repellas. Fac me perseuerare in bonis & tibi acceptis operibus, vt in præsenti sic viuam, & semper ad vlteriora procedã, vt in fine huius transitoriæ vitæ meæ, vitam inueniam in amore tuo sempiternam, Amen.

Gen. 3.

IDIOTÆ VIRI SANCTI
DE CONTEMPLATIONE
Veræ patientiæ, Liber. II.

CAPVT I.

De tribulationibus & aduersitatibus. Cap. 1.

OMnipotens sempiterne Deus, misericordiam tuã nobis miseris tribuis inceſſanter, dũ tribulationes & aduersitates super nos multiplicas, quæ nõ ex odio procedũt, sed potius ex amore. Nam superbenedictum filium tuum, coeternum & connaturalem, quem dilexisti, & diligis, sicut scribitur: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui*, tribulationes multas & diuersas propter nos miseros peccatores sustinere voluisti. Vnde filiis adoptatis sufficere debent, si sic à te misericorditer diligãtur, sicut diligis filiũ tuum propriũ. Quòd si superbenedictus filius tuus nos diuersis flagellationibus flagellat, nõ ex hoc se nobis ostendit inimicũ, sed potius verũ amicũ, sicut ipse suis discipulis dicebat: *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos*, &, *Quos amo, arguo & castigo*. Vnde quamuis omnis fortuna sit timẽda, tamen magis timenda est prospera quã aduersa, quia hæc quidem sæuiendo erudit: illa autem blandiendo seducit. Hæc illuminat hominem, illa excæcat, ista mentis oculos aperit, illa claudit. O Deus meus vehementer, peccatori irascaris cum permittis cuncta ei ad votum succedere, & postea eum supplicia tolerare. Non enim est Christianæ dignitatis his temporalibus exaltari, sed potius

Mat. 3.

Ioan. 14.

deprimi, quum mali nihil habeant in cœlo, & boni nihil in mundo. *Flagellas* nanque *filium quem diligis*,
Heb.12. das disciplinam, vt non auferas misericordiam, cædis contumacem, vt reddas ei promissam hæreditatem. Nec mirum si hic flagellas paruulos, quos exinde grandes quæris hæredes. Flagellas igitur & erudis & custodis, & illis ad tempus parcis, quos in æternũ damnabis. O vniuersorũ creator & gubernator, multas & diuersas tribulationes & aduersitates mihi miserabili peccatori misericorditer dedisti, nõ ex odio, sed amore, vt me retraheres ab iniquitatibus meis, & cor meum prostratum ad te eleuares, & vt mala relinquerem, & te quærendo humiliter, bona & mihi profutura opera exercerẽ. Sed tribulationes & aduersitates mihi misericorditer datas impatienter tuli: nulla virtus patientiæ mihi comes affuit, quamuis scirem me tãtis tribulationibus dignum propter nefandissima scelera quæ commisi. Adiuua me misericordissime Domine Deus meus ne peream in hac vita, præsta mihi patiẽtiam in aduersis, per quam hic disponar, vt purges peccata mea præsentia, & à futuris caueam, & sic opera tibi grata hic adimpleam, vt in fine vitæ meæ grata sint tibi seruitia mea in vitam sempiternam, Amen.

De miseria mortalis vitæ. Cap. 2.

Vita præsens, Domine Deus meus, laboribus & tribulationibus plena est. Nam cum luctu agitur, & cum lachrymis amittitur. Tanta igitur est tribulatio huius miseræ, vt nec vita sit dicenda, sed potius mors, vel quippiam aliud morte deterius, quũ vix aliquis pertranseat sine tribulatione vel vnicum diem. Causa verò seu occasio præcipua huius tribulationis, fuit peccatum primorum parentum. Nam quum duæ sint partes hominis, scilicet corpus & anima, tu Domine Deus meus vtrique parti locum delectabilem præparaueras, corpori quidem Paradisum voluptatis in terris, animæ verò cœlum splẽdidum in supernis, vbi modo sunt animæ sanctorũ, & Angelorum chori. Non enim bonitas tua Domine Deus meus, homini tribulationem attulit, sed peccatũ. Vnde nobiscum egisti non solum iustissimè, sed etiã misericordissimè & maximè si respiciamus ad damnationem angelorũ irreuocabilẽ. Quũ enim tolerabilior sit superbia in diuite quã in paupere, & Angelum illum sideribus clarius micantẽ, irreuocabiliter damnaueris propter suam superbiã: constat Domine Deus meus, te misericordissimè egisse cum vermiculo qui contra te superbiuit, præceptum tuum transgrediendo: nam huius tribulatio temporalis est: illius verò perpetua. Vnde sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ tuæ, scilicet misericordia & iustitia tua. Quòd si propter peccatum primorum parentum tribulamur, quanto magis tribulationes in nobis peccatoribus augẽdæ sunt, qui quotidie peccamus, & innumerabilibus peccatis inuoluimur & delictis? Ideò magis misericorditer nobiscũ agis, piissime Domine, tribulationes immittendo, quàm terrenas cõsolationes, quia qui exceptus est à passione & tribulatione flagellorum, exceptus etiam erit à cõsortio electorum
Luc.6. filiorum, quia scriptum est: *Væ vobis qui habetis hic consolationem vestram*. At de tribulatis patientiam
Matt.5. habentibus, scribitur: *Beati qui lugetis, quoniam consolabimini*, &: *Beati eritis, quum vos oderint homines*, quod est magna tribulatio in hoc mundo. Patienter igitur tolerandę sunt tribulationes quæ adducunt tribulatum patientem ad consolationem perpetuã. Sed ego miserrimus, quid dicam, aut quid faciam? quia impatientissimus fui, & sum in tribulationibus meis, quas iustissime sustineo, non solum propter peccatum primorum parentum, sed etiã propter multitudinem peccatorum meorum quæ hactenus commisi, & adhuc quotidie per malitiam meam committo. Succurre igitur mihi Domine Deus meus, tolle ingratitudinem meam, & aufer iniquitates meas: concede mihi veram & firmam patientiam, in præsentibus tribulationibus meis, & in futurum in tua laude perpetua consolationem æternam, Amen.

Quòd pertinere ad rem tribulatio, & ima gloriandi. Cap. 3.

Virtus in infirmitate, id est in tribulatione, perficitur misericordissime Domine Deus meus, quia hostẽ nostrum, scilicet corpus debilitat, quod concupiscit semper aduersus spiritum, quem fortiorem reddit, ex quo occasio datur Domine Deus meus, vt gratia tua augeatur, sicut scriptum est: *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum*, id est virtutis augmentum. Tribulatio namque materiam habet pugnæ. Vnde fit vt occasionem præbeat victoriæ, & per cõsequens coronæ, quia *non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit*. Et ideò Apostolus libenter gloriabatur in infirmitatibus suis. quia homo nobilis creatura est, ad gloriam regni cœlestis creata, ideò naturaliter vult gloriari. Sed necesse est vt sciat in quo gloriari debeat, ne fortè glorietur, vnde potius debuerat confundi. Gloriari igitur debet in tribulationibus suis, vt inhabitet in eo virtus Christi, id est gratia Christi: nam qui tribulationes patienter sustinet, ipsum imitatur, cui assimilari gloria magna est, sicut scribitur. Magna gloria est, sequi Dominum. Tribulatio igitur est patienter sustinenda, quia mẽtem sanat, vt patet de quodam sancto, cuius vulnus corporis, sanauit vulnus mentis. Tribulatio, est medicina tua, Domine Deus meus. Ideò qui infirmus est, mente gaudere debet quando datur ei tribulatio, tanquam magnam spem habeat salutis recuperandæ, quia talis medicus qualis es, sanitatem illius procuret. Tribulationes debita nostra soluũt: & hęc est valde magna misericordia tua benignissime domine, quòd pro pœnis futuris des tribulationes præsentes, quæ nullæ sunt respectu futurarũ: dãtur nanque præsentes tribulationes timentibus te, in significationem, *vt fugiant à facie arcus*, id est pœnæ futuræ. Tribulatio insuper inducit odium præsentis vitæ: nam sicut cibus adhæret vasi in quo coquitur, nisi moueatur, & perdit saporẽ debitum, debitúmque colorem: sic cor hominis adhæret isti mũdo, nisi moueatur per tribulationes, iuxta quod scribitur: *Conglutinatus est in terra venter noster*. Tua nãque misericordia Domine Deus electis tuis iter asperũ præbes, ne delectati in via, obliuiscãtur quæ sunt in patria. O Domine Deus, hactenus cæcus fui, ingratus, negligens & iniquus, non enim cõsiderabã quare tot flagellis & tribulationibus affligebar, nec patientiã vllam habebã, quũ tuam misericordiã nõ cognoscerem, propter superbiã & iniquitatẽ meã. Nunc autem tibi gratias humiliter ago, quia ipsius cognitionem mihi largitus es. Concede ergo mihi tribulato patientiam & emendationem vitæ, vt tibi

629

tibi hic placeam, deuotóque ac humili corde in tribulationibus seruiam, & in futuro seculo in consolatione & securitate in vitam sempiternam, Amen.

Quanta bona affe-rat tribula-tio. Cap. 4.

Aperi oculos tuos rex æterne, aperi oculos tuos, & vide tribulationem meam, vt aspectus tui benignitate eam cum patientia tolerem, & cum gratiarum actione sustineam: quia si sic misericorditer mecum agas, operabitur in me tribulatio, carnaliũ affectionum extinctionem. Nam sicut mare Ægyptios operuit, & Israelitis nõ nocuit: sic amaritudo tribulationum, opera vitiorum impediet, & virtutũ opera iuuabit, sicut scriptum est: *Curatio*, id est, tribulatio, *cessare faciet peccata maxima*. Tribulatio reddit hominem securum iudicij quia *non consurget duplex tribulatio*. Ostendit præterea salutem æternam, quia *si compatimur, & cõregnabimus*. Quia si tu Domine Iesu Christe, latronem tibi in cruce confitentem audisti, & eidem dixisti: *Hodie mecum eris in Paradiso* socium tribulationis, à communione tua non patieris repelli. Tribulatio excitat cor hominis ad deuotionem, quia scriptum est: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt*. Et rursum: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*. Post tribulationem Domine Deus meus, consolationem donas, sicut patet in beato Paulo, cui post multas variásque tribulationes patienter toleratas, cõsolationes indicibiles donasti, quando illum rapuisti vsque ad tertium cœlum, & audiuit secreta verba quæ non licet homini loqui. Ideò postea libenter gloriabatur in infirmitatibus suis, vt inhabitaret in eo virtus Christi, vt & factũ est, quum illi dictum fuerit: *Sufficit tibi Paule gratia mea*. O Domine Deus quomodo consolari potero, aut debebo, quũ tribulationes & aduersitates mihi datas, non sustinuerim, neque adhuc sustineam patienter, quas cognoscere possum te misericorditer donante, ad vtilitatem animæ meæ mihi datas, vt me pientissimè flagellares? Auxiliari igitur mihi dignetur misericordia tua Domine Deus meus. Da mihi verã notitiam meiipsius, & aufer à me ingratitudinem omnem, Corrobora cor meum, vt patienter sustineam tribulationes, vitam meam emendem, de peccatis satisfacere studeam dignam pœnitentiam agendo, vt à te remissionem obtineam, qui solus peccata dimittis: firmum cum effectu propositum habeam ad vomitum peccati pòsthac nõ redeundi, sed studiosa, & fructuosa, tibíque placita opera sic agam, vt decursis huius periculosæ vitæ spaciis, regnum securitatis in tuo sempiterno seruitio ex dono tuæ misericordiæ consequar sempiternum, Amen.

Dominator cœli & terræ, scio quòd post transgressionem parentum, in hoc mundo miserabili diuersis tribulationibus affligimur, propter indictum necessitatis, propter exemplum authoritatis, & propter præmium vtilitatis. Tribulamur nanque & diuersis flagellis affligimur, propter indictum necessitatis, nam passio tribulationis est nobis indicta à te post transgressionem mandati tui, & necessitas à natura, quia sicut scribitur: Impossibile est, vt homo sit, & non patiatur tribulationes, quia illud oportet fieri quod à te est indictum, & natura necessarium: nam sicut infirmitas quæ à circunstantium & superiorum corporum impressionibus infligitur necessario radices agit in homine, ita quòd vix aliqua medicina curari possit: sic necesse est quòd tribulationes quæ à causis superioribus scilicet à te, à tua iustitia & misericordia, & à naturæ necessitate generaliter omnib⁹ sunt indictæ, patiamur, & quod ab ipsis quandiu viuimus, affligamur, Tribulamur etiam propter exempli authoritatem, quia si tu benignissime Domine Iesu Christe, & alij quoque sãcti tribulationes sunt passi, & per tribulationes cœleste regnum ingressi, multò fortius necesse est, vt nos qui continuè peccamus, tribulationes sustineamus. Tribulamur denique & affligimur, propter præmij vtilitatem, scriptum est enim: *Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationum*, quia introitus gloriæ cœlestis, patientibus & tribulatis est promissus, & illis reuera dabitur, qui mundi tribulationes patiuntur: & si *passiones huius temporis condignæ non sint ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*. O redemptor meus misericordissime Domine Iesu Christe, respicere me digneris oculo tuæ infinitæ pietatis, ego enim fatuus & stultus hucusque fui, quia licet diuersis tribulationibus & aduersitatibus me affligeres, non cognoscebam tamen qualis inde vtilitas sequeretur, & ideò maxima cum impatientia eas toleraui: ita quòd frequenter me ferè perduxerunt ad diffidentiam vsque tui sancti auxilij. Parcere igitur mihi iniquissimo peccatori digneris clementissime Domine Iesu Christe, & tanquam fatuitatem & dementiã remittere, vt tuas tribulationes agnoscam, & cum patientia eas humili corde suscipiam, & gratias tibi pro ipsis agam, & te misericorditer donante, te laudem in vitam æternam, Amen.

1. Cor. 1.

Rom. 8.

Magna est misericordia tua clementissime Domine Deus meus, erga nos miseros peccatores, quia nos affligis tribulationibus diuersis temporaliter & paternè. Temporaliter enim tribulas & affligis peccatorem, vt de commissis criminibus puniatur, sed paternè hoc agis, vt deuiantem reducas, & errantem corrigas, & de morte æterna eum eripias. Timorem ei incutis, vt eum ab amore mundi retrahas & auellas. Et sic occulto tuo iudicio in hac vita tribulatione percutis, ne via pro termino, & peregrinatio pro patria diligatur. Tua igitur paterna tribulatio, producit mœrorem & compunctionem, inducit timorem & contritionem: educit lãguorẽ & infectionem, adducit vigorem & curationem, sicut scribitur: *Reuertamur ad Dominum, quia ipse cepit, & saluabit nos; percutiet, & sanabit nos: Vulnerat & medetur: percutit, & manus eius sanabunt*. Effectus igitur tribulationis quamuis sit amarus, & toleratu difficilis, est tamen potentissimus ad sanandum, & ad diuinæ gratiæ subsidium inueniendum. Dissoluit nanque per compunctionem, confortat & consolidat per spem & consolationem: corrodit carnem putridam, & extenuat per dolorem, roborat & cõglutinat per sanitatis spiritualis instaurationem. Animam quoque à morte & corruptione inferni præseruat, per vitæ æternæ collationem. Hæc insuper tribulatio calcat superbiam, respuit auaritiam, pessundat luxuriam, fugat furorem, & format in tribulato verum amorem. O benignissime Domine Deus meus, ego peccator ingratissimus tibi fui, quia per flagella tua nolui meipsum corrigere & emendare, sed magis fui obstinatus & induratus, & ad deteriora inclinatus persimilis in-

Quod afflictiones temporales, sunt paternæ correptiones. Cap. 6.

Is. 17.

cudi, quæ quanto magis percutitur tanto magis induratur. Ideò, timeo ne de me dicatur, quod de mihi similibus dictum est: *Domine percussisti eos, & non doluerunt, vulnerasti, & à viis suis non sunt reuersi*. Succurre ergo mihi misero peccatori benignissime Domine, vt flagella tua sint mihi salutaria, non damnabilia: sint mihi ad correptionem & emendationem peccatorum meorum, non ad vindictam & vltionem, & per illa ad te humiliter reuertar, vitam meã miserabilem emendem, & in tua gratia perseuerem, vt in fine vitam in tua laude & gratiarum actione, misericorditer consequar sempiternam, Amen.

Quód Deus patienter nos expectat ad pœnitentiam & emendationem vitæ. Cap. 7. Matt. 5. 2. Pet. 3. Psalm. 7.

O diuina patientia, quæ nihil aliud est quàm lõganimitas tuæ expectationis, qua scilicet nos expectas ad pœnitentiam, nolens nos peccatores cõtinuò iudicare, sed patienter sustinens mala nostra. Neque propter hoc subtrahis à nobis peccatoribus beneficia tua. Nã *solẽ tuum facis oriri super bonos & malos, & pluis super iustos & iniustos*, tãta patiẽtia roboratus, patienter expectas vniuersos, ideò, de te scribitur: *Patienter agit, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Tu* enim *es Deus iudex iustus, fortis & patiens, nec irascéris per singulos dies*. O misericordissime Domine Deus meus si tu patiens es erga nos miserabiles peccatores super peccatis & iniquitatibus nostris, quanto magis patiẽtes esse debemus in tribulationibus & aduersitatibus nostris, quas propter scelera & peccata nostra quotidie sustinemus? non enim est patiẽtia in prosperis, sed potius in aduersis. Et ideò dum tribulamur, fortitudinem & firmitatem virtutis habere debemus, quia non tanta à te toleramus, quanta à te ex nobis miseris tolerantur. Et ideò sine dubio leuius tolerare debemus minora quæ patimur, quando cernimus oculo puræ mentis illa quæ tibi inferimus. Debemus insuper tribulationes ipsas patienter sustinere, propter magnitudinem valoris & vtilitatis. Sicut enim agricola patiẽter sustinet labores propter spẽ fructus quẽ expectat: sic, quia propter mũdi labores & tribulationes fructus æternæ gloriæ ex tuæ prouidẽtiæ sola benignitate expectamus, ipsas tribulationes patienter sustinere debemus, sicut scribitur: *Patiẽtes estote fratres, vsque ad aduentum Domini. Ecce enim agricola expectat pretiosum terræ fructum, patienter* †*ferens donec accipiat*. Sed ego miserrimus & sceleratissimus peccator, quamuis scirem & sciam, quòd patienter me expectas, quia misericordia tua est, quòd non sum consũptus, quódque propter peccata mea horribilia tribulationes multas & aduersitates mihi donas, tamen impatientissimus fui, & illas cum magna impatientia toleraui, & vnde tibi placere debeam, & pœnam peccatorum diminuere, displicui, & pœnam adauxi. Adiuua me igitur benignissime Domine Deus meus, & sicut me hactenus misericorditer expectasti, adhuc me patientissime expectando peccata mea dele, de quibus pœnitentiam agam, & condigne satisfaciam, tua gratia adiuuante, vt in fine ex misericordia tua peruenire merear ad laudes tuas in gloriam & vitam sempiternam, Amen.

Iac. 5. † Ferens.

Quòd tribulationes patimur, ne in æternum prosit, videtur tamen in nos quandoque sæuire. Hæc ira quæ tribulationes nobis inuehit, est misericors, quia ad finem pium & misericordem, & ad saluationem nostram. Et licet Domine Deº meus sæpè exterius appareas durus per iustitiam & correctionẽ, tamen interius es valde mitis & pius per compassionem & benignissimam intentionem. Ideo tuam tribulationem patienter sustinere debemus, quum certi simus quòd propter bonum nostrum tribulationem illam frequenter infligis. Qua propter de te scribitur: *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis quoniam secundum altitudinem cœli à terra, coroborauit misericordiam suam super timentes se*. Quum autem tribulamur, occasionem patientiæ nobis donas, eo quod tribulationes parum durare soleant, & citò deficere ac cessare. Hæc autem patientia placat seueritatem, seruat mentis tranquillitatem, sedat iræ ferocitatẽ, retinet cordis humilitatem, habet lucri vtilitatem, arcet carnis agilitatem, & implet diuinam voluntatem. Præterea tribulatio, neque respectu pœnarum futurarum quæ nobis propter iniquitates nostras debentur, aliquid est, neque respectu gloriæ, quam speramus *non* enim *condignæ sunt tribulationes præsentis temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*. Quare ô *Pater misericordiarum & totius consolationis, qui consolaris nos in omnibus tribulationibus nostris*, misericorditer respicere me digneris miserrimum peccatorem diuersis tribulationibus & angustiis afflictum & tribulatũ. Nam licet peccata mea innumerabilia, tribulationes longè maiores & acriores incessanter pati meruerint, tamen tua immensa & infinita misericordia exuperat omnes iniquitates meas. Ad hanc igitur misericordiam exuberantem recurro, & illam humiliter inuoco, precor & obsecro, ne me ad debitam vltionem peccatorũ meorum, sed ad plenam ipsorum remissionem & veniam respiciat: vt vita mea culpabilis & misera, cõuertatur in vitam gratiæ & virtutum, quæ me inimicum, tibi amicum verum faciat, & vitam in laude & glorificatione tua pariat mihi sempiternam, Amen.

Rom. 8. 2. Cor. 1.

Quòd tribulatio est res ancillaria. Cap. 9.

Ad nostram doctrinam scriptum est clementissime Domine Deus meus, vt omne gaudium existimemus quum in tribulationes varias inciderimus, quia tribulatio, est via vitæ, via gloriæ, via ciuitatis habitaculi, via regni. Res enim necessaria est tribulatio, quæ in gloriam vertitur, & tristitia, quæ in gaudium mutatur: gaudium, inquam, longum quod nemo tollet à nobis, gaudium multiplex & gaudium plenum. *Tribulatio nanque probationem operatur*, & dulcia ad gloriam. Gloriandum igitur est in tribulatione, in qua est spes gloriæ, Quinimò in tribulatione gloria continetur sicut spes fructus in semine. *Illud enim tribulationis nostræ quod in præsenti momentaneum est & leue*, in *æterna gloria magnum gratiarum pondus operatur in nobis*. Nullus enim sanctorum coronatus est sine flagello vel certamine. Abel iustus occiditur, Abraham propter vxorem, vitam periclitatur amittere: & sic de aliis, qui aduersitates & flagella tribulationum perpessi sunt. Solus Solomon in delitiis fuit, & ideo fortè corruit. Adiutrix enim virtutis est tribulatio, quã tu benignissime Domine Deus, electis tuis das hic in terrenis, vt eos remu-

Iac. 1. Gen. Sapien. delicia.

635

eos remuneres in ſupernis, quia dum eos flagellas, ipſos eligis & erudis ad hæreditatem æternam: qui verò cum hominibus flagellari noluerit, cum dæmonibus flagellabitur. O miſericordiſſime Domine Deus meus, ego ſceleratiſſimus peccator, omni nequitia plenus, conſolationes terrenas ſemper deſideraui, toto corde quæſiui, & totis viribus ſuſcepi. Non peperci animæ meæ, nō peperci ſanguini, qui pro me effuſus eſt, non timui horrendum animæ meæ periculum, neque ignem ei præparatum declinaui. Sed in deliciis permanere volui, in quibus caſtitas periclitatur: ſicut veritas in multiloquio, & charitas in hoc peruerſo ſeculo. Adiuuet me piiſſime Domine Deus meus, tua immēſa miſericordia, vt poſſim de præteritis pœnitere, in præſenti gratiam obtinere, & futuram perpetuarum laudum tuarum gloriam magna cum fiducia præſtolari. Non me retardet conſciētia peccatorum, quia vbi illa abundauerunt, ſuperabūdare poteſt gratia: non terreat tua benigna tribulatio, quæ non eſt condigna ad præteritam culpam quæ à te remittitur, nec ad præſentem conſolationis gratiam, quæ à te immittitur, nec ad futuram gloriam quæ à te gratis promittitur. Sed tē miſerāte eam ſuſcipiam patienter, & humili corde gratias agam, vt vitā te perenniter laudantium conſequar ſempiternam. Amen.

Latet benigniſſime Domine Deus meus, in tribulatione, gloria abſcondita nobis, quia tu dixiſti. *Cū ipſo ſum in tribulatione.* Quid igitur Domine Deus meus, aliud interim requirā quàm tribulationem? Nam *mihi adhærere tibi, bonum eſt*: deſcēdis nanque vt *propè efficiaris his qui tribulato ſunt corde*, vt nobiſcum ſis in tribulatione noſtra, ex hoc vtique quòd in ipſa tribulatione ſumus. Quis enim ſuſtineret, quis ſubſiſteret, & quis perſiſteret ſine te? Bonū eſt mihi Domine, tribulari, dummodo tu ſis mecum. Melius eſt mihi in tribulatione amplecti te, & in camino tribulationis habere te mecum, quàm eſſe ſine te. Aurum probat fornax, & viros iuſtos tentatio tribulationis, vbi cū eis es Domine: Sicut vnguenta redolere non ſolent niſi agitentur, & aromata fragrantiam ſuam emittere niſi incendantur: ita viri iuſti virtutes, tribulationibus maximè innoteſcere ſolent. Ideò tribulationes & anguſtias patienter tolerant, & præſertim quia ſcripturæ in hoc ſeculo nihil aliud promittunt quàm tribulationes & anguſtias, preſſuras & augmenta dolorum, & abundantiam tentationum: ad iſta nanque nos præparare oportet, ne imparati deficiamus, nam ſine ferro aut flammis Martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam in animo veraciter conſeruemus. Nec ille bonus eſſe præſumitur, quem malorum prauitas non probauit. Quis enim ſanctorum, ſine tribulatione coronam adeptus eſt? Nam in cunabilis Eccleſiæ, non defecit premens iniquitas, & iuſtitia patiens. Nec omnes qui patiūtur, ſunt principes patientiæ, ſed qui paſſione rectè vtuntur, ij patientiæ munere coronantur. O benigniſſime Domine Deus meus, iſta ſciui & ſcio, ſed opere non compleui: Accedente enim ad me tribulatione, acceſſit illicò impatientia, turbatio, ira, & indignatio, quæ ſunt perditio animæ, quia patientia caruerunt, ſed tu miſericors Domine, non conſideres hanc impatientiam meam ad pœnam & punitionem, ſed ad vitæ emendationem, & miſericordiam obtinendam. Patientiam in meis tribulationibus mihi tribuas, quia ſcio quòd apud te infructuoſa non erit. Et ſi ſequit contra me ignis tribulationis, tu mecum ſis, vt miſericordia tua me confortet & roboret, & in fine cum perpetuò laudantibus te, vitam obtineam ſempiternam. Amen.

Scio Domine Deus, quòd *omnes qui volunt piè viuere in te, perſecutiones patiuntur.* Habet enim ille nequiſſimus inimicus laqueos & iacula, vtpotè callidiſſimus venator hominum, ſitiens ſanguinem animarum, alios enim appetit telis inſidioſæ ſuggeſtionis, quibus multos vulnerat, quorum tenuis eſt patientia: alios voluptatibus irretire laborat, quibus multitudinem copioſam concludit. Et ideò in tribulatione magnum adeſſe gaudium oportet, in qua non habet malignus, vnde nos deiiciat. Nihil enim proficiet inimicus in eo quem tribulatio comprehendit, dum tamen per impatientiam non deiiciatur, ſed potius in te validiſſimè cōfortetur, & de ſua tribulatione & aduerſitate gaudeat & lætetur. Aegro nanque de quo deſperatur, medicus concedit, vt cuncta quæ concupiſcit, accipiat: qui verò ſanari poſſe creditur, cum à multis prohibet, quæ appetit. Gaudium autem & ſpem de æterna hæreditate ſuſcipiunt, qui hic tribulationibus flagellantur, quia tu Domine Deus, quos ſaluandos in perpetuum cernis, ſub diſciplinæ regimine aſtringis, & tranſitorio verbere affligis, vt ita ad æternæ hæreditatis patriam præparentur obtinendam. Sicut enim amatores huius mundi multa aduerſa & diuerſa patiuntur: ita neque ſeruis Dei omnia in hoc mundo proſperè ſuccedunt, vt *in die malorum, memores ſint bonorum*, ne puſillanimes fiant, & impatientes: & contrà in die bonorum, memores ſint malorum, ne extollantur & dicant *in abundantia ſua: Non mouebimur in æternum.* Sicut enim ſecularium proſperitas, ſtultum ſecularem occidit, ſic & abundantia ſpiritualis, indoctum ſpiritualem occidere poteſt. O ſuperbenedicte per ſecula ſeculorū Domine Deus meus, ego iniquiſſimus peccator iudicio rationis abuſus, proſpera mundi potius concupiui & amaui, quàm aduerſa: & ſic incommodum meum potius quàm commodum quæſiui & dilexi. Succurre mihi miſericorditer piiſſime Pater, qui neminem vis perire, ſed ſalutem deſideras animarum. Fac me currere per viam mandatorum tuorum, illa obſeruando animo diligenti. Sit mihi tua correctio ad ſalutem, non ad mortem, ad tuam gratiam obtinendam, non ad iram tuam incurrēdam, vt quum in regnum tuum venerim, te poſſim benefactorem & liberatorem meum perenniter laudare & benedicere. Amen.

Miſericordiſſime Domine Deus meus, tibi proprium eſt miſereri & parcere. Quòd ſi percutis virga, & non baculo, niſi rarò percutis. Et quum percuſſeris, ſanas. Paterna ſiquidem vox eſt hæc: *Percutiam, & ego ſanabo*: Percutis enim, vt emendes, non vt vindices, quia tanquam Pater miſericors, flagellas filium quem diligis. Sed in initio flagellatus, quod te Patrem pium eſſe ignoret, murmurare ſolet & ſe innocentem, te autem crudelem pronūciare. Quia verò bonitas tua ei ſubuenit, per flagellum potentiam virtutis tuæ ſentit, & tuam ſapientiam per in-

Quòd malignus nihil poteſt in eos qui patienter tribulātur. Cap. 11.

Cur aduerſa iuſtis eueniant.

Pſal. 29.

Quod Deus ſanat percuſſiones quas infligit. Cap. 12. Deut. 32. Hebr. 12.

Sap. 8. tellectum capit, quia talis ſapientia attingit fortiter per flagellum, & diſponit ſuauiter per intellectum dum ei inſpiras quod gaudeat in tribulationibus, Iacob. 1. & ſciat quoniam patientiam tribulatio operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit: Et tunc ſe non quaſi ſeruum puniri, ſed quaſi filiũ per flagella erudiri agnoſcit, vt hæreditatem accipiat. Nequaquam igitur contemnenda eſt tribulatio quæ cordis eſt ſanitas, & Tribulatio nis commoda. via recta ad vitam, quæ ita magnum quoddam bonum eſt, & datum optimum, quia elationem deprimit, laſciuiam refrenat, intemperantiam edomat, & denique omnes illicitos motus mentis & corporis ſuffocat & elidit, ceruicem ſubmittit, deponit ſupercilia, componit vultum, ligat oculos, linguam frenat, iram ſedat, inceſſum format, & dirigit in viã pacis, erudit ad ſcientiam, exercet ad timorem vt coronet ad gloriam. Tribulatio nanque, contra carnis concupiſcentiam, dat continentiam, contra oculorum concupiſcentiam, conſtantiam, & contra ambitionem ſeculi, humilitatem. O benigniſſime Domine Deus meus, quanta mentis cæcitate fui percuſſus, qui tribulationes mihi vtiles eſſe non cognoui? Quia mole huius mortalis corporis aggrauatus eram, terrenis intricatus curis, carnalium voluptatum fæce infectus, peccatis inuolutus, conſuetudine praua induratus, multis criminibus irretitus, in omni bono opere frigidus, in diuerſis malis proſtratus & induratus, procliuis verè ad quæcunque vitia, & ineptus ad honeſta. Propter quæ nefandiſſima peccata, mihi tribulationes dediſti, vt tantæ peſtes in me ſanarentur: Quare gratias tibi ago Domine Deus meus, qui me ſic dignatus es viſitare ad emendationem vitæ meæ. Tu verò dona mihi veram & firmam patientiam, vt ab omnibus vitiis emundatus, conſolari in te miſericorditer valeam in æternum. Amen.

In tribulationibus eſſe gaudendum. Cap. 13. Inter alia debita mea benigniſſime Domine Deus meus, ad quorum ſolutionem aſtringor, & obligatum me ſentio, eſt pœna, ad quod debitum primi parentes me obligauerũt, propter peccatum contra te commiſſum. Quare ſi mihi affuiſſet vera cognitio mentis, gaudere ſemper debebam, dum pœnæ tribulationis me premebant, & affligebant, quia tunc ſuſtinendo patiẽter tribulationem, debitum meum ſoluebam. De quo miſericors Deus gratias tibi agere debebam, quia ſcio quòd talem ſolutionẽ debiti, ſi patienter eam ſuſcepiſſem, compenſaſſes ex largiflua gratia tua: in acquiſitionẽ gloriæ ſempiternæ, ad quam miſericorditer me creaturam tuam, vocaſti. Tribulatio etiam mihi iuſtè debebatur, propter vitia & peccata innumerabilia quæ commiſi, quia qui peccat, debitor eſt pœnæ, & pœnam luere debet. Et ideò ſi oculos mentis apertos habuiſſem, non moleſte tuliſſem, ſed patienter omnes tribulationes & aduerſitates mihi datas per Satisfactio de peccatis. te Domine Deus meus, quoniam in præſenti me affligebas, & ſatisfactionẽ de peccatis recipere volebas cẽtuplo minorem quàm ſit futura pœna. Tribulatio nanque quæ cum patientia toleratur, attrahit te ad tribulatum, quia oculo miſericordiæ tuæ reſpicis hominem tribulatum, deſolatum & afflictum, vt ipſum recrees, ſoleris, & liberes ab incendio afflictionis, ſicut de te ſcribitur: *Vidi afflictionem* Exo. 3. *populi mei, & clamorem eius audiui, & deſcendi vt liberarem eum.* Sic igitur piiſſime Domine Deus meus, oculo tuæ dulciſſimæ pietatis reſpicis hominem, præ mundi afflictionibus, infirmitatibus, & tribulationibus languentem, qui ſi cum patientia omnia toleret, fiduciã, virtutem, & conſtantiam ei tribuis, dolorémque tribulationum eius temperas & extinguis, & eum ad ſanitatem & proſperitatem perpetuam miſericorditer adducis. O clementiſſime Domine Deus meus, ſcio quòd iuſtiſſime me affligis, multiplicando in me tribulationes: hoc autem facis, vt ſic ad te redeã, qui propter infinita peccata nequiter perpetrata, receſſeram à te. Præſta mihi veram firmámque patientiam, & tibi gratias corde contrito inceſſanter agam, & tua gratuita beneficia miſericorditer à te collata & multiplicata mẽte aſſidua recolam, vt ſic debitum peccatorũ exoluam, & de ipſis quantum in me erit, ſatisfaciam, vt ab illo debito tua miſericordia liberatus, & tuæ gratiæ reſtitutus, ad tibi perpetuò ſeruiẽdum, tuam gloriam obtineam ſempiternam. Amen.

Miſericors & miſerator Domine, dum conſidero iudicia tua quæ incomprehenſibilia ſunt, & vias tuas quæ inueſtigabiles exiſtunt, timor & tremor concutiunt mentem meam, quæ nubilo ignorantiæ obſcurata non diſcernit ad quem finem tribulationes tuæ tendant. Aliquos nanque affligis & tribulas, probando ſicut Iob & Tobiam, qui quum probi ſanctique eſſent, fuerunt tamẽ afflicti. Alios affligis & purgas, ſicut Nabuchodonoſor, qui flagellis & tribulationibus reſipuit. Alio affligis & damnas, ſicut Pharaonem, qui flagellis magis induratus perſtitit. Alios affligis, vt tu glorificeris, ſicut accidit in cæco nato, qui captus oculis natus fuerat, non propter peccata ſua, aut ſuorum, ſed vt manifeſtarentur opera tua in illo. Alios affligis & tribulas, & deſperati moriuntur, vt hic incipientes infernum ſuum, de tormento tranſeant ad tormentum, ſicut legitur de Antiocho, qui poſt acerbas afflictiones in doloribus mortuus eſt, & damnatus, de quo & ſimilibus dixiſti: *Dorſum & non faciẽ oſtendam eis in die perditionis ipſorum.* O miſericordiſſime Domine, de quorum numero ſim ego miſer tribulatus, ignoro, & in hoc tabeſcit anima mea, cor meum turbatur, mens languet, & viſcera cruciantur, tibi ſoli notum eſt, qui das tribulationes quando & quantum vis, nec audet quiſquam quærere: cur hoc facis. Sed ad infinitam miſericordiã tuam corde cõtrito & humiliato recurro, vt qui mihi tribulationes donas, ſi eas mihi ad probationem, quia talibus dignus non ſum, dare nolis, ſaltem non des eas mihi ad damnationem, ſed ad emendationem: vt ſcilicet per eas emendem miſerabilem vitam meam. Scio quòd ſicut in medicamentis illa communiter ſunt vtiliora quæ amariora ſunt: ſic mundi attritio, correptio, & tribulatio, quamuis ſenſualitati & carni ſit medicina amara, tamen animæ & ſpiritui eſt vtilis & proficua, medicinalis & ſtructuoſa, quia ſcilicet retrahit hominẽ à peccato, & facit vt cõtemnat præſentia, & acceleret ad futura, ſicut ſcriptum eſt: *Conuerſi ſunt à peccatis ſuis propter afflictionem ſuam amaram.* Tribue igitur mihi clemẽtiſſime, & miſericordiſſime Domine Deus, virtutem patientiæ in tribulationibus meis, vt peccata relin-

Satisfactio. Quòd optimum ſit afflictionis & tribulationum modi. Cap. 24. Iob. 1. Tob. 3. Dan. 3. Exo. 14. & 15. Ioan. 9. 2. Mach. Hieron.

quam

637

quam, me emendem, & per veram satisfactionem ad te accelerem, vt hic me recipias in tua gratia, & in futurum ad te iugiter laudandum, honorandum & glorificandum, in tua gloria sempiterna. Amen.

Quòd tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei. Act. 14. Cap. 15. ad 24.

Scio mitissime Domine Deus meus, quòd per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ tuum. Nam sicut nauis per mare transiens, multis ventorum impulsibus, multis aquarum fluctibus, multis deniq; piratarum insultibus subiicitur, nec vnquam antequam ad portum venerit, tuta aut secura iudicatur: sic homo quandiu nauigat per mare istius amaræ & periculosæ vitæ, semper de vna tribulatione in aliam ducitur, quúmq; iam euasisse se crediderit, subitò tribulationes nouas sentit. Et ita tribulationes huius miserabilis mundi nunquam euadit, quousque ad terminum mortis perueniat, vnde scribitur: *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.* Sex tribulationes quibus in hoc mũdo affligimur, sunt, dolor, esuries, timor infirmitates, casus. Septima, est mors in qua malum temporale huius miseræ vitæ non amplius nos tangit. O benignissime Domine Deus meus, ex piissima dispensatione misericordiæ tuæ, in præsenti seculo tribulamur, vt scilicet dum iter præsentis vitæ plenum tribulationibus inuenerimus, per ipsas tribulationes compulsi, ab iniquitatibus & peccatis recedamus, & per bona opera ad cœlestem patriam properemus, & æternæ vitæ terminum totis viribus affectemus. Et ideò propria humanæ conditionis ratio est, mũdi miseriis subiacere, & tribulationes sustinere, quia etiam *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Tribulationes nãque præsentes, sunt tributum, ad quod soluendum natura est obligata: sunt onus, ad quod portandum est subiugata: sunt iugum, ad quod trahendum est ordinata. Et idcirco debemus eas benigniter portare, & humiliter sustinere. Sed ego miserabilis peccator ista sciui & scio, & effectu ipso didici, & memoria tenui, sed ad effectum non perduxi, quia licet ita in veritate esse scirem, tamen illa scientia vti nolui, sed ad magnas impatientias animum meum laxaui: ac si tribulationes & aduersitates ipsas iniustissimè sustinerem. Parce misericors Deus, parce tãtæ ingratitudini & iniquitati meæ. Noli respicere peccata mea ad vltionem & vindictam, sed immensa bonitas tuæ misericordiæ ea deleat & remittat, vt tuæ pietatis suffultus auxilio, cum patientia hîc viuam, & in fine non amplius tibi inutilis in vitam tibi perenniter seruiam sempiternam. Amen.

Quòd tribulationes purgent, illuminent mundent. Psal. 26.

Domine Deus meus, quotidie tribulamur & affligimur per mentis inconstantiam, per carnis molestiam, per rerum temporalium amissionem, amicorum perditionem, aduersariorum detractionem, iram, inuidiam, vindictæ cupiditatẽ, & animi perturbationem. Ideo talis tribulatio, medicinalis est animæ, & ad salutem plurimum operatur, si cum patientia & vitæ emendatione sustineatur. Dolor enim infertur infirmis, vt consequantur sanitatem: discipulis vt assequantur sagacitatem, paruulis vt obliuiscantur lactis dulcedinem & voluptatem. Sic autem est de tribulatione dicendum, quia dolor tribulationis & afflictionis fecit vt vulnera peccatorum sanentur, virtutes & boni mores discantur, & lac mundanæ dulcedinis obliuioni mandetur.

A Et sic est vtilis medicina homini, quia quàmuis primò desolationem afferat, præstat tamẽ postea multiplicem consolationem, sicut scribitur: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Psal. 93. Benignissime Domine Deus meus, tribulationes, sunt sagittæ tuæ quibus nos vulneras, & affligis. Nam sicut sagitta infixa corpori, dolorem infert, & remedium quærere compellit: sic tribulatio dolorem affert cordi nostro, & nos mouet & impellit vt in te aliud solatiũ requiramꝰ, scilicet in cogitatione boni æterni, ideò scribitur; *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.* Psal. 37. 2. Cor. 1. O clementissime rex & *pater misericordiarum, Deus totius consolationis,* B quanta clementia premor, quãta duritia cordis astringor, & quanta distantia à te elongor? Tu motus magna misericordia super me peccatore, me afflixisti diuersis tribulationibus, vt mundum & mundana contemnerem, hostes debellarem, de peccatis dolerem, mentem meam ad te eleuarem. Sed ego miser & omni miseria plenus, tribulationes impatienter tuli, nec propter illas mundana cõtempsi, sed meis hostibus consensum præbui, & mentem meam ad terrena prostraui, & sic post flagella effectus sum durior. O creator meus, non despicias creaturam tuam, non consideres delicta mea, sed aperi exuberantem bonitatem tuam, qui me peccatorem nefandissimum C iustificet, immũdissimum mundet, prostratum erigat, inconstantem corroboret, vt sic tribulationes tuas patienter sustineam, quò tibi semper seruiẽdo, & nunquam posthac inobediendo, ad consolationem perueniam sempiternam. Amen.

Quòd Diuina virtus in tribulationibus nostris agnoscitur potentior. Cap. 17. 2. Cor. 12. Ibid.

Dulcedo cordium Domine Deus meus, animarum suauitas, & gloria te diligentium: aufer à me cor lapideum, & da mihi cor carneum, cor humile & contritum, vt agnoscam tribulationes tuas mihi tam vtiles & salubres, quàm hactenus eas impatienter ferendo, damnosas esse reputaui. Et quis benignissime Domine Iesu Christe, miseriam & tribu- D lationem inter dona tua non computet? quum tu dicas Apostolo: *Sufficit tibi gratia mea, &: Virtus mea in infirmitate perficitur.* Vnde idem Apostolus dicit? *Quum infirmor, tunc fortior sum & magis potens.* Sed ego miser, sapientia huius mundi suffultus, quæ stultitia est apud te, id tribulationẽ esse putabam quod consolatio est his qui recto sunt corde, vnde idem Apostolus dicit: *Nihil pro me, nisi in infirmitatibus meis gloriabor.* 2. Cor. 11. Nam quod impatientia simplicium reputat, id humiliter patiẽtia ad solatium cedit, quia quum patientiæ fructus, oculo piæ mentis consideratur & pensitatur, alleuiatur onus, dulcescit afflictio, & in ipsorum pressura grauaminum futuræ consolationis primitiæ iam prægustantur. Ideò sancto viro E afflictione corporis, & substantiæ temporalis amissione tribulato: Qui afflictus est (inquit) erit in gloria. O misericordissime Domine Deus meus, quia secundum *duritiam cordis* mei & *impœnitentiam*, hactenus *thesaurizaui mihi iram in die* tremendi tui iudicij: tu piissime mecum agens, iram tuam conuertisti in gratiam, non tribulari me voluisti, ne grauius tribularer. Ideò si tuam piissimam bonitatem mẽte humili cognoscerem, pura animi voluntate velle deberem, quòd corpus meum ieiunia frangerent, cilicia constringerent, labores grauarent, vigiliæ Rom. 2.

exiccarent, insurgerent in me tribulationes, me frigus incuruaret, conscientia mea contra me murmuraret, caput doleret, pectus arderet, stomachus inflammaretur, vultus palleret, & vita mea in dolore deficeret & anni mei in gemitibus, sicq; crucẽ tuam portando deficerem. O Domine Deus meus,
Abac. 3. *ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter mescateat*, vt in tua laude requiescã in die tribulationis. Scio nanque quòd post culturam sequetur vindemia, & post afflictionem lætitia, cedéntque contumeliæ te miserante ad coronã, quam mihi in fine dierum meorum, ad gloriam & honorem tui sanctissimi nominis misericorditer concedere digneris per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Quòd Deꝰ tribulatos extrinsecus, consolatur intrinsecus. Cap. 18. Iob. 10.

Tu misericordissime Domine Deus meus, *visitas hominẽ diluculo, & subitò probas illum* : visitas & probas, vt sic spiritum eius à spiritu maligno custodias, vt postea tibi dicat: *Visitatio tua custodiuit spiritum meum.* Nam flagello tuo piissimo puluis excutitur, quem ad deformitatem animæ iniquitas assidua congessit, & exteriori vulnere sanatur plaga interior. Sic enim irasceris vt mansuescas, affligis vt parcas, prosternis vt erigas. Nam *sicut in nobis passiones tuæ abundant*, ita *per te consolatio nostra abundat.* Plena nanque est miserationibus ira tua, & iudicia animaduersionis quam temporaliter exerces in tuos, certa sunt tuæ pietatis indicia. Ideò inter delicias & dolores, ira & misericordia tua in flagellis sapienter agnoscuntur. Et quamuis in præsenti, omnis correptio amara sit, tamen in futuro reddet fructum pacatissimum. Ideò bonum est tribulari, vt inter nos cruciatus absorbeat vexatio temporalis, quia scriptum
Tribulari bonum est. Psal. 65. est: *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* O benignissime Domine Deus meus, scio & vere quidem scio, quòd maior est culpa mea quæ præcessit, quàm tribulatio quæ me premit. Donum tuum gratuitum est, quòd tribulor, tua gratia est, quòd affligor: non enim semper medicus dulcia ministrat ægroto, sed frequenter amaras porrigit potiones: infirmitas siquidem cui cibus delicatior causam præbuit, poculo amaro purgatur, & apostemata quæ ex otio & crapula succreuerunt, adustione sanantur, & incisione purgantur. Sed clementissime Domine Deus meus, spero in tua infinita & immensa misericordia, quod in me *non consurget duplex tribulatio*, neq; *iudicabis* me *bis in id ipsum.* Fac mecum misericordiam tuam, vt præsentes tribulationes patienter & equanimiter sustineam, quia spero, quòd hæc tribulatio ex tuæ miserationis dono redimet tribulationem æternam, patior nanque, pro iniquitatibus meis: sed vtinã datum mihi esset de-
Matt. 5. super, pro iustitia pati, quia, *Beati qui patiuntur propter iustitiam.* Verùm quia pro peccatis meis tribulationem patior: sufficit mihi si patientiam mihi dones, ne deficiat præ pusillanimitate spiritus, & præ tempestate caro debilis & toties flagellata, vt cum finis vitæ meæ aduenerit, regnum laudis tuæ obtineam sempiternam. Amen.

Quòd tribulatio sine patientia, caret fructus. Cap. 19.

In labore & ærumna protraho, vitam meam miseram clementissime Domine Deus meus, datus sum in opprobrium & derisum his qui sunt in circuitu meo, æquanimiter tolerare non valeo, quod afflictio super tribulationem vulnerũ mentis meæ additur & per diuersa flagella assiduè multiplicetur. Nimia impatientia Domine Deus meus frangor, non considerans quod omnis cordis & corporis afflictio, citra profectum & fructum salutis est sine patientiæ condimento. Tu enim piissime Domine nequaquam *obliuiscaris misereri, neque continues in ira misericordias tuas, sed iratus, misericordiæ semper recordaris.* Nam qui flagellum tuum cum æquanimitate & bona patientia sustinet: ei indubitanter ira tua cedit in gratiam, & tribulatio in consolationem, quia sæpius temporaliter punis, vt æternæ mortis ardores pœna redimat temporalis. Scriptum nanque est, quod in ædificio tẽpli, omnes lapides prius malleis tundebantur. Sic & viui lapides qui ponendi sunt in illa cœlesti Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, variis infortuniis & concussionibus prius poliuntur, quam in ædificio cœlestis habitaculi collocẽtur: sicut neque in horreum reponitur granum, antequàm flagellis aut triturantium pedibus sit excussum. O mitissime Domine Deus meus, ego miserabilis peccator datus fui quodammodo in reprobũ sensum, quia prædicta cognoui, & quid agere deberem inspirasti, sed tuas inspirationes salutiferas longè à meipso proieci, & erigendo cerui-cem meam durissimam, maxima impatiẽtia & animi turbatio sic mentem meam concussit, vt tua benigna flagella mihi vtilia esse non cogitarem, sed damnosa. Succurrere mihi digneris piissime Domine Deus meus, & compati miseriæ meæ. Ignoscas mihi, quia misericors es & benignus, sentiam bonitatem tuam, non appareant peccata mea ante conspectum diuinæ maiestatis tuæ ad vindictam sumendam de ipsis, sed potius ad tuam misericordiam obtinendam, déspue mihi gratiam hic bene viuendi, vt sic gratiam te in perpetuum laudandi & benedicendi possideam sempiternam. Amen.

Quòd mi tribulationem sentimus, tunc maximè de Dei misericordia confidendum est. Cap. 20. Psalm.

Opto, ne irascaris mihi pater misericordiarum, ea ira qua corrigis deuium, & non ea qua errantem in viam salutis & vitæ reducis, nam non quum nescio, sed quũ sentio te iratũ, tunc maximè confido te esse propitium, quia quũ iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Damnãdis & reprobis tribulatio parit pusillanimitatẽ, pusillanimitas perturbationẽ, perturbatio desperationẽ quæ interimit. Concedat ergo mihi tua benignissima pietas, ne perturber pusillanimitate spiritus: ad hoc enim quantum potest, laborat aduersarius meus, vt holocaustum meum deuotionis pinguedine vacuetur, vt & minus acceptum sit tibi, & conscientia mea in spirituali gaudio minus exhilaretur, sicq; ex pusillanimitate tolerãtiæ, etiam conscientiæ pusillanimitas generetur. Non perturber, sed cum patientia tolerem si transitoria mihi auferantur, si conuitia ingerantur, si supplicia irrogentur. Ostende mihi cui irasci debeam, & fac vt ei irascar. Irasci nanque debeo ei: quod solùm mihi nocere potest, quod solum potest facere, vt omnia alia mihi obsint. Sed quidnam illud est? Certè Domine Deus meus, iniquitas propria. Pone inimicitias inter me & ipsam, vt eam à me expellam, neque ei cõscientiam, sed forti animo resistam. Fac vt irascar ei, ne appropinquet mihi, sed fugiat à me imò ab ea fugiam, quum mortem æternam animæ meæ ipsa desideret, & te cupiat separare à me. Illi irascere Domine, & malignos ac pestiferos motus ipsius reprime, ne mihi valeat

leat vllatenus dominari. Scio Domine,& mihi notum fecisti, quòd mihi nulla nocebit aduersitas, si mihi nulla dominata fuerit iniquitas. Qui huic irascitur, cæteris non mouebitur, sed ei aderit consolatio de spe salutis æternæ, in quam translatis peccatis quæ separabant ipsum & te Deum & Dominum, per tuam gratiam erigetur, & exhilarabitur. Adiuuare igitur me digneris benignissime Domine Deus meus. Cum patientia eas aduersitates sustinere valeam quæ non destruant,sed potius erudiant,auferant iniquitates,& inserant virtutes,quibus tibi placeam, tibi seruiam, à te non separer, sed obtineam à misericordia tua vitam tecum in tuo seruitio sempiternam,Amen.

Quodnam sit signum firmæ mãsionis in Deo. Cap.1.

Signum euidentissimũ est Domine Deus meus, quòd homo in te firmiter manet,quãdo per aliquas passiones & tribulationes, quantumcunqne difficiles & graues,non separatur à te,nec à tua dilectione. Sed quanto magis affligitur, tanto minus diuiditur,sed fortius coniungitur. Talis autem fuit superbenedictus Filius tuus,qui mortẽ sustinuit acerbissimam cum summa patientia, tibi Patri suo perfectissimè obediendo, cuius imitator fuit Paulus clementissime Domine, dũ dicebat: *Certus sum quòd tribulatio, angustia, fames, nuditas, periculum, persecutio, & gladius non poterunt nos separare à charitate Dei.* Ambulauit etiam Domine superbenedictus Filius tuus vias duras pœnarum, tribulationũ, & afflictionum cum summa patientia, *sicut agnus coram tondente se, obmutescens, & non aperiens os suum.* Qui igitur Domine Deus meus desiderat tecum manere, debet ambulare vias duras tribulationum & afflictionum cum lætitia cordis & patientia,alioqui non apparebit filius tuus, sed seruus. Scribitur nanque quòd *seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet.* Nam seruus offendens Dominum, non flagellatur, sed è domo expellitur, & odio habet Dominum suum, cúmque quãtum potest,fugit,& ideò dicitur, quòd seruus non manet in domo in æternum. Filius autem Patrem offendens,flagellatur à Patre,sed è domo non expellitur, nec habet Patrem suum odio, neq; ab eo fugit & idcirco dicitur, quod Filius manet in domo in æternum. Qui ergo Domine propter flagella & tribulationes huius mundi separatur à te,non est Filius tuus,sed seruus:qui autem est filius tuus, quantumcunque flagellatus, non separatur à te, neque à domo tua, sed magis diligit te, quia per flagellum cognoscit se magis diligi à te. Purgantur enim Domine palmites in vite, *vt fructus plus afferant.* Sic tu Domine Deus meus purgas in electis tuis peccata per afflictiones &flagella,vt fructus virtutum & tuarum gratiarum plus afferant, quemadmodũ apparuit in sanctis Iob & Tobia, & multis aliis. O benignissime Domine Deus meus, tuam misericordiã supplex imploro,vt in hac parte non sim seruus, sed filius,tua flagella & tribulationes suscipiendo patienter,vt nunquam à te separari valeam, sed in domo tua semper tibi obediendo & seruiendo tecum maneam per infinita sæculorum sæcula, Amen.

IDIOTAE VIRI SANCTI de contemplatione conflictus Carnis & Animæ, Contemplationum Lib. III.

CAPVT I.

De conflictu diuitiarum & paupertatis. Cap.1.

OMnipotẽs & misericors Deus,inclina aures tuę pietatis & misericordiæ ad me fragilem & miserum peccatorem, in bellis continuis & periculosissimis cõstitutum, magnámque vim & violentiam assiduè patientem, quæ euadere nullo modo valeo per meipsum, nisi immensa clementia tua adiuuare me dignetur. Te nanq; misericorditer inspirante, anima mea mundi diuitias vilipẽdit,sciens quòd diuitiæ pungũt eam, lacerant,& affligunt, quoniã inducunt eam in tentationes,prouocant ad peccandum, auferũt charitatem, tollunt quietem,sunt momentaneæ, & sine labore mentis & corporis non acquiruntur, sine timore nõ possidentur, absque dolore non amittuntur. Et ideò *beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, quia tales nec intrinsecus per auaritiam vruntur, nec extrinsecus per controuersiam lęduntur,sed sursum per desideriũ erigũtur,& *eligũt abiecti esse in domo tua Domine, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorũ*. Sed misericordissime Domine Deus meus, caro mea misera, stimulante mũdo labili contra animam dimicat, natura ei repugnat, & consuetudo resistit, vt vincãt animam,& superent, & de ipsa triumphent. Abhorret nanque caro misera & infirma, paupertatem, & diuitias amplectitur, quia paupertas est ei dura, & diuitiæ suaues, & ita nimia importunitate & violẽtia nititur animam subiugare. O munde immũde,hæc pugna à te procedit,bellum ingeris, & sensualitatem fatuam prouocas in tui adiutoriũ. Sed quare sic impugnas animam meam tuis momẽtaneis diuitiis, cum quibus peribis & concupiscentia tua? Tu ẽnim multa promittis,& pauca reddis,imò sic fallax es & defectuosus, vt quos hic tuis diuitiis extollis, in fine nudos dimittas: nihil in te amator tuus habet, nisi dolorẽ & lachrymationem, laborem & fatigationẽ, horrorem, & confusionem, transitũ & corruptionem, fraudulentiã & deceptionem. Et licet videaris nutritor corporum,tamen carcer es animarum. O durum bellũ,fortis vis, grauis difficultas, magna violentia, quæ sic infeliciter animam meam trahis ad infernum:O Domine Deus meus omnipotens,qui dixisti,& facta sunt,mãdasti, & creata sunt, qui cũcta fecisti,& nosti antequàm fierẽt, tibi sunt futura præterita, vel potius tibi sunt præsentia omnia tam præterita quàm futura, qui vocas stellas, & dicunt, assumus: *qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos flammam ignis, tuæ voluntati nihil omnino resistit, tibi nullum verbũ est impossibile: tibi venti & mare obediũt, & tibi flectitur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Fac mecum misericordiam tuam, vt in isto cõflictu grauissimo non desperem. Tu enim recipis non solum pœnitentes, verumetiam trahis ad te peccatores. *Tu patiens es & misericors & præstabilis super malitiam, suauis ac mitis & copiosus in misericordia, omnibus inuocantibus te.* Te igitur humillimè toto corde inuoco,da robur & fortitudinem spiritui meo, vt mundum labilem vincat,& carni miseræ viriliter dominetur,ac illas diuitias solummodo diligat quas *fures non effodiunt nec furantur*, tẽque solum vitæ æternæ Thesaurum inueniat, & perenniter diligat, Amen.

Matth. 5. De conflictu gulæ & abstinẽtiæ,luxuriæ & continentiæ. Cap.2.

Adhuc Domine Deus meus,grauissimam & assiduam pugnã patior. Quum enim prima inhibitio facta fuit homini, de ciborum extitit abstinentia,

quam dum ipſe cuſtodiuit,feliciter perſtitit: ad abſtinentiam & ieiunium frequenter ſpiritus meus ſe diſponit, vt ſic poſſit iram tuam placare, abs te veniam impetrare,pœnam vitare, nequitiam extirpare,munditiam retinere,& gratiã obtinere,iſta enim omnia ieiunium operatur. Sed miſera caro ſe illi ex aduerſo opponens, auiditatem edendi commouet, gulam incitat,appetitum prouocat, voluptates ingerit,diuerſitatem ciborum exquirit,varietatem ſaporum affectat, contemnit ſufficientiam, & ſuperfluitatem deſiderat: & non ſolum in variis ferculis & lautis cibariis deſiderium ſuum ponit, ſed etiam horam præuenit ex appetitu inordinato. Nam voluptas ſub neceſſitate latitans, dum neceſſitas ſolui debitum ſibi quærit, ſuum expleri deſiderium appetit: tantóque facilius illam gula in præceps rapit, quanto honeſtiore nomine neceſſitatis ſe contegit. Verum Domine Deus meus, quia frenum abſtinentiæ non reſtringo, grauior pugna inſurgit: cingulo nanque caſtitatis laxato Venerem amplectitur miſera caro cogitationibus importunis. Familiaris autem nimium eſt iſte hoſtis, & ideò difficilius poteſt euitari:habitat nanque non procul,ſed intra,nam virtus eius in lumbis eius,& fortitudo illius in vmbilico ventris eius. O miſera caro, quid
Iob.40. te mouet, vt meam animam velis ſpoliare virtutibus, & deiicere in infernum? Tu nanque cunctis virtutibus denudata es, ideóque diceris caro à carẽdo,quia cares omni bono. Tu es illa terra Adam,
Gen.3. quæ fuit à Deo maledicta. *Maledicta* (inquit) *terra in opere tuo,non dabit fructus ſuos,ſed ſpinas & tribulos germinabit tibi*, id eſt deſideria mala & delectationes in tẽ germinabuntur. Tu miſera caro,cares ſtatus firmitate, quia modo es ſana, modò ægra, modò triſtis, modò læta, modò turpis, modò pulchra, modò viuens,modò mortua,&
Iob.10. *quaſi flos tranſis,& velut vmbra fugis, & nunquàm in eodẽ ſtatu permanes.* Tu cares mentis puritate,& quicquid tangis aut tibi ſociatur,maculas. Tu cares morum honeſtate, niſi ſtimulis coarcteris. Et quid tibi caro miſerè proderit, ſi animã meam præcipitaueris in gehẽnam, quum tibi quoque cum ea, pœna gehennæ poſt tremendum iudicium præparetur, ſi in hoc tuæ ditioni ſubiugaueris ipſam? O Domine Deus meus, ſcrutans corda & renes, qui pluuiæ guttas, & arenam maris dinumeras, Deus ſcientiarum Dominus, qui omnia ſcis, omnia penetras, perſpicax occultorum omnium explorator, tu non vis mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat, qui non veniſti vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam, qui veniſti quærere & ſaluare quod perierat, qui dixiſti: *Non egent qui ſani ſunt medico,ſed male habentes.* Effunde igitur ſuper me miſericordiam tuam, ne tantam vim patiar, quæ animam meã ſic miſerabiliter captiuet, ſed comprime hoſtium vires, & carnem miſeram animæ meæ ſubiugare cum effectu dignare, vt de ipſis victoriam obtinens, te laudem liberatorem meum in perpetuas æternitates, Amen.

De conflictu humilitatis & inanis gloriæ. Cap.3.

Quid amplius faciã Domine Deus meus? vexat enim me multipliciter aliud luctę genus,ſcilicet inanis gloria, quia mũdani fauoris aura me miſerabiliter demulcet, laudũ præconia mihi applaudunt, & adulationis lingua blanditur, & ſic caput meum nequiſſimi peccatoris, tale oleum impinguat. Rapior in altum,attollor ad ſummum,erigor in excelſum, inferiorem me non reputo, humiliorem præſertim corde non exhibeo, nec minorem me oſtendo. Sicut autem præconia me exhilarant & extollunt, ſic opprobria me deiiciunt & contriſtant. Et licet quandoque laudem humanam non appetam, oblatam tamen cum delectatione ſuſcipio. O humani generis inimice,inuentor mortis,ſuperbiæ inſtitutor, radix malitiæ, ſcelerũ caput, princeps omnium vitiorum, & omnium voluptatum perſuaſor, quare ſic vexas animam meam? Quid te ad hoc inducit? Quid tibi prodeſt hæc importuna vexatio, quum potius ſcias hoc tibi nocere? Quia quanto magis ad peccandũ inducis, tãto amplius tua pœna augeſcit. O Domine Deus me⁹ qui es iudex iuſtus, fortis & longanimis, & metuendus ſuper omnes Deos, requirénſque tua vſque ad nouiſſimum quadrantem:qui nec prece,nec pretio,nec odio declinas à ſemita rectitudinis,ſed via regia ſemper incedis, nullum malum deſeris impunitum, nullum bonum irremuneratum relinquis. Quis ergo ſtabit ante conſpectum tuum, *quàm horrendum ſit incidere in manus tuas? Quòd ſi iuſtus vix ſaluabitur: ego impius & peccator vbi apparebo?* Sed abſit Domine Deus meus, vt de tua miſericordia deſperem, quoniam miſerationes tuæ ſuper omnia opera tua: *non enim ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum tuam miſericordiam ſaluos nos feciſti:* Multũ Domine peccauit Cain, quando interfecit Abel, ſed magis peccauit, quum
Gen.4. ait: *Maior eſt iniquitas mea quàm vt veniam merear.* Abſit enim Domine vt maior ſit iniquitas mea q̃ miſericordia tua, quũ defectus à bono,qui eſt iniquitas, ſummo bono cõparari nõ poſſit, quæ eſt miſericordia tua Deus. Ne autẽ hac elatione extollar amplius, cõpeſce Domine vires inimici,& da mihi miſericorditer veram humilitatem,quæ in me violẽtum modum elationis cohibeat, & prudenter exceſſum arrogantiæ moderetur, vt in humilitate tibi placeam, tibiq; humiliter ſeruiã in ſęcula ſæculorum, Amen.

De conflictu diligẽtium & nõ diligẽtium inimicos. Cap.4. Matt.5.

Tuam maieſtatem latere non poteſt ſempiterne Deus meus, quòd vim nimiã patior, quia dum ſpiritus meus inclinatur iuxta præceptum tuum ad diligendum inimicos, ad orandum pro perſequentibus & calumniantibus, ad remittendas iniurias illatas,& ad benefaciendum his qui odio me habent, vt inde anima mea efficiatur filia tua, necnon ad ferenda omnia aduerſa patiẽter: caro mea miſerrima cum ſuis adiutoribus pro virili repugnat, iniuriam reuocat ad animum,accenditur ad iram, rapitur in furorem, præ magna impatiẽtia vindictã perquirit, damnum inimici procurat, in verba contumelioſa prorũpit,murmurat, & detrahit, & ſic animæ meæ reluctatur, eámque nitĩtur captiuare. Quare ô tu qui es vere Dauid manu fortis, qui viciſti vrſum, ſuperaſti leonem, proſtraſti Philiſtæum, adiuua in hoc periculoſo duello. Confido nanque de tua magna miſericordia, non ſolum me veniã adepturum, ſed etiam gloriam obtenturum. Pono enim Domine Deus meus ante oculos meos mulierem quæ erat in ciuitate peccatrix,quæ multa,te teſtãte,peccata habuit. Pono ante oculos meos mulierem deprehẽſã in adulterio. Pono ante oculos meos latronem, qui propter homicidium & ſeditionem miſſus fuerat in carcerẽ,& deinde ſuſpenſus in cruce.

1.Reg.17.

Luc.7.

Ioan.8.

Matt.27.

Pono

645

Pono ante oculos meos Dauid, prius adulterum & homicidam, postea factũ Prophetam. Qui omnes Domine, materiam confidentiæ mihi præbent de tua infinita misericordia. Sed quia scripturæ in hoc mundo promittũt tribulationes & angustias, pressuras & augmenta dolorum, abundantiámque tentationum, tu misericors Domine, dignare me præparare ad patientiam, ne deficiam imparatus. Compelle igitur Domine rebellem carnem meam, vt subiiciatur spiritui, nec ei vltra dominetur, vt possim animam meã in patientia possidere, & ad tuum seruitium ad quod eam creasti, conseruare in sempiternum. Amen.

Importunè vexor, & magnam violentiam patior Domine Deus meus, quia variæ & noxiæ cogitationes dissipant cor meum, & separant ac diuellunt animam meam à te. Ista est mihi Domine pugna domestica, quæ quanto est familiarior, tanto grauior est, & periculosior. Sed quis Domine Deus, creator & redemptor meus, malarũ cogitationum insultum vitare possit? Scio vtique Domine, quòd non est in hominis potestate, facere ne surgant, vtinam sit in eius virtute, facere ne crescant, quia paruulæ me vehemẽter affligunt, adultæ perimũt violenter. Primos quippe motus Domine non possum non sentire. Ista pugna Domine mihi assidua est, nec me dimittit, siue vigilem, siue dormiã, aut quippiam boni cogitem, dicam, aut faciã, semper enim vbiq; me inuadit, nec importunitate grauatur, nec continuatione lascescit, nec tempore perit, sed per vsum vetus est, & per augmentum quotidie renouatur. Ista sunt iacula quæ præmittit insidiator antiquus: isti sunt præcursores, proximum aduentum inimici generis humani denunciantes. O benignissime Domine Deus meus, adiuua me in hac pugna, quia tu es Creator & Redemptor meus: hominem nanque creasti & redemisti. Magnum quidem est, quod redemisti, nam creando *factus est homo ad imaginem & similitudinẽ tuam*: sed redimendo, factus fuisti, Domine totius bonitatis & clementiæ, ad imaginem & similitudinẽ hominis, quia *temetipsum exinaniisti formam serui accipiens*. Magnum autem est habere similitudinem tuam, sed maius est quòd tu assumpseris imaginẽ & similitudinem nostram, maius inquam ratione dignitatis & etiam vtilitatis. Quis ergo diffidere possit, Domine Deus meus, quin miserearis illius quem feciſti ad imaginem & similitudinem tuam? Nemo certe. Sed multo quoque minus dubitare valeat Domine, quin tu miserearis illius propter quem exinaniuisti temetipsum, formam serui accipiens. Miserere igitur mei Domine per meritum sacratissimæ incarnationis & passionis tuæ, & pugna pro me in hoc quotidiano prælio, vt non vincar, sed vincam per cogitationes bonas & operationes studiosas, & triumphem de ipso, vt sanctis cogitationibus tibi seruiam in sæcula sæculorum. Amen.

Ad fortificandum Domine Deus meus, prædicta certamina contra animam meam, inualuit consuetudo inueterata quæ adiuuat carnem miseram ac defendit: durum nanque est illi apprehẽdere disciplinam, & proinde conatur spiritum restinguere ne transeam de dulcibus ad amara, de placidis ad molesta, de prosperis ad aduersa, de epulis ad ieunia, de voluptate ad pœnitentiam, de fabulis ad silentium, de somnolẽtia ad vigilias, de simultate ad dilectionem, de vanis cogitationibus ad sanctam contemplationem, de inani gloria ad humilitatem, de lubricitate ad continentiam, de diuitiis transitoriis ad paupertatem, & de libertate carnis ad seruitutem Dei. O Domine Deus meus, durum est istud bellum, magna est ista violentia, imò tanta, quòd sine potentissimo adiutorio tuo vincere non valeam. Adiuuare igitur me digneris misericorditer, tu Domine qui tantum dilexisti mundum, *vt filium tuum vnigenitum dares pro mundo*, cuius sanguis clamat pro nobis ad te, *qui exauditur in omnibus pro sua reuerentia*. Aduocatum enim habemus apud te, Iesum Christum, iustum, qui semper interpellat pro nobis, signa passionis ostendens, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: redempti enim sumus, non corruptibilibus auro vel argento, *sed pretiosissimo sanguine agni immaculati*. Tibi Domine Deus meus attribuitur, quicquid pertinet ad potentiam: diuinam autem potentiam euidentius nihil manifestat, quàm iustificare impium, hoc est trahere peccatorem, iuxta quod legitur: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas*. Melius enim est iustificare, quàm creare, quum creãdo detur natura, iustificando verò & auferatur culpa, & conferatur gratia. Ostende igitur Domine omnipotentiam tuam in me miserabili peccatore, vt quandiu in præsenti sæculo militabo, victoriam de inimicis meis te adiuuante obtineam quia non est alius qui pugnet pro me, nisi tu Deus meus, cui seruire, quem laudare cupio in sempiternũ. Cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Luc. 23.

De confid. mala. & bonarum cogitationũ. Cap. 3.

Heb. 5. 1 Ioan. 2.

1. Petr. 1.

Gen. 1.

Philip. 2.

Psalm. 118.

De confid. mala. cogitationũ. Cap. 4.

IDIOTÆ VIRI SANCTI DE INNOCENTIA PERDITA, *Contemplationum*,

Liber IIII.

O Anima sceleratissima, non vita sed morte perpetua ex tuis actibus digna, redi ad te, quæ longè fuisti à te, excita teipsam de somno mortis, surge à lecto in quo vulneribus sauciata diutius iacuisti: require medicum te valentem & volentem curare: labora vt illi placeas fugiendo curas & occupationes labiles, quas hactenus eius præcepta, doctrinam & consilium spernendo, tota mẽtis intentione amplexa es. Surge de arida terra & sterili delectationis carnis & mundi. Respue illa quę diu possidere non potes: abhorre ea quæ te præparant ad interitum, appete cum affectu illa quæ perpetuò possidere vales & fœlicem te facere possunt. Intra secretum cubiculũ mentis tuæ, vt ipsam valeas cognoscere, ibi paululum requiesce & exclude cætera præter Deum & te. Excute torporem, discute conscientiam tuam: & diligenter examina odiosam Deo & horribilem vitam tuam. Scias te esse coram illo cui nihil est incognitum, nihilque impunitum remanet. Considera quid es, & quid fuisti. Nanque sola Dei misericordia, ex nihilo creata, ad eius imaginem facta, sacro fontis lauacro regenita, virtutibus & gratiis adornata, Dei Filia, Iesu Christo desponsata, eius fide

Excitatio animę post innocentiã peroitam. Cap. 1. Eph. 5.

decorata, ſancti Spiritus amica, rationis capax, cõtra aduerſarios tuos armatura inexpugnabili armata, ſocia Angelorũ, particeps hęreditatis ęternæ, templũ æterni regis habẽs ad tuam cuſtodiam Angelum delegatũ. Tantiq; pretij fuiſti, vt totus mundus tibi comparari non poſſet, & vt tuo creatori à quo facta es, & per quem facta es, ac ad quem facta es, ſeruires, effecta fuiſti, & ideò cũcta tibi ſubiecit, vt tibi ſeruirent. Adde quòd pretium tuum quo redempta es, à morte perpetua liberata, non fuit aurum & argentum, ſed ſanguis & mors Ieſu Chriſti Filij Dei, donum ſine pretio, gratia ſine merito. Ad tuum præſidiũ, ſororem & ſodalem tibi miſericorditer conceſſit, ſcilicet innocentiã, per quam in periculis tuta fuiſti, vbique ſecura, vbique libera, ſancti Spiritus inſpiratione ducta, Dei coniuncta conſortio, à malis omnibus aliena, & à terrenis actibus ſeparara, charitate Dei & proximi illuminata. Per hanc ſororẽ Deo placuiſti, amicitias cum eo contraxiſti, & gratum ſeruitiũ exhibuiſti. Ipſe verò ex vnione amoris tecum aſſiduè manſit, te cuſtodiuit, exaudiuit, donis ſpiritualibus dotauit, tibi opportuna & neceſſaria miniſtrauit, & ab omni re ſiniſtra & aduerſa te illęſam præſeruauit. O anima ingratitudine plena, argue teipſam coram Deo, eo quòd hucuſque de cũctis eius beneficiis ingrata fuiſti, & eius miſericordias q̃ plurimas agnoſcere renuiſti.

Pſal. 8.

Quanta mala innocentia perdita afferat. Cap. 2.

O anima mea anima infœlix, peccatis innumerabilibus inquinata, conſidera nunc ſtatum tuum. Abieciſti innocentiã ſororem tuam fidelem, à prædio mentis tuæ, & locũ eius occupari feciſti, introducendo inimicam eius ſcilicet iniquitatem, per quam creatorem & benefactorem tuum à te miſerabiliter proieciſti, & Diabolũ intromiſiſti, cuius imago per ipſam innocẽtiæ inimicam facta es, periura Deo, adultera Chriſto, inimica Spiritui ſancto, virtutibus & gratiis ſpoliata, fide mortua, promiſſione Dei priuata. Armatura ſpirituali ſponte derelicta, tuis hoſtibus voluntariè te ſubiugaſti, & particeps effecta es dãnationis æternæ. Per iniquitatem bonum incommutabile reſpuiſti, & in cœno peccatorum te prouoluiſti: cõtempſiſti benignum, & adhæſiſti maligno: cœlum ad quod poſſidẽdum electa fueras, vilipendendo amiſiſti, & regnum tenebrarum acquiſiſti. O perditam & miſerã acquiſitionem. Cõſolationem renuiſti, & deſolationem inueniſti, noluiſti benedictionem datam recipere, & elongabitur à te: induiſti iniquitatem ſicut veſtimentum, ideò perdidiſti id quod facta eras, plena enim eras, & vacua facta es: videbas lucem, & cæcitatem incurriſti: viuebas ſpiritu, quem (quantum in te eſt) ſpõte oppreſſiſti. Exul facta es à patria quam perdidiſti nequitia tua, amplectendo cum delectatione temporalia, ſpiritualia contempſiſti, mũdum amaſti, & timuiſti plus quam Deum. Bona voluiſti prædicari & apparere, ſed nõ exiſtere: amicam huius ſæculi te feciſti, & inimicam Dei te conſtituiſti: Deum & omnia in tui vltionẽ prouocaſti, nec tibi aliquod remediũ procuraſti. O anima miſera, conſidera qualem te Deus fecerat, & qualem tu te feciſti: de filia iræ filiam gratiæ te fecerat, & tãquam ſacrilegam filiam Diaboli te feciſti. Hæc & multa, alia tibi cum iniquitate pariter aduenerunt, adeò enim miſerè corruiſti, quòd per teipſam ſurgere nõ poſſis, ſic vulnerata es, quòd per te ſanari nõ queas: ſic maculata, quòd per te mũdari non valeas. Erige ergo totam mentem tuam corde compuncto, ad illum qui erigit eliſos: accede ad illum qui ſanat contritos corde, adiũge te illi qui omnium ſordium eſt mundator, vt te miſericorditer ſubleuet, ſanet, & ab omni iniquitate emundet.

Quanta bona innocentia conferat. Cap. 3.

O anima mea perquam miſerabilis, dic mihi in quo te læſit innocentia, per quam tot bona & gratias recepiſti? Dic mihi, quæſo, in quo te læſit, vt eam à te nequiſſime proiiceres, & in locũ eius, iniquitatem quæ illi inimicatur, ſurrogares? Nónne innocentia ſoror tua, tecum nata eſt, & tecum ad nuptias Chriſti venit, quando ipſum in ſacro baptiſmate in ſponſum recepiſti, & thalamum eius gratiis & virtutibus ornatũ introiſti? Fœliciter tecum nutrita eſt, ſiue vigilares, ſiue dormires, tecũ ſẽper erat, tecum fidem nouit, te dilexit, tibi in omnibus operibus tuis comes fidelis fuit, & ſalutem tuã procurauit. Nũquam per ſe aut ex factis ſuis à tuo conſortio declinauit, niſi quando ex magna ingratitudine tua eam à te maligne eieciſti, & iniquitatem in thalamũ tuum (proh pudor) excepiſti. O nefandam commutationem, crudelem caſum, lamentabilem lapſum, intolerabilem dolorem, importabilẽ cruciatum. C ecidiſti ô anima nequam, per huiuſmodi commurationem, de ſublimi in profundũ, de gratia in peccatum, de virtute in vitium, de gloria in pœnam, de cœlo in infernum, de vita in mortem, de ſalute in infirmitatẽ, de bono in malũ, de gaudio in mœrorem, de conſolatione in deſolationem, de ſecuritate in timorem, de fœlicitate in miſeriam, de libertate in ſeruitutem. Dominũ à quo bona cuncta procedunt deſerendo, eius inimicis, imò etiam hoſtibus propriis à quibus omnia mala prodeunt, adhæſiſti. O perfida anima, quid egiſti? Non eſt hæc mutatio dexteræ excelſi. Abominabilis es Deo, odioſa Angelis, horribilis ſanctis, fœtida omnibus, intolerabilis tibiipſi: melius tibi fuiſſet, ſi creata nõ fuiſſes, quàm ſi creatorẽ tuum contemnendo, & in te ſæuiẽdo, temetipſam peremiſſes. Dic lachrymabiliter, dic, hei mihi, quia cecidi, quia peccaui, Deũ & ſanctos contra me prouocaui, iram tremendi iudicis in me concitaui. Væ mihi, quia ſic perperam egi, ſic inconſultè feci. Quis eruet me de manu potenti, & brachio extẽto contra me? Quis præſeruabit me à vẽtura ira, à morte æterna, à laqueis infernalibus, à rugiẽtibus pręparatis ad eſcã, niſi tu miſericors ſaluator & redẽptor meus? Tibi nanque propriũ eſt miſereri & parcere, qui omnipotentiã tuã parcẽdo ſẽper & miſerãdo manifeſtas. Inclina ergo aures tuę pietatis ad me, ne deſperẽ de te, ſed reſpirẽ in te cũ fiducia, & remaneam de tua miſericordia per teipſũ & propter teipſum & perpetuo cõſolata.

Pſal. 70. Matth.

Ad Deum confugiendum eſſe, & in eo ſperandum. Cap. 4.

O anima mea deſperatione circundata, mentem tuam erige & eleua ad Deũ, ſpera in eo cũ fiducia, ſurge & ſta, produc de corde gemitus, clama die noctuq;. O innocentia ſoror mea, vbi es? Quo tendiſti? Qua arte, quóve ingenio me dereliquiſti? Quò tandẽ loci deueniſti? Sed væ mihi animæ peccatrici, quia corde maculato & pollutis labiis, hanc ſororem meã audeo nominare, quam offendi, quã violaui, imò quod execrabilius eſt, quã ſic penitus à meipſa pepuli, ſic abieci, quòd eam recuperare non valeo.

649

valeo. Extranea & peregrina facta est ipsa mihi, imo præiniquitate mea ego illi, & quãuis tot bona mihi præparârit, ego tamen ingrata cum iniquitate amicitiam contraxi. O iniquitas, quare me illudendo circunuenisti? quare innocentiam sororẽ & amicã meam à me eiecisti, quæ me gratã fecerat saluatori meo? quare me cepisti, colligasti & subiugasti, & mihi Deũ, Angelos & sanctos abstulisti, eósq; mihi inimicos cõstituisti? Quare me bonis & gratiis omnibus crudeliter spoliasti, & inermẽ solámq; in cõflictu & inter aduersarios me reliquisti? Nihil .n. lucri ex eis cõsequi poteras, quæ sic me (nescio qua de causa) prostituisti. Quid tibi malefecerã, vt me sic tractares? Quis te docuit, vt ad talia prouocares, informares, & perpetrare faceres? Quę ratio te mouit. Nihil enim mihi tecum, non nouerã te, nõ quęrebã, non curabã, à te elongata erã: debitrix tibi vlla in re nõ erã. Cur me morti perpetuę & dãnationi ęternæ obligasti, & sine cõsolatione, imo cum desolatione seu desperatione reliquisti? Abstulisti. n. à me amicos & protectores meos, vt cũ iniustitia tua me perderes. Meũ quoque pastorẽ qui mihi alimoniã præbere solebat, & sub quo vitam ducebã, abire fecisti, vt sic egẽs & inops facta, fame perirẽ. Sed & lupum rapacem ad me introduxisti, à sustentatione negata, vulnerata sum, imò interfecta & enecata. O pastor pastorum, ouem errantem require, & repertã impone super sacros humeros tuos, reduc eam ad caulas gregis tui: sana infirmã, pasce famelicã, imò iam fame morientem, vigila super eam, ne amplius lupus rapax inuadat, rapiat, & enecet eam.

Quòd nulla necessitate, sed ipsius peruersa mens in culpa.

O nullius valoris homuncio, vermis inutilis, dũ præmissa cõsidero, datus sum in reprobum sensum, & obliuionem, mihi ipsi excęcatus sum, rationabile iudicium perdidi, in magnam dementiam incidi, quia imputo alteri factũ quod spontè perfeci, scilicet innocentiam expellendo, & iniquitatem introducendo. Sciebam & verè cognoscebam, quod ante oculos meos erat vita & mors, bonum & malum, gloria & pœna, & quum liberum arbitrium haberẽ eligendi alterũ ex his, elegi tanquàm fatuus & iniquus, mortẽ, malum & pœnã. Et licet prædictæ electionis cogitatio & primi motus non essent in mea potestate, tamen mera delectatio, cõsensus, & operis cõsummatio à mea voluntate pẽdebant: nec cogi ab aliquo poteram, nisi voluntarie consensissẽ id quod ego feci, imo quod perniciosius mihi est, frequenter tentationes præueni, ita vt iã non possem dici patiens, sed agens. Inimicis meis adhæsi, & suggestioni eorũ consensum præbui. Primitias iuuentutis męę Deo debitas, ad eorũ voluntatem expendi. Nullum peccãtem, quamuis à peccatis retrahere possem, retrahere volui, imò ad peccãdũ, verbis & factis impuli, aut saltẽ ad facinora perpetrãda exẽplũ dedi. Deũ qui me genuit, dereliqui, & oblitus sũ Domini creatoris mei. Ex actibus meis dignus sum odio, nõ gratia. Quãto diutiꝰ misericorditer me Deꝰ sustinuit, & ad pœnitentiã expectauit, tanto durior corde fui, & cõtra eũ ac eius præcepta ceruicose insurrexi. Fides in me propter bonorũ defectũ mortua fuit. Dei inspirationes lõgè à me proieci, & quę meæ saluti cõtraria erant, libenter suscepi. Labores corporales ad salutẽ animæ meæ promouẽtes, vitaui. Antiquis & vsitatis peccatis nõ cõtentus, noua &

A

insolita adinueni, & opere cõsummaui. Semel aciterũ & sæpius ad vomitũ redij. Nulla facinora reperiũtur, quibus nõ fuerim vel mẽte vel opere cõtaminatus. Et quãto magis ad finẽ vitę accelero, tãto magis peccatis inuoluor. Ecce bone Iesu, qualiter tẽpus à dieb. originis meæ expẽdi, ecce in quib. studiũ meũ consũpsi, in quibus laboraui, cũ quibus amicitiã cõtraxi, quæ dilexi, quib. parui, & quib. (te spreto) obediui. Nõ habeo quid dicã, quid respondeam, qualitérve me excusem, *quia nõ iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuẽs.* Sed tu Domine Iesu Christe, à cuius misericordia spes & salus mea depẽdet, quíq; tẽpus viuẽdi mihi tribuisti, tẽpus pœnitẽdi & emendãdi mihi misero & indigno misericorditer cõcedere digneris: tu nanque creator meus es, ego verò nõ possum non esse creatura tua, fiat tamen de me, qui solus parcere & iustificare potes, voluntas tua.

B

Quòd postea miseria propria cognoscitur per solam Dei misericordiam reuelanda, Cap. 6.

O creator & reformator meus Domine Iesu Christe qui neminem vis perire, nec lætaris in perditione animarum, audi me nefandissimum peccatorẽ. In vespera vitæ meæ positus sum, plenus viciis & peccatis non paucis, sed innumerabilibus: nõ modicis, sed maximis. cor meum à conscientia pulsatur: fallax mũdus in quo dormio, deficit, corpus ruinam minatur, vita breuis est, finis dubius exitus horribilis. Mors me vndiq; expectat, mihi diabolus insidiatur. Tẽpus trãsit, iudiciũ tuũ appropinquat. Te & omnia alia contra me prouocaui, quia nihil mihi inoffensũ reseruaui, imò te vocantẽ me ad vitã effugi, & hostem me ad mortem persequẽtẽ suscepi. Torquet me cõscientia mea, terret me futura dãnatio quã merui, & quam ex actibus meis euitare non valebo. Si me cõsidero, horror mihi est intolerabilis, si me non respicio, mors mihi est ineuitabilis, fugere nõ possum, cõparere nõ audeo, quia tot accusatores habeo, quot peccata. Tu es iustus accusator meus, tu es verax testis actuũ meorũ, tu es rectus iudex meus. Tui cõiudices me accusant, tui & mei inmici cum quibus amicitiã inij, mei sunt accusatores importuni. Nemo pro me loquitur, aut loqui audet. Qui me iuuare poterant, ignominiose abieci, & meos impugnatores in sinũ meũ recepi. Nũc solus prostratus iaceo, omni auxilio destitutus, & à quolibet cõfusus & derisus. In proximo est dies tui tremẽdíque iudicij, in quo omnia facta mea vsq; ad animæ cogitationẽ discutiẽtur, reuelabitur ignominia mea, & videbitur opprobrium meum, quia arbor sterilis & infructuosa fui, in ignem æternũ proiectus ardebo, & ab his quib. me sociaui, cruciabor: qui data sententia dãnationis æternæ rapient me & sine interuallo & absque fine crudeliter tormenta ministrabũt, à quibus in æternũ nõ cessabũt, nec vlla amplius misericordiæ via mihi patebit. Nihil .n. mihi supersit nisi exuberãs misericordia tua, in illa & per illã respiro, quia benignus & misericors es, nec vis mortẽ peccatoris. Memor esto quod creator meꝰ es tu, & ego creatura tua, ne perdas opus tuũ propter peccata mea. Tu es redemptor meus & saluator. Salua igitur me peccatorem per gratiam tuã, quam damnare potes per iustitiam: es misericors erga miserum, da pœnitenti veniam, & noli secundum mea demerita ferre sententiam. Sed sicut tua misericordia principium vitæ meæ præuenit, sic finem eiusdem cõcludat, & mecũ perpetuo maneat

C

D

E

Deploratio ad veniam obtinendam. Cap. 7.

O misericors & miserator Deus, quis miserebitur mei, quis auxiliabitur mihi, aut quis consolari me valebit, nisi latitudo charitatis tuæ, altitudo potentiæ tuæ, longitudo meritorum passionis tuæ? Nam dum cogitata perpendo, & perpetrata mente reuoluo, hebetudine cordis deficio, obtenebratur mihi animus qui in stuporem vertitur, & dolore conficitur, quia veste innocentiæ (qua, tua gratia indutus fueram) penitus reiecta, veste iniquitatis à bonis despecta, me à planta pedis vsque ad verticem capitis cooperui impudenter, qua me formatum deformaui, quia similis tibi eram, & factus sum tibi dissimilis. Prostratus sum & elisus, & non possum me erigere, nec respicere sursum, Villicus sum iniquitatis, apud te multipliciter diffamatus, quia dissipaui bona naturæ, gratiæ, & fortunæ, pauper & spoliatus sum, viuendo iniquè, Hic fame pereo, & egestate laboro. Surgo igitur & venio ad tuam misericordiã, & dico corde lachrymanti & pœnitenti: Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, *peccaui in cœlũ & coram te, & substantiam* naturæ, gratiæ & fortunæ, tanquam prodigus *expendi viuendo iniquè, non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnũ de mercenariis tuis*. Recipiat me misericordia tua ad osculum, da mihi vitulum saginatum, scilicet tuam gratiã qua anima mea impinguetur: da mihi lachrymas tibi placentes, & ad te habentes liberum ingressum, quæ longè recesserunt à me. Ne obliuiscaris me, nec auertas faciem tuam à me, illumina oculos meos, & ostende mihi faciem tuam. Veni ad me, quia longè recessi à te. Doce me venire ad te. Ad te enim venire non possum, nisi tu doceas me, quia tu es via. Procul fac à me omnẽ errorem, quia tu es veritas. Libera me à morte repẽtina & æterna, quia tu es vita. Tu qui es misericors, non permittas me à tua misericordia fieri alienum, & qui expectas ad pœnitentiam peccatorem, benignè suscipe ad te reuertentem. Veniat super me misericordia tua ignosce mihi per clementiam tuam, ne vltionẽ tuam in perpetuum sentiam. Non te ostendas mihi durum, qui me inæstimabili pretio redemisti. Audi me clamantem, & aperi ostium pulsanti. Non abiicias creaturam tuam quam misericorditer creasti. Si ex malitia mea recessi à te, fac vt benignitas tua reuocet me ad te, vt per pœnitentiæ dolorem, consequar à misericordia tua, quod per baptismum mihi clementer concessisti, vt quum dies exitus vitæ meæ aduenerit, tu mihi pius iudex & propitius defẽsor sis, vt qui tibi in hoc mũdo fui seruus inutilis, in tua beatitudine & felicitate perpetua, ineffabiles laudes tuas concinam, & facie ad faciem te intuẽs, tibi vtiliter seruiam, te laudem, honorem & glorificem per infinita sæculorum sæcula, Amen.

Luc. 16. Luc. 15.

A B C D E

IDIOTÆ VIRI SANCTI, DE CONTEMPLATIONE *Mortis, Liber. V.*

Quid sit, mors. Cap. 1.

MOrs dulcissime Domine Iesu Christe, nihil aliud est, quàm finis, & defectus vitæ, quando scilicet anima desinit corpus viuificare. Mors nanque Domine, non est aliquid

Sap. 1.

positiuum, sed priuatiuum: tu enim Domine mortem *non fecisti, nec lætaris in perditione viuorum*. Verùm sicut cætera omnia quæ sunt hic, naturaliter corruptioni obnoxia sunt, vt patet in animalibus, arboribus & fructibus. (Hoc autem facit contrarietas quatuor elementorum, quorum vnum continuè agit in alterum, & proinde necesse est quod corruptio sequatur, & quòd res deficiant, quia scriptum est: *Opus corruptibile in fine deficiet:*) ita nos quoque, quia ex elementis contrariis constamus, ideò varietati & mutabilitati subiecti sumus: vanitati nanque subiecta est omnis creatura. Hinc est quòd necesse est omnes homines per mortem corrumpi & deficere, & multiplici subiacere miseriæ. Sicut enim Domine Iesu Christe, omnes stellæ quæ ab oriente veniunt, quamuis sint magnæ claritatis & virtutis, tendunt tamen ad occasum, & ibi secundum diuersos circulos, aliæ tardius, aliæ ocyus sese à nostris aspectibus abscondunt: sic etiam homines vniuersi qui ab oriente, id est, per natiuitatem intrant in mundum, quamuis ibi aliquandiu rutilent & claresçant, necesse tamen est quod tandem ad occasum mortis, alij tardius, alij citius secundum cursum durationis quem à te acceperunt veniant, decidántque, & à mundi aspectibus sese subtrahant & recedant. In Adam nanque Domine, id est in peccato Adam, *omnes moriuntur*, nisi tu qui omnia potes, aliter ordines. O misericordissime Domine Iesu Christe, scio quòd mortem naturalem nõ possum euadere. Cuius memoriam etsi quandoque habeam in mente, & me moriturum veraciter credam, quia tamen eam tanquàm fatuus, imò tanquã demens, quasi procul sit, considero, vitam meam miseram emendare negligo, & conuersionem meã differo, ac in voluptatibus & delectationibus corporalibus, peccatísq; variis & diuersis tempus meũ miserabiliter expendo & consumo, vix de anima mea ac tuo beneplacito aliquantulum cogitando. Adiuuet me tua misericordia Domine Iesu Christe, & secundum peccata mea non retribuas mihi, sed ignoscere mihi digneris, vt anima mea, cum mors eam à corpore separabit, te adiuuante ad regnum tuum, vbi tua sola voluntas fit & tuum beneplacitum, perueniat sempiternum, Amen.

1. Cor. 15.

De origine mortis. Cap. 2.

Peccatum præcessit Domine Deus me⁹, & secuta est mors: quod sanè si cauisset homo, in æternum mortem non gustasset: peccando itaque vitam amisit, & mortem inuenit, quoniam tu Domine ita prædixeras. Et iustum quidem erat, vt si peccaret homo, moreretur, tu siquidem Domine, vita es animæ, & anima est vita corporis: peccando igitur voluntariè, nolẽs desiit viuere, & spontè repulit vitam quã voluit viuere. Noluit regi à te Domine, ideò per se regere corpus nõ potest: & quia non paruit tibi suo superiori, suo inferiori imperare nõ valet: tu nãque omniũ conditor, tuam inuenisti creaturã tibi rebellẽ, & ideò Anima eius inuenit pediſſequam suam, id est carnem sibi rebellem. Quia verò non potuit diuidi à te Domine, Anima, nisi peccãdo, neq; corpus ab ipsa Anima nisi moriendo, nihil profectò congruentius est, quã vt mors operata sit mortem, spiritualis corporalem, culpabilis pœnalẽ, & voluntaria necessariam. Cum igitur benignissime Domine Iesu Christe, hac gemina morte secundum naturam vtramque homo damnatus esset, altera quidem spiritali, culpabili & voluntaria: altera verò

verò corporali, pœnali & neceſſaria, vtriq; tu Deus homo, vna tua corporali, pœnali, ac voluntaria, benignè ac potenter occurriſti, & per tuam mortem, noſtrã deſtruxiſti. Sed ego impiiſsimus & ſceleratiſsimus peccator, tuam gratiã & clementiam non agnoſcẽdo, neque tibi pro tãto beneficio redẽptionis, gratias humiliter agendo, peccata multa enormia & nefanda frequenter & volũtarie cõmiſi, ob quæ vtraque mors iuſtè & dignè mihi debetur, & merui vt corpus vermibus, & anima ignibus deputetur. Verũ benigniſſime Domine Ieſu Chriſti, in tua immẽſa miſericordia cõfido, quę lõgè maior eſt quã iniquitas mea: téq; humiliter rogo, vt mihi digneris miſericorditer ignoſcere, peccata clementer remittere, & gratiam bene hic viuendi concedere, vt anima mea à morte, tua miſericordia & magno tuæ mortis beneficio, præſeruetur æterna, Amen.

Statutum eſt piiſſime Domine Ieſu Chriſte, *hominibus ſemel mori*. Statutum quidem in pœnam grauiſſimam, propter peccatum primorum parentum. Iſta nanque Domine eſt lex ligans hominem, quæ nunquam habuit, nec habitura eſt ſaltem quantum ad curſum communem, in aliquo exceptionem. Iſtam enim mortalitatẽ, id eſt, moriendi neceſſitatẽ, trãſfuderunt primi parentes in poſteros, quia peccauerũt: ſicuti è diuerſo immortalitatem transfudiſſent ſi non peccaſſent. Mortis autem modus, eſt ſubitus & imperceptibilis, nihilque certius eſt morte, hora autem mortis ac loco & modo nihil incertius. Neſcit enim Domine Deus meus, homo finem ſuum, nec quantum ad tempus, nec quantum ad locum, nec quantum ad modum. Quis enim benigniſſime Domine, poteſt ſcire quando morietur, vel vbi, vel qualiter, vtrum ſcilicet benè an malè? Certè Domine Ieſu Chriſte, nemo. Ideò ſcribitur: *Non verearis iuſtificari vſque ad mortem. A mane enim vſque ad veſperam mutabitur tempus, tempus quidem viuendi, & tempus moriendi, tempus merendi, & tempus mercedem recipiendi*, Viuens ergo & ſanus, Domine, debet homo confiteri tibi, & conuerti ad te, & non expectare vſque ad horam mortis, quia ſubitò veniet mors, cuius morſus eſt rapidus & incurabilis, quia homo quum mortuus fuerit, hæreditabit beſtias ſerpentes & vermes: beſtiæ nanque deuorabunt corpus, ſerpẽtes verò & vermes ipſum corrodent, & in ipſo requieſcent. O peccati ſtipendium. O naturæ debitũ O ineuitabile iudicium. Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur: omnes enim homines vadunt ad mortem, & ſubter terram manent, & nullus inde reuertitur ſuper terram. O miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, caſus iſte naturæ, qui eſt mors, valde horribilis eſt, plenúſque omni calamitate & miſeria. Hunc caſum ineuitabilem Domine, ego miſerabilis peccator, non præuidi, imò vt verius loquar, præuidere non curaui, abſtinendo à vitiis & peccatis, & inhærendo bonis operibus & virtutibus, & diſponendo me ad ſuſcipiendum hunc caſum cum innocentia & puritate mentis. Succurre igitur mihi clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, & parce mihi quia nihil ſunt dies mei. Concede mihi gratiam vt continuè viuendo & moriendo, te verum Deũ gnoſcam, & te agnoſcendo, laudando, & glorificando vitam mihi acquiram ſempiternam, Amen.

Quod neceſſarium eſt mori. Cap. 3. Hebr. 9. Iſai. 38. Eccle. 10. & 41.

Aſſidua memoria mortis benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, prodeſt ad hominis humiliationẽ. Vnde antiqui volentes ſe humiliare, ponebant cineres ſuper capita ſua, in memoriã mortis, & quòd in cinerem redigerentur, ſicut ſcribitur: *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris*. Et alibi: *Quid ſuperbis terra & cinis?* Prodeſt etiam Domine Ieſu Chriſte, memoria mortis, ad fugienda peccata, nihil enim tam reuocat à peccato quàm frequẽs mortis cogitatio ſicut ſcribitur: *In omnibus operibus tuis memorare nouiſsima tua, & in æternum non peccabis*. Qui enim recolit mortem, cogitare debet quòd peccatum cauſa eſt mortis, quia ſententia data fuit Adæ, *quòd quacunque die de fructu vetito comederet, moreretur*. Et alibi: *Sordes eius in pedibus eius, quia non eſt recordata finis ſui*. Prodeſt inſuper Domine Ieſu Chriſte, ad deprimenda carnalia deſideria, & ad abigendas tentationes varias & diuerſas quæ ſeparant animam à te, nihil enim tãtum valet ad domãda deſideria, quantum cogitare, qualis ſit ipſa futura mors: Prodeſt etiam Domine Ieſu Chriſte, ad erogationem eleemoſynarum: nõ enim ſunt Domine bona hominis quæ ſecum ferre non poteſt: ſola nanque miſericordia comes eſt defunctorum. Sed ad quid prẽterea piiſſime Domine Ieſu Chriſte prodeſt? Certè ad prouocandum & inducendum peccatorem ad veram pœnitẽtiam. Nam quum audiſſet Ezechias rex, quòd mori deberet, fleuit amarè, & tunc tu Domine, mortis ſentẽtiam prorogaſti, & alias gratias ei feciſti. Rex etiã Niniuæ audiẽs quod ciuitas ſubuerti debebat, iuduit ſe ſacco, & egit pœnitentiam, & tunc Domine ſententiam ſubuerſionis reuocaſti. Quanto igitur Domine, homo magis appropinquat, tanto magis debet bona agere, & de peccatis cõmiſſis humiliter pœnitere. Sed ego indu ratus peccator hoc ſciẽs pœnitere non curo, ſed in peccatis perſeuero, de quibus nõ doleo. Cõpellas igitur piiſſime Domine Ieſu Chriſte, cor meũ durũ ad verã penitentiã, & ignoſcere mihi clementer digneris, vt memoriam mortis ſemper habẽdo à vitiis ceſſem, & pro tui nominis gloria bona agam, vt te iuuante mortem non ſentiam ſempiternam, ſed vitam in laude tua nunquàm morituram, Amen.

Ad quid profit memoria mortis. Cap. 4. Gene. 3. Iob. 34. Sap. 2. Gen. 2. Iſ. 4. 7. 2. Pa. 32. Ioa. 3.

Præuidenda eſt & conſideranda clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, mors ꝓpria, ne præoccupemur. Bonorum, vt ad bonum animemur; Malorum, vt in noſtris affectibus temperemur. Eſt nanque Domine Ieſu Chriſte, conſideratio mortis noſtræ, vtilis ad noſtram præmunitionem, *quia iacula præuiſa minus feriunt*. Et ideò ſi mortem cogitando præuiderimus, minus ſua percuſſio cum ipſa venerit, nos grauabit. Talis enim conſideratio inducit humilitatem, & cauſat ſecuritatem, quia ſi mors continuè præuideatur, ſecurius expectatur, ſicut ſcribitur: *Effice tibi mortem cogitatione familiarem, vt ſi tua ſors tulerit, poſsis obuiam ei exire: eſt nanque magna ſapientia, frequenter cogitare de morte*. Conſideratio mortis bonorum, Domine Ieſu Chriſte, eſt vtilis ad noſtram animationem, quia boni qui mortui ſunt, in te ſperauerunt, & contra hoſtes animæ fortiter dimicarunt, & ideò talium exempla nos ad ſimilia animare debent, & ſimilibus de cauſis conſolari, vt ſic quilibet poſſit cum ſibi ſimilibus dicere: Vadamus, moriamur cum eo. Conſidera-

Quod mors debet præuideri. Cap. 5. Ioan. 11.

tio etiam mortis malorum Domine Iesu Christe, est vtilis ad nostram cautionem, vt desistamus à cõcupiscẽtiis, ne vt & illi, prẽoccupemur vinculis mortis. Et ideò Domine Iesu Christe, mors tam nostra quã aliena prægitari & memoriæ mãdari debet, quia Eccl.14. scriptum est: *Memor esto, quoniam mors non tardabit.* O misericordissime Domine Iesu Christe, quanta miseria & iniquitate plenus sum ego pessimus peccator, qui cogitationes & considerationes meas non habui circa mortem propriam, neque circa alienã, sed potius circa mundana & vana, circa voluptates & delectationes corporales, circa otiositates & negligentias, & circa vitia & peccata enormia. In his enim tempus vitę meæ mirabiliter consumpsi. Adiuuare ergo me dignetis piissime Domine Iesu Christe, & concedere mihi gratiã vt de peccatis cõmissis doleam, & totis viribus satisfaciam, & ad tuũ beneplacitum semper viuam studiose operando, vt mortem præuidendo temporalem, ad laudes tuas curram in vitam sempiternam, Amen.

Quid operetur bona mors. Cap. 6. Philip. 1. 1. Cor. 9.

Lucrum est, mori, clementissime Domine Iesu Christe, homini qui bona morte moritur. Nam per bonam mortem commutat homo timorem in securitatem, & ideò scribitur: *Melius est mihi mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Gloria cuiuslibet hominis Domine, est sanctitas vitæ, quæ citò in hac vita fragili perdi potest, vtpote per vnum consensum peccati mortalis. Quandiu igitur Domine Iesu Christe, homo viuit, quantumcunque sit sanctus in periculo est vt euacuetur gloria sua, id est, vt perdat sanctitatem suam, sed per bonam mortem euadit omne periculum amittendi gratiam tuam. Mutat itaque Domine timorem in securitatem. Et propter hanc commutationem, Helias petiit, *animæ suæ vt moreretur*: erat enim in timore maximo, fugiens Iezabelem. Mutat enim piissime Domine Iesu Christe, homo per bonam mortem laborem in tranquillitatem, quia scriptum est: Ecc. 30. *Melior est mors* (scilicet bona) *quam vita amara: & requies sempiterna, quam languor perseuerans.* Heu Domine Iesu Christe: tota vita præsens & misera, amaritudinibus respersa est, laboribus inquieta, solicitudinibus turbulenta, & languoribus plena. Ergo Domine melius est bene mori, & bene moriendo statim euolare, vel saltem appropinquare, & intrãdi securitatem habere, ad locum refrigerij, lucis, & pacis, & sempiternæ quietis: quàm in hac vita in qua ista mala sunt, diutius esse. Propter istam namque commutationẽ, sanctus ille Ionas quando erat Ionæ 4. in labore & sudore, dicebat, *Melius est mihi mori, quã viuere.* O benignissime Domine Iesu Christe: fac sentiam ego miser peccator suauitatem tui dulcissimi amoris, & remitte mihi misericorditer peccata mea quæ commisi. Concede mihi ex benignitate tua bene viuere: vt bene moriar, & mors sit mihi lucrum non damnum: vt te auxiliante à secũda morte non lædar, sed in vita tibi gratias agam, te laudem, te glorificem sempiterna, Amen.

Rursum, quid operetur bona mors. Cap 7.

O clemẽtissime Domine Iesu Christe, te miserãte & iuuante, commutat homo per bonam mortem inopiam in satietatem, quia scriptum est: *Melius est mori, , quàm indigere.* Sed heu piissime Domine Iesu Christe, quamuis indigentiis bonorum tam spiritualiũ quàm corporalium, seu temporalium viator subiicitur: huic nihil (quantæcunque sit excellẽtiæ in diuitiis & opibus, & complacentiæ in delectationibus) potest sufficere & eius desiderium quietare: Ergo Domine, melius est eas commutare, & benè moriendo illuc intrare vbi est omnis excellentia bonorum, & superabundantia bonorum, vbi erunt *delectationes in dextra tua vsque in finem*, id est, sine fine, Psal. vbi tua Diuinitas videbitur, amabitur, & perpetuò tenebitur. Propter hanc commutationem Domine, scilicet egestatis in satietatem, dicebat sanctus ille Tobias, in maxima paupertate constitutus: *Expedit mihi magis mori quàm viuere.* Commutat etiam Domine Iesu, bene moriendo, tristitiam in iucunditatem, sicut scriptum est: *Melius est nobis mori in* 1. Mac. 3. *bello, quàm videre mala gentis nostræ & sanctorum.* Heu Domine, quot mala sunt in mundo? Ecclesia est diminuta, Christianitas conturbata, & quæ erat longè latéque per orbem diffusa, nunc est ferè ad vnum occidentalẽ angulum redacta. Impij dominantur, boni tribulantur, & mala sine numero multiplicantur. Melius est ergo commutare statũ benè moriendo, & transire statim ad locum vbi propter sublimitatem & æquitatem iudicis, nihil erit confusum, nihilque turbulentum, aut quod possit aliquam tristitiam ingerere, quàm esse diutius in hoc mundo. Propter hanc commutationem, scilicet tristitiæ in iucunditatem Domine, dicebat Apostolus, *quòd cupiebat dissolui, & esse tecum.* Ergo Philip. 1. etsi mors corporis sit, quantum est, de se, multum formidabilis, tamen bona mors, propter istas commutationes est multum optabilis, quia per ipsam tanquam per ianuam intratur ad vitam. Idcircò ô mitissime Domine Iesu Christe, ex tua exuberanti misericordia tribue mihi gratiam bene moriendi, vt ad vitam indeficientem te authore tua laude perenni perueniam, Amen.

Quid mors debet cum patientia sustineri. Cap. 8.

Homo moriturus benignissime Iesu Christe, non magis contristari aut conqueri debet, si ad mortem peruenit, quam nauigans si ad portum ad quem nauigabat, celerius quàm credit pertingit. Est enim Domine Iesu Christe mors, portus ad quem continuè nauigamus: & ideò si ventus & casus fortuitus, subitò & ex insperato ad illum portum perducit: dolere non debet homo, sed potius cum patientia tolerare. O clementissime Domine Iesu Christe, erubescentia confundor in meipso, dum considero quòd cum patientia mortem sustinere non possum, prout frequenti cogitatione mente reuolui: dum enim sacras scripturas lego & exempla multorum, grauius in animo cogitationem meam impatientem fero. Lego Eleazarum 2. Mac. 6. propter obseruationẽ legis antiquæ, magis gloriosam mortẽ, quàm odibilẽ vitam amplectẽtem, voluntariè iuisse ad supplicium. Lego Socratem condemnatum ad mortem, quia insciti am aliorũ carpebat, qui licet pro pecunia liberari potuisset, maluit tamẽ mortẽ sustinere, & de morte vsq; ad mortem cũ discipulis disputauit. Multi quoque alii philosophi, mortẽ patienter sustinuerunt, vitam præsẽtem & miserabilem contemnendo, Sancti etiam in nouo Testamento, & præcipuè Martyres, pro honore nominis tui Domine Iesu Christe, mortẽ patientissimè sustinuerunt, & cũ gaudio ac libẽti animo receperunt. Multi denique alii quotidie moriũtur, qui

657

tur, qui mortem cum patientia ſuſcipiunt, conſide-
rantes quòd quicquid futurum neceſſariò eſt, hila-
ri animo ferri debet. O piiſſime Domine Ieſu Chri-
ſte, ſi multi & diuerſi innocentes mortem cum pa-
tientia tolerant: quid de me iniquiſſimo peccatore
fiet, qui non ſum innocens, ſed multis & variis pec-
catis ac vitiis inuolutus? Certè cum magna patien-
tia mortem expectare deberem, quia mors propter
peccatum mihi debetur: & ſic, ſi poſſibile eſſet non
vna morte, ſed pluribus eſſem dignus. Adiuua me
igitur miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, &
reſpice me non ſecundum peccata mea, ſed cum in-
finita miſericordia tua, mihi peccata remittendo
clementer, vt ſic vitam meam ordinando, diſponē-
do, & emendando tranſigam, vt in fine mortem pa-
tienter ſuſtinendo, vitam in choro te perēniter lau-
dantium conſequar ſempiternam, Amen.

Quid mors deberet formidinem non timeri. Cap. 3. Sap.

Mors non eſt timenda viro iuſto, mitiſſime Do-
mine Ieſu Chriſte, tum quia certa & neceſſaria, tū
quia breuis eſt & tranſitoria, tum quia vtilis eſt &
meritoria. Certa eſt mors Domine, ſicut ſcriptum
eſt: *Omnes in Adam moriuntur.* Eſt etiam breuis & trā-
ſitoria, quæ timenda eſſet, ſi nobiſcum ſemper eſſe
poſſet: ſed neceſſe eſt aut quòd nō veniat, aut quòd
veniat & tranſeat. Eſt inſuper Domine Ieſu Chri-
ſte vtilis ac meritoria: quia mors nihil aliud eſt quā
carceris finis & laboris conſummatio, ad portum
applicatio, peregrinationis adimpletio, oneris gra-
uiſſimi depoſitio, de equo furioſo deſcenſio, de do-
mo ruinoſa liberatio, omnium ægritudinum termi-
natio, omnium periculorum euaſio, omnium ma-
lorum conſumptio & diruptio, debiti naturæ ſolu-
tio, reditus in patriam, ingreſſus in gloriam. Ideò
ſcriptum eſt: *Melior eſt dies mortis die natiuitatis, quare
noli metuere iudicium mortis.* Sed benigniſſime Domi-
ne Ieſu Chriſte, loquitur Scriptura de viris iuſtis
non de iniuſtis, de quorum numero ego miſerabilis
peccator ſum, qui mortem meritò timere debeo, cū
ignorem ad quem locum per ipſam iturus ſim. Ideò
illi dicere poſſum Domine Ieſu Chriſte: O mors
quam amara eſt memoria tua homini iniuſto. A-

Mors peccatoribus timenda.

mara nanque eſt Domine & terribilis, abundanti-
bus iniquitate, affluentibus proſperitate, deficien-
tibus bonitate, carentibus aduerſitate, & non lan-
guentibus infirmitate. O piiſſime Domine Ieſu
Chriſte: quanta cordis amaritudine repleri debeo,
qui abundo iniquitate, affluo terrena proſperitate,
careo bonitate & ferè aduerſitate, nec diuturna af-
fligor infirmitate? Nonne ſic amaram & terribilē
mortem timere debeo? Sed miſericordiſſime Do-
mine Ieſu Chriſte, bonitatem & clementiam tuam
humiliter oro, & vtinam exorem: vt ignoſcere mi-
hi digneris, & compati fragilitati meæ. Dirige me
in beneplacito tuo, vt exemplo formicarum indu-
ctus, quæ colligendo grana præcauent ſibi contra
futuram hyemem: ſic pręcaueam mihi contra futu-
ram mortem, virtutes & gratias, ac etiam bona ope-
ra te adiuuante aggregando, vt mortem, cum vene-
rit, non timeam, ſed ad tuam gloriam miſericordi-
ter perueniam ſempiternam, Amen.

De mortis horribili memoria. Cap. 10.

Quocunque ſe vertat homo, mitiſſime Domine
Ieſu Chriſte, ſemper habet mortem præſentē, mors
vbique nos expectat, vbique nos inuadit. Noſtrum
viuere, eſt mori, nam prima die natiuitatis noſtræ,
vita noſtra longior eſt quam vnquam poſtea futura
ſit: quotidie enim, ſingulis horis, demitur aliquid de
illa longitudine curſus noſtri. Et hinc eſt Domine
Ieſu Chriſte, quòd quanto plus viuimus, tanto ma-
gis vita noſtra minuitur. Quotidie nanque mori-
mur, & vnum diem de vita noſtra mors ſubtrahit
nobis & furatur: & ideò Domine dum creſcimus,
vita noſtra decreſcit. Infantiam amiſimus, deinde
pueritiam, poſtea adoleſcentiam: ſed & hunc ipſum
quem agimus diem, cum morte diuidimus. Ecce
benigniſsime Domine Ieſu Chriſte, quanta ſit no-
biſcum præſentia mortis: cum qua etiam quotidie
vitam noſtram partimur, mors enim Domine, vitā
noſtram dilabi velut aquam, facit. Sicut enim aqua
congelata propter feruorem ſolis liquefieri ſolet, &
in terram & lutum dilabi: ſic vtique Domine Ieſu
Chriſte, noſtra fragilis & aquea conditio, quæ ni-
hil aliud eſt quàm carnea quædam moles aliquan-
tulum coagulata, quando feruore mortis percuti-
tur & vrgetur, neceſſario diffluit, & in terram deci-
dit & mutatur, vt dicere queat vnuſquiſque: *Sicut a-* Pſal. 21.
qua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea, de terra
enim facta ſunt hæc omnia, & in terram pariter re-
uertentur. Et ſicut aqua dilabens in terram à terra
abſorbetur, ita quòd amplius nō videtur: ſic homo
in terram per mortem cadens, ita conſumitur &
deſtruitur, quod nunquam amplius in hac mortalis
ſortis conditione inuenitur. Et *quis eſt homo* Domi- Pſal. 88.
ne Ieſu Chriſte, *qui viuit & non videbit mortem?* Certè
nullus. Nam à muliere initium factum eſt peccati,
& propter ipſam omnes morimur. O piiſsime Do-
mine Ieſu Chriſte, reſpicere oculo pietatis & miſe-
ricordiæ me nefandiſsimum peccatorē, & compati
mihi dignare: quia licet mortem & eius præſentiam
frequenter cogitauerim, & te etiam iuſtum iudicē
eſſe non ignorauerim, tamen ob id nolui deſiſtere
à vitiis & peccatis, ſed in ipſis miſerabiliter corruē-
do perſeueraui. Et idcirco miſerere mei clementiſ-
ſime Domine Ieſu Chriſte ſecundum magnam mi-
ſericordiam tuam, vt te miſerante, mortem euadam
ſempiternam, & vitam inueniā in tuo ſeruitio per-
petuam, Amen.

Quòd mors eſt timenda tanquàm dubia. Cap 11. Eccleſ. 9.

Nemo ſcit benigniſsime Domine Ieſu Chriſte v-
trum odio an amore dignus ſit: ideò mors eſt timē-
da tanquam dubia: nam ſi mihi certo conſtaret Do-
mine, quod in puncto mortis crediturus eſſem in
te, id eſt habiturus eſſem fidem viuam, & formatam
charitate, ac operantem per dilectionem: non dubi-
tarem quin mors mea, futura eſſet bona, & fœlix
tranſitus ad vitam æternam, ſed mihi non conſtat
certò, quod habeam, aut habiturus ſim tunc fidem
viuam, formatam charitate ac operantem per dile-
ctionem. Quamuis mihi certò conſtet, quod fidem
habeo per quam credo. Nemini autem, nec de ſe,
nec de alio, certò conſtat, quod fidem habeat per
quam credat in te, formatā charitate, ſine qua mors
hominis bona eſſe non poteſt, quia nemini certum
eſt, ſe aut alium, charitatem habere. Et ideò Do-
mine, quamuis homo de ſe & de alio quòd talem
habeat fidem, per multa ſigna veriſimiliter conie-
ctare poſsit: nullam tamen de illa certitudinem ha-
bere poteſt, niſi per te miſericorditer ei reueletur.
Et ſic Domine, cuilibet homini mors ſua & cuiuſli-
bet alterius dubia eſt, quia nullam habet certitudi-

nem de fide prædicta, quamuis de bonitate hominis probabiles coniecturas habere possit: Quapropter mors hominis est multum timenda. Sed heu miser & miserabilis ego peccator quid faciam Domine Iesu Christe, quia non solum coniecturas sed etiam certitudinem habeo, me non habere charitatem aut fidem viuam, formatam charitate, sed multa & innumerabilia peccata, non leuia quidem illa, sed & grauia, immò grauissima, in quibus vixi, & perstiti per totam ferè vitam meam, saltem ex quo mihi intellectum tribuisti, & cognitionem! discernendi inter bonum & malum, vitam & mortem. Auxiliari igitur mihi digneris tu auxiliator misericordissime, ignoscendo & remittendo peccata mea nefandissima quę commisi, vitam & exitum ab hac vita bonum mihi concedere, vt tecum per charitatem formatam, viuam per infinita seculorum secula, Amen.

Quòd mors simpliciter est timenda. Cap. 12.

Tu benignissime Domine: dum morti propinquus fuisti, cœpisti pauere & tædere, & dixisti: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Timuisti igitur dulcissime Domine Iesu Christe, & tristis fuisti quodã timore, & tristitia quadam naturali quæ tantum fuit in appetitu sensitiuo, nec in aliquo tetigit appetitum rationalem, secundum quem conformabas te voluntati Patris, dicens: *Non quod ego volo, sed quod tu.* Si igitur piissime Domine Iesu Christe, timuisti mortem, eo modo quo dixi, quæ erat patri tuo gratissima, & generi humano fructuosissima: ego miserrimus & sceleratissimus peccator mortem valde timere debeo, præsertim quia nescio in quo statu & quomodo moriar. Nam Domine Iesu Christe, in articulo mortis, nisi tu auxilieris, diabolus quàm maximè potest homini insidiatur tentãs eum super omnia, de veritate fidei, & suadens ei infidelitatem & desperationem. Is enim, etiam beato Martino in exitu eius astitisse legitur. Cui beatus Martinus dixit: Quid hìc astas cruenta bestia? nihil in me funestum reperies, sed sinus Abrahæ me recipiet. Immò verò, quod maius est, te patiente in cruce, idem astitit credens, aliquid de suo in tua beatissima anima reperire, sicut scribitur: *Venit princeps mundi huius, & in me non inuenit quicquam.* O misericordissime Domine Iesu Christe, dum ista lego, dum ista cogito & mente sæpius reuoluo, magna timoris anxietate quatior. Timeo nanque illum diem, expauesco horam, horresco insidiatoris dolosi præsentiam: quia quærit animam meam, vt eam secum perducat in damnationem æternam. O clementissime Domine & redemptor: quam ex immensitate misericordiæ tuæ, tuo preciosissimo sanguine redemisti, eam custodi assiduè, & præsertim in illo puncto mortis per tuam maximam pietatem, ne inimicus in ipsa aliquid valeat vsurpare, sed merita tuæ sacratissimæ passionis defectus eius suppleant, vt tua sancta protectione, cum æterna laude gloriam tuam possideat sempiternam, Amen.

Ioan 14.

De potentia mortis. Cap. 13.

Insuperabilis est potentia mortis piissime Domine Iesu Christe, quia non vnum solum sed omnes superat: scilicet fortes & debiles, lętos & tristes, egenos & diuites, incolas & aduenas, iuuenes & senes, bonos & malos, viros & mulieres. Et vt omnia flumina intrant mare: sic quotquot in hãc fluctuosam vitam veniunt, mare, id est amaritudinem mortis necessario subintrant, mors enim, est omnium pœna, omnium tributum, omnium carcer, omnium domina, omnium receptaculum. Et sicut mare est hospitium omnium fluuiorum: sic mors est finalis repositio omnium mortaliũ, & ideò scribitur: Scio quòd morti trades me, vbi cõstituta est domus omnium viuentium. Hanc autem mortem benignissime Domine Iesu Christe, nec potẽtia fortiores, nec scientia doctiores, nec pecunia ditiores, nec eminẽtia digniores superare valent, quia moritur robustus & sanus, doctus pariter & indoctus, diues & egenus: sic quòd nulla ætas, nullus sexus, nulla conditio mortem euadere queat, quæ incessanter quotidie homines deuorat & suis legibus subiugat. Nec iuuare potest hominem amicorum turba, non familiæ multitudo, non auri vel argenti plenitudo, non vindemiarum vbertas, non densitas segetum, non iucunditas pratorum, non aliud quicquã. Non enim mors inopiæ parcit, non diuitias reueretur, non defert generi cuiusquam, non moribus, nõ ipsi denique ætati: vbique enim senibus est in ianuis, iuuenibus in insidiis. O misericordissime Domine Iesu Christe nulla arte mundi hanc mortem naturalem euadere possum, sed me semper sequitur, & insidias mihi parat quocunque vadam, & quicquid cogitem, dicam, aut faciam, mihi minatur, propinquum aduentum suum mihi ostendit, per multiplicitatem diuersorum signorum. Succurre mihi misericorditer benignissime Domine Iesu Christe, parcendo peccatis, concede mihi vt peccata præterita, toto corde defleam & expurgem, & à futuris abstineam corde & opere, vitam præsta puram, iter para tutum, vt cum naturalis mors aduenerit, cum magna patientia eam suscipiam, & te semper agnoscam: à deceptione spirituum malignorum me defende, vt anima separata à corpore, ad tuum regnum cum perenni laude perueniat sempiternum, Amen.

Qua sit incertitudo mortis. Cap. 14.

Incertus est status hominis in morte, piissime Domine Iesu Christe: Nescit enim homo in quo statu moritur, scilicet bono an malo, & qualem mors inuenit hominem, talem homo inuenit mortem. Nescit quoque homo vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum reseruãtur incertum. Incertus est etiam locus mortis, quia nescit homo, quo in loco morietur, quia mors insidiatur homini in omni loco, & in omni loco hominem expectat. Incertum est item Domine genus mortis: vtrum scilicet, gladio, igni, aqua, an alio mortis genere quis moriatur: nescit enim homo finem suum, sed quẽadmodum capiuntur pisces hamo, sic capiũtur homines in tempore malo. Hora denique ipsius mortis incerta est, & ideò præcipis Domine vigilare, dicens: *Vigilate vtique, quia nescitis diem neque horam*, scilicet mortis. Nam ventus est vita nostra, quia inuisibiliter & incessanter & sine reditu transit, & comparatur vmbræ, quæ semper sequitur corpus. *Dies enim hominis, sicut vmbra declinant.* Nec est aliud vita præsens, quàm cursus ad mortem, & quamuis homines laborent, vt diu viuant, & ne ad terminum vitæ perueniant: nihil tamen est Domine viuere nisi ad finem currere. Quare ipsi ambulant quò peruenire nolunt, & currunt voluntarij ad terminum, quem refugiunt. Incerta sunt igitur benignissime Domine

661

Domine Ieſu Chriſte in morte omnia, quæ feſtina feſtinanter inuadit, neque pro quacunque re inducias vnius horæ facit. O clementiſſime Domine Ieſu Chriſte, quanta fatuitate ſum plenus, immò dementia ego ſceleratiſſimus peccator, peccato inquã corde, ore, opere, & omiſſione, qui mortem ante oculos non poſui, ſed retro, & memoriam ipſius in obliuionem commutaui, incertitudinem aduentus eius non timui, neque ob id peccare deſij, ſed voluptatibus illecebroſis animum meum ſubdidi. Heu piiſſime Domine Ieſu Chriſte, adiuua me, ſecundum multitudinẽ miſericordiæ tuæ: nec ſic à morte rapiar improuiſus, ſed te miſerante vitam meam miſerabilem emendem, & incerta mortis me non terreant, neque mihi noceant, ſed amor tuus & laus tua, ſint mihi vita & gloria ſempiterna, Amen.

De morte iuſtorum. Cap. 14.

Pretioſa eſt mors iuſtorum in conſpectu tuo Domine Ieſu Chriſte, immò nihil pretioſius eſt illa morte, per quam fit vt delicta omnia dimittantur, & gratiæ cumulatius augeantur: ſi tamen dicenda ſit mors, quæ tibi mortuum ſociat, & in lucrum cedit morientis. Iſta eſt, tanquam finis laborum, tanquam victoriæ conſummatio, tanquam vitæ ianua & perfectæ ſecuritatis ingreſſus ac initium retributionis. Vnde fit, vt vir iuſtus viuat, quia bene moritur, nõ enim dici debet mortuus ſimpliciter & omnino. Triplex nanque eſt vita benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, cui triplex mors opponitur ſcilicet vita naturæ, cui opponitur mors corporalis, quę nihil aliud eſt nomine, quàm animationis ceſſatio, & receſſus animæ à corpore. Vita gratiæ, cui opponitur mors ſpiritualis, quæ eſt peccatum mortale, per quod anima priuatur gratia quæ eſt vita eius. Eſt etiam vita gloriæ, cui opponitur mors gehennæ ſeu inferni, quæ eſt principalis carentia diuinę viſionis, quam comitatur in adultis, pœna ſenſualis, & animæ tormentum. Quare reuera dulciſſime Domine Ieſu Chriſte, qui moritur corporaliter non moritur, te miſerante & adiuuante, ſimpliciter & omnino, niſi mortem illam mors ſpiritualis comitetur & gehenna ſequatur. Vnde Domine Ieſu Chriſte, quando aliquis moritur corporaliter, cuius vitam comitatur vita gratiæ, & ſequitur vita glorię, ſaltem in re vel in ſpe firmiſſima quæ nullo modo confundit ſperantem, nullo modo poteſt dici ſimpliciter & omnino mortuus, beati namque ſunt Domine, qui in te moriuntur. O miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, ſcio me veraciter mortuũ fuiſſe morte ſpirituali, & ſic perdidiſſe vitam gratiæ, quia tempore vitæ naturæ innumerabilia ferè peccata commiſi ſcienter, deliberatè, conſenſu & opere. Succurrat ergo mihi clementiſſime Domine Ieſu Chriſte miſericordia tua, vt à morte ſpirituali in præſenti reſurgam, & viuam vita gratiæ, & concede mihi ex immenſitate pietatis, vt finita vita naturæ per mortem corporalem, viuam vita gloriæ in tua perenni laude in æternum, Amen.

De morte criminali. Cap. 15.

Nihil aliud eſt dulciſſime Domine Ieſu Chriſte mors criminalis, quàm mors peccati, quæ animam occidit, & hominem peccatorem, mortuum reddit, quia ſicut mortuus opera ſenſuum non exercet, ſic certè, peccator ad gloriam ſempiternam obtinẽdam non mouetur per bonam operationem, nec per laudis confeſsionem, *quia mortui non laudabunt te Domine*. Nam per peccatum Domine anima ſeparatur à te, & ſic mortua reputatur, quia ſicut corpus variis modis interficitur, ſic anima per diuerſa peccata necatur & occiditur. Habet autem benigniſsime Domine Ieſu Chriſte, diabolus hoſtis antiquus, multos modos quibus ipſam animam interficit, & ſpiritualiter necat. Quoſdam nanque, per ſuperbiæ ſuſpendium interficit, ſuſpendit nanque illos altè, per elationem, & honorum pariter & diuitiarum ambitionem. Qui ideò inſtabiles & vani ſunt, quia ſicut res quæ ſuſpenſa eſt, inſtabilis & vaga eſt, & ad flatum venti facilè mouetur, ſic ſuperbi ad flatum venti diabolicæ ſuggeſtionis, quocunque velit malignus, facillimè impelluntur. Quoſdam, per *incendium auaritiæ* perdit, quæ profectò *eſt ignis qui nunquam dicit, ſufficit*. Nonnullos gladio inuidiæ perimit, inuidia enim, eſt gladius Goliæ, qui proprium magiſtrum occidit, quia inuidi antequàm alios interficiant, gladio inuidiæ torquentur, vt de eis dicatur. *Gladius eorum, intrat in corda ipſorum*. Alios veneno luxuriæ interficit. Iſtud autem eſt *venenum aſpidis*, inducens hominem ad dormiendum, quem poſtea dormientem enecat, ſic enim luxuria primo hominem dormire facit per delectationem, quem tandẽ per conſenſum occidit. Alios ſagittis iracundiæ & vindictæ quibus eos vulnerat, interficit. Alios, per ſubmerſionem, aquis delitiarum corporalium ſuffocat. Alios, per oppreſsionem acediæ interimit, quia eos torporis oneribus opprimit, ita enim oneribus pigritiæ onerati ſunt & grauati, quòd ſe ad aliquod bonum nequeunt erigere. O miſericordiſsime Domine Ieſu Chriſte, iſta reuera eſt mors, quæ etiam viuentem hominem peccatorum mole conſtringit, qui quamuis viuere videatur, ſceleribus tamen ſuis, iam addictus morti videtur. Iſta morte mortuus fui frequenter Domine Ieſu Chriſte, ex iniquitate mea maxima. Et idcirco ſuſcitare me digneris piſsime Domine per tuam exuberantem clementiam, vt in præſenti ſeculo viuam per gratiã, & in futuro per tuam laudem & gloriam ſempiternam, Amen.

Prou. 30. 1. Reg. 17. Pſal. 36. Deut. 32.

De morte ſpirituali & vitali. Cap. 17.

Summe appetenda eſt benigniſsime Domine Ieſu Chriſte, mors ſiue mortificatio ſuiipſius, quæ nihil aliud eſt homini, quàm ſuiipſius deiectio & maceratio, & ad humilitatem vel patientiam reductio. Vir enim iuſtus & perfectus Domine Ieſu Chriſte, dicitur ſibi mortuus, quia ſicut mortuus, ad voluntatem portantis regitur, nec ſe mouet, nec ſentit, nec clamat, ſed omnia quæ ſibi fiunt ſuſtinet, ſic vir bonus & iuſtus & ſibiipſi mortuus, ad voluntatem alterius permittit ſe regi per obedientiam ſine rebellione, & per ſacras ſcripturas, omnia quoque ſuſtinet cum patientia & tolerantia, vt de eo verè dici poſsit: *Qui mortuus eſt peccato, iuſtificatus eſt à peccato*. Tales nanque Domine dicuntur mori, quia non dicũtur viuere mundo, ſed tibi Domine. Et de iſtorum morte poteſt etiam dictum tuum intelligi benigniſsime Domine Ieſu Chriſte: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Tales enim dicuntur granum frumenti, propter interiorem perfectionem: dicuntur verò mortui, propter interiorem deiectionem, & multum fructum afferre, propter vberiorem vitæ ſuæ ſpiritualis conditionem,

Rom. 6. Ioan. 12.

quia carnem ſuam mortificant & affligunt, prompti & obedientes, deuoti & compatientes, docti & erudiẽtes. Et reuera dulciſſime Domine Ieſu Chriſte, tales viri in hoc mundo habentur pro mortuis, & pro vilibus, & deſpectis, & ſunt de quibus ſcribitur: *Viſi ſunt oculis inſipientium, mori.* Sap. 3. Sed non ſic eſt Domine, ſed prout ibi ſequitur: *Illi autem ſunt in pace.* Ideò tibi Domine Ieſu Chriſte poſſunt dicere: *Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Pſal. 43. O miſericordiſſime Domine Ieſu Chriſte, dum prædicta lego, & mente reuoluo, non ſentio me tali morte mortuum, ſed viuo huic miſero mundo, & ideò per peccatum tibi mortuus ſum. Succurrat igitur mihi bonitas tua, & parce peccatis meis ex tua infinita miſericordia, vt tibi in confeſſione miſericordię & tanti beneficij tui, viuam in ęternum, Amen.

De morte peccatoris. Cap. 18. *Mors peccatorum*, peſſima eſt Domine Ieſu Chriſte. Pſal. 33. Mala ſiquidem eſt in amiſſione mundi, peior in ſeparatione carnis: & peſſima, vermis & ignis contritione duplici. Habebit nanque peccator horrorem in exitu, dolorem in tranſitu, pudorem in conſpectu tuo, & pauorem nimium, cum dimiſſis omnibus (quorum erat illi præſentia iucunda, gratus aſpectus, cohabitatio familiaris) de nota patria egrediens, ad incognitam penitus veniet regionem, cui etiam occurrent teterrimæ creaturæ, horridæque C laruæ hoſtium antiquorum. O benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, quis iuuabit peccatorem in die tãtæ neceſſitatis? Quis tuebitur eum à rugientibus 1. Cor. 3. præparatis ad eſcam? quis conſolabitur? *Opus nanque ſuum quale fuerit, ignis probabit*, Iſ. 64. ibi enim aurum vertetur in ſcoriam, & peccatoris impuritas reuelabitur, *ibi omnes iuſtitiæ eius, quaſi pannus menſtruatæ reputabuntur.* O Domine Ieſu Chriſte, qualis pudor erit, & qualis confuſio, poſt tanta beneficia à te miſericorditer peccatori præſtita, eundem tàm tepidum, tàm imperfectum, támque vacuum apparere ante faciem tuam? nihil enim ferè, niſi peccata portabit, vt cum ipſis condemnetur morte æterna, *quia* D Rom. 6. *ſtipendia peccati, mors:* & cum mors ſit omnium pœnarum maxima, congruè per mortem illa intelligitur pœna quæ eſt æterna & ſumma, in qua peccator luctum habebit incõſolabilem, ignem inextinguibilem, & mortem interminabilem, quia de peccatoribus ſcribitur: Pſal. 54. *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes.* O piiſſime Domine Ieſu Chriſte, qui non vis mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat, reſpice me iniquiſſimum peccatorem oculo pietatis & clementiæ, & concede mihi gratiam, vt peccata quæ contra te nequiter perpetraui, hic agnoſcam, & de ipſis te iuuante ad tuum beneplacitum ſatisfaciam, libera me miſericorditer à morte E peſſima & æterna, vt cum mors naturalis miſerum & fragile corpus meum te ordinante reſoluerit, anima mea à morte æterna excluſa, ad te ſolum qui vita es viuentium, magnificandum & glorificandũ, in gloriam tuam perueniat ſempiternam, Amen.

Item, de morte peccatoris. Cap. 19. Quid faciet in morte corporali benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, miſerabilis peccator multis & diuerſis peccatorum ſordibus inquinatus, qui mundari non curauit (dum viueret) fletibus contritionis & doloris, iuſtificationis gratiam impetrando, ſed in ſordibus iacendo continuè amplius ſorduit?

A Veniet piiſsime Domine Ieſu Chriſte mors, & non tardabit, inuadétque corpus tam acriter, tantáque anguſtia & dolore illud afficiet, quod pœnam maiorem non potuit vnquam aliquis in hoc mundo ſeu in hac vita ſentire. Incomparabilis enim erit dolor ille cum ſeparabitur anima à corpore, adeò quod nõ poterit tunc peccator aliud cogitare, quã quod tunc in corpore ſentiet, maximum videlicet & grauiſſimum dolorem: nullum enim erit membrum quantumcunque modicum, neque vlla particula in toto corpore peccatoris, quæ non illo dolore inexplicabili inuoluatur. Ideò Domine ſcribitur, quod *non eſt in morte, qui memor ſit tui.* Anima etiã B ipſius peccatoris, piiſsime Domine Ieſu Chriſte, multis doloribus & anxietatibus illo tempore ſubiacebit, quia cum egredietur, occurrent ei opera quæ fecit, ſiue bona fuerint, ſiue mala, & illa velit nolit, aſpiciet oculis interioribus ſuis, & iudicabit in ſe mala quæ fecit, & tormenta ſibi præparata, anxietate nimia cogitabit, quæ ſibi videbit è proximo miſerabiliter imminere. Videbit inſuper tunc miſera anima ad augmẽtum ſui doloris, Angelos Tartareos promptos & paratos ad ipſam rapiendam, vt ſeparatam à corpore deducant ad perpetuos cruciatus. O miſericordiſsime Domine Ieſu Chriſte, fac me confugere ante horam illam tàm terribilem & C horrificam ad tuam immenſam clementiam & miſericordiam, vt de tantis peccatis meis doleam magna contritione cordis: illa, cum magna mentis humilitate confitear, cũ firmo propoſito non redeundi ad ipſa perpetranda, ac de ipſis ſatisfaciam ſecundum piiſsimam voluntatem tuam, vt cùm à miſericordia veniam de ipſis & remiſsionem obtinuero, inter laudatores tuos adſcribi merear in vitam ſempiternam, Amen.

Quo beatus famus mane. Cap. xx. Mors benigniſsime Domine Ieſu Chriſte, eſt ſine diſcretione, quæ ex præuaricatione emerſit: eſt crudelis, quæ ex antiqui ſerpentis fallacia prodiit: eſt etiam fatua, quæ ex mulieris inſipiẽtia venit: eſt D iniqua, quam iniquitas peperit: eſt inconſiderata, quam ſeductio adduxit. Procedit Domine Ieſu Chriſte, feſtinanter, frequenter ex flagellis præſentibus, ex doloris vehemẽtia, ex corporis corruptione, & ex pœna peccati. Illam piiſsime Domine Ieſu Chriſte, de die in diem, immò de momento in momentum expecto, illam me oportet neceſſariò ſuſtinere, non poteſt eius terribilis aduentus tardari: quia ad ianuam pulſat nõ poſſum ei reſiſtere, ſed continuè magis appropinquat. Idcirco miſericordiſsime Domine Ieſu Chriſte, ad te tanquam ad refugium tutiſsimum venio, & tuam immenſam clementiam ſupplex oro, vt digneris mihi ante mortis E aduentum concedere veram de omnibus peccatis meis pœnitentiam, per veram confeſsionem, & iuſtum dolorem. Sit illa pœnitentia Domine cum lachrymis, ſicut fuit illius mulieris quæ *ſtans retro ſecus pedes tuos, lachrymis cœpit rigare ipſos.* Luc. 7. Concede mihi dulciſsime Domine Ieſu Chriſte, in illa hora præcipuè, gratiam remittendi ex corde iniurias & damna mihi illata per alios, ſicut tu feciſti tuis crucifixoribus in hora mortis tuæ dum dixiſti: *Pater, dimitte illis.* Luc. 23. Concede mihi etiam mitiſsime Domine Ieſu Chriſte, in illa hora deuotam Euchariſtiæ perceptionem, vt audire poſsim cum tuis fidelibus, hanc

tuam

665

tuam dulciſſimam vocem. *Ecce prandium meum paratum vobis, venite ad nuptias.* Ad nuptias inquam, Eccleſiæ militantis, pro perceptione ipſius prandij, id eſt, altiſſimi ſacramenti corporis & ſanguinis tui, & ad nuptias etiam Eccleſiæ triumphantis, ad quas, *quia grandis reſtat via*, cibus iſte viaticum eſt potentiſſimum, in *cuius virtute ambulat* Chriſtianus *vſque ad montem Dei*, id eſt vſque ad cœlum, ſicut per figuram huius ambulauit Helias *vſque ad montem Dei Oreb.* Habet enim iſtud viaticum *omne delectamentum, & omnis* ſpiritualis *ſaporis ſuauitatem.* Cuius quidem perceptione confortetur cor meum Domine Ieſu Chriſte, te id miſericorditer donante, vt ſecurè de hoc mundo ad tuum tranſire valeam regnum, & ad tuum ſeruitium ſempiternum, Amen.

IDIOTÆ VIRI SANCTI REGVLÆ VITAM CHRIſtianam complectentes.

Prima regula. Si homini videtur dura vita virtutis, quia cõtinuè oportet nos pugnare aduerſus carnẽ & diabolum & mundum: Recordetur quòd quamcunque elegerit vitam etiam ſecundum mundum, multa illi aduerſa, triſtia, incommoda, laborioſa patienda ſunt.

Secunda regula. Recordetur quòd in rebus mundi diutius pugnatur, & laborioſius & infructuoſius, in quibus labor eſt finis laboris, & tandem pœna æterna.

Tertia regula. Recordetur ſtultum eſſe, credere ad cœlum poſſe perueniri niſi per huiuſmodi pugnã: ſicut & caput noſtrum Chriſtus, non aſcendit in cœlum, niſi per crucem, nec debet ſerui conditio melior eſſe conditione Domini.

Quarta regula. Recordetur non ſolum eſſe ægrè ferendam hanc pugnam ſed optandam, etiam ſi nullum inde nobis præmium perueniat, ſolùm vt conformemur Chriſto Deo & Domino noſtro, & quotiens reſiſtendo alicui tentationi, alicui ex ſenſibus tuis vim facis, cogita cuinam parti Crucis Chriſti conformis reddaris: vt quando gulæ reſiſtens, guſtũ affligis, recordare illum felle potatũ & aceto. Quãdo manus retrahis à rapinâ alicuius rei quæ tibi placet, cogita manus illius pro te ligno crucis affixas: Et ſi reſiſtis ſuperbiæ, recordare illum, qui quum in forma Dei eſſet, pro te formam ſerui accepiſſe, & humiliatum vſque ad mortem crucis: & quum ira tẽtaris, recordare illum qui Deus erat, & omnium hominum iuſtiſſimus, quum ſe tamen videret quaſi latronem & illudi, & conſpui, & flagellari, & opprobriis omnibus affici, & cum latronibus deputari, nullum tamẽ vnquam aut iræ, aut indignationis ſignum oſtendit, ſed patientiſſimè omnia ferens, omnibus manſuetiſſimè reſpondebat: & ſic diſcurrẽdo per ſingula, inuenias nullam eſſe paſſionẽ quæ te Chriſto aliqua ex parte conformem non efficiat.

Quinta regula. Quòd in illis duodecim armis, nec in quoquam alio humano remedio confidas, ſed in ſola virtute Ieſu Chriſti, qui dixit: *Confidite, ego vici mundum*, & alibi: *Princeps mundi huius eiicitur foras*, quare & nos ſola eius virtute confidamus, & mundum A poſſe vincere, & diabolum ſuperare. Et ideò debemus ſemper petere eius auxilium per orationem & interceſſionem ſanctorum ſuorum.

Sexta regula. Recordare quum vnam viciſti tentationem, ſemper aliam eſſe expectandam, quia *diabolus* ſemper *circuit quærens quem deuoret*: quare oportet ſemper ſeruire in timore, & dicere cum Prophe- 1.Petr.5.
ta: *Super cuſtodiam meam ſtabo.*

Septima regula. Non ſolum non vincaris à diabolo quum te tentat, ſed vincas ipſum, & hoc eſt quando non ſolùm non peccas, ſed ex ea re vnde te tentauerat, occaſionem ſumis alicuius boni: vt ſi opus tuum bonum aliquod tibi offert, vt inde in vanam B gloriam incidas, tu illud ſtatim non opus tuum, ſed vt beneficium Dei cogitans humilias te, & iudicas parum gratum te eſſe Deo de beneficiis eius. Iſ.22.

Octaua regula. Cum pugnas, pugnes quaſi vincendo deinde perpetuam pacem habiturus, quia fortè hoc tibi dabit Deus ex gratia ſua, & diabolus amplius non redibit confuſus de tua victoria: ſed quũ viciſti, geras te quaſi mox pugnaturus, vt in pugna ſemper victoriæ, & in victoria ſemper ſis memor pugnæ.

Nona regula. Vt quamuis te ſentias vndique bene munitum & paratum, ſemper tamen fugias occaſiones peccandi, quia vt dicit ſapiens: *Qui amat periC culum, peribit in illo.* Eccl. 3.

Decima regula. Vt in tentationibus ſemper in principio occurras, & *allidas paruulos* Babylonis ad petram. *Petra autem erat Chriſtus*: Quia ſerò medicina paratur. Pſal. 136.

Vndecima regula. Recordare quod licet in ipſo conflictu tentationis ardua videatur pugna, tamen longè dulcius eſt vincere tẽtationem quàm ire ad peccatum, ad quod te inclinat. Et in hoc multi decipiuntur, quia non comparant dulcedinem victorię dulcedini peccati, ſed comparant pugnam voluptati, & tamen homo qui millies expertus eſt quid ſit credere tentationi, deberet ſemel ſaltem experiD ri, quid ſit vincere tentationem. 1.Cor.10.

Duodecima regula. Propterea quod tẽtaris, ne credas te à Deo derelictum, aut Deo parum gratum eſſe, aut parum iuſtum & perfectum, memor ſis, quod poſtquam Paulus vidit Diuinam eſſentiam, patiebatur tentationem carnis qua permittebat Deus eũ tentari ne de ſuperbia tentaretur, in quo etiam homo debet aduertere, quod Paulus qui erat vas electionis, *& raptus vſque ad tertium cœlum*, tamen erat in 2.Cor.12.
periculo, ne de ſuis virtutibus ſuperbiret, ſicut ipſe dicit de ſe, *ne magnitudo reuelationum extolleret me, datus* Ibidem.
eſt mihi ſtimulus carnis meæ qui me colaphizet. Quare ſuE per omnes tentationes homo debet maximè ſe munire contra tentationem ſuperbiæ, *quia radix omnium malorum ſuperbia eſt*, contra quod vnicum remedium eſt, cogitare ſemper, quòd Deus *ſe humiliauit pro nobis* Phil.2.
vſque ad crucem, & mors nos vel inuitos eouſque humiliabit, vt ſimus eſca vermium.

IDIOTÆ VIRI SANCTI ANNOTATIONES IN *Pſalmum decimum quintum.*

Conſerua me Domine.

SI quis perfectus vult recognoscere statum suum, vnum habet periculum, ne de sua virtute superbiat. Ideò Dauid loquens in persona iusti, de statu, incipit ab hoc verbo: *Conserua me:* Quod rectè consideratum, omnem amouet occasionem superbiæ. nam qui potest aliquid ex se acquirere, potest illud ex se sibi cõseruare. Qui ergo petit à Deo conseruari in statu virtutis, significat per hoc quod nec à principio ipsam virtutem ex se acquisiuit: Qui autem recordatur virtutem se consecutum, non virtute propria, sed virtute Dei, non potest de ea superbire, sed magis humiliari coram Deo, iuxta illud Apostoli:
1. Cor. 4. *Quid habes quod non accepisti, & si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Duo sunt ergo verba quæ semper habere debemus in ore, alterum scilicet *Miserere mei Deus,* quum scilicet recordamur peccatorum. Alterum est: *Conserua me Deus,* scilicet quum recordamur virtutum.

Quoniam speraui in te.

Hæc vna res est quæ facit nos à Deo impetrare quod petimus, quum scilicet nos impetraturos speramus. Et si duas has conditiones obseruabimus, vt nunquam petamus à Deo nisi ea quæ nobis sunt salutaria, & vt id quod petimus, ardenter petamus cum firma spe quòd Deus nos exaudiat, nunquàm erunt irritæ orationes nostrę. Quum igitur non impetramus, est, aut quod illud nobis est noxium: nescimus enim quid petamus, vt inquit Christus, &
Mar. 18. Matt. 28. Iesus dixit: *Quicquid petieritis in nomine meo, dabitur vobis:* hoc enim nomen Iesus, saluatorem significat: & ideò nihil petitur in nomine Iesu, nisi quod est ad salutem ipsi petenti. Aut non exaudit, quia si bona petimus, non bene petimus, hoc est cum parua spe:
Iacob. 1. qui autem timidè sperat, frigidè petit, ideò dicebat Iacobus: *Postulet autem, in fide nihil hæsitans.*

Dixi Domino, Deus meus es tu.

Postquam muniuit se contra superbiam, incipit describere statum suum. Totus autem status iusti consistit in hoc verbo: *Dixi Domino: Deus meus es tu.* Quod verbum licet videatur ferè omnibus commune: pauci tamen sunt qui illud possint verè dicere: Illud enim quis habet pro Deo, quod habet pro summo bono: & illud habemus pro summo bono, quo solo habito, si cætera desint, putamus nos esse fœlices: & quod vnum si desit, etiã si habemus omnia alia bona, putamus nos esse miseros: dicit igitur auarus pecuniæ, *Deus meus es tu,* quia etiam si ei desint honor & sanitas, & virtus, & amici, modò pecuniam habeat, contentus est. Et si habeat omnia illa bona quę diximus, & pecunia desit, putat se esse infœlicem. Gulosus item, crapulæ: & incontinens, libidini: & ambitiosus, imperio siue gloriæ dicit: *Deus meus es tu.* Vide igitur quam pauci possint dicere: *Dixi Domino: Deus meus es tu:* quia illi solus Deus sufficit, ita vt si ei proponantur omnia regna mundi, & cœlestia omnia, & terrena bona, non tamen vt illa consequeretur, vel Deum offenderet. In hoc igitur dicto consistit totus status hominis iusti.

Quoniam bonorum meorum non eges.

Reddit rationem propositi sui, quare scilicet soli Domino dicat: *Deus meus es tu.* Ratio autem est, quoniam solus Deus bonis nostris nõ eget: nulla enim creatura est quæ non indigeat aliis creaturis, quam-

A uis imperfectioribus, vt probant Philosophi & Theologi, quia si illæ non essent, ista nõ essent, quia destructa vna parte vniuersi, destruitur totum vniuersum: Destructo autem toto, destruuntur omnes partes: omnes autem creaturæ sunt partes vnius vniuersi, cuius vniuersi ipse Deus non pars est, sed principium nihil ab eo dependens: nihil enim acquisiuit Deus ex hoc quod creauit mundum, & nihil perderet, si totus mundus annihilaretur: Solus ergo Deus bonorum nostrorum non eget. Debemus autem erubescere, illum habere pro Deo, qui bonis indiget nostris, qualis est omnis creatura. Præterea nõ debemus habere pro Deo, hoc est pro
B summo bono, nisi illud in quo est summum bonũ: in nulla autem creatura est omne bonum: soli igitur Domino debemus dicere: *Deus meus es tu.*

Sanctis qui sunt in terra.

Post Deum maximè debemus amare illos qui sũt Deo maximè coniuncti, quales sunt Angeli & beati in patria: ideò postquam dixit Domino: *Deus meus es tu:* subdit, quod Deus,

Mirificauit voluntates suas.

Hoc est, mirabiles fecit amores eius, & desideria eius ergo sanctos *qui sunt in terra eius:* hoc est, in cœlesti patria, quæ dicitur terra Dei & terra viuentium: & verum, si consideremus quanta sit illius patriæ
C felicitas, quantáque huius mundi miseria, quanta ciuium illorum bonitas & claritas, desiderabimus semper hinc discedere, vt illic habitemus. Hæc autem & similia quum meditamur, illud semper curare debemus, ne infructuosę sint meditationes nostræ. Sed ex qualibet meditatione aliquam semper acquirere virtutem debemus: vt ex hoc videlicet: de bonitate illius patriæ superioris debemus acquirere virtutem hanc, vt mortem non solum fortiter feramus & patienter quum venerit hora nostra, aut si pro fide Christi nobis obeunda sit. Sed vltrò etiã appetamus, cupientes scilicet ex hac valle miseriarum discedere, vt in illa felici patria cum Deo &
D sanctis eius regnemus. Quum ergo iustus describit statum suum, qui totus est in affectu erga Deum & diuina, despicítque ex alto statum hominum malorum, dicit: Status impiorum.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum.

Per infirmitates autem intelligit idola, & ita habet textus Hebræus: sicut enim bonus vnum habet Deum quem colit, ita mali multos habent Deos & idola, quia multas scilicet voluptates, multa desideria vana, passiones diuersas quibus seruiunt. ideò autem multas quærunt voluptates, quia nullam inueniunt quæ eos quietet, & ideò *in circuitu impij ambulant.* & subdit postea: *acclamauerunt,* quia scilicet
E post sua desideria præcipites ruunt & inconsideratè: vnde edocemur, vt non minus ipsi celeriter curramus ad virtutes quàm ipsi currant ad vitium, nec Domino nostro minus diligenter seruiamus, quàm ipsi seruiant domino suo Diabolo. Iustus autem considerans statum malorum, proponit firmiter, sicut & nos semper debemus facere, nullo modo velle eos sequi, & dicit:

Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum.

Dicit autem *de sanguinibus,* tum quia idololatræ solebant collecto sanguine victimarum circa eum suas

ſuas agere ceremonias, tum quia tota vita malorũ, relicta ratione, ſenſualitatem ſequitur, quæ in ſanguine ſita eſt. Dixit autem quod non ſolum non vult ſacrificare idolis, ſed nec nominare ea, quod tantum dici & fieri poteſt, oſtendens per hoc, quod non ſolum homo perfectus debet abſtinere ab illicitis voluptatibus, ſed etiam à licitis, vt magis totus feratur in cœlum, & contemplationi diuinorum purius vacet: & quia aliquis poſſet credere quod eſſet ſtultitia, priuare ſeſe omni voluptate, ſubdit:

Dominus pars hæreditatis meæ.

Quaſi dicat, non mireris ſi omnia alia relinquo vt Deum poſſideam, in quo etiam alia denique bona poſſidentur. Debet hæc eſſe vox cuiuſlibet boni Chriſtiani: *Dominus pars hæreditatis meæ*, quia nos Chriſtiani, quibus Deus ipſe pro hæreditate promittitur, debemus erubeſcere aliquid præter ipſum deſiderare, & quia poſſet videri alicui præſumptio, audere hæc ſibi promittere, idem ſubdit.

Tu es qui reſtituis hæreditatem meam mihi.

Quaſi dicat, Domine Deus meus, bene ſcio quod quum nihil ſim reſpectu tui, viribus meis non poſſum aſcendere ad te poſſidendum, ſed tu es qui trahes me ad te per gratiam tuam, & tu es qui te ipſum dabis mihi poſſidendum. Vt conſideret deinde iuſtus quanta ſit hæc felicitas, vt ei Deus pro hæreditate contigerit, ſubdit:

Funes ceciderunt mihi in præclaris.

Pars enim & ſortes antiquitus per funes diuidebantur: & quoniam multi ſunt qui licet ad hanc felicitatem ſint vocati, ſicut ſunt omnes Chriſtiani, ipſam tamen nihili faciunt, vtpotè quam pro leui ſæpè voluptate commutant, ideò ſubdit,

Hæreditas mea præclara eſt mihi.

Quaſi dicat, ſicut ipſa eſt præclara, ita ego eam præclaram reputo, & omnia alia reſpectu eius, vt dicebat Paulus, *ſicut ſtercora reputo*, quoniam autem habere hoc lumen intellectus, vt homo cognoſcat felicitatem ſibi à Deo datam, donum Dei, eſt ideò ſubdit.

Benedicam Dominum qui tribuit intellectum.

Quoniam autem ſæpè homo iudicat ſecundum rationem ſeruire Deo, ſenſualitas autem & caro repugnant: tunc autem homo perfectus eſt, cum non ſolum anima eius, ſed & caro in Deum feruntur, iuxta illud: *Cor meum & caro mea exaltauerunt in Deum viuum*, ideò ſubdit:

Et vſque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Id eſt renes ipſi in quibus maxima ſolet eſſe inclinatio ad concupiſcentiam, non ſolum inclinãt me ad malum, ſed potius increpant, hoc eſt retrahunt etiam vſque ad noctem, id eſt eouſque, vt etiam ipſi vltrò proprium corpus affligant. Afflictio enim ſæpè per noctem ſolet deſignari, oſtendit deinde quæ ſit radix tantæ priuationis, & dicit:

Prouidebam Deum ſemper in conſpectu meo.

Nam ſi quis Deum ſemper haberet ante oculos pro regula omnium operationũ ſuarum: & in omnibus operationibus ſuis, nec propriam vtilitatem, nec gloriam, nec voluptatem quæreret, ſed ſolum vt Deo placeret, breui perfectus euaderet: & quia qui ita agit, ſemper in omnibus proſperatur, ideò dicit.

Ipſe à dextris eſt mihi ne commouear.

Oſtẽdit deinde quanta ſit fœlicitas iuſti viri, quia ſcilicet erit in æternum fœlix, & in anima & in corpore, ideò ſubdit.

Propter hæc lætatum eſt cor meum.

Id eſt, anima mea læta eſt, ſciens poſt mortem ſibi cœlum eſſe paratum.

Et caro mea requieſcet in ſpe.

Id eſt, quamuis ipſa non lætetur, quaſi acceptura ſtatim poſt mortem ſtatum ſuum, requieſcit tamen in ſepultura, cum hac ſpe quod reſurget in die iudicij cũ anima ſua immortali & ſplẽdidiſſima, & hoc totum declarat in ſequenti verſiculo: nam quia dixerat quòd anima lætabatur, ſubdit rationem.

Quia non derelinquet animam meam in inferno.

Et quia dixerat, quod caro requieſcebat in ſpe, ſubdit rationem dicens:

Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.

Quia quod fuit *corruptibile, reſurget incorruptibile*, & quia Chriſtus fuit primus qui intrauit Paradiſum, & nobis vitã aperuit, & fuit primus qui reſurrexit, & reſurrectio eius eſt cauſa noſtræ reſurrectionis, ideò iſta quæ diximus de Reſurrectione, principaliter de Chriſto intelliguntur, ſicut declarauit Petrus Apoſtolus, & ſecundario intelligi poſſunt de nobis, in quantum ſumus membra Chriſti, qui ſolus non vidit corruptionem, quia corpus eius in ſepulchro putrefactum non fuit. quoniam igitur via bene viuendi ducit nos ad perpetuam vitam animæ & corporis, ideò ſubdit:

1. Cor 15.

Notas mihi feciſti vias vitæ.

Et quia tota fœlicitas huius vitæ conſiſtit in aperta viſione & fruitione Dei, ideò ſubdit:

Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.

Et quia fœlicitas in æternum durabit, ideò ſubdit:

Delectationes in dextra tua vſque in finem.

Dicit autem in dextra tua, quia felicitas noſtra cõpletur in viſione & fruitione humanitatis Chriſti qui ſedet in dextra maieſtatis in excelſis, iuxta illud Ioan. *Hæc eſt* tota merces, *vt videamus Deum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.*

Ioan. 17.

SANCTI ISAACI SYRI PRESBYTERI ANTIOCHENI DE CONTEMPTV MVNDI, *Liber*, I.

Sanctum hunc Patrem Iſaacum, illũ eſſe non dubito quem Gregorius magnus Dialogorum lib. 3. de Syriæ partibus ad Spoletonam vrbem prioribus Gothorum temporibus veniſſe ait, narrátque porro de illo multa, illud verò imprimis quod ad huius libri argumentum reddit quam proximè, Monachum qui in terra poſſeßiones quærit, non eſſe Monachum. Plura vide ibidem, Cap. 14.

De operatione corporali, & sui abiectione. Cap. 1.

ANima, quæ Deũ diligit in solo Deo hæret: Anticipa soluere omnẽ colligationem extrinsecam à te ipso, & tunc Deo corde colligari: præcedit enim colligari Deo, solutio à mundanis. Esus panis post ablactationẽ datur infanti: Et homo, qui vult delectari in diuinis, prius se debet à sæculo, velut infans ab vberibus maternis, alienare. Operatio corporalis operationem animæ, sicut in Adam limus inspiratam animam antecedit. Qui corporalem actionem non acquisiuit, nec animæ potest operationem habere, quia hæc ab illa nascitur, sicut spica de nudo grano: & illis qui nõ habẽt operationem animæ spiritualia dona desunt. Labores huius sæculi, qui pro vanitate fiunt, non comparantur diuitiis, quæ præparatæ sunt affligentibus se bonis. Sicut sequuntur seminantes in lachrymis manipuli exultationis: ita consequitur lætitia afflictionem, quæ fit propter Deum. Panis qui sudore acquiritur, dulcis apparet agricolæ: & operationes quæ propter iustitiã fiunt, cordi, quia cordi dant scientiam Dei. Sustine abiectionem & humilitatem bona voluntate, vt securitatem habeas ante Deum. Omne verbum durum sustinens homo, sciens absque malo aliquo esse quod præcesserit ab illo contra loquentem, coronam quidem spineam capiti suo superimponit, sed beatus est, quia tempore quo ignorat, incorruptibiliter coronabitur. Qui fugit gloriam scienter, hic in anima sua futurum sæculum iam præsentit. Qui dicit se reliquisse mundum & litigat cum hominibus pro vsu rei alicuius, neque spectat ad quietem suam, minantur eidem: cæcus est omnino hic, quia corpus quidem volũtarie penitus dereliquit. Pro vno autem membro eius litigat atque pugnat. Qui fugit præsentis vitæ quietem, huius mens futurum sæculum intuetur. Qui verò cupiditate ligatus, seruus vitiorũ existit: Ne putes, quod sit cupiditas quæstus auri tãtummodo & argenti, sed in cuiuslibet, in qua volũtas tua dependet: Ne laudes illum, qui corporaliter se affligit, tamen est sensibus dissolutus, videlicet auditu & ore diffuso, ac oculis impudicis. Si quãdo animæ posueris terminos, vt per pœnitentiam ædifices temetipsum, & non quæras iustitiam in rebus alienis: In hoc animam tuam assuescas, ne videaris vna quidem manu operans, aliáque dispergẽs. Illic enim solicitudo nostra est, hic vero dilatatio cordis. Scias quod dimittere debitoribus debita, de operibus iustitiæ est, & tunc videbis tranquillitatem vndique cum splendore. Cum ascenderis viam iustitiæ, adhærebis tuæ in omni re libertati. Quidam sanctorum dixit, quod misericors, nisi fiat iustus, cæcus est, vt ex his det aliis, quæ laboribus propriis acquisiuit, non ex acquisitis per machinationes & mendacia, periuria & falsitates. Si vis seminare in pauperibus, de propriis semina. Nam si de alienis seminaueris, erũt zizaniis amariora. Ego verò dico, quod nisi fiat misericors supra iustitiam, non est misericors, id est, quod non solum hominibus misereatur de propriis, sed & sustineat cum lętitia iniuriam ab eisdem, ac etiam misereatur ipsorum. Cum autẽ iustitiam per eleemosynã vicit, coronatur non coronis, quæ sunt in lege iustorũ: sed coronis quæ sunt in Euangelio perfectorum. Nam quod aliquis det pauperibus, & nudum induat, & diligat proximum sicut semetipsum, nec iniustum faciat, nec etiam mentiatur, hæc & in Testamento veteri continentur. Sed perfectio Euangelicæ dispẽsationis sic præcipit: Ab auferente tibi tua non exigas, & omni petenti te tribues. Et non solũ iniurias rerum & cæteros euentus extrinsecos decet sustinere cũ gaudio, verum in optimo animam poni pro fratre: Hic est enim misericors, & non ille, qui tantummodo pro dono fratribus miseretur. Et quicũque audierit vel viderit quicquã contristans fratrẽ suum & adustus fuit corde, hic misericors est vere. Similiter, qui percussus à Fratre suo, motus non fuerit ad dicendum aliquid, quod contristet cor eius, misericors est.

Operationem vigiliarum habeas preciosam, vt inuenias consolationem appropinquantem in anima tua. Perseuera legens in solitudine, vt semper mens tuæ ad Dei mirabilia deducatur. Dilige autẽ patientiam, & paupertatem, vt à dispersione tua animus colligatur. Affabilitatem odio habebis, vt cogitationes tuas sine turbatione conserues: Retrahe teipsum à multis, & cura de anima tua, vt serues eam à dispersione trãquillitatis internæ. Dilige castitatem, vt non cõfundaris tempore orationis tuæ, & in memoria mortis accendatur lætitia in corde tuo. Vt à magnis non excidas, caueto tibi à paruis. Non sis lentus in operatione tua, ne confundaris cũ steteris in medio amicorum tuorum, & inueniaris sine viaticis, ac te solum in vię medio derelinquant. Intelligibiliter confitere opera tua, ne à toto cursu tuo derelinquaris: Acquire libertatem in cõuersatione tua, vt libereris à tempestate. Ne vincias libertatem in voluptate carnis, ne seruus seruorum fias. In vestitu tuo dilige vilia indumenta vt orientes in te cogitationes abiicias, scilicet elationis. Nã qui splendida diligit, humiles cogitationes habere non potest, quia cor exterioribus figurationibus conformatur. Quis diligens turpiloquia, potest habere mundam mentem? Quis se fingit, vt ab hominibus glorietur, & potest cogitationes humiles adipisci? Vel quis luxuriosus existens & dissolutus mẽbris, potest fieri mente mundus & humilis corde? Cum mens à sensibus trahitur, tunc cum eis cibum comedit bestiarum. Cum vero sensus retrahuntur à mente, cum ipsa statim Angelorum cibum assumunt. Abstinentia & retractio sequuntur humilitatem. Vana gloria vero opus est superbiæ, fornicationísque ministra. Humilitas propter continuã retractionem suam contemplatione occurrit animámque ornat in castitate, vana gloria propter cõtinuam turbationem & fermẽtationem cogitationum suarum quæ fiunt ex occursu rerum, thesauros continet execratos & polluit. Cor ipsum vero naturas rerum luxurioso intuetur aspectu, & in turpibus imaginationibus facit mentem studere. Humilitas quoque per contemplationem spiritualiter retrahitur, & ad contemplandum Deum monet acquisitorem suum.

Noli comparare facientes signa & prodigia & virtutes in mũdo, illis qui in solitudine sunt sciẽter. Dilige ocium solitudinis pluspquam esurientes saeculi saturare, & conuertere multas gentes ad agnitionem supernam, & ad honorem Dei. Melius est enim à peccati vinculo soluere temetipsum, quam liberare

Humilitatis fructus.

Cupiditas quid sit.

Dimittere debita.

Eleemosyna.

De operatione corporali, & sui abiectione. Cap. 1.

Turpiloquium.

De solitudine. Cap.

673

liberare seruos à seruitute. Gregorius namq; dixit, Bonum est Theologiam ædere propter Deum, sed melius est quod seipsum mundet quis apud Deum. Melius est tibi pacificare in anima tua vnitatem Trinitatis quæ in te est, quàm pacificare doctrina tua discordes. Melius est tibi breuiloquum esse, cũ doctus sis & peritus, quam proferre in subtilitate mentis doctrinam, quasi torrẽtem: Expedit tibi silicitum esse ad erigendum, quod de anima in vitiis est collapsum per motum cogitationum tuarum in rebus diuinis, quam mortuos suscitare. Multi operati sunt virtutes & mortuos suscitarũt, & postmodum ipsi qui viuificarũt alios, ad execrabilia & horribilia ceciderunt & facti sunt aliis in scandalum, quia cum infirmitate animi laborarent, de sanitate propria non curarunt: Sed exposuerunt se mari huius sæculi ad sanãdum animas aliorum dum ipsi ægrotarẽt. Nam suorum infirmitas sensuum obstare non poterat flammæ rerum habentium ex consuetudine vitiorum difficultatem, Adhuc egebant cauere sibi, ne viderent mulieres, aut pecunias possiderẽt, neque præessent aliis, nec contra quemquã extollerentur. Melius est tibi existimari viris imperitum ob breuitatem scientiæ ad disputandum, quã esse vnum de sapientibus præsumptoribus.

Breuiloquium.

Argue contradicentes tibi in fide, virtutum tuarum potentia, non suggestibilitate verborum, Inflexibilium quoque præsumptione mansuetudine ac tranquillitate verborum tuorum refrena. Argue luxuriosas tuę cõuersationis mobilitates & sẽsum impiũ ducas oculorum retentione tuorum. Peregrinum te sentias omnibus diebus vitæ tuæ quocũque ingrediaris, vt à damno possis erui quod à securitate cõtingit. In omni tempore te ipsum reputa nihil scire, vt culpam effugias quam facit suspicio volentis sistere contra alterius arbitrium disputantis. Perseuera semper ore benedicẽdo, & nũquam maledixeris. Nam benedictio benedictionẽ facit & maledictio maledictionem. In omni re teipsum æstima egere doctrina, & inuenieris sapiens omnibus diebus vitæ tuæ. Ne tradas quidquam alicui, nondum quod conprehendisti. Ne verecunderis, si in ipso & ex comparatione tuæ conuersationis ad illam tuæ traditionis falsitas reueletur. Si quid tale loquaris alicui, non temetipsum ostẽdes, quod sufficientior in eo sis, vt & auditoribus ordinem humilitatis ostendas, & eos ad audiendũ verba tua, ad currendum ad operationem inducas & fias venerabilis in oculis eorumdem. De huius rebus loquere cum lachrymis, vt tibi prosint & audientib. & gratia Dei erit tecum.

Demodo arcendi peruersatores Cap. 4.

Si ad Dei gratiam peruenisti & in contemplatione creaturarum Dei visibilium, quod est primus ordo scientiæ delectari promeruisti, contra spiritum blasphemiæ, præpara teipsum & arma. Sine armis non stes in hac regione, ne ab insidiatoribus & decipientibus quam citius occidaris. Sint autem tibi pro armis, lachrymæ, ieiuniúmque frequens. Caue tibi ne documẽta hæreticorum legas, hoc enim est quod blasphemiæ spiritum cõtra te amplius armat. Cum repleueris ventrem, non te pigeat ad scrutandũ aliquid de diuinis rebus †, ne mouearis. Nam in ventre repleto, secretorũ Dei scientia non existit in tellige quod tibi dico. Lege continue & insatiabiliter in libris doctorum de Prouidentia Dei, quia ipsi dirigunt mentem ad intuendum ordinem creaturarum Dei & operum eius, & roborant eam ex ipsis & aptant ad acquirendum intellectum illuminatum ex claritate ipsorum, & ad considerationem creaturarum Dei cum mundicia faciũt ambulare. Lege in Euangeliis vt viaticum acquiras ex dispositis à Deo ad supernorum agnitionem in toto mũdo, virtute prouidentiæ suæ. Peregrinationes singulas operare, vt mens tua in Dei mirabilibus profũdetur, huiusmodi idcirco tuo labori coaptetur. Ne sint penes te sermones peritorum, scilicet falsariorum, & qui diuina eloquia vendunt, vt non remaneas in teuebris vsque ad finem vitæ tuæ, defectum patiaris incommoditatis ipsorum, ac si fermentatus terrearis tempore pugnæ tuæ, & in foueam incidas occasione percipiendæ commoditatis ex ipsis. In omnimoda tranquillitate lectio tibi fiat, & esto liber à multa solicitudine corporis rerúmque turbatione, vt delectabilem gustationem in anima tua gustes per dulcem considerationem quæ superãt omnem sensum, & sentiet eam anima tua perseuerando in ipsa. Hæc tibi sit pro signo in rebus quas subire voluisti, ne de regione illa egrediaris.

De contẽplatione rerum. Cap. 6.

Cum inceperit gratia tua oculos aperire ad percipiendum contemplationem rerum in veritate, tunc statim incipient oculi tui fundere lachrymas quasi flumen, vt multotiens lauentur ex abundantia genæ tuæ. Et tunc cessat pugna sensuum & retrahitur intus. Si quis iustorum docuerit contraria, ne credas ipsi, nam præter lachrimas aliud signum nõ quæras à corpore. Quam cito enim mens à creaturis attollitur, tum corpus tam à lachrymis, quam à sensualitate recedit. *Cum mel inueneris, ne inde repletus euomas, ex ipso comede moderate.* Natura enim animæ tenuit res & leuis existit. Aliquando enim psallens desiderat ascendere supra naturam suam, multoties autem à lectione scripturarum & contemplatione rerum aliqua comprehendit, tum vero comparatur his quæ comprehensa sunt, ab illa insufficientior & timidior apparet secundum suæ dispositionis mensuram, respectu illorum, ad quæ scientia eius intrauit. Sic & inducat in cogitationibus suis timorem atque tremorem & festinet redire ad infimum sui, propter formidinem, vtpote quæ mota est, & de his, quæ supra se sunt diuinis reb. scrutari præsũpsit. Nam propter timiditatẽ rerũ formido quædã fit ei, & discretio iuuat intellectum animæ, vt silentio vacet & non moueatur, ne pereat, nec exquirat, quæ supra se sunt altiora. Cum vero potestas tibi data fuerit considerandi, ne mouearis contra mysteria, sed ad ora glorifica, & silendo regratare. Nam sicut non expedit multum mellis comedere, sic nec de diuinis eloquiis perscrutari, ne volentibus intueri res breuiores, nec adhuc eas ex asperitate viæ valentib. infirmetur visionis virtus & offendatur. Aliquando enim loco veritatis fantasmata quædã videntur, & cum mens ab inquisitione actiua occupatur, obliuiscitur suæ intẽtionis. Bene ergo ait sapiens Salomõ. Quod homo sine sapientia, est sicut ciuitas sine muro. Munda igitur ô homo animã tuã, & excute à te solicitudinem rerum quæ sunt extra naturam tuam, & apprehende

Pro. 25.

Pro. 25.

humilitatis & caſtitatis vel anima, cõtra intellectus & motus tuos. Et per hoc inuenies id quod intra te eſt, humilibus enim myſteria reũelantur.

De oratione & lectione bene inſtituenda. Cap. 7.

Si vis animam tuam dare ad operationem orationis quæ mundat mentem, & perſeuerantiam in vigiliis noctis, elonga teipſum ab aſpectu mundi, ſuccinde colloquia, & noli excipere ex conſuetudine amicos in cella tua, nec etiam ſub ſpecie bonitatis, præter illos qui ſunt tibi eiuſdem moris & arbitrij ac ſocietatis eiuſdem. Et timeto fermentationem locutionis animæ, quæ conſueuit inuita moueri. Et poſtquam ſuccideris & ſolueris exteriorem locutionem, coniunge orationi tuæ miſericordiam, & anima tua lumen veritatis videbit. Nam quantò magis cor ab extrinſecis rebus in trãquillitate manet, tanto magis mens poteſt recipere comprehenſionem, quæ à cõſideratione intellectus habet eſſe. Eſt enim mos animæ cito mutare colloquium, ſi tamen laborauerimus paruam diligentiã adhibere, ſtude in lectionibus ſcripturarum quæ demonſtrant viam ſubtilitatis contemplationis, & in vita ſanctorum, quamquam à principio non ſentias dulcedinem, propter obtenebrantes propinquitates rerum, vt mutes colloquium in colloquium. Et cum ſurrexeris ad orationem & regulam, loco meditationis ſæcularium quæ vidiſti & audiſti, inuenies te meditatione ſcripturarum quas legiſti, & recordationis illorum ſecularium obliuiſceris & taliter ad munditiã mens accedit. Et hoc eſt illud quod ſcriptum eſt, quod anima iuuatur à lectione, quando ſtat in Oratione, & ex oratione illuminatur in lectione, ac eodem loco extergi fece fermentationis inuenitur tota in forma orationis. Turpe eſt, carnis amatores & gaſtrimargos de rebus ſpiritualibus perſcrutari. Corpus grauiter ægrotans, odit cibos aſperos & repellit: & mens ſæcularibus rebus intenta non poteſt appropinquare ſcrutiniis diuinorum. Ignis in humidis lignis non accenditur, & diuinus calor in corde diligẽtis quietem & ocium, non gignitur: Meretricis non manet amicitia penes vnum, & anima quæ colligata eſt in rebus pluribus in diuinis non permanet documẽtis. Quemadmodum is qui nõ vidit oculis ſuis Solem, ex auditu ſolo non poteſt recitare cuiquam lumen eius, nec ſentit, ita & ille cuius anima dulcedinem cæleſtium non guſtauit.

Amor meretricius.

De Eleemoſyna. Cap. 8.

Si habes quid vltra neceſſitatem tuam diurnam, pauperibus illud eroga, & eris cum ſecuritate. Offer orationes tuas, id eſt, loquere cũ Deo, ſicut filius cum Patre ſuo. Nihil facit ita appropinquare Deo, ſicut eleemoſyna. Nihil ita facit menti tranquillitatem, ſicut paupertas quæ voluntarie ſuſtinetur. Melius eſt tibi à pluribus vocari idiotam, quam propter gloriam, ſapientem atq; perfectum. Si quis equum aſcendens extendat ad te manum vt accipiat à te eleemoſynam, ne repellas eum, quia illo tempore, ſicut vnus de pauperibus egens erit. Cum autem dederis, cum magnanimitate da, & vultus hilaritate plus quàm ille petierit præbe. Emitte namque Domine panem tuum ante faciem pauperis, & poſt multum temporis retributionem videbis. Ne diſcernas pauperem à diuite, nolique ſcire dignũ ab indigno. Sed ſint apud te omnes homines æquales ad bonum. Hoc modo poteris indignos trahere ad bonum, quia cito trahitur anima per temporalia in Dei timorem. Nam & Dominus publicanis & peccatoribus communicabat in mẽſis, nec ſeparabat indignos, vt hoc modo traheret ad Dei timorem vniuerſos & per corporalia ſpiritualibus propinquarent. Ob hoc in bono & honore omnes homines fac æquales, quãuis Iudæus vel paganus ſit, & maximè quia frater tuus eſt, & de natura tua & à veritate ſine ſcientia deuiauit. Quando feceris alieno bonum, retributionem non expectes ab illo, & ſecundũ vtramque rem retribuetur tibi à Deo. Et ſi tibi poſſibile fuerit, neq; propter retributionem futuram facias bonum, ſed propter amorem Dei facias ſimpliciter.

Si poſueris animæ tuæ terminum paupertatis & per gratiam Dei fueris à ſolicitudinibus liberatus, & in tua paupertate factus fueris ſupra mundum, caue ne propter amorem pauperum, quæſtum diligas pro eleemoſyna facienda & ponas animam tuã in turbatione, vt accipias ab alio, vt aliis largiaris, & exiſtimes honorem tuum ſubiectione petitionis rerum nomine aliorum, & excidas à libertate & nobilitate intentionis tuæ in ſolicitudines ſæcularium rerum, quia gradus tuus ſublimior eſt gradu miſericordium, ſupplico tibi, ne ſubiiciaris eleemoſynæ, ſimilis eſt nutrimento puerorum. Sed ſolitudo perfectionis eſt caput. Si res habes ſemel illas diſperge. Quod ſi non habes, noli habere. Munda igitur cellam à ſuperfluitatibus & deliciis. Quia hoc te adducit ad abſtinentiam etiam inuitum & nolentem. Defectus rerum docet hominem abſtinere. Quia cum opportunitatem rerũ accipimus noſmetipſos non poſſumus continere. Qui exteriorem pugnam ſuperauerunt, ſocietatem acceperunt de timore interiori, nec opportune inſtat in eis, nec ab ante nec à retro quatiuntur in pugna. Pugnam autem dico, quæ aduerſus animam à ſenſibus & negligentia ſcitatur, ſicut eſt dare & accipere, auditus & lingua, quę ſemper inducũtur animæ, ſibi faciunt cæcitatẽ, vt propter ſuperinductionẽ turbationis exterioris non poteſt ſibi ipſi attendere in latẽti prælio, quod mouetur aduerſus eam, & cũ trãquillitate illa videre, quæ mouẽtur ab intus. Quando quis clauſerit oſtia ciuitatis ſenſuum, tunc pugnat ab intus & inſidiatores qui ſunt extra ciuitatem, non timet.

Beatus, qui nouit hoc & manet in ſolitudine, nec fluctuat in operũ multitudine, ſed omnes corporales operationes in laborem orationis conuertit, & credit, quàmdiu operatur cum Deo, & habet ſolicitudinem in ipſo die noctúque, quòd non deficiat ei quicquã de neceſſariis vſibus quemadmodum non ceſſat ab opere pro eodem. Si quis autem non ſuſtinuerit in ſolitudine ſiue operetur vtens quidem eo, tanquam adiutore: non tamen auide propter lucrum. Nam illud poſitum eſt infirmis, quia fortioribus turbamentum exiſtit, pauperibus & pigris patres expoſuerunt, vt operarentur, ſed non ſicut rem neceſſariam. In tempore, quo Deus compungit cor, da te ipſum continuis extentionibus corporis in terra & genuflexionibus. Et cũ cœperint in te Dæmones ſuggerere, vacare in labiis, cor tuũ ſolicitum eſſe de aliquo, non dimittas, & tunc vide & mirare, quid debet ex hoc maius oriri. Nihil aliud maius eſt quam aliquem ſternere

ſenſum

677

sensum ante crucem Christi die ac nocte, & manus post terga ligare, id est à manuali opere quiescere. Vis non frigefieri tibi calorem & à lachrymis non pauperari, in his exerce teipsum. Et beatus es ô homo, si die ac noctu studueris in his, quę dicuntur tibi aliud quæsieris cum eisdem, tunc enim orietur tibi lux interius & iustitia tua cito fulgebit, & fiet sicut indeficiens fons aquæ ac sicut florida paradisus. Vides qualia bona homini de certamine oriuntur, multoties inuenitur curuatus super genua in orationibus, manus habens extensas ad cœlum & respiciens faciem in cruce Christi, & colligens omnes cogitationes suas in Deum in Oratione. Et quamdiu erat cum lachrymis & compunctione, in ipsa hora statim subito manat in corde suo fōs producens delectationem, & dissoluuntur membra eius & conuelantur oculi eius & circuit facie in terram, cogitationes autem ipsius alterantur ita, vt non possit facere genuflexionem præ gaudio, quod in toto corpore suo erit. Attēde igitur hisce ô homo quæ legis, quia nisi laboraueris, nō inuenies & nisi cum feruore pulsaueris ac superuigilaueris ostio continuè non exaudieris. Quis audiens hoc, desiderabit iustitiam extrinsecam, ille scilicet qui non potest in solitudine instruere. Verumtamen si quis non potuerit vacare, pro eo quod gratia Dei est, esse hominem intra ostium, non derelinquam viam, ne vtriusque vitæ faciat se expertem. Donec moriatur exterior homo à rebus mundi, non solum à peccato, sed ab omni actione corporali, similiter interior homo à prauis cogitationibus & infirmetur motus corporalis naturalis, vt non moueat in corde dulcedinem peccatorum, non mouebitur in homine dulcedo Spiritus sancti, & membra eius non purgabuntur in vita sua, & in anima eius intellectus diuini non apparebunt. Et quousque destruat in corde suo solicitudinē sæcularium, prętер necessarium vsum naturæ, ac dimittat Deum curare de ipsis, spiritualis ebrietas in ipso nō mouebitur & consolationem illam non sentiet, de qua erat Apostolus consolatus, quando dicebat. *Nostra conuersatio in cœlis est.* Et iterum, *Viuo ego, iam non ego, sed viuit in me Christus.* Hoc autem dixi non succidens spem, ita videlicet, quod nisi qui attingeret ad summitatem perfectionis non promereatur gratiā Dei autsibi consolationē inueniat occurrētē. In veritate cum aliquis commissa publicauerit & ab eis elongauerit se omnino, & accesserit constanter ad bona, in modico tempore sentiet auxilium, quod si superauerit aliquantulum, inueniet consolationem animæ suæ, remissionem consequenter, & abundantiam bonorum recipiet, & gratia dignus fiet. Veruntamen minor est iste in comparatione apud perfectionem illius, qui seipsum segregauit à mundo & inuenit in anima sua beatitudinis secretum & comprehendit illam rem, pro qua Christus aduenit. Cui sit gratia in secula seculorum, Amen.

Gal. 2.

De bono. ad Deo dato. Cap. 12.

Multum honorē dedit Deus hominibus doctrinam duplicē, qua eis aperuit ostium intrandi ad supernam agnitionē. Vis autem testem fidelem super præmissis, fac temet tu in teipso, nō peribis. Etsi ab exterius vis hoc scire, habes alium magistrum & testem, qui ad viam te dirigit veritatis. Mens fermentata obliuionem vitare non potest, & sapientia nō aperit talibus portam suam. Qui poterit comprehendere diligenti cognitione, ad quam æqualitatem finis omnium finiatur, abbreuiatio temporalium, alio magistro non eget. Naturalis lex quæ primum homini data fuit à Deo, contemplatio est creaturarum suarum. Post prævaricationem vero addita est literalis. Qui non elongat se à causis viciorum voluntarie, inuitus trahitur ad peccatum. Hæ sunt causæ peccandi, Vinum, mulieres, prospera corporis habitudo & diuitiæ. Hæc naturaliter non sunt peccatum, sed per hæc declinatur ad passiones peccati, vnde oportet studiose cauere sibi.

Cauta lege q.

De occasionibus viciorum vitandis. Cap. 12.

Si semper fragilitatis tuæ fueris memor, terminum custodiæ non excedes. Apud homines abominabilis est paupertas, apud Deum vero plus anima corde sublimis. Apud homines sūt diuitiæ pretiosæ: sed apud Deum, anima humiliata. Cum volueris facere initium bonæ operationis contra venturas tibi tētationes prius præpara te ipsum, ne hæsites veritati. Nam consuetudo est inimici, vt cum videt aliquem accipientem bonam conuersationē fide feruenti & conscientia pura, obuiat ei variis & diuersis tentationibus, vt exinde in timore veniens, arescat à bono proposito, ne habeat aliquatenus calorem appropinquandi Deo: non quod talem virtutem habeat aduersarius (Nam nullus posset tangere bonum) sed permittitur à Deo, sicut in beato Iob docti sumus. Tu vero præpara temetipsū viriliter ad obstandum tentationibus, quæ virtutibus inducuntur, ac deinde virtutes incipe operari. Quia nisi prius te præparaueris à virtutū operatione recedes. Homo dubitans Deum esse adiutorem bonæ operationis, ab vmbra sua terretur, & in tempore fœlicitatis & abundantiæ, fame laborat, & in tranquillitate spirituali tempestate repletur. Qui verò confidit in Deo, confortatur corde, & coram omnibus apparebit preciositas eius, & in conspectu inimicorum suorum. Mandata Dei super omnes thesauros mundi sunt, & qui acquisiuit ea, inuenit intra se Deum: qui semper quando cubat, solicitus est de eo, ipsum acquirit procuratorem, & qui considerat voluntatem eius, cœlestes Angelos deductores habebit. Qui timet peccata, inoffensibiliter transibit timidum iter, & ante se lumen inueniet tempore tenebroso. Gressus custodit Dominus peccata timentis, & tempore ruinæ prævenient eū misericordia Dei. Qui delicta sua existimat parua, cadet in deteriora prioribus, & in semetipso solū vindictam. Semina eleemosynam in humilitate, & in misericordia iudicium metes. In quibus perdidisti bonum, in illis iterū acquire illud ad te, nō obolū des Deo, quòd à te non pro te ipse recepit. Margaritam videlicet castitatem perdidisti, nō recepit à te Deus Eleemosynam. Castitatem corporis tui vult à te, ex quo prævaricatus es, mandatum putes acquisitionem mūdi dereliquisse, pro aliis pugnes. Radicem dereliquisti & alios venisti impugnare. Dixit beatus Ephrem, quia nullus repugnat æstui tempore messis hyemalibus indumentis indutus, hic quilibet quod seminat, illud & metet, & quælibet infirmitas medetur propriis medicinis. Et tu forsitan agitatus inuidia, vt quid somnum impugnare festinas? Quousque paruum habeas & incipiat flo-

Iob. 1.

Castitas

rere delictũ, excinde illud priusquam amplificetur, & fructum faciat. Non sis negligens, quando paruũ tibi videtur delictum, quoniam videbis illud prima Dominum inhumanum & coram illo ligatus, tãquam seruus incides, sed ille qui repugnat à principio dominabitur eius cito.

De patientiæ perfectione. Cap. 13.

Qui potest iniustitiam sustinere cum gaudio, habens vtique præ manibus, quo resistere possit: Hic recipit cõsolationem diuinitus per charitatem quã gerit ad ipsum. Qui cũ humilitate sustinet accusationes obiectas, hic ad perfectionem venit, & à sanctis Angelis admiratur. Nulla enim ita magna & difficilis ad obtinendum virtus existit. Ne credas tibimet quod sis fortis, quousque examineris, & inuenias te ipsum inalteratum, sic in omnibus proba temetipsum. Non habeas mentem elatam nec confidas de virtute tua, ne permittaris in fragilitate naturæ, ac tunc ex propria natura fragilitatem tuam addiscas. Ne credas tuo arbitrio, ne te vinculo suo illaqueet inimicus. Acquire fidem rectam in temetipso, vt inimicos tuos valeas cõculcare, habeas mãsuetam linguam & omnino tibi dedecus nõ occurret. Acquire tibi dulcia labia, & habebis tibi omnes amicos. Ne glorieris vnquam in bonis operibus tuis, ne in lingua tua confundaris. Quamlibet rem, in qua gloriatur homo, Deus alterari permittit, vt humilietur homo & omnia prouidẽtia diuina permittit. Ne credas, quod sit tibi aliquid inalterabile in hac vita, talis autem affectus tuos oculos semper ad Deum extollat. Protectio Dei & prouidentia contra omnes homines est, nec videtur nisi ab his, qui purgauerũt semetipsos à peccato, & meditationem habent in Deo. Specialiter autẽ manifestatur his prouidentia Dei, qui pro Deo incidũt in magnã tentationem, tunc ipsam sentiũt & quasi oculis corporis apparet, quibus videnti iuxta quantitatẽ & curam contingentis tentationis vt ad extremitatem pugnatores inũgat, sicut in Iob, Iesu naue, Petro, & similibus quib. in humana specie apparebat confortans, & confirmans ad fidem. Si verò sanctis hic dispensatoriè datum fuit, quum specialiter promeruissent, huiusmodi visiones: in temptationibꝰ sint tibi ad fortitudinis exemplum, martyres Christi, quorum multi multoties aut singulariter vnus, & vnus in multis locis certauerunt pro Christo, & in occulta virtute, quæ in eis erat viriliter sustinuerunt in luteis corporibus, campo, ferro & omnimoda tormenta, rem quidem supra naturam. Talibus enim sancti Angeli visibiliter apparebant, vt addisceret quilibet, quod abundanter diuina prouidentia proueniret ad illos, qui modis omnibus sustinent omnem tentationem & omnem tribulationem pro ipso adiutorio fortitudinis eorum. Nã quanto sancti magis visionibus roborabãtur, tanto plus aduersarii propter ipsorum patiẽtiam furebãt: Quid necesse est dicere de Monachis peregrinis & anachoritis, qui desertum inhabitabant & fecerunt illud habitabile hospicium Angelorum, ad quos sancti Angeli sæpe accedebant, propter conuersationis suæ suauitatem, & vt sub vnius Domini protectione statuti, inuicem conueniebant ad tempus, quia omnibus diebus vitæ suæ vitam eremiticam amplexantes in montibus & speluncis, & cauernis terræ degebant, propter dilectionem diuinam? Vn-

Humilitas.

Angeli Martyrib. apparebãt.

de sicut terrena dereliquerunt, cœlestia dilexerunt. Angelorum imitatores facti sunt: ita de iure Angeli suam eis voluntatem non absconderunt, sed ad tempus apparebant eis, qualiter oportebat eos conuersari docentes, & aliquando quædam eis ambigua exponebant, & quandoque sanctos per deuia errantes dirigebant. Aliquando vero in tentationibus incidentes liberabant: Et quandoque subita ruina lapidum, & lapidum ictu, ab inimico sanctos manifeste impugnante, eripiebant, & se illis visibiliter ostendebant, & ad ipsorum consilium seu auxilium se dicebant transmissos, & confortationem & refrigerium & audaciam eis faciebant, & quandoque per ipsos sanitatem operabantur. Aliquando verò ipsos sanctos curabant in passiones incidentes. Aliquando verò corpora eorum fame corruentia, tactu manus aut verbis naturalibus confortabant, & fortitudinẽ apponebant, quandoque & transitus sui modum exponebant: Vt quid ergo multa enarramus, charitatem exprimendo, quam gratia nostri, & curam quam gratia iustorum sancti Angeli gesserint & gerunt? Nam sicut maiores Fratres minoribus Fratribus, sic prouident ipsi super nos. Sed hæc dicta sunt, vt sciat quilibet, quoniam *prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate*, & quantam prouidentiam faciat illis qui se beneplacitis eius tradiderunt, & sequuntur ipsum ex toto corde suo. Si credis, quod Deus procuret pro te, quare solicitus es, & curas de temporalibus & necessariis carnis? Quod si non credis quod prouideat tibi Deus, & ob hoc de necessariis tuis es solicitus sine ipso, miserrimus es omnium hominum. Vt quid ergo viuis? *Iacta ergo ad Dominum cogitatum tuum*, & à timore superueniente non formidabis. Qui seipsum semel obtulit Deo, in mentis quiete degit. Nisi aliquis fuerit sine proprio, à turbatione cogitationum non poterit eius anima liberari, & sine tranquillitate sensuum non sentiet pacem mentis. Et nisi intrauerit in tentationem, sapientiam Spiritus non acquiret. Et sine laboriosa lectione, subtilitatem cogitationum non sentiet. Sine tranquillitate cogitationum, mens in occultis mysteriis non mouebitur, & sine confidentia quæ fit per fidem, anima audaciam contra tentationes sumere cum securitate non potest. Et sine experientia protectionis Dei, cor in ipso sperare non potest. Et nisi gustet anima passiones Christi scienter, communionem non habebit cum ipso. Illum reputat hominem Dei esse, qui ob multam pietatem semetipsum mortificauit necessariæ vtilitati. Nam qui miseretur pauperis, Deum habet pro se cogitantem. Et qui pro ipso pauper, indeficientes thesauros iam inuenit. Deus non eget aliquo, sed lætatur cum videt aliquem, suam imaginem, id est, hominem complectentẽ & honorantem illam pro ipso. Quando quis postulauit quid à te quod habes, non dicas corde dimittam hoc animæ meæ, vt requiescam in ipso. Et Deus habet vnde illi porrigat necessaria aliunde. Iniquorum certa sunt hęc & ignorantium Deũ. Nam iustus homo & bonus suum honorem non dat alij, neque permittit gratiæ tempus inaniter prę terire pauper quidem & egenus homo procuratur à Deo, quia nullum Dominus derelinquit. Tu autẽ reliquisti

Pſal. 144.

Pſal. 54.

Christi Passionem gustauit.

Elemosyna.

reliquisti honorem tuum procuratum tibi à Deo, & repellens pauperem, suam à te gratiam elongasti: cum autē dederis, gaude, & dic: Gloria tibi Deus, qui feciſti me dignū, vt aliquem inuenirē ad complacendum. Quod ſi non habes quod des, gaude potius, & dic referens grates Deo: Gratias tibi ago Deus meus, qui dediſti mihi hunc honorem, vt ſim pro nomine tuo pauper, & feciſti me dignum guſtare tribulationem poſitam in via mandatorum tuorum in infirmitate & paupertate, ſicut guſtauerunt ſancti qui per hanc viam ambulauerunt. Cum infirmaueris, dic, beatius eſt his qui meruerunt à Domino tentari in his quibus vitam hæreditarie poſſidemus, infirmitates enim corporis adſunt pro animæ ſanitate. Dixit quidam ſanctorum, & illud notaui, quod monachus qui non ſeruit Deo iuxta beneplacitum eius, nec ſtudioſe laborat pro ſalute animæ ſuæ, ſed erga virtutū acquiſitionem ſe continet negligenter, permittitur à Domino in tentationes incidere, ne per nimiam ocioſitatem ſuam ad deteriora declinet. Ob hoc enim proiicit Deus tentationes ſuper pigros & negligentes, vt in ipſis, & non in vanitatibus meditentur. Facit hoc Deus diligentibus eum, vt caſtiget, & faciat ſapientes, & ipſos doceat ſuam voluntatem, quos, quando ad eum orant, citius non exaudit, quouſque confeſſi ſint, & ſciant pro certo, quod hoc ſibi pro ſua negligentia contigit. Scriptum eſt enim, *cum extenderetis ad me manus veſtras, auertam à vobis oculos meos. Et ſi multiplicaueritis orationes non exaudiam.* Hoc licet pro alio ſit dictum, tamen pro his ſcriptum eſt, qui viam Domini dereliquerunt. Ex quo Deum miſericordem multum dicimus, quia inter precationem poſtulantes & pulſantes non exaudimur, hæc autem docemur à Propheta dicente. *Non enim breuis manus Domini ad erudiendum, neque grauis auditu ad audiendum, ſed peccata noſtra diuiſerūt nos ab illo, & iniquitates noſtræ, ne exaudiat, qui ſuam faciem auerterunt.* Eſto Dei memor in omni tempore, & cum incideris in mala, recordabitur ipſe tui. Natura tua facta eſt receptibilis vitiorum, etiam præſentis ſæculi tētationes multæ ſunt, nec longè ſunt à te mala, ſed intra te ipſum & ſubtus te, & pedibus tuis oriuntur. De loco non exeas, in quo manes, & ab ipſis liberaberis cū Deus annuerit tibi. Sicut propinqua tibi ſunt ſupercilia, ita ſunt & hominibus tentationes propinquæ: Hoc autem diſpoſuit Dei ſapientia pro vtilitate tua, vt aſſidue oſtium ſuum pulſes: & timore tribulantium, in mente tua eius memoria inſeratur, & appropinques ei per interceſſiones, & ſāctificetur cor tuum, per continuam memoriam, & te deprecantem exaudiat, & addiſcas, quia Deus eſt qui te liberat, & ſenties creatorem tuum qui mundum duplicem pro te fecit, vnum tanquam doctorem, & caſtigatorem temporalem, alium tanquam paternam domum & hæreditatem tuam æternam, vnum in præſenti, alterum in futuro. Non fecit te Deus irreceptibilem triſtium, ne ad diuinitatem aſpirans, hæreditates, quod hæreditauit prius Lucifer, qui propter elationem Satanas poſtmodū eſt effectus. Similiter nec indeclinabilem nec immobilem, ne fieres ſimilis inanimatorum: nam & fierent tibi bona ſine lucro & mercede, ſicut ſunt irrationabilibus naturales effectus: Quāta vtilitas & gratiarum actio, & humilitas oriuntur de ſuperna inductione ſtimulorū, omnes facile ſcire poſſunt: manifeſtum eſt, quod nobis eſt ſtudere in bonis & declinare à malis, & ad nos honor & dedecus quæ habent ex his fieri, referūtur, pro dedecore verecundantes timemus, pro honore vero Deo gratias agimus & extendimur ad virtutes. Hac de cauſa permittit te Deus in contriſtationibus eſſe, ne aliquando declines exaſperans eum, & ſuperinductione pœnæ deſtruat te à facie ſua. Prętermitto enim doctrinæ impietatem, & cæteras blaſphemias, quæ naſcuntur per proſperitatem & ſecuritatem. Quoniam prædicta doctrinæ quis non præſumat? Hos magiſtros Deus tibi multiplicauit, ne ſi liber eſſes ex eis, & nō receptibilis contriſtantium ac ſupra timorem exiſtens, obliuiſcereris Dominum Deum tuum & declinares ab ipſo & ad culturam multorum Deorum recideres, ſicut multi, qui vtique tuæ conditionis conſimiles exiſtentes, & eiuſdem contriſtabilibus non flagellati, in vno momento temporis pro breui potente, non ſolum ad multorum Deorum inciderunt culturam, ſed & ſeipſos vocari Deos inaniter præſumpſerunt. Hac igitur de cauſa per paſſiones & cōtriſtabilia multiplicauit Deus memoriam ſui in corde tuo, & timore aduerſitatum excitauit te ad pulſandum oſtium ſuæ pietatis, & pro liberatione tua ab ipſis & occaſione eorum in te ſuam inſeruit charitatem. Charitatem autem inſerēs honore vbi adoptionis appropinquauit, oſtēditque tibi abundantiā ſuæ gratiæ, quāta eſſet. Vnde ſciebas ô homo huiuſmodi diſpenſationem, & curam ſuam niſi tibi contraria contigiſſent? Nam ex his impoſſibile eſt in anima tua doctrinam multiplicari per amplius charitatem, ſcilicet ex recordatione ſuorum chariſmatum, & ex recordatione multitudinis prouidentiæ ſuæ. Hæc omnia bona de contriſtabilibus tibi oriuntur, vt diſcas regratiari. Memento Dei, vt ſaluans te, recordatur & ipſe tui & omnem benedictionem largiatur. Ne obliuiſcaris eius elatus in vanitatibus, ne obliuiſcatur & ipſe tui tempore pugnæ tuæ. In abundantia tua obediens ſibi eſto, vt in tribulationibus præcordialem habeas, & aſſiduam deprecationem cum ſecuritate apud eum. Munda teipſum coram Deo, ſemper habens memoriā eius in corde tuo, ne moram prętrahens extra memoriā eius ſine ſecuritate fias cum acceſſeris ad eum, quia ſecuritas apud Deum ex ipſius fit feruenti colloquio multáq; oratione. Affectus qui fit erga homines & frequentatio, fit per corpus, & affectus ad Deum, fit per memoriam animę ac ſupplicationem & oratiōnē & holocauſtum. Ex multa enim recordationis ipſius aſſiduitate, quando ad ſtuporem & admirationem transfertur, lætatur cor quærētium Dominū. O condemnabiles & confortamini ſpe, quærite faciem eius per pœnitentiam & ſanctificabimini ſanctificatione vultus eius, & à peccatis veſtris mūdabimini. Currite ad Deum ô vos, qui eſtis rei peccatis, quia potēs eſt dimittere peccata & poteſt delere delicta. Cum iureiurando ait per Prophetam dicens. *Viuo ego dicit Dominus, Nolo mortē peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.* Et iterum: *Tota die expandi manus meas ad populum contradicentem & rebellem. Et nunc, quare moriemini Domus Iſrael? Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos*, Et iterum Ezechiel: *In*

Contemplatio in Regnū dei.

Mala, ex proſperitate.

Deplet lamēt.

Ezec. 33.

quacunque die peccator conuersus fuerit à via sua praua ad Dominum & fecerit iudiciũ & iustitiam, iniquitatum eius non recordabor, vita viuet dicit Dominus, & iustus, si dereliquit iustitiam suam, & peccati iniustitiam fecerit, iustitiæ eius non recordabor, sed pœnam lubricum coram eo & in obscuritate perum suorum morietur, perseuerans in eis. Qua de causa peccator non obligabitur, peccato suo, quandocunque conuertetur ad Dominũ, & iustitia iusti non liberabit eum, quacũque die peccauerit, dummodo permanserit in peccato. Et Hieremiæ quoque sic ait Deus. *Accipe in pergamenum, & quæcunque dixero tibi, inducam huic populo, vt audiens & timens homo, derelinquat viam suam malam, sed conuersi pœniteat & tollantur peccata eorum.* Et Sapientia dixit, *Qui abscondit peccatum suũ inutilis erit, qui verò confitetur peccata sua & transcendit ei, misericordiã obtinebit à Deo.* Et Esaias ait: *Quærite Dominum & inuenientes inuocate eum, & appropinquantes, derelinquet propriam viam peccator, & iniquus vir cogitationes suas, & conuertimini ad me, & ego miserebor vestri.* Cum custodieris vias Domini & feceris voluntatem eius, tunc spera in eum, & adhuc clamãte te, dicet tibi, ecce adsum. Sed superueniente tentatione iniquus non habet confidentiam inuocandi Deum, nec de propria salute sperandi, quia in diebus quietis suæ elongatus est à voluntate ipsius. Priusquam pugnare incipias, exquire compugnatores, & antequam infirmeris, require medicũ, & priusquam contingant tibi tribulationes, ora, & tẽpore tristitiæ inuenies eum, & exaudiet te. Priusquam labores, inuoca & supplica, & antequam votum emittas præpara promissa viatica, scilicet ab hoc mundo. Arca Noë tempore pacis condita fuit, centum annis ante ligna eius parata erant, tempore verò iræ perierunt iniusti, & iusto protectio fuit facta. Os iniquum per orationem obstruitur: Nam redargutio conscientiæ hominem facit formidolosum. Cor bonum effundit lachrymas cum gaudio in oratione: Nam quibus mundus mortuus est, hi sustinent aduersitates gaudenter. Magistrorum est enim & potentum sustinere labores mundi inter suos, & illorum, quibus mundus iste mortuus est, & omnis cõsolatio desperatur. Et quibus nõ est mortuus, nequeunt iniurias sustinere, sed à vana gloria moti ira turbantur, seu etiam à tristitia occupantur. O quam difficile est, vt hæc acquiratur virtus, & quantam gloriã obtinet apud Deum, qui vult hanc virtutem acquirere, scilicet iniurias sustinere, necesse habet se elõgare à suis atque peregrinari, quia non potest ea acquirere in sua patria commorãdo, sicut appropinquant gratia humiliati, sic & superbiæ contristantes euentus. Oculi Domini super humiles ad lætificãdum eos, vultus etiam Domini contra superbos ad humiliandum illos. Humilitas semper recipit à Deo misericordiam. Duritiæ verò cordis, & mordacitate fidei terribiles obuiationes occurrunt. Patuipende teipsum in omnibus apud omnes homines & exaltaberis super principes huius mundi, præueni omnes inclinatione ad salutationem tuam, & honoraberis super illos, qui offerunt munera, auri & ophyr: Vilipende teipsum & videbis gloriam Dei in temetipso. Nam vbicunque humilitas nascitur, ibi gloria oritur Dei. Si laboraueris manifeste contemni ab omnibus, faciet te Deus gloriari. Quod si habes humilitatẽ in cor-

Gen. 8.

Patientia.

Humilitas.

de tuo, ostendet sibi Deus gloriam in corde tuo. Esto contentus in magnitudine tua, & non magnus in paruitate tua, studeas despici & replebeA ris honore diuino. Non quæras honorari, cum interius sis repletus illecebris, contemne honorem vt honoreris: Ne diligas illum, vt dedecus non incurras. Qui currit post honorem, fugiet ab eo, & qui fugit illum, sequetur ab ipso, & de illius humilitate fiet omnibus hominibus prædicator. Si despicis teipsum, Deus te diuulgabit: si vero propter veritatem contempseris teipsum, præcipiet Deus creaturis omnibus vt te laudent. Aperiet ante cõspectum tuum, ostium gloriæ creationis tui, & commendaB bit te, quia secundum imaginem & similitudinem eius existentem hominem, quidem virtutibus fulgentem, hominibus vero contemptibilem apparentem, & vita splendentem, scientia quoque præclarum, humilem verò Spiritu, quis vidit? Beatus qui humiliat se in omnibus quoniam exaltabitur. Nam qui propter Deum humiliat & paruipendet seipsum, glorificatur à Deo: & qui propter Deum esurit & sitit. Deus illum bonis suis inebriabit: Et qui propter eum fit nudus, stolam incorruptionis & gloriæ induetur ab illo: Et qui pauper efficitur propter eum, miris ipsius diuitiis consolabitur. Teipsum despice propter Deum, & multipliC cabitur tibi gloria, te penitus ignorante. In tua vita teipsum reputa peccatorem, vt semper iustificeris. Fias idiota in sapientia tua, nec apparere te facias sapientem, idiota existens, & timeto superbiam, & magnificaberis. Fuge vanam gloriam & gloriaberis. Non est enim distributa filiis hominũ vana gloria, neque nationi mulierũ elatio. Si spõte renunciasti omnibus mundi rebus, ne velis aliquatenus cum aliquo litigare. Si vanam gloriam abominaris, fuge venantes eam. Fuge tam amatores rerum, quam acquisitionem earum. Elonga teipsum à prodigis, sicut à prodigalitate: fuge luxuriosos, sicut à luxuria. Quia vbi simpliciter memoratio peccaD catorum conturbat mentem, quãto magis aspectus & conuersatio cum eisdem. Appropinqua iustis, & Deo per ipsos appropinquaberis. Conuersare cum habentibus humilitatem & addisce mores eorum, si enim aspectus eorum est vtilis, quanto magis doctrina oris eorum. Dilige pauperes, quia per ipsos misericordiam obtinebis. Ne appropinques litigiosis, ne foras tranquillitatẽ compelles. Ne feras abominabiliter infirmorum dolores, quia & tu curue indueris sicut & ipsi. Ne exacerbes cõtristatos corde, ne ipsorum baculo flagelleris, & quæras, & non inuenias consolantes. Ne irrideas mutilatos membris, quoniam ad mortem imus æqualiter vniuersi. E Dilige peccatores, sed ipsorum tibi sint opera insidiosa, ne quoniam in iis, in quibus ipsi sunt, tu temneris. Memento, quoniam communionem habes cum terrena substantia & benefac vniuersis & ne exacerbes egentes, & orationibus tuis & suauibus sermonibus & consolationibus ne priues illos ne pereant, & à te ipsorũ animæ requirantur. Sed imitare medicos, qui calidiores passiones medicinis frigidioribus, & contrariis medentur frigidiora. Excita teipsum cum obuiaueris proximo tuo, vt eum honores supra mensuram, osculare etiam pedes eius & manus, & tene ipsas multoties cum mul-

Cũ bonis conuersandum.

Mulieru superbia.

to

685

to honore, & ſuperpone ipſas ſuper oculos tuos, & cõmenda ipſum etiam in eo quod non habet. Cum vero receſſeris ab illo, de ipſo loquere omne bonũ & quicquid eſt pretioſum. Per hæc & huiuſmodi trahes eum ad bonum, & ita ſemen virtutis ſeminabis in ipſo. Ex tali autem conſuetudine formatur in te forma bona, multam humilitatem acquires in teipſo, & magna obtinebis ſine labore. Quinimo ſi habet etiam defectus aliquos, honoratus à te, recipiet ſanitatem erubeſcens ex honore quem feciſti. Hic modus ſalutationis & honoris ſit tibi ſemper apud oẽs, nõ exacerbes aliquẽ, neq; turbes, neq; inuideas alicui, ſed cuſtodi teipſum, nec aliquẽ in aliquo arguas, aut iudices aut culpes, habemus enim in cœlis iudicẽ nõ acceptantẽ perſonas. Quod ſi velis ipſum conuertere ad veritatẽ, cõtriſtare pro ipſo, & cum lachrymis loquere ipſi vnum verbum aut duo, nec accendaris furore contra eum, ne inimicitiæ videat in te ſignum. Nam charitas non nouit furere, aut exacerbare aut abominari aliquem vitioſẽ. Signum charitatis & ſcientiæ eſt humilitas, quæ naſcitur ex conſcientia bona in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui eſt gloria & poteſtas cum Patre & Spiritu ſancto, & nunc & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Quando aliquis in aliquam ruinam labitur peccati, ſignificatiuum eſt naturalis frigiditatis, quia conuenienter permiſit Deus, naturam humanam receptibilem eſſe vitiorum: Non enim prouidit conſtituere ipſam ſuper illa, ante regenerationem futuram. Ipſam autem eſſe receptibilem vitiorum, vtile eſt ad conſcientiæ pungimenta: ſed perſeuerantia in eiſdem, imprudẽs eſt & turpis. Tres modi ſunt, per quos omnis anima rationalis Deo poteſt appropinquare: Vel per feruorẽ Dei, vel timorem, vel Domini diſciplinam. Nullus enim poteſt appropinquare charitati Dei niſi præceſſerit vnus ex his tribus modis: ſicut enim ab ingluuie ventris naſcitur turbatio cogitationum, ita & à multiloquio, & immoderantia locutionum, ignorantia & mentis exceſſus: temporalium rerum ſolicitudo turbat animam, & fermentatio quæ fit ex ipſis, mentem corrumpit, & exerit à quiete. Decet enim religioſum, qui ſe tradidit operationi cœleſti quotidie, extra omnem ſolicitudinem temporaliũ ſemper eſſe, vt factus in ſemetipſo, nihil penitus in ſe inueniat de hoc mundo, ab huiuſmodi enim ſanctus in otio irreuocabiliter in lege Domini, die ac nocte poterit meditari. Corporalis labor ſine meritis munditia eſt, ſicut ſterilis matrix & vbera ſicca, quia ſcientiæ Dei appropinquare nõ poteſt: laborioſum quidem facit corpus, ſed nihil acquirit. Sicut qui ſeminat ſuper ſpinas, nihil metere poteſt, ita qui ſe odio & cupiditate deſtruit, non poteſt aliquid adipiſci, ſed ex multis vigiliis & occupatione rerum infirmatur in loco ſuo. Et hoc teſtatur Scriptura quæ dicit, ſicut populus operãs iuſticiam, & nullũ mandatum Domini negligens, veritatem & iuſtitiam quærunt à me & nolunt mihi appropinquare dicentes. Quare ieiunauimus & non vidiſti, & nos humiliauimus & non nouiſti? In diebus enim ieiuniorum veſtrorum facitis volũtates veſtras, & tanquam idolis ſacrificia offerentes malignas operationes animæ, & cogitationes prauas, quas ſicut Deos reputaſtis, vobis & corda veſtrum omnium precioſiora thymiamate immolantes eiſdem: Quæ vos oportebat offerre mihi per bonam operationem, & ſinceram conſcientiam veſtram. Sicut nubes operiunt lumen Lunæ, ita & vapores ventris in anima, ſapientiam Dei. Sicut eſt flamma ignis in ſiccis lignis: ita eſt in ventre repleto. Sicut auget pinguis materia flammam ignis, ita & diuerſitas ciborũ corporis motũ. In corpore luxurioſo ſcientia Dei non habitat. Qui diligit corpus ſuũ, Dei gratiã non acquiret. Sicut ex doloribus partûs, fructus oritur lætificans patientem, ita ex labore naſcitur in anima ſecretorum Dei ſcientia. Sicut pater curam gerit filij ſui, ita Deus curam gerit corporis, quod pro ipſo affligitur, iuxta illud: Precioſiſſima eſt corporis acquiſitio, quæ cũ ſapientia exercetur.

Gula.

Amor corporis.

Peregrinus eſt, qui mente factus extra ſæcularia vniuerſa: lugens eſt, qui in fame & ſiti vitam ducit omnibus diebus vitæ ſuæ propter ſpem futurorum bonorum. Diuitiæ religioſi, ſunt, conſolatio quæ quæ fit ex luctu, & lætitia quæ fit ex fide quæ in cubilibus ſplendent. Monachus eſt, qui ſedet extra ſæculum & ſemper ſupplicat Deo, vt adipiſcatur futura bona. Miſericors eſt, qui dat omnibus & in mente aliquem ab aliquo non diſcernit. Virgo eſt, qui non cuſtodiuit corpus ſuum à pollutione tantum, ſed is, qui quando ſolitarius eſt verecundatur in ſemetipſo. Si diligis caſtitatem, turpes cogitationes per meditationẽ lectionis & attentam orationem expelle, & tunc armaberis cõtra cauſas naturæ, quia ſine his impoſſibile eſt munditiam in anima inueniri. Si vis inuenire gratiam vel miſericordiam poſſidere, prius aſſueſce teipſum contemnere omnia, ne mens ipſorum pondere diſſoluatur & extra terminos ſuos fiat. Nam certificatio miſericordiæ in iniuriarum patientia demõſtratur. Humilitatis perfectio eſt accuſationis flagella cum gaudio ſuſtinere. Si in veritate miſericors es, cum auferuntur tibi iniuſte tua, ne contriſteris interius, nec exterius damnum recites, ſed diluatur potius iactura iniuriantium à miſericordia tua, ſicut vini auſteritas, per abundantiam aquæ, oſtende cuique multitudinem miſericordiæ tuæ in bonis, quæ tribuis iniuriatoribus tuis, ſicut beatus Heliſeus fecit inimicis ſuis ipſum volentibus captiuare: Nã quando orauit & excæcauit eos caligine, virtutem quæ erat in ſe, oſtendit. Et cum cibum, & potum dedit eis, & eos abire dimiſit, miſericordiam Domini monſtrauit.

Quomodo homo fit peregrinus & Monachus. Cap. 15.

Miſericordia. Humilitas.

Qui in veritate humilis eſt, patiendo iniuriam nõ turbatur, nec excuſat ſe ſuper re in qua iniuriam eſt perpeſſus, ſed recipit accuſationem, vt virtutem, nec ſollicitus eſt ſuggerere hominibus quod ſit accuſatus, ſed veniam petit. Quidam enim infamiam luxuriæ ſponte attraxerunt ſibi, cũ tales non eſſent: adulterij, alij longe exiſtentes ab eo, ſuſtinuerunt, & ſemetipſos lachrymãdo pœna peccati quod non fecerant, honorabant, & indulgentiã de iniquitate quam non perpetrauerunt, cum lachrymis ab iniuriantibus expetebant, omni puritate & munditia exiſtentes in anima coronati. Alij quoque ne glorificarentur in virtuoſa conuerſatione ſua quæ occulta erat in ipſis, ſe inſanos oſtendebant cum eſſent diuino ſale conditi & tranquillitate formati,

De perfectione humilitatis. Cap. 16.

vtpote qui ex cõuersatione sua summa sanctos Angelos operationum suarum prædicatores habebãt. Tu enim humilitatem putas habere, sed non poteris accusari: Si ergo scire volueris, vtrum sis humilis, proba teipsum in supradictis.

De mansionibus æternitatis. Cap. 17. Ioan. 14.

Multas mansiones Patris sui Saluator vocat mensuras mentium in illa commorantium regione, videlicet discretiones & diuersitates, quibus in animo perfruuntur. Non enim doctrina locorum, sed ordine charismatum multas fore mãsiones expressit: sicut quilibet materiali Sole iuxta sinceritatem virtutis visus & gratia fruitur, & sicut vna lucerna in vna domo lucẽte, fit cuilibet lux diuersa in splendores plurimos lumine indiuiso, ita in futuro sæculo iusti omnes indiuisi in vna regione morabuntur, quilibet autem ab vno intelligibili Sole illustrabitur, secundum mensuram suam, & pro meritis valet gaudium, & lætitiam, tanquam ab vno aere eris & loco & cathedra, & aspectu & forma: nec inuidebit quis, mensuris plus habentis vel minus, nec videndo gratiam superabundantem amici sui propriúmque defectum, fiet sibi turbationis & tristitiæ causa, quod abfit, vbi nõ est tristitia, neque gemitus. Quinimo quilibet secundum concessam sibi gratiam, iuxta mensuram interius delectatur. Vna est enim visio omnibus exterius & lætitia vera. Et ab istis duobus ordinibus altus ordo medius non est, videlicet vnus superior, alius inferior. In medio autem istorum veritas differẽs retributionũ existit. Quod si verum est, sicut verum est, quid insipientius, & amentius illis qui dicunt, sufficit mihi vitare gehennam, si non intrauero in regnum, non curo. Nam euitare gehennam, nihil aliud est, quam intrare regnum, sicut & à regno excidere, est intrare gehennam. Non enim docuit nos Scriptura tres regiones, sed quod cũ *Venerit Filius hominis in sede maiestatis suæ, oues quidem à dextris, hœdos autem statuet à sinistris*: nec dixit tres ordines, *sed vnum à dextris & alium à sinistris*, & distinxit terminos eorum, & tabernacula dicens. *Ibunt isti in æternum supplicium*, scilicet peccatores: *Iusti autem in vitam æternam, qui fulgebũt sicut Sol*. Et iterum *Venient ab Oriente & Occidente & recumbent cum Abraham in regno cœlorum. Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium*, qui horribilior est omni igne. Quid ergo non intellexisti, quod contrarium superioris ordinis est ipsa gehenna, quæ cruciat? bonum est igitur instruere homines ad bonum, & attrahere ipsos ad commorãdum sub dispensatione diuina, & ab errore ad veritatis agnitionem transferre: Hic enim fuit Christi & Apostolorum ordo, & est valde sublimis. Si vero sentit homo ex huiusmodi continentia & assidua communicatione, quod in visione rerum sua continentia infirmetur & turbetur eius tranquillitas, & scientia obscuretur, pro eo quod mens sua eget adhuc custodia & sensuum subiectione, & dum velit alios curare, suam destruit sanitatem, & exit à libertate propriæ voluntatis ad mentis turbationem: Iste recordetur Apostolici verbi: *esse cibum solidum perfectorum*, & reuerterur retro, ne audiat tanquã in prouerbio: Medice cura teipsum. Contemnat quoque seipsum, conseruet propriam sanitatem, & tam pro sensibilibus verbis suis quam vocibus suis, ministret & doceat conuersatione bona. Cúmque animam suam in sanitate senserit, tunc etiam prosit aliis, & de aliis curam gerat. Nam cum infirmus inuentus fuerit ab hominibus, elongatus poterit eis benefacere potius in cœlo bonorum operum quam in verbis, dum & ipse infirmus sit & egeat sanitate plus eis. *Cæcus enim, si cæcum duxerit, ambo in foueam cadunt*. Illi enim, qui sanas habent sensualitates, & exercitati sunt, qui etiam possunt sumere omnem cibum, videlicet insultus omnium sensuum, nec ab omnibus, quæ sibi occurrunt læsionem incurrunt cordis, propter exercitationem perfectionis, prædicent & fructificent in humilitate. *Oculi Domini super humiles corde & aures eius ad preces eorũ*. Quando Diabolus vult mentẽ Religiosorum contaminare, immemor fornicationis, prius in amore vanæ gloriæ probat mentem ipsorum, quia initium huius cogitationis esse vitium non putatur: Ita enim facere consueuit custodientibus mentem suam, in quibus non potest seminare cogitationes iniquas, & postquam eduxerit eos annunciatione sua, & cœperit cum cogitatione pristina disputare & elongauerit eos, statim inde occurrit ei in forma fornicationis & subuertit mentem in rebus luxuriæ. Et primo quidem turbãtur in subito eorum incursu propter præcedẽtem castitatem cogitationum, quæ occurrerat rebus, à quibus mẽs fuerat separata. Et quamuis non contaminantur omnino à propria tamen dignitate deiicit ipsos. Si vero mens conuersa fuerit retrorsum, & conculcauerit primum cogitationum insultũ, quæ est causa superdictionis seruiẽdi, tunc de facili poterit vitium superari. Melius est enim per virtutum memoriam, quam per impugnationem subripere vitia, quoniã cùm vitia à sua regione recedunt & mouentur per pugnam, tunc menti imagines imprimunt atque formas potentium, nanque magnam hic pugnam possidet cõtra mentem, cogitationes vehementer conturbans & tumultum excitans. Sed secundum primam determinationem quam diximus, vestigia cunctorum vitiorum nec apparent in mente post expulsionem. Corporalis labor & Diuinarum meditatio scripturarum conseruant munditiam, laborem verò corroborant spes & timor. Spem & timorem in mente constituunt. Elongatio ab omnibus & Oratio cõtinuata. Quod isque recipiat homo Paracletum, eget diuinis Scripturis, vt in mente sua bonorum memoria informetur & ex continua lectione innouetur in ipso motus in bono, & custodiat animam suam, & ab omni subtilitate peccati, quia nondum acquisiuit virtutem Spiritus, quæ prolongat errorem captiuãtem vtiles animæ recordationes & appropinquantem frigiditate mentis, quæ fit in consperssione ipsius. Nam quando virtus Spiritus superuenit virtuti animæ, quæ operatur per ipsum, tunc pro lege Scripturarum, mandata spiritus adducuntur & à sensuali materia auxilio nullo æget. Quandiu enim cor animalibus instruitur, doctrinam nimirũ error & obliuio comitantur: cum vero doctrina Spiritus adest, tunc memoria custoditur illæsa. Sunt cogitationes bonæ atque malæ, similiter & voluntates. Primus ordo scilicet cogitationum, est motus transiens in mente, sicut ventus qui surgit in mari, & in vndam se extollit. Secundus scilicet voluntatum ordo est, quasi pauimentũ & fundamentum,

Matth. 25.

1. Cor. 3. Heb. 5. Luc. 4.

689

damentum, & secundum pauimẽtum termini non iuxta cogitationum motus fit boni retributio atque mali. Anima ex motu cogitationum conuertibilium non quiescit, si verò vnicuique illarum mutationum dedecus inseueris in cordis fundamento non existente XXI. es tu ad alteram dum quotidie aduersus tua mala atque bona. Auis impennata est mens educta nouiter à connexione vitiorum per pœnitentiam, & in tempore orationis laborans extolli à terrenis rebus, & nequiens. Sed adhuc serpẽs super terræ faciem, & adhuc volare non potẽs. Verumtamen colligit cogitationes suas in lectione, & operatione & timore, & cura veritatis. Nam præter hæc aliquid scire non potest, & hæc quoque conseruant mentem impollutã ad breue tempus: postea verò veniunt recordationes, & conturbant & contaminant cor, quia nondum persentit tranquillum aerem libertatis, ad quem per obliuionem rerũ post longum tempus colligit mentem, quoniam adhuc alas habet corporeas, id est virtutes quæ manifeste operantur. Nam contemplationis virtutes nõdum inspexit, nec ipsas sentire promeruit, quæ sunt alæ mentis, quibus elongatur à terrenis & cœlestibus appropinquatur. Quandiu sensibilibus rebus ministrauerit quis Domino, in figuris diuina cõsiderat, & formæ rerum ipsarum in suis cogitationibus informãtur: Cum verò per interiora fiunt, tunc iuxta mensuram sensualitatis suæ, mens erit ad tempus sublimior formis rerum. Quãdo anima tua appropinquauerit vt exeas à tenebris, hæc tibi sint pro signo: æstuat cor tuum & calefit, sicut ignis die ac nocte, ita vt totum mundum reputes tãquam stercora & cinerem, nec cibum appetas præ dulcedine mirabilium & feruentium cogitationum quæ semper mouentur in anima tua, & datur tibi fons subito lachrymarum. Sicut torrens mõtium absque violentia, quæ omnibus operibus tuis commmiscentur. Cum autem hæc in anima tua videris, confortare, quia mare transfretasti, & sic adiicias operibus tuis, & tene bene custodiam, vt multiplicetur in te gratia de die in diẽ, quousque hic obuiaueris. Nõdum enim perfeciſti viam tuam, nisi pertingas ad opus Dei. Quod si postquam veneris & acceperis gratiam lachrymarum, cessauerint lachrymæ, & calor tuus frigefactus fuerit sine alteratione alterius rei, scilicet infirmitate corporis, ne tibi quid, quoniam in elationẽ aut negligentiã peruenisti. Si opera non habes, de virtutibus non loquaris. Pretiosæ in conspectu Domini tribulationes, quæ sunt pro ipso & propter ipsum, & super omnẽ orationẽ & sacrificiũ & odorem, & sudor ipsarum super omnia aromata.

Quamlibet virtutem, sine labore corporis fastam, reputa sicut abortiuum exanime. Oblatio iustorum: lachrymæ oculorum suorum, & sacrificiũ acceptabile, gemitus eorum in vigiliis. Oratio humilis tanquam ab ore ad aures Dei. Domine Deus meus, tu illumina tenebras meas in tempore tranquillitatis tuæ, Clama in operibus bonis humiliatus. Clamabunt ad Dominum iusti, corporis ponderе angustiati, & in dolore preces ad Deum emittent, in clamore vocis suæ sancti ordines ad auxiliũ accedent vt confortent eos & in spe consolentur. Communicant Angeli sancti in passionibus & tribulationibus propter propinquitatem suam. Bona

A operatio & humilitas, hominem Deum faciunt super terram. Fides verò & misericordia citò faciunt ad munditiam transmeare. Calorem & contritionem in vna anima fieri impossibile est, sicut in vno homine ebrietatem & modestiam cognitionum: cum animæ datur hic calor, aufertur ab eo cõtritio & luctus. Vinúmque ad hilaritatem. Sed calor ad animæ lætitiam, exhibe tibi illud, calefacit corpus. Sed verbum Dei ad futurum sæculum mẽtes. Sicut illi qui inebriantur vino, figuras & formas alteratas imaginantur, sic & illi qui inebriantur spe & calefiũt, nec tribulationem percipiunt, nec aliquid sæculare. Hæc autẽ contingunt simplicioribus corde B & feruẽtioribus spe & alia similia post assiduã operationem & munditiã, quæ omnia præparata sunt illis qui ambulãt in semita mandatorum Dei, hic vtique gustat in principio viæ Dei propter fidẽ animæ suæ. Omnia enim quæcunque vult Deus facit. Beati qui præcinxerunt lumbos suos ad mare tribulationum, in simplicitate, inscrutabili modo propter amorẽ Dei, nec dederũt terga, quoniam ad salutis portum quam citius dirigentur & quiescẽt in tabernaculis eorũ qui bene laborauerunt, & consolabuntur à tribulationibus suis, & exultabunt in lætitia cordis sui, qui spe currunt, propter asperitatem viæ non reuertuntur, nec expectant ad inquirẽdum C de hac asperitate, sed per hoc mare transeuntes & asperitatem videntes, Deo gratias offerũt, quoniam liberauit eos de angustiis & rupibus & huiusmodi asperitatibus nescientibus ipsis. Illi verò qui multas cogitationes in mente reuoluunt volentes nimium esse sapientes, quia exponunt se cogitationum subuersionibus præparant se pigritiæ: & præuidere volentes viam nocumenti, plures eorum ante portas domorum suarũ semper sedentes inueniunt quasi dicentes, vt piger transmissus ad viam, dicit: *leo est* Pro. 22. *in via & homicida in plateis*: & iuxta illos dicentes: *filios* Num. 13. *Gigantum vidimus, & eramus eis sicut locustæ*. Hi sunt qui in tempore sui in via qui semper volunt esse sapientes. Sed ponere principium omnino non valent. Idiota verò transnatat in primo calore, de corpore nullatenus curam gerens, nec cogitans in semetipso, vtrum lucretur aliquid, nec ne de sua negotiatione. Non fiat tibi multitudo sapiẽtiæ lubricum animæ & laqueus ante faciem tuã: sed in Deo confisus, viriliter pone initium incedendi per viam quæ saginæ plena est. *Ne semper videaris egenus & nu-* Eccles. 11. *dus à scientia Dei, timidus enim & qui ventos præstolatur non seminabit*: Melior est enim mors pro Deo, quàm vita cum verecundia & pigritia. Cum volueris incipere opus Dei, prius conde testamentum, tanquã non habeas viuere in hac vita: & sicut ille qui se parauit ad mortem desperans de vita sua, donec perE veniat ad tẽpus termini sui. Et hæc habeas in mente tua, & caueas ne impediaris spe pœnitentis vitæ ad pugnandum & vincendum. Nam spes huius vitæ relaxat mentem, propter quod nihil excogites omnino, sed fidei da locũ in mente tua, & hoc memorare dierum qui eunt post mortẽ tuam, & nũquam laxatio veniet tibi iuxta sapientem, qui dicit, quod *mille anni huius sæculi non sunt sicut dies vnus in sæculo iu-* Malac. 3. *storum*. In fortitudine tua incipe omnem bonã operationẽ, nec in duplicitate animi accedas ad eam, nec hęsites in corde tuo super spe, ne labor tuus fiat

inutilis, & onerosa oratio laboris tui, sed crede in corde tuo, quod misericors est Dominus, & exquirentibus eum dat gratiam, non secundum operationem nostram, sed secundum multitudinem & fidem animarum nostrarum. Ait enim, *fiat tibi, sicut credidisti.* Diuersitates operationum sunt. Quidam enim pertulit virtutem capitis sui pro collectis horarum tota die taliter agens. Alius genuflexionibus laborans, & sic permanens colligit numerum orationum suarum. Alius multitudine lachrymarum supplet locum collectarum suarum, & contētus est eis. Alius sollicitus in meditatione intentionis suæ, & colligit regulam iniunctam. Alius cruciat animam suam in fame, ita vt etiam nequeat complere collectas. Alius in feruēti cogitatione psalmorum permanens cōtinuam collectam facit ipsam. Alius studet lectioni, & calefit cor eius. Alius abripitur diuinos considerans intellectus. Alius stupefactus ex admiratione sui à silentio præpeditur à cōsueta meditatione detentus. Alius gustans ex his omnibus & saturatus, conuersus est retrorsum, & remansit inanis. Alius modicū ex his gustans tumefactus errauit. Alius multa infirmitate & debilitate sua impeditus est conseruare regulā suam. Et alius consuetudine alicuius concupiscentiæ occupatus, vel ambitionis vel vanæ gloriæ, vel cogitationis etiam ruit. Alius corruit & surrexit, nec conuertit terga sua, donec accepit pretiosissimā margaritam; cum gaudio & prōptitudine semper incipe opus Dei, & si mundatus fueris à vitiis & hęsitatione cordis, ipse Deus ascēdere te faciet ad virtutū summitatē & auxiliabitur tibi, & prudentiorē te faciet, & secūdum voluntatem suā mirabiliter ad perfectionem attinges. Cui sit gloria & potētia in sęcula sęculorū, amē.

Matth. 8.

Quid impediat cor, ne ad mala ruat.

Quo vinculo tenetur cor, ne discurrat ad mala? R. sapientiam sequi semper & doctrinæ in vita studere. Aliud enim vinculū effrenationi mentis fortius non resistit. *Quæst.* Vsque quo est terminus itineris sapientiam insequentis, & in quo finitur, doctrina eius? R. Ita est impossibile inuenire terminū istum, quod etiā sancti, quo ad profectionem eius patiuntur defectū, contermini etiam sapiētiæ, quia vsque adeò sublimatur, donec insecutorem suum vniat Deo, & hoc est signum quod eius consideratio est sine fine, quia sapiētia est ipse Deus. Q. Quæ est prima semita & initium eorum, quæ nos faciunt appropinquare sapientiæ? R. Quod quis totis viribus insequatur sapientiam & insequēdo tota mēte sustinet, vt etiam, cum expedierit, exuat ipsam vitam, & proiiciat à se, nec fiat, negligens propter amorem sui. Q. Quis est ille, qui digne nominatur intelligēs? R. Qui verè intellexit quid sit terminus huius vitæ, idem enim potens est ponere terminum delictis suis. Quæ nanque sciētia, quisve intellectus est maior isto, videlicet, vt excogitet quis, qualiter exire possit de hac vita, cum in corruptione, nō habet membrorum aliquod concupiscentiæ fœtore infectum, vel animæ maculam ab ipsius dulcedine sordescentem. Homo enim, qui acuit intellectus suos vt ingrediatur ad secreta omnium naturarum, & ditatus in adinuētione & cōsideratione, in omni scientia, & anima eius exīstit sordibus peccati polluta, nec acquisiuit testimonium in spe animæ suæ, sed putat bene ad portū confidētiæ peruenire, insipientiorem eo mundus non habet. Nam neque ad spem huiusmodi adducunt eum opera sua, propter indeficientem cursum suum. Q. Quis est fortis in veritate? R. Qui prosperatur in tribulationibus temporalibus, in quibus abscondita est gloria victoriæ suæ: nec desiderat delectationem, in qua abscondita est vita confusionis, quæ calicē luctus propinat semper inuenientibus eam. Q. Si læditur in itinere quo itur ad Deum, si quis declinat à bonorum operum studio propter tēntationes? R. Non decet aliquem appropinquare Christo sine tribulatione. nec sine ipsa, conseruatur iustitia cuiusquam inalterata, & si quis exigit opera quæ augent ipsam, recedit ab ea, nec conseruant eam: sed inuenitur sicut thesaurus incustoditus, & tanquam athleta armis suis expoliatus, quādo circundat eum acies inimicorum suorum, & sicut nauis non habens apparatum suum. Et tanquam pomarium irrigationis fonte priuatum. Q. Quis est illuminatus in intellectibus suis? R. Quicunque peruenit ad amaritudinem quæ est absconsa in dulcedine mundi, & continet os suum, nec de calice hoc gustat, & semper scrutatur de salute animę suæ, nec cessat à cursu suo donec dissoluatur à mūdo isto, claudit quoq; ostia sensuum suorū, ne subintret vnquam in ipso concupiscentia huius mundi, & subripiat occultò thesauros eius. Q. Quid est mundus, & quomodo cognoscimus eū, & in quo lædit diligētes se? R. Mundus est meretrix, quæ desiderio pulchritudinis suæ ad concupiscētiam trahit videntes eam: qui autem particulariter eius amore decept⁹ ipsum fuerit amplexatus, à manibus eius non potest euadere, donec spoliet eum vita sua: & cum expoliauerit omnibus, eiiciet eum à domo sua, & in die obitus sui homo cognoscit eum. Quando verò laborat quis exire de mundo isto, quandiu abscōsus est in ipso nō potest videre connexiones eius, & sic non solum condiscipulos suos & filios, & illos qui colligantur, in ipso detinet mundo: sed etiā illos qui proprium non habent, scilicet, religiosos, qui eius vincula distrūpant, si in vnum facti erant supra eum, iam incipit quibusdā modis in operibus suis venari, necnon etiam conculcare. Q. Quid faciemus corpori, quādo circūdat id dolor & grauitas, quia cōlaxatur cū eo voluntas prioris fortitudinis desiderio boni? R. Hoc fit multoties, pro eo, quod medietas eorum exiuit post Deum, & reliqua medietas remānsit in mundo, & corda eorū non sunt, ab his quæ sunt hic, separata, sed diuisa sunt sua, & quādoque respiciunt ante, retro verò quandoque. Et sicut ego puto, illos, qui taliter sunt diuisi & appropinquant Deo, monet Scriptura, dicens: *Ne accedas ad Deum in duplicitate cordis, sed ad illum accede, sicut qui seminat & metit.* Et Dominus, illis qui abrenunciant imperfecte, & sunt diuisi, & redeunt mente retrorsum occasione timoris tribulationum, scies, quòd nondum à se carnis desideriū abiecerūt, cum abiicere illud voluit à mentibus eorundē, dixit eis verbū determinatum. *Quicunque vult post me venire, prius abneget semetipsum*, vt sicut ille qui paratus est ascendere crucem, assumit in mente sua mortis intētionem ac sic egredietur, velut homo nō cogitans habere partem iterum in hac vita. Ita facere debet, qui pficere vult prædicta. Nā crux est ad omnem tribulationem parata voluntas.

Sapientiæ nullus finis.

Mendax meretrix sæculi.

Item

Irem cum Dominus dicere voluit, quare hoc esset, dixit: *Qui vult viuere in hoc mundo, perdet semetipsum à vera vita. Qui verò perdet semetipsum propter me, hîc, illic inuenict semetipsum.* Id est, qui transit per viam crucis, & ponit gressus suos in ipsa, & habet iterum solicitudinem in hac vita, perdit seipsum à spe, pro qua vt sustineret: exiuit, quia huiusmodi solicitudo non permittit eum appropinquare tribulationibus, quę sustinentur pro Deo, sed propter moram quam trahit in eadem, trahit ipsum solicitudo modicum, & educit eum à certamine vitæ beatitudinis. Et augetur in ipso in tantum hæc cogitatio, vt superet eam. Et: Qui perdit animam suam propter me in mente sua, ac propter dilectionem meam: hic in vitã æternam illæsus & innocens custoditur. Hic enim qui perdit animam suam propter me, inueniet eam deinceps. Ergo præpara animam tuam ad exterminationem ex hac vita totalem, & sicut repromisi, dabo tibi vitam æternam, & in hac quoque vita, pro opere tuo, repromissionem meam & certitudinem futurorum bonorum ostendam: tunc enim inuenies æternam, cum neglexeris istam. Cúmque interius intraueris in huiusmodi præparationẽ, tunc contemnentur in oculis tuis omnia quæ laboriosa & tribulantia reputantur. Nam cum mẽs ita fuerit præparata, non habet certamen neque tribulationem in tempore periculi mortis. Propter quod, pro certo, nisi habuerit homo odio vitam suam in hoc mundo, propter affectionem futuræ vitæ, tribulationes non poterit sustinere. Q. Quomodo resecat homo primam cõsuetudinem, & assuescit se ipsum in vita, religioni & egestati? R. Corpus viuere sine necessariis non acquiescit: sed in quãtum possibile est, mẽs seipsam à voluptatibus & laxatione, quamdiu ab his, quæ laxationem operantur, longe consistat. Nam quando videt materias rerum voluptatis, excitatur in ea, concupiscẽtia cum feruore, propter quod Saluator sequenti eum, spoliari mandauit & exire de mundo, quia oportet hominem laxationis causas abiicere à seipso, & sic appropinquare labori. Et ipse quoque Dominus, quando incipit pugnare cum Diabolo, ipsum in deserto ficciſſimo expugnauit. Et Paulus etiam admonet tollentes crucem Christi, exire de ciuitate, dicens. *Egrediamur cum eo & assumamus opprobrium eius.* Quia Christus extra ciuitatem passus est, per segregationẽ mundi, & eorum quæ sua sunt. Cito quis tradit obliuioni primam consuetudinem suam, nec laboret in his tempore multo? Pro iniquitate verò mundi & rerum eius, mens à fortitudine sua quantocius relaxatur. Expedit nanque monacho, quod in hoc certamine viuat, vt sit in necessitate & inopia status cellæ monachi, & vt sit cella eius vacua, & ab omnibus ociosa, quæ desiderium quietis mouent in ipso. Quum causæ relaxationis lõgè sunt ab homine, non periclitatur in duplici prælio: interiori & exteriori. Nam quando homo est egens necessaria vtilitate tabernaculi sui, tunc & vtilitas eius fit contemptibilis, nec in tempore necessitatis cum desiderio videt cibum, & modico quodam facit corpus esse contentum, & illud etiam tanquam contemptibile videt, nec propter delectationem cibi comedit, sed vt naturam tantum sustentet ac confortet. Occasiones enim huius vitæ cito transformant ho-

A minem ad religionem sine tribulatione ac tristitia mentis, expedit autẽ monacho nullatenus commisceri impugnantibus eum. Sed ab eorundem aspectibus abstinere, & elongare se à propinquitate eorundem, & hoc dico nõ solum pro vẽtre, sed etiam pro omnibus in quibus examinatur & probatur libertas monachorũ. Quãdo homo accedit Deum, fœdus init cum Deo de his omnibus abstinere, quę sunt hic: Non videre faciem mulieris, nec respicere formosarũ aspectus, nec concupiscere quicquã, vel epulari, vel ornatũ in vestibus: nõ videre nec respicere hominũ sæcularium dignitates, eorum verba nunquã audire, nec ea quæ sunt de eis. Quia multas B vires acquirũt vitia de propinquitate ipsorũ laxantium & alterantiũ athletæ sapientiam & propositũ eius. Et si aspectus bonorum mouet arbitriũ zelum habentis, vt inclinetur ad operationẽ eorum, manifestum est, quod aspectus contrariorum potentiam habet captiuandi animum ad seipsum. Et interdum plus fiat solitario ad infrenationem cum prælium inducit eum. Et ideo quidam de certatoribus senibus religiosis videns quendam imberbem similem mulieribus, reputauit hoc nociuum menti suæ, atque damnosum in pugna sua. Quis enim poterit sese ingerere in aliis confidenter, postquam sanctus iste nõ acceptauit intrare, vt salutaret fratrẽ illum? C Decreuit enim prudenter ille senex: quia (inquit) si cogitauero hac nocte tantum, quod hic sit talis, fiet mihi iactura nõ parua: propter quod dixit aliis: Ego quidem filij non timeo, veruntamen cur vólo mihi inducere pugnam in vanum? Nam recordatio taliũ infructuosam facit menti tribulationem. Ad vnum quodque membrũ corporis habet pugnam homo, & debet custodire seipsum, & dimittere pugnã in ipsis, tanquã si iam appropinquãsset: & quanquam homo sibi faciat violentiã ad bonum, tamen periclitatur videndo semper ac concupiscendo. Sicut medicinales herbæ multæ sunt in terra cõtectæ, & in æstate nemo cognoscit eas propter æstum. Cum D autem ex aqua fuerint humectatæ, ac perceperunt virtutẽ aerei frigoris, tũc apparet quælibet illarũ, & spectes vbi fuerat in terra sepulta: Ita & homo quãdo est in gratia tranquillitatis & feruore abstinentiæ, quiescit à multis vitiis: sed cum ad sæculares accedit, tũc videt quomodo quodlibet vitiũ excitatur & subleuat caput suũ, maximè cũ odorauerit quietis odorẽ. Hæc autem dixi, ne quis confidat in corpore suo, quandiu viuit, donec moriatur, & vt ostẽdam, quantũ fuga receſſúsq; lõgus à sæculo iuuant cõtra ea quæcũque ferunt nobis cõfusionem in recordatione sui. Expedit nobis timere. nec conculcare conscientiam & cõtemnere eam. In desertum E tentemus ducere corpus, & faciamus per quod patientiã acquiramus. Maius autẽ omnib⁹ est, vt causas pugnæ prolõgemus à nobis, quãquã ex hoc corpus anguſtiã patitur. Quia timeo, ne cum superuenerit occasio & necessitas, ruinã propter propinquitatem eorum incurrat. Q. Quicunque abiecerit à se tentationem, & intrauerit ad pugnam, quod est initium eius in pugna abstinentiæ, & vnde incipit pugna? R. Illud notũ est omnibus, quod cuiuslibet certaminis peccati & concupiscẽtię initiũ est, labor ieiunij, maximè pugnantium contra peccatũ, quod intra nos est. Signũ quoque odij contra peccatum

Monastica Solitudo.

Vitiorum fomenta.

& concupiſcentiam eius, apparet ex hoc in certatoribus inuiſibilis huius pugnæ. Si cum ieiunio vigiliæ noctis cooperantur. Quicunque autem per totam vitam ſuam ſocietatem huius coniugij diligit, hic fit caſtitatis amicus. Sicut enim quies ventris, initium omnium malorũ eſt, & laxatio ſomni, quæ accendit luxuriæ concupiſcẽtiam, ita via Dei ſancta & omnis virtutis fundamẽtum ieiunium eſt ac vigilantia in ſeruitio Dei, in crucifixione corporis per totam noctem contra dulcedinem ſomni.

Deſcriptio Ieiunij.

Ieiunium protectio eſt omnis virtutis & initium certaminis & corona cõtinentium, & pulchritudo virginitatis & ſanctitatis, & ſplendor caſtitatis & principium viæ Chriſtianitatis, & mater orationis & fons ſapientiæ & magiſter tranquillitatis, quæ præcedit omnia bona. Sicut imitatur ſanus oculus deſiderium lucis: ita ſequitur ieiunium quod cum diſcretione fit, deſideriũ Orationis. Cum quis cœperit ieiunare, ex hoc, deſiderium alloqui Deum, & peruenire ad eum incipit in mente ſua. Ieiunans corpus non expectat in lecto ſuo vt dormiat tota nocte, cum ſigillum ieiunij ſuperponitur ori hominis, mens in compunctione meditatur, & cor eius producit orationem & mœſtitia iacet in vultu eius & prauæ cogitationes elongãtur ab ipſo. Hilaritas non inuenitur in oculis eius & concupiſcentiarum & vaniloquiorum non eſt amicus. Nunquam vidi aliquem ieiunantem cum diſcretione, à mala concupiſcentia redactum in ſeruitutem, eſt enim hoc magnum donum ad omne bonum, quoniam illud eſt mandatum, & qui negligit illud, amouet omne bonum quod ab initio fuit impoſitum ad cuſtodiã noſtræ naturæ & inde condit principium plaſmationis noſtræ. Veruntamen vnde facta eſt exterminatio prima, inde certatores veniunt ad Dei timorem, poſtquam legem eius cœperint cuſtodire. Saluator etiam quando apparuit mundo huic, incepit.

Ieiunij fructus.

Matt. 4. Nam *poſt baptiſmum eduxit eum Spiritus in deſertum, & ieiunauit quadraginta diebus:* ſimiliter autem & omnes qui exeunt poſt eum & ſequuntur eum, ſuper hoc fundamentum ponunt initium pugnæ ſuæ. Armatura eſt enim operata per Deum, quis negliget illã & non culpabitur? Et ſi is, qui edidit legẽ, ieiunat: Quis eſt ex obſeruantibus legem, quem non oporteat ieiũnare: propter quod vſque tunc genus humanum victoriam ignorabat, nec Diabolus iniquã fuit expertus ſuperationem ſuam per naturam noſtram, ante ieiunium. In hac armatura ab ipſo principio fuit homo formidoloſus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus princeps & primogenitus victoriæ factus eſt, vt daret primam coronam victoriæ ſuper caput naturæ noſtræ. Et Diabolus quando videt hanc armaturam apud aliquem hominum, ſtatim terretur, & venit ad recordationẽ ſuperationis ſuæ, quam à ſaluatore paſſus eſt in deſerto, & virtus eius confunditur in armatura nobis data à principe noſtro. Quæ igitur arma ſunt iis fortiora & magis cõfortationem exhibẽtia in pugna quæ fit contra ſpiritus malignos, ſicut experimẽtum factũ à Chriſto? Nã quanto plus fatigatur & affligitur corpus, tanto magis tempore quo circundat hominem acies dæmonum, cor ipſius à confidentia defenſatur: & qui ieiunij armatura veſtitur, omni tẽpore eſt accenſus. Zelotes Helias cum zelauit pro lege Dei, in hac armatura vicit reducens ad memoriã poſſeſſoris ſui, mãdata Spiritus ſancti. Mediatrix eſt ieiunatio veteris Teſtamẽti & gratiæ datæ nobis à Chriſto. Qui negligit ieiuniũ, apud cætera propugnacula laxus eſt & infirmus, & ſignum laxationis animæ demonſtrat, & dat locum victoriæ impugnanti eum. Quia nudus aggreditur pugnam manifeſtum eſt quia nudus egreditur ab ea, quia membra eius non ſunt induta feruore famis. Item per ieiuniũ homo inconcuſſus mẽte ſeruatur apud occurſus difficilium vitiorum. Dicitur de multis martyribus, quod nihil guſtabãt in die in qua coronã pręſtolabãtur martyrij, ſed ſicut ad nuptias præparati expectabãt occurrere gladio in ieiunio, cũ hymnis, pſalmis & cãticis.

Nos quoque qui ad inuiſibile martyrium vocati ſumus ad percipiendas ſanctificationis coronas, vigilemus, ne in aliqua parte negationis ſignum noſtris inimicis exhibeamus. Sunt quidam habentes hæc opera, qui quærunt cogitationum pacem, & tranquillitatem non ſentiunt vitiorum. O fratres vitia abſconſa ſunt in anima, quæ non corriguntur per labores tantummodo corporales, nec etiam per eas cogitationes arctantur apud illos qui à ſenſibus ſemper expergefiunt, quia labores huiuſmodi à cõcupiſcentia tuentur homines, ne ab eis & dæmonũ turbatione vincantur. Pacem vero & tranquillitatem animæ non impediunt, ſed tunc membra quæ ſunt in terra mortificantur & præſtant cogitationum pacem, cum ſolitudinem communicamus. Nam quanquam cito ſenſus exteriores ceſſauerint à turbatione & permanſerint in operatione ſcilicet bona, per aliquod tempus ſentiet homo pacem, tamen quouſque defecerit homini occurſus & membra eius ceſſauerint à diffuſione cogitationum, & ad ſe collegerit ſemetipſum, nõ poterit cognoſcere ſuam infirmitatẽ. Quietudo enim ſicut ait beatus Baſilius initium eſt munditiæ animæ. Cum exteriora membra ceſſauerint ab exteriori ſchiſmate & diſtractione ad exteriorẽ regionem, expergefit cor ad ſcrutationem intentionum, quæ intus in anima ſunt, & ſi bene permanſerint, homo huiuſmodi incipiet ad mundiciam animæ ambulare. R. Arbor quæ quotidie irrigatur, quando ſiccatur radix eius & minuitur vas quotidie recipiens ineremẽtum: Et ſi munditia vicit, aliud eſt, quam euitare conuerſationis & recedere à conſuetudine, ille qui actualiter in ſemetipſo vel in aliis per ſenſus ſuos innouat eiuſdem libertatis commemorationem, quæ eſt agnitio malitia non poterit animam ſuam ex hoc mundare, vel quando poterit ceſſare ab impugnatoribus exterioribus, licet contempletur. Si enim cor quotidie ſordeſcit, quando mundatur à ſordibus, & ſi exteriorum effectui reſiſtere nequit, quãto minus poteſt cor mundare? Et qui eſt in medio exercitus conſtitutus & expectat quotidie frequenter belli nunciationem audire, quando præſumit paciſci in anima ſua. Veruntamen cum ex hoc elongatus fuerit, tunc primò modicum quieſcere poterit ab intus, quia quouſq; fluuius ſuperne confluit, aquæ ipſius inferius minime deficcãtur. Cum aliquis venit in quietem, tunc poteſt anima ſcrutari vitia & diſcernere ſapientiam quæ eſt in ea, tunc interior homo expergefit ad opera ſpiritus, & de die in diem percipit ſapiẽtiam occultam, quæ floret in anima

Parisiens. Mundicia Animæ.

697

Gradus lachrymarū

anima ſua, ſtatim ad gratiam lachrymarum pertingit, quæ ſine violentia fiunt & perducit ipſum ad perfectionem dilectionis Dei. Q. Quæ ſunt certa argumenta & ſigna appropinquantia incipienti videre fructum occultum in anima ſua.

Lachrymæ

R. Eſt, quod quis promeruit gratiã lachrymarũ multarũ, quę ſine violentia fiunt. Nam ſicut, terminus poſitæ ſunt lachrymæ mẽti inter corporalia & ſpiritualia, & inter vitioſitatem & munditiẽ, quouſque nõ recipit homo iſtud donũ adhuc in exteriore homine manet efficacia operis ſui, nec perſenſit adhuc efficaciã occultorũ ſpiritualis hominis. Nã cum quis incæperit à corporalib. huius ſeculi ſeparari, & ita terminũ, qui eſt intra naturã, viſus fuerit tranſeundo ad hãc gratiam lachrymarũ, ſtatim pertigiſſe. Et ſola prima occulta cõuerſatione incipiũt lachrymæ iſtæ quæ perducũt ipſum ad perfectionẽ dilectionis Dei & quanto magis procedit illic tãto magis ditatur in ipſa, donec bibat ipſas lachrymas in potu & cibo ſuo, propter multã perſeuerantiã earundẽ, & hoc ſignum certitudinis, quod mẽs receſſit de mũdo iſto & perſentit mundum illũ ſpirituale. Quanto magis quis appropinquat mẽte ſua huic mũdo, tanto plus de his lachrymis defectum incurrit: & cũ mẽs eius omnino fuerit in mũdo iſto, totalem defectum patitur huiuſmodi lachrymarũ, Et eſt ſignum, quod in vitiis ſit ſepultus. Lachrymarum quædã adurentes, & quædam impinguãtes. Omnes autẽ lachrymæ quę ex corde procedũt propter peccata, deſiccãt corpus & adurunt, & ipſum cerebrũ lædunt. De primo quidẽ, per hunc ordinem ex neceſſitate occurrit homo, & per eas aperitur ſibi oſtiũ intrandi in ſecundũ ordinem meliorem, quod eſt gaudiũ, in quo recipit homo miſericordiã. Hæ lachrymæ ſunt, quæ ab intellectu profluũt, quę corpdecorant pariter & impinguãt, & ſine violentia per ſemetipſas emanãt. Et aſpectus hominis alteratur: ſicut dicitur, lætificati corde facies viret. Q. Quæ eſt reſurrectio animæ, quam dixit Apoſtolus, *ſi conſurrexiſtis cum Chriſto*, &c. R. Illud quod dixit Apoſtolus: Deus qui dixit de tenebris lucẽ irradiari, verè in cordib. veſtris reſurrectionem vocãs, oſtẽdit receſsũ à vetuſtate, videlicet, vt fiat homo nouus, nihil habens de vetere. *Dabo eis cor meum & ſpiritum nouum.* Tunc enim figuratur Chriſtus in nobis per ſpiritum ſapientiæ & reuelationis agnitionis Dei. Q. Quid eſt breuiloquiũ: R. Virtus operationis ſolitudinis: ſolitudo ſenſus mortificat exteriores, & ſuſcitat motus interiores, ſed extrinſeca operatio iſtorũ contraria operatur. Q. Quæ eſt iſta cauſa viſionũ & reuelationũ, quia quidam vident, quidã verò laborant. plus eis, & viſio non operatur in eis? R. Cauſæ multæ ſunt: quędam enim fiunt per diſpẽſationem gratia generalis vtilitatis, quædã verò fiunt ad confortationem, & doctrinã. Et primo quidem per miſericordiam Dei diſpẽſantur hæc omnia hominib. Et trib. quoq; modis ex maxima parte. Vel in ſimpliciorib. qui ſunt abſq; malitia penitus, vel in quibuſdam perfectè ſanctis, vel habentibus zelũ ignitũ fidei, & de hoc ſeculo deſperatis, qui perfectè abrenũciauerunt & à cohabitatione hominũ receſſerunt, & poſt Deum nudi egreſſi ſunt, nullũ auxiliũ à viſibilibus expectãtes, ſuper quos irruit aliquãdo formido propter ſolitudinẽ: Vel quando circũdat periculũ mortis ex fame, vel infirmitate, aut etiã ex aliquo incurſu aut tribulatione, ita vt etiã appropinquęt deſperationi. Cõſolationũ ergo, quæ fiunt talibus, nec fiunt illis qui eos ſuperant in labore: prima cauſa hæc eſt, quod quãto quis habet conſolationem humanam ab aliquo viſibilium, tanto ſibi huiuſmodi conſolationes non fiunt niſi per diſpenſationem aliquam cõmunitatis. Nobis autem ſermo de ſolitariis, & hoc teſtatur vnus de Patribus qui pro ipſa conſolatione preces effudit & audiuit. Suffecit cõſolatio & colloquium hominum. Alius eodem modo cũ eſſet in ſolitudine & viueret iuxta conſuetudinem ſolitariorum, epulabatur in omni hora gratia cõſolationis. Cum autẽ appropinquaſſet mũdo, quæſiuit eam iuxta conſuetudinem, nec inuenit: & ſupplicauit à deo cauſam ſibi ſignificari dicens. Nunquid Domine propter Epiſcopatum receſſit à me gratia? Reſponsũ eſt ei, Non: ſed quia Dominus diſpenſat cũ his qui in eremo commorantur & eos huius conſolationis dignos faciat. Indecens eſt enim quemquam diuinã recipere conſolationẽ, & iſtam, niſi ſit ob diſpenſationem aliquã prædictorum. Quæſtio. Eſt idem reuelatio & viſio? Reſponſio.

Non, immo differentia eſt. Reuelatio enim multoties dicitur de duobus: Nam quia reuelatur occultum, Omnis viſio dicitur reuelatio, ſed nõ omnis reuelatio dicitur viſio. Nã reuelatio ex magna parte defectis & à mente guſtatis accipitur. Viſio fit quaſi imaginib. & formis, ſicut olim fiebat antiquis vel in ſomno profundo, vel vigilãdo, & aliquando certius, aliquãdo vero in phantaſmate, & quodammodo obſcuro: propter quod & ipſe qui videt, multoties ignorat vtrũ vigilando videat, an dormiẽdo, aut per vocẽ audit ſuſceptionem. Quandoque vero formã videt, aliquãdo magis, ſcilicet facie ad faciẽ. Et viſio & collocutio virtutes ſunt ſanctæ dignis apparẽtes & reuelationes facientes in deſertiorib. locis & remotiſſimis ab hominib. Hæc igitur fiunt cũ ex neceſſitate homo eget eis, ſi nõ habet aliã ſuſceptionem vel cõſolationẽ ex loco. Reuelationes vero, quæ ſequũtur in mente per munditiã, & accepta ſunt, & ſolũmodo perfectorum & peritorum exiſtunt. Q. Si peruenit aliquis ad munditiam cordis, quod eſt ſignũ eius, & quãdo cognoſcit homo quod peruenerit ad munditiã cor ipſius? R. Cum videt quis oẽs homines eſſe bonos, nec apparet ei quiſquã immundus vel contaminatus, tũc eſt mundus corde, quoniam enim perficitur verbum Apoſtoli. *Reputate omnes potiores ex cordis ſinceritate*, niſi peruenias ad illud quod dicitur, *oculus bonus non videt mala.* Q. Quid eſt munditia, & vſque quo eſt terminus eius. R. Munditia eſt obliuio ſpecierum ſcientiæ, quæ ſunt contra naturã, quas in mundo adinuenit natura: terminus autẽ quo quis liberetur ab eis, eſt, vt redeat homo ad primã ſimplicitatẽ naturæ ſuæ & innocentiã, vt puer ſine puerili defectu. Q. Decet aliquẽ ad hunc ordinem peruenire? R. Sic, Ecce Abbas Syſois ſic peruenit ad hanc mẽſuram, vt quæreret à ſuo diſcipulo, ſi comediſſet an nõ? Et alius quidẽ de patribus ad talẽ ſimplicitatem paulominus puerilẽ deuenit, vt omniũ, quæ hic ſunt, eſſet obli-

Reuelationes.

Mundus corde quis ſit.

tus & comediſſet ante cõmunionẽ niſi à diſcipulis impediretur,& diſcipuli ſui ducebant ipſum ad cõmunionem, quaſi puerum,& mundo quidem puer erat, ſed in anima perfectus erat apud Deum. Q. Quam meditationem & exercitiũ habere debet ſolitariũs in ſolitudine ſua, ne ſtudeat mens in cogitationibus vanis? R. De meditatione & exercitio quibus mortificetur homo in cella ſua. Nunquid homo peruigil & feſtinus, qui ad animam eget interrogatione,quomodo conuerſetur,dummodo ſit ſecum. Quid aliud eſt meditatio monachi, quã luctus in cella ſua? Nunquid ob luctum valeat etiam ad aliam cogitationem reſpicere? Quænam meditatio melior hac exiſtit? Ipſa namque ſeſſio & ſolitudo monachi ſimilis eſt cõuerſantibus in ſepulchris quæ ab humano gaudio diſtat. Docet eum,quia luctus eſt operatio eius & ipſum cognomen nominis ſui ad hæc inducit eum, luctuoſus etenim appellatur, id eſt amarus corde. Et omnes quoq; ſancti lugẽdo egreſſi ſunt de hac vita. Ex quo ſancti lugebãt & eorum oculi pleni lachrymis ſemper erãt, donec egrederẽtur de hac vita,omnes plorabant. Conſolatio ſanè monachi de plãctu naſcitur & vbiq; perfecti & triũphatores hic plorauerunt. Ille qui vulneribus eſt repletus,quomodo ſuſtinebit vt à planctu quieſcat? Qui mortẽ ſuã habet ante ſe poſitam, eget doctrina,quò cogitatione vtatur lachrymis. Anima tua mortificata eſt in peccatis,vt iacet ante cõ ſpectũ tuum,quæ mater eſt apud te,quàm totus mũdus,& planctu nõ eget. Si veniremus in ſolitudinẽ, poſſemus in planctu manere, propter quod aſſidua mente Domino ſupplicemus, vt nobis hoc largiatur. Nam ſi gratiam hanc obtinuerimus prę cæteris donis eſt potior & ſuperior,ad mundiciem ingrediemur& cum ingreſſi fuerimus ad eandem,nõ auferetur à nobis mũditia, vſque ad noſtrum exitum huius vitæ. Beati mundo corde,ætati quoniam non eſt tempus in quo non percipiant deletionem huiuſmodi lachrymarum& ipſa ſemper dominũ contemplantur:& exiſtẽtibus adhuc lachrymis in oculis ſuis promerentur viſionem reuelationum eius. In excellẽtia autẽ ſuarum orationum, nec eſt eis oratio ſine lachrimis. Et hoc eſt quod Dominus ait: *Beati qui lugent quoniã ipſi conſolabuntur.* Deluctu quidẽ venit homo ad miſericordiã animæ, propter quod dicit Dominus *quoniam ipſi conſolabuntur.* Non expreſſit quam conſolationem. Nam cum monachus per lachrymas regionem tranſire promeruerit vitiorum,& peruenerit ad campum munditiæ animæ tunc occurrit ei huiuſmodi conſolatio quæ nõ pertranſitur ab his qui inueniunt eam,& in iſta occurrit conſolatio quæ hic nullatenus inuenitur, Et tũc intelligit,quam cõſolationem ſuſcipit finis luctus, quam Deus per munditiam lugentibus elargitur. Quia indecens eſt continue lugentem aliquem vitiis moleſtari, Impoſſibilius enim eſt iſtud, quod ſi mentem lugentis ad tempus à tum cõmemoratione poſſunt lachrymæ alterare. Quid dicemus de his qui experientia habent die noctuque hãc conſolationem? Auxilium autem,quod fit & lachrimis, nemo nouit,niſi illi qui huic operationi ſuas animas tradiderunt. Omnes ſancti introductionẽ hanc affectant,quia per lachrimas aperietur oſtiũ coram eis, vt ad regionẽ conſolationis ingrediantur,in qua regione veſtigia Dei per reuelationem imaginantur.

Monaſtica meditatio.

Ex operatione violenta oritur calor ſine menſura, qui in cordę ingeritur ex nouis cogitationibus, quæ de nouo ſuperueniunt menti. Nam operatio & cuſtodia mentem acuunt in ipſarum feruore, & præſtant viſionem, & hæc viſio parit feruentes cogitationes,quas prædixi in profunditate viſionis animæ,quæ contemplatio appellatur. Hæc autem contemplatio parit feruorem, & hoc feruore qui fit ex gratia contemplationis, dum fluxus gignitur lachrimarum: In principio quidem prius modicæ ſcilicet ſuperuenient homini per diem & iterum deficiunt & ex hoc proueniunt eidem indeficientes lachrimæ, & recipit anima pacem cogitationum & ad mentis munditiam exaltatur. Per mundiciam verò mentis peruenit ad videndum ſecreta, quia munditia eſt abſconſa in pace,quę pugnis ſucceſſit. Poſt hoc autem contingit mens ad videndũ reuelationes& ſigna,ſicut videt Ezechiel Propheta qui deſignant tres ordines per quos appropinquat anima Deo. Initium omnium horum eſt bonum propoſitum erga Deum, & ſpecies inconuertibiles operum ſolitudinis, quæ naſcuntur ex multa abſtinentia & elongatione ſecularium, nec eſt adeo neceſſarium ſpecies horum operum per ſingula recitare, quia ſunt pluribus notæ: veruntamen quia indemnis eſt occurrentibus expoſitio earundem, quinimo vtilis eſſe potetit,ſicut ego duco, illas explicare nõ pigritabor. Quæ ſunt iſtæ, fames, lectio, peruigiles totius noctis vigiliæ iuxta poſſe vniuſcuiuſque, multitudo genuflexionum, quæ ad faciendum ſunt neceſſariæ in horis die ac nocte multoties. Fiant autem ad minus xxx. qualibet vice & adoretur crux,& ſic deinde recedatur. Sunt quidam qui addiderunt huic numero iuxta poſſe ſuũ. Alij in oratione faciunt per triginta, habentes mentem peruigilẽ abſque violentia & elatione, proſtrati in faciẽ, & hæduæ ſpecies manifeſtant, & exponunt multitudinẽ diuitiarum gratiæ quæ cuilibet homini diuiduntur ſecũdum ſua neceſſaria. Quis verò ſit modus alterius orationis & perſeuerantiæ in ipſa ſine violẽtia,indignũ reputauimus publicare,nec verbis linguæ aut exaratione calami, ne ſi lector inueniretur cõprehendere,quod legeret,æſtimaret inutilia & quæ ſcriberentur. Vel ſi inueniretur,& ſcire paruipenderet,vtique nullũ qui rerum ordinẽ ignoraret,& ſi ex hoc vltimo contingeret vilipenſio, Ex præſidenti vero deſiderio & hoc modo apparent vt barbarus in huiuſmodi reb⁹, iuxta verbũ Apoſtoli qui ait de prophetante. Quicũque igitur homo adiicere cupit, & viam ambulet ſupradictã & operationem menti faciat conſonantem, & eũ qui in his factus fuerit ipſe addiſcet per ſemetipſum, vnde dicitur,ſede in cella tua, & eadem omnia te docebit.

Mat.5.

Beatus eſt homo qui ſcit infirmitatem ſuam,quia hæc ſcientia initium ſibi fit & etiam fundamẽtum. Cum enim didicerit aliquis & in veritate perſẽſerit ſuam infirmitatem,tũc cõpeſcit animam ſuam à laxatione quæ denigrat ſcientiam & theſaurizat cuſtodiã ſibi ipſi. Nemo autem poteſt percipere infirmitatem,

mitatẽ, nisi tẽtari modicum permittatur in his, quæ A
siue animam opprimunt, siue corpus. Tunc enim
comparationem faciens infirmitatis suæ ad auxiliũ
Dei, eius magnitudinem scire potest. Et idem, cum
perspexerit ad omnia artificia sua, videlicet ad cu-
stodiam, abstinentiam, protectionem animæ suæ,
per quæ sperat confidentiam inuenire, nec inuenit
sibi portanti tranquillitatem, propter timorem per-
cipiat & cognoscat ex eo, quid timor cordis desi-
gnat & manifestat, quod egeat vtique consilio ali-
cuius. Cor enim testatur interius ex timore, quoniã
producit ab intus demonstrans, quod defectum a-
licuius patiatur, ob hoc confidentia nequeat habi-
tare. Et quoniam auxilium Dei est quod saluare B
potest, quando scit aliquis quod egeat auxilio Dei,
orationes multiplicat, & quanto magis augeat eas,
Humilitas acquirit orationẽ. tanto plus cor eius humiliatur. Nullus enim egẽs
& postulans potest non humiliari. *Cor enim contritũ
& humiliatum Deus non spernit*. Igitur quousque hu-
miliatur cor ab elationibus non cessare non potest,
quia humilitas colligit cor. Cum autem humilia-
tus fuerit homo, statim circundat eum misericor-
dia & diuinum auxiliũ, tunc enim sentit cor, quia
inuenerit virtutem confidentiæ, quæ mouetur in
ipso.

Quando homo verè percipit diuinum auxiliũ
Quid oratio sit refugium, & fons salutis Cap. 22. præstari sibi, statim fide repletur, & intelligit ex C
hoc, quoniam oratio refugium est auxilij & fons
salutis & confidentiæ thesaurus, & lumen iis qui in
tenebris sunt, & portus liberans à tempestate, &
auxilium in ægritudinis violentia & clypeus libe-
rationis in prælio, & sagitta acuta contra inimicos.
Et simpliciter dico, per orationem habet iudicium
tota multitudo bonorum, & ideo epulatur homo
in oratione fidei, & cor eius decoratur ex confidẽ-
tia, & nullatenus in priori cæcitate & oris locutio-
ne moratur cum taliter animo percipit, tunc possi-
det orationem in anima sua, sicut thesaurum & prę
multa lætitia formas orationis, in voces gratiarum
commutat. Et hic est sermo, quem dixit ille, qui D
cuilibet rerum formam propriam diffiniuit. Quo-
niam oratio gaudium, est gratiarum referens a-
ctiones: hanc exponens, qui perficitur in scientia
Dei, id est, à Deo destinatur. Quomodo & ex tunc
& in labore non erit homo, nec in ærumna, sicut
fit in cæteris orationibus, quæ prius fiunt, quàm i-
sta percipiatur: Sed cum gaudio cordis & admi-
ratione producit regratiabiles motus continuè cũ
genuflexionibus taciturnis, & præ multitudine mo
tus eius ad scientiam & admirationis & stupefa-
ctionis ad gratiam Dei, subito exaltat vocem suam
laudans & glorificans Deũ, & gratias refert & orãs
stupefactus minimũ, non mouet linguam. Quicũ- E
que igitur peruenit huc vsque in veritate & non in
phantasmate, & posuit hic signacula multa, & mul-
tas agnouit differentias propter multam probatio-
nem, ipsum hic nouit, quia non est contrarium id
quod dico. Igitur cesset de cætero talis cogitare vi-
tia & maneat in Deo per cõtinuam orationem pa-
uidus & timẽs, ne priuetur multitudine auxilij Dei.
Hęc omnia nascuntur homini ex recogitatione in-
firmitatis suę. Nam ex multo affectu eius ad diuinũ
auxilum appropinquat Deo, permanens in oratio-
ne, & quanto magis appropinquat Deo, tanto ma-
gis attingit eũ Deus per charismata sua, nec aufert
ab eo gratiam propter multam humilitatẽ: Quod
Dominus differt aliquãdo, quia sicut illa vidua cla-
mat indesinẽter ad iudicem aduersario suo iudicã- Luc. 15.
ti. Ob hoc enim misericors Dominus continet ab
eo gratias, vt hæc sibi materia fiat appropinquandi
eidem, & propter necessitatẽ suam permanet apud
eum, à quo vtilia producuntur, qui in quibusdam
quasdam petitiones eius ei exhibet festinanter, illa
dico, sine quibus saluari non potest. Continet verò
quasdam ab eo & in quibusdam reb. quasdam ini-
mici adustiones excutit & expellit ab ipso. In qui-
busdam verò eum tẽtari permittit, vt illud sibi cau-
sa fiat appropinquandi Deo, sicut prædixi, vt ex-
perientiam habeat tẽtationum & castigetur. Et hic
est sermo Scripturæ, quod Dominus reliquit gen-
tes multas ne dispergeret eas, nec tradidit eas in ma-
nus Iesu filij Naue, vt castigaret in eis filios Israel,
& vt docerentur tribus filiorum Israel ac addisce-
rent bellum. Iustus autem nõ recognoscẽs propriã
infirmitatem suam in arido loco res suas habet, nec
recessit à lapsu, neque à corrumpente leone, scilicet
dæmone superbiæ. Et item. Quicũque ignorat in-
firmitatem suam deficit ab humilitate, qui vero de-
ficit ab ea, deficiens est etiam à perfectione. Et qui
deficiens est ab ea, timidus est semper, quia ciuitas
eius non est fundata super columnas ferreas, neque
super liminaria ærea, id est humiliationem.

Humilitatem autem acquirere nemo potest, nisi Quomodo acquiritur humilitas. Cap. 23.
per modos suos, per quos fit contritio cordis, & co-
gitationes elationis contemnuntur. Ob hoc enim
multoties videt inimicus vestigia causarũ ad homi-
nem declinãdũ. Nam sine humilitate opus hominis
perfici nequit, quia nullatenus est appositum instru-
mentum libertatis suæ Spiritus sancti sigillum, im-
mò seruus adhuc existit. Et opus eius nondum est à
timore sublatum, sicut quis non corrigit opus suum
sine humilitate, neque castigatur nisi per tentatio-
nes, ac sine castigatione non comprehendit humi-
litatẽ. Propter hoc dimittit Dominus sanctis cau-
sas humilitatis & contritionis cordis ac laborioſæ
orationis, & multoties perterret eos per passiones
naturæ & lapsus prauarũ cogitationũ & execrabi-
liũ, multoties quoque per iniurias & humana verba.
Aliquando verò per ægritudines & corporales in-
firmitates, & quandoque per paupertatem & vsus Tentationum causæ
necessariorum egestatem. Aliquando etiam per ti-
morem diri doloris, ac derelictionem, necnon &
pugnam diaboli manifestam. Per quæ omnia ti-
morem incurrere consueuit, aliquando per ma-
teriales & diuersas, & terribiles. Et hæc quidem
omnia fiunt, vt habeat materias humiliationis, &
eis negligentiæ somnolentia non contingat, vel
ex rebus in quibus athleta visus est infirmari, vel e-
tiam ex timore futuro. Necessariò igitur tenta-
tiones vtiles sunt hominibus. Hæc igitur non di- Tentationum vtilitas.
co, quod deceat hominem in turpibus sponte laxa-
ri, vt fiat ei humilitatis occasio ipsarum, neque vt fe-
stinet intrare ad alias tentationes, sed quia decet
eum, dum in bono laborat, omni tempore vigila-
re & cogitare quoniam creatus est, ob hoc etiam
est caducus. Quilibet autem creatus eget virtute

ac protectione diuina, & omnis qui eget protectione alterius, naturalem infirmitatem ostendit. Omnis verò, qui suam infirmitatem agnoscit, necessariò eget humiliari ad impetrandum humilitatem suam, ab illo qui potens ei est subuenire: & si nouisset à principio & vidisset infirmitatem suam, negligens nõ fuisset, nec obdormiuisset, vt traderetur in manus tribulantium eum, & expergefacerẽt eum. Vnde decet ambulantem in via Dei gratias agere sibi in omnibus superuenientibus, & culpare & cõuitiari animam suam & cognoscere, quod nequaquã permissus fuisset à procuratore, nisi per negligentiam vel elationem, vt expergefieret, nec timeat ex hoc nec recedat, nec ipsum excusset, ne duplicetur sibi malum, quia non est apud producentem Iustitiam Deum, iniquitas, absit.

De perfectionibus, virtutibus & Officiis Monachorum. Cap. 24.

Decet monachum esse in omnibus rebus suis formam humilitatis videntibus eum, vt ex multis virtutibus eius fulgentibus, sicut radios perspicientes inimici veritatis, & inuitè confiteantur, quod sit Christianis spes certa salutis, & tanquam ad refugiũ vndique occurant ad eum, & cornu Ecclesiæ exaltetur contra inimicos suos, & multi moueantur ad virtutis zelum, & recedant à seculo, ipséque fiat venerabilis ex pulchritudine conuersationis suæ. Cõuersatio etenim monastica, gloria est Ecclesiæ Iesu Christi. Decet vtique monachum pulchros habere gestus, ex omni parte sui propter visionem visibiliũ, certissimam priuationem rerum, omnimodũ carnis contemptum, altum ieiunium, constantium in quietudine temperantiam, sensuum visus custodiã, omnium conuentionum in rebus huius seculi abstinẽtiam, breuitatem in verbis, in multa recordatione mundiciam, cũ discretione simplicitatẽ, scire quod hæc vita superflua sit & inanis, & quòd propè est illa spiritualis & vera, non ligare seipsum amicitiis & vnioni hominum, alicuius habere locum habitationis, auxilium fugere hominis, & indesinenter permanere in orationibus, non habere ambitionẽ, nec gaudere anthenis, non ligare seipsum huic vitę, tentationes viriliter sustinere. Alleuiari à mũdanis affectibus, & interrogatione rerum ipsarum, continue curare ac meditari in regione veritatis, habere vultum pallidum & rugosum, lachrymari die noctúque, & plus his omnibus custodire castitatem, esse mundum ab ingluuie ventris, & à paruis etiam & à magnis. Hæ sunt virtutes monachi sub compẽdio dictæ, quæ sibi testimoniũ perhibent de omnimoda mortificatione sua in mundo, & propinquare eius ad Deum. Decet ergo nos de his semper curã gerere. Quod si quis dixerit, Quæ necessitas fuit exprimere singula & non dicere ea generaliter & vniuersaliter, dico hoc, necessariò factum est, vt quomodo quæsierit vnũ ex præmissis in anima sua, ille qui studet pro vita sua, & inuenerit quod egeat vno istorũ, cognoscat exinde defectum suũ in omni virtute, & erit sibi odor iste in parte recordationis. Cũ autem acquisierit ista omnia in semetipso, tunc reliquorum scientia quam non expressimus, largietur eidem, & erit hominibus materia glorificationis Dei, & exinde præparabit animæ suæ locum quietis, priusquam egrediatur de vita ista.

Quicunque conuenit in vnũ cum mẽte sua, & vt conuersetur in solitudine, conformet seipsum operationi, & secundum ordinem solitudinis deducat residuum annorum suorum & dierum. Cum autẽ cõtigerit tibi fili, sicut moris est in ordine solitudinis, à diuina gratia constituente vt interius à tenebris anima confundatur, & sicut solares radij velati super terram à caligine nubium, priueris modicum tempus cõsolatione spirituali, necnon & lumẽ gratiæ confundatur interius propter vmbrantem vitio rum nubem, ac tibi modicũ virtus lætifica subtrahatur & obũbret mentẽ inconsueta caligo, ne turberis in anima, nec ad ignorantiam manum extendas, sed sustine patienter, & lege in libris patrum, & infer tibi violentiam ad orandum, & præstolare auxilium, & veniet tibi te ignorante. Nã sicut reuelatur facies terræ per radios solares, obscuritate aeris occupante, ita potẽs est oratio soluere & annihilare ab anima nebulas vitiorũ & irradiare mentem luce lætitiæ & consolationis, quod gignere consueuit in cogitationib. nostris, & maximè cum habuerit pabulum à pagina sacra, & vigilantia quæ mẽtem illuminat & illustrat. Continua enim lectio in Scripturis sanctorum replet animam incomprehẽsibili admiratione ac lætificatione diuina. Quod si quando homo venit ad lachrymas, tunc egreditur mens sua de carcere. Dico tibi rẽ, quam sicut minimam non contẽnes, nec hæsites in cæteris verbis meis, quia veraces sunt qui mihi eadẽ tradiderũt. Si suspenderis teipsum à palpebris, ne putes quando peruenieris ad lachrymas, quod peruenieris ad continentiam conuersationis tuæ. Hucvsque mundo etenim seruierunt occulta tua: id est, stas in habitatione mundanorum, & opus Dei per exteriorem hominem operaris. Nam interior adhuc infructuosus existit, pro eo quòd ad lachrymas nõ peruenit fructus eius. Cũque ad regionẽ ipsarum peruenieris, tũc scito quod egressa est mẽs tua de carcere mũdi huius, & posuit pedẽ suum in itinere noui hominis, & cœpit adorare aerẽ mirabilis atque noui, & tunc incipit effundere lachrymas, quia incipit dolor exitus pueri spiritualis. Nã gratia, quæ cõmunis est inter omnes, traducitur ad animam, vt pariat diuinam formam secreto ad futuri sæculi claritatẽ, cúmque tẽpus partus aduenit, statim moueri mens incipit in quibusdã, quæ inde sunt, sicut spiramen, quo attrahitur infans intra mẽbra in quib. nutritur, & quoniam sustinet, quod consuetudini sibi non est, statim incipit mouere corpus ad planctum mixtum dulcedine mellis, & quãto magis nutritur infans interius, tãto plus habet augmentũ lachrymarum. His autem ordo lachrymarũ dixi, quod non est ille qui solitarius ex incitatione contingit, quia illa consolatio, quæ de tempore fit ad tempus, vbique fit in solitudine commoranti cum Deo & cuilibet existenti in contẽplatione mentis, quandoque in sermonibus Scripturarum, aliquãdo in orationum occursu. Sed de ordine isto dico, qui adest indesinenter lachrymãti noctu diéque. Quicunque autem pro certo veritatem formarum istarum inuenit, in solitudine ipsam inuenit, fiunt autem oculi eius ad instar fontis aquarum, vsque ad biennium vel vltra, postea verò ingreditur ad pacem cogitationũ, & sic ingreditur ad illam quietem, de qua dicit beatus Paulus. *Sicut particulariter*

particulariter caput natura à pacifica quoque quiete incipit mens contemplari mysteria, & tunc Spiritus sanctus incipit ei reuelare cœlestia & Deus habitat in ipso & fructus Spiritus excitat in eo, & ex hoc sentit alterationem, quæ in omni innouatione debet excipere naturã interiorem. Obscurè quodammodo, & sicut in ænigmate scripsi hæc ad recordationem vestram & omnium secundum quod comprehendi potest à contemplatione Scripturarũ & veracibus orationibus, & nondum ab experientia, vt fiat mihi auxilium per orationes eorum qui exinde fuerint vtilitatem adepti, quia non modicum laborem in his impendi. Audi etiam ibidem quod debeo tibi dicere, quod ab ore didici non fallace. Cum ingressus fueris ad regionem pacis cogitationum, tunc à te multitudo lachrymarum auferetur, & postea proueniẽt lachrymæ in mensura conuenienti. Hæc est pro certo veritas, sicut ab Ecclesia creditur generali.

Tres sunt ordines, in quibus proficit homo: Nouitiorum, medius, & perfectorum. Qui est ergo in primo ordine, quanquam intentio eius ad bonum tendat, motus tamen suæ mentis iniquus est. Medius autem, medium quidem est inter passibilitatẽ & impassibilitatem, & cogitationes tam dextræ quã sinistrę æqualiter mouẽtur in ipso nec cessat omnino lumen in ipso producere tenebras, sicut iã dictũ est. Si verò cessauerit modicum ab assidua lectione diuinarum Scripturarum, ac desiderio vtendi imagine formarum veritatis, & à posse suo, quod ad exteriorem custodiam, ex qua fit interior custodia, & sufficiens operatio ad initia, detrahetur. Quod si nutrierit naturale suum, in his quæ dixi, nec dimisit mihi inquisitionem & scrutationem & affectum eorum de longo, quamuis non viderit ea: Sed ex nutu lectionis Diuinarum scripturarum nutriat cogitationes suas, & contineat ne declinet ad sinistram, nec recipiat semen aliquod diabolicum sub specie veritatis, custodiat quoque animam suam cum desiderio in Deo, cum oratione laboriosa, & patientia: Ipse præstabit ei petitionẽ suam & aperiet ei ostiũ suum, & maximè pro vtilitate ipsius. Secreta quoque humilibus reuelantur. Si verò mortuus fuerit in huiusmodi specie, & nunquam viderit terram illam de prope, puto quod hæreditas eius erit cum antiquis iustis qui ad perfectionem venire sperabãt. Nec videtur iuxta verbum Apostoli, quam in spe operati sunt omnibus diebus vitæ suæ, & dormierunt. Quod autem dicimus. Si non peruenerit homo ad terram promissionis, quæ est figura perfectionis, id est cõprehensio veritatis manifesta, iuxta mensuram virtutis naturalis, nunquid prohibetur propter hoc ab isto, vt in extremo cordis maneat ei omne propositum ad sinistram, & pro eo declinat quod non comprehendit omnem veritatem, nunquid permanet in fortitudine primi ordinis, qui nec nouit hæc, nec desiderat, vel conuenit eum exaltari ad mediam viam dixi. Non enim vidit eam, nisi tanquam per speculum, sed sperauit de longè, & propter hanc spem positus est cum patribus suis. Et non fuit dignus hac perfecta gratia factus. Sed quia semper alloquebatur eandem, & eam reducebat ad mẽtem, & quia mouebatur in desiderio eius in quantum poterat dum vixisset: & cognationes referebat, cor eius repletum hac spe exit à mundo: nam omne quod habet humilitatem, decorum videtur, quia incorporeum mentis exercitium circa desiderium, quod dirigitur ex consideratione diuinarum Scripturarum animam interius coram malignis cogitationibus circumuallat, & conseruat animam in recordatione futurorum bonorum, nec laxatur mens in negligentia sua ad commemorationem sæcularium rerum, quia ex his frigescunt calores motuum eius, & ad concupiscentias cadit.

Fit spes in Deo per fidem præcordialem, & quæ bona est, discretione & scientia fit. Homo, qui penitus non curat de rebus temporalibus, sed commendat se Deo die noctúque, nec est solicitus de re aliqua seculari, propter studium quod gerit circa virtutes & omnem curam suam possidet in diuinis, & propter hoc negligit parari sibi cibos & indumẽta & præparationem loci habitationis & cætera cũcta: Hic bene & magistraliter sperat in Deo, quod ipse debeat sibi necessaria præparare, & hæc est prudentissima spes & vera. Iustum est etenim talẽ sperare in Deo, quoniam seruus eius existit & studiose incumbit operi eius, absque omni negligentia quæ ab aliqua causa contingat. Nam huic dignum est à Deo fieri prouidentiam specialem, quia seruat mandatum eius qui dixit. *Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Cũ autem sic disponimur, mundus, tanquã seruus nobis omnia præparabit, & tanquam Dominis indubitanter obediet verbis nostris, & nostris voluntatibus non resistet. Ne igitur cesset de statu suo continuo coram Deo, non tradit seipsum ad curandum de necessaria vtilitate corporis, nec quoque de alio curat nisi tantum ociosus fieri, propter timorem Dei, ab huiusmodi solicitudine magna & parua, vnde quæ spectant ad voluptatem, obtinebit. Verumtamen hæc omnia mirabiliter, neque curat de eis, neq; laborat in ipsis. Homo quippe, qui cor suum sepultum habet penitus in terris, & semper terram comedit cum serpente, & in nullo studet complacere Deo, sed in omnibus corporalibus distractus & dissolutus existit & ociosus ab omni virtute propter assiduum colloquium & luxum elationis & occasiones quasdam proponit: Hic propter desidiã & ocium excidit iam à bono, & contingit cũ arctatur ab aliqua necessitate vel morte, seu tribulatur à fructificatione suarum iniquitatum, dicat: Sperabo in Deo, & ipse me sanet absque solicitudine, & auxilium mihi præstabit. Insipiens vsque modo nõ fuisti recordatus Dei, immò iniuriatus es ei per vitia tuorum operum, per te blasphematur à gẽtibus nomen Domini sicut scriptum est, & nunc præsumis ore pleno dicere. In ipso sperabo & ipse auxiliabitur mihi, & solicitus erit de me. Benedictum est à Deo, confundendo tales, per Prophetam dicẽtem. *Quotidie exquirunt me & volunt addiscere vias meas. Et sicut aliqui facientes iustitiam & iustificationes Dei sui non relinquentes quærunt iudicium & iustitiam.* De talibus enim est insipiens, qui etiam mẽte sit proximus Deo. Sed cum à tribulationibus circundatur, extollit manus confidenter ad Deum. Hic vtique necesse habet multoties vt disciplinetur hinc inde, quia non habet opus dignum, vt confidat in Deo. Nam propter prauas cogitationes & negligentiam in his, quæ conueniunt, disciplina fit dignus. Deus

De spe quæ fit per fidem præcordialem & dilectionem. Cap. 27.

verò propter misericordiam suam sustinet eum, ne A decipiat, talis ergo seipsum si obliuiscatur & ordinē conuersationis suæ, ac dicat se confidere in Deo, disciplinabitur enim, quia opera fidei nunquam habet. Non extendat in ocio pedem suum: & dicat. Credo in Deum, quod dabit mihi necessaria, tanquam in Dei operibus conuersanti, nec insipienter proiiciat semetipsum in puteum, in mente non habens Deum, & dicat: Sperabo in Domino nunc, tandem per iniuriam & eruet me. Noli errare ô insipiens, quia labor & sudor, qui pro Deo fiunt in agricultura sua. Spem quæ in tempore geritur, antecedunt. Si credis in Deum, bene facis, sed fides eget operibus, & spes quæ de eo habetur, eget affli- B ctionibus ad virtutes. Credo quod Deus prouideat: credis creaturis suis, & sit in omnibus potens. Sed fidem tuam sequatur conueniens operatio, & tunc exaudiet te. Noli tenere ventum in pugno tuo, sine operibus videlicet fidem tuā. Multoties quis ignorans ambulat per viam habētem malignam feram, vel homicidas, vel aliquid consimile & hoc communis est prouidentia Dei, vt eruat de huiusmodi incursu, vel præpediat impetum itineris per aliquas causas, quousque pertranseat fera maligna, vel occurrat ei aliquis, vt ab itinere vertat eundem. Item serpens nequam aliquando inuenitur iacens in via & latens, & Deus nolens hominem exponere cladi C huic, facit serpentem subito sibilare & ab ipso loco recedere, vel serpere corā eo, vt ipse videns illū, caueat sibi, vt eruatur ab ipso, quē nobis infestū fecit propter occulta peccata sua, quæ solus ipse nouit. Eruit autem ipsum propter misericordiam suam, & contingit cadere domum & labi funditus à loco suo, & tamen quandoque pro sua mandat Deus misericordia Angelo, quod eam detineat, ne labatur, quousque surgant & inde recedant, vel per quasdā causas educit eos, vt nullus inueniatur sub ea, statim autem pertimescentibus illis, saltem permittit eundem, quod si contigerit aliquem occupari, conseruari facit illæsum, quoniam vult ex hoc fieri ma- D nifestam magnitudinem suæ virtutis. Igitur & huiusmodi communis & generalis prouidentia Dei sunt. Iustus vero inseparabiliter habet eam, cæterisque hominibus cum discretione mandauit Deus dispositioni, quæ spectant ad eos, & cōparare scientiam prouidentiæ Dei. Sed iustus huiusmodi scientia pro discretione suorum non eget, quia iam acquisiuit pro scientia fidem, per quam deponet omnem elationem extollentem se contra scientiam Dei, & de nullo supradictorum timebit. Scriptum est enim, quod iustus sicut leo confidit in omnibus: præsumens fidem, non quasi tentando Deum, sed securius de ipso tanquam armatus quis, & indutus E spiritus sancti virtute. Et quanto magis habet, assiduam cum Deo solitudinem, tanto plus & Deus dicet de ipso, Cum ipso sum in tribulatione eripiam eum, & glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum & ostendam illi salutare meum. Qui vero lassus est & piger, non potest habere hanc spem in opere suo, sed qui manet continuè cum Deo in omnibus & appropinquat ei operum decore suorū & affectum sui cordis ad eius gratiam indesinenter extendit, sicut dixit beatus Dauid. Defecerūt oculi mei, dum sperarem in Deo meo.

Cū dilexerimus à mundo fugere & peregrini fieri à mundanis, nihil ita separat nos à mundo nec mortificat vitia nostra carnalia & viuificat spiritualia, sicut luctus & labor cum discretione præcordiali. Facies enim verecundi imitatur humilitatem dilecti. Nihil facit nos in sæculo conuersari, & cum ebriis & luxuriosis qui sunt in eo, & nihil sic nos separat à thesauris sapientiæ ac scientiæ Dei secretorum, sicut risus, hoc est, adinuentio fornicationis. Et quoniam percepi philosophiam tuam amice, rogo te in charitate, vt caueas tibi ab amicorum incursu, ne verborum effrenatione frigefacias animā tuam à calore charitatis Christi, qui pro te fel gustauit in ligno crucis, & loco illius dulcis mediationis & securitatis ad Deum, replearis multorum phantasmatum obscuritate vigilante, te vero dormitante irrationabilibus somniis occupetur anima quorum fœtorem sancti Angeli sustinere non possunt, & sic fias aliis ludibrium & stimulus tibi. Cōpelle temetipsum vt imiteris humilitatem Christi, vt ignis accendatur, qui est in te inspiratus, ab ipso, in quo eradicantur huiusmodi sæculi motus, qui interficiunt hominem nouum & polluūt atria sancti & fortis Dei. Et ego infirmus dico secundum Paulum quod *templum Dei sumus*, Mundemus ergo templum eius, sicut ipse mundus est, vt habitare cōcupiscat in ipso. Sanctificemus illud, sicut & ipse sanctus est. Ornemus illud cunctis operibus bonis, & prætensi fumigemus illud thymiamate, in quo quiescit voluntas eius, id est, præcordiali & munda oratione, quæ propter sæcularium communionem acquiri non potest. Sic vtique obumbrabit animā nubes gloriæ Dei, & fulgebit splendor maiestatis eius in corde ipsius, & replebuntur gaudio & lætitia omnes habitatores tabernaculi Dei: Effrontes vero & inuerecundi deficient in flamma spiritus sancti. Impropera tibi ô frater, semper dicens. O anima misera, dissolutio tua à corpore appropinquat quare delectaris in iis, quæ debes hodie derelinquere, & à quorum aspectu abstraheris in æternum? Attende quæ sunt ante te & cogita quæ operata es, qualia sunt, & cum quo conuersata es omnibus diebus vitæ tuæ, seu quis laborem operationis tuæ recipit, & quem in pugna tua lætificasti, vt exeat in occursu tuo, tempore exitus tui & quem delectasti in occursu tuo, in partu eius quiescas: cuius gratia laborando te afflixisti, vt peruenias ad eum cū gaudio, quam acquisisti mercedem soluere in occasu solis recessus tui. Tu sisicitare à temetipsa, ô anima, & videas, ad quem terram est proiectio tua. Quod si pertransisti agrum fructificantem in amaritudine cultoris tui, clama & vocifera in gemitu & anxietate, quæ super sacrificia & holocausta placant Dominum Deum tuum. Producat dolorosas voces, quibus sancti Angeli delectantur. Vnge genas tuas lachrymis, & super te Spiritus sanctus requiescat, & abluat te à sordibus malitiæ tuæ. Fac tibi propitiū per lachrymas Deum vt ad te veniat. Inuita Mariam & Martham vt luctuosas voces te doceant, clama ad Dominum & dic.

Domine qui super Lazarum plorasti, & super eū lachrymas tuæ cōpassionis effudisti, susci pe lachrymas amaritudinis meæ, passionibus tuis passiones meas sana, vulneribus tuis medere vulneri meo, sā-

guine

guine tuo sanguinem meum munda, & contempe-
ro corpori meo viuifici corporis tui odorem. Fel,
quo ab inimicis potatus es, dulcem reddat animam
meam, ab amaritudine quam mihi inimicus aduer-
sarius propinauit. Corpus tuum, quod in ligno cru-
cis extensum est, extollat ad te mentem meam, quæ
à dæmonibus est inferius tracta: Caput tuum, quod
in crucis patibulo reclinasti, erigat caput meum ab
inimicis colaphizatum, Crucifixæ clauis sanctissi-
mæ manus tuæ subleuent me ad te, de confusione
perditionis, sicut os tuum sanctissimum repromisit:
facies tua quæ alapas recepit & conspuationes, à
maledictis clarificet faciem meam iniquitatibus
sordidatam, Anima tua, quam tradidisti primitus
existens in cruce, deducat me ad te in gloria tua.
Non habeo cor dolens ad quærendum te, non ha-
beo pœnitentiam, neque compunctionem, quæ re-
ducunt filios ad suam hæreditatem. Non habeo
Domine lachrymas deprecabiles, obtenebratus est
in sæcularibus animus meus, nec potest ad te respi-
cere in dolore, & aruit cor meum à multitudine tẽ-
tationum nec eo potest calefieri lachrymis tuæ dul-
cedinis. Sed ô Iesu Christe thesaure bonorum, tri-
bue mihi pœnitentiam perfectam, cor dolens. Vt
ex eo properem anima ad quærendum te: Nam sine
omni bono alienabor. Da mihi ergo Iesu Christe
gratiam tuam, pater qui te produxit de sinu suæ æ-
ternaliter sine tempore, innouet in me lumen ima-
ginis tuæ. Dereliqui te, non me derelinquas, exiui
à te, exi ad quærẽdum me, & introduc me in pascua
tua, & connumera me ouibus electis oculis tuis, &
constituas me cum eis in partes diuitiarum secreto-
rum tuorum, quorum est habitaculum cor munda-
tum, & in ipso videatur splendor reuelationum tua-
rum, quæ sunt consolatio & refrigerium eorũ, quæ
laborauerunt pro te in tribulationibus & omnimo-
dis afflictionibus, quibus digni constituamur gra-
tia & pietate saluatoris nostri tunc & in futuro se-
culo, Amen.

Quod solitudo impedit quietem. Cap. 30.

Homo multæ solicitudinis, mitis & quietus esse
non potest. Quia necessariò causæ rerum in quibus
studet, compellunt eum inuitum & renitentem in
ipsis morari, & disperdunt tranquillitatem & quie-
tudinem. Decet ergo, in oppositio vultus Dei sta-
tuere semetipsum, & ad eum extendere visum suũ,
si mentem suam vult verè custodire, ac prauos mo-
tus, qui in ipsa pullulant, emundare, nec non addi-
scere cum cogitationum tranquillitate vt discernat
ingredientia, & egredientia, quia multę occupatio-
nes sunt in argumentum laxationis monachi con-
tra operationem mandatorum Christi, & manife-
statio suorum defectuum in diuinis. Nisi sis sine so-
licitudine, lumen in anima tua non quæras neque
tranquillitatem aut quietudinem in laxatione sen-
suum, vel vbicunque manet occupatio rerum. Ne
multiplices tibi occupationes, & non inuenies in
oratione tua concussiones. Nam sine assidua ora-
tione appropinquare Deo non potes: post laborem
vero Orationis, si menti fuerit alia solicitudo, illata
operabitur in ipsa dispersionem, lachrymæ ac per-
cussio capitis in orationem, necnon voluntatem in
terra cum feruore expergefaciunt calorem dulce-
dinis suæ intus in corde, & cum laudabili mentis
excessu transuolat cor ad Deum & clamat: *sitiuit a-*

A *nima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & ap-* Psal. 41.
parebo ante faciem Dei. Qui de hoc vino bibit & post-
ea priuatus est eo, ipse solus nouit quanta miseria
occupatur, & quid est ablatum ab eo propter laxa-
tionem sui. O quàm malũ hominibus est aspectus
& locutio illis omnibus qui cõuersantur veraciter
in solitudine plus multo quam illis, qui sunt à soli-
tudine colligati! Quia sicut vehemens glacies su-
bito incidens summitatibus plãtarum desiccat eas,
ita colloquia hominum, quamuis omnino breuia
sunt, & putentur ad bonum prolata, desiccant ta-
men flores virtutum, quæ de nouo floruerunt ex
temperantia solitudinis, qui etiam circundant cũ
B simplicitate & temeritate plantam animæ quæ plã-
tata est secus decursus aquarum pœnitentiæ. Et sic
vehemens gelu comprehendens nouellas plantarũ
productiones, vrit eas: ita & colloquium hominum
radices virtutũ quæ incipiunt sicut pascua pullula-
re, quod si eorum colloquium, qui ex parte quidem
abstinentes sunt, ex parte vero aliquem defectum
patiuntur, consueuit animæ iacturam inferre, quã-
tò magis colloquium & aspectus laicorum & stul- Animæ pe-
torum, ne dicam potius mundanorum? Nam sicut riculum ex
nobilis & venerabilis homo cum inebriatur, obli- confabu-
uiscitur suæ voluntatis, & status eius exhonoratur lationibus.
& irridetur pretiositas eius propter alienas cogita-
C tiones quæ superuenerunt eidem vini virtute: ita &
castitas animæ turbatur ab aspectu & incauta locu-
tione, & eradicatur ab ista omne sustẽtaculum lau-
dabilis status sui. Si ergo colloquium & dilatio &
dispersio superuenientes in solitudine commoran-
ti, vel ipsorum propinquitates ad videndum & au-
diendum sufficiunt inferre menti turbationem &
frigefactionem in diuinis propter multa quæ fiunt
ex visu & auditu, & in breui hora hoc faciũt: Quid
dicemus de continuo eorum occursu & de multa
hora & diuturna in eisdem? furiositas ventris ob-
nubilat mentem in cognitione Dei, quemadmo-
dum & vapor ex humiditate terræ producitur ascẽ-
D dens aërem reddit obscurum. Superbia vero non
considerat quod in tenebris ambulat, quia propter
prædictam obtenebrationem nescies intentionem
sapiẽtiæ, extollitur super omnia cum sit infima om-
nium, & addiscere vias Dei non potest. Nam & Do-
minus voluntates suas occultat ab ea quam in via
humilium voluit ambulare.

Quod non est maior operatio monachorum vigiliis nocturnis cum discretione. Cap. 31.

Noli putare ô homo, quod inter omnes operatio-
nes monachorum sit alia quamlibet sancta conuer-
satio, maior vigiliis nocturnis. In veritate fratres, si
non fiat religio, satio, dispersio, & turbatio in car-
nalibus rebus in solicitudine temporalium: sed ca-
uerit sibi à mundo & custodierit seipsam vigiliis
E mens eius, quasi cum aliis in breui tempore volat
& exaltatur in dilectionem Dei, & cito peruenit ad
gloriam. Transit enim per leuitatem suam & agili-
tatem ad scientiam quæ superat intellectum huma-
num. Monachum perseuerantem in vigiliis cum
mentis discretione, ne respicias illum sicut carne
feruentem. Hoc vtique Angelici ordinis opus est,
non humanum. Impossibile est autem quod illos
qui semper in huiusmodi continentia conuersan-
tur, dimittat Deus sine magnis bonis propter eo-
rum ieiunium & vigilantiam cordis. Sed propter
sollicitam conuersationem cogitationum ipsorum

in ipso, Anima quæ in huiusmodi vigiliarum conuersatione laborat & perseuerat, quasi Cherubin oculos suos habebit, quibus semper intueatur & perspiciat contemplationem cœlestem. Ego vero puto impossibile esse, vt ille qui cum scientia & disciplina prælegit sibi laborem istum magnum atq; diuinum, & arbitratus est eius portare grauamen, & studiose laborat in hac glorioſa parte quam elegit, & in die sibi cauet à turbatione locutionum & sollitudine pugnarum, fiat nudus & fatuus admirabili fructificatione magnæ dilectionis, quæ colligi præstolatur ab ipso. Quicunque autem hoc negligat, præsumo dicere quod ignorat ad quid laborat & somno abstinet, & in laudũ collatione multa, & fatigatione linguæ & erecta statione totus affligitur, non habens mentem suam in oratione & in cantu suo, sed quasi ductus est à consuetudine indiscrete. Et nisi sint hæc taliter vt prædixi, quomodo deficeret à merendo, ex continua seminatione sua in labore fructificationes maximas. Nam si vice solicitudinum excitet semetipsum in lectione diuinæ scripturæ quæ roborat mentem cum orationis sit maxima fortitudo, & in vigiliis quibus coniungitur præstet auxilium, fiat ei lux mentis, & discretio in semitam rectam, & fertilis materia in contẽplatione orationis quæ ligat mentem à dispersione nec in vanitatibus quatiatur, fiet quoque indeficiẽs sibi seminatrix diuinæ recordationis in anima, & commemorationis viarum sanctorum vel sanctarum, qui vel Deo placuerũt, faciẽtque mentem acquirere subtilitatem, & sapientiam inuenerit vtiq;, operationum huiusmodi fructum maturum. Quare ergo homo indiscrete te tuáque disponis quia totam quidem noctem peruigilem erectus stando deducis, & affligis teipsum orationibus laudibúsque: oneroſum vero non modicum tibi videtur per breuem in die curam te diuinam gratiam promereri, ne quis forsitan pro te contristaretur: Vt quid teipsum affligis & de nocte quidem seminas, de die vero spargis laborem tuum, & videris infructuoſus? Quare dispergis vigilantiam & studium & calorem quem fuisti adeptus, & perdis inaniter lucrum tuũ, ob turbabiles rerum cursus? Nam si nocturnæ meditationi concordem faceres operationem diurnã calore cordis, nec in medio doctrinam adhiberes, in breui vtique tempore amplexãs pectus Iesu. Sed ex hoc manifestum est, quoniam indiscrete conuersaris, nec scis qualiter oporteat monachos vigilare. Tu enim putas, quod hæc omnia sunt ad hoc tantũ statuta, vt labores, nec ob aliud quod oriatur ex eis. Illi vero qui promeruerunt à gratia, pro qua sæpe obstant athletæ somno, & naturæ violentiam inferunt tam per violentiam corporũ quàm cogitationum suarum, cui singulis noctibus preces offerũt, ille solus nouit virtutem. Quæ fit ex diurna custodia, & quale menti præstat auxilium inquietudine noctis, & qualem potestatem circa se contra cogitationes, & qualem munditiam, & qualem intelligentiam sine pugna & violẽtia sibi donat, & quod faciat ipsum intelligere cum libertate verborũ nobilitatem. Ego quoq; dico, quod si corpus fessum fuerit propter infirmitatem suam, vt ieiunare non possit, potest solis vigiliis mens acquirere statum animæ, & intellectum præstare cordi, virtutem spiri-

Vigiliæ infructuoſæ.

A tualem addiscat dummodo non fiat sibi exterminatio à dilatatione diuinarum causarum, vnde rogo te, qui affectas adipisci mentem studioſam apud Deum & agnitionem nouæ vitæ toto tempore vitæ tuæ, noli negligere conuersationem vigiliarum, quia per ipsam aperiuntur oculi ad intuendum totam gloriam conuersationis & virtutem viæ iustitiæ. Quod si fiat tibi (quod absit) iterum laxationis cogitatio, & nidificauerit in te forsitan propter probationem protectoris tui, qui ex consuetudine te permittit in huiusmodi alterari, siue in calore seu etiam in frigefactione vel ex aliqua causa vel infirmitate corporis, vt non possis facere laborem multi B cantus quem cantare consueuisti ac extensæ orationis ac multarum genuflexionum quas facere consueuisti. Rogo in charitate, si derelictus fueris in huiusmodi nec possis eadem operari, saltem sedendo vigila, nec dormias in corde tuo, & omni ingenio educ noctem sedens, & bonos cogitans intellectus, & ne indures cor tuum & obtenebres illud in somno, quia veniet iterum tibi primus ille calor & lenitas & virtus & exultãs gaudebis, & referes Deo gratias. Nam frigefactio & huiusmodi grauedo, & ad examinationem & probationem hominis permittũtur, & si semetipsum excitauerit cum feruore ac exeusserit eas à seipso, instans aliC quantulum importune, statim appropinquat gratia sicut erat, & accedit ad eum alia virtus continẽs omne bonum occultum in semetipsa, & etiam spes protectionis & homo admiratur obstupefaciens de prima grauedine ac de superueniente lenitate ac virtute: necnon etiam quod tam subito huiusmodi alterationem recepit, & ex tunc instruitur, quòd si venerit sibi talis grauedo, cognoscat illam ex prima experientia. Nam si in primo tempore non certauerit, hanc scientiam non potest recipere nec habere. Vides in quantum instruitur homo, quando cõpellit seipsum aliquãtulum & sustinet tempore pugnæ. Si virtus corporis infirmata est non ex pugna D sed ex infirmitate necessitatis, tunc etenim non est conueniens impugnare naturam. In reliquis vero bonum est, vt quis in omnibus quę sibi prosunt importune incitet semetipsum. Continua enim quietudo conscientiæ, & moderata ciborum assumptio cum vigiliis, cito expergefaciunt mentem à stupefactione rerũ, nisi forte fiat aliqua causa, quæ quietudinem soluat, cogitationes autem quæ mouentur in solitariis subito sine consensu faciunt ambos oculos quasi lauacri fontem in lachrymarum effusione atque sua multitudine genas lauant. Cum autem per abstinentiam domitum fuerit corpus tuum & per studioſam custodiam quietudinis, & E percipis quod corpus tuum moueatur violenta passione fornicationis, & præstet naturalem motum, scias quod cogitationibus superbiæ es tẽtatus. Appone ergo, quære in cibo tuo & cohibeas ventrem tuum & serutare quid cogitasti, & adiice alterationem naturæ tuæ, & in naturalia opera tua, & forsitan Deus miserebitur tui & emittet tibi lucem: vt adiicias humiliari, ne tua malitia augeatur. Ne cessemus ergo laborando & studendo, vt pœnitentiã videamus in nobis & inueniamus humilitatem & requiescant in Deo corda nostra, cui sit honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Si singulariter manes in cella tua, meditare semper super psalmos & causas compunctionis, & in memoria mortis & in spe futurorum, si nondum es veram contemplationē adeptus. Hæc etenim colligunt mentem, nec permittunt eam discurrere, donec veniat contemplatio vera. Nam potentia spiritus fortior est vitiis, meditare etiam in spe futurorū cum recordatione Dei, & considera diligenter intelligentiam prædictorum, & caue tibi à rebus extrinsecis quæ te mouent ad concupiscentias, & à paruis quæ facis in cella tua caueas tibi sicut ab ipsis, & scrutare cogitationes tuas, & ora vt oculos in omni conuersatione acquiras, & exinde incipit oriri gaudium, tūc etenim inuenies tribulationes dulciores melle. Nemo potest vitia superare, nisi per sensibiles visibilésque virtutes. Dispersionem verò mentis nullus vincere potest nisi in exercitatione scientiæ spiritualis. Mens nostra leuis est, nisi ligetur alicui cogitationi, à dispersione non cessat, ac sine perfectione virtutum impossibile est hanc virtutem adipisci, nisi quis deuicerit inimicos nō potest in pace morari. Et si pax non regnat, quomodo potest inuenire quæ sunt contra pacem? vitia quoque diafragia virtutū animæ occultauerūt, & nisi prius diruantur per manifestas virtutes, non possunt interiora videri, quasi nec potest aliquis extra murū existens, cum iis qui intus sunt conuersari: nullus quoque videre potest solem sub nube, nec virtutes animæ, vitiorum adhuc turbatione manente. Ora Deum, vt tibi sentire det affectum spiritus & desiderium eius. Cumque venerit tibi hæc sensualitas & desiderium spiritus, tunc debes à mundo discedere & mundus à te discedet, nam sine istis, quietudinem, religionem & colloquium lectionis ad hoc segregato nullus sentire potest, & sine his illa non quæras: si vero quæsieris, conuertentur postmodū & corporalia fiunt, qui intelligit intelligat. Placuit sapienti Deo vt in sudore hic comedatur panis, nec pro malitia hoc fecit, sed ne fieret indigestioni nobis & moriemur: vnaquæque virtus mater est secūdæ. Si dimiseris matrem quæ parit virtutes & abieris quærere filias, nec prius matrem ipsarum acquiras, ipsæ inuenientur animæ sicut viperæ, si à te nō proiicias illas.

Charitas Dei naturaliter calida est, & quādo cadit super aliquem, moderate facit illam animam excessiuam, quia charitatem in se capi percepit & morari. Iuxta mensuram vero qualitatis superuenientis sibi, Charitatis inconsueta videtur alteratio in eodē, & hæc sunt sensibilia signa eius. Fit facies hominis rubicunda, iocunda, corpus eius calefit, recedunt ab eo timor & verecūdia, & fit excessiuus & virtus quæ mentē colit recedit ab ipso, & fit quasi demens, & terribilem mortem reputat gaudium. Nec cecidit contemplatio eius à cōsideratione cœlestium, & absens tanquam præsens alloquitur non visus ab aliquo Scientia & visio eius naturalis pertrāseunt, nec percipit sensualiter motum qui est in rebus suis, & quasi esset cum aliquo, exercetur. In hac passione inebriati sunt Apostoli & martyres, & quidam eorum destruxerunt totum orbem & laborauerunt, & sustinuerunt opprobria, similiter & martyres cum eisdem & in desertis errauerunt, & irregularitatibus compositis, & cum essent sapientes, deputati sunt, dementes: ad hanc dementiam dignetur Deus nos peruenire, Amen.

Antequam peruenieris ad ciuitatem humilitatis, si videris teipsum quod quieuisti ab infestatione vitiorum, ne credas tibimet. Insidias quasdam tibi statuet inimicus, & expecta postquietem, turbationem multam, post quam vero transieris hospicia virtutum, non occurris quieti à fatigatione tua ab aduersariis respirationi donec possis ad humilitatis habitaculum peruenire.

Religio mater est sanctitatis ex qua oritur prima perceptionis gustatio secretorum Dei, quæ vocatur primus ordo cognitionis spiritus. Nemo decipiat seipsum fantasmate diuinationis, quare videat anima. Anima enim infecta non ascendit ad regnum mundum, nec coniungitur spiritibus sanctorum, clarifica decorem castitatis tuæ cum lachrymis & ieiuniis & solitaria quietudine: tribulatio parua pro Deo facta melior est opere magno quod sine tribulatione perficitur. Quia spontanea tribulatio probationem fidei charitatis facit oriri, opus quietis ex saturitate conscientiæ fit. Et ideo in tribulationibus probati sunt sancti pro charitate Christi, sed non in refrigeriis, quoniam opus quod fit sine labore, iusti tia est personarum sæculariū quæ de exterioribus faciunt eleemosynam nec lucrantur in semetipsis. Tu autem ô passionis conator vel sectator stude in temetipso vt dignus fias gustare gloriam eius. *Quod si compatimur & glorificabimur*: id est, non glorificatur mens cum Iesu, nisi patitur corpus cum Christo, ergo qui contemnit humanam gloriam, hic est ille, qui fit dignus gloria Dei, & glorificatur corpus eius cum anima. Gloria enim corporis subiectio est castitatis cum Deo. Gloria vero mentis, contemplatio vera de Deo. Abrenunciatio vera duplex est in operibus & opprobriis, nam quomodo patitur corpus & compatiatur cor. Si vero non nosti Deum, impossibile est in te moueri charitatē eius, nec potes diligere Deum nisi videas eum, visio namq; Dei fit ex ipsius scientia, non enim præcedit visio scientiam. De ipso fac me Domine scire te, & diligere non in scientia dispersionis mentis, quæ fit ab exercitatione, sed fac me dignum illa scientia in qua mens te videns glorificat naturam suam, in contēplatione quæ surripit sensualitatem mundi, à mente fac me attolli ab aspectu voluntatis quæ fantasmata gignit & videre te in violentia vinculi, cuius in parte secunda crucifixionis mentis, quæ in libertate constituta cessat ab efficacia intellectuum per continuam contemplationem tuam quæ est supra naturam. Pone in me augmentum charitatis tuæ, vt post amorem tuum veniā à mundo isto, exue cōsiderationem humilitatis tuæ in qua conuersatus es mundo in velamento, quod induisti de mēbris nostris, vt in hac indeficienti ex inoblita recordatione assumā cum delectatione humilitatē naturæ meæ.

De spontanea tribulatione pro proximo. Cap. 34.

Rom. 8.

Abrenunciatio duplex.

Duo sunt modi ascensionis in crucē, vnus est crucifixio corporis, & alius est ascendere in cōtemplationem: & primus quidem fit à libertate tua, secundus vero ab affectu operū, cui non subiicitur mens, nisi corpus subiiciatur. Crucifixio corporis est regnū mentis, nec subiicitur mens Deo, nisi subiiciatur libertas arbitrij, tamē difficile est exhiberi quædam alta illi qui nouitius est & statu puer. Scriptū

De duabus ascensionibus in crucem. Cap. 35.

est vtique: *Væ ciuitati cuius rex puer* vel iunior *est*. Quicunque subiecerit se pro Deo, prope est vt subiiciatur sibi. Qui cognoscit seipsum, scientia omnium datur ei: nam cognitio suimet, scientiæ omnium est plenitudo, & in subiectione animæ suæ cuncta sibi subiiciuntur. Tempore quo humilitas in anima tua regnat & in conuersione tua subiicitur anima tua, & cum ea cuncta subiicientur. Quia gignitur in corde tuo pax à Deo, Cum tu extra eum fueris, non solum à vitiis sed ab accedentibus etiam persequeris. Vere Domine nisi humiliati fuerimus, non cessas nos humiliare. Vera humilitas germen est scientiæ, & scientia vera genimen est tentationum.

De continuo silentio & quietudine. Cap. 36.

Continuum silentium & custodia quietudinis ex tribus his causis fiunt, vel propter gloriam hominũ, vel propter gloriam cœli virtutis, vel aliquem diuinum occursum quem habet aliquis intra se, ad quẽ trahitur animus eius. Quicunque non habet ex alterius neutra, necessario ægrotat. In primo virtus est non vtique manifestatio multarum ac diuersarum actionum, quæ corporaliter exercentur. Sed sapientissimum cor in spe sua. Copulat enim ipsum diuinis operibus intentio, & animus quidem multoties potest sine corporalibus actionibus exercere bonum. Corpus sine sapientia cordis quamuis operetur, non potest prodesse: veruntamen non sustinet homo Dei cum oportunitatem inuenit bonam operandi, quia ostendit laborem bonum operationis suæ charitatem quam habet ad Deum. Primus autem ordo semper prosperatur. Secundus verò ordo quandoque prosperatur, quandoque non. Nõ putes quod res ista parua sit, vt vitia carnis semper quiescant. Deo autem nostro sit gloria in secula seculorum, Amen.

De motu carnis. Cap. 37.

Motus autem inferiorum membrorum corporis, qui fit absque acutioribus cogitationibus irrationabilibus delectationis quę mouetur cum immundis, & trahit animam ad miseriam sine sponte, indubitanter est à ventris repletione: quod si fortè venter moderatus est in dieta, membra quantumcunq; moueantur sua sponte, noueris quod in corde oritur vitium, & armaturam fortem & inexpugnabilem æstima esse, in hoc agone distare ab aspectibus mulierum, quoniam aduersarius nequit operari in nobis, id quod natura nequit agere sua virtute: ne putes, quod natura tradat obliuioni quæ à Deo in ipsa naturaliter sunt inserta ad filiorum procreationem & examinationem illorũ qui sunt in certamine. Sed distantia rerum, concupiscentiam in membris mortificat & obliuionem & perditionem operatur in ipsis. Aliæ sunt cogitationes rerum longè distantium quæ simpliciter pertrãsierunt in animo, & paruum motum & modicum faciunt à seipsis, & aliæ sunt cogitationes, quæ in aspectu materiæ submergunt animum sine obliuione, & ex propinquitate mouent vitia & hominem nutriunt, sicut oleũ, accensionem lucernæ, vitiúmque quod mortuum est & extinctum accendunt, & turbãt pelagus corporis per motus, in nauicula mentis. Hic autem naturalis motus, qui habitat in nobis, propter solam creationem absque appositione vel operatione extrinseca turbare munditiæ arbitrij castitatem non potest. Deus enim non condidit naturæ potentiam ad superandum arbitrium bonũ quod est in aliquo erga ipsum, sed quando aliquis mouetur vel ab ira vel à desiderio, non compellit eum natura vel virtus de terminis exire naturæ & extra fieri quæ debentur, Sed appositio quam facimus super naturam per voluntatis actiones. Nam Deus omnia quæcũque fecit bene fecit & mensurate, & quantò mensuram proportionis naturalium in nobis recte seruamus, tantò naturalis motus compellere nos possit ad declinandum à via Dei, sed tantummodo tẽperat. His motibus mouetur corpus, vt sciamus tãtum, quod sit in nobis passio naturalis non ad titillandum & infestandum quo charitas impediatur, aut ad obtenebrãdum mentem à feruore, & à pace mouendum ad viam. Si vero nos attracti fuerimus à sensualibus rebus per quas indignatio contra naturam consueuit impetum facere vel in esu vel in potu, vel in superabundantia quãtitatis, seu in propinquitate mulierum, & accensio ipsarum aspectu aut collocutionibus quæ fiunt contra ipsas, ex quibus flamma concupiscentiæ accenditur, & exultat in corpore, committamus & ferocitatem exinde mãsionem naturalem vel propter complexionis abundantiam vel propter incurrentes rerũ aspectus. Est aliquando ipsorum motus à permixtione quæ propter opinionem nostram fit castè, & non est sicut ille, illas quidẽ pugnas libertatis vocemus, quæ sunt communis naturæ: pugna vero quæ fit ex promissione, quæ fit ex causa naturæ: opinionis, scimus quod in laboribus & cautione per multa tempora facti sumus & opinamur aliquid feciſſe, permittimur impugnari, vt discamus humilitatem. Reliquę vero pugnæ quæ propter hanc causam fiunt nobis vltra vires, à nostro tempore fiunt, quam natura cũ oppositione aliqua materialium per gastrimargiã recepit nec quiescit. Deinde ordine suæ primæ plasmationis. Nam ille qui turbationes & recreationes deposuit, compellitur inuitus peccatum diligere, sine his enim recedere à blandimento sensualitatis nequimus. Quia quanto plus multiplicantur dolores, tanto magis hæc minuũtur. Quoniã turbationes & pericula voluntatem vitiorum occidũt, quies vero nutrit & auget eam. Igitur notum est manifestè, Quoniam Deus & Angeli eius in quiete, quod si in tribulationibus & anguſtiis perficiuntur mandata Dei, nos quia ipsa contemnimus, ipsum ideo qui mandauit machinamur cõtemnere propter vitia quæ à quiete nascuntur, & euacuamus virtutis causam, videlicet tribulationem & anguſtiam. Nã in quantum mensura quietis in nobis inducitur, in tantum vitiis aptamus locum in nobis, quia in corpore anguſtiato cogitationes in vanitatibus agitari non possunt. Cum autẽ quis in gaudio tribulationes sustinet, & labores, potest vtique cogitationes refrenare potenter, quia ipsę cogitationes in fatigationibus cessant. Quãdo vero recordatus fuerit homo propriorũ peccatorum suorum & cruciauerit seipsum, tunc & Deus curã gerit, vt ipsum quiescere faciat, & gaudet Deus ex eo quod ipsemet sibiipsi pœnam inflixit de præuaricatione viæ Dei, quod vtique verę pœnitentiæ signũ existit: & quãto plus ipse pœnitentiam egerit animæ suæ, tanto magis eius præmium multiplicatur à Deo. Omne autem gaudiũ quod à virtute nõ habet causam statim, excitat motus concupiscentiarũ inuẽtori suo. Intelli-

Motus naturales peccato ponitur.

Dolentes fugiunt peccata.

ge

717

ge quidem hęc de omni concupiſcentia vitioſa. Nō enim hoc dicimus de concupiſcentia naturali.

Quod virtutes inuicem ſibi ſuccedunt. Cap. 38.

Virtutes inuicem ſibi ſuccedunt, ne enim fiat via ipſarum oneroſa, grauiſque & non ordine peragatur: & ex ea alleuiatur, & vt ita facilia ſint ea quæ ſunt difficilia propter bonum, ſicut & bona. Nemo enim poteſt acquirere inopiam virtute niſi ſeipſum inducat, & præparet ad ſuſtinendum tentationes, niſi qui credidit quod aliquid ſuperans corporalem quietem, pro tribulationibus ad excipiēdas ſe præparauit, primò dilectio tribulationum mouetur in ipſo, deinde ſuperuenit & cogitatio inops fieri de his quæ ſunt mūdi, & omnis qui appropinquat tribulationibus. Quicunq; priuauerit ſe rebus materialibus nec priuauerit ſeipſum etiam efficacia ſenſuum viſus videlicet & auditus, tribulationem duplicem ſibi mendicabit, & duplex miſer fiet & tribulabitur: quinimo quæ vtilitas priuari materialibus rebus, & in ipſis delectari per ſenſus. Nā illud idem patitur ex paſſionibus quæ in eis ſunt, quod actualiter prius patiebatur pro eo quòd memoria conſuetudinis earum non recedit ab animo ſuo. Si enim imagines ipſarum mēti factæ dolorem miniſtrant homini ſine rebus eiſdem: quid habemus dicere de appropinquāte eſſentia? bonus eſt ergo exceſſus, etenim valde operatur, quum cogitationes viriliter manſueſcit, & potentiam in exercitatione imponit, necnon patientiam magnam imponit homini in ſuperuenientibus ſibi neceſſariis tribulationibus à quo requirere eſt conſilium.

Ne homo conſulat alienum. Cap. 39.

Ne quæras conſilium ab aliquo qui non ſit de cōuerſatione tua, quamuis ſit ſapiens valde, & committe potius cogitationes tuas idiotæ in experientia rerum facto, quam eloquenti philoſopho ſuper ſcrutationem loquenti ſine experientia rerū. Quid eſt igitur experientia rerum? Experientia eſt non quod aliquis ingrediatur & perſpiciat aliquarum rerum, nondum aſſumens in ipſis earundem agnitionem in ſeipſo, ſed quod excipiat illarum experientia vtilitatem & damnum ipſarum operabiliter per moram quam fecit in eiſdem. Quemadmodum videtur multoties res damnum, & eius habitus inuenitur merces vtilitate repleta: eodem quoq; modo intellectu & in huiuſmodi contrario videlicet videre, multoties res vtilitatem habētes & habitus dāno repletur. Vnde plures homines ex rebus quæ videntur lucrabiles, inueniunt damnum, & nec ex ipſis teſtimonium ſcientiæ verum exiſtit. Illo ergo conſiliario vtere, qui nouit probare in patientia res diſcretionis: propter hoc autem non eſt quilibet fide dignus ad dandum conſilium, niſi qui prius bene voluntatem propriam gubernauerit, & actores & detractores non pertimeſcet.

Quod quā magis homo virtutes proficit, tantò maiores tentationes habet. Cap. 40.

Quando enim inueneris in via tua pacem inalterabilem, tum pertimeſce, quia lōge diſtat recto tramite qui laborioſis pedibus ſanctorum calcatur. Nam quāto progrederis in via ciuitatis regis, & appropinquas ciuitati hoc tibi ſit ſignum, fortitudo tentationum occurret tibi: & quantò proficis, tantum tentationes multiplicantur contrà te, cum autem perſenſeris in anima tua alium gradum excelſum in occulto recipe, & addita eſt gratia in ſtatu in quo ſtabat. Nam ſecundum magnitudinem gratiæ, tantum in tribulatione tentationum Deus adducit animam non in ſæculares tentationes quæ fiunt ad refrenandum malitiam & res manifeſtas, neque corporales turbationes intelligas eas eſſe, ſed tentationes conuenientes monachis in ſolitudine ſua, quas poſtmodum diſtinguemus. Quod ſi anima infirmitatem habet nec eſt ſufficiens ad magnas tentationes, poſtulat nō intrare in eas, & Deus exaudiet eam. Scito verè, quod in quantum inſufficiens eſt ad magnas tentationes, in tantum eſt & ad magna chariſmata inſufficiens, & quemadmodum magnarum tentationum incurſus præpeditus in ipſa ſit, & magna chariſmata præpediūtur in ea: Quoniam nō dat Deus magna chariſmata ſine magnis tentationibus. Nam & tentationes ſecundum chariſmata dinumerata ſunt à Deo, iuxta ſapientiā eius, quoniam hi qui ab eo creati ſunt non comprehendunt. Igitur à difficilibus tribulationibus contingentibus tibi ex diſpenſatione diuina, comprehendis quantam conſolationem recipit anima tua de magnitudine eius. Nam ſecundum triſtitiā, & conſolatio. Quid ergo prius eſt, tentatio & deinde chariſma: an prius chariſma, & fit deinde tentatio? *Reſponſio.* Non venit tentatio niſi prius recipiat anima tua in occulto etiam magnitudinem ſuper primam ſuam menſuram & ſpiritum gratiæ, quoniam recipiat prius & teſtatur ad ipſum tentatio Dei, ſimiliter & tentationes Apoſtolorum. Nō enim permiſſi ſunt in tentatione intrare quouſque paracletum receperunt. Nam qui communicabant bonis, conuenit eos ſuſtinere tentationes ipſorum, quia poſt bonum eſt & tribulatio eius. Ita etiā placuit ſapienti Deo in omnibus facere, & in hoc ſcit gratiam eſſe priuſquam tentationem, veruntamen præceſſit ſenſualitas tentationum: ſenſualitatē gratiæ, propter probationem libertatis. Numquid etenim prouenit in aliquo gratia, priuſquam guſtet tentationem? præcedit etiam gratia mētem, in ſenſualitate vero retardat, vnde decet nos habere in his tentationem temporibus quædam duo contraria inuicem, & in nullo ſimilia. Hæc autem ſunt gaudium & timor. Gaudium quidem, quod in via ſumus quam calcauerunt ſancti, quinimo viuificator in ea inuentus eſt ambulare & hoc eſt manifeſtum ex agnitione tentationū. Timorem vero debemus habere, ne forte ex cauſa ſuperbiæ tētemur. In iſtis autem humiles inſtruuntur à gratia, vt hoc diſcernere poſſint, & ſcire quid ſit tentatio, quæ fit ex fructu ſuperbiæ: etiam quæ ſit illa quæ fit ex alapis in illis qui verberantur ex charitate, diſcretæ ſunt enim ab inuicem tentationes quæ ſunt à conamine & augmento conuerſationis in bono & tentationibus promiſſionis, quæ ſunt melius ad caſtigationem vel guſtationem propter ſuperbiā cordis.

Anima tētationum capax.

Hominis gaudium & timor.

Tentationes quæ fiunt à virga ſpirituali ad profectum & augmentum animæ, in quibus exercitatur anima, & probatur atque mundatur, ſunt iſtæ. Pigritia, grauitas corporis, laxatio membrorum, accidia, confuſio mentis, dolores corporis, exciſio ſpei ad horam, obtenebratio cogitationum, defectus humani auxilij ad horam, egeſtas corporalis vſus, & his ſimilia.

Quæ ſunt tētationes quibus anima proficit. Cap. 41.

Ex his tentationibus acquirit homo animam ſolitariam & ſui protectionem & humilitatem & cor contritum, & ex his probatur quis veniat ad

desiderium creatoris. Hæc autem dispensator ordinat iuxta possibilitatem & iuxta necessitatem sapientium ea. His contemperantur consolatio, & aduersitatis lux, & tenebræ, prælia & aduersiones, & breuiter dicere angustant hoc atque hoc, est signum profectus hominis per auxilium. Tentationes itaque quæ fiunt à promissione Dei contra imprudentes, & extollentes se in mentibus suis coram bonitate Dei in superbia sua: sunt istæ tentationes dæmonum manifestæ, quæ sunt supra potentiam animæ, defectus virtutum sapientiæ quæ sunt in eis sensualitas acuta intentionis fornicandi, quæ permittitur contra eos ad humilitatem elationis eorũ: indignari cito, velle statuere propriam voluntatem litigare sermonibus, increpare & contemnere, error mentis totalis, blasphemia contra nomen Dei, intentiones fatuæ plenæ risu, immo planctu, contemni ab omnibus, destructio honoris sui, fieri confusio & opprobrium in modis multis à dæmonibus occulto, manifestéque desiderium commisceri & conuersari in mundo, loqui & nugari semper insipienter, adinuenire sibi renouationem, semper cum falsa prophetia promittere multa supra posse suum, hæc quidem sunt animæ. In corporalibus vero contingunt dolorosi euentus: permanentes semper perplexi, víxque solubiles occursus malorum, semper & impiorum hominum incidere in manus hominum tribulantium in ocio cordis semper sine causa, & repentino timore parati multoties minas magnas ex lapidibus & altis locis ex his similia quæ fiunt & corporis fractione. Vltimo egestas sapientiæ nostrum cor ex diuina virtute & spe fidei suæ, & vt cito dicantur, quotquot impossibilia & supra vires sunt, inducuntur ei. Hæc autem quotquot superius notauimus, & determinauimus, dæmonis sunt tentationum superbiæ: apparet autem principium in homine, quãdo quis incipit se habere sapientem in oculis suis, & sic transmutatur in omnibus malis, secundum mensuram susceptionis huiusmodi cogitationum superbiæ: à speciebus ergo cogitationum tuarum comprehende viam subtilitatis mentis tuæ. Quod si videris aliquas ex his tentationibus commixtas cum aliis tentationibus quæ superius ante dictæ sunt, scito quod in quantũ habes ex istis, in tantum superbia tibi contingit vel incumbit.

Quod patientia hominis repellit aduersitates. Cap. 42.

Mens aduersitates & tribulationes quæ non participant, patientiæ duplex habet tormentum. Patientia enim hominis repellit aduersitates eus. Pusillanimitas enim mater est cruciatus. Patientia vero mater est consolationis. Et virtus quædam quæ à latitudine cordis habet oriri, quam virtutem difficile est hominem inuenire in tribulationibus suis absque diuino Chrismate, quæ ex perseuerantia orationis inuenitur & lachrymarum effusione.

De pusillanimitate. Cap. 43.

Quando vult Deus peramplius tribulari, promittit etiam venire ad manus pusillanimitatis. Hæc autem parat in eo potentiam Accidiæ, in qua gustat suffocationem animæ, quæ est gustatio gehennę, & ex hac superinducitur spiritus excessus ex quo nascuntur plurimæ tentationes, scilicet confusio, furor, blasphemia, fatua culpatio, peruersæ cogitationes, & de terra in terram transmigratio, & his similia. Quod si dixeris, quæ est causa horum? dico tibi, quod negligentia tua, quia non curasti medicinam eorum: vna est enim omnium eorum medicina, per quam quis inuenit statim in anima consolationes: hæc est, humilitas cordis, & præter hanc destruere terminum istorum malorum nemo poterit, quinimo, inuenit eum sub potentia contra eum. Ne indigneris contra me, quia dico tibi veritatem, non quæsisti eam ex tota anima tua vnquam: idem scire si vis, fac te in regione sua, & videbis quomodo dabit malitiæ tuæ. Nam secundum mensuram humilitatis tuæ, datur tibi & patientia in aduersitatibus tuis, & secundum patientiam tuam alleuiatur grauitas tribulationis tuæ & cõsolationem obtinebis. Secundũ verò consolationem tuam magnificatur tua dilectio circa Deum, & secundũ dilectionẽ tuã magnificatur gaudiũ in Spiritu sancto: ab illis vero qui vere sint Filij, Pater misericors quando placet ei effectum facere tentationum earum, non aufert ab actione tentationes ipsorum, sed patiẽtiam præstat eis in ipsis, & omnia bona hæc & in patientia eorum recipit ad perfectionem animarum ipsarũ. Dignos nos igitur faciat Christus in gratia sua sustinendi mala cum amore suo, & cum regeneratione cordis. Amen.

De virtute corporali & virtute spirituali, quomodo purgãt hominem. Cap. 44.

Virtus corporalis in solitudine mundat corpus à sordibus quæ sunt in ipso, virtus vero mentis humiliat animã & purgat eam à grossis & pernicioſis intellectibus vt moueatur potius in contemplatione sua. hæc autem contemplatio propinquare facit eam ad nuditatem mentis quæ vocatur contemplatio immaterialis. Et hæc est spiritualis virtus. hoc enim extollit animam à terrenis, & appropinquare facit eum primæ contemplationi spiritus, & apud Deum constituit animum ad contemplationẽ gloriæ ineffabilis quæ est motio intellectuum magnitudinis ipsius, & separat illum ab hoc sæculo & eius sensualitate, & ex hoc, de spe nostra illa depositа certificamur, & ad certitudinẽ eius ordinis peruenimus, & hæc perseuerantia est certificatio, de qua dicit Apostolus: perseuerãtia est certificatio in qua lætatur mens intelligibiliter, videlicet in spe promissa nobis. Quid autẽ sint hæc & quomodo quod libet istorum est, audi. Conuersationem corporalẽ quæ secundum corpus est, vocat corporalia opera quæ fiunt ex emẽdatione carnis in actione virtutis per opera manifesta in semetipsis in quibus purgãtur ab immunditia carnis. Conuersatio vero animi, est operatio cordis quæ fit incessanter in solitudine iudicij scilicet iustitiæ & iudiciorum eius, oratio indeficiens cordis consideratio dispensationis & curæ Dei in hoc mundo similiter facta spiritualiter & totaliter, necnon & cauere à vitiis collectis ne occurrat quid ex eis in regione occulta & spirituali, hoc est opus cordis, quod vocat conuersationem animi.

De contemplatione materialium. Cap. 45.

In opere conuersationis, quod vocatur actus animæ, humiliatur cor & separatur à communione confusæ vitæ quæ est contra creaturam, Ex his incipit aliquando moueri ad intelligendum & intuẽdum in contemplatione naturalium quæ creata sunt ad vsum & augmentum corporis, & quomodo in ministratione eorum datur virtus quatuor elementis, quæ sunt in actione vel in corpore.

Conuersatio quoq; spiritualis est actio sine sensibus,

De conuersatione ipsi uitali. Cap. 46.

bus, & hæc est quam descripserunt Patres, quam cum mentes sanctorum susciPiunt, substantialis aspectus & pinguedo corporis tollũtur, ac deinde aspectus fit intelligibilis. Aspectum autem substãtialem vocat orationem primæ naturæ, & ex hoc aspectu substantiali dehinc facile transcẽdit ad agnitionem solitariæ conuersationis quæ est in expositione manifesta misericordiarũ Domini: hic est magnus status futurorum bonorum, qui datur in libertate in mortalium vita, in cõuersatione quæ est post Resurrectionem, qui non cessat in humana natura mirari Deum, nec considerat omnino quid de creaturis. nam si esset aliquid substãtiale Deo, habuisset vtique mens memoriam in illo. Quod si omnis pulchritudo illorum quę fiet in resurrectione futura inferior est pulchritudine eius, quomodo potest aliquis exire in aspectu suo extra pulchritudinem Dei? Quid ergo mors contristat eum, vel grauitas carnis seu memoria cõsanguineorum eius, siue necessitas naturæ ac diuersitas vel contrarietas seu exultatio ignota, seu naturæ imperfectio, aut circundatio elementorum, vel cum aliquo locutio, seu accidia laboriosissima, seu solicitudo carnis; Sed hæc omnia quamuis in hoc mundo fiant & in tempore illo quãdo ablatum fuerit velamen vitiorũ ab oculis animi, & perspexerunt ad illã gloriam, statim extollitur animus in obstupefactione, & nisi quẽ terminũ Deus posuit in hac vita super huiusmodi rebus, & quantum deceat in ipsis morari, per totam vitam hominis promissum esset, non haberet exire à contemplatione eorum, & quanto potius ostendimus, vbi hæc omnia non sunt. Virtus autẽ illa indefinite est, & eisdem rebus substantialiter erimus intra imperiales aulas si digni fuerimus pro conuersatione nostra. Quomodo potest ergo aliquis in tãtum exire & elongari ab illa mirabili & diuina contemplatione & in aliam rem incidere. Væ nobis, quia non cognoscimus nostra, neque ad quam conuersationem vocati sumus: sed viã huius infirmitatis, & statum vitæ & tribulationes mundi, & ipsum mundũ & malitiã eius, & quietes eius reputamus, aliquid. Sed ô Christe qui solus potẽs es, cuius susceptio est apud te, & ascẽsiones in corde tuo disposuit, tu Domine auerte facies nostras à mundanis in desiderio tuo donec videamus eũ sicuti est, nec credamus malitię sicut veritati, neq; simus increduli veritati sicut & vmbræ. Innoua in animo solicitudines ante mortem, vt in hora exitus nostri cognoscamus, quomodo sint ingressus nostri & exitus in hoc mundo quousque perficiamus opus in quo vocati sumus secundũ voluntatẽ tuam in hac vita prius, postea superabimus in animo repleto confidentia recipere magna secundum promissionem scripturarũ, quæ præparauit charitas tua in secunda renouatione, quorum memoria conseruatur in fide secretorum.

De mundi tia corporis & animæ. Cap. 47.

Munditia corporis, est sanctitas de pollutione carnis: munditia vero animæ, liberatio ab occultis passionibus quæ sistunt in animo. Munditia quoq; mentis est in reuelatione secretorum, purgatur enim ex omnibus accidentibus sensuum in mundo pinguedinis eorum. Nam & infantes parui, mundi sunt corde & innocentes anima, & nemo vocat eos mũdos mente. Munditia enim mentis, perfectio est in conuersatione cœlesti, scilicet in contemplatione quæ ex sensu mouetur, in virtute spirituali superborum mundorum innumerabilium, quorum conuersatio diuisa est ab inuicem subtili & inuisibili mysterio ipsorum existentium in intentione diuinarum & reuelationum contrariarum ipsarum in omni hora. Ipse autem Deus noster nos faciat semper videre eum in nuditate mentis & postea in meditate in Spiritu sancto in sæcula sæculorum, cui sit gloria, Amen.

De ostio secretorũ. Cap. 48.

Fides est ostium secretorum. Nam quemadmodum corporales oculi, substantialibus rebus; sic est fides, oculis occultis & intelligibilibus, thesaurus: oculos duos habemus animæ, sicut dicunt patres, velut duos oculos corporis, nec est idem vsus aspectus in vtroque. In vno enim oculo intuemur occulta gloriæ Dei, quæ occulta in naturis: scilicet potentiam eius, sapientiam ipsius, & dispensationem eiusdem coæternam circa nos, quæ comprehenditur ex magnitudine regiminis eius apud nos, & in hoc oculo cœlestes ordines conseruos nostros vidimus: in oculo alio contemplamur gloriam naturæ eius sanctæ, hoc est, ipsius Dei beneplacitum, quãdo fuerit Deo inducere nos in secreta spiritualia, & mare fidei aperire in animo nostro. Gratia post gratiam data est hominibus, pœnitentia eius est regeneratio secunda ex Deo, & arra quam ex fide recepimus, per pœnitentiam recepimus donum eius. Pœnitentia est porta misericordiæ, quæ aperta est persequentibus eam. Per hanc portam intramus ad Diuinam misericordiam, & absque introitu illo non inuenimus misericordiam, quia omnes peccauerunt iuxta Diuinam scripturam, *iustificati gratis per gratiam eius*, & oritur in corde à fide & timore. Rom. 5. Timor autem est baculus spiritualis nos gubernans quousque perueniamus ad Paradisum spiritualem bonorum, & cum ibi applicamus, dimittit nos vt reuertamur. Paradisus est charitas Dei in qua est delectatio cunctarum beatitudinum, vbi beatus Paulus nutritus est cibo supra naturam, ex quo gustauit in lignum vitæ clamauit dicens. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se*. 1. Cor. 2. De hoc bono fuit prohibitus Adam non consilium Diaboli. Lignum vitæ, Gene. 3. est charitas ex qua excidit Adam, & vlterius non occurrit sibi gaudium, sed in terra spinarum operatur & laborat. Qui de charitate Dei separati sũt, panem sudoris comedunt in operibus suis, quanquam in rectitudine ambulent, quem protoplastus visus est comedere post occasum donec inueniam⁹ charitatem. In terra spinarum est operatio nostra, & inter spinas seminamus, & metimus, quamuis semen nostrum fuit semen iustitiæ, & in omni hora pungimur ab eis, & quantumcunque iustificemur, in sudore viuim⁹ vultus nostri, & quãdo inuenimus charitatem, pane cœlesti vescimur & confortamur sine opere & labore. Cœlestis *panis est* Christus, *qui de cœlo descendit & vitam tribuit mundo*. Hic est cibus Angelorum: Qui charitatem inuenit, Christũ manducat in vnaquaque hora, & fit immortalis. Ait enim. Qui comederit panem quem ego dedero ei, mortem non gustabit, vel viuet in æternum. Beatus autem qui comedit de pane charitatis, qui est Christus: Christum enim comedit qui est omnium Deus. Et testatur beatus Ioãnes dicens. *Deus charitas* 1. Ioan. 4. Ioan. 6.

est. Igitur vitam ex Deo fructificat, qui in charitate viuit, & in hoc mundo existens illum aerem Resurrectionis odoratur, ita isto namque delectãtur iusti in Resurrectione. Charitas est regnũ quod permisit Deus figuratim vel figuratiue Apostolis comedere in regno suo. Quid enim comedetis & bibetis, in mensa regni mei? Charitas enim sufficiens est nutrire hominem pro cibo & potu: hoc est, vinũ quod lætificat cor hominis. Beatus qui bibit ex vino isto: ex hoc biberunt impudici, & facti sunt pudici: & ebrij, & facti sunt ieiuni, seu ieiunatores: & peccatores, & obliti sunt vias offensionum: & diuites & affectarunt paupertatẽ, & pauperes & ditati sunt spe, & fragiles & facti sunt robusti, & idiotæ & facti sunt sapientes. Sicut impossibile est transire magnũ mare sine naui, sine vasculo, sic non potest aliquis sine timore transfretare ad charitatem. Mare fœtidum quod statutum est inter nos & charitatem intelliges. Paradisum cum vasculo pœnitentiæ transfretare possumus, habẽtes pro remigatore timorem: quod si isti remigatores timoris non gubernant hanc nauem pœnitentiæ cum qua trãsimus mare huius mũdi ad Deum, submergimur in fœtido mari. Pœnitẽtia est nauis, timor vero gubernator eius, charitas portus diuinus: facit ergo timor nos sedere in naui pœnitentiæ, & transfretat nos mare mundi fœtidũ, & ad portum diuinum qui est charitas perducit nos, ad quem respiciunt omnes qui laborant & tribulantur, in pœnitentia. Cumque peruenimus ad charitatem, peruenimus ad Deũ, & via nostra perficitur & inde transimus insulam quæ est vltra mũdum, vbi Pater, & Filius, & Spiritus sanctus facit nos dignos gloria sua charitatéque per timorem, cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

De duplici scientia scilicet naturali, & quæ est ex fide, & de mensura vtriusque. Cap. 49.

Est scientia præcedens credulitatem, & scientia quæ nascitur ex credulitate. Scientia quidem præcedit credulitatem in naturalibus, scientia verò quæ nascitur ex credulitate est scientia Spiritualis. Scientia naturalis est, quæ discernit bonum à malo, & vocatur discretio naturalis, in qua nouimus bonum, & discernimus bonum à malo. Naturalis absque documento, hanc posuit Deus in naturali natura & à documento additamentum suscepit & augmentum, nec est aliquis qui hanc non habeat. Hæc autem virtus naturalis, discretio est boni & mali quæ mouentur incessanter in ipsa, & qui priuati sunt ea inferius naturali natura subsistunt, & qui habent eã in motu naturali recte consistunt nec habent aliquam confusionem in his quæ contulit Deus naturæ ad honorem naturalium suorum. Illos vero qui hanc agnitionem perdiderunt quæ discernit bonum à malo, & inter illos qui perdiderũt eam, *assimulauit insipientibus iumentis non* habentibus rationem nec discretionem. In hac impossibile est inuenire viam Dei & scientiæ naturalis, & hæc præcedit credulitatem. Hæc etiam ductrix est ad Deũ, quia in eo cognoscimus bonum à malo. Hãc recipere credulitatem testatur vtique virtus naturæ, quod deceat hominem credere illi qui perducit ad creatorẽ. Hæc omnia & credere verbis mandatorũ eorum & facere ea quæ ex credulitate nascuntur: Naturalis vero scientia quæ est discretio boni & mali, quæ ex Deo est imposita naturæ nec suggerit nobis quæ debeat credere Deo qui producit omnia. Et credulitas facit in nobis timorem, & timor compellit nos pœnitere ac operari, & Deus est dator spiritualis scientiæ hominum quæ est perceptio secretorum, quæ parit fidem veræ contemplationis. Diximus & non simpliciter ex credulitate tantum nuda nascitur spiritualis scientia, sicut dixit Sanctus Ioannes Chrysostomus. Quod quando quis acquisierit voluntatem sequendi timorem Dei & secretam prudentiam, cito recipit reuelationem secretorum, id est, spiritualem scientiam hominis. Timor autem Dei parit hanc spiritualem scientiã, quia in natura non est adiiciens, nasci non potest: sed accidentatur scientia hæc dum fit operatio in timore Dei & inuenis quia pœnitentia & scientia spiritualis hæc est. Hæc siquidem quam diximus, quod eius arram recepimus in baptismate, pœnitẽtiam vero recepimus. Donum eius, & donum quoque quod diximus quando per pœnitentiam recepimus, est hæc scientia, spirituale donum scilicet, quod per efficaciam timoris Dei datur.

De fide spirituali. Cap. 50.

Spiritualis scientia est occultorum perceptio & quando quis huiusmodi inuisibilia, & valde superacuta adsumit, ex his Spiritualis scientiæ nomen nascitur in ipsius perceptione, & credulitas alia quæ non est contraria primæ, sed certificãs credulitatem illam quæ est, & vocauit eam credulitatem contemplationis, vsque illic est auditus, aspectus verò certior est auditu. Hæc ergo omnia ex illa scientia discernente bonum à malo, quæ est in natura nascuntur, & semen bonum virtutis est quod iam dictum est. Quando vero hanc naturalem scientiã reuelauerimus in voluntate nostra voluptuosa, ex omnibus his bõnis excedis: sequitur ergo hanc scientiam continua scientia memoria mortis, indeficiens solicitudo quędam tormentum existens, vsque ad exitum istum post hanc tristitiam, mœstitiam, timor Dei, quæ est à natura tristitia pro prioribus pecatis decens studium, etiam omnia communis vitæ & solitudo diuinitatis eius, petitio, cum gemitu à Deo intrandi ad portam istam, quæ est omnis naturæ istius conceptus mundi, & multum pro virtute certamen. Hęc omnia inueniuntur in scientia naturali, faciat ergo collationem de spiritualibus operibus suis & ista, & cum inuentus fuerit in istis, in via naturali ambulet, & quando de his fuerit elatus, & ad charitatem peruenit extollens supra naturam, & recedit abeo certamen & timor & labor & fatigatio quæ consistit in cunctis. Hæc sunt sequentia scientiam naturalem, & hæc eadem inuenimus in nobis, quando reuelamus eam voluntate nostra voluptuosa, & in his donis pertingimus ad charitatem quæ nos liberat ab omnibus his, ex supradictis ergo consolationem faciat quis & perscrutetur semetipsum in quibus ambulat, vtrum in illis quæ sunt contra naturam. Ex modis perfecte prædictis, cito quis inuenire potest regimen totius viæ suæ, & cum non fuerit inuentus in his quæ secundum naturam dicta sunt à nobis quæ distinximus, nec est in his quæ sunt supra, manifestum est, quod in illis, quæ contra naturam sunt, detectis.

De tentationibus. Cap. 52.

Non est enim tẽtatio bona quæ nõ fit à gratia diuina incidẽte in corde, nec cogitatio mala propinqua est animæ, nisi ad tentationẽ & probationem.

Psal. 48.

Homo

Homo qui peruenit ad agnitionem mensuræ infirmitatis, hic ad humilitatis perfectionem peruenit. Qui conducit charismata Dei ad hominem cordis & quod ad indeficientem negationem mouetur, qui cõducit tentationem ad animam cogitatus est murmurationis, qui mouetur semper in corde: omnes infirmitates hominis sustinet Deus, hominem murmurantem non sustinet nisi corrigat, cum anima enim omni caret illuminatione scientiæ in huiusmodi tentatione inuenitur. Os vero semper laudans Deum, benedictionem accipit à Deo, & perseuerãs in actionibus gratiarum in ipsum superuenit, gratiam præcurrit humilitas, & cogitationem præcedit operatio. Qui superbit in blasphemia cadere permittitur & qui de operatione virtutũ extollitur & qui Deum præ oculis non habet, contra Deum, vel cõtra proximũ sẽper pensat, in fornicationẽ permittitur cadere, & de sapientia eleuatur, tenebrosos ignorantiæ laqueos patietur. Qui ignorat omnem hominem memoria Dei auxilium inuenit ab omni homine in occulto vultu Dei, qui se obiicit pro iniuria patienter Deum inueniet auxiliatorem sibi. Qui pro malitia fratrem suum accusat, Deum inuenietaccusatorem suum. Qui occulte proximũ corrigit malitiam eius sentit. Qui vero in conuentu accusat delicta, vulnera exacerbat. Qui occulte corrigit Fratrem suum, affectum charitatis ostẽdit amicus in occulto redarguens sapiens, medicus est. Signum compassionis est debiti indulgentia. Et signum malæ operationis culpanti contradicere. Qui ad sanitatem reprehẽdit, in charitate corrigit. Qui autem quærit vindictam in animo sine charitate. Deus in charitate corrigit non vlciscens, sed quærit vt sanetur imago eius, & ad tempus non seruat iram vsque, hic modus charitatis ex rectitudine est, & malitioſè ad communicationem non declinat. Iustus sapiens similis est Deo, non corrigit vlciscens malitiam, sed vt correctus dirigatur, vt cęteri caueãt. Correctio huic correctioni non est dissimilis. Qui vero in fortitudine suæ scientiæ admirans in contemplatione Diuinæ scientiæ, contemplatur magnitudinem carnis inquisitione à virtute nõ deriuat, & in corde suo eleuatur, qui dirigit mẽtem suam ad dignam Dei retributionem, ipse ad profundum humilitatis corpore & anima descendit in conuersatione sua, cum vero scientiæ proximus totus eleuatione eleuatur, & quantumcunque eleuatus fuerit, ascensio suæ scientiæ non perficitur, donec gloriæ seculum per se quæratur. Quantum quis proficit apud Deum, tantum eius vestigiis adhærebit, & in secundo sæculo faciem ostendet illi non quod est, quia iusti in sæculo etiam fidem Dei in ænigmate conspiciunt, in futuro vero manifestationem veritatis contemplantur.

Ignis in siccis lignis accensus difficiliùs extinguetur. Et calor Dei, qui fit & incidit ad cor renunciantis sęculo, eius ignitio non extinguitur, & est acutior igne. Vel vinum membra subiectans omnib. obliuionem inducit fortitudine sua, & cum memoria Dei vsum tenet in mente, visibilium memoriam tollit à corde. Mens quæ inuenit sapientiam spiritº, similis est illi qui nauiculam paratam ad transfretãdum inuenit, & cum sedet in ea, transducit de mari mundi, & facit applicari, insulam futuri sæculi, sic est sensus futuri sæculi, in hoc mundo, sicut nauicula parua in mari, & qui appropinquat illi non vlterius laborat in fluctibus phantasiæ huius mundi. Negociator fortè sua finita properat ire domum suam; & monachus residuo vitæ suæ futurum sęculum desiderat. Quoniam redemit tempus suum, & arrã recipit suam quamdiu est negotiatio in mari, timor possidet mentem suam, ne fortè fluctus surgãt in eum, & submergatur spes operationis suæ. Et monachus, quamdiu est in mundo, timor detinet conuersationem suam, ne forte insurgat in eũ hyems, & amittat quod est operatus.

Negotiator autem & monachus inspicit horam mortis, nauta consideratione dirigit nauem suam, & monachus orationem respicit, quia corrigit semetipsum & dirigit viam suam ad qualemcunque portum tendit conuersatio sua. Monachus in oratione quæ fit per horam, vidit insulam in qua alligabit nauiculam suam, & inde transit ad aliam insulam, hæc est via monachi transeuntis de scientia ad scientiam, & profectu scientiarum profuit, donec descendat de mari & ad sanctitatem verã perueniat, via sua in qua habitantes nõ amplius negotiantur, sed vnusquisque in suis delitiis requiescit. Beatus homo, cuius via non est confusa in hoc mũdo magno, id est, in mari magno. Cũ gaudio ad portum qui natat nudus mergitur in mari, donec inueniat margaritam, & sapiens monachus nudus perambulat in hac vita, donec inueniat sibi monachorum margaritam Iesum Christum, & cum inuenerit ipsum, non amplius possidet cum ipso aliquod antrũ. Margarita in penetralibus custoditur, & voluptas monachi intus quietudine conseruatur. In congregatione & multitudine virgo maculatur, & mens monachi multorum locutione violatur.

Auis ab omni loco currit ad nidum suum, vt pascat pullos suos, & monachus discretus accelerat ad habitaculum suum, vt in seipso faciat fructum vitæ. Serpẽs cum tactum fuerit totum corpus eius, custodit caput, & monachus ab omni malo fidem suã quæ principium vitæ suæ. Nubes operit solem, & multa verba operiunt animam incipientem illuminari in cõtemplatione orationis. Herodius secundum dicta sapientum tunc exultat & lætatur, quãdo est in deserto, & anima nostra tũc gaudium accipit cœleste, cum elongauerit se ab omnibus & vadens habitat in regione quietis, expectat tempus exitus sui. Dicitur de Syrene quod audiens vocem ipsius modulationis, proprij obliuiscitur itineris, & cantus dulcedine captus cadens moritur, sic & res animæ, cum peruenerit in ipsam dulcedo cœlestis præ modulatione suauitatis verborũ Dei, quę subintrant cum sensu intellectu, sic tota abiit post ipsã, vt obliuiscatur ipsius vitæ temporalis, & destruat corpus delectationibus suis, & exaltatur ad Deum de vita sua. Arbor nisi proiiciat folia priora, nõ producit recentes ramos, & monachus nisi prius proiiciat à corde suo memoriam priorum, non producit recentes ramos & fructus in Christo Iesu: Ventrem impinguat fructus, & solicitudo Dei fructus animæ. Canis qui lingit vlcera, prius sanguinem bibit & nocumentum non sentit propter dulcedinem quæ fit ad horam. Sic & monachus vanam gloriam bibens propriam vitam consumit, & non sentit no-

cumentum, propter dulcedinem quæ ad horam sit gloriæ sæcularis.

De abstinentia spirituali Cap. 52.

Dixerunt patres, in animam gulosam vitia reuertuntur, quæ prius subiecta fuerant & expulsa. Nubes parua cooperit circulum Solis, & Sol cum nube fauet multum, & mœstitia modica cooperit animam, si tamen eius gaudium existit magnũ verbis mysteriorum Diuinæ scripturæ sine petitione & oratione & adiutorio Dei, nec appropies, sed dic: Domine, da mihi sensus virtutis, & quæ in ipsa est, clauem intellectum verborum verorumque sunt in Diuinis scripturis orationẽ existima esse. Cum volueris appropinquare Deo, corde tuo, prius in temporalibus ostẽde laborem tuum. Ex his enim principium conuersionis est, multum enim appropinquat cor Deo, in subtractione necessitatis, in abstinentia vnius specialis cibi & sequitur operibus, & Dominus ex hoc facit fundamentum humilitatis. Existima otiositatem principium obtenebrationis animæ. Sunt obtenebrationes autem super tenebrationes collocutionis sermonum sæcularium, primum occasio secundi & secundum primi. Et vtiles sermones sine mensura probati obtenebrationem etiam faciunt, vilificatur enim anima multitudine collocutionum, quamuis præparatio eius fit in timore Dei. Obtenebratio animæ ex inordinatione conuersationis fit mensura, & tempus in conuersatione illuminat mentem & confusionem expellit. Confusio mentis quæ est ab inordinatione, obtenebrationem facit in anima, & obtenebratio turbationem: Pax ex ordinatione fit, & lux ex pace nascitur in anima, & ex luce & pace, mundus aër in mentem secundum mensuram appropinquationis cordis ad sapientiam sic suscipit gratiam à Deo. Discretio sapientiæ occupationum spiritus est extramundanarũ, sicut sentis in anima tua, quia in sapientia spiritus silentium tenet in anima. In sapientia autem mundi fons occupationis actus est, post inuentionem autem primæ sapientiæ, impleueris humilitate multa & mansuetudine & pace regnante super omnes cogitationes tuas, & mẽbra tua cessabunt & requiescent ex turbatione & inquietudine. Post inuentionem autem sapientię secundæ, id est, mundanæ, possides superbiam in sensu tuo, & cogitationes immundas indicibiles & turbationem intellectus dominationem & obdurationem sensuum & leuationem non existimes hominem in Oratione fiducialiter agere coram Deo temporalibus obligatus. Anima fraudulenta defraudatur sapientia. Misericors autem sapientia & spiritu adiuuatur: sicut oleum splendorem lampadis, sic eleemosyna nutrit animę cognitionem. Clauis cordis diuinorum donorum in charitate proximorum datur & secundum mensuram solutionis cordis ex vinculis cordis aperitur coram ipso ostium cognitionis, transitus animæ à mundo in mundum, susceptio intellectus est. Quam pulchra & laudabilis est dilectio proximi: si non solicitudo eius extrahat nos à dilectione Dei. Quam speciosa est collocutio spiritualis fratrum nostrorum, si possumus custodire, cum dat collocutionem Dei: Ergo bonum est nomen tacere, probet bonæ operationis siue boni operis & conuersionis occasionem indeficienter ad Deum. Confusio enim secundi ex stabilitate primi. Non sufficit autem mens ad duas collocutiones, vnum tantum habet collocutorem cõstitutum & timentem Deum, & semetipsum custodientem, pauperem quidem existentẽ in tabernaculo suo, diuitem verò in ministeriis Deo; visio sæcularium confusionem facit animæ; rem mentitã propter opus Dei equidem spiritualium fratrum assidua locutio nocet, sæcularium autem & sola exterior visio operationem corporalem impedit. Qui vult ex parte mentis vindemiare gaudium, est in operatione absconditorum, & vices sine visione turbant requiem cordis, econuerso: Mortificatio super operatione sensuum non firmatur. Corporalis conuersio euigilationem sensuum quærit. Conuersatio autem scientiæ euigilationem cordis, sicut in natura melior est anima corpore, & sicut plasmatio præuenit animationem: sic & corporalia coram eo opus animæ. Magna est virtus, parua conuersatio perseuerans petram duram voluit. Quando incipit in te spiritualis homo surgere. Mortificatio ex hominibus euigilet in te & ferueat in gaudio anima tua supernæ similitudine creationis, & non pacificantur cogitationes pro delectatione cordis tui, & quã do incipit mundus surgere in te, occupatio mentis tuę multiplicatur, & prudentia sæcularis & inordinata: sæculum autẽ voco vitia quę pauit occupatio, & quando concepta fuerint & perfecta, perficiuntur peccata, & interficiunt hominem. Sic non fiunt vitia sine occupatione mentis, nec consummatio peccati sine multiloquio vitiorum. Cum remultiplicata fuerit patientia in animabus nostris, signum est, quod recepimus in occulto gratiam consolationis fortitudo patientiæ, fortior est passionum cadẽtium in corpore vita in Deo directa sensum, quando autem vixerit cor, cadunt sensus. Resurrectio sẽ suum est mortificatio cordis à Deo ex virtutibus, quando sine homine fiunt non recipit conscientia rectitudinem. Virtus quæ per alios operatur, quæ scilicet valet mundare animam, ad mercedem enim opus æstimatur & perficit virtutem vtrumque & munditiam facit, propter hoc sapere primo, & secundum quæritur prẽter solicitudinem quæ in hoc relinquitur aliquid, manifestus animus à Deo, secundum autem & locum primi adimpletur sine operatione eius. Requies & ociositas est perditio animæ, & magna quam dæmones possunt nocere. Corpus infirmum si supra virtutem suam operari cogis, obtenebrationem imponis animæ, & confusionem magis superinducis. Corpus verò forte si ociositati & requiei dederis, omnis malitia animæ habitabit in eo. Et quis bonum desiderat, sed tepide, & illud bonum à seipso tollit. Cum anima inebriata fuerit in gaudio spei supernę lætitiæ Dei, in sẽsibile fit corpus eius ad tribulationem, quãuis infirmum sit. Sustinet enim duplex on⁹: scilicet infirmitatis & tribulationis. Et nõ intelligit, sed concupiscit in deliciis animæ. Si custodieris linguam tuam ô Frater, datur tibi gratia à Deo compunctionis cordis, vt in ipsam animam tuam intres, & in hoc in gaudium spiritus. Si lingua tua te vicerit, crede mihi in hoc quod dico tibi, nũquam poteris exilire à tenebris. Si non habes cor mũdum, saltem habe cor purgatum sicut beatus Hieronymus dixit, cum volueris aliquẽ admonere ad bonum, prius da sibi quietem corporalem, &

Pax animæ.

Temporalium cura.

Dilectio Proximi.

Otij damna.

729

lem, & honora eum in sermone charitatis. Nil sic verecundari facit hominem & commutari à malitia sua ad meliora, sicut & corporalia bona & honor quem sibi videt exhiberi. Quantum agonem aggreditur quis pro Deo, tantum cordi eius in oratione fiducialius operatur. Et quantum à multis occupatur, tantum fundatur adiutorio Dei. Ne tristeris, ne conturberis in calefactionibus corporis, mors enim accipiet eas à te perfectè, Ne timeas mortem, quia Deus te fecit super mortem.

De sobrietate & continentia. Cap. 41.

Hic est ergo sobrius & Deo amabilis non respicere oculis hinc inde, sed semper ante se ociosa verba loqui, sed tantum necessaria. Indumentis vilibus contectum esse ad necessitatem corporis, & sic cibis ad sustẽtationẽ corporis vti, vt nõ gastrimargiæ, & participare parum de omnibus, & non hæc reprobare & hæc eligere, nec impleat ex ipsis ventrem, maior est enim omni virtute discretio, vinum propter infirmitatem & debilitatem non sumere. Non præscindas verbũ loquentis. Nec sicut indoctus respondeas, sed sicut prudens tacitus esto vbicunque inuentus fueris, minorem teipsum æstima & seruum fratrum tuorum. Ne denudes aliquid tuorũ coram aliquo membrorũ tuorũ, ne appropies corpori alicuius præter necessitatis causam. Nec corpori tuo permittas aliquẽ appropinquare nisi vt dixi de causa rationabili. Declina à fiducia mulierum sicut à morte, posce sobrium ordinem & sanctum, ne elongetur à te virtus quæ te custodit. In quocunque loco dormieris, si possibile est, nullus te videat. Spiritum coram aliquo non proiicias si euenerit tibi tussis sedenti ad mensam, verte faciem tuam retro, & tussi. Cum sobrietate comede, & bibe, sicut decet filios Dei. Ne extendas manum tuam vt accipias à cõspectu ita coram aliquo, quid proximi tui inuerecũdè vel præsumptuosè. Si autẽ sederit tecũ extraneus, admone eum semel & bis vt comedat, & ordinatè ponas te ad mẽsam nõ turbulente, & ornatè sedeas & honestè, non denudãs quid membrorum tuorum. Cum oscitas, operi os tuum ne videaris, retines enim aspirationes transiens si potes. Si intraueris præceptoris tui cellam, aut amici, aut discipuli, caue ne videas aliquid ibi. Si nõ verò fueris coactus, hoc non facias. Quia qui in his assiduus est, alienus est monastici habitus & Christi qui hunc donauit. Ne respicias loca, in quibus abscondita sunt vasa amici tui. Cum tranquillitate aperi ostium proximi tui, & claude similiter. Non subito ad aliquem introeas, sed pulsans, vt externus permissus ingredere. Ne sis velox ingressu tuo præter causam necessariam te compellentem. Esto omnibus obediens in omni tempore præter auaros, & amatores: possessionem autem non sequeris, vt non fiat opus diabolicum. Mansuete cum omnibus tracta, & cum sobrietate, & honestate omnes aspice, & ne impleas oculos tuos aspectu alicuius rei ambulans in via, ne præuenias maiorẽ te. Si autem tardauerit socius tuus parũ dũ progrederis, expecta eum: Qui enim hoc non facit, insipiens est, quando loquitur socius obuianti, expecta eum. Sanus dicat infirmanti, ante tempus faciamus necessitatem. Ne arguas aliquem in aliquo delicto. Sed teipsum in omnibus æstima culpabilem & delicti causam. Omne opus vile cum omni humilitate facere non recuses. Si coactus fueris ridere, non appareant dentes tui. Compulsus loqui cum muliere, auerte faciem tuam à visione eius, & sic cum ea loquere. A monialibus fuge, sicut ab igne & laqueo Diaboli, fuge obuiationem earum & collocutionem & visionem ne colorent cor tuum sordibus vitiorum: quamuis sint sorores tuæ secundum carnem, sicut ab extraneis te custodi. A fiducia iuuenum & allocutione fuge, sicut ab amicitia Diaboli. Vnum habe collocutorem & consortem timentem Deum, & semetipsum custodientem: pauperem quidem existentem in tabernaculo suo, diuitem verò in ministeriis Dei, ab omnibus abscõde mysteria tua & tuas operationes serua. Ne sedeas coram aliquo sine habitu tuo, præter necessitatem. Cum sobrietate ad necessaria tua egredere sicut verecundans custodiente te Angelo, & timorem Dei perfice. Melius est tibi comedere venenum mortiferum, quam cum muliere comedere, quamuis sit mater tua vel soror tua. Melius est habitare cum Dracone quàm dormire cum aliquo, & cooperiri cum eo, quamuis sit tibi frater secundum carnem. Si dixerit tibi quis maior te, tibi ambulanti in itinere: veni, psallamus: noli esse inobediens ei. Si autem non dixerit, lingua quidem tace, corde verò Deum glorifica. Non resistas alicui pro aliquo, nec certes, nec mentiaris, nec iures per nomen Dei. Despice teipsum, & alios non despicias. Iniuriam sustine, & alij iniuriam non eroges. Melius est corporalia corrumpi cum corpore, quàm damnificare quid animæ. In iudicio cum aliquo non introeas, sed sustine condemnatus vel condemnabilis existens. Ne diligas animæ tuæ quid sæculare, sed subditus esto ducibus & principibus, & à coniunctione ipsorum teipsum abstine, ipsa namque illaqueatio est illaqueans negligentiores in perditionem. O gulose, qui propriam quæris curare gulam, melius est tibi mittere in ventrem tuum carbones ignis, quũ frixaturas diuitum & principũ. Superfunde tibi semper omne oleum misericordiæ, & esto obseruans te ab omnibus. A multiloquio teipsum custodi, illud enim extinguit in corde motiones intellectuales à Deo pullulãtes. Fuge dominari cum prælatis Ecclesiæ, ac cum aliis, sicut à leone audaci. Et in plateis iracundorum aut compugnantium ne transeas, vt non impleatur cor tuum furore, & detur animæ tuæ erroris obscuritas. Ne habites cum superbo, vt enim sancti sancta operatio auferatur ab anima tua, & efficiatur habitaculum omnium vitiorum: Has depositiones si seruaueris ô homo, & custodieris teipsum in meditatione Dei, in veritate videbit anima tua in semetipsa lumen, & in sæculum non tenebrescet: ipsi honor & gloria in sæcula, Amen.

De decorum mensæ.

Decorum in ridendo.

Lites fugiendæ.

Multiloquium.

DE DVODECIM PATRIARCHARVM TESTAMENTIS EX SIXTI SENENSIS BIBLIOTHECÆ LIBRO 2.

Liber hic Apocryphus multa fabulosa continet & ideo caute & cum judicio legendus.

in expurgatis annis 1747 prohibetur quia est liber apocryphus & multa fabulosa continet.

Testamentum Ruben, de his quæ moriturus in mente, spiritu prægnostico dictante, habuit. 1.

TRanscriptum Testamenti Ruben, quæcunque mandauit filiis suis, priusquam moreretur, in cxxv. anno vitæ ipsius. Post annos duos mortis Ioseph, ad ægrotantem congregati sunt, vt visitarent eum filij & filij filiorũ eius, & dixit eis: Filioli mei, ego morior, & vado viam patrum meorum. Et videns illic Iudam, Gad & Aser fratres suos, dixit eis: Erigite me fratres, vt dicã fratribus meis, & filiis meis, quęcunque habeo in corde meo abscondita, deficiens enim ego sum à modo. Et stans osculatus est eos, & plorans dixit: Audite fratres mei, auribus percipite verba Ruben patris vestri, quæcunque mando vobis: Ecce, testificor vobis Deum cœli hodie, vt non ambuletis in ignorantia iuuentutis & fornicatione, in qua effusus sum ego, & inquinaui lectum patris mei Iacob: Dico enim vobis, quoniam percussit me Dominus plaga magna in iliis meis per menses septem, & nisi Iacob pater meus orasset pro me ad Dominũ, quoniam voluit occidere me, periissem. Eram enim annorum triginta, quando feci hoc malum coram Domino, & septem mẽsibus infirmatus sum vsque ad mortẽ, & electione animæ meæ septẽ annis pœnitui coram Domino. Vinũ & siceram non bibi, & caro non intrauit os meum, & omnem panem desiderij non gustaui lugens pro peccato meo, magnum enim erat, & non fiet in Israel ita: Et nũc audite me filij, vt manifestem vobis quæ vidi, de spiritibus erroris, in pœnitentia mea. Septem spiritus dati sunt aduersus hominem Beliar, & ipsi sunt caput operum iuuentutis, & septem spiritus dati sunt

7. Spiritus hominis.

ei in creatione, vt sit in eis omne opus hominis. Primus spiritus est vitæ cum qua consistentia creatur. Secũdus spiritus est visus, cum quo fit desiderium. Tertius spiritus est auditus, cum quo fit doctrina. Quartus spiritus est olfactus, cum quo est gustus datus in attractione aëris & spirationis. Quintus spiritus est locutionis, cum qua fit cognitio. Sextus spiritus est gustus, cum quo fit cibatio comestibilium & potabiliũ, & fortitudo in ipsis creatur, quoniam in cibis substantia est fortitudinis. Septimus spiritus est seminis & coitus, cum quo coingreditur per concupiscẽtiam voluptatis peccatum. Propter hoc vltimus est creationis, & primus iuuentutis, quoniam ignorantia plenus est, & ipsa iuniorẽ ducit vt cæcum in foueam, & vt iumentum in præsepium. In omnibus his octauus spiritus somni est, cum quo creata est extasis naturæ, & imago mortis.

Spiritus peccati.

His spiritibus commiscetur spiritus erroris. Primus fornicationis, in natura & sensibus iniacet. Secundus spiritus, insatiabilitas in vẽtre. Tertius spiritus, pugnæ in hepate & colera. Quartus spiritus, placẽtiæ & machinationis, vt per superfluitatẽ decorus appareat. Quintus spiritus superbiæ, vt moueatur & magna sapiat. Sextus spiritus mendacij, in prædicatione & zelo fingendo sermones eius, de genere A & familiaribus. Septimus spiritus iniustitiæ, cũ quà fiunt & commotiones, vt faciat concupiscentiam voluptatis cordis sui. Iniustitia enim cooperatur reliquis spiritibus per doli assumptionem. In omnibus his spiritus somni. Octauus spiritus copulatur errore & phantasia, & ita perit animus iuniorum, obtenebrans mentem à veritate, & non intelligens legem Domini, neque obediens doctrinæ patrum suorum quemadmodum ego passus sum in iuuentute mea. Et nunc filij veritatem diligite & ipsa custodiet vos: Audite Ruben patrem vestrum,

Mulieris aspectus fugiendus.

B non attendatis in visione mulieris, neque singulariter sitis cũm fœmina quæ est sub viro, neq; circunscrutemini operationem mulierum. Nisi enim vidissem Ballam balneantem in cooperto loco, non incidissem in iniquitatem magnam. Concipiens enim mens mea muliebrem nuditatem, non siuit me dormire vsquequo operatus sum abominationem. Absente enim Iacob patre meo apud Isaac patrem suum, existentibus nobis in Gader, proxi-

Incestus Ruben.

mo Ephrata domus Bethlehem, Balla erat ebria, & dormiens reuelata iacebat in cubiculo, & ego in-

C grediẽs, & videns nuditatẽ ipsius, operatus sum impietatem, & derelinquens eam dormientem egressus sum: cõfestim Angelus Dei reuelauit patri meo Iacob de impietate mea, & veniens lugebat super me, non amplius tangens eam. Non ergo attendatis pulchritudini mulierum, neque cogitetis operationes earum. Sed ambulate in simplicitate cordis in timore Domini, & laborantes in operibus, & exercitãtes in literis & in gregibus vestris donec Dominus det vobis coniugem quam ipse vult, vt non patiamini sicut & ego. Vsque ad mortem patris no-

D stri non habebam fiduciam aspiciẽdi in faciem Iacob, vel loquẽdi alicui fratrum propter opprobria: & vsque nunc conscientia mea cruciat me de peccato meo, & cõsolatus est me pater meus quoniam orauit pro me ad Dominũ, vt transeat à me ira Domini sicut ostendit mihi Dominus. Ex tunc igitur custoditus sum & nõ peccaui. Propter hoc filij mei custodite omnia quæcunque narro vobis, & non peccabitis. Perditio enim animæ est fornicatio di-

Fornicationis mala.

uidens à Deo, & adproximare faciẽs ad idola, quoniam ipsa in errorem ducit intellectum & mentem, & deducit iuuenes in infernum ante tempora ipso-

E rum. Nam multos perdidit fornicatio. Quoniam etsi sit aliquis senex, vel nobilis, opprobrium ipsum facit, & derisionem apud Beliar & filios hominum. Quia enim custodiuit se Ioseph ab omni muliere,

Castitas Ioseph.

& cogitationes purgauit ab omni fornicatione, inuenit gratiam coram Domino & hominibus. Etenim multa fecit ei Ægyptia quæ Magos aduocauit, & pharmaca ei obtulit, & non suscepit consilium animæ eius desiderium pernicioſum. Propter hoc Deus patrum meorum eruit eum ab omni visibili & abscondita morte. Si enim non præualeat fornicatio menti, neque Beliar præualebit vobis. Pernicioſæ enim sunt mulieres, filij mei, quoniam cum

non

non habent poteſtatem vel virtutem in hominem, dolosè agunt in formis quibus eum ad ipſas attrahant, & quem per fortitudinem non poſſunt vincere, hunc per deceptionem vincunt. Nam & de eis dixit mihi Angelus Dei, qui docuit me, quoniam mulieres vincũtur à ſpiritu fornicationis ſuper homines, & in corde machinantur aduerſus homines, & per ornatum errare faciunt primo eorum mentes, & per viſum venenum inferunt, & tunc opere captiuant: nøn enim poteſt mulier hominem cogere. Fugite ergo fornicationem filij mei, prȩcipite mulieribus veſtris & filiabus vt non ornent ſe in capitibus, & viſus earũ caſtigent, quoniã omnis mulier dolosè agens in his, in punitionem ſæculi reſeruata eſt. Ita enim ſeduxerunt vigiles ante diluuium, & illi cõtinuò videntes eas affecti ſunt deſiderio adinuicem, & conceperũt mente operationem, & transfigurati ſunt in homines, & in coitu virorum ſuorum apparuerunt eis, & illæ deſiderantes mente imaginationes eorum, pepererunt Gigantes. Apparuerũt enim eis vigiles vſque ad cœlum attingentes. Cuſtodimini ergo à fornicatione, & ſi vultis purgari mente, cuſtodite ſenſus veſtros ab omni fœmina, ſed & illis prȩcipite non communicare cum hominibus vt & ipſæ purgẽtur mente. Continuæ enim contingentiæ, & ſi non operatum faciunt impium, tamen ipſis ſunt ægritudo inſanabilis, vobis verò opprobrium Beliar ſempiternum, quoniam fornicatio neque intellectum neque pietatem habet in ſeipſa, & omnis zelus habitat in deſiderio eius, propter hoc zelabitis filios Leui, & quæretis exaltari ſuper eos, ſed non poteritis. Deus enim faciet vindictam eorum, & moriemini morte pernicioſa. Leui enim dedit Dominus principatum & Iudæ, cum his & mihi, Dan & Ioſeph, vt eſſemus Principes. Propter hoc mando vobis, audite Leui, quoniam ipſe noſcet legem Domini, & diuidet iudicia & ſacrificia pro omni Iſrael, vſque ad conſummationem temporum principis Sacerdotum Chriſti, quem dixit Dominus: Adiuro vos per Deum cœli, vt faciatis veritatem vnuſquiſque proximo ſuo, & ad Leui appropinquate in humilitate cordis, vt recipiatis benedictionem ex ore ipſius. Ipſe enim benedicet Iſrael: & Iudam, quoniã eum elegit Deus regem ſuper omnes populos, & adorate ſemẽ ipſius, quoniam pro vobis morietur in bellis viſibilibus & inuiſibilibus, & erit in vobis Rex ſæculorum. Et mortuus eſt Ruben præcipiens filiis ſuis prædicta & benedicens, & poſuerunt eum in thecam, vſquequo referentes eum ex Ægypto, ſepelierunt in Hebron in ſpelunca duplici, vbi patres eius dormierunt.

Mulieres ſæ luxatioſæ magis quã viri.

Leuitarum honor ex Callitate.

Leuitæ honorandi.

Teſtamentum Simeon, de Inuidia. II.

TRanſcriptum verborum Simeon quæ locutus eſt filiis ſuis antequam moreretur Centeſimo viceſimo anno vitæ ſuæ, in quo mortuus eſt Ioſeph. Venerunt enim viſitare ipſum ægrotantem, & erectus ſedẽs oſculatus eſt eos, & dixit eis: Audite filij, audite Symeonem patrem veſtrũ, quæcunque habeo in corde meo. Ego genitus ſum ex Iacob patre meo filius ſecundus, & Lya mater mea vocauit me Symeonem, quoniã audiuit Dominus orationem ipſius. Potens effectus ſum valde, non formidaui operationem, neque timui ab omni re. Cor enim

meum erat durũ, hepata mea immobilia, & viſcera mea non compatientia, quoniam & fortitudo ab altiſſimo datur hominibus in animabus & corporibus. In tempore illo inuîdi Ioſeph, quoniam dilexit eum pater noſter: firmaui ſuper eũ hepata mea ad occidendum eum, quoniam princeps erroris mittens ſpiritum inuidiæ excæcauit mẽtem meam vt non attenderem non parcens Iacob patri meo. Sed Deus eius & patrum eius mittens Angelum ſuum eruit eum ex manibus meis. Vt enim ego ieram in Sichimis afferre vnguentum gregibus, & Ruben in Dotan vbi erant neceſſaria nobis & omnia repoſita, Iudas frater noſter vendidit eum Iſmaelitis, & veniẽs Ruben triſtatus eſt, voluit enim ipſum ſaluum reducere ad patrem. Ego verò iratus eram aduerſus Iudam quoniam viuẽtem ipſum dimiſit, & fui menſes quinque iratus ei, impediuit autem me Deus & prohibuit à me operationem manuum, quoniam manus mea dextera ſemiſicca erat per dies ſeptem. Et cognoui filij, quod propter Ioſeph hoc mihi accidit, & pœnitens fleui & oraui Dominũ vt reſtitueret manum meam, & abſtinerem ab omni inquinamento, inuidia, & omni inſipientia. Cognoui enim quoniam pernicioſam rem cogitaueram coram Domino & Iacob patrẽ noſtro propter Ioſeph fratrem meum cui inuidebam. Et nũc filij cuſtodimini à ſpiritibus erroris & inuidiæ, etenim inuidia dominatur omni menti hominis quæ non patitur eum neque comedere neque bibere, neque facere aliquid boni, ſemper ſuggerens occidere eum cui inuidetur, quum is omninò floreat, inuidens verò marceſcat. Per duos annos puniui in timore Domini & in ieiunio animã meam, & cognoui quoniã liberatio inuidiæ, per timorem Dei efficitur. Si quis ad Dominum refugiat, aufugit pernitioſus ſpiritus ab ipſo, & efficitur mens leuis, & iam compatitur inuidioſo, & non reprehendit diligentes ipſum, & ita quieſcit ab inuidia. Et interrogabat pater de me quoniã vidit me triſtem, & dicebam mentiens: Epata mea doleo. Triſtabar enim ſuper omnes quoniam ego eram cauſa venditionis Ioſeph, & quãdo deſcendimus in Ægyptum, & ligauit me velut exploratorẽ, cognoui quoniam iuſtè patiebar & non ſum contriſtatus. Ioſeph verò erat vir bonus, & habens ſpiritum Dei in ſeipſo, miſerator & miſericors, non recordatus eſt facere malum mihi, ſed & dilexit me vt alios fratres. Cuſtodimini ergo filij mei ab omni zelo & inuidia, & ambulate in ſimplicitate animæ, & in bono corde cogitantes fratrem patris veſtri, vt det vobis Deus gratiam, gloriam & benedictionẽ ſuper capita veſtra, ſicut videtis in ipſo. Omnibus diebus non improperauit nobis de verbo hoc, ſed dilexit nos vt animam ſuam, & ſuper filios ſuos: & glorificauit nos, & diuitias, pecora & fructus omnibus nobis largitus eſt. Et vos ergo filij mei dilecti, diligite vnuſquiſque fratrẽ ſuum in bono corde, & amouete à vobis ſpiritum inuidiæ, quoniam ipſe ſylueſtrem facit animã & corrumpit corpus, iram & bellum tribuit eius conſiliis, & in ſanguinem exacuit, & in extaſim ducit mentem, & non ſinit intellectum in hominibus operari. Sed & ſomnum aufert, & tribulationem tribuit animæ, & tremorem corpori, quoniã & in ſomno aliquis zelus malicię imaginatæ ipſum

Ira Simeonis.

Simeon ligatus in Ægypto.

Ioſeph ſyncere dilexit fratres.

Inuidiæ mala.

corrodit,& ſpiritibus pernitioſis cõturbat animam ipſius, & expaueſcere corpus facit, & conturbatione excitari mentem, & ſicut ſpiritum pernitioſum & venenum fundentem habens, ita apparet hominibus. Propterea Ioſeph erat pulchra facie,& decorus aſpectu, quoniam non habitauit in ipſo quicquam pernicioſum. A turbatione enim ſpiritus, faciem puram habuit. Et nunc filij mei benigna facite corda veſtra coram Domino, & dirigite vias veſtras coram hominib⁹, & inuenietis gratiam coram Deo & hominibus:& cuſtodimini ne fornicemini, quoniam fornicatio mater eſt omnium malorum, diuidens à Deo, & appropinquare faciens ad Beliar. Vidi enim characteres ſcripturæ Enoch, quoniam filij veſtri vobiſcum in fornicatione corrumpentur, & Leui iniuſtitiam facient in gladio. Sed non præualebunt ad Leui, quoniam bellum Domini bellabit,& vincet omne caſtrum veſtrum, & erunt pauciſſimi diuiſi in Leui & Iuda,& erit vobis Dux, quemadmodum pater meus Iacob prophetauit in benedictionibus. Ecce prædixi vobis omnia, vt iuſtificer à peccato animarũ veſtrarum. Si autem auferatis à vobis inuidiam,& omnem duram ceruicem,vt roſa florebunt omnia oſſa mea in Iſraël, & vt lilium caro mea in Iacob, & erit odor meus ſicut odor Libani, & multiplicabuntur vt cedri,ſancti ex me vſque in ſęculum,&rami eorum vſque in lõgitudinem dierum:Tunc peribit ſemen Chanaam, & reſiduum non erit Amalech, & peribunt omnes Cappadoces, & omnes Cethæi perdentur. Tunc deficiet terra Cham, & omnis populus peribit. Tunc requieſcet omnis terra à tribulatione,& omnis qui ſub cœlo eſt à bello. Tunc Sem glorificabitur, quando Dominus Deus magnus Iſraël apparebit in terra vt homo, & ſaluabit in ipſo Adam. Tunc dabuntur omnes ſpiritus erroris in conculcationem, & homines regnabunt ſuper pernitioſos ſpiritus. Tunc reſurgam in lætitia, & benedicam altiſſimum in mirabilibus ipſius, quoniam Deus corpus aſſumens,&comedens cum hominibus ſaluabit homines. Et nunc filioli mei, obedite Leui, & in Iuda liberabimini, & non efferemini ſuper duas tribus has,quoniam ex ipſis orietur nobis ſalutare Dei. Suſcitabit enim Dominus ex Leui principem Sacerdotum, & ex Iuda regem, Deum & hominem. Ita ſaluabit omnes Gentes & genus Iſrael. Propter hæc omnia mando vobis,vt vos mandetis filiis veſtris, vt cuſtodiant hæc in generationes eorum. Et Simeon finiuit ſermones hos mandans filiis ſuis, quum eſſet centum & viginti annorum. Et poſuerunt eum in theca lignorum quæ non putreſcunt,vt reducerent oſſa eius in Hebron,& reduxerunt ea clàm in bello Ægyptiorum. Oſſa enim Ioſeph cuſtodiebant Ægyptij in ærariis regum. Dicebant enim eis incantatores, quòd ſi deportentur oſſa Ioſeph, forent in omni Ægypto tenebræ,& caligo & plaga magna valde Ægyptiis, vt cum lucerna quoque non cognoſcat vnuſquiſque fratrem ſuum. Et fleuerunt filij Simeõ patrem ſuum ſecũdum legem triſtitiæ, & erant in Ægypto vſq; ad dies exitus eorũ ab Ægypto in manu Moſi.

Fornicatio fugienda.

Prophetia Enoch.

Deus vt homo.

Salutare ex Leui & Iuda.

TRanſcriptum verborum Leui, quæcunque diſpoſuit filiis ſuis, ſcilicet omnia quæ facient, & quæcunque contingent eis vſque ad diem Iudicij. Sanus erat quando vocauit eos ad ſeipſum,pręſciebat enim quando moriturus erat. Quum autem congregati erant,dixit eis: Ego Leui in Carra conceptus ſum, & natus illic, & poſt hæc veni cum patre in Sichima. Eram verò iunior quaſi annorum viginti, quando feci cum Simeone vindictam ſororis noſtræ Dinæ de Emmor. Vt autem pauimus greges in Abelmaul,ſpiritus intellectus Domini venit ſuper me, & videbam omnes homines exterminantes viam ſuam, & quoniam muros ædificauit ſibiipſi iniuſtitia, & ſuper turres iniquitas ſedit. Et triſtatus ſum de genere hominum, & oraui Dominum vt ſaluarer. Tunc cecidit ſuper me ſomnus,& contemplatus ſum montem excelſum. Hic eſt mõs aſpidis in Abelmaul:& ecce aperti ſunt cœli,& Angelus Dei dixit ad me: Leui ingredere, & ingrediebar de primo cœlo in ſecundum. Et vidi illic aquã ſuſpenſam in medio huius & illius. Et vidi tertium cœlum multò lucidius quam duos. Etenim altitudo erat in ipſo infinita. Et dicebam Angelo. Propter quid iſtud? Et dixit Angelus ad me:Non mireris in his, alios enim quatuor cœlos videbis clariores & incomparabiles cùm aſcẽderis illic. Quoniã prope Dominum ſtabis, & miniſter ipſius eris, & myſteria eius annunciabis hominibus, & de venturo liberatore Iſrael prædicabis. Et per te & Iudam apparebit Dominus hominibus ſaluans in ipſis omne genus hominum, & ex parte Domini erit vita tua,ex ipſo erit tibi ager, fructus, aurum & argentum. Audi ergo de ſeptem cœlis. Quod inferius, propterea triſtius eſt, quia iſtud iuxta omnes iniuſtitias hominum eſt. Secundum habet ignem, niuem,glaciem, parata in diem præcepti Domini in iuſto iudicio Dei. In ipſo ſunt omnes ſpiritus retributionum ad vindictam iniquorum. In tertio ſunt virtutes caſtrorum, ordinatæ in diem iudicij, ad faciẽdum vindictam in ſpiritu erroris & Beliar. In quarto autem ſuperius his ſancti ſunt, quoniam in ſuperioribus locis habitat magna gloria in ſancto ſanctorum ſupra omnẽ ſanctitatem. In eo quod poſt hoc, Angeli ſunt faciei Dei miniſtrantes, & propitiantes ad Dominum in omnibus ignorantiis iuſtorum. Offerunt verò Domino odorem ſuauitatis rationabilem,& ſine ſanguine oblationem. In eo autem quod ſubtus eſt, ſunt Angeli qui ferũt reſponſiones Angelis faciei Dei. In eo verò,quod poſt hoc eſt, ſunt Throni, Poteſtates, in quo hymni ſemper Deo offeruntur. Quando ergo reſpexerit Dominus ſuper nos omnes, nos cõmouebimur, cœli, terra, & abyſſi, à facie magnitudinis eius commouebuntur. Filij autem hominum in his exiſtentes inſenſibiles, peccabunt & irritabunt altiſſimum. Nunc ergo cognoſcite,quoniã faciet Dominus iudicium ſuper filios hominum, quãdo petris ſciſſis, Sole extincto,aquis ſiccatis,igne tremente,&omni creatura turbata,inuiſibilibus ſpiritibus liquefactis inferno ſpoliato, in paſſione altiſſimi,homines increduli permanebunt, & in iniuſtitia propter hoc in pœnam iudicabuntur. Audiuit igitur altiſſimus orationem tuam ad ſeparandum te ab iniuſtitia. Et vt efficiaris ei filius & famulus, & miniſter faciei eius,

Aquæ ſuſ. pęr Cœlos.

Iudicij extremi tempus.

737

eius, lumen cognitionis, illuminanda illuminabis in Iacob, & vt Sol eris inter semen Israel, tibíque dabitur benedictio ac semini tuo, vsque quo visitet Deus omnes Gentes in visceribus misericordiæ filij eius vsque in sæculum. Veruntamen Filij tui imponent manus in ipsum ad crucifigendum ipsum, & propter hoc datum est tibi consilium & intellectus, vt notum facias filiis tuis de ipso, quoniam benedicens ipsi, benedictus erit, maledicentes coram eo, peribunt. Et aperuit mihi Angelus portas cœli, & vidi Templum sanctum, & in throno gloriæ, altissimum. Et dixit mihi. Leui, tibi dedi benedictiones Sacerdotij, vsquequo veniens, habitabo in medio Israel. Tunc duxit me Angelus in terram, & dedit mihi scutũ & gladium, & dixit: Fac vindictam in Sichem pro Dina, & ego ero tecum, quoniam Deus misit me. Et occidi in tempore illo filios Emmor, sicut scriptum est in tabulis cœlorum. Dicebam autẽ ei: Oro te Domine, dic mihi nomen tuũ, vt inuocẽ te in die tribulationis. Et dixit: Ego sum Angelus excusans genus Israel, vt non percutiatur in finem, quoniam omnis spiritus pernicioſus ei insidiatur. Postea velut ex somno excitatus, benedixi altissimum, & Angelum excusantem genus Istael & omnes iustos. Vbi verò veni ad patrem meum, inueni aspidem æneum, vnde etiam nomen monti est aspis, quoniam prope Gebar est à dextris Abila. Et conseruabam sermoneshos in corde meo. Ego consului patri meo & Ruben fratri meo, vt diceret filiis Emmor vt circunciderentur, quoniam zelaui propter abominationem quam fecerant propter Israel. Ego enim interfeci Sichem in primis, & Simeon Emmor. Posteáque venerũt fratres qui percusserunt Ciuitatem in ore gladij. Vt audiuit pater, iratus est, quoniam susceperant Circuncisionem, & post hoc mortui sunt, & in benedictionibus aliter fecit. Peccauimus enim, quoniam præter consilium eius hoc fecimus, & infirmatus est in die illa. Sed ego noui, quoniam sententia Dei erat mala in Sichimam, quoniam voluerunt Saræ facere quemadmodũ fecerunt Dinæ sorori nostrę, verum Deus prohibuit. Persecuti autem sunt Abraham patrem nostrum, peregrinum existentem, & conculcauerunt armenta eius, præterea quoq; Ieblae in domo ipsius genitum, valde verberauerunt. Ita faciebant in omnes peregrinos, vi rapientes vxores eorum, & in exilium impellentes eos Venit autem ira Domini super ipsos in finem. Et dicebam patri, Ne irascaris Domine, quoniam in te ad nihilum rediget Deus Chananæos, & dabit terram ipsorum tibi, & sancto tuo post te. Erit enim ab hoc die Sichem dicta ciuitas stultorum: quoniam vt quis deridet fatuum, ita derisimus eos. Nam insipientiam operati sunt in Israel dum auferebant vt inquinarent sororem nostram. Venimus autem in Bethel, & ibi rursus videbam rem quemadmodum prius, postquam sacrificaui dies septuaginta. Et vidi septem homines in veste alba, dicentes mihi: Exurge, indue stolam Sacerdotij & coronam iustitiæ, & rationale intellectus, & poderem veritatis, & petalum fidei, & mitram signi, & Ephot Prophetiæ, & vnusquisque ipsorum vnumquodque portantes, imposuerunt mihi, & dixerunt: A modò esto Sacerdos Domini tu & semen tuum vsque in sæculum. Et primus vnxit me oleo sancto, & dedit mihi virgam iudicij. Secundus lauit me aqua munda, & cibauit dans panem & vinum, scilicet Sancta Sanctorum, & circundedit me stola sancta & glorioſa. Tertius, byssina me induit simili Ephot: Quartus zonam mihi circumposuit similem purpuræ. Quintus ramum oliuæ mihi dedit pinguedinis. Sextus diadema Sacerdotij, capite meo impositum, & impleuerũt manus meas thymiamate, vt Sacerdotio fungerer Domino. Dixit autem ad me Leui, In tria principia Dei detur semen tuum, in signum gloriæ Domini superuenientis, & qui crediderit, primus erit. Sors magna super ipsum non fiet. Secundus erit in sacerdotio. Tertius qui vocabitur nomen nouum, quoniam Rex ex Iuda exurget, & faciet Sacerdotium meum nouum secundum typum Gentium in omnes Gentes. Aduentus autem ipsius ineffabilis vt Prophetæ altissimi ex semine Abraham patris nostri. Omne desiderabile in Israel tibi erit & semini tuo, & comedetis omne pulchrũ visu, & mensem Domini distribuet semen tuum, & ex ipsis erũt principes Sacerdotum, & Iudices & Scribæ, quoniam in ore eorum custodietur sanctum. Et expergefactus intellexi quoniam hoc simile illius est, abscondi verò hoc in corde meo, & nõ annunciaui hoc omni homini in terra. Primis duobus diebus ascendimus ego & Iudas ad Isaac patrem nostrũ, & benedixit me pater patris mei secũdum omnes sermones visionum mearum quas videram, & non voluit ire nobiscum in Bethel. Vt autem venimus in Bethel, vidit pater meus Iacob in visione de me quod futurus essem eis Sacerdos corã Domino. Et exurgens mane decimauit omnia Domino. Et venimus in Hebron ad habitandum, & Isaac vocauit me continuò ad exponendam legem Domini, secundum quod monstrauit mihi Angelus Dei, & docuit me legem Sacerdotij, Sacrificiorum, holocaustomatum, primitiarum, voluntariorum & salutarium. Singulis diebus docuit me intelligere, & perseuerabat in me coram Domino, & dixit: Non attendas fili spiritui fornicationis, hic enim permanebit, & per semen tuum inquinabit sancta. Accipe ergo tibi vxorem in iuuentute tua, non habentem maculam, neque inquinatam, neque de genere Allophilorum vel Gentium. Et antequam intrabis Sancta, lauato: similiter, sacrificando. Et complens sacrificium, rursus laua. Duodecim arborum perpetuò virentium fructus offer Domino, vt etiam me Abraham docuit, & omnis animalis mundi, & volatilis mundi offer sacrificium Domino. Similiter omnis primi germinis & vini offer primitias, & omne sacrificium sale conspergas. Nunc igitur custodite quæcunque mando vobis filij, quoniam quæcunque audiui à patribus meis, annunciaui vobis. Innocens sum ab omni impietate vestra & transgressione quam facietis in consummatione sæculorum, in Saluatorem Mundi impiè facientes, seducentes Israel, & susciteantes ei mala magna à Domino, & iniquè facietis cum Israel vt non subsistat Hierusalem à facie malitiæ vestræ. Et scindetur velum Templi, vt non velet deformitatem vestram, & dispergemini captiui in Gentibus, & eritis opprobrium, maledictio & conculcatio, domus tamen

Tabulæ Cœlorum Innocatio. Angeli.

Dei Prouidentia in Sichimitas.

Panis & vinum sancta sanctorum.

Fornicatiõ Sacerdotibus fugiẽda.

Liber Enoch.

quã eliget Dominus, Hierusalẽ vocabitur, quemadmodum cõtinet liber Enoch iusti. Quando igitur accepi vxorem, eram annorum viginti octo, cui nomen erat Melcha: & concipiens peperit filium, & vocaui nomen eius Gersam quãdo in terra nostra aduenæ eramus, Gersam enim exilium significat. Sciebam autem de ipso, quoniam non erit in primo ordine. Secundo Kaat genitus est in tricesimo quinto anno. Ad Orientem Solis videbam in visione, quoniam medius in excelsis stabat omnis congregationis, propter hoc vocaui nomen ipsius Kaat, quod est principium magnitudinis & instructionis. Tertio peperit mihi Merari, quinquagesimo quinto anno vitæ meæ, & quia difficile peperit mater eius, vocauit eum Merari, quod est amaritudo mea, quoniã & ipse mortuus est. Iochabed verò sexagesimo quarto anno nata est in Ægypto (gloriosus ergo eram tunc in medio fratrum meorum) & accepit Gersam in maritum, & peperit ei Lomny & Semei, & filij Kaat, Ambram, Isaar, Chedrum & Oziel. Et filij Merari, Mooly & Omnisi. Et in nonagesimo quarto anno meo, accepit Abram Iochabed filiam meam sibi in vxorem, quoniam in vna die nati sunt ipse & filia mea. Octo an. eram, quando ingressus sum terram Chanaan, decem & octo ann. quum Sacerdotio functus sum. Et vigesimo octauo anno accepi vxorẽ. Et quadragesimo anno ingressus sum in Ægyptum. Et ecce filij mei estis, filij mei tertia generatione. Ioseph centesimo & decimo octauo anno mortuus est. Et nunc filij mei mando vobis, vt timeatis Dominum Deum vestrũ ex toto corde, & ambuletis in simplicitate secundum omnem legem ipsius, docete autem filios vestros literas, vt habeant intellectum in omni vita

Lex Dei legenda.

eorum, legentes indesinẽter legem Dei. Quoniam omnis qui cognoscit legem Dei, honorabitur, & non erit peregrinus quocunque vadat. Plures quoque amicos suis genitoribus habebit, & desiderabunt multi hominum seruire ei, atq; audire legem ex ore ipsius. Facite iustitiam filij mei in terra vt inueniatis in cœlis, & seminate in animabus vestris bona vt inueniatis ea vitæ vestræ. Si enim seminaueritis mala, omnem turbationẽ inuenietis ac metetis. Sapientiam possidete in timore Dei, quoniam si fiat captiuitas & ciuitates disperdantur, & regiones, aurum & argentum & omnis possessio pereat, sapientis sapientiam nullus potest auferre nisi cœcitas impietatis & peccati, quoniam efficientur ei hæc apud hostes clàm & in terra aliena, patria, & in medio inimicorũ inuenietur amicus. Si doceat hæc & faciat, sedebit cum regẽ, sicut & Ioseph frater noster. Et nũc filij cognoui ex scriptura Enoch, quoniam in fine impiè agetis, in Dominum manus imponentes in omni malicia, & confundentur in vobis fratres vestri, & omnibus gentibus fient illusio. Etenim Pater noster Israel, mundus erit ab impietate Principum Sacerdotum qui imponent manus in Saluatorem Mundi. Cœlum super terram mundus est, & vos estis luminaria cœli vt Sol & Luna. Quid facient omnes Gentes, si vos obtenebrescatis in impietate, & inducatis maledictionem super genus vestrum, pro quibus lumen mundi datum est vobis ad illuminationem omnis hominis? Hunc volentes occidere, contraria mandata

Docere, & facere sapientiam.

Leuitarum futura peccata.

docentes de iustificationibus, Oblationes Domini latrocinabimini & de partibus ipsius furabimini, & antequam sacrificetis Domino, assumetis electa, & contemptim comedentes cum meretricibus, in auaricia mandata docebitis. Eas quæ sub viris sunt coinquinabitis, & virgines in Hierusalẽ violabitis. Et meretricibus & adulteris copulabimini, filias Gentium accipietis in vxores, purificantes eas purificatione iniqua, & efficietur mixtio vestra Sodoma & Gomorra, & in impietate inflammabimini in Sacerdotio, non solum autem aduersus homines elati, sed & aduersus mandata Dei inflati illudetis sancta in contemptu deridentes. Propter hoc, templum quod vtique elegit Dominus, desolabitur in immundicia, & vos captiui eritis omnibus Gentibus, & abominatio inter eas, & accipietis opprobrium & cõfusionem sempiternam à iusto iudicio Dei. Et omnes qui contemplabuntur vos, fugient à vobis. Et nisi propter Abraham, Isaac & Iacob patres nostros hoc fieret, vnus ex semine meo non relinqueretur in terra. Et nunc cognoui in libro Enoch, quoniam septuaginta hebdomadas errabitis, & Sacerdotium inquinabitis, & sacrificia polluetis, & legẽ exterminabitis, & sermones Prophetarum contemnetis, in peruersitate persequemini viros iustos, & pios odio habebitis, veracium sermones abominabimini, & virum renouãtem legem in virtute altissimi, erroneum appellabitis. Et in fine, vt æstimabitis, occidetis eum nescientes ipsius resurrectionem, Innocẽtem sanguinem in malicia super capita vestra recepturi, propter ipsum erunt sancta vestra deserta vsque per iuramentum Prophanata, & non erit locus vester mundus, sed in Gentibus eritis maledictio, atque desperatio anget vos, donec ipse rursus visitabit, & miserens recipiet vos in fide & aqua. Et quoniam audistis de septuaginta hebdomadis, audite de Sacerdotio. Secũdum vnumquemque enim Iubileum erit Sacerdotium. In primo Iubileo, primus vnctus in Sacerdotiũ magnus erit, & loquetur Deo vt patri, & Sacerdotium ipsius plenũ erit cum timore Domini, & in die gaudij ipsius, in salutem mundi ipse resurget. In secundo Iubileo vnctus, in tristitia delictorum concipietur, & erit Sacerdotium ipsius honorabile, & apud oẽs glorificabitur. Tertius verò Sacerdos in tristitia assumetur. Et quartus in dolore erit, quoniam apponet super ipsum iniustitia in multitudine, & in Israel odio habebit vnusquisque proximum suum. Quintus in tenebris comprehendetur. Similiter sextus & septimus. In septimo verò erit abominatio, quam non possum dicere coram Domino & hominibus, quoniã ipsi cognoscẽtur qui facient ea. Propter hoc in captiuitate & in corruptione erunt, & terra & substantia eorum exterminabitur, & in quĩta hebdomada reuertẽtur in terrã desolationis ipsorum. Et renouabũt domũ Domini. In septima verò hebdomada veniẽt Sacerdotes idololatrãtes, bellatores auari, scribæ iniqui, impudici puerorum corruptores & pecorũ. Et postquã facta fuerit vindicta ipsorum à Domino in sacerdotio, tunc suscitabit Deus sacerdotem nouum, cui omnes sermones Domini reuelabuntur, & ipse faciet iudicium veritatis in terra in multitudine dierũ, & orietur astrum ipsius in cœlo, sicut Rex illuminãs lumen cogitationis

Liber Enoch.

De Christi Sacerdotio.

gitationis in Sole diei, magnificabitur in orbe terrarum vsque ad susceptionem ipsius, ipse resplendebit sicut Sol in terra, & tollet omnes tenebras sub cœlo, & erit pax in omni terra. Cœli exultabũt in diebus ipsius, & terra gaudebit, & nubes exaltabuntur, & cognitio Domini fundetur in terra vt aqua marium, & Angeli gloriæ faciei Domini gaudebunt in eo. Cœli aperientur, & ex Templo gloriæ veniet super illum sanctificatio cum voce paterna, sicut ab Abraham patrem Isaac, & gloria altissimi super ipsum dicetur & spiritus intellectus, & sanctificationis requiescit super ipsum, de qua ipse dabit magnificentiã Domini filiis suis in veritate in sæculũ, & erit successio ipsi in generationes & generationes vsque in sæculum, & in sacerdotio ipsius deficiet omne peccatũ & iniqui requiescent à malis, iusti verò requiescent in ipso, & ipse aperiet portas Paradisi, statuétq; minantẽ gladiũ aduersus Adam, & pascet Sanctos de ligno vitæ, & spiritus sanctificationis erit in eis. Beliar autem ligabitur ab ipso: & dabit potestatem filiis suis ad calcandum super pernicioſos spiritus, & lætabitur Dominus in filiis suis. Et acceptabit eum Deus in dilectum vsque in sæcula. Tunc exultabit Abraham, Isaac & Iacob, & ego gaudebo, & omnes sancti. Et nũc filij mei omnia audistis. Eligite igitur vobismetipsis, vel tenebras, vel lucem: vel legem Domini, vel opera Beliar: & respondimus nos patri, dicentes: Coram Domino ambulabimus secundum legem ipsius, & dixit Pater noster: Testis est Dominus, testes Angeli eius, & testis ego, & testes vos de sermone oris vestri, & cũ diximus: Testes erimus, requieuit Leui hæc mandans filiis suis. Et extendit pedes suos, & appositus est ad patres suos quum vixisset centum & triginta septẽ annos, & posuerunt eum in theca, & postea sepelierunt eum in Hebron, iuxta Abraham, Isaac & Iacob.

Testamentum Iudæ, de Fortitudine, Auaricia & Fornicatione. III.

TRanscriptum sermonum Iudæ, quæcunque locutus est filiis antequàm moreretur. Congregati venerunt ad ipsum, & dixit eis: Quartus filius effectus sum patri meo, & mater mea vocauit me Iudam, dicens: Confiteor Domino, quoniam dedit mihi & quartũ filium, velox eram, studioſus in iuuentute mea, & obediens patri meo secundũ omne verbum, & benedicebam matri meæ & sorori matris meæ. Et factum est quod effectus sum vir, & pater meus Iacob orauit super me, dicens: Rex eris, & prosperatus in omnibus. Ecce dedit mihi Deus gratiam in omnibus operib⁹ meis, in agro & in domo, vt videbam quod concurrebam, & apprehendens ipsam, feci cibum patri meo, & capras superabã per cursum, & omne quod erat in campis capiebam, & equam agrestem apprehendens mansuefeci, & eripiebam hœdum ex ore eius. Vrsum capiens pede præcipitabam, & omnem feram reuersam ad me, dilacerabam eam, vt canis, Porco syluestri concurrebam, & præoccupans in currẽdo dilaceraui eum. Pardalis in Hebron insiluit, super canem, & apprehendens eam, statim cauda abiiciebam eam & dirupta est in terminis Gare. Bouem syluestrem in regione pastum tenui cornibus, & in circulum volIuda filij Iacob monent ad vitã.

uebam, & quũ in tenebris iacerem, occidi. Quando veniebant duo reges Chananęorum loricati super greges, & multus populus cum ipsis, & ego solus currẽs super gregem, Sur regem continui, & in tibias percutiẽs prostraui, & ita occidi eum. Alium regem Taphen sedentem in equo occidi, atque ita omnem populum dispersi. Achor regem virum gigantem sagittantem antè & retro, in equo apprehendens, lapidem sexaginta librarum vibrans proieci in equum, ipsum verò interfici. Et expugnans Achor horis duabus occidi, & dissecans clypeum conscidi pedes eius. In exuendo autem eius thoracem, ecce octo viri amici eius incœperunt pugnare aduersum me. Inuoluens ergo manum meam lapidibus, funda percutiẽs ipsos, quatuor eorum occidi, alij autem fugerunt. Et Iacob pater noster occidit Beelisa regem omnium regum, gigantem fortitudine, cubitorũ duodecim. Et cecidit super ipsos timor, & quieuerunt pugnare contra nos. Propter hoc solicitus erat pater meus quãdo in prœliis eram cum fratribus meis. Vidit in visione de me, quoniam Angelus virtutis sequebatur me in omnibus, vt non vincerer. Et secũdum auspiciũ, factũ est nobis prœliũ maius q̃ quod in Sichimis, & fortiter prœlians cum fratribus meis, persecutus sum mille viros, & occidi ex eis ducẽtos viros, & quatuor reges, & ascẽdi super ipsos tãquã super murũ, & alios duos reges occidi, & ita liberauimus Hebrõ, & abduximus omnes captiuos. Postero die abiuimus in Arecam ciuitatẽ potentẽ, muratã, & inaccessibilẽ, minantem nobis mortem. Ego igitur & Gad aduenimus ab Oriente ciuitatis, Ruben verò & Leui ab Occidente & Austro, & putabant qui super muros erant, quòd non soli essemus, ac irati inuasere nos, & ita latentes fratres ex vtraq; parte, scalis ascenderunt murũ, & intrauerũt ciuitatẽ ignorãtibus ipsis, & cepimus eã in ore gladij, & refugiẽtes in turrim, incendentes eam cũ ipsis cepimus. Et quum recederemus, viri Taffi insidiabantur prædæ nostræ, & acceperũt eam cum filiis nostris. Nos verò deprehendimus eos ad Taffum, atq; occidimus, & ciuitatem incendimus, omnia quæ in ipsa erant spoliãtes: & vt eram in aquis Gureba, ij qui à Iobel veniebãt aduersus nos in prœlium, contigimus eos, simul eos qui à Selon cõpugnatores ipsorum erant, spoliauimus & occidimus. Et nõ dedimus eis egressum veniendi ad nos. Et à Machir venerũt quinto die, vt captiuos abducerent, ad quos in perseuerãti pugna venimus, quoniam erat multitudo potens in eis, & occidimus eos antequam ascenderunt ascensionẽ. Vt autem venimus ad ciuitatem eorum, mulieres eorum voluebant super nos lapides à vertice montis in quo erat ciuitas, & latitantes ego & Simeon à posteriori apprehendimus excelsa, & totam ciuitatem perdidimus. Et sequenti die dictum est nobis, quod ciuitates duorum Regum in prœlio graui venirent ad nos. Ego igitur & Dan fingentes nos Amorrhæos & socios, venimus in ciuitatem eorum. Nocte autem profunda venientes ad aditus ciuitatis, aperuimus aduenientibus fratrib⁹ nostris portas patẽter, & oẽs eos, & quæ eorum erãt, perdidimus, & deprędantes, tres muros eorum prostrauimus. Et in Thamma appropinquamus, vbi erat omne refugium bellantium regum. Tunc iniuriam passus,

Iacob gesta bellica.

iratus sum,& impetum feci in ipsos super verticem, & illi fundis iaciebant super me lapides, & iaculabantur arcubus, & nisi Dan frater suppetias mihi tulisset,interfecissent me. Venimus igitur irruētes in ipsos cum furore, & omnes fugerunt, & transeuntes per aliam viam supplices fiebant patri meo, & iniit fœdus cum eis, & nō fecimus eis quicquam mali,sed recepimus eos in societatē, & reddidimus eis omnes captiuos, & ædificaui ego Chanaan, & pater Rhambahel. Viginti annorum eram, quādo factū est bellum istud, & erant Chananæi timentes me & fratres meos. Erant autē mihi pecora multa, & habebam principē pastorum Iran Odolamitem, ad quem quum veni,vidi Barsan regem Odolam& fecit nobis cōuiuium, &precans dedit mihi filiam suam Bethsue in vxorem,hæc peperit mihi Er,Annam & Silom, quorū duos sine filiis occidit Deus. Sylon enim vixit, & filij eius vos estis. Octodecim annis fecimus pacem pater noster & nos cum fratre eius Esau, & filij eius nobiscū. Postquam venimus nos ex Mesopotamia à Labā,& impletis octodecim annis in 40.anno vitæ meæ, superuenit nobis Esau frater patris mei in prelio graui & forti,& cecidit in arcu Iacob, & latus est mortuus in montem Sen. Nos autem persecuti sumus super filios Esau. Erat autē eis ciuitas & murus fortis ferreus, & portæ æreæ,& non potuimus intrare in eam,obsidentes verò concluſimus eos. Cum autem apparerent intra dies viginti videntibus eis adduxi scalam & galeam super caput meum, & ascendi accipiens lapidem pondere talētorum trium, & occidi quatuor potentes ex ipsis. Et die sequenti intrantes Ruben & Gad, occiderunt alios sexaginta. Tunc offerebant pacem, & consilio patris nostri recepimus eos tributarios. Dabāt autem nobis frumenti Choros ducentos, & olei Battos quingentos, vini mensuras mille & quingentas donec descendimus in Ægyptum. Post hoc filius meus Her duxit vxorem Thamar ex Mesopotamia, filiam Aram. Erat autem Her pernitiosus, & dubitauit de Thamar, quoniam non erat ex terra Chanaan, & Angelus Domini occidit eum tertia die in nocte,& ipse non cognouit eam propter astutiam matris suæ, & hic in malitia mortuus est. Non enim voluit habere filios ex ipsa. In diebus thalami dedi ei virū Annan, & iste in malitia non cognouit eam, Viuens cum ea annum, & quando minatus sum ei, coiuit quidem cum ea,semen verò corruit in terrā secundum mandatū matris suæ, & hic in malitia mortuus est. Volebā & Siloim dare ei,sed vxor mea Bethsue non permisit. Malignabatur enim in Thamar,quoniam non erat ex filiabus Chanaan sicut ipsa. Ego enim sciebam, quoniam pernicioſum erat genus Chanaan, sed consiliū iuuentutis cæcauit cor meum,& videns eam vinum fundentem,in ebrietate vini deceptus sum,& cōcidi ad eam,ipsa me absente abiit, & accepit Silō vxorem ex terra Chanaan. Cognoscens verò quod fecit ita,maledixi ei in dolore animæ meæ, & ipsa mortua est in malicia filiorū suorum. Post hos autē sermones vidua existente Thamar, post duos annos,ascendo tondere oues, & ornata sponsalibus ornamentis, ad portam ciuitatis sedit. Lex enim Amorrhæorum est, nuptam præsidere in fornicatione per septem dies iuxta portam. Inebriatus igitur ego in aquis *Horeb*,nō agnoui eam præ vino, & decepit me pulchritudo ipsius per formam ornatus,& declinans ad ipsam,dicebā: Ingrediar ad te. Et dixit mihi: Quid dabis? Et dedi ei virgā meam,& zonam, & diadema regni. Et cum coirem cum illa,concepit. Ignorās antē quod feci, volui occidere eam. Ipsa autē mittēs in abscondito arrabones,verecundauit me, vocans verò eam, audiui in secreto sermones quos locutus sum dormiēs cum ea in ebrietate mea, & nō potui occidere eam quoniam à Domino erat. Dicebam autē: Ne fortè dolo mecum agat,ab illa accipiam arrabonem. Sed neque tetigi eam amplius vsque ad mortem meam, quoniā abominationem feci hāc in omni Israel, & qui erant in ciuitate dicebant non esse in ciuitate desponsatam,quoniā ex alio loco veniens ad breue sedebat in porta, & æstimaui, quod nullus me cognouit intrauisse ad eā. Et post hoc venimus in Ægyptū ad Ioseph propter famem. Quadraginta sex annorū eram,& septuaginta tres annos vixi illic. Et nunc quæcunque vobis mando,audite filij patrem vestrum,& custodite oēs sermones meos ad faciendum oēs iustificationes Domini, & ad obediēdum mandato Domini Dei,& non ambuletis in desideriis vestris, neq; in cogitationibus cōsiliorū vestrorum in superbia cordis vestri, & non glorificemini in operibus fortitudinis iuuentutis vestræ, quoniā & hoc est pernicioſū in oculis Domini. Quia enim ego glorificatus sum, quoniam in bellis nō decepit me facies mulieris formosæ, & exprobraui Ruben fratri meo de Balla vxore patris mei: Spiritus zeli & fornicationis cōcidit in me, donec incidi in Bessue Chananæam, & in Thamar nuptā filiis meis, & dicebam socero meo: Consului patrem meū,itaque accipiam filiā tuam vxorē,& ostendit mihi nomine filiæ suę auri multitudinem infinitā. Erat enim rex. Ornauit autē eam auro & margaritis,iussitq; nobis vinum infundere in cœna in pulchritudinem mulierum, & vinū peruertit oculos meos, & obscurauit cor meū voluptas, & desiderans eam concidi,& transgressus sum mandatū Domini & mandatum patrū meorum,& accepi eam in vxorem. Et secundum cōsilium cordis mei retribuit mihi Dominus, quoniam non lætatus sum in filiis eius. Et nunc filij mei,ne ebriemini vino,quoniā vinum auertit intellectū à veritate, & immittit iram desiderij, & ducit in errorem oculos: spiritus enim fornicationis vinū vt ministrū ad voluptates habet intellectus, quoniā & duo hæc auferunt potentiam hominis. Si enim aliquis biberit vinum in ebrietatem, cogitationibus sordidis cōturbat intellectum in fornicationē, & accendit corpus in admixtionem. Et si adest desiderij causa, operatur peccatū, & non verecundatur. Tale est vinū filij mei, quoniā ebrius nihil erubescit. Et ecce,ita enim & me errare fecit,vt nō erubescerem multitudinē in ciuitate,quoniam in oculis omniū declinaui ad Thamar,& feci peccatū magnum, & reuelaui velamen immundiciæ filiorum meorum, bibens vinū, non verecūdatus sum transgredi mandatū Dei, & accepi vxorē Chananæam. Propter quod intellectu opus habet, qui bibit vinū filij mei, & is est intellectus vini potationis, quod vnusquisque qui habet erubescentiā, bibat. Si verò transeat terminū hunc, amittit intellectum, & adhæret

Esau occisus à Iacob.

Filij Esau vectigales facti filiis Iacob.

Contra Ebrietatem.

Gen.35.

Gen.38.

hæret ſpiritui erroris, qui facit ebriũ turpia loqui & iniqua agere, & non verecundari: ſed & gloriari vilitate, exiſtimans eſſe bonum. Qui fornicatur, & nudatur regno, & non egreditur, ſeruus effectus fornicationũ, ſicut & ego nudatus ſum. Dedi enim aliis virgam meam, hoc eſt, firmamentum meæ tribus, & zonam meam, hoc eſt, potẽtiam: & diadema, hoc eſt, gloriam regni mei: & pœnitens de his, vinum & carnes non aſſumpſi vſque in ſenectutem, & omnẽ lætitiam neſciui. Et oſtẽdit mihi Angelus Dei, quoniam vſque in ſæculum, & regi & pauperi mulieres dominabuntur, & regis quidem tollẽt gloriam. Cẽterùm viri potentiæ, & pauperes paupertatis minimum ſunt firmamentum. Cuſtodite ergo filij mei modũ in bibẽdo, ſunt enim in eo quatuor ſpiritus pernicioſi concupiſcentiæ, inflammationis, luxurię & turpis lucri. Si bibitis vinũ in lætitia cum timore Dei erubeſcentes, viuetis. Si autẽ bibitis non erubeſcentes, & recedit Dei timor, iam efficitur ebrietas, & ſubintrat inuerecundia. Si verò neq; omnino bibetis, non peccabitis, neq; verbi cõtumeliæ, neque pugnæ, neque calũniæ neque præuaricationis mandatorũ Dei, neque peribitis in tempore veſtro. Nam myſteria Dei & hominum aliis reuelat vinũ, & ego mãdata Dei & myſteria Iacob patris mei reuelaui Chananææ Beſſuæ, quæ vetuit Deus reuelare. Sed & belli & ſeditionis cauſa efficitur vinũ. Mãdo ergo vobis filij mei, vt non diligatis argentum, neq; inſpiciatis in pulchritudinem mulierum, quoniam & propter argentum & formoſitatem erraui in Beſſue Chananæã. Noui enim quod propter duo hæc erit genus meum in malitia, & ſapientes viros filiorum meorum peruertent, & regnum Iudæ quod dedit mihi Dominus in obedientia patris. Nunquam enim contriſtaui verbum patris mei Iacob, quoniã omnia quæcunque dixit, faciebam. Et Abrahã pater patris mei benedixit me vt pugnarem in Iſrael, & Iſaac inſuper benedixit me ſimiliter ſic. Et ego noui quoniam ex me ſtabit regnum, quoniam & legi in libris Enoch iuſti, quod mala facietis in extremis diebus. Cuſtodimini ergo filij mei à fornicatione & auaritia. Audite Iudam patrem veſtrum, quoniam iſta ſeparant à lege Dei, & excœcant conſiliũ animæ, & ſuperbiam docent, nec patiuntur quenquam miſericordiam exhibere proximo ſuo. Priuãt animam ipſius bonis omnibus, & detinent ipſum in laboribus & doloribus. Separant etiam ſomnũ ab eo, & conſumunt carnes ipſius. Poſtremo ſacrificia Dei impediunt, & benedictiones negligũt, Prophetæ loquenti non obediunt, & verbo pietatis offenduntur. Duæ enim paſſiones iſtæ cõtrariæ ſunt mãdatis Dei. Seruiens his, Deo obedire nõ poteſt, quoniam perſtringunt mentẽ hominis, & in die ſicut in nocte ambulat. Filij mei, auaritia ad idola ducit. Nam in errore per argentum non exiſtentes Deos nominat Deos, & cogit eũ qui illa præmitur in peſſimam degenerationem. Propter argentũ ego perdidi filios meos, & niſi pœnitẽtia carnis meæ, & humilitas animæ meæ, & orationes Iacob patris mei fuiſſent, ſine liberis iam morerer. Sed Deus patrum meorum miſerator & miſericors cognouit, quoniã ignorantia peccaui. Excœcauit enim me princeps erroris, & ignoraui ſicut homo & caro, in peccatis corruptus ignorabam mei ipſius infirmitatem, exiſtimans me inexpugnabilem eſſe. Cognoſcite ergo filij mei, quoniam duo ſpiritus vacant homini, ſpiritus veritatis, & ſpiritus erroris, & medius eſt ſpiritus intellectus mentis, cuius eſt quò vult inclinare: Et quæ ſunt veritatis, & quæ ſunt erroris ſcripta ſũt ſuper pectus hominis, & vnumquodque eorum cognoſcit Deus, & non eſt tempus in quo potuerunt latere hominum opera omnia, quoniam omnia occulta pectoris ſcripta coram Domino, & ſpiritus veritatis teſtimonium perhibet de omnibus & accuſat omnia, & aduſtus eſt qui peccat ex proprio corde, & leuare faciem non poteſt ad iudicem. Et nunc filij, diligite Leui, vt permaneatis & non efferamini ſuper ipſum vt non diſpereatis. Mihi dedit Dominus regnum, & illi Sacerdotium, & ſubiecit regnum Sacerdotio. Leui datum eſt Sacerdotium & Iudæ regnum, & ſubiecit Deus regnum Sacerdotio. Mihi dedit quæ in terra: illi, quæ ſunt in cœlis. Vt ſupereminet cœlum terræ, ita ſupereminet Dei Sacerdotium, regno quod eſt in terra. Etenim ipſum ſupra te elegit Dominus appropinquare ſibi, & comedere mẽſam ipſius & primitias filiorum Iſrael, & eris ei vt mare. Quemadmodũ enim in mari, iuſti & iniuſti periclitantur, hi quidem capti, hi verò ditati: ita & in te omne genus hominum, & hi quidem periclitantur capti, hi verò ditantur rapientes, quoniã regnabunt ſicut cete deglutientes homines, velut piſces filias & filios liberos in ſeruitutem redigent. Domos, agros, greges, pecunias rapient, & multorum carnibus iniuſte coruos & ibices ſaturabunt, & proficient in malum in auaritia exaltati, & erunt vt procellæ Pſeudoprophetæ, & omnes iuſtos perſequentur. Inducet autem eis Dominus diſſenſiones adinuicem, & bella continua erunt in Iſrael, & in alienigenis conſumabitur regnum meũ, donec veniet ſalutare Iſrael vſque ad aduẽtũ Dei iuſtitiæ, vt quieſcat Iacob in pace & omnes Gẽtes, & ipſe cuſtodiet pacẽ regni mei vſque in ſeculum. Iuramento enim iurauit mihi Dominus non deficere regnum meum & ſeminis mei, omnibus diebus vſque in ſęculum. Multa autem triſtitia mihi eſt filij mei propter impudicitias, & ſortilegia & Idololatrias quas facietis in regnum, Phitoniſſas ſequẽtes, dæmonibus erroris filias veſtras deuouentes, cantatrices publicas facietis, & immiſcebimini abominationibus Gẽtiũ, pro quibus inducet Dominus ſuper vos famẽ & peſtilentiam, mortem & gladium, vlciſcentem obſidionẽ, & canes in dilaniationem, inimicorum & amicorum opprobria, perditionẽ & dolorẽ oculorum, puerorum occiſionem, & vxorum ablationem, poſſeſſionum rapinam, templi Dei incendium, terræ deſolationem, veſtri ipſorum ſeruitutẽ in Gentibus, & ex vobis in eunuchos vxorib. excæcabũt. Verùm ſi reuertamini ad Dominum in humilitate cordis pœnitentes, & ambulantes in omnibus mandatis Dei, viſitabit vos Dominus in miſericordia, & in dilectione à captiuitate inimicorũ veſtrorum. Et poſt hæc orietur vobis aſtrum ex Iacob in pace, & exurget homo ex ſemine meo, vt Sol iuſtitiæ ambulãs cum filiis hominũ in manſuetudine & iuſtitia, & omne peccatũ non inuenietur in eo & aperiẽtur ſuper ipſum cœli ad effundẽdum Spiritus benedictionẽ à Patre, & ipſe effundet Spiritũ gratię ſuper vos, & eritis eius filij, in veritate ambulabitis

Iudæ Pœnitentia pro Ebrietate, & fornicatione.

Liber Enoch.

Contra auaritiam.

3. Spiritus.

Regnum Sacerdotio ſubiectũ.

Iudæ cur à Deo datũ regnum.

De Chriſto.

in præceptis illius primis & vltimis, hic est germen Dei altissimi, & hic est fons vitæ omni carni. Tunc refulgebit sceptrum regni mei, & à radice vestra nascetur vas plantationis, & in eo ascendet virga iustitiæ Gentibus, vt iudicet & saluet omnes inuocãtes eum. Et post hoc resurget Abraham, Isaac & Iacob in vitam, & ego & fratres mei principes sceptrum vestrum in Israel erimus. Leui primus. Secundus ego. Tertius Ioseph. Quartus Beniamin. Quintus Simeon. Sextus Isachar, & ita deinceps omnes. Et Dominus benedixit Leui, Angelus faciei meæ, virtutes gloriæ Simeon, cœlum Ruben, Isachar terra, mare Zabulon, montes Ioseph, tabernaculum Beniamin, luminaria Dan, delitiæ Neptalim, sol Gad, oliua Aser. Et erit vnus populus Domini & lingua vna, & non erit amplius spiritus erroris Beliar, quoniã mittetur in ignem in sæculum. Qui in tristitia mortui sunt, resurgẽt in gaudio, & qui in paupertate propter Dominũ, ditabuntur: & qui in inopia, saturabuntur, & qui in infirmitate, fortificabuntur, & qui propter Dominũ mortui sunt, euigilabunt in vita, & current in Iacob, & currẽt in exultatione, & aquilæ Israel volabunt in gaudio. Impij verò tristabuntur, & peccatores lugebunt, & omnes populi glorificabũt in secula Dominum. Custodite ergo filij mei omnem legem Domini, quoniã est spes omnibus dirigẽtibus viam suã, & dixit ad eos: Centum decem & nouem annorum, ego morior hodie in oculis vestris. Nullus me sepeliat in precio sa veste, vel ventrem meũ rescindat, quoniam hæc facturi sunt regnantes, & reducite me in Hebron vobiscum. Et hæc dicẽs, obdormiuit Iudas. Et fecerunt filij eius secundum omnia quæ mandauit eis, & sepelierunt eum in Hebron cum patribus suis.

Sepultura Iudæ filij Iacob.

Testamentum Isachar de Gula. 5.

TRanscriptum verborum Isachar, vocans filios suos dixit eis: Audite filij Isachar patrem vestrũ auribus percipite verba dilecti à Domino. Ego sum natus, quintus filius Iacob in mercede mandragorarum. Iacob enim attulit mandragoras ex agro, & præobuians Rachel accepit eas. Fleuit autem Ruben, & in voce ipsius exiuit Lya mater mea. Mãdragoræ autem erant mala odorifera, quæ producit terra Aram in excelso sub valle aquarum. Dixit autem Rachel: Non dabo hoc tibi, quoniam erunt mihi pro filiis. Erant autem mala duo. Et dixit Lya. Sufficiat tibi, quoniam accepisti virum virginitatis meæ. Num & hæc accipies? Illa verò dixit: Ecce sit Iacob tibi nocte hac pro mandragoris filij tui. Dixit autem Lya ad eam: Non iactes & non glorieris, meus enim est Iacob, & ego vxor iuuentutis eius. Rachel verò dixit: Quid igitur, quoniam mihi primò copulatus est, & propter me seruiuit patri nostro annis quatuordecim. Et dixit Lya: Quid tibi faciam, quoniam multiplicatus est dolus & astutia hominum, & dolus procedit in terra, si autem secus esset, neque tu quidem videres faciem Iacob. Non enim vxor ipsius tu es, sed in dolo pro me inducta es. Et seduxit me pater meus, & transferẽs me nocte illa, non permisit me videre, quoniam si fuissem illic, non factum fuisset hoc. Et dixit Rachel, Accipe vnam mandragoram, & pro vna in mercede do tibi eum in vna nocte. Et cognouit Iacob Lyam, & cõcipiens me peperit, & propter mercedem vocatus sum Isachar. Tunc apparuit Iacob Angelus Domini, dicens: Quoniam duos filios Rachel pariet, quia respuit coitum viri, & elegit continentiam, & nisi Lya mater mea pro coitu reddidisset duo mala, octo filios paritura fuisset, propter hoc sex peperit. Duos verò Rachel, quoniã in mandragora visitauit eã Deus. Sciuit enim quod propter filios voluit coire cum Iacob, & non propter desiderium voluptatis. Apponẽs enim & in crastino reddidit Iacob, vt acciperet & aliam mãdragoram, propter hoc in mandragoris exaudiuit Dominus Rachel, quoniã & desiderans eas non comedit, sed reposuit eas in domo Domini, offerẽs Sacerdoti altissimi, qui erat in tẽpore illo. Quando ergo factus sum vir filij mei, ambulaui in rectitudine cordis mei. Et factus sum agricola patrũ, & attuli fructum ex agris secundum tempus eorum, & benedixit me pater meus videns quòd in simplicitate ambulabam, & non eram perscrutator in omnibus actibus meis, neq; pernicioſus aut inuidens proximo, non oblocutus sum alicui, neque vituperaui vitam hominis, ambulans in simplicitate oculorum. Propter hoc triginta annorum accepi mihi meã vxorẽ, quoniã labor deuorauerat fortitudinem meam. Et illecebrosus nunquam intelligebã voluptatem mulieris, sed per laborem sõnus meus circundedit me, & semper gauisus est in simplicitate pater meus. Si quid enim laborabã omnem fructum & omne primum germen primũ per Sacerdotem Domino offerebam, deinde patri meo & tunc ergo Dominus duplicauit bona in manibus meis, sicut & Iacob, quoniã Deus cooperatur simplicitati meæ. Omni .n. pauperi & omni tribulato tribuebã terræ bona in simplicitate cordis. Et nũc audite me, filij & ambulate in simplicitate cordis, quoniam noui in ipsa omnem beneplacentiam Domini. Simplex, aurum non concupiscit, proximum non inuadit, cibos varios non appetit, vestem diuersam no vult, tempora longa sibi non promittit, sed solum respicit voluntatẽ Dei, & spiritus erroris nihil possunt aduersus eum. Non enim nouit respicere pulchritudinem mulieris, ne coinquinet mẽtem suam. Non zelus in consiliis eius superueniet, non inuidia liquefaciat animam eius, neque lucrũ in auaritia excogitat. Ambulat enim in rectitudine vitæ, & omnia videt in simplicitate, non recipiens oculis perniciositates ab errore Mundi, vt non videat peruersè aliquod mandatorum Dei. Custodite ergo legem Dei, filij mei, & simplicitatem possidete, & in innocentia ambulate non circumscrutãtes mãdata Domini, & proximi actus: sed diligite Deũ & proximum, pauperis & infirmi miseremini. Supponite dorsum vestrum in agriculturam, & operamini in operibus terræ secundum vnamquamque agriculturam, dona cum gratiarum actione Domino offerentes, quoniam primis germinibus fructuũ terræ benedixit Dominus secundum quod benexit omnes sanctos ab Abel vsque nunc. Non enim datur tibi alia pars quàm pinguetudinis terræ, cuius in doloribus sunt fructus, quoniam pater noster Iacob in benedictionibus terræ & primitiarũ fructuũ benedixit me. Et Leui & Iudas glorificati sũt à Domino in filiis Iacob. Etenim Deus hæreditauit in illis, & huic quidem dedit Sacerdotium, huic verò regnum.

Rachel ob tulit Deus Mãdragoras.

Pietas Isachar.

Homo simplex quis.

Agricultura.

regnum. His ergo obedite, & in simplicitate patris A Ioseph & ego cum ipso, & intremuit cor meum, & Gen.37.
nostri ambulate, quoniam Gad datum est perdere iuncturæ corporis mei expauerunt, & non potui
tentationes superuenientes Israel. Noui, filij mei, stare, & videns me flentem cum eo & illos superue-
quoniam in extremis temporibus derelinquent fi- nientes ad occidendum eum, refugit retro me de-
lij vestri simplicitatem, adhærebunt auaritiæ, & di- precans eos. Exurgens autem Ruben, dixit: Fratres,
mittentes innocentiam appropinquabunt maligni- non occidamus eum, sed proiiciamus eum in lacũ
tati, & derelinquentes mandata Dei, adhærebunt exiccatum quem foderunt patres nostri & non in-
Beliar, & dimittentes agriculturam, sequentur per- uenerunt aquam. Ideo enim prohibuit Deus ascen
niciosa consilia sua, & dispergentur in gẽtes, & ser- dere aquam in eum, vt protectio esset Ioseph, & fe-
uient inimicis suis. Vos ergo dicite hoc filiis vestris, cit Deus ita donec vendiderũt eum Ismaelitis. Ne-
vt si peccent, velociter reuertãtur ad Dominũ, quo que in peccato Ioseph, filij, ego cõsensi, sed Simeõ,
niam misericors est, & eripiet eos, vt reuertantur in Gad, & alij sex fratres nostri accipientes preciũ Io-
terram suam. Centum viginti duorum annorũ sum seph, emerunt calceamenta sibiipsis & vxorib. suis. Precium
Plenus Isa- ego, & non cognoui super me peccatum in mortẽ, B dicentes; Non comedamus illud, quoniam preciũ Ioseph.
dixit. præter vxorem meam non cognoui aliam, non for- sanguinis est fratris nostri, sed conculcatione con-
nicatus sum in elatione oculorum, vinum in ebrie- culcemus illud, prò eo quòd dixit, se regnaturum
tate non bibi, omne desiderabile proximi non desi- super nos, & videbimus quid portendant somnia e- Scriptura
deraui: dolus non factus est in corde meo, menda- ius. Ergo in scriptura legis Enoch scriptum est: non legis E-
cium non ascendit per labia mea, omni homini cõ- volenti suscitare semen fratri tuo Solui calciamen- noch.
tristato congemui, & pauperi dedi panem meum. tũ Ioseph. Etenim venientes in Ægyptũ soluta sũt
Non comedi solus, terminum non solui, pietatem à pueris Ioseph ante portam, & ita adorauerũt Io-
feci in omnibus diebus meis & veritatem. Dominũ seph secundũ typum Pharaonis. Nõ solũ autẽ ado-
dilexi in tota fortitudine mea. Omnem hominem rauerunt eum, sed etiam rubore suffusi sunt procidentes corã eo, & sic confusi sunt coram Ægyptiis.
dilexi, vt filios meos. Si & vos filij mei hæc feceritis Deinde audierunt Ægyptij omnia mala quæ feci-
omnis spiritus Beliar fugiet à vobis, & omnis actio mus Ioseph. His factis appositerũt fratres cibum vt
pernicioforum hominum non dominabitur vobis: C comederent. Ego verò per duos dies & duas noctes
& omnem agrestem feram seruituti subiicietis, ha- nõ gustaui cibũ, miseratus Ioseph, & Iudas nõ co-
bentes vobiscum Deum cœli, ambulantes cum ho medit cum eis. Intendebat autem in lacum, quoniã
minibus in simplicitate cordis. Et mandauit eis timebat ne resilientes Simeon & Gad interficerẽt
vt reducant eum in Hebron, & illic eum sepeliant eum. Et videntes me non comedentem, posuerunt
in spelunca cum patribus suis. Et extendit pedes me custodire ipsum, quousque venditus est. Fuit au
suos & mortuus est quintus filius Lyæ, in senectute tem in lacu tres dies & tres noctes, & ita vẽditus est
bona, omne membrum habens sanum & potens, incibatus. Et audiens Ruben, quod venditus est ab- Ioseph vẽ-
dormiuit somnum sæcularem. sente eo, circumscissus plorabat, dicẽs: Quomodo ditus.
videbo faciem Iacob patris mei? Et accipiens argẽ-
tum, cucurrit ad mercatores & neminem inue-
nit: dimittentes enim viam regiam, ambulauerunt
per deuia in velocitate, & non comedit Rubẽ panẽ
D in die illa. Accedẽs ergo Dan, dixit ei: Ne fleas ne-
Gen.30. Audite me filij Zabulon, datio bona genitoribus que tristeris de iuuene, scio quid dicturi simus pa- Gen.37.
meis, Cum enim genitus essem, multum auctus est tri nostro Iacob: Occidemus hircũ caprorum, &
pater meus gregibus & armentis, quoniam in variis tingemus tunicã Ioseph, & dicemus: Cognosce, si
virgis habuit sortem. Non cognoui filij mei quod tunica filij tui est ista. Tunica enim patris nostri exu
peccaui in diebus meis, neque enim tunc recorda- erunt Ioseph cũ vendituri erãt eum, & induerũt eũ
bar, quoniam iniquitatem feci propter ignorantiã vestimentum vetus serui. Tunicã verò habuit Sime
in Ioseph, quoniam cælaui cum fratribus meis pa- on, & noluit dare eã, volens gladio suo discinderé
tri meo, quod factum erat, & fleui multum in ab- eam, iratus quod viueret adhuc, nec occidisset
scondito. Timui enim fratres meos quoniam con- eum. Exurgentes autem aduersus eum omnes si-
spirabant omnes simul vt si quis reuelaret mysteriũ, mul dixerunt: Quid ni daturus sis, cum tu solus fe-
occiderent eum gladio. Tamen quoniam volebant ceris hoc malum in Israel? Et ita dedit eam, & fece-
occidere eũ multa testificatus sum eis lachrymãs ne runt sicut dixit Dan. Et nunc filij mei annũcio vo-
facerent iniquitatem hanc. Venerunt enim Simeõ E bis, custodite mãdata Domini, & facite misericor-
& Gad super Ioseph, vt occiderent eum, & cadens diam in proximo, & viscera misericordiæ in omnes
super faciem Ioseph, dixit eis: Miseremini mei fra- habete, nõ solum ad homines sed & ad irrationalia.
tres mei, miseremini viscerum Iacob patris nostri. Propter hoc enim benedixit me Dominus, & om-
Non iniiciatis in me manus vestras, vt effundatis sã nibus fratribus meis ægrotãtibus, ego sine ęgritudi-
guinem innocentem, quoniam non peccaui in vos. ne euasi. Nouit enim Deus vniuscuiusq; electionẽ.
Si verò peccaui, in disciplina erudite me. Manum Habete ergo misericordiam in viscеribus vestris, fi- Misericor-
autem vestram ne inferatis propter Iacob patrẽ no lij mei, quoniam vt aliquis faciet proximo suo, ita & dia etiam
strum. Vbi autem dixit verba hæc, miseratione cõ- Dominus faciet ei. Etenim filij fratrũ meorũ ægro- ad bruta.
motus veni ego & incœpi flere, & epata mea resolu- tabãt, & moriebãtur propter Ioseph, quoniã nõ fe-
ta sunt in me, & omnis subsistentia viscerum meo- cerunt misericordiã in viscеribus suis. Filij autẽ mei
rum laxata est super animam meam. Fleuit autem sine ęgritudine custoditi sunt sicut nouistis. Et erã in

Testamentum Zabulon, de commiseratione & misericordia. VI.

TRanscriptum Zabulon, quod disposuit filiis suis centesimo decimo quarto anno vitæ suæ, post triginta duos annos mortis Ioseph. Et dixit eis

Chanaan in littore, venatus sum venatione piscium copiam Iacob patri meo, & multis suffocatis in mari. ego illæsus permansi. Primus ego feci scapham in mari nauigare, quoniã Deus dedit mihi intellectũ & sapientiã in ipsa, & dimisi lignũ retro ipsam, & linteamen extendi in ligno medio, & ipsa perambulãs littora piscabar pisces domui patris mei, vsquequo venimus in Ægyptum, & ex venatione mea omni homini peregrino miseratus dabam. Si vero erat peregrinus, vel ægrotãs, vel senex: coquens pisces, & faciẽs hoc benè, secundũ vniuscuiusque necessitatẽ afferebam omnibus colligens & cõpatiens. Propterea Deus multos pisces fecit me venari in mari. Qui enim tribuit proximo, accipit multiplicata à Domino. Quinque annis piscatus sum omni homini quẽ videram tribuens, & omni domui patris mei sufficienter. In autumno piscabar, in hyeme autem pascebam gregem cum fratribus meis. Nũc annunciabo vobis quę feci: Videbam tribulatũ in medietate hyemis, & miseratus super ipsum, furatus vestimentum ex domo mea abscõditè dedi tribulato. Et vos ergo filii mei ex his quæ tribuit vobis Dominus, indifferẽter omnibus miserẽtes, misericordiam facite, & tribuite omni homini in bono corde. Si verò non habetis vt quam primum detis indigenti, compatiamini in visceribus misericordiæ. Noui quoniã manus mea non neglexit vel horam tribuere indigenti, & amplius septem stadiis ambulans cum ipso flebam, & viscera mea versa sunt super ipsum in cõpassionẽ. Et vos ergo filii mei habete viscera misericordiæ aduersus omnem hominem in misericordia, vt & Deus in vos propicius misereatur vobis. Quoniam in extremis diebus mittet misericordiam suam in terram, & vbi inuenerit viscera misericordiæ, in ipso habitabit. Quantum enim homo miseretur erga proximum, tantum Deus ipsi. Quando enim descendimus in Ægyptum, Ioseph non recordatus est mali in nos, me vero videns misertus est. In quem inspicientes & vos immemores malorum efficiamini filii mei, & nõ cogitetis vnusquisque maliciam fratris sui, quoniam hoc diuidit vnitatem, & omnem consanguinitatem dispergit & animam perturbat. Memor enim mali, viscera misericordiæ non habet. Attẽdite aquas, quoniam cũ simul mouentur, lapides, ligna, arenam distrahunt. Si verò in multas diuidãtur, terra exterminat eas, & fiunt neglectæ, & vos si diuidamini eritis ita. Nec scindamini in duo capita, quia omne quod fecit Deus, caput vnum habet, dedit duos humeros, manus, pedes, sed omnia membra vni capiti obediunt. Noui in scriptura patrum meorum, quoniã in vltimis dieb. recedetis à Domino, & diuisi eritis in Israel, duos reges sequemini & omnem abominationẽ facietis, & omne idolũ adorabitis, & captiuabunt vos inimici vestri, & sedebitis in rationibus in omnibus infirmitatibus, tribulationibus & dolorib. animæ. Et post hoc recordabimini Domini, & pœnitebitis; & conuertet vos, quoniam miserator est & misericors non excogitans malitiam filiis hominũ, quoniam caro sunt, & spiritus erroris seducunt eos in omnibus actibus suis. Et post hæc orietur vobis ipse Deus lumen iustitiæ, & sanitas & misericordia in pœnis eius. Ipse redimet omnem captiuitatem filiorum hominũ à Beliar, & omnis spiritus erroris cõculcabitur, & conuertet omnes gentes in æmulationem, & videbitis Deum in forma hominis, quoniam elegit Deus Hierusalem, nomen Dei sui. Et rursus in malicia sermonum vestrorum ad iracundiam prouocabitis eum, & abiecti eritis vsque ad tempus consummationis. Et nunc filii mei non cõtristemini quoniam morior ego, neque concidatis quoniam relinquo vos. Resurgam enim in medio vestri, velut dux in medio filiorum suorum. Et lætabor in medio tribus meæ, quotquot custodierũt legem Domini & mandata Zabulon patris eorum. Super impios verò inducet Dominus ignem æternum, & perdet eos vsque in generationes. Ego in requiem meam recurro sicut patres mei, vos autem timete Dominum Deum vestrum in omni fortitudine omnibus diebus vitæ vestrę. Et hæc dicens, dormiuit somno bono, & posuerunt eum filii sui in theca. Postea autem reducentes eum in Hebrõ, sepelierunt eum cum patribus suis.

Zabulon inuentor scaphæ.

Eleemosynæ Ilachar.

Exhortatio ad cõcordiam.

Schisma Israelitis futurum.

Deus venturus in forma hominis.

Iracundia cæca est.

Testamentum Dan, de Ira & Mendacio. VII.

TRanscriptum verborum Dan, quæ dixit filiis suis in vltimis diebus suis centesimo vicesimo quinto anno vitæ suæ vocans tribum suam, dixit: Audite filii Dan sermones meos, attendite verbis oris patris vestri: Probaui in corde meo, & in omni vita mea, quod bonum est. Nam Deo beneplacet veritas cũ iusta actione, odi quod pernitiosum fuit vt mendacium & iram, quoniam omnem maliciã hominem edocent. Confiteor vobis hodie filii mei, quoniam in corde meo lætatus sum de morte Ioseph viri veritatis & boni, & gaudebam in venditione Ioseph quoniam super nos pater eum diligebat. Spiritus enim zœli & elationis dixit mihi: Et tu es filius eius, Et vnus spirituum Beliar cooperabatur mihi, dicens: Accipe gladium hunc, & eo occide Ioseph, & diliget te pater tuus mortuo eo. Hic est spiritus iræ suadens mihi, vt sicut Pardalis deuorat hœdum, ita deuorarem Ioseph. Sed Deus Iacob patris nostri, non immisit eum in manus meas vt inuenirem eum solum, neque permisit iniquitatem hanc facere, vt soluantur duo sceptra in Israel. Et nũc filii, ego morior, & in veritate dico vobis, quoniam si non custodiatis vosmetipsos à spiritu mendacii & iræ, & non diligatis veritatem & longanimitatẽ, disperibitis. Cæcitas est in ira filii mei, & nõ est aliquis iracundus, videns faciem in veritate, quoniam etsi pater & mater est, vt hostibus attendet eis. Si sit frater, non nouit: Si Propheta Domini, non obedit: si iustus, non aspicit: amicum non aspicit, amicum non cognoscit. Circumponit enim ei spiritus iræ, retia erroris, & excæcat naturales oculos eius, per mendacium obtenebrat mentẽ eius, & propriam visionem tribuit ei. In quo autem circumponit oculis eius? in odio cordis, & dat ei cor propriũ aduersus fratrem in inuidiam. Pernicioſa est ira filii mei, etenim ipsæ animæ ipsa fit anima, corpus quidem iracundi proprium sibi facit, animæ autem dominatur. Et tribuit corpori potentiã vt faciat omnem iniquitatẽ. Et cùm iam operata fuit anima, iustificat quod operatum est, quia non videt. Propter hoc quia iratus est, siquidem sit potens, triplicem habet potentiam ira. Vnam quidem per potentiam & adiutorium ministrantium. Secundã autem per diuitias,

diuitias, persuadens & vincens in iniustitia. Tertiã naturalem habens corporis, & per seipsum operans malum. Si autem debilis sit qui irascitur, duplam habet potestatem præ ea quæ est naturæ, adiuuat enim semper iniquitatem hic spiritus, vt semper cũ mendacio fiant actus eius. Quapropter intelligite potentiam iræ, quoniam vana est. In sermone enim exacerbat, à dextris Sathanæ ambulat, vt incredulitate & mendacio fiant actus. Quapropter intelligite potentiam iræ, quoniam vana est. In sermone enim exacerbat primùm, deinde in operibus fortificat stimulatum, & in iacturis amaris conturbat consilium eius, & ita exuscitat in ira magna animũ eius. Quando ergo loquitur aliquis aduersum vos, ne mouemini in iram. Si laudat vos vt bonos, ne eleuemini, neque transmutemini, neque in petulantiam neque in rigorem vultus. Primùm enim dilatat auditum, atque exacuit mentem, vt intelligat quod improperatum est. Et tunc iratus existimat iustè irasci. Si in iacturam aut perditionem aliquã incideritis filij, ne tumultuemini mihi, quoniã hic spiritus concupiscere facit quod perditum est, vt irascatur per desiderium. Si autem iacturam patiamini voluntariè, ne contristemini, tristitia enim suscitat iram cum mendacio. Est autem malum, duplicem habere faciem. Ita cum mendacio, colloquuntur adinuicem vt conturbent consilium. Turbata autem anima per contumeliam, recedit Dominus ab ipso, & dominatur ei Beliar. Custodite ergo filij mei mandata Domini, & legem eius seruate. Fugite autem & odite mendacium, vt Dominus habitet in vobis, & fugiat à vobis Beliar. Veritatem loquimini vnusquisque ad proximum suum, vt non incidatis voluntariè in turbationem, sed eritis in pace, habentes Deum pacis, & nõ præualebit aduersum vos bellum. Diligite Dominum in omni vita vestra, & vosmet adinuicem in veraci corde. Noui enim quoniam in vltimis diebus recedetis à Domino, & offendetis Leui, & Iudæ resistetis, sed non superabitis eos. Angelus enim Domini ducit vtrosque, quoniam in ipsis stabit Israël. Et recedetis à Domino, in omni malicia ambulabitis, facientes abominationes Gentium, abeuntes ad mulieres iniquorum, in omni malicia, spiritibus erroris operantibus in vobis. Legi enim in libro Enoch iusti, quoniam princeps vester est Satanas, & quoniam omnis spiritus fornicationis & superbiæ Leui sese applicabit ad insidiandum filiis Leui, vt faciat eos peccare coram Domino. Filij autem appropinquabunt ad Leui, spectantes eum in omnibus, & filij Iudæ erunt in auaricia, rapientes aliena vt leones. Propter hoc abducemini cum eis in captiuitatem, & illic recipietis omnes plagas Ægypti & omnes malicias gentium, & ira reuertentes ad Dominum misericordiam consequemini, & ducet vos in sanctificationem suam clamans vobis pacem. Et orietur vobis ex tribu Iuda & Leui salutare Domini. Ipse faciet aduersus Beliar prælium, & vltionẽ victoriæ dabit iuuenibus nostris. Animas sanctorum captiuas liberabit à Beliar, & conuertet corda incredula vestra ad Dominum, & dabit inuocantibus eum pacem æternam, & requiescent in eodem sancti, & in noua Hieruſalem lætabuntur iusti, quæ erit in glorificationem Dei vsque in sæculum. Non amplius sustinebit Hieruſalem desolationem, neq; captiuabitur Israël quoniam Dominus erit in medio eius cum hominibus conuersatus, & sanctus Israël regnans super ipsos in humilitate & paupertate. Et qui credit in eum regnabit in veritate in cœlis. Et nunc timete Dominum filij mei, attendite vobis à Satana & spiritibus eius, appropinquate autem Deo & Angelo excusante vos, quoniam hic est mediator Dei & hominum ad pacem Israël. Cõtra regnum inimici stabit, quapropter conabitur inimicus subuertere omnes inuocãtes Dominum. Nouit enim quoniam in qua die cecidit Israel, cõsummabitur regnum inimici. Ipse Angelus pacis fortificabit Israel ne incidat in fine malorum. In tempore illo recedet Israel ab iniquitate, & Dominus visitabit facientes voluntatem ipsius. Nomen verò eius erit in omni loco Israel, & in Gentibus Saluator. Conseruate igitur vosmetipsos filij mei ab omni opere pernicioso, & abiicite iram & omne mendacium. Diligite veritatem & longanimitatẽ. Et quæ audiuistis à patre vestro, tradite & vos filiis vestris, vt recipiat vos pater gentium. Est enim verax & longanimis, mansuetus, humilis, & docens per opera legem Dei. Discedite ab omni iniustitia, & adhæreatis iustitiæ legis Domini, & sepelite me prope patres meos. Hæc dicens, osculatus est eos, & dormiuit somnum sæcularem. Sepelierunt autem eum filij eius, ac reduxerunt ossa eius probe Abraham, Isaac & Iacob. Et quemadmodum Prophetauit eis Dan, quod legem Dei sui neglecturi essent aliquando, ac seipsos abalienaturi essent à terra hæreditatis ipsorum, & à genere & patria Israel, ita factum est.

Ira potentia vana est.

Israel reuersurus ad Dominum.

Somnus secularis.

Liber Enoch. Fornication. & superbia insidiabitur Leui.

Salutare Dei ex Leui & Iuda.

Testamentum Neptalim, de Bonitate. VIII.

TRanscriptũ Testamenti Neptalim, de his quæ disposuit in tempore finis sui in anno centesimo tricesimo secundo vitæ suæ. Conuenientibus filiis suis septimo mense quarta die mensis, ipso sano existente iussit apparare cœnam & potum magnificum. Postquàm autem excitatus est à somno mane, & quoniam morti proximus erat, laudabat Dominum qui illum confirmabat, & incœpit sic loqui filiis suis. Audite filij mei filij Neptalim, audite sermones patris vestri: Ego natus sum à Balla, & quoniam astute fecit Rachel, & dedit pro seipsa Ballam Iacob, & super fœmora Rachel peperit me, propter hoc vocatus sum Neptalim. Et dilexit me Rachel quoniam super fœmora sua natus sum, & ipsa tenerum existentem osculata est me, dicens: Videam fratrem tuum ex ventre meo secundum te. Vnde similis mihi erat in omnibus Ioseph secundũ petitiones Rachel. Mater autem mea Balla, filia Rethæi fratris Doboræ nutricis Rebeccæ, quę Balla in vna die nata est in qua & Rachel. Rotheus enim de genere Abraham erat Chaldæus, Deum venerans, liber & nobilis: sed cum esset captiuus, emptus est à Laban, & dedit ei Euam ancillam suam in vxorem, quæ peperit filium, & vocauit eum Zelipham cognomine castelli, in quo captus erat. Deinde peperit Ballam dicens: Nouiter festinans filia mea, confestim enim nata festinauit lac fugere. Et quia pedibus leuis eram vt ceruus, ordinauit me Gen. 30.

pater meus Iacob in omnem missionem & annunciationem, & vt ceruum me benedixit. Quemadmodum enim figulus nouit vas quantum capit, & ad ipsum fert lutum, ita & Dominus ad similitudinem spiritus facit corpus, ad potentiam corporis spiritum imponit. Et non est iam vna tertia ex vno capillo: in pondere enim & mensura & regula, est omnis creatura altissimi. Et quemadmodum nouit figulus vniuscuiusque vsum quibus rebus sufficere queat, ita & Dominus nouit corpus vsquequo sufficiat in bono, & quando incipit in malo: quoniam non est vlla creatura, nec vllus intellectus, quem nō cognouit Deus. Omnem enim hominem creauit ad imaginem suam, sicut & fortitudo eius, ita & opus eius, & sicut præelectio eius, ita & actus eius, sicut cor eius, ita & os eius: sicut oculus eius, ita & sōnus eius: sicut anima eius, ita & sermo eius vel in lege Domini, vel in lege Belial. Et sicut diuisum est inter medium lucis & tenebræ, visus, auditus, ita diuisum est inter medium viri & inter medium mulieris. Neque est dicendum, quod vlla in re faciei vel similium quid præstet. Omnia enim in ordine fecit Deus bona. Quinque sensus in capite, & collum copulauit capiti, & capillos ad gloriam. Deinde cor ad prudentiam, ventrem ad excretionem stomachi, calamum ad sanitatem, epar ad iram, vel ad amaritudinem, ad risum splenem, renes ad astutiam, lumbos ad virtutem, costas ad positionem, sperma ad fortitudinem, & quæ deinceps. Ita filij mei ordine sitis bono, in timore Dei, neque quicquam inordinatum facite ex contemptu, neque extra tempus suum. Quoniam si dicas oculo, audire non potest. Itaque neque in tenebris poteris facere opera lucis. Non igitur festinate in auaritia corrūpere actus vestros, vel in sermonibus vanis seducere animas vestras, quoniam tacentes in mundicia cordis poteritis voluntatem Dei tenere, & abiicere voluntatem diaboli. Sol & luna & stella non mutant ordinem suum, ita & vos non mutetis legem Dei in ordinationem actuum vestrorum. Gentes errantes, & derelinquentes Dominum mutauerunt ordinē suum, & secuti sunt lapides & ligna, sequentes spiritus erroris. Vos autem non sic filij, vnum Deum vestrum cognoscite, in firmamento, in terra, & in mari, & in omnibus creaturis Dominum, qui fecit hæc omnia, vt non efficiamini sicut Sodoma, quæ mutauit ordinem naturæ suæ. Similiter autem & vigiles immutauerunt ordinem naturæ ipsorum, & quos maledixit Dominus in diluuio, propter ipsos ab habitatione & fructibus ordinans terram inhabitabilem. Hæc dico filij mei, quoniam legi in scriptura sancta Enoch, quòd & vos recedetis à Domino, ambulantes secundum iniquitatem Sodomorū, & inducet Dominus vobis captiuitatem, & seruietis illic inimicis vestris, & omni pœna & tribulatione comprehendemini, vsquequo consumat Deus omnes vos. Et postquam pauci effecti fueritis & minorati, reuertemini & cognoscetis Dominum Deum vestrum, & conuertet vos in terram vestrā, secundum multam misericordiam suam. Et erit cū venerint in terram patrum suorum, rursus obliuiscentur Domini, & impiè agent, & disperget eos Dominus super faciem vniuersæ terræ, vsquequo venerit misericordia Domini, homo faciens misericordiam & iustitiam, in omnes qui longè sunt, & qui propè. In anno enim quadragesimo vitæ meæ, vidi in montibus olei, versus orientem Hierusalem (quoniam sol & luna steterunt) & ecce Isaac pater patris mei dicit nobis: Accurrētes tenete vnusquisque secundum virtutem suam, potest enim apprehendi sol & luna. Et omnes simul accurrebamus, & Leui tenuit solem, & Iudas accingens apprehendit lunam, & exaltati sunt ambo cum eis. Et cum esset Leui sicut Sol, iuuenis quidam tradidit ei ramos palmorum duodecim, & Iudas erat splendens vt luna, & sub pedibus eius erant 12. radij. Et accurrentes adinuicem Iudas & Leui tenuerunt seipsos. Et ecce taurus in terra habens cornua magna, & alæ aquilæ in dorso eius, & volentes apprehendere eum non potuimus. Præueniens enim Ioseph cæpit eum, & ascendit cum ipso in excelsum. Et vidi (quoniam eram illic alicubi) & ecce Scriptura sancta apparuit nobis dicens: Assyrij, Medi, Elemæi, Gelathæi, Chaldæi, Syri, hæreditabunt in captiuitate sceptrum Israel. Et rursus post menses 7. vidi patrem nostrum Iacob stantem in mari lamme, & nos filij eius cum eo. Et ecce nauis venit, velificans plena siccis carnibus sine nautis & gubernatore. Inscribebatur autem nauis Iacob, & dicit nobis pater noster: Ascendamus in nauem nostram. Vt autem intrauimus, facta est tempestas vehemens, & turbo venti magni, & auolat pater noster à nobis tenens gubernacula. Et nos tempestate quassati, in pelagus ferebamur, & impleta est nauis aquis tempestatis, vndique quassata & contrita. Ioseph autē è cimba fugit. Diuidimur & nos in tabulis decem. Leui autem & Iudas erant nobiscum. Dispergimur ergo omnes vsque in terminos. Leui autem indutus sacco, pro omnibus nobis precabatur Dominum. Vt autem quieuit tempestas, scapha attigit terram velut in pace. Et venit pater noster Iacob, & vnanimiter exultauimus. Hæc duo somnia dicebam patri meo, & dixit mihi. Oportet hæc impleri secundum tempus ipsorum multa Israel sustinente. Tunc dixit mihi pater meus: Credo quoniam viuit Ioseph. Video enim semper, quoniam dominus connumerat eum vobiscum. Et flens dixit: Viuis Ioseph fili mi, & non te video, & tu nō vides Iacob qui genuit te. Fecit autem & nos lachrymari in his sermonibus suis. Et accendebat in viscera bus vt palàm facerem quòd venditus esset, sed timui fratres meos. Ecce filij mei ostendit vobis tempora extrema, quoniam omnia fient in Israel. Et vos igitur mandate filiis vestris vt iungantur Leui & Iudæ. Per Iudam enim orietur salus Israel, in ipso benedicetur Iacob. Per sceptrū enim eius apparebit deus habitans inter homines in terra, vt saluet Deus genus Israel, & congregabit iustos ex Gentibus. Si operamini bonum filij mei, benedicent vos homines & Angeli, & Deus glorificabitur per vos in Gentibus, & diabolus fugiet à vobis, bestiæ timebunt vos, & Angeli suscipiēt vos. Sicut enim si quis filium nutriat bene, perpetuo gratus & memor esse studet: ita & in bono opere memoria est apud Deū bona. Qui verò non fecerit bonum, huic maledicent homines & Angeli, & Deus contumelia afficietur per ipsum in gentibus, & diabolus possidebit hunc tanquam proprium vas & instrumentum, & omnis

Vigiles. Cauta lege.

Scripturæ sanctæ Enoch. Cauta lege.

Futura Israelitarum tempestas.

Deus et Iuda oriturus.

757

& omnis bestia dominabitur ei, & Dominus odio habebit eum. Nam mandata legis duplicia sunt, & opere implentur. Tempus enim est coeundi cum vxore sua, & tempus continendi ab ea ad orationem suam. Duo mandata sunt, quæ nisi fiant in ordine suo, peccatum tribuunt, Ita est in reliquis mãdatis. Efficiamini ergo sapientes in Deo & prudentes, scientes ordinem mandatorum eius, & leges omnis rei, vt Deus diligat vos. Et multa talia mandans eis, precatus est, vt transferant ossa eius in Hebron, & sepeliant eum iuxta patres ipsius. Et comedens & bibens in hilaritate animæ velauit faciem suam, & mortuus est. Et fecerunt filij sui secundum omnia quæcunque mandauit eis Nephtalim pater eorum.

Continere ad orationem.

Testamentum Gad, de Odio. IX.

TRanscriptum testamenti Gad, quæcunque locutus est ipse filiis suis in anno centesimo vitæ suæ, dicens: Septimus filius natus sum Iacob, & eram fortis in gregibus pascendis. Ego custodiui in nocte gregem, quando venit leo, vel lupus, vel pardus, vel vrsus, vel omnis bestia super gregem, persequebar eam, & apprehendens pedem eius manu mea, & girans obtenebrabam, & proiiciebam eam vltra duo stadia, & ita interficiebam. Ioseph ergo pascebat gregem nobiscum circiter dies triginta. Qui cum tener esset, incidit in morbum propter nimium æstum. Et reuersus est in Hebron ad patrem suum, & reclinauit eum iuxta se quoniam diligebat eum. Et dixit Ioseph patri nostro, quod filij Ballæ & Zelphæ dilapidarent bona, & deuorarent ipsa insciis Iuda & Ruben. Sciebat enim quoniam agnum eruebam ex ore vrsi quem interfeci, & agnum occidi, de quo contristabar, quoniam non potuit viuere, & comedebamus ipsum, Et dixit patri nostro. Verum fratres molestè ferebant istud verbum Ioseph, vsque in diem venditionis eius in Ægyptum, & spiritus odij erat in me, & nolui Ioseph neque audire, neque videre, ipse verò aperte redarguit nos, quoniam sine Iuda comedimus. Denique omnia quæcunque dixit patri, persuasit ei. Confiteor autem nunc peccatum, filij, quoniam sæpè volui occidere eum. Nam ex animo odio habui eum, & omnino non erant in me viscera misericordiæ erga ipsum, & propter somnia ipsius concepi tantum odium. Et volui ipsum deuorare è terra viuentium, quemadmodum deuorat vitulus herbas à terra. Propter quod ego & Iudas vendidimus eum Ismaelitis triginta aureis. De quibus decem furtim subtraximus, viginti autem ostendimus fratribus nostris. Et ita auaritia adductus sum, vt interfectum vellem, Deus autem patrum nostrorum eripuit eum de manibus meis, vt non facerem iniquitatem in Israel. Et nunc audite filij mei sermones veritatis, vt faciatis iustitiam & omnem legem altissimi, & non erretis spiritu odij, quoniam malus est in omnibus actibus hominum. Omne quodcũque fecerit homo, odit & abominatur. Si faciat legem Domini, nõ laudat eam. Si timeat Dominum & sectetur iusta, hunc non diligit, veritatem vituperat, dirigenti prospere res suas, huic inuidet, obtrectationem amplectitur, arrogantiam amat. Et quoniam odium excœcauit animam eius, facit proximo suo, sicut & ego Ioseph. Custodimini igitur filij mei ab odio, quoniam in ipsum Dominum iniquitatem facit. Non enim vult audire verba mandatorum eius de dilectione proximi, & in Deum peccat. Si enim delinquat frater, statim vult annũciare omnibus, & festinat vt iudicetur pro hoc delicto, & punitus moriatur. Si autem fuerit seruus, accusat eum apud Dominum suum, & omnes persequendi vias excogitat aduersus eum, si quomodo mortificet eum. Odium enim operatur cum inuidia aduersus bene operantes, profectum audiens & videns semper contristatur. Quemadmodum enim dilectio etiam mortuos amat, & cupit viuere, & in eos qui sunt in sententia mortis, si fieri queat, à morte reuocare vellet: ita odium viuentes conatur delere, & eos qui paululum quiddam peccauerint, indignos vita iudicat. Spiritus enim odij animi peruersitate cooperatur Satanæ in omnibus vsque ad mortem hominum. Spiritus enim dilectionis in longanimitate cooperatur legi Dei in salutem hominum. Malum est odium, quoniam permanet cũ mendacio, continue loquens aduersus veritatem, & parua magna facit, tenebris lucem obfuscat, dulce amarum dicit, & calumniam edocet, bellum, iniuriam, & omnem abundantiam malorum, deniq; veneno diabolico cor implet. Hæc edoctus experientia dico vobis filij mei, vt fugiatis odium, & adhæreatis dilectioni Domini. Iustitia eiicit odium, humilitas occidit odium, iustus enim & humilis erubescit facere iniustè, non ab alio reprehensus, sed à proprio corde, quoniam Deus protegit consilium eius. Non detrahit viro, quia timor altissimi vincit odium. Timens enim Dominum, non offendit, nõ vult omnino, neque cogitatione iniusta facere aduersus hominem. Hæc ego vltimo cognoui, postea quam pœnitui de Ioseph. Quæ enim secundum Deum est vera pœnitentia, ea mortificat hominem ad obedientiam, fugat tenebras, & illuminat oculos, & cognitionem tribuit animæ, & ducit consilium ad salutem. Et quæ non didici ab hominibus, noui per pœnitentiam. Induxit enim mihi ægritudinem epatis, & nisi fuissent orationes patris mei Iacob, profectò statim spiritus desiisset esse in me. Per quæ enim homo peccat, per illa & punitur. Quia igitur disposita erant epata mea impropitiabiliter aduersus Ioseph, in epate passus sum impropitiabiliter. Iudicium pertuli per menses vndecim, vt par esset tempus pœnæ, cum tempore quo vrgebam venditionem Ioseph. Et nunc filij mei diligite vnusquisque fratrem vestrum, & auferte odium à cordibus vestris, diligẽtes inuicem in opere, sermone, & cogitatione animæ. Ego enim coram facie patris nostri pacifica loquebar ad Ioseph & exeunte me, spiritus odij obtenebrauit intellectum meũ, & turbauit animam meam ad occidendum eum. Diligite igitur adinuicem ex corde, & si peccet in te aliquis, dic ei in pace exterminãs venenum odij, & in anima tua non teneas dolum. Et si confitens pœniteat, dimitte ei, & si negat, non contendas cũ eo, ne quando iurante eo, dupliciter pecces. Non audiat alienus in contentione secretum vestrum, ne odiens te immutetur, & magnum peccatum operetur aduersum te. Quoniam multoties dolo loquetur tecum, vel perscrutabitur te in malo, acci-

Ioseph vẽdimus 30. aureis.

Mala est odia proximi.

Timor domini.

Pœna Gad.

Fratres quomodo se gerere debeant in iracundia.

piens à te venenum. Si ergo negat & erubescit, & redargutus quiescit, non educas eum. Negans enim pœnitet, vt non amplius delinquat in te, sed honorabit te & timebit & pacificus erit. Si verò verecũdus est, & instat maliciæ, tunc dimitte ex corde deo vindictam. Si quis plus quàm vos prosperatur, ne contristemini, sed orate pro ipso, vt perfectè prosperetur. Fortè enim vobis expedit ita, & si plus exaltatus fuerit, nec inuideatis recordantes, quoniam omnis caro morietur. Domino autem hymnum afferte, tribuenti bona & vtilia omnibus hominibus. Scrutare iudicia Domini, & ita dimittet & quiescet consilium tuum. Si verò ex malis quis ditatus fuerit, sicut Esau frater patris mei, nolite ęmulari. Terminum enim Domini suscipietis, vel enim aufert hoc in malis, vel pœnitentibus dimittit, impœnitenti seruat in æternam punitionem. Nam pauper abundans in omnibus Domino gratias agit & ipse apud omnes ditatur, quoniam non habet pernicioſam deprecationem hominum. Auferte igitur odium ab animabus vestris, & diligite inuicem in rectitudine cordis. Dicite autem & vos filiis vestris, vt honorent Iudam & Leui, quoniam ex eis oriri faciet Dominus saluatorem Israeli. Cognoui enim, quoniam in fine recedent filij vestri ab eis, & in omni pernicie & malignitate & corruptione erunt coram Domino. Et paululum requiescẽs, rursus dixit eis: Filij mei audite patrem vestrum, & sepelite me prope patres meos. Et eleuans pedes suos dormiuit in pace. Et post quinque annos reduxerunt eum, & posuerunt eum in Hebron cum patribus suis.

Testamentum Aser, de duabus faciebus Maliciæ & Virtutis. X.

TRanscriptum testamenti Aser, quæ locutus est filiis suis centesimo vicesimo anno vitæ suę adhuc sanus existens, dixit ad eos: Audite filij Aser patrem vestrum, & omne rectum coram Deo ostẽdam vobis. Duas vias dedit Dominus filiis hominum, duo consilia & duos actus, duo loca & duos fines. Ideóque omnia duo sunt vnum, contra & viæ duæ boni & mali. Sunt etiam duo consilia in pectoribus nostris, quæ nos vel ad honestatem vel ad turpitudinem impellunt. Si igitur ad bonum ducitur homo, omnes actus ipsius circa iustitiam versantur. Etsi quid deliquerit, tamen illicò pœnitet. Iusta enim cogitans & abiiciens maliciam, statim corrigit sua peccata, & maliciam animi aufert. Si verò ad malum declinat consiliũ, omnis actus eius est in malicia, & repellens bonum, assumit malum constitutus sub domino Beliar. Et si bonum operetur, cõuertitur in maliciam hoc. Cum enim incœperit boni aliquid facere, finem actionis eius in malum opus perducit. Quia thesaurus diaboli veneno pernicioſi spiritus impletus est. Dicit igitur anima ipsius bonum supra malum esse, & finem rei in maliciã ducit. Est homo qui non miseretur ministrantis ei in malum, & hoc duplicem faciem habet, sed totum pernicioſum est. Est & homo diligens malignitatem, similiter est malicia, quoniam & mori desiderat in malo propter ipsum. Et de hoc manifestum, quoniam duplicis faciei est, totum verò malus actus est. Et amor existens, malicia est abscondens malum sicut nomine quasi bono, finis verò actus venit in malũ, alius furatur, iniustè agit, rapit, auarus existit, & non miseretur pauperum. Duplicem quidem faciem habet, & hoc totum pernicioſum est, auarus existẽs erga proximum ad iracundiam prouocat Deum, & altissimum abnegat, & pauperis non miseretur. Præceptorem legis Dominum spernit & acerbat, nec pauperem requiescere finit, animam inquinat, vt corpus splendidum reddat, multos occidit, & paucorũ miseretur. Hoc quidem duplicis faciei est. Alius adulteratur & fornicatur, & abstinet à cibis, ieiunans malefacit, potentia diuitis multos miserè vexat. Ex mala cõscientia facit mandata, & hoc duplicis faciei est, totum autem malum est. Tales vt sues sunt & lepores, quoniam ex medietate sunt mundi, reuera sunt immundi. Vos igitur filij mei non efficiamini secundum ipsos duplicem habentes faciem, bonitatis & maliciæ, sed bonitati soli adhærete, quoniam Deus requiescit in ipsa, & homines desiderãt eam. Maliciam fugite, occidentes diabolum in bonis vestris actibus, quoniam qui duplicis faciei sunt, nõ Deo, sed concupiscentiis suis seruiunt, vt Beliar cõplaceant & his qui sunt ipsis similes. Edom autem viri, & qui sunt vnius faciei etsi existimentur ab eis qui duplicis faciei sunt peccare, iusti tamen sunt apud Deum. Multi enim occidentes pernicioſos, duo faciunt opera, malum & bonum, totum verò est bonum. Quoniam qui malum eradicauit, perdidit illud. Est aliquis qui odit aliquem misericordem, & accusat eundem adulterij vel latrocinij, hic est duplicis faciei, sed totum opus bonum est, quoniam imitatur Dominum, non aspiciens quod videtur bonum, cum verò sit malum. Alter non vult diem bonum videre cum luxurioſis, vt non maculet eos, & inquinet animam. Et hic duplicis faciei est, totum autem bonum est, quoniam tales capreolis & ceruis similes sunt, quoniam in consuetudine agresti videntur immundi esse, ex toto autem mundi sunt, quoniam in zelo Dei ambulant recedentes ab his à quibus Deus prohibet per mandata odio habent eos & necant malum à bono. Videte igitur qualiter duo sunt in omnibus, vnum contra vnum, & vnum sub vno absconditur. Vitæ mors succedit, gloriæ ignominia, diei nox, & luci tenebræ. Omnia verò sub die sunt, & sub vita quæ iusta sũt, propter quod & mortem æterna vita præexpedit, & nõ est dicere veritatem mendacium, neque iustum iniustum, quoniam omnis veritas sub luce est, quemadmodum omnia sub Deo. Hæc omnia probaui in vita mea, & non erraui à veritate Domini, & mandata altissimi exquisiui secundum omnem fortitudinem, ambulans secundum vnam faciem in bonũ. Attendite igitur filij & vos mandata Domini secũdum vnam faciem sequentes veritatem, quoniam qui duplicis faciei sunt dupliciter puniuntur. Spiritus erroris odit hominem agonizantem. Legem Domini custodite, & non attendite malum vt bonum, sed reuera bonum respicite, & obseruate illud in omnibus mandatis Domini ad eum reuersi, & in eum quiescentes, quoniam fines hominum ostendunt iustitiam eorum. Et cognoscite Angelos Domini & Satanæ. Si enim adhæseritis spiritibus malis,

malis, anima torquebitur à pernicioſo ſpiritu, cui ſeruitis in concupiſcentiis & operibus perniciosis. Si autem quieſcibiliter in gaudio cognoueritis Angelum pacis, conſolabitur vos in via. Ne efficiamini filij vt Sodoma quæ ignorauit Angelos, & periit vſque in ſæculum. Noui enim quoniam peccabitis, & trademini in manus inimicorum veſtrorum, terra veſtra deſolabitur, & vos diſpergemini in quatuor angulos terræ, & eritis in diſperſione deſpecti velut aqua inutilis, vſquequo altiſſimus viſitauerit terram. Et veniens, vt homo cum hominibus manducans & bibens, & in ſilentio conterēs caput draconis. Per aquam hic ſaluabit Iſraël, & omnes gentes Deus in virum abſconditus. Dicite igitur hæc filiis veſtris, vt non negligant legem Dei ſcriptam in tabulis cœlorum, nam futurum eſt vt increduli fiant in legem Domini. Et vos impiè agentes, impie agetis in Deum, non attendentes legē dei, ſed mandata hominū. Et propter hoc diſpergemini vt Gad & Dan fratres mei, qui regiones eorum ignorabāt, & tribum & linguam eorum. Sed congregabit vos Deus in fide propter ſpem miſericordiæ ſuæ, propter Abraham, Iſaac & Iacob. Hæc cum dixiſſet, mandauit eis dicens: Sepelite me in Hebron. Et mortuus eſt, ſomno bono dormiens. Et poſt hæc fecerunt illi filij eius ſicut mandauerat eis. Et reducentes eum, ſepelierunt cum patribus ſuis.

Teſtamentum Ioſeph de Caſtitate & Fraterna dilectione. XI.

TRanſcriptum teſtamenti Ioſeph cum moriturus erat, vocans filios ſuos, & fratres ſuos dixit eis: Filij mei, & fratres, audite Ioſeph dilectum ab Iſrael, auribus percipite filij patrem veſtrum. Et ſciui in vita mea inuidiam & mortem, quibus me fratres mei perdere volebant. Oderunt enim me, & Dominus dilexit me. Ipſi voluerunt occidere me, & Deus patrum meorum cuſtodiuit me. In lacum me miſerunt, & altiſſimus reduxit me. Venditus sū in ſeruum, & Dominus liberum me fecit. In captiuitatem aſſumptus ſum, & fortis manus eius adiuuit me. In fame detentus ſum, & ipſe Dominus nutriuit me. Deſolatus eram, & Deus conſolatus eſt me: In infirmitate eram, & altiſſimus viſitauit me. In carcere eram, & ſaluator lætificauit me. In vinculis detinebar & ſoluit me Dominus. In accuſationibus Aegyptiorum, ipſe cauſam meam egit, & liberauit ab inuidia & dolo & exaltauit me, ita quod etiam Phocimar princeps coquorū Pharaonis credidit mihi domum ſuam. Et periclitatus de vita mea propter mulierem inuerecundam, ſolicitantem, vt iniqua agerem cum ipſa, flamma libidinis æſtuante circa pectus illius, in carcerem coniectus ſum, verberibus cæſus & ſubſannatus. Fecit autem Dominus vt miſericordia commotus ſit erga me cuſtos carceris. Non enim derelinquit timētes ſe, non in tenebris, nec in vinculis, nec in vllis tribulationibus vel neceſſitatibus. Nō enim vt homo confunditur Deus, neque vt filius hominis formidat, neq; vt terrenus pauore cōcutitur vel repellitur. In omnibus verò locis preſens eſt, & in grauiſſimis malis conſolatur ſuos. In breui recedens ad probandum animi conſilia. In decem tētationibus

A probatum me deprehendit, & in omnibus longanimis fui, quoniam magna medicina eſt lōganimitas, & multa bona dat ſuſtinentia. Quoties Aegyptia minata eſt mihi mortē? quoties pœnis tradens reuocauit me mulier? quoties mortem minata cum recuſarem rem habere cum ea? Dicebat autem mihi: Dominaberis mihi & omnibus quæ mea ſunt ſi tradideris teipſum mihi atque geſſeris morem mihi, & eris dominator noſtri. Ego vero recordatus ſum ſermonum patris mei Iacob, & ingrediens in thalamū adoraui Dominum & ieiunaui ſeptem annis, apparui autē Aegyptio ea corporis habitudine quaſi qui in delitiis vixiſſet, quoniā propter Deum ieiunantes faciei gratiam accipiunt. Cúmque dabatur mihi vinum, non bibebam. Et in triduano ieiunio accipiebam meam diætam, & tribui eam egentibus & infirmis. Et manè euigilaui ad Dominum, & fleui pro Memphitica Aegyptia, quoniam multum & indeſinenter moleſta erat mihi. Noctu enim venit ad me quaſi quæ me inuiſere vellet, & primo quidē quoniam filius maſculus nō erat ei, fingebat habere me vt filium. Et oraui ad Dominum vt daret illi marem. Per hoc tempus autem vt filium me amplexa eſt, & ego ignorabam. Deniq; me ad fornicationem attrahebat, & intelligens triſtatus ſum vſque ad mortē, & exeunte ipſa redij ad me ipſum, & triſtabar illius cauſa per dies multos quoniā cognoui dolum eius & errorem. Et dicebam ei verba altiſſimi ſi fortè auerteretur à concupiſcentia ſua pernicioſa. Multoties vt ſancto viro, in verbis blādita eſt mihi non ſine dolo laudans caſtitatem meā coram marito qui penitus extinguere me volebat. In manifeſto & abſcondito dixit mihi: Ne timeas tibi à viro meo, etenim perſuaſum eſt ei de caſtitate tua, quoniā & ſi dixerit aliquis ei de nobis, nō crederet. Propter hæc omnia in terra iacebā ego indutus ſacco, & deprecabar Dominū vt liberaret me Dominus ab Aegyptia. Vbi verò nihil potuit efficere hac via, venit denuo aliis inſtructa rationibus videlicet vt diſceret verbum Dei ex me, atque in hunc modū cœpit loqui: Si vis vt relinquam idola obtempera mihi, & Aegyptium perſuadebo recedere ab idolis, & in lege Domini Dei tui ambulabimus. His ergo reſpondi: In immunditia non vult Dominus eſſe venerantes ipſum, neque in adulteriis beneplacitū eſt ei. Et illa ſiluit deſiderans explere concupiſcentiam ſuam. Et ego apponebam orationem & ieiunium vt liberaret me Dominus ab ipſa. Rurſus verò alio tempore dicit mihi: Si adulterare nō vis, ego occidam Aegyptium, & ea lege accipiam te in virū. Ego autem vt audiui, ſcidi ſtolam meam, & dicebam: Mulier, pudeat te quæſo horum coram Deo, & time Dominum, neque facias tam pernicioſam rem, neque deſperes omnino vt teipſam deuoueas malo. Nam ſi pergas, ego proferā cogitationes impietatis tuæ. Timēs igitur illa, rogabat vt nulli annunciarem maliciā eius, & receſſit. Iā verò tentabat reducere donis, mittens mihi omnia quæ ſunt in vſum filiorum hominū, & miſit mihi cibum incātatione conſperſum. Et vt venit eunuchus ferēs ipsū, reſpexi, & vidi virū terribilem tradētem mihi cum diſco gladium. Et intellexi, quoniā inſidias ſtruerēt animæ meæ, & exeunte illo flebā, neque illum neq; alium aliquandiu ciborum ipſius guſtans. Poſt vnū

Ieiunium Ioſeph.

Aegyptiæ Lenocinia.

ergo diem, ipsa veniēs ad me, inquit: Quid hoc est, quoniam non comedisti de cibo? Et dicebam ad eā, quoniam implesti illum morte, scias autem quoniā non appropinquo idolis sed Domino soli. Nunc igitur cognosce quoniam Deus patris mei per Angelum reuelauit mihi maliciam tuam, & seruaui cibum in redargutionem tui si fortè videns illum pœniteas, aut discas quoniam his qui in castitate Dominum venerantur nō prævalet malicia impiè agētium. Et accipiens coram ipsa comedi dicens: Deus patrum meorum & Angelus Abraham erit mecū, Illa verò cecidit in faciem suam ad pedes meos & fleuit. Et erigēs illam multis adhortatus sum ipsam & promisit se non esse facturam posthac amplius impietatem hanc. Quoniam verò cor ipsius in me exarserat ad adulterium ingemiscens, suspiria trahens ab imo pectore deiecit vultum. Videns verò eam Aegyptius dicit ad eam. Quid concidit facies tua? Illa verò dixit, Dolore cordis ego doleo, & gemitus spiritus mei continet me, Et curabat eam nō ægrotantem. Tunc insiluit ad me adhuc foris existente viro suo, & dicit mihi: Suffocor, vel in puteū vel præcipitium proiicio meipsam nisi mihi obtemperaueris. Et intelligens quoniam spiritus Beliar ipsam conturbat, orans Dominum dixi ei: Vt quid turbaris, aut quid tumultuaris in peccatis excæcata? Recordare quoniā si occidas teipsam, Sechon concubina viri tui inuidēs tibi, colaphos infringet filiis tuis, & perdet memoriam tuam de terra. Et dicit ad me: Eia age video quod adhuc aliqua tibi mei cura relicta est, Satis habeo quod protegis vitā meam & filiorum meorum, bona me spes habet futurū vt potiar desiderio meo. Et non cognouit quoniam propter Deum meum dixi ita, & non propter ipsam. Si enim aliquis passioni succumbat desiderij pernitiosi, huic seruus efficietur, vt & illa. Et si bonum aliquid audierit in passione qua vincitur, accipit illud ad desiderium pernicioſum. Dico vobis filij, quoniam hora erat quasi sexta, quando exiuit à me, & ego genuflectens oraui ad Dominū per totum diem & totam noctem coniungens. Circa diluculum surrexi lachrymans vt liberaretur tandē Aegyptia. In fine igitur apprehendit mea vestimenta violenter attrahens me ad cōcubitum. Vt igitur vidi, quoniam insaniret violentia, ac vi teneret vestimenta mea, nudus effugi. Illa vero calumniata est me apud virum suum, qui misit me in carcerem qui erat in domo regis. Sequenti die, vbi flagris probè cæsus fueram, rursus coniectus sum in carcerē. Et cum vinctus iacerem in compedibus, Aegyptia infirmata est nimio dolore, & auscultabat qualiter laudarem Dominum existens in domo tenebrarū. Ego autem hilari voce gaudens, glorificaui Deum meum solum, quod per hanc occasionē amouebar ab Aegyptia, ipsa tamen non destitit instare ac dicere: Age accipe cōditionem quam offero tibi, ac imple desiderium meum, & liberabo te à vinculis, & eripiā te ex tenebris. Verū vsque adeo nihil potuit persuadere mihi, vt ne cogitatione quidem in vota eius fuerim inclinatus. Diligit enim Deus magis eū qui in lacu tenebrarum ieiunat in castitate, quàm eum qui in thalamis deliciatur cū luxuria. Qui autem in castitate viuit, & vult gloriam, & si nouerit altissimus quod expediat, tribuit ei & hoc quemadmodum & mihi. Multoties infirmata descendit ad me immaturè, & audiuit vocē mei orantis & acrius instabat. Intelligens verò ego suspiria eius, silui. Et enim quum erā in domo eius, nudauit brachia sua, pectora & tibias quò me in amorem sui accēderet, nimis enim erat pulchra, maximéque ornata vt me deciperet, sed Dominus custodiuit me ab operationibus ipsius. Videte igitur filij mei quanta operatur sustinentia & oratio cum ieiunio. Et vos igitur si sobrietatem & castitatem dilexeritis in sustinentia & humilitate cordis, Dominus habitabit in vobis quoniam dilexit sobrietatem. Vbi verò habitat altissimus, & si incidat in inuidiam vel seruitutem vel calumniam, Dominus qui in ipso habitat, non solum propter castitatem hunc à malis liberat, sed exaltat quoque, & glorificat ipsum sicut & me. Omnino enim hic vel in opere, vel in verbo, vel in cogitatione continetur. Cognouerunt fratres mei qualiter dilexit me pater meus & non exaltatus sum in corde meo, quamuis puer existens habebam timorem Dei in mente mea. Senui & moderabar meipsum, & honorabam fratres meos quos timebam. Silui venditus, vt non dicerem Ismaelitis genus meum, quoniā filius eram Iacob viri magni & potentis. Et vos igitur habete in actu vestro Dei timorem, & honorate fratres vestros. Omnis enim qui facit legem Domini, diligetur ab ipso. Veniens enim ad Indoculpitas cum Ismaelitis interrogabant me, & ego dicebam, quoniam seruus ipsorū sum ex domo, vt non confunderem fratres meos. Dicit autem maior eorum: Non es seruus, quoniam & aspectus tuus ostēdit de te, & minatus est mihi vsque ad mortem. Ego verò dicebam quoniā seruus ipsorum sum. Vt autem venimus in Ægyptum, de me certabant quis ad thesaurū acciperet me, & placuit omnibus vt essem in Aegypto apud negociatorē negociationis ipsorum vsquequo reuerterētur ferentes negociationem, & Dominus dedit mihi gratiā in oculis negociatoris & credidit mihi domum suam, & benedixit eū Dominus in manu mea. Et dedit Dominus ei copiam argenti & auri. Et eram cum ipso mēsibus tribus & diebus 5. Hoc tempore transiuit Memphitica mulier Pethefri in gloria multa, & iniecit super me oculos suos quoniā dixerant ei eunuchi de me, & dicit viro suo de negociatore quoniam ditatus esset in manu iuuenis cuiusdā Hebræi, & dicebāt quòd furto furati essent eū de terra Chanaan. Nunc ergo fac cum eo iudicium, & aufer iuuenem in dispensatorem tuum, & benedicet te Deus Hebræorū quoniā gratia ex cœlo est in ipso. Pethefris verò persuasus verbis ipsius, iussit adduci negotiatorē, & dicit ei: Quid hic audio quoniam furaris animas ex terra Hebræorum in pueris vendendis? Cadens igitur negociator in faciem suā, rogabat dicens: Rogo te Domine non noui quod dicis. Ille verò dicit, Vnde igitur tibi iste Hebræus? Et dixit, Ismaelitæ cōmendauerunt mihi ipsum vsquequo reuertantur. Et nō credidit ei, & iussit flagellari ipsum. Sustinēte verò eo, dicit Pethefris: Adducatur iuuenis, & inductus adoraui principē eunuchorū. Tertius enim erat in dignitate apud Pharaonem princeps omniū eunuchorum habens vxorem & filios & concubinas. Et cū me seorsum duxisset dixit mihi: Seruus es vel liber? Et dicebam: Seruus. Et dicit ad me: Cuius es seruus?

seruus. Et dico ei: Ismaelitarum. Et rursus dixit mihi: Qualiter ipsorum effectus es seruus? Et dicebã: Quoniam ex terra Chanaan emerunt me. Ille verò non credidit dicens: Sanè mentiris. Et nudum iussit me flagellari. Memphitica verò vidit per fenestram flagellatum me, & mittit ad virum suum dicens: Iniustum est iudicium tuum, quoniam & furatum liberum punis & iuste agentem. Vbi autem non mutaui verba, denuò flagellatum iussit custodiri me, vsquequo veniant (ait) Domini pueri. Et vxor eius dicit ad eũ: Propter quid detines captiuũ & nobilem puerum, quoniam oportuit magis dimitti eum atque te flagellari? Voluit enim me videre in desiderio peccati, & ignorabam de omnibus his. Ille verò dixit ad Memphiticam: Nõ est honestum apud Ægyptios ante ostensionẽ auferri aliena, hoc dixit de negociatore & de me quãdo debui inclusus teneri. Post viginti verò & quatuor dies venerunt Ismaelitæ, & audientes quoniam Iacob pater meus tristatur de me, dixerunt ad me: Quid est quod dixisti teipsum seruum esse, & ecce cognouimus quoniam es filius viri magni in terra Chanaan & tristatur pater tuus in sacco. Et rursus volui lachrymari & continui meipsum vt non confunderem fratres meos. Et dixi ego: Istud nõ noui, seruus sum. Tunc inibant consilium quo me venderent ne inuenirer in manibus eorum. Timuerunt enim Iacob ne vlciscereturse de ipsis. Auditum est enim quod esset magnus apud Deum & homines. Tunc dicit negociator eis: Redimite eum nunc à iudicio Pethefri. Audientes igitur petebant me, dicentes: Quoniam argento emptus est à nobis, & ille absoluit me, Memphitica verò ostendit viro suo vt emeret me: Audio enim (ait) quoniam vendunt eum. Et misit eunuchum ad Ismaelitas qui petiit me in venditionem, & non volens facere cum eis reuersus est. Eunuchus verò cum tentasset, ostendit dominæ quoniam ingens petiuerint precium pueri. Illa verò misit alterum eunuchum dicens: Et si duas minas auri petiuerint, vide ne parcas auro, tantum emas puerum & duc ad me: Ille verò dedit octoginta aureos pro me: centum dicens Aegyptiæ datos esse pro me. Et videns ego silui vt non exquireretur eunuchus. Videte filij quanta sustinui, diligite adinuicem, & in longanimitate eiicite adinuicẽ ex animo simultates. Delectatur enim Deus concordia fratrum, & in electione cordis probati in dilectione. Quando autem venerunt fratres mei in Aegyptum & cognouerunt me, reddidi argentum eis, & non exprobraui quicquam illis, sed & consolatus sum eos. Et post mortem Iacob abundantius dilexi eos, & omnia quæcunque iussit feci ex abũdanti. Et admirabantur, Non enim dimisi eos tribulari vsque ad paruam rem. Et omne quod erat in manu mea eis dedi, filij eorum filij mei apud me habiti sunt. Et filij mei vt serui eorum, Anima eorum anima mea, & omnis dolor meus, & omnis infirmitas eorum, infirmitas mea. Terra mea terra eorum, consilium meum, consilium eorum. Et non exaltaui meipsum in eis in superbia propter mundanam gloriam meam. Sed eram in eis sicut vnus minimorum. Sic igitur & vos ambuletis in mãdatis Domini filij mei, exaltabit & vos Dominus, & benedicet vobis in bonis perpetuò. Et si voluerit quis malè facere vobis, vos in benignitate orate pro eo, & ab omni malo liberamini per Dominum. Ecce enim videtis, quoniam propter longanimitatem filiã dominorum meorum accepi in vxorem, & centũ talenta auri mihi data sunt cum ea. Quoniã eos Deus mihi seruire fecit, & pulchritudinem dedit mihi vt quasi flos super pulchros forem in Israël. Et custodiuit me vsque ad senectutem in virtute & pulchritudine quoniam ego similis in omnibus Iacob extiteram. Audite filij mei & quæ vidi somnia. Duodecim cerui pascebantur, & nouem diuisi sunt & dispersi in terra. Similiter & tres vidi quoniam ex Iuda nata est virgo, habens stolam byssinam, & ex ipsa prodiit agnus immaculatus. Et à sinistris eius agni vt leo, & omnes bestiæ impetum fecerunt aduersus eum. Et vicit eas agnus, & perdidit in conculcationem, & gaudebãt in eo Angeli & homines & omnis terra. Hæc autem fient in tempore suo in vltimis diebus. Vos igitur filij mei custodite mandata Domini: & honorate Iudam & Leui, quoniam ex ipsis orietur vobis Agnus Dei, gratia saluans omnes Gentes & Israel. Regnum enim eius regnum æternum, quod non præteribit. Meum enim regnũ in vobis consummatur vt pomorum custodia, quoniam post messem non apparebit. Noui quoniam post mortem meam Aegyptij tribulabunt vos, sed Deus faciet vltionem vestram. Et inducet vos in repromissionem patrum vestrorum. Sed comportate ossa mea vobiscũ, quoniam si reduxeritis ossa mea, Dominus in luce erit vobiscum contra Aegyptios. Et Beliar in tenebris erit cum Aegyptiis. Et Zelphã matrem vestram reducite, & prope Ballam iuxta Hypodromum proximam Rachel ponentes eam. Et hæc dicens, extendens pedes suos dormiuit somnum sæcularem. Et planxerunt eum omnis Israel & omnis Aegyptus planctu magno. Etenim & Aegyptiis vt propriis membris compassus est, & benefecit omni tempore consilio & re assistens.

Leui & Iudas honorandi.

Ossa Ioseph. Somnus secularis.

Testamentum Beniamin, de mente munda. XII.

TRanscriptum verborum Beniamin quæ disposuit filiis suis viuens annos centum viginti. Et osculans eos dicit: Sicut Isaac centesimo anno natus est Abraham, ita & ego Iacob. Quia igitur Rachel mortua est cùm pareret, lac non habui, Ballam igitur ancillam eius suxi. Rachel postquàm enim peperit Ioseph duodecim annis sterilis fuit. Et orauit Dominum cum ieiunio duodecim annis, & cõcipiens peperit me, valde enim pater meus dilexit Rachel, Et optauit duos filios videre ex ipsa, propter hoc vocatus sũ filius dierũ vel luctus quia mater in partu mortua est, quod est Beniamin. Quãdo igitur intraui in Aegyptũ & recognouit me frater meus Ioseph dixit mihi. Quid dixerunt patri meo quando vendiderunt me? Et dicebam ei, Quoniam conspersérunt tunicam tuam sanguine, & mittẽtes dixerunt: Cognosce si tunica filij tui est ista: Et dicit mihi etiam frater: Etenim quando accipiebant me Ismaelitæ, vnus ex eis exuens me tunicã, dedit mihi perizoma. Et flagellãs me dixit vt currerẽ. Cũ verò abiret ipse vt absconderet vestimentum meũ obuiauit ei leo & occidit eum. Et ita participes timentes vẽdunt me sociis tuis. Et vos igitur filij mei diligite dominum Deum cœli, & audite mandata eius imitantes bonum & sanctum virum Ioseph. Et

sit mens vestra in bonum, vt & me nostis. Qui habet mentem bonam, omnia respicit rectè. Timete Deum & diligite proximum. Et si spiritus Beliar in omnem malitiam tribulationis sollicitauerit vos, non dominabitur in vobis malitia tribulationis, sicut nec Ioseph fratri meo. Quot homines voluerũt occidere eum, & Deus protexit? Qui enim timet Deum, & diligit proximum suum, ab aëreo spiritu Beliar non potest vulnerari. Et protectus timore Domini, & ab insidiis hominum & bestiarum non potest subiugari adiutus à Domini dilectione quã habet erga proximum. Etenim deprecatus est patrem nostrum Iacob vt oraret pro fratribus nostris, & non imputaret eis Dominus si quid excogitauerunt pernicioſum de ipso. Et ita clamauit Iacob. O fili Ioseph vicisti viscera patris tui. Et amplexans eum, per duas horas osculabatur eum, dicens: Adimplebitur in te Prophetia cœli de agno Dei & saluatore mundi, quoniam immaculatus pro iniquis tradetur. Et qui sine peccato est, pro impiis morietur in sanguine Testamenti, in salutem Gentium & Israël, & euacuabit Beliar & ministrantes ei. Videte filij, boni viri finem, imitamini in bona mente misericordiã ipsius vt & vos coronis gloriæ induamini: bonus homo non habet tenebrosum oculum miseretur enim omnibus etiamsi sint peccatores & inierint consilia de ipso mala. Nam qui benefacit, vincit malum protectus à bono. Iustos autem diligit vt animam suam. Si quis glorificatur, non inuidet. Si quis ditatur, non zelat. Si quis fortis est: hũc laudat castum credens, laudat eum, qui habet timorem Dei. Diligenti Deum cooperatur. Reprobantem altissimum admonet vt conuertatur. Et habẽtem gratiam spiritus boni diligit secundum animã suam. Pauperi miseretur: infirmo compatitur. Deũ laudat & veneratur. Si habeatis bonam mentem filij, & mali homines pacificabuntur vobis, & luxurioſi erubescentes vos, conuertentur in bonum. Et auari non solum recedent à passione, sed quæ superabundant dabunt tribulatis. Si sitis benefacientes, & immundi spiritus fugient à vobis & ipsæ malæ bestiæ fugient à vobis timentes, Vbi enim est timor bonorum operum in mente, tenebræ fugiũt ab eo. Si enim iniurietur quis viro sancto, pœnitet. Miseretur enim sanctus iniuriantis & silet. Et si quis animam iustam tradat, & iustus orauerit, nonnihil humiliatur is qui facit iniuriam, & postea multò clarior apparet qualis etiam factus est Ioseph frater meus. Consilium boni viri non est in manu spiritus erroris Beliar. Angelus enim pacis ducit animã ipsius. Non aspicit in passionibus corruptibilia, neq; congregat diuitias in desideriis voluptatis. Nõ delectatur voluptate, non contristat proximum, non impletur cibo, non errat fastu oculorum. Dominus enim pars est eius. Propter bonum consilium non recipit gloriam, inhonorationem hominum non curat, & omnem dolum vel mendacium, pugnam vel contumeliam non nouit. Dominus enim in eo habitat, & illuminat animam eius & gaudet coram omnibus in omni tempore. Bona mens non habet duas linguas, benedictionis & maledictionis, iniuriæ & honoris, tristitiæ & gaudij, quietis & turbationis, simulationis & veritatis, inopiæ & diuitiarũ. Sed vnam habet circa omnes synceram & puram dispositionem. Non habet visum neque auditum duplicem: in omni enim quod facit vel loquitur vel videt, nouit quoniam Dominus visitat animã eius, & purgat mentem eius vt non reprehendatur à Deo & hominibus. Sed omne opus Beliar duplex est, neq; habet simpliciratem. Propter hoc filij mei fugite maliciam Beliar, quoniam gaudium dat obedientibus ei, gladius autem septem malorum mater est. Primum concipit mens per Beliar. Est autem primum inuidia, secundum perditio, tertium tribulatio, quartum captiuitas, quintum indigentia, sextum turbatio, septimum desolatio, propter quod & Cain septem vindictis trahitur à Deo. Nam secundum septem annos vnam plagam induxit ei Dominus. Ducentis annis patitur & nonagesimo anno desolatur in diluuio propter Abel iustum fratrem eius. In septingentis annis Cain iudicatur, Lamech verò in septuagies septem, quoniam vsque in sæculum assimilati Cain in inuidia, in odium fraternum eadem punitione vindicabuntur. Et vos igitur filij mei fugite malitiam inuidiámque & odium fraternum, & adhærete bonitati & dilectioni. Qui habet mentem puram in dilectione, non videt mulierem in fornicationem. Nõ enim habet inquinationem in corde, quoniã requiescit in eo spiritus Domini. Quemadmodum enim Sol nõ inquinatur attingẽs gurgitem vel stercus, sed magis siccat & abigit fœtorem: ita & pura mens in inquinationibus terræ contendit vt magis ædificet, ipsa verò non inquinatur. Intelligo autem ex sermonibus Enoch iusti & actus in vobis malos fore. Fornicabimini enim fornicatione Sodomorũ & peribitis vsque ad paucos, & renouabitis in mulieribus motus inordinatos & regnum Domini non erit in vobis quoniam confestim ipse accipiet illud. Veruntamẽ in parte nostra fiet templum Dei & glorioſum erit in vobis. Quoniam ipse Dominus accipiet regnum & duodecim tribus illic congregabuntur, & omnes Gẽtes vsque quo altissimus mittat salutare suũ in visitatione vnigeniti. Et ingredietur in primum tẽplum, & illic Dominus iniuriam patietur & contemnetur, & in ligno exaltabitur. Et erit velum templi sciſſum & descendet spiritus Domini super Gentes, vt ignis effusus. Et ascendens ex inferno ascendet à terra in cœlum. Recordabitur quàm fuerit humilis in terra & quàm glorioſus in cœlo. Quando autẽ Ioseph erat in Ægypto, desiderabam videre speciem eius, & formã aspectus eius. Et per orationes Iacob patris mei vidi eum in die vigilans, secundũ quod erat omnis species eius. Cognoscite igitur filij mei quoniam nunc morior. Facite igitur veritatem & iustitiam vnusquisque cum proximo suo, iudicium & fidei operationẽ & legem Domini & mandata eius custodite, hoc enim vos pro omni hæreditate doceo, Et vos igitur date hæc filiis vestris in possessionẽ sempiternam. Hoc enim fecerunt Abrahã, Isaac & Iacob, omnia hæc dederunt nobis in hæreditatẽ, dicentes: Custodite mãdata Dei vsquequo reuelet Dominus salutare suum omnibus Gentibus. Tunc videbitis Enoch, Noe, Sem, Abraham, Isaac & Iacob resurgentes à dextris in exultatione. Tunc nos resurgemus vnusquisque in sceptrum nostrum adorantes Regem cœlorũ qui in terra apparuit in forma humanæ humilitatis. Et quotquot crediderunt ei in

Boni viri officia.

Vltio Cain

Sermones Enoch.

Dominus crucifigendus.

Resurrectio futura

769

ei in terra, congaudebunt ei tunc. Et omnes hi qui-
dem resurgent in gloriam, isti vero in ignominiam.
Et iudicabit Dominus in primis Israel de ea, quæ
in ipsum, iniustitia.

Iudicium extremũ. Quoniam in aduenientem Deũ in carne liberato-
rẽ non crediderunt, Et tunc iudicabit omnes Gen-
tes quotquot nõ crediderũt ei in terra apparẽti. Et
arguet in electis Gentiũ Israel, quemadmodum re-
darguit Esau in Madmeis seducẽtibus fratres ipsius
per fornicationẽ & idololatriã. Et abalienati sunt à
Deo, excidentes ab hæreditate filiorum qui non ti-
ment Deum. Vos autem si ambuletis in sanctifica-
tione secundum faciẽ Domini, rursus habitabitis in
spe in me. Et congregabitur omnis Israel ad Domi-
num, & non amplius vocabor lupus rapax propter
rapinas vestras, sed operator Domini, tribuens cibũ
operãtibus bonum. Et suscitabitur ex semine meo
in extremis dilectus Domini audiens in terra vocẽ
eius, cognitionẽ nouam, illuminans omnes Gentes
A lux cognitionis, ascendens Israeli in salutem. Et ra-
piẽs vt lupus ab ipsis, & dans synagogæ Gentiũ, &
vsque in cõsummationem sæculorum erit in syna-
gogis Gentiũ. Et in principibus earum sicut musicũ
melos in ore omniũ. Et in libris sanctis erit inscri-
ptus, opus & sermo eius. Et erit electus Dei vsq; in
sæculũ, & propter ipsum instruxit me Iacob pater
meus, dicẽs: Ipse replebit defectus tribus tuæ. Et vt
impleuit sermones suos, dixit: Mãdo vobis filij mei,
referte ossa mea ex Ægypto, & sepelite me in He-
brõ prope patres meos. Et mortuus Beniamin cen-
tũ viginti annorũ & quinq; in senectute bona, & po
suerunt eũ in theca. Et in nonagesimo primo anno
ante exitum filiorũ Israel ex Ægypto ipsi & fratres
eorum reduxerũt ossa patrum suorũ in abscondito
in locum dictum Chanaã. Et sepelierũt eum in He
bron, iuxta pedes patrum suorum. Et ipsi reuersi
sunt ex terra Chanaã, & habitauerunt in Ægypto
B vsque ad diem exitus eorum de terra Ægypti.

EX LVDOVICI HILLESSEMII, ANDERNACI PRÆFATIONE IN [redacted]I SIXTI SENTENTIAS, ad Gregorium XIII. Pontific. Maxim.

QVIS harum sententiarum autor sit, incertum: Versæ è Græco à Ruffino sunt. Is Sixto Pontifici Romano, Martyri adscribit. Idem initio, Augustino, cum aduersus Pelagium scriberet, visum. Sed is lib. Retractationum 2. cap. 42. eas philosophi cuiusdam Xisti esse, lectum à se ait.

Seu Sexti Pythagorici philosophi Ethnici &c.

SIXTI [redacted]. EX PHILOSOPHIO POST. MARTYRIS, SENTENTIÆ INTERPRETE RVFFINO.

Liberius scatet erroribus pessimum aũt cauendæ Sententiæ. 7. 120. 124. 125. 184. 194. 200. 248. 252. 263. 287. 299. 336. 342. 343. 393. 396. 409.

IDELIS homo, electus homo est.
2 Electus homo, homo Dei est.
3 Homo Dei est, qui Deo dignus est.
4 Deo dignus est, qui nihil indignè agit. 5 Dubius in fide, infidelis est. 6 Infidelis homo, mortuus est corpore viuente. 7 Verè fidelis est, qui non peccat, atque etiam in minimis cautè agit. 8 Non est minimum in humana vita, negligere minima. 9 Omne peccatum impietatem puta. Non enim manus, vel oculus peccat, vel aliquod huiusmodi membrum: Sed male vti manu vel oculo, peccatum est. 10 Omne membrum corporis, quod inuitat te contra pudicitiam agere, abiiciẽdum est. Melius est vno membro viuere, quàm cum duobus puniri. 11 Immortales crede te manere in iudicio honores & pœnas. 12 Si quæcũq; in hoc mundo habes aliquis auferat tibi, ne indigneris. 13 Inculpatus esto. 14 Omnia auferẽti à te cede, præfer libertatem. 15 Sapiẽs vir, & pecuniæ cõtemptor, similis est Deo. 16 Rebus mundanis in causis tãtum necessariis vtere. 17 Quæ mundi sunt, mundo: & quæ Dei sunt, reddantur Deo. 18 Certus esto, quòd animam tuam fidele depositum acceperis à Deo. 19 Cum loqueris Deo, scito quòd iudiceris à Deo. 20 Optimam purificationem putato, nocere nemini. 21 Anima purificatur Dei verbo per sapientiam. 22 Non putes Dei sapientiam insensibilem esse. 23 Deus sicut mens est, quæ mouetur. Sponte secũdum hæc & subsistit. 24 Magnitudinem Dei nõ inuenies, etiam si pennis volare possis. 25 Nomen Dei ne quæras, quia non inuenies: nam omne quod nomine appellatur, à digniore nomẽ accipit, vt aliquis quidem vocet, alius autem audiat. Quis ergo est, qui nomen imposuit Deo? Deus autem non nomẽ est Deo, sed indicium quod sentimus de Deo. 26 Nihil ergo de Deo, quod non licet quæras. 27 Deus sapiens lux est, non capax contrarij. 28 Quæcunque fecit Deus, pro hominibus ea fecit. 29 Angelus minister est Dei ad hominem. 30 Tam prętiosus est homo apud Deum, quàm Angelus. 31 Primus beneficus est Deus: Secundus est is, qui beneficij eius fit particeps homo. Viue igitur ita, tanquam qui sis secũdus post Deum, & electus ab eo. 32 Habes inquã, in te aliquid simile Dei, & ideo vtere teipso velut templo Dei, propter illud quod in te simile est Dei. 33 Reuereatur vitam tuam mundus. Nihil admittas quod tibi inuehat notam. 34 Male viuẽtes cùm è corpore excesserint, cruciabit malus dæmõ: vsque quo etiam nouissimum quadrantem exigat ab eis. 35 Beatus vir cuius animam nemo reprehendit ad Deum euntem. 36 Deum ergo honora super omnia vt ipse dominetur tibi. 37 Quicquid super omnia honoraueris, hoc tibi dominabitur. Si autem dominatum tui gerit Deus, ita tu demum dominaberis omnibus. 38 Honor summus Deo, scire eum & imitari. 39 Simile quidẽ Deo per omnia nihil est, grata tamẽ ei est inferioris quantũ possibile est imitatio. 40 Templum Sanctum est Deo, mẽs pij, & altare est optimum ei, cor mundum, & sine peccato. 41 Hostia soli Deo acceptabilis, benefacere hominibus pro Deo. 42 Deo gratiã præstat homo, qui quãtum possibile est viuit secundum Deum. 43 Deus quidem nullius eget, fidelis autem Dei solius: æmulatur ergo illum qui nullius eget, is qui paucis in

rebus neceſſariis indiget. 44 Satage magnus quidem eſſe apud Deum, apud homines verò inuidiam fuge. 45 Si benignus ſis erga indigentes, magnus eris apud Deum. 46 Sapiens vir, cuius viuentis quidem parua eſt apud homines opinio, defuncti vero gloria prædicatur. 47 Omne tempus, quo de Deo non cogitas, hoc puta te perdidiſſe. 48 Corpus quidem tuum incedat in terra, anima autē ſempersit apud Deum. 49 Intellige quæ ſint bona, vt benè agas. 50 Bona cogitatio hominis Deum non latet, & ideo cogitatio tua pura ſit ab omni malo. 51 Dignus eſto eo, qui te dignatus eſt filium dicere, & agere omnia vt filius Dei. 52 Quod Deum patrem B vocas, huius in actionibus tuis memor eſto. 53 Vir caſtus & ſine peccato, poteſtatem accepit à Deo eſſe filius Dei. 54 Bona mens, chorus eſt Dei. 55 Mala mens, chorus eſt dæmonum malorum. 56 Iniuſtum ſi inhibeas agere iniuſtè, hoc eſt ſecundum Deum punire. 57 Satage nō videri, ſed eſſe iuſtus. Certum eſt enim, nō eſſe cum, qui videri vult eſſe. 58 Honora quod iuſtū eſt, propter hoc ipſum quod iuſtum eſt. 59 Nequaquam latebis Deum agens iniuſtè, ſed nec cogitans quidem. 60 Vir ſapiens caſtus erit Deo. 61 Omnem ſpurcitiem fuge. 62 Semper de bonis loqui ſtude. 63 Libidinem vince, C continens corpus in omnibus, quia ex delitiis & voluptatibus non effugies ſpurcitiem. 64 Voluptuoſum Deus non exaudit. 65 Delitiarum finis corruptio. 66 Nō verbum, ſed ratio præcedat actus tuos. 67 Pernicioſum eſt ſeruire vitijs, quia quot vitia habet anima, tot & dominos. 68 Amor pecuniæ amorem carnalium indicat. 69 Acquire poſſeſſionē animæ firmam virtutem. Quid eſt firma poſſeſſio, niſi virtus aut vis animæ? 70 Renuncia rebus corporis, dum adhuc potes, & quantum potes. 71 Hoc ſolum tuum ducito quod bonum eſt. 72 Qualis vis eſſe dum Deum oras, talis ſemper eſto. 73 Dum D optima quæque abieceris prædia: tunc purificatus pete quod vis à Deo. 74 Lingua maliloqua indiciū eſt mentis malæ. 75 Inſueſce linguam tuam benè proloqui, & maximè cùm de Deo fit ſermo. 76 Nocere Deo nemo poteſt. 77 Impius, in Deum maledicus, & infeſtus, & contumelioſus eſt. 78 Fundamentum pietatis eſt continentia: Culmen autem pietatis amor Dei.

79 Pium hominem habeto tanquam teipſum. 80 Opta tibi euenire non quod vis, ſed quod expedit. 81 Qualem vis eſſe proximum tuum tibi, talis eſto & tu tuis proximis. 82 Quæ culpes facere noli. 83 Nulli ſuadenti acquieſcas petere, quod non eſt bonum. 84 Quod Deus tibi dat, nullus auferre poteſt. 85 Delibera priuſquā agas, & antequā agas, prouide, quale ſit quod facturus es. 86 Si quid non vis E ſcire Deū, iſtud nec agas, nec cogites. 87 Priuſquā agas quodcunque agis, cogita Deum, vt lux eius præcedat actus tuos. 88 Grādis impietas in Deum, affligere hominem. 89 Anima illuſtratur recordatione dei. 90 Contentus eſſe mediocrib. ſtudere. 91 Noli omnia concupiſcere. 92 Occaſiones donorū perquire etiam cum labore. 93 Noli diligere ea quę corporis ſunt. 94 Immundum hominem facit actº turpis. 95 Purgatur anima inſipiētis, cum arguitur intrinſecus latens ſenſus eius. 96 Deus in bonis actibus hominibus dux eſt. 97 Neminem inimicum A deputes. 98 Dilige omne quod eiuſdem tecum naturæ eſt, Deum verò plus quam animam dilige. 99 Peſſimum eſt peccatoribus, in vnum conuenire cū peccant. 100 Multi cibi impediunt caſtitatem, & incontinentia ciborum immundum facit hominē. 101 Animantium omnium vſus quidem in cibis indifferens, abſtinere verò rationabilius eſt. 102 Non cibi qui per os iuferuntur polluunt hominem, ſed ea quæ ex malis actibus proferuntur. 103 Quicquid cupiditate victus acceperis polluit. 104 Multitudini placere ne ſatagas. 105 In omni quod benè agis, autorem eſſe deputa Deum. 106 Mali nullius autor eſt Deus. 107 Nō amplius poſſideas quā vſus corporis poſcit. 108 Aurū non eripit animam è malis. 109 In delitiis corporis poſitus, certum eſt quòd ignores illa, quæ præparata ſint tibi à Deo. 110 Ea poſſide quæ nullus poſſit auferre à te. 111 Fer quod neceſſe eſt, ſicut neceſſe eſt. 112 Magnanimus eſſe ſtude. 113 Ea quæ contemnes ſi rectè laudaris, ne retineas. In quibus probabiliter magnificus eris, hæc obtine. 114 Hæc poſce à Deo quæ dignum eſt præſtare Deum. 115 Ratio quæ in te eſt, vitæ tuæ lux eſt. 116 Ea pete à Deo, quæ accipere ab homine non potes. 117 In quibus præcedere debet labor, C hæc tibi opta euenire poſt laborem.

118 Oratio vel vota pigri ſermo vanus. 119 Non oportet contemnere ea, quibus etiam poſt diſpoſitionem corporis egemus. 120 Non petas à Deo id, quod cum habueris non perpetuò obtinebis. 121 Inſueſce animam tuam aliquid magnum de ſe ſentire poſt Deum. 122 Nil prætioſum ducas, quod auferre à te poſſit homo malus. 123 Hoc ſolum bonum putato, quod Deo dignum eſt. 124 Quod Deo dignum eſt, hoc & viro bono. 125 Quicquid non conuenit ad beatitudinem Dei, non cōueniat homini Dei. 126 Ea debes velle, quæ & Deus vult. 127 Filius Dei eſt, qui hæc ſola prætioſa ducit, quæ & Deus. 128 Donec in deſideriis eſt caro, anima ignorat Deum. 129 Cupiditas poſſidendi origo auaritiæ eſt. 130 Ex ſui ipſius amore iniuſtitia naſcitur. 131 Corpus animæ moleſtum non natura, ſed peccatum fecit. 132 Omne quod homini plus eſt quàm neceſſe ſit, inimicū ei eſt. 133 Qui amat quod non expedit, non amabit quod expedit. 134 Sapiēs verbis innoteſcit paucis. 135 Qui ſtudet his quæ non bona, latebunt quæ ſunt bona. 136 Sempera-pud Deum mens eſt Sapientis. 137 Sapientis mentem Deus inhabitat. 138 Inexplebilis eſt omnis cupiditas, propterea & ſemper indiget. 139 Sapiens ſemper ſimilis eſt ſibi. 140 Sufficit ad beatitudinē agnitio Dei ſolius, & imitatio. 141 Malis qui adulatur, peiores eos facit. 142 Intolerabilis fit malitia cum laudatur. 143 Lingua tua ſenſum tuum ſequatur. 144 Melius eſt lapidem fruſtra iactare, quā verbum. Delibera antequam dicas, ne quæ nō expedit dicas. Verba ſine ſenſu opprobria. 145 Verboſitas non effugiet peccatum. 146 Breuis eſt in ſermonibus ſapiens. 147 Indicium imperitiæ lōga narratio. 148 Veritatem dilige. 149 Mendacio tanquam veneno vtere. 150 Ante omnia tempus verbis tuis requirito. 151 Tum loquere quando tacere nō expedit. 152 De quibus ignoras tace, de quibus autem certus es, loquere opportunè. 153 Sermo extra tempus indicium malitioſæ mentis eſt. 154 In conuētu

773

ne satagas primùm dicere. 155 Melius est vinci vera dicentem, quàm vincere mentientem. 156 Fides actus tuos omnes præcedat. 157 Sapientia animam perducit ad Deum. 158 Nihil tam vernaculũ sapientiæ, quàm veritas. 159 Nunquam potest anima bona mendacium diligere. 160 Prauo & pessimo ingenio fides aliena est. 161 Fidelis homo audire quæ oportet amat magis, quàm dicere quæ nõ oportet. 162 Vir libidinosus ad omnia inutilis est. 163 Irreprehẽsibilis in verbis vtitur Deo. 164 Peccata discẽtium opprobria sunt doctorum. 165 Mortui sunt apud Deum, per quos nomen Dei maledicitur. 166 Sapiens homo beneficus post Deum. 167 Sermones tui vitam tuam commendent auditoribus. 168 Quod fieri non decet, neque in suspicionem veniat, quasi id feceris. 169 Quod pati non vis ab alio, neque id facias. 170 Quæ tibi facere est turpe, hæc & alijs imperare facienda turpissimum est. 171 Etiam in cogitationibus tuis mundus esto à peccato. 172 Cum præes hominibus, memento quod & tibi præest Deus. 173 Vindictam exercens, scito quia & iudiceris à Deo. 174 Maius est periculum iudicantis, quam eius qui iudicatur. 175 Leuius est omne vulnus, quàm verbũ. 176 Possibile est verbo fallere homines, non autem Deum. 177 Non putes malum, si tu cum veritatem scias culparis in verbo. 178 Malè sentire de fide, amor iactantiæ facit. 179 Fidelis esse magis quàm videri studе. 180 Cole sapientem virum tanquam imaginem Dei viuentis. 181 Sapiens vir etiamsi nudus sit, sapiens apud te habeatur. 182 Neminem propterea magni æstimes, quod pecunia diuitiisque abundet. 173 Difficile est diuitem saluari. 184 Derogare viro sapienti ac Deo æquale ducito peccatum. 185 Verbum de Deo loquens depositum te putato accepisse animas. 186 Quod bonum est, hoc solum te decere puta. 187 Age magna, nõ magna pollicens. 188 Non eris sapiens, si te reputaueris sapiẽtem. 189 Non potest bene viuere, qui non integrè credit. 190 In tribulationibus quis sit fidelis agnoscitur. 191 Finem vitæ existima viuere secundum Deum. 192 Nihil putes malum, quod non sit turpe. 193 Mali finis iniuria, iniuriæ autem perditio. 194 Non dominatur mala affectio in mente fidelis. 195 Omnis mala affectio animi, rationi est inimica. 196 Quicquid feceris animo malè affecto pœnitebis. 197 Affectiones prauæ ægritudinũ initia. 198 Malitia est ægritudo animæ. 199 Animæ autem mors iniustitia & impietas. 200 Tunc te putatò fidelem, cùm passionibus animæ caueris. 201 Omnibus hominibus ita vtere, quasi communis omnium post Deum curator. 202 Qui hominib. malè vtitur, seipso malè vtitur. 203 Qui nihil mali vult, fidelis est. 204 Opta vt benè possis facere inimicis. 205 Sine Deo non poteris viuere Deo. 206 Malis ineptus videtur vir sapiens. 207 Omnia suffert pro eo, vt secundum Deum viuas. 208 Orationem Deus non exaudit hominis, qui egenum non exaudit. 209 Sapientia sapienti donum à Deo. 210 Honorans sapientem teipsum honorabis. 211 Fidelem te esse nosce. 212 Cum filium te quis Dei dicit, memento cuius te filium dicat. 213 Deum patrem inuocans in actibus hoc recordare. 214 Verba tua pietate semper plena sint. 215 In actib. tuis ante oculos pone Deũ.

A

B

C

216 Nefas est Deum patrem inuocare, & aliquid inhonestum agere. 217 Qui non diligit sapientem, nec seipsum diligit. 218 Nulla propria possessio putetur sapientis. 219 Quorum communis est Deus idémque pater, hi nisi auxilia & opem in commune conferant, impij sunt. 220 Deo ingratus est, qui non magni ducit sapientem. 221 Coniugium tibi refutare concessum est, idcirco vt viuas indesinẽter adhærens Deo. Si autem tanquam prælium sciens tamen pugnare vis, & vxorem duc, & filios procrea. 222 Adulter est in suam vxorem omnis impudicus amator ardentior. 223 Nihil propter solam libidinẽ facias. 224 Scito te adulterum esse, etiam si cogites de adulterio. Sed & de omni peccato eadem sit tibi ratio. 225 Fidelem te esse professus, spopondisti pariter non peccare Deo. 226 Fideli mulieri ornatui ducatur pudicitia. 227 Vir qui vxorem dimittit, profitetur se nec mulierem gerere. 228 Mulier pudica gloria viri est. 229 Reuerentiam habens vxori, habebis eam reuerentem. 230 Fidelium cõiugiũ certamẽ habeat continẽtiæ. 231 Vt cõtinueris ventrẽ ita & venereos motus. 232 Deuita infidelium laudes. 233 Quæ gratis accipis à Deo, præsta gratis. 234 Multitudinem fidelium non inuenies. Rarũ est enim omne quod bonum est. 235 Sapiẽtem honora post Deum. 236 Cum argueris sapientem, diliget te. 237 Qui sapienti non obtemperauerit, nec Deo obtemperabit. 238 Fidelis volẽs esse, præcipuè quidem hoc nitere, ne pecces: quod etiam si fortè acciderit, saltem caue ne iteretur idipsum. 239 Doctrinam quæ non est Deo digna ne dicas. 240 Multa velle scire, curiositas animi putanda est. 241 Qui cognoscit quæ Deo digna sunt: ille sapiens est. 242 Doctrinam ex qua proficere potes in amore Dei illam necessariò expete. 243 Sapiens vir parcit ne perdat tempus. 244 Fiduciam cum verecundia habeto. 245 Excrucient te liberi malè viuẽtes magis quàm morientes. 246 Filij infideles nec filij. 247 Fidelis vir non ægrè fert abiectionem liberorum.

D

248 Viuere quidem non est in nobis, rectè autem viuere in nobis est. 249 Non iudices esse sapientiæ studiosum, cui non de omnibus credis. 250 Criminationes aduersus sapientiæ studiosum noli admittere. 251 Stude communiter omnibus benefacere. 252 Execrabile tibi sit, etiam iustè aliquid punire. 253 Si vis cum lætitia animi viuere, noli multa agere. In multis enim actionibus minor eris. 254 Quod non posuisti ne tollas, sed sufficiant tibi quæ tua sunt. 255 Relinquens quæ possides, sequere verbum Dei. Liber enim eris ab omnibus cum Deo seruieris. 256 Cessa à cibo. 257 Ede citra sacietatem. 258 Omni homini impartito. 259 Pro reficiendo paupere etiam ieiunare bonum est. 260 Omne poculũ tibi suaue sit, quod sitim extinguit. 261 Ebrietatem quasi insaniam fuge. 262 Homo qui à ventre vincitur, beluæ similis est. 263 Ex carne nihil oritur bonum. 264 Turpissimæ libidinis ea quidem, quæ suauia sunt citò transeũt, probra verò perpetuò manent. 265 Solent homines abscindere aliqua mẽbrorum suorum pro sanitate reliquorum, quãto id præstantius pro pudicitia fiet. 266 Grandem pœnã putato cum in desideriis obtinueris, nunquã enim sedat desiderium adeptio desideratorum. 267 Nõ est sapienter factum, in quo libertas aufertur.

E

268 Bona habere omnes quidē optant, obtinēt autē qui ſemetipſos integrè verbo Dei manciparūt. 269 Sapiētiæ amator, & honeſtus eſto, & non obtrectator. 270 Rara ſit obiurgatio tua, & opportuna. 271 Nimius riſus indicium eſt animi negligentis, ne ergo tātum tibi indulgeas vt riſu diffluas. 272 Caſtorum vita ſit tibi honeſtatis exemplum. 273 Optimū quidem eſt non peccare, peccantē verò agnoſcere quàm ignorare, melius eſt. 274 Iactans non eſt ſapiens. 275 Magnam ſcito eſſe ſapientiam, per quam ferre potes ineruditorum inſipientiam. 276 Turpe ducito proprio ore laudari. 277 Sapientū animę inſatiabiles ſunt in amore Dei. 278 Exordiū in agendo à Deo ſume quæ agis. 279 Ore autem prius Deū habeto & mente quàm reſpires. 280 Ea quæ oportet diſcere & ita facere, ne coneris facere antequam diſcas. 281 Carnem noli amare. 282 Animam bonam poſt Deum dilige. 283 Domeſticorum indignationes ferre ſapientis eſt. 284 Sapientum diuitię continentia. 285 Si quid proprium alij tradideris, at ipſe nō habebis, nō iudices bonum. 286 Iuſta communio ſeruāda. 287 Non dicas aliquod alio peccato leuius. 288 Sicut in benefactis laudari vis, ita in delictis patienter accipe ſi culperis. 289 Quorū laudes contemnis, eorum neque derogationes magnipendas. 290 Theſaurum quidem defodere inhumanum eſt, inuentum auferre non eſt ſapientis. 291 Quantum laboras pro corpore, ſi tantū labores pro anima, ſapiens eris. 292 Sapiens non eſt qui nocet. 293 Ad omnia quæ agis, Deum inuoca teſtem. 294 Deus bonos actus hominum cōfirmat. 295 Malorū actuum malus dæmon dux eſt. 296 Sapiēs vir Deū hominib. commēdat. 297 Deus ſuper omnia opera ſua plus ſuper ſapientem gloriatur. 298 Nihil tale poſt Deum verum ſicut ſapiens. 299 Quæcunque Deus poſſidet, hæc & ſapiens. 300 Malus vir non putat eſſe prouidentiam. 301 Anima mala Deum fugit. 302 Omne quod malum eſt, Deo inimicum eſt. 303 Qui ſapit in te, hunc dicito eſſe hominem. 304 Particeps Dei eſt vir ſapiens. 305 Vbi eſt quod ſapit in te, ibi eſt & bonum tuum. 306 Bonum in carne non quæras. 307 Quod animæ non nocet, nec homini. 308 Sapientem hominem tanquam Dei miniſtrum honora poſt Deum. 309 Tabernaculum quidem corporis grauiter ferre ſuperbū eſt. 310 Deponere autē poſſe cū oportuerit, in pace beatum eſt. 311 Mortis quidem ipſe tibi cauſa non fias. 312 Si quis autem vult te corpore exuere, ne indigneris. 313 Sapientem ſi quis de corpore extrudat iniuſtè, in iniquitate ſua beneficium ei præſtat, abſoluitur enim tanquam è vinculis. 314 Hominem metus mortis contriſtat pro imperitia animæ. 315 Ferrum quo homines interimuntur optimum fuerat non fieri, factum tamen apud te nō ſit. 316 Nulla ſimulatio multo tempore latebit, maxime in fine. 317 Vt ſunt mores tui, talis & vita tua, Mors. n. religioſi facit vitam beatam. 318 Qui cogitat aduerſus alium mala, ipſa præueniens ipſe præfert mala. 319 Ne te impediat à bene faciēdo homo ingratus. 320 Optime facultatibus vtitur is, qui indigentibus libenter tribuit. 321 Fratrem volentem à fide recedere, hortare ne faciat, etſi inſanabilis ſit, magis obſerua. 322 In fide conare omnes homines vincere. 323 Intellectum non prius habebis quàm intellexeris te habere. 324 Stude tua ſorte contentus eſſe. 325 Membra corporis ſarcina ſunt iis qui eis non vtuntur. 326 Miniſtrare aliis melius eſt, quàm ab aliis miniſtrari. 327 Quem Deus non emittit è corpore, ne grauiter ferat. 328 Sententiam quæ miſericordiam vetat, non ſolum non tenere ſed audire refuge. 329 Qui dat aliquid, & imputat, contumeliam magis, quàm beneficium dedit. 330 Qui tuetur pupillos, erit multorum filiorum ſecundum Deū pater. 331 Quicquid egeris cauſa gloriæ, merces facti tui erit 323. Si quid dederis vt hominib. innoteſcat, non homini, ſed propriæ libidini præſtitiſti. 333 Iracundiam multitudinis ne prouoces in te. 334 Diſce quod oportet fieri vt beatus fias. 335 Melius eſt fame mori, quàm per incontinentiam ventris maculare animam. 336 Veſtimentum eſſe putato animæ corpus tuum, mundum igitur id conſerua. 337 Qualia ſtudia geſſerit anima corpus inhabitans, tales habebit teſtes in iudicio. 338 Immundam animam ſibi dæmones immundi vendicant. 339 Fidelem animam & bonam in via Dei, mali dęmones non impediunt. 340 Verbum de Deo non omni homini committas. 341 Nō eſt tutum audire de Deo homines vanæ gloriæ iactantia corruptos. 342 De Deo etiam quæ vera ſunt, loqui periculum eſt, & non paruum. 343 De Deo nihil dicas quod non didiceris à Deo, vel ei qui non credit, de Deo nihil loquaris. 344 Verbum verum vt Deum honora. 345 Si immunis non es à flagitioſis operibus, de Deo nihil diſceptes. 346 Sermo verus de Deo, ſermo Dei eſt. 347 Si ſcis quod acceptum habent de te, quod diligis Deum, hi qui te audiunt, tunc eis loquere de Deo. 348 Opera charitatis Dei procedant abs te, & tunc ſermonem facito de Deo. 349 In multitudine dicere de Deo non audias. 350 Verbum de Deo parcius proferto quàm de anima. Melius eſt animam perdere, quam verbum vanum de Deo proferre. 351 Viri amantis Deum, corporis poteſtatem habet leo, & tyrānus ſimiliter. 352 Cum tibi minatur tyrānus, cuius ſis, tunc memor maximè eſto. 353 Verbū de Deo reticere præſtat magis quā temerè proferre. 354 Qui dicit de Deo quæ nō ſunt, contra eum falſum loquitur. 355 Deum nō cognouit, qui non colit. 356 Non eſt verum quod Deum colat qui hominem lædit. 357 Fundamentum, & initium eſt cultus Dei, amare Dei homines. 358 Qui hominum curam gerit, & orat Deum pro eis, iſte verè à Deo eſſe putandus eſt. 359 Dei proprium eſt ſaluare, quos dignos iudicat. 360 Cultoris autem Dei eſt orare Deum, pro ſalute hominum. 361 Cum oranti tibi præſtitum fuerit, quod popoſciſti à Deo, tunc tibi poteſtatem permiſſam à Deo intellige. 363 Dignus Deo homo, Deus eſt & in hominibus. 364 Melius eſt nihil habere, quā multa habentem nemini impertiri. 365 Si non das egenti cum poſcit, non accipies à Deo cū popoſceris. 366 Qui ex animo dat cibum indigenti, parum quidem eſt quod dat: ſed magna fiet ei bonæ voluntatis retributio. 367 Deum qui putat eſſe, & nihil ab eo curari, nihil differt ab eo, qui nō credit eſſe Deū. 368 Optime honorat Deum ille, qui mētem ſuam quātum fieri poteſt ſimilem Deo facit. 369 Deus quidem nequaquā eget, lætatur tamen ſuper his qui indigentibus tribuunt. 370 Fidelium pauca ſint verba, opera autem

tem multa. 371 Fidelis qui libenter vult doceri, operarius efficietur veritatis. 372 Præpara & apta te ad tribulationes & lætus eris. 373 Neminem lædens nullum timebis. 374 Tyrānus beatitudinem non aufert. 375 Quod fieri neceſſe eſt voluntariè ſacrificato. 376 Quod nō oportet fieri, nullo modo facias. 377 Omnem magis cauſam refer ad Deū. 378 Nemo ſapiens eſt qui deorſum reſpicit in terram. 379 Immenſa, amatoris ſapiētiæ libertas non ſit in homine, ſed in anima. 380 Mentiri in vita decipere eſt, & decipi. 381 Quid ſit Deus agnoſce, & quid in te quod agnoſcit Deum. 382 Dei opus bonum, homo bonus. 383 Sine Deo ſunt hi, pro quibus verbum Dei male dicitur. 384 Animam mors non perdit, ſed mala vita. 385 Si ſcis à quo factus es, teipſum agnoſcis: 386 Non eſt ſecundum Deū viuere, niſi pudicè, & benè, & iuſtè quis agat. 387 Hominum infidelium vita opprobrium eſt. 388 Animam de terra fides eleuat ad Deum. 389 Animę ſapientis magnitudinem non inuenies, ſicut nec Dei quidem. 390 Quæcunque dat mundus, nemo firmiter tenet. 391 Quæcūque dat Deus nemo auferre poteſt: 392 Diuina ſapientia vera eſt ſcientia. 163 Immundæ animæ ne audeas loqui de Deo. 394 Viri periculum in operibus primo ſicut in verbis facito. 395 Aures tuas non omnibus committas. 396 Operari quidem de Deo omnibus facile eſt, dicere autem de Deo ſoli iuſto permittendum. 397 Non cruciet anima tua corpus tuum, neque animam tuam libido corporis. 398 Inſueſce teipſum quidem corpori præbere quæ ſua ſunt caſtè, & animæ quæ ſua ſunt piè. 399 Paſce animam tuam verbo Dei, & corpus ſimplicibus cibis. 400 Illis inſueſce animam tuam gaudens, in quibus rectè gaudeat. Anima quæ iniquis rebus gaudet, indigna eſt apud Deum. 401 Sapientis anima audit Deum, ſapientis anima aptatur à Deo, ſapientis anima ſemper eſt cum Deo. 402 Cor diligētis Deū in manu Dei ſtabilitum eſt. 403 Animæ aſcenſus ad Deum per Dei verbum eſt. 404 Sapiēs ſequitur Deum, & Deus animam ſapientis. 405 Gaudet rex ſuper his quos regit, gaudet ergo Deus ſuper ſapiente. Inſeparabilis eſt & ab his quos regit ille, qui regit, ita ergo & Deus ab anima ſapiētis quam tuetur & regit. 406 Regitur à Deo vir ſapiens, & idcirco beatus eſt. 407 Anima ſapiētis ac mens Deo probatur. 408 Sapiens vir & cùm tacet honorat Deum. 409 Venerem & ea quæ ſub aluo ſunt non continens nec fidelis. Homo incontinens polluit Deum. 410 Hominem ſcientia Dei paucis verbis vti facit. 411 Multis verbis vti de Deo ignorantia Dei facit. 412 Homo qui Dei cognitionem habet, non multa ambitione vtitur. 413 Qui electus Dei eſt, facit quidem omnia ſecundum Deum, eſſe autem ſeipſum non iactat. 414 Fidelis homo ſemper in metu eſt vſquequo eat ad Deum. 415 Homo qui ſecundo ſaciatur cibo non dormit noctu, nec concubitum effugit, ſed nec dignus eſt apud Deum. 416 Alioquin & Deus grauiter fert libidines corporis. 417 Fidelis vir continentia paſcitur. 418 Sapientem fatum non facit, gratia enim Dei fato non ſubiacet. 419 Agnoſce qui ſunt filij Dei in creaturis eius, & honora vnumquenque pro merito poſt Deum. 420 Nil proprium Dei dicas quod malum eſt. 421 Fidelis anima & caſta & ſapiens Propheta veritatis Dei eſt. 422 Nō amabis Dominum Deū niſi habueris in te aliquid ſimile Dei. 423 Amicum deputa ſimilem ſimili tantummodo. 424 Si non diligis Deum, non ibis ad Deum. 425 Conſueſce teipſum ſemper reſpicere ad Deum, 426 Intuendo Deum videbis Deum. 427 Videns Deum facies mentem tuam qualis eſt Deus. 428 Excole quod intra te eſt, nec ei ex libidine corporis cōtumeliam facias. 429 Incōtaminatum cuſtodi corpus tuum, tanquam ſi indumentum acceperis à Deo, & ſicut veſtimētum corporis immaculatum ſeruare ſtude. 430 Sapiens mens ſpeculum eſt Dei.

SANCTI SIXTI TERTII, PONTIFICIS MAXIMI, LIBER DE DIVITIIS:

Eiuſdem Epiſtola de malis Doctoribus, operibus fidei, & iudicio futuro. Eiuſdem etiam liber de Caſtitate.

Item S. Bracharij epiſtola ad Ianuarium omnia per Iacobum Saluatorem Solanium Murgitanum diligenter emendata.

GVILIELMO SIRLETO CARDINALI AMPLISSIMO

IACOBVS SALVATOR SOLANIVS S. P. D.

Sixtus Tertius Pontifex Maximus. Extat à sācto Clemente in Conſtitutionibus Apoſtolicis.

VM ſuperiore anno publicæ vtilitatis cauſa, Ennodiū vetuſtiſſimum autorem, qui in bibliotheca Vaticana antiquiſſimis & exoleſcentibus literis deliteſcit, emendandum, & in ſuam priſtinam lectionem reſtituēdum ſuſcepiſſem, vt cum deſideraretur, in manus hominum veniret, ac ille neſcio quo modo parte nō minima à me emendata ac reſtituta ſurreptus mihi è manibus fuiſſet; volui his diebus hybernis nō oblitus prouinciæ ſuſceptæ, quamuis illa vetus non pro votis ſucceſſerat, eandem curam & ſolicitudinem in reſtituendis quibuſdam Sixti Pontificis maximi voluminibus adhibere, vt eidem publicæ vtilitati nihil de meo iure ac ingenij natura etiam à me ipſo defuiſſe iudicarer. Sciebam enim quanta eſſet in hoc autore religio, quanta pietas, quāta ſimul cum vetuſtate ſapientia, quanta grauitas, & quæ in eo floreret iuncta cum auctoritate dicēdi eloquentia, ita vt indignum & inhumanum exiſtimarem, talem ſcriptorem ab omnibus doctis & piis hominibus non legi, quin potius ſemper in ſitu & ſqualore permanere. Præſertim cum in eo omnia ſic ad re-

ligionem noſtrã ſpectent, vt nullus ſit, qui cum illa legerit, non ſtatim iudicet his noſtris infeliciſſimis temporibus non ſolum fore vtilia, ſed quæ leguntur neceſſaria. Nam quæ ille de diuitiis diſputat, talem præ ſe ferunt in progreſſu orationis ad diuitiarum contemptum perſuadendum maieſtatem, qualem tam ſanctum virum decere, qui illas adeo contempſerit, ab omnibus perſpectum fore & cognitum putamus. Cum enim tam apte, tam diſtincte, tam ornate, & vt vno verbo dicam, tam ſancte tractata ſint illa, quis erit, qui poſtquam viderit & euoluerit, non ſe in diuitiarum contemptu perſuaſum eſſe dicet? Diuerſo modo re vera, vt in ſacris profana paululum adducam, hoc munus & officium aſſequetur Dionis cognomento Chryſoſtomi liber ille de Diuitiis, qui totus in illis amandis conſeruandiſque conſumitur. Nam quis alius libri illius ſcopus ſit, non intelligo. Dignum quidem patella operculum. Dionis liber de Diuitiis legetur, & Sixti Pontificis Maximi liber item de Diuitiis in tenebris inter blattas & tineas delitescet? Qui ad diuitias amandas conſeruandáſque animos hominum mouet, clarus, frequens, & eximius patebit omnibus, & qui ad eaſdem negligendas incitat, neglectus, corroſus, abiectúſque latebit? Quam hoc ſit ab omni ratione alienum, nullus profecto erit, qui neget. Iam vero illa quæ aduerſus improbos peruerſóſq; Doctores de Fidei operibus ab eodem hic ſcripta ſunt, mirum eſt, quantum contra noſtri temporis hæreticos efficaciſſimis & euidentiſſimis argumentis adducantur. Vnde quamuis illis ipſe malos ſui temporis magiſtros conuincat, qui in hac perſiſtebant hæreſi, vt in fide ſola nulla de operibus cura habita aut relicta conſtituendam hominis ſalutem ad beatam æternámque vitam conſequendam putarent, ante octingentos annos à Sixto & aliis, qui libris editis eandem prouinciam ſuſceperunt, illius perfidiæ fautoribus deuaſtatis, proſtratis, atque demolitis, in arenam nunc iterum Sixtus deſcendat de medio ſublatis etiam hoſtibus victor cum Luthero, Oecolampadio, Capitone, Lamberto, Zuinglio, Brentio, Caluino, & aliis huius farinæ perfidis hominibus, qui eandem hæreſim iam ſepultam ab inferis ſuſcitarunt, ſæculóque hoc noſtro illam ſpargendo Germaniam, Britãniam, Galliam, Belgicámque peruerterunt. Inſuper quæ de Caſtitate tradit, quam iſti ipſi impugnare contendunt, exploſa etiam Iouiniani hæretici petulantia, qui nuptias pares eſſe virginitati contendebat, tam ſunt omnibus ſuis numeris abſoluta, quàm quiuis alius in re eadem tractanda potuerit elaborare. Illam enim in ſua dignitate collocatam conſtituit, vnde illius impugnatores verſutia & calliditate ſua non poſſint cogere ad ruinam. Impugnant quidem illi, cum omnibus ſine diſcrimine contra decreta Patrum, contra inſtituta maiorum nuptias concedant, veruntamen eam nunquam deuaſtare poterunt, quæ quanquam ſuos habeat defenſores, ſe etiam ipſam ſua propria vi ac virtute defendit. Digna tamen res quæ talem ac tantum Pontificem habeat propugnatorem. Hæc igitur omnia cum in Sixto legerem, & codicem vetuſtiſſimum, qui ad manus meas peruenerat, latentem viderem, curaui illum è tenebris eruere, quem tum propter eius antiquitatem, tum propter doctrinam non fieri omnibus communem dolendum maximo opere mihi videbatur. Erat autem codex manuſcriptus vetuſtiſſimis quibuſdam literis, multíſq; mendis & maculis refertus, qui multis etiam locis nec legi propter vetuſtatem, nec intelligi propter corruptionem poterat. Quam rem fugientes illæ literæ, quas à Græcis ſcis ἐξ ἐρρυπώσθαι γράμματα appellari, faciebant. Quare ſæpe diuinatore Oedipo & enarratore indigebãt. Et quod peius eſt, hoc vnum tantum exemplar extare certum erat, cum nec Romæ, nec in tota Italia, nec alibi poſſit aliud inueniri. Quare illius ruina facile timebatur. Emendaui pro mea virili parte, ac illum in ſuam priſtinam genuinámque lectionem reſtitui, vt ego etiam pro mea tenuitate, quemadmodum ad Theologiæ profeſſorem pertinet, cum eo vt fidelis filius inſeruirem Eccleſiæ. Tibi autem cum multis de cauſis dicãdum ſtatui Gulielme Sirlete Cardinalis ampliſſime, quem ſcio autorem hunc in magno pretio habere pluriméque æſtimare, qui cum ſis antiquitatis, doctrinæ & religionis vnicum exemplar, in omníque literarum cogeitione præſtantiſſimus, ſimiles autores melius quam digitos tuos agnoſcis, & eruditione propria motus ab obliuione liberatos non ſinis interire. Tibi quidem maximo & ſpectato viro Sixti maximi ſcriptoris libri debebantur. Quanti vero tu illos facias, tunc quidem ſatis cognoſci potuit, cum tranſcriptum ex eodem veteri exemplari codicem Roma Poloniam, cum ibi eſſet, ad Staniſlaum Hoſium Cardinalem Varmienſem hæreticorum malleum, nunquámque ſatis laudatum Eccleſiæ defenſorem, miſiſti. Non enim tale donum ad tam diſtantem regionem mitteres, niſi dignum quod à te mitteretur, & ab illo legeretur, iudicares. Donum profecto inter duos tam ſapientes & graues viros dignum tua & illius ſapientia atque grauitate. Accedit huc etiam illud, quod cum ante tres annos ad Calabros ires viſitandæ Eccleſiæ tuæ cauſa, quemadmodum probum Pontificem decebat Tridentinæ Synodi decretis inſiſtentem, & me pro tua ſingulari humanitate & probitate in Crypta Ferrata ad Tuſculanũ hoſpitio ſuſciperes, humaniſſiméque tractares, multúmque de literis tum haberes ſermonem, tótque ac tanta ex copioſo tuo penu literario ex Græcis & Latinis autoribus deprompta in medium adduceres, vnde ego tam magnam eruditionem admiratus ſtupefactus reſtiti, ac me poſtea ibidem cum ex ſermone neſcio quo modo diuitiarũ contemptorẽ intelligeres, Virgilianúmq; illud in me ſubinde proferres: Aude hoſpes contemnere opes; nunc autorem hunc tibi offerre deſtinaui in contemnendis opibus locupletiſſimum, qui has partes accurate copioſéque tueatur. Atque vtinam ita eſſem vt Sixtus contemptor diuitiarum, qui exemplo illius & tuo, qui ſimul cũ ſtudiis literarum ſanctiſſimam & Apoſtolicam agis vitam, ſæculi huius opes perituras contemnerem. Reliqua etiam quæ in his libris tractantur, cum aduerſus hæreticos Eccleſiæ Catholicæ inimicos faciant & ſint, tibi debita ſunt, vt dedicentur, qui inter primos omnia tua ſtudia, collocutiones, ſcripta, ſermones contra Romanæ Eccleſiæ hoſtes dirigis & conuertis, quinimo in eos diluendos, diſſipandóſque

dósque, omnes tuas curas cogitationésque confers. Quis enim te melius prosternere illos potest & conculcare, cum in purpurea dignitate constitutus vsqueadeo ingenio prompto, memoria admirabili, auctoritate eximia, grauitate sublimi, doctrina singulari, & eloquentia inuincibili valeas & præstes? Quo fit, vt argumentandi & scribendi vi cognita de Sixto talem existimationem possideas, quali illum dignum esse cognoscis. Postremo etiã in causa fuit, propter quam tibi illum nuncuparem de me quam optime merito, vt significationem aliquam grati animi mei, & obseruantiæ erga te meæ ostenderem, quam si nunc possem, darem tibi meliorem. Cum enim ex quo Romæ sum, patrocinium mihi semper intuleris, quale peregrino homini vt inferretur, non nisi ab humanitatis & integritatis tuæ copia poterat proficisci, nisi in similibus animi mei significationibus non sum soluendo. Et hoc quidem semper mihi fuit & erit honorificum, vt omnino intelligam, eruditissimo & eloquentissimo viro Paullo Manutio quantum debeam, qui huiusce patrocinij autor extitit. Tu verò cum sis etiam huius naturæ & ingenij, qui omnes literarum amatores continuo subleuare cures, & eisdem fauere, mihi, in quo nescio quam vmbram esse sciebas studiorum, nullo modo deesse passus es. Accipe igitur pignus hoc amoris & obseruantiæ, cum quo simul beneuolam agnosces offerentis voluntatem. Cui etiam Bracharij ad Ianuarium adiunxi Epistolam, eandémque maculis liberaui; quoniam qui simul in eodem Codice per tot annorum curricula latuerunt, nunc etiam simul legãtur nunquam separati. Bene vale Sirlete Cardinalis optime & integerrime, præsidium & ornamẽtum meum, ac me, quod facis, ama. Romæ, Decimo Kalendas Apriles. M. D. LXXI.

DE S. SIXTO III. PP. ET MARTYRE, PER EVNDEM IACOBVM SOLANIVM MVRGITANVM.

SIXTVS *Papa horum librorum autor, quis in Pontificum huius nominis numero fuerit, Codicis vetusti titulus in frontispicio positus ostendere videtur, cum Sixti Papæ & Martyris esse dicat. Sed tituli illius literæ non eandem vetustatem ostendunt, quam hæ quæ sunt in progressu operum, demonstrant. Ex qua causa vna, quis eorum Pontificum, qui Sixti nomen assumpserunt, librorum horum autor fuerit, inuestigandi assumpsi occasionem. Non enim dicendum est illos composuisse Sixtum primum Papam & Martyrem, vt aliqui perperam existimant, nec Sixtum secundum, qui etiam Martyr fuit. Constat enim Sixtum hunc operum horum autorem non fuisse martyrem. Nam ipse in Libro de Diuitiis, fatetur omnibus penè hominibus Christianis existentibus, & ipsis regibus ac potestatibus Christi iugo colla subdentibus tempora sua pacifica esse atque tranquilla, & ab omni persecutionũ infestatione secura. Et ipse in libro de Castitate mentionem facit hæresis Iouiniani, contra quam & Diuus Hieronymus iam scripserat. Vnde satis liquet Diui Hieronymi ferme temporibus Sixtum hũc sedisse. Quare Sixtum tertium Papam horum librorum autorem affirmamus esse, qui natione Romanus fuit, & Valentiniani Imperatoris temporibus sedit. Successit Cælestino primo, & eidem Sixto Leo primus. Hic est ille Sixtus, qui Beatæ Mariæ Virginis Basilicam, quæ à veteribus Liberij dicebatur, iuxta Lymiæ macellũ ædificauit. Quæ postea ad præsepe dicta est, ac tandem Sancta Maria Maior nuncupata, quod etiã titulus, qui in ipsius Basilicæ frontispicio est, manifestat: Cuius reliquũ vitæ progressum apud Platinam inuenies. Ex quibus nec Sixtum Primum, quamuis Romanũ qui sub Adriano, nec Sixtum Secundum Athenienſem qui sub Decio & Valerio martyrium passi sunt, composuisse constabit.*

SANCTI SIXTI TERTII, PONTIFICIS MAXIMI, LIBER DE DIVITIIS.

MIRARER quorundam hominum mentes ita terrenæ cupiditatis amore captas atque possessas, vt mundanas opes obesse nemini censeant, nisi hoc humani esse generis vitium recordarer, vt id cæteris melius iudicet esse, quod diligit: & hoc summũ bonum penitus mente definiat, à cuius dilectu atque complexu in toto amoueri non valeat. Habet etiam hoc conditio generis humani, vt cum aliquo vitio fuerit capta, hoc apud alios pro magno tueatur bono, quamuis illud propriæ conscientiæ iudicio malum esse non nesciat. Tanta énim vis est peruersi animi, & mali amore deprauati, vt nec proprio, nec extraneo iudicio acquiescat, & contra omnium, suámque etiam venire conscientiam malit, quam id impugnare, quod ingenti ardore dilexerit. Tria enim sunt, quæ nimio feruntur impetu, & ita cupiditatis ignibus accenduntur, vt restingui, sopiríq; vix possint, gula scilicet, & auaritia, & libido. Ex quibus quisque, vel vni fuerit mancipatus, tanquam de mente lucis, ac vitæ præceps instabili volutatione in mortem fertur, ac tenebras, vt vix vllis eruditionum frænis & disciplinarũ retinaculis reuocari iã queat. Et quanquam hęc tria tota sint grauia, sunt tamẽ ita cognata sibi inuicem, atque connexa, vt diuelli, ac separari de sui societate vix possint. Difficillimum enim est gulæ voluptatibus deditum auaritiam vel libidinem vincere, cum vna illi solatium præbeat, altera vero præsidium: tam desolata est enim absque libidine gula, quam absque auaritia destituta. Auaritia vero ipsa quodammodo se odisse videbitur, nisi gulæ, libidiníque deseruiat. Sed & libido penitus stare non poterit, nisi gulæ, quæ per auaritiam constat, foueatur auxilio. Ita, vt diximus, tria hæc sibi alterutrum necessaria sunt: vt diuisa per se se, & sequestrata esse vix possint. Facilius tamen vel libido, vel gula, quam auaritia vincitur: quia illa duo cum saturata fuerint, aliquid habere videntur horroris: hæc vero sicut satiari nescit, ita nunquam suis amatoribus perhorrescit. Immo eo amplius ab his diligitur, quo magis augetur, & cum suis amatoribus venerata succrescit. Cupiditas enim ignibus similis

Cauta lege hęc tria opuscula quę viri docti, alterius esse authoris existimant. & errorib. scatere constat.

est, cuius fomentum mundanarum rerum videtur esse substantia. Adde ignibus pabulum, in immensum flamma nascetur. Adde auaritiæ quod suum non est, in maius incendium cupiditatis excrescet. Denique apud multos inuenies gulam, libidinémque prostratam, auaritiam vero ipsi vix qui vituperant, deuicere. Vnde animaduertendum est, qualiter suos amatores obtineat: quæ etiam eos subiugare sibi nititur, qui illam odisse iam cœperint. Quid ergo mirum est, si impudenter à suis cultoribus defendatur, cuius tanta vis est, vt illis nonnunquam, à quibus execrari cœperit, aliqua ex parte dominetur? Sed dicet aliquis, cum de diuitiis loquēdi exordium sumpseris, quid te ad auaritiā contulisti, quasi aliud sit auarum esse, aliud habere velle diuitias. Tam enim quis propter auaritiam diuitias quærit, quam propter diuitias auaritiam possidet. Si tamen auarus possidet, & non potius possidetur: & tamdiu diuitiæ subsistere possunt, quamdiu à matre, vt ita dixerim, sua, auaritia fuerint custoditæ. Auarus enim ille non est, qui ex his, quæ habet, indigentibus largius prærogat. Et qui sua largius prærogare iam cœperit, nihil incipiet habere superfluum; & qui superfluum nihil habuerit, nec diues esse iam poterit. Quia diues ex superflua possidendi nimietate censetur. Itaque vt quisque auarus esse definit, esse cessat & diues. Sed ille, inquies, auarus est, qui aliena diripit, non qui priuata custodit. Quāti sunt autem, qui ita habeant sua, vt non ante concupierint aliena? Quisquis enim ex paupere diues efficitur, sine alieni concupiscentia hoc esse difficile potest. Satis vanum est, si eum ante rei possessionem auarum iudicas, cum concupiscit; & auaritia alienum putas, cum possidere iam cœperit. Aut si fornicationem exercere cupiētem, antequam eam exerceat, concupiscentem reputes, & à concupiscentia alienū credas, si exercere iam cœperit. Nam si quod ante rem est, crimen est, vide quid esse possit in crimine. Nescio quomodo eius rei factum defendas, cuius nec cogitationem excusabilē probes. Vel qua ratione illius fructus innoxius sit, cuius venêre flores ex crimine? Sed hæc argumenta fortia non videbuntur, nisi diuina auctoritate firmentur. Audi ergo quid de hac re beatus Apostolus censeat; vel quid auarum esse definiat: *Qui volunt*, inquit, *diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociua, quæ demergunt homines in interitum, & perditionem. Radix* enim *omnium malorum est auaritia*, in quibus voluntatem, nisi fallor, diuitiarum auaritiā determinauit, quæ voluntas tam apud illos, qui nondum diuites sunt, & fieri optant, quam apud eos, qui iam sunt, & in eisdem perseuerare cupiunt, esse credenda est. Nam si in illis tantum voluntatem diuitiarum esse contēderis, qui ex pauperibus effici diuites optant, interrogo te, si illi, qui iam sunt, volunt esse quod sunt, aut iam nolle cœperunt, si volunt: Est ergo & in illis diuitiarum voluntas, quæ à cupiditate descendit; & ipsi quoq; Apostolicæ sententiæ subiacebunt: Aut si nolunt, quæ illos necessitas vrget esse quod nolunt? vel quomodo sunt, si non volunt, esse? Et si pro certo esse diuites nolūt, cur non dant operam, vt dēsinant esse, quod nolunt? Si enim vere nolunt habere diuitias, cur non eas aut abiiciunt, aut erogant, aut quolibet genere eis carere nituntur? Vel si quis auferre voluerit, cur prohibent, cur resistunt, cur etiam sæcularium iudiciorum auctoritate defendunt, cum si vere eas habere nollent, gratulari deberent, si quis eos à re non voluntaria liberaret? Summum enim beneficium est eo carere, quod inuitus possideas. Si quis in corpore suo alicuius languoris vitio membrum putridum habeat, puto quod grataner, si amputetur, accipiat nec succenseat medico, si eam partem aut vrat, aut dissecet, quæ & ipsa nihil prosit, & sanis membris afferat sua vicinitate languorem. Ita & qui diuitias habere nolunt, gratias agere debent sibi eas auferentibus, nec irasci, aut si irascuntur, & auferri sibi nolunt, promptum est voluntatis inditium, quod iracundia defendente firmatur. Hoc enim abnuit perdere quisque, quod diligit. Nouam rem & satis incredibilem audio, nolle quosdam diuites esse, & tamen esse, cum multo facilius sit pauperem voluntarium quam inuitum diuitem reperiri. Sed forte dicturus es. Aliud est velle fieri, aliud velle esse. Inter velle fieri, & velle esse, quid distat? credo, quod ille, qui vult fieri, nondum est: ille autem qui vult esse, iam est. Quid ergo intelligendum est, illum culpabilem esse qui fieri vult, & alienum à culpa, quē iam esse constiterit, si in sola cupiditate nō etiā in re ipsa crimen est? Festinandum ergo est his, qui esse diuites cupiunt, citius esse quod cupiunt: quia iuxta hanc definitionem tanto tempore noxæ subiacebunt, quanto non fuerint, quod fieri cupiunt. At vbi esse cœperint, incipiunt iam nolle esse fieri, sed velle esse. Et cum iam non velle fieri, sed esse cœperint, ab illa sententia exuuntur, qua secūdum quosdam tandiu rei habentur, qui fieri diuites volunt, quamdiu non fuerint. Et si huic determinationi consensus accommodabitur, cunctis, qui aliena diripiunt, vt iam superius memini, properandum est, vt ad diuitiarum summam perueniant. Sciant se tum demum culpabiles fore, cum non fecerint, quod fieri volūt. Hæc apud homines (si forte) valent, quibus creberrime verborum affluentia, & argumentorum coloribus exornata fallacia, dialectico lenocinante sermone pro veritate subiicitur, & persuadetur illius rei innoxiam esse possessionem, cuius est voluntas in crimine, non apud Deum, vbi non vlla tortuosæ disputationis astutia, sed pura valet simplicitas veritatis, & diuinæ determinationis sententia sua auctoritate dominabitur. Per quam si etiam illi puniendi sunt, in quibus sola peccandi voluntas fuerit, multo magis hi, qui quod in voluntate mali habuerunt, opere etiā consummauerint. Ergo diuitiæ malæ sunt, inquies. Primū intellige quid sint diuitiæ, & tūc earum qualitatem callidus dispensator exequere. Tria enim ista sunt, in quæ humanum genus diuiditur, Diuitiæ, paupertas, sufficientia. Omnis nanque homo, aut diues, aut pauper, aut sufficiens sibi esse censendus est. Diuitiæ sunt, quantum sensus mei intelligere tenuitas potest, plus habere, quam necesse est. Paupertas, sufficientiam non habere. Sufficientia autem est, quæ medium inter vtraque temperantiæ possidet locum, non plusquam necesse est, possidere. Sed ne hanc definitionem meam putes, & humani sensus spernendam censeas esse sententiam.

1. Tim. 6.

audi

787

audi ſanctum Spiritum in perſona Sapiẽtiæ dicentem: *Diuitias autem & paupertatem ne dederis mihi, conſtitue autem mihi quæ neceſſaria ſunt ſufficienter.* Et animaduerte nos ſuperiorem determinationem non ex propriæ præſumptionis iudicio, ſed ex diuini ſpiritus auctoritate traxiſſe. Et qui neque diues, neque pauper eſſe cupiebat, ſed ſufficienter ſibi conſtitui neceſſaria poſtulabat, ſatis lucide manifeſtéque monſtrauit, quod quidquid ſufficientiæ vel debetur, vel augetur, partim ad diuitias, partim ad pauperiem deputandum. Quod ſi ita eſt, quid tibi videtur bonum eſſe, amplius habere, quam ſufficit dico, non auaritiæ, ſed naturæ. Auaritiæ enim nunquam ſufficere aliquid poteſt, etiam ſi totum mundum, vt eſt luxurioſa, poſſideat. Eo enim magis augetur cupiditas, quo materia eius contagioſa denſatur. Credo te aut legiſſe, aut legentes fortaſſis audiſſe. *Quod autem abundantius eſt, à malo eſt.* Quod ſi non legiſti, aut ad aliam, ſi legiſti, pertinere cauſam arbitraris, ex hoc certe diuitiarum qualitatẽ penſa, quod eas vir ſanctus & ſapiens ita reſpuat, vt precibus etiam ſibi poſtulet denegari. Conſidera enim quale bonum ſit, quod prudens ſibi non dari popoſcerit; ſed nec paupertatem, inquies, habere voluit, qui & ipſam à ſe efflagitat ſummoueri. Vnde & me, quem iuxta eius ſapientiam viuere perſuades, non minus à paupertatis inopia, quam à diuitiarũ debes concupiſcentia reuocare, & ad hoc tãtum conſtringere, quod eum dari ſibi poſtulaſſe ſignificas, cuius mihi prudentiæ proponis exemplum, plane ab illorum comparatione, qui diuitiarum affluentiam diligũt, & ſuperflua habere non metuunt. Cum multos fratrum ſuorum egere conſpiciant, laudandus eſt ille, qui ſuperflua indigentibus erogauerit, & ſecundum veteris teſtamenti doctrinam ſufficientiæ fuerit quantitate contentus: ſed ille maiore laude dignus eſt, qui non tantum teſtamenti veteris, ſed & noui voluerit implere mandata: præſertim cum hoc Dominus, & Saluator noſter ſuo tam verbo, quam exemplo docuerit: verbo, quod dixit: *Omnis, qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus.* Exemplo autem quod eum ſecundum aſſumpti hominis formam tam pauperem fuiſſe legimus, vt nec vbi caput reclinaret, proprium poſſideret. De quo & beatus Apoſtolus teſtatur dicẽs: *Quia pauper factus eſt, cum diues eſſet, vt illius inopia vos locupletaremini.* Oſtẽdere volens tum maxime nos cæleſtibus diuitiis locupletandos fore, cum terrenas opes Chriſti ſpreuerimus exemplo. Vt in nobis illud beati Ioannis in omnibus impleatur: *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet quomodo ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Omnia autem ſuperius comprehenſa diximus, non quo illam ſubſtantiam reprehenſibilem iudicemus, quæ abſque aliquo quæſita peccato, in bonis operibus erogatur, per quam ſe habentibus nulla delinquendi neceſſitas, vel occaſio miniſtratur: ſed illam, quæ ex malo conquiritur, aut malorum occaſiones ſæpe fruentibus ſubminiſtrat, vel cuius in miſericordiæ operibus nullus eſt fructus, quæ ſuis tam pernicioſa adulatione blanditur, vt in terrenis opibus eſſe diuites, malint, quã cæleſtis hereditatis locupletatione gaudere. Quãtę enim arrogantiæ, quantæq; ſuperbiæ ſit, quæſo diligenter aduertas, illic nos ditari velle, vbi Chriſtum pauperem fuiſſe cognoſcimus; & aliquam nobis poteſtatem dominationis aſſumere, vbi ille formam ſuſceperit ſeruitutis, ſicut ſcriptum eſt: *Hoc enim ſentite in vobis, quod in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formã ſerui accipiens.* Certe quiſque Chriſtianus dicitur, Chriſti ſe eſſe diſcipulum profitetur. Qui Chriſti diſcipulus eſt, debet doctoris exempla per omnia ſectari, vt in diſcipuli & habitu, & conuerſatione, magiſtri tam forma, quam doctrina reſplendeat: Quæ Chriſti forma eſt in tali diuite? Quæ eius ſimilitudo in eiuſmodi locuplete? Quæ comparatio inopiæ cum affluentia? Quæ communicatio humilitatis cum ſuperbia? Quid ſimile inter nihil habentem & ſuperflua poſſidentem? Taceo iam de ſubſtantia. Videamus ſi vel morum aliqua ſit diuitis ſimilitudo cum Chriſto, nihil enim ſimile video. Ille elatus, hic abiectus; ille ſuperbus, hic humilis, ille furioſus, hic mitis; ille iracundus, hic patiens, ille glorioſus, hic inglorius; ille pauperes abhorret, iſte complectitur; ille vituperat, iſte collaudat. Solent nonnunquam diuites præ nimis ambitioſo ſpiritu, & ſuperbo, quo omnem ſæculi ſibi gloriam concupiſcunt, poteſtates ambire terrenas, & in illo ſedere tribunali, ante quod ſtans Chriſtus auditus eſt. O humanæ ſuperbiæ non ferenda præſumptio! Videas ſeruum ſedere, vbi Dominus ſtetit; & vbi ille iudicatur, hic iudicat. Quid eſt Chriſtiane? Quid eſt Chriſti diſcipule? Non hæc tui eſt forma doctoris. Ille ante tribunal humilis ſtetit, tu in tribunali ſuperba elatione ſubnixus ſuper ſtantes ſedes iudicaturus. Tu interrogas, ille auditus eſt. Tu iudicas, ille arbitrio iudicis ſubiugatus eſt. Tu ſententiam præſumptuoſe eructas; ille innocens tanquam reus excepit. Ille regnũ ſuum negauit eſſe de hoc mundo, tibi vero mundani regni tam concupiſcibilis gloria eſt, vt eam aut ingẽti pecunia compares, aut indigna, aut laborioſa adulationis ſeruitute merceris. Et credis te à Deo conſequi, quod aut pecunia iniquitate quæſita comparas, aut indignus mercaris aſſecla frequenti ſalutatione dimittendo caput in terram, & Dominum dicẽdo, quem irrideas, quoniam & te ille honoris nundinator irridet, & quandoque te honoratum dici gloriaris, cum ille verus ſit honor, non qui pecunia, aut indigno ſeruitio quæritur, ſed qui moribus mãcipatur. In conſpectu tuo hominis corpus & ſimilis tibi natura aut plumbo colliditur, aut fuſtibus frangitur, aut vngulis ſcinditur, aut ignibus concrematur. Et hæc videre pia ſuſtinent lumina, & ſpectare Chriſtianus patitur affectus, & non ſpectare tantũ, verum etiam imperioſo faſtigio carnificis exercere tormenta. Spectantẽ ſatis horreo, iam de iubente quid dicam? mecum iudex terrene cõſidera, neſcio qua animi duritia ab illa paſſione immunis & liber es, quam tihi æqualis natura perpetitur, vel quomodo humani corporis dolor humanæ nõ penetrat mentis affectum. Poſtmodum cuicunque Chriſtiano tanta ſollicitudo manet, vt nec capere quidẽ ſomnum queat, niſi ille pietatis curam adhibeat, qui te iubente diuerſarum pœnarum, & multiplici ſupplicioru crudelitate laceratus eſt; & diuini iudicij magnus incutitur metus, ſi ei non aliquam miſericor-

Prouer. 30.

Philip. 2.

Matth. 5.

Luc. 14.

Matth. 8.

2. Cor. 8.

1. Ioan. 2.

Ioan. 8.

Ioan. 18.

diam fecerit; & tu nihil metuis quo ille iubente hęc perpessus est? In carcerem nonnunquã trudi etiam innoxios præcipis quia aut gratiarum, aut iniuriarum pulsaris affectibus, & tunc tibi videris magnus, cum dolor proprius vindicatur, & ingens Christianis cura superuenit, & non mediocris diuinæ indignationis formido, si eum ibidem positum non requirat, & tu securissima mente perfrueris, qua ille prędipiente detrusus est. Parum est enumerasse terrores, verbera, carceres, tenebras, & vincula rigida catenarum; tot necesse est sub iudice suppliciorum mortes euenire, quot pœnæ sunt. Et hinc Christianis multiplex ad pietatis officiũ angor innascitur, dum se vident in cognato corpore ab auribus & feris sepultura quodammodo denegata lacerari, atque discerpi; & tu postquam ista defensor diuitiarum, & honorum nũdinator admiseris; securus sublimibus fultus tapetibus recubas, tanquam triumphalis illa præda ponatur, conuiuas relatione detines, quẽ qua feritate laniatum, quóve genere mortis occisum spectante populo humi proieceris. Et ne quis inter epulas tuas, huius relationis horrore terreatur, legibus te dicis esse subiectũ, cum paulo ante Euangelij auditorem, aut, vt fama detulerat, disputatorẽ viuere te Christi lege iactaueris. Quæ hæc oro te, causa est, vt inter eos, qui eodem Christianitatis vocabulo nuncupantur, & eiusdem religionis sacramento censentur, si tam magna discretio; vt alij tanta impietatis crudelitate versentur, vt opprimere, spoliare, torquere, interficere postremo non metuant? Alij vero tanto pietatis terreantur affectu, vt his immisericordes esse vereantur, quos alij sine timore prostrauerint? Quid hoc sit, quod inter eiusdem religionis homines tantam varietatem faciat, diligenti examinatione, ponderandum est. Nunquid non omnibus, qui Christiani dicuntur, eadẽ Christianitatis lex data est? aut forte duplici & diuersorum præceptorum genere continentur? Vno, quo alios ad misericordię, pietatisque officia sit necesse constringi; altero, quo alij ad impietatis, crudelitatisque facta dimittantur? Aut tepidior his gehennæ præparatur ignis, quibus perpetrare crudelitatẽ libet; illis vero calidior, quibus pietatem exercere necesse sit? Vnũ corpus nos esse Apostolo dicente cognoscimus. Et si vnum certe sumus, vnitatis opera facere debemus. Non sit in eodem populo tanta varietas. Perscrutemur scripturas: & quid potius tenendum sit, diligenti ac sollicita mente pensemus; & alterutrum eligamus; vt, aut misericordes simus; aut, quod horret auditus, si expedit, crudelitatis professione viuamus. Sed cur ad hæc sermonis textus euaserit, lector attende, nisi fallor de diuitibus loquebamur, quos nimia affluentia delibutos ad omnes, quos superius memorauimus, impietatis, & crudelitatis locos voluntas sæua deducit. Vnde non immerito omnium rerum prouidus Deus in scripturis fere omnibus diuitiarum cupiditatẽ vituperat, atque condemnat, quam humani erroris causam nimirum fons scientiæ patefecit. Quasi bonus medicus qui artis suæ peritia causas valetudinis esse, aut melones, aut pepones aut ficus, aut mala, aut quæcunque pomorum genera nouerit; hæc coram ægro, quanta potest animositate, vituperat, & ad eius nititur adducere vituperando, fastidiũ, sciens illum sanari posse, si in primis occasiones infirmitatis abiecerit. Ita animarum nostrarũ medicus peritissimus, diuitiarũ concupiscentiam, quam peccatorũ occasionem nouerat, vbique condemnat: & vult nobis horrere, quod noxiũ est, sciens à peccatis facilius dimoueri, si peccandi nobis causa deficiat. Quapropter in Psalmis dicit, *Nolite sperare in iniquitate, & rapinam nolite concupiscere, diuitiæ si affluãt, nolite cor apponere.* Dicet aliquis: nõ generaliter hoc loco, sed specialiter videtur nõ appetendas præmonuisse diuitias, illas scilicet, quæ ex rapina, & iniquitate gignuntur. Quæ enim alia præcipue diuitiarum origo est, quam iniquitas & rapina? Quod hinc vel maxime probare sufficio: quod omnes pene, quos ex pauperibus videmus diuites effici, non absque iniquitate aliqua: vel rapina fieri posse cognoscimus. De pauperibus, qui efficiuntur, inquies. Nunquid & illi, qui hoc esse ex parentum hæreditaria successione noscuntur; quos vel origenarios diuites conuenit nominari. Illi quidem videri possunt non ex iniquitate, sed ex iustissima hæreditate possidere diuitias. Sed ego nõ tam de diuitiarum possessione, quam de earum exordio disputabam, quod absque iniustitia aliqua difficile arbitror posse descendere. Vnde nosti, inquies, cuiusmodi illæ diuitiæ exordium habuerint, quæ quando cœperint, nescis? Ex præsentibus cognosco præterita, & ex his, quæ video, etiam quæ non vidi, intelligo. Si me interrogares, ante mille annos quo modo gignebantur homines, vel iumenta, vel pecora, vel quæcunque multiplex natura animantium: ex coitu vtique responderem. Et si diceres mihi, vnde nosti? præterita ex præsentibus colligo: quia omnem causam cuius nunc originem video, huius etiam quando non videbam, eandem fuisse confido. Ergo diuitiæ iniquitates sunt? non dico, quod ipsæ iniquitates sunt, sed existimo, quod vel maxime ex iniquitate descẽdunt. Et si mecum velles non iracundo, sed pacifico animo disputare; & non illam rem, cuius amore iam captus es, animosa contentione defendere. Sed, omni prauitatis intentione deposita, placata mente, atque tranquilla rationem veritatis audire; forte probarẽ tibi ipsas diuitias iniquum esse tenacitate nimia custodiri. Iustum ergo tibi videtur, vt vnus superfluis exuberet, alius vsibus quotidianis indigeat? Hic nimia soluatur affluentia, ille detabescat inopia? Iste pretiosis, & splendidis, & supra naturalis disciplinæ necessitatem dapibus ostendatur; ille nec vilibus saturetur cibis? Hic amplas & innumeras pro vanissimæ præsumptionis instinctu, prætiosis marmoribus ornatas possideat domos; iste nec exigui saltem tugurioli proprietate aut frigus arceat, aut ab æstu refugiat. Ille infinitas possessiones, & immensa terrarum spatia obtineat, iste nec ad sedendum quidem angusti cespitis propria possessione lætetur. Ille auro, ille argento, ille lapidibus pretiosis & omnium rerum vbertate ditetur, iste fame, siti, nuditate, & rerum omnium egestate consumetur. Adde, vnde maior huiusmodi iniquitatis possit esse suspitio; quam quod malos potissimum exuberare opibus cernimus, bonos vero paupertatis inopia laborare: quid ergo, dicis, à Deo diuitiæ non sunt? quæcunque iustam defensionem obtinere

Pſal. 61.

1. Cor. 12. Rom. 12. Epheſ. 4.

nere potuerint, à Deo sunt: Quæ autem iniustitiæ A alicuius causam receperint, à Deo non sunt; quia ab omni iniquitatis suspitione esse debet alienũ, quidquid Deo auctore confertur. Ante ergo probandum est, nullam in diuitiis esse iniustitiam, & tunc demum à Deo venire credendæ sunt. Certe Deum æquum, iustúmque confitemur, immo fontem totius æquitatis atque iustitiæ. Quæro primum: quæ iustitiæ ratio, quæ æquitatis causa cõcedat, vt alius resoluatur abundantia, alius constringatur inopia. Et si Dei iudicio alios diuites, alios vero pauperes esse cognoscimus, quomodo videmus nõnunquam recipere cõtraria, & sæpissime varia diuersitate mutari? Quãtos enim ex diuitibus pauperes nouimus, B quantos iterum ex pauperibus diuites intuemur? Cum si Dei iudicio hæc primo fuissent, nulla potuissent in diuersum contrarietate mutari. Oro itaque te, vt omni animositatis contẽtione summota, & eius rei quam diligis defensione sequestrata atque sepositа, quæ dico pura & syncera mente consideres, & verborum meorum vim, non vt tuæ partis defensor, sed vt indagator veritatis examines. Certe, si inæqualitatem Deus in omnibus esse sanxisset, in cunctos eam creaturarum suarum distributionem fecisset; nec permisisset, vt essent in maioribus pares, quos in minoribus dispares esse voluisset. Et neque cœli, neque terræ, nec cuiuslibet C elementi æqualiter beneficia caperent, quos inæquales esse per omnia oporteret. Cõsidera ergo quo more illa humano generi elemẽta deseruiant, quæ non hominum iudicio, sed Dei arbitrio dispensantur, & vel ex pluribus pauca intellige, vel ex maioribus minora cognosce. Vide, si aeris huius beneficio plus diues quam pauper vtitur, si solis calorem amplius minúsve persentit, vel quãdo terris pluuia datur: si maiores guttæ super agrum diuitis, quam super agrum pauperis defluunt: si lunæ, vel stellarum micãtia lumina diuitibus magis, quam pauperibus ministrantur. Vides ne ergo illa omnia, quæ in nostra potestate non sunt, sed Dei dispensatione con- D sequimur, nos æqualiter habere cum cæteris. Et ea tantum, quæ pro arbitraria libertate commissa ad iustitiæ probationem in nostram ditionem redacta sunt, iniuste nimis, & inæqualiter possidere? Sed vt de istis taceam, ad ipsa mysteriorum sacramẽta veniamus, & cõsideremus, si vel illic erga humani generis conditionem aliqua possit inæqualitas reperiri. Videamus si alia lex diuitibus, alia est lata pauperibus: si alio illi, alio isti baptismate renascuntur, si non eandem peccatorum veniam, sanctificationémque iustitiæ consequuntur, si non vno omnes spiritu munerantur, si non eiusdem altaris communione vescuntur, & vnius haustus sanctificatione E potantur. Quod si tam in carnalibus, quam in spiritualibus dispensatoris Dei erga humanum genus æqualissima indulgentia inuenitur, iam claresceре incipit inæqualitatem illam, quæ in parte diuitiarum est nõ diuinæ gratiositati, sed humanæ iniquitati esse reputandam. Cur enim in minoribus dissimiles vellet, quos in maioribus fecit esse consimiles? aut forte dignus non est, vt terrena tecum æqualiter capiat, qui cælestia sine distinctione consequitur? Puto enim Spiritum sanctum terrenis omnibus tam honoribus, quam opibus præferendum: & credis eum indignum esse tecum possidere quod minus est, qui dignus extitit habere quod maius est? Illud etiam à te quæro, quisquis diuitias à Deo dari putas, vt respondeas mihi, quibus eum dare existimes, bonis ne, an malis? si bonis, cur mali habent? si malis, cur boni possident? si & bonis & malis, cur plerique & boni & mali non habent? Quod si dixeris, diuitias à Deo conferri bonis, à Diabolo autem malis; primum quæram, cur non omnes boni Dei munere gaudeant? Deinde adiiciam, non magnum esse, si hoc videatur bonis conferre Deus, quod malis potest Diabolus exhibere. Ergo nunquam, inquies, cuiquam Deus inuenitur contulisse diuitias? Nonnumquam sane, nec semper, nec omnibus forte, nec ab initio. Primum, nisi fallor, Abraham à Deo diuitem factum legi- Genes.13. mus. Si nullus ante Abraham diues, qui primus à Deo diues effectus est, diuitiarum exordium à Deo venisse non dubium est. Quid si non pauci fuere diuites, sed etiam plurimi? nam & reges & potentes ante eum scriptura fuisse commemorat; non ergo initium diuitiarum à Deo, quando non is primus Genes.6. diues, quem primum à Deo diuitem factũ esse co- Genes.10. gnoscimus. Dicis itaque mihi, quid refert vtrum primus, an nouissimus, tantum à Deo fuisse clarescat? Sane refert: quia illud verum bonum defiendum est, quod à Deo principium sumpserit. Illud vero potest non ita videri bonum, cuius exordium non Dei dignatione, sed humana præsumptione censetur, quamuis aliquibus facientibus causis post corroboratam iam vsurpationem, à Deo quibusdam præstitum esse videatur. Vt Rex Israel, quem non tam Dei voluntate, quam populi pra- 1.Reg.8. 1.Reg.9. uitate legimus ordinatum. Quamuis postea etiam 1.Reg 10. Dei voluntas accesserit, dum humanæ fragilitatis iniquitatem clementi mauult lenitate corrigere, Exod.12. quam iusta seueritate punire: vt sacrificia, quæ in Exod.25. terra Ægypti filij Israel idolis offerre consueuerãt, Leuit.1. & Deo iubentur postmodum immolare. Non, quod Deus animalium aut cruore delectetur, aut carnibus. Qui alibi dicit: *Nunquid manducabo carnes Taurorũ, aut sanguinem Hircorũ potabo?* Sed, vt paulatim infirmum populum, & variis iniquitatum operibus deprauatum, disciplinarum suarum institutione formaret, noluit eos vsitatam consuetudinem, & longi temporis serie roboratam penitus deponere; sed in bonũ interim commutare, quandoque dicturus, quò mihi oues holocausti tui? Nõ enim ad hoc te feci, vt laborares in thure, vel mercareris mihi argento incensum, nec adipes sacrificiorum tuorum concupiui: cum iam possent robustiores capere, quod adhuc infirmiores audire non poterãt. Simili modo, & diuitias Abrahæ intelligendũ puto præstitisse Deum famulo suo, quem solum fidelem in vniuerso mundo repererat, quod iam vsurpauerat humana præsumptio, & summum bonum esse credebat: vt vel sic ab idolis ad Deum animos sensúsque conuerterent, quem videbant cultori suo, quod illi optimum iudicabant tam cito, quam facile contulisse. Taceo, quod illò in tempore omnia figuraliter gerebantur, dicente Apostolo: *Hæc enim in figura nostri contingebant illis.* Neque enim idcirco, nunc cuiquam nostrum, aut 1.Cor.10. per soporem coniux de lateris costa. Deo rursus

fabricatore, formanda est; aut, præter vxorem, etiam concubina adhibenda; aut quatuor coniuges pariter possidendæ: quia, aut lateris Adæ costa in mulierem versa est; in qua Christi præfigurabatur Ecclesia: à sopore passionis eius vulnerati lateris cruore formata: aut, quia Abraham præter vxorem, concubinam habuit, in quibus duorum testamẽtorum figuram fuisse Apostolo dicente cognoscimus; aut, quia Iacob quatuor vno in tempore coniuges habuisse perhibetur, in quibus vel quadriformis euãgelij intelligenda doctrina est, cuius fœcunditatis casta lasciuia per duodecim noui testamenti Patriarchas spiritalis sobolis multitudo innumera pullulauit: vel quatuor populorum, id est Iudæorum, & Gẽtilium, Samaritanorum, & Saduceorum, Christo per fidem copulatorum, præfigurabatur spiritale connubium. Si enim hæc, superueniente eius rei, cuius figuram gerebant veritate, cessarunt, ea iam exercenda non sunt: quamuis aliquando fuisse noscebantur, cur non & diuitiis Abrahæ aliquid mysticum fuisse credamus, vt alicuius post futuræ rei imaginem fuerit necesse cessare? Denique quid de eo Scriptura testatur, aduerte quid dixerit illi Deus: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in terram, quam tibi dixero.* Et post eadẽ Scriptura refert, quod diues effectus est. Ergo per Deum diues factus est, qui propter Deum pauper extiterat, pauper enim extiterat, & parentes & patriã relinquẽs, quod hac ratione factum esse, cui nisi ista legere nolenti, fit dubium? vt ostenderetur eum in futuro per Deum cælestes diuitias cõsequi posse, qui propter ipsum in præsenti sua cũcta spernendo pauper esse voluisset? quod de Abraham diximus, hoc de cæteris sentiẽdum est. Nam si volueris me ad Dauid, & ad Salomonis, vel cæterorum, quos illo in tempore fuisse legimus, exempla prouocare, & ego te ad reliquam eorum formam prouocabo, quæ tibi nunc ob alterius temporis, & noui testamenti necessitatem, iam per omnia sectari non conuenit, nec in diuitiarum causa forte conueniet. Nam si idcirco expetendas credis esse diuitias, quia sanctum Abraham, & Dauid, & Salomonem, diuitem fuisse scriptura intimante cognoscimus: multa alia de his eadem scriptura testatur. Dicit enim illos carnaliter circũcisos, sabbati otiosam habuisse custodiam, neomenias & scenopegias, & cæteras legis cerimonias obseruasse; refert insuper eos plures vxores, & innumeras concubinas, vt de Salomone legimus, habuisse, ergo & tibi hæc omnia eorum ritu exercenda sunt, si illorum exemplo diuitiæ appetendæ. Aut, si hæc tunc temporis aliqua credis mysteriorum ratione præfigurata, & tamdiu exerceri debuisse, quamdiu eius rei, quæ mystice præfigurabatur, veritas nondum aduenerat, cur non & de diuitiis similiter intelligas, maxime cum scias omnia pene, quæ apud veteres gesta sunt, imaginarie cucurrisse? Deinde, quare est, vt qui Christi iubetur viuere exemplo, sancti Abrahę, & Dauid, & cæterorum magis vitam formámque sectetur? Interrogo te, cuius morte reparatus es, cuius cruore, cuius passione liberatus es? Quis pro salute tua indignissima conuitiorum audiuit opprobria? quis infirmitates tuas susceptit, vel ægritudinum tuarum causas, & insanabilia vulnera abstulit? quo ægrotus, & iam morti obnoxius, vsus es medico? cuius caput, pro peccatorum tuorum sentibus, spinea est, compunctum corona? cuius sputaminibus dedecorata facies? cuius maxillæ palmis sunt à Iudæis verberatæ? quis ne tu in perpetuo flagellareris, flagella sustinuit? quis felle & aceto potatus est? quis patibulo suspensus? quis maledictum crucis pro tua maledicta & abominabili vita sustinuit? cuius vulnere tua curata sunt vulnera? quis te ad vitã reduxit à morte? quis de inferis te reuocauit ad cœlos? Non Patriarcha, non Propheta, non alter quicunque sanctorum, sed Iesus Christus Dominus. Ipse enim spes nostra, ipse salus, ipse redemptio, ipse nobis imitandus, ipse sequendus, ipsi debemus omne, quod viuimus, cuius cõstat esse quod sumus: nam satis iniquũ est, nos eius persona spreta atque contempta, qui hæc omnia pro nostra salute tolerauit, eos magis imitari velle, qui pro nobis nihil tale perpessi sunt, quamuis suo tempore Deo placuisse noscantur. Dicit beatus Apostolus Petrus: quia *Christus passus est pro vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Eius scilicet, non cuiuscunque alterius, qui cum assumptis tribus discipulis secum, ascendisset in montem; ac Moyses, & Helias, in quibus legis & Prophetarũ figura monstrata est, illic subito apparuissent, vox Apostolis è cœlo patris intonuit: *Hic est filius meus dilectus, hunc audite.* Hoc est, nolite priora meminisse, & antiqua nolite cogitare. Ecce noua, quæ ante futura promiseram, nunc exhibui. Non, inquit, Moysem iam, nec Eliam, à quibus Iudaicarũ ceremoniarum custodia prædicabatur, quæ erant Christi tempore cessaturæ, sed illum, quem venturum, & magis audiendum lex & Prophetæ promiserant, qui venit non legem soluere, sed adimplere: adimplet enim legem, cum eam veram ostendit. Veram enim ostendit, quando per se cessare facit illa, quæ cessatura prædixerat: & de antiqua lege legem produxit nouam, & nouum testamentum promulgauit ex vetere: vt magis ac magis legis & Prophetarum prædicta suppleret, quibus continebatur: *De Sion procedet lex, & verbum Domini ab Hierusalem.* Et alibi: *Donabo eis testamentum nouum: non secundum testamentum quod disposui patribus eorum.* In quibus omnibus aduertendum est, nos iam non antiquorum imitatores oportere esse, sed Christi; nec veteris testamenti præcepta magis seruare debere, quã noui. In quo ergo nobis Christus imitãdus est? in paupertate (nisi fallor) nõ in diuitiis; in humilitate, non in gloria sæculi; non concupiscendo, sed contemnendo? Et quæ noui testamenti præcepta obseruanda sunt? In primis illa, quibus per diuitiarum contemptum peccatorum aufertur occasio. Vnde Dominum, eum sequi cupientibus, & suo discipulatui se offerentibus, nihil prius præcepisse inuenies, quam diuitiarũ mundique contemptum, sicut ibi offerenti se vt sequeretur, qualiter sequi deberet ostendit, dicens: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Hoc est dicere; Vide si talis potes esse discipulus, vt talem sequaris magistrum: pauperem enim pauper celerius sequitur, nam diues præsidente fastidio dedignatur. Cesset nunc falsa allegoria, vbi veritas astruitur, & vbi lectoris non fauor quæritur, sed profectus; nec scribentis

Genes. 21.
Galat. 4.
Genes. 29.
Genes. 30.
Genes. 12.
Genes. 13.
Genes. 13.
1. Paralip. 29.
3 Reg. 10.
1. Pet. 2.
Esa. 2. Mich. 4.
Matth. 17. Luc. 9. Mar. 9.
Matth. 8 Luc. 9.

795 scribentis ingenium promitur, sed rei integritas prę-
dicatur. Item alibi: *Vade, vende omnia quæ habes, &*
Matt. 19. *da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni sequere*
me. Vides, & huic non prius ad perfectionis gradū
sequendi licentiam datam, quam sua omnia distra-
xisset, & pauperibus erogasset. Sed peccata inquies,
iubetur vt vendat, & vbi tam stultum, nisi forte qui
ita intelligit, reperietemptorem? Nescio quis pretio
comparet, quod etiam gratuito molestum est possi-
dere. Sed Diabolus, ais, emptor est. Quæro, quod
pretium ab illo venditor accipiet, vel quibus quod
à Diabolo acceperit, pauperibus erogabit? Sed de
populo Iudæorum dictum est, cuius figuram adole-
scens ille portabat. Nūquid solus Iudæorum popu-
lus diues, aut illi, soli regni cælestis gloria patet? In
legalibus, inquies præceptis diues erat, ergo legis
mandata præcipitur distrahere, & hic emptorē quæ
ro, vel quomodo dato pretio tradere iubetur, quid
gratis acceperat? Sic tractant, sic argumentātur, sic
disputant, qui incubare diuitiis malunt, quā Christi
mandata seruare, & qui pecunias magis, quam re-
gni gloriam diligunt. Item alibi idem dominus: *Ni-*
si quis renuntiauerit omnibus, quæ possidet, nō potest meus es-
Luc. 14 *se discipulus.* Quid & hic dicturus es? peccatis credo
renuntiare præceptum, non rebus, & potest quis an-
te Christi discipulatum omnibus se exuere pecca-
tis? aut si potest, quid illi amplius iam Christi magi-
sterio conferendum est, vel in quo eius doctrina e-
gebit, qui iam per se iustus effectus est, sed illud quę
ro, si peccata possidentur aut possident, si possiden-
tur, de illis dictum videri poterit: *Omnis qui non renū-*
Luc. 14 *tiauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus:*
si vero possident, nulla ratio permittit, vt de possi-
dentibus intelligatur, quod de possessione sit dic-
tum. Sed vt euidentius clarescat peccata magis
possidere, quam possideri, ipsum Dominum au-
Ioan. 8 sculta, dicentem. *Omnis qui facit peccatum, seruus est*
peccati, seruus (vt reor) non possidet, sed posside-
tur. Quod si ita est, velitis nolitis diuites de mun-
danis rebus hoc intelligi necesse est, sed cum perspi-
cua ratione constiterit hæc non de peccatis, sed de
rerum dici substantia, ad aliam se conferre solent
intelligentiam, dicentes: hæc quidem de terrenis
facultatibus intelligenda sunt, non semper tamen,
nec omnibus, sed certis personis, certisque tempo-
ribus imperata. Idem Apostolis præcipit, quibus se-
qui Dominum erat per diuersa necessitas, & illo in
tempore, quo primum Christianæ religionis exor-
dia pullulabant, & ita credentes persecutionum
crebrior procella vastabat, vt in suis subsistere fini-
bus, suaque possidere non possent. Quapropter ne-
cesse erat persecutionum impetum declinantibus
sua cuncta distrahere, ne ea fugiendi necessitate
penitus perderent. Nunc autem propitio Domi-
no omnibus pene hominibus Christianis, ipsis e-
tiam regibus & potestatibus Christi iugo colla sub-
dentibus tempora esse pacifica, atque tranquilla, &
ab omni persecutionum infestatione secura, nō ne-
cesse esse quempiam sua vel erogare, vel vendere,
cum hoc non tam religionis ratio, quam necessi-
tas persecutionis exegerit. O auaritiæ ingenium!
non deest illi quod respondeat, vt quod diligit,
non amittat, sed quod hæc non ita sint, clara & ma-

A nifesta ratione constabit. Vt autem ad illud primū
respondeam, quod intelligere volunt, solis Apo-
stolis, dictum sua cuncta distrahere, quando ado-
lescens ille accessit, qui Dominum consuluit,
quibus bonitatis meritis posset vitæ æternæ præmi-
um promereri: Quæro, si iam impletus erat nume-
rus Apostolorum, quando ista dicuntur, puto quia Matt. 19
iam. Cur ergo & illi dicitur. *Si vis perfectus esse vade,*
vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis the-
saurum in cælis, & veni, sequere me. Si hoc tantum A- Act. 4.
postolos erat necesse perficere aut certe illi qui in Act. 5.
Actibus Apostolorum sua cuncta vendebant, &
alii vēditorum pretia ante eorum ponebant pedes,
B alii se ipsos pauperib. erogabant, cur hoc facere vo-
luerunt, si solis Apostolis facienda cognouerant?
Aut si per ignorantiam generaliter dictum putabāt
quod specialiter fuerat imperatum, tam eorum im-
peritia erudiri Apostolica scientia debuisset, quam
imperitiæ factum auctoritate cohiberi per poste-
ros. Quid quod non solum prohibitum non est,
sed etiam ad posteritatis imitationem cum qua-
dam prædicationis laude conscriptum? Quod si a-
liis faciendum non esset, tam arceri primum debuis
set, quam nullius scripturæ memoria ad æmulandū
posteris reseruari. Cur Ananias & Sapphira ob sub- Act. 5
C tractam pecuniæ partem morte mulctati sunt, si ne
hoc ipsum quidem quod obtulerāt, offerre debuis-
sent? Non enim debuerant, si solis Apostolis faciē-
da esse cognouerant: Quid mentiti sunt, inquies?
Quid enim & Apostolus de re superflua voluit esse
sollicitus, vel quid tam graui supplicio eius fallaciā
condemnauit? Tam enim contemni debuit mēda-
cium rei non necessariæ, quā nec veritas exigit. Præ
stat enim non perficere, quod nec inchoare debue-
ras. Et si solis Apostolis hoc erat necesse seruare, cur
& ipsi postmodum alios suo viuere exhortātur ex-
emplo, & tam diuitiarum, quam totius mundi cō-
temptum in omnibus pene epistolis suis prædicant
sicut beatū Paulū ad Corinthios scripsisse legimus:
D *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi* & iterum: *Vo-* 1. Cor. 4
lo omnes homines esse sicut me ipsum. Quod frustra faciēt
si id facere omnino, nec poterant, nec debebant. 1. Cor. 7
Non enim debebant, si hoc tantum erat Apostō-
lis imperatum. Et cum dicit: *Volo vos sine solicitudi-*
ne esse: puto illum diuitiarum adnuntiasse contem- 1. Cor. 7
ptum, quas quisquis habuerit, absque ingenti solli-
citudine esse non poterit. Denique si sequitur: *Qui* 1. Cor. 7
sine vxore est, cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat
Deo: qui autem cum vxore est, cogitat quæ sunt huius mun-
di, quomodo placeat vxori: Vide quam te à mundi sol-
licitudine alienum esse optauerit, de quo te nec
cogitare quidem voluit. Hoc & Philippensibus te- Philip. 4
E statur, & dicit: *Nihil soliciti sitis, sed in omni oratione &*
obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ inno-
tescant apud Deum. Interrogo conscientiam diuitum, si
nihil de diuitiis suis curant, si nihil inde solliciti sūt,
si nunquam earum causa à psallendi, orandi, legēdi,
vel cuiuslibet diuini operis retrahuntur officiis. Si
causarū, vel litiū inquietudini vacant. Si cōtra Do-
mini vel Apostoli ei⁹ interdictū sæcularia nūquā iu
dicia adire coguntur. Si nulla illis mancipiorū vel
finiū, vel cuiuscunq; causæ calumniæ suscitātur, per
quas & à Dominico opere retrahātur, & diuinæ le-

gis transgredi mãdata neceſſe ſit. Quapropter & B.
1.Ioan.2. Ioannes Apoſtolus dicit: *Nolite diligere mundũ, neque ea quæ in mundo ſunt, ſi quis dilexerit mundum, non eſt charitas in illo. Quia omne quod in mũdo eſt, concupiſcentia carnis & oculorum eſt, & ambitio ſæculi, & mundus tranſibit & concupiſcentia eius: Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, ſicut & Deus manet in æternum.* Oro te, vt horum dictorum vim ſolerti animo & mente perpendas. Nolite, inquit, diligere mundum, neq; ea quæ in mundo ſunt. Quomodo non diligitur, quod magna cũ auiditate poſſidetur? Nemo enim quod nõ diligit, tãta cupiditate tenet, aut quærit. Si
1.Ioan.2. quis autẽ dilexerit mundũ, non eſt charitas patris in illo. Quid amplius dicere potuit, quã nõ eſſe amorẽ Dei, in quibus amor ſit ſęculi? Ergo, inquies, diuitię à Deo non ſunt. Quis igitur aurum fecit & argentum? quis lapides pretioſos ſubdidit creaturę? cuius nutu terra fundata eſt? vel cuius imperio vniuerſa produxit? nõne Dei? Quis hoc negabit, niſi qui aut ſtultus, aut impius eſt? Non idcirco tamẽ à Deo videbuntur eſſe omnes diuitiæ, quia eius res ſunt, quę in vnum congeſtæ, diuitiæ appellantur. Ego enim diuitias, vt iam ſuperius definitum eſt, non aurum, non argentum, non aliam quancunque creaturam, ſed ſuperuacuam nõ neceſſariæ poſſeſſionis affluẽtiam dico. Quæ vtrum ex Deo ſit, quem fontem æquitatis atque iuſtitiæ credi neceſſe eſt, tuo iudicio derelinquo. Conſtat enim Deum prædicta creaſſe cum omnibus, non tamen vt vnus infinita poſſidẽdi affluẽtia locuples fieret, & alius nimia cõ flictaretur inopia, ſed vt omnes æquali lance, & pari iure poſſiderent, quod æquitatis auctor indulſerat. Beatus quoque Petrus ad prædicta conſentit,
2.Pet.1. cum dicit: *Qui vocauit nos propria gloria & virtute, per quam maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ, fugientes eius, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.* Ex hoc arbitror manifeſtiſſime patere, non ſolum Apoſtolos mundanam ſubſtantiam debuiſſe contemnere, ſed etiam illi poſtmodum cæteros, vt ipſum faciant, & ſuo viuant exemplo hortantur, & docent dominicæ ſententiæ memores, qua continetur: *Ite, &*
Matt.28. *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque*
Mar.13. *præcepi vobis.* Et alibi; *Quæ vobis*, inquit, *dico omnibus dico.* Contemplentur nunc has ſententias diuitiarum patroni. An nullis permiſerit diuitias, qui omnia quæcunque Apoſtolis iuſſerat, etiam cæteris ſeruanda perſuaſit? Dices forſitan, propter difficultatem temporis imperatum eſt, eo quod ſua poſſidere non poſſent, quibus aſſiduos perſecutionum impetus erat neceſſe vitare. Primo quæram, vbinam hoc legeris, vel quæ tibi ſcriptura teſtata ſit, quod credentes eiuſdem temporis fugæ vel perſecutionis cauſa ſua cuncta diſtraxerint. Aut quomodo & Hieroſolymis, & per alias ciuitates collocabantur Eccleſiæ, ſi ſua omnibus erat neceſſe deſerere. Reſtat vt dicas de extraneis collocatis, & peregrinis magis perſecutores peperciſſe, quam ciuibus. Sed eſto conſentiam tibi: quod aut poſſeſſiones, aut domos, aut quæcunque alia immobilia eſſe poterant, à deſerentibus diſtrahi fuerat neceſſe, eo quod ab iiſdem circumA ferri per diuerſa non poſſent. Nunquid & pecuniæ portari aut circumferri non poterant? vel aliquid fugientes impediebant, cum quis eo ſit in fugiendi vel peregrinandi neceſſitate conſtantior, quo fuerit ſumptuum vbertate ſecurior? Iam ſi domos aut agros aut quæcunque diſtrahebant alia, cum ante Apoſtolorum pedes venditorum pretia deponebant, quæ ad fugæ ſubſidium magis reſeruare debuerant, ſi eius neceſſitate ſua cuncta diſtraxerant? Sed bene eſt, quod hunc calliditatis ſenſum ex nimia auaritiæ dilectione venturum, omnium præſcius Dominus ante proſpexit, & omnem eius machinam validiſſimo diuinitatis ſuæ ſermone deſtruxit, quando non ſolum poſſeſſiones mul- Matt.19. Mar.10.
B tas, ſed etiam pecunias habentibus, difficillimæ comparationis exemplo regni cæleſtis introitum denegauit. Qui ſi hoc fugæ vel perſecutionis cauſa dixerat, nummariam ſaltem poſſeſſionem indulgere debuerat, qua adiutus fugiens ſecurus ad peregrina diſcederet. Illud vero quale eſt, quod quoſdam diſcipulorum illius fuiſſe diuites nolunt, cum alios perſecutionis cauſa nihil habere potuiſſe contendant? Quomodo ſibi hæc cohærere ſufficiunt? aut enim fuerunt aliqui diuites, & iam non perſecutionis obtentu ſua quidem videbantur cuncta diſtrahere, quando aliis licebat propria poſſidere? aut ſi perſecutionis cauſa, ſua omni-
C bus erat neceſſe diſtrahere, quomodo diuites aliqui eſſe potuerunt? Neceſſe eſt enim de duobus alterum definiri, quia vtrunque ſimul non poteſt cõuenire. Aut enim diuites fuerunt, & perſecutio nullum coegit diſtrahere quæ habebat, aut ſi coegit, omnes coegit, & nulli diuites eſſe potuerũt. Et quomodo, inquies, Zachæum publicanum, & Ioſeph Luc.19. ab Arimathia diuites fuiſſe legimus? tu videris, qui Marc.15. alio tractatu aſſeris ob difficultatem temporis, non Matt.27. Luc.23. ob religionis deuotionem ſua omnia cunctis neceſſe fuiſſe diſtrahere. Ego enim, ſicut diuitem
D illo in tempore aliquem diſcipulorum Chriſti fuiſſe nego, ne eius fallax videatur eſſe ſententia, qua definitum eſt, non niſi ſua contemnentes eius poſſe eſſe diſcipulos, ita non perſecutionis, ſed religionis cauſa eos ſua diſtraxiſſe, & erogaſſe contendo: ſed de perſecutionis cauſa ſatis iam ſuperius diſputatum eſt, & manifeſtiſſime demonſtratum eos non ob eam causã vendidiſſe ſua, qui nec vendi torum ſibi prætia reſeruauerint. Pauca nunc de Ioſeph & Zachæo dicamus, ſi hũc Ioſeph etiam poſt Chriſti fidem fuiſſe diuitem putas, quia Scriptura eum diuitem nuncupat, erit & Matthæus publicanus, quoniam poſt apoſtolatum publicanus cognominatus eſt, ſed hanc eſſe ſcripturæ conſuetu-
E dinem nouerimus, vt quoſdam dicat eſſe quod fuerant. Sicut Abigail adhuc vxorem Nabal Carme- 1.Reg.25. litæ nuncupat, cum viro priore defuncto ad Dauid 2.Reg.2. matrimonium tranſmigraſſet, & ſicut qui ex gentibus Chriſto crediderant, etiam poſt fidem gentes appellat, & alios multos, quos nunc commemorare prolixum eſt: eodem more ergo & Ioſeph diuitem eſſe dictum credam, non quia erat, ſed quia fuerat, ne male intelligendo Chriſti diſcipulo derogaſſe videamur. Et ſi vere diues non fuit, inquies, vnde tanta aromata comparauit? Vt taceam

quod

799

quod non legis eum, sed Nicodemum, quem nusquam discipulum scriptura nominat, comparasse? Magnum re vera argumentum diuitiarum est centum librarum aromatis pretium. Quod pauper etiã in eo præsertim loco, quo vilius distrahi certum est, habere facile potuisset? Zachæi vero exemplum in quo diuitiarum patrocinio suffragetur, non intelligo, quod non modo diuitiis non consentaneum, sed contrarium video. Quid enim de eo Scriptura refert? quod recepto Domino non magis habitaculi sui quam fidelissimi pectoris hospitio nulla exhortationis intetueniente doctrina sponte dixerit: *Ecce dimidium ex substantia mea do pauperibus, & si quid aliquẽ fraudaui, quadruplum reddo.* Luce 14. Quo intelligi datur, eum apud se ratione discussa mediam substantiæ partem in ratione fraudis expendisse, aliam vero quæ remã serat, pauperibus erogasse, vt illius beatitudinis particeps esse posset, quæ pauperib⁹ repromissa est. Nã quod inter cætera diuitiarum argumẽta proponere solent, passionis in tempore postquam à Domino recesserunt, ad sua remeasse discipulos, imperite satisfaciunt, cum hoc non modo eorum parti nõ prosit, immo contrarium sit, si hi qui Dominum sequi nõ poterant, nisi sua cuncta spreuissent, ad sua redire non possunt, nisi cum dominum derelinquunt. Vnde intelligi datur sequentium esse, sua contemnere, ad sua remeare velle, deserentium. Denique scriptum est: *Venit hora, vt dispergamini vnusquisque in sua, & me solum relinquatis,* Ioan. 16. si placet quod dominum reliquere, placeat quod iuxta quorundam intelligentiam ad sua remeasse dicuntur. Vnde & nobis timendum est, si ad nostra redire voluerimus, ne dominum relinquamus. Hæc diximus, saluo eo quod Apostolos non tam ad sua, id est bona, vt quidam coacte nimis & violenter sentire cupiunt, remeasse, sed ad sua, idest fugæ loca dispersos esse credendum est. Neque enim dixit, vt reuertamini vnusquisque in sua, sed vt dispergamini: de fuga, nisi fallor, illo in tempore agebatur, non de alicuius, aut auaritiæ, aut concupiscentiæ occasione. Nam satis absurdum est, vt eos ad propria, quæ iam non habebant, rediisse arbitremur, quos ante Domini resurrectionem magis vno in loco timoris causa clausos fuisse legimus, quã vnumquemq; in propria domo vel possessione habitasse. Quia si etiã sua recuperare voluissent, temporis spatium defuisset. Quantum enim interuenit temporis inter Domini passionem, & resurrectionem, vt recipere sua potuisse credantur, vel ad propria remeasse? Præsertim cum centum quinquaginta fere millibus passuum illorum prouincia ab eo loco quo Dominus passus est, sequestrata noscatur, Galilæa scilicet: cuius patriæ eos fuisse satis certum est, sicut in actibus Apostorum ab Angelo dictum legimus. *Viri Galilæi.* Act. 1. Et alibi: *Nonne hi omnes Galilæi sunt?* Act. 2. Illo etiam vtuntur exemplo, quod in Beati Ioannis Euãgelio de matre domini continetur, & suscepit illam discipulus ille in sua. In sua bona, inquiunt. Primũ quæro, quæ bona piscator in aliena prouincia habere potuerit, qui nec in sua satis idoneus fuisse credendus est, etiam si nihilum contempsisset. De sancto enim Ioanne Zebedæi filio dictum est, quẽ patrem cum nauicula, & retibus ad sequẽdum Dominum intra Galilææ terminos reliquisse scriptura testatur. Vel quomodo etiam si ante habuerat quæ iam contẽpserat, possidebat? Et qualiter intelligendum est, *suscepit illam discipulus ille in sua?* In sua, vt matrem scilicet, non in sua bona. Hoc enim illi à domino fuerat imperatum, vt eam donec resurgeret, materno veneraretur affectu, vt eius vita filij solatio foueretur. Deniq; sic scriptum est: *Et dixit Iesus matri suæ, ecce filius tuus,* non dixit, *ecce* hospes tuus. Et discipulo dicitur, *ecce mater tua,* & suscepit illam discipulus ille in sua, vt matrem vtique non in possessione: Quia non de habitationis necessitate, sed de pietatis solatio agebatur. Veniamus igitur ad illam famosissimam propositionem, qua sibi rationabiliter argumentari videntur sæculi amatores, dum sub specie pietatis perfectiora Euãgelica præcepta minime custodiri debere contendunt. Aiunt enim, si omnes sua erogare voluerint, & nihil sibi penitus seruare, vnde postmodum pietatis & misericordiæ opera earum exhausta materia celebranda sunt? Vel quomodo pauperes excipiendi sunt? Vbinam hospites suscipiendi? Vnde cibandi esurientes, sitientes potandi, si substãtia mundana defuerit? Magnus re vera in his misericordiæ & pietatis affectus est, quibus plus de pauperibus, quã de Deo cura est. Atque vtinam de pauperibus, & non potius de diuitiis, quas sub obtentu pauperũ sub necessario conantur pietatis titulo defensare. Non intelligentes idcirco egere alios, quod alij superflua possideant, tolle diuitem & pauperem non inuenies. Nemo plusquam necessarium est possideat, & quantum necessarium est, omnes habebunt. Pauci enim diuites pauperum sunt causa multorũ. Illud autem quale est, quod appetimus quod nusquam perfectis præceptum est, & nolumus facere quod præceptum est? Dictum enim nobis est, vt nihil habeamus. Nihil vero habentibus nusquam aliquid de misericordiæ operibus imperatum est. Vide ergo quam peruersum, quámque contrarium sit, vt propter illud quod non est mandatum, dissimulemus facere quod mandatum est, & quod iussum non est formare videamur, ne quod iussum est impleamus. Sed dices, si pauper fuero, vnde eleemosynam faciam? quasi alicubi non habenti tibi eleemosynam facere præceptum sit, aut semper facere possis diuitiarum affluentiam possidendo. Debuerunt ergo hæc & Apostoli Domino respondere, cum aut beatos pauperes diceret, aut cælestis regni possessores non posse esse diuites definiret, si non magis Christi præceptum, quam diuitias cogitassent, quæ per occasionem pauperum defenduntur. Quæris itaque quis misericordiæ opera faciet iam, si omnes sua contemnendo, ad perfectionis gradum nitantur ascendere? Cur autem non putes vniuersos posse & pietatis gradum & perfectionis implere, præsertim cum scias paulatim singulos fidei incremento proficere? Duo certe populi esse videntur ecclesiæ, qui eundem Christum Dominum cõfitentur, Chatecumenorum, scilicet, & illorum, qui ex chatecumenis diuini lauacri sanctificatione purgantur. Nec quisquam baptizandus erit, nisi prius chatecumenus fuerit, & cum hos duos esse necesse sit, ad vnũ tamen ambo festinant. Nec idcirco

omnes,aut non poterant,an non debebant ad eundem populum peruenire,quia inter initia duos esse manifestum est cur & non de causa misericordię & perfectionis similiter sentias,quod omnes quidem pietatis gradus perfici in primis debeant, & nihilominus tamen conari perfectionis culmen ascendere? Nec ideo misericordiæ gradum euacuari, quia ad perfectionem omnes transire contendant. Sicut nec cathecumenorum,quamuis cunctos fideles esse conueniat:quia,vt dixi,pedetētim ad perfectiora transitur. Nam vt de humanis traham exempla, in oratoris schola multi gradus sunt, & tamen omnes ad eum,qui primus est, currūt. Nec idcirco tamen posteriores penitus deseruntur, quia ad primū vniuersi peruenire contendunt. Vereris enim, si tu diuitias,si etiam omnem mundi substantiam spreueris,ne nō sit,qui misericordiam faciat. Nunquid solus in toto mundo possessor es, vt metuas te successorem habere non posse? Nolo auaritiam tuam, vel misericordiæ, vel pauperum causa prætextúve defendas,tu quod tuum est perfice, ad superiorem gradum de inferiore conscende. Locus enim tuus vacuus non est. Quocunque enim aut nuper baptizato,aut cathecumeno accedēte supplebitur. Dicis forsitan,& vnde mihi vitæ alimenta,si mea cuncta contempsero? Ecce nunc agnosco causam, propter quam diuitiæ forsitan defenduntur euidenter, & cui cætera argumenta deseruiunt: parua scilicet fide, quam frustra sub misericordiæ titulo velare contendimus,dum pollicenti Domino minus credimus, & dicenti: *Nolite cogitare quid manducetis,aut quid bibatis neque quid induamini, hæc enim gentes inquirunt*. Scit enim pater vester, quia horum omnium indigetis. *Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia apponentur vobis*. Qui exiguitatem fidei nostræ cæli volatilium, & liliorum agri confundit exemplo. Et ne consuetudinaria intelligendi prauitate hoc solis Apostolis dictum esse censeres, adiecit: *Hæc enim gentes inquirunt*, non alii præter Apostolos Christiani. Credis certe his omnibus,quæ tibi diuina voce promissa sunt? Credis te cum mortuus fueris, & in puluerem fauillāque digestus, de eodem corporis tui cinere per resurrectionis gratiam,non modo in pristinum, verū in meliorem immortalitatis scilicet, & incorruptionis statum esse reparandum? Et credis, si dignus esse volueris,te cælestis regni gloria locupletandum? Credis etiam splendore solis decorandum? Quid maius est omnia ista præstare,an prę̄sentis vitæ substantiam exhibere? Si præsentis vitæ etiam substātia vno horum multo inferior est, cur non credas eum tibi minora exhibere, quem confidas etiam maiora præstare. Qui enim illa, quæ superius memorauimus, repromisit, æque ipse pollicitus est, quod nobis,nihil cogitantibus abundarent omnia. Si non credimus quod minus est, nescio quomodo probemus nos credere quod maius est. Sed confusionis est, inquies, vt ab aliis accipiat, qui aliis dare consueuerat. Si confusionem timebas, quid te illi mancipare voluisti,cuius sacramenta huius mundi confusionibus plena sunt. Nam & natiuitas ipsius, & passio,& tota secundum adsumpti hominis formam vitæ decursio, non modicam præstant incredulis confusionem, sed quid dicit de talibus Dominus. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, & ego confitebor eū coram patre meo,qui in cælis est*. Vides ergo, quod iam nō propter misericordiæ opus, sed propter humanam cōfusionē diuina erubescimus præcepta seruare. Carnaliter nimis sapimus, & humani magis sensus ducimur intelligentia, quam diuini vigore, vnde grauiter & vehementer erramus, Omnem Christi & discipulorum eius erubescimus vitam, & Christianos nos etiam censemus. Confundimur in humilitate, in pauperie, in abiectione vestium, in vilitate simplicium ciborum, in ignobilitate sæculi, in obtrectationibus, in subsānatione, in opprobriis, & in illis pene omnibus, in quibus tam Christum, quam eius Apostolos gauisos fuisse cognoscimus. Contra gloriamur in superbia, in diuitiis, in claritate vestium, in suauitate escarum, in nobilitate sæculi, in humanis laudibus, & caducis. Et quisquis ad nos in Christi forma pauper aduenerit, de quo scriptum est; *Quia non habuit speciem neque honorem, sed facies eius exhonorata est*, Iudaico ritu exasperatur, irridetur, illuditur, & sicut ille, cuius formæ similitudinem gerit, seductor & perfidus iudicatur. Si quis vero quamuis infidelis, & diuersis flagitiorum criminibus inuolutus aduenias eximius habitu & vestium dignitate præclarus, contra Apostoli interdictum pauperibus cunctis quamuis sanctè conuersantibus anteponitur, & Christi formæ sæculi habitus antefertur. Et talia exercentes Christianos habere sensum vel Christum credimus, qui in his pene omnibus, quib. Christi repræsentatur forma, confundimur, & in cūctis quæ ad sæculi honorem pertinent, gloriamur. Certè post Christum doctores nostros esse Apostolos credimus. Quid ergo erubescimus illorum exemplo viuere, quorum nos discipulos confitemur. Sed melius est mihi de proprio viuere, quam de alieno sperare. Quantum ad humanam sapientiam spectat melius esse censetur: Quantum vero ad diuinam, puto meliores fuisse Apostolos, qui de alieno sustentabantur, quam qui propria possidebant. Et quomodo, inquies, Paulus Apostolus dicit: *Mementote verbi Iesu, ipse enim dixit: beatius est dare, quam accipere*. Et quomodo vel ipsum, vel eius Apostolos legimus accepisse. Nunquid beatiores erant, qui dabant quam qui accipiebant? Si beatius est magis dare, quam accipere, accepit & à Macedonibus Paulus, sicut ipse testatur, & dicit: *Nam id quod deerat mihi, adimpleuerunt fratres, qui venerunt à Macedonia*. Et si beatius est magis dare, quam accipere, beatiores Macedones Paulo accipiendi sunt, quos eidem dedisse cognoscimus. Quid & de illo adolescente dicimus, qui sua iubetur cuncta distrahere, cui hoc Dominus non modo non imperasset, verum etiā volentem facere prohibuisset, ne erogatis suis iam vnde daret,non haberet,si semper beatius erat dare,quā accipere? Neque enim de Christi doctrina vel suspicari quidem fas est, quod eos minoris beatitudinis fecerit,qui potuerant esse maioris. Vel quomodo illi dicitur:*Si vis perfectus esse vade,vende omnia tua*, si beatius est dare,quā accipere,cum vbi maior beatitudo sit, illic videatur esse perfectio. Et alibi

Matt.6. Luc.12. Luc.12. Isaiæ 53. Act.20. 2.Cor.11. Matt.19.

alibi Dominus dicit: *Nisi quis renunciauerit omnibus*
Luce 14. *quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et si beatius est dare, quam accipere, dare autem non potest, vt quidam semper volunt, nisi qui possessionum proprietate affluenter exuberat: Et qui affluenter exuberat, suis omnibus non renunciat: Et qui suis non renunciat, secundum Domini definitionem, eius nō potest esse discipulus. Quid ergo dicemus, quod beatior esse possit, qui Christi discipulus non fuerit quam qui esse poterit? Quod si ita intelligi nefas est, cur ergo sic definiunt, Quod nisi quis suis omnibus renunciasset, suus non potest esse discipulus? cum sciret eos beatiores fore, qui haberēt vnde darent, quam quos oportebat accipere, à discipulatu suo pauperes magis, quam diuites repulisset? Congruum enim erat, vt illi potius Christi discipuli haberentur, qui beatitudinis poterant esse maioris. Quod si pauperes magis elegit, constat illos maioris beatitudinis esse qui electi sunt, quam qui refutati. Quod si ita est, quomodo intelligendum est, *beatius est magis dare, quam accipere*? Vt opinor, factum facto melius est, non persona persona, id est datum accepto, nō dator acceptore beatior est. Sed vt manifestius, quod dico, fiat, aliquo vtar exemplo. Cū à quolibet laico Episcopus vel presbyter accipit, laici illius datum melius est, quā Episcopi vel presbyteri acceptum. Quia ille cum dat, aliquid iustitię operatur: Illi vero cum accipiunt, neque iustitiæ, neque iniustitiæ aliquid fecisse credendi sunt. Non idcirco tamen beatior erit aut Episcopo aut presbytero laicus, quia opus opere videtur esse præclarius. Cæterum si ille semper qui dat, summam beatitudinem obtinere credendus est, & semper dare non poterit, nisi qui opulens fuerit, quomodo Dominus frequēter diuites vituperat, & pauperes laudat, cum illi magis laude digni sint, qui beatitudinis possunt esse maioris? Sed malos diuites vituperant,
Luce 6. inquies. *Nunquid sic legisti: Væ vobis diuitibus malis:* Vel quid opus fuit addi titulum diuitiarum, si non etiā propter eas condemnationis sententiam dirigebat? Sed si hominum proprie malitiam increpabat, dixisset simpliciter, væ vobis malis. Si non generaliter diuites vituperat, sed malos tantum, si & boni erūt, debuit illos vbicunque laudasse. Et quomodo de malis eum dixisse vis, *Væ vobis diuitibus*, debuit & de bonis dicere, Beati diuites. Dicit plane beatos esse pauperes, vt magis ac magis illam partem, cuius cōtrarietatem beatificat, humiliasse monstretur, & hic credo dicturus es, bonos pauperes laudat. Quid ergo paupertatis titulum addidit, si nullam in ea bonitatis prærogatiuam sciebat posse subsistere? Nā sicut diuitias in vituperationis sententia non nominasset, nisi aliquod in eis vituperationis meritum peruidisset, ita in beatitudinis prædicatione nunquam paupertatem nominasset, si nullius eam virtutis suffragatricem esse sensisset. Defecerāt re vera Dei verbo sermonum vocabula, quibus additis aut mali increparentur, aut collaudarentur boni. Exceptis earum rerum titulis, quæ secundum quosdā nec obesse poterunt, nec prodesse, dixisset, væ vobis homicidis, aut adulteris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus, aut alterius cuiuscunque criminis vitio se mancipantibus. Quid in vituperationis causa exceptis omnibus criminibus, atque flagitiis solas diuitias nominat, quasi qui omnium nonnunquam eas materiam nouerit esse culparum? Quid iterum in beatitudinum laudibus exceptis omnium virtutum titulis solam nuncupat paupertatem, si non omnium eam causam sciebat esse virtutum? Et si non proprie aut in diuitias inuehitur, aut paupertatem collaudat extollens, debuit alicubi aut laudasse diuites, aut pauperes vituperasse. Cum autem generaliter tam diuites vituperat, quam pauperes cōlaudat, clare satis manifestéque monstrauit, se tam diuitiarum cupiditatem sententiæ suæ auctoritate damnasse, quam paupertatis titulum extulisse. Illud etiam adiicio, quod nullus ambigere sapientiū poterit, diuitias absque omnium iniquitatum generibus difficile posse conquiri. Maxime enim aut mentiendi studio, aut furandi arte, aut fraudandi infidelitate, aut rapiendi violentia, aut adulterandi temeritate quæruntur. Nonnunquam vero aut viduarum spoliis, aut pupillorum oppressione, aut iniusta donatione, aut quod multo crudelius est, effuso innocentium sanguine colliguntur. Quod si ita est, quid ergo nobis intelligēdum est, eam rem quæ tanta facinorum varietate quæritur, Dei auctoritate præstari? Absit, absit à sensibus nostris intelligentiæ huius impietas. Deus enim omnia superius comprehensa aut nondum facta prohibet, aut perpetrata condemnat. Vnde nulla ratione videri potest, eam à Deo conlatam esse substantiam, quæ per illa sit conquisita quæ prohibet. Sub diuersorum hæreditatibus, inquies mihi diuitiarum cumulus accreuit, & hoc iniquissimum, si legitimis hæredibus exclusis, tu aliena possides bona, quæ tibi non sine aliqua potuerunt præstigiæ & violentiæ necessitate conferri. Sed esto nihil intercesserit, & spontanea tibi voluntate conlata sint. Iusti autem viri est, quod iniusta voluntate donatum sit nolle suscipere. Iniuste enim donatur, quod pauperibus forte parentibus omissis, extraneo confertur heredi. Vnde non immerito dominus opum affluentiam arguit atque condemnat, quarum concupiscentiam vniuersorum criminū causam esse cernebat. Quis enim sapiens aut prudēs dubitet, cupiditatem fontem esse omnium malorum, radicem scelerum, culparum fomitem, delictorum materiam, propter quam nec terra, nec maria, nec vllus omnino locus aut secure inhabitatur, aut sine pauore transitur? Huius igitur concupiscentiæ causa prædones in fluctibus, in itineribus latrones, in vicis & vrbibus fures, & in omni regione raptores: Propter hanc circumuentiones, rapinæ, mendacia, periuria, falsa testimonia, fraudes, impietates, crudelitates, & quæcunque esse nefandorum facinorū genera possunt. Huius causa quotidie innocentium sanguine terra polluitur, spoliatur pauper, miser opprimitur, nec viduis aut orphanis parcitur. Propter hanc omnibus pene momentis lex diuina contemnitur, & assiduis præuaricationum generibus decretum cæleste violatur. Huius causa nonnunquam expugnatur pudor, castitas vincitur, & per illicitas voluptates impudens libido vagatur. Per hanc sępe parricidia, partim votis, partim operibus perpetrantur. Dum quis ad diuitiarum possessionem nimia & impatiēti auiditate festinat, mortem parentibus aut optat, aut irrogat. Harum causa etiam maleficiorum nec

fausta, nec affabilis impietas discitur, & ad omniũ turpium non minus quam criminosarum artium studia profilitur. Per has peruertuntur mores, animi quoque violantur, & omnis bonæ indolis natura corrumpitur. Denique quotusquisque dives sine elatione, sine arrogantia, sine tumore, sine superbia sine fastu? Quis, quamuis sit in paupertate mitis, humilis, patiens, benignus, & lenis, non accedentibus diuitiis aut tumore inflatur, aut superbia extollitur, aut impatientia concutitur, aut ira succenditur, aut furore grassatur? Quando opulens conditionis suæ, aut fragilitatis memor est? quando sui non ita obliuiscitur, vt neque esse hominem putet? vel quomodo putat, qui superbo nimis & elato fastigio naturæ suæ aspernatur nosse consortes, & eis deterior est, cum cupit non esse quod homo est. Æstimat sese meliorem ingentibus miser inuolutus malis, & tantorum forsitan peccatorũ seruus, quantarum diuitiarum Dominus. Dedignatur inopem, qui illo eo fortè morum integritate sit ditior, quo rerum facultate pauperior est, & in humili habitu nec domini sui contemplatione mulcetur. Audias illũ dicentẽ deinde hunc abiectum, mendicũ ignobilem, & hic dicere aliquid nobis coram positis audet, & in his pannis de morum nostrorum conuersatione tractare, & conscientias nostras per rationabilem disputationem veritatis agnitione pulsare? quasi solis diuitibus loqui concessum sit, & veritatis ratio opibus magis, quam sensibus debeatur. Non frustra ergo Dominus eam rem vbiq; pene arguit atque condemnat, cuius cupiditatem omniũ scelerũ seminarium nouerat. Nec immerito diuitibus per difficillimi exempli comparationem regni cælestis aditum quodammodo clausit, quos malorum omnium causam illaqueatos videbat. *Facilius,* inquit, *Camelus per foramen acus transibit, quam dives in regnum cœlorum.* Quid de tam euidenti loco diutius aliquid disputare necesse est, nisi tantum diuites admonere, vt tunc demum sciant se cœlestis gloriæ possessores fore; cum aut tam magnam acum repererint, per cuius foramen Camelo sit transire possibile, aut tam modicum Camelum, cui etiam acus angustissimus aditus penetrabilis sit: aut si hoc penitus impossibile est, quomodo illud, quod adhuc impossibilius definitur, implebitur, nisi fortè bene dispensatis opibus suis dives sufficiens, aut pauper ingredi contendat, quo opulens intrare non poterat. Sed non de Camelo dictum est, inquies, cui per foramen acus transire penitus impossibile est, sed de Camelo, id est de nautico quodam fune. O humanæ cupiditatis circa diuitiarũ amorem nimia & non ferenda versutia, vt vsque ad funium nomina peruenirent, tantũ ne affluentem mundi substãtiam imminuere cogeretur. Quam beata esset, si erga dei dilectionem tãta animi sollicitudine laboraret. Sed mens terrenis amoribus occupata cælestem nõ recipit charitatem. Hoc tamen miserrimũ argumẽtum est, vt nusquam diuitibus profuturũ quasi possibilius sit, tam magnum funem acum transire, quã Camelum, id est animal illud notissimũ penetrare. Adhuc parũ scrutatus es, nondũ dignam defensionem, per quam securus à cælesti sede extraneus degeres, inuenisti. Quid tibi cum nauibus, quarũ tam vasta sunt instrumenta, quam fortia? inter lanificia magis inquisitionis huius adhibenda est solertia, si vel illic filum aliquod quod Camelus dicatur, inuenias. Irridenda est paululũ huiusmodi hominũ stultitia, quamuis semper sit deflenda miseria, vt nouerint sibi illa apud Dominum minime argumenta profutura, quæ hominibus etiam habentur in risus. Sed superioris definitionis difficultatem inferiore Dominus responsione condiuit, immo etiam penitus aboleuit dicendo: *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Dominum.* Sane possibilia non modo diuites cum suis omnibus & impedimentis & diuitiis cœlo recipere, verum etiam Camelos ipsos; si de possibilitate Dei agitur, à regno eius nullus esse inuenietur extraneus, quia nihil Deo impossibile reperitur: Et quomodo superior poterit stare sententia, quæ aut dici nõ debuit, si diuina erat potentia rescindenda? Aut si debuit dici, rescindi omnino non potuit? Et restat intelligi qualiter dictum sit, possibilia apud Dominum esse, quæ apud homines impossibilia videbantur. Cũ abnueret Dominus, siue in omnibus diuitem, siue tantum pecunias habentem regnũ cæleste percipere. Discipuli, qui necdum perfectæ scientiæ plenitudinem possidebant, apud quos diuites ex Iudaica institutione adhuc magni habebantur, eo quod aliquoties pro nimia possidente affluentia misericordiæ opera exercere viderentur, nondum scientes quod vniuersæ legis transgressor haberetur, qui vel vnius mandati præuaricator existeret, audita dominica sententia, desperationis mœrore perculsi sunt, retractantes apud se atque dicentes. Si etiam illis, quibus per diuitiarum substantiam omne pietatis officium implere possibile est, per tam ardui exempli comparationem cœlestis regni aditus denegatur, quid de mediocribus pauperibusq; censendum est, quibus nulla misericordiæ materia suppetit? At quod ita eos sensisse ex ipsorũ responsione monstratur: *quis ergo,* inquiunt, *saluus esse poterit?* sic dicunt *quis saluus esse poterit,* quasi nullus saluus esse possit, si salui diuites non fuissent. Aut in illis tãtum vniuersa humani generis summa consisteret, cum multò pauperũ turba vniuersior sit, & inter mille inopes vix locuples vnus apparebat. Vnde respondetur illis, *quod impossibile est apud homines, possibile est apud Dominum,* id est, quod humano sẽsui videtur impossibile, vt quis absque diuitiarum abundantia saluus esse possit, hoc apud diuinam scientiam multo possibilius esse, cui magis humilis & sancta paupertas, quam superba & iniqua diuitiarum iactantia complacet. Cuius etiam hoc bonum absque malo esse difficile potest, dum præstatur non tam diuinæ misericordiæ promerendæ gratiæ, quam humanæ conciliandæ gloriæ causa. Sed regnum cœlorum, inquies, diuitibus Dominus nõ æternæ vitæ perceptionem denegauit: quia non statim à vita excluditur, cui cœlestis regni possessio interdicitur, eo quod sit & vita cũ regno, & vita sine regno. Omnis enim qui regnat, viuit, non omnis qui viuit, regnat. Primum quæro à te illius vitæ locum, quem extra regni finẽ esse determinas, deinde si hi qui etiam sine regno habebant, salui esse poterint? credo salui. Et quomodo Apostoli dicunt: *quis ergo poterit saluus esse,* si regnum tantum sciebant diuitibus denegatum? Vnde aperte manifestéque mõstratur, vbi regnum est, illic

Matt. 19. Marc. 10. Luc. 18.

807
illic esse & vitam; & vbi vita sit, ibidem salutem esse. Et vbicunque salus non sit, illic nec vitam esse, nec regnum. Et eos, qui extra regni terminos fuerint, saluos esse non posse. Sed populus gentilium, inquies, camelus est appellatus, quia quamuis omniū esset vitiorum generibus deprauatus, & nihil in se rectum habens, quia Cameli in modum Christi se fidei subiecit, atque substrauit, facilius per foramē acus, hoc est, angustæ viæ tramitē introiturus prædicitur, quam dives ideſt Iudæorum populus in regnum cælorum. Quod Iudæorū populus dives nō posset intelligi, iam superius disputatum est. Nunc vero an gentilium populum Camelum nuncupari conueniat, peruidendum est. Primum quæro, quæ ratio exegerit, vt hæc causa tanta nominum diuersitate obscuraretur, vel quid prohibuerit gentilium populum proprio nomine vocitari: Aut quæ causa popoſcerit, vt appelletur alieno; dicis, quia antedicti animalis more, diuersorum esset flagitiorū iniquitate distortus. Nulla ergo in Iudæis prauitas erat, aut si erat, cur non & ipsi eiusdem comparationis notantur exemplo? Vel quomodo Cameli comparatio hominibus peccatorum vitio deprauatis conueniet, scire desidero: quia rectum corpus non habet, inquies, quia si aliquod animal sit, quod in lineæ modum recto tramite deducatur, & nullā corporei status aut curuaturam habeat, aut flexurā, maxime illud quod ex diuersorū membrorum varietate consistit. Et quamuis multipliciter, aut incuruatum sit, aut inflexum, naturæ suæ rectum est. Et si quod habet, naturaliter possidet, vitio caret. Et si vitio caret, quomodo homini non natura, sed voluntatis arbitrio deprauato cōparari poterit? quod naturali tenore formatur, irreprehensibile debet iudicari. Cur ergo dicis, ipse Dominus nōnunquam homines animalibus cōparat, vt Chananæos canibus, vt Herodem vulpi, vt Apostolos ouibus, vt malos & Pseudoprophetas lupis. Isti non tam ad corporum habitudinem, quam ad morum similitudinem referuntur. Qui nec in ipsis animalibus absq; aliquo naturalis motus gubernantur arbitrio. Sed bene aut Herodem vulpem dicis, aut Cananæos canes, aut cæteros his appellationibus nuncupas, quibus à Domino vocati sunt. Vbi legis gentes Camelos dictos, vt & tu eos ita debeas nuncupare? Quod si nusquam scriptum est, quomodo propria audes vsurpatione præsumere, quod nullius Scripturæ authoritate firmatur. Vel qua lectione instructus didicisti, quod foramen acus angusta via intelligi debeat? Aut si vere ita sentiendum est, quomodo per illam Camelus, ideſt populus cunctis delictorum iniquitatibus deprauatus incedat, quam paucorum iustorum esse dominicæ sententiæ auctoritate sancitur? Aut enim gentium populus, Camelus vitiorum prauitate erit, & quamdiu hoc fuerit, angustam viam introire non poterit. Aut si omni infidelitatis, & prauitatis errore depositō recti itineris callem ingredi meruerit, iam Camelus dici non poterit. Expositis his quæ eum secundum quorundam intellectū antedicti animalis fecerant vocabulo nuncupari, ita fiet, vt hoc loco Camelus, siue secundum historiæ veritatem, siue secundum allegoriæ translationem, foramen acus intrare non possit. Deinde quale est, quod cum angusta via & regnum cœlorum sibi inuicem connexa atq; coniuncta sint, vt Saluatorem ab alterutro sequestrasse credatur? Nam si foramen acus angusta via est, *facilius*, inquit, *Camelus introibit per foramen acus, quam diues in regnum cœlorum*. Cum dicit facilius illud, quam istud fiet, infinitam discretionem ostendit. Et si ingens discretio est, non potest de angusta via intelligi, quæ cælesti regno coniungitur, non separatur. Illud vero quæ ratio faciat intuendum est, quod hi quibus moris est omnia pene testamenti veteris allegorica & mystica expositione tractare, & noui seu præcepta, seu gesta historicæ magis intelligentiæ simplicitate sentire, eo quod veterum facta nouorum præfigurauerunt veritatem, vt in sola causa diuitiarum consuetudinem suam aut obliuiscantur, aut mutent: & præpostero ordine quæ in lege sunt gesta ad defensionem diuitum simpliciter & absq; imaginariæ interpretationis mysterio supputantur: Euangelica vero præcepta omni historiæ simplicitate, & veritate summota allegorica nitātur obumbratione velare; quasi in hac tantum re nouum testamentum figura sit veteris, cum in omnibus vetus noui imaginem gessisse noscatur. Diuitias enim Abrahæ, & Dauid, & Salomonis, & cæterorum simpliciter intelligi volunt. Vbi vero aliquid in Euangelio de diuitiarum contemptu legitur, tropico moliuntur tractatu corrumpere, cum magis, vt diximus, legis, quam gratiæ allegorizare mandata cōueniat, nisi quod huiusmodi non tam scripturarum quam vitæ suæ qualitate conantur adstruere, & per falsam legis interpretationem, omni acuminis ingenio defensare quæ diligunt, & conuersationem suam non tam secundum Euangelica præcepta dirigere, quam secundum actus sui morem Euangelicorū mandatorum intelligentiam temperare. Non enim tam vitam suam legi subdere cupiunt, quam legem suis conuersationibus subiugare. Volunt enim ita præceptum esse, vt viuūt, non ita viuere, vt præceptum est. Sed huiusmodi sensus auctoribus suis non solum nihil proficiet, verum etiam obesse credendus est, cum per eū non modo cælestiū mandatorum præuaricatores, sed etiam adulteratores fuisse doceantur. Sed dicis. Præceptorum prius genera implenda sunt, & ab omni iniquitatum flagitiorúmq; inquinamentis animus expurgandus, & sic diuitiarum substantia distrahenda. O argumentum tam pro diuitiis, quam pro peccatis pariter inuentum. Nam cum dicatur, tum demū vnicuique spernendas esse diuitias, cum omnia præceptorum mandata seruauerit, & perdifficile sit diuitem vniuersa legis iussa complere, ita fiet, vt nec mandatorum plenitudinem diuitiarum necessitatibus curisque arcentibus impleat, & dum quod est difficillimum expectat, nec diuitias aliquando contemnat. Aliter Christus suos discipulos imbuit, quem nihil prius docuisse inuenies, quam cuncta sæculi impedimenta spernenda, quo facilius Euangelica possent mandata suppleri. Quod illo in loco præcipue demonstratur, quo parabola Saluatoris verbi cælestis inducitur, in qua spinis diuitiæ comparantur, ita in aruis cordis nostri suis curis ac voluptatibus semen verbi suffocantes, & absque fructu efficientes, vt in terreno agro spinæ omnium generum semina aut infructuosa reddant, aut nec germinare

Matt.13. Marc.7. Luc.13. Matt.10. Matt.7.

Matt.13. Marc.4. Luc.8.

permittant. Si igitur cor noſtrũ humo aſſimilatur, verbum vero ſeminibus adæquatur, diuitiæ autem ſpinis & ſentibus comparantur, quis terræ huius cultor intelligendus eſt? Animus niſi fallor. Quid ergo primum in ſpinoſa humo agricolæ exercendũ eſt? ante iacienda ſemina, & poſtquam fructus attulerint, ſpinæ eradicandæ, an prius ab omnibus ſeminum contrariis mundandus eſt ager, & ſic bonorum frugum grana iactanda ſunt? Et nobis igitur huius comparationis exemplo diuitiarum in primis ſpinæ euellendæ ſunt, ne bono ſemini poſſint eſſe contrariæ. Dicis forſitan, cur autem non cum diuitiis omnia poſſim Chriſti mandata ſeruare? Si potes, nihil tibi diuitiæ obeſſe credendæ ſunt. Primũ ergo ipſorum mandatorum ſpecies noſſe debes, & ſi etiam diuitibus implere poſſibile ſit, diligenti examinatione rimare. Iubemur enim non mentiri, nõ maledicere, non periurare, ſed nec iuſte quidem iurare, nulli malum pro malo reddere, inimicos diligere, pro perſecutoribus & calumniatoribus noſtris inſtanter orare, non licet nobis ablata repetere, non ſæcularia iudicia adire, non vicem iniuriam irrogantibus repenſare, prohibemur etiam cum fornicatoribus aut ebrioſis, aut maledicentibus, aut rapacibus cibum capere, non licet nobis ocioſum ſaltem proferre ex ore ſermonem: quid neceſſe eſt aliquid de maioribus dicere, cum nulli eſſe poſſit ambiguum, eis maiora non licere, quibus etiam minora prohibentur admittere? Obſecro te, vt mihi ſecundum conſcientiæ tuæ teſtimonium reſpondeas; An hæc omnia implere poſſibile ſit ei, qui diuitiarum nexibus fuerit implicatus? Tanto enim vnicuique amplioris cura ſollicitudinis naſcitur, quanto maior rerum ſubſtantia poſſidetur. Multos propter Dominum pauperes ſcimus, & ab omnium terræ facultatum proprietatibus, & curis alienos, nullisque mundanæ poſſeſſionis neceſſitatibus prępeditos, & tantum terræ liberos, quantum extraneos, & vix nihilominus mandatorum perficere plenitudinem poſſunt. Si illi vix poſſunt, quid facient qui ingentibus diuitiarum curis, & immenſis mundanarum rerum ſollicitudinibus occupantur? Et ne quis putaret aliqua horum, quæ ſuperius memorauimus, ſufficere quamuis non vniuerſa ſeruẽtur, alio in loco dicitur: *Qui vniuerſam legem ſeruauerit, offendat autem in vno factus eſt omnium reus*. Et ne hoc de veteris teſtamenti tantum præceptis intelligendum exiſtimes, ſcito illud Chriſtianis dici, quibus iã nouæ legis mandata erat neceſſe perficere. Quippe cum regnum cælorum non introeant, niſi qui prioris inſtrumenti cultores abundantioris iuſtitiæ magnitudinem ante tranſierint. Quod autem & nouum teſtamentum lex dicatur, beatus Apoſtolus docet, dicens: *His qui ſine lege erant, quaſi ſine lege eſſem, cum ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti*. Et alibi: *Inuicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*. Quid ergo dicimus, quod diuitiæ peccatum ſint? abſit. Non quod ipſæ peccatum ſint, ſed quod peccandi occaſionem porrigant, dum aut male conquiruntur, aut non ſicut oportet poſſidentur, aut per harũ ſollicitudinem cæleſtium mandatorum incuria naſcitur, & delictorum crebrior neceſſitas miniſtratur. Quapropter ſpiritus ſanctus teſtatur, & dicit: *Fili ne in multis ſint actus tui, & ſi dives fueris, non eris immunis à delicto*. Ergo, ſicut ſuperius diximus, peccandi occaſionem diuitiæ præbent, & poſſidendi nimietas cauſa efficitur errandi. Prudenti & religioſo animo & abſque alicuius reprehenſionis macula viuere concupiſcenti, non modo peccatum, verum etiam peccati ipſius pertimeſcenda eſſe debet occaſio. *Beatus*, inquit Scriptura, *qui timet omnia propter Dominum*. Occaſiones enim peccatorum occaſionibus valetudinum ſimiles ſunt. Sicut enim corpus inualidum priſtinam difficile recipiet ſoſpitatem, niſi omnes prius occaſiones, per quas infirmitatum cauſæ miniſtrantur, abſtulerit: ita anima peccatorum depreſſa morbo, & iniquitatum febribus exæſtuans, prævaleſcere difficile poterit, ſi non vniuerſas ante occaſiones abſciderit delictorum. Et vt ſenſatus æger recuperare volens celerem ſanitatem, valetudinis ſuæ cauſas atque materias per ſe ipſe perpendens, omnia ſaluti contraria repellit ac remouet, quamuis deſiderabilia nimis ſint, & delectabilia voluptatis: ita vir prudens & ſapiens, qui melioris ſubſtantiæ, animæ ſcilicet, deſiderat ſoſpitatem, occaſiones omnes debet intelligere peccatorum, & cùm eas integra conſideratione librarit, ab omni animi ſui deſiderio procul auertere, nec amplius iam velle diligere, quamuis dulce atque ſuaue ſit quod per ſaporis ſui commodum ſpiritalibus viſceribus læthale virus infundat. Nolo enim mihi iã dicas; ſed illa, & illa Deus creauit: quoniam & multimoda pomorum genera, & frigidiſſimi fontiũ liquores, & vini ſuauiſſimi ſpecies Dei ſunt creaturæ: nec idcirco tamen febricitantibus porriguntur, quia maior per hæc cauſa poteſt venire languoris. Sed quid de ægris loquor, quando hoc percipere nec ſanis quidem niſi cum modeſtiæ temperamento ſalubre ſit, quia in omni ſpecie nocet quicquid ſupra naturæ neceſſitatem auida nimis & inſatiabili concupiſcentia ſumitur. Sed concedam tibi, quod ita habere diuitias poſſis, illas ſcilicet, quæ ex bona parentum hereditate deſcenderint, vt eas abſque vllius delicti contagione poſſideas, & ſint tibi bonorum operum materia, nõ cauſa vitiorum. Eſto tu illius efficaciæ, ſis atque virtutis illius, perſpicuitatis atque prudentiæ, vt aut ſolus, aut ratus illam rem ad tuum cõmodum vertas, quæ aliorum ſaluti adferat detrimentum perenne. Quanti ſunt enim illius, cuius tu videris eſſe circumſpectionis atque prudentiæ, vt aut per malũ ſibi diuitias intelligant non expetendas, aut per bonum veniẽtibus vti velint in miſericordiæ, aut pietatis officiis, tu de bono habeas, & bene poſſideas quod nec iuſtè forſitan conſecutus es, & iuſtè perfrueris. Sed alij nõ intuentur vnde habeas, vel quaeliter habeas, niſi tantum quia habeas, & quia quid habeas vident, vnde vel qualiter habeas non vidẽt. Et dum hoc ſolum optant imitari quod vident, incipient per fas & nefas quærere, & ſcelera multa committere, vt tibi in poſſidendi quantitate aut pares, aut ſuperiores videantur exiſtere. Et erit iam ſubſtantia tua, non tam virtutum occaſio, quam cauſa vitiorum. Sed mihi bonorum operum materies, inquies, ſolo tibi bonorum, plurimis vero malorum. Et neſcio iam vel ſi tibi per eã boni aliquid conferatur, quæ interitus fuerit cauſa multorum. *Contemnenda eſt illius rei bonitas, quæ multos, dum vni prodeſſe*

Iac. 1.

1. Cor. 9.

Galat. 6.

Eccl. 11.

desse putatur, occidit: quanto melius geres si tua omnia erogando triplex perficias bonum. Primum misericordiæ, quod tunc ad perfectum consummasse credendus es, cum vniuersa distribueris: secundum quod dum tibi nihil derelinquis, omnibus non modo peccandi occasionem auferes, verum etiam præbebis virtutis exemplum: tertium, quod perfectionis gradum conscendis cunctis substantiæ facultatibus erogatis. Quid ergo dico, vt diuitias à piissimis parentibus derelictas, ab auis, proauis, atauis tritauisque collatas, absque vlla causa peccati, absque alicuius læsione, vel dolore quæsitas, odio nostris suasionibus habeas? absit, quin potius hortor vt diligas. Omne enim quod quisque fideliter dilegit, non temporali, sed æterna obtinere possessione desiderat. Si amas patrimonium tuum, id age, vt illud sempiterna valeas hereditate retinere. Et si vere hoc cupis, dum tempus habes, transfer illud de terra in cœlũ, quia quicquid in hoc mundo remanserit, mundi fine delendum est. Quicquid illuc igitur dum à viuis transtuleris, perpetuo possidebis. Quicquid autem hic reliqueris, perdidisti. Memor

Iudith. esto illius sententiæ dicentis: *Iustifica animam tuam ante obitum, quoniam non est apud inferos quærere cibos.* Et

Eccl. 18. alibi: *Ante iudicium para iustitiam tibi.* Ego illum diuitem magnificum atque laudabilem puto, & cũctis sapientiæ merito præferendum, qui ita vitæ, mortisque consideratione se temperat, vt ante se vniuersa præmittat, aut secum pariter sua cuncta deficiant. De hoc scriptum esse reor: *Redemptio animæ*

Proverb. 13 *viri diuitiæ ipsius.* Sed quomodo, inquies, ad cœlestia possunt terrena transferri. Per illos scilicet, de quibus

Matt. 19. scriptum est: *Vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis.* Meminisse debemus, nos in hoc mundo tãquam hospites, & peregrinos degere oportere. Beato Apostolo dicente: *Tanquam*

1. Pet. 2. *hospites & peregrini abstinete vos à carnalibus desideriis.* Item alius Apostolus dicit: *Dum in hoc corpore sumus,*

2. Cor. 5. *peregrinamur à Domino.* Ergo sicut aduenæ in hac terrena habitatione sumus, ita aduenarum morem debemus imitari. nullus enim peregre constitutus illa sibi conquirit aut congregat, quæ secum ad proprias sedes ferre non possit. Nemo enim de India, aut Arabia, aut de Ægypto negotiandi causa aduenies Romæ, vel quocunq; alio in loco exiguo tẽpore moraturus, aut domos sibi ibidem, aut possessiones comparet, aut aliqua quæ esse immobilia videantur, nisi aut aurum, aut argentum, aut merciũ species, aut quæcunque secum ad patriam propriã ferre sufficiat. Ita ergo & nobis in hoc peregrinationis nostræ tempore, illa tantum desideranda sũt, illa quærenda, illa omni laboris ac sudoris studio congreganda, quæ nobiscũ simul ad cœlestia possunt regna transire, & in quibus valeamus perpetuæ hereditatis locupletatione gaudere. Sed nec illorum mihi prætereunda est arguta nimis & vrbana subtilitas, qui sibi religiosi videntur, & mundi contemptores tam apud se, quam apud imperitos iudicantur: eo quod aut humiliore incedãt habitu, aut nulla illos possessionum vel ornamentorum, aut auri, aut argenti, aut cuiuslibet pretiosioris metalli pompa delectet, & omnia nihilominus suis abscondita thesauris latent, & quod coram hominibus inanis gloriæ causa fruendi vsus contemnitur, animi cõcupiscentia possidetur. Sed filios habeo, inquies quibus mea cupio vniuersa seruare. Quid ergo religionis intuitu contempsisse te fingis, quod liberorum contemplatione custodis? Vel cur tibi plaudes, aut complaces, quasi noui aliquid geras, si omnium bonorum tuorũ tuos filios heredes instituas, quod facere etiam infidelibus moris est? Aut in hoc forsitan, te Deo aliquid cõferre existimas, quia liberis tuis celerius præstas, quod eis eras quandoque sine dubio relicturus? Quid ergo dicimus, vt filios tuos penitus exheredes? absit. Sed vt illis non plus, quam naturæ necessarium est, relinquas. Nam quomodo eos diligis, si illis ea videris conferre, quę noceant? Obesse enim & ipsis possunt, quæ tibi visa sunt obfuisse. Aut enim tibi nihil obfuerant, & frustra ea spreuisse te simulas, aut si obfuerunt, nec illis conferenda sunt. Nullus enim quod sibi noxium sentit, cupit eos possidere, quos diligit: Aut ergo filios non amas, si eis vis conferre contraria, aut si amas, certum est, te non quasi contrarium habere, quod illis optas, quos diligis, exhibere; Sed vt superius diximus, humanæ gloriæ causa quasi inutile spreuisse te simulas quod intra animi conscientiam pro summo amplecteris bono. Nihil enim nobis proderit aut numerosæ sobolis glorioſa progenies, aut per vniuersas mundi partes longe latéque diffusa vberrimi cespitis locuples ac spatiosa possessio, aut plurimarum ædium superba nimis & elata constructio, aut pretiosarum multiplex & glorioſa concinnitas, aut dignitatum vel honorum ambitiosa iactantia, cum extrema ad nos hora peruenerit, cum ambiguus omnibus finis aduenerit, in quo nullos secum præterquam bonorum aut malorum operum fructus accipiet. Nihil enim aurum, nihil argentum, nihil pretiosorum lapidum coruscantes gemmæ proficient, cum ille rutilare cœperit dies olim à Domino destinatus, cum ipsa etiam ignibus cœperint elementa crepitare. De quo Propheta testatur dicens: *Magnus est dies Domini, magnus & illustris nimis, & quis erit sufficiens ei?* Et beatus Apostolus Petrus: *Aduenict autem dies Domini vt fur, in qua cœli magno impetu transibunt, elementa verò calore soluentur. Cum hæc igitur omnia dissoluenda sint, quales oportet nos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quam cœli ardentes soluentur, & elementa ignis calore tabescent?* Item beatus Apostolus Paulus: *Terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios*: cuius horroris vim non qui diues fuerit, sed qui iustus euadet, Scriptura dicente: *Aurum eorum & argentum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini,* & alibi: *Non proderunt thesauri iniquis, iustitia autem liberat à morte.* Curramus igitur dum tempus est, & omni concupiscentiæ excusatione postposita, quanta possumus celeritate post laborem consideremus, ne nos dies illa vacuos & infructuosos inueniat. Si verè fidi sumus cœlestibus nos remunerandos opibus, & perpetuæ possessionis sublimitate ditandos, fastidiosa sit nobis terra post cœlum, & omnis temporalis & mundana possessio ad æternæ illius beatitudinis comparationem, quasi inutile stercorum sordeat purgamentum. Nemo

Iohe. 2. 2. Pet. 3. Heb. 10. Ezech. 7. Prouer. 10.

magna consecuturus miretur exigua. Facile valemus contemnere quod sumus, si pro certo credimus quod erimus futuri. Quid nobis illa magna cũ ambitione concupiscere, quæ possunt etiam pessimi homines obtinere? Quanti locupletes criminosi, quanti impij, quantique lasciui, quanti nefandorum facinorum sceleribus inquinati? si tantum iustos, sapientes, pudicos, innocentes, & pios cerneremus habere diuitias, merito cuicunque prudenti illæ cum ingenti auiditate desiderandæ essent, quæ solis competerent bonis. At vero cum constet illas malos præcipue esse sortitos, nescio qua ratione sapientium quisquam potiri velit, quod ab stultis sceleratisque videat possideri. Sed in pauperibus ista sunt, inquies. Sed paupertatem nemo concupiscit, & facilius pauper ab istis se exuere, quam diues potest, cui paupertas non modo delinquendi nõ præstat fomitem, verum plerunque possibilitatem negat, Scriptura dicente: *Est qui vetatur peccare præ inopia.* Vide ergo quid eligendum magis sit, quod delinquere prohibet, an quod nonnunquam peccare compellit? Nam quod diues à delicto alienus esse vix possit, superiore iam diuinæ sententiæ auctoritate monstratum est. Illas magis diuitias conquiramus, quarum suffragio Christi & angelorum eius participes esse mereamur. Simus plane locupletes & diuites, sed in bonis actibus, sed in conuersationibus sanctis & piis, repleamus corporis nostri thesaurum sanctitatis auro, & argento iustitiæ. Pretiosior nobis sit omni ornamento synceritas, intrinsecus nos, non extrinsecus componamus, idest, non corporis sed spiritus decoramenta quæramus. Ornemus animam nostram, & vt Deo formosa appareat, omnibus eam speciebus iustitiæ depingamus. Erit enim satis compta ac decorata, si sit in illa grauitas morum, conscientiæ puritas, credulitatis fiducia, sobrietatis abstinentia, patientiæ mansuetudo, pudicitiæ integritas, misericordiæ pietas, cordis humilitas, dilectionis charitas, & horum omnium conseruatrix & altrix mera & inuiolata simplicitas. Nulla enim Deo anima tam speciosa, tam pulchra, quam cuius est innocentia margarita fulgentior. Harum diuitiarum opes & ornamenta quanta possumus sagacitate quæramus, sciẽtes cœlesti regno indignos fore, quos non omnes opulentiæ huius pompa sit comitata.

Eccl. 20.

SANCTI SIXTI TERTII, PONTIFICIS MAXIMI, EPISTOLA DE MALIS DOCTORIBVS ET OPERIBVS FIDEI, ET DE IVDICIO FVTVRO.

Cauta lege ut supra admonitum est.

VANTAM de purissimæ mentis vestræ synceritate fiduciam geram, ex hac præsumptionis meæ temeritate perpendite, qua audeo eximietati vestræ, colligata inueterandáque litterarum apicibus verba dirigere, cum hoc in tempore solutum, & liberum, ac cito fulgentem, & nullius scripturæ vinculo compeditum sermonem proferre vix tutum sit. Duplicis enim ratio causæ me ad huiusce modi animauit audaciã, & Christianitatis vestræ beneuolentia, apud quem nihil non tutum pio eloquio credidi, & charitatis liberalitas, cuius naturæ est facilius omnia cauenda contemnere, quam eorum quæ profutura existimauerit his quidquam negare quos diligit. Insuper & illud accessit, quod ita vestræ essem conscius religionis, vt certissime scirem nihil eã magis velle, nihil cupidius optare quam de sanctis voluminibus seu voce promptum, seu litteris insertũ inceſſabiliter haurire sermonem, & ea sibi semper quæ exercere dignoscitur prædicare. Quia licet diuini oris eloquium omnibus sit pro naturali suauitate saporabile, attamen nullis tam dulce, quam qui se eius famulatui mãcipare nituntur, efficitur. Infinita animi oblectatio est, cum id sibi senserit adnunciari, quod facit, & tã contristari sancta mens potest, si resolutam doctrinam audiat, quam si indisciplinata fuerit, exultare. Habet enim hoc cõditio humanæ naturæ, vt aliud nolit audire, quam animo decreuerit exercere. Noueram etiam vos ita cœlestis verbi ardore flagrare, vt gratissimum duceretis illius solatiũ vobis quolibet impertiente præstari. Non vacat enim eligere in eius rei exhibitione personas, qua potiri impatiẽtissime concupiscas. Nimis sitiens nullius propinãtis respuit ministerium, & in qualicunq; bibere cõtentus est poculo, non quo parum sanctitati vestræ copia doctrinæ cœlestis exuberet, sed quia tanta auiditate animi eam potare vultis, vt cum ipsis abũdetis fontibus, nec desiderantes quidem paruis lentisq; roribus riuulos respuatis, & sicut hi quos immoderatæ auaritiæ cupiditas tenet, quãuis vbertim cuncta possideant, & affatim rerũ omnium opulentia polleant, nihilominus tamen pro infinita habẽdi concupiscentia, si quid eis pauper obtulerit, libẽter accipiunt: ita & vos, in quibus eius cupiditatis ardor exæstuat, quæ in illo fuisse dignoscitur, cui quod vir concupiscentiarũ esset, angelica protestata responsio est, minorũ etiam scientiæ studio non aspernanter dicta suscipitis, cum ipsi abundantioribus, & opimis cœlestis doctrinæ thesauris affluatis. Nec meorum quidem me deterruit delictorũ conscientia, quo minus me in omni religionis cultu ac deuotione meliores peccatorum omnium vltimus litterarum affatibus cõmonerem, & in oculo meo trabem gerens eorum immaculare aciem vellem, quorum nec festuca quidem inesse credenda est. Cum illius nos humilitatis esse non ignorarem, cui nec deterioris generaret sermo fastidium. Et ita exosa habere peccata, vt vobis in iisdem destruendis nec peccatoris quidem disputatio possit horrere, nec retractare quo qualíve labefactante desinant, dummodo esse desinant. Quapropter obsecro, vt si facilitatis nostræ vsurpata temeritas sensum vestræ sanctitatis offenderit, non tam mihi eam, quam causis superius comprehensis, & charitati vel maxime imputetis ardenti, quæ sæpissime solet terminum humilitatis excedere, dum dilectionis gratiam nititur exhibere. huius namque præsumptionis

Dan. 9.
Dan. 10.

813

sumptionis audaciam sanctarum etiam Scripturarum exemplis certum est confoueri. Illis scilicet, quibus continentur: exhortamini inuicem, & ædificate alterutrum. Et iterum: Verbum Christi habitet in vobis in omni sapientia docentes, & monentes vosmetipsos. & rursum: Certus sum autem fratres mei & ego ipse de vobis, quia pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita vt possitis alterutrũ monere: Dilectionem enim in hoc loco, tam scientiæ, quam monitioni præponendo, ostendit duo inferius comprehensa ex illius, quam anterius nuncupauerat charitatis videlicet causa descendere, & eam veram, & secũdum Deum esse scientiam, quæ non alterius rei quam mutuo ædificationis amore præstetur. Et tam illam laudandam dilectionem, quæ vt aliis prosit, in doctrinæ vsu studió que laborauerit, quàm illam peritiam prædicandam, quæ solius charitatis officia quæsierit. Talis est enim doctrina per quã nullus animæ profectus adquiritur, qualis est medicina cuius per curam remedium minime ægrotantibus exhibetur. Quod solet etiam peritis medicis sæpe contingere, dum in sola arte fidentes minus sollicite aut pestilentiam temporis perscrutantur, aut ægritudinis rimãtur causam, aut qualitatem valetudinis contuentur. Sicut enim in corporalibus morbis varia & multimoda languoris videntur esse contagia, & pro commutatione temporum valetudinum quoque diuersitas nascitur, & periti ac solertis medici est per se perpense omnia librare, æstimare, coniicere, ne laboriosæ sollicitudinis declinatio fastidiosa & ægrum perdat, dum parua diligentia cuncta rimatur, & artem, dum negligentius latentia scrutatur, infamet: ita & boni doctoris est spiritalium morborũ causas præuidere explorare, cognoscere, perdocere, & quibus occasionum generibus oriantur, aduertere, & tum demũ cognitis omnibus atque compertis, cœlestis curæ adhibere medicinam: sed in tali expetita similitudine, non tam medici nobis quam infirmantis in huius tractatus disputatione cõpetere videtur exẽplum, qui propriæ salutis commodis prospiciens & morborum suorum occasiones intelligere debeat, & intelligendo vitare. Etsi sicut adsolet medicorum aut malitia dolosa, aut imperita stultitia cõtrarium magis, quam sospitati profuturum voluerit dare consilium, sapiens æger & suæ infirmitatis medicus, priuatis iam calamitatibus eruditus recusat ac respuit quod experientia propria sibi noxium esse cognouerit; ita & nos, vt de me & de mei similibus loquar, peccatorum nostrorum quorum contagione nobis spiritalis morbi ægritudo succrescit, tam causas, quam remedia nosse debemus, & nulli magis fidem quam experimento proprio commodare. Nec insensatorum ritu languentium frustrari nos quorundam adulatoriis, & blandis pollicitationibus adnuamus, vt credere velimus, aut profuturum nobis quod aliis minime profuisse speremus aut vnde cæteri perierunt, nos euadere posse speremus. Credo enim vos pro ingenita vobis intelligẽdi prudentia, immo per sancti Spiritus reuelationẽ, cuius nequaquam pie sanctéque viuentibus gratia deesse censenda est, nostri temporis luem calamitatémque perspicere, & me magis alieni causas examinare languoris, cum ipsos vos ab eodem perspi-

A euitatis propriæ intelligẽtia esse præstet immunes. Facilius etenim aliorum passionem, qui ab ea liberi sunt, quã qui pati videntur, intelligunt: Nec illam ignorare credendi sunt, qui eius declinare cernũtur in cursum. Vnde Sanctitatem vestram scire nõ ambigo, ex hoc vel maxime in præsenti tempore peccatorum morbo plurimos immedicabiliter laborare, quo per fidei prærogatiuam, credulitatisque fiduciam non se perituros existimẽt, quamuis plurima cœlestium mandatorũ præcepta non seruent. Prôh nefas, vt per hoc fides, scilicet mortis causa miseris malæ intelligentiæ vitio ministretur, per quod bene sentientibus æternitatis vita confertur, & in-

B teritus perditionisq; materia humanæ ignorantiæ imperitia sit illud, quod diuina clementia præstitit, vt esset salutis occasio. Nõ enim idcirco Dominus omnem spem credentibus repromisit, vt sub obtentu fidei liberius securiúsve delinquerent, sed vt iam de cætero non peccarẽt, quibus per fidei suæ indulgentiam pristinæ incredulitatis fuerant delicta donata ad abolenda peccata fides proficit, non ad cõmittenda licentius, id est vt ante perpetrata cõmittat, non vt post futuræ securitatis veniam largiatur. Vnde si quis post sanctum lauacrum fidem dereliquerit, iam non per solam fidem, vt ante baptismũ, veniam sperat, sed fletu, planctu, abstinentia, ieiu-

C nio, cilicio etiã & cinere, omnique genere lamẽtationis implorat. Sed vnde hic humanis mẽtibus error obrepserit, ante omnia nosse debemus, qui Christi fidem non tam ad destruenda, quam ad protegẽda censeat peccata venisse. Protegũtur enim plurimum, cũ securitatis solatio nutriuntur. Maxima enim securitas est, vt per fidei suffragium aut paruo supplicio, aut nullo expianda credantur, quæ ante gratiæ tẽpus seuerius vindicabãtur. Quod si ita est, Matt. 5.
nescio, quomodo Christus Dominus nõ venit soluere legẽ, sed adimplere, si per eius credulitatem di-

D sciplina non aucta est, sed minuta. Minuta enim est si timoris causa sublata est. Timoris autem causa sublata est, si pœna dimota est. Dimota vero est, si absque vlla pœnitendi satisfactione sub aliquo impunitatis fine conclusa est. Vnde ergo huiusce peruersitatis intelligentia emanasse credenda est, nisi ex illorũ mentibus qui illa quæ exercere non pertimescunt, nituntur defendere? Quique malunt sibi quibuscunque coniecturis impunitatis veniã suadere, quam peccatorũ vitia declinare. Multi enim sunt, quos aut odiendi acerbitate, aut zelandi æmulatione, aut cupiditatis ardore, aut obtrectationis malignitate, aut iracundiæ furore, aut in patiendi æstuatione, aut luxuriandi voluptate, aut superbiæ æmulatione, aut mentiendi falsitate, aut maledicẽ-

E di asperitate, aut quocunque alio huiusmodi vitio, ita malæ institutionis consuetudo, & longi temporis vsus infecit, vt pertæsum illis sit inueteratam iam consuetudinem bonæ conuersationis institutione mutare. Et si contingat, vt ex his aliqui diuinarum Scripturarum volumina legant, nihil aliud moliuntur, quam vbicunque præcepta doctrinæ perfectioris inuenerint, ingenij calumnioso acumine & disputandi arte corrumpere, & ad vitæ suæ patrocinium eiusdem intelligentiam temperare. Faciunt enim hoc dum volunt videri non tam legem contemnere, quam legis auctoritate delin-

quere,séque idcirco non agere quæ iubentur, quia aliter accipienda intelligantur,non ignorantes quidem quid veritatis ratio intrinsecus habeat,& huiusce fallaciæ deceptionem apud Deum sibi non modo non profuturam,quin etiam pernitiosam fore optime intelligentes, quippe cum per ipsam tam sibi quam multis minus intelligẽtibus, æternæ perditionis interitus irrogetur: Sed quoniam humanę nimis essent gloriæ cupidi, vt sanctos se haberi vellent,& peccatorum flagitia multo iam tempore inueterata vitare differrent, quibus permanentibus sancti æstimari non poterant nimis callidam & argutam, per quam simplicium mentibus caliginem offunderent excogitauere fallaciam, vt cum apud conscientiam suam peccatores essent, sancti apud alios haberentur, & sibimet in veritate mortui viuere apud exteros in præstigia putarentur. Omnia illa peccatorum genera, in quæ pro humanæ consuetudinis vitio sæpissime incurritur, & quæ non nisi qui Deum granditer metuunt, vitare noscuntur subtilissima fallaciæ adsertione,& versuta argumentandi disputatione nihil sanctitati nocere posse contendunt, vt hoc artificio, & sanctitatis illis opinio maneat, & peccandi consueta libido non pereat. Subtiliter enim eos per gloriæ concupiscentiam diabolus lusit, & peccandi eis germinauit occasionem,vt dum indebitam sanctitatis famam aucupantur, peccata defenderent, & esset illis apud Deum duplex offensa tam pro delictorum patrocinio,quæ vitare potius, quam defensare debuerãt, quam pro cupiditate gloriæ frustra requisitæ. Sed malunt sancti videri,quam esse, & Deo potius quã hominibus displicere. Mirari enim non oportet, si hæc humanæ, vt dixi, ambitionis gloria agere dignoscuntur, cuius tanta amoris vis est, vt plerunq; eam nec cælestis & perpetuæ beatitudinis labefactare spes queat,nec horribilis & infinita gehennæ valeat formido destruere. Hac namque de causa ab huiusmodi,etiam sine cuiusquam iustitiæ operibus nuda & infructuosa fides profutura contenditur,& sola ab eis irremediabilis impietas,ideſt idololatrię nefanda commissio prædicatur. Ergo hæc duo non tam deuotione doctrinæ,quam propter sui facilitatem obseruanda decernunt, eo quod leue sit fidem vacuam verbis adnuntiare,& nullius prorsus laboris ab idololatriæ crimine abstinere. Sed cur hominibus iã diu in Christi fide & religione censitis, & eiusdem baptismatis sanctificatione purgatis, tantopere commodum credulitatis insinuent, nequaquam intelligo, nisi eos adhuc gentilitatis arbitrantur habere perfidiam,quos ex hoc credere,non dubium est,quo Christiani probantur. Quam ob causam non iam fidem illis, quam nisi haberent, nec Christiani essent;sed fidei conuenit opera prædicari. Aliud est si hinc illos infideles existimant, quoniam secundũ debita fidei conuersentur obsequia; quod non ita esse, ex hoc absolutissimæ intelligentiæ ratione monstratur, quo eis absque sanctitatis operibus æternæ spem beatitudinis pollicentur, quam nunquam promitterent, si ex perperã viuendi argumento credulitatis illius etiam substantiam denegarent. Sed vt superius commemoratum est, fidei tantum nituntur vniuersa conferre,quod facilius sit fidem verbis commendari vacuis, quam iustitiæ opera à nolentibus exerceri. Adserere se falso humanis auribus fidelem etiã infidelis potest, quia fides incontemplabilis res est, & eius veritatis examinatio in profitentis tantum cõscientia posita est, non in audientis arbitrio. Perfacile est enim in eius rei contestatione mentiri,cuius nequaquam verendum sit inuestigabile mendacium denotari. Iustitiæ vero idest integræ & immaculatæ vitæ conuersationẽ nemo tam facile aut fingit, aut prædicat,eo quod probatio eius in promptu sit,& nunquam celari sermonibus soleat, quod possit operibus iudicari. Vnde difficile quis audet eam rem aut simulare,cuius ex qualitate gestorum possit simulatio deprehendi,aut certe aliis adnũtiare, quos sese adnũciationis suæ doctrinã transgredi minime ignorare sit certus. Qua de causa illius rei doctrina, cuius ambigi veritas potest,sæpe profertur:de ea vero cuius obscurum esse negotium non licet, aut parum quid dicitur,aut penitus conticetur. Habent etiam hoc mundanam gloriã desiderãtes,& humanæ laudis perfrui cupientes voluptatibus, vt ante auditorum suorũ mores vitamq; explorent, & ita doctrinæ suæ modum temperent, ne cuiusquam eorum possint mentibus displicere: Scientes etiam se tunc optimos magistros habendos,si per omnia discipulorum gestis doctoris sermo concordet: & si eis inæstimabilis illius beatitudinis incorruptionẽ absq; voluptatum suarum demolitione concedat:necesse est enim, vt qui omnium fauorem expetunt, id primum agant,quatenus ab omnibus diligantur. Diligi vero non poterunt,nisi eorum prius quorum amoris gratiam exigunt,moribus placeant. Placere autẽ difficile est,si non per omnia eorundem actuũ institutis doctrinæ suæ voluerint adhibere consensum. Et ita fit,vt dũ nimia humanæ cupiditate gloriæ diligi se etiam à vitiosis expetunt,vitia & peccata defendant,& contra legalis & euãgelicæ doctrinæ veritatem iisdẽ perpetuitatis gloriã polliceãtur, quorum non salutẽ videantur efflagitare, sed laudem. Idcirco per solius credulitatis meritum æternã immortalitatis iisdem spem repromittunt, quia sciunt nihil penitus laboris esse fidem, immo fidei professionem sine iustitia possidere, & eam doctrinam omnibus gratissimam fore,quæ tanti muneris præmiũ absque aliquo labore concesserit. Sed præstigiosa huius commẽta fallaciæ, qua persuadetur, aut credulitatẽ sine operibus esse,aut solam sufficere credentibus fidem posse, apud eos (si forte) valeant,qui inuisibilia ex visibilibus probare non norunt, neque intelligere vbicunq; fidei fructus non sit,illic quoque nec ipsam fidem esse credendã. Cæterum quis prudens addubitet, vbi fides sit,illic esse & timorem? Et vbi timor sit,illic esse & obedientiã; & vbi obedientia sit, illic esse & iustitiam? Sicut è contrario,vbi iustitia non sit, illic nec obediẽtiam, nec timorem esse,nec fidẽ. Ita enim sibi hæc inuicẽ sociata,atque connexa sunt, vt diuisa penitus esse non possint. Tunc enim recte fidei bonum referre existimabimur, cum illi mandatorum obtemperãtiam iunxerimus; alioquin verendum est, ne male ei adulemur,si solam illã citra bonorum efficientiã operum ad æternitatis meritũ sufficere dixerimus. Sed ne hoc nostris tantum sermonibus adstruxisse videamur, ad comprobandã huiusce intelligentiæ

veritatem

veritatem aliqua diuinæ legis exempla promenda sunt. Dicit enim Scriptura: Qui credit Deo attendit mandatis eius; & qui confidit in illo, non minorabitur. Si enim illum credere dixit, qui mandatis attendit, illum sine dubio incredulum exposuit, qui non attendendo cõtempserit. Hoc & beatus Ioannes Apostolus: Omnis, inquit, qui in eo manet, non peccat; & omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum. Vnde intentius cognoscendum est an fidelis haberi debeat, qui iuxta Apostolicam definitionem Deum ignorare censetur. Cui enim in dubium veniat, quod vbi futurorum fides est, illic tam æternæ beatitudinis desiderium sit, quam pœnæ perpetuæ timor? Et vbicunque hæc duo fuerint, difficilis erit causa prævaricationis, dum eam aut incorruptibilium bonorũ amor, aut indeficientium suppliciorum terror excludit. Et vbi facile delinquitur, ibi futurorum nec desideratur aliquid, nec timetur. Vtinam quàm facile est fidem profiteri, tam facile esset fidei signa monstrare, sicut & Sanctus Apostolus contestatur, vbi ait: Sed dicit quis tu fidem habes, & ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuam sine operibus & ego tibi ostendam ex operibus meis fidem meam. Demonstrare volens idcirco illam non esse, vbi nõ ostenditur, quia vbi esset, ostenderetur. Corpus enim quodammodo fidei, opera sunt. Et quomodo per visibilem corporis nostri gestum etiam incorporeæ & inuisibilis animæ motus exprimitur, ita per conspicabilem operum conuersationem incontemplabilis fidei efficacia demonstratur. Quãquam beatus Apostolus non tam corpus quam animam, vt ita dixerim, fidei opera significasse videatur, dicendo: *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Hoc enim ait, vt ostenderet, eam, si esset, frustra esse, si iustitiæ opera non haberet, sicut & in superioribus testatur, dicens: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere opera autem non habeat? nunquid sola fides poterit saluare?* & iterum: *Tu credis quod vnus est Deus. Benefacis, & Dæmones credunt, & contremiscunt. Nonne tibi videtur, quod prævaricatoribus non prosit, vt nec Dæmonibus fides?* cuius intelligentiæ qualitas committenda lectoris arbitrio est. Inferius vero quod idem dixerit, prætereundum non est. Ait namque: *Quid prodest fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides saluare eum?* Vides ergo, quod ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. Ad hæc etiam beati Apostoli Petri sententia consonare dignoscitur, in qua habetur. *Vos autem curam omnem subinferentes ministrantes in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim vobis cum adsint, superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitionem.* Ex his igitur omnibus credo iam manifestum esse, his tantum professionem fidei ad vitæ gloriæ profuturam, qui eam habere se bonorum operum exercitatione, & sanctæ conuersationis protestatione mõstrauerint. Illis vero non satis eius prærogatiuam collaturam, qui vitam suam probroso delictorum inquinamento, & turpissimo flagitiorum cœno fœdauerint. Sed dices mihi, si fides absque iustitiæ operibus minus proderit, quomodo per Prophetam Dominus dicit: *Iustus autem meus ex fide viuit;* Abac.2. vnde intelligi datur, posse credentibus vitam etiã ex solius fidei professione præstari. Præstabitur sane, sed illis quibus præstari promittitur. Quibus itaque promittitur? iustis, nisi fallar: *iustus* enim *meus* inquit, *ex fide viuit*. Non dixit, peccator in fide viuit, si in delictorum suorum conuersatione duraverit, aut si fidem habet, permanens in peccatis suis ex fide viuit, & peccatorem etiam si peccare non desinat, sola iustificat fides, demonstrare te par est. Cæterum eius rei præmium quod solis iustis promittitur, puto quod in sua iniustitia perseuerantibus denegetur. Memento de baptizatis, non de catechumenis haberi sermonem. Præscius enim fuit Dominus nouissimis temporibus tales fore doctores, qui sub velamento fidei omnem disciplinæ rigorem atque iustitiæ adulatoriæ niterentur persuasionis oblectatione destruere. Et idcirco huius sententiæ definitionem, ac inexpugnabilẽ iustitię murum ante construxit, quem nequaquam peruersæ doctrinæ aries possit agitare. *Iustus autem meus ex fide* Abac.2. *viuit*, hoc est dicere, illi tantum fides proderit ad salutem, qui secundum me iustus esse voluerit, nõ sufficeret autem quod dixerat iustus, nisi addidisset, meus. Neque illis saltem fides conferre multũ existimaretur, qui coram hominibus, & non coram Deo existerent iusti. Sicut alibi dicit, *Et vos eritis mihi iusti*, dicit Dominus, id est non hominibus, sed mihi, qui cordis etiam occulta considero. Huius igitur absolutissimæ veritatis intellectum, etiam beati Apostoli sermo confirmat, cum de Domino euangelizans dicit: *Iustitia autem Dei in eo reuelatur ex* Rom.1. *fide in fidem, sicut scriptum est: Iustus autem meus ex fide viuit:* Neque enim absque iustitiæ operibus vitam promississe credendum est, qui alibi dicit: *Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque* 1.Cor.6. *adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque qui maledicunt, neque qui rapiunt, regnum Dei possidebunt.* Et certe iam credentibus & baptizatis Corinthiis loquebatur, & non solum idololatras, aut impios, aut aliqua quæcunque grauiora crimina perpetrantes, verumetiam de leuioribus peccatis inuolutos, à Dei regno sequestrare dignoscitur. Et ita ab eis possessione furem, maledicum, ebriosum, & auarum, vt adulterum, vt mollem, vt idololatram summouisse perspicitur. Et ne putaremus, eum non de iis dicere, qui vnumquodque eorum quæ dinumerauit egissent, sed de ipsis, qui omnia perpetrassent, præposuit semper, neque illi, neque illi, vt manifestiore veritate clarescceret à regno Dei extraneum fore, etiam qui vnius cuiuslibet peccati absque pœnitentiæ satisfactione fuisset obnoxius. Illius non immemor sententiæ, qua continetur: *Ingrati enim fides tanquam hybernalis glacies tabescit, & disperit tanquam aqua super-* Sap.16. *uacua*; hoc etiam in Epistola ad Galatas cõtestatur, dicens: *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt adulterium, fornicatio, immundicia, luxuria, veneficia, idololatria, inimicitiæ, contentiones, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis: quo-* Galat.5.

niam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Puto & hic satis clara & manifesta determinatione decretum est, quod cuiuscunque peccati reus cælestis regni particeps esse non possit. Nam cum multa superius comprehensa dinumerasset, & longum illi esset omnes peccatorum species designare, breuissimo compendio vsus est, vt cuncta se commemorasse ostenderet, cum non omnia nominaret, dicendo: *Et his similia quæ prædico vobis, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*. Sed regnum, inquies, non tamen vitam peccantibus denegauit, quid ergo? tu eos, qui extra regnum fuerint vitam habere existimas posse? quo igitur in loco vita illa, quæ extra regni terminos est, esse credenda est? Ego enim duo tantum loca in scripturis inuenio, Regni, & gehennæ: id est vitæ, & mortis: Purgatorium tamen locum semper excipio, in quo ad tempus piorum animæ corporibus solutæ expiantur. Si tu tertium aliquem reperisti, vbi collocentur illi, qui neque in regno, neque in gehenna fuerint, monstrare te conuenit. Non quod negemus iustorum pro laborum diuersitate diuersa esse præmia meritorum, sed in eodem regno, vbi vnicuique pro iusti laboris modo, aut centesimi, aut sexagesimi, aut tricesimi fructus copia reseruetur, *& vbi filius hominis in maiestate Patris cum angelis suis veniens, reddet singulis secundum opera sua: & vbi vnicuique secundum mensuram, qua mensus fuerit, remetietur*: & vbi iuxta Zach. 12 Zachariæ Prophetæ vaticinium, *qui infirmus fuerit, sicut domus Dauid erit: domus autem Dauid, sicut domus Dei, sicut angelus Domini: & vbi alia claritas Solis, &* 1. Cor. 15. *alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum, & vbi qui parce seminat, parce & metet*: sed tamen metet: & vbi 2. Cor. 9. intelligentes fulgebunt sicut splendor firmamenti, & cæteri iustorum sicut stellæ, & multa alia his Galat. 6. similia, quæ multimoda sanctorum merita futura esse testantur. De peccatoribus vero similiter sentiendum est, quod quisque secundum peccati sui meritum patiatur, & pœnam in eadem tamen gehenna, & suppliciorum magis inter eos, quam locorum sit habenda discretio. Sed vt absolutius liqueat non nisi duarum habitationum diuisionem fore, quarum alteram iusti, alteram vero iniusti pro diuersa meritorum suorum conuersatione percipient, dictis Domini vtamur: *Cum venerit*, inquit Matt. 25. *filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & segregabit eos ab inuicem, quemadmodum segregat pastor oues ab hædis, & statuet oues ad dexteram, hædos autem ad sinistram. Tunc dicet Rex his, qui ad dexteram sunt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum*, & reliqua. *Dicet autem his, qui ad sinistrã sunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, quem præparauit pater meus Diabolo, & angelis eius & cætera*, quibus duo finalia loca tantum significasse dignoscitur. Illorum, scilicet, qui vocantur ad regnum, & eorum qui gehennæ ignibus addicuntur. Quod si præter hæc duo finalia loca tertius aliquis locus esset, quem nec regnaturi, nec casuri, sed tantum victuri perciperent, & ipsum quoque designasset Dominus, & sicut alios regno, alios gehennæ deputat, alios vero vocasset ad vitam. Si quod esset extra regni lineas vitæ habitaculum nosset, sed & illo Prophetico testimonio non nisi duo loca esse declarantur apertissime, quæ continentur, *& in tempore illo saluabitur plebs tua quæ scripta est* Dan. 12. *in libro vitæ, & multi dormientium in limo terræ, exurgent ij in vitam æternam, & ij in opprobrium, & confusionem æternam*, quod si tertius aliquis locus esset, ipsum proculdubio nominasset. Beatus quoque Apostolus cum solius regni possessionem etiam idolis seruientibus abnuit, vitam intra eiusdem terminos collocauit. Absurdum est enim, existimare cum aliquam viuendi spem impiis reliquisse: sed & discipulorum sententia, qua de eius salute, cui regnum tantum Dominus negauerat, desperatur minime saluari posse ostenditur, quisque regni extraneus inuenitur, & non alibi vitam, quam in regno esse absolutissima ratione monstratur: neque enim aut sentiri, aut dici fas est, vbi salus non sit, illic vitam esse credendam. Nam cum dixisset Dominus: Matt. 19. *Difficile dives intrabit in regnum cœlorum, facilius came-* Mar. 10. *lus per foramen acus, quam dives in regnum cœlorum tran-* Luc. 18. *sibit*, refert Euangelista, Apostolos pro humanæ Matt. 19. salutis cura mœstos fuisse, dicentes: *Quis ergo poterit saluus esse?* Vide ergo an cum rationis veritate concordet, vt vbi salus non fuerit, alicuius vitæ spes esse existimetur. Illud vero quale est, quod impios tantum perituros asserunt, quos aut idololatras, aut non credentes in Deo esse definiunt, vt scilicet, dum credulitatis suffragium repromittitur, delinquendi facultas nutriatur. Et nemo peccator esse metuat, cum solis impiis pœnalis perditionis interitum manere confidat. Sed hæc apud illos (si forte) valeant, quibus aut nulla diuinarum notitia Scripturarum est, aut qui, vt sæpe memini, per concupiscentiæ suæ arridentem doctrinam pessimæ & mortiferæ securitatis solatio perfruuntur. Nos vero quibus aliquatenus cælestium præceptorum scientia inest, immo quos nequaquam eorum, quæ ad sanctæ vitæ beatitudinẽ pertinent mandatorum excusat inscitia, dum nullis difficilioris intelligentiæ nubibus obumbrantur, quæcunque ad bonorum efficientiam operum conscripta esse noscuntur. Quia nequaquam Dominus erga iustitiæ doctrinam habere moram voluit intelligendi, quibus tempus nullum videtur indulsisse peccati, Scriptura dicente: *Nemini permisit impie agere, nec cuiquam dedit spatium peccandi*. Nullo modo itaque nos possunt vel subtili amore vel blando seducere, quominus aliud credere, aut sperare possimus, quam dininæ legis determinatione firmatum est, maxime si puro ac simplici corde religionis indagemus scientiam, & non magis quid verisimile esse possit, sed quid pro certo verum sit quærimus, nec quid homines loquantur sed quid legis integritas habeat, tam agnoscere cupimus, quam postquam agnouerimus implere, per quam non impios tantum & incredulos, sed etiam peccatores, si in suo peccato permanserint, perditionis reos fore multipliciter & euidenter ostenditur. Isaiæ. 13. Sicut ibi: *Ecce dies Domini sine refrigerio aduenient, indignationis, & iræ, ponere orbem terræ desertum, & peccatores perdere ex eo*, & alibi: *Pluet super peccatores la-* Psal. 10. *queos ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis* Psal. 31. Psal. 36. *eorum*. Item alibi: *Mors peccatorum pessima*. Item a- Psal. 144. libi: *Adhuc pusillum, & non erit peccator, quæres lo-* Psal. 138. *cum eius, & non inuenies*. & iterum: *Quoniam peccatores peribunt.*

821

peribunt. Et iterum: *Virum iniuſtum mala capient in interitum.* Et iterum: *Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum.* Et iterum: *Longe eſt à peccatoribus ſalus.* Item in Prouerbiis: *Peccatores conſequentur mala.* Et alibi: *In ſynagoga peccantium exarſit ignis.* Item in Eccleſiaſtico: *Stuppa collecta ſynagoga peccantium, & conſummatio illorum flamma ignis.* Item alibi: *Via peccantium completa eſt lapidibus, & in finem illorum interitus, & tenebræ, & pœnæ, & alia multa quæ non ſolis incredulis, profaniſque verumetiam delicta alia perpetrantibus perditionis ſupplicium comminantur.* Sed dici è contrario poteſt, peccatores ipſi impij intelligendi ſunt, quia & impius peccator eſſe credendus eſt. Igitur ſi idcirco, quia & impius peccator dici poteſt, quæcunq; ſeu de peccatoribus, ſeu de impiis dicta ſunt, omnia ad impios referenda exiſtimabuntur. Nullam ergo ſine impietate peccatoribus commationem Scriptura teſtabitur, & poterant iam ſecuri derelinquere, quibus huiuſce ſubtilitatis argumento omnis fuerat terror ablatus. Quærendum tamen ab eo eſt, qui ita reſpondere voluerit, quid impios eſſe definiat, credo aut infideles, aut profanæ idololatriæ ſuperſtitionibus deditos, percunctandum etiam, quos peccatores & non impios ſtatuat. Illos ſine dubio qui in Deo fidem habere ſe dicunt, quamuis legis eius mandata contemnant. Increduli ergo & impij & peccatores habendi ſunt: Creduli vero tantum peccatores, tamen & illi peccatores, & iſti peccatores, & cum omnes non ſint impij, omnes tamen peccatores ſunt. Et quid facimus de illa Scriptura quæ dicit: *Gladio peribunt omnes peccatores populi mei:* vbi omnes nominantur, vide ſi quis excipitur; & alibi: *Diligit Dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet.* Sed & illud quo continetur: *Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea:* puto quod nõ ſolius idololatriæ reum periturũ eſſe ſignificet. Aliud eſt, ſi quis ſub maledicto fuerit, ſaluari poſſe credendus eſt. Nemo ergo exiſtimet ſcripturam ex eo iam peccatores impiis coæquare, quo cunctos perituros eſſe definiat, quia non ſtatim vniuerſorũ erit pœna cõſimilis quia vna omniũ ſignificetur eſſe perditio. Sed hic iam in ſuperioribus ſatisfeciſſe ſufficiat. Superfluum forte videbitur ſi vt huius intelligentiæ veritatem euidentius adprobemus, aliqua noui inſtrumenti teſtimonia proferamus, cum ambigi omnino non poſſit, erga omnia pene iuſtitiæ & ſanctitatis officia ampliorem gratiæ vigorem eſſe, quam legis horribilitas non ſit, quod illic aliqua leuioris commonationis remiſſione, peccandi ſecuritas præbeatur, vbi amplioris iuſtitiæ integritas exigatur. Sed propter minus intelligentes vel pauca ponenda ſunt, & in primis illa Dominicæ determinationis proferenda ſententia eſt, qua continetur. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Vnde intentius peruidendum eſt, vtrum ne poſt Chriſti aduentum ſolis impiis futuræ beatitudinis ſpes abnuatur, quando etiam illis, qui vniuerſa legis iuſſa compleuerint, niſi etiam addita gratiæ mandata ſeruauerint, denegetur. In hoc enim diſcipulorum Chriſti pluſquam Scribarum & Phariſæorum poterit eminere iuſtitia, ſi non ea tantum, quæ per Moyſem, & Prophetas Scribis, & Phariſæis præcepta ſunt, verum etiam quæ per Chriſtum ſunt mandata, ſuppleuerint. Non ſum neſcius quid contra hæc peccatorum ſoleant obiicere palpatores, atque patroni, non plus quam legis, inquiunt, ſed quam Scribarum & Phariſæorum noſtra iubetur abũdare iuſtitia. Si hoc ſuperius præmiſiſſet: *non veni Scribarum & Phariſæorum iuſtitiam ſoluere, ſed adimplere*, & quod ſequitur, de illorum dictum iuſtitia videretur. Dicẽdo vero: *non veni legem ſoluere, ſed adimplere*; & poſt paululum ſubſequendo: *niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Manifeſtum eſt hoc eum de legis locutum eſſe iuſtitia, ad quam ſe implendam veniſſe prędixerat, quam iuſtitiam Scribæ Phariſæique ſuſceperant. Illud namque quærendum eſt, vtrum ne Scribarum & Phariſæorum iuſtitia vera an falſa fuiſſe credenda ſit. Si vero, ergo ex lege erat, & quę ex lege erat, legis eſſe non poterat. Si falſa, vide quam impietatis blaſphemiam hic ſenſus incurrat, vt falſæ abundantiam iuſtitiæ ſuis Dominum aſſerat prædicaſſe diſcipulis. Nunquam enim ſimilia niſi ſimilibus comparantur, & ſi prædictorum falſa credenda eſt fuiſſe iuſtitia, iam non iuſtitia, ſed iniuſtitia erat, & ſi iniuſtitia erat, quid neceſſe fuit eam contrario vocabulo nuncupari? Defuerat nempe Dei verbo elocutionis proprietas, vt rem malam boni appellatione nominaret: vt nec illud quod per Iſaiam ante cecinerat, recordaretur. *Væ qui dicit quod bonum malum, & quod malum bonum.* Si igitur de meritorum falſa, & non de legis vera iuſtitia egit, licet inæqualis comparatio ſit, attamen ita eum loqui conuenerat: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum iniuſtitia, non intrabitis in regnum cælorum.* De iuſtitia vero tacendo, & ſolam iuſtitiam nominando, oſtendit, ſe de vera non de falſa locutum eſſe iuſtitia, quæ hoc modo Scribarum & Phariſæorum erat, quia iuxta eam eos vitæ ſuæ ſtatum moderari conuenerat, vt & Apoſtolorum iuſtitia dicitur, quæ ex noui teſtamenti inſtitutione cognoſcitur. Sed quid hic diutius immoramur? cum ipſe in ſequentibus Dominus, de qua iuſtitia dixerit, euidenter oſtendit, quo ait: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non occides: Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quod omnis qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit iudicio.* Quæro nunc, quæ iuſtitia antiquis homicidis facinus perpetrare inhibuerat Scribarumne & Phariſæorum an legis? ſi Scribarum & Phariſæorum, de illa videbitur dixiſſe Dominus. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum*: ſi legis, certum eſt eum de ea locutum, quam poſtea videbitur abundantioribus ſupplere mandatis. Nam ſi de Scribarum & Phariſæorum non iuſtitia, ſed iniuſtitia orſus fuiſſet, ita dixiſſet: audiſtis quia Scribæ & Phariſæi fecerunt hoc, aut illud: vobis autem conuerſandum eſt aliter. Dicendo vero: Audiſtis quia dictum eſt: Dicta dictis comparauit, non perſonas perſonis. Magna re vera Apoſtolorũ gloria, etiam ſi ita poſſit intelligi, ſi iniquiſſimis viderentur eſſe meliores. Ego enim nec illorum conſcientiam, qui tam peruerſæ doctrinę fallacia minus intelligentium nituntur corda ſedu-

cere, ita tenere confido: Sed dum nolunt Euangelica & Apoſtolica iuſſa cõplere, & pluſquam inſtrumento veteris teſtamẽti præceptum eſt facere, prauæ interpretationis excogitata fallacia, malũt eam aliter quam veritatis ratio cogit exponere: ne cæleſtis regni eſſe videantur extorres, quaſi profit aliquid, ſi mihi ignorantium opinione conferendum exiſtimetur, quod ego ipſe me ſecundum veritatis intelligentiam minime percepturum eſſe non neſciam, niſi ea cuncta per quæ illud merear poſſidere, ſuppleuero. Quæ igitur eſt huius cauſa doctrinę niſi vt ſæpe dictum eſt, quia volumus homines ſancti videri, quamuis ipſi nos longe eſſe à ſanctitatis regula nõ ignoremus? O quam impudens, & temeraria eſt mens diuturnis aſſueta vitiis, & antiquis infecta peccatis, cui non ſufficit contra legem viuere, niſi vt etiam ipſius legis veritatem falſa audeat interpretatione corrumpere! Sed bene eſt, quod omnis Euangelicæ doctrinæ ſeries ſuperioris ſententiæ vim integritatemque demonſtrat: quę non tantum occidi, verum etiam iraſci vetat, & eandem pœnam comminatur fruſtra iraſcẽti, quam lex decreuerat occidenti. Sic .n. ſcriptum eſt: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio, ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit iudicio.* Sed idcirco nos hęc prauæ expoſitionis ingenio peruertere, & adulterare delectat, quia mentis noſtræ inſitam inolitãque ſæuitiam nequaquam volumus melioris conſuetudinis inſtitutione ſuperare, cuius tanta vis eſt vt interdum non verecundiæ tantum, verum etiam homicidij reatu teneatur obnoxia. Quiſque enim alteri quãtũ prævalet nocet, & oſtẽdit ſe plus nocere velle, ſi poſſet. Sunt enim plerique qui multo grauiores morte aliis inferunt cruciatus. Vnde animaduertendum eſt, vtrumne homicidis mitiores habendi ſint, qui homicidio videntur acerbius aliquid intuliſſe? Qua de re beatus Ioannes: *Omnis qui fratrem ſuum odit*, inquit, *homicida eſt. Et ſcimus quoniam omnis homicida, tam ille vtique, qui odit, quam ille qui perimit, non habet vitam æternam in ſe manentem.* Sciebat enim quoniam vbi odium eſſet, homicidij maneret affectus, quod intra ſe iam volũtas ſola committeret, quamuis à cæde manus, non tam Dei ſtatuta, quam aut impoſſibilitatis infirmitas, aut ſęcularia iura prohiberent. Denique omnium qui alios odiſſe poſſunt conſcientiã interrogemus, an eos velint ſupereſſe quos oderint, quod fieri difficilime poteſt. Ergo ſi illos mori optant, in quo ab homicida differunt? quorum quamuis non eadem ſint opera, tamen vna ac talis voluntas eſt. Idipſum enim videtur eſſe, qui odit. & qui occidit. Dum ambo mortẽ eius, quem nolunt viuere, concupiſcunt. Hinc nobis legalia, & Prophetica, & Euangelica atque Apoſtolica præcepta ſunt grauia, quia vitæ noſtræ contraria ſunt, & à noſtrorum morum voluntate diſcordant. Idcirco etiam ea fallaci intelligentiæ ſenſu deprauare, & violare contendimus: quia facilius ſit illa peruerſę expoſitionis ingenio corrumpere quam fideliter adimplere. Hinc iuſtitiæ, hinc pietatis doctrinam refugimus, & ad ſolius crudelitatis ſuffragia conuolamus, quia omni ſumus iniuſtitia atque iniquitate completi, & in hoc nos tantũ conſolamur, ſi dicamus, Deum nõ magnopere execrari quæ gerimus, & ſi putemus mandatorum eius tranſgreſſionem impune ceſſuram. Deniq; ipſi nos attentius inuicem cõſideremus, & actuum noſtrorum conuerſationem ſolerti indagatione rimemur & ſi poſſibile eſt per viſibilia operum geſta inuiſibilium mentium ſecreta pulſemus, & occulta noſtra per ea quæ ſunt manifeſta noſcamus. Videamus quanti noſtrum ſint abſque hypocriſi, abſque nequitia, abſque dolo, quanti ab iracundia liberi, quanti ab odio extranei, quanti ab inuidia ac liuore alieni, quanti iuſtitiam non magis ſimulant, quã exercent, quanti in proximorum ſuorum caſu non gaudent, quanti non ſupplantare alterum cõcupiſcunt, quanti abſque adulatione, abſque mendacio, abſque perſonarum acceptione: quanti aliquid etiam boni facientes non id magis humanæ gloriæ appetitu gerunt, quam diuinæ religionis obſequio. A licitis abſtinere nos dicimus, & omnibus pene momentis, quæ ſunt illicita perpetramus condẽnamus quæ non prohibentur, & quæ prohibentur admittimus. Plerique noſtrum matrimonia refutarunt, quæ contrahere Chriſtianis ſecundum Apoſtolum fas eſt, niſi voto aliquo interdicatur, & fratres ſuos oderunt, quod facere quidem nec veteribus licuit: Abſtinemus à carnalibus, ſed non à malitia: Vinum non bibimus, ſed ira inebriamur. Facilius non edere quid poſſumus, quàm aliquem nõ odiſſe. Humilitatem tantum in elocutione oris & in geſtu corporis & indumentorum habitu circũferimus; intus vero elatiores ipſis regibus ſumus. Nuſquam pene vera humilitas, nuſquam iunocẽtia, nuſquam pietas, nuſquam pura & illibata ſimplicitas. Defecerunt ex maxima parte in nobis, quæ Chriſtus inſeruit; & illa tantummodo vigent, quæ Diabolus ſuperſeuit. Alter de altero detrahit, alter alterius vitam infamare contẽdit. Vbique bella, vbique prælia, vbique diſcordiarum & litium & odioſa iurgia, & inimica diſſenſio. Nuſquam fere ſyncerę pacis vinculum, nuſquam fœderatę charitatis ſtabile firmamentum. Vnuſquiſq; priuatam gloriam quærit, honorari ſe alius ſuper alium concupiſcit. Nemo proximum ſuperiorẽ quã ſe dici patitur, nemo meliorem. Ad ſuum enim vnuſquiſque odium amorem proficere veretur alterius, ſuam vituperationem putat proximi laudem. & quicquid aliis collatum fuerit, ſibi credit ablatũ. Nullus pene abſque alterius morſu loquitur, in hoc vitam noſtram commendaſſe nos credimus, ſi carpamus alienam, & iuſtitię regulam nos iam obtinuiſſe confidimus, ſi aliorum commentitiam iniuſtitiam verberemus. Vere in nobis impletum eſt: *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* Et illud: *In nouiſſimis diebus inſtabunt tẽpora periculoſa, erunt homines ſeipſos amantes, ſuperbi, cupidi, gloriantes, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, perfidi, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei.* Habentes quidem ſpeciem veritatis, virtutem autem eius abnegantes. Vbi eſt illa primordialis inſtitutio à Chriſto, & ab eius Apoſtolis tradita? vbi illius vnanimitatis conſecrata dilectio? qua cunctis omnia communia erant, qua nemo quicquam ſuum, ex his quæ poſſidebat iudicabat; qua nec in mentis quidem erat

Matt. 5.

1. Ioan. 3.

Philip. 2.

2. Tim. 3.

varietate

825

varietate discretio. Prô nefas, illi eodem in tempore nuper Christiani esse cœperant, & indiscrete in suis domibus commanebãt. Væ misero mihi, nondum ministeria quisquam vel nominabat, neque vlla seu virorum, seu fœminarum adhuc fuerat celebrata diuisio, & tamen illorum rudes meliores erant, quam nostri nempe perfecti. Vbi est illa determinatio, qua plebem suã agnos nuncupat, oues appellat? Sicut ibi: *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus.* Et iterum: *Alias oues habeo*: Et deinceps: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Et beato Apostolo dicitur: *Si diligis me, pasce agnos meos.* Sed & columbæ eam vocabulo nuncupat dicẽs in Canticis Canticorum: *Speciosa mea, columba mea.* Volens scilicet populum suum, illorum animalium quorum obtinebat nomina, imitari in simplicitate naturã. Nos hæc omnia nunc vitæ nostræ peruersitate in contrarium vertimus, & alia nobis congruere insignia designamus, lupi potius dicendi, quam oues, & non tam columbæ, quam milui nuncupandi. Atque vtinam luporum ferocitate contenti esse videremur, rapacitatémque sufficeret habere miluorum. Sed quod grauius nobis est, omnium tam bestiarum, quam volucrum excessimus atrocitatem dum nec propriæ naturæ parcimus, cum illæ tantum insectantur alienam. Quale est autem quod cum sciamus nos plenos esse iniquitate & dolo, & omni pene tempore cælestium mandatorum præcepta cõtemnere, ita aut imperitia, aut Diabolo fallẽte deludimur, vt esse nos iustissimos arbitremur, & quodam simulatæ sanctitatis tumore, neminem præter nos esse aliquid iudicemus. Quid pateris caro infelix & misera, & mox exaranda vermibus, & in cinerem, fauillámque redigenda? Quid gloriaris? Quid extolleris? quasi boni aliquid nequiter cõuersando merearis. Dicit enim Dominus: Cum feceritis omnia quęcũq; præcepi vobis, dicite, serui inutiles sumus, quæ debuim⁹ facere non fecimus. Illis gloriari non permittitur, qui cuncta perfecerint, & tu extolleris qui nec minimam quidem partem feciſſe cognoscis? Paulus se nihil esse dicit, cui mundus crucifixus erat; qui iam in se non viuebat ipse, sed Christus, & tu te esse aliquid putas, qui vitiis magis quam virtutibus viuis, nec tam Dei, quam Diaboli efficis voluntatem? Deinde quod non exaudiri nos ægrius ferimus, & sic quodam modo quia postulationibus nostris non adnuerit, Domino indignamur, quasi nos per omnia illius iussa seruemus, quasi nulla præceptorum eius mandata spernamus, nec scriptum esse recordamur, quod Dominus se aspernantes non audiat, & despiciat contemnentes, secundum Scripturæ fidem dicentes: *Sicut locutus sum eis, & non audierunt me, sic clamabunt, & non exaudiam eos dicit Dominus omnipotens.* Quod in Euangelio euidentius demonstratur, cum dicitur: *Scimus quia peccatores Deus non exaudit.* Illud autem quale est, quod sub religionis nomine crudelitatis nostræ sæuitiam obumbrare contendimus, & sub pietatis titulo crimen impietatis admittimus. Cum enim fratrum nostrorum quempiam aut lædere volumus, aut eius vitam graui cumulare volumus infamia; hoc nos zelo iustitiæ, religionis, & fidei agere iactitamus; vt apud homines iniustitiam iuste gessisse videamur. Et cum apud

A Deum primum deinde apud conscientiam nostram iniquissimi simus, sancti apud extraneos iudicemur, vsque adeo in nobis Dei reuerentia deficit & timor, vt non sufficiat peccare, sed insuper etiam peccata defendere, & impietatis factum, pietatis vocabulo decorare. Cum si religionis æmulatione aliquid egerimus in spiritu lenitatis, & mansuetudinis, emendare potius, quam infamare alterutrum niteremur. Nec vllius esset odij, sed obsecutionis iudicium, vbi purissimæ charitatis exerceretur officium. Nemo est enim qui velit infamare, quem diligit, etiam si sit infamia dignus. Vnde manifestissime liquet, non illic aliquid religioso studio, sed inuidia geri, vbi non id agitur, vt errantis lapsus corrigatur, sed vt immerẽtis vita maculetur. Hæc ideo intulimus, vt demonstremus nos hoc tempore idcirco vitia defendere, & omnem spem nudæ fidei putare, quia facilius nobis est fidem fingere, quam peccata vitare. Sed ad proposita reuertamur, & nõ solius impietatis crimen, verum & quæ minima videntur esse delicta, noui etiam testamenti definitionibus condemnari manifesta probatione monstremus. Sed nec tam prolixe, ne magis lectionis series, quam testimoniorum numerosa congeries lectoris animum defatiget, compendiosum nobis disputationis iter inueniendum est, paucarum sententiarum auctoritatibus est vtendum; & illæ tantum proferendæ, quibus exigua animaduerti peccata censentur, vt ex minimorum condemnatione, maiorum perspicuum possit esse supplicium. Quod ergo minimum putamus esse peccatũ? credo illud, quod dum pro suæ paruitatis despectione contemnitur, per negligentiæ vitium à nobis sæpius exercetur. Quod tamen illud est? ego aliud quod aut leuius iudicemus, aut crebrius incurramus, non inuenio, quam aut otiosum sermonem dicere, aut fratrem quemlibet fatuum vocitare. Hæc namque satis modica & exigua videntur esse delicta. Nunc ergo cuiusmodi supplicio censeantur, attẽtius considereмus, vt ex inferiorum meritis quæ ampliorũ sit mensura, noscamus. Dicam nempe de illo, qui otiosi sermonis reus est. *Pro omni sermone otioso quemcunque dixerit homo, reddet de eo rationẽ in die iudicij.* Matt. 12. Quæ extra iudicij examinationem culpa esse iam possit, penitus non inuenio, quandoquidem nec otiosi sermonis noxam inultam fore perscribitur. De illo autem qui fratri suo stultitiæ conuitium exprobrauerit, quid censeat audiamus; *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis.* Matth. 5. Si igitur gehennæ ignis reus erit, etiam qui fratrẽ suum fatuum sit locutus, quod peccatum sit, quod extra gehennam esse possit, legẽtis arbitrio derelinquo. Ego interim ex minimis maiora perpendo, & ex paruis ampliora coniicio, & nullam impunitam culpam fore existimo, quando nec quæ leuiora existimantur, inulta reperiuntur: vnde iam satis lucide manifestéque dignoscitur, quia aut si gnari sunt, animi temeritate ducantur, aut si ignari, inscientiæ cæcitate teneantur, qui post huiusmodi exempla solos infideles, & impios pœnali asserunt iudicio subiugandos, sed & illæ Apostolorum sententiæ non incredulos tantum, sed & aliorum delictorum reos perituros esse designãt; quibus inter cætera: illum qui fratrem suum nõ diligit, manere in morte commemorant, & fratris 1. Ioan. 3.

odio captum homicidæ exemplum absque dubio testantur, & vel ebriosum, vel auarum, vel iracundum, vel contentiosum, vel inuidum, vel cuiuscunque generis vitio à pacis vinculo dissidentem, Dei regnum participare non posse determinant. Sed ne hæc solis verbis promissa esse existimemus, & non ita vt dicta sunt perficienda; pro nimia Dei benignitate speremus, veterum nobis ante oculos exempla ponamus, vt ex præteritis saltem futura credamus. Meminisse debemus illos mortalium principes, ob vnius mandati præuaricationem morte multatos, non quia deitatem concupiissent, vt quidam imperite existimant, sed quia de fructu operũ manducassent, quod illis postmodum exprobratur à Deo. Nulla enim ratio concedit, vt minora eis tantum imputarentur, si maiora commiserant. Denique quid ipsam quæ ante transgressionem præmissa est comminationis sententiam bene consideremus, *qua die*, inquit, *manducaueritis, morte moriemini.* Genes. 2. Non dixit: qua die deitatem concupieritis; nõ enim actum est de qualitate peccati, sed de transgressione mandati. Quæ quamuis in quibusdã rebus minor esse videatur, hoc ad leuiorem potest pertinere pœnam, non vt immunis à pœna sit. Multos alios nouimus ob cuiusque noxæ singulare delictum & offendisse Deum, & eius gratiam perdidisse, & diuersis suppliciorum mortibus esse prostratos: *Vt Onan Iudæ filius, quẽ ob fraterni seminis inuidiã diuina* Genes. 38. legimus *animaduersione percussum: Vt Esau, qui propter lentis concupiscentiam & primatum perdidit, & contraxit offensam: Vt Maria, quæ eo quod de sancto viro Mose detraxisset, lepra perfusa est; à cuius contagione nũquam fuisset mundata; nisi ille,* Genes. 25. Num. 12. Num. 16. *prò ea quẽ peccauerat, exorasset: vt filij Aaron*, quos quia alienum ignem obtulerãt, flamma cælestis absumpsit, nec singularis culpę offensam sacerdotalis adimere dignitas valuit: vt ille qui sabbato ligna collegerat, quique ob hoc factum perpetratum ictibus elisus occubuit: vt *Heli sacerdos* qui ob negligentem, & minus seueram filiorum correptionem mortis supplicio iudicatus est: vt Ionathan Saulis filius, qui ob modicam mellis degustationem reus expositus est, quem delicti nec paruitas, nec ignorantia liberasset, nisi pro eo cunctus Israel populus exorasset: vt *Saul*, qui eo quod sibi quædam de præda seruauerat, tam regno, quam salute priuatus est: nec potuit illum regalis honoris prærogatiua ab vnius saltem culpæ commissione saluare, quia in eius iudicio res gerebatur, in quo nulli⁹ potest excusabilis esse persona: vt *Oza, qui propter arcæ tactum*, quã cæsuræ metu deuote suscepit, lætali plaga peremptus est, & peccantem nec religiosi saltem animi potuit excusare trãsgressio. Et vt addo, ille homo Dei & Propheta, qui eodem die quo per Dei spiritum futura præcinuerat, & multa admiranda fecerat signa virtutum, quia cum indigno cibum sumpsit, sæuissimis leonis dentibus deputatus est, nec potuerunt anteriorum virtutũ merita vnius & leuioris culpæ expiare peccatum, vt *Iosaphat Rex Iuda*, qui ob amicitias præuaricatoris Achab Regis offendit eum, cui per Prophetam dicitur: *Impijs præbes auxilium & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris.* Longum est per omnes currere, quos ob singularis pręuaricationis culpam, cælestem iram meruisse cognoscimus, quorũ exemplo nobis etiam cuiuscunque diuini præcepti pertimescẽda transgressio est. Sed dicet quis, qualis transgressio est, aut frustra irasci, aut mentiri, aut detrahere, aut iurare, aut inuicem malum reddere, aut inimicum non diligere, & cætera? huiusmodi quæ humano iudicio leuia videntur, quia semper & facile committuntur, ita fit, vt nonnunquam etiam maiora exerceantur, dum minora spernuntur. Sed scire debet, qui hæc vt parua contemnit, quod nec pomum edere, nec sabbato ligna colligere, nec arcam contingere, nec cum indigno cibum capere, & alia his similia, pro magna debent præuaricatione pensari; transgressionis factum, & non ipsa transgressio cogitetur: nec præcepti magis qualitas, quã præceptoris attendatur auctoritas. Nolo tantum consideres quid præceptum sit, sed à quo præceptũ sit. Nec quale sit mandatum quod pro nihilo iudicas spernendũ esse: sed cuius sit, omnipotentis Dei scilicet, qui se in præceptorum suorum qualitate, aut honorari ducit, aut pro nihilo computari. Sicut ipse testatur: *Qui honorificant me*, inquit, *honorificabo eos; & qui pro nihilo habent me, ad nihilum redigentur.* 1. Reg. 2. Et ne nudam & vacuam fidem absque mandatorum obseruãtia sufficere posse existimemus; meminisse nos conuenit, omnes illos, quos superius dinumerauimus, fideles fuisse, nec vllius incredulitatis, sed solius præuaricationis contemplatione prostratos. Et ne hoc tantum sub priore testamento fuisse credamus, & malæ intelligentiæ peruersitate seducti, in hoc illud per Euangelicæ doctrinæ innouationem adimpletum esse arbitremur, vt peccare nobis liberius liceat, recordari expedit. Ananiam & Sapphiram, ob id quod partem quandam pecuniæ propriæ subtraxerant, Apostoli iudicio morte damnatos. Quibus si inulta non cessit propriæ, vt ita dixerim, constitutionis præuaricatio: ipsi enim sibi eius rei possessionem illicitam fecerant, Deo eam pollicendo, quam licitam habuerant, si promittere noluissent, quid de illis sentiendum, qui alicuius mãdati dominici pręuaricatores extiterint? Si enim inultum non fuit, quod & aliquando licuit & licere semper potuit, & ne postmodũ liceret, volũtas propria fecit, quomodo illud quod nunquam licuit, & quod diuinæ prohibitum est auctoritate censuræ, impunitum esse credendum est? Argumentetur quis vt potuerit, & quantumlibet mentis suæ tendat ingenium, vt huius delicti culpam exaggeret, nunquam tamẽ veritatis ratio sinet, vt grauior præuaricatio esse videatur humani propositi, quam cælestis imperij. Neque omnibus superius comprehensis Deo chariores sumus, vt nobis tantum impune cedere existimemus, si aliqua eorum similia commiserimus, quæ in illis seuerius vindicata cognoscimus. Act. 5. Quin potius eos magis formidare debemus, quod nos longe eis deteriores esse sentimus, absque ambiguitate intelligentes, quod minus dilectis non parcet, qui satis familiaribus non pepercit. Aucta est enim, vt sæpe dixim⁹, per Christi aduentum disciplina iustitiæ, non minuta, quia non venit legẽ soluere, sed adimplere. Neque enim leuioris quin potius amplioris pœnæ reus noui testamenti præuaricator, quam veteris esse credendus est. Eo quod grauius sit, quæ per filium, quam quæ per famulum fuerint imperata, contemnere. Sed ne hoc ambigi possit, quid de talibus sentiendum

1. Reg. 15 2. Reg. 6. 3. Reg. 13. 3. Reg. 22. 2 Paralip. 19. 1. Reg. 2. 1. Reg. 14.

dum sit Apostolum interrogemus. Ipse enim dicit: *Irritam quis faciens legem Moysi absque vlla misericordia duobus vel tribus testibus morietur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Scimus enim qui dixerit: *Mihi vindictam, & ego reddam,* dicit Dominus. Et alibi: *Quoniam iudicabit Dominus populum suum; Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Et deinceps: *Si enim illi non fugerunt recusantes super terram loquentem sibi, quanto magis nos qui à cœlis loquentem nobis auertimus.* Ex quibus ostenditur gratiæ magis transgressionem pertimescēdam esse, quam legis. Quod illius sententiæ auctoritate firmatur, qua Dominus non modo aliquid exercentes, verum etiam boni nihil operantes, perpetui ignis reos foro, testatus est, dicens: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, quem parauit Pater meus Diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare; sitiui, & non potastis me: & cætera, quæ cum nō infidelibus, sed peccatoribus dixisse satis constat, eo quod nullam eis incredulitatis impietatem exprobrauerit,* cum, vt superius commemoratum est, penitus non conueniat, vt minora tantum peccata his, qui maiora gesserint, exprobrentur, & quod impij resurgere in iudicio denegentur; Scriptura dicente: *Quia non resurgunt impij in iudicio.* Impios autē esse incredulos, quis nisi imperitus ignoret? Sed ipse ignis æternus est, inquies, non eius pœna perpetua. Bene est, quod hoc huius humanæ fraudulentiæ argumentum præcognitor omnium Dominus ante prospexit, & nihil magis gesturos homines, quam vt Scripturæ intelligētiam secundum voluntatis proprię desideria temperarent, diuinitatis suæ maiestate præsciuit. Et idcirco in sequentibus dicit: *Tunc ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Non credendum est eos perpetui ignis supplicia passuros, si qua ratio permiserit, vt sit aliquod æternum supplicium, absque eo cuius videtur esse suplicium. Sane & illud diligētius perscrutandum, quid causæ fuerit, quod hic Dominus non supplicij longinquitatem, sed ignis æternitatem intimaret, quasi hoc in loco non de pœnæ acerbitate, sed de ignis natura tractauerit, & scientiam magis insinuare voluerit, quam timorē, aut si hæc non tam scientiæ; quam pauoris causa locutus est, per quem à suis humanum genus retrahere iniquitatibus gestiebat, de supplicij infinitate, non de duraturi ignis æternitate eum dixisse credendum. Quia nullus metus sit, eius rei perpetuitatem, quam non timeas, nosse. Dicit enim & alibi: *Si te scandalizauerit manus tua, abscinde eam, & proiice abs te: melius est enim debilem introire in vitam, quam duas manus habentem mitti in gehennam ignis, vbi vermis eorum nō morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Quid & hic dicendum est, quod scire nos tantum optauerit, si deliquerimus vermes nostros immortales fore, & inextinguibilem ignem, non quo nobis immortalium vermium & flammæ inextinguibilis indesinens & indeficiens esset pœna metuenda, sed hoc quod aliter illud intelligi adiectio illa non patitur, qua additum est: vermis eorum, & ignis eorum. Eorum enim cum dicitur, ad cruciatus perpetuitatem significatur pertinere, quam quidem perpetuitatem, cum suis necesse est permanere damnatis. Aut si aliquando extra illam erunt, iam nec eorum esse credenda est. Et tam vermium illis exesio morietur, quam ardoris illos pœna deficiet. Et illud falsum dictum esse videbitur: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, quod ad pœnæ perpetuitatem pertinere intelligi necesse est. Quæ igitur pœnæ perpetuitas est, si vnquam pœna ipsa cessabit? Sed sibi tantū, inquies, non etiam illis, quibus promissum est, tam ignis, quam vermium natura durabit. Sed illis durare promissum est. Non enim dixit; vermis non morietur, & ignis nō extinguetur, sed vermis eorum, & ignis eorum. Necesse est enim semper illos priuata, vt ita dixerim, in possessione esse, & immortale & inextinguibile eorum fore promissum. Sed hæc dicis & multa alia huiusmodi terroris causa dicta intelligenda sunt, non tamen ita se habere credenda. Iam ergo nec terror erit, si terroris fides defuerit. Iamdiu enim cuiuscunque formidolosæ rei negotium pertimescitur, quamdiu pro certo creditur, quod timetur, at vbi timoris fides defuerit, timorem quoque ipsum desinere necesse est. Quia nemo tam brutus est, qui id quod non credendum sciat, esse censeat perhorrendum. Sed illud inquiro, vtrum nescири an non, voluerit Dominus, quod hoc nō tam veritatis, quam solius dixisset causa pauoris? Credo nesciri. Namque fieri potest, vt quod terroris causa, vt dicitur, finxerat, qua causa finxisset, sciri vellet, cum tamdiu hoc timere possis, quamdiu, vt dicitur, ita esse, scire non possis. Vnde ergo tibi eius rei scientia, quam secundum te Deus voluit ignorari? Accipe & aliud. Certe ob bonæ beatæq; vitæ profectum huius comminationis sententiam formidari Deus voluit, & tamdiu erat profectus futurus, quamdiu eius rei, quam timeri decreuerat, veritatis insciti perduraſſet, qua cessante cessaturus esset & pauor. Pauore vero deficiente ipsum etiam necesse erat cessare occultum profectum, cuius tam pauor causa erat, quam causa pauoris insciti. Quisque ergo huius occultandæ rei vtilem ignorantiam, & nequaquam ob profectum humani generis reuelandam prodere ac promulgare voluerit, tam contra Dei voluntatem, quam contra omnium incolumitatem feciſſe credendus est, & non minus rebellis Deo habēdus, q̃ humanę inuidus saluti, quia & diuini cōsilij secretū propalauerit, & nihil iā prodesse hominib⁹ fecerit, quod vt ꝓdesset, nō fuit publicādū. Et vt manifestius quod dico faciā, alicuius comparationis vtar exemplo. Fingamus patrē aliquē teneriore affectu filium diligentem & ob profectus sui causam terribilia eidem sæpe minantem, vt iuuenilis saltim formidare animus compellatur, quæ omnia dilectionis vis irrogare non patitur. Et si quispiam, cui magis erga iuuenem paternus claruerit affectus, ingruat & dicat, tu patris tui minas vereris, & putas eum illius esse crudelitatis atque duritiæ, vt illa tibi audeat, quæ comminatur inferre? Absit. Vereri te nolo. Hæc solius terroris causa loquitur, non quia eius irrogare pietas audeat, quod timere, non etiam perferre te patitur. Nonne huiusmodi hominem qui profecturi timoris & reuerentiam pariter auferat, & profectum, & tam patri, quam filio obfuisse censebimus? dum & illius consilium prodidit, & huius animum à necessarij pa-

uoris reddidit anxietate ſecurum. Ita & ij mihi videntur tam Deo, quam hominibus aduerſari, qui dicunt, hoc terroris tantum & profectus cauſæ dictum eſſe, quod dum qua ratione dictum ſit, indicant, nec timeri iam faciunt, nec prodeſſe. Quia vt ſæpius memorauimus, tamdiu per illud proficitur, quamdiu timetur: tamdiu timetur, quamdiu ignoratur. At vbi ignorari deſierit, deſinit & timeri. Et vbi iam timeri deſtiterit, etiam prodeſſe deſiſtet. Et neceſſe eſt, vt huius ſecreti proditor, Dei habeatur inimicus, qui inane atque inutile effecerit, quod ille ad omnium cõſtituiſſe videtur profectum. Illud etiam ſiſcitandum, per quem reuelatum in humanam notitiam venerit, quod Deus voluit ignorari; per ipſum enim nec credi, nec dici eſt, etiã ſi ita eſſet, ne ſibi ipſe videatur eſſe contrarius. Et ſi hoc non Deus, nullus alius potuit niſi ille confingere, qui in ipſo ſtatim mundi exordio, ita primis hominibus timorem abſtulit, dum ſe illis diuinum conſilium prodere poſſe mentitus eſt. Non quia vere diuinorum eſſet conſcius arcanorum; ſed vt male ſimplices & nouellos, & ſuæ etiam nunc caliditatis expertes fallendo ſeduceret, & ſeducendo deciperet, vt ſibi magis, quam Deo credendum iudicarẽt.

Geneſ.2. *Quid enim dixerat* Deus: De *ligno, quod eſt in medio paradiſi, nõ edetis, qua die autem ederitis, mortem moriemini*; E contrario ille; *nõ morte*, inquit, *moriemini: ſciebat enim Deus*

Geneſ. 13. *quod qua die edetis*, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum. O humanæ peruerſitatis vitium fidem illis facile ſemper accommodans, quæ cum deſideriorum ſuorum concordare perſpexerit voluntate, nec deliberare quidem ſolita eſt: ne illa forſitan credulitatis occaſio, quæ deſiderio fraudulenter arridet, ſaluti contraria; & ea multo ſalubrior inueniatur, cuius cauſa videtur aſperior. Procliuius enim pro corporalium cupiditate voluptatum etiam Diaboli ſermonibus creditur, quam contra earundem oblectationem diuinis fides determinationibus exhibentur. Nihil eſt enim quod quis citius poſſit credere, quam quod credere etiam concupiſcit. Nec vſquam pronior fides eſt, quam cum illud credẽdum aſſeritur, quod

Geneſ. 3. damnatur aſſertum. Vnde & pro concupiſcibilis eſcæ deſiderio facilius Eua ſerpenti, quam Deo credidit, & Adam fidem muliebri ſuaſioni, quam Dominicæ ſententiæ commodauit. Sed nec illis tantummodo eueniſſe exiſtimemus, nec nos nunc ab eius ſeductoris inſidiis ſecuros eſſe credamus. Præ-

1. Pet. 5. ſertim cum ſcriptum ſit: *Sobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus ſicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret*. Non ergo debemus nos ſomno inertiæq; committere, nec tanquam quibus nullius aduerſitatis cauſa metuenda ſit, ignauiæ ſtupore torpere. Adhuc enim antiqui ſerpentis malitia viget, adhuc Diabolus iſto graſſatur in mũdo, adhuc hodie omnis anima ſimilis Euæ ſeducitur, & muliebri fallacia incautus Adam per lęthalis cibi oblectationem cõſenſus facilitate proſternitur. Semper enim Diabolus mentibus noſtris quieſcentibus vigilat, neſcio quid nõ dormiẽtibus faciat, qui vigilãtibus nonnunquã ſubtiliter & latenter obrepit. Nam & ideo quod adſeritur, non veritati, ſed terroris cauſa, æterni ignis ſupplicium peccatoribus comminatum, veteris hoſtis perpendo verſutiam, & priſcæ calliditatis nequitiã recognoſco. Hoc ipſum enim priori eius compar actioni eſt, vide ſi nõ ipſe quoſdam homines, ac ſi rudes ac ſimplices animas nunc circumuenire tentat & perdere, qui Euam quondam in Serpente ſeduxerat. Quotieſcunque enim ad euacuandam Dei definitionem huiuſcemodi prædicationem audio, toties antiqui Serpentis ſibilum recognoſco. Qui enim modo dicit, non æternæ pœnæ mancipaberis, miſericors eſt enim Deus; Dixit quidem hæc, ſed cauſa terroris: Sciebat enim vos difficile poſſe delinquere, quamdiu tam grauis ſupplicij metus veſtris mentibus inhæreret. Et ipſum eſſe intelligo, qui aliquando dixit: nõ morte moriemini. Sciebat enim Deus, quia quacunque die manducaueritis, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum. Quis enim nunc Deo detrectare auderet, niſi qui ab initio fecit? Quis veritatem fallaciæ titulo infamare, niſi qui hoc ante iam geſſerat? Nihil vnquam Diabolus magis agere tentauit, quam vt aut ſe Deo, aut ſibi Deum in aliquo ſimilem fingeret, ſicut hoc in loco deprehenditur, quia ipſe mendax eſt, humanis mentibus Deum quoque vult perſuadere mendacem; ſed nos qui Deum non veracem tantum, ſed veritatem ipſam eſſe cognouimus, & cognoſcendo credimus, & mendacem ſolum ab exordio Diabolum Dominicæ vocis proteſtatione didicimus, & nihil illi cum Deo commune eſſe, nõ ambigua opinione ſentimus, diuinis ſententiis, fidẽ in omnibus commodemus; nec aliud nobis, quam promittunt euenturum eſſe credamus, illius definitionis memores, quoniam Deus veritas eſt. Nullũ enim procedere poteſt ex veritatis natura mendacium: Apoſtolo etiam conteſtante: *Quoniam omne* Ioan. 10. *mẽdacium ex veritate non eſt*. Piaculum eſt enim diuinis fidem profeſſionibus abnuere, & in veritatis parente falſitatis ineſſe aliquid arbitrari. Miſericors eſt enim Deus, quis niſi profanus hoc dubitet? ſed & verax eſt. Tene eum miſericordem, ſed eſſe & veracem: memento nanque illius Scripturæ, quæ peccatoribus ne in præſenti obſtinatione peccandi abuti vellent, medicamine pœnitendi miſericordem Deum ſæpe profitetur. Eadem rurſum, ne tu de ſola benignitatis pietatis confidens, abſque fine peccati veniam præſumeres indulgendi, veracem Dominum crebrius proteſtatur. Sicut ibi: *Et tu* Pſal. 85. *Domine Deus miſerator, & miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ & verax*. Si credis illud, quod miſericors Deus, crede quod & verax. Miſericors enim eſt dum condigna peccatis pœnitẽtiæ opera exercentibus veniam tribuit: Verax, dum peccatorum ſuorum iniquitate durantibus, non aliud quam pollicitus eſt, exhibebit. Sed nos, vt etiam ſuperius memini, illis tantum quæ voluntati noſtræ præbere videntur aſſenſum, cito credimus: Illis vero quæ contra deſideriorum noſtrorum cupiditatem veniunt, difficile fidem commodamus. Qua de re, Eccli. 21. alibi Scriptura teſtatur, & dicit: *Fili peccaſti, ne adiicias iterum, ſed de priſtinis iterum deprecare, vt tibi remittãtur. De propiciatione peccatorum noli ſine metu eſſe, & non adiicias peccatum ſuper peccatum, & dicas: miſeratio Dei magna eſt, multitudinis peccatorũ meorum miſerebitur. Miſericordia enim & ira ab ipſo eſt, & in peccatores reſpicit ira eius*. Miſeratio enim Dei non ad hoc eſſe credenda eſt,

833

est, vt securius liberiúsque peccemus: sed vt pœni- A
tentes veniam cõsequamur. Peccamus enim etiam
de ipsa male sentiendo; & verendum est, ne eam
iam cõsequi non mereamur, si eius patrocinio non
tam pœnitendi remediis, quam delinquendi so-
latiis abutamur, & malæ intelligentiæ nostræ vi-
tio, quæ causa iustitiæ est, efficiatur causa peccati.
Sed ne eam quisque consequi in præsenti dissimu-
lasset, percipere se in futuro speraret, loquitur Scri-
ptura diuina: *Ante mortem benefac amico tuo, & se-*
Eccli. 14. *cundum vires tuas exporrigens da pauperi. Non defrau-*
deris à die bono, & particula bonæ diei non te prætereat.
Nónne aliis relinques labores & dolores tuos?
In commutatione sortis da & accipe, & iustifica B
animam tuam. Ante obitum operare iustitiam,
quoniam non est apud inferos quærere cibum.
Hoc & alibi Dominus per Prophetam euidentius
Baruch 14. protestatur, dicens: *Neque enim qui apud inferos sunt,*
laudabunt te, neque qui mortui sunt, benedicent te, neque
sperabunt, qui in inferno sunt, misericordiam tuam. Sed
hæc ardua nimis & difficilis & acerba doctrina
est, & quæ paruulorum animos exasperet, & in de-
sperationem redigat, audientes quasi non melior
illa desperatio sit, per cuius terrorem certa spes
possidetur, quam illa spes per cuius fallaciam veræ
spei fructus amittitur. Multo vtilior est desperatio
quæ spem præstat, quam spes quæ desperationem C
ministrat. Peritiorem & clementiorem medicum
puto, qui læthali ægros morbo laborantes per veri-
tatis denunciationem terret, vt curet, quam qui per
nimiam adulationem, dum fallaciter blanditur,
occidit. Certa enim nobis spes non falsa sectanda
est. Hinc illud est vnde pluribus displicent, quo-
rum tam doctrina districta est, hinc etiam à paucis
diligũtur, hinc eorum tanti sunt amatores, quanti
veritatis atque iustitiæ videntur esse fautores: quia
fallere quempiam nolunt, quia mentiri cuiquam
non audent, quia personas non accipiunt, quia ve-
ritatis causa nemini parcunt, quia auditorum ani-
mas minime falsa videntur adulatione decipere, D
quia non pro certa spe pollicentur incertam, quia
malũt se propter veritatem ab omnibus exosos ha-
beri, quam propter fallaciam diligi, quia simulare
non volunt, quia nec sibi quidem ipsis parcunt,
quia non passim, aut iracundis, aut inuidis, aut cru-
delibus, aut temulentis, aut cupidis, aut rapacibus,
aut auaris, aut periuris, aut fraudulentis, aut forni-
catoribus, aut superbis, aut luxuriosis, aut turpibus,
aut quibuscunque vitiorum sordibus squalentibus
cœlorum regna promittunt, quia sanctum Spiri-
tum non inter huiusmodi flagitia verborum fal-
lacia collocant, quia dicunt indignos esse habita-
tione Dei, qui sint templa peccati, & sancti habi- E
tatoris sanctum debere esse habitaculũ, quia mem-
bra Christi negant esse membra peccati, quia non
nisi sanctos, humiles, pudicos, sobrios, simplices,
innocentes, & pios, cum Deo futuros esse confir-
mant, qui cæleste, & diuinum illud habitaculum
Isaiæ 3. æterni Regis aulam non qualescunque homines
ingressuros asserunt. Moyses inquinatis tantum
calciamentis in sancta terra arcetur, & quidam se
cœlum calcare existimant corde polluto. Huius
igitur doctrinæ causa paucos amicos conquirunt,
& plures inimicos. Necesse est enim eos qui pec-

catorum vitia condemnant, tantos habere contra-
rios, quantos exercere vitia delectat. Inde est etiam
quod iniquis & impiis factionibus opprimuntur,
quod criminibus falsis appetuntur, quod hæresis
etiam perfunduntur infamia; quod hic omnis ini-
micorum suorum sermo ab ipsorum sumit obtre-
ctatione materiam. Sed quid mirum, vt flagitiosis
hæresis videatur doctrina iustitiæ? quibus tamen
hæresis? ipsorum secretum patet tantum inimicis;
cum si fides dictis inesset, amici illud potius scire
potuissent. Sint plane hæretici, si hoc credibile
esse vel ipsis aduersariis potest, vt qui sensum suum
proximis & pandat extraneis, & arcanorum suo-
rum inimicos potius vellet esse conscios, quam cæ-
laturos amicos. Sed vt paulo ante iam diximus,
ideo huiuscemodi criminationibus infamantur,
quia simpliciter & pure absque vllius fuco fallaciæ,
quid veritatis fides habeat, dicunt, freti in hoc sal-
tem sibi medelæ aliquid conferẽdum, quo nequa-
quam iustitiæ integritatem formidanter abscon-
dant, eo quod grauissimum apud Dominum esse
intelligant, aliud verbis quam conscientia nouerit
promere, & alicuius hypocrisis simulare menda-
cium. Sed isthæc apud homines valeant, quorum
vltra pertingere scientia non potest, quam mem-
brorum sensu alium sufficiens natura cognoscere,
quibus suaderi perfacile est, hoc esse quod non est,
dum quod est, nequeunt peruidere: quid faciemus,
dum ille aduenerit dies cum astantibus Angelis,
Archangelis, potestatibus, & cæteris cælestis mili-
tiæ turmis consistentibus ante filij Dei tribunal,
omnium occulta pandenda sunt, & vniuersorum
etiam cordiũ secreta reuelãda? cum, vniuscuiusque
actus conscientia magis quam sermo testabitur, quo
celari iam iniustitiam non licebit, quo simulari san-
ctitas vltra non poterit, quo quis nõ tam sua prodet
gesta, quã ab his prodetur ipse, quæ gesserit. Quid
respõdebimus dicenti nobis? Ego vos, id est huma-
nũ genus ad hoc in primordio de terrę limo secũdũ
imaginis meæ similitudinem immẽsæ bonitatis di-
gnatione formauerã, vt me, per omnia quæ ad iusti-
tiæ opera pertinent, sequeremini, & essetis Deo si-
miles moribus, quamuis dissimiles videremini esse
natura. Talemq; substãtiæ vestræ qualitatẽ institui,
quæ & intelligere posset, & facere quod volebat, ne
qua vobis vel stoliditatis vel impossibilitatis excu-
satio remaneret, & cũ vos rationabilitatis, & intelle-
ctus perspicuitate donata semper possetis & bono-
rum virtutes cognoscendo facere, & accidentium
malorum vitia intelligẽdo vitare. Nihilominus ta-
men legẽ vobis insuper dedi, & quæ custodire de-
beretis mãdatorum præcepta oris mei sermone di-
ctaui, & cõscribi per libros litterarum apicibus im-
peraui, vt oculorum etiam & aurium sensibus per
scripturarũ cælestium suggestionem traderetur ex-
trinsecus, quod natura intrinsecus possidebat, &
conscientiæ sensus litterarũ etiam cõtestatio adde-
retur admonitrix: Nec his satis fuit, Prophetas vo-
bis sancti Spiritus gratia repletos diuersa tẽporum
intercapedine destinaui; qui vos, & signorum virtu-
tibus, & diuinis vaticinationibus commonerent ad
ea reseruãda, & custodiẽda, quæ tam per conscien-
tiæ naturam, quam per legis mandata decreueram.
Sed nec istis quidem contentus, nouissime ipse de-

scēdi, & ex virginali vtero vestri generis hominem dignanter assumpsi, vt me vobis possibilia præcepisse naturæ contestatione monstrarem. Multa quoque secundum susceptí hominis formam pro salutis vestræ incolumitate sustinui. Nam & indignissima conuitiorum probra pertuli, & acerbissima iniuriarum vulnera patientiæ æquanimitate portaui, vt mihi etiam Beelzebudis nomen exprobraretur, & Dæmonium habentis obiiceretur infamia. Palmis cæsus sum, flagellis verberatus, coronatus spinis, sputaminibus dedecoratus, cæterísque ignominiosissimis iniuriarum calamitatibus afflictus pariter & illusus, patibulo postremo suspensus, & ne quid crudelitatis erga meum videretur defuisse supplicium, in cruce pendens felle & aceto potatus sum, ita vt extremis malis adhuc inueniretur augmentum. Et tamen pro tam scelestis, tam impiis, tam crudelibus inimicis, quorum sæuitia nec acerbissimum potuit satiare supplicium, qui me illudere nec ipsa in morte destiterāt, indulgētię veniā postulaui. Hęc omnia feci, vt vobis simplicitatis, innocētiæ, pietatis, mansuetudinis exempla relinquerē; & quod verbis dictaueram, etiā operum consummatione mōstrarem. Vbi est ergo eius profectus doctrinæ quā tradidi? Vbi perfectæ cōsummataęq; iustitiæ & benignitatis forma quam præbui? Omnia pene mandatorum meorum præcepta spreuistis, & vniuersa illa quæ pro salutis vestræ sospitate perpessus sum, paruipendentes debacchati estis in alterutrum, & vltra bestiarum, ferarúmque omnium immanitatem vos inuicem acerbissimo odio conflictatis illicite. Et quibus ego vt inimicos etiam vestros diligeretis, tam doctrinæ verbo tradidi, quam operationis exemplo, vos nec vestris quidem fratribus pepercistis. Diuitias vobis vsque adeo contemnendas mandaueram, vt infinito difficultatis exemplo regni mei aditum locupletibus denegarem. Vos autem aduersus doctrinæ meæ regulam, aduersus conuersationis exemplum, quo me causa vestri profectus in proprij mundi possessione pauperem præbui, ita diuitibus adulati estis, vt in illis potissimum omnem futurorum spem collocaretis, & lætali insectaremini odio quemcunque cerneretis mandatorum meorum defensare velle doctrinam; patrem etiam super terras vos vocare prohibui, ne qua vobis post cælestis generositatis eximietatem terrenæ & mūdanæ originis gloria remaneret, neque vlla iam inesset carnalis, & caducæ natiuitatis recordatio his quos iam consortio suo, & spiritalis & æternæ beatitudinis natura susceperat. Vos autem ita vobis humanæ stirpis honorem vendicastis, vt cæteros quibus corruptibilis huiusce originis dignitas deerat, ac si degeneres & ignobiles despiceretis, quamuis nobilitatos illos diuini seminis progenie nō ignoraretis; aliqui vero quibus vt sua contemnerent imperaueram, peruasere aliena contrarie, & quibus etiam malefacientibus benignos esse iusseram, sibi nequaquam molestos persecuti sunt: Et ac si ego non pacis & dilectionis fœdera, sed dissensionum, & litium iurgia docuissem, ita inter se odiosa & sęua inimicitiarum bella gessere. Quid ad hæc dicturi sumus? quid respondebimus? quid loquemur? Dicemus forsitan idcirco nos erga mandatorum eius obsequia negligentiores fuisse, quia ipsius postmodum Apostoli suam dissimulauerint iterare doctrinam, & parum nos ne iustitiæ sanctitatísque extra limitem exorbitaremus, frequentioris exhortationis crebritate admonendos esse censuerint. Sed si hæc dicere voluerimus, illico ille Apostolorum princeps, supra cuius firmitatem fidei spiritalis fabricæ ædificata constructio est, & Ecclesiasticæ domus collocata fundamina, quique cælestis regni ianitor dignus inuentus est, & cuius super terram gesta iudicia confirmantur in cœlis, è contrario respondebit, & dicet: Ego istis nunquam tacui, quin etiam sæpissime ea quæ dixeras, iteraui increpans, & quæ non dixeras adnuntiaui. Ego his, *vt deposita omni malitia, & omni dolo, & simulatione, & inuidia in modum infantium paruulorum ad sanctitatis incrementum rationabilis & simplicis escæ alimoniam concupiscerēt*, imperaui. Ego, ne solius corporis pudicitiam sufficere existimarēt, animas etiam *in charitatis obedientia, in fraternitatis amore simplici, in cordis dilectione castificare præcepi*. Ego, his & generositatis suæ nobilitatem ante oculos posui, & quod *genus electum, sacerdotale, regale, gens sancta, populus acquisitionis essent*, indesinenter ostendi. Ego, etiam quod *diuinæ naturæ essent consortes edocui*, credens eos ad custodiendam iustitiam promptiores fore, si stirpis suæ speciem agnouissent ita mirabilem, eo quod honestioris suis hæsitatum efficerent, non tam honestæ, quam sacræ originis intellecta progenie. Ego illis, vt secundum te, *in omni conuersatione sancti essent*, sæpe mandaui, addito etiam prioris tuæ vocis imperio, quo continetur: *Estote sancti quia ego sanctus sum Dominus Deus vester*. Ego, vt essent super terram cælestes ciues, quam spiritali vigore à carnalium concupiscentiarum illecebris aduenarum more alienarent, vehementer hortatus sum. Ego & iustorum gloriam & peccatorum æterna supplicia declaraui, vt illos ad sanctissimæ disciplinæ conuersationem aut desideratæ beatitudinis cupiditas flecteret, aut horribilis pœnæ anxietas perurgeret. Et ne putarent vera non esse, quæ promittebantur de futuræ iustitiæ tuæ rigore, in præsenti etiam probanda monstraui. Nam maritum & vxorem, qui de quantitate pecuniæ mentiti fuerant, per spiritus tui gratiam morte multaui, vt quid ampliora peccata maneret, agnoscerent, quibus nec minora fuissent indulta peccata. Quomodo autem euanuerint, vel vnde delinquendi securitatem sumpserint, ipsi respondeant. Exurget & ille Apostolus Gentium, ille electionis vas, ille adhuc in terra manens etiam secretorum cælestium particeps proclamabit, & dicet: Ego, istis per quatuordecim Epistolarum volumina, ne quid iniustitiæ vel iniquitatis agerent, intimaui. Ego, nihil aliud magis, quam vt *simplicitatem, innocentiam, pietatem, iustitiam diligerent*, imperaui. Ego, *vt cum omnibus pacifici essent*, admonui. Ego, *ne cui malum pro malo, sed è contrario bonum redderent*, euidenter expressi. Ego, vt considerantes te patrem, & tuos se filios recordantes, rationabiles, & absque aliqua peccati macula degerent, iussi. Ego, vt dignos se spiritus tui habitaculo exhiberent, monui. Ego, vt se corporis tui membra esse cognoscerent, sæpe testatus sum. Ego, vt omnem sermonem malum non emitterent, sed vt de bonis semper loquerentur, edixi.

1.Pet.2. Act.5. Rom.11. Act.9. 1.Cor.1. 1.Tim.2. 1.Tim.6. Rom.12. 1.The.5. 2.Cor.13. 1.The.5. Galat.5. 1.Tim.6. Ephes.2. 1.Cor.6. Ephes.4. Leuit.19. 1.Pet.1.

edixi. Ego, vt ab omni amaritudine, & ira, & indi- A
Ephes.4. gnatione, & clamore, & blasphemia cum omni
malitia expiarentur, apertissime plerunque man-
daui. Ego, quod tui non essent, qui lenitatis & be-
Galat.5. nignitatis tuæ spiritum non haberent, exposui; &
quod illi tantum ad te pertinerent, *qui carnem suam*
vitiis & concupiscentiis crucifixissent, manifestissima cō-
Ephes.5. testatione prædixi. Ego illos etiam ab scurrilitate,
stultiloquio, vanitate alienos esse desideraui atque
præmonui; vt in nulla re à diuinis laudibus digna
exciderent, imperaui; impudicitiam vero & auari-
tiam, nec nominari quidē inter eos volui, vt agno-
scerent quam grande esset admittere, quod non es-
set licitum nominare. Denique quantum eos ab B
omni peccatorū genere extraneos esse optauerim,
ex eo euidētissime patet, quod illos nec peccatorū
quidem voluerim habere cōsortium, & ita eos sub-
terfugere atque vitare, vt nec conuiuio saltem ta-
lium miscerentur adiūxi, ego vt se per omnia quasi
Dei templa, & Dei filios in omni sanctitatis con-
uersatione exhiberent, & digna futurorum premiis
exercerent opera sæpe monui. Sed quantum video,
nō ad hoc verba nostra spiritus tui adflatu in libris
condita legerunt, vt obedientia digna decernerēt,
sed vt contemnenda potius iudicarent. Quid ni-
mirum si nostra à te quamuis inspirata dicta spre-
uere, qui tui etiam oris mandata in Euangelicis vo- C
luminibus conscripta pro nihilo transgredi non
dubitauerunt. Ille quoque dilectus à Domino di-
scipulus, & quod tanti muneris præconio dignus
esset, specialiter adnotatus, & ob nimiæ familiari-
tatis licentiam diuino recubans pectori proclama-
bit, dicens: Ego istos vt præceptorum iussa perfice-
1.Ioan.1. rent, tribus Epistolis monui. Ego, *quod te neque nosset,*
neque diligeret, qui mandatorum tuorum statuta non faceret,
1.Ioan.2. cōtestatus per omnia sum. Ego te illis *meram lucem*,
& ab omni obscuritatis nube synceram prædicaui,
& quod beatitudinis tuæ consortio potiri omnino
non posset, quisque nō eiusdem luminis gauderet,
id est suauitate conuersationis, quæ splēdorem aut D
simulationis, aut hypocrisis, aut cuiuslibet absol-
uisset caligo peccati. Ego, vt professionis suæ essent
memores adhortatus sum, & qui se tuos dicerent,
1.Ioan.3. conuersationum tuarum actibus inhærerent. Ego,
quod nobis *filiorum Dei dignitas collata esset*, edocui.
1.Ioan.2. Ego, quod aduentus tui tempore similitudinis tuæ
splendor impertiretur, ostendi, & tuum esse, quis-
1.Ioan.3. quis huius spei fiduciam gereret, & se sicut tu san-
ctus sanctificaret, admonui. Ego, quod in te manēs
non peccaret, effatus sum; & quod te nec vidisset,
1.Ioan.3. nec agnouisset quisquis peccato esset obnoxi⁹ cō-
testatus omnib⁹ sum. Ego, quod ad te soli iusti per-
tinerent, & quod Diaboli consortio iungerentur, E
1.Ioan.3. quicunque peccata committerent, promptissimè
declaraui. Ego, & ex te natos delinquere nō posse
monstraui, eo quod illis ineesset diuini seminis re-
1.Ioan.3. cordatio, & nequaquam peccare possent, quamdiu
generis sui memoriam recolerent. Ego illis, ne sibi
de solius nominis vocabulo blandirentur, tam fi-
liorum Dei, quam filiorum Diaboli signa mon-
straui, vt iustos tantum diuinæ esse sobolis scirent,
1.Ioan.4. iniustos vero ad Diaboli prolem noscerent perti-
nere. Ego charitatem mutuam præcipue demon-
straui colendam, & vt se exemplo tuo inuicem di-

ligerent, id est, vt alter pro altero animam ponere
vellet, admonui. Ego, quod vitam æternam, quis- 1.Ioan.3.
que fratrem suum odisset, habere non posset, ma-
nifestissime prædicaui. Ego, ne sermone tenus ama- Ibidem.
re, sed vt dilectionis suæ puritatem operum verita-
te monstrare niterentur, edocui. Ego, quod illos 1.Ioan.5.
Deus exaudiret, qui absque conscientiæ reprehen-
sione essent, ad liquidum docui. Ego, quod illi in 1.Ioan.4.
die iudicij tui fiduciam habituri essent, qui san-
cti in hoc mundo mansissent, patefeci. Ego, quod
neque obtrectationum opprobria, neque iniuria-
rum nocumenta, neque alia quæcunque tentatio-
num genera, quisque perfectus in Dei charitate
esset, timere posset, ostendi. Ego, *vt neque mundum,* 1.Ioan.2.
neque ea quæ in mundo sunt, diligerent, imperaui. Ego,
quod quisque mundum amasset, Dei charita-
tem non haberet, edixi; & quod vniuersa huius
mundi, quæ naturalis necessitatis modum exce-
dunt, non à patre essent, sed quod carnis ea con-
cupiscentia, & sæculi ambitio, & vitæ superbia
inuenissent, adstruxi; & quod mundi amoris curam
minime habere deberent, quem constaret ma-
ture periturum esse, testatus sum. Quorsum au-
tem his omnibus spretis atque contemptis se se ma-
litiæ, crudelitati, odio, nequitiæ, auaritiæ, fal-
laciæ, cæterisque iniquitatum generibus immerse-
rint, fateantur ipsi. Ille etiam tertius Dominicæ
gloriæ testis electus, qui & secunda post Pe-
trum fidei columna ab Apostolo designatur, cum
huiusmodi voce profiliet. *Ego his in vnius textu Epi-* Galat.2.
stolæ breuiter & aperte quid eos obseruare conueniret, expli- Iaco.1.
cui. Ego, ne ad iracundiæ animositatem prosilirent, ipsius iræ
malum, id est quod Dei iustitiam implere non posset, ostendi. Iaco.1.
Ego, ne cœlestia tua, & diuina præcepta ad hoc solum vt le-
gerentur, aut audirentur conscripta iudicarent, factores illos Iaco.1.
verbi tui, & non auditores tantum esse præcepi. Ego, ne se ali- Iaco.3.
qua religiositatis prærogatiua defenderent, si vel in frenis lin-
guæ vitio laberentur, eorum religionem inanem esse testatus Iaco.2.
sum. Ego, ne diuitum personas acciperent, neque eos quibus tu,
væ, fore prædixeras, & cœlestis aulæ introitum per ardui ex-
empli formam negaueras pauperibus à te magis electis, & fi-
dei opibus locupletatis, & regni tui heredibus præfinitis prauo
iudicio præponerent, & preciosæ vestis candorem atque au-
reum constantis annuli fulgorem beatitudinis tuæ consorti-
bus anteferrent, latiore disputatione suadere non distuli. Ego, Iaco. 4.
ne mundanarum rerum amor cultus tui amorem posset exclu-
dere, inimicum tuum esse quisque sæculi amicus esse vellet, as-
serui. Ego, ne solum sibi fidem sufficere existimarent, nihil so- Iaco.2.
lius fidei prærogatiuam absque iustitiæ operibus iisdem profu-
turam esse testatus sum. Ego, ne se cœlestem habere pruden- Iaco.3.
tiam arbitrarentur, si in aliis vel zeli amaritudo, vel conten-
tionis pertinacia ineesset, alioquin potius huiuscemodi sapien-
tiam terrenam & Diabolicam esse cognoscerēt, comprobaui.
Ego, sapientem ex bonorum operum conuersatione intelligi Iaco.3.
debere, præfatus sum. Ego, ne de se alterutrum detraherent, Iaco.4.
neque fratres suos in quo illos lex non condemnauerat, iudica-
rent; ne non tam aduersus humanæ naturæ conuersationem,
quam contra diuinæ institutionis mandata viderentur ferre
sententiā, & se te sapientiores gloriari, dū ea redarguunt, quæ
illa minime reprehēdenda decreuerunt, satis supérque commo-
nui. Ego, vt neque per cœlum, neque per terram, neque per a- Iaco.5.
liud quodcunque sacramenti genus se iurare debere præsume-
rent, protestatus sum fortius. Ego, ne sibi de quibusdam, Iaco.2.
quæ eligere maluissent mandatorum custodia blandirentur,

& se iam iustos iudicarent, si alia facerent, quamuis alia contemnerent, vniuersæ legis præuaricatorem, qui vnius saltem præcepti transgressor extitisset, exposui. Quomodo autem ab huiusce doctrinæ lineis declinauerint, vel qua desperatione animi, vt non tam se, quam alios deciperent, tam lucida & manifesta præcepta, non veritatis serie, sed secundum suarum desideria voluptatum intelligenda præsumpserint, & callidæ interpretationis falsitate corruperint, ex ipsorum responsione claresçat. Quid ad hæc oro respondebimus? Nunquid dicere poterimus, quod aut non ita scripta sint, aut tenorẽ nobis eorum quæ scripta sunt difficilioris intelligentiæ obscuritatem præstitisse, cum omnia tam clara atque perspicua sint, vt nullius admodum cæcitatis caligine inuoluta esse noscantur. Dicemus forsitan, omnia quidem Domine, quæ nobis imputantur, agnoscimus, & inexcusabiles nos esse certissimè scimus. Sed prodesse nobis debet, quod fidem habuimus, quod nomen sanctum tuum crebrius inuocauimus, quod solum te Dominum creatorémque nostrum esse cognouimus, quod legis tuæ doctrinam adnuntiauimus, quod quidam nostrum in honore potentissimi nominis tui dæmonia eiecerunt, ægros curauerunt, cæteráque prodigiorum, & virtutum signa fecerũt. Sed respondebit nobis ille, quod se talibus responsurum esse præfatus est: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnũ cœlorum; sed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorũ. Discedite à me, nescio vos, operarij iniquitatis.* Matt. 7. Quæ tunc nobis peccatoribus anxietas erit? quæ animorum mœstitia? qui lamentationis gemitus? qui fletus oculorum? videre iustos speciebus & præmiis cælestibus munerari, & nos eiusdem beatitudinis perceptione indignos haberi, quam nostri similis natura sortita sit. Quantus dolor sit, nimium desideranda conspicere; & cum conspexeris, non tenere. Mirari tantum in aliis, quod in te mirabile esse potuerit, non possidere quod cupias, & quod abhorreas sustinere. Videre alios ab Archangelis, Angelis, cæterísque diuinis ministris ad regnum sibi præparatum cœlestis pompæ dignitate deduci, & te pœnalibus ministris ad Tartari rapi supplicia, quo tunc animo miserandi erimus, vel qua facici confusione ante tãtæ maiestatis gloriam stabimus, cum horum dissimiles inuenti fuerimus in meritis, quorum videbamur esse in religione consimiles. Quo igitur mœrore cordis, quóve mentis angore à Dei facie sanctorúmque omniũ præsentia, & ab illis diuinis immortalibúsque deliciis auersi cum Diabolo atque Angelis eius abibimus deputati, quibus vocibus quibúsque lachrymis cælesti regno cum suis dicemus, vale. Tarde iam pœnitebit sanã recusare doctrinam, & salubria audire veritatis monita noluisse. Tarde iam persuasio illa, quæ nunc pluribus placet, displicebit. Tarde dolebit abiectos & pauperes fuisse contemptos, & humanis magis consensum præbuisse sermonibus, quam diuinis. Tarde illius doctrinæ, cuius quondam acerbitas abhorreret, agnoscetur vtilitas. Tarde spes illa quæ illudit nunc plerosque deflebitur, sero pigebit humanis inhiasse opibus, & temporalibus, quam æternis vti honoribus maluisse. Alij interitus sui causam intellectui proprio, alij extraneis magisteriis imputabunt. Sed nihil iam pœnitentiæ dolor proderit, vbi pœnitendi tempus effluxerit. Hæc itaque dilectissimi mihi in nostro semper corde voluantur, hæc die noctúque meditentur. Grande est Dei filium esse, infinitum est, cœlum habere post terram, æternæ vitæ locuples & copiosa possessio est splendore solis corruscare. Omni claritate clarius est cũ Deo regnare, omni nobilitate nobilius est, inenarrabile est, quod credimus, quod speramus, immẽsum est. Quid igitur à nobis pro tantæ magnitudinis perceptione deposcitur? Vt interim iuste sanctéque viuamus, vitæ nostræ actus huius beatitudinis pretiũ, si tamen tam dignus sit, vt tanti muneris præmium consequatur. Non est vulgare quod quærimus, non debet vulgare esse, quod viuimus. Diuinorum munerum speculatorum diuina conuersatio esse debet. Simili ac pari more diuersantes, dissimilem non possunt habere mercedem. Stultum est omnium ritu velle viuere, & quod non omnibus promissum est, expectare secretum. Sanctis sancta debentur, cælestibus cælestia regna promissa sunt. Quid autem est quod dico cælestibus? cælestia videlicet opera exercentibus, quamuis versentur in terris. E contrario vehemens, & horribilis est perpetua suppliciorum pœna, & æterni gehennæ ignis nimium pertimescenda: Si concupiscenda non aliciunt, vel metuenda deterreant: Et quod amoris conferre cupiditas debuit, timoris saltem causa paretur. Sed esto, vt quidam volunt, nullius in futuro supplicij metuenda cruciatio sit. Nec pœnalis cuiusquam ignis cõbustio formidãda, & terroris tantum causa hæc promissa esse credenda sint. Nempe vel sola pertimescẽda confusio est: qualis enim vel quanta verecundia erit, cum Dei, tum deinde omnium illic cælestium circunstantium potestatum, Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, cæterorúmque sanctorum adsistentium oculis vniuscuiusque nostrum secreta pandẽtur & malorum omnium, quæcunque siue mẽtis cogitatione, siue operis perpetratione commisimus, in conspectu cunctorum, quasi illic generantur, secũdum specierum suarum imagines deformẽtur exposita. Iuxta illam contestationem: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Pſal. 49. Cum in modum funis quisque suorum trahet peccatorum seriem. Vnde dictum est: *Væ his qui trahunt peccata sua sicut funem longum.* Isaiæ. 5. Quæ illic rogo eos præcipue qui sanctiores cæteris esse mortalium iudicio putabantur, pudoris ruborísque magnitudo perfundet? Cum aliud esse apparuerint, quam hominibus videbantur, qualis eorum conscientiam dolor afficiet, cum in illorum sanctorum cœtu de se dici audierint: Nonne isti sunt, qui in mundo christianiores omnibus dicebantur? Nonne eorum opinio per vniuersum pene mundum fama volitante currebat? Quomodo nunc aliud quam existimabantur inuenti sunt, hominibus magis, vt apparet, iustos se exhibuere quam Deo, & sufficere sibi arbitrati sunt humano sanctificatos esse iudicio. Illam vero, quæ secundum Deum est sanctitatem, minime perficere voluerunt. Quæ igitur talia audientibus tristitia erit? qui vlulatus? qui gemitus? minus dolebunt, quos nulla sanctitatis fama decorauit. Quid mirum erit, si hic qui semper iniustus habitus est, non iustus appareat; & hoc quod

quod esse credebatur, inuētus sit? Nō magnopere in honorari se sentit, quisque nullius vnquam honoris gratiā cœperit, omni vero supplicio grauius est, si se, qui alicuius gloriæ fuerit, esse cernat inglorium. Operi etenim huiusmodi indeficiens verecūdia, & ęterna cōfusio; vt etiam si fides esset adhibenda mendacio, hoc saltem formidandū talibus erat, ne confusibili semper opprobrio subiugarētur. Curramus ergo dum tēpus est, & quātis possumus viribus enitamur, vt omni vitiositatis consuetudine superata, iustitiæ nos sanctitatisq; operibus imbuamus, vt nō cum impijs & peccatoribus infinita cruciamentorū supplicia & confusionū opprobria perferamus, sed cū iustis & sāctis diuinę beatitudinis æterna claritatis gloria perfruamur. Quanquā mihi & meis similibus dici ista cōueniat, vobis vero superflua videantur adnuntiari, quos vsqueadeo apparet illicita non cōmittere, vt licita etiā contēpsisse videamini. Quomodo fieri potest, vt gerere audeāt, quę prohibētur, qui illa etiā metuunt, quæ cōcessa noscuntur? sed vt iā in exordio epistolæ præfati sumus, charitatis ista natura est, & his quos diligit, aliqua malit superflua dicere, quā tacere consulte. Qualiter religionis tuę memores simus, vel quo eam veneremur affectu, ex hoc cognoscere poteris, quo passi nō sim⁹ nisi vt eum quē præsentem cernere non poteramus saltem litteris adloqueremur absentē; quarum scribēdi sollicitudinem, nūquam nisi fida charitas exigit, præsertim vbi tā scribētis commodū quæritur, quam charitatis exhibetur officium, & quanquam Christiano omnes sit necesse diligere, cui ipsos etiam iubetur inimicos amare, his tamē maior habetur affectus, quos omni venerationis deuotione coli, propria bonitas exigit. Huius enim non tā qui diligunt, virtutis aliquid faciunt, quā qui nō diligunt malignitatis crimen incurrunt. Vnde non satis laudabile est amare hos, quos non amare culpabile sit, qua de re ego, qui debitā moribus tuis exhibeo charitatē, in hoc ipso me crudelitatis tantū sentio vitare periculū, nō aliquid exercere virtutis. Nam teste Deo loquor, semper me generositatis tuæ, ex quo nosse potui, suspexisse mores, dilexisse prudentiam, patiētiæ disciplinā, & totius quæ in te vniuersis admodum patēt, grauitatis signa coluisse. Vnde semper ægrius tuli, & ac si sæculo inuidus ingemui, mētem diuinis reb. aptam humanis magis necessitatibus præpediri, & cui cælestia erant præmia expetēda, terrena potius lucra sectari. Nunquam tamē ita desperaui, quin crederē pium animum & benignū ac totius rationabilitatis sapore conditum corruptibilia & caduca aliquando despicere, & sese ad incorruptibilium magis quam æternarum rerum electionem velle transferre. Vnde magna animi exultatione gauisus sum, cum fidei tuæ incrementa ad paruitatis meæ notitiam, non fama, sed veritas pertulisset. Certus scilicet in breui omnia fastidire posse mortalia, cui desiderium aliquod immortalitatis accesserit; & cum quem inhumanis profectibus fuisse cupidum constet, multo magis in diuinis fore, cum ea desiderij fiducia sperare cœlestia cœperit, qua videbatur expectare terrena. Nemo enim de duobus quæ habentur bona, non quod melius fuerit concupiscit, & semper minora spernuntur, vbi cœperunt maiora sperari. Illud

A etiā pusillanimitatis meę aurib. intimatū est, quod exiguitatem nostram tantis laudibus præferas, vt non aliud in ea, quàm quod reprehensione careat, arbitreris posse reprehendi. Tu quidem pro ingenita tibi beneuolentia suspicaris & pie, nec aliter magis potes laudare, quam diligis. Quod (si ita est) deesse culpam asseras, vt hoc tantum in illo culpabile iudicetur, quod culpare nemo iure potest. Sed ego meæ non nescius conscientiæ multa in me esse, quæ sint reprehensione digna cognosco. Vnde non necesse est, me in his quæ culpa carent, culpabilem iudicari, cum pluribus, B in quibus culpari merito debeam, obnoxium esse me videam. Aliud est, si, vt adsolet, aut ignoranter vituperantur, aut non pie intelliguntur quæ à nobis tam scienter, quam pie prolata noscuntur. Quid enim tam scientia dignum, quid tam pietati conueniens esse credendum est, quàm Deum iustitiæ atque æquitatis parentem, nihil vel quod suspicari quidem iniquum atque iniustum debeat, operatum videri? Intuere quàm procul ab eo iniustitiæ abesse suspicio debeat, qui nec hominem ipsum, cum in eo prauitatis quid fuerit, diligit; eumque regno suo priuat, & gehennæ ignibus C mancipat, si iniquitatis aliquid in illo permaneat. Igitur si illū iustum oportet esse, qui factus est, qualis ille credendus est, qui fecit; & si totius æquitatis debet esse, qui iudicandus est, qualis putandus est ille, qui iudicat? Conueniat sane Deo aliquid impossibile præcepisse, si vel homini cōuenit: aut si etiam humana conditio iniquum putat contra possibilitatē cuiquam aliquid imperare, quæ peruersitas est, hoc vel sentiri de Deo, quod nec mortaliū quidē natura suscipiat. Est ne aliquis tā improuid⁹, tam iniustus, tam totius æquitatis ignarus, qui aut famulo, aut cuiq; subdito id imperare audeat, quod eum implere non posse cognoscat? Verbi gratia, præcipiet ne seruo suo quis, vt aut quatriduum iter D vnius diei labore conficiat, aut spatiosi maris fluctus natando potius, quam nauigando transmittat, aut vt montes lubrico apice inuios, inaccessibilesque conscendat, & quæcunque alia quæ sunt naturæ cōtraria faciat. Quod si iubere præsumpserit, quis non hunc non modo iniquum, verumetiā & insanum putet, quem illa imperare homini videat, quæ sua nullo modo queat natura supplere? Et si de huiuscemodi homine tale potest haberi iudicium, quid de Deo sentiant, qui eum aliquid naturæ contrarium præcepisse existimant, prudentiæ tuæ iudicio derelinquo. Oro itaque te, vt inueteratæ persuasionis sententia paululum sequestrata, at- E que totius animositatis contētione summata, pura & syncera menta paruitatis meæ verba suscipias, non contradicentis animo, sed examinantis affectu; nec quid vulgaris consuetudo teneat, sed quid iustitiæ ac rationis veritas habeat, attendas. Scio enim te esse sapientem, nec me laborare posse apud rationabilem rationabilia defensantem. Sed dicet aliquis: ergo hominem non peccare possibile est; dura hæc re vera nimium, & amara peccantib⁹ vox est, & quæ omniū iniuste viuere concupiscentium vulnerare possit auditū. Cū tam facile erit implere iustitiam quam etiam quibusdam audire difficile est, vel quomodo eius æquo animo suscipien-

da sunt opera, cuius tam acerba doctrina iactatur? quid quærimus iam, an possit fieri quod inusitatũ atque contrarium putatur, vt nec possit audiri: quãdo hãc vocem libenti animo sanguinarius aut crudelis excipiet? quando non auarus & cupidus perhorrescet? quando luxuriosus & sordidus æquanimiter sentiet? Et, vt breuiter cuncta perstringam, quando cuiuscunque criminis, vel peccati reus quieta mente susciepiet, malum suum voluntatis esse non necessitatis, & arbitrio adscribi, quod ille nititur imputare naturæ. Infinitum enim solatium diuinæ legis præuaricatoribus præstat, si quod non faciunt, non posse magis, quam nolle se credant, naturali prouidentia intelligẽtes neminem de impossibilibus iudicandum, & aut leue, aut nullum esse peccatum, quod impossibilitatis causa defenderit. Ideoque infelices & miseri in diuersa crimina sine recogitatu aliquo præcipites ruunt, nec hac re postmodum ferunt illa se commisisse, à quibus abstineri non posse præsumunt, & ita fit, vt sub impossibilitate non peccandi detur delinquendi securitas. Hoc etiam, si ita esset, dici tamẽ non oporteret, eo quod non ædificaret, sed destrueret audientes. Quisque enim se nõ posse absque peccato esse audierit, nec tẽtabit quidẽ esse, quod sibi impossibile iudicauerit, & qui nec conatur absq; peccato esse, omni tempore eum peccare est necesse, & quidẽ eo liberius quod impossibilitatis securitate perfruitur. Huiusmodi nec dignã vnquam pro factis suis pœnitentiã gerit, facile credit Deum, quod nec imputare quidẽ iure debeat remissurum. At vero si audiat posse se nõ peccare, necesse est, vt quod possibile cognouerit, nitatur implere, & dũ implere contẽdit, & si non ex omni, ex maxima tamen parte perficere; is etiãsi aliquo fuerit delicto fragilitatis præuẽtus humanæ, certe aut rarius peccabit, aut leuius qui hoc molitur & nititur vt absque aliquo possit esse peccato, & lapsus sui humilius & sũmissius deflebit errorẽ, si illa se intelligat cõmisisse, quæ si voluisset vitare, potuisset. Quomodo ergo superior sensus duplici modo auditoribus suis obest, dũ delinquendi securitatem præbet, & medelã non valde necessariam iudicat pœnitendi; ita iste inferior duplici intelligitur prodesse ratione, cũ eos & non ad peccandum per possibilitatis facilitatem prouocat, & ad pœnitendum, si vt adsolet, cuiusq; peccati lapsum inciderint, per volũtariæ præuaricationis agnitionem facilius impellit. Qui contradixeris, inquiens, absque peccato esse homo nullo pacto potest, ante considera vtrũne vel peccatũ definiri debeat, quid illud fuerit, sine quo esse homo non possit. Quoniã omne quod vitari non poterit, iam naturæ refertur. Naturæ vero nefas est, si peccatũ inesse dicatur, quia naturæ auctor inculpabilis iudicatur. Sic.n. idem est vt dicere, non posse esse hominẽ sine peccato, ac si dicas, nõ posse hominẽ viuere absque cibo, absq; potu, absque somno, & cæteris huiusmodi rebus, sine quibus humana non potest esse conditio. Quod si ita tenendum est, quomodo cõuenit vel peccatum dici, si vt cætera naturalia, ita & hoc non potuerit euitari, cũ peccatum omne volũtatis arbitrio, non naturæ vitiis imputatũ sit, sed ante peccati ipsius definitionem nosse debemus, vt de possibilitatis, vel impossibilitatis eius cõditione facilius disputemus. Peccatum enim duobus modis determinari necesse est. Si aut illa non vitentur quę prohibentur, aut illa non fiant, quæ iubentur. Nũc cuiuscunque humanum aliquid sentientis conscięntiam consulo, cuiusmodi esse censeat illa, quæ fieri Deus vetuit, quæ vitari possint, aut quæ nõ possint. Si quæ vitari possint, merito prohibuit: si quæ vitari non possint; primũ quæro, qua ratione prohibita sint, deinde qua iustitia eius rei cõmissio possit imputari esse peccatum, quæ vitari omnino non potuit. Quæro etiã, si quæ præcepta sunt, possunt per fici, aut nõ possunt? Si possunt, rationabiliter iustéque præcepta sunt: si non possunt, frustra imperata censentur. Nec video qua æquitate illarum rerum contemptus possit peccatum haberi, quæ penitus impleri nequiuerint. Aut si illa tantum vel prohibita sunt, quæ vitari poterant; vel præcepta, quæ perfici, quomodo hominem absque peccato esse posse diffidemus, cum impossibilia ei, neque prohibita, neque præcepta fateamur, in quibus duobus, vt iam superius diximus, omne videtur cõstare peccatum? Sed, vt manifestius loquar, dicis hominem absque peccato esse non posse. Quæro primum, præceptum ne sit ei absque peccato esse, aut nõ præceptum? credo præceptum. Cur ergo præceptum est, si id fieri omnino non poterat? Necesse est enim confiteri alterum è duobus, aut præceptum nõ esse, si fieri nõ potest; aut posse fieri, quia præceptum est. Quoniam, vt superius diximus, nunquã Deus aliquid impossibile præcepisset. Sed, vt præceptum esse manifestum sit, sanctæ legis vtamur exemplis. Scriptum est: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus* Deus vester: Et Saluator in Euangelio: *Estote perfecti, sicut & pater vester, qui in cælis est, perfectus est.* Et beatus Apostolus Paulus: *Omnia facite sine murmuratione & hæsitatione, vt sitis irreprehensibiles, & simplices sicut filij Dei immaculati.* Et alibi: *Et vos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensus eius in operibus malis. Nunc autem reconciliati in corpore carnis eius per mortem eius. Exhibete vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso.* Et iterum poteris inuenire. Errãt enim nimium qui in hoc se Christianos putant, quo Christianum tantum possideant nomen, ignorantes, quod non res nomini, sed rei nomen debeatur, & recte aliquẽ vocari quod sit, quod nõ sit vero, vanũ esse si vocetur. Sed quæris forsitã, quid sit Christianum esse, breuiter tibi strictimque respondeam. Christianus ille est, in quo tria ista quę in omnibus debent esse Christianis, poterint inueniri, scientia, fides, obedientia. Scientia, qua Deus agnoscitur; fides, qua agnito creditur; obedientia, qua credito seruitutis obsequium commodatur. Sed hęc singula per binas species dirimuntur. Scientiæ ergo species istę sunt. Vna qua esse Dominum scimus, alia per quam eius cognoscim⁹ voluntatem. Fidei vero species hæ sunt. Vna qua Deum credimus, alia qua Deo. Aliud enim est Deum credere, aliud Deo. Quia omnis qui Deo credit, & Deum credit: non omnis vero qui Deum credit, Deo credit; credimus enim Deum cum esse confidimus: credimus vero Deo, quando fidem eius pollicitationibus commodamus. Obedientia æque geminas species habet. Vna qua malum facere prohibemur; alia per quam bonum docemur operari.

Leuit. 19. Matt. 5. Philip. 3. Coloss. 1.

operari. Noſcat ergo prudentia tua hunc eſſe Chriſtianum, qui fidelis fuerit: fidelē vero eum eſſe qui iuſtus extiterit, iuſtum autem non niſi illum, qui Dei mandata ſeruauerit. Dei vero eum ſeruare mandata, qui mali nihil quod Deus prohibet, fecerit; & quicquid boni eſt, quod ipſe fieri præcipit, obſeruauerit, ſcriptura dicente: *Recede à malo, & fac bonum.* Nolo enim cenſeas illos ſaltem integros eſſe Chriſtianos, qui quædam bona faciunt, quædam vero operantur mala. Cum ſcriptura dicat, *Qui vniuerſam legem ſeruauerit, offendit autem in vno, factus eſt omnium reus*. Dicis forſitan, ipſorum mandatorum quæ nobis implere neceſſe eſt, breuiter mihi ſpecies indica. Nihil eſſe breuius puto, quam quod Apoſtoli de ſancti Spiritus iudicio definierunt, dicentes. *Quæcunque vobis fieri non vultis, alij ne feceritis*; & ipſe Dominus in Euangelio: *Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter*. Hæc duo mandatorum genera ſi quis bene intelligat, & cuſtodiat, ab omni poterit alienus eſſe peccato. In his enim tota conſiſtit plenitudo iuſtitiæ, quia quiſque, quod ſibi non vult fieri, alij non fecerit, & non ſolū malum, quod inferri ſibi moleſte fert, alteri non faciet, verum etiam omne bonum quod negari ſibi ab altero non vult, alteri neceſſe eſt exhibebit. Iſte enim non ſolum vicem boni, quod ſibi non reddi non vult, aliis reſtituet, verum etiam pro malo bonum, quod æque ſibi non optat abnui, repenſabit. Nullus enim eſt, qui vicem illatæ recipere oportet iniuriæ. Illud etiam huic ſimile eſſe dignoſcitur, vt quæcunque volumus, vt faciant nobis homines, ita & nos illis ſimiliter quoque faciamus. Volumus enim nos honorari ab omnibus, & nos omnes honorare cōueniet: Volumus enim vt nemo nobis noceat, & nos ſimiliter nemini nocebimus. Sed etiam ſi nocuerimus, volumus nobis indulgeri; oportet ergo & nos his, qui nos læſerint, veniam dare. Debemus etiam inimicos diligere, quia nec eorum nos odio delectamur affligi. Quid plura? omnia quæcunque eſſe poſſunt bona, in his teſtimoniis, ſi quis ea bene intelligat, continentur. Chriſtiano enim lædere neminem licet, cui illud implere teſtimonium conuenit. *Nemini nocui homini, iuſte vixi cum omnibus*: non licet mentiri, non licet maledicere, nō licet iurare, non licet malum pro malo reddere, nō licet adulari, non licet perſonas accipere, non inimicum odiſſe, quem amare præcipitur, ſicut ſcriptum eſt: *Diligite inimicos veſtros*. Vnde intelligi datur prudenti, quem ei non licebit diligere, qui etiam ipſum amare iubetur inimicum. Vel cui eſſe poterit malus, qui ſe obedientibus eſſe præcipitur bonus, non licet auarum eſſe, nec ſuperflua poſſidere. Non in terrenis honoribus aut facultatibus gloriari, cui in præſenti tempore paupertas, non diuitiæ, & ignominia magis quam nobilitas conuenit. Dicente ſcriptura: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam*. Quiſque enim ſe Chriſtianum profitetur, per omnia auctoris ſui exempla ſectetur. Sicut Scriptum eſt: *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet quomodo ille ambulauit, & ipſe ambulare*. Chriſtus enim ſibi in hoc mundo, nec genus, nec diuitias vendicauit, Quod filij Dei ſumus, Apoſtolus dicit: *Chariſſimi nunc filij Dei ſumus*. Turpe eſt ergo Dei filio, hominis ſe filium gloriari, & velle ſe temporalem diuitem dici, cui perpetuæ promittuntur diuitiæ. Præſertim cum ſciat huius mundi diuitibus regna cælorum Dominum denegaſſe Euangelio dicente: *Facilius Camelus intrabit per foramen acus, quàm diues in regnum cœlorum*. Marc. 10. Lucæ. 18. Qui iſta ſeruauerit, ſcias hunc magnum eſſe Chriſtianum: qui vero contempſerit, non eſſe eum, ſed fruſtra intelligas vocari. Et quoniam nobis per Chriſtum non modo pietatis atque iuſtitiæ, verumetiam caſtitatis forma proponitur, huius quoque exempli ſectari normam debemus, vt illius nos perfectos probemus eſſe diſcipulos. qui & ipſe virgo eſſe voluit, & virginibus cæleſtis regni præmium repromiſit. Sicut in Euangelio dicit: *Sunt enim ſpadones, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum*. Matt. 19. Nihil eſt enim tam charum Deo, quam caſtitatis bonum in quo præcipue eius ſimilitudinem gerimus, ſi incorrupti & integri iugiter manſerimus. Eſt enim infinita virtus, corporis vincere voluptatem: qui hoſtem vicit, fortior fuit, ſed altero: qui autem libidinem repreſſit, ſeipſo fortior fuit. Hæc interim honorificentiæ tuæ, vt epiſtolæ breuitas paſſa eſt, credidi eſſe ſcribenda, cupiens ſanctitati tuæ, ſi iniuriоſum non ſit, preſens loqui, & de quibuſcumque fueris conſulere dignatus, te reddere certiorem; opto te ſemper Deo viuere, & perpetui Conſulatus honore gaudere. Vale.

SANCTI SIXTI TERTII
PONTIFICIS MAXIMI,

LIBER DE CASTITATE, AD QVENdam verè Chriſtianum.

QVANQVAM illius Chriſtianitatis te eſſe cognouerim, vt omne ſanctitatis bonum velut ingenitum teneas, & docere magis alios poſſis, quam doceri ipſe deſideres; nihilominus tamen pro nimia ſolicitudine charitatis, quam exhibere bonis præcipue cogit, dum timemus, ne quid forte mentem tuam inter multa prætereat, maluimus ſuperflui exhortatores exiſtere, quam te boni aliquid ignorare, nihil damni paſſuri, ſi ea tibi videamur intimare, quæ noueris, ſi quid eorum quæ, vt aſſolet neſcias, ſuggeramus. Scis enim ſæpe contingere, vt inter multa bona illud quod magis neceſſarium eſt, lateat; & periclitentur alia, dum quod maius eſt, ignoratur. Eſt etiam iſta callidi & antiqui hoſtis aſtutia, qui non immerito hominem odio liuoris inſequitur, ſanctitatis meritis candeſcere illo conante. Vnde ipſe cauſa prænaricationis eiectus eſt, vt neceſſarium ei bonum ſub ſpecie liciti auferat, per quod ſæpe etiam cuncta diripiat doloſo & maleuolo artifici ſimilis, qui vniuerſam fabricam domus exigua fundamenti imbecillitate diſturbat, totum ædificatorem nonnunquam perdere faciens, dum minus diligēter attendit, quod maxime continet. Totum fundamentum etenim ſanctitatis atque iuſtitiæ etiam caſtitatem eſſe dubitare non poterit, quiſque diuinæ legis exempla tota intentus mente perſpexerit; quod ſi in aliquo vacillare cœperit, omnem eius fabricam

nutare metuendum est. Sed antequam de castitatis bono aliquid dicere incipiam, definitionem eius video esse necessariã, ne quisquam forte nos de ea tractare existimet, cui ab incontinentibus nomen inuentum est. Apud quos iã castitas definitur, si ab adulterio incestúque cessetur, quamuis pudicitia assidua libidinum pollutione violetur. Et re vera ad mœchorum comparationem huiusmodi non immerito sibi de castitatis bono plaudent; sicut & illi, si ad Sodomorũ monstruosam libidinem prouocẽtur, aliquid de pudicitia gloriabuntur. Non idcirco tamen pudici habendi sunt, sicut nec Sodoma iusta, quamuis ad Israelis comparationem iustificata referatur: Non enim de coacta, sed de vera castitate tractamus, quãita definire necesse est, vt ab omni coitu & cõcupiscentia aliena esse teneatur, quæ nec apud illos syncera esse credenda est: qui eã vel mẽtis motu violauerint: dicente Domino: *Quicunque viderit mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est eam in corde suo.* Hæc enim in vtroque sexu vera est castitas, quæ nec corpore, nec mente polluitur. Cæterum quisque vel matrimonij sui semper incontinens est, castus quomodo dici possit ignoro. Aliud est, si inter castitatem & incontinentiam nulla diuersitas est; quod si ita est, erit cõtinens non castus, si incontinens castus; Aut si ratio non cõcedit, vt continens castus negetur, eadem & incontinentem castum haberi prohibebit. Neque enim continentiæ, & incontinentiæ negari diuersitas potest. Diuersitas enim eiusdem causæ statum non potest obtinere. Dici quidem potest casta fœmina seruans viro suo fidem, sed marito, non à marito, nisi etiam ab ipso continẽs fuerit. Vir quoque si non mœchetur à mœcha castus dicendus est, non à muliere, nisi & ab vxore sit continens. Quoniam & vxor, mulier esse credenda est. Mira enim castitas hæc est, in parte concupiscentiæ nullius sexus nosse cõsortiũ. Hanc enim in duas diuidimus species: Vnam virginitatis, & viduitatis aliam; huic matrimonij iungenda continentia est, cui coniunx ita viuens moritur, vt habens non habeatur. De prima ergo castitatis specie, virginitatis scilicet à nobis sermo promendus est, cuius bonum prius debemus monstrare quàm præmium. Quia nemo de eius rei mercede dubitabit, quam bonã esse cognouerit. De illa vero potest esse aliqua cunctatio, cuius ante præmiũ videtur ostendi quàm meritũ. Dicis forsitan: Quid poteris de virginitatis seu castitatis bono dicere, vel qua ratione eam matrimoniis anteferre, cum à Deo sciamus esse coniugia? Dicam in primis, quod Deo in hac parte sit similis, dum integritatis sanctitate persistit. Neque enim dicere audebit nõ superiorem statum diuinam illam potentiam obtinere. Hinc primum virginitatis bonum respice, quod illud diuina magnitudo possideat, amplectenda res homini, quæ Deo digna est. Deinde post Dei etiã ministrorum eius statum nosse debemus. Audio angelos, archangelos, thronos, dominationes, potestatésque nominari. Hos omnes in singularitatis & castitatis norma esse non dubium est. Neque enim aliud decebat, quã vt castitati castitas ministraret. Sed si dixeris, hoc illis non tam officij, quam naturæ causa collatum, eo quod spiritalis substantia matrimonij copulam habere non possit; respondere quidem poteram etima officij causam exegisse, vt tales crearẽtur, quorũ nequaquã possit natura corrumpi: nec recordor angelos matrimonij iniisse cõsortia. Per quod ostenditur etiã angelos castitatem ex propria natura possidere: cuius loci obscuritatem nunc dilucidari prolixum est. Accipe etiam humani generis exemplum. Sacerdotũ scilicet quos assistere & Deo hostias offerre nõ nisi continentes licet: vnde proculdubio incontinẽtiam Deo ministrare nõ posse constat. Quid de vniuersis hominibus loquar? quos tã diu nuptiarum licebit exercere cõmercia, quamdiu secundũ Apostolum in præsenti tẽpore à Domino quodammodo videntur extores. Postquã vero resurrectionis dies nos eidem fecerit esse præsentes, & illud beati Ioãnis fuerit in nobis impletum: *Videbimus eũ sicuti est*, nubere vltra iam non licebit; dicente Domino: *In resurrectione autem, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli in cælo:* vnde datur intelligi angelis ob nimiã Dei familiaritatem matrimonij causam non fuisse cõcessam, quã do illis quib. aliquando indulta fuerit, postquã diuina propinquãte angelis similes esse cœperint, ea denegetur. Vide ergo quanta beatitudo sit, ita se in præsenti aliquẽ exhibere, vt & Deo & Dei ministris possit similis inueniri, & normam iã futuri tẽporis possidere. Parum ergo bonum putas hominem, sicut à primordio factus est, Dei similitudinem etiã in corporis integritate seruare, & tantæ maiestatis simile aliquid habere perpetuũ; Dicit enim Scriptura: *Et fecit Deus hominẽ ad imaginẽ & similitudinẽ suã.* Nõ immerito: incorruptũ enim eũ fecerat, qui propria postmodũ est voluntate corruptus, licet nõ sine Dei nutu: cuius rei postea conabimur reddere rationem dummodo ad hoc tantũ præsens proficiat exẽplum vt ostendamus eũ, qui primus ad imaginẽ Dei factꝰ est, incorruptum esse creatũ. Neq; enim aliud prima debuit natura possidere, quã quod est primũ. Primus enim virginitatis & incorruptionis status in ipso humani generis principe dedicatus est, in quo, iã figuraliter ostensum est, maiorẽ de virginitate, quã de matrimonio Deo curam esse. Illam propria formauit manu, hoc hominum arbitrio derelinquit. Quale ergo bonũ sit, quæso diligẽter aduerte, talẽ te sẽper esse, qualẽ à primordio hominem Deus fecit, & qualẽ postmodũ partus emisit. Vide quantæ beatitudinis sit, hoc te perpetuo esse quod factus es, & primę natiuitatis lineamẽta seruare. Nemo enim corruptus nascitur, nec ante legitimi temporis spatium quispiam corruptione violatur. Omnis homo inter initia sua videtur habere quod primum est, vt inexcusabilis postmodum sit, si id negligentia propria amiserit, quod naturaliter possidebat. Nũc ergo elige, quid melius sit, quod primum natura dedit, an quod postmodum vsus exhibuit? Neque enim dicere fas est castitatis oneros am esse custodiam, quæ multo difficilius amittitur, quam tenetur. Et hoc verum esse sic accipe. Volenti enim sẽpet vacare luxuriæ, & infinitæ voluptatis libidinem exercere cupienti, multæ causæ contrariæ sunt; pueritiæ initia, in qua quis constitutus quamuis nimis cupide ante certum tempus non potest integritatis signa violare; febrium diuersorúmque causa morborum, qua quisquis occupatus à libidinis non modo possibilitate, verumetiam

Matt. 10. Luc. 20. — Matt. 5. — Genes. 2. — 1. Cor. 7. — 1. Ioan. Matt. 22. — Genes.

849

verumetiam voluntate secernitur. Decrepita iam & defessa senectus, quæ vicinam magis suspirare mortem potest, quam cogitare luxuriem, in ipsius postremo causa naturæ, quæ sine interuallo hominem libidinari non patitur. Ab his omnibus necessitatibus castitas immunis & libera est, quantã forti munit naturã præsidio, vt possessore suo nonnunquam inuito seruetur. Huic nec nimia ætatis teneritudo impedit, nec senectus longæua præiudicat, nec natura eius aduersatur, nec causa morborum. Omnis eam semper custodire ætas potest, omnis sine cessatione valetudo retinere. Difficilius enim à nolente amittitur, quam à volente seruatur. Quid plura? nemo vel vnius horæ spatio continuo poterit exercere luxuriam; castitatem vero perpetuam quisquis voluerit, in ætate seruabit. Et hoc Dei prouidentiam ita disposuisse quis nesciat, vt ea res custodiri facilius posset, quam sibi Deus voluerat exhiberi? Quis igitur castitatem seruare iam dubitet, cuius bonum pronum non minus videtur esse, quã magnum? Quis iam velit fauere luxuriæ, cuius nec diuturnitatem poterit sperare, nec præmium? Postremo quisque prudens & sapiẽs est, iudicet quam rem habere potius malit, eam cuius nulla expectatur merces, & cuius cum difficultate breuis exigua possessio est, an illam quæ & in perpetuo haberi potest; & cœlestis mercedis præmio munerari. Sed vt defuturi temporis causa, in quo super omnia remuneranda est castitas paululum reticescam, & præsentis interim conditionem tractare cõtentus sim. Puto me non modo religiosis & fidelibus, & pudicitiæ præmium de Dei pollicitatione sperantibus, verum etiam incredulis atque profanis perfacile posse persuadere matrimoniis continentiam præferendam, & in præsenti etiam beatũ fore, qui eius voluerit felicitate gaudere. Sed nullius rei bonum dignoscitur, priusquam contrarietatis eius causa noscatur. Nam ante languoris experimentum ipsa etiam sanitas vilis est. Quapropter oportet nos nuptiarum prius explicare miserias, & tunc de singularitatis ideſt cœlibatus prosperitate differere; non quo nuptias hæreticorum more damnare velimus, sed quo eminens virginitatis bonum euidentius demonstremus. Quanquam etiam silentibus nobis, & de castitatis beatitudine præconia nulla promẽtibus, quantum sit pudicitiæ commodum sentiat, qui matrimonij casus tota intentus mente conspexerit. Oro te quisquis nuptiarum vincula desideras vt respondeas mihi quo consilio hoc facias? si adolescentiæ; semper lubrica & vaga iuuentus, & quæ diuersis cogitationum fluctibus incerta voluatur, ne quando maturum possit habere consiliũ: si vulgi; quid enim vulgo insipientius, nisi qui eum sapiẽtem existimat? Si affinium; nec eorum in omnibus probanda sententia est, eo quod plerunque soleant, non quæ expediunt, sed quæ cupiunt suadere. Cuius ergo, inquies, consilio mihi viuendum est, si nec proprio, nec vulgi vtile est, nec parentum? Pauli scilicet, & vt amplius dixerim, Christi qui in Paulo loquebatur, cuius tibi postmodum, cum ad sanctæ legis testimonia venero, consilium indicabo. Nunc interim de moralibus, & de ipsius naturæ sensibus disputem, quo magis erubescamus, si illud bonum habere noluerimus Christiani, quod etiam natura

A commendat. Esto consentiam tibi, quod habere matrimonium debeas. Hoc primum à te quæro, si ætatis tuæ certam potes tenere mensuram, ne vt mortalis conditio est, à nuptiarum hora te in his votis positum extrema abripiat dies, & duplici feriat damno, castitatis, quod nubere voluisti; & matrimonij, quod morte præuentus sis. Sed incerta concedam: Esto, votis tuis in diuturnitate vitæ secundus faueat euentus: Quæro, si eius quam ducturus es bene probatos habeas mores: scis enim ipse in fæminis bonum difficile reperiri, humanis etiam contestantibus litteris, varium & mutabile semper fæmina; omnem speciem antè cuique licebit pro-
B bare, quam comparet, præter solam vxorem, quam non licet cuipiam prius nosse, quam ducat: & hoc ex maxima procedit industria. Nam & cuiuslibet reprobæ mercis negotiator examinis iudicium timet: fieri enim potest, vt aut superba, aut contumax sit, aut iracundia sæua, aut vinolentia impudens, aut procacitate verbosa, aut fœditate horrida, aut decore metuenda quæ concupiscatur ab aliis, aut ipsa alios concupiscat. Nescis etiam vtrum prudens esse possit, an stulta: & in his vtrobique metuenda conditio est, ne aut quasi insipiens facile seducatur, aut quasi sapiens crimen suum callida occultet astutia. Duplex etiam in hac parte metuẽda calamitas est.
C Si talis lateat, erit sine fine malum, & sine cessatione peccatum, & mariti grande dedecus, quem exultans sodalibus, & amicis suis vbique ad digitum adulter vxoris ostendit: continget etiam illi acerbũ malum, vt alienos filios, suos putet; & ignorans amet, quos si sciret, odisset, & adulteram prolem coheredem suorum instituat filiorum, erítque sui vernaculæ velut ignarus fautor. Si iterum detegatur huiusmodi; ecce grauius aliquid dum tale opprobrium ad publicum venerit, dum omnes inde loqui cœperint; nec est (prôh dolor) aliqua in tali causa miseratio. Hoc solum crimen est, quod & derisum
D meretur & pœnam: Erítque forte grauis maritus & sapiens, insipientium fabula detrahet illi, vel suis famulis comparando. Quanta eum insuper afficient mala? Cogitur accusare quam diligit & eius mortem inuitus optare, colluctabitur cum affectu pudor: Tali enim indulgeri non patietur verecundia. Damnare quam diligit, grauiter tolerabit affectus. Dehinc quid potissimum doleat, ignorabit: orbitatem an opprobrium, pudoris erit lugere, quam ipse damnauerit: Nemo infelicius amittit vxorem, quã qui confunditur flere quam perdidit, filios etiam odisse cogitur, dum an ipsius sint, dubitabit. Erit nõ minus pater impius, quam crudelis filius: vbi ponimus quod alios lætali ab vxoribus poculo, alios
E gladio diuersisque mortibus ab earum adulteris legimus interemptos? Nihil horum timeas, si certus es nemini cõtigisse; aut si prouenisse nosti, & te hominem esse cognosce: Sed esto, ita tibi in omnibus nubendi obsecundat euentus, vt nihil tale eorum sit in illa, quam duxeris, quæ illius generis singulæ solent ex integro posslidere. Procreandorum certe liberorum causa quis nuptias expetit, & vnde scit, ne forte sterilem contingat esse quã duxerit? Quod si ita acciderit, in vanum proiecta est castitas. Neq; enim licebit illi alteram quærere. Sed vt & hic spẽ commodemus incertis: Esto sterilis nõ sit, esto fœ-

cunda sit, vbi ponimus casus partus, & tumentis vteri infinita discrimina? solet enim nonnunquam contingere, vt quacunq; causa faciente conceptus moriatur in vtero, simul periclitetur & genetrix. Prouenit etiam tanta necessitas, vt dum matri prouidetur, medicorum spiculis infantia innocens intra ipsius vteri secreta lanietur. Sed adhuc meliora credamus, & humanis nos contingi non posse casibus opinemur. Concedamus, & partus felicitatem, quæ summa illi est, si non aut generandus, aut genitrix, aut vtrique vita priuentur. Certe non licet vt absque mortis periculo transigatur. Vbi ponimus, quod nonnunquam paruulus, aut strabus, aut cæcus, aut pede, aut manu, aut quocunque membro debilis procreatur? Aliquotiens etiam cũ Dæmonio nascitur. Sed esto omnibus membris integer natus sit, esto fortis aut validus procreatus, est adhuc latens aliquid, quod formidolosam parentibus ingerat suspitionem, dum qualis esse possit, ignorant, vtrum sapiens, an stultus; vtrum sensatus, an excors. Si sapiens, verendum est, ne non diu viuat: si brutus, dolendũ est talem fuisse progenitum. Sed & ista omittamus. Ecce feliciter natus est, ecce prospere educatus. Sit etiam excellentissimæ memorię & singularis ingenij, & omnium quæ esse morum ornamenta possint disciplinarum peritia & grauitate decoratus. Si contingat ei quod omni ætati cõmune est, vt dum in adolescẽtiæ florentis auspiciis est, dum talis ac tantus vt non à propinquis solum, verum etiam ab exteris diligatur, repentina morte rapiatur, omnis subito parentũ vana efficietur spes, omnis cura frustrabitur. Mutantur doloribus gaudia, & sero procreasse iam pœnitet, quem semper habere non licuit. Cogita ergo quanta illorũ beatitudo, quantáque felicitas sit, qui ab huiusmodi casibus liberi sunt, & qui tantarum cladium nec suspitione terrentur. Multos etiã sæpe comperimus, post paucos nuptiarum dies subita morte direptos: vt ad hoc tantum nupsisse videantur, ne castitatis ęternitate gauderent. Et illud vbi ponimus, quod tẽporibus nostris auctore Diabolo sic vitiata sunt omnia, vt pene nihil sit, quod absque idololatria

Sap. 14. transigatur; Scriptura dicente: *Neque vitam, neque nuptias mundas iam custodiunt*, ab auguriis scilicet & auspiciis & cæteris quæcunq; ad idolorum videntur pertinere suggestum. Et, vt in hoc intelligendũ esse non nescias, sic sententiam clausit. *Nefandorum enim idolorum cultura omnis mali causa est initium & finis.* Hęc in matrimoniorũ celebratur auspiciis, quando certus auspicatur dies, quando coniunctionis hora signatur, quando ne quid infausti ominis incurratur solicita & diligenti cura seruatur. Et cum scriptum

Hier. 27. sit? *Non augurabitis*, non auspicabimini, auguriis, & auspiciis omnia digeruntur. Taceo de confusa turba Bacchantiũ, de obscœnis cantibus, de ebrietatibus temulentis, quæ cuiuis horrere honesto viro possunt nedũ Christiano, cuius & auditus, & visus ab omni turpitudinis probro esse iubetur immunis; Scriptura dicente: *Grauans aures vti ne audiant iudicium sanguinis.* Et alibi: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Et illud oro quale est, quod sic coalescẽtibus viciis omnia vertuntur in peius, vt dum cupiditati prospicitur, nec ipsius naturæ disciplina seruetur? parum est quibusdam quod auaritiæ crimine inuoluũtur, quam etiam idololatriã esse, & omnium malorũ radicem Apostolus statuit, nisi vt auaritiæ iungatur & stuprum. Quosdam non pudet cum parentibus suis & pene sororibus cupiditatis non minus quam voluptatis ardore matrimonij inire consortia. Et hoc ne dispergantur opes, ne patrimonium diuidatur; digna re vera coniunctio auaritiæ cum stuprosa libidine. Vt enim illa non erubescit aliena diripere sibi iungenda, ita & hæc cum suis non confunditur copulari. Exurge sancte Paule, exurge Apostole qui Corinthios, eo quod inter illos audiretur talis fornicatio, qualis nec inter gẽtes seuerius castigasti: increpa nũc & nostri temporis Christianos, apud quos nuptiæ nec honestis quidem digne degentibus celebrantur. Quanquam iã satis eos increpaueris, cum cupiditatem malorum omnium radicem esse definisti, quæ si non esset, nec ista cõtingerent. Dicis mihi, sancto Abrahæ licuit: sed vetera transierũt, & facta sunt omnia noua. Sed nusquam hoc inhibuit Apostolus: Vide si non fecit qui hominem abstinere etiam à legitimis nuptiis suadet. Considera an cum parentibus commisceri permiserit. Hæc idcirco protulerim, vt casus ostenderem nuptiarum, à quibus omnibus pudicitia immunis & libera est. Sed relinquamus licet omnia, & ita ab omni incursu matrimonia aliena esse credamus, quasi quæ Deo per omnia placeant. Quid prodest diligi, quod semper haberi non poterit? Quid prodest expeti, quod quamdiu potiri possit, incertum est? Sed etiamsi tota huius temporis vita teneatur, breue est omne quod quandoque finitur. Sed dicis mihi, hæc quidem vera ratio est, & experimentis plurimis comprobata, sed mihi non sufficit, nisi eam etiam Scripturarum auctoritate firmaueris, & earum testimoniis bonum castitatis ostenderis. Accipe ergo legis exempla. Volens Deus descendere in montem Syna, & vniuerso populo maiestatis suæ præbere conspectum, loquitur ad Moysen: *Descende, sanctifica populum hodie & cras, quoniam die* Exod. 19. *tertia descendet Dominus in montem Syna. Et descendit Moyses ad populum, & sanctificauit eum, & dixit eis: Estote parati tribus diebus, & ne accesseritis ad mulieres.* Quo ostenditur inter cæteras sanctificationum species castitatem fuisse necessariã, & datur intelligi, quod absque ipsa perfecta sanctitas esse non possit: & si tantum illis tũc exigui temporis continentia profuit, vt diuinæ claritatis visione gauderent, vide quanta illi remuneratione sunt digni, qui eam vt naturaliter acceperunt, perpetua voluerint integritate seruare. Erunt non modo Dei breuis temporis inspectores, verum etiam æterni cohabitatores: Nec aliud credi veritatis ratio patitur, quam vt sempiterna castitas æterna mercede pensetur. Accipe & aliud, Dauid cum Saulis Regis furias properata fugæ declinatione vitaret, & panes quos secum ferre festinationis pauor negauerat, cum comitibus suis in itinere non haberet; peruenit ad tẽplum Domini, & ab Abimelech sacerdote fame non minus quam itineris labore defessis refectionem popposcit: *Cui ille, non sunt panes, inquit, abunde sub manu mea, nisi panis sanctus vnus. Si custoditi sunt pueri à muliere, manducabunt*, ostendens facilius potuisse incontinentes inedia mori, quam panem sanctificationis accipere. Vnde deriuatam puto egregiam illam

1. Cor. 5.

1. Tim. 4.

Genes. 16.

1. Cor. 7.

1. Reg. 21. Matth. 12. Luc. 6.

853
illam ante communionem sacerdotum nostrorum præfationem, sanctam sanctis, vt qui se non sanctificatum agnouerit, sancta sibi intelligat non debere contingere: deinde quod panes illos, qui sancti tunc temporis habebantur, secundum leges, & ipsius Saluatoris nostri exemplum, non nisi solis sacerdotibus attingere licebat: vnde ostenditur, quod pudicitia sacerdotio aliquatenus comparetur, cui edere licuit, quod tantum sacerdotibus debebatur. Et alibi, pudicitiæ bonum Scriptura testatur, cum populus ob Dei offensam grauiter interiisset; dicit enim: *Et iam non erat derelictus in Israel præter continentes.* Per quod intelligitur castitatis suffragio alia nonnunquam peccata releuari. Et si illis tunc temporis tantum pudicitia præstitit imperfecta & breuiter custodita, quantum nobis conferre poterit solida æternitate seruata? Hæc de testamento veteri, vbi pro qualitate temporis libidinosis nubere iubente pudicitiæ dignitas minore adhuc claritatis suæ splendore radiabat. Veniamus ad nouum, vbi plena luna, & integro lumine nullo iam nubere prohibente castitas coruscantes radios sui fulgoris emittit; quæ ex eo clarior esse cœpit, quo totius maiestatis Dominum & concepit & peperit. Vnde quo potissimum proferamus exemplum, aliud non inuenio, quam ipsius Domini, qui castitatis decus in vtroque sexu dignationis suæ dedicauit aduentu in matre virgine & in semetipso, qui tam permanere virgo voluit, quam de virgine procreari. Incipiat tibi placere iam castitas, quæ talibus commendatur exemplis. Pulchre enim incorruptionis bonum Dominus in carne etiam habere voluit, quod iam possidebat in spiritu. Quale ergo bonum est, quod elegit diuina maiestas, vel quanta illius hominis & quam magna felicitas, qui illam habere voluerit gloriam, qua Deo & Dei filio possit æquari? Sed & illud non otiose considerandum puto: qualis Dominum ad præparandas vias eius, corda vtique hominum, propheta præcesserit, virgo etiam ipse, qualisque de eo cum primum à parentibus templo fuisset illatus per spiritus gratiã prophetauerit: Simeon scilicet ille iustus, de cuius matrimonio nihil Scriptura testatur. Frequenter enim diuina lex videtur negare, quod tacet. Et Anna vsque ad annos iam octoginta quatuor vidua. Postea etiam quam docere cœpit, omnes eius discipuli, aut continentes fuisse inueniuntur, aut virgines. Quæso diligenter inspicias, quomodo primum noui testamenti exordia cœperint, virginitatis, nisi fallor, & viduitatis exẽplis significantibus, ita omnes nos debere esse post Christum. Illud etiam cogitandum nobis est, an legislatoris nostri sequi debeamus exemplum. Nam vt legislator Iudæorum Moyses, ita Christianorum Christus. Aut nunquid minus debent Christiani Christum, quam Moysen Iudæi imitari? Ipsius etiã testamenti quod nobis post Christum & legis veteris adimpletionem aliud quodammodo factum est, vocabulum non prætereundum puto: Nouum audio testamentum, Apostolo dicente: *Qui idoneos nos fecit ministros noui testamenti*, in quo nouum, si noui nihil adnuntiat? Quid noui adnuntiat, si, vt ante Iudæi vixere, viuendum est Christianis? vel quid profuit venisse Christum, si etiam post eius aduentum veterum per omnia exempla sectanda sunt?

A Dices forsitan; hæc quidem vehemens ratio est, sed exemplis potius quã doctrinæ consolidatione munitur. Ego autem etiam doctrinæ auctoritatem desidero. Respondere quidem poterã, exemplã Christi non minus perfici debere, quam verba; Scriptura dicente: *Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulauit, & ipse ambulare.* 1. Ioan. 2. Sed videamus si etiam sermonum eius possumus reperire doctrinam. Dicit enim quodam in loco: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Matt. 16. Luc. 9. Quomodo intelligendum est, abneget semetipsum sibi, cum seipsum homo sibi negare non possit. Eo quod conscientia eius non recipiat vt se, aut nõ B esse putet, aut alterum possit æstimare quam fuerit? puto enim hoc esse negare se. Verbi gratia, si cui dicatur, tu es Lucius, & cum ipse sit, non se esse respõdeat: hoc apud alterum si forte valebit, non tamen apud semetipsum. Quomodo ergo sentiendum est, *abneget semetipsum sibi*? Nisi fallor, vt sibi non viuat, & vt omne hominis desiderium abdicet, vt vniuersam carnis & corporis respuat voluptatem, vt moriatur penitus sibi, & illi totus viuat, cuius morte redemptus est; Apostolo dicente: *Christus pro omnibus mortuus est, vt qui viuant non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* 2. Cor. 5. Hoc est enim abnegare se sibi, nullius iã humanæ voluptatis cupiditatibus subiacere: Et, si C qua ei ex parte exterioris hominis cogitatio venerit, respondeat, & dicat nescio te, ô homo quamdiu meus fui, suggestionibus tuis etiam libens acquieui. Nunc me Christus sanguinis sui pretio comparauit. Meus non sum, nec meam iam possum facere, sed eius ad quem pertineo, voluntatem. Obsecro te quomodo nubere libebit, vel de matrimonio cogitare, qui huius vim voluerit implere mandati? certe vxor proprio hominis commodo procuratur. Et non aliquid Deo videris cõferre si nupseris, qui te magis permanere optat innuptũ? Quomodo ergo te ipsum tibi abnegasti, si adhuc propriã exercere desideras voluntatem? & quid sequitur? D *tollat crucem suam, & sequatur me.* Non libet, mihi crede, luxuriari, nec licet crucifixos, nec Christi mandata seruantes de carnis voluptatibus cogitare: Nũquam ista vox in connubiorum copulatione perficitur. Nam, vt illi qui dicentem Christum audiũt: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me*, Matt. 16. nubere omnino non possunt: ita & eos quibus nimio expetere matrimonia desiderio præter honestos fines libet; dicentis vocẽ puto audire luxuriæ. Si quis vult post me venire, vendicet se totum sibi, & tollat voluptates suas, & sequatur me. Sed & illum locum silentio præterire non conuenit, in quo Apostoli nuptiarum difficul- E tate comperta, dixisse Domino referuntur: *Si talis est causa viri cum muliere, non expedit nubere.* Matt. 19. Satis ardua & districta responsio, & quæ quodãmodo eius rei causam interdixisse videatur, quam non expedire testatur. Quis enim, nisi minus sapiẽs velit, quod non expedit, exercere? Aliud est, si quod non expedit, nec in aliquo obesse cuiquam potest. Ergo nec quod expedit, proderit, si quod non expedit, obesse non poterit. Aut si confiteri necesse est, quod quicquid expedit, prodest, omne quod non expedit, obesse è contrario negari non poterit. Sed forte discipulorum adhuc tunc temporis nouellorum rudem

& præcipitem definitionem Dominus magisterij sui auctoritate dissoluerit. Audiamus ergo, quid dicat, & dicti ipsius vim solicita mente pensemus: *Non omnes capiunt*, inquit, *hoc verbum, sed quibus datum est*. Confirmauit, vt opinor, sententiam, quam magnitudinis suæ difficultate laudauit: cui si displicuisset, ita eum respondere conuenerat. Satis dure & irrationabiliter definitis: Et quomodo stare poterit mundus, si prolis causa non fuerit. Dicendo vero non omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datum est, hoc eum sensisse credendum est. Bene quidem definitis: sed huius verbi magnitudo tanta est, tantáque sublimitas, vt illud, non nisi qui satis diligenter scrutantur, accipiant. Nolo enim sic intelligas dictum, non omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datum est: Quasi castitatem non nisi illi possideant, quibus etiam non volentibus, & fatali, quod aiunt, necessitate collata sit, ne & gratiosum Deum statuas, & castitatis præmium tollas, & vanã vtrobique eius exhortationem facias, si eam, non qui capiunt, sed quibus diuinitus indulgetur, obtineant. Tam vana erit exhortatio rei non voluntariæ, quàm præmium iniustum; & tam non culpari merebitur, qui pudicitiam negatam sibi nõ habuerit, quam qui collatam possederit, coronari. Quo modo ergo intelligendum est, non omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datum est, noli ab Scripturæ sono discedere, & errare non poteris. Verbum dixit datum, non castitatem, quam aliunde sperare non possumus, quia cum habemus, naturaliter possidemus. Nostra est enim, quæ nobiscum nascitur, & in nobis est, ita non est spectanda, sed custodienda, quæ in nobis est. Hoc ergo custodiendæ castitatis verbum, non omnes, sed quibus datum est, capiunt. Quibus ergo datum est? omnibus Christi discipulis, qui & Euangelium & Apostolum legũt, vbi non aliud magis Deum, quam castitatem velle cognoscunt. Quibus vero datum non est? Paganis scilicet, & Iudæis, & quibuscunque noui testamenti doctrina ignota est, in qua & maxime bonum castitatis ostenditur. Inde ne quis existimaret omnem castitatem indifferenter Domini præmium promereri: & vt quã remuneraturus esset, ostenderet, sponte videlicet & fideliter conseruatam, non aut generandi vitio, aut humanæ violentiæ necessitate possessam. Sequitur dicens: *Sunt enim spadones, qui ex vtero matris sic nati sunt; & sunt spadones, qui castrati sunt ab hominibus, & sunt spadones, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum.* Hi ergo soli regnum cœlorum accipiũt, qui se possessionis eius causa castrauerint. Aut si similiter eualuerat in totum, superuacua castratio erit & Domini superflua repromissio, si etiam non castrati accipiẽt, propter quod aliis necessitas quodammodo voluntariæ castrationis indicitur. Quid ergo damnauit Dominus nuptias? absit. Sed tantũ regni gloriam illis, non vitam, si tamen omnia mandata seruare poterint, denegasse censetur. Illum vero locum, quo se à Dominica cæna inter cæteros, etiam qui vxorem duxerãt, excusauit; immo non se venire professus est, quem ipse etiam Dominus de cœna sua non gustaturum esse, testatus est, quomodo intelligere debeas, tuo iudicio derelinquo. Hæc de Euangelio pauca dixisse sufficiant. Veniamus nunc ad beati Apostoli litteras, & videamus quid ille doctor gentium, ille electionis vas de matrimoniorum causa censuerit. Animaduerto Corinthios de hac re suis Apostolum scriptis consuluisse, & poposciſſe, vt quid erga nuptos & cælibes, & virgines eos obseruare conueniret, variis litteris responderet: Antequam ad Apostoli verba veniam, primum quæro, quid causæ fuerit, vt de ea re consuleretur Apostolus, quam celebrare licere nemo dubitabat, tam naturę testimonio, quam etiam legis exemplis. Nam quod Deus diuersum sexum humanæ propaginis causa condiderit, etiam natura suggerente cognoscimus, & quod matrimonij copulam semper exerceri licuerit, nonnullis scripturarum docemur exemplis. Quid ergo necessarium fuit Corinthiis de re manifesta quasi de dubia sciscitari? aut nunquid eorum auribus noua aliqua doctrina sonuerat; per quam quod veteribus licuerat, sibi iam licere dubitarent? Non aliud reor, nam satis vane, si ipsi sibi quasi incertum fecerũt, quod retro semper habuerant certum: Quid ergo tenendum est? Ego paruitatis meæ non abnuo intellectum, sine præiudicio tamen alterius, cui Deus melius reuelauerit. Dico enim Apostolum in prima sua apud Corinthios prædicatione, non aliam magis, quam virginitatis & pudicitiæ adnuntiasse doctrinam: Et hoc præcipue demandasse, vt nouæ legis cultores noui aliquid exercerent, & in Christo credentes Christi per omnia exempla sequerentur; secundum illud Petri: *Christus passus est pro vobis, relinquens vobis exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Quæ causa postmodum fecit, vt Corinthiis Apostolum esset necesse consulere, dum quidam per incontinentiæ calorem, pudicitiæ viderentur refragari doctrinæ. Nam, vt superius diximus, si noui nihil aliud audierunt, quid opus est de re manifesta aliquid interrogare? Sed dicis cur hæc Apostolus non ante præuidit, & ita doctrinæ suæ modum temperauit, vt nihil reliquisse videretur ambiguum? sed & si præuidit, hoc boni doctoris fuit, rem, quæ infirmis debebatur, non tam vltro offerre, quam rogatus indulgere. Prudentem fuisse archiatrum puta, qui ad conualescentis iam ægri commodum præcipiat ei, vt ab omnibus se pomis abstineat: Et si æger ille tantæ fragilitatis noluerit habere patientiam, vt ab omni se pomorum genere retrahat, necesse erit medico, ne infirmus grauiora præsumat, eidem vel leuiora concedere, tamen quod suum fuerat, voluit eum perfecte abstinentiæ securitate gaudere. Ita & beatus Apostolus pudicitiæ & castitatis amator exoptat primum omnes possidere quod summum est: Sed si quis reclamauerit, ne illicita contingant, licita concedit, & velut inuitus indulget. Quod si summum bonũ esset, non indulsisset, immo potius imperasset: sed nec illi præcipui boni licentiam postulassent, quod vltro præsumere potuissent. Denique lege Apostolum absque fornicationis necessitate matrimonij copulam sponte docuisse, & summum bonum nuptias putasse. Sed vt eum incontinentiæ licentiam non syncera voluntate præstitisse manifestiore voluntate clarescat, ipsius iam verba ponamus: *De quibus autem scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tangere.* Hoc primum scribendo tradidit, quod iam docendo tradiderat. Et puto dubium non esse, id eum voluisse, quod & in prima sententia posuit, & bonum

Matt. 19.

Matt. 19.

Cauta lege.

Lucæ. 14. Vxorẽ duxi, iuga boum emi, villas emi.

Rom. 11. Act. 9.

1. Cor. 7.

1. Cor. 7.

1. Pet. 2.

1. Cor. 7.

bonum esse professus est. Sed de qua muliere illum dixisse credendum, de aliena nō puto; neque enim Corinthij tam vecordes erant, vt hoc Apostolum interrogarent, an eis aliena liceret matrimonia violare, quod citra illius disciplinæ interdictum ipsa etiam natura damnabat. Hoc propter eos dixit, qui nimio ardore libidinis scripturarum veritatem perversa nituntur interpretatione subuertere. Si ergo ratio non concedit, vt de aliena dixerit, restat vt de propria dixisse credatur. Sed vt huius loci intelligē tiam facilius nosse possimus, oportet nos primum scire beatum Apostolum trium partium hoc in loco suscepisse tractatum, nuptarum, viduarum, & virginum. Denique in prima tractatus sui parte sic dicit: *De quibus autem scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tangere*: In secunda. *Dico autem non nuptis & viduis.* Quibus si iam superius locutus fuerat, superuacuum fuit iterare sermonem. In tertia, *de virginibus autem præceptum Domini non habeo.* Sed reuertar ad primam, in qua eum non viduis aut virginibus, vt quidam imperite existimant, sed matrimonio iūctis proprie scripsisse manifestum est. Denique sic dicit: *Bonum est homini mulierem non tangere.* Non dixit, bonum est homini mulierem non ducere, quia de his, qui iam duxerāt, disputabat. Quo ergo tactu homini mulierem non attingere bonum est, publico an communi, quo aut codicem, aut tabulas, aut aliquid necessitatis causa contingimus? non credo, sed secundū vsum coniugij. Nam & puro & simplici tactu fœminas & Christus, & eius Apostoli, & sanctorum quique tetigerunt. Quid agis Apostole Christianæ castitatis amator? Quid ordinem dicēdi præposteras? de incontinentia consuleris, & de castitate respōdes. Bonum suū luxuria cupit audire, non tuum. Quid incassum laboras, quod falsa interpretatione postmodum libido subuertat? Deinde hunc, cū dicis bonū esse homini mulierem suam nō tangere, videris ostendere malum esse si tāgat. Nihil enim bono contrariū est, nisi malum. An hoc more malū accipiendum est, quod & si absque peccato incontinens esse poterit, multo inferiorē gradum teneat, malū est enim cuipiā non esse quod melius est? Et si bonum est homini susceptam iam in matrimonio fœminam non contingere, quanto melius est, omnino non nosse? Facilius enim, quis quod nō habuerit, nec cogitauerit, quam quod habuerit, spernet. Nemo enim iuxta ignē positus extraneus est à calore. Inde sequitur: *Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat.* Habeat, dixit, non ducat, quia illis loquebatur, qui duxerant. *Et vnaquæque suum virum habeat:* Diligenter, obsecro te, aduerte quod dixerit: propter fornicationem, inquit, vnusquisq; suam vxorem habeat: ostēdit quia existente necessitate eius rei licentiam indulserit, à qua superius voluerat abstineri, fornicatione scilicet. Et cum causam monstrat ob quam matrimonij officium haberi permiserit, videtur ostendere, citra eam propter quam conceditur, non licere. In quantum enim illud causa interueniente concessisse dignoscitur, in tantum eadem causa vacante propter quam concessisse visus est, denegasse cēsetur. Morbo igitur fornicationis medicinam, quodammodo Apostolus nuptias dedit, vt fateri habeas te eodem morbo laborare, vt eius medelam tibi indulgeri necesse sit: Aut si te sanum conscientia tua sentit, quid tibi est alienā sperare medicinam? quæ quāuis ægris bona esse videatur, in hoc quod eos à lęthali morbo eruit; non est tamen sine sui compunctione medicaminis. Sano enim nihil aliud quam superuacuę tribulationis dolorē, medicina præstabit. Noli debilitare corpus, cui diligens potius custodia, quàm superflua cura debetur. Illis tantum cōcessisse cernitur Apostolus nuptias, quos fornicaturos formidabat ex improuidentia. Nā dicendo, *propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat*, quid in posterum caueret, ostendit. Noli ergo frustra infamari, similis est continens, qui nuptias expetit, sano homini, qui vano territus pauore habere se Dæmoniū putat, & crebrius exorcizari desiderat. Hic præter superfluam curam, & patientis etiam incurrit infamiam. Sequitur: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi.* Quid est illud, mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier: nisi quod prouocante alterutro, & vim quodammodo altrinsecus inferente nullus vnquam corporis sui motum casta sufficit patientia custodire? Et dum nunquam continentes existunt, semper orationis & communicationis bono mutuo fraudantur instinctu. Quod præcipuè continentibus habere conceditur, eodem Apostolo dicente: *Nolite fraudare inuicem; nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi*: Id est, paruo tempore incontinentes estote, vt largiore spatio orationi vacare possitis, & iterum ad ipsum reuertimini. Post orationis scilicet continentiam ad matrimonij vsum eos redire permisit, si tamen incontinentiæ necessitas exegisset. *Ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*: causam, cur quod superius dixerat, cōcessserit, reddidit; ne quam eius per incontinentiæ occasionem inferret Diabolus tentationem. Animaduertat ergo prudentia tua, quale bonum sit, quod ab oratione retrahit; quod à Christi corpore ad tempus remouet. Nam quod communicare incontinenti non expediat, hinc manifestissimè declaratur, quod etiam oratio illi quodammodo interdicitur, quam communicatione, ex hoc minorem esse manifestum est, quod non omnibus hominibus orantibus communicare licet; omnibus vero etiam non communicantibus orare permittitur. Vnde proculdubio est, non vsquequaque congrue incontinentibus adire, quod maius est, quibus etiam, quod minus est, inhiberi censetur. Sed hoc in veteri testamento euidentius declaratur, vbi scriptum est: *Omnis mundus manducabit carnem: & qui manducauerit carnem sacrificij salutaris, quod est Domini, & immunditia eius super ipsum, exterminabitur anima illa de populo suo*, & alia multa, quæ nec animalium carnes, quibus veritas Dominici corporis præfigurabatur, ab incontinentibus contingi sinebant. Vnde prouidendum est, quod præsumptionis & ignorantiæ errore tenebantur, quia veritatem ipsam, cuius imago sic custodita est, minore putauerint veneratione sumendam. Sed hæc, dicet quis, in veteri scripta sunt testamento. O humanæ prauitatis ingenium, quando de diuitiarum contemptu & de virginitatis

1.Cor.7.

1.Cor.7.

1.Cor.7.

bono agitur, quæ in nouo teſtamento præcipuè commendantur, ad vetera exempla confugiunt. Quando autem de nuptiarum intemperantia, in lege veteri euidentius expreſſa, ad defenſionem noui recurrunt. Et ita fit, vt inter vtrunque nec nouum videantur tenere, nec vetus. Quo enim neceſſariũ fuit nouo de huius rei incontinentia ſatis agere, quam nec exerceri quidem ab omnibus voluit, quámque non eam excuſauerit, immo potius onerauerit: cui nec orationi quidem fiducialiter vacare conceſsit. Lex tantum incontinentiæ ſacrificia abſtulit, gratia vero ipſam etiam orationis inſtantiam denegauit, vt & hic quoque videamus impletum: *Non veni legem ſoluere, ſed adimplere.* Matt. 5. Dices forſitã, quæ in lege munda fuere, mundata per Chriſtum ſunt: Alia ſi forte, vt diuerſitas carnium, & quæcunque in nouo teſtamento per Dominum & eius Apoſtolos mandata referuntur, non incontinentia, quæ vſque adeo priſtinam immunditiam retinet, vt etiã orationi præiudicet, & ad ſacerdotale officium nõ admittat. Aut ſi & ipſa mundata per Chriſtum eſt, quid eſt quod orationem impedit, vel cur ſacerdotes eſſe neceſſe eſt continentes? Mundatur plane per baptiſmum ab omni immunditia homo, tamen vt poſtmodum ſemper, ita vt ſpiritaliter natus eſt, perſeueret. Alioquin toties immundus erit, quoties incontinentiæ fuerit ſorde pollutus. Hoc etiam beati Ioannis teſtimonio euidentiſſime comprobatur dicentis: *Hi ſunt, qui cum mulieribus ſe non coinquinauerunt.* Apoc. 14. Nam ſi coinquinatio immunditia caret, poterunt & hi mundi videri, ſcriptura quos inquinatos eſſe commemorat. Et ne hoc de adulterio potius, quàm de matrimonio dictum arbitreris, ſequitur, virgines enim permanſerunt. Cæterum ſi de adulterio, vel fornicatione egiſſet, ita eum loqui conuenerat: Hi ſunt, qui cum meretricibus ſe non coinquinauerunt. Nec laude dignos iudicaſſet à tanto crimine continentes. Hæc abſque præiudicio dixerimus eius, cui melius fuerit reuelatum. Sequitur Apoſtoli Pauli ſententia: *Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium.* 1. Cor. 7. Indulgere ſe nuptiarum officium Apoſtolus, non imperare teſtatur. Summum enim bonum illi ſibi non ante indulgeri expectaſſent, quam hic audenter imperaſſet. Vide ergo quale exiſtimari debeat, quod per indulgentiam conſtat. Sequitur: *Volo autem omnes homines eſſe ſicut meipſum*: 1. Cor. 7. Dum quid velit, indicat, ſimul & quid nolit, oſtendit. Cur igitur dicis, ſi voluit, indulſit propter cauſæ neceſſitatem, non propter meram voluntatem? *Sed vnuſquiſque proprium habet donum à Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic.* 1. Cor. 7. Quid agis Apoſtole, donum dicis quod vix potiri concedis? Si donum eſt matrimonij copula, ergo & pagani Dei dono gaudent. Et ſi Dei donum eſt, quomodo bonum eſt, hominem mulierem non tangere? Nunquid bonum eſt homini, Dei dono carere? Similiter ſi virginitas Dei potius dono confertur, quàm propria hominis voluntate ſeruatur, ergo præmio caret. Nullum enim donum eſt, quod non mereatur præmium. Nam & oculi nobis & manus & cætera à Deo membra donata ſunt, non tamen pro eorum poſſeſſione aliquo præmio munerabimur, niſi ea pro arbitrij nobis libertate conceſſa proprio nutu, & voluntario niſu ab omnibus malis

A & artibus retrahendo, ad bonorum operum formemus officia. Et ſi Dei ordinatio hæc eſt, vt alios virginitatis, alios matrimonij donatione diſponat, quo modo Apoſtolus aliud ſe velle profitetur, ideſt omnes eſſe ſicut ſeipſum, ſi hoc fieri omnino non poterat: fieri enim non poterat, ſi diuerſis neceſſe erat poſſidere dona diuerſa; aut nunquid Apoſtolus aduerſus Dei diſpoſitionem aliquid voluiſſe credendus eſt? vel cur ab omnibus exegit, quod in Dei pendebat arbitrio? Quod ſi hoc ſtare nullo modo poteſt, quomodo ergo intelligendum eſt, vnuſquiſque proprium habet donum à Deo? propriæ, ſcilicet, voluntatis, iuxta quam illi non modo nubendi & non nubendi conditio; verum etiam boni & B mali, mortis & vitæ electio datur; Scriptura dicente: *Ante hominem bonum, & malum, vita & mors, quod placuerit ei, dabitur illi.* Eccl. 15. Poſtea ſequitur: *Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego:* 1. Cor. 7. Cur hoc illis dicit, ſi ipſorum proprium non erat? poſtea, quod ſi non ſe continent, nubant; non dixit, ſi Deus illis hoc non donauerit, nubant: quod eum dixiſſe conuenerat, ſi hoc non ſpontaneæ voluntatis ſciebat eſſe, ſed doni: melius eſt enim nubere quam vri. inde nubere melius eſt, quia malum eſt vri: ſuſpitioſum bonum eſt, quod graui pœna melius æſtimatur: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiã conſecutus à Domino vt ſim fidelis.* C 1. Cor. 7. Dicis itaque mihi; præceptum ecce Domini non habere ſe Apoſtolus de virginibus profitetur, ſed conſilium ſibi nõ deeſſe teſtatur. Aut nunquid leue putas Dei ſaltem aſpernari conſilium? Nam ſicut præceptum non dedit, quia non habebat, nec conſilium dediſſet, niſi & hoc à Domino accepiſſet; Ergo quod habebat, dedit, qui non dedit, quod non habebat, conſilium ſcilicet non præceptum. Et, vt manifeſtius noſceremus Dei conſilium eum non minus dediſſe, quã ſuum, in ſequentibus ait: *Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium. Puto enim, & ego ſpi-* 1. Cor. 7. *ritum Dei habeo*: D Quo oſtendit conſilium ſuum non ex iudicio proprio, ſed ex diuino ſpiritu proceſſiſſe: Dei enim eſt, quod ex ſpiritu eius eſt. quicquid dixeris, inquies, conſilium non nubendi dedit Apoſtolus, non præceptum poſuit. Quia ſecundum Iouiniani quondam hæretici ſenſum; hoc argumento virginitatem ſuperfluam putas: Si quis te interroget, cuiuſmodi conſilium Apoſtolus dederit, bonum neceſſe eſt, fatearis, quod per Spiritum ſanctũ promebatur. Nam & bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona. Et ſi iterum tibi dicat, quid facimus quod alio in loco boni conſilij præuaricatores eſſe quodammodo prohibemur? E Scriptura dicente: Noli contemnere conſilium bonum, conſtringet te aut negare bonum conſilium dediſſe Paulum, quod nullus ſanæ mentis audire patiatur, aut agnoſcere illicitum eſſe, & non fieri quod contemni prohibetur: Nihil enim refert, ſi præceptum non ſit, quod per præceptum ad præceptum redactum eſt: Quomodo ergo te de huiuſmodi quæſtione exuas, ipſe tu videris. Ecce exhibui tibi quod dudum promiſeram, cuius magis conſilium ſequeris, Pauli ſcilicet, & non Pauli tantum, ſed Domini, qui per ſpiritum ſuum loquebatur in Paulo; Beatos nos, quibus Dominus

viuendi

viuendi consilium dare dignatur: infelices vero, si talem consiliarium spreuerimus. Existimo hoc esse bonum, propter instantem, idest præsentem necessitatem: Quæ hæc igitur præsens necessitas est, cuius causa nobis bonum esse virginitatis statum Apostolus contestatur? Noui, nisi fallor, testamenti; cuius nobis ampliorem gloriam adipisci volentibus hæc prima necessitas est, vt integritatis perseuerantia Christi viuamus exemplo; deinde ab omnium negotiorum sæcularium exuti curis, eius per omnia mandata facilius obseruemus: Nam quod saluus esse non possit, qui vel vnius præcepti transgressor extiterit, non ignorare te credo, Apostolo dicente: *Qui vniuersam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus*: de quibus præceptis vel pauca dicamus, vt de paucis intelligantur & reliqua. Præcipitur nobis non mentiri, non maledicere, non malum pro malo reddere, non iurare quidem, vel iustè, iubemur etiam inimicos diligere, & odientibus nos benefacere: & pro calumniantibus, & pro persecutoribus nostris orare. Non licet nobis sæcularia iudicia adire, non ablata repetere, non vicem iniuriam irrogantibus repensare. Quin potius verberanti, alteram maxillam præbere, & auferenti tunicam, pallium cedere. Non licet autem cum fornicatoribus, aut cum auaris, aut cum maledicentibus, aut cum ebriosis, aut cum rapacibus cibum capere. Obsecro te, vt secundum tuæ testimonium conscientiæ respondeas mihi, si poteris omnia ita seruare quisque matrimonij fueris necessitatibus præpeditus. Sine matrimonio sumus, & à tam molesti oneris nexibus liberi degimus ac securi, & vix nihilominus plenitudinem possumus seruare mandati. Quid nobis agendum est, si tantæ solicitudinis vinculo implicemur? Nemo se iam ex eo Christianũ perfectum putet, quo eum vulgus magnificet, & quo pessimis melior esse videatur; antiquum prouerbium profert: Inter nulla etiã aliquid est pro magno. Non tamen vere magnum habetur, quod sterilis inopia loci commẽdat: Sic & qui malis paulo melior fuerit, potest proficere ad minorẽ pœnam, non tamen ad vitæ æternæ præmium, quã habere non poterit, nisi quem conscientia sũa secundum mandatorum plenitudinem Christianum esse testata sit. Iubemur etiam incessanter orare, dicente Domino: *Omni tempore orantes*. Et Apostolus: *Sine intermissione orate*. Quomodo hæc implere incontinens poterit, cui orare vix conceditur, nisi continens fuerit? Merito ergo Apostolus instantem, id est præsentis temporis necessitatẽ, his quos in virginitatis bono perseuerare volebat, opposuit; sciens eos facile à nuptiis animos auersuros, si eius magnitudinem ita intuentes mente vidissent. Et quoniam dixerat: existimo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, ne cui existimationis sententia videretur incerta, statim subiungit, & prioris dicti ambiguitatem sequentis definitione restaurat, dicens: *Quoniam bonum est homini sic esse*, seruat Apostolus per omnia suum gradum, & nequaquam sententiæ suæ ordinem mutat, id etiam virginibus affirmans, quod & viduis dixerat, & maritis bonum esse, illis in castitatis perseuerantia permanere, & dicendo, bonum est homini sic esse: & nescio quid vult clausum intelligi de eo, qui Apostoli, immo

sancti Spiritus consilio despecto non ita esse voluerit: *Vinctus es vxori, noli quærere solutionem: Solutus es ab vxore, ne quæsieris vxorem*. Nemo euidentis sententiæ intellectum falsa interpretatione corrumpat, nec quisquam existimet se ex hoc iam huius loci subterfugisse contemptum, quo eum aliter, quam veritas exigit, sentiat. Quin potius maiore se reatu inuoluit, cui non sufficit sermonis diuini aspernatio, nisi vt eius etiam adulterator existat. Nec ex eo verum erit, quod de Dominicis scripturis sensimus; quia nos ita sentire delectat: diuinæ sententiæ vis non nostræ voluntati, sed suæ veritati fauet: cauenda est nobis in hac parte beati Petri de omnibus quidem Pauli litteris, sed de huius vel maxime Epistolæ corruptoribus sententia dicentis: *Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis loquens in eis de his in quibus sunt quædam difficilia intellecta, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum voluntatem*: sed & illa non minus formidanda testatio est, quæ aliquid scripturis diuinis adiicientibus, aut detrahẽtibus comminatur: Quapropter omnia suis reddenda sunt locis, nec aliqua extra causæ ordinem sentiẽda, de virginibus opinor, non de matrimoniis hoc in loco tractabat Apostolus. Denique ita exorsus est: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo*. Igitur quicquid in hac causa dixerit, ad virginitatis exhortationem referendũ est. Cum dicit ergo; vinctus es vxori, noli quærere solutionem; solutus es ab vxore, ne quæsieris vxorem: Non aliud quam ad cælibatus doctrinam pertinet. Nam si matrimonio vincto, quem ita fides deprehenderit, solui non conceditur, quanto magis soluto non conuenit, vt ligetur? grandis huius sententiæ vis est, quæ ita solutum ligari nõ vult, vt vinctum non patiatur solui: Sed nos de duabus eisdem sententiæ speciebus vnam adsumimus, immo & constanter defendimus, alteram vero recusamus, crimen putantes, si quis contra Apostoli interdictũ vxorẽ relinquat: leue vero opinamur, si quis contra eiusdem æquè definitionẽ matrimonio copuletur. sed in sequentibus, inquies, sententiam suam mutauit Apostolus, dicendo: *Et si acceperis vxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccauit*. Si bene intelligas, non mutauit, nec fas est nos eum varium atque mutabilem suspicari, quem diuinæ sapientiæ credimus grauitate fundatum. Expedit enim nobis in obscurioribus scripturarum locis nostram ignorantiam magis credere, quam impie aliquid definire. Dicendo enim, solutus es ab vxore, ne quæsieris vxorem, de illis proprie loquitur, qui esse poterant cõtinentes. Recogitans iterum, & morem suum erga illos seruans, qui de incontinentia querebantur, repetit dicens: *Et si acceperis vxorem, non peccasti*, id est incontinens ne quid deterius facias. Et si nupserit virgo, non peccauit. Inter non peccare enim, & laude dignum agere, infinita distantia est. Tribulationem tamen carnis habebit huiusmodi, quid boni iam nuptiis remaneat, nescio, quando etiam in illa substantia tribulantur, in qua sola videbantur habere lætitiam. Ego enim vobis parco, vide qualis conditio sit, quæ sibi parci desiderat. Hoc autem dico fratres tempus breue est. Breuitatem temporis opposuit, vt vel sic

nuptiarum desiderium excluderet. Nam cùm, se-
Psal.89. cũdum Prophetam, dies nostri si tam prospere ces-
serint, intra septuaginta annorum spatia claudan-
tur,& nuptiarũ fructus è media pene vitę diminua-
tur ætate, quanta stultitia est, propter tam exigui
temporis voluptatem æternæ gloriam virginitatis
amittere. Taceo de diuersis casibus quibus huma-
na tempora sæpe breuiantur, dum alter pariete cor-
ruente deprimitur, alter calore febrium exanima-
tur,alter vi sanguinis repẽte prosternitur,alter nau-
fragio enecatur,alter à Dæmonio extinguitur,alter
fulminis ictu percussus emoritur, alij à latronibus
feriuntur, alij maleficiorum artibus, & venenatis
haustibus sæpe violantur. Nonnulli aut ex princi-
pali edicto, aut cuiuscunque potẽtioris iniqua sen-
tentia trucidantur. Et inter tot casus humani gene-
ris,tot pericula, tot mortes vacat nuptias desidera-
re,& non de repentino exitu,immo de Dei iudicio
magis quam de voluptatibus cogitare? Aut non pu-
tas te vllum casum humani generis posse incurrere?
Aliud est,si te neges esse mortalẽ. Hac de causa ergo
Apostolus breuitatem temporis nobis ante oculos
posuit; vt nos vel metu mortis ad virginitatis glo-
1.Cor.7. riam prouocaret. *Reliquum est, vt & qui habent vxores, ita sint ac si non habeant*: Quid hic aliud sentiri possit,
ignoro,nisi quod valde imprudens sit, qui post hãc
sententiam vxorem non habens habere voluerit,
quam etiam habentibus iam non secundum matri-
monij vsum expedit possidere. Et ne quis diceret,
quomodo ergo stare poterit mundus? præuenit in
1.Cor.7. sequentibus dicens: *Præterit enim figura huius mundi*:
hoc est dicere,nolite de eo soliciti esse, qui præte-
1.Cor.7. rit:volo vos sine solicitudine esse. Debemus & nos
velle quod Paulus: *Qui sine vxore est,cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.* Qui autem cum vxore
est, cogitat, quæ sunt huius mundi, quomodo pla-
ceat vxori. Interrogo te, cui potissimum placere
desideras, vxori, an Deo? si vxori; videberis Deo
præposuisse luxuriam: si Deo;vxorem habere quo-
modo poteris,quam qui habuerit,non ita vt cælebs
Deo placere posse Apostolo dicente sentitur? si &
vxori, & Deo:ineptam & difficilem,& non secun-
dum Apostoli definitionẽ videberis protulisse sen-
tentiam,& te cælibi præposuisse, qui Deo tantum
placet, si tibi,& Deo,& vxori similiter placere pos-
sibile sit, & nihil proderit, non accepisse vxorem,
si accepisse nihil obfuerit. Nihil enim obesse pote-
rit, si Deo tam vxoratus,quam cælebs placebit: Di-
uisa est mulier, & virgo. Qua in parte,inquies? re-
1.Cor.7. spondit: *Innupta cogitat quæ Dei sunt, vt sit sancta corpore & spiritu: Quæ autem nupta est,cogitat quæ sunt huius mundi,quomodo placeat viro.* Innuptæ cogitando quæ
Dei sunt, vtriusque substantiæ sanctitatem dedit,
quam& corpore & spiritu sanctam esse testatus est.
Nuptæ vero solius mundi solicitudinem, & vt ma-
rito placeat,disputauit,de sanctitate autem vtriusque partis penitus siluit. Subtiliter enim Apostolus videtur diffidere quod reticet. Aut si & hæc ita
sancta habenda est, vana erit Apostoli definitio:
Et cum vidisset se in tam ardua determinatione
posse nuptiarum amatoribus displicere,superiorem
sententiam sequenti disputatione excusat: dicens:
1.Cor.7. *Hoc autem ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum iniiciam vobis,sed ad id quod honestum est*: O Apostole,nec

A excusatio tua sine nuptiarum morsu proferetur: Nã
si hoc, quod dicis, est vtile, ergo mutile erat, quod
illi desiderabant. Et si hoc,quod tu dicis,honestum
est,quid intelligendum est, quod contra tuam vi-
sum fuerit venire doctrinam? Nec illud otiose præ-
tereũdum puto,quod tunc temporis Apostolus sub
paganis principibus & inter duos inimicos castita-
tis populos Iudęorum scilicet,atque Gentilium,tã
constanter virginitatis & pudicitiæ videtur inte-
gritatem prædicasse: Si nostro tẽpore fuisset, quid
faceret? Maiore, vt opinor, fiducia luxuriosæ vo-
luptatis impudentiam repressisset. Nam illam sen-
tentiam,quam ignorantibus proferre moris est;qui
B nubit, benefacit; & qui non nubit, melius facit,
nusquam Apostolum dixisse inuenies: sed ne fieri
poterat,vt alibi nubentem laudaret, qui alio in lo-
co dixerat,bonum esse homini mulierem non tan-
gere: Dices plane bene facere patrem,qui luxurio-
sam filiam nuptui traderet, ne quid deterius exer-
ceret: Pater ergo laude dignus est, qui filiæ incon-
tinenti prouiderit; quomodo & Apostoli erga in-
continentes, laudanda prouidentia est. Illi verò
laudandi non sunt, qui quod erat melius perdide-
runt. Sic à nobis intelligenda est Scriptura, ne ali-
cubi sibi videatur esse contraria. Nusquam enim
inuenies Apostolum sponte & non aliqua causa vel
C necessitate cogente nuptias indulsisse, quod perfa-
cile probare sufficerem, si longum non esset, per
omnes eius Epistolas currere, quibus magis ingerit
in præsenti tempore mortificari nos cum Christo
debere,quam carnis spectare voluptatem. Sicut in
Epistola ad Romanos legimus: *Nescitis quoniam qui-* Rom.6.
cunque baptizati sumus in Christo, in morte eius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quemadmodum surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: Quæ erit
vitæ nouitas, si nobis etiam nunc veteris exemplo
nubendum est? Vel quomodo se in baptismo vide-
tur mortificasse cum Christo, cui in hoc tempore
D non modo viuere, verumetiam luxuriari delectat?
inter spiritalium quoque fructuum conuersatio-
nem, non legimus matrimonij officium computa-
ri. Quod illo exemplo euidentissimè declaratur,
quo Apostolus spiritalium operum gesta describit,
dicens: *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax,* Galat.5.
patientia, benignitas, bonitas, mansuetudo, fides, lenitas. continentia, castitas. Cum inter cætera spiritalium
officia mandatorum continentia, & castitas no-
minatur; proculdubio de nuptiarum conuersa-
tione reticetur, quæ his inuenitur diuersa esse. Et
quicquid spiritalibus rebus contrarium fuerit,cui
parti deputatum sit, tuo intellectui derelinquo.
E Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixe-
runt cum vitiis & concupiscentiis. Solicite in-
tende, & animaduerte, concupiscentiam à vitiis
segregauit, vt ostenderet ab his quos Christi esse
determinat, tam peccatorum vitia, quàm nuptia-
rum concupiscentia, quæ immunditiæ potius quã
peccato reputanda est,debere crucifigi. Non igno-
ramus quid voluptuosi Christiani, & luxuriam
potius quàm Christum amantes ad ista respon-
deant. Frustra, inquiunt, Deus in exordio statim
mundi masculum & fœminam fecit, si in quibus-
dam sobolis origo cessauit, frustra etiam illa pro-
lata

lata ſententia eſt, quam ad humanæ propaginis ſemen pertinere non dubium eſt: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Et illud: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit ſibi & vxori ſuæ,* & erũt duo in carne vna. Et, ſi matrimonij cauſa, quominus Deo placere poſſit, hominem impedit, quomodo ſanctorum plurimos Deo placuiſſe legimus, ex quibus quidam non modo plures vxores, verum etiam numeroſas concubinas habere noſcuntur? vt Abraham, vt Iacob, vt Dauid, vt Salomon, & cæteri quos ita Deo charos fuiſſe inuenimus, vt inter primos Patriarchas computẽtur, & in ſinum Abrahæ propter concubinam bigami etiam virginibus ire optandum ſit. Video enim iuxta hanc definitionem, non modo virginitatis ſtatum deſtrui; verum omnem pudicitiam nuptiarum quoque modeſtia impugnari. Nam ſi vetera nobis exempla ſectanda ſunt, non ſolum nubere, & concubinas habere, verum etiã fornicari licebit, vt Iudæ, vt Sampſoni, vt cæteris qui nõ magis Deo per fornicationem diſplicuiſſe, quam per nuptias placuiſſe referuntur. Quod ſi ita eſt, quomodo doctrina ſtatuit Apoſtoli, cum fornicatoribus communicationem etiam eſcæ inhibentis? ſuperflua quoque inuenietur eiuſdẽ exhortatio, & vana vtrobique defenſio, qua tantopere virginitatem docet, vt ei ſoli, vtriuſque ſubſtantiæ tam carnis quam ſpiritus tribuat ſanctitatem; qua bonum aſſerit homini mulierem non tangere; qua habentes matrimonia, vult tanquam non habentes habere; qua non tam Deo, quã coniugi maritum placere, commemorat; qua ſui ſimiles in caſtitate omnes eſſe deſiderat; qua nõ cum ſpiritalibus fructibus nuptiarum opera commemorat. Otioſa hæc omnia & ſuperflua & vana habenda ſunt, ſi veterum nobis vita ſectanda eſt: Nihil enim tam ſtultum, quàm aut prohibere, quod non obeſt; aut quod non prodeſt, docere. Sed antequam per ordinem quæ propoſita ſunt refutemus, & non conuenire iam nobis certa ratione monſtremus, illud ante omnia noſſe te cupio, aut ignorare penitus, tam legem, quàm Dei diſpoſitionem, qui Chriſtianos antiquo ritu viuere debere exiſtimãt: aut nimia temeritate contra conſcientiam ſuam quod magis diligunt, prædicare, vt apud homines ſancti habeantur, cum ipſi de ſe aliam promant in corde ſententiam. Tria enim tempora inuenimus, in quibus diuerſis diuerſa licuiſſe manifeſtum eſt. Vnum ante legem, aliud legis, & quod nunc gratiæ tertium eſt. Ante legem enim, neque circunciſio celebrabatur, neque ſabbati obſeruatio erat, nec ieiunare cuiquam imperabatur. Neomenias quoque & ſcenopegias, & omnes dies feſtos legis nemo audierat, à quarundam carnium vſu nullus abſtinebat: agni per annuas vices immolationẽ, & paſchæ celebrationem, & fermenti abominationem, & diuerſorum baptiſmatum ablutionem, & cæteras legis cerimonias nondum quiſque ſeruabat, quæ legis tempore exacta & cuſtodita inuenimus, & illicitum fuiſſe priſtino iam ritu viuere. Ne dixeris Abraham circunciſus eſt, quod non iam legis erat, Apoſtolo dicente: *Si enim Abraham ex operibus legis iuſtificatus eſt*; Quomodo ergo aliud ante legem licuiſſe monſtrauimus, ita & iam poſt legem, id eſt, gratiæ in tempore aliud nobis licere, & aliter nobis viuendum eſſe credendum eſt. Aut ſi non aliter, gratia, iam non gratia erit: Denique oculum pro oculo, dentem pro dente, tibi iam nunc eruere non licet, nec cuiquam malum pro malo reddere, nec inimicum odiſſe; immo nec non diligere, non iurare in toto licet, non circunciſionem carnaliter celebrare, non otioſam ſabbati obſeruare cuſtodiam, nec diuerſa baptiſmatum genera frequentare, nec carnalia ſacrificia offerre. Quid multa? iam ſecundum veteris teſtamenti formam Chriſtiano nihil pene conuenit obſeruare, quæ per Chriſtum aut in melius immutata, aut impleta eſſe noſcuntur. Immutata, vt circũciſio, vt ſabbatum, vt ſacrificia: adimpleta, vt innocentia, vt caſtitas, vt iuſtitia. Adauctum eſt enim aliquid innocẽtiæ, quando non, non occidere ſolum, ſed nec iraſci permittitur; & caſtitati, quãdo fornicatio etiam in cordis conceptionẽ, damnatur, & mẽte quando ſpadonibus cæleſtis regni prẽmiũ promittitur, & iuſtitiæ, quando ita prohibemur aliena diripere, vt noſtra etiam doceamur ſponte contemnere. Quapropter ſi & quæ in myſterio futurę veritatis gerebãtur, exhibita per Chriſtũ ipſa veritate ceſſauere, & quæ ad beatæ vitæ iuſtitiam pertinebãt, maiore diſciplinarum doctrina ſuppleta ſunt; quid mihi iã veteris teſtamẽti exempla ꝓponis; cuius vt figurã obſeruare, mihi re & veritate ſuperueniente amplius non licet, ita iuſtitias perfectius implere neceſſe eſt; dicẽte Domino: *Niſi abũdauerit iuſtitia veſtra pluſquã Scribarũ & Phariſæorum nõ intrabitis in regnũ cælorũ.* Quid ergo proderit mihi eius rei obſeruatio, per quã iam cæleſtis regni poſſeſſor eſſe nõ poſſum? ob hoc tantũ nunc nobis vetus legẽdum eſt teſtamentũ, vt Dei in eo facta miremur, omnipotentiã operum, myſteriorũ rationẽ, ſigna virtutum, & vt Chriſtũ nouiſſimis temporibus promiſſum eodẽ teſtamẽto adnuntiãte noſcamus. Cæterũ ad vitæ conuerſationẽ noui prẽcipue, teſtamenti nobis doctrina ſpectãda eſt. Dicis mihi, nonne ipſe promulgauit vetus, qui nouũ? ipſe ſane: ſed quid hic facit diuerſitas nominũ, ſi nulla erit diſcretio operũ? Si vetus ſemper celebrandũ erat, cur ſucceſſit nouum? aut ſi ſuccedere debuit, quomodo celebrandum eſt vetus, quãquam & in nouo vetus celebretur, dum quod vetus fore adnunciauit, impletur? quid ergo, nõ placuit Deo nuptias celebrari? ſane placuit: ſed & circunciſionẽ, & ſabbati obſeruationem, & cætera quæ in lege ſcripta ſunt. Non tamen quod aliquando ſatis placuit, ſemper ita placuiſſe dicendum eſt. Aut ſi ſemper, cur aliquando ceſſarunt? Ita nuptiæ poterunt non ſic ſemper placere, vt inueniuntur aliquando placuiſſe? Aut ſi ſemper, nunquam ergo ceſſabunt; Et ſi nunquam ceſſabunt, erit etiam in reſurrectione nubendum. Aut ſi vel tunc ceſſabunt: quare non & modo pro præmio ceſſare poſſint, quæ aliquando neceſſitate ceſſabunt? Sed dicis forſitan illam principalem vulgi ſententiam, quam omnes hypocritæ aliud promentes labiis, aliud clauſum in corde retinentes, defendunt. Quomodo ſtabit mundus, quomodo humani generis origo conſiſtet, ſi procreationis cauſa non fuerit? Satis prouide, & rationabiliter, & prudenter! hoc ergo Chriſtus non vidit, quando omnibus voluntate caſtratis generaliter maximum præmium promittendo omnes ſi-

Genes. 1. Genes. 2.

Matt. 5.

Rom. 4. Iacob. 2.

ne dubio esse tales optauit. Neque enim gratiosus aut personarum acceptor fuisse credendum est: vt eius præmij aliquantos esse dignos voluerit, non omnes optauerit. Sed forte dum nimio castitatis occupatur amore, mundi & creaturæ suæ statum oblitus est: O si illo in tẽpore tales, quales nunc sunt, cõsiliarios habuisset: quid faceret, putas? credo doctrinam suam reformauisset, & quod castratis pollicitus est, nubentibus promisisset? O nimia & intolerabilis humanæ stoliditatis audacia, quæ eo vsque prorumpis, vt sapientiorem te Deo iudices! qui si etiam absq; vllo præmio matrimonia cessare voluisset; sicut & quãdoque facturus est; credo, homo terrenus & luteus non ita faciendum esse censeret; aut si quis se rationabiliorem Deo iudicat, quid illum adorat, quo se sapientiorẽ putet? Forte est quæcunque ratio, quam te scire Deus noluit. Immo tu non vis qui mundi voluptatibus magis atque luxuriis esse deditus cupis, quam dominica arcana scrutari. Quæ stoliditas est, non malle homines simpliciter seruare, quod sciunt, quam arguere, quod nesciunt? Deinde quid tantum de mundo solicitus es, in quo hospitis more peregrinam agere vitam iuberis? qui si vere Christianus es, odio mundi viuas necesse est; dicente Domino: *Si de hoc mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret: sed quia de mũdo non estis, sed ego elegi vos de hoc mundo, propterea odit vos mundus.* Quomodo enim tu de mũdo non es, qui pro mundo solicitus es? Vel quomodo te, vt alienum odisse poterit, cuius procurator existis? Necesse est, vt mundus diligentem se diligat, & quem dilexerit mundus, ipsius est; & qui mũdi fuerit, nescio qualis Christianus esse possit; cui odium potius mundi, quam dilectio competit. Item alibi Dominus dicit: *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum*; Quibus? mundanis, nisi fallor, atque carnalibus, qui nos idcirco odio habent, quia videmur aspernari, quod diligunt. Si ergo hanc iuxta definitionem mundus, id est, mundi homines vidẽtur odisse Christianum, quæ tibi de illo, qui te non diligit, cura est? Iterum dicit Scriptura: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Quomodo non diligit mundum, cui tanta mundi solicitudo est, vt malit præmium virginitatis amittere, quam mũdi statum deperire? Et alibi Scriptura dicit: *Nescitis quia amator sæculi huius inimicus Dei est? Quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituetur.* Quomodo amicus sæculi non est, cui magis de ipso quam de Christi doctrina cura est? Sic dicis; quomodo stabit mundus, quasi æternitatem eius legeris: aut ita à Deo constitutum scias, vt perseueret perpetuo: aut si certus es eum quandoque finiri posse, quid de eius stabilitate solicitus es? Sed ne dubites illum finiendum esse, audi Scripturam dicentem: *Quoniam tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum cœli sunt; Ipsi peribunt, tu autem permanes.* Et Dominus in Euangelio ait: *Cœlum & terra transibit, verba autem mea non transibunt.* Volens nos de verbis suis magis, quam de transeuntis mundi statu esse solicitos. Et Apostolus: *Præterit enim figura huius mundi.* Et Ioannes, qui idcirco nos mundi habere noluit dilectionem, quod in breui eius terminũ nosset. Nam cum dixisset: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*; in sequentibus ait: *Et mundus transibit, & concupiscentia eius.* Sed etiam si certus esses mundum in æternitatem debere persistere, nihilominus tamẽ Domini tui implere debueras voluntatẽ, & credere, quod qualibet ratione, & mundus stare posset, & tu Dei præcepta seruare. Sicut & beatus Abraham, qui idcirco Dei amicus effectus est, quod simpliciter & sine refragatione aliqua eius per omnia obtemperauit voluntati; cui cum Deus spopondisset quod in Isaac filio eius suum benediceret semen, postea præcepit, vt eum sibi offerat immolandum: quod ille sine hæsitatione aliqua implere non dubitauit; nec recogitauit, quomodo Deus eum in quo semini eius futuram benedictionem promiserat, iuberet occidi: sed tantæ fuit synceritatis & fidei, vt omnia possibilia Deo crederet, etiam perempto Isaac, implere quod dixerat. Illi de vnico filio cura non fuit; quo minus sine controuersia aliqua Dei perficeret voluntatẽ: nos vero de mundi statu anxia, & solicita nimis cura conficimur; & cum illi Deus finem promittat, nos ei conferre æternitatem cupimus, & plus de illo, quam de auctore eius videmur esse soliciti: Sed quãdo Deus voluerit, inquies, soluendus est mundus: si quando ille voluerit, nihil ergo tua cura proficiet: & aut nubas, aut non nubas, mundus nec sine Dei voluntate solui poterit, nec vltra quam ille voluerit, stare? Quid ergo ad tuam solicitudinem reuocas, quod in Dei pendet arbitrio? Illud autem quale est, quod in oratione tua regnum Dei venire celerius postulas; quod fieri sine mundi non potest fine? dicente Domino: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Quomodo ergo eius consummationem in oratione tua postulas, pro cuius statu in nuptiarum causa solicitus es? Vnde intelligi datur, quod aut oratio tua infidelis sit, aut cura superflua, eligere tibi de duobus alterum debes, vt aut eius finem non expetas, pro cuius statu anxius es, aut cuius terminum postulas, stabilitatis tibi cura non maneat. In peruersum Dei mandata seruamus; sic soliciti de mundo sumus, quasi eo magis illũ diligere debeamus, quo ab eius amore mandatorum iussione retrahimur. Sed & beatus Apostolus cum dicit: *Volo omnes homines esse sicut meipsum*; sine dubio mundi statum non recogitauit: qui si sciisset hoc fieri aliqua causa interueniente non posse, rem impossibilem nunquam optasset. Nam cum omnes homines sibi esse similes cupit, nullum excepit. Nullum vero excipiendo, ostendit vniuersos tales quales voluit debere non minus esse, quam posse. Neque enim, vt diximus, rem aut indebitam, aut impossibilem ille voluisset. Sed & si concedam tibi, necessariũ esse & Dei voluntati conueniẽs, vt sit aliqua pars populi, per quã humani generis successio germinet; defecerunt, nimirum Iudæi, atque Pagani, vt non dicam hæretici, quorum non magis probãda castitas est, quam recipiẽda fides: sed & incontinentes quique Christiani, per quos humanæ sobolis causa seruetur, tantum ne hæc necessitas veris Christianis, quos Christi & Apostolorum eius viuere exemplo conuenit, deputetur. Sed esto per nimiam pudicitiam & continentiam mundus deficiat, tu inde quid tantum solicitus es, aut vereris? Nunquid ne si sæculi naturæ status defecerit resurrectionis in tempore, inter cæteros virgines ob pudicitiæ, & castitatis

Ioan. 15.
Luc. 21.
1. Ioan. 2.
Iaco. 4.
Psal. 101.
Matt. 24.
1. Cor. 7.
1. Ioan. 2.
Gene. 17. Rom. 4. Galat. 3. Iaco. 2.
Ioan. 18.
1. Cor. 7.

tatis meritum cœlestis regni possessores, & æternæ gloriæ dignos soli tibi, cur non nupseris, imputetur? Satis ista de præsenti loco. Reuertamur nunc ad illam, quam superius intermisimus, quæstionem cui licet iam satis videatur esse responsum, in eo quo ostendimus Christianis exempla veterum non omnimodo posse congruere, sed dilucidius erit si nunc per species singulas persoluamus obiecta. Dicat quis primum masculos & fœminas non alia quã procreationis causa institutos: Quæro, si omnes, an aliqui; si ergo omnes, ergo illi frustra nati sunt, quos cælibes legimus, vt Heliam, vt Helisæum, vt Ioannem, vt sanctam Mariam, vt ipsum Dominum, vt Apostolos eius, qui & an contra Dei dispositionem feciſſe credendi sunt? Si omnes, sexus diuersitas secundum definitionem tuam non alia, quam fœcũditatis causa instituta esse credenda est. Aut si non omnes, possumus & nos aliis similes videri. Deinde dic, resurrectionis tempore erit ne huius sexus in statu suo salua diuersitas? credo salua, & tamen secundum Domini definitionem nulla ibi iam fœcunditas erit. Cur ergo non credamus iuxta eius voluntatem iam in præsenti posse fieri, quod erit in futuro: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*, quibus dictum est? nisi fallor, Adæ & Euæ, qui rudem adhuc mundum, & ab omnibus incolis vacuum soli possidebant, quibus non minus solatium necessarium erat, quam terræ quoque cultores. Merito ergo dictum est illis multiplicare, & crescere, & replere terram, cum adhuc terra desolata esset, & vacua. Quomodo nunc nobis hæc sententia competit, quos iam terra vix sustinet, quibus ipsa iam cum labore, vt ita dixerim, elementa sufficiunt. Deinde qui dixit in principio crescere & multiplicari, ipse in fine exemplum non nubẽdi volentibus tradidit; ipse etiam spadonibus cælorum regna promisit; ipse per Apostolum suum loquitur, *bonum esse homini mulierem non tangere, & velle se omnes homines esse sicut seipsum. Vt & qui habet vxorem, ita sit, ac si non habeat, & bonum esse homini, sic esse*: cui prima sententia placuit, placeat & secunda; immo magis secunda quàm prima; semper enim posterius mandatũ priori terminum statuit. Multa enim facta sunt causa cogente, quæ nõ ita semper fieri oportet, vt primus homo de terra, postea iam non de terra: vt prima matrimonia germana, postea iam nec satis propinqua. Nam si volueris me ad illius temporis tenere sententiam, & ego te per omnia ad eius necessitatẽ astringam, vt aut totum sequaris, si expedit, aut intelligas tibi aliter esse viuendum, quia vetera transierunt, & omnia facta sunt noua. Nam quibus in exordio dictum est, *crescite & multiplicamini*, fraterna animaduerto exercuisse connubia. Placeant ergo tibi illius temporis nuptiæ, si sententia placet; sed dicis, fraterna coniunctio postea prohibetur: nuptiæ vero non prohibentur, dici potest; sed nec omnibus conceduntur. Nam cum designantur, quibus indulgentur, satis claret, minime eis de quibus tacetur, esse concessas. Qui enim de duabus partibus vnam, cui matrimonij copulam concederet, nominauit, cui dubium est, non concessisse eam illi, quam non nominauit? Et cui aliquid non conceditur, nescio si prohibetur. Nam qui dixit: *Qui se non continet, nubat*: quid aliud de contrario voluit intelligi, quam qui se continet, non nubat? sed qui consilium dat in virginitate perseuerandi, puto illum velle consilio à nuptiis retraxisse. Nolo enim leue existimes sancti Spiritus per Apostolum loquentis pro nihilo habere consilium. Dicis, Abraham vxorem habuit, & tamen Deo placuit, & primus Patriarcha esse meruit. Quanquam de huiusmodi propositionibus possit iam videri satisfactũ, cum aliquoties ostensum sit, antiqua nobis præiudicare non posse; tamen adhuc hic vel pauca dicamus, quæ omnibus quadrare videantur. Dicis, Abraham vxorem habuisse, & Deo præ cæteris cum vxore placuisse. Illud ante omnia scire conuenit, quadruplicẽ matrimoniorum illius temporis fuisse rationem. Primam, qua secundum Apostolum omnia adhuc in mysterio & figuraliter gerebantur sicut dicit: *Hæc enim in figura contingebant illis*. Tamdiu enim aliquid in figura exerceri cõuenit, quamdiu res non venerit, cuius figura est. Exhibita vero iam re, figuræ cessat adumbratio, quæ veluti superuenturæ rei nuncius habebatur. Nam quod tunc temporis etiam matrimonia figuraliter celebrata sint, vt manifestius scias, audi Apostolum ipsorum quoque humani generis principum nuptias mystice interpretantem, vbi illo testimonio vtitur: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*. Et ne quis hoc etiam in nouo testamento à cunctis carnaliter obseruandum putaret, statim sequitur: *Mysterium hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*. De Abrahæ vero seu vxore seu concubina quod aliqua sacramenti ratio fuerit, quis nisi imperitus addubitet? maxime cum idem Apostolus Agar montem Sina nũcupauerit, Saram vero cœlesti Hierusalem comparasse videatur? Secunda ratio est, quia vt iam diximus, mundus adhuc vacuus erat atque desertus. Tertia, quia illius temporis homines non tantis mandatorum præceptis onerabantur, quorum perficere plenitudinem cũ vxore vix possent. Quarta, quod eis præiudicare non potuit res, quæ nec cõsilio dissuasa fuerat, nec exemplo; immo potius demandata. Tam illi contemptores tunc temporis fuerant, si non nupsissent, quam nos nunc si continentes nuptias volumus expetere. Vide si aliqua tibi harum quas descripsimus specierum ratione, conuenit nubere, ideſt, si est adhuc aliqua veritas, quam tuæ nuptiæ præfigurarẽt, vel aliqua sine hominibus terra, aut tam leuia habes onera præceptorum, quæ etiam maritus facile implere sufficias; aut quod ante omnia cogitãdum est, castitatis tibi nec exemplum nec doctrina collata est ad pudicitiæ præmium consequendum. Quicquid dixeris, inquies, vxoratus Abraham Deo placuit. Hoc solum eius retines, cætera credo oblitus es, qua ex causa placuit? quia habuit vxorem? non puto; nam antequam iustificaretur, iam coniugio vinctus erat. Sed nec displicuit, inquies. Restat ergo, vt intelligamus per quid placuerit, si per vxorem neque displicere potuit, nec placere. Per obedientiam autem, vt opinor, quia temporibus suis in nullo Dei contrarius extitit voluntati. Dicitur illi: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*. Sine vlla hæsitatione discessit, & ante Euangelij tempus Euangelica mandata seruauit, qui vt placeret Deo, nec parẽ-

1.Cor.7. 1.Cor.7. 1.Cor.10. Genes.2. Ephes.5. Galat.4. Genes.12.

tes, nec domum, nec patriam relinquere dubitauit. Postea præcipitur illi, vt corporis sui membro circuncisionis vulnus infligat, libens cum doloribus adquiescit: Iubetur, vt filium quamuis de ancilla susceptum, sui tamen seminis cũ matre abdicet: nõ Genes. 22. contradicit. Postremo, vt Isaac, quẽ iuxta Scripturæ testimonium diligebat, immolandum & occidendum Deo offerat, imperatur, sine vlla cunctatione obsequitur. Per hæc ergo Abraham Deo placuit, quibus suis temporibus in nullo Dei mandato aut inobediens, aut contradictor inuentus est: & tu nunc, demum te Abrahæ similem fore existima, si & tu temporibus tuis ita per omnia Dei & sine hæ- B sitatione aliqua obsecundaueris voluntati, sicut & illum feciſſe cognoscis: cui si dictum fuisset, quod tibi nunc dicitur, aut antequam nuberet, *bonum est* 1. Cor. 7. *homini sic esse?* Et iterum: *Solutus es ab vxore, ne quæsieris vxorem*: Aut postquam nupserat, *bonum est homini mulierem non tangere: Et qui habet vxorem; ita sit, ac si non habeat*, gratanter adquieuisset. Facile enim contemneret nuptias, qui fructum potuit contemnere nuptiarum, & qui corpori vulnus inflixit, facilius eius custodiret integritatem. Facile enim nondum susceptum contemnere filium potuit, qui iam educatum non dubitauit occidere. Tu, qui quos an-susci- pere possis incertus es, dubitas an contemnas; quid C faceres, si iam susceptos iubereris amittere? Debeo te etiam ad reliqua eius exempla prouocare, quæ si conueniunt tibi, conueniant & nuptiæ: aut si non conueniunt, neque nuptiæ quidem conuenire debebunt. Dicis, Abraham vxorem habuit, & Deo placuit, & ego habere debeo: Abraham baptizatus non est, & tamen Deo placuit, ergo nec tu baptizari debueras: Abraham carnaliter circunciſus est, & te simili modo circuncidi conuenerat: Abraham nunquam ieiunauit, nec tu vel solennibus diebus ieiunare debebis, cui indictum peccatum sit præuaricare ieiunium: Abraham Deo hostias carnes animalium immolauit, & te quoq; tale oportet offerre. Absit, absit, inquies, aliud nunc tempus est, an D aliud tempus ad baptismum, aliud ad circunciſionem, aliud ad ieiunium, aliud ad sacrificia, nõ aliud ad nuptias? Nam qui te docuit spiritaliter circuncidi, ieiunare crebrius, baptizari semel, alias offerre hostias, ipse etiam ad virginitatis gloriam cohortatus est, suo tam consilio, quam exemplo: consilio, quo spadonibus cœlestis regni præmium pollicetur; & quo Apostolus qui in se Christum loqui te- 1. Cor. 7. status est, dixit: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do*: exemplo vero, quo ipse non nupsit. Illam vero sententiam præterire non debui, qua beatus Apostolus non exhortatores castitatis, sed nuptiarum hæretico ritu condemnato- E res voluit ostendere. Quam sententiam ex alia parte hæretici ad defensionem videntur vocare luxuriæ, qua continetur prohibentes nubere, abstinere à cibis. Hanc & iam Iouinianus cum suis in prima blasphemiæ fronte proferebat, per quam si Apostolus pudicitiæ & virginitatis intelligẽdus est male taxare Doctores, sui immemor fuit, & nulli alij magis, quam sibi videbitur esse contrarius. Qui, sicut superius ostendimus, pudicitiam tanta cõstantia prædicauit, vt omnes sibi similes esse voluit. De illis ergo eum dixisse intelligendum est, qui vt malum nuptias damnant, & non à Deo institutas credunt, nec illos nubere sinunt, quibus hoc Apostolus indulsit: Manichæi scilicet vel Marcionistæ, qui alium nuptiarum, alium virginitatis Deum credũt. Nos vero eundem confitemur, & non damnamus nuptias, nec incontinentes nubere prohibemus. Sed exemplo Apostoli tam continentibus pudicitię & castitatis bonum suademus, quam, si qui se incontinentes dixerint, nuptiarum eis remedia concessa ab eodem Apostolo non negamus. Satis, vt opinor, manifestéq; monstratum est, normam veterem nobis vsquequaque iam non conuenire secta- B ri. Nec idcirco semper exercendũ quicquid causis facientibus tempore aliquo potuerit exerceri: maxime cum scriptura omnibus fere rebus certum & legitimum tempus definiat, dicens: *Tempus lugendi,* Eccl. 3. *& tempus ridendi*: Tempus patiendi, & tempus moriendi: Tempus plangendi, & tempus saltandi: Tẽpus amplectendi, & tempus lõge fieri ab amplexu. Nullam in te vel corporis maculam, qui nec fecit, inueniat. Ecce speciem formámq; tuam duæ expetunt amatrices; pudicitia scilicet, atq; luxuria. Illa dicit, ego non dimittam meũ: hæc vero, sed ego sẽper eripere cõsueta sum alienum. Illa tibi, vt ei magis consentias, cœlestis regni gloriam, familiaritatem Dei, angelorum consortiũ pollicetur: hæc sæculares & caducas opes, humanásq; videtur offerre diuitias. Iustus iudex esto, illam profecto elige, cui & natura & iure deberis, & cuius munera constat esse meliora. Non ignoramus enim quibus artibus modo per aliorum suggestiones, modo per cogitationes proprias, te ex hoc tempore, pudicitiæ semper & perfectionis inuidus inimicus infestet. Est enim illius calliditatis atque nequitiæ, vt præter integritatis præmium quod auferre matrimonio iunctis cupit, per occasionem liciti faciat eos illicitis sæpe actibus permanere, optime sciens matrimonio iunctos difficile posse plenitudinẽ seruare mandati. Nam suggeret hæc sæpius tibi. Tu ergo non D nubes? tu sine liberis permanebis? Et cui tantas opes, cui tantum patrimoniũ derelinquis? Non sufficit quod sorores tuæ hoc adprehendere propositũ voluerunt? quorum si & tu exempla sectaris, per quem vestrum reparabitur genus? bonum ergo tibi videtur, vt omnis vestræ stirpis origo deficiat? His consiliis Diabolus rudes & imperitas mentes fallit, & decipit, vt dum humanæ originis progeniẽ cogitant, diuina illius procreatione priuentur: & dum terrenis heredes facultatibus quærunt, ipsæ hæredes Dei esse non possint. Sed tu, cum hæc tibi aut per cogitatum in mentem venerint, aut alio loquente suggesta sint, memor esto quos heredes ma- E gis Christianum habere conueniat. Illos, scilicet, de quibus dictum est: *Vade, vende omnia tua, & da* Matth. 16. *pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & veni sequere me*: hos qui hæredes habuerit, Deum sibi facit heredem; Scriptura dicente: *Qui pauperi miseretur, Deo* Prou. 19. *fœneratur*. Nam satis stultum est, certis incerta præponere, & in sobolis posteritate sperare, quam vtrũ habere possis nescias. Deus sit posteritas tua, illi censum tuum trade, patrimonium tuum illi commenda, vt eum in futuro possideas. Aut nunquid excidit tibi illius sententiæ dictum, qua tanta difficultate dives saluus fieri posse determinatur? vt impossibilia

impossibilia facilius concedantur impleri, & Camelum per foramen acus transire, quàm diuitem cœlorum regna conscendere. Cuius dicti veritatem hoc iam in tempore videmus impleri: quo virginitatis bono, cui præcipue regnum cœleste promittitur, omnes pene diuites carent. Stultum satis est, vt Christianus heredes velit in mundo relinquere, qui totius mundi esse iubetur exheres. Et vt de futura, & de incerta prosperitate cogitet, qui prohibetur de crastino cogitare. Audi quid promittat spadonibus Deus, & filiorum breuem, & nunquam sine dolore lætitiam quanta mercede compenset: *Dabo eis*, inquit, *in domo mea, & in muro meo locum nominatum*, meliorem filiis & filiabus. Diligenter aduerte quid dixerit meliorem filiis, & filiabus: hoc est locum meliorē cum illis dabo, quam si filios aut filias habere voluissent: nullus fere sapiens est, qui non hoc eligat, profecto quod melius est: sed si vsque adeo filios habere desideras, & sterilem te esse non pateris, habeto; sed de sapientia matre & de spiritali semine procreatos, per Dei verbum Deo filios, nō sæculo genera: Esto pater talis, qualis & Paulus, qui dixit: *Per Euangeliū ego vos genui.* Impleatur in te illa sententia; Beatus qui habet in Sion semen, non in Senatu: & domesticos in Hierusalem, non in Vrbe Roma, Babyloniæ, suis sceleribus, comparata. Caue enim ne dum habere carnales filios concupiscis, ipse Dei filius esse non possis. Scriptum est enim: *Quicunque dimiserit patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, aut domum propter Euangelium*, accipiet in hoc sæculo centies tantum, in futuro vitā æternam: qui iuberis filios iam educatos propter Dominum contemnere, vide an debeas maiore eius voluntate nondum natos velle præferre. Quomodo certis Dei præmium prætuleris, si ei etiam incerta præponas? Non perfectè diligitur, cui aliquid antefertur. Sed delectāt te quorundam quamuis temporalia, & sine mœroribus nunquam læta & iucunda connubia. Sed recogita aliorū perpetua iurgia, & litigiosa diuortia, & multimodos casus. Inuitant te generosæ sobolis fœcunditate gaudentes: sed deterreant, acerbis, & immaturis mortibus amisisse crudeliter lachrymātes. Multo facilius est filios non suscipere, quam susceptos amittere. Virginitas quidem corporalium filiorum nō oblectatur amoribus, sed nec doloribus mœret. Caret fœcunditatis gaudio, sed nunquam orbitatis anxietate cruciatur. Aut vereris nunquid ne tui feminis origo deficiat? memento non nobis iam terrenam, sed cælestem progeniem desiderandam. Grande, re vera, damnum est, si desinat generatio quandoque cessatura. Quid vis esse per te, per quos ipse forsitan esse vix poteris? Illam magis suadeo progeniē diligas, quæ absque ambiguitate tecum semper in cęlestibus sedibus perseueret. Multa enim sunt, quæ sapientem virum ab his vanis cogitationibus retrahant, si cogitet primo se potuisse non nasci, secundo natum maturius interire, tertio quod quamdiu viuat nesciat, & an procreare filios possit, incertum est. Cur ergo non volūtate aliquis spernat, quo ei carere necessitate possibile est? Vereor, inquies, ne parētes offendam, quorū hoc præcipuum votū est, vt per me nostri generis origo repareretur. Satis infideliter, & inconstanter times propter Deum parentes offendere, propter parentes vero maioris beatitudinis præmium non vereris amittere; hoc est Dei voluntati parentum vota præponere, & eius dilectioni homines anteferre. Quales illi parētes sunt, qui te nolūt hoc esse, quod melius est? Tales enim aut filium non diligunt, aut perfecte non credunt futura. Nemo enim est, qui filiis suis non hoc optet euenire, quod perfectius nouerit, nisi qui aut de perfectione ipsa dubius est, aut, quod credēdum non est, filiorū inuidus bono. Huiusmodi inimici potius habendi sunt, quàm parentes. De talibus Dominum dixisse reor: *Inimici hominis domestici eius*; & iterum: *Qui dicit patri, aut matri; non noui te, & fratres suos non agnouit*, & filios suos non cognouit, obseruauit iustitias tuas, & testamentum tuum conseruauit. Et iterum: *Qui non odit patrem aut matrem, non est me dignus.* Non debemus ei nostros præferre parentes, quia nec suos nobis, nec seipsum quidem prætulit, qui cum discipulos doceret, & matris, ac fratrum nūtio, pro foribus stantium, & se videre cupientium fuisset interpellatus, respondit, dicens: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est*, hic meus frater, & soror, & mater est. Non quo sanctam matrem despiceret, sed vt nos quales parentes magis computare deberemus, suo doceret exemplo, & ostenderet præferre nos eum malis saltim debere parentibus, quibus ille nec bonos quidem prætulit. Impium satis est, te ei aliquem velle præponere, qui nec se tibi præposuit, qui pro te mori etiam non recusauit. Præponis enim illi multum, quando id quod pro magno habere te voluit, respuis: & illud quod habere minus voluit, magis eligis. Dicit enim Apostolus: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Quicunque ab his, quæ Christus diligit, sequestratur; à maiore eius charitate secernitur. Non perfecte alterum diligit, qui id possidere non vult, quod scit eum satis amare, quem diligit: Miserum nimis est, vt nos à perfecta eius charitate, aut matrimonij causa retrahat, aut parentum, quos nec mors quidem debet separare, nec gladius. Sed hoc, inquies, in persecutione obseruandum est, erras si aliquando Christianum in hac vita pacem habere putas. Toties enim persecutionem patimur, quoties alicuius sanctitatis officium amittere compellimur. Multo grauius si suademur, & si à nobis blandimēta exigant, quod nec pœna extorquere debuerat. Quoties ergo in huiusmodi causis vincimus, toties coronamur: quoties vero vincimur, toties amplioris spei detrimēta sentimus. Aut times ne forsitan, si eos despexeris, exheredēt? Nō magnopere illorū desideranda hereditas est; quorū patrimoniū regni cælestis pręmiū tollit: talis nō modo concupiscēda facultas est, sed oblata etiā respuēda. Nā qui didicimus nostra cōtemnere, facile possumus, etiam quæ parentes obtulerint, refutare. Quò enim nobis humana & terrena hereditas, quibus cælestis & diuina promittitur? Contemnamus omnia, & cum Propheta dicamus: *Diem hominis non concupiui*; & alibi: *Dominus pars hereditatis meæ*, & calicis mei, tu es, qui restituisti hereditatem mihi. Sed ille Deum animo & mente diligebat, & eius pollicitationibus toto ex corde credebat; nos

Matt. 19. Matt. 10. Luc. 18.
Iuuen. 16.
1 Cor. 4.
Matt. 19. Luc. 14.
Matt. 10. Deut. 33.
Luc. 14.
Matt. 12. Marc. 3. Lucæ. 8.
Rom. 8.
Hier. 17. Psal. 15.

vero timeo ne facie tenus, & coram hominibus Deum diligere videamur, & corde sæculum plus amemus. Plus enim diligitur alio, quod alij certe præfertur. Sed ecce grauius aliquid, si quis terreno patrimonio & humanis diuitiis virginitatē distrahat, cui Christus cælestis regni præmium pollicetur. O ambitio copiosa luxuriæ, tam vili pretio redimis, quod Deus æternæ gloriæ mercede ditiore mercatur! legimus enim cæleste regnum diuitibus quodammodo denegari; Scriptura dicente; Difficile dives intrabit in regnum cælorum: contra, spadonibus & continētibus repromittit: Sunt, inquit, spadones qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorū. Quomodo ille cælestis regni sperare possit præmium, ignoro, qui id potius elegerit, cui abnuitur, & hoc cui promittitur, propter illud cui negatur, amiserit? Quid ergo Christianorū decus? perfice, quod cœpisti, omnes corporeas voluptates virili mente conculcans spiritalibus te tantum actibus occupato, non patiaris te à fœminis vinci vnquā, quæ in infirmiore sexu ingentia peccata virginitate superarūt? Faciat te talē, vel æqualem certe, quem fecit sexus natiuitas fortiorem. Quantum enim vtilius. . . . . etiam si ad præsentis vitæ legitimum tempus peruenire possimus? adde quod omnia . . . . mors incerta metuēda est, quia iam ex eo quisque mori potest quo cœpit & viuere: lucremur ergo de hac breuitate, quod in perpetuo habere possimus. Illud vero quale est, vt cū Christianorūmultos & audias & intelligas, & si velis videas in tantum Dei formidare iudicium, & aduentus eius terrore Dei compungi, vt quamuis nulla eos redarguerit culpa peccati, abstinētia, oratione, ieiuniis corpus affligere, in cinere etiam, cilicióque volutari, scriptum esse recordantes: *Quoniam magnus est dies Domini, & quis erit sufficiens ei?* Et alibi: Si iustus vix saluus erit, peccator & impius vbi parebit? Et Apostolus: Castigo corpus meum, & seruituti redigo. Vide ergo si expediat tibi, vt cum alij corpus suum abstinentia ieiunióque conficiant, tu tuum magis epulis & exquisitis dapibus nutrias: & cum illi Christi exemplo sobriis vigiliis frequēter transcant noctes, te vero esca distentum, thorus mollior nec volentem quidem vigilare permittat. Et cum illi sacco & cinere & omni iniuriarum genere afflicta & pallentia membra circunferant, tu adornatus & splendidus & lætus incedas; & cum illi pene omne tempus lachrymosis orationibus transigant, te ridere, & luxuriari delectet: & cum assidua illi aduersus Diabolum compugnatio. . . le . t . . . . . tibi exercere carnis libeat voluptates. Nūquid non vnus omnibus Deus? aut nō omnes Christiani eiusdem iudicis expectāt aduentum? aut forsitan mitior alio alios vel acrior ignis expectat, vt alij tantum soliciti sint, & alij tantum securi? Crede mihi, quod & illi velint securi esse, si sibi intelligerent expedire: Sed ista, inquies, paucorū sunt: Paucorum est enim angusta via, per quam in cælestis regni aditus introitur: Paucorum est & excellens integritatis præmium, quod solis virginibus repromittitur. De quibus paucis esse te conuenit, si illud habere desideras, quod paucis promittitur: Nubere enim omnium pene hominum est, malorum & insipientium, nihil gentile est, id te exercere vel-

Matt. 19. Marc. 10. Luc. 18. Matt. 19.

Iohel. 2. 1. Petr. 4. 1. Cor. 9.

le, quod cuncti, & illud habere, quod etiam pessimi consequuntur: sed vt de hominibus taceam, luxuriantur & feræ, pecudes, & volucres quoque nubunt, nihil magnum cum porcis & canibus aliquid habere commune, Dei potius & Angelorum eius vitam omnino sectare. Pulchrum est enim te eos in præsenti vita imitari, cū quibus semper esse credendus es in futura. Nam quàm magnum sit pudicitiæ bonū, ex hoc vel maxime recognosce, incontinens, nec legere, nec orare fiducialiter potest: hostias vero offerre aut Domini corpus attingere, aut ignoranter præsumit, aut scienter tremescit. Contra pudicus, & abstinens infinitam conscientiæ fiduciam gerit, & pudicitiæ auctoritate defensus cūcta intrepide exercet. In oratione quasi præsens cum Domino, immo quasi amicus cum amico loquitur? Scriptura dicente: *Vos autem dixi amicos.* In lectione vero nulla animi confusione retrahitur. Offerre autem Deo hostias tam audenter potest, quam celebratam iam Eucharistam fiducialiter sumere. Quid ergo dilectissime mihi? si Christum diligis, dilige Christi bonum: si Deum amas, serua in quo vel maximè Deus gaudet: serua integritatem, serua pudicitiam, habeto intra te castimoniam, cuius orationū suffragio tibi, si quid forte deliqueris, remittatur. Nam quod sacerdotio aliquatenus pudicitia comparetur, iam superius demonstrauimus; si in virginitatis integritate permanseris, eris apud Deū vt Angelus, & apud homines vt Deus; si vero, quod non credo, eius despexeris bonum, nec apud homines tibi, nec apud Deum integritatis gloria remanebit. Nemo te inanibus verbis circumueniat, nemo seducat: difficile perfectus Christianus esse poterit, qui non in singularitate & pudicitiæ sanctitate permanserit. Mirari enim me fateor excellentis animi tui in tam parua ætate virtutem, & in iuuenili corpore canam mētem: Et non me tantum, sed omnes quicunque te . . . potes amant, diligunt, venerantur, & honorāt: Et no . . . . . stupore terrentur, quod hæc ætas angusti, & ardui iugi magis altā, q̄ latiorem semitā diligat, per quam nōnullos etiā senes videm⁹ incedere, quod in his . . . . . Christū sequitur . . . . . Præsertim inter diuites quos saluari difficile est, cum tēporibus nostris, quibus multis pene mortua iustitia est, flagrat laus tua per omnia; ita vt nullus est, qui tuam in Christianitatis conuersatione non admiretur ætatem. Noli perdere magnum hoc in te bonum, & egregiam consummatámq; fabricam nequaquam velis, vnius anguli destructione fædare. Nihil de gloria tua sęculum rapiat, custodi diligenter vnum, vt facilius possideas totum. Pudicitia enim omnium bonorum mater est; hæc nonnunquam cum prole simul aut amittitur, . . & illicitum senes moribus, & longæuos animi maturitatis . . Quid plura, pene vbi enim tēporibus nostris si te luxuria non vicerit, vt omnes . . genere vitiorum multipliciter exoriri.

Ioan. 15.

Matth. Marc. 10. Luc. 18.

Videntur aliqua verba deesse.

ANTONII ABBATIS, MELISSÆ, SIVE SERMONVM ET LOCORVM COMMVNIVM PRIMÆ PARTIS CAPITA: CONRADO G. INTERPRETE.

HAC editione Parisiensi 1587. ad Græci exemplaris fidem emendata, multis in locis additis ad marginem homiliis & libris Patrum, ex quibus pleraque desumpta sunt: & nonnunquam versu latino redditis sententiis versuum Græcorum, præcipuè ex interpretatione Gregoriana Iacobi Billij.

DE FIDE ET PIETATE IN DEVM, ET QVOD OMNIBVS BONIS ANTECELLANT, QVANDO MAXIME per bona opera resplendent, Sermo primus.

Gen.4. ET factum est post dies, obtulit Cain de fructibus terræ sacrificium Domino. Et Abel obtulit & ipse de primogenitis ouium suarum & de adipibus earum. Et respexit Deus ad Abel & ad munera eius. Ad Cain autem & ad sacrificia eius non attendit.

Gen.5. Et placuit Enoch Deo, & nō inueniebatur, quia transtulit eum Deus.

Gen.6. Noe inuenit gratiam coram Domino Deo.

Ibid. Et fecit Noe omnia quæcunque præcepit ei Deus, sic fecit.

Ibid. Noe homo iustus, perfectus existens in generatione sua. Deo placuit Noe.

Gen.17. Dixit Dominus Deus ad Abraham: Ego sum Dominus Deus tuus, complace coram me, & esto irreprehensibilis.

Gen.15. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

Exod.20. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis, Non erunt tibi dij alij præter me. Non facies tibi idolum, neque vllius simulachrum, quæcunque in cœlo sursum, & quæcunque in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque seruies eis.

Deut.10. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, & illi adhærebis, & in nomine eius iurabis. Ipse gloriatio tua, & ipse Deus tuus.

Ibid. Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas eum, vt ambules in omnibus viis eius, & diligas eum, & seruias Domino Deo tuo ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.

Iob 28. Ecce pietas est sapientia.

Psal.32. Rectum est Verbum Domini, & omnia opera eius in fide.

Psal.100. Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeāt ipsi mecum.

Salomon. Exhibitam & certam fidem annunciat iustus.

Prou.15. Pietas in Deum initium sensus vel sapientiæ.

Cicer. Desideria piorum delectant animas.

Misericordiam volo & non sacrificium, & notitiam Dei magis quàm holocausta.

Via piorum recta & parata est.

Pij prudenter consuluerunt, & consilium illud manet.

Ierem.5. Si est qui facit iudicium & quærit fidem, propitius illi ero, dicit Dominus.

Sap.2. Diligite iustitiam, qui iudicatis terram, sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum, apparet enim iis, qui illi non diffidunt.

Omnium potentissima est pietas.

Thesaurus nunquam perituras timor Domini.

Crede Deo & recuperabit te. Sirach. Eccli.2.

Donum Domini permanet cum piis.

Pij oratio mera est sapientia. Eccli.27.

In ore piorum multiplicabitur laus.

Homo pius in sapientia permanet vt Sol. Eccli.27.

Fides in sæculum stabit. Eccli.40.

Amen dico vobis, si habueritis fidem vt granum synapis, dicetis mōti huic, Transi hinc & transibit. Matt.17.

Tunc respondens Petrus, dixit ad Iesum: Ecce nos reliquim⁹ omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitæ æternæ sortietur hæreditatem. Matt.19.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Ioan.3.

Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet. Ioan.14.

Beati, qui non viderunt, & crediderunt. Ioan.20.

Si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum Christum, & credideris in corde tuo, quod Deus illum excitauit à mortuis, saluaberis. Corde enim creditur ad iustitiā, ore autē fit confessio ad salutē. Roma.10.

In Christo Iesu nec circuncisio est, aliquid nec præputium, sed fides per charitatem operans. Gal.5.

Est autem fides rerum sperandarum substantia, & argumentum eorum, quæ non videntur. Heb.11.

Sine fide fieri nō potest, vt quis illi placeat. Nam qui accedit ad Deum, hunc credere oportet, quod Deus sit, & quod remunerator sit quærētibus ipsū. Ibidem.

Gratia estis seruati. Ephes.2.

Exerce temetipsum ad pietatē. Nam corporalis exercitatio paululum habet vtilitatis: at pietas ad omnia vtilis est, vt quæ promissiones habeat vitæ præsentis & futuræ. 1.Tim.4.

Fides, si facta non habuerit, mortua est per se. Iacob.2.

Operam date, vt vocationem & electionem vestram firmam efficiatis. Siquidem ad hunc modum abunde subministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri Iesu Christi. 2.Pet.1.

Quemadmodum qui lumen intuentur, intra lumen sunt, ac eius splendore fruuntur: sic qui Deum vident, intra Deum existunt splendoris ipsius participes. Vitæ ergo participes erunt, qui Deum vidēt. Irenæi lib. 4.cap 37.

Fides eorum, quæ de Deo dicūtur, dux sit. Fides, & non demōstratio: Fides, quæ omnē rationis methodū superans, mentem ac cōsensum & approba- Basilij ex Hom. in psal. 115.

tionem trahit. Fides inquam, non Geometrica aliqua necessitate, sed spiritus effectu & operatione animis innascēs, &c. & paulo post. Theologiæ mysterium fidei nihil solicitè inquirentis assensionem requirit. Deum enim esse, omnino credendum est: quod vero ille sit, nequaquam inquirere aut disputare conuenit. Denique si fides earum rerum, quæ sperantur, substantia est & argumētum eorum quæ non apparent, ne contenderis ea nunc videre, quæ procul dissita sunt, neque in dubium vocâris ea, quæ sperantur, eò quod ipsa cognitione nondum assequi queas, &c.

ExD. Basil. proœmio in Ethica, cap. de vera & pia fide.

Fides est assensus de iis, quæ auditu percepit ambigens, cum certa persuasione veritatis earum rerum, quæ Dei gratia prædicatæ sunt. Huius exemplum aut specimen exhibuit Abraham, qui iuxta scripturæ testimonium, non dubitauit per incredulitatem, sed fide confirmatus est Deo gloriam tribuens, & certa animi fiducia persuasus, quòd quæ promisit Deus, eadem & præstare possit.

Gregorij Thaumaturgi.

Præcipuā pietatis curam habere cōuenit, quam non immerito virtutum parentem nominant. Hæc enim omnium virtutum principium & finis est.

Vt Deum & causam omnia continentem efficientémq; cognoscamus, tum visu tum naturæ lege docemur: illo nimirum, dum res visibiles & solidas spectat: hac vero, dum ex visu cognitis & ordine dispositis summum ducem & opificem considerat.

Theologi.

Tecto pulsa & sub dio agens Fides, sumptuosa impietate præstātior est, & tres in nomine Domini cōgregati, multis diuinitatē negantibus antecellūt.

Nihil corā Deo æque magnificum est, atque sermo purus, & veritatis dogmatibus perfecta anima.

Sola pietas stabile & firmum bonum est. Quod enim acquisitu impossibile est, idem propter inuidiam incredibile etiam iudicatur. Atqui profanæ mentes nullam rem, quæ bona & honesta est, fide dignam existimant.

Chrysostomi.

Hoc fidei maximè propriū est, rationes eorum quæ fiūt non inquirere, sed obtēperare præscriptis.

Pium & fidelem virum tam firmo & constanti erga Dei promissiones animo præditum esse oportet, vt licet sibiipsis contraria esse videantur quæ fiunt, ne sic tamen vel animo turbari possit, vel de euentu desperet. Fidelem Abrahā itaque inspicito, qualem nimirum promissionem ipse acceperit, & quænam ipse facere coactus sit.

Fides virtutum mater, corona & perfectio est.

Athanasij.

Melius est dubitationem obortam silentio reprimere & credere, quàm propter dubitationem diffidere.

Gregorij Nysseni.

Omne quod creatum est, extra diuinā naturam aut essentiam esse iudicare edocti sumus: Eam vero [illegible] naturam, quæ increata est, colere & venerari didicimus, cuius nota & indicium est, nec vnquam cœpisse, nec vnquam deficere.

Sola fides comprehendit incomprehensibilem. Sola fides inuisibilem percipit. Sola fides inaccessum accedit, quoad eius fieri potest & licet.

Quandoquidem supernæ naturæ comprehensio humanis rationibus lōge est superior, idcirco fides rationum locum explet, super ea quæ rationem & intellectum superant, semetipsum extendens.

Clementis.

Quod fide præceptum est, à curiosa inquisitione alienum sit oportet. Quod enim ad amussim studiose exploratum est, quomodo fide perceptum aut creditum esse dicetur?

Fides breuis & compēdiosa, vt ita dicam, rerum necessariarū est cognitio. At cognitio constans & firma est eorum, quæ per fidem accepta sunt, demonstratio.

Seuerini.

Nō qui cuiuis credit, fidelis dicitur, sed qui Deo credit, hic solus fidelis & est & dicitur.

Philonis.

Vera hierarchia quænam alia, quàm animæ Deo dilectæ pietatis, fuerit? cuius gratitudo apud Deū immortalis est, perenne æuum cum Sole, Luna, & toto mundo extendens.

Aristotelis.

Omnium quidem principium optimum Deus est, virtutum vero Pietas.

Quemadmodum in medicina fieri dicūt, vt corpora non pura quò magis nutriueris, eò magis lædas, materiam nimirum corruptis humoribus suggerens: Sic prauis opinionibus prœoccupatā animā, quò plus docueris, eo magis lædes, maiores subinde male & perperam sentiendi occasiones suppeditās.

De illis qui pietatem ac fidem præuaricantur, & in Deum sunt impij. Sermo 2.

Exod. 32.

VIdēs populus, quod tardauit Moyses descēdere de mōte, cōgregatus est ad Aaronem, & dixit; Surge, & fac nobis Deos, qui præcedant nos. Nā Moyses hic homo, qui eduxit nos de terra Ægypti, non scimus quid factū est illi. Et dicit illis Aaron: Tollite inaures aureas, quæ sunt in auribus mulierū vestrarū & filiarū vestrarū, & afferte ad me. Et abstulerūt omnis populus inaures aureas, & attulerūt ad Aaron: & fecit eas vitulū cōflatilem. Et dixerūt: Isti Dij tui Israel, qui eduxerūt te de terra Ægypti.

Deut. 9.

Propter impietatem gentium harum, excindet eos Dominus ante faciem tuam. Non propter sanctimoniā cordis tui tu ingredieris vt possideas terram earum, sed propter iniquitatem gentium harum, Dominus excindet eos ante faciem tuam.

Iudic. 10.

Et dixit Dominus ad filios Israel: Vos reliquistis me & coluistis Deos alienos. Idcirco non addam, vt liberet vos. Ite & clamate ad Deos quos elegistis vobis, & ipsi liberent vos in tempore afflictionis.

Iob. 20.

Gaudium impiorum ruina indecens, lætitia autem iniquorum perditio. Si ascenderint in cœlum eius dona, & sacrificium eius nubes attigerit, & visus fuerit iam firmatus esse, tunc in vniuersum peribit: & qui cognouerant ipsum, dicent: Vbi est?

Facies impiorum ignominia implebuntur. Iob. 40.

Lumen impiorum extinguetur. Iob. 41.

Omnis vita impij curis transigitur: & cum visus fuerit iam in pace agere, veniet ei subuersio. Iob. 15.

Spes impij perit. Iob. 17.

Impiorum lucerna extinguetur, superueniet autem illis subuersio, & erūt sicut paleæ vēto agitatæ. Iob. 21.

Oculi impiorum tabescent. Nam spes eorum perditio. Iob. 11.

Filj alieni mentiti sunt mihi. Filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis. Psal. 17.

Inimici Domini mox vt honorificati & exaltati fuerint, deficientes quemadmodū fumus deficiēt. Psal. 36.

Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani: Et transiui, & ecce non erat: & quæ- Ibidem.

siui

801

siui eum,& non est inuentus locus eius.
Psal.72. Qui elongant se à te,peribunt. Perdidisti omnem qui fornicatur abs te.
Prou.4. Viæ impiorum tenebrosæ, & non sciunt in quo offendunt.
Prou.11. Facilis & iucunda sit impiorum perditio.
Vitam impiorum subuertet Dominus.
Prou.10. Fructus impiorum perditio.
Prou.12. Opera iniusta facit impius.
Prou.2. Viæ impiorum de terra peribunt.
Prou.11. Persecutio impiorum ad mortem.
Prou.16. Impius seruatur in diem malum.
Prou.28. Fugit impius nemine persequente.
Animæ impij nemo miserebitur mortalium.
Prou.28. Cum venerit impius in profundum malorum, contemnit.
Viscera impiorum misereri nesciunt.
Prou.11. Maledictio Domini in domibus impiorũ. Anni
Osee. impiorum pauci erunt.
Væ eis, quoniam recessierunt à me. Miseri sunt,
Osee.7. quoniam impij fuerunt in me. Ego autem redemi eos,& ipsi locuti sunt contra me mendacia.
Abac.1. Infirmabuntur impij, & auferam impios à facie terræ,dicit Dominus.
Esa. Audi cœlum & terra, auribus percipe verba oris mei,quoniã Dominus locutus est: Filios genui,&c.
Non ego repudiaui illos, sed ipsi me repudiauerunt. Idcirco dereliqui domum meam.
Mãdabo sup terrã mala,& impiis peccata ipsorũ.
Tollatur impius,ne videat gloriam Domini.
Non est pax impiis,dicit Dominus.
Esa.57. Quod inuenerunt patres vestri in me delictum,
Ierem.2. quod recesserunt procul à me,& ambulauerũt post vanitates,& vani facti sunt?
Vos derelinquentes me & obliti montis sancti
Esa.65. mei,& parantes fortunæ mensam,& implentes dæmoni potionem. Ego tradam vos in gladium: omnes in cede cadetis quia vocaui vos,& non audistis: locutus sum, & contempsistis, & fecistis malum in conspectu meo,& quæ non volebam,elegistis.
Obstupuit cœlum super hoc, & inhorruit supra
Ierem.2. modum vehemẽter,dicit Dominus: quia duo mala fecit populus meus. Me dereliquerũt fontem aquæ viuentis, & foderunt sibi lacus contritos, qui non potuerunt aquam continere.
Castigabit te defectio tua, & malitia tua arguet
Ibidem. te: & scito & vide,quia amarum tibi relinquere te, me,dicit Dominus.
Dixit Dominus ad me: Ne oraueris pro populo
Ierem.7. isto, nec preceris vt ipsi misericordiam consequantur,quoniam non exaudiam te. An non vides quid ipsi faciunt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ierusalem? Filij colligunt ligna, & patres eorum succendunt ignem,& mulieres ipsorum subigunt similaginem, vt faciant placentas Militiæ cœli, & libent libamina aliena, vt ad iracũdiam prouocarent me. Nunquid me ipsi ad iracundiam prouocant, dicit Dominus? nonne semetipsos, vt confundantur facies eorum? Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ira furoris mei effunditur super locum istum,& super homines,& super iumenta,& super omne lignũ agri ipsorum, & super omnes fruges terræ, & succendetur,& non erit qui extinguat.
Ezech.8. Fili hominis,vidisti quid isti faciũt,iniquitates magnas quas domus Israel facit hic,vt abstineat à sanctuario meo: & adhuc videbis iniquitates maiores.
Hæc dicit Adonai Dominus: Eò quod mei oblitus es,& abiecisti me post te,etiam tu accipe impietatem tuam & malitiam tuam. Sap.14.
Ex æquo Deo inuisa & exosa sunt, tam impius quàm impietas eius. Nam & opus, cum eo qui fecit illud,excindetur.
Spes impij, qualis à vento sublata lanugo est. Sap.5.
Impios sęua indignatio vsque ad extremum persecuta est. Sap.19.
Qui te nouisse negauerunt impij,in fortitudine brachij tui flagellati sunt. Sap.16.
Vindicta impij,ignis & vermis. Eccli.7.
Væ vobis viri impij, qui deseruistis legem Dei: Eccli.14.
licet enim multiplicemini, peribitis: & si nascimini,in maledictionem id fiet: & si obieritis in maledictionem diuisi eritis.
Luctus mortui septem dies, stulti autem & im- Eccli.22.
pij omnes dies vitæ illius.
Oblationes impiorum reprobat altissimus. Eccli.34.
Quicunq; negauerit me corã hominibus, nega- Matth.10.
bo & ego illum coram patre meo qui in cœlis est.
Fieri non potest, vt qui semel fuerint illuminati, Hebr.6.
gustauerintq; donũ cœleste,& participes facti fuerint spiritus sancti,gustauerintq; bonũ Dei verbũ ac virtutes futuri sæculi,si prolabãtur, denuo renouẽtur per pœnitentiã, ab integro crucifigẽtes sibimetipsis filiũ Dei, & ludibrio exponẽtes. Siquidẽ terra quæ imbrem sæpius in se veniẽtẽ cõbiberit,& progenuerit herbã accommodam eis,quorũ opera colitur,recipit benedictionem à Deo. At quæ produxerit spinas & tribulos,reproba est,& maledictioni confinis,cuius exitus huc tendit,vt exuratur.
Impietas proprie dicitur, quod in Deum com- Basilij ex Homil.in
missum est peccatum.
Fieri non potest, vt à iusta via exorbitent, quo- Esa.1.
rum animi Dei obliuione non laborauerint.
Nullus eorum, qui falsas & prauas de Deo opiniones cõceperunt, suas in Psalmodiis laudes Deo acceptas fore existimet.
Dei ignorantia,animæ mors est.
Si nanque Deus medius assumptus vel interpo- Theolog.
situs ea, quæ hominibus sibi mutuo intercedunt, conuenta confirmat: q̃ periculosum erit,si ea transgressi fuisse deprehendemur quæ cum ipso nobis inita sunt, [redacted].
Qui diuersum q̃ nos sentiũt,eos assumamus,quidem,& curemus quoad potest fieri: eos vero qui incurabiles sunt,ceu veritatis luẽ auersemur, ne prius ipsorum contagio ipsi inficiamur, quàm nostræ illi sanitatis per nos participes fiant.
Malorum inuẽtrix est impietas, & ad aggrediendum longe audacissima.
Primam Deo pœnam debet homo,quod à crea- Gregorij Nysseni.
tore suo desciuit,& ad aduersariũ eiusdem transfugit, fugitiuus & desertor Domini naturalis factus: alterã vero,quod miserã & infelicẽ peccati seruitutẽ pro libero sui iuris arbitrio ceu permutans accepit: præstabilius nimirum esse ducẽs pernicioſæ & exitialis potentiæ tyrannidem pati, q̃ Deo seruire.
Atqui terrenus aliquis rex esse creditur,licet non Theophil.
omniũ oculis conspicuus sit. Per leges enim ipsius,

ſtatuta denique, poteſtatem & virtutem atque imagines percipitur. Tu vero Deum ex ſuis operibus & virtutibus intelligere non vis. A

Serapionis Nunquam aliqua hæreſis Eccleſiam ſuperauit, ſed furit quidem ſemper, aliquouſque autem progreſſa ſtatim diſſoluitur.

Quemadmodum oculus perturbatus, ſic etiam anima opinionibus, quæ naturam excedunt turbata, veritatis lucem videre non poteſt.

De dilectione & timore Dei. Sermo 3.

Gene.22. VOcauit Angelus Domini Abrahamum cœlitus, & dixit: Abrahã Abraham. Ille vero ait: B Ecce ego. Et dixit: Ne inferas manum tuã puero, nec feceris illi quicquã. Nunc enim cognoui, quod tu timeas Deum, & non pepercisti filio tuo dilecto propterme.

Deut.7. Deus cuſtodiens pactum & miſericordiam ſuam diligentibus eum, & cuſtodientibus mandata eius, in mille generationes.

Deut.10. Et nunc Iſrael, quidnam Dominus Deus tuus petit à te, q̃ vt timeas eum, & incedas in omnibus viis eius, diligas ipſum & ſeruias Domino Deo tuo.

Deut. 6. Diliges Dominum Deum tuum, ex tota mente tua, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis.

Pſal.5. Gloriabuntur in te, qui nomen tuum diligunt.

Pſal.24. Firmamentum vel robur eſt Dominus, eorum qui timent ipſum: & teſtamentum ſuum manifeſtabit illis.

Pſal.33. Angelus Domini in circuitu eorum, qui timent ipſum, caſtrametatur, & liberabit eos.

Pſal.110. Initium ſapientiæ timor Domini.

Pſal.111. Beatus vir, qui timet Dominum, præceptis eius multũ delectabitur. Potens in terra erit ſemen eius.

Pſal.144. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſeruabit eos.

Ibidem. Cuſtodit Dominus omnes qui diligunt ipſum, & omnes peccatores diſperdet.

Prou 2. Dominus dat ſapientiam, & viam eorum qui re- D uerentur eum, cuſtodiet.

Prouer.8. Timor Domini odit malitiam, & contumeliam, & ſuperbiam & vias malorum.

Prouer.14. Timor Domini fons eſt vitæ, & à laqueo mortis declinare facit.

Prou.15. Timor Domini ſapientia eſt & diſciplina.

Prou.24. Time Deum, ô fili, & regem, ac neutri ipſorum ſis inobediens.

Omnẽ ſermonis ſummã audi. Deũ time, & præcepta ipſius cuſtodi. Ipſius enim eſt omnis homo.

Malach. 4. Exoritur vobis, qui timetis nomen meum, Sol iuſtitiæ, & in alis ipſius ſalus.

Mich. Saluabit Dominus eos, qui timẽt nomen ipſius. E

Abach.2. Dominus in templo ſancto ſuo, reuereatur à facie eius omnis terra.

Eſa.8. Dominũ ipsũ ſanctificate, & ipſe erit timor tuus.

Eſa.26. Propter timorẽ tuũ Domine in vtero cõcepimus.

Ierem.32. Erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, & dabo eis cor aliud, & viam aliam, vt timeant me omnibus diebus, in bonum tam ipſis quàm filiis ipſorum poſt illos.

Eccli.1. Initium ſapientiæ, timere Dominum.

Ibidem. Corona ſapientiæ timor Domini, germinans pacem & ſanitatem ſalutis.

Plenitudo ſapientiæ timere Dominũ, & inebriat eos fructibus ſuis. Ibidem.

Qui timetis Dominum, ſperate in bona, & in lætitiam ſempiternam ac miſericordiam. Eccli.2.

Nihil eſt melius timore Domini, & nihil dulcius quàm attendere præceptis ipſius. Eccli.23.

Dilectio Dei, glorioſa eſt ſapientia, & largietur eam diligentibus ipſum. Eccli.1.

Dilige Dominum, & inuoca illum in ſalutem tuam. Eccli.13.

Qui me diligit, diligetur à Patre meo, & ego diligam ipſum, & aperiam ei meipſum. Ioan.14.

Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud illum faciemus. Ibidem.

Ne metuatis vobis, ab iis, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Matth.10.

Iis, qui diligunt Deum, omnia ſimul adiumento ſunt in bonum. Rom.8.

Qui Deum diligit, hic cognitus eſt ab illo. 1.Cor.8.

Deus eſt charitas, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus manet in eo. 1.Ioan.4.

Timor Domini, animæ purificatio eſt iuxta prophetæ orationem, qui dicit: [*Confige timore tuo carnes meas.*] Timor Domini quæuis animæ vitia & defectus ſuperat. Baſilij.

C Neceſſarium debitum, amor Dei, à nobis poſtulatur. Hoc enim ſi careat anima, malum ſuſtinet præ omnibus aliis cum primis intolerabile.

Quicunque amorem erga Deum ſeruant, hiis ipſe quoque, ſui communionem largitur: Dei autem communio, vita & lux eſt, & eorum quæ ab ipſo proficiſcuntur, bonorum fruitio.

[redacted]

Timor Domini ſapientiæ initium & ceu prima fœtus illius* faſcia eſt. Et ſapientia vbi timore deuicto ad dilectionem progreſſa eſt, nos Dei amicos & filios pro ſeruis efficit. Theologi. ot.de Athanaſ. *γαστρός. Incunabulum. Idem ora. 39. in ſancta lumina.

Nequaquam nos à numinis contemplatione exorſos, in timorẽ deſinere oportet. Iſtiuſmodi enim contemplatio effrenis, forſitan præcipites quoque nos impelleret. Sed vbi à timore initio facto primis rudimentis inſtructi & purgati, imò (vt ita dicam) attenuati fuerimus, in ſublime nos attolli cõuenit.

Charitas perfectionis vinculum eſt. Chryſoſtomi.

Oĩs virtutis opifex vel architectrix eſt charitas.

De illis qui Deum nec timent, nec diligunt. Sermo 4.

DIxit Pharao ad Moyſem? Quis eſt, cuius vocẽ ipſe audiam, vt dimittã filios Iſrael? Non noui Dominum, & Iſrael non dimittam. Exod.5.

Non eſt Deus coram ipſo, Viæ ipſius inquinatæ ſunt omni tempore. Pſal.9.

Non eſt timor Dei coram oculis ipſius.

Inimici Domini mox vt honorificati & exaltati fuerint, deficiẽtes quemadmodũ fumus defecerũt. Pſal.36.

Timor Domini vitã operatur homini. Nõ timẽs vero, habitabit in locis vbi nõ cõſideratur cognitio. Prou.19.

Filius patris ſui, & ſeruus Domini honorem prouehit. Si pater ſum ego, vbi eſt gloria mea? Et ſi Dominus ſum ego, vbi eſt timor meus? dicit Dominus omnipotens. Malach.1.

Nunquid

Nunquid me non timebitis? dicit Dominus, aut à facie mea non formidabitis, qui arenã terminum mari constitui, præceptum sempiternum & quod non trãsgredietur? Turbabitur quidem, sed nõ poterit, Sonabunt fluctus eius, sed non transgredientur illud. At populo huic factum est cor inobediens & incredulum vel intractabile. Declinauerunt & abierunt, & non dixerunt in corde suo: Timeamus quæso Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluuiam matutinam & serotinam, secundum tempus plenitudinis præcepti messis, &c.

Quod peccare solemus nos, propter timoris Dei absentiam contingit.

Quantum à vita discessit Adam, in tãtum morti appropinquauit. Vita enim Deus est; vitæ vero priuatio Mors, adeò vt Adam ea defectione qua desciuit à Deo, sibi ipsi mortem comparauerit.

De spe in Deum, & quod spes in Deum, non in humana præsidia, collocari debeat. Sermo 5.

REspicite ad volatilia cœli, quia nec serunt neque metunt, neque conuehunt in horrea, & pater meus cœlestis alit illa.

Spe seruati sumus. Porrò spes si videatur, non est spes. Quod enim quis cernit, cur idem speret? Si vero quod non videmus, speramus, id per patientiam expectamus.

Teneamus confessionem spei, non vacillantem. Fidelis enim vel verax est, qui promisit.

Et dixit Dauid ad alienigenum vel Philistæum: Tu venis ad me in gladio, & in hasta & in clypeo. Ego autẽ venio ad te in nomine Domini exercituũ.

Qui Domino confidit, saluabitur.

Sperantem in Dominũ circũdabit misericordia.

Spera in Domino, & fac bonitatem.

Reuela ad Dominum viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.

Beatus vir, cuius spes est nomen Domini, & non respexit in vanitates & insanias falsas.

Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus.

Qui confidunt Domino, vt mons Sion.

Qui Domino confidit, sua ipsius sanctimonia iustus est.

Confide Domino in toto corde tuo.

Qui Domino confidunt, intelligent veritatem, & fideles in dilectione adhærebunt illi.

Ecce Deus meus, saluator meus Dominus, confidam illi & saluabor per ipsum.

Benedictus homo, qui confidit in Domino, & erit Dominus spes eius: & erit quasi lignum rectum vel abundans iuxta aquas.

Inspicite in antiquas generationes & scitote: Quis sperauit in Dominum, & confusus est? aut quis permansit in timore ipsius, & neglexit eum?

Persuadeamus hoc nobis ipsis fratres, vt in tempore tentationis non ad humanas spes recurramus & nobis ipsis venemur auxilia, quin potius in lachrymis & gemitibus, & laboriosa ac indefessa oratione & vigiliis assiduis Deũ deprecemur. Sic enim auxilium ex afflictione percipit, qui humanum auxilium, vt vanum & inane contemnit.

Laudo eum qui spes vigilantia somnia esse dixit.

Voluptatem quidem cura, tristitiam vero spes melior reprimat. Theologi.

Maximum infortunatis subsidium est, vicissitudinis spes, & melior status ob oculos positus. Orat. de pace.

[*Periere multi iam propinqui littori:* Tetrast. 2.
Vado appulere turbine acti plurimi.]

Impossibile est, vt à fine aut scopo suo aberret, qui tota mente in Deum sperat, & omnia sua pro virili agit. Chrysostomi.

Cum nulla vsquam humani auxilij spes nobis affulget, ne desperemus, nec despondeamus animũ: sed fidei anchorã arripiamus, & * instrumentum spei iaciamus, non quidem in mare, sed in cœlum, & tempestatum procellis agitata nauis ab omni periculo liberabitur. * ὃ ἐρμαῦν.

Afflictio, flos est bonorũ quæ expectantur. Propter fructum ergo flos quoque nobis carpẽdus est. Greg. Nyssen.

Nihil perinde animam nutrit & vegetat, atque spes læta & bonorum expectatio.

Spes præuia quædam mentis est affectio, gaudium ante gaudium, vt quæ bonorũ sit expectatio. Philonis.

Spem Deus humano insecuit generi, vt congenitum sibi solatiũ habentes, doloribus leuarentur, [redacted].

Malum insperatum omnino perturbat cum ingruit: quod vero expectabatur, compositam & præparatam ad periculum mentem inueniens, calamitatem leuiorem reddit. Nili.

Bonum speratum si secus & in contrariũ cadens nos fallat, affectũ vix vllo mitigandũ solatio gignit. Procopij, Sophistæ.

Periculorum spes tutum à periculis ea sperãtem efficit, eò quòd propter malorum expectationem res suas præmuniuerit. Dionis.

Nec mulier absque viro, nec spes absque labore quicquam parit vtile. Socratis.

Quæ enim iucunda sunt, licet nondum adsint præsentia, spe tamen delectant. Leucippes.

De iis qui diuitiis & hominibus fidunt, nec in Deo spem & fiduciam omnem sitam habent. Sermo 6.

ET dixit Ananias Propheta ad Asam regẽ Iuda: Quoniam confisus es tu in rege Syriæ, & non confisus es in Domino Deo tuo, propter hoc saluatus est exercitus Syriæ de manu tua. 2. Par. 16.

Ignominiam sibi contrahent, qui in ciuitatibus confidunt & diuitiis. Iob.

Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur. Psal. 48.

Videbunt iusti & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent: Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & confortatus est in vanitate sua. Psal. 51.

Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, quibus non est salus. Psal. 145.

Qui confidit in diuitiis suis, hic corruet. Prou. 11.

Dixit Ephraim: Ditues effectus sum, inueni requiẽ mihi. Omnes labores eius non inueniẽtur ei. Osee. 12.

Disperierũt oẽs, qui cõfisi aut suffulti sunt argẽto. Soph. 1.

Puniuisti cum potẽtia tua principes peccatorum: Abach. Abd.
eos inquam qui confidunt in contumacia sua.

Væ dicẽti in corde suo, quis me detrahet in terrã?

Fortitudo vestra vana facta est, & non voluistis audire, sed dixistis, Super equos fugiemus. Esa. 30.

Cui confisus es quia mihi es inobediens? Ecce

confidis virgæ arundineæ, confractæ huic.

Esa.31. Væ descendentibus in Ægyptum, qui equis confidũt & curribus. Quia Dominus inducet manum suam super eos, & laborabũt auxiliantes, & qui auxilio adiuti sunt cõcident, & simul omnes peribũt.

Iere.17. Maledictus homo, qui spem habet in homine, & confirmabit carnem brachij sui super ipsum, & à Domino recessit cor eius.

Eccli.5. Ne sequaris animam tuam & fortitudinẽ tuam, nec dixeris; Quis me suo subiiciet imperio? Nam Dominus vindicans vindicabit.

Ibidem. Ne læteris in opibus tuis, & ne dixeris, Sufficit mihi, &c.

Basilij. Regul. fus. 42. Qui in seipsum sperat, periculis obnoxius est & B execrationi quæ dicit: Maledictus homo qui spem reponit in homine, & carnem brachij sui fulciet, & à Domino cor suum amouebit. Qui sermo his verbis,

Ierem.17. Qui spem reponit in homine & carnem brachij sui fulciet, fiduciam in sese collocare prohibet: vtrunque autem eorum defectionem à Domino nominat. Nam erit tanquam myrtus syluestris in deserto, & non videbit bona.

Nili. Qui super quatuor ingreditur, impurus est. Ingreditur autem super quatuor, qui manibus innititur, & omnem in iis habet fiduciam.

ANNOTAT. IN SERMON. 6.

Basil. qui in seipsum] *Et mutilata proferuntur hæc ab Antonio & mutata excerpta sunt ex regulis fusius disputatis 42. vbi priora quæ sic habent apud Antonium* κινδυνοις ἔχει ὑποπεσεῖν καὶ τῇ καταρᾳ *sic apud Basilium reperio* κίνδυνον ἔχῃ ὑποπεσεῖν τῇ καταράᾳ, *periculũ adit ne incidat in execrationẽ. Itẽ & à Domino cor amouebit] Anton.* καὶ ἀπὸ κυρίου ἀποστελεῖ καρδίας αὐτοῦ. *Basil.* καὶ ἀπὸ κυρίου ἀποστῇ ἡ ψυχὴ αὐτοῦ *& à Domino anima eius recesserit. Quæ vero sequuntur apud Antonium altero membro imminuta sic inde exscribe. Qui sermo his verbis, Qui confidit in homine, illud vetat ne in altero spem ponamus, his autem, Et fulciet carnẽ brachij sui, fiduciam in sese collocare prohibet: Vtrumque autẽ eorum defectionem à Domino nominat. Postremò non video cur Conradus G. illa* καὶ ἔσται ὡς ἀγριομυρίκη, *vertat &* D *erit tanquam myrtus syluestris, nisi forte* μυρσίνῳ *idem putauit esse ac* μυρίκῃ. *Vulgata editio apud Hierem. vertit Myricen, & certè differt à myrto myrica, quam & tamaricẽ vocant, vt docet Plinius l.13.c.21. qui & bryã quandam syluestrem profert, quam dicere possis* ἀγριομυρσίκῃ. *Myrtus autem syluestris quæ sit non memini me legisse. Verto ergo. Et erit tanquam myrica syluestris.*

De Virtute. Sermo 7.

Matt.7. Rom.12. Salomon. Sirach. ARcta est via, quæ deducit ad vitam.

Ne vincaris à malo, sed vince in bono malum.

Ne te seducant impij, nec in viam ipsorum abeas.

Ne feceris quæ mala sunt, & mala te non apprehendent. E

Basilij. Diuitiis nobilior virtus.

Sola possessionum virtus auferri nequit.

Ep.42.ad Mar. * ἐπιτυχάνουσιν. occurrentibus. Virtutis exercitium, tum possidenti pretiosum est peculium, tum * incidẽtibus aliis iucũdissimum spectaculum.

Hom.19. in Gordium. Vt ignem vltro lucis splendor, & vnguentum suauis odor sequitur: ita bona opera, vtilitas necessario comitari consueuit.

Exhort. ad Bapt. Hoc est virtus, declinatio videlicet mali, & operatio boni.

Principiũ ad recuperationem bonorũ, est à malis A recessus. Declina enim inquit à malo, & fac bonũ.

Rara & acquisitu difficilis est virtutis possessio, etiamsi multa ad hanc prouocent & inuitent.

Theolog. or.1.Apolog. or.21. in Athanas. or.31 in presenti. Epi. Virtutem laudando Deum laudabo, à quo virtus hominibus data est.

Virtus mercenaria non est, vt virtus esse pergat, solam honestatem respiciens.

Celebres non modo præclarum & honestum aliquod factum reddit, sed & malitia exuperans improbam sibi famam contrahit.

Virtutis natura est, vt reuerentia & authoritate sua vel infensissimos moueat & terreat.

Chrysost. mi. Fieri nequit, quin qui virtutis studiosus est, quàm plures hostes sentiat. Sed nihil hoc virtuti deditum mouet: sic enim longe clarior euadet.

Multi sæpe cum virtutem propter labores fugiant, propter gloriosam quæ ex virtutibus prouenit famam laborare volunt.

Deo, non quod necessitate fit, gratũ est, sed quod virtutis studio recte geritur. Virtus autem in voluntaria electione, non necessitate, consistit.

Virtutem non locus, sed locum virtus illustrare potest.

Vitij cursus inhibitus, principium est eius, qui ad virtutem fit, motus.

Virtus dominium non expectat, sed voluntaria C est, & ab omni necessitate libera.

Quemadmodum vitæ finis mortis initium est: sic si cursus virtutis sistatur, initium fit eius, qui ad vitia tendit, cursus.

Mali abalienatio, familiaritatis cum bono occasionem & ansam præbet.

Ex malis euadere, est intra bona consistere.

Virtutem infinitis sudoribus & laboribus vix acquiri, studio ac fatigatione vix recte administrari posse, ex sacris literis didicimus.

Philonis. Improbitatis exitus, virtutis introitum efficit: quemadmodum & vice versa, si virtus vel bonum recesserit, malo accessus patet.

Solæ virtutes hominum negotia gubernare nouerunt.

Virtutis contemplatio longe pulcherrima est, eiusdem vero vsus & actio digna sunt de quibus summo contendatur studio.

Nili. Gaude cum virtutis opus edis, sed ne extollaris, ne fortè naufragium in portu facias.

Cyrilli. Virtutem non oportet claudicare à parte altera, sed tam dictis quàm factis rectam & integram vtrinque esse.

Virtutes illico assequi impossibile est. Quomodo enim quàm minimis laboribus res longe maximas aliquis assequi queat?

Aspera virtus est, & accliuis ad ipsam via, nec eam quis absque longo labore sibi comparauerit.

Sinesij. Virtutis merces laus est.

Malis hominibus, licet boni aliquid polliceantur, propter mores tamen fides non habetur.

Plutarchi. Statuã quidẽ figura, virum vero ipsa actio ornat.

Isocratis. Ita viuere instituas, vt neque à potẽtioribus contemnaris, neque inferioribus metuendus sis.

Bene tibi futura euenient, si præsentia bene dispoſueris.

Virtutis potius imagines tibi velis monumenta relinquere, quàm corporis.

Tantum

Demonax. Tantum ad virtutem adiicies, quantum voluptatibus ademeris.

Turpe est in aliis probare virtutes, intra se autem habere vitia.

Tarde aggredere agenda, aggressus autem constanter age.

Biantis. Tempus non delet reliquias bonorum virorum: sed virtus etiam in mortuis refulget.

Euripidis. Multi diuites sunt mali, boni autem pauperes:

Theognid. Sed nos cum illis non permutabimus

Virtute diuitias: nam illa semper stabilis est:

Pecunias autem hominum aliâs alius habet.

Dei quidem est agere quæ vult: hominis autem ea quæ conuenit, animo præsumere.

Aristot. Procopij mbatu. Boni, indecorum aliquid facientes, peccare volentibus exemplum fiunt.

Viri virtutes, non principio, sed fine actionum iudicantur.

Maxime bonum peculium est, cuiusque propria virtus.

Neque conuiuium sine concordia, neque diuitiæ sine virtute delectant.

Donum aliud virtute maius, diuinitùs dari non potest.

Vnica virtus est semper fugere indecorum & absurdum.

Deum optime coles, cum mentem Deo similem effeceris per virtutem. Sola enim virtus animũ ad id quod ei cognatum est, trahit.

Malim virtutis testimonium, quàm abundantiã opum mihi exhiberi. Illud enim bonæ mentis, hoc autem fortunæ affluentis encomium videbitur.

ANNOT. IN SER. 7.

Hæc sententia in Græco exemplari non recte adscribitur Theognidi, at neque altera quæ reperitur apud Plutarchum in Solone eique tribuitur carmine ita reddita Latino.

Dives enim plerumque malus, sed iustus egenus,
At virtutis opes non nisi iustus habet.
Quas non muto malis, quarum est possessio firma:
Esse potest locuples improbus atque probus.

Sententia porro illa (aspera virtus est) alludit ad illud Hesiodium καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν. Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον *& ardua via ad ipsam & aspera. Quo loco confirmari potest correctio Gesneri qui non* βραχεῖα *legit sed* τραχεῖα.

De sapientia, & intellectu, & prudentia,

Sermo. 8.

Matt.10. ESTOTE prudentes instar serpentium, & simplices vt columbæ.

1.Cor.14. Non mente, sed malitia infantes esse debetis: animis autem perfecti estote.

Prou.3. Beatus homo qui inuenit sapientiam, & mortalis qui vidit prudentiam: præstat enim ipsam acquirere, quã auri & argẽti thesauros: pretiosior est magni pretij gemmis: facile agnoscitur omnibus adeũtibus eam: nihil autem tã pretiosum est quod ipsius pretium adæquet. Diuturnitas enim & anni vitæ, in dextera eius: in leua autem, opes & gloria. Ex ore eius iustitia progreditur: legem & misericordiam in lingua fert. Viæ eius, viæ sunt pulchræ, & omnes semitæ ipsius in pace.

Prou.25. Vir prudens directus ingreditur.

Prou.4. Acquire sapientiam, & intellectum tibi compara, ne obliuiscaris, vt capiti tuo coronam det gratiarum.

Cum sapientibus consulta, & cum prudentibus sit colloquium tuum. Eccl.9.

Sapientia est scientia de diuinis & humanis rebus earúmque causis. Basilij.

Duplex est prudentiæ nomen: altera enim est proprij commodi custodia, vt serpentis caput suum custodiẽtis; altera vero videtur esse malignitas morum, acutè quod sibi vtile est deprehendens, & simpliciores * secum abripiens, qualis erat illa * dispensatoris iniustitiæ. Vera autẽ prudentia discretio est rerum, quæ faciendæ sunt, & non faciendæ, quã qui sequitur, nũquam interitu malitiæ afficietur, intelligit prudentiæ rationes, nouit quinam sint astuti, qui contrà circa vitam actiui, & optima nobis cõsulentes. Et ceu probus nummularius, quod bonũ est retinebit, ab omni autem mala specie abstinebit. Basilius Homil.12. in princip. prouerbiorum. * συναρπάσασα, * Spolians Villici iniquitatis. Lucæ.16.

Nam qui serpentis prudentiam circa malum, columbinæ simplicitati circa bonum commiscuerit, is neque ex prudentia malignitatem, neque ex simplicitate stultitiam fieri permittet. Theologi. ora. funebri patris. 19.

Auarus olim quispiam hoc dixit, Bona
Mihi gutta sortis est prior mentis cado,
Nam sorte vacuæ mentis infœlix status.
Ad quem hoc reiecit quispiam prudentium
Mihi gutta mentis est prior sortis mari. Idem in Iamb.

Prudentia virtutum aliarum initium est: alij legunt non ἀρχὴ *sed* ἄρχει, *id est aliis virtutibus præest.* Philonis.

Solus sapiens liber est ac princeps, etsi innumeros corporis dominos habuerit.

Prudentia vt plurimum bonam fortunam donat: fortuna vero prudentiam non facit. Plutarchi.

Omnia quidem vitæ negotia curabis, in primis autem prudentiam eius exercebis. Quippe maxima res inclusa minimæ, bona mens est in humano corpore.

Prudentiam Solon aiebat tantum cæteris virtutibus antestare, quantum visus reliquos sensus excellit. Solon.

Neque sine freno equis, neque diuitiæ sine prudentia gubernari possunt. Pythagoræ

Locorum mutationes neque prudentiam docent, nec imprudentiam adimunt. Biantis.

Non enim quadrati, Aut amplis lateribus viri tutissimi sunt. Sophoclis in Aiace.

Sed qui recte sapiunt, vbique vincunt.

Et bos cui magna sunt latera, vel paruo ictus flagello, rectus per viam ingreditur.

Æqualia mihi videtur, & recte sapere, & probe dicenti parere. Herodoti.

ANNOT. IN SERM. 8.

Basil. duplex est] *locus est ex homil. in Princip. Prou. ita restituendus.*

Proprij cõmodi custodia] *adde ex Basil.* μετὰ τὴς τῦ πλησίον ὑπιβάλλης, *custodia cum proximi iniuria & insidiis.*

Quam qui sequitur] *adde ex Basil. nunquam ab officio virtutéque discedet, neque vnquam interitu &c.*

Circa vitam actiui] *Gesneri, ex coniectura legit* πραχτικοὶ *cùm recepisset* πραχταῖοι *apud Antonium mendose, sic habet locus apud Basil.* τινες δὲ οἱ περὶ τῦς καὶ τὸν βίον πραχτέων τὰ βέλτιστα ἡμῖν ὑπὸ πρέσβεων, *id est qui contrà in iis quæ ad vitæ negotia gerenda pertinent optimè consulunt. Neque enim* τῆς πραχτικῆς *recte apponas* τοῖς ἀπόδηλοις, *sed* τῆς εὐβάλλης.

De imprudente, ſtolido, imperito, & ſtulto. Sermo 9.

Matth.7. OMnis audiens verba mea, & non faciens, ſimilis erit viro ſtulto, &c.

1.Cor.14. Non mente, ſd malitia, infantes debetis eſſe: mente autem perfecti eſto te.

Salomonis Eccle.10. Cor imprudentis, dolorem domino ſuo parit.

Labia imprudentis ſubmergent ipſum: initium ſermonum oris eius, imprudẽtia: & exitus oris eius, error malus.

Prou.16. Vir imprudẽs ſibi mala fodit, & in labiis ſuis colligit ignem.

Sirach.22. Cum imprudẽte ne multum colloquaris, & hominem intellectu vacuum non adeas.

Mente vacuo ſapientia nihil conducit, magis enim regitur ille imprudentia.

Ibidem. Luge mortuum, vt cui lumen ademptum ſit: & ſtultum defle, priuatus eſt enim intellectu.

Ibidem. Arenam, & ſalem, & glebam ferream ſuſtinere, facilius, quàm hominem imprudentem.

Sirach.8. Ne teipſum homini ſtulto ſubicceris.

Cum ſtulto conſilium non ineas.

Theologi. Teſtam conglutinat, qui ſtultum docet.

Plutarchi. Deformitatẽ exiſtima mores malos.

Tretraſ.21. Cæcum ducem accipere, & conſultorem imperitum, nihil differunt.

Non tam pupilli, quàm viri ſtulti tuorum præſentia indigent.

Crates. Crates terebris cõparabat ſtultos homines: quod niſi vinculis & neceſſitate coacti officium ſuum nõ faciant.

Sexti. Neque vox in piſcibus, neque virtus in hominibus imperitis quærenda.

De conſilio, & quòd omnia conſultò conſideratéque agenda ſint. Sermo 10.

Prou.11. & 24. MVlto conſilio ſalus ineſt.

Omnia fac conſultò. Cum conſilio vinum bibe.

Omnis callidus agit cum cognitione.

Conſilium ſanctorum, intellectus eſt.

Eccl. 32. Sine conſilio nihil feceris: & inter faciendum non pœnitebit te.

Diu multúmque delibera, priuſquam aliquid dicas aut facias. Non enim liberum erit tibi vt reuocentur ea, quæ ſemel dicta aut facta fuerint.

Eccl. Ibidẽ. 40. Cum ſapientibus conſulta. Conſilium enim ſapientis fons eſt vitæ.

Aurum & argentum ſtatum alicuius conſtabilierint: ſed vtriuſque gloriam ſuperabit prudentia.

Theologi. Actionem omnem, conſilium conſtãs præcedat.

Chryſoſtomi. Melioreſt conſulta tarditas celeritate temeraria.

Conſilium vitæ lucerna vbique præeat.

In ſingulis rebus quid eas antecedat, quid ſequatur, animaduerte: & ſic eas aggredere.

Si millies ſapientes ſimus, & ea quæ fieri oportet conſpectemus, homines tamen ſumus, & conſultore indigemus. Solus enim deus citra indigentiã eſt, ſolúſque conſultore nõ eget: quamobrem & de ſolo ipſo dicitur: Quis enim cognouit mentem domini, aut quis cõſiliarius ei fuit? Homines vero, etſi millies ſimus ſapientes, millies redarguimur, & naturæ noſtræ imbecillitas ſe prodit. Nõ enim poſſunt, ait, omnia in hominibus eſſe: quippe non immortalis eſt filius hominis.

Quemadmodum iubar, fulgens à ſolis lumine caligo ſuperueniens occultat: ita ſæpenumero intellectum quoque noſtrum veluti in ipſo meridie ſplendentem, & luce ſua conſpicuum, ſtultitia vel amentia ſuperueniens obſcurat: & vir ſapiens quod facto opus eſt non diſpicit, alius autem multò inferior eo acutius rem deprehendit: atque hoc ita fit, ne vel ſapiens ſuperbiat, vel obſcurus & vilis homo miſerum ſe reputet.

Qui de ſuis rebus male ſtatuit, nunquam bene * conſulet de alienis. * Ἐνλαμπ. μι. Iſocratis.

Bonus conſultor, res omnium vtiliſſima & potentiſſima eſt. Nam ex opportuna oratione animi prudentiam ceu maximo ſigno coniicimus.

Exemplis alienis ſapere diſcito, & nulla mala te afficient. Demoneti. Diodori.

Conſilium prudens multas manus ſuperat.

Sapiens robuſto præſtat. Choricij.

Sine bono conſilio nihil efficit robur: prudentia vero quamuis robur nõ aſſumpſerit, multa multoties excogitat.

Prudens enim conſultatio manuum multitudinem vincit: imperitia vero cum hominũ turba deterior eſt.

Exitus rerum proſpicere oportet, ac ita demum eas aggredi. Chabriæ.

Plurium enim conſenſus res excogitatas confirmare ſolet.

De temerario & tardo conſilio, & quòd noxium ſit inconſideratò agere. Sermo 11.

QValis ciuitas eſt, cuius diruta ſunt mœnia: talis eſt vir qui non omnia cum conſilio agit. Salomonis

Quibus conſilium non eſt, cadunt tanquam folia.

Temeritate ſua capiuntur præuaricatores.

Iracundus præcipitanter ac temere agit.

Multi ſæpe ne viderentur indigere aliorum conſilio, relinquere potius voluerunt vtilitatem ex cõſilio capiendam quàm admonitione accepta errorem corrigere & ignorare quàm condiſcere maluerunt, neſcientes quòd diſcere nõ ſit vitioſum, ignorare vero culpandum. Non quidem diſcere, ſed cũ inſcitia pergere: non redargui, ſed errare, ſpem emẽdationis nullam habent. Licet enim vel apud exiguæ ac obſcuræ ſortis hominem opportuni quidpiam inuenire, quod multoties apud ſapientem & magnum aliquem inuentum non eſt. Chryſoſtomi.

Quæ abſque ratione fiunt, omnia ſunt turpia, quæ verò cum ratione omnia decora. Philonis.

Citra contemplationem ſcientificam nihil decorè fieri poteſt: Scientia enim à bono conſilio naſcitur: at inconſulta temeritas malorum omnium ſcaturigo eſt.

Meditatio ſera lucrum non habet, & in exitu rei inutilis eſt pœnitudo.

De fortitudine, & robore. Sermo 12.

INduite totam armaturã dei, vt poſſitis ſtare aduerſus aſſultus diaboli. Quoniam nõ eſt nobis lucta aduerſus ſanguinem & carnem, ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi dominos rectores tenebrarũ ſæculi huius, aduerſus ſpirituales Ad Epheſ. 6.

spirituales astutias in cœlestibus.

Quapropter assumite vniuersam armaturã Dei, vt possitis resistere in die mala, & omnibus peractis stare. State igitur, lumbis circuncinctis baltheo per veritatem, & induti thoracem iustitiæ, & calceati pedibus, vt parati sitis ad euangelium pacis, super omnia assumpto scuto fidei, quo possitis omnia iacula mali illius ignita extinguere: Galeámque salutaris accipite, & gladium spiritus qui est verbũ dei.

Equus paratus ad diem belli, auxilium autem à domino est.

Fortiori & ditiori te ne communices. Quid cõmunicabit olla ad cacabum? ipsa impinget, & ipsa conteretur.

Cuius gratia vitam diligis, propter id obire mortem ne dubites.

Vires sine mente, participes sui sepulchro tradunt.

Robur cum prudentia iuuat, sine ea vero damno afficit possidentes.

Fortior mihi videtur ille qui cupiditates, quàm qui hostes vicit. Etenim seipsum vincere difficillimum est.

Fortis est non solum qui superat hostes, sed etiã qui voluptatibus superior fuerit. Sed ô miseriam humanam! multi enim cum sæpe hostes & alios homines vicerint, mulieribus seruierunt. Quare modis omnibus muliebres vultus refugere oportet.

Multos quidem natura fortes genuit: experientia autem & exercitatio fortiores effecerunt.

~~Nullius est fortitudinis sine abscessu iustitiæ fera-~~
~~rum impetus iustitiæ cessante, fortia dicimus nihil gerere.~~

De iustitia. Sermo 13.

BEati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: ipse enim saturabuntur.

An nescitis quod cui exhibetis vos seruos ad obedientiam, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustitiam.

Iustitia exaltat gentem, imminuunt autem populos peccata.

Preciosa res est vir purus, ambulans in viis iustitiæ.

Via iustitiæ & misericordiæ, reperiet vitam & gloriam.

Qui fodit foueam proximo suo, incidet in eã.

Stateræ iustæ, & pondera iusta, & congius iustus erit vobis.

Discite iustitiam qui habitatis in terra.

Qui veram iustitiam non prius in animo repositam habet, sed aut pecuniis corruptus est, aut amicitiæ gratificatur, aut inimicitiam vlciscitur, aut potẽtia cõmouetur, rectum proferre iudiciũ nequit.

Iustitia est habitus secundum dignitatem suum cuique tribuens. Hoc autem consequi arduum est cum alij prudentiæ ingeniique defectu quid singulis æquale & congruum distribuant inuenire non possint: alij vero, quoniam affectibus humanis pr⁹ occupatum habent animum, iustitiam obliterent.

Deus in hoc mundo neque ab omnibus pœnã sumit, ne desperes resurrectionem, & animum de futuro iudicio despondeas tanquam omnibus hic in præsentia rationem reddentibus: neque omnes impune finit abire, ne rursus omnia citra prouidẽtiam euenire putes.

Iustitia nominatur, vniuersa animæ philosophia.

Iustitia est omnium præceptorum integra obseruatio.

Natura humana non potest ipsam iustitiam in anima pure cõspicere, cum in plærisque cogitationibus cæcutiat. Methodij

Iustitia, vt videtur, quadrata est, vndecunque æqualis ac sibi similis.

Iustum Dei iudicium nostris affectionibus accommodatur, & quales quidem res nostræ fuerint, quoque se habuerint modo, talem eodémque modo retributionem sortimur.

Non appellamus homicidas aut sanguinarios, illos qui iuxta leges diuinas occiderint homines dignos qui mortem paterentur, vt neque Samuelem & Eliam. Cyrilli.

Iniuriam diues inferat mihi, non pauper. Menandri

Facilius enim est ferre tyrãnidem præstantiorũ.

Contendens ad defendendum id quod iniustè fecisti, bis delinques. Clitarchi

Vir iustus est, non qui iniuriam non facit, sed qui cum facere possit, non vult. Philemonis

Si volueris iustas pronunciare sententias, nullum eorum qui litigant & causam dicunt, sed ipsum ius cognoscito. Epicteti.

Omnis locus, homini cum iustitia viuenti, tutus est.

De homine probo nihil suspicare malè. Iustum enim ingenium iniuriam facere, nescit.

Multi etenim iusta dicentes, iniusta faciunt: illorum vero qui iusta faciunt, nemo fuerit iniustus. Xenophontis.

~~Fortitudo nihil prodest absente iustitia: sine vllo~~ Agesilai.
~~iusti operis fuerint, fortitudo nihil opus habebunt.~~

De virginitate, & castitate, & temperantia, & nuptiis honestis. Sermo 14.

NOn omnes capiunt hoc verbum sed quibus datum est. Matth. 19

Sunt eunuchi, qui ab vtero matris ipsorum ita nati sunt, &c. Ibidem.

Intuitus mulierem ita vt concupiscat eam, iam adulterium cum ea commisit in corde suo. Mat. 5.

Quos igitur deus coniunxit, homo ne separet. Matt. 19.

Vnusquisque vestrûm vas suum possideat cum sanctificatione & honore, non cum affectu concupiscentiæ, quemadmodum cæteræ gentes. 1. Thess. 4

Non amplius ambulate quemadmodum & reliquæ gentes ambulant, in vanitate mentis ipsorũ. Ephes. 4.

Exhibete corpora vestra sacrificium viuum, sanctum, beneplacitum Deo. Rom. 12.

Glorificate Deum in membris vestris.

Glorificate Deum in corpore vestro, & in spiritu: quæ quidem Dei sunt.

Spiritu ambulate, & affectũ carnis ne impleatis. Galat. 5.

Caro enim desiderat contra spiritũ, spiritus autẽ contra carnem: hæc autẽ aduersantur sibi inuicem. 1. Cor. 7.

Bonum est homini, vxorem nõ attingere. Attamẽ propter stupra vitanda, suum quæque virũ habeat. Vxori vir debitam benevolentiam reddat: similiter autẽ & vxor viro. Vxor proprij corporis ius

non habet, sed maritus. Similiter & maritus proprij corporis ius non habet, sed vxor. Ne fraudetis vos inuicem, nisi si quid ex consensu pro tempore, vt vacetis ieiunio & precationi: & rursum in vnum conueniatis, ne tentet vos satanas propter intemperantiam vestram. Hoc autem dico iuxta indulgentiam, non iuxta præceptum. Nam velim omnes homines esse, & ipse sum. Sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius autem sic. Dico autem inconiugatis, & viduis, bonum eis est si manserint vt & ego: quod si se non continent, contrahant matrimonium. Nam satius est matrimonium contrahere, quàm vri. At coniugatis præcipio, non ego, imo Dominus: Vxor à viro ne separetur: quòd si separata fuerit, maneat innupta, aut marito reconcilietur, & maritus vxorē ne dimittat.

Ibidem. De virginibus autē præceptum Domini non habeo: consilium tamen do, tanquam misericordiam consecutus à Domino in hoc, vt sim fidelis. Arbitror igitur hoc bonum esse propter præsentem necessitatem. Nam bonum est homini sic esse. Alligatus es vxori? ne quære diuortium. Solutus es ab vxore? ne quæras vxorem.

Quod si duxeris vxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccauit. Attamen afflictionem in carne habituri sunt huiusmodi.

Ibidem. Qui cœlebs est, curat ea quæ sunt Domini, quo modo placiturus sit Domino. At qui duxit vxorem sollicitus est de his quæ sunt mundi, quomodo placiturus sit vxori.† Similiter & innupta curat ea quæ sunt Domini, quomodo placitura sit Domino. Cōtrà, quæ nupta est, curat ea quæ sunt mūdi, quomodo placitura sit viro.

† Hæc pauló aliter legūtur apud Apostolū. 1. Cor. 6.

An nescitis, quod corpora vestra membra sunt Christi? Num igitur tollens membra Christi, faciā scorti membra? Absit. An nescitis quod qui adglutinatur scorto, vnum corpus est? At qui adglutinatur Domino, vnus spiritus est.

S Ignatij, ex Epistola 11. ad Polycarpum. Si quis in castitate manere potest ad honorē carnis domini, sine iactantia pergat. Et si plurib. quàm episcopo id cōmunicauerit, periit ei castitatis vsus.

Decet autē vt sponsi futuri & sponsæ cū episcopi assensu matrimoniū contrahant, vt nuptiæ secundū Deum, non secundum turpem cupiditatem, fiant.

Cœlibat⁹ iugū nulli imponas: res est periculosa & custoditu difficilis quando per necessitatem facta fuerit.

Iunioribus nuptias concede, antequam meretriciis amoribus implicentur.

Ignatij, ex Epist. ad Philadelphien. Si quis corruptionē & coinquinationem, vocat legitimam commixtionem, & filiorum procreationem, aut aliquam escam execrabilem putat, huiusmodi habet cohabitatorem Draconem apostatam.

Sap. 3. Beata sterilis immaculata, quæ lectū nō cognouit cū peccato: fructū habebit in visitatione animarū.

Melior est virtuti coniuncta virginitas: immortalis enim erit eius memoria. Nam & apud Deum, & apud homines cognoscitur, & præsentem ipsam æmulantur, & absentem desiderant: Et in sæculo coronata magnifice incedit, vt quæ victrix purissimi certaminis præmium obtinuerit.

*ἡ ἀσκοφθαλμία. Sirach. * Qui despicit voluntates, coronat vitam suam.

† S. Basilij. Exhort. ad bapt. † Sanctificatio corporis, thymiama Domino.

Continentia in senectute, non continentia est, sed libidinis impotētia. Dum adhuc validus es, peccatū refrena, hoc. n. virtus est, nā si impotentia peccatum inhibeat, gratia imbecillitati habenda fuerit. Laudamus autem illos qui ex animi proposito boni sunt, non qui aliqua necessitate tales fiunt.

Mortuus non coronatur: nemo iustus est propter impotentiam ad malum.

Mentem igitur oportet, veluti gubernatorem quendam supra affectus & perturbationes considētem, & veluti nauigium corporis ingressum, & cogitationes ceu gubernacula dextrè moderantem, fluctus vndarum generosè conculcare: & altius eminentem, inq; loco perturbationibus inaccesso cōstitutam, nequaquam impleri amaritudine ipsarum, tanquam aspergine quadam salsuginis.

Theologi Iambic. Tetr. 20. Tetr. 1.

Sociúmque tecti facilè nec fratrem cape.
Spectare morbi fomitem quid attinet?
Tristem esse præstat quàm solutis moribus.
Vnguentum olenti vasculo non creditur.

Neque flamma permanet absumpta materia, sed vnà cùm illo à quo accendebatur discedit: neque mens & cogitatio affectionibus obnoxia manet si fomentum earum marcescat.

Oculus libidinosus, violat castitatē. Lingua luxuriosa, crimen incurrit. Pedes temere ambulātes, animam in vitium aut periculum trahunt. Casta sit etiam animi cogitatio, non sterrat, non oberret, nec rerum malarum typos in se admittat: est enim vel ipse typus, scortationis pars: nec earum rerum quæ debent odio haberi, imagines in anima effingat.

Chrysosto. Maximè necessarium est, vt qui Deo placere, probúsque & castus esse nititur, viram degat nūsupinam, mollem, & dissolutam: sed laboriosam multísque negotiis & sudoribus plenam.

Lingua cœrcenda. Ridiculum est, genitales quidē corporis partes seruare castas, linguā vero negligere: aut obseruare quidem linguam puram, visum vero vel auditum vel manus non obseruare: aut hæc etiā habere tuerique cum castimonia, cor autem non custodire, sed cum superbia & affectu scortari.

Qui freno regit affectus, quanquam semel domitos non negligit. Perpetuum enim est ab illo hoste bellum vnicuique, quandiu vixerit.

Climacis. Qui vētri deditus spiritū scortationis superare conatur, similis est incendiū restringuenti cū oleo.

Euagrij. Virginitas bonum est voluntarium.

Philonis. Affinitatis vinculum familias coniungit diuersas, & ex alienis familiares reddit, & necessitudine obstringit.

Iamblici. al. Moschionis. Temperans est, non qui prohibita non attingit, sed qui licitis etiam abstinet.

Socratis. Socrates interrogatus quid esset continentia, dixit: Coercere & vincere corporis voluptatem.

Democriti. Temperantia patris, maximum filiis præceptū & documentum est.

Mensam opiparam fortuna, frugalem vero & præsentibus contentam exhibet temperantia.

Epicteti. Si conditionem seruilem euadere velis, seruitutem ipse tibi imponas: fies autem liber, si ab affectibus soluaris.

Voluptas non quælibet, sed quæ finem honestum proponat, eligenda.

Sapientis est obsistere voluptatibus, stulti autē seruire.

Voluptas

Voluptas veluti quædam esca ad omnem nialitiã, delicatioribus animis obiecta, facile ad hamũ perditionis eas allicit.

Elige potius castigare affectus, quàm propter ipsos castigari.

Mors, corruptio, & omnia alia terribilia, quotidie tibi ante oculos versentur, & nihil vnquam mali desiderabis vel appetes nimium.

Amatorius & lasciuus sermo, fomentum est concupiscentiæ.

ANNOTAT. IN SERMON. 14.

Theol. spectare morbi] *Apud Antonium legitur* ὑπέκκαυμα γὰρ τῆς νόσου τι δεῖ βλέπειν; *apud Gregorium* ἐμπέπυρευμα γὰρ. *inter Iambica quæ edidit Billius ex Reginæ bibliotheca, forte* ἐμπύρευμα, *sed neutro modo stat ratio versus Iambici.*

Oculus libidinosus] *Violat castitatem. Græcè* ὃ φυλάσσει τὴν παρθενίαν. *non conservat virginitatem.*

Lingua luxuriosa] *Gr.* γλῶσσα πορνεύουσα τῷ ποιμῷ μίγνυται. *Lingua impudica diabolo miscetur.*

Pedes temere] *Sic apud Antonium* πόδες ἄπακτα βαίνοντες ἐκκαλύπτουσι νόσον, ἢ κίνδυνον τῷ νῷ, *apud Gregorium Naz. Orat. 31. In illa verba Euang. Cum consummasset Iesus &c. aliter leguntur.* πόδες α. β. ἐγκαλύπτονται νόσον ἢ κινοῦνται νόσῳ. *Pedes temere incedentes morbi accusantur, aut morbo monentur.*

Casta sit etiam] *Gr.* παρθενεύετω καὶ ἡ διάνοια μὴ ῥεμβέσθω μὴ πλανάσθω. *Virginitatem mens quoque ipsa colat, nec vagetur nec oberret. Interpres vertit, ne stertat, quasi idem sit* ῥέμβειν *&* ῥέγχειν.

Nec rerum malarũ typos] *apud Antonium & Gregorium legitur.* τύπους πονηρῶν πραγμάτων. *Billius tamen vertit ne meretriciarum rerum formas in seipsa ferat, & videtur legisse in meliori libro,* πορνικῶν πραγμάτων.

De scortatione & adulterio. Sermo 15.

Matt.5. AVdiuistis quod dictum sit veteribus: Adulterium non committes: cæterum ego dico vobis, quod omnis intuitus mulierem ita vt eam concupiscat, iam adulterium cum ea in corde suo commisit.

1.Cor.6. Quoduis aliud hominis peccatum extra corpus est: qui vero scortatur, in proprium corpus peccat. An nescitis quod corpus vestrum sit templum spiritus sancti intra vos, quem habetis à Deo, & non estis ipsi vestri iuris?

Ioan.8. Omnis qui peccatũ facit, seruus est peccati: seruus autem non in æternum manet in domo.

Rom.6. Ne regnet igitur peccatũ in corpore vestro mortali, vt iuxta concupiscentias eius obtemperetis ei: neque membra vestra præbete peccato instrumenta iniquitatis. An nescitis quod cui vos exhibetis seruos ad obediendum, eius serui estis cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustitiam?

1.Cor.5. Si quis cum frater appelletur, fuerit scortator, aut auarus, aut simulachrorum cultor, aut conuitiator, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi ne cibum quidem capiatis, &c. Etiam profligate istum qui malus est ex vobis ipsis.

1.Cor.6. Fugite scortationẽ: Scortatores enim & mœchos iudicabit Deus.

Mortificate membra vestra terrestria, stuprum, immundiciam, mollitiem, concupiscentiam malã, & auariciam, quæ est simulachrorum cultus. Coloss.3.

Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt, scortatio, adulterium, immundicia, lasciuia, simulachrorum cultus, veneficium, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, concertationes, seditiones, sectæ, inuidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia: de quibus prædico vobis quemadmodũ & prædixi, quod qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt. Galat.5.

Ne erretis, Deus non irridetur. Quicquid enim seminauerit homo, hoc & metet. Nam qui seminat per carnem suam, de carne metet corruptionem: sed qui seminat per spiritum, de spiritu metet vitam æternam. Galat.6.

Nam qui serunt lachrymis, metent inde cũ exultatione. Leuit.20.

Homo qui alterius viri aut proximi sui vxorem adulterio corruperit, capite puniatur, tum ipse, tum mulier corrupta.

Irritas faciens nuptias viri, sub duobus aut tribus testibus moriatur. 42.

Quicunque concubuerit cum masculo concubitu muliebri, abominationem fecit, ambo moriãtur, rei sunt.

Viri vxorem corrumpere, iræ furorem excitat qui contemni nequit. Etenim ignis ardens ex omnibus membris, nec semel ingressus radicitus perit. Iob.

Qui serunt absurda, dolores metent sibiipsis. Ex præcepto Domini peribunt, & à spiritu iræ ipsius abolebuntur.

Nullus est locus vbi occultẽtur iniqua faciẽtes. Prou.5.

Fili bibe aquas de tuis vasis, & de tuis puteis fontis: fons tuus aquæ sit tibi proprius, & lætare cum vxore in iuuẽtute tibi desponsata. Ne sis effusus in alienam, nec implicator vlnis non propriis. Sunt enim viæ hominis coram oculis Dei: & omnes semitas eius aspicit.

Caue tibi à muliere nupta, ne te vincat pulchritudinis desiderium, neque capiaris oculis tuis, nec illa te palpebris suis rapiat. Pretium enim scorti, quantum & vnius panis. 6.

Mulier autem virorũ pretiosas animas capit. Nũ aliquis ignem in sinu fouebit, & vestimenta non comburet? Ita qui fuerit ingressus ad mulierem nuptam, non erit expers grauis pœnæ, nec innocens erit quisquis eam tetigerit. Non mirum est aliquem in furto deprehendi, furatur enim vt esuriem pellat: deprehensus autem numerabit septuplum, & expensis opibus vniuersis seipsum eripiet. At mœchus ob inopiam mentis, perditionem animæ suæ accersit, & ignominia eius perpetuò durabit. Animus enim mariti plenus est zelo, non parcet tempore vindictæ, nec vllo pretio inimicitiam commutabit, neque donis vtcunque multis ea dissoluetur.

Mel distillat à labiis meretricis, sed tu resilias, nec immoreris in loco eius, ne oculos tuos in eam defigas. Abstine aqua aliena, & ex fonte alieno ne biberis, vt multum temporis viuas: adiicientur autem tibi anni vitæ.

Homini scortatori quiuis cibus suauis est, non cessabit donec intereat. Sirach. 23.

Athanasij. Qui formam concupiscit, quamuis sine facinore, peccatum sine teste commisit.

Chrysostomi. Radix adulterij est, curiosa inspectio in faciem.

Sermonum [illegible] corporibus non coniungantur, animæ autem fortasse fiant.

De iniustitia & Peccato & confessione, Sermo XVI.

Numer.5. VIr aut mulier, quicunque commiserit peccatũ aliquod humanum, & præuaricatione præuaricatus fuerit, & anima eius deliquerit, confiteatur peccatum quod admisit.

Iob. Si quis ex animo ad dominum cõuerti proponat, narret autem alicui culpam suam, ingredietur facie pura cum confessione.

Iniustitia in habitatione tua non moretur.

Psalm. 10. Prou.5. Qui diligit iniustitiam, odit animam suam.

Iniquitates hominem capiunt. Constringitur autem vnusquisque vinculis peccatorum suorum.

Sicut labrusca dentibus nocet, ac fumus oculis: sic iniquitas exercentibus eam.

10. Hominum iniustorũm mali sunt exitus.

Probitatis quidem specimen proferre nullũ possumus, in malitia autem nostra contabuimus.

Sirach. 21. Fuge peccatum serpẽtis instar: mordebit te si accesseris. Dentes eius leonini sunt, & hominum animas interficiunt. Omne peccatum simile est ancipiti gladio.

Ioan. 8. Quicũque peccatum committit, seruus est peccati.

Rom. 6. Authoramenta peccati, mors.

1.Timo.5. Quorundam hominum peccata ante manifesta sunt præcedentia ad iudicium, quosdã verò & subsequuntur.

1.Ioan.3. Qui committit peccatum, ex diabolo est, nam diabolus ab initio peccat. Ad hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.

Colos.3. Qui peccat, reportabit peccatum suum, & non est personarum respectus.

Basilij. Hom. in diuit. auar. Quemadmodum vmbræ corpora, sic peccata sequuntur animas, & manifestas facinorum repræsentant imagines.

Homil. in Psal.33. Vt fumus apes, & fœtor columbas fugat: sic miserabile & putidum peccatum repellit vitæ nostræ custodem angelum.

Angelus custos. Peccatum quidem adhuc parturiens, aliquo pudore afficitur: iam vero peractum, impudentiores sui authores efficit.

Si peccatum honesta res est, serues eam perpetuò: sin authori suo dãnosa, quid immoraris rebus pernicios? Atqui nullus euomendæ bilis causa, prauo & luxurioso victu eam sibi augere studet.

Exhort. ad baptis. Voluptas hamus est diaboli, ad interitum trahẽs.

Voluptas peccati parens est.

Peccatum autem mortis est stimulus. Voluptas est nutrix vermis æterni, quæ aliquantisper se fruẽtem exhilarat postea vero amariorem felle mercedem tribuit.

Vt emendetur vita, minime procrastinandum est tempus, cum de crastino die incerti simus. Multi enim post multa consilia, crastinum diem non attigerunt.

Malitia facilis est natura, & frequens cursus ad deteriora. Theolog.

Improbitas ad imitandum facilis, & in promptu est: neque minus difficile quicquam extat, ac fieri malum. o.1.apolog.

Plurimi ad rerum malarum societatem procliues aptíque sunt.

Citius aliquis profundam improbitatem abunde consequetur, quàm virtutis exiguum etiam paulatim.

Malitia virtutis profectum impedit, & fœtidæ rei præsentia, vnguenti odorem obscurat.

Malitia tacita morbus occultus est in anima.

Ne graueris peccatum tuum effari, vt præsentis beneficio pudoris futurum effugias (nam & pudor aliqua futuri supplicij pars est) & ipsum traducendo velutíque contumelia dignum in publicum protrahendo, verè tibi exosum esse peccatũ declares. Or.40.in baptis.

Aspergitor puluere lachrymas & suspiria & quã parit confessio vel alius abiectior viuendi modus emendationem vsurpes.

Nihil æque gratum est Deo, ac emendatio & salus hominis, in cuius gratiã omnis sermo & omne mysterium dirigitur.

Si præsenti tempore prætermisso futurum semper obserues, nouis paulatim dilationibus per diabolum confictis latenter deceptus, vt mos est illius: (Mihi inquit da præsentia, Deo futura: mihi iuuentutem, Deo senectam: mihi voluptates, illi corpus inutile) ô quantum tibi periculum, quanti casus inexpectati imminent: Aut enim bellum absumit, aut terræmotus obuoluit, aut mare suscipit, aut rapit fera, aut morbus extinguit, aut frigidus aër transiens, leuissima causa (quid enim facilius quàm hominem mori, vtcunque turgeat sua specie?) aut fluuius inundans, aut ventus ex alto deturbans, aut equus corripiens, aut pharmacum siue de industria per insidias datum, siue pro salutari venenum assumptum. Ora.40.in Baptism.

Nulla est occasio confitendi aut emendandi se illis qui ad inferos descenderunt. Deus enim vitam & actiones præsenti tempore circumscripsit, factorum reddendam rationem futuro seruauit.

Corpus quidem bene habet licet animo male affecto: animus autem viget ac erigitur vbi voluptates abscedunt, & vnà cum corpore marcescunt.

Peccatũ parit humiliationem, & humiliatio conuersionem. Or.3.in Iulianum.

Solius Dei est nullis prorsus affectibus labi & capi.

Caue ne quis alius tibi tanquam firmo in fide, cogitationum suarum affectus narret, si inualidus fueris in affectuum certamine. Hinc enim animæ tuæ perditio nascetur, & bellum fieret duplex, cum non sit intra modum virium tuarum.

Tale quid peccatum est, antequã perficiatur, inebriat hominem cui inhæret: vbi vero peractum iã & impletum est, tum inchoata quidem voluptas recedit ac extinguitur: mundus autem remanet accusator conscientiæ, carnificis locum tenens, & peccatorem excrucians, & maximam pœnam exigens, denique quouis plumbo grauius incumbens. Chrysost.

Peccatum dum adhuc est in opere, nõnihil voluptatis excitat: cum autem impletum fuerit, modica

voluptas

821 voluptas illa discedit,& in locũ eius subit tristitia.

Nihil tam putidum est quàm anima affectibus obnoxia. Voluptas cani similis est, si persequaris, fugit:si nutrias, manet. Fuge voluptatem propter comitem eius afflictionem, ne diabolus vtatur membris tuis aduersus te tanquam telis.

Deus non tam auersari solet peccatores, quàm illos qui post peccata non contrahuntur animo, nec tristantur.

Cadere non tam malum est, quàm iacere lapsum, & non resurgere.

Discede ab improbitate,relinque malitiam,arripe virtutem, & [redacted]. Amore enim & misericordia prosequitur homines, & quemadmodũ parturiens mulier desiderat parere, sic & ipse cupit misericordiam suam effundere.

Nihil adeò Deum reddit propitiũ,quàm vt quisque sua peccata confiteatur.

Nihil tam graue & onerosum est quam peccati natura.

Nihil tantum negotij nobis facessit,quantũ improbitas & peccata. Quamobrem Christus ad illos qui in peccatis viuunt, dixit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis,& ego reficiam vos.

In humanis rebus cauet sibi quisque vt ne coram vno quidem delinquat:quid autem fiet olim coram infinita multitudine?

Cogita quale futurum sit Dei iudicium:expende omnia peccata tua. Nam licet ipse delictorum obliuiscaris, Deus nunquam obliuiscitur: sed omnia tuis oculis obiicientur,nisi nunc præueniens ea dissoluas pœnitudine & confessione.

Qui etiam alios emendare potis est, conuersetur illis de quorum salute spes fuerit, ac ipsos meliores reddat: Infirmior autem fugiat improbos,ne lue ipsorum inficiatur.

Anima vna lucrifacta sæpe criminum infinitorũ molem abolere potest, & animæ nostræ redemptio fieri in die iudicij.

Ne mundus quidem vniuersus animæ pretium æquaret:quare licet pecuniam absque numero pauperibus largiare, nihil tantum efficies,quantum vnius animæ conuersione.

Theologi. Reg. de virtutib.

Nec bona sunt hic vlla malis non mixta: bonorum
Atque vtinam non pars cederet ipsa malis.

Mira facilitate itur ad malitiam, & natura procliuis in deteriora fertur.

Voluptas homines vt plurimum sine vllo negotio capit, & magna promptitudo est naturæ ad hunc affectum, à durioribus studiis ad voluptatis teneritudinem facile prolabentis.

Ouidij. Nemo non in multis delinquit. Natura enim hac ægritudine laborat vt facile in peccatum labatur, iam inde post primos huius affectionis authores.

Adiana. Quod ab initio malo procedit nunquam bene iudicatur aut finit, cum totum sit malum.

Clementis Timeamus,non morbum externum, sed peccata morbi causam.

Omnem voluptatem cupiditas inchoat. Est autẽ cupiditas,tristitia quædam & cura,propter defectũ aliquid desiderans.

Et si lenis quidam motus videtur esse voluptas: reuera tamen asper inuenitur & est. Philonis.

Omne iucundum fuge, violenter enim allicit. Io. Climacis.

Dæmones aut peccare nos impellũt, aut nisi peccauerimus ipsi, iudicare tamen peccantes;vt primũ posteriore inquinent.

Animi vibices si publicentur, non fient deteriores sed sanabuntur. Nihil enim tam roborat dæmones & cogitationes aduersum nos, quàm si taciti & sine confessione in corde nutriantur.

Peccatum ignis est ardens, qui augebitur vel imminuetur pro materiæ additæ subtractæve modo. Marci.

Qui cunctatur & differt cogitationes suas confiteri,præter id quod nihil inde iuuatur, re ipsa cõfirmat quod nescio quid secreti ab inimico sibi reuelatum sit,& metuat ipsum offendere & amorẽ eius amittere,si spiritualibus viris rem aperiat. Seniorum.

Peccatum videtur esse quidam obex, beneuolentiam Dei in nos extendi prohibens. Theotimi.

[redacted] Iosephi.

Nec ignis tunica, nec turpe delictum tempore cælari potest. Plutarchi.

Peccata tua non verbis tegere,sed reprehensionibus curare tentandum est. Pythagoræ

Non multum ab impeccabili discedit, qui peccatum vt decet fatetur. Aristotelis

Auget malitiam qui non ipse tantum peccat, sed insuper aliis patrocinatur. Didymi.

Multiplex & fœcundissimum est malum in animis hominum:bonum verò angustum & rarum.

AD SERM. 16.

In loco Basil. voluptas hamus] *Peccatũ autem mortis stimulus. Ita restituemus hunc locum, cum vertisset Gesnerus, voluptas est mortis stimulus, sic tamẽ habent & Antonius & Basilius in exhortat.ad baptism.* ἡ δὲ ἁμαρτία τὸ κέντρον τῆς θανατῦ *sic D. Paulus, Per peccatum mors, & stipendium peccati mors.Rom.6.*

Citius aliquis] *Aliter vertendus fuit hic locus qui est in magno Apologet.* ῥᾷον γὰρ ἄν τις ὀλίγης κακίας μεταλάβοι πλουσίως, ἢ ἀρετῆς βαθείας καὶ μικρόν. *Citius quispiam exiguum vitium abunde perceperit, quàm amplissimam virtutem exiguè. Subiicit exemplum illustrandæ &c. Nam & parum absynthij amaritudinem suam melli celerrime impertit;cum contra mel nè dupla quidem parte copiosius dulcedinem suam absynthio infundat.*

Si præsenti tempore] aut frigidus aër. *Græcè* ἢ φεῦξ ῥιγηδὸν ἐμμένοντα *scribendum est* ἢ ψῦξ]. aut mica trãsuersim in fauces incidens. *Ita necatum ferunt Anacreontem acino.*

Vtcunque turgeret sua specie] *Gr.* κἂν μέγα φρόνῃ τῇ εἰκόνι, *malim* Vtcunque de imagine (*scilicet diuina*) *glorietur.*

Fluuius inundans] *hoc grauius quod ita vertit Gesnerus* ποτὸς πλεονάσας *quasi esset* ποταμὸς *cum vertendum esset immoderata perpotatio.*

Venenum assumptum] *malim venenosum repertum* φοινὲν ἁλωτήριον. *Billius lib.* 1. *c.* 5. *obseruationum.*

Nulla est occasio] *Gr.* οὐκ ἔστι τοῖς ἀπελθοῦσιν ἐν ᾅδῃ ἐξομολόγησις. Non est his qui è vita excesserint, in inferno confessio. *Locus est ex orat.* 15. *in plagã grandinis.*

Corpus quidem] εὐεκτεῖ καμνούσης ψυχῆς *bene habet ægrotante anima.*

Animus autem] ψυχὴ δὲ θάλλει καὶ ἄνω βλέπει *floret atque in cœlum erectos oculos habet. Quod autem in Græco libro Gesnerus addit ad marginem pro* ὑπερεαμνοῦν *forte legendum* ἀποεαμνοῦν *apud Gregorium est* ἐκποεαμνοῦν *orat. 8. ad patrem cùm ei curam Nazianz. &c.*

De pœnitentia & confessione, Sermo, 17.

Matt. 5. BEati qui lugent, quoniam ipsi cõsolationem accipient.

Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis B & ego reficiam vos.

Sani non egent medico, sed male affecti. Ite & discite quid sit, Misericordiam volo & non sacrificium. Non enim veni vt vocarem iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Lucæ 15. Dico vobis quòd ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore resipiscente, magis quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.

Ibidem. Gaudium erit coram angelis Dei super vno peccatore resipiscente.

Rom. 6. Quemadmodũ præbuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad aliam atque aliam iniquitatem: sic & nũc præbete membra vestra seruire iustitiæ ad sanctificationem.

Iacob. 5. C Confitemini inuicem alius alij peccata vestra.

Fidelis est & iustus vt remittat vobis peccata vestra, & purificet vos ab omni iniquitate.

Iacob. 5. Si quis inter vos errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, sciat, quod qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluam faciet animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

Dixit Dauid ad Nathan prophetam: Peccaui domino: & respondit Nathan, Et Dominus amouit peccatum tuum, & non morieris.

1. Reg. 12. Si quid iniquum est in manu tua, procul id amolire abs te: sic relucebit facies tua instar aquæ limpidæ.

D Si fuerint mille angeli lætiferi, nullus eorũ vulnerabit eũ, si ex animo instituat ad Dominũ conuerti.

Dauid. Dixi, confitebor aduersus me iniquitatem meam Domino: & tu remisisti impietatem cordis mei.

Præueniamus faciem eius confessione.

Septies cadet iustus & resurget.

Prouerb. 24. Iustus sui accusator est in primo sermone.

Ioël. 2. 18. Et nunc dicit Dominus Deus vester, Conuertimini ad me ex toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu: & scindite corda vestra, non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrũ quoniam beneficus & misericors est, longanimis, & multæ bonitatis, & pœnitẽtia ducitur super malo (quod scilicet inflixit vobis, vel inflicturus fuerat.)

Conuertimini ad me, & ego ad vos conuertar, inquit Dominus omnipotens.

Malachiæ. Væ qui attrahitis peccata ipsorũ tanquam longo funiculo, & veluti loro bubulo iniquitates ipsorũ.

Esaiæ. Lauamini, mundi estote, auferte nequitias ab animabus vestris coram oculis meis.

Esa. 1. Cessate à nequitiis vestris, discite bonum facere, quærite iudicium, liberate iniuria oppressum. Iudicate pupillo, & iustificate viduam, & venite & disceptemus dicit Dominus.

Et si fuerint peccata vestra sicut rubeum, quasi niuem dealbabo: si autem fuerint sicut coccinum, velut lanam dealbabo. Et si volueritis, & exaudieritis me, bona terræ comedetis: si autem non volueritis, neque audieritis me, gladius vos deuorabit, nam os Domini loquutum est ista.

Cùm conuersus lugebis, tunc saluus fies.

Ego sum, ego sum qui deleo peccata tua, & non Esa. 43. recordabor eorum. Tu vero in memoriam mihi reduc, iudicabimur simul, narra tu primum iniquitates tuas vt iustificeris.

B Non erubescas confiteri peccata tua.

Ne te pudeat animæ tuæ. Est enim pudor peccatum trahens secum, est item pudor gloriæ gratiæq; conciliator. Ne cedas vili faciei (id est truculentiæ aut blanditiis) quod animæ tuæ damno fiat, nec in tuam perniciem erubescas. Syrach. 4. Ibidem.

Ne differas conuerti ad Dominum, neque diem ex die ducas. Repente enim venit ira Domini, & tempore vltionis peribis. Syrach. 5.

Male affecti sumus à peccatis? sanitatem recuperemus beneficio pœnitentiæ. Basilij.

Diligens esto circa teipsum, vt pro delicti portione curationis quoque remedium adhibeas. Magnũ & difficile crimen admisisti? omnino tibi opus est C confessione, lachrymis plurimis, vigiliis intensis, assiduo ieiunio: sin leue & tolerabile peccatum fuerit, par ei pœnitentia fiat.

Nullus improbæ vitæ homo desperet de seipso, sciens quod sicut agricultura plantarum qualitates immutat: sic animæ vitiosus per virtutem adhibitus omne genus ægritudinis superare potest.

Deus enim peccatoris mortem non vult, sed potius vt conuertatur & saluus fiat.

D Noli teipsum negligere tanquam in profundam malitiam deiectum. Tempus est patientiæ, tempus longanimitatis, tempus curationis, tempus emendationis. Lapsus es? resurge: peccasti? desiste. Ne insiste viam peccatorum, sed resilito: cùm enim te auerteris & luxeris, tum seruaberis. Labores enim sanitas sequitur, & salus sudores.

Non ex mora temporis, sed animi affectione pœnitentia æstimatur.

Necessarium est peccata illis confiteri, quibus administratio mysteriorum Dei concredita fuerit. Sic enim etiam antiqui pœnitentiam agentes, satisfeciisse reperiuntur. Scribitur enim in Euãgelio, quòd Ioanni Baptistæ peccata sua confessi sint: & in Actis quod Apostolis, à quibus etiam omnes baptizabantur. Confessio.

Nullo cultu tam gaudet Deus, quàm afflictione Theologi. E animi peccatorum, & pro lachrymis benignum amorem retribuit.

A deteriori ad melius facile mutari, vice versa autem cõstantes esse oportet, & immutabiles à meliori ad deterius.

Non peccare insensibiliter, sed agnoscere & videre delictum suum, non parua res, immò via quædã & principium ducens ad emendationem & resipiscentiam.

Dum tempus nos sinit, præueniamus Dei faciem Chryſost. confessione, vt mitem & placidum ipsum tunc videamus, & minaces illos angelos effugiamus.

Non

Non tam noxium est certãdo vulnerari, quàm vulnus inflictum negligere & desperare.

Ne desperes igitur, nec à precibus desistas, sed peccator cùm sis, accede, vt glorifices Dominum tuũ, & occasionem ei præbeas declarandi natiuam benignitatem suam in scelerum tuorum remissione.

Nã si dubites accedere, bonitatem eius impediuisti, & benignitatem quantum in te est prohibuisti.

Peccatum si confiteare, minues: secus, augebis.

Magnum bonum est agnoscere peccata, & assiduè ipsorum meminisse.

Nihil tam curat peccatum, quàm assidua memoria: nec aliud adeò tardum ad malitiam reddit hominem. Si peccata subinde in memoria voluas, nũquam recordaberis iniuriarum quas proximus tuus tibi fecerit, nunquam irascēris, nunquam conuitiaberis, non altum sapies, non denuo in eosdem errores incides. Nam si nunc eorum memineris, & assidue coram Deo ipsa commemores, & veniam ores, statim abolebuntur. Si vero nunc eorum obliuiscaris, in futuro sæculo vel inuitus recordaberis eorũ coram vniuerso orbe, amicis simul & angelis in medium ea proferentibus. Non enim ad solum Dauidem dixit Deus.

Castellio. Quæ tu fecisti in occulto ego omnibus manifesta faciam, sed etiam ad nos omnes.

Redarguã enim te (inquit) omnium oculis peccata tua proponens.

Quemadmodum per ianuam ingressus aliquis, intus existit: [illegible] Si vero dicat, peccaui, non autem [illegible] recenset, dicendo, hoc & illud peccaui, nunquam quiescet, dũ semper confitetur, nunquam vero emendationis curam habet. Principium igitur recte instituamus, & omnia bona fient & facillima. Incipiamus ergo ita vt alius orationem augeat, alius subinde lachrymetur, alius vultu demisso existat. Nam nullo quidem vsu quæ parum, inutile fuerit.

Vidi enim (inquit) tristatum & ambulantem cum mœstitia, & sanaui vias eius, alius eleemosynam faciat, alius peccata proximis condonet, alius denique ab obliuione malorum & iniuriarum, deposito vltionis affectu incipiat.

Nihil adeò virtutem promouet quàm recordatio peccatorum.

Vię pœnitudinis sunt quinque: prima, agnitio & increpatio peccatorum: secunda, proximis suos errores condonare: tertia, quæ fit per orationem: quarta, per eleemosynã: quinta per humilitatem animi.

Comentis. Optimũ quidem, non peccare: sed hoc etiam bonum est, si peccatores in viam redeant pœnitentiæ beneficio: quemadmodum & cõtinua sanitas optima est, bonũ tamen est, amissam quoque post morbum recuperare.

[illegible]

Pœnitentia tunc omne peccatum abolet, cum aliquo anima errore oborto moram non admittit, neque ad vllum temporis spacium affectionẽ transmittit. Sic enim nullum criminis vestigium in nobis relinqui potest, cum in primo ingressu reuellatur, instar plãtæ adhuc teneræ antequam radicetur.

Quemadmodum cancri facile capiuntur insidiis, eò quod aliàs antrorsum aliàs retrorsum incedant: sic etiam anima, nunc risui & deliciis, mox luctui dedita, nihil proficere potest.

Qui nunc luget, nunc deliciatur & ridet, similis est homini panem aduersus canem lapidis instar proiicienti, qui gestu quidem fugat canem, facto autem remanere hortatur.

Marci. "Adquiri. [illegible]

Philonis. Nihil prorsus erroris committere proprium est Dei, & fortè etiam hominis diuini: ab errore autem ad inculpabilem vitam redire, prudentis est & vtilia planè non ignorantis.

Peccantes non statim vlciscitur Deus, sed tempus eis permittit ad pœnitentiam & remedium ac emẽdationem erroris.

Theodoreti. Ampla vulnera, æque amplis remediis indigent: & qui difficili morbo laborat, maiorem curam desiderat: & qui magnis peccatis obnoxius est, maiore benignitate opus habet.

Epicharmi. Sapientiam decet prouidentia, non pœnitentia.

†Euagrij. †Planta quæ subinde transfertur, non fructificat.

Aristoteles. Aristoteles dicebat per omnẽ vitam trium se pœnituisse, primò quod mulieri secretum aliquid cõmisisset, secundò quòd nauigasset quò pedibus ire licuisset, tertiò quòd vnum diem intestatus mansisset.

De illis qui citò mutantur in deteriorem statum, Sermo. 18.

Lucæ. 9. NVllus qui manu superiecta aratro, retrorsum vertit oculos, idoneus est ad regnum Dei.

2. Pet. 2. d Præstat non agnouisse viam, quàm post agnitionem illius à sancta doctrina sibi tradita resilire.

Heb. 10. c Nam si volentes peccauerimus post acceptam cognitionem veritatis, non vltra pro peccatis reliqua est hostia, sed formidabilis quædam expectatio iudicij, & ignis vehementia, qui deuoraturus est aduersarios.

Prouer. 26. 2. Pet. 2. d Quemadmodum canis reuersus ad proprium vomitum abhominabilis fit: sic insipiens qui ex malitia sua redit ad peccatum suum.

Ezech. 3. e. 18. e. Qui iustus auertitur à iustitia sua, & iniustitiã admittit, omnes iustitiæ eius à memoria cadẽt, & morietur in peccato suo. Vnumquemque in via sua, in qua inuenero ipsum, iudicabo, inquit Dominus: & quocunque die iniquus ab omnibus iniquitatibus suis se conuerterit, & fecerit iustitiam, non amplius omnium delictorum eius recordabor.

Ezech. 33. c Iustitia iusti non liberabit eum quo tempore aberrauerit: & iniquitas impij non nocebit ei, quo die conuersus fuerit ab iniquitate sua. Vnumquemque vestrũm in viis suis iudicabo ô domus Israel.

Basilij. Qui, postquam in bonis operibus profecit, iterũ ad antiquam consuetudinem redit; non solùm perdit bonorum operum mercedem, sed insuper grauiore damnatione mulctatur.

Castigatus aliquis propter prima peccata, & veniã

assequutus; si denuo peccet, grauius priore iudiciũ iræ sibi accersit.

Multi à malis operibus conuersi, sed adhuc veterum facinorum apud se memoriam seruantes, eius culpa non rarò quietum peccatum renouant.

Homines nebulis similes sunt, quæ iuxta mutationes flatuum nunc huc nunc illuc feruntur.

De illis qui ad pœnitentiam non conuertuntur. Sermo 19.

uLcæ 13. ADerant autem quidam eodẽ in tempore nunciantes illi de Galilæis, quorũm sanguinem Pilatus miscuerat cum sacrificiis ipsorum. Et respondens Iesus, dixit illis: Putatis quòd hi Galilæi præ cunctis Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis; immò nisi resipueritis omnes similiter peribitis. Aut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloa, & occidit eos: Putatis quòd debitores fuerint vltra cunctos homines habitantes Hierosolymis? Non, dico vobis, imò nisi resipueritis omnes similiter peribitis.

1.Thess.5. Cùm autem dixerint pacem & securitatem, tum repentinus eis imminet interitus.

[redacted]

Nisi conuertamini, gladium suum vibrabit.

Dauid. Ps.7.c. Impius multitudine peccatorum obrutus, negligit: ingruit autem ei dedecus & infamia.

Prouer.18. Qui sibi in operibus suis non medetur, frater est lædentis seipsum.

Qui tegit impietatem suam, non fructur prosperitate.

Ierem.8.c. Hæc dicit Dominus: Num cadens non resurgit, aut auersus nõ se conuertit? Indurarunt facies suas plus quàm lapidea duritie, & noluerunt conuerti.

Ier.2.g. Ecce ego litigo tecum, te dicente, non peccaui: quia prorsus neglexisti emendare vias tuas.

Ierem.8.c. Neminem suæ malitiæ pœnitet: Nemo est qui dicat, quid feci?

Syrach.5. Ne dicas, peccaui & quid mihi accidit triste? nã Dominus patiens est, non te dimittet.

Basilij. Occultatio vitij, mortem accersit ægrotanti.

Si quid pulchri & honesti est peccatum, serues id perpetuò: sin authori suo noxium, quid immoraris rebus perniciosis? Nemo cupidus euomendæ bilis, prauo & luxurioso victu eam sibi augere studet.

Purgare conuenit corpus à molestis, non autem morbum augere supra vires corporis.

Vide ne dum malorum molem tibi accumulas, spe liberationis futuræ interim fretus, peccatum quidem exaggeres, à remissione autem aberres.

Vide homo ne quando sera & inutilis malorum consiliorum pœnitentia tibi obueniat.

Chrysostomi. Non tam graue est labi, quàm iacere lapsum & non resurgere.

Cum semel anima gustauit peccatum, idque sine sensu doloris, magnum inde augmentum ægritudini accedit.

Iustini philosophi. Vix denuo erigitur animus ad bona illa à quibus delapsus est: & ægrè detrahitur ab illis malis, quibus assuetus fuerit.

Subiici & concedere affectibus, extrema seruitus est, quemadmodum imperare ipsis vnica libertas.

Cum optimum sit non peccare: secundi ordinis bonum est, ad iustitiam redire. Qui vero multo tẽpore peccans in luxuria permanet, infelicissimus habeatur.

Non fieri potest vt veniam consequantur illi, quos peccatorum non pœnitet. Dionys.

De futuro iudicio, Sermo 20.

Matth.16. FIlius hominis venturus est in gloria patris sui, & tunc reddet vnicuique secundùm opera eius.

13.c.d. Quemadmodum colliguntur zizania & igni cõburuntur, sic erit in consummatione sæculi huius. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent è regno illius omnia offendicula, & eos qui patrãt iniquitatem, ac mittet illos in caminum ignis: ibi erit ploratus, stridórque dentium.

25. Tunc dicet rex etiam illis qui ad sinistram sunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, Diabolo & angelis eius paratum: esuriui enim & non dedistis mihi cibum.

1.Cotinth. 3.c. Cuiusque opus manifestum fiet. Dies enim declarabit quod in igne reuelatur: & cuiusque opus quale sit ignis probabit.

† Græci habent [in omni neglectio.] Eccl.11.d. Syrach. 17.c. Esaiæ 13.b Deus in iudicium adducet omne opus, † cũ omni occulta re, siue quid bonum siue malum fuerit.

Surget Dominus, & reddet omnibus, & retributionem suam in capita ipsorum retribuet.

Ecce dies Domini venit cum ira & furore, vt totum orbem habitabilem desertum faciat, & peccatores de eo perdat.

6.g. Nam vermis eorum non morietur, & ignis corũ non extinguetur, & erunt ante conspectum omnis carnis.

Esa.5.d. Inferi ingluuiem suam dilatant, & ore suo sine fine dehiscunt, vt descendant in eos homines gloriosi, magni, & opulenti, & qui in his lætantur.

Basilij. Peccati labores, dolore & tristitia plenum gehennę supplicium excipit.

Quisque suorum operum in die retributionis fructus agnoscet.

Eiusdem in c.3. Esaiæ. Circundabunt vnũquenq; secundũ Osee prophetam, cõsilia & cogitationes eius. Videbimus enim omnia pariter, tanquã assistẽtia nobis opera, & animi oculis per formas proprias obiecta intuebimur, ita vt singula facta dictáve sunt. Nõ tamẽ conuenit existimare quod aliqua tẽporis futura sit mora, vt quisq; seipsum cũ actionibus suis, & iudicẽ, & quæ sequuntur diuinum iudicium, videat: mens enim inenarrabili quadam vi vno momento imaginabitur, & omnia sibi veluti picta proponet, imò tanquam in speculo formas actionum in principe facultate animæ conspiciet.

Qui malis operibus inquinati fuerint, ad ignominiam & confusionem resurgent, cernentes in seipsis turpitudinem & formas peccatorum.

Theolog. Et fortè grauior quàm tenebræ & ignis æternus, hic pudor erit, qui semper inhærebit peccatoribus, vt nunquam non ob oculos habeant vestigia scelleratæ vitæ, tanquam ineluibilis alicuius tincturæ.

Chrysost. Præstat in præsentia castigari & purgari, quàm in examen futurum trãsmitti, vbi tempus erit iudicij non purgationis.

Nullum

Nullum omnino bonum vtcunque paruum negligetur illic à iudice, nam si criminum, & dictorum, & cogitationum pœnas daturi sumus, multo magis bene facta, siue magna, siue parua fuerint, computabuntur.

Qui sæpius offendentes pœnam non luunt, metuere ac timere sibi debent. Augetur enim ipsis grauitas pœnæ.

Si vitam quauis morte tristiorem degunt qui lumen solis non intuentur: quid illos pati credendum est, qui luce diuina priuati sunt?

Non modo iustorum, sed etiam peccatorũ corruptionis expertia corpora resurgunt. Sed istud honoris supplicium & pœnã impiorum alit ac auget. Immortalia enim futura resurgunt, vt nunquam vri desinant. Quippe cũ ignis ille sit inextinguibilis, talia sibi corpora desiderat quæ nunquã absumantur.

Cogitemus quantum sit mali in cõflagratione perpetua, in tenebris, luctu infinito, & dentium stridore, nemine exaudiente. Nam si apud nos quispiam ex ingenuè educatis carceri inclusus, solum fœtorem, tenebras loci, & vincula cum homicidis communia, rem quauis morte acerbiorẽ putat: perpende quid sit comburi cũ totius orbis homicidis, nec videntem alios, nec aliis conspicuum, sed in tanta multitudine solum se existimantem. Siquidem opacæ illæ tenebræ ne proximos quidem dignoscere permittunt: Verum ita quisque efficietur, tanquam solus supplicium luens. Quod si tenebræ etiam per se animos nostros angunt & turbant, quid fiet vbi tenebris tanti dolores & incendia accedunt?

Nam eos qui fecerint iniqua, nemo suppliciis illic futuris eripit, non parentes, non fratres. Fratrem enim non liberabit quisquam, vtcunque magnæ fiduciæ fuerit, & multum valuerit apud Deum. Ipse enim est qui reddit vnicuique secũdùm opera sua: & ex operibus nostris vel salutem vel supplicium consequi licet.

Terribile est, inquit, incidere in manus Dei viui. Scriptum est enim, Mihi vindicta, ego retribuam, & rursum, Dominus iudicabit populum suum: & alibi, Super peccatores incumbet ira eius.

Damnatorum pudor Cyrill. Hom. 6. in Epist. ad Phil.

Grauissima pœnarum pudor est, quam in iudicio quoque futuram didicimus: quoniam pij resurgent ad vitam æternam, impij vero ad pudorem & opprobrium æternum.

Bonis quidem operibus ornatos nemo arcere poterit à fruitione felicitatis futuræ, sed cœlestibus bonis fruentur: illi vero qui boni quippiam omiserunt, licet nullius admissi criminis rei sint, cum impiis in ignem gehennæ deducentur. Etenim non facere bonum, hoc ipsum est facere malum. Dic age mihi, si quem seruum haberes, neque furem, nec iniurium, neque contradicentem tibi & insuper tũ ebrietati tum quibuslibet aliis vitiis minime deditum, semper verò sedentem ociose, & nihil eorum quæ seruus Domino præstare debet, facientem, nõ verberabis eum? non torquebis? dic mihi.

Gregorij Nyssen.

Messis tibi respondebit sementi: amaritiem seminasti? carpe manipulos eius: coluisti truculentiam? habe tibi quod dilexisti: execratus es pauperem? execrabitur te ille qui nostri gratia pauper fuit. Homines, extremi supplicij locum tribuunt mortis: atqui hæc in iudicio Dei vix principium est supplicium.

Excitamur igitur, corporibus quidem æternis prædi- Cyrilli.
ti, non tamen omnes similibus: Nam qui iustus fuerit, accipit spirituale corpus, vt cum angelis decenter conuersari queat: peccator autem accipit corpus passibile quod idoneum sit ferendo peccati supplicio, vt æterno igne conflagrans nunquã consumatur: & iure quidem vtrisque sua reddi corpora Deus constituit. Nihil enim absque corpore à nobis factum est.

Plutonis dehiscunt profundæ portæ, & ignei fluuij simul, & Stygis canales permiscentur, & variis tenebræ simulachris implentur, quorũ atrox aspectus est & voces eduntur miserabiles. Iudices item, & lictores, & voragines, & innumeris pleni malis recessus apparent. Plutarchi.

De Veritate, & testimonio Fideli, Sermo, 21.

EGo sum via, veritas, & vita. Ioan. 14.

Qui veritatem facit, venit in lucem vt opera eius manifesta fiant, quòd in Deo facta sint.

Deposito mendacio, quisque vestrûm veritatem loquetur cum proximo suo. Membra enim sumus inuicem. Ad Eph. 4

Non stabit testis vnus ad testificandum contra hominem secundùm omne facinus, & secundùm omne peccatum. Deut. 9.

Labia vera rectum testimonium proferunt.

Quæ oculi tui viderunt, loquere. Prou. 14.

Testis fidelis non mentitur. ibid. Testis fidus liberat à malis. Zach. 8. Ibidem.

Loquimini veritatem quisque cum proximo suo. Syrach. 14.

Veritatem & pacem diligite, inquit Dominus omnipotens.

Ne accipias personam potentis: ad mortem vsque pro veritate certato, & Dominus Deus tuus pugnabit pro te.

Auis diuertit ad aues, & veritas ad studiosos ipsius reuertetur.

Viri veraces inuenientur in sapientia, & agent feliciter vsque ad visitationem Domini.

Præstantissimum bonum est veritas.

Sermo verus & à mente sana profectus, simplex est & vniformis. Basilij.

Aegrè comprehenditur veritatis oratio, & non animaduertentes facile potest effugere.

Verum quidẽ vnũ est, mẽdacium autẽ multiplex. Theol. or. 36.

Veritas, est firma comprehensio entis in animo. Chrysosto mi.

Plerique magis inclinare videmur ad probabilia licet inuentu laboriosa, quàm ad veritatem.

Veritas est Deus vt pote vnũ, non multa secundũ naturã, Verũ quippe vnum est, mendacium autem, multiplex. Nam & Christus inquit: Ego sum via, veritas & vita. Dionysij.

Veritas est facultas res obumbratas in lucem producens. Philonis.

Veritatem tacere, est aurum sepelire. Euagrij.

Aequalitas trutina, veritas autem ratione philosophiæ examinatur. Plutarchi.

A via & veritate aberrare malum est. Menandri.

Præstat eligere falsum, quàm verum malum.

Veritas quidem amara & ingrata est stolidis, mendacium autẽ suaue & gratum: nimirum vt illis qui dolent oculos, molestus est lucis aspectus: tenebræ autẽ visũ reprimẽtes, charæ & minime molestæ sũt. Diogenis.

Democriti Pietas palam declaranda est, & veritas constanter defendenda.

Epicteti. Nihil veritate pretiosius haberi debet, ne amicitia quidem, vt pote obnoxia affectibus, qui quod iustum est turbant & obumbrant.

Immortalis & æterna res est veritas: Non donat autem nobis pulchritudinem paulatim tabescentem, neque dicendi fiduciam è iustitia prodeuntẽ aufert: sed quæ iusta & legitima sunt, exhibet, discernens ab eis iniusta & redarguens.

De mendacio, & calumnia, & falso testimonio, Sermo XXII.

Exod.20. NOn dices falsum testimonium contra proximum tuum.

Psalm.5. Perdes quotquot loquuntur mendacium.

Prouerb. 10. Qui nititur mendaciis, ventos pascet, & aues alatas persequetur.

12. 14. Labia mendacia Dominus abominatur.

19. 21. Vanum & mendacem sermonem procul à me remoue.

Lingua mendax odit veritatem.

Excitat mendacia testis iniquus, & discordiam fratribus immittit.

Testis falsus non erit impunitus.

Testis falsus peribit. Testis iniquus, deceptor est.

Zachariæ. Ne diligatis falsum iuramentum, quoniam hæc omnia odi, inquit Dominus omnipotens.

Ierem. Veritatem non loquetur. Lingua eius didicit loqui mendacium.

Basilij. Improbitatis extremus finis est mendaciũ. Lapsus à veritate, priuatio visus est in mente, & obcæcatio.

Theologi. Chrysost. Verũ quidẽ vnum est, mendaciũ autem multiplex.

Facile capitur improbitas, & vndique per seipsam implicatur.

Veritas terram reliquit. Calumniatores vendunt mendacium, decipiendo se inuicẽ iuramenta consumunt, non aliter quã iurando solũ Dei memores.

Isidori. Mendacium ab initio dictum magis persuadet, quàm posteriori sermone indicata veritas.

Pelusiotæ. Non potest firmã fidem facere, cuius testimoniũ per se nõ est sufficiẽs, sed alieno patrocinio indiget.

Philonis. Mendacium est imaginatio quædam circa non ens in animo oborta, tanquam subsistat id quod non est.

Seueriani. Mendaciũ quando fidem facere voluerit, nisi veritatis apparentis fundamentum fixerit, non persuadebit.

Charicleæ. [redacted]

De fratribus, & amore ac odio in fratres, Sermo. 23.

Ioan. 13. IN hoc omnes cognoscent quòd mei discipuli sitis, si diligatis vos inuicem.

2. Ioan. 3. Si quis Deum se diligere dixit, & fratrem suum odio habet, mẽdax est. Nam qui fratrem suum, quẽ vidit, non diligit: Deum quem non vidit, quomodo diligere potest?

1. Thess. 4. De amore fraterno non opus habetis vt scribatur vobis. Vos ipsi enim à Deo docti estis, vt vos inuicẽ diligatis.

Quisquis odit fratrem suum: homicida est.

Ecce quid melius aut iucundius est, quàm fratres simul habitare? 1. Ioan.

Frater adiutus à fratre, est tanquam ciuitas munita & excelsa: & æquipollet bene fundato palatio (*Longe alius sensus est apud Hebræos.*) Psal.132. Prouerb.18.

Fratres in necessitatibus sibi subueniant: ad hoc enim procreantur. Syrach.40.

Fratres & auxilium tempore afflictionis, pręvtrisque autem misericordia liberabit.

Ne oderis frattem tuũ pro quo mortuus est Christus, idque gratis: & cùm Deus ac Dominus esset, frater tuus factus est. Theologi

Nulla est fratris recuperatio, vt neque manus ablatæ. Plutarchi.

Qui fratribus relictis alios amicos quærunt, consimiles sunt illis qui rus suum deserunt, & alienum colunt. Socratis.

De amicis, & amore fraterno, Sermo 24.

IN hoc omnes cognoscent quod mei discipuli sitis, si diligatis vos inuicem. Ioan. 13.

Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æs resonans aut cymbalum tinniens. 1. Cor. 13

Vniuersa lex in hac vna completur, quæ proximũ vt seipsum diligere præcipit. Gal.5. Syrach. Basilij.

Quisquis fratrem pauperem odit, alienus est ab amicitia. Hom. in Psal.44.

Improborum & imperitorum nemo est amicus? Nam * honesta amicitia non cadit in prauam affectionem. Siquidem nihil turpe & indecens, ad amicitiæ concinnitatẽ redigi potest. Quippe malũ non bono tantum, sed ipsum etiam sibi aduersatur. * πρὸς τὰς ἀληθεῖς φιλίας ἁρμόττει. amicitiæ honestæ.

Amicorum dicta, licet iniuria, toleranda sunt.

Minus suspecta esse debent vulnera quæ amicus inflixit, quàm simulata inimicorum oscula.

Nihil est quod mereatur pro fideli amico permutari, nec potest satis ponderari decus eius. Amicus fidelis validum munimentum est, & qui inuenerit ipsum inuenit thesaurum. Theolog. or.6.

Præpone semper improbis viros probos. Idem tetrast.4.
Nam si frequens sis cum malis, eris malus.

Amicitia tum patiendo tum audiendo nihil non tolerabit.

Discordia propter pietatem, melior est quàm cõcordia alicui vitio obnoxia.

Qui inimicos regis familiares habet, non potest amicus esse regis. Chrysost.

Febris non tantum inurit corporis naturam, quãtum animos amantium se, disiunctio.

Præstat solẽ nobis extingui, quàm priuari amicis. multi enim solem videtes in tenebris sunt: qui autẽ amicorũ copiã habẽt, in afflictione esse nõ possunt.

Nihil enim amicitia iucundius accidere potest. Nam quid non faceret syncerus amicus? Quantum voluptatis, quãtum vtilitatis, quantum denique securitatis ille non afferret? Infinitos licet thesauros narres, nihil omnium tamẽ synceri amici pretium, æquauerit.

Valde amari cupere, ex valde amando nascitur.

Animum sæpius excitat, nõ solum memoria illorum quos amamus, sed vestis etiam eorum visa, aut litera quam pinxerit exoptata manus, aut aliud quippiam

quippiam factum obuium, quo illi vtebãtur.

Profecta ab illis qui amantur, licet exigua, desideranti videntur magna.

Quamuis gladium strinxeris aduersus amicũ, non tamen desperes. Patet enim reditus ad ipsum, si os aperueris: noli desperare, licebit enim reconciliari si absit exprobratio, & arcanorum detectio.

Photij Paræchæ. Magna pericula dissoluunt etiam amicitię leges.

Diligere illos qui nos habent odio, diuina quædam virtus est: amantes autem redamare, humanũ & vulgare est: cæterùm odisse diligentes, ne belluis quidem conuenire videtur.

Philonis. Amicus ducendus est, qui auxilium & operam mutuam, si re ipsa non potest, voluntate saltem præstet.

Temi In cæteris quidem rebus laudatur mediocritas: in amore vero qui plurimum habuerit, is deo charior fit.

Plutarchi Equi bonitatem in bello, amici vero fidem in calamitate iudicamus.

Vasa quidem meliora sunt noua: sed amicitia præstat quò vetustior.

Amicos multi non optimos, sed diuites eligunt.

Vera amicitia tria præcipue requirit: Virtutem, vt honestum: familiaritatem, vt iucundum, & vtilitatem vt necessarium.

Tarde quidem ineas amicitiam, initam verò cõstanter serues.

Amicos probabis ex calamitate in vita, & communicatione periculorum. Aurum enim igne probamus amicos in aduersa fortuna cognoscimus.

Absentium amicorum apud præsentes mentionem facito, vt etiã præsentes nõ videaris negligere.

Oculis quidem vix ea videre licet, quæ ante pedes sunt: per amicos autem etiam longius remota conspiciuntur. Auribus quidem vix ea hauriuntur quæ proxima sunt: per amicos omnia vbiuis necessaria audire datur.

Facilius quis cum amicis grauissimam calamitatem fert, quàm solus vel maximam prosperitatem.

Aristot. Quis idoneus est amicus? qui plurimas iniurias ferre potest.

Demosth. Sicut vinum attemperatur ingeniis bibentium, ita & amicitia pro moribus vtentium variat.

Socratis. Democriti Amicum syncerum in rebus aduersis ne timeas.

Probum amicum, gaudiis quidem vocatum adesse decet, aduersis casibus sua sponte.

Veri amici tũ suaues amicitias fruitione cõmuni, tũ calamitates leuiores participatione sua reddunt.

Euripidis Hoc scio, & planè expertus sum, Quòd omnes, amici fiant diuitibus.

Amicum existimes qui teipsum diligit, non tua.

Melchionis. Sati⁹ est multis pecuniis amicis vnũ amicũ cõparare: q̃ amico vno amisso multas adipisci pecunias.

Cæcilij. Pecuniæ non debent pro amico haberi, sed amicus pro pecuniis.

Theognid. Multi ad pocula, chari fiunt amici.

In rebus autem seriis pauciores.

Menandri Aurum quidem probari solet igne, Amici vero beneuolentia tempore iudicatur.

Verus amicus est, qui calamitatum quoque particeps fuerit cum amicis.

Equi vsum aspera via prodit, & amicum beneuolum calamitates discernunt.

A In prosperitate facillime reperias amicum, aduersante autem fortuna, difficillime. Epicteti.

Aduersorum casuum necessitas amicos probat: arguit inimicos.

Amicis præsentibus beneficia, absentibus bona verba conferre oportet.

A nemine amari se cogitet, qui neminem amat.

Medicum & amicum deligere oportet, non qui iucundior, sed qui sit vtilior.

Amicum non diligas vtilitatis gratia. Nam talis amicitia breuis & instabilis est. Sexti

Erga amicos esto cõstans, erga inimicos cautus. Pittaci. Nicoclis.

B Primum iudicare, deinde amare conuenit, non vice versa.

Si fueris sordidus nõ habebis optimum amicũ. Libanij

Cum amicis feliciter agẽtibus gaudendum est, & tristantibus, condolendum.

Omnibus esto comis, familiares autem habeas optimos.

Fidis amicis nil puta præstantius, Theologi Tetrast. 45.
Quos casus asper extulit, non pocula.
Qui profutura consulunt, non quæ placent.

Amicus secundùm deum veracibus verbis mel & lac profundit. Solonis.

Raro ad amicũ ingreditor, ne tui satur te oderit.

C Nũquã desideres amicum tibi cõparare, qui neque in corp⁹ nec in animã tuã beneficus esse queat.

Idem fuerit ex aureo poculo remedium bibere, & ab amico beneuolo consilium capere.

De amicis improbis. Sermo. 25.

NE moliaris in tuum amicum mala, prope habitantem & confidentem in te. Prou. 3.

Ne deseras amicum veterem, nouus enim nõ par est ei. Vinum nouum, amicus nouus, inueteratum autem cum gaudio bibes. Sirach. 9.

Amicus est in tempore suo (alias, particeps mẽsæ) & non permanebit afflictionis tempore. Dum 6.
D res tibi secundæ sunt, erit sicut tu: & cùm humiliatus fueris, erit tibi contrarius.

Separare ab inimicis tuis, & ab amicis tuis tibi caue.

Amicus est, nomine amicus.

Si quæris amicum, in rebus aduersis, eum tibi pares & non statim credideris ei. ἐν πειρασμῷ (alij exponunt, experimento probatum.) Ibidem. 37. 6. 22.

Qui exprobrat amico suo, dissoluet amicitiam.

Quorum intemperans animus est, illi dum cibos ore tenẽt, grata verba loquũtur, adulãtur, & immodice admirantur: mẽsa vero aliquãtisper dilata, verbis cõuitia tanquã lapides in illũ effundũt, quẽ paulò ante instar dei propter voluptatẽ adorabant. Basilij.
E

Fugienda est amicitia illorum, quorum animus incertus & dubius est. Plutarchi.

Nullum tibi amicum sumas, priusquam inquisieris, quomodo se cum prioribus amicis gesserit. Expectabis enim talem erga te quoque futurum, qualis fuit erga illos. Isocratis.

Amor intempestiuus similis est odio.

Amicis subuenire non posse, inopiæ: non velle autem, malitiæ signum est. Socratis. Democriti.

Stultos in amicitiam ne recipias, alioqui tu etiã planè stultus vocaberis.

Demonactis. Pauciora mala contingũt hominibus ab inimicis quàm amicis. Inimicos enim cum metuant, ab eis cauẽt: amicis vero aperti sunt, vnde periculis exponuntur, & insidiis ipsorum facile capiuntur.

Sexti. Arcanum in amicitia auditum, inimicus postea factus ne efferas: læderes enim non tam ipsum amicum quàm amicitiam.

Libanij. Ne pares amicũ cui nõ ausis per omnia credere.

Amicorum inter se offensiones ægerrime conciliantur, & maioribus contumeliis aguntur, quàm hostium.

Secretum tuum amico ne indicaueris, & nõ metues ipsum inimicum tibi factum.

Philiꝯ. Ne propter iram effutias arcana amici. Quin B sperès ipsum denuo amicum tibi fore.

Sæpe iucundior fit amicitia, quę deposita simultate ad concordiam rediit.

Fugiẽdæ sunt malorum amicitiæ, & bonorum inimicitiæ.

AD SERM. 25.

a Theognid. Multi ad pocula] *Hic prior versus sic apud Antonium legitur* πολλοὶ παρ' κρητῆρι φίλοι γίνονται ἑλαῖροι. *At apud ipsum Theognidem aliter* πολλοί τοι πόσιος καὶ βρώσιος εἰσιν ἑταῖροι, *Multi sanè potus & cibi sunt amici.*

b Equi vsum aspera] *In Græco Antonij legimus* οἴνου χρείαν. *Vnde Gesnerus collegit legendum* ἵππου χρείαν, *fortasse facilius correxisset* ὄνου χρείαν. *Certe apud Maximum Serm. 6. Eadem hæc sententia sic concipitur. Asini vsum arguit asperitas.*

De dilectione, Sermo. 26.

Lucæ. 6. DIxit dominus: Si diligitis eos qui vos diligũt, quæ vobis gratia? Nã & peccatores, eos à quibus diliguntur, diligunt. Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis his à quibus speratis vos recepturos, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus dant mutuum, vt recipiãt paria. Quinimo diligite inimicos D vestros, & benefacite, & mutuum date nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filij altissimi, quia ipse benignus est erga ingratos ac malos. Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est.

Matt. 5. Dixit dominus, Diligite inimicos vestros, benecemini deuouentibus vos: benefacite iis qui vos odio prosequuntur, orate pro iis qui lædunt & insectantur vos, vt sitis filij patris vestri qui est in cœlis, qui solem suũ exoriri finit super malos ac bonos & pluuiam mittit super iustos & iniustos.

Ioan. 13. Dixit dominus, Præceptum nouum do vobis, vt diligatis vos inuicem, sicut ego vos dilexi, vt & E vos diligatis inuicem. In hoc enim cognoscent omnes quod mei discipuli sitis, si charitatem habetis inter vos.

15. Hoc est præceptum meum, vt vos mutuò diligatis, maiorem hac charitatem nemo quàm vt ponat aliquis vitam suam pro suis amicis.

Rom. 13. Nemini quicquam debeatis, nisi hoc, vt inuicem diligatis. Nam qui diligit alterum, legem expleuit. Siquidem illa. Non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod aliud præceptũ, in hoc A sermone summatim comprehenditur, nempe: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Consummatio itaque legis, est dilectio.

Vniuersa lex consummatur in vna, quæ proximum quemque suum vt seipsum diligere præcipit. Gal. 5.

Super omnia autem hæc charitatem induti sitis, quæ est vinculum perfectionis, & pax dei. Coloss. 3.

Diligite vos inuicẽ vehementer ex puro corde. 1. Pet. 1.

Charitas enim tegit multitudinem peccatorũ. Ex epist. Ioan. 1.

Hoc illud est, quod audiuistis ab initio præceptum, vt nos inuicem diligamus.

Per hoc cognouimus charitatem, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Ioan. 3.

Qui diligit fratrem suum, in luce manet, & offendiculum in eo non est.

Filioli mei, ne diligamus verbo neque lingua sed opere & veritate. Per hoc cognoscimus quòd ex veritate sumus. Ibidem.

Charissimi, diligamus nos inuicem, quia charitas ex deo est. Et omnis qui diligit, ex deo natus est, & cognoscit deum: quoniam deus charitas est. Ibidem.

Deum nemo vidit vnquam. Si diligamus nos inuicem, deus in nobis manet, & charitas eius est perfecta in nobis.

Si quis deum se diligere dixerit, & fratrem suũ C oderit, mendax est. 1. Ioan. 2.

a Confirmetis charitatem, sine qua parui momẽti esse totiꝰ legis opera, ipse dominus nobis asseruit. Basilij.

Charitatis duo sunt peculiaria: alterum, tristari & angi dispẽdiis eius qui diligitur: alterum, gaudere successu eius & pro eo certare. Theologi.

[redacted]

Quis modus est dilectionis erga Deum? Hic est vt anima semper nitatur etiam supra vires suas ad volũtatem dei, & iuxta scopum ac desyderium gloriæ ipsius agat.

D Charitas est vinculum perfectionis. (*Idem Paulus ad coloss.* 3.)

b Charitas colligat, & vnum ex tribus, manet in suo statu, aut inde mota sistitur, aut si abierit reuertitur: quemadmodum stirpes si manibus violenter retrahas, & iterum dimittas, ad seipsas recurrunt.

Benigna est charitas, aut potius ipsa benignitas. (αὐτοφιλανθρωπία)

Nihil tantum valet in dilectione, quantum similis animi respondens affectus.

Non sufficit* animus, nisi accedant etiam opera. Siquidem opus, est animi declaratio.

Opifex omnium virtutum est charitas.

E Charitatis natura satietatẽ nescit, sed dũ semper fruitur dilectis, magis magisque inflammatur, & hoc insinuans alumnus charitatis Paulus dicebat: Nemini quicquam debeatis præter mutuum amorem. Hoc enim debitum, semper quidem exenditur, nũquam vero persoluitur. In hoc genere debere, bonum est & laudabile. Nam circa pecunias eos laudamus, qui nihil debent: circa dilectionem vero, eos qui nunquã non debent beatos iudicamus. Et quod magnitudini, hîc gratitudini tribuitur. Chrysost. mi. Rom. 13. Greg. Nil.

Dilectionis bonitas longam aduersantium animæ malorum seriem depellit.

Totus

Totus malorum grex per habitum dilectionis aboletur.

c Dilectio multis modis percipitur, manſuetudine, benignitate, patientia & ingenuitate, quæ nihil inuidiæ, nihil æmulationis habet neque meminit iniurias, nuſquam ab aliis ſeiungitur, non diſcernit alios, libenter communicat.

Inimicorum dilectio non includit dilectionem mali, vt impietatis, adulterij, furti: ſed furis, & adulteri: non quatenus peccãt, & hoc vel illo opere nomen hominis inquinãt: ſed quatenus homines ſunt & creaturæ vel opera dei. Siquidem peccare actio eſt, & non eſſentia, quare nec opus dei.

Diligere illos qui nos oderunt, virtutis opus eſt & diuinum: diligentes diligere, humanum & vulgare: cæterùm odiſſe etiam diligentes, ne belluis quidem conuenit.

In cæteris rebus laudatur modus: in dilectione verò, qui maiorem partem habet, gratior eſt deo.

AD SERM. 26.

a Baſil. confirmetis charit.] *Gr.* ἧς ἄνευ ἀδελῆ εἶναι πάσης ἐντολῆς ἐργασίαν, *ad verbum ita vertas, ſine qua imperfectum eſſe omnis mandati opus.*

b Charitas colligat] *Paulo planius ita reddas quæ ſequuntur. Atque è tribus vnum accidit, aut cum eſt, manet, aut cum mota eſt & conuulſa, in integrum reſtituitur, aut cum abſceſſit reuertitur, non ſecus ac plantæ, quæ manibus per vim in diuerſum tractæ, ſimulatque dimittantur* (εἶτα ἀφιέμενα *quod omiſerat interpres,*) *ſtatim ad ſeſe primámque ſuam naturam recurrunt.*

c Clement. Et ingenuitate, quæ nihil inuidiæ] *Locus hic apud Clementem 2. Stromat. ſic habet* Διὰ τοῦτο μονῆς, δι' ἀφθονίας, καὶ ἀζηλίας, διὰ ἀμνησικακίας. ἀμεέιφος ἔξις ἐν πᾶσιν, ἀδιάκριτος, κοινωνικὴ *per patientiam per inuidiæ & liuoris vacuitatem, per iniuriarum obliuionem. Charitas in omnibus ſimplex ac diſtinctionis expers eſt, ſeſéque omnibus impertit.*

De Eleemoſyna & Pœnitentia in pauperes, Sermo 27.

Matt. 5. Ibidem. BEati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

Eſtote ſimiles patri veſtro cœleſti, quoniam ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos ac iniuſtos. Matt. 10.

Operam date ne eleemoſynam veſtram coram hominibus largiamini, vt ſpectemini ab ipſis: ſin minus mercedem non habetis apud patrem veſtrum cœleſtem.

Quicunque dederit ad bibendum vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ in nomine diſcipuli, amen dico vobis non perdet mercedem ſuam. Matt. 13.

Tunc dicet rex his qui à dextris ſibi erunt. Venite benedicti patris mei poſſidete regnum paratũ vobis ab exordio mundi. Eſuriui enim & dediſtis mihi edere. Sitiui & dediſtis mihi bibere. Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Parate vobis ſacculos, qui nõ veteraſcunt, theſaurum non diſicientem in cælis, quò fur non accedit, neque tinea corrumpit. Vbi enim theſaurus veſter eſt, & ibi cor veſtrum erit.

Luc. 12. Dicebat autem & ei, qui ſe inuitauerat: Quum facis prandium aut cœnã, noli vocare amicos tuos Luc. 14. 16. neque fratres tuos, neque cognatos tuos, &c.

Facite vobis amicos ex mammona iniuſto, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Beatius eſt dare quàm accipere. Qui duas tunicas habet, communicet non habenti, & qui habet cibos, ſimiliter faciat. Acto. 12. Luc. 3. Rom. 12.

Singulatim alij aliorum membra ſunt, ſed tamẽ habẽtes dona iuxta gratiam datam nobis varia, &c. ſiue qui impertit in ſimplicitate, qui præeſt in diligentia, qui miſeretur in hilaritate.

Qui ſementem facit parce, is parce meſſurus eſt. Et qui ſementem facit libenter ac benigne largiendo, copioſe meſſurus eſt, vnuſquiſque ſecundùm propoſitum cordis non ex moleſtia aut neceſſitate: nam hilarem datorem diligit deus. 1. Cor. 9.

Beneficentiæ & communicationis ne obliuiſcamini, talibus enim victimis placetur Deo. Heb. 13. 1. Ioan. 3.

Qui benefacit, ex deo eſt. Deut. 15.

Pauper non deerit in terra, quare præcipio tibi, vt large aperias manus tuas fratri tuo pauperi, & indigenti in regione tua.

Oculus eram cæcorum, pes claudorum, ignis inualidorum. Iob. 29. Pſalm. 111.

Diſſipauit, dedit pauperibus. Prou. 2. 3.

Eleemoſyna & fides non relinquant te: ſuſpende eas à collo tuo, & eris gratioſus. 13.

Ne parcas benefacere pauperi, quando in poteſtate tua fuerit vnde iuues eum. Ne dixeris, alias redi, & dabo cras, cum habes quod largiaris. Neſcis enim quid poſtridie fiat. 16.

Diuitiæ proprijæ redimere poſſunt animam hominis.

Beneficentia & fide expiantur peccata.

Hilarem datorem diligit deus. 2. Corinth. 9.

In omni dato hilari ſis vultu. Sirach. 35.

Donum hominis dilatat ei, & requiem parat ei coram magnatibns. Prouerb. 18. Eſaiæ 58.

Frange eſurienti panem tuum, & pauperes ſine tecto induc in domum tuam. Nudum ſi videris, veſtito: & domeſticos generis tui ne deſpicias. Tunc erumpet tanquam aurora lux tua, & incolumitas tua germinabit. Iuſtitia anteibit faciẽ tuam, & gloria domini colliget te. Te clamantem exaudiet dominus, & adhuc loquenti reſpondebit: En adſum.

Si porrigas eſurienti panem tuum ex animo, & hominem afflictum ſatiaueris, orietur in tenebris lux tua, & fiet caligo tua ſicut meridies, & deus perpetuò tecum erit; ſaturaberis ex animi ſententia, & oſſa tua ſaginabuntur, ac ſimilis euades horto irriguo cui non deeſt aqua. Et paulò poſt.

Peccata tua redime eleemoſynis, & iniquitates tuas commiſeratione pauperum. Daniel. 4. Sirach. 3

Aqua reſtinguit inflammatum ignem, & eleemoſyna expiat peccata.

Facilis eſto ad audiendum pauperem, & cum manſuetudine placida verba ei reſponde.

Largire pio, & [illegible]. Benefacias afflicto, ſed nihil eroges in impium. 12.

Include eleemoſynam cellis tuis, & ipſa te ab omni afflictione liberabit: & contra hoſtem tutius te defendet quàm valida haſta. 29.

Miſericors afflictionis tempore ſimilis eſt pluuioſæ nubi in magna ſiccitate. 35.

Satius eſt miſericordiam exercere, quàm aurum congerere. Siquidem à morte liberat miſericordia, & expurgat à ſcelere. Tobiæ. 12.

Qui misericordiam præstant, satiabuntur vita.

Ne auertas faciem tuam ab vllo paupere, & deus quoque faciem suam à te non auertet.

Melius est innumeræ prolis patrem vocari, quã stateres innumeros habere in loculis. Pecunias .n. hic vel inuitus relinques, gloriam verò bonorũ operum deferes ad dominum : Et cùm totus populus apud communem iudicem te circundantes appellauerint suũ altorem, benefactorem, & omnibus benignitati propriis nominib. Deus erit qui te suscipiet, angeli collaudabũt, & homines à condito mũdo beatum te prædicabunt: ibi æterna gloria, corona iustitiæ, & regnum cœleste, præmium tuũ erunt.

Psalm. 111. Si diuitiæ spargantur eo modo quem dominus præscribit, remanere solent: sin retineantur, alienari. Si custodias, non habes: si vero dissipes, non perdes. Dissipauit, dedit pauperibus.

Pulcherrimum funus est pietas. Cum omnes vestieris discede, para tibi ex diuitiis tuis ornatũ proprium vt opes tuas tecum habeas: obsequitor optimo cõsultori Christo, qui te dilexit, qui propter nos pauper fuit, vt nos ex eius paupertate ditaremur.

Misericordia est affectus, qui fit cum aliquis animo commouetur erga afflictos indigne.

Theologi. *a* Deus misericordia maxime omnium colitur, nec alius quisquam deo familiarior, quàm ille quẽ misericordia & veritas antecedunt.

Orat. 16. Gratitudinis aliquod specimen deo exhibeas quòd te fecerit vnum illorum qui beneficia præstare possunt, non autem qui opus habent accipere: & quòd non inspiciendæ tibi sint alienæ manus, sed aliis tuæ. Diues esto, non solum operibus, sed etiam pietate. Ne solum auri, sed insuper virtutis possessione alios antecellas, exhibendo te probiorem & benigniorem. Deus esto calamitosis, dei misericordiam imitando: nihil enim beneficio diuinius in hominem cadit.

Ibidem. Misericordiam tuam ne nox quidem intercipiat: ne dixeris, alias redi, & in crastinum dabo, ne quid fortè accidat inter propositum tuum & beneficiũ, vnde impediatur.

Or. 40. in baptisma. Nudum si videris, vestito, honorans immortale tuum indumentum, quod est Christus. Nã quotquot in Christo baptizati sumus, Christum induimus.

Benefici estote & liberales, non ex superfluis rebus sed etiam vsui vestro commodis. Quippe deũ magis delectat ipsa largitio, quàm eius copia vel magnitudo.

b Pulcherrime hoc & benignissime deus facit, quod non ex pretio rei datæ, sed offerentis facultate & animo, donum æstimat. Proinde benignus esse ne differas sed nunc esto: nec ideo quia pretij sũma te destituit, totam relinquas liberalitatem sed re ipsa præstes, partem animi promptitudine, aut proposito in posterum. (In Græco est: τὸ μὲν εἰσενεγκε, τὸ δὲ προθυμήθη).

Liuori & atræ deme quid rubigini,
Tetra. 30. *Ac debitorem præfer omnibus Deum,*
Fructo rependit regna qui cælestia.
Alis tegísque, pauperes pascens, Deum.
Tet. 29. *Depelle cuncta: sint opes solus tibi*
Christus. Tuæ quas porrigis, non sunt opes.
Si cuncta non vis, maximam partem dato.

A *Si ne hoc quidem vis, quæ redundant, eroga.*
Accesit ad me pauper: at frustra tamen.
Christe extimesco, ne tuam quærens opem, Tet. 31.
Abeam, vicissim prorsus abs te nil ferens!
Nam quod negat quis alteri, frustra petet.

Ne inquiras solicite, quis largitione dignus aut indignus sit.

Multò melius enim est propter dignos indignis quoque porrigere, quàm dignos fraudare præ metu & suspicione indignorum. Or. 19. in fun. patr.

Præstat conferre quenque quod facultatis est suæ, quàm prorsus deficere.

Magnum calamitoso remedium est misericordia ex animo collata: & genuina cõdolentia multò B leuiorem reddit calamitatem. Or. 16.

c Paupertas non impedit eleemosynam: idq; testatur vidua illa, quæ quadrantem elargita, cæteris, etiam qui multa erogauerant prælata est. Mar. 12.

Magna vis est eleemosynæ. Siquidem nutritores suos multa cum fiducia in regnum cœlorum introducit. Nota est enim ianitoribus cœli, qui thalami fores custodiunt: neque nota solùm, sed etiam venerabilis: & à quibuscunque se honoratam cognouerit, illos confidenter introducet. Nam si deũ in terram deduxit, & hominem fieri persuasit, multò magis hominem in cœlum adducere poterit.

Cauta lect. † Penes nos situm est vt deus misereatur nostri, C ipse nobis hanc gratiam condonauit. Nempe si offeramus ei quæ misericordia & benignitate eius indigna non sint, miserebitur nostri: si vero nos nulla nostri misericordia tangamur, quis nobis parcet? Miserere proximi, & misericordiam à deo cõsequeris. Maior est quæ peccatoribus exhibetur misericordia quàm quæ iustis. Hoc enim misericordia est, non illorum qui rectè egerunt, sed qui deliquerunt, misereri. Non ita laudandus est qui magnum aliquem suscipit, vt qui miserum & ærumnosum. Et qui colit hominem præstantem & clarum, sæpe ad ostentationem coram hominibus id facit: qui vero abiectum & desperatum curat, propter solum dei præceptum id agit. D

Misericordia expers est omnis sceleris: omnia reddit pura. Hæc & ieiunio & cubitu super humo, quamuis molestioribus magisque laboriosis, melior est, vtpote vtilior: hæc animam colorat, subtilem, pulchram, & formosam efficit.

Regni vestibula accedere nequaquam licet, quamuis innumera (sed absque misericordia) peracta sint bona

Illa sola lucrabimur, quæ præmiserimus illuc: illa sola nostra sunt, quæ bona opera animæ dicuntur, vt misericordia, benignitas. Non enim licet acceptis pecuniis, abire: quin igitur eas præmittamus, E vt † paremus nobis tabernaculum in æternis habitationibus. † Luc. 16.

Anima sine misericordia, sterilis est. Sine hac omnia impura sunt, omnia inutilia. Hoc illud est, quo deo similes nos euadere licet, misereri inquã & condolere. Hoc nisi habeamus, priuati sumus omnibus. Christus non dixit, Si ieiunetis, similes eritis patri vestro, neque si castitatem tueamini: quid igitur? Estote misericordes sicut pater vester cœlestis. Misericordiam enim inquit, volo, & non sacrificium.

Quæ

Quæ à Deo consequi cupimus, ea prius communicare debemus proximis. At si proximos fraudemus eis, quomodo nos eadem consequuturos speremus? Beati (inquit) misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequẽtur. Immisericors autem iudicium illi continget, qui misericordiam non exercuerit.

Extende manus tuas, non in cœlum, sed in manus pauperum. Si manũ in pauperis manus tetenderis, ipsum cœli verticem attigisti: nam qui illic sedet eleemosynam accipit. Si verò vacuas extenderis, nihil profeciſti. Non enim in extensione manuum, neque verborum multitudine, sed in ipsis operibus situm est vt exaudiaris. Audi enim Prophetam dicentem: Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & si copiosi fueritis in deprecando, non exaudiam vos. Quin potius iudicate pupillo & afflicto, & causam viduæ promouete, & discite quod bonum est facere.

Nisi essent pauperes, non tam multa peccata abolerẽtur. Pauperes nobis vulnerum nostrorum medici sunt: remedia nobis porrigũt manus suas. Non adeò medicus extendẽs manus & imponens pharmaca, sanationem efficit, quàm pauper manus extendens, & quæ porrigimus accipiens, absterſio est malorum nostrorum. Expendi argentum, simul etiam peccata exiuerunt: tales etiã sacerdotes erant, de quibus scriptũ est. Peccata populi mei comedẽt.

Cæcus misericordiam consecutus in regnum cœlorum deducere nouit: & quamuis ad parietes offendens, & incidens in foueas, ducem se præstat ascensionis in cœlum.

Quid frustra laboras ô dives, res pauperum in thesauris tuis recondens? Cur indignaris petentibus illis tanquam de tuo expendas? bona paterna petunt, non tua, quæ tibi commissa sunt ipsorum gratia, non tecum nata. Da quæ accepisti, & vsum eorum tibi concessum in lucro ponas. Satis est tibi quòd dare non accipere destinatus sis.

Ioan Grat. oleum fuæ misericordia.

Regum vncio quid significet.

Nihil tam gratum est Deo quàm eleemosyna. Quare sacerdotes antiquo ritu inungebantur oleo vt & sacerdotium à misericordia inchoaret. Reges etiam vngebantur oleo. Omnium enim (inquit) misereri debes cum possis omnia. Nempe hoc ipsum, misereri dico, proprium est principatui. Cogita quòd mundus per misericordiam constitutus sit, & imitare Dominum. Misericordia hominis in proximum suum, Domini autem in omnes homines extenditur.

Nihil tam similes Deo reddit, quàm ad veniam improbis ac iniuriis dandam paratum esse.

Greg Nyſſ. tom.

Misericordia, est voluntaria tristitia ex alienis malis producta.

Clementis.

Facile posset Deus neminem facere pauperem, sed ita beneficentiæ ansam adimeret, nec amplius vellet aliquis condolere. Nunc verò alij aliorum gratia vel diuites vel egeni sunt, vt locus & materia beneficentiæ suppetat.

Philonis.

Talem te famulis tuis præbe, qualẽ tibi Deum optas. Audiemur enim à Deo sicut nos audimus, & aspiciemur ab ipso vt nos aspicimus. Offeramus igitur misericordiam pro misericordia, vt pro simili simile adipiscamur.

Democriti.

Hospitibus & egenis impertire de rebus tuis. A Nam qui non dat indigenti, nec ipse accipiet cùm indigebit.

Pittacus iniuriam passus à quodam, cum illum puniẽdi potestatem haberet, dimisit, inquiens: Venia melior est vindicta: hæc enim belluini est ingenij, illa mansueti.

Ex percepto dolore condolere discas. Nam & tibi alius qui doluit, condolebit. Philonis.

AD SERM. 27. NOTÆ.

a In loco Theologi, Deus misericordia] ὅτι μηδὲ οἰκειότερον τῷ θεῷ, ἢ ἔλεος καὶ ἀλήθεια προπορεύεται. *Neque enim vllus omnino cultus Deo perinde gratus est, ac misericordia, quandoquidem neque aliud quicquã est, quod Deo magis conueniat, vtpote quem misericordia & veritas præcedunt. Greg. Naz. orat. 16. de pauperum amore. alludit ad illud Psal. 88. Misericordia & veritas præcedent faciem tuã.*

b Pulcherrimè. nec ideo quia pretij] *Interpres ideo Græca quædam addidit quòd corruptus esset hic locus quem nec recte vertit. Sic restituentur ex orat. 9. ad Iulianum exæquatorem* μηδὲ ὅτι τῆς ἀξίας λείπει, τὸ πᾶν ἐλλείπῃς. *Neque ideo quod satis dignum munus offerre non potes, idcirco omnino officiũ desere: quin potius ita te compara, vt alia statim offeras, ad alia offerenda te pares.*

c Paupertas non impedit] *In parallelis D. Damasceni hæc ex D. Chrysostomo citãtur: ex quo etiam desumptas esse arbitror eas sententias quæ hanc sequuntur. Ea quidem certè quæ incipit Regni vestibula (cælestis scilicet) reperitur Hom. 22. in Ioannem. tom. 3. operum Chrysost.*

De parcis & illiberalibus, & eleemosynam non facientibus. Sermo 28.

VÆ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quoniam decimatis mentam, anethum, & cyminum, & quæ grauiora sunt in lege relinquitis, iudicium scilicet & misericordiam: oportebat autem hæc facere, & illa non omittere. Matt. 23.

Qui sciens bonum facere non facit, peccat. Iaco. 4.

Immisericors iudicium experietur qui misericordiam non fecit. Salomon.

Impiorum viscera misereri nesciunt. Prou. 12.

Vitium est quod vidi sub Sole, diuitias custodiri in malum Domini sui, & illi peribunt in afflictione pessima. Eccli. 5. Sirach.

Est aliquis dives per curam & anxietatem suam, & relinquet opes aliis, ac morietur.

Qui colligit, animam suam defraudans, colligit aliis & in bonis ipsius multi deliciabuntur.

Malus sibiipsi, cuinam erit bonus? Fili quoad potes benefac tibiipsi.

Basilij. Homil. in diteſc. auaros.

Audi ô homo Salomonem: Ne dicas, Reuertere aliâs, & cras tibi dabo, cũ possis beneficiũ præstare: nescis enim quid crastinus dies pariat. O quæ præcepta contemnis, & tristitiam ac grauitatem præ te fers, declinans obuios, ne quid etiam modicum expendere cogaris. Vnam hanc vocem nosti, cùm nihil habeam, nihil dabo: pauper enim sum. At qui verè pauper es & inops omnis boni, inops fidei erga deũ, inops benignitatis, inops spei. Quin impertiris fratribus tuis ea quæ aliter à tineis erodẽtur? Pessimum istud auaritiæ genus est, ne corruptioni quidẽ ad breue tẽpus obnoxia, indigentibus cõmunicare.

Misertus non es? misericordiam non cõsequeris: non aperuisti domum? excluderis regno? non dedisti panem esurienti? non accipies æternam vitam.

Merces operum. Ostende ô homo opera, & pete mercedẽ. Nemo solutis iam nundinis, negotiatur: neque post certamina reuersus coronatur, ne igitur post mortem demum pius esse velis.

Greg. Nyss. Messis tibi sementi respondebit. Amaritiem seuisti? carpe manipulos. Immisericordiam coluisti? habeas quod dilexisti: fugisti misericordiam? eadem te quoque fugiet, abominatus es pauperem? abominabitur te qui nostrî gratia pauper fuit.

De beneficentia & gratia. Sermo 29.

Luc. 14. DIxit Dominus, cùm facis prandiũ aut cœnam noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos tuos, ne quando & ipsi te vicissim inuitent, ac repẽdatur tibi beneficium. Immò cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris: quia non possunt rependere tibi: rependetur enim tibi in resurrectione iustorum.

Luc. 6. Sicut vultis vt faciant vobis homines, etiam eis similiter facite.

1. Ioan. 3. Qui bene facit, ex Deo est: qui vero malè facit, Deum non vidit.

Salomonis. Cuiuis instituenti bonum, Deus cooperatur in bonum. Prudentiæ est etiam scire cuius sit gratia.

Sermo bonus melior est munere: bonus sermo superat donum.

Labia iustorum agnoscunt gratias.

Syrach 29. Gratiam hominis, tãquam oculi pupillam conserua.

Basilij. Ingratus animus videtur in ablatione demum bonorum beneficium præteritum agnoscere.

Bonorũ operũ gratiæ reuertuntur ad largitores.

In Reg. breu 176. Benefactores quidem etiam feræ naturali instinctu amant: quid vero tantum boni amicus in nos confert, qnantum inimici comparantes nobis benedictionẽ Domini, qui dixit: Beati estis cùm probra iecerint in vos, & persequuti fuerint, & dixerint omne malum verbum contra vos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis.

Theologi orat. 16. Dum nauigas secundis ventis, manum porrige naufrago: & dum bene habitus ac diues es, male affectum iuuato.

Petitionis magnitudinem determinari conuenit pro modo illius à quo petitur: Tam enim absurdũ est magna à paruo petere, quàm parua à magno. Hoc enim vile, illud importunum habetur.

Orat. 16. De pauper. amore. Homo nihil tam Dei habet quàm benefacere: quamuis hic in magnis rebus, ille in paruis benefaciat, vterque nimirum pro sua facultate.

In monasticis. Chrysost. Benefaciendo Deum imitari te puta.

Multos videmus post accepta beneficia, authores beneficiorum veluti mancipia contemnere, & frontem aduersus ipsos caperare.

Benefici simus erga illos qui non sentiunt se beneficiis affici, ne nos vicissim aut laudãtes aut aliter remunerantes, mercedem nobis imminuant: Nam cùm nihil ab hominibus acceperimus, tũc maiora accipiemus à Deo.

Sæpe sufficit vel ipsa voluntas magnum aliquod bonum faciendi.

Nõ benefacit qui benefacit, sed beneficium ipse accipit potius quàm dat. Maiora enim accipit quã largiatur, quoniam Deo mutuum dat, non hominibus auget opes, non minuit. Minuit autem, si nihil demat, si nihil elargiatur.

Qui bonum sibi in voluntate tantum proposuit, impeditur autẽ imbecillitate, quo minus effectum det: nihil inferior est animi sui habitu quàm qui re ipsa propositum suum declarauit. Greg. Nyss.

Qui animæ tuæ beneficium præstat, veluti ministrum Dei post Deum honora.

Qui largiuntur indignis quæ dignis conferri debebant, tria committunt absurda: nam & ipsi iacturam faciunt, & in bonos contumelioſi sunt, & malos roborant materia vitiorum suppeditata. Photij Patriarchæ.

Ingrato benefacere, & vngere mortuum, æqualia sunt. Plutarchi.

Serpentem alere, & malo benefacere, idem est. Neuter ad beneuolentiam beneficio trahitur.

Anacreon lyricus, cum auri talentum à Polycrate tyranno cepisset, aliis id distribuit, inquiens: Odi munus quod vigilare cogit. Anacreontis.

Demosthenes interrogatus quid homo simile Deo haberet, dixit: benefacere & vera dicere. Demosthenis.

Parua beneficia tempestiua, maxima sunt accipientibus ea in aduersitate. Democriti.

Parua potius largire, q̃ magna ꝓmitte. Hoc enim periculo vacat: & qui accipit, re nõ verbis indiget.

Si cui benefacturus es, statim facito. Tarditas enim vitiosum reddit munus.

Si benefacere potes, ne cuncteris, sed largire: sciens quòd res non sint stabiles.

Qui diuiti largitur, nihil ab illo differt qui aquã in mare profundit. Socratis.

Nihil in vita celerius beneficio senescit.

Beneficium apud gratos nunquam moritur. Catonis.

Ne recuses in paruis gratificari: videberis enim, in magnis quoque eiusmodi esse. Epicuri.

Ne exprobres amico tuo beneficia: secus enim, eris quam non dederis. Sexti.

Qui temporis rationem non habent, nec arripiunt occasionem, quamuis aliquid boni diuinitus eis obtigerit, non meminerunt. Demosthenis.

Ne petas magna, ne alterum è duobus accidat, vt vel compos redditus voti molestus fias aliis: vel nõ compos, ipse molestiam sentias.

Non ab omnibus, quæ dantur accipienda sunt. Cratetis.

Non decet enim virtutem ab improbitate nutriri,

Benefacito bonis. Pulcher enim thesaurus est apud virum bonum debita ei gratia. Isocratis.

Opes non absumuntur beneficẽtia: dando enim accipitur, & spargendo colligitur. Thespidæ.

Cùm quid ab aliquo accepisti, mox redde, vt iterum accipias.

Non inutile quidem est pecunias acquirere: per iniustitiam vero, longè pessimum.

Hymnos Deo, hominibus laudes exhibere oportet.

Beneuolentia & gratia persuadentium est, non cogentium,

De inopia & Paucarum rerum indigentia. Sermo 3.

Dixit

DIxit Dominus, Ne ſolliciti ſitis vitæ veſtræ quid comedatis, neque corpori veſtro quid induatis: ſed quærite regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Matth. 6.

Argentum aut aurum aut veſtimentum nullius deſideraui: ipſi ſcitis, quòd neceſſitatibus meis, & his qui mecum ſunt ſuppeditauerunt manus hæ. Eccl. 13.

Sint mores alieni ab auaritia cõtenti iis quæ adſunt. Siquidem ipſe dixit, Non te deſero, neque derelinquo.

Nam ego didici in quibus ſum, in his contentus eſſe. Noui & humilis eſſe, noui & excellere: vbique & in omnibus inſtitutus ſum, & ſaturari & eſurire, & abundare & penuriam pati. Omnia poſſum per Philip. 4. Chriſtum qui me corroborat.

Modicum ſatius eſt iuſto, quàm magnæ peccatorum diuitiæ. pſal. 36.

Diuitiæ ſi affluant, cor ne apponite. pſal. 61.

Vir indigens amat ſobrietatem. Qui vinum & oleũ amat, nõ ditеſcet. (*Aliter legitur apud Hebræos.*) Prou. 21.

Melius eſt pauca accipere cum iuſtitia, quàm multæ poſſeſſiones cum iniuſtitia.

Melius eſt conuiuium cum oleribus ad amicitiam, quàm appoſitio vitulorum cum inimicitia. 17.

Melior eſt buccella cũ voluptate in pace, quàm domus plena multis bonis & iniuſtis pecoribus cum contentione.

Diuitias & paupertatem ne mihi des Domine: ſed neceſſaria & quæ ſufficiant mihi largire, ne ſaturatus fiam vanus, & dicam: Quis me videt? aut pauper factus, furtum committam, & iurem per nomen Dei mei. 30.

Inuento melle quod ſatis eſt comede, ne fortè repletus euomas. 16.

Præſtat pugillus plenus cum quiete, duobus pugillis cum labore. Eccl.

Homini ſapienti ſufficit exiguum.

Vita frugalitatem ſequentis iucunda erit.

Somnus ſanitatis in ventre moderato.

Magnanimi ſitis. Parietes vero ſeu parui ſeu magni eundem vſum exhibent. Baſilij.

Vnus eſt ſcopus veſtis, vt ſufficiens tegumẽtum ſit ad hyemem & æſtatem.

Sumptus ſupra quàm neceſſitas & vſus poſtulant, abuſus eſt.

Præſtat exigua portio cum ſecuritate, quàm magna cum debilitate. Theologi.

Inopia tibi ſit obſonium, & quod ſatietas non adiicitur ſatietati, nec appetitus hebetatur crapula. Gregorij Nyſſeni.

Qui diem dedit, dabit etiam quæ ad diem neceſſaria ſunt.

Rerum neceſſariarum vſus & poſſeſſio, non qualitatem habet noxiã, ſed ipſam præter modum quantitatem. Clementis.

Paucitas cibi neceſſarium bonum eſt. Philonis.

Virtutis ſtudioſus paucis indiget, in confinio mortalis & immortalis naturæ ſitus: indigẽtia quidem laborans, propter mortale corpus: non multis autem indigens, propter animum immortalitatis cupidum.

Frugalitas ex temperantia ceu fonte ſcaturiens, rerum ad vitam neceſſariarum & vtiliũ mẽſura eſt.

Exerceri oportet vt paucis egeamus: hoc enim Deo proximos reddit, contrarium ab eodem remotiſſimos.

De diuitiis, & diuitibus qui bene ac decenter viuunt. Sermo 31.

FAcilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem in regnum Dei. Matth. 19.

Diuitibus in hoc ſæculo præcipe ne altũ ſapiant, neque ſpẽ in opes inſtabiles reponãt, ſed in Deum, qui nobis omnia porrigit ad fruendum abundè. 1. Tim. 6.

Qui diteſcere volunt, incidunt in tentationẽ & laqueum diaboli, & cupiditates inutiles ac noxias quæ demergunt homines in pernicië & interitum. 1. Tim. 6.

Diuitiæ multos amicos addunt. Prou. 19.

Diuites imperabunt pauperibus. 22.

Bonæ diuitiæ quæ ſine peccato ſunt.

Melior eſt pauper iuſtus, quàm dives mendax. 19.

Beatus dives qui inuẽtus eſt inculpabilis, & qui aurum non affectauit. Sirach. 31.

Diues concuſſus fulcitur ab amicis. 13.

Vigiliæ diuitiarum tabefaciunt corpus, & ſolicitudo earum amolitur ſomnum. 31.

Fluxa diuitiarum natura, torrente celerius poſſidentes prætermeat, & aliâs aliũ præterlabi ſolet. Baſilij. hom. in Pſ. 61.

Aquam citius manu comprehenſam tenueris, quàm diuitias ſatis ſeruaueris.

Qui bene & recta ratione præſentia adminiſtrat, œconomus eſt rerum diuinitus datarum: & laudari ac diligi meretur propter ingenium ad fraternum amorem & communicationem procliue.

Iuſtus quidem neque præſentes diuitias auerſatur, nec abſentes requirit: non enim ſibi tantum fruitur rebus quas Deus dederit, ſed diſpenſator earum eſt. Nullus vero mente præditus ſponte feſtinat ad negotium aliena diſpenſandi, niſi gloriam popularem deſpiciat: admiratur enim vulgus & felices iudicat illos qui aliqua poteſtate præcellunt.

Vtinam pereant diuitiæ, niſi pauperibus ſubueniant. Theologi.

Quid enim opus eſt multa reponere latronibus & furibus, & mutationibus temporum, quæ aliâs in alios transferunt & ventilãt inſtabilem opulentiam: non autem recondere in apothecas munitas & omnibus inſidiis validiores?

Pauper non tam deſiderat neceſſaria, quàm ſuperflua dives; nec rurſus tãtam vim aut facultatem habet pauper ad exercendam improbitatem, quantam dives. Chryſoſtomi.

Si quis cupiditate ſuperior vincitur à pecuniis, ne cupiditatem quidem ſæpe vincit, ſed à natura accepit vt parum ei moleſta ſit hæc. Non enim omnes ſimiliter * luxurioſi ſunt. Auarus quõmodo caſtus. * χαπηφερὴς Procliues ad libidinorum.

Radix omnium malorum eſt pecuniæ ſtudium, ob deſiderium enim diuitiarum, eſt periurium, furtum, rapina, ſcortatio, inuidia, cædes, odium fratrũ, bellum, auaritia, ſimulatio, adulatio.

Honeſte poſſidere pauca, multò præſtabilius eſt quàm improbe multa poſſidere. Gregorij Niſſeni.

Nulla lucrandi ſatietas vnquam oboritur, ſed quod ſubinde accipitur, materia & fomentum maioris deſiderij fit.

Optimæ ſunt opes, inopia cupiditatum. Clementi.

Diuitiarum decus non in loculis ſitum eſt, ſed in auxilio egentibus exhibendo. Philonis.

Ne velis diteſcere ea cauſa vt liberalis ſis in pauperes. Deus enim iubet iuſtum miſereri ex iis quæ habet. Nili.

Plutarchi. Vt veſtes talares corpora, ſic opes immodicæ animas impediunt.

Equus generoſus non ex apparatu pretioſo iudicatur, ſed qui natura ſit egregius: neque vir honeſtus, qui magni pretij poſſidet opes, ſed qui generoſo animo ſit.

Democriti Aſſidua ineſt cunctis hominibus diuitiarũ cupiditas: non acquiſita enim cruciat, acquiſita verò curis fatigat, perdita denique, triſtitia conficit.

Naturales diuitiæ conſtant pane & aqua & parabili corporis tegumento: ſuperfluæ verò infinitam in animo cupiditatis vexationem habent.

Rebus iis quas natura largitur omnes abũdamus: quæ verò in nobis ſitæ ſunt, earum omnes ſumus inopes.

Socratis. Vinum quidem mutatur cum vaſis: diuitiæ autem ſequuntur mores poſſidentium.

Sudor quidem honeſtior eſt, quem exercitium elicit: diuitiæ vero ex propriis laboribus partæ.

Clitarchi. Magna dos non facit meliores liberos.

Continentia fundamentum eſt pietatis: appetitio autem poſſeſſionis, initium eſt auaritię. Nam ex pecuniæ ſtudio iniuſtitia producitur.

Euſebij. Homines vani colunt & admirantur magnos & pecunioſos, quamuis mali ſint: bonos autem contemnunt ſi paupertatem eorum animaduerterint.

Diuitiæ multis malis quaſi velum prætexunt.

Philiſtionis. Quamuis Dominus ſis plurimæ terræ, & infinitos ruris cubitos poſſideas, mortuus ad tres aut quatuor redigeris.

Chilonis. Damnum potius, quàm turpe lucrum elige. Hoc enim perpetuò te affliget, illud ſemel tantum.

Diuitiæ magis inſeruiunt improbis, quàm bonis & honeſtis ſtudiis.

Quid eſt opulentia? theſaurus malorum, calamitatis viaticum, improbitatis ſuppeditatio.

Diuitiæ ex malo principio partæ, plus habent infamiæ.

De diuitibus qui male viuunt, & de malis eos ſequentibus. Sermo 32.

Matth. 19. DIxit Dominus ad diſcipulos ſuos: Vere dico vobis, quod diues difficulter ingredietur in regnum cœlorum. Et iterum dico vobis. Facilius eſt Camelum ingredi per foramẽ acus, quàm diuitem in regnum Dei.

Lucæ. 6. Væ vobis diuites, quia habetis conſolationem veſtram. Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis.

Iacob. 5. Agite nunc diuites, plorate, vlulantes ſuper miſeriis veſtris quæ aduenient vobis. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, veſtimenta veſtra tineis obnoxia facta ſunt. Aurum & argentum veſtrum ærugine vitiatum eſt, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit & exedet carnes veſtras ſicut ignis.

Dauid. Ne timeas cum ditatus fuerit homo, vel aucta gloria familiæ ipſius.

Sirach. 13. Leonum venatio, ſunt onagri in ſolitudine: ſic etiam opulenti depaſcuntur pauperes.

Ibidem. Diuitis lapſi multi ſunt adiutores. Locutus eſt ſecreta, & abſoluerunt eum.

Ibidem. Diues loquutus eſt, & omnes tacuerunt, & extulerunt ſermonem eius vſque ad nubes.

11. Infamis in diuitiis, quãto foret in paupertate magis?

Hominem ſordidum non decent diuitiæ.

Vigiliæ diuitiarum, tabefaciunt carnes, & ſolicitudo earum àmollitur ſomnum. 31.

Qui diligit diuitias, non iuſtificabitur.

Animus meus odit diuitem mendacem.

Boni Dei miniſter factus es ô homo, œconomus conſeruorũ, ne putes omnia tuo ventri parata eſſe. De rebus illis quas manibus tractas, tanquam de alienis conſulta. Breui tempore te oblectant, deinde præterfluentes interibunt: tu vero exquiſitam de ipſis rationem reddere iubeberis. 25. Incerti authoris.

Diues non habendus eſt felix propter diuitias, neque princeps propter excellentiam dignitatis. Hæc etenim inſtrumenta virtutis ſunt, ſi recte vſurpentur, non autem ipſa felicitatem in ſe continent. Ergo qui malè diuitiis vtitur, miſerabilis eſt: vt ille qui ſponte ſe vulnerauerit iſto gladio quem ad vindictam hoſtium ſumpſerat.

a Ne miſceamus opes noſtras alienis lachrymis, à quibus tanquam ærugine & tineis conſumentur. Theologi.

(*Quæ hîc in Græco ſequuntur aliquot verba videntur corrupta.*)

Diuites vt plurimum facile incidũt in malitiam. Cum enim abundantia rerum magnam prauis affectibus facilitatem præbeat, procliuiores ad vitia feruntur. Chryſoſtomi.

b Periculoſa diuitum eſt vita, & intractabilis mutatio. Quod ſi dixeris, multos famulos circunducit diues, & multa terræ iugera poſſidet: primum ſcias difficilem ei reddendam eſſe de omnibus rebus ſuis rationem: non enim fruendi gratia tantum accepit, ſed vt aliis quoque vtilis foret? Deinde, quod nihil ei ab hac opulentia contingit, quàm curæ, ſolicitudo, ira, & perpetua perturbatio ac tumultus: neque enim diues multos implet ventres, pauper vero vnũ ſolum: ſed vnum & hic & ille, & vnum vterque corpus curat: idque alter ſine metu & anxietate: alter tremens & timens aduerſitates. Ne reſpexeris igitur quanta ſit poſſeſſio, ſed an maior fructus maiorem poſſeſſionem ſequatur.

c Nihil iuuant opes diuitem morientem, quas ſecum auferre nequit: & hoc duntaxat accepit lucri, quod cum viueret beati titulum apud adulatores habuerit.

Multi diuitiis affluentes, vitam ſibi minimè vitalem exiſtimant: alij in extrema paupertate maxima cum hilaritate degunt. Imò illi poſt ſatellitia, gloriam & honores, non raro vitam ipſam execrantur: hi verò obſcuri, & ex obſcuris, & omnibus ignoti, multis aliis ſe beatiores exiſtimant. Hilaritas enim & tranquillitas animi non tam in rerum conditione, quàm iudiciis hominum conſiſtere ſolet.

Ipſe Chriſtus pronunciauit quòd non poſſitis Deo ſeruire & Mammonæ: & quòd nemo poſſit duobus dominis ſeruire: præcipiunt enim contraria. Chriſtus inquit, parce pauperibus, Mammonas inquit, nudus etiam quæ habent abſtrahe. Chriſtus inquit, euacua quæ habes. Mammonas inquit, accipe etiam quæ non habes. Veruntamen magis auſcultatur illi, cuius crudelia, immania & ferina ſunt præcepta, quàm illi qui nobis benigna & ſalutaria præcipit. Hæc cauſa eſt Gehennæ, cauſa tenebrarũ, cauſa fluuij igniti, denique perpetui vermis cauſa.

Diuitiis etiã rectè vti licet, ſi expẽdas indigẽtib⁹.

Moleſtiæ,

Cyrilli. Chilonis. Molestiæ, diuites plurimum sequi solent, & ex nimia superbia ad negligentiam detrahuntur.

Diuitiæ magis improbitati, quàm honestati inseruiunt.

AD SERM. 32.

a Theol. Ne miſceamus] *Mutila sunt Græca Antonij sed restituentur si legamus* τὸ τῆς γραφῆς εἰπεῖν ἐξεμεθήσεσθαι *nõ vt antea* ἐξέμεθα *& in versione latina post hæc verba à tineis consumentur, subnectamus, aut, vt scripturæ verbo vtar euomentur. Hoc enim verbum habetur in lib. Iob. C. 13. quod quidem exponens Nicetas apud Nazianzenum ait scripturam hac dictione vti, quod quemadmodum is qui noxiũ aliquem cibum euomit, probos etiam vna eiicit, sic qui iniquis rationibus facultates suas auget, plerumque nõ tantum iniustè parta amittit, sed ea quoque quæ iusto nomine possidebat. Billius lib. 1. obseru. C. 4.*

b Chryſ. Periculoſa. primũ ſcias difficilem] *Græca paulo ampliorem sententiam præ se ferunt eiusmodi. Primum scias grauiorem ei censuram fore, cum opum omnium rationem reddendam habent: non enim, &c.*

Neque enim diues multos] *Græ.* οὐ γὰρ ὅστις μὴ μείζας κατέχας. *Itaque reddit interpres. At apud Damascenũ lib. Parallelorum. C. 17. contraria sententia citatur hic locus. Ipse enim sexcentos ventres implere necesse habet: pauper autem vnum duntaxat.*

c Nihil iuuant. Et hoc duntaxat accepit.] *in angustias redegisse videtur hanc etiam sententiam interpres, ad verbum sic vertes. Et hoc duntaxat ex possessione opum lucri accepit, quod animæ eius adultoribus in hac vita fœlix est habita. In penultima porro Cyrilli sententia non video cur vertat* τοῖς πλουτοῦσι παρέπεται τὸ δυσώνιον *molestiæ diuites sequi solent. nam* τὸ δυσώνιον *idem est ac* τὸ αὐτοπαχὲς ἢ δυσάγωγον. *Qui diteſcunt fieri solent intractabiles vnde & sequitur* ἡ ἀγερωχία.

De egenis & pauperibus. Sermo 33.

Iob. CLamorem pauperis, & clamorem egeni Dominus exaudiet.

Psal. 9. Non in perpetua obliuione iacebit egenus. Patientia pauperum non semper frustrabitur.

7. Iudicabit ĩopes populi, & filios pauperũ seruabit.

139. Cognoui quod Dominus acturus sit causam inopum, & iudicium pauperum.

Prou. 17. Qui spernit pauperem, peccat.

Qui pauperẽ calumniatur, irritat creatorẽ eius.

13. Paupertas humiliat virum.

Pauper non sustinet minas diuitis.

21. Omnia opera inopis manifesta sunt apud Deũ.

Qui obstruit aures suas ne audiat egentem, illius preces non exaudiet Dominus.

Eccli. 9. Sapiẽtia pauperis nihili reputatur, & verba eius non audiuntur.

Esa. 14. Inopes à Domino pascentur, & homines pauperes in pace quiescent.

Eccli. 13. Humilis quispiam errauit, & increpatus est: loquutus est sapienter, & non datus est ei locus.

21. Oratio humilis per nubes transiuit: & non accipiet solatium, donec visitet altissimus.

11. Sapientia humilis, extollet caput ipsius, & collocabit eum inter principes.

10. Pauper laudatur ob scientiam: & qui pauper honoratus est, quanto diues esset idem honoratior?

Prou. 23. Pauper cum sis ne contendas cum diuite, sed per prudentiam tuam abstine.

Odit anima mea in inopem superbum.

Gaudeas ô homo in penuria, quoniam Lazari bona te sequentur. Basilij.

Nullum dedecus paupertas producit.

Hoc vno pauperes à diuitibus distamus, tranquillitate animi: & quod vigilias ipsorum ridemus ipsi dormientes.

Paupertas cum veritate, quauis fruitione pretiosior est apud prudentes.

Non turpe est esse pauperem, sed non æquo animo ferre paupertatem. hom. de ira.

Pauper existens ne abiicias animũ. Nimia enim tristitia gignit peccatum, in qua mœror submergit mentem, & veluti vertiginem facit ipsa perplexitas, & consiliorum penuria ingratitudinem producit. An putas Deum non intueri angustiam tuam? Atqui ille cum victum in manibus habeat, largiri cunctatur, vt constantiæ tuæ experimentũ sumat.

a Nihil magni possidet Deus, quod nõ etiam pauperibus largiatur. Theologi.

Melior egestas improbè partis bonis. Tetra 33.

Misera qdẽ paupertas, sed opulẽtia mala miserior.

Omnes sumus pauperes, & indigi diuinæ gratiæ quamuis alius alij præstare videatur si exiguis mensuris metiare.

Si creatorem irritat qui in pauperem fuerit cõtumeliosus: ergo ille qui colit opus, honorat opificẽ.

Præstabilior est iuuenis pauper, sapiẽs, sene rege insipiente. Metaph. in Eccle.

Multitudo magnę ęstimationis hominum vnius pauperis pij dignitate inferior est. Chryſoſtomi.

Facilem sobrietatem, animæ cultũ, modestiam promptam, non subitam inflationẽ, non ambitionem insanã, imò & alias omnes abunde virtutes in pauperum animis florẽtes inuenias: diuites contra vt plurimum virtutibus vacuos, & ad vitia pronos.

Quid paupere magis beatum fieri posset, cum diuitem quoque, si saluus esse velit, eũdem in statum redigi prius oporteat, in quo nunc pauper existit? Nam si rebus suis tanquam alienis abstineat, & affatim indigentibus eas distribuerit, ita salutẽ consequi poterit. Sic fecit Iob, sic Abraham, & res suas tanquam heriles & à Domino sibi commissas in conseruos erogarunt. Idcirco neque præsentibus eis parcebant, nec absentibus animo cruciabãtur.

O insignẽ paupertatis excellẽtiã, hęc Dei † ꝑsona * ὑφίσταται. fit. Deus in paupere abscõditur, & pauper quidem porrigit manũ, Deus autem suscipit quod offertur.

Qui cum paupertate philosophantur, magis magíque Deo appropinquant.

Nõ pauper est qui nihil habet, sed qui multa desiderat. Non diues est qui multa possidet, sed qui nulla re indiget.

Qui aures suas (inquit) obturat, vt non audiat pauperem, illius orationem non exaudiet Deus. Beatus qui animaduertit ad mendicum & pauperem, liberabit eum Dominus in die malo. Est autẽ dies malus, qui peccatoribus destinatus est.

Paupertatem ferre non cuiusuis est, sed viri sapientis. Sextĩ.

Qui mendici vel pauperes propter virtutem & pietatem facti sunt, illos magis ac diligentius curare debes: itidem qui propter morbos aut casus aduersos inopia laborant, in illos magis beneficus Didymi.

esto, quàm qui ex malo facinore aut luxuria ad paupertatem redacti sunt.

Aristotelis. Paupertas multis rebus indiget, inexplebilitas omnibus.

Democriti. Si non multa desideres, pauca tibi multa videbuntur. Desiderium enim contractum paupertatem diuitiis æquipollentem reddet.

Pauperes maximis malis non infestantur, vt insidiis, inuidia, & odio, quibus diuites expositi sunt quotidie.

Euripidis. Sapiens paupertatem animo patiẽte & generoso colens, diuitiis pretiosiorem efficit.

Apollonij. Paupertas non turpis est secundum naturam,

Catonis. turpi verò de causa pauperem esse dedecus est. B

Præstat honesta paupertas improbis diuitiis. Hoc enim opprobrij, illud miserationis causa sit.

Luciani. Nudus in terram veni, & nudus in illam redeo.

Quid frustra crucior, nudum videns exitum?

Pauper defunctus liberatur curis. Viuens enim mortuus est, paupertatem ceu mortem ferens.

Aristides. Aristides ille iustus, cum diues quidam paupertatem ei obiiceret, dixit: Mihi quidem nihil adferet mali paupertas: tibi verò diuitiæ nõ paucas perturbationes.

AD SERM. 33.

a Theologi. Nil magni possidet] *Dum Gregorij verba corrigere studet Gesnerus ea peruertit. Nam dum πένητι legere mauult quàm πένης, eam nobis sententiam exhibet quæ ab auctoris sensu alienissima est. Sic enim Græca habent: οὐδὲν τῷ θεῷ μέγα ὁ μὴ καὶ πένης δίδωσι. Nil apud Deũ magni æstimatur quod non pauper quoque dare queat. Quibus verbis hoc vult nullũ munus Deo gratius offerri posse, quàm præstantissimas quasque virtutes, quas non minus à pauperibus quàm à copiosis hominibus accipere potest. Bill. l. 1. obserua. C. 4.*

Omnes sumus] *Rectè coniecit Gesn. legendũ in Græco non* σχεῖν *sed* σχεῖν *sic enim legitur apud Gregor. initio orationis 16.* περὶ φιλοπτωχίας. *Illud autem exiguis mensuris interpretatur Nicetas, dum ad corporearum opum mensuras erigitur, quæ quidem ideirco paruæ sunt, quia fluxæ & perituræ, ac præsertim si cum diuinis verisque cõparentur.*

De auaritia. Sermo 34.

1. Tim. 6. RAdix omnium malorum est pecuniæ studium, cuius aliqui desiderio capti à fide aberrarunt, & multis seipsos doloribus implicuerunt. Tu verò homo Dei ista fuge: sectare autem iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinẽ.

Basilij. Animus auaritia captus trutina est, ad pondus inclinans regulæ momentum.

Aurum est laqueus animorum, hamus mortis, esca peccati.

Pauper est qui multis indiget: multorum autem

Ho. 7. in diuites auaros. indigos facit cupiditas insatiabilis. E

Ibidem. Quemadmodum ebriis magis magísq; occasionem bibendi vinum bibitum præstat: sic etiam homines recenter ditati cùm multa possideant plura desiderant, ex ipsa rerum accessione morbũ fouentes, & suum eis studium vertitur in contrarium.

Quicquid vides, quicquid imaginaris, aurũ est. Hoc tibi dormienti somnium, & vigilanti cogitatio est. Nam vt qui per insaniã delirant, non ipsas

Hom. 6. in ditescẽtes. res vident, sed quæ eis affectio suggerit, imaginantur: Sic animus tibi auaritia detentus, nihil quàm aurum & argẽtum videt: & suauius quidem aurum quàm Sol conspectui tuo se offert. 852

Auarus nunquam liberabitur cupiditate.

Non fias auarus, ne Mãmonæ, loco Dei, seruias. Chrysost. Homil.

Grauis res est aurum, virtus contrà, leuis & apta in sublime ferri. Ergo si nobis accedenda sunt sublimia, ea quæ deorsum trahunt, abiiciamus, vt sursum feramur.

Silicernio seu funebri conuiuio similis est vita hominis auari: nam cum nihil non habeat, oblectandum neminem habet. Plutarch.

Nec à mortuo colloquium, nec ab auaro beneficium petendum est.

Potu restinguitur appetitus bibendi, & cibus desiderio cibi medetur: auaritiam verò non aurum nec argentum extinguit.

Diogenes Cynicus Philosophus interrogatus à quodam cur aurum palleret, dixit: Quoniam insidiatores multos habet. Diogenes.

Auarorum diuitiæ, vt Sol post occasum, neminem mortalium oblectant. Socrates.

Quæ nequeunt armis capi, facile expugnantur auro. Nihil non subiicitur argento. Diodor.

Si accipere nihil esset, nemo foret malus.

Istud est auaritia, cum relicta consideratione. Iusti, lucro per omnia seruis. Diphili.

Mala lucra voluptates quidem breues, longæ C verò tristitiæ sequuntur.

AD SERM. 34.

a Basil. Quemadmodum ebriis] *Vinũ bibitum. Gr.* ἡ τοῦ οἴνου προσθήκη, *id est, vini accessio, ceu vinum quod identidem bibitur, vt apud Damascenum in Parallelis. C. 17. l. 2. post sentẽtiam Nili. Nulla lucri satietas oritur: verum id quod semper assumitur plena concupiscendi materia & fomes efficitur. Quod verò sequitur vt suum eis studium in contrarium vertitur, interpretor quod cum satiari & expleri velint cupiditatem; contra accendatur magis & irritetur. Non enim eos delectat tantum illud quod possident: quantum affligit quod deest illorum cupiditati.* D

De auaris & qualibet in re plus habere volentibus, & iniustis. Sermo 35.

VIdete & cauete ab auaritia, non enim in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quæ possidet. Luc. 12.

Cur non potius iniuriam patimini? cur non potius damnum accipitis? Immò vos iniuriam facitis, & damno afficitis, idque fratres: An nescitis, quod iniusti, regni Dei hæreditatem non consequentur? 1. Cor. 6.

Desistat ab iniustitia omnis qui nomen Dei nominat. 1. Tit. 2. E

Nouit Dominus iustos à tentatione liberare, iniustos verò ad diem iudicij puniendos seruare. 2. Pet. 2.

Qui diligit iniustitiam, odit animam suam. Psal. 1. 33.

Facies Domini super facientes mala, vt aboleat à terra memoriam eorum.

Virum iniustum mala corripient ad perniciem. Prouer. 10.

Thesauri non iuuabunt iniquos.

Iniustis omnia in sinum colliguntur. 20.

Hæreditas præpropera principio, tandem non benedicetur. 13.

Opes iniquitatis studio comparatæ, minuuntur.

Iniusti

Iniusti cito peribunt.

Gentis iniustæ obliqui sunt anni.

Sapient. Ne gaudeas ob iniustam pecuniam: nihil enim

Salomon. iuuabit in die afflictionis.

Oratio patientis iniuriam, exaudietur.

Eccl. 35. 21. † Alias, in futuro. Qui domũ suam ædificat pecuniis alienis, similis est cõgerenti lapides in † tumulũ sepulturę suæ.

Leo insidiatur venationi, itidem peccatum facientibus iniqua.

Mala ne feceris, & non apprehendet te malum.

24. Desiste ab iniusto, & declinabit à te peccatum.

7. Fili ne seras in sulcos iniustitiæ, ne septies tanto ampliorem inde messem facias.

Filium occidit coram patre suo, qui victimam B

24. offert ex pecuniis pauperum.

Abac. 2. Væ illi qui sibi res non suas multiplicat: quousque tandẽ? & qui aggrauat super se densum lutum.

Amos. 3. Væ illis qui colligunt iniustitiam, & miseriam in manibus suis.

Esa. 5. Væ illis qui domum domui coniungunt, & agrum agro apponunt, vt aliquid eripiant proximo. Num vos soli habitabitis in terra? Atqui Dominus exercituum auribus hęc percepit.

34. Abstine ab iniusto, & non timebis, neque tremor inuadet te.

Manus tua non sit porrecta ad accipiendum, & Eccl. 4. vbi dandum est, contracta.

Oculus auarus nulla portione satiatur.

14. Basilij ex admonitio ad filiũ spirituale. Qui alicui eripit & alteri dat, is non misericordiam sed extremam iniustitiam exercet. Nam ex iniuriis materiam miserationis captas? miserere potius illorum quos iniuria afficis. Pius enim ille est, non qui miseretur multorum, sed qui nemini facit iniuriam.

Quæcumque videt oculus, ea omnia desiderat auarus. Inferis nunquam satisfit, nec vnquam auarus sibi sufficere dicit. Malus hic vicinus est in vrbe, malus ruri. Mare suos fines agnoscit, & nox antiquos terminos non transcẽdit. Auarus autem tempus nullum reueretur, nõ agnoscit terminum, non D cedit ordini successionis: sed ignis violentiam imitatur, omnia arripit, omnia depascitur.

Sed quid tandem fiet? Nónne tres omnino cubiti te manent? Nónne paucorum lapidum moles ad custodiam miseræ carni sufficiet? Ad quid igitur laboras? Quorsum iniquus esse pergis? Quibus verbis defendes te, cum affecti abs te iniuria vndique circunstantes sub communi iudice contra te clamauerint? Quomodo * persuadebis iudici, qui falli non potest? Nullus illic orator est, nulla verborum probabilitas quæ veritatẽ iudici abscõdere valeat.

* Elegantius falsis persuad.

Theologi. Metaph. in Eccles. Homini pecuniæ cupido, nulla satietas innascitur.

a Pauper quidẽ, licet seruus & ventre non saturo, blãda per somnum quiete fruitur: cupiditas autem diuitiarum mentem vigiliis & laboribus cruciat.

Iniusti nihil non auro postponunt.

Chrysost. Qui non indiget alienis, sed sua sibi sufficere existimat, omnium est ditissimus.

Vrsi & lupi saturati, rapinam relinquunt: auaris autem nulla satietas.

Inexplebilitas admodum violenta est, & auaritia præpotens: rapaces vitam hominum perturbant: & huius quidem rapinæ sunt, delitiæ autem aliorum:

A in ipsum cadit execratio, fruitio in alios: aduersus ipsum æduntur suspiria, abundãtia contingit aliis: aduersus ipsum funduntur lachrymæ, ab aliis vsurpantur pecuniæ: ipse apud inferos punitur, & alij sępenumero in ipsius diuitiis voluptuãtes cantillãt.

Pleonexia, id est auaritia, est cum plus habet aliquis quàm ei pertineat.

Auaritia est idololatria, immò deterior ea. Siquidem idololatræ Dei creaturas adorant: & venerati sunt (inquit) & coluerunt creaturam præter creatorem. Tu verò tuũ ipsius opus adoras. Deus enim auaritiam non creauit, sed insatiabilis & immodica tua cupiditas eam excogitauit.

Si quis de suis non largitur, ab illo accusabitur in die iudicij cuius non est misertus: quomodo illi venia dabitur qui rapuit aliena, vndiq; circumstantibus eum illis quos affecit iniuria? Non enim illic testibus, non accusatoribus, non argumentis locus est: sed ipsæ res per se, quales à nobis gestæ sunt, coram oculis nostris apparent. Ecce enim (inquit) homo & opera eius. Etenim hoc quoque rapina est, & auaritia, & spoliatio, sua nõ communicare. Nam Deus Iudæos accusans per Prophetã, inquit: Protulit terra fructus suos, & non soluistis decimas, rapuistis bona pauperis. Et rursus alibi inquit, ne quid eripias de victu pauperis.

C Qui ex turpibus lucris ad honesta officia sumptum faciunt, simile quid faciunt illis qui ex sacrilegio Deum placare volunt. Plutarchi.

Diuitiæ malo facinore partæ, maiori dedecore notantur. Democriti.

Non inutile quidem est pecunias acquirere: per iniustitiam autem, longe pessimum.

Socrates, auaros auibus comparabat, quarum alia deglutit quicquid inuenerit, & quandoq; suffocatur: aliæ verò sequũtur vt quod habet ei extorqueant, & ipsæ quoque aliæ post alias suffocantur. Socratis.

Diogenes interrogatus quænam essent feræ pessimæ, dixit: In montibus vrsi & leones, in ciuitati- Diogenis.

D bus autem publicani & sycophantæ.

Canis de carnibus edẽdis cogitans, non amplius gregem custodire potest. Antiphanis.

Mala lucra breues quidem voluptates, tristitiæ verò longæ sequuntur.

Paupertas existimetur, nõ imminutio rerum, sed inexplebilitatis adauctio. Platonis.

Nullum inique lucrantem æmuleris: sed magis approbato viuentes cum iustitia. Isocratis.

Nam qui magna rapiunt, an parua quoque rapiant, incertũ est: qui verò paruis non abstinent, illi nimirum ne à magnis quidem sibi temperabunt.

AD SERM. 35.

E a Theolo. Pauper quidem] *Græcè apud Basilium in Metaphrasi in Eccles.* πένης μὲν ὁ δοῦλος &c *apud Antoniũ itidem. Billius tamen vertit, Pauper licet senectute prematur. Nescio an ex emendatioris libri autoritate, Senectus quidem ἀχρυπνίαν secum trahit, seruitus autem inopiam ne ventrem implere possit. reliqua variè leguntur apud Antoniũ.* πλοῦτος δὲ ὑπερθυμίας σώζεσιν ἀχρυπνίαις καὶ καμάτοις περιχεῖ. *quod ad verbum hic reddit Gesn. At apud Basilium* πλοῦτος δὲ ὑπερθυμία σώζεσι ἀχρυπνίαις καὶ καμάτοις ψυχῆς ὄμμα *cupiditas indiuulsas comites habet vigilias & animæ labores. Sententia est ex Ecclesiaste, Dulcis est somnus operanti siue parum siue multum comedat.*

De virtute, quæ animum suis & præsentibus rebus contentum reddit. Sermo 36.

Matt.6. DIxit Dominus, nc soliciti sitis pro vita vestra quid comedatis, neq; pro corpore vestro quid induatis.

1.Tim.6. Est autem quæstus magnus pietas cum animo sua sorte contento. Nihil enim intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam possumus: sed habentes alimēta, & quibus tegamur, his contenti erimus.

Prou.16. Præstat parua portio cum timore Domini, quàm magni thesauri cum impietate.

Sirach.29 Principium vitæ hominis panis & aqua, & vestis B turpitudinem eius operiens.

Sirach. Basilij. Vir sapiens paucis contentus est.

Facultas quæ gubernat corpus animalis, frugalem & simplicem alimoniam facile concoquit, & partibus nutriendis assimilat: sumptuosis verò & variis eduliis onerata, & impotens tandem ea superare, varia morborum genera producit.

Chrysost. Non qui multa possidet, sed qui non multis indiget, diues est.

Ad necessitatem ô fratres, non ad voluptatem metienda est vita. Quare depositio quod naturæ superfluum est, necessarium solum amplectamur.

Qui se superiores respicit, nunquam videre po- C test quàm diues sit. Verum oportet sua sorte contentum esse, & Deo gratias habere.

Sobria frugalitas & alimentum est, & voluptas & sanitas: nimiū verò noxa, & fastidiū, & morbus.

Christus inquit, Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis: Nos verò inuertimus ordinē, & quærimus terram, & bona terrena, quare nec hæc habemus, nec illa.

Nili. Possessionis modus est corporis necessitas: eius verò excessus, nō vsus aut necessitas, sed vitium est.

Bonum est intra fines necessitatis manere, & omnibus viribus contendere ne transcendamus illos. Nam si quis vel modicum per cupiditatem ad D vitæ delicias deflexerit, nullus deinceps quo minus pergat coercere potest.

† In Græco est, σμικρὸν. Si victus frugalis sit, nūquā videbitur nox † lōga.

Democriti Clitarchi. Debemus nos assuefacere vt ex paucis viuamus, ne quid pecuniæ gratia turpe discamus.

Socratis. Socrates interroganti quis videtur sibi ditissimus, respōdit, Qui paucissimis contētus est. In frugalitate enim sibi sufficiēte existūt diuitiæ naturæ.

Satius est in paucis opibus se continentem, hilariter agere, quàm in magnis infeliciter.

Plutarchi. Neque sumptuosum nimis, neque sordidum aut vilem in vestimentis, victu, & reliqua vita te exhibeas: hoc enim odiosum aut miserabilem, illud in- E uidiosum aut ridiculum reddit.

Assuefiat corpus, frugali & parabili modo vitæ, sibi satisfacere. Nam qui paucis indigent, non fraudantur multis.

Familiarem tibi redde victum simplicem, vt sumptuoso nunquam indigeas.

Quod maior pars non semper melior sit. Sermo 37.

Luc.21. SVblatis autem oculis, Iesus vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium diuites. Vidit autem & quandam viduam pauperculam mit- A tentem illuc æra minuta duo, & dixit: Vere dico vobis, quòd vidua hæc pauper plus quàm omnes misit. Nam omnes hij ex eo quod ipsis exuperat, miserunt in munera Dei: hęc autem, ex penuria sua vniuersam substantiam quam habebat, misit.

In Ecclesia volo quinque verba mente mea loqui, vt & alios instituam, potius quàm decem milia verborum lingua. 1.Cor.14.

Per vnum sapiētem habitabitur ciuitas, gens autem iniquorum breui desolabitur. Basilij.

Nā si panis cor hominis roborat, non oportet obsoniū cibi amplius necessario temere ingurgitare.

Breue regnū melius est longa tyrannide: & parua B portio pretiosa præstat magnæ, quæ vilis & periculosa sit, possessioni: & exiguū lumē multis tenebris. Theologi orat.1. Apologet.

Eleemosyna non æstimatur ex mensura largitionis, sed ex animi liberalitate. Chrysostomi.

Iucunda quæ maximè rara sunt, in primis delectant. Incerti authoris.

Alexander audito Darium triginta myriades in aciem producere, dixit: Vnus coquus non metuit multas oues.

Idem cum explorator ei referret maiorem esse Darij exercitum, dixit: Oues etiam licet plures, ab vno aut altero lupo capiuntur.

De ieiunio & continentia. Sermo 38.

CVm ieiunaueritis ne sitis veluti hypocritæ te- Matth.6. trici. Obscurant enim facies suas, quo perspicuum sit hominibus ipsos ieiunare. Amen dico vobis, habent mercedem suam. Tu verò cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, &c.

Omnis qui certat, per omnia temperans est. 1.Cor.9.

Qui carnem Christi Iesu crucifixerunt cum affectibus & cupiditatibus. Chrysostomi.

Ad lites & iurgia ieiunatis, & pugnis afflictum Esa.58. cæditis. Quid est quod mihi ieiunatis? non enim tale ieiunium approbo, dicit Dominus. Quare tu solue omnem nodū iniquitatis, dissolue nexus violentorum contractuum: oppressos dimitte cum libertate, & omnem iniustam syngraphan tuam dilacera. Frangas esurienti panem tuum, & pauperes sine domibus introduc in ædes tuas. Nudum si videris, vestito: & cognatos generis tui nō asperneris.

Suggilla corpus tuū & seruitute astringe, ne tuo sanguine aucto & efferuescente, ad peccandum occasio tibi fiat carnosus corporis habitus.

Ne corpori tuo blandiare somno, & balneis, & Basilij ho.in ps.1. mollibus stragulis, semper hæc verba proferens: Quænam vtilitas sanguini meo me descendente in perditionem? Nam quo crassiorem tibi carnem acquiris, hoc grauiorem animæ tuæ carcerem paras.

Vere continens est qui omni perturbatione superior est, & nullum voluptatis irritamentum admittit: sed animo sobrio & nusquam cedente ad omnem fruitionem noxiam afficitur.

Continentia peccatum interimit, affectus amouet, corpus mortificat. Seruatur autem hoc modo continentiæ scopus, si vilioribus quidem & necessariis ad vitam quantum requirit vsus adhæreas: iis verò quæ ad voluptatē pertinēt, prorsus abstineas. hom.2. de ieiunio.

Quantū adimis carni, tanto nitidiorem spirituali habitu reddis animam. Non enim viribus corporis, sed

sed animæ continẽtia,& in afflictionibus patientia, aduersus incõspicuos hostes victoria comparatur.

Qui carnem auget, spiritum impedit:& qui spiritui se coniungit, carnẽ subigit. Hæc enim aduersantur sibi inuicem. Ergo si mẽtem roborare velis, domato carnem ieiunio. Hoc enim est quod inquit Apostolus, Quantum externus homo corrumpitur, tantum renouatur internus:& rursus, Cum langueo, tum validus sum.

Quia non ieiunauimus, excidimus paradiso: ieiunemus igitur vt in paradisum redeamus.

Ieiunanti color honestus est, non efflorescente lasciuo rubore, sed pallore sobrio ornatus: oculus mitis: compositus gressus: vultus cogitabundus, nõ luxurioso risu indecenter affectus: modestia sermonis: puritas cordis.

Absurdum est non gaudere ob animæ incolumitatem: sed propter cibos mutatos tristari,& videri magis gratificari voluptati ventris, quàm animæ cultui. Satietatis enim gratia intra ventrem consistit, ieiunium vero ad animam vsque lucrũ eleuat.

Semper quidem vtile est ieiunium vsurpãtibus se. Nam neque contumelia dæmonum quicquam audet aduersus ieiunãtem, & vitæ nostræ custodes angeli alacrius manent apud illos qui per ieiunium purgati sunt.

Non in abstinentia solum ciborum, ieiunij bonum circunscribas. Verum enim ieiunium, est malorum alienatio. † Solue omnem iniquitatis nodũ, remitte molestiam proximo, remitte ei debita. Ne ieiunetis ad lites & iurgia. Carnem non comedis, sed comedis fratrem. Abstines vino, sed ab iniuriis tibi non temperas. Vesperam expectas ad sumendũ cibum, sed insumis diem causis forensibus. Qui iuuat ieiunare corpore, animam vero malis innumeris repleri?

Verum ieiunium est malorum alienatio.

Non gloriamur mole mensarum & cupediis insensati ventris. Nihil enim laudamus illorum quæ intra fauces sumpta eiusdem omnia pretij sunt, aut omnia potius æque vilia & reiicienda. Sed viuimus simplici facilique apparatu, parum sanè hac in parte differentes à brutis animalibus, quorum imparatus & minimè elaboratus victus est.

Mensæ simplicitas satiat, varietas autem appetitum excitat.

Ieiunium non ciborum sed peccatorum abstinentia efficit.

Homini qui ieiuniis maceratur nihil tam est intolerabile, quàm aëris inæqualitas.

Decet eos qui ieiunant ex pia mente id facere, & non tanquam histriones in fabula tetricam & deformem veluti personam sibi induentes, tantum non ipso habitu exclamare quod inediæ labores ferant.

Continentiæ proprium est, sanitas & robur: incontinentiæ autem imbecillitas & ægritudo morti vicina.

Bona continentia, est modicum citra necessitatem tempore cibi sumere, vt simul & cordi prouideas, & occultos affectus clam impugnes.

Non modo tarditas cibi sumendi ieiunium est, sed etiam paucitas: neque in hoc sita est religionis exercitatio vt bini comedãt, sed ne varia comedãt,

Est enim exercitatio, mensa cibo simplici cõtenta, & dissolutum voracitatis morem ceu minime gratum abominans.

[redacted] indigentia.

Ne dixeris, hodie non comedam: quoniam non prudenter id facis. Noxam enim corpori tuo,& dolorem stomacho tuo contrahes. Theodoreti. Euagrij.

AD SERM. 38.

a Basil. Qui carnem auget] *Greg.* ὁ τῇ σαρκὶ προσθέμενος *passiue hic sumitur non actiue, vt putauit interpres, Et* τὸ πνεῦμα καταγωνίζεται *legendum est, vt apud Basilium non* κατάγνωρίζεται *vt habet Antonius. Sic itaque verto. Qui stat à partibus carnis, spiritum oppugnat, qui verò cum spiritu copias suas coniungit, carnem in seruitutem redigit. Sumpta enim hæc sunt metaphorica ab acie ad prælium instructa, vt quod sequitur* καταξάμενος *indicat.*

De gula, & incontinentia circa mensam. Sermo 39.

VÆ vobis qui impleti estis, quoniam esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quoniam lugebitis & flebitis. Luc. 6.

Voluptuarij & delicati in terra fuistis, nutriuistis corda vestra tanquam in die mactationis. Iacob. 5.

Escæ ventri destinatæ sunt, & venter escis. Deus autem & hunc & illas abolebit. 1. Cor. 6.

Nullus sit scortator aut profanus velut Esau, qui vnico edulio permutauit ius primogeniti. Heb. 12.

Et sedit populus vt ederet ac biberet, & surrexerunt ad ludendum, & dixit dominus ad Mosen: I, & statim hinc descẽde: peccauit enim populus tuus quos eduxisti de terra Aegypti, citò præuaricati sũt à via, quam præcepisti eis: fecerunt sibiipsis vitulum conflatilem, & adorauerunt eum. Exod. 32.

Potentia satanæ sita est in vmbilico ventris. Iob. 40.

Ne inexplebilis esto in mẽsa, ne quãdo offendas.

Anima repleta fauos contemnit: animæ vero indigenti amara quoque videntur dulcia. Prou. 27.

Qui delicatus est à puero, seruus erit. (*Hanc sententiam alij ex Hebræo sic vertunt.*) Qui seruum suum à pueritia delicatè educat, postremo ius filiorum occupare molietur. 29.

In vtero matris fratrem suũ supplantauit Iacob. Osee.

Qui dormiunt in lectis eburneis & in stragulis suis deliciantur, qui hœdos ex gregibus comedunt, & vitulos teneros ex armentis, qui vinum defecatum bibunt, & præcipuis vnguentis vnguntur. Amos. 6.

Væ illis qui surgunt mane & sicerã sectantur, & cùm ea expectant noctem. Vinũ enim exuret ipsos. Esa. 5.

Ne sequaris cupiditates tuas, & desideriis tuis abstine. Si animæ tuæ indulgeas & gratificeris pro cupidine sua, faciet te ludibrium hostibus tuis. Syrach.

Ne delectator multis delitiis: tormina enim virum inexplebilem afficiunt.

Ne fueris inexplebilis in quauis voluptate: ex multis enim eduliis morbus fiet.

Viri mensam alienam spectantis vita, non est pro vita deputanda. Sirach. 40.

Hominum natura vel noctes insomnes ducit, nec vnquã quiescit præ desiderio plura cõquirẽdi. Incerti authoris.

Grauatus venter non modo ad cursum, sed ad somnum etiam ineptus est. Compressus enim pondere non potest quiescere, sed frequenter huc & illuc se conuertit. Basilij, ex Homil. 1. de laudib. Ieiunij.

Ibidem. Nullum cum ventre fidum commercium contrahi potest: est enim penu incustoditum, & multorum quæ in eo depositæ sunt, noxam quidem retinet, ipsa verò deposita non conseruat.

Liguritor venter, semper aliquid postulat, & nunquam intermittit: hodie accipit, & cras obliuiscitur. Cùm plenus est, de continentia cogitat, vaporibus autem cibi discussis, obliuiscitur eorũ quæ
Lucæ.16. statuerat. Diuitis exẽplum metue, quem voluptuaria vita igni tradidit. Non enim de iustitia, sed vitæ deliciis accusatus, in flamma camini torrebatur.

Ibidem. A copioso & pinguinutrimento fuliginosi quidam vapores sublati, instar nubis opacæ intercipiunt illuminationem quæ à spiritu trãsmittitur mẽ- B ti: Quamobrem & Moses cum ad Dei contemplationem mente conscenderet, sine cibo & sine potu diebus quadraginta mãsit, imperturbatam sibi mẽtis aciem conseruari satagens.

ἐγκρατεῖς γ' σώματος. Cùm corpus bene habitum est & multa carne grauatur, necesse est infirmam & imbecillem esse mentem ad proprias functiones: cõtrà cùm anima bene habet, & exercitatione rerum bonarũ ad suã magnitudinem attollitur, consequens est vt corpotis habitus emarcescat.

Robur Satanæ inquit (Iob 40.) in lumbis situm est, & potentia eius in vmbilico ventris. Eo enim cibis ingestis pinguescente, necessariò partes etiã sub- C iectæ humore copioso per imum ebulliente, ad naturales actiones mouentur.

Ibidem. Satietas, initium est iniuriæ. Statim enim cum voluptate, & ebrietate, & variis condimentorum cupediis omne genus bulluinæ luxuriæ se immiscet, hinc homines equis ad libidinem furibundis similes redduntur, propter furorem ex voluptate in anima natum.

a Ἀκρασίαν Græci vocant incontinentiam, quod κράτος, id est, vim nullam habeat aduersus ingruentes voluptates.

Theologi. Incontinentiam voco quicquid superfluum est & vsum excedit, idque esurientibus & indigentib. D aliis, qui ex eodem luto & eadem mixtione producti sunt.

Nihil tam contentiosum est & pronum in lites, quàm venter.

b Admirabile quiddam est continentia, & rerum paucarum indigentia, & non vinci à voluptatibus, nec à ventre tanquam austero & illiberali domino, regi.

c Si quid voluptati carnis ademistis, date spiritui. In propinquo est pauper, iuua eius ægritudinem, in illum aliquid de superfluis effundas. Quid est quod & tu labores fastidio cibi, & ille fame? tu crapula distendaris, ille hydrope? tu satietatem oneres satie- E
Lucæ.16. tate, & ille morbo conficiatur. Ne tuũ Lazarum hic neglexeris, ne te faciat qualis illic erat diues ille.

Nulla satietas, sobrie & prudenter agere potest.

Etenim ignis solet excrescere per materiam.

Nę terra & mare, pretiosum nobis excrementũ adducunt. Non enim honorificentius de voluptate loqui libet.

Mentem expeditam tumidus haud vẽter parit.

Chrysosto mi. Cibo saturatus, curam tui habeas. Præceps enim est voluptatis locus.

Cùm natiuus calor cibos nimio cõcoquere nõ potest, sed obruitur: supernatant fumigãres, & multum fastidij molestiæq; generant.

Multa vorare, ad pardalim, leonem, & vrsum pertinet.

Non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnẽ. Nam & prandentibus, & ambulãtibus, & lauãtibus, præsens est hostis, nec vllas inducias agnoscit, nisi tempus somni: quamuis sæpe tunc etiã impugnet cogitationes impuras suggerẽs, & per insõnia lasciuiores efficiens.

Frugalitas, & alimentum est & voluptas, & sanitas: nimium verò, noxam, fastidium, & morbum gignit.

Nam quæcunque fames, eadem efficit repletio, imò grauiora. Fames enim paucis diebus hominẽ relinquit: hæc vero excedens & putrefaciẽs corpus in longum morbum impellit, interdum autem grauissimam mortem. Quinetiam materia est, repletio absurdis desideriis. Nam licet maxime philosophus sit & sapiat qui voluptati indulget, necesse tamen est eum aliquid pati à vino, & à cibis afficiri: hinc scortationes & adulteria prodeunt. Venter.n. famelicus, amores gignere non potest.

Pedum dolores, & capitis grauitates, & oculorum hebetudines, & manuum ægritudines, & tremores, & resolutiones, & aurigo, & febres longæ ac horrentes, ex voracitate & repletione produci solent. Nam cibo nõ saturari, sanitatem esse, medicorum filij pronunciant.

Mensæ simplicitas saturat, varietas appetitum excitat.

Obsonij loco tibi sit inopia, & quod satietas nõ obruitur satietate, nec appetitus hebetatur per crapulam. Condimentorum sensus ad palatum terminatur, deinceps verò indifferens est quod ingeritur, omnia ex æquo, ad fœtorem vsque alterante natura.

Philonis. Continentiam, sanitas & robur sequitur: incõtinẽtiam verò infirmitas, & ægritudo morti vicina.

Onerato ventre, deprimitur cor: si autem ratio Climacis. eius habeatur, exultat mens.

Parenthesin de nostro additi mus. Sæpe si obseruemus, ridiculum malum dæmones contra nos moliri inueniemus: saturatos enim nos pungunt (id est, instigant ad lachrymas) ieiunãtes autem indurãt, vt spuriis lachrymis decepti, voluptati perturbationum parenti nos dedamus: quibus non obediẽdum, sed contrarium potius faciẽdum est.

Marci. Quando cor indulget deliciis, rationi, pestis innascitur: cognoscimus autem materiam insitam ex fumo.

Esaiæ. Vtrum melius est, an deliciari paucis diebus, & carnis desiderio satisfacere, & priuari æterna vita? &c.

Anachoretæ. Homines à Deo sanitatem petũt, ignorant autẽ quòd eius potestatem penes sese habeant. Nam per incontinentiam facientes ei contraria, ipsi desertores sanitatis existunt.

Celeritas & festinatio absit à comedendo: Hoc enim caninum est, & belluæ conuenit magis quàm homini.

Antisthenis. Antisthenes negatus [illegible] dixit [illegible] gustationis occasio.

In conuiuiis memẽto duos tibi hospites nutriri, Epicteti corpus

corpus inquam & animam: & quicquid in corpus conferis, id statim effundit: quod autem in animam, perpetuò seruari.

Theogn. Multo plures viros satietas interemit, quàm fames.

Diogenis. Lupus cùm vidisset pastores in tugurio comedentes ouem, accedens dixit: O quantus foret tumultus si ego istud facerem!

Columna suæ basi innititur, scortationis autem affectus satietati incumbit.

Satietas iniuriam parit, imperitia vero potestati coniuncta dementiam.

Mori longè præstat, quàm animæ tenebras per incontinentiam offundere. B

Pythag. Tres botri nascuntur in vite, primus voluptatis, secundus ebrietatis, tertius iniuriæ.

AD SERM. 39.

a Basil. ἀκρασίαν] *Hic locus est ex reg. breuior. 67 in quo non tam exacta Grammaticorum statera etymologiam expendit quàm ad vocem ipsam alludit. ἀκράτεια enim est ἡ μὴ ἔχουσα κράτος, quæ latinè proprie Incõtinẽtia, at ἀκρασία πρὸς τὴν κρᾶσιν vt*, intemperantia, *quæ sine temperie. Sed confunduntur tamen hæc duo Arist. 1. Rhet. ὁι γὰρ ἀκρατεῖς τοιοῦτοι. δεῖ δὲ ἀκρασία περὶ πάντα ὅσων, &c.*

b Admirabile quiddã] *Græcè vno verbo* ὀλιγαρκεία *virtus eorum propriè qui paruo contenti sunt, paruoque beati, vt loquitur Horatius. Gregor. orat. 20. in Basilium. Primus item Theologi locus est ex orat. 38. in Natiuit. Christi.* ἀκρασία πᾶν τὸ ὑπὲρ χρείαν. *Intemperantia, omne quod vsus necessarios excedit. In quem locum Nicetas* ἀκρασίαν *immoderationem esse docet quòd vsus necessitate non temperetur.*

c Si quid voluptati] *Hîc vitiosè legitur Græcè τί γὰρ οὐ χάριτες ἀπάντων. emendat autem Gesne.* ἀποπίτων *& ad eã emendationem versionem suam accõmodat. At in Græco legendum ex Greg.* ἀπεπίτων. Quid & tu eruditate laboras? *non fastidio cibi. Bill. l. 1. c. 4.* D

De prodigalitate, & luxuria. Sermo 40.

Luxu. ET post dies non multos, omnibus collectis iunior filius profectus est in regionem lõginquã, & illic viuens luxuriosè substantiã suã dilapidauit.

Ebes. Ne inebriemini vino, in quo est luxuria.

Ebes. Qui delicate viuit à puero, seruus erit.

Theologi. Aeque difficile est tum bonum aliquid ab initio acquirere, tum acquisitum conseruare.

Si pueri alicuius tutor esses, & bonis eius acceptis ipsum miserrimè affectum negligeres, infinitis te accusarent, & pœnam secundùm legem luere: Iam verò acceptis Christi rebus, cum ita tem- E ere eas profundas, non arbitraris pœnã te luiturum?

Diuis. Des operam vt nunquam temere consumas pecuniam, vnde nullam tibi gloriam pares. Nam diuitiæ magnæ non tam multa accipiendo, quàm nõ multa expendendo colliguntur.

Menandri. Illos qui suas opes temere profundunt bene audire & laudari, nimirum omnibus molestum est.

Chilonis. Si expendas vbi non oportet, parcus eris vbi oportebat expendere.

Non possidere diuitias, non adeo noxium est: præsentibus autem male vti, prorsus ad perditionẽ & inopem vitam redigit.

A *De ebrietate. Sermo 41.*

OBseruate vosipsos, ne quando grauentur corda vestra per crapulam, ebrietatem, & huius vitæ ærũnas: & subitò vobis immineat dies illa. Irruet enim instar laquei super omnes sedentes in facie terræ. Luc. 21.

Tanquam in die honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, ac lasciuiis. Rom. 13.

Qui gaudet immorari vinó, in suis munimentis relinquet infamiam. Salomonis.

Omnis ebrius & scortator vestietur laceris vestibus. prou. 23.

B Apud quem est dolor, tumultus, contentiones molestiæ, loquacitas, vulnera temere inflicta, & liuor oculorum? Nónne apud immorantes in vino & circumspicientes vbi compotationes fiant? Ibidem.

Vinum à Deo datum: temperantibus donum ad consolationem infirmitatis, lasciuientibus nunc factum est instrumentum luxuriæ. Basilij. hom. in ebrietatem & luxum.

Ignis ille qui carni ex vino innascitur, fomes fit ignitorum iaculorum inimici. Rationem enim & mentem vinum demergit: affectus autem & voluptates, vt oleum, flammam accendunt.

C Nullus ex aquæ potu crapulam sensit, nullius vnquam caput doluit aqua grauatum, nullus aquæ potor alienis pedibus indiguit, nullius pedes ligati sunt: nullius inutiles redditæ manus aqua irrigatæ. ho. 1. de iciun.

Ebrietas non suscipit dominum, ebrietas spiritum sanctum repellit. Fumus enim apes fugat, crapula verò pellit spiritualia dona. Ibidem.

Ebrietas, dæmon est sponte admissus per voluptatem in animos. Ebrietas mater est malitiæ, impugnatio virtutis: hæc ex forti timidum facit, ex modesto lasciuum, iustitiam ignorat, prudentiam abolet. Nam sicut aqua pugnat igni, sic immoderatio vini mentem sobriam extinguit. ho. in ebrietatem & luxum.

D Ebriorum graues sunt somni, profundi, & suffocationi, imò reuera morti vicini: vigiliæ vero ipsorum minus etiam quàm somni sensuum habent. Vita enim eis insomnium est, qui cum tunicam nõ habeant, neque quod in crastinum comedant, regnant tamen & exercitibus imperant in ipsa ebrietate, & vrbes ædificant, & pecunias distribuunt. Ibidem.

Nocumẽta quidem pestis cum tempore hominibus contingunt, aëre ipso paulatim virus suum corporibus inferente: Vini autem noxæ illico ingruunt. Ebrij quippe cùm adeò corruperunt animã vt tota sit inquinata & plena maculis, insuper etiã corporis habitum perdunt: non præ libidine solũ tabidi & diffluentes, voluptatibus eos vehementia E sua in furorẽ agentibus: sed ipsum quoque corpus circumferẽtes mole sua turgidum & flaccidum, & vitali vigore destitutum. His liuent oculi, pallet cutis, spiritus est † angustus, lingua resoluta, vox incerta, & pedes tanquam pueris cespitantes. Ibidem. † σφιγκτὸς

Præstat lugere quàm comessari: & conuersari tristantibus, quàm se inebriantibus. Theologi

Illis qui in ebrietate & luxuria viuunt, dies in caliginem nocturnam vertitur, non quidem extincto Sole, sed mẽte ipsorũ per ebrietatem obfuscata. Chrysosto.

Ebrietas est rectę rationis alienatio, & delyrium, & secundum animam sanitatis perditio.

Vinum immodicè potum luxuriæ fomes est,

voluptatum ſuppeditatio, lues iuuentutis, animæ venenum, rationis extinctio, virtutis alienatio.

Clemẽtis. *a* Omnis enim vinoſus (vt habetur in Tragœdia) inferior eſt ira, & mente vacuus.

Euagrij. Corpus quidem vino roboratur, anima vero ſermone dei.

Plutarchi. Mundus quidem igne & aqua corrumpitur: luxurioſorum autem opus amore & ebrietate.

Iniuria & vinum detegere ſolent amicis mores amicorum.

Menandri. Multum merum, parum ſapere cogit.

Non enim copia potus, ſi quis obſeruet, deſipere facit, ſed potantis ingenium.

Moleſtum eſt autem cum quis præ vino nimis loquitur, nihil ſciens, * ſimulans vero ſcire.

* θεοζπιδόμος.

Anacharſidis. *b* Anacharſis dixit, primum quidem poculũ quod infunditur ſanitatis, bibi, alterum voluptatis, tertium iniuriæ, vltimum inſaniæ.

Pythagoræ. Tres botri naſcuntur in vite, primus voluptatis ſecundus ebrietatis, tertius iniuriæ.

Idem à vinoſo quodam interrogatus quomodo quis ebrietatem relinqueret, dixit: Si ſæpe quæ per temulentiam deſignat, conſideret.

Sapiens quidam interrogatus quomodo aliquis compotandi ſtudium deſereret, dixit: Si ante oculos habeat vitia ebriorum.

AD SERM. 41.

a Clem. Omnis enim vinoſus] *Apud Clementem lib. 2. Pædago. C. 2.* πᾶς γὰρ οἰνοβεὶς ἀνὴρ ἥττων μὲν ὀργῆς, ἕβεται δὲ νοὸς κενὸς. *Quiſquis enim temulentus eſt,*

Succumbit iræ, mente nulla præditus.

b Anacharſis dixit] *Diogenes Laert. in vita Anacharſis, eius hoc dictum memorat, Vitem vnas tres ferre: primam voluptatis, ſecundam ebrietatis, tertiam ἀνδρίας ceu mœroris, non iniuriæ, quod Pythagoræ tribuit hic Antonius, vt opinor ſolus. Athenæus lib. 2. De Piroſoph. apud Eubulum induci ait Bacchum, qui dicat ſe primum poculum miſcere bonæ valetudinis. 2 voluptatis. 3 ſoporis, ſicque deinceps vſque ad decimũ, furoris. Itaq; idem diuerſorũ potuit eſſe Apophthegma. Certè illud extremum in hoc capite, ſapientis cuiuſdam idem Laertius Anacharſi tribuit* τὰς ἀρχιμοσύνας *turpes motus ebriorum innuit.*

De ſomno. 42.

Prou. 23. LAceras & pannoſas veſtes omnis ſomnolentus induet.

Sirach. Cura vigiliarum requirit ſomnum.

Baſilij. *a* Gratias age illi qui mirabiliter nos per ſomnũ ab aſſiduis laboribus recreat, & modicæ quietis beneficio rurſus ad vigorem virium reducit.

Theologi dict. Iamb. *Vir ſomnolentus ſola reperit ſomnia:*

b Nam ſomnus haud res, viſa ſed tantùm docet.

Chryſoſto. Somnus nihil aliud eſt quàm mors ad breue tẽpus, & aliquot *c* horarum obitus.

Philonis. Non temere qui rẽ vere conſiderarunt, ſomnum eſſe mortis præmeditationem, & vmbrã ac delineationem quandã vitæ denuo futurę ſtatuerunt. Imagines enim vtriuſq; euidẽter repræſentat. Quippe eundẽ hominẽ ex integro & aufert, & ſibi reſtituit.

Somnus veluti publicanus, dimidium vitæ nobiſcum partitur.

Somnus eſt imago mortis, ceſſatio ſenſuum.

Vnus quidem ſomnus eſt, multas vero eius carpendi ſuggeſtiones cupiditas habet: videlicet, à natura, à cibis, à dæmonibus, & forte etiã à ſummo & intenſo ieiunio, quo debilitata natura ſomno ſtatim ſe recreare cupit.

Somni. cauſæ. Quemadmodum vinolentiam vocamus, malam quandam conſuetudinem: ſic & ſomnolentiã. Difficile eſt autem conſuetudini longæ mederi.

Democrit. Diurni ſomni, aut corporis moleſtiam aliquã, aut animæ anxietatem, aut ſegnitiem, aut imperitiam arguunt.

Aeſchinis. Somnus diuturnior quàm deceat, mortuis potius quàm viuis conuenit.

AD SERM. 42.

a Baſil. Gratias age illi] *Immerito Geſnerus hunc locum mutauit, dum* τὸ ἀκινδύνως *deleuit, &* τὸ θαυμασίως *ſubſtituit. Atqui hæc ſic habent apud Baſilium ipſum hom. in martyrem Iulittam.* θεοσκυώνει τὸν καὶ ἀκινδύνως ἡμᾶς ἀφελὲ τῶ ὕπνω ἡ ζωοχείας τῶν πόνων λύοντα. *Adora eum qui nos non cogitantes per ſomnum laborum aſſiduitate releuat, vel certè, etiam inuitos, niſi malis indicari nobis non accerſentibus obrepere ſomnum.*

b Nam ſomnus] *In Græcis eſt paronomaſia* μίμησις γὰρ ὕπνος φασμάτων, ὄκτεσμάτων.

c Aliquot horarum] *Greg.* ἐφήμερος τελευτὴ *quotidianus obitus.*

De inſomniis. Sermo 43.

Matt. 7. NIhil tibi & iuſto illi. Multa enim paſſa ſum hodie in ſomnis propter ipſum.

Act. Apoſt. 9. Erat autem diſcipulus in Damaſco nomine Ananias, & dixit ad eum dominus in viſione, &c.

Inſomnium accedit in multitudine tentationis.

Salomonis Sirach. 34. Qui obſeruat inſomnia ſimilis eſt captanti vmbram, & ventos perſequenti.

Baſilij. Imaginationes in ſomnis, vt plurimum diurnis cogitationibus reſpondent.

a Solent enim ferè imaginationes in ſomnis vt plurimum reſpondere curis diurnis. Qualia enim fuerint vitæ noſtræ ſtudia, talia neceſſariò etiam inſomnia fient.

Noctes excipiunt curas dierum, eáſque imaginando, illudunt animis.

In ſomnis videre ſua deſideria, ſolatium fert amantibus.

Qui dediti ſunt ebrietati & gulæ illi ſomnum genuinum ſyncerúmque non capiunt, & terribilibus inſomniis afficiuntur.

Qui obſeruat inſomnia, ſimilis eſt vmbram ſuam perſequenti.

Nili. Quando in ſomnis dæmonibus obedire incipimus, tunc etiam vigilantes deinceps illudunt.

AD SERM. 43.

a Solent enim] *Locus eſt ex hom. Baſil. in Martyr. Iulittam* πεφύκασι γὰρ πως αἱ καθ' ὕπνον φαντασίαι ἀπηχήματα εἶναι τῶν μεθημερινῶν φρονίδων. *A natura id habent imaginationes nocturnæ vt ſint quaſi extremus ſoni pulſus ceu extrema reſonantia ex curis diurnis vide & reg. breuio. 22. Gregorius* φρονίσιν ἡμερίας γὰρ ὁμοίωμα φασμάτων νυκτὸς *viſa etenim curas referunt nocturna diurnas.*

De fide. Sermo 44. *inſunt autem non pauca quæ etiam habentur ſupra in primo ſermone: ea hic aſteriſcis notauimus.*

Matt. 17. A*Men amen dico vobis, ſi habueritis fidem vt granum ſinapis, dicetis ad montem iſtum, trãſi hinc illuc, & tranſibit.

Epheſ. 2. Gratia ſeruati eſtis per fidem, idq; non ex vobis: dei donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur.

Fides

Hebr.11. Fides est sperandorum substantia, argumentum rerum quæ non apparent.

Salomonis *Certam & exhibitam fidem profitebitur iustus.

Crede Domino, & mane in labore tuo: quoniam facile est coram Domino pauperem subitò ditare.

Syrach.11. Syrach.2. Basilij. *Donum Domini perseuerabit cum piis.

*Confide Deo vt opem tibi ferat.

*Fides, eorum quæ de Deo dicuntur dux sit: & non demonstratio.

Eusebius. *Fides est assensus, de iis, quæ auditu percepit, nihil ambigens, cum certa persuasione veritatis earũ rerum, quæ Dei gratia prædicatæ sunt. Huius exẽplum aut specimen exhibuit Abraham, qui iuxta scripturæ testimonium non dubitauit per incredulitatem, sed fide confirmatus est, Deo gloriam tribuens, & certa animi fiducia persuasus, quòd quæ promisit Deus, eadem & præstare possit.

Theologi. *Quod aliquis non potest assequi, id simpliciter fieri posse non credit. Nam profanus animus nihil honestum & egregium quod credat dignum arbitratur.

Chrysosto. *Hoc fidei maximè proprium est, rationes eorũ quæ fiunt non inquirere, sed obtemperare præscriptis.

*Pium & fidum virum tam firmo & constanti erga Dei promissiones animo præditum esse oportet, vt licet sibiipsis contraria esse videantur quæ fiunt, ne sic tamen vel animo turbari possit, vel de euentu desperet. Fidelem Abraham itaque inspicito, qualem nimirum promissionem ipse acceperit, & quænam ipse facere coactus sit.

Greg. Nyssen. *Fides virtutum mater, corona, & perfectio est.

*Sola fides comprehendit incomprehensibilem. Sola fides inuisibilem percipit. Sola fides inaccessum accedit, quoad eius fieri potest & licet.

Cyrill. Quod fide suscipitur, non debet curiosè examinari. Nam quod rationibus inquiritur, quomodo adhuc creditur?

Aristotelis *Quemadmodum in medicina fieri dicunt, vt corpora non pura quò magis nutriueris eò magis lædas, materiam nimirum corruptis humoribus suggerens: Sic prauis opinionibus præoccupatam animam, quò plus docueris, eò magis lædes, maiores subinde male & perperam sentiendi occasiones suppeditans.

AD SERM. 45.

*Quod aliquis] *Hæ duæ sententiæ hic coniunctæ, ex diuersis duobus locis orationis funebris in patrem Gregor. decerptæ sunt. Prior non reddita est integra ab interprete* τὸ γὰρ ὃκ ἐφικτον, δὲ πιστὸν πῶς διὰ τὸν φθόνον. *Fit enim ferè, vt quod quispiam assequi non potest, id ob inuidiam ne credibile quidem esse putet.*

De prouidentia. Sermo 45.

Matt.16. NOnne duo passerculi minuto asse venduntur? Et vnus ex illis nõ cadet in terrã sine patre vestro. Vestri vero etiam pili capitis, omnes numerati sunt.

Rom.11. O profunditas diuitiarum, & sapientiæ, & cognitionis Dei, quàm imperscrutabilia sunt iudicia eius & non inuestigabiles viæ eius.

Syrach.16. Ne dixeris: Abscondar, & quis mei memor erit ex alto? Ecce cœlum, & cœlum cœlorum, abyssus & terra in visitatione eius cõcutientur. Vias eius quis animo complectetur?

Basilij. Nihil sine prouidentia, nihil neglectum est apud Deum: omnia contemplatur oculus vigilãtissimus, omnibus adest, omnibus distribuit salutem.

Theologi. Numen prouidentia sua pronum in benignitatẽ, sæpe solet inopinatam salutem adferre.

Epicuri. Gratias ago beatæ naturæ, quòd quæ necessaria sunt fecit parabilia: difficilia autem paratu, non necessaria.

Theopompi. Platonis. Neque malorum authorem Deum existimes, neque sine eo infortuniis nos affici putes.

Demadis. Cum Deus ciuitati beneficium præstare vult, bonos viros ei producit: cum vero ciuitati calamitatẽ immissurus est, aufert ab ea viros bonos.

Xenophõtis. Quantum Deus iustos adiuuat, tantum iniustis aduersatur.

Nunquam differas necessaria comparare, donec ipsa te cogat necessitas: sed cùm abundas maxime, tunc ante inopiam rem effice. Facilius enim acquires ab illis vnde tibi opus est acquirere, si videaris inops non esse.

Diuina prouidentia communiter omnibus ad vtilitatem prouidet: quæ autem rebus accedunt noxia, & interitum afferunt, materiæ infirmitatem sequuntur.

De oratione seu precibus. Sermo 46.

Matth.6. Iacob.5. ORantes non sitis multiloqui. Affligitur aliquis inter vos? oret.

Salomonis Impiorum sacrificia, abominatio sunt Domino: preces autem rectorum, acceptæ sunt ei.

Prou.15. Procul abest Deus ab impiis, precibus autem iustorum auscultat.

Syrach.7. Ne sis pusillanimis in oratione tua.

Ne differas reddere orationem in tempore.

Basilij. In psal.114 Auscultatio Dei non indiget auribus ad sentiendum. Nouit enim statim ex motu cordis quæ requiruntur cognoscere. An non audis quod Moses, cum nihil loqueretur, tacitis suspiriis suis Dominũ appellans, exauditus fuerit à Domino dicẽte: Quid clamas ad me? operum autem iustorum præsentia maxima apud Deum vox est.

Serm. de abdicat. rerum. Mos enim est dæmonibus orationum tempore, prætextu scilicet bonæ & iustæ causæ, vrgere nos ad secessum, vt nos à salutari oratione veluti per probabilem, vt videri potest, causam abducant.

Chrysosto-mi. Magnum bonum est oratio, si grato animo fiat. Nam cum ex puris labiis prodit oratio, & corde non simulato, seueram domini aurem occupare potest.

Bonum est semper cum Deo colloqui per orationem. Nam si boni viri occursus meliorem reddit illum quem conuenerit, quanto magis colloquium quod dies noctésque cum Deo fit?

Ignis non ita extergit æruginem, vt nocturnæ preces peccatorum nostrorum sordes expurgant.

Coram Domino orat qui animam suam vndequaque colligit, & nihil commune habet cum terra, sed intra seipsum migrat, & omnem humanam cogitationem ex anima eiicit.

Vbi oratio & gratiarum actio est, sancti spiritus

gratia accedit,& fugantur dæmones,& omnis contraria potentia aufugit ac diſcedit. A

Προσευχὴ *Græcis vocatur tum quæ verbis fit oratio vel precatio, tum pollicitatio & promiſſio.*

Sonora eſt illa vox & vſque ad diuinum auditum aſcendens,non quæ cum clamoris aliqua intentione fit,ſed quæ per conſcientiæ puræ meditationem excitatur.

Si oratio ſeriæ aſſiduitati accedat, nullus peccato ad animam acceſſus patet.Collocata enim Dei memoria in corde, nihil efficit machinis ſuis aduerſarius.

Oratione acquiritur conuerſatio Dei:ſeiungitur autem à Deo, qui non ſe coniunxerit ei per orationem. Qui vero ſeparatur à Deo, illum prorſus neceſſe eſt aduerſario coniungi. B

Oratio cuſtodia eſt temperantiæ, virginitatis ſigillum,iræ caſtigatio,ſuperbiæ moderatio, animæ memoris iniuriarum expiatio, inuidiæ demolitio, pacis confirmatio.

Nili.

Quando bonum aliquod à Deo petieris, nec ille te ſtatim audierit, noli teipſum negligere, nec animum deiicere. Sæpenumero enim non conducit tibi tua petitio ad præſens tempus.

Orantem oportet ſapere, ne quid inſcius contra ſeipſum oret.

Iſocratis. Homines tunc fiunt meliores, cum Deum accedunt. Habent autem ſimilia Deo, beneficentiam & veritatem. C

De actione, Sermo 47.

Theologi. ACtio eſt ingreſſus ad contemplationem.

a Æque imperfecta ſunt tum actio ſine ratione,tum ratio ſine actione.

Tetraſt. 6. Infecta verba muta vincit actio.

Chryſoſtomi. Actio euidentior eſt ſermone, vt viſus auditu: & doctrina quæ experimento ſiue exemplo conſtat, quàm quæ fit ore.

Malam actionem ſermo bonus non abſcondit: neque bonam actionem maledicentia lædit. D

Ex ethnicis. Malorum operum malus dæmon dux eſt.

Tempus emollit cuncta,& elaborat.

Multarum rerum magiſter eſt tempus.

Gladij capulis,actiones, temporis occaſione apprehenduntur.

Statuam ornat figura,virum actio.

Præſtat diuitiis & voluptatibus multo redemptis auro,hominum iuſtorum & bonorum præſentia.

AD SERM. 47.

Theol. Æque imperfecta] *Græ.* ὁμοίως ἀτελὴς ἄλογος πρᾶξις, καὶ λόγος ἄπρακτος. *Melius ergo vertes* actio ſine ſermone,& ſermo ſine actione. *Hic enim opponũtur verba & opera vt in ſequenti ſententia,* ἄλογος *etiam ratione tantum ſed & oratione carentem ſignificat & in orat. 20. in Baſilij laudem vnde eſt hæc ſententia dicit Gregorius eum oppugnaſſe hæreticos* ὁ πλοις τοῖς ἀπὸ γλωσσης *& ſagittis ex atramento, tum addidiſſe orationi ſubſidium actionum.* E

De doctrina quæ tum ſermone tum conuerſatione, fit. Sermo 48.

AMen dico vobis,quicũque fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Matth. 5.

Omnis homo ſit celer ad audiendum,& tardus ad loquendum. Iacob.

In aures inſipientis nihil dicas, ne fortè prudenter abs te dicta irrideat. Salomonis

Elocutio ſtulti,eſt tanquam onus in itinere: in labiis autem prudentis inuenietur gratia. Syrach. 21.

Ne aſperneris narrationem ſapientum, & in dictis ipſorum exerceare. Baſilij.

a Sermo eſt,non opus aut creatura.

Præſtat habenas ſui committere peritioribus,quã aliorum aurigas eſſe imperitos:& aures potius præ- Theologi. B ſtare benignas,quàm linguam indoctam ciere.

Melius eſt in plana & trita via ingredi,quàm ſalebroſa & inuia.

Inexplebile eſt humanum genus tum loquendo, tum alterum loquentem audiendo.

Non incipientem,ſed deſinentem ſermonem laudare conuenit:& ingenium approbare modeſtum, non autem elatum ac ſuperbum.

Melius eſt bene ignorare,quàm male diſcere.

Chryſoſtomi. Sæpe verbis & praua cohortatione vincuntur illi, quos ipſa rerum natura non fefellit.

Boni, non eſt in Græco. Non ſine periculo aliquid (boni) auditur, cum id deinceps non re ipſa præſtatur.

b Cognitio alia ſine ratione eſt, alia cum ratione. Sunt enim multi qui cognitionem quidem habẽt, rationem vero nullam. C

Nihil iuuat inſtitutio verbis facta,niſi ipſius operis exhibitio dictis accedat.

Greg. Nyſſeni. Malim equidem audire dicentes aliquid boni, quàm ipſe dicere.

Nili. Fruſtra inſumuntur omnia verba ad emendationem,quando animus audientium ad deteriora inclinans,contrarium conſultoris ſermoni inſtitutũ habet.

Photij patriarchæ. Speculo ſimilis eſt ſermo:& ſicut in illis repræſentatur ſpecies corporis & formæ, ita in colloquiis, D animæ forma expreſſa conſpicitur.

Didymi. Tum proficit magiſter, & fidem dicendo facit, quum ſuis operibus docet, iuxta illud: Quæ cœpit Ieſus facere & docere.

Iſidori Peluſiotæ. *c* Vita ſine ſermone plus iuuare poteſt, quàm ſermo ſine vita. Vita enim iuuat etiam tacita, ſermo autem clamore ſuo moleſtus eſt. Quòd ſi ſermo & vita conueniant, totius philoſophiæ ſimulachrum perficient.

Agito cum ſermone,& dicito cum actione.

Theognidis. A bonis etenim bona diſces:ſi vero malis miſceaberis,amittes quoque priſtinam mentem.

Corpora moderatis laboribus augeri ſolent,ani- E ma vero honeſtis ſermonibus proficit.

In ſpeculis quidem faciei: in colloquiis autẽ animæ character videtur.

Clitarchi. In conuentu ne ſtudeas primus dicere ſententiã tuam.Nam ſi poſt plures dixeris,magis videbis quę vtilia ſunt.

Mo'chionis. Hirundines quidem ſerenitatem nobis fore præſagiunt, ſermones autem philoſophici vacuitatem triſtitiæ.

Alexandri Epicharmi. Odi malum quando bonum ſermonem dicit.

Aures tuas non cuiuis ſermoni præbe: malus enim ſermo malorum operum dux eſt.

Æquale

Herodoti. Aequale hoc apud me iudicatur, tum bene sapere, tum bona dicenti obtemperare.

Pythagoræ. Lapidem potius temere proiicere debes, quàm otiosum sermonem.

Oenopidis Romuli. Oenopides talem dicebat sermonem esse hominis qualis eius natura esset.

Romulus vas fictile ictu & sono, hominem sermone probari dicebat.

Viri character ex verbis eius noscitur.

Nunquam verba potius quàm rem ipsam probaui.

AD SERM. 48.

a Theol. Sermo est, non opus] *Corruptus hic locus interpretem in hanc alienam ab auctoris mente sententiam induxit,* λόγος ἐστὶν, ὃ γέννημα, *corrige* λόγος ἐστὶ νῷ γέννημα. Sermo est mentis fœtus. *Ex oratione Gregorij 26. de moderatione in disputat.*

b Cognitio alia sine] *Gr.* ἐστὶ γνῶσις λόγῳ χωρὶς. *Hic quoque malim vertere.* Est quædam cognitio sine sermone, quædam cum ser. *Multa quippe, vt ait Damascenus lib. 1. C. 2. de fide ex iis quæ obscurè de Deo cognoscuntur, haud satis commodè efferri possunt.*

c Vita sine sermone. Sermone autē clamore suo.] *In Græco Antonij deerat particula* καὶ *quæ addenda est ex epistola 275. lib. 2. Isidori vt Antithesis appareat* ὁ δὲ καὶ βοῶν ἐνοχλεῖ. Hic autem etiam clamans molestiam affert.

De admonitione, Sermo 49.

Ioan. 5. 1 Thess. ECce sanatus es, noli amplius peccare.

Obsecramus autem vos fratres, monete inordinatos, consolamini pusillanimes, subleuate infirmos, patientes estote erga omnes, &c. Videte ne quis malum pro malo cuipiam reddat, sed semper quod bonum est sectemini.

Basilij. Doctrina violēta non solet permanere: quod autem cum delectatione & gratia se insinuat, tenacius quodammodo nostris animis insidet.

Chrysostomi. Conducit peccantes morderi acrimonia verborum, vt ipsa rerum infamia liberentur.

Diogenis, Antisthenis Mortuum medicari, & senem admonere, idem fuerit.

Omnes ferè libenter admittunt illos qui desideriis ipsorum inseruiunt, & eos non modo sibi beneuolos arbitrantur, sed solos etiam homines reuera esse: molestè autem ferunt illos à quibus castigātur.

Euripidis. Omnes in admonendo sapimus:

Ipsi vero si quid delinquimus, non agnoscimus.

Æsopi. Æsopus dicebat vnumquemque nostrûm duas peras secum ferre, vnā ante, alterā à tergo: & in anteriorem quidem aliorum peccata reponere, in posteriorem vero nostra; ideóque illa non videmus.

Clementis. Nulli malæ rei defensorem te aut patronum adhibeas. Videberis enim tu quoque eiusmodi facere, si facientibus aliis auxiliator fueris.

De disciplina & philosophia, Sermo 50.

1 Cor. 3. SI quis sibi videtur sapiens esse inter vos, in sæculo hoc stultus fiat, vt reddatur sapiens. Etenim sapiētia mundi huius, stultitia est apud deū. Scriptum est enim: Qui comprehendit sapientes in astutia ipsorum: Et rursum: Dominus nouit cogitationes sapientium, quòd sint vanæ.

Hebræi. Si extra disciplinam estis, spurij igitur estis & nō filij. Quis enim filius est, quem non castigat pater?

Salomonis Nihil tā pretiosum est quod cum erudita anima permutari debeat.

Prou. 3. Fili ne contemnas disciplinam domini, neque fastidias cum argueris ab ipso. Dominus enim castigat quem diligit, & flagellat omnem filium quem suscipit.

Syrach. 6. Fili in adolescentia tua elige disciplinam, & accede ad ipsam tanquam arans & serens, ac bonos inde fructus expecta.

Theologi. Confessum esse puto apud omnes sapientes, disciplinam primarium apud nos bonum esse.

Qui vacatis philosophiæ, ne nimium tribuite rationibus, neque plus quàm modum & rationē decet argumentis ac sophismatis inhęrete: nec vbique velitis improbe vincere, sed alicubi etiam honestè vinci. (adeo.)

Orat. 15 in plagam grandinis. Præcipua sapiētia est vita laudabilis, & expiata

Prima sapientia est contemnere sapientiam quæ rationi & verborū strophis, & * improbis ac superfluis argumentandi contentionibus nititur. † Mihi vero cōtingat potius quinque verba in ecclesia loqui cum intellectu, quàm decem milia per linguā.

* κιβδήλοις adulterinis † 1. Cor. 4.

Ibidem. Non illum qui verbis sapit iudico sapiētem, neq; illum cui lingua volubilis, animus inconstans est: sed qui parum quidem de virtute loquitur, multa vero reipsa præstat, & sermoni suo vita factisque fidem conciliat. Nam & pulchritudo subiecta oculis præstat descriptæ verbis: Et diuitiæ manibus cōprehensæ, per somnium apparentibus: Et sapientia, non quæ verbis illustratur, sed quæ in operibus deprehēditur, præstabilior est. Intellectus (inquit) bonus est cunctis, re & opere declarantibus eum, non autem sermone.

Aut philosophari oportet, aut honorare philosophiam, si nō prorsus ab honesto excidere velimus: & cum rationales facti simus, & ratione feramur ad indagandam rationem, neglectæ amissæque rationis merito damnari.

Qui se à mundo segregarunt, & vitam deo consecrarunt, hominum vulgo sapientiores sunt.

Verus Philosophus qualis. Nihil inexpugnabilius philosophia, nihil trāquillius. Omnia prius cedent quàm philosophus. Duo sunt * inuicta, deus & angelus: & tertium philosophia. Est enim philosophus non materialis in materia, in corpore incircumscriptus, in terra cœlestis, in affectibus imperturbatus, vbique inferior cæteris præterquam animi magnitudine, & cedendo vincens illos qui se vincere putant.

* δυσεξήμπτα.

Vnam ego sapientiam noui, timere Deum. Etenim sapientiæ initium est timor Domini. Et alibi, Audi summam sermonis, Deum time & præcepta eius obserua.

Clementis Philonis. Cognitionem opera sequuntur, vt vmbra corpus. Non fieri potest vt magna discantur ante parua.

Sicut Sol omnium oculis præditorum lux est, sic etiam sapiens, omnium qui rationali natura participant.

Isidori. Somnio similis est imperitorum vita, vanas imaginationes habens.

Formatu facilis & mollis est adolescentia: & iunioribus ingeniis adhuc teneris disciplinæ innascuntur. Omne autem durum ægrè mollitur.

Omnibus rationem reddere, seruile est & ab au-

thoritate alienum: omnes autem contemnere, hominis est superbi & stolidi.

Didymi. Scire quæ nescias, scientiæ est: vt agnoscere suam iniustitiam, iustitiæ.

Sapientis animum inopia pecuniæ non deiicit, cum virtus & sapientia ipsum extollant, & altiorē pecunia collocent.

Platonis. Omnis scientia si separetur à iustitia & reliqua virtute, calliditas & non sapientia efficitur.

Antisthenes. Antisthenes interrogatus quamobrē diuites non irent ad sapientes, sed hij ad illos, dixit: Quoniam sapientes sciunt quid eis necessarium sit ad vitam, illi vero nesciunt: secus enim, sapientiæ potius quā pecuniæ studerent.

Demosthenes. Demosthenes dixit radicem disciplinæ amaram esse, fructus autem dulces.

Democriti Disciplina fortunatis quidem ornamentum est, infortunatis autem refugium.

Ciuitates ornant, anathemata, animas vero mathemata.

Socrates. Socrates interroganti quodnam esset pulcherrimum animal, dixit: Homo doctrina ornatus.

Idem cum ei sermo barbarus exprobraretur: Ego quidem, dixit, barbarus sum verbis, vos autem moribus.

Solon. Soloni cum obiiceretur quod cum haberet forē se negocium, conduxisset oratorem: Atqui, dixit, cū habeo conuiuium, coquum conduco.

Cleanthes. Cleanthes dicebat homines imperitos, sola forma differre à bestiis.

Empedocles. Empedocles ad quendam dicentem, quod nullum sapientem reperire posset: Non mirum est, dixit: Oportet enim vt ille primum sapiat, qui sapientem quærit.

Theocritus. Theocritus Chius ineptum quendam poetam recitantem auscultans, & interrogatus ab eo, quænā ei placerent, respondit: Quæ omisisti.

Philosophus quidam cum duos discipulos haberet, alterum quidem laborioſum, sed hebetis ingenij: alterum ingenioſum, sed ignauum: Ambo (dicebat) pereatis: quoniam tu cum velis, non potes: tu vero cum possis, non vis.

Præstat serò quam nihil discere.

Agricola terram, philosophus ingenium excolit.

Democriti Ciuitatibus mœnia, animis vero mens per disciplinam exculta, decus & munimentum præstant.

Cum iuuenis in theatro gloriaretur, & sapientem se prædicaret, vt qui multis sapientibus conuersatus esset, respondit quidam: Et ego multis diuitibus cōuersatus non tamen diues sum.

Idem dixit, Non decet doctum inter indoctos loqui, vt neque sobrium inter ebrios.

Oenopidis Oenopides cum videret adolescentem multos libros conquirere, dixit: Non ciſtæ, sed pectori.

Socratis. Socrates interrogatus quid in vita suauissimum esset, dixit: Disciplina & virtus, & rerum incognitarum historia.

Lasi. Lasus interrogatus quid sapientissimum esset, Experientia, dixit.

Idem cum indoctus quidam pictor ei diceret, Opere tectorio illi ne domum tuam vt ipsam depingam: respondit, Minime, sed tu prius eam depinge, vt illinam postea.

Demadis. Rerum ipsarum experientia præstat omni sophistica doctrinæ.

Quidnam grauissimum terra fert? Hominem imperitum.

[redacted]

Si malis sæpe conuerseris, fies etiam ipse similis eis.

AD SERM. 50.

Theol. Non illum, cui lingua volubilis, animus inconstans] *Græca Antonij* γλῶσαν εὔτροφον, ψυχὴν δὲ ἄστατον καὶ ἀπαίδευτον, *apud Gregorium*, ψυχὴν δὲ ἀπαίδευτον, cui lingua volubilis, animus imperitus est.

Nihil inexpugnabilius] *Antonij Græca sic habent* οὐδὲν ἀναλωτότερον φιλοσοφίας οὐδὲν ἀνυποτότερον, *at apud Gregor. orat. 28. cum rure rediisset* οὐδὲν ἀναλωτότερον, οὐδὲν ἀληπτότερον, nihil inexpugnabilius, nihil magis insuperabile. *Paulo post.* καὶ τὸ τρίτον φιλόσοφος ἄϋλος ἐν ὕλῃ. Et tertium Philosophus non materialis, &c.

Et cedendo vincens] *Hæc interpretatio conuenit cum Græcis verbis apud Gregoriū* νικῶν τῷ νικᾶσθαι τοὺς κρατεῖν νομίζοντας. Eo ipso quod vinci se patitur vincens eos qui superiores sibi videntur. *At in Græcis Antonij sic habetur vt Elias in Commentariis in Gregoriū admonet reperiri in quibusdam codicibus videlicet* τὸ νικᾶσθαι, *hac sententia. Ipsa Philosophi victoria est vinci, & affligi, ab eo qui victoria diabolica potitur. Prior tamen lectio Billio magis arridet.*

Præstat sero] *G.* ξέλπον ὀψιμαθῆ καλεῖσθαι καὶ μὴ ἀμαθῆ. *Melius est, vt dicaris serò erudiri, quàm vt ignarus appelleris.*

De laude, Sermo. 51.

VÆ vobis cū laudauerint vos omnes homines. Secundum hæc enim faciebāt pseudoprophetis patres eorum. Luc. 6.

Ex eodem ore procedit benedictio & execratio. Iacobi.

Argenti & auri probatio per ignem fit: vir autem probatur per os laudantium eum.

Ne nobis stulte placeamus propter laudes quæ veritatem excedunt. Basilij.

a Nimij honores redigunt aliquos ad nimiam superbiam. (*Locus videtur mutilus in Græco.*) Theologi.

Præcipuum beneficium est in rebus honestis laudari. Laus enim parit æmulationem, æmulatio virtutem, virtus felicitatem, quæ supremum & finis est omnium quæ desiderātur, & quò omnis viri boni motus refertur.

Multi sæpe cum virtutes ipsas propter laborem fugiant, gloriæ tamen gratia sequentis eas laborem suscipiunt. Chrysosto mi.

Non solum exercere & æmulari virtutem, sed etiam exercentes alios laudare ac admirari, mercedē non exiguam confert.

Quemadmodum non modo qui mala faciūt, sed etiam qui laudant eos, eiusdem aut grauioris quoq; participes erunt supplicij: ita qui bonos laudant & admirantur, consortes erunt coronarum quæ illis destinatæ sunt. Exemplum autem & argumentum in scriptura habemus: Dixit enim Dominus ad Abraham, Benedicentes tibi benedicam, & execrantes te execrabor.

Laus enim propter egregia facta auget animi cupiditatē ad meliora, in illis q aliquid bene gesserūt.

Assentatores

Clementis. Assentatores quidam beatum prædicabant sapientem quendam: ille verò dicebat ad eos: Si me laudare destiteritis, ex discessu vestro magnum aliquem meipsum cogitabo: si verò laudare non desinitis, ex laude vestra meam impuritatem coniicio.

Plutarchi. Laus ficta peior est reprehensione vera.

Venatores quidem canibus venantur lepores: stultos autem plærique capiunt laudibus.

Socratis. Diis thus, bonis autem viris laudem tribuere conuenit.

Fideles tibi existimato, non qui dicta factáque tua laudauerint omnia, sed qui peccata reprehēdāt.

Theodoreti. Multis sæpe hominibus nocet laudatio. Laxat enim animi vigorem, & cursum impedit. Et aliquis ipsum curriculi finem se consequutum existimans (hęc enim persuasio per laudem se insinuat) currere desinit, & victoriam perdit.

Moschionis. Si bene audire cupis, bene loqui discas. Coneris bene facere, & sic bene audiēdi fructum acquires.

Polyani. Præsentes neque vituperes neque laudes: hoc enim adulationem, illud inimicitiam parit.

Isocratis. Operam da vt viuus, laudabilis, mortuus autē beatus iudiceris.

Idem dixit, cùm multi me laudant, tum nullius pretij meipsum existimo: cùm verò pauci, bonum & egregium hominem.

Ciuitatis ornamentum est, fortitudo virorum: corporis, pulchritudo: animæ, iustitia: Iis contraria, dedecori sunt. Oportet autem virum, & mulierem, & sermonem, & factum, & ciuitatem, & rem quamlibet, si laude digna sit, laudādo honorare: indignam verò, vituperio afficere. Aequè enim vitiosum & stolidum est, vituperare laudanda, & laudare vituperanda.

AD SERM. 71. ANNOT.

Nimij honores.] *Nihil est hîc mutilum, vt suspicatur interpres, sed hoc tantum vitij erat in Græco libro quòd hæc verba non coniungebantur cum præcedētibus Basilij, sed cum illis Gregorij quæ sequebantur, quæque adeo omissa sunt à Gesnero, quòd ea mutila putaret,* ὧν γὰρ τοὺς ἐπαίνους οἶδα τῶν σαφῶς καὶ τὰς ὀπιδόσεις, i. Quarum enim rerum laudes, earum quoque incrementa noui. *Bill. in l. 1. obseru. c. 4. Clemens Alexan. l. 1. Pædagogi c. 1. hanc sententiam profert,* αἱρετὸν ἐπαινωμένα δένδρον ὡς αὐξέλαι. *Laudata virtus arboris crescit modo.*

Præcipuum beneficium] *Apud D. Grego. orat. 23. in Heronem Philos.* πρώτη τῶν εὐεργεσιῶν ἐπαινεῖσθαι τὰ καλά. Prima bene merendi ratio est rerum honestarum commendatio. ζήλου γὰρ ὁ ἔπαινος παράξενος. *Elias in hunc locum scribens* ζῆλον *vocabulum pro imitatione sumi admonet, dum enim quæ honesta sunt laudamus ad eorum imitationem excitamur.*

De adulatione, Sermo. 52.

Luc. 6. VAe, quando bene vobis dixerint homines. Hi sunt murmuratores, queruli iuxta concupiscentias suas ambulantes, os illorum loquitur tumida, admirantes personas, vtilitatis gratia.

Salomonis. Per blādiloquentiam decipiunt corda simpliciū.

Sermones astutorum molles sunt, sed feriūt penetralia viscerum.

Melior est vir qui redarguit, quàm qui adulatur.

Qui vos fœlices prædicant, seducunt vos, & callem viæ perturbant.

Basilij. Fugiamus adulationem & assentationem, & insidiosæ vulpis astutiam & varias fraudes.

Nihil enim intolerabilius est rectè sapientibus quàm viuere ad gloriam, & ad opinionem pluribus ratam respicere, non autem rectam rationem vitæ ducem instituere.

Hoc amicus ab adulatore differt, quòd hic quidem conuersatur ad voluptatem, ille verò molestis etiam non abstinet.

Theologi. Est enim viri magnanimi, amicorum potius libertatē approbare, quàm inimicorum adulationē.

Multò satius est per molestiam paruam, vtilitatis plurimum conciliare: quàm voluptatem sectando, totius sortis iacturam inferre.

Chrysost. Cùm aliqua mutatio fit in deterius, tunc auferuntur adulatorum personę: tum chorus histrionū, & rei simulatio arguuntur. Aperiuntur omnium ora, execrandum, improbum, & hominem pessimum vocitant. An non heri assentabaris ei, & manus eius deosculabaris? Persona hæc erant: nunc tempus venit in quo personam abieci, & animi mei sententiam declaraui.

Clementis. Adulatio, morbus est amicitiæ.

Plutarchi. Plærique magis fœlicitatem principum, quàm principes ipsos colere solent.

Adulatio similis est panopliæ pictæ. Delectat enim solùm, nihil vero vtilitatis præbet.

Ligna quidem augendo ignem ab ipso igne cōsumuntur: diuitiæ autem cùm nutriant adulatores, ab his ipsis perduntur.

Quemadmodum corui cadauerum oculos effodiunt: sic adulatores suis laudibus hominum animos corrumpunt.

Lepori canem, amico adulatorem natura infestum esse cogitandum est.

Gaudendum est commercio reprehendētium, non adulantium: hij enim gratificando dissoluunt & subuertunt nos: illi verò molestiam exhibendo, excitant & erigunt.

Vide, quinam ex arte adulentur, aut ex beneuolentia te colant, ne malis plus tribuas quā bonis.

Odio habeas adulantes, sicut decipiētes. Vtriq; enim, vbi fides eis habetur, credētibus iniurij sunt.

Diogenis. In adulatione veluti sepulchro nomen solum amicitiæ inscriptum est.

Idem interrogatus quodnam animalium pessimè morderet, dixit, Ferorum quidem calumniator, cicurum autem adulator.

Demosth. Demosthenes adulatorem in hoc differre dixit à coruo, quod hic mortuos, ille viuos deuorat. (*Apud Græcos lepida paronomasia est inter* κόραξ *&* κόλαξ)

Antisthenis. Antisthenes inquit, Satius fuerit in coruos incidere, quàm adulatores. Illi enim corpus mortui, hi verò animum viuentis lædunt.

Epicteti. Corui, cadauerum oculos infestant, adulatores verò viuentium animas corrumpunt.

Fauorini. Sicut Actæonem nutriti ab ipso canes occiderunt, ita deuorātur ab adulatoribus nutritores eorū.

Crates. Crates ad iuuenem quendam locupletem, multos adulatores secum ducentem, dixit, Adolescens, miseret me tuæ solitudinis.

Zenonis. Castiga te quisquis es, nec ad gratiam audias, sed aufer assentatoribus libertatem.

Pythagoræ Gaude potius arguentibus te quàm adulātibus: & tāquam deteriores inimicis adulatores auersare.

Socratis. Adulatorum beneuolentia, tanquam hostibus A tergo dato fugit infortunium.

Philonis. Auersare fraudulẽtos adulatorum sermones, qui cùm animæ rationem haberent, veritatem in rebus perspicere non sinunt. Aut enim laudant vituperãda, au vituperant sæpe quæ omnem laudem excellunt.

Sotionis. Delphini quousque vnda subest comitãtur natãtes, in littus vero nunquam egrediuntur: Sic adulatores in sereno rerum statu manent: Sicut qui amicos, ad peregrinationem euntes, dum via plana est, deducunt: cum asperior incipit, recedunt.

Dionis. Omnium enim ferè vitiorum turpissima deprehenditur adulatio.

Phocion. Phocion ad Antipatrum dicere solebat: Non potes me & amico & adulatore vti. B

De Vituperio & calumnia, Sermo 53.

Matt. 5. BEati estis quando probra in vos iecerint, & persequuti fuerint.

1. Cor. 4. Malè audientes bene dicimus, conuitiis affecti obsecramus.

Prou. 10. Abscondunt inimicitiam labia iusta: qui autem proferunt conuitia, stultissimi sunt.

Peccator turbabit amicos, & inter pacificos calumniam proiiciet.

Priusquam examines rẽm, ne accuses: considera primùm, & postea reprehende.

Verba non solent molestiam & dolorem concitare, sed contemptus illius qui conuitia dixerit cõtra nos, & sua cuiusque imaginatio.

Aulicorum ingenium. Illiberales isti cultus magnos dominos comitari solent, apud quos qui nihil proprij boni habẽt vnde innotescant, ex alienis vitiis seipsos commendant.

Tribus simul damnosus est calumniator. Nam & illi quem traducit iniurius est, & audientibus eũ; & ipse sibi.

Basilij. Non magna res est reprehendere, immò facillima & cuiuslibet volentis: suum vero consilium culpæ opponere, viri pij & cordati est.

Theol. tet. 26. Audire malis probra, quàm male dicere. D

Chrysost. Reprehensionem non vulgares modo, sed etiam præstantissimi incurrunt.

Quemadmodum benedicentia & laudatio principium est amicitiæ: sic maledicentia & calumnia, inimicitiæ, & odio, infinitis malis initium & ansam præbet.

Maximi. Decet eos qui virtute præditi sunt, ab omnibus bene audire.

Si qui temere aures præbent, venia indigni sunt: quomodo illi se defendent qui calumnias & conuitia proferunt? E

Ne doleamus malè audientes, nisi merito malè audiamus.

Plurimi suis peccatis patrocinãtur, accusant autem aliena.

Calumniatori aures ne præbeas, ne duplex peccatum cũ illo committas, tum teipsum pernicioso affectui assuefaciẽs, tum illum aduersùs proximum nugari non impediens.

Photij patriarchæ. Qui facilè alienas calumnias admittit, ne ipse quidem similibus factis abstinet. Nam ipsa calumniantium admissio, innocẽtem quoque qui admittit in societatem detrahere solet.

Lingua blasphema, malæ indicium est.

Plutarchi, lib. de amore fraterno. Quemadmodum Aesopica illa gallina cũ ægrotaret, ad felem interrogantem eam tanquam ex beneuolentia, quomodo valeret, Recte, dixit, si tu discedas: sic ad eiusmodi hominem, qui super dissensione sermonem mouet, & interrogat, & secreta aliqua suffodit, dicẽdum est, Atqui nihil ego in fratre desidero, si nec ipse calumniantes audiam, nec ille.

Socratis. Loquacem & calumniatorem ne admittas: non enim ex beneuolentia id facit. Sed vt aliorum arcana tibi detexit, similiter etiam quæ tu dixeris exponet aliis.

Moschion. A multis malis traduci, neque verum, neque dãnosum est: ab vno autem bono reprehendi, & verũ & vtile est.

Demonact. Cum sophista quidam culparet eum, & diceret, cur mihi maledicis? Respondit, Quoniam tu male dicentem non contemnis.

Cum Pelopides strenuus miles apud Demonactem traductus esset, vt qui cõuitia in eum diceret: Ego, inquit, opera eius respicio: sermonem verò nõ audiui.

Philemon. Nihil suauius, neque magis* musicum
Est, quàm conuitia ferre posse.
Nam conuitia, si is contra quem dicuntur,
Dissimulet, in sui authorem recidunt. C

*μᾶλλον σύμφωνον & concinnius.

Qui præbet aurem credulam calumniis,
Vel improbus est præditus vir moribus,
Vel mentis haud plus, quàm puer quiuis habet. Menandri.

Multi iam maioribus malis affecti sunt per calumnias, quàm per hostes. Et multi iam magis læsi sunt ob aurium infirmitatem, quàm hostium insidias. Rhegini.

Nihil vsquam malignius est calumnia.

Hæc enim vbi clã aliquẽ à se persuasum decepit,
Odiũ excitat aduersus eũ qui nihil est cõmerit⁹.

Seru. Qui calumniatur amicum, non laudetur, licet vera dixerit.

Chrisippi. Cum quidam ei dixisset, Amicus clam te traducit, respondit: Ne reprehendas eum.

Licet enim hoc illi etiam palàm facere.

Luciani. Bonus quidem cursor, vt primum currẽdi signũ datum est, nihil quàm pergere desiderans, & animum ad metam conuertens, & in pedibus victoriæ spem collocans, nihil mali molitur in proximũ, neque quicquã de ipso curat inter certatores: Malus verò & ignauus antagonista, de celeritate sua desperãs ad malas artes se vertit, & hoc vnum præ omnibus spectat, vt currentem quouis modo retardet ac impediat, vt qui vincere nequeat, si hoc omiserit.

Dionysij. Dionysius rex cum audiuisset duos adolescẽtes multa contumeliosa de ipso & tyrannide inter cõpotandum dixisse, vtrunque vocauit ad cænam. Cũ videret autem alterum ex temulentia petulantem & multa nugantem: alterum verò modestè & cautè bibentem: illum vt natura ebriosum & stolidum dimisit, hunc verò interfecit tanquam ex animi proposito maleuolum & inimicium.

Alexandri. Alexander cùm epistolam contra medicum suũ accepisset, vtpote insidiantem ei, & iam esset in ipso tempore bibendi veneni, adeò nõ credidit traducẽti, vt simul & epistolam legerit, & potionẽ hauserit.

Eundem

Eundem dicunt cum familiaris quidam aliquem traduceret apud eum, alteram aurem obstruxisse manu, scilicet vt illam puram absenti relinqueret.

Cleobul. Cleobulus illam ciuitatem maxime dixit bene compositam esse, vbi infamiam magis quàm legem ciues metuant.

Conuitiorum reprehensio non attingit illos qui secundùm virtutem viuunt.

De memoria. Sermo 54.

Luc. 22. Apostoli. Prou. 10. Syrach. 7. Basilij. HOc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Hoc facite in mei memoriam.

Memores estote Iesu Christi à mortuis excitati.

Memoria iustorum cum laude, nomen autem impiorum extinguitur.

In omnibus operibus tuis memento finis tui, & non peccabis.

Non fieri potest vt à iusta via declinent, nisi qui dei obliuionem animo ægri patiuntur.

Theologi. n.a. de mudet. aga de Thes. Memoria est cogniti reseruatio: reminiscentia autem, elapsi recuperatio.

Dei memoria magis necessaria est quàm respiratio.

Deum operibus cole, verbis lauda, mente venerare.

Clemens Alex. Euidens memoria mortis, ciborum appetitum aufert: ablatis autem cibis cum humiliatione, simul auferuntur & excinduntur affectus.

Plotini. Plato dicebat, tum valde iuuenes tum senes obliuiosos esse: præterfluere enim imagines memoriæ, iis propter imminutionem, illis propter incrementum corporis.

Si semper memineris, quod operi abs te gerendo, siue per animam siue per corpus, Deus assistat spectator, in omnibus tuis & precibus & actionibus, non errabis, sed Deum habebis tibi familiarem.

Vt iucundum est mare à terra prospicere, ita iucundum est seruato meminisse laborum.

De anima. Sermo 55.

Matth. 10. QVi inuenit animam suã, perdet eam: & qui eam perdiderit propter me, inueniet eam.

1. Cor. 4. Rom. 12. Quamuis externus noster homo corrumpitur: internus tamen renouatur de die in diem.

Syrach. 10. Omnis anima benedicta, simplex.

Exitus iniquorum malus est. Abolent enim animam suam impietate.

Basilij. Fili, per mansuetudinem gloriam animæ tuæ cõcilia, & eam honore quem meretur affice.

Animæ thesaurus est, penuria corporis. Hoc enim ditato, illa inops est.

Corpus enim vitam ab anima recipit: anima vero dolorum corporis particeps fit.

Sanguine & spiritu continetur anima. His enim deficientibus anima quoque discedit.

Non angeli solum res nostras conspiciũt, sed omnium quoque sanctorum animæ.

Theologi in Anacreõ. 6. Ora. 8. *Quidnam tibi requiris, (Percontor ipse mentem,)*
Paruum quid, aut quid ingens tibi videtur esse?

Corpus quidem anima laborante bene habitum est: anima vero floret ac erigitur quando voluptates abscedunt, & simul cum corpore marcescunt.

Corpus quidem ab anima nutritur, anima vero passionis particeps efficitur à corpore.

Anima cum à corpore discedit, præsentit quod aduenturum ei est bonum aut malum, & quæ hinc in ipsam conferenda sunt: iustorum autem animæ etiam intercedere pro nobis possunt.

Orat. 10. in laude Cæsarij. Sapientium dictis fidem habeo, quod omnis anima bona & pia, postquam astricto sibi corpore soluta hinc discesserit, mox sentiens & contemplans euentura sibi bonum, vt pote illo quod tenebras offundebat expurgato, siue deposito, siue quocunque alio modo dicendum est, mirifica quadam voluptate mulcetur, & exultat, & placida ad Dominum suum proficiscitur, à præsenti vita veluti carcere quodam graui refugiens, & iniecta sibi vincula decutiens, à quibus mentis ala * detrahebatur, & iam quodammodo per imaginationem, destinata sibi felicitate fruitur.

*. κατάλλαξε. deprimebatur. Chrysost.

Omnia duplicia naturæ nostræ Deus dedit, binos oculos, binas aures, binas manus, binos pedes: si alterutra pars è duabus læsa fuerit, necessitati per alteram inseruimus: Animam vero vnam dedit nobis, hanc si perdiderimus, quid supereſt quo cum vita maneamus?

Zalenci. Anima est substantia quædam incorporea & immortalis.

Anima est [illegible] substantia viua intelligibilis.

Clitarchi. Animæ tanquam ducis: corporis vero tanquam militis curam habe.

Philistio. Zaleuci. Anima sapientis, Deo coniungitur. Animam non mors, sed mala vita perdit. Vnumquenque igitur habere & parare oportet animam suam ab omnibus malis puram. Etenim Deus [illegible], neque placatur sumptibus, neque tragœdiis capitur, sed bona voluntate bonorum & iustorum operum.

Democrit. Conuenit homines animæ magis quàm corporis rationem habere.

Epicteti. Magis necessarium est animæ quàm corpori mederi. Præstat enim mori quàm male viuere.

De medicis. Sermo. 56.

Lucæ. Hebr. 12. NOn opus habent medico sani, sed male affecti. Facite vt recti sint gressus pedibus vestris, ne claudicatio aberret à via, immò sanetur potius.

Vir lenis & mansuetus, medicus est cordis.

Salomonis Syrach. 38 Scientia medici extollet caput eius, & corã principibus in admiratione habebitur.

Basilij in reg. fus. disput. 33. Neque prorsus fugienda est ars medica, nec omnem in ea spem collocare decet. Verum vt agricultura exercemus quidem, petimus autem fructus à Deo: & gubernatori quidem committimus temonem, Deum autẽ obsecramus vt pelago seruemur: sic etiam introducentes medicum, in Deum sperare ne desinamus.

Imperitus medicus ad ægrotos ingressus, pro restitutione ipsorum in sanitatem, exiguas etiam virium reliquias adimit.

Chrysost. Veteres medicos existimo non simpliciter neque temere statuisse vt variarum operationum exhibitio publica fieret, sed vt sanos ita redderent tutiores.

Illum qui non est medicus, præstat nõ habere medicamen. Nam ille qui habet, perdit, nescіens quomodo eo vti debeat.

Greg. Nysseni. Quanto præstantior est anima quàm corpus, tanto maioris pretij est qui medetur animis, quàm qui corpora curat.

Didymi. Perfectum medicum dicimus, non qui omnino curat, sed qui nihil eorum quæ ad vtilitatem ægri & curam pertinent, omittit.

Hieronis. Medicum & amicum existimato, qui in necessitate diligentes fuerint.

Nicolis. Nicocles medicos felices dicebat, quoniam successus quidem ipsorum sol intuetur, errores autem tellus operit.

Stratonicus. Stratonicus adulans medico, dicebat: Laudo tuã experientiam, quia nõ finis infirmos computrescere, statim eos à vita liberans.

Demonactis. Maior gratia medicis debetur ingruentem morbum arcentibus, quàm constitutum iam medicantibus. Quippe magis optandum est non pati, quàm liberari malo.

Democritii Aegris medicos infortunatis adesse oportet.

Et medicus & amicus, non iucundior, sed vtilior eligendus est.

Sapiens quidam cũ imperitus medicus ei dixisset, Senex factus es, respondit: Quia non vsus sum medico.

De Aegrotantibus, Sermo 57.

Matth. 25. Heb. 13. AEgrotaui, & visitastis me.

Memores estote vinctorum tanquam vnà cũ illis vincti: eorum qui affliguntur, tanquã ipsi quoque versantes in corpore.

Syrach. 7. Qui obturat aures suas ne audiat infirmum, ipse quoque inuocabit, & à nemine audietur.

38. Ne cuncteris inuisere infirmos.

Fili in morbis tuis ne sis negligẽs, sed ora Dominum, & ipse sanabit te. Missum fac delictum, manúsque rectas exhibe, atque omni peccato cor tuũ emunda, tamen suffimentum adole, commendatiámque similaginem: deinde locum des medico, vt cuius Dominus author sit, nec discedat abs te, quia ipsius indiges. Est cum medicorum quoque manus successum consequantur: nam & ipsi Dominum orant, vt lenimentum secundet sibi, vitæq; causa curationem. Qui in creatorem suum peccauerit, in manus medici solet incidere.

Basilij. Infirmitatem facito virtutis materiam.

Morbi sæpe flagella sunt peccatorum. Dominus enim castigat quem diligit.

Theologi. Decebat nos nec applaudere, neque flecti passionibus, sed contemnere lutum: & corpus quidẽ nostrum pati sinere, vtpote necessariò siue non multo post pro lege naturæ dissoluendum (peribit enim aut morbo aut longo tempore confectum) nos vero animã in sublime tollere, & cogitationibus conuersari Deo.

Chrysost. Si per inopiam nihil sit quod afferas ægroto, teipsum ei exhibe, & verborum consolationem offer. Sic enim etiam audies olim, Infirmus eram & visitastis me.

Sæpe vel sola natura aeris satis fuit ad sanitatem ægroti: interdum & somnus obueniẽs tempestiue, omni labore medicum liberauit.

A Corpora quidem ægra, curationis & abstinentię beneficio restituuntur, restituta vero per negligentiam & repletionem paulatim relabũtur, & ad eosdem morbos recidunt. Athanas.

AD SERM. 57.

Decebat nos nec applaudere] *Frustra applausum est ab interprete, qui minime animaduertit mendum insedisse in verbo Græco* μαλαχίζεσθαι *pro quo* μαλακίζεσθαι *legendum, hoc est mollitie atque ignauia laborare. Hanc enim lectionem omnia Gregorij exemplaria agnoscunt non illã adulterinam ac suppositiam. Bill. l.* 1. *obseru. C.* 4.

B

De morte. Sermo. 58.

QVi credit in me, licet moriatur, victurus est. Et omnis qui viuit & credit in me, in æternum nõ morietur. Ioan. 11.

Melior est mors quam vita amara, aut ægritudo longa. Syrach. 30.

Qui viuit adhuc, nondum beatus est, propter finis incertitudinem: qui vero iam functus est officio suo & vitam indubio fine concluſit, is demum constanter beatus prædicatur. Basilij.

Nemo solutis iam nundinis negotiatur, neq; post
C certamina rediens coronatur, neque post bella fortitudinis specimen exhibet.

Diuturnior huius vitæ mora, plurimorum vitiorũ est occasio.

Mors autẽ infertur expletis huius vitæ terminis, quos ab initio singulis iustum Dei iudicium, quid cuique conducat multò ante prouidentis, præfixit.

Cogita quod qui nos formauit & animauit Deus, propriam cuique animæ in hac vita transactionem dedit, & aliis alios exeundi terminos præscripsit. Alium enim diutius cõuersari cum carne destinauit, alium vero citius corporis huius vinculis liberari
D constituit secundum ineffabiles sapientiæ eius & iustitiæ rationes.

Quemadmodum carceribus inclusorũ, alij quidem diutius in afflictione vinculorum permanent, alij vero celerius liberantur: Sic etiam animarum, aliæ diu in hac vita detinentur, aliæ breuius, creatore nostro prouidente nobis singulis sapiente profundóque consilio, quod humana mente indagari non potest, iuxta mensuram cuiusque dignitati cõuenientem. Non audis Dauidem dicentem, Educ è carcere animam meam? Non audiuisti de sancto, quod soluta sit anima eius? Symeon autem, Dominum nostrum vlnis complexus nónne hæc verba protulit? Nunc dimittis seruum tuum Domine. Nã
E corporis conuersatio ad superiorem vitam properanti quauis afflictione & carcere grauior est. Hom. in Martyr. Iulittam.

Incomprehensibilis quædam causa est, propter quam alij celerius hinc abducũtur, alij diutius molestæ huic vitæ, miserè immorantes relinquuntur.

Decet etiam incipientem viuere, ob oculos habere mortem.

Quotidie nos paratos esse oportet ad discessum ex hac vita, & nutum Domini fixis oculis expectare: Sint enim (inquit) lumbi vestri accincti, & ardentes candelæ, & vos similes expectantibus dominum suum quando redeat ex nuptiis.

Mors

Mors est priuatio vitæ.

Theologi in Lamb. *Omnis sepulchrum mortuum est tellus : humo Nam quicquid ortum est, humus & est, & huc redit.*

Si proficiscentes ab vna ciuitate in alteram indigemus duce: multo magis anima soluens à corpore, & migrans ad futuram vitam, ducibus indigebit.

Chrysosto. ho. 2. de Lazaro. Gaudendum est morte, siue iuuenis, quod statim liberatus sit huius vitæ malis: siue senis, quod rebus quæ in vita exoptandæ videntur, ad satietatem vsque fruitus abierit.

Malæ vitæ malus etiam finis erit.

Diodochi. [illegible] B

ma vero quę in dilectione Dei exultat tempore discessus, supra omnes tenebrosos ordines elata cum angelis pacis fertur.

Optimum est è vita tanquam conuiuio discedere, neque sitientem nec inebriatum.

Aristot. Qui ægrotans testamentum scribit, similiter facit vt qui in tempestate maris nautica instrumenta parare incipiunt.

Honeste potius mori velis, quàm turpiter viuere.

Satius est mori quam incontinentia animam obfuscare.

Socratis. Cleanthis. Crantor. Crisippi. Archesilai. Carneadis. Mors non solet cunctari, sed vicina est, quando frequentes morbi, alij post alios ingruunt. C

Diogenes. Diogenes Cynicus lugente quodam quòd in peregrina terra moriturus esset, dixit: Quid luges ô stulte? Vndecunque eadem via est ad inferos.

Platonis. Molestior est mors fortunatis, quàm laborioſe viuentibus.

Thal. Bias. Pittac. Cleob. Viui quidem ab amicis, mortui autem † à tutoribus idicantur.

Lycurgi. Oportebat enim nos conuentu facto lugere natum propter multa mala quæ ingreditur.

Mortuum vero, & laboribus solutum,

Gaudendo & bona verba dicendo ex ædibus dimittere.

Democritus ægrotans cum in lethargum inci- D disset & postea rediisset ad se: Non me decipiet, dixit amor vitæ, & seipsum è vita eduxit.

Epicteti. Magis necessarium est animę quàm corpori mederi. Præstat enim mori quàm male viuere.

Bias conspecto ense proiecto, dixit: Quis te perdidit aut quem tu?

Idem interrogatus quænam esset mala mors? respondit: Quæ legibus infertur.

Animam perdit, non mors, sed mala vita.

Senec. Platonis. Si nullus moreretur, impunita maneret malitia.

Nili. Causiani lugent in lucem editos, defunctos autem beatos prædicant.

De cognoscendo spiritum Sermo. 59.

Matt. 7. Rom. 14. QVid vides festucam in oculo fratris tui: trabem autem in tuo oculo non animaduertis?

Tu qui es qui iudicas alienum seruum? proprio Domino stat aut cadit: immò fulcietur vt stet: potens enim est Deus efficere vt stet.

Ecclesiast. Ambulato in viis cordis tuis inculpatus, & nosce teipsum. Nam de omnibus istis Deus à te rationem postulabit.

Qui seipsos cognoscunt, sapientes sunt.

Obserua & animaduerte diligenter, quoniam cum ruina tua ambulas. Sirach. 13.

Accurata cognitio tuiipsius, sufficienter te veluti manu deducet ad notionem & contemplationem Dei. Basilij.

Memor naturæ, nunquam superbies. Memor autem eris ipsius, si teipsum obserues.

Hoc tute pateris quod accusas, & alienum quidem malum acutè vides, tuum vero dedecus nihil facis.

Hic maxime seipsum cognoscit, qui seipsum pro nihilo reputat.

Si vis Deum cognoscere, fac antea teipsum cognoscas.

Si mortalis es bone vir, mortalia quoque sapias. Chrysost. Clemētis.

Futurum, opinor cunctis hominibus incertum esse: & paruæ temporis occasiones maximarum fiũt rerum causæ. Quapropter in bona fortuna moderatos esse conuenit, & futura prospicere videri. Antipha. Demosth.

Heraclitus adhuc iuuenis omnium sapientissimus fuit, quoniam sciebat se nihil esse. Heraclit.

Socrates existimabat nihil se scire præter hoc vnum quod nihil sciret: reliquos vero ne hoc quidem scire. Socratis.

Qui valde febricitant, appetitum & robur amittunt: qui vero principum aulas inhabitant, mētem & bonos mores perdere solent, nisi frequenter animo repetant hoc dictum, Nosce teipsum.

De Pulchritudine. Sermo. 60.

COgnoscite lilia agri quomodo crescãt: non laborant neque nent. Attamẽ dico vobis, ne Salomonem quidem in vniuersa gloria sua sic amictũ fuisse vt vnum ex his. Matth. 6.

Volo mulieres in amictu modesto cum verecũdia & castitate ornare semetipsas, non tortis crinibus aut auro aut marguaritis aut vestitu sũptuoso. 1. Tim. 2.

Ne te vincat desiderium pulchritudinis, neque capiare palpebris tuis. E Prou. 6.

Venustas faciei in ætatis vigore, vel in ætate cõstanti. Sirach. 26. 11.

Ne abhomineris quemquam in vultu eius, neque laudaueris virum in pulchritudine eius. Basilij. Eiusdem, ex Hom. in Psalm. 29.

Pulchritudo est bona illa concinnitas in compositione membrorum, floris instar, superinductã sibi gratiam habens.

Verum decorem mentis ornatum puta.

Non in corporis forma, sed in omnibus & modestia pulchritudo sita est. Theologi. Tetraf. 21. Chrysosto.

In speculo te contemplare, & si pulcher appareas, ea fac quæ decent pulchrum: si deformis, id quod faciei deest honestate morum supple. Plutarch.

Aesopus ob deformitatem culpatus, dixit: Ne mihi formam, sed mentem aspice.

Cum naturæ venustatem exornauerint mores probi, dupliciter aliquis accedens capitur.

Oscula formosorum cauenda sunt, sicut morsus venenatorum animalium. Menandri.

Diogenes cum vidisset formosum adolescentem formæ causa amari, dixit: Quin operam des adolescens vt corporis amatores ad animam transferas. Diogenis.

Idem conspecto adolescẽte qui se ornabat, di- Socratis.

xit: Si viris quidem te ornas, infelix es: sin mulieribus, iniustus.

Aristoteles cum adolescentē se ornare vidisset, dixit: Non erubescis, quod cum natura te virum fecerit, tu teipsum effœmināris?

Idem cum iuuenis quidam facie formosus sed moribus petulans, inter alia conuitia ei diceret: Si tam exosus essem ciuibus, vt tu es, laqueo vitam finirem, respondit. Ego vero laqueum mihi inferrem siita me ciues amarent, vt te.

Si pulchrum tibi corpus est & anima mala bonā nauim habes & malum gubernatorem. Isocratis.

Pulchram mulierem si vides, ne mireris. Eximia enim forma multis etiam criminibus scatet.

Simocati formam nec exprimere sermo, neque manus pictoris imitari possent. Erat enim iuuenis robustus, erectus, hirsuto pectore, oculis capreoli: visu autem neque minaci & rubicundo, neq; humido & molli, sed virili simul & miti: corporis colore, nec albebat nimium, neque nigricabat. Cæsaries vero placidè fluctuabat, crispa & subcærulei coloris. Denique genæ, neque rubebant, quod muliebre est: neque pallore venustatem obfuscabant. Simocati.

Pulchritudo acutius telo vulnerat, & per oculos in animam defluit. Leucippes.

De gloria. Sermo. 61.

Matth. 6. QVærite primum regnum Dei, & iustitiam eius & hæc omnia adiicientur vobis.

Rom. 8. Non pares sunt afflictiones præsentis temporis ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos.

Prou. 3. Sapientes gloriam possidebunt, impij autem dū euehuntur ignominiam acquirunt.

Prou. 21. Via iustitiæ & misericordiæ inueniet vitam & gloriam.

Sapientibus adest timor Domini & diuitiæ & gloria & vita.

Ne fias reprehensibilis in gloria tua, & tempore gloriæ ne extollaris.

Ne petas principatum à Domino, nec à rege solium gloriæ.

Sirach. 7. Multi potentes magna ignominia affecti sunt, & glorioſi in manus aliorum traditi sunt.

Ne æmuleris gloriam peccatorum.

9. Magnati humilia caput tuum.

4. Ne contendas cum homine potente, ne quando incidas in manus eius.

8. Cum te potens aliquis ad se vocat, cedito, & tunc maxime te vocabit.

Noli te parem facere magnatib. in medio ipsorum.

Basilij. Si gloriam quæris, & cupis superior multis videri, & in rebus mundanis clarus fieri, sis iustus, temperans, prudens, fortis, & patiens in aduersis pro religione suscipiendis. Sic enim & teipsum seruas, & per maiora bona maiorem gloriam sine superbia consequeris.

Præsidē, conditionis suæ dignitas ne extollat: ne excidat beatitudinis præconio humilitati proposito.

Basilius. Homil. 22. de humilitate. Debebat homo in gloria quæ penes Deum est, manere, & sic non fictam celsitudinem, sed veram, Dei potentia promotus, habuisse: sed quoniam diuinæ gloriæ desiderium deposuit, maiorem expectans, & quod assequi non poterat desiderans, id etiā perdidit quod habere poterat.

Volo tibi vehemētius inseri admirationē creationis. Primum igitur cum vides herbam graminis & florem ad humanæ naturæ considerationem te conuertes, memor comparationis apud sapientem Esaiam, quod omnis caro fœnum sit, & omnis gloria hominis tāquam flos fœni. Nam huius vitæ breuitas, & tam breui tempore durans, humanæ felicitatis lætitia & hilaritas, aptissime à propheta in hanc similitudinem trahitur. Est aliquis floridi corporis hodie, & præ deliciis carnosus, pulchro colore nitidus, ętatis vigore vegetus, neruosus, & pręualidus? hic idem cras miserabilis est vel tempore tabefactus, vel morbo dissolutus. Alius præclarus est pecuniis & opibus, ambit eum adulatorū turba, comitātur amici ficti & sui ipsorum gratia colētes ipsū adsunt cognati plurimi & ij quoque simulati, denique infinita est caterua siue victus siue alterius vtilitatis gratia ei adhærentium, quos ille & procedēdo in publicum & redeundo secū trahens, inuidiosus est obuiis. Vides præterea diuitiis accedere ciuilem quandam potentiam, aut etiam honores à regibus cōferri, prouinciarum curā, imperiū militare, præconem alta voce antecedentē, satellites vtrinq: grauissimum terrorem incutientes subditis, verbera, vincula, abductiones, carceres, vnde timor subditorum intolerabilis fit. Sed quid postea? Vna nox & febris, aut costarū aut pulmonis acuta ęgritudo ex viuis raptum hominem aufert. Sic tota illius scena subito denudatur, & gloria illa tanquam somniū euanescit. Commode igitur & vere, infirmissimo flori humanam gloriam comparauit propheta. Eiusdem. ‡ inclusa parenthesi corrupta videntur in Græco.

Curæ tibi æterna semper sit gloria: præsēs enim quotidie fallit. Theologi.

Famam nec omnem, nec nimis quæras velim. Terent. 14.
Probum esse præstat quàm videri. Sin modum
Horres inanem tu, nouam & saltem fuge.

a Subiiciamus & Deo, & nobis inuicē, & principibus in terra, idq; eo magis quò leniores & benigniores illi fuerint. ‡ Malum enim est benignitatē principum frangere peruicacia, & cauendum ne in nos ipsos asperitatis illorum culpa recidat, si tranquillitatem immisso vēto soluerimus, luci tenebras immiserimus, & absinthium melli miscuerimus. Chrysost.

Etenim quæ ab hominibus confertur gloria, cōferentium vilitatem sequitur, quare etiam facile dilabitur: Diuina vero non ita fluxa est, sed perpetuò stabilis manet. Et hæc ambo, docens propheta, illius inquam lubricitatem & huius stabilitatem, his verbis vtitur: Omnis caro fœnum est, & omnis gloria hominis ceu flos fœni: quibus omnem humanā felicitatem ne fœno quidem, sed viliori materiæ comparando, florem fœni totam eam simul nominauit. Nullam enim partem eius præfert, vt diuitias, aut voluptatem, aut potentiam, aut honorē, aut aliquid huiusmodi, sed omnia inter homines splendida comprehendens vna appellatione gloriæ, fœni similitudinem subiungit, inquiens: Omnis gloria hominis, est tanquam flos graminis, gramen exaruit & flos cecidit.

Hominū genus simile est naturæ graminis, flores autem graminis sunt, quæ accrescit gloria & potentia: Cyril.

tentia: & ſicut areſcente gramine flos excidit, ſic morte hominibus ingruente, potentia & ſuperbia extinguuntur.

Plutarchi. Plantæ quidem à radice, gloria vero (à † bono opere) creſcit.

Nullus honeſtam gloriam curans, vir malus eſſe poteſt. Pulchrum eſt enim pro breui voluptate, æternam gloriam permutando nanciſci. Ariſtotel.

Maxima dignitas eſt, non quidem vſurpare honorem, ſed honore dignum exiſtimari.

Quorum gloriam æmularis, eorundem bona facito. Socratis.

Qui didicit obedire, mox etiã imperare diſcit. Nam qui ſubiici non antea didicerit, & obedire inſtitutus fuerit, is nequaquam verus eſt princeps, licet totius terræ & maris imperium habeat. Platonis.

Omnes qui recte obedire didicerunt, ſcient etiam imperare ad poteſtatem progreſſi. Democriti.

AD SERM. 61.

a In loco Theologi. Subiiciamur. Malum eſt enim] *Græca quæ corrupta dicit Geſn. ſic leguntur in orat. ad ciues Nazianz.* δεινὸν ὑπείκειαν δεσπαίνῃ τῇ ζωτικῇ χείρ᾽ συγγώμης. Graue ac periculoſum eſt principũ benignitatem ignoſcendi aſſiduitate exhaurire atque abſumere. *Nam vt ait quidam, Furor fit læſa ſæpius patientia.*

De inuidia. Sermo. 62.

VEnientes autem primi putabant ſe plura accepturos, & ipſi quoque acceperunt denarium ſinguli. Matt. 20.

Vbi æmulatio & contentio, ibi inconſtantia & omne opus prauum. Iacob. 3.

Inuidia, quod vtilius eſt præferre neſcit. Aemulatur ſocius ſocium. Ne conſultes cum eo qui te ſuſpectum habet, æmulantibus abſconde conſilium tuum. Inuide quid ſuſpiras? proprium ne malum, an alienum bonum? Non vides qualis res ſimulatio ſit? & hæc fructus eſt inuidiæ. Animus enim duplex & diuerſis affingens ſe partibus, ex inuidia maxime hominibus accedit. Salomon. Sirach. 37. Basilij. Homin. & inuidia

Nullus pernicioſior affectus animis hominum innaſcitur, quàm inuidia. Nam vt ærugo ferrum, ſic inuidia quam infecit animam conſumit. Canes nutricatione cicurãtur, & cultu manſueſcunt leones: inuidi vero ad obſequia magis efferantur. Scriptura multis in locis inuidiam & cædem ſimul nominat. (*In Græco ſermone alluſio eſt nominum* φθόνος & φόνος.)

Quemadmodum rubigo, peculiare eſt vitium frumenti, ſic inuidia morbus eſt amicitiæ. Inimici probitatis dæmones, cum ſibi familiares & cõgruas hominum voluntates inuenerint, omnibus modis abutuntur eis, ad ſuam libidinem, ita vt etiam oculis inuidorum ad miniſterium ſuæ cupiditatis vtantur. *Græci* βασκαίνειν : *Latini, faſcinare dicunt.* Theolog.

a Noli inuidere præclarum aliquid facienti, quãuis illum tibi inuidũ eſſe perſuaſus ſis, ac ideo ſuccenſeas.

b Vtinam pereat ex hominibus inuidia, habentium ſe conſumptio, & affectorum ærugo: ſola inter affectus iniuſtiſſima ſimul & iuſtiſſima: hoc dico quoniam lædit à quibus fouetur: illud autem, quia præclaris omnibus moleſta eſt.

Inuidet quidem dæmon, ſed hominibus, nulli vero dæmoni: tu vero cum ſis homo, hominibus inuides, & quomodo conſequeris veniam? Chryſoſto.

Si ille qui diligit amantem, nihil plus habet publicano: qui odio habet immeritum, qualẽ ille benignitatem aſſequetur?

Ariſtoteles, Inuidia, inquit antagoniſta fortunatorum. Ariſtot.

In ſole ambulantes neceſſariò ſequitur vmbra: in gloria vero conſtitutos, inuidia. Plutarchi.

Gloriæ pulchritudo, ab inuidia quaſi morbo ſtatim corrumpitur.

Anacharſis Scytha interrogatus cur homines ſubinde triſtentur dixit: Quia non ſolum propria mala eis moleſta ſunt, ſed etiam aliena bona. Anacharſis

Vt ferrum ærugine conſumitur, ſic inuidi ſuopte ingenio. Plutarchi. vel Clitarchi.

Idem dixit inuidiam eſſe vlcus animæ. (*In Stobæi locis Socrati attribuitur hoc dictum: Quòd inuidia ſit vlcus animæ.*)

Inuidia, ſeditionis initium parit.

Multi in monumenta defunctorum gratos & beneficos ſe exhibent quos antea præ inuidia viuere dolebant.

Idem dixit, inuidiam animæ ferram eſſe.

Cleobulus Lindius interrogatus à quodã, quænam præcipue cauenda ſint, dixit. Amicorum quidem inuidiam, inimicorum autem inſidias. Cleobuli.

Bion ſophiſta cum vidiſſet inuidum quendam valde triſtem demiſſo in terram vultu, dixit: Aut huic magnum malum contigit, aut alteri cuipiam magnum bonum. Bionis.

Agathon dixit malos homines non tam lætari propriis bonis, quàm alienis malis. Agathon.

Themiſtocles adhuc adoleſcens nihil dum præclari ſe facere dixit: nondum enim inuideri ſibi. Nã ſicut Cãtharides, vegeto maxime tritico innaſcuntur & roſis pulchrè florentibus: ſic inuidia maximè inuadit bonos viros, & in virtute proficientes, & ingenij perſonæq; gloriam ſuſtinentes.

AD SERM.

a Theol. Noli inuidere] *Longè tum à verbis tum à ſenſu Gregorij aberrat interpres. Sic enim Græca habent.* μὴ φθονήσῃς τῷ κατορθοῦντι ὁ φθονηθεὶς, καὶ φθονεῖσθαι πέφυκεν, καὶ διὰ τοῦτο κατενεχθεὶς. Ne inuideas ei, qui recte atque ex virtute aliquid agit, tu, cui inuiſum eſt (*ſcilicet à diabolo*) quique adductus es, vt crederes tibi inuideri, ob idque corruiſti. *Perſuaſit enim diabolus homini non alia de cauſſa interdictum ipſi fuiſſe, ne ſcientiæ arborem attingeret, quàm quòd Deus ipſius infelicitati inuideret. Bill. lib. 1. Obſer. C. 4. Locus eſt ex Gregorij orat. 43. in nonam domin. cui ſimilis alter orat. 27. de ſeipſo. Adductus eſt enim Adam vt deitatem ſibi inuideri crederet.*

b Affectorum ærugo] *G. Tſſ πασχόντων ἰὸς venenum eorum qui ea laborant. Locus eſt ex orat. 27. de ſeipſo & cathedra.*

De riſu. Serm. 63.

VÆ vobis qui ridetis nunc, quoniam lugebitis & flebitis. Lucæ. 6.

Cæterum ſcortatio & omnis immũdicia aut auaritia, ne nominetur quidẽ inter vos: ſicut decet ſanctos: aut obſcœnitas, aut ſtultiloquiũ, aut vrbanitas Ad Eph. 5.

Sirach. quæ non conueniunt, ſed magis gratiarum actio. Aſpenſatio commiſſa eſt mihi.

Narratio ſtultorum offenſio eſt, & riſus eorum, in deliciis peccati.

Basilij. Reg. fuſ. diſp. 17. Prou. 15. Ad lenem vſque riſum, animæ hilaritatem ſubindicare non dedecet, iuxta ſcripturam quæ ait, Lętante corde vultus renidet: cachinnari autem voce, & concuti corpore, non eſt hominis animo compoſiti neque probi.

Theologi. Animus grauis & prudens, melior ac dignior eſt riſu: ſeuerus enim habitus faciei emendat animam.

Sapientium animæ triſtes ſunt & in ſe contractæ, inſipientium vero inflantur & diffluunt.

Iſocratis. Ne ſerius eſto in rebus iocoſis, neque inter ſeria ridiculis gaude. Nam quod intempeſtiuum eſt, vbique moleſtum eſt.

Moſchionis. Qui cum adoleſcente ridere vult, turpes cõtumelias & reprehenſionem lucrabitur.

Catonis. Qui in ridiculis ſerij ſunt, in ſeriis fient ridiculi.

Stratonici. Stratonicus citharœdus cum vidiſſet quendam imperite iaculantem, abiens ad ipſum ſcopum conſtitit, & cum quidam interrogaret cauſam, reſpondit: ne feriar.

De rationali, & ratione ſeu cogitatione. Sermo. 64.

Matt. 12. BOnus homo bona profert ex bono theſauro cordis, & malus homo ex malo theſauro mala profert.

Salomonis Prudentis cogitationes, viæ ſunt vitæ: à cogitationibus autem eius replebitur vir bonus.

Prou. 12. Cogitationes iuſtorum, iudicia ſunt.

Sirach. 27. Vt ſordes in excuſſo cribro, ita ſpurcitias hominis ratio diſcernit: (*vel*, ſpurcitia inhæret cogitationi hominis.)

Prou. 19. Multæ ſunt cogitationes in corde hominis, cõſilium autem Dei ſuperabit in æternum.

Theologi. *Numerare præſtat acta quàm vaſtos opes.*

Tetraſt. 14. *Nam ſemper acta permanent: opes fluunt.*

Chryſoſto. Auiculis ideo datæ ſunt alæ, vt fugiant laqueos & ratio hominibus, vt à peccatis effugiant.

Mens non deſinit producere cogitationes, tu verò malas euelle, bonas cole.

Clemẽtis. Abſtinentia factorum non iuſtum reddit fidelem, ſed cogitationum caſtitas & puritas.

Plutarchi. Solem ſæpe nubes obũbrant, rationem affectus.

Pedi ſpinam, brutæ animæ ignorantiam eximere oportet.

Philemonis. Qui omnia ſecum ratione conſiderat, malum remouet, bonum autem carpit.

Quæ tibi ratiocinanti optima videntur, eadem reipſa perfice.

Iſocratis. Quæ non facere conuenit, de iis faciendis ne cogita quidem.

Quemadmodum ex ciuitate bonis legibus inſtituta hominẽ ſeditioſum, ſic ex anima cogitationẽ ad mala inclinantem fugare oportet.

De voluntario & inuoluntario. Sermo. 65.

Luc. 12. SEruus ille qui voluntatem Domini ſui nouit & non facit, multis verberibus afficietur: qui autẽ ignorat, paucis.

1. Cor. 9. Væ autem mihi eſt, niſi euãgelizem. Nam ſi volens hoc faciam, præmium habeo: ſin inuitus, di-

Inuitus exiuit à facie poteſtatem habentis.

Lac ſi premas, butyrum exit: qui nares emungit, ſanguinem elicit: ſic qui iras incitat, litem producit. Prou. 30.

Deus non author eſt malorum apud inferos, ſed noſipſi. Principium enim & radix peccati eſt arbitrium noſtrum, & voluntatis noſtræ libertas. Basilij. hom. 9. Deus n. e auctor. m.

Laudamus eos qui ex animi inſtituto, non adacti aliqua neceſſitate, boni ſunt. Nam vbi prompta voluntas eſt, nihil prohibet.

Vis aut metus non poſſunt efficere virtutem. Bona enim ex voluntate, non neceſſitate proficiſcuntur.

Moleſtum ſpontaneum, inuoluntario iucundo præſtat.

Voluntarium enim ſtabilius & tutius eſt.

Quod violenter vincitur, id occaſionem nactũ in libertatem ſe aſſerere ſolet. Theologi.

Mulgebit hircos ſi velit paſtor quoque
Merum ac cruorem lactis exprimet loco. Iamb. Diſtich. Chryſolo mi.

Non illos qui neceſſariò, ſed qui ſponte ſua vitiis abſtinent, Deus coronat.

Deus nos allicit, non vi & neceſſitate, ſed per voluntatem & animi ſententiam.

Nullus eſt neceſſitatis fructus, ſed omnis merces voluntati tribuitur. Non enim reputat Deus quæ neceſſariò, ſed quæ vltro conſultóque recte geruntur.

Productum à natura bonum, non approbatur: à voluntate vero natum, laudabile eſt. Choricij.

Si vales ſine perturbatione & placide viuere, fac vt omnes tibi familiares boni ſint: erunt autem boni, ſi volentes erudias, inuitos vero (*in Græco additur* (ἔπεσθαι καὶ χειραγωγοῦσι) dimittas. Simul enim fugientibus illis improbitas & ſeruitus aufugient: relinquetur autem cum illis qui conuerſantur, probitas & libertas. Epicteti.

De timore. Sermo. 66.

NE timeatis ab illis qui corpus occidunt, animã vero occidere non poſſunt. Matt. 10. 28.

Spiritus quidem promptus eſt, caro autem imbecillis.

In veritate deprehendo, quod Deus nõ eſt perſonarum acceptor, ſed in omni gente, qui metuit ipſum & iuſtitiam facit, acceptus eſt ei. Act. 10.

Timor Domini fons vitæ, facit autem declinare à laqueo mortis. Prou. 14.

Audi omnem ſermonis ſummam, Deum time, & præcepta eius cuſtodi.

Pecuniæ & vires extollunt cor, vtrumque vero ſuperat timor Domini. Sirach. 40.

Timores non inutiles ſunt prudẽtibus', ſed valde boni & ſalubres. Quamuis enim eos ferè deprecamur, factis tamen caſtigamur. Afflicta enim anima appropinquat Deo, vt pulcherrime alicubi dicit Petrus. Theologi. Epiſt. ad Cæſar.

Non oportet initio à contemplatione facto in timorem (deſcendere, ſed contra.) *Incluſa parentheſi de noſtro addidimus.* Theologi.

Sonus pauorem frondium vt lepuſculis
Excitat: inertes vmbra ſic rerum quatit.

Non

Chrysosto. Non tantum verbis effici potest, quàm timore. Nam timor gehẽnæ, regni coronam nobis afferet.

Multorum nobis bonorum, si velimus, causa fit diabolus: metuentes enim insidias eius, sobrij sumus & memores Dei. Nam qui videt instãtem hostem, ad illum confugit qui potest opem ferre.

Io. Climac. Quemadmodum Solis radius per foramen illapsus, quicquid in domo est illustrat, ita vt vel minima videantur, & puluis ipse volitans: sic etiam Dei timor cum discretione natus in corde, omnia eius peccata prodit.

Bernard. Dei timor initium est salutis hominum, & lex diuina radix est nobis omnium bonorum.

Bias. Bias interrogatus quidnam in vita metu vacaret, dixit: Recta conscientia.

AD SERM. 66.

Theol. Timores. Afflicta enim anima] *Hũc locum qui antea Basilio tribuebatur, suo auctori vindicauimus. Sũptus est ex Epistola 1. ad Cæsarium fratrem, quanquam inibi paulo aliter legitur* κάμνουσα γὰρ ψυχὴ ἐγγὺς ἐστι θεοῦ. *Aegra enim anima vicina est Deo; Totidémque verbis reperitur orat. 17 ad ciues Nazianzenos, at hic apud Antonium* ἐγγὺς εἶ θεῶ. *Verum hæc sententia quæ D. Petro tribuitur non extat in vlla ex canonicis eius: quare idem censet dicendum de ea Billius quod Græcus interpres de simili alia apud eundem Gregorium orat. de cura pauperum id ex libris desumptum esse ab Ecclesia non receptis, qualis ille est qui doctrina Petri inscribitur.*

Non oportet.] *Hanc eiusdem Gregorij sententiam integram reddimus ex Basilio. Sane mira fuit negligẽtia interpretis qui è Maximi sermone 24. eam restituere potuit.* Neque enim ea nobis ratio inunda est, vt à contemplatione auspicantes in timorem desinamus, rerum vt timoris rudimentis imbuti, & purgati in altum efferamur. *orat. 39. in sancta lumina.*

De lege. Sermo. 67

Ioan. 8. IVdicium meum iustum est, quia non sum solus, sed ego & qui misit me: & in lege vestra scriptum est, quod duorũ hominum testimonium verum sit.

Rom. 2. Qui sine lege peccarunt, peribunt etiã sine lege: & qui in lege peccarunt, per legem iudicabuntur.

Salomonis Sirach. 21. Legem cognoscere est bonæ mentis.

Qui legem Domini seruat, imperat cogitationibus suis, (vel, seruat voluntatem eius.)

Basilij. Prum. reg. fid. disp. Non fieri potest vt seruetur, qui non facit opera secundum præcepta Domini, neque vllum ex præceptis sine periculo negligitur. Nam si perfectum esse oportet Dei hominem, omnino necessariũ est vt in omnibus præceptis absolutus sit, ad modum & summam ætatis perfectionis Christi.

Ephes. 4.

Theologi. lamb. dist. *Legem tuendo proiicis metum foras.*
Nam legis extra est pallidum custos metum.

Chryso. homi. Duo sunt quibus regimur, natura & lex. Fortior autem est natura quàm lex.

Peccatis ex necessitate commissis, leges etiam ignoscunt.

Zeleucus. Legũ genera tria sunt, lex naturæ, lex scripta quæ Moysi data est, lex gratiæ.

Zeleucus Locrensiũ legislator, leges, aranearum telis comparabat. Illis enim si musca vel culex inciderit, detinetur: sin vespa aut apis, lacerat telam & auolat. Et in leges si pauper inciderit, retinetur: sin aliquis diues aut disertus, perrumpens euadit.

Solon. Solon rogatus à quodam, quomodo optime ciuitates habitarenrur, dixit: Si ciues principibus, principes legibus obediant.

Demadis. Seruis quidem necessitas, lex est: liberis autem, lex est necessitas.

Epicteti. Legis scopus est, bene mereri de vita hominum: non potest autem cuiuis benefica esse, cum ei beneficium accipere libuerit: solis enim obediẽtibus suam virtutem declarat.

Ægri seruator est, medicus: iniuriam passi, lex.

Leges verissimæ sunt, quæ iustissimæ.

Legi, & principi, & sapiẽtiori cedere decorũ est.

Quæ præter legem fiunt, infecta habentur.

Virtutem honorandam, & vitium puniendum esse, Sermo 68

Ioan. 6. EGredientur qui bona fecerunt, ad resurrectionem vitæ: qui verò mala perpetrarunt, ad resurrectionem iudicij.

2. Petr. 2. Nouit Dominus pios à tentatione liberare, iniustos autem ad diem iudicij puniendos reseruare.

Salomonis. Cùm punitur luxuriosus, prudentior euadit innocens.

Prudens multo fit doctior cùm videt improbum puniri.

Syrach. 10 Pauperem prudentem contemnere non iustum est, neque peccatorem honore afficere decet.

Chrysosto. Saluator. Egenti dato, & saltanti ne dederis, ne cum tuis pecuniis animam quoque illius perdas. Tu enim intempestiua liberalitate, causa es perditionis eius. Nam si scirent qui frequentant orchestram, inutile sibi hoc studium futurum, pridem sanè his rebus vacare desiissent.

Esaiæ. Iniurius est bonis, qui parcit malis.

Qui puniunt iniurios, ne aliis iniuria fiat prohibent.

Qui virtutem colit, primò & maximè veritatem colit, vtpote ducem bonorum omnium.

Solon. Solon ipse sapiens optimè dixit habitari ciuitatem illam, in qua boni honorantur: pessime autem illam, in qua mali.

Sexti. Duæ causæ mouent hominem ad cultum Dei, impietatis pœna, & mentis piæ remuneratio.

Improbitas si laudetur, intolerabilis fit.

Procopij. rethoris. Vbi virtus non honoratur, ibi malitia libertate fruitur.

Malitiam esse facilem, & virtutem acquisitu difficilem. Sermo 69.

Matt. 7. INgredimini per angustam portam: lata enim est porta, & ampla via deducens ad perniciem.

Heb. 12. Omnis castigatio, in præsens quidem non videtur esse gaudij, sed molestiæ. At postea fructũ tranquillum iustitiæ reddit iis qui per illam fuerint exercitati.

Prou. 14. Est via quæ videtur apud homines recta esse, finis autem eius procedit ad fundum inferorum.

Sirach. 21. Via peccatorum lapidibus est complanata, at in exitu eius orci fouea.

Basilij. Exhor. ad baptist. Quodnam bonum facile est? Quis dormiens trophæum statuit? Quis indulgens deliciis & tibiarum concentui, continẽtiæ coronis redimitus est? Nullus sine cursu meruit brauium. Labores gignunt

gloriam, & certamina coronas acquirunt.

Multi, multis ab adolescētia collectis, postquam ætatis medium attigerunt, obortis afflictionibus per spiritus malitiæ, non potuerunt ferre vim tempestatis, vtpote imperiti gubernationis, & rerum suarum omnium iacturam fecerunt.

Vix præstari potest recta virtus, & non paruis laboribus comparatur.

Theologi. orat. 1. Apologet. † κλῆσις adeptio.

Rara & ardua est † possessio boni, licet multa sint quæ ad bonum alliciant & prouocent.

In promptu est improbitas, neque quicquam tam facile ac fieri malum.

Æque difficile est vel acquirere bonum aliquod ab initio, vel acquisitum conseruare. Sæpius enim quod industria conquisiuit, negligentia perdidit, & quod ignauia pessundedit, diligentia recuperauit.

Facilius est vitij participem fieri, quàm communicare virtutem.

Orat. 1. Apologet.

Vt materia humida ignem, sic hominum natura, bonum, vix comprehendit: plurimi autem ad mala perpetranda prompti & idonei sunt.

Celebritas illa malitiæ, multos allicit ad similem rerum lubricarum affectionem.

Malitia facilius sequitur malum, quàm impeditur à bono.

Facilius est ab initio non cedere malitiæ, & primum nascentem effugere, quàm impedire & superare progressam: quemadmodum & lapidem ab initio apprehendere & retinere, quàm repellere cùm in motu est.

Chrysosto. Multum voluptatis malitiæ, multum autem laboris sudorisque virtuti coniunctum est. Et quænam tibi gratia deberetur, aut quid mercedis acciperes, nisi negotiū esset laboriosum? Etenim multos ostendere possem, qui naturâ mulieribus misceri oderant. Illósne temperantes vocabimus, aut coronabimus? Minime. Temperātia enim est continentia, & voluptates pugnando vincere.

Greg. Nyssen. Magna facilitas est ad malitiam, & in deteriora procliuis natura delabitur.

Ioan. Climacis. Multo negotio, labore & sudore mores boni & rectè compositi in nobis efficiuntur: fierique potest, vt quæ multo labore præclarè facta sunt, vno temporis momento perdantur.

De fortuna bona, & mala. *Sermo* 70.

Deest principium.

QVi in bona fortuna modum & disciplinam non adhibet, huic etiam dolenti consolatio nulla proderit.

Maximum præsidium calamitosis est vicissitudinis spes, & status ob oculos positus.

Afflictio prudentibus disciplina fit, & melior est interdum aduersitas prosperitate.

Maxima calamitas est homini misero, destitui à quo restituatur & recreetur.

Magnum remedium est infortunato, misericordia ex animo collata: & syncera condolētia, multò leuiorem reddit calamitatem.

Non parum est si fortunati facti, non obliuiscantur illorum à quibus affecti sunt beneficiis.

Nili. Luge peccatorem fortunatum. Intentatur enim ei gladius iudicij.

Cùm omnes res tuæ bene procedūt, expecta mutationem: & rursus aliâs inopinatis malis circundatus, fausta & meliora tibi promitte.

Felicitatem acquirere non facile est: acquisitam verò ad finem vsque seruare multo difficilius. Photij patriarchæ.

Homini non leui, quæuis calamitas leuis est.

Nec ægrum, aureis pedibus suffultus grabatus iuuat, nec stolidum insignis prosperitas. Euagrij. Plutarch.

Ægris medicos, infortunatis amicos adesse oportet.

Insignes fortunæ, sicut venti vehementes, inferunt magna naufragia.

Vt qui cœlo sereno nauigant, instrumenta etiam aduersus tempestates in promptu habent: ita qui in læta fortuna rectè sapiunt, præsidium quoque aduersus infortunia comparant.

Fortuna similis est malo certaminum præsidi. Nam sæpe coronat illos qui non vicerunt.

Infortuniū cæla, ne gaudiū parias inimicis tuis.

Nihil in rebus humanis firmum esse cogites. Sic enim neque fortunatus nimium gaudebis, nec infortunatus tristabere nimium. Isocratis. Democratis.

Etiam bonus gubernator, aliquando naufragus fit: & vir † bonus vel industrius, infortunatus. † σπουδαῖος.

In foco ignem, in bona fortuna mentem splendere pulchrum est.

Socrates interrogatus quid bonis viris molestum esset, dixit: Felicitas malorum. Solet enim prosperitas inopinata, contumeliæ facinora prolicere. Socratis.

Quem fortuna contumelioſum reddit, is vapulat etiam à benignis. Charicles.

Vt musicæ rudes organis, sic indocti fortunis accommodare se nesciunt. Moschionis.

Fugæ tempus in bello, virum reuera fortem declarat: infortunium verò prudentem. Demonactis. Phauorini.

In læta fortuna ne superbias, & inops ne deiicias animum. Fortunæ vices fortiter ferre scias.

Alexander Rex cùm Diogenem in dolio dormientem vidisset, dixit.

Auarus olim quispiam hoc dixit. Bonæ
Mihi gutta sortis est prior mentis cado,
Nam misera mens est opibus omnino carens.
Ad quem reiecit quispiam prudentium,
Alibi gutta mentis est prior sortis mari.

Demetrius illum qui siniſtram fortunam ferre nequeat, ne dextram quidem ferre posse dixit. Demetrij Phal. adde παραδείγ. genesé.

In læta fortuna moderatus, in tristi prudens esto.

Docti homines, quemadmodū in palæstra exercitati, etsi ceciderint, statim & cū dexteritate quadam ab infortunio resurgunt. Cypicli In Epictet. Ilo. &c.

Ad faustam nauigationem gubernatore & vēto opus est: ad vitæ vero felicitatē, ratione & fortuna.

Rationis opem ceu boni medici in calamitate inuocare oportet. Isocratis.

Stultus, bona fortuna tāquam ebrietate nimium fruens, stultior euadit.

Fortunatorum antagonista est inuidia.

Qui meminit quid sit homo, nullum euenientem casum ægre feret.

Hieron interrogatus, quis felix esset, dixit: Qui corpore sanus est, animo liberalis, & ingenio docilis. Hieron.

Romulus dixit, Quæ nocent hominibus, vitam eorum docent. Multi enim, cùm ratione futura

prævidere

Diodori. prævidere non possint, patiendo res intelligunt.

Oportet enim non euentibus bonosviros iudicare, sed ex animi proposito. Illorum enim domina esse fortuna, huius autem ipsa voluntas creditur.

Fælicioris ingenij est, infortunia cum dexteritate ferre, quàm ingentem prosperitatem regere prudenter.

Libanij sophistæ. Calamitates, etiam valde prudentem sæpe propulerunt, verba aliqua suis indigna moribus efferre.

Bona conseruare difficilius est quàm acquirere.

Ad serm. 70.

Quoniam manca erat in Græco libro, propterea omissa est ab interprete prima huius capitis sententia. Itaque vt finem superiorus, sic initium huius ex Maximo restituemus, qui eam integram interpreti obtulit cap. xvi. vel si mauis ex ipso fonte apud Gregor. orat. ad ciues Nazian. sic habet χαὶ φθόνος μὲν εὐπραξίαν, συμφορὰν δὲ ἔλεος ἴσχει ἵνα μήτε τὸ ἀλγεῖν ἀθεράπευτον ᾖ μήτε τὸ εὐπράττειν ἀπαιδαγώγητον. *Ac liuor quidem res secundas, misericordia autem calamitatem sistit, ne vel aduersitas solatio, vel prosperitas disciplina careat.*

Alexander rex] *Apud eundem Maximum xviij. cap. sententia hæc integra reperitur, ex quo hanc ita perficere potes.* dixit, ô dolium sapientiæ plenum. Philosophus autem cùm surrexisset: ô maxime rex inquit. *Hic tamen facere non possum, quin significem suspicari me aliquid adhuc deesse huic sententiæ, subijciámque quod Nonnus monet in explicatione profanarum historiarum orat. Gregorij in Iulianum, quódque, & ad hunc & ad sequentem locu illustrandum vsui erit. Sotates, inquit Alexãdrinus Philosophus apricabatur. Hunc è sublimi conspicatus Rex Ptolemæus descendit vt eum in aulam duceret. Sotates autem eo conspecto in dolij fragmentum se inclusit, sícque Ptolemæo absconditus est. Alij dicunt Ptolemæum hoc Iambicum contorsisse in eum.* θέλω τύχης γαλασμὸν ἢ φρενῶν πάθον. *Huic versui adiũgit alios Gregorius Nazianz. in Iambicis de Fortuna & Prudentia, sed ab iis abest tertius,* ἧς μὴ παρούσης δυσχεραίνουσι φρένες *vt contra apud Maximum deest primus Gregorij.*

De vitæ inæqualitate, Sermo 71.

Ioan.16. Amen amen dico vobis, plorabitis & lamentabimini vos, mundus autem gaudebit, sed tristitia vestra in gaudiũ vertetur. Mulier cum parit, dolorem habet, quia venit hora eius. Cùm autem pepererit puerum, iam nõ meminit anxietatis: propterea quod gaudeat hominẽ esse natum in mũdo.

1.Tim.6. His qui sunt diuites in præsenti sæculo præcipe ne elato sint animo, neque spem ponant in diuitiis incertis, sed in Deo viuente.

Theologi. Natura quidẽ, nihil ex rebus humanis constans est, nec sibi æquale, nec per se sufficiens, sed circulus quidam rerum nostrarum voluitur, alias atque alias in vno die sæpius, interdum etiam hora vna mutationes adferens. Et potius licet credere instabilibus ventis, & nauis mare sulcantis vestigiis, & noctis fraudulentæ somniis quorum breuis est gratia, & quæcunque in arena pueri per ludum effingunt, quàm hominum prosperitati.

Chrysost. Quæ in præsenti vita splendere videntur, inutilia sunt defunctis. (*In Græco est,* νεκρῶν ἀχρηστότερα, *quod ad vverbum sonat, inutiliora* *mortuis.*)

Cum tranquillam degis vitam, expectes olim tempestatem tuis rebus adfore.

Præsentibus rebus inuigilare, proprium est illis qui nullam futuri sæculi spem sibi promittunt. Greg. Nysseni.

Ne decipiant nos res illæ, quæ in hoc mundo celebres ac splendidæ videntur. Omnino enim prętereunt, & nihil ex apparentibus stabile est. Nili.

Cum tibi omnia negotia tua bene succedunt, expectes quoque iacturam.

Multi in meliore statu dolent, multi in deteriore gaudent. Quot enim diuites anguntur? quot verò pauperes lætantur? Aliis obfuit forma & robur: aliis deformitas & infirmitas profuit. Sunt qui pacem præ bello colant, alij bellum paci præferunt. An non semper ferè in tyrannide constituti, habẽt quod lamententur? Et quod maximum est, plurimi quidem molestè viuunt, plurimi vero libenter moriuntur. Dionis Romani.

Idem est in secunda fortuna altum sapere, & in lubrica via cursu contendere.

Vita similis est theatro: Quare pessimi sæpe primarium eo locum obtinent. Aristonymi.

Temporum mutatio facit, vt etiam valde potẽtes infirmioribus indigeant. Democriti

Homo cùm sis, memor esto fortunæ communis.

Mortalis natus, cura videre quæ te sequuntur.

Nihil est cõstans in genere mortali. Euripidis

Nemo enim viuit quo desiderat modo.

De tristitia & mœrore, Sermo 72.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolationẽ accipient. Matth.5.

Afflictionem habebitis in mundo.

Quis est qui me exhilaret, nisi qui molestia per me afficitur? Apostoli

Vt vestem tinea, & lignum teredo, ita cor viri tristitia lædit. Prou.25.

A tristitia mors contingit, & tristitia cordis debilitabit vires. Sirach.38.

Colloquium cum aliis eodem animo affectis, omnem solatur mœrorem.

Hic igitur est prudens gubernator, qui vt coniicit rem propositam decere, contingentia quæque disponit, similis ipse sibi manẽs perpetuò, nec inflatus in lætitia, neque deiectus in calamitate. Basilij. ho. 12 in princip. prouerb.

Communio & societas luctus, solatio est doleti. Theologi.

Tristitia aliquãdo melior est voluptate, & mœstitia panegyri, & lachrymæ laudabiliores inhonesto risu.

Magnum enim remediũ fertur à condolẽtibus. Nam qui æquali affectione laborãt, plus solatij patientibus exhibent.

Afflictio etiam, quãdoque bonum est pharmacum ad salutem.

Mœrendi tempus est, non cum malè afficimur, sed cum malè agimus. Chrysosto mi.

Mœroris excessus à naturali menti sæpius exturbans animam submergere solet, & ad omnia bona inutilem reddere.

Tristitia in multos diuisa, minus cruciat patiẽtẽ.

Medicorum filij dicunt † quod etiam in quodã stomachi affectu intempestiua mœstitia contingat. An non idem nobis euenire probabile est, cùm dolemus, & dolendi causam nescimus? † Videtur de hypochondriaco affectu accipiendum.

Ne cruciemur ergo in afflictionib⁹, sed oremus

ne incidamus in tentationem, instantem verò suscipiamus. Sic enim & præsentia peccata delemus, & si quid iustitiæ habemus, illam quoque reddimus illustriorem. Argumento est Iob, qui magis claruit in tentatione.

Nihil æquè splendidos & æmulatione dignos reddit, & infinitis bonis implet, ac multæ tentationes, pericula, labores, mœrores, insidiæ perpetuæ, & ab illis structæ à quibus minimè oportebat, atque hæc omnia æquo & benigno animo ferre.

Afflictionem habebitis in mundo, inquit Christus: magis igitur dolendum esset, si nos id tempus deliciis & otio tribueremus, quod Christus afflictionis futurum prædixit.

Photij patriarchæ. Sola similes affectus expertorũ colloquia, mœrentibus fiunt solatia.

Per afflictionem bona parantur hominibus: mala verò per inanem gloriam & voluptatem.

Qui ab hominibus iniuriam patitur, effugit peccata, & parem afflictioni opem consequitur.

Qui mandatum perfecit, tentationem super eo expectet. Dilectio enim erga Christum per contraria probatur.

Fuge tentationem patiẽtia & oratione: sin absque his præsidiis te opponas, vehementius inuadit.

Dorothei. Remissio, incuria, & quies, laxam & dissolutam reddunt animam: tentationes verò constringunt eam, & vniunt Deo, vt inquit propheta his verbis: Domine in afflictione meminimus tui.

Plutarchi. Via quidem eligenda planissima, vita vero tranquillissima.

Thoraci tunicam, tristitiæ vero mentem & rationem inducere oportet.

Socrat. Socrates interrogatus quid bonis molestum esset, dixit: Prosperitas improborum.

Idem interrogatus, quomodo quis vitam tristitia vacuam degeret, respondit: Hoc fieri non potest. Nam qui in ciuitate aut familia habitat, & hominibus conuersatur, non potest non aliquando tristari.

Leucippi. Hoc enim proprium est oculis, vt in magnis malis lachrymas non effundant: in mediocribus autẽ calamitatibus abundè lachrymentur.

Choricij. Immoderatũ gaudiũ sæpius exit in dolorem: & immodica voluptas, accersitã sibi tristitiã producit.

Moschionis. Tristitia sequi solet voluptatem.

Theopempti. Si quis plurimas opes possidens cum tristitia vitam transigat, is certè fuerit omnium qui sunt, quique futuri sunt, hominum miserrimus.

Insipientem, tempus: sapiẽtes autem ratio mœrore liberat.

Sapit qui non tristatur propter absentia, sed gaudet præsentibus.

Epicteti. Epictetus interrogatus, quomodo quis hosti dolorem excitare posset, dixit: Si quis ita comparet seipsum, vt optima quæque faciat.

Posidippi. Nullus hominum sine tristitia vitam transegit, neque fortunatus ad finem vsque mansit.

Euripidis. Non est in quoquam reperire vacuam tristitia vitam.

De silentio & arcanis, Sermo 73.

Matth. 12. DE omni verbo ocioso quod locuti fuerint homines, in die iudicij rationem reddent.

A Omnis homo sit celer ad audiendum, & tardus ad loquendum. Iacobi.

Qui os suum custodit, ab afflictione seruat animam suam. Prou. 21.

Tacitus lenit contentionem: & qui diligit vitã suam, parcit ori suo.

Qui loquacitatem odit, malitiam minuit.

Effusa bona sunt in ore clauso.

Tacitus & prudens, erit in pretio.

Sapiẽtia abscõdita, & thesaur⁹ latẽs, quid iuuãt? Sirach. 20.

Est cùm minimè sit speciosa reprehensio, & est cùm quis sapienter taceat.

Si quid habes silentio melius, loquere: diligas au- Theolog.
B tem taciturnitatem, vbi silentium sermoni præstat.

Illis dicendi libertas concedenda est, quorum modestus ac verè mundus, & compositus & sobrius est sermo.

Non iucunda est fidelibus loquacitas, & sermonis contentio. Sufficit enim eis †vel vnus oppositus. † aduersarius, diabolus.

Melior est cum ratione tarditas, inconsiderata celeritate.

Hoc etiam taciturnitatis lucrum est, quod non opus habeat multis respondere.

Silentium pro consensu haberi docetur etiam prouerbio. Dionisij.

Aut melius aliquid dic silentio, aut sile. Sexti. Seniorum.

C Vir sapiens & silens Deum colit, & causam scit cur sileat.

Silere quàm loqui malis. Silentium enim colligit, loquutio dispergit.

Præ omnibus præceptis Deus elegit taciturnitatem. scriptum est enim: Quem respiciam nisi humilem & tacitum? Plutarchi.

Qui cupit seruari, sequatur inopiam & silẽtium.

Nemini dixeris quod taceri vis. quomodo enim ab alio postulabis silentij fidem, quam tute tibi non præstitisti?

Tacere nõ solum sitim prohibet, vt inquit Hippocrates, sed tristitiam quoque & dolorem.

D Silentij neminem, sermonis plurimos pœnituit.

Taciturnitas vbique tutũ ornamentũ est iuueni.

Qui non scit tacere, loqui etiam nescit.

Aristoteles interrogatus, quamobrem cùm alios Aristotel.
doceret loqui, ipse taceret, dixit: Nempe eos quidẽ ipsa non scindit, cultros autem acuit.

Hominis improbi sicut taciti canis, silentium magis quàm sermonem cauere oportet.

Idem interrogatus à quodam, quis arcanum sermonem continere posset, dixit: Qui carbonem quoque ignitum lingua retinere potest.

Theophrastus peripatèticus in conuiuio iuuenẽ Theoph.
quendam tacitum videns, dixit, Si rudis quidem cũ
E sis, taces, sapis: si verò doctus, insipienter taces. Charetis.

Linguam in primis vbique moderari coneris,

Quod & seni & iuueni decorum est.

Quod facturus es ne dixeris, nam si non succedat, irrideberis.

Lycurgus interroganti cur breuiloquio studerent Lacedæmonij, dixit, Quoniam silentio vicinum est. Lycurg.

Simonides dicebat nunquam se pœnituisse silẽ- Simon.
tij, sermonis autem sæpius.

Quorum indecora vita est, illis maximum decus est silentium.

Demosthenes

897
Demosthenes cum adolescens quidam multas nugas inter pocula effutisset,& tacere nollet,dixit, quomodo non didicisti tacere ab illo à quo didicisti loqui?

Cum obiiceret ei quidam oris fœtorem: Multa enim, dixit,secreta in eo computruerunt.

De multiloquiis, Et festinatè loquentibus, & arcana efferentibus. Sermo .74.

QVi multa dicit,ille vicissim audiet.

Ne sis multus in verbis, Quousque non tacebis? Tace vt & ipsi loquamur. Cur veluti quadrupedes tacebimus coram te?

Vir linguax non fortunatus erit in terra.

Audiuisti sermonem, commoriatur tibi.

Ne sis celer in verbis,& ne pauper cum sis, contendas cum diuite,neque sapientior sapientibus esse quæras.

Per multiloquium non effugies peccatum.

Si protraxeris sermonem, contentiones & pugnæ protrahentur. Est cum minime sit speciosa reprehensio, & est cum quis sapienter taceat.

Qui respondet priusquam audierit:insipientia & dedecore notatur.

Imperiti linguam continere nesciunt.

Si videris hominem loquendo velocẽ,scias plus spei esse stulto quàm ipsi.

Insipiens multiplicat verba. Qui abundat verbis habebitur odio.

Sermo insipientis in multitudine verborum est.

Ne sis præceps in sermone tuo, neque piger & remissus in verbis tuis.

Labia loquaciũ,nihil ad se pertinens loquentur.

Qui desiderat vitam,& bonos dies videre cupit, prohibeat linguam à malo, & labia sua ne loquantur fraudem, declinet à malo, & faciat bonum, quærat pacem & sectetur eam.

Satietas sermonis inimica est auribus,vt nimium alimentum corporibus.

Lingua non gubernata ratione, subuertit homines.

Cum res ipsæ apparent, superflua est sermonis prolixitas.

Sermo simpliciter narratus, integras sæpe familias euertit,& animas perdidit ac submersit. Et pecuniæ quidem iacturam resarcire licet, sermonem autem semel elapsum,reuocare non licet. Chrysost.

Reliqua peccata verbis & rebus & externa ope indigent vt perficiantur: Sermonis autem natura per se sola potest delinquere. Greg. Nysseni.

Qui pudore ac timore vacuus est, illi os effrene, & lingua remissa soluitur.

De illis, qui linguam suam & os custodiunt, & de sermone non duro neque contumace, Sermo. 75.

OS meum non loquetur iniqua,nec anima mea meditabitur iniusta. Iob 17.

Dixi,custodiam vias meas, ne peccem in lingua mea, ponam custodiam ori meo cum coram me steterit impius. Psal. 38.

Pone Domine custodiã ori meo, & ianuam munitionis circa labia mea.

Omnia verba oris mei cum iustitia,nihil in eis obliquum neque tortuosum.

A fructibus oris,anima viri implebitur bonis, & retributio labiorum ipsius dabitur ei.

Argentum ignitum,lingua iusti. Salomon.

Amato labia quæ rectos sermones respondent.

Mitis responsio auertit iram.

Sapit qui durum sermonem proferre parcit.

Qui custodit os suum & linguam, ab afflictione seruat animam suam.

Mors & vita penes linguam sunt, qui vero moderantur eam,fructum inde capient. Prou. 10.

Bona verba faui sunt mellis, & dulcedo eorum remedium est animæ. Eccle. 10.

Oris sapientis verba gratiosa sunt. Sirach.

Mel & lac sub lingua tua.

Ne cohibeas sermonem in tempore salutis.

Si quid vales dicendo, respondе:sin minus,cohibeto manu os tuum.

Deest hic sermonis 75. finis, & totus 76. qui inscribitur, De illis qui os suum & linguam non custodiunt.

FINIS.

MELISSÆ PER ANTONIVM MONACHVM

Græcum congestæ,liber secundus, Ioanne Ribitto interprete.

autore Lamnalo versione hi. non satis fideli. et hinc. ut observarunt viri docti; ideo cauta legenda.

De Rege commodo & æquo, & de Magistratu ac potestate, Sermo 1.

AVgebitur regnum eius,gentes hostiũ eius edet, & quæ in eo sunt crassa, emedullabit, & sagittis suis conficiet hostem.

Seruauit Deus Dauidem in omnibus ad quæ profectus est, regnauitq; in omnes, ac vniuerso populo ius cum æquitate dicebat.

Sinite,inquit Dauid, illũ maledicta iacere, quia Deus ipsi iussit: si qua ratione respiciet dominus in hac mea abiectione,& ad me reuertentur bona pro maledicto hoc ipso die.

Auctus est Salomõ supra omnes terræ reges,opulentia & sapientia:ac omnes reges requirebant os illius,vt quam ei Deus largitus esset sapientiam audirent, suáque ad illum quisque munera ferebat.

Regnante Asa quieta fuit Iudæa annos decem, probéq; se gessit ac recte in conspectu domini Dei sui,& altaria aliena excelsaq; sustulit, ac columnas contriuit,& lucos excidit,& quietum fuit regnum in oculis eius: nec fuit ei vllũ bellũ per illos annos. Dauid.

Fuit dominus cum Iosaphat, ac per manũ illius, regnum recte administrauit, ac vita sua auctus est Iosaphat vsque ad summum. Prou. 14.

Potentia tua domine lætabitur rex, & salute quã das,exultabit valde. Psal. 20.

Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis, vt cum æquitate res populi iudicet, & pauperum tuorum cum iudicio. Psal. 71.

Execrandus est regi qui malefacit, quia cum iustitia solium magistratus paratur. Prou. 16.

Accepta sunt regi labia iusta, nam sermones re- Prou. 14.

ctos diligit: multitudine gentis gloria regis, at si defecerit populus, principis contemptio est.

Prou. 20. Ventilator impiorum rex sapiens, & in rege rota ipsorum.

Quum iustus rex in solio considet, nihil improbum aduersatur in oculis eius.

Acceptus regi minister intelligens.

Misericordia & veritas custodiæ sunt regi, & solium eius cum æquitate circundabunt.

Lingua regis gladius minime carneus.

Prou. 25. Ne sis arrogans corã rege, nec principũ loca occupato: meliuseſt enim vt tibi illud dicatur, Ascẽde ad me, quàm vt abiiciaris in oculis potentium.

Regis vere causas pauperum iudicantis, solium in testimonium firmum stabit.

Prou. 19. Ira regis, mortis nũcia: at vir sapiẽs placabit illũ.

Regis minæ leonis rugitui similes: qualis autem est ros herbæ insidens, talis illius hilaritas.

Eccl. 10. Obserua regis os, quia quicquid voluerit, efficiet: summa præditus authoritate loquitur, & quis ei dicet, Quid agis?

Regi, ne in conscientia quidem tua maledictio nec in cubiculi tui parte secretiore opulento maledicas, quia volucris aërea deferet vocem tuam: & qui præditus est pennis, sermonem tuũ enunciabit.

Esaias. En rex iustus regnabit, & principes cum iustitia imperabunt. Populus pauper & ciuitates hominum iniuria affectorum laudibus te afficient, quod fueris auxilio ciuitati afflictæ, & animum despondentes propter inopiam protexeris.

Sap. 6. Diligite iustitiam qui iudicia exercetis inter homines.

Sirach. Rex prudens populi stabilitas.

Apud regem captiosus ne esto.

Tobias. Regis arcanum honestum est cælare: at Dei opera renunciare nobile & glorioſum.

Luc. 3. Interrogauerunt autem eum & qui militabant his verbis: Et nos inquiunt, quid faciemus? Et ille, Neminem, inquit, concutiatis aut calumniis prematis. Et estote contenti stipendiis vestris.

Subiiciamini omni humanæ creaturæ propter dominum, siue regi tanquam præcellenti, siue præfectis vt qui per illum mittuntur ad sceleroſorum quidem vindictam, proborum vero laudem.

Rom. 13. Omnes homines potestatibus præcellentibus subiiciantur.

Ibidem. Quisquis potestati resistit, Dei decreto resistit, at qui restiterint, sibi damnationem acquirent. Principes enim non sunt terror bonorum operum, sed malorum. Vis non timere potestatem? quod bonum est facito, & ab illa laudem consequeris. Sin autem malum quod est, feceris, time.

Sirach. 10. Qualis iudex populi, tales sunt ministri eius: & qualis gubernator ciuitatis, tales ciues qui in ea habitant.

Eccle. 7. Ne quære præfecturam à domino, nec à rege solium gloriæ.

S Basilij. in Psal. 32. h. in princ. Regnum est legitima præfectura.

Prouerb. Ergo præcepta ea quæ à rege traduntur, qui quidem hoc vocabulo dignus fuerit, legitima sunt, communem vtilitatem spectantia, nec priuatæ vtilitatis causa comparata: hoc enim differt tyrannus à rege, quod ille sua vndecunque parat commoda, hic eorum quibus præest, vtilitatem quærit.

Si cor regis in manu Dei est, non seruatur armorum robore, sed diuino adminiculo ac ductu. Est autem in Dei manu, [illegible]; sed hoc regis nomine dignus. Cauta lege. Homil. 6. Psal. 32.

Dominus reges constituit, & idem detrahit & mutat, nec est potestas, nisi à Deo ordinata. Ibidem.

Sæpenumero populi impotentia, deterrimo magistratum dedit.

Ad principis mores ferè fingi solent, qui in eius sunt imperio, vt qualescunque tandem fuerint ductores, tales esse qui sequuntur necesse sit. in Cap. 1. Esaiæ.

Honestum est, vt præstantior semper deteriori præsit & imperet.

Vetus est verbum, Qui studeant virtuti, cum voluptate eos magistratum non accipere.

Qui præest aliis ne se efferat propter authoritatem, ne excidat beatitudine quæ posita est in animi abiectione.

Confusio inordinata, nota est reipub. magistratu carenti, at ordo, qualis sit magistratus ostendit: quid enim iuuat gubernatorem esse moderatum, prauis vtentem remigibus? Theolog.

Vbi enim nullus magistratus, ibi immoderate & sine ordine omnia feruntur, & magistratuum multitudo seditiosa est.

Cum liceat sine periculo sequi, periculose præesse nemo concupiscat, neque subiectionis lex abrogetur quæ & terrestria & cœlestia continet.

Regis voluntas lex est non scripta, quæ potentia defenditur, & quidem multo scriptis firmior, quæ nullius potentia iuuatur. Prou. 21.

Reges purpuram metuite, legislator enim est & legislatoribus, ipsa ratio: quid vobis sit commissum, cognoscite, & quale sit in rebus vestris mysterium. vniuersus mundus sub manu vestra exiguo diademate & paruo panniculo tenetur. Superna solius Dei sunt, at inferna etiam vestra. Estote dij, subiectis, vt aliquid dicam etiam audacius. Cor regis esse in manu Dei & dictum & creditum est, illic sit vobis robur vestrum, non † etiam in auro & phalangibus. Prou. 21. † autem.

Aliis nocendo robur haud monstra tuum:
Bene sed merendo, si Deum sequi cupis.
Est eius istud qui suum nôrit genus.
Facilè at necarint & Trygon, & Scorpius.

Qui geritis potestatem, timete potentiorem: qui in alto throno sedetis, altiorem. Chrysost.

Regna Dei duo nouit scriptura, vnũ familiare & domesticũ, alterũ quod creationis ratione spectat. Etenim rex vniuersorũ & Græcorũ & Iudæorum, & dæmonum, & aduersariorũ creationis ratione.

Multi etiã reges sæpe imperio accepto, cum eos qui sibi antea fuissent molesti, in sua potestate haberent, in tãto imperij fastu indignum esse iudicauerunt, qui pœnas reposcerent sceleratè factorum.

Colenda, non irritanda potestas.

Quum princeps apud omnes inculpatæ vitæ fuerit, tum potest quanta volet potestate & punire subiectos omnes, & eisdem ignoscere.

Nihil est quod sic magistratum ostẽdat, vt amor & beneuolẽtia erga eos qui sunt sub ipsius imperio: nam pater non solum procreando, sed etiam diligendo post procreationẽ, efficitur. Quod si vbi natura est, charitate est opus, multo magis gratia. Patri necessaria etiam dilectio.

Non

Pater necessaria est eorum disciplina.

Non in veste & zona, nec in præconis voce cernitur princeps, sed in reficiendo fracta & fatiscentia, & quæ malè constituta sunt corrigendo, ac improbos puniendo, nec permittendo vt potentia, ius cuiquam eripiatur & auferatur.

Ars est imperare, non solum dignitas, & quidem ars omnium maximè necessaria & excellentissima.

Qui maxime ex humilibus sunt, cum dignitates nacti fuerint, licentius in arrogãtiam tolluntur, quippe qui ad repentinos honores inepti sint.

Regnum terrenarum rerũ asperitates exæquat.

Rex omnis iustus sacerdotalem obtinet ordinẽ.

Ioan. Damasc.

Optimum principem decet in suis quidem peccatis esse acerbũ iudicẽ & minime ignoscentẽ: at in erratis subiectorũ placidum & ad ignoscẽdũ facilẽ.

Basilius.

Deus nullius indiget, rex solius dei. Imitare igitur eum qui nullius eget, ac largiter impartire petẽtibus misericordiam, non summo iure nec strictè cũ supplicibus agens, sed omnibus quæ ad vitam degendam pertinent petentibus, præbens.

Tyrãnus est princeps belli, rex verò pacis præses.

Rex iustissime, cum missus sis à natura ad supremam puppis partem occupandam, cúmque gubernacula teneas, guberna communem hominum scapham, fæliciter cum salute omnium: nulla re magis gaudeas ac lętitia afficiare, quàm tua erga subiectos beneficentia.

Xenophõtis.

Quid enim regis benevolentia subiectis populis optabilius, aut melius esse possit?

Principem omnibus quibus præsit simul succẽsere, magnum peccatum hoc quidem mihi videtur esse: necesse est enim, quia multis terrori sit, multos habere hostes: & quia omnibus simul succẽseat, eosdem omnes ad concordiam commouere.

Plutarchi.

Ne puero gladium, prouerbio dicitur. Ego vero dixerim, Ne puero diuitias, nec viro doctrinæ expertipotentiam.

Nullum firmius principis pręsidium quàm vera & constans benevolentia: cum enim vulgus & proceres assuefacti fuerint non principem sed principi timere, tum multis oculis videt, multis auribus audit, ac quæ geruntur præsentiscit.

Potentiam, diuitias, magistratum accipere & quasi in humeros tollere vel mulieres & pueri possunt: at magnam potestatis prouinciam suscipere & administrare nec succumbere, nec opprimi pondere & magnitudine rerum, id viri demum est virtute, prudentia & intelligentia præditi.

Cleon quidem cum primum statuisset rempub. capessere, amicis in vnum locum conuocatis, eam quæ ei cum illis intercesserat amicitiam dirupit, tãquam quæ in administratione ciuitatis, rectum & iustum institutum emolliat, & transuersum agat. Themistocles contrà, qui cùm quidam moneret vt præclarè magistratu fungeretur, Nequaquam, inquit, in eo sessurus sum throno, in quo amici nõ meliore sunt futuri conditione, quã non amici: non enim ciuitas homines amicis & sodalibus carentes, sed commodos & temperantes requirit.

Dionis Rom.

Quæ velis, eos qui sub tuo sunt imperio & sentire & agere, eadem tu & loquitor & facito: sic enim eos facilius & melius institueris quàm iis quæ legibus constituuntur suppliciis: illud enim æmulationem, hoc terrorem habet, & facilius quis optima imitatur quæ videt opere fieri, quàm cauet pessima quæ audit verbo vetari.

Ad principum voluntatem populi mores semper conformantur.

Dicta & facta suorum præfectorum vulgus sequitur, ac ea quę ab illis fieri animaduerterit, eadẽ & qui sunt sub imperio, alij simulatè faciunt.

Desiderari magis, quàm timeri in vita expete: quem enim omnes metuunt, idem omnes metuit. Democriti

Principem in rerum opportunitatibus vti decet ratione: aduersus hostes audacia, benevolentia autem erga subiectos.

Mali qui accedunt ad honores, quanto magis sunt indigni qui honores assequantur, tanto magis dedecorosi & inglorij fiunt, & impudentia & audacia pleni turgent. Prou. 28. & 29.

Si magistratum geris, mansuetus: si sub imperio alterius agis, magno animo præditus esto. Clitarchi.

Regem prudentem diadema non efficit, mens enim est quæ imperat.

Si parere non didicisti, imperare ne aggreditor. Euripidis

O diuitiæ, & tyrãnis, & ars artẽ excellẽs, in vita hac æmulatione plena, quãtũ inuidiæ vobiscũ latet?

Decet, ô beate, qui rebus maximis præsit, eum prudentia præditum esse maxima.

Debẽt potentes parcè vti potestate, vt semper vti possint. Platonis.

Magistratus aut iudex neque pro iustis orari, neque pro iniustis exorari debet. Catonis.

Alexander, cum poculorum minister, eius phialam aureã perdidisset, ob eámque causam male suspicaretur, iubet arcessiri simul ac resciuit, eni, Cõfide, inquit, puer, nã vbi-vbi est, omnino nostra est. Alexandri.

Alexãder, quis esset optimus rex, rogatus: Qui, inquit, amicos donis retinet, & inimicos beneficiis amicos facit.

Diogenes interrogatus, quomodo quis viuere debeat sub potestate: Quemadmodum igni vtendum esse respondit, neque nimis propè accedendũ, ne exuraris: neque nimium procul, ne rigeas. Diogenis.

Imperium non conuenit ei qui nihilo iis qui sũt sub imperio, est præstantior. Cyri.

Impera, si prius parêre didiceris: nam parere qui didicit, imperandi erit peritus. Solon.

Qui multis metuendus est, multos metuit.

Qui potestatem gerunt, si sapientes sunt, debent non propter magistratus, sed propter virtutes cum admiratione laudari, vt fortuna mutata iisdem laudibus digni iudicentur. Aristotelis

Aemulare nõ eos qui maximum imperium acquisierint, sed eos qui optimè pręsentib. vsi fuerint. Isocratis.

Idem pessimum imperatorem esse dicebat, qui sibi ipse imperare non posset.

Suscipe curam multitudinis, & iucundum imperium omnibus rebus antepone, intelligẽs & eam formam Reipub. in qua pauci imperant, & aliarum Rerumpublic. in qua pauci diutissimè conseruari, quæ multitudinẽ curant, & colunt optimè. Bonus autem eris populi ductor & curator, si nec affici iniuria turbã patiere, nec iniuria affectam negliges: sed considerabis ac curabis, vt optimi quique honores accipiant, cæteri nulla afficiantur iniuria.

Corporis tui custodiam tutissimam existima esse amicorũ virtutem, & aliarum Rerumpublic. be-

neuolentiam,tuámque ipſius prudentiam :iis enim rebus & cõſeruari & parari regna maximè poſſunt.

Grauis & metuendus fac videare : nihil eorum quæ fiunt,inexploratum relinquendo:clemens autem,leuiora delictis ſupplicia ſtatuendo.

Fac velis imperio dignus eſſe,non acerbitate,neque grauiter puniendo,ſed efficiendo vt omnes ſuperentur tua mente & intelligentia,arbitrentúrque te melius quàm ipſos pro ſua ſalute conſultare.

Diodori. Nemo eorum qui aliquam dignitatem aſſequuti ſunt, ſi vehementer peccârit,ſperet ſe ad extremũ ſine reprehenſione latere poſſe. Etenim ſi in vita ſua effugerit reprehenſionem & infamiam, poſt tamen expectanda ei eſt veritas cum libertate, quæ occultata olim ſilentio,prædicabit.

Regem bene fungentem ſuo munere, decet iuſtum & magnanimum, & veracem,& liberalem in largiendo eſſe, ac quauis cupiditate maiorem, ſupplicia leuiora delicto,gratiam autem beneficio maiorem referre tum ſubiectis tum amicis.

Agathonis. Nullus princeps longius in vitia prouehitur, niſi cupiditatum miniſtros habeat.

Tria meminiſſe decet magiſtratum: primum ſe hominibus imperare:alterum,ex legibus imperare: tertium, ſe non ſemper imperaturum eſſe.

Antigoni. Antigonus rex cuidam anui illum beatum prædicanti,Si ſcires,inquit, ô mater, quàm multorum malorum ſit hic pannus (diadema autem oſtendebat) eum in ſtercore iacentem non tolleres.

Epaminõdæ. Epaminondas Thebanus, cùm videret exercitum magnum & ornatum,ſed bono imperatore carentem: Quanta, inquit, beſtia caput non habet.

Philippi. Rex meminiſſe debet,homo cùm ſit, ſe poteſtatem [illegible] †[a]deo [illegible] accepiſſe, vt quæ præclara ſunt & diuina ſibi proponat, & expetat, prudentia autem vtatur humana.

[illegible] eſt in Græco fortè deinde legendum.]

Si vis domum benè habitari, Spartanũ Lycurgum imitare:quemadmodum enim ille non muris cinxit vrbem,ſed virtute incolas obuallauit, ſicque ſemper ciuitatem liberam retinuit: Sic & tu facito, nec magnũ veſtibulũ cingito, nec muros altos excitato, ſed ciues benenolẽtia & fide & amicitia firmato,& nihil eã ingredietur infeſtũ aut noxiũ, nec ſi vniuerſum quidẽ improbitatis agmẽ ſe opponat.

Prudens à gerendo magiſtratu ne ſe abducito: impium eſt enim ſeipſum abſtrahere ab indigentiũ vtilitate & commodis:& improbis cedere, minimè generoſum:ſtultum eſt enim præoptare malè gubernari, quàm bene gubernare.

Acerbum eſt & moleſtiæ pleniſſimum, deteriores præſtantioribus imperare,& ſtultiores prudentioribus præſcribere.

Eumenis. Eumenes rex fratribus crebrò dicere ſolebat, Si me vt rege vſi fueritis,vobis tanquam fratribus gratificabor: ſin autẽ tanquam fratre, ego vobis vt rex.

Cotys. Cotys Thracum rex, Thebanis gloriãtibus quòd Lacedæmoniis imperarent, Vidi, inquit, torrentes perẽnibus fluuiis maiores factos,ſed ad breue tẽp°.

Idem interrogatus cui relinqueret arcem regiam,Potenti,inquit.

Agapeti. Corpore quidem, rex cuiuis alteri homini par eſt: poteſtate verò dignitatis ſimilis eſt, ei qui ſupra omnes eſt, deo: [illegible] : itaque debet rex vt mortalis non extolli, & vt deus non iraſci. Etſi enim imaginis diuinę honore eſt affectus,pulueri tamen terreno implicitus eſt,per quem edocetur,qua erga omnes vtatur,ſimplicitate.

Niti decet vt ſubiectis venerabilis magis quàm terribilis eſſe videaris,illud enim grauitas,hoc verò feritas comitatur. Muſonij.

Improba natura, ſi poteſtatem aſſecuta fuerit, publicas afferre ſolet calamitates. Democrit.

Tum ciuitates interire ſolent,cùm qui imperãt, improbos à probis diſcernere non poſſunt. Antiſthenis.

Vt furioſo gladium, ſic improbo poteſtatẽ dare periculoſum eſt.

Opulentia rationis expers poteſtatem nacta, etiam eos qui ſapere videntur, ſtultos reddit. Menand.

Nam fortunatum eſſe præter dignitatem, deſipiendi præter dignitatem occaſio eſt. Demoſthenis.

AD SERM. I. ANNOT.

Baſil. Qui præeſt alijs.] *Locus eſt ex regul. fuſius diſput. 30. Illud verò poſtremum*, quæ poſita eſt in animi abiectiõe, *Græcè ſic habet, Ἵνα μὴ ἐμπέσῃ τῷ μακαρισμῷ τῆς ταπεινοφροσύνης, quod fortè ita melius reddas*, ne ea beatitudine excidat quæ humilitati debetur.

Regis purpuram.] *Non cæpit mentem Gregorij Ribittus, νομοθετικὴ γὰρ ἡμῶν νομοθεσίας ὁ λόγος.* Nam & legiſlatoribꝰ leges feret oratio noſtra. *Id eſt, vt interpretatur Elias, oratio doctrinæ, quæ hoc iuris ac poteſtatis habet, vt ipſis etiam regibus leges præſcribere poſſit; vel ipſa etiam Gregorij hæc oratio, nam cùm alios admoniſſet antea, tum ad Reges ceu imperatores ſermonem conuertit, mox ad aulicos & philoſophos. Paruũ pannũ dicit diadema, quod olim faſcia erat alba, vel cærulea, ornata poſtea gemmis tempore Imperatorum Conſtantinopolit.*

Alijs nocendo.] *Hoc tetraſtichum eſt Theologi 56. ex interpretatione doctiſſimi Billij, qui quod Ribittus paſſinacã verterat, trygonem retento vocabulo Græco appellauit: vtroque nomine vtitur Plinius. l. 9. c. 48. piſcem eſſe ait veneno frientem. Nihil execrabilius, inquit, quàm radius ſuper caudã eminens trygonis, quam noſtri paſſinacam appellant. Simile illud quod de Theodoro refert Cicero 3. Tuſcul. Qui Lyſimacho mortem ipſi minitãti, Magnum, inquit, effeciſti, ſi cantharidis vim conſequutus es.*

Irenæi. Rex omnis.] *Hæc quidem ita Græcè habentur apud Antonium* πᾶς βασιλεὺς δίκαιος ἐκ πολλῶν ἕνα πάξει. *Vt apud ipſum Irenæum paulo aliter lib. 4. c. 20. Sacerdos autẽ fuerat Dauid apud eum. Omnes enim iuſti ſacerdotalem habent ordinem. Antonius fortè vt de Dauide dictum exſcripſit rege iuſto.*

Plutarchi, Ne puero gladium.] *Ex quo libro Plutarchi deſumpta hæc ſit ſententia monet Stobæus ſerm. de Republi. ex eo ſcilicet, quo docet* ἐπὶ χαλκᾶ γυναῖκα παιδίον. *Is non extat. Non abſimile eſt illud apud Ciceronem or. pro Sextio. Sed ita eſt, Iudices, vt ſi gladium paruo puero dederis &c ita cùm hominibus eneruatis atque exanguibus conſulatus. Imperfectam protulit eandem hanc ſententiam is qui Prouerbia concenturiauit Chil. 2. Cent. 5. Sic ergo extrema ſe habet,* μὴ ἀϊδεῖ ἀναιδὴς δυναστεία.

Alexander cùm pocul. ob eámque cauſſam malè ſuſpicaretur.] *Græcè erat* δυσφημίστος *& coniecturam addiderat Geſnerus legendum fortè* δυσευμίστος. *At idem poſtea in Varijs lectionibus monuit ſcribendum* δυσφορίστος: *Verte ergo*, ideóque ſe ægritudine cõficeret.

De rege non multùm admirando, vel de rege malo.

Sermo 2.

Prouerb.

REx audax incidet in mala.

Regis ſubauſcultantis orationem iniquam, imperio qui parent, omnes ſunt exleges.

Pauper

Pauper probus & sapiens, est supra regem senē & insipientem.

Eccl. 10.

Væ tibi ciuitas, cuius iuuenis rex est.

Ibidem.

Actio mala, potentium solia euertit. Audite igitur reges ac intelligite, accipite auribus, qui imperatis multitudini, & in turbis gētium elati estis: datus est à domino principatus vester, & potentia ab excelsissimo, qui facta vestra examinabit, & consilia vestra perscrutabitur: quia cum regni eius ministri sitis, non rectè iudicia exercuistis, nec legem seruastis, neque ex dei sententia & consilio vos gessistis, horribile vobis exitium ingruet, idque citò: iudiciū enim seuerè fiet in eos, qui præcellunt aliis: minimus enim venia & misericordia dignus est, sed potentes potenter examinabuntur: non enim faciem & os cuiusquam verebitur omniū dominus, neque magnitudinem reuerebitur, quia paruum & magnum ipse fecit, æqualitérque omnium commodis consulit & prospicit, potentes autem diligenter & seuerè excutientur.

Multos perdidit aurum, & corda regum à recto deflexit.

Rex doctrinæ expers populum suum perdet.

Regnum à gente ad gentem trāsfertur propter iniustitias & violētas iniurias & pecunias dolosas.

Non eadem reges & priuatos decere existimamus, quod non eadem sint dignitate, priuatis enim vel vafrè aliquid facere concedemus: quem enim perspicuum est vi nihil agere posse, huius vafricies veniam meretur. Regi autem cùm valde turpe sit vi & potentia superari, tum turpius minúsque decere arbitror, vt arte & callidè conata perficiat atque instituta.

Iuuentus cum summa potestate appetitionibus quæ cohiberi non possunt vtens, malum inexpugnabile est.

AD SERM. 2. ANNOT.

Theol. Non eadem. quem enim perspicuum est.] *Locus est ex orat. 3. in Iulianū, ὡς γὰρ τὸ φανερῶς βιάζεσθαι μὴ δυνατὸν, τοῦτῳ συγγνώστη τὸ τῆς ἀφελείας qui enim apertè facere vim facere non potest, huius vafricies &c.*

De episcopis moderatis & Dei mandata obseruantibus: grauem, & talem quæ reprehendi non possit, vitam eorum, documentum esse iis quibus præsint.

Sermo 3.

Melchisedech rex Salē protulit panes & vinū, cùm reuerteretur ex obsidione regum, erat autem Dei summi sacerdos.

Gen. 14.

Quisquis vitioso corpore, non ingredietur (aut accedet ad ministerium) non cæcus, non claudus, non mutilo naso præditus, aut auribus truncatis, nec qui fracta manu aut pede est, nec facie lentiginosa, aut glaber ciliis, item nec qui feræ scabie, aut mentagra laborat, aut vnitestis est. Dona enim Dei sunt sancta sanctorum.

Leuit. 21.

Diis & principi populi tui ne maledicito.

Exod. 22. Deut. 17.

Qui per superbiam nō audierit sacerdotem adstantem ad ministrandum in nomine Domini Dei tui, aut iudicem qui illo tempore fuerit, is morte multetur, & ex Israële tolles improbum.

Psal. 131.

Sacerdotes tui induentur iustitiam, & sancti tui exultabunt.

Ibidem.

Nos designauimus vobis omnes sacerdotes, & Leuitas, & cantores & ianitores & ministros Dei ne habeatis potestatem imponendi illis tributum & exactionem & pensionem.

Accuratè agnosces animas ouilis tui, & cor tuū gregibus tuis præficies. Prou. 27.

Labia sacerdotis obseruabunt iustitiam, & legem requirent de ore eius, quia nuntius est Domini omnipotentis. Malach. 2.

Sacerdotes, inquit Deus, exhortamini & cōsolamini populum meum. Esaiæ.

Dabo principes tuos cum pace, & episcopos tuos cum iustitia. Ezech. 3. & 18.

Si frameam videris, nec significaueris tuba, populúsque non sibi cauerit, sed gladius ipse vnum aliquem ex ex illis ceperit, is quidem propter iniquitatem suam capitur: at sanguinem illius de manu tua repetam. Sin impium reprehenderis, nec se cōuerterit ab impietate sua, nec à via sua deflexerit, ille in impietate sua morietur, & tu tuam animam liberâris.

Nulli sacerdotes vinum bibent, quandiu quidem in aulam interiorem ingrediuntur (*id est, versantur in aula.*) Ezech. 44.

Hæc dicit Dominus Deus Israelitarum: Iniustitiam & vexationem auferēdam esse, & iudicium & iustitiam exercendam. Auferte oppressionem à populo meo, inquit Dominus.

Qui sancta sanctè seruauerint, sancti futuri sunt: & qui ea didicerint, inuenient defensionem. Sapient. 3.

[redacted].

Toto corde metue Dominum, & sacerdotes eius venerare: omnibus viribus tuis eum qui te fecit, laudibus afficito, & ministros eius ne deseras, metue dominum & sacerdotem laudibus afficito, & (vt tibi præcepi) da illis partem suam. Sirach. 7.

Ducem te præfeci, ne effertor, esto in illis vt vnus de illis. Eccl. 32.

Sapiēs vir populum suum instituet, ac eum prædicabunt beatum quotquot eum viderint: nam sapiens in populo hæreditariam fidem & authoritatem sibi parabit, & nomen eius viuet in sæculum. Eccl. 37.

Quis est, inquit Dominus, fidelis rei domesticæ præfectus, & prudens, quem præficiat Dominus familiæ suæ, vt suo tēpore det illis dimensum? Beatus seruus ille, quem cùm venerit dominus eius, inuenerit sic facientem: verè dico vobis, eum omnibus bonis suis præficiet. Matt. 24.

Dixit Dominus Petro: Simon fili Ionæ diligis me plus quàm hi? Etiam, inquit, domine. Tum ille: Pasce, inquit, agnos meos. Dixit illud iterum: Simō fili Ionæ amas me? &c. Ioan. 22.

Testificor vobis posthac me fore purū sanguinis & peccati omnium vestrum, non enim quicquā cælaui, quin vobis totum Dei consilium ennunciarem. Prospicite igitur vobis & toti gregi, cuius vos spiritus sanctus effecit episcopos, vt ecclesiam domini pascatis, quam suo sibi sanguine acquisiuit. Act. 20.

Si quis episcopi officium appetit, honestum munus concupiscit. Oportet igitur episcopum talē esse, qui reprehendi non possit, sobrium & vigilātem, moderatum, hospitum studiosum, ad docendum aptum, non violentū & iniuriosum, sed clementem & de suo iure cedentem, nō pugnacem, à studio 2. Tim. 3.

pecuniæ alienum, quique domui suæ bene præsit. A Si quis enim domui suæ præesse nescit, quo tandē modo ecclesiæ Dei curam geret? non nouitium, ne inflatus in damnationem incidat. Etiam oportet eū honestum testimonium ab externis habere, vt ne in probra & laqueum calumniatoris incidat.

1. Tim. 5. Manus citò nemini imponito, nec alienorum peccatorum particeps esto, teipsum castū seruato.

Ad Tit. 1. Oportet episcopum talē esse, qui neque redargui, neque conuinci possit, tanquam Christi dispēsatorem, non pertinacem, non iracundum, non iniuriosum, non turpis lucri cupidum, sed hospitum & peregrinorum studiosum, bonitatis & probitatis amantem, temperantem, iustum, sanctum, continentem, adhærentem doctrinæ fideli sermoni, vt & possit sana doctrina exhortari, & contradicentes reprehendere.

1. Pet. 5. Pascite eum cui præestis Christi gregem, non coacti, sed volentes, non auarè, sed alacriter: neque tanquam dominantes in sortem, sed estote exemplar gregis, & cùm prodibit pastorum princeps, recipietis gloriæ coronam, quæ nunquam marcescet.

S. Ignatij, ex Epist. 14 ad Ephesios. Date operam ne resistatis episcopo, vt deo subiiciamini, & quo magis tacitum videritis episcopū, tanto magis eum metuite. Quemcūque enim mittit paterfamiliâs qui rei domesticæ præsit, sic decet excipere, vt eum ipsum qui mittit: itaque decet, vt C episcopum tanquam dominum ipsum suscipiatis.

S. Basilij. Authoritas docentis, orationem efficit acceptam, ac discipulos reddit attentiores.

Idem regul. fus. 30. Qui præest aliis ne efferatur dignitate, ne amittat humilis animi beatitudinem, aut ipse inflatus in cōdemnationem incidat diaboli.

Cui cura eius credita est, is tanquam debeat rationem reddere de singulis creditis, ita affect⁹ esto.

Eiusdem. ἐν τῷ λαῷ. a Nullus episcopi munere fungens reprehenditur, si quid in rebus indifferentibus (in oratione populari) inconsideratè scripserit.

Theologi. Apologet. Orat. 1. Hæc mihi videtur esse ars quædam artium & scientia scientiarum, hominem versutissimum omnium animalium ac maximè varium regere.

Ibidem. Vt corporibus non idem medicamentum adhibent omnes, sed alij aliud, siue valentes, siue ægrotantes: sic & animas diuersa ratione & institutione curabimus, atque huius curationis testes sunt qui & perturbationibus animi afficiuntur: alios enim ducit oratio, alij exemplis ducuntur & corriguntur: alij calcari, alij freno egent: alij enim sunt segnes & difficiliter ad honesta incitantur, alij supra modum calēt, etiam appetitionibus effrenatis: quemadmodum generosi equi vltra metam currētes, quos meliores efficias, si verbis reprehendas ac retro inhibeas.

Hic est terminus cuiusuis spiritalis præfecturæ, E vbique sua negligere ad aliorum vtilitatem.

Neque eam quæ non datur præfecturam appetere, neque eam quæ datur repudiare debemus: illud est enim audacium, hoc verò rebellium & contumacium, vtrunque indoctorum.

Qui res maximas tractāt, quique rerum summam tenent & tanquam pondere librant, ij maximè Deum curare & ab illo auxilium petere debent.

Nihil tam mouet vulgus, atque actio quæ est tacita admonitio.

Alimentum etiam alentis est doctrina.

O. 42. in Pasc. Tanto est superius regno sacerdotium, quantum est inter spiritum & carnem interuallum.

Chrysost. l. 3. de sacerdotio. Non solum sagacitatem, sed etiam antea magnam à deo gratiam, vitæq; mores rectos & puros, ac virtutem humana maiorem habere decet eum, qui sacerdotij curam suscipit.

Radiis ipsis purior esse debet anima sacerdotis.

hom. 5. de verbis Esa. Medius inter Deum & hominum naturam stat sacerdos, beneficia illinc ad nos deducēs, & supplices nostras postulationes illud subducens.

Magna dicēdi facultate sacerdoti est opus, quin etiam dialectices valde peritum esse oportet.

B Noli fieri iudex si iniustitiam tollere non potes.

Eccl. 7. Noli esse doctor si à rei virtute abes, sed etiam si traharis resilito.

Periculosum est eum qui non sit in rerum actione versatus, docendi munus suscipere.

Etsi enim alij millies labantur, possunt tamen veniā impetrare: at doctor, si istud ei acciderit, omni excusatione priuatur, & extremo afficitur supplicio.

Qui aduersùs omnes pugnam suscepturus sit, eū nosse artes omnes oportet.

Sagacitas & intelligentia non ex ætate iudicanda est, nec presbyter à canicie probandus, nec iuuenis est omnino arcendus à tali ministerio, sed neophytus, (*id est, recens insitus:*) magnum est autem quod est inter vtrunque medium.

Non nouit ætatis differentiam, vniuersorum deus, sed pietatem solam, & rerum diuinarum amorem, & sui studium requirit: at si hæc in iuuene repererit, hunc multis senioribus anteponit.

Tum maximè sacerdotes honore afficere debemus, cùm etiam Reipub. venerabiles fuerint. Si enim quosuis propter ętatem venerabiles existimamus, multo magis patres spirituales sacerdotij dignitate præditos, lex deos nominat: Diis, inquit, non maledices, nec principi populi tui.

Honor qui habetur sacerdotibus, in vniuersorum dominum redundat. D

Episcopus dicitur ab episcopāⁿ, id est, à speculando & spectando, quòd vniuersos speculetur.

Quanto maior est dignitas, tanto maiora sunt pericula.

Episcopi munere fungenti, vnum rectum officium sui muneris satis est vt in cœlum subducatur, & vnum peccatum vt in gehennam ipsam detrudatur.

Si contingat quempiam vel per amicitiam vel per aliam causam ab aliquo ad Episcopi dignitatē euehi indignum, omnium quæ ab illo acta fuerint, ipse reddet rationem: nam qui in numero priuatorum est incautus, multo magis cum magistratum capessit. Etenim inanis gloria tū vehementius inuadit, & pecuniarum cupido & pertinacia, magistratu potestatem præbente & offensiones & iniurias & conuitia.

1. Tim. 5. Manus, inquit diuus† Apostolus, citò imponito nemini, nec peccatorum socius esto. Quid ais? alius peccauit, & ego sum particeps criminationum & supplicij: certè, inquit, quia improbitati potestatem dedisti: Et vt si quis furēti & insano gladium in manus tradiderit, quem in sua habebat potestate, cędis quam

quam fecerit per furorem ille insanus, culpam sustinet: sic & qui potestatem magistratus dederit homini improbo, vniuersorum peccatorum illius & audacter temeréque factorum ignem in caput attrahit suum: nam qui radicem tradiderit vbicũque is eorum quæ ex ea nascuntur causa & author est.

Vt te dominus, sic tu omnes ferto, omnes sustine cum charitate, postula prudẽtiam maiorem quã habes, omnium morbos portato: vbi enim plurimũ laboris, ibi quoque lucri plurimum.

Si quis à domino gloriam consequi volet, oues rationis participes curato, fratrum suorum curam gerito, nullum est Deo officium hoc gratius & maioris dignitatis.

Qui seipsum exercet, soli sibi prodest: at artis pascendi lucrum, in totum populum manat.

b Sic decet sacerdotem erga eos quibus præsit affectũ esse, vt pater erga filios prorsus infantes so- 2 Cor. 4.
† aut forte legendũ mœrentibus, cadentibus aut lacrymantibus. let affici. Et quemadmodum ab illis neque †certantibus neque flentibus discedimus: ac ne tum quidẽ cum rident, ob idipsum superbimus & magnificè de nobis sentimus: Sic & horum neque laudibus inflari, neque vituperationibus, animis concidere debemus, quum id intempestiuè nulla à nobis occasione præbita ab illis sit.

Gen. 31. *c* Si patriarcha Iacob pecudibus præfectus oues rationis expertes pascens, atque id, hominibus rationem redditurus, & noctes insomnes duxit, & æstum & frigus, & quamuis aëris intemperiem ferebat vt nulla ex illis pecudibus periret: nos qui non rationis expertibus præsumus, sed paternis ouibus, nec hominibus, sed deo rationem reddituri, multò magis debemus nihil grauatè facere, aut recusare quicquam eorum quæ gregibus prodesse possunt. Sed quanto hic grex illo, & homines brutis, & hominibus Deus præstat, tanto nos alacrius & vehementius in hoc studium incumbere debemus. (*Desunt hic quædam.*)

Dionys. Qui ad purissimum accedunt sacrificium, eos perpurgatos esse oportet, extremis etiam animi visis & similitudinibus, atque ita pro viribus ad ipsum accedere.

Iustin. Verbo quidem virtutem doceto, opere autem eam prædicato.

Constantin. imperator. Theodoret. l. b. c. 21. Sacerdotum errata non debent nota esse vulgo, ne offendiculi excusationem hinc prætendẽtes, licenter ac sine metu peccent. Si enim ipse episcopum viderem alienas† nuptias perfodientem, contra legem admissum purpura mea contegerem, ne facti aspectus spectatores læderet.

† alienæ vxori stuprum inferentem.

AD SERM. 3. ANNOT.

a Basil. Nullus Episcop. populari oratione.] *Hæc verba Basilij sunt, non Theologi, vt fallitur interpres qui ἐν τῷ λαϊκῷ vertit, in oratione populari. Vertendũ enim potius erat* cũ adhuc inter laicos cẽseretur. *Basilius etenim ab obtrectatoribus hoc nomine in crimen vocabatur, quod ad Apollinarium quendam scripsisset. Quam calumniam ille Epist. 73 diluens, negat sibi vitio verti debere, quòd aliquãdo, cùm adhuc laicus esset, ad eum nondum fide lapsum literas de rebus nihil ad fidem pertinẽtibus dedisset. Billius lib. 1. obser. c. 5. Verba Basilij in illa Epistola sunt hæc, ἡμεῖς γὰρ τοὺς τῆς συγγραμματικῆς λαϊκοὶ ὄντες τοὺς λαϊκοὺς ἐπε-*

τέλομεν. Illud vero κατ' ἀδιαφορίαν, nolim vt à Ribitto redditur de rebus indifferẽtibus, *sed potius,* cum quadam indifferentia, *aut,* sine vlla dubitatione, *nulla religione, vt ἀπαρατηρήτως, non* inconsideratè, *potius,* sine tanta cautione, *aut, sine vllo respectu.*

b Chrysost. Si decet sacerdot. Et quemadmodum ab illis neque certantibus.] *Omnia tuta timent hi interpretes, qui si consuluissent auctores vnde hæc sunt deprompta capita, nunquam sanis locis manus medicas admouissent, hũc quidem describam ex lib. 5. Chrysostomi de Sacerdotio, illustrandæ sententiæ ergô. καὶ καθάπερ ἀκείνων, οὔτε ὑβριζόντων, οὔτε πληττόντων, οὔτε ὀδυρομένων ὑπερφόμεθα, ἀλλ' οὐδὲ ἰδίοις αὐγελῶσιν ἡμῖν μεγὰ ὑπετόπωφρονοῦμεν. Et quemadmodum illisúsque insultantibus neque percutientibus, neque lugentibus admodum laboramus, ac ne cùm nobis arriserint, maiora spiramus &c.*

c Si patriarcha Iacob pecudibus præf.] *θρεμμάτων προεστὼς gregibus præfectus. Paulò pòst,* Sed paternis ouibus] *rectè coniecit Gesn. legendum forte ἀλλὰ πνευματικῶν προβάτων non πατρικῶν, sic enim citatur hic locus à Damasceno l. 2. c. 25. Parallelorum,* Qui non brutis sed spiritualibus ouibus præfecti sumus. *Similem sententiam habes apud eundem Chrysost. Epist. 54.*

De Episcopis improbis, nec Dei præcepta obseruantibus.
Sermo 4.

DVo filij Aaronis Nabad & Abiud, suum quisque ceperũt thuribulum, & in ea ignem imposuerũt, iniecerúntque suffitum, atque sic obtulerũt in conspectu Domini ignem alienum, quod non iusserat ipsis dominus. Et prodiit ignis à domino, qui eos deuorauit, ac in conspectu Domini mortui sunt. Leuit. 10.

Viam domini sacerdotes occultatunt. Osee.

Tu sciẽtiam repulisti, & ego te à sacerdotio meo repellam. Osee. 4.

Præfecti eius donis corrupti iudicabant, & sacerdotes pro mercede responsa dabant. Mich. 3.

Sacerdotes eius sancta mea profanant, & legem meam impiè violant. Sophon. 3.

O qui pascitis res inanes, ouibus desertis. Zach. 11.

O pastores, qui oues gregis dispergitis, ob quam causam hæc dominus in pastores dicit qui populũ non pascunt: Vos, inquit, oues dispersistis, ac eas reiecistis, nec visitastis. Ecce ego vlciscar vos, & instituta vestra malitiæ plena. Iere. 23.

Populus meus, vt oues perditæ, fuit: qui eum pascebant, repulerunt eos, & per montes vt errarent, impulerunt. Ezech. 34.

Sacerdotes legem meam repudiauerũt, ac sacra prophanauerunt, impura à puris non discreuerunt, & in medio ipsorum profanarunt. Ezech. 22.

Hæc dicit dominus, si eduxeris pretiosum ex indigno, eris os meum. Ezech. 3.

Fili hominis speculatorem te posui domui Israeliticæ, Si non reprehenderis populum meũ, morietur ille quidem in peccato suo, sed sanguinem eius de manu tua reposcam. Ezech. 34.

O pastores Israelitici, num pastores seipsos pascunt? Lac deuorastis, & lana amicti estis, & optimas oues mactastis, nec pascitis oues meas: infirmas non corroborastis, & ad errantes nõ reuersi estis, & perditas non quæsiistis, & robustas occidistis, & dissi-

patæ ſunt oues meæ. Paſtores ſeipſos pauerũt: quòd non eſſent paſtores, ſed oues meas non pauerũt: ob hanc cauſam agam nunc contra paſtores, & oues meas de manibus ipſorum repetam.

Auertam os meum ab illis, contaminant viſitationem meam, & in ſacra mea inuerecundè intrãt, eáque profanant atque ſordidant: propterea quòd terra iudicio homicidiorum, & ciuitas iniquitate plena eſt.

Sapien. 6. Minimus veniam & miſericordiam impetrat, ſed potentes ſeuerè examinabuntur.

Ibidem. Non enim os cuiuſquam metuet omnium Dominus, nec magnitudinem verebitur.

Matt. 23. In cathedra Moyſis ſedent ſcribæ & phariſæi, itaque quæcunque iuſſerint vos facere, ea ſeruate & facite, ſed opera eorum nolite imitari: dicunt enim nec faciunt, quia alligant onera grauia & portatu difficilia, ac in humeros hominum imponunt, digito autem ſuo colũt ea mouere: quæcunque autem opera faciunt, ea vt ipſi ſpectentur ab omnibus, faciunt.

Ibidem. Væ vobis ſcribæ & phariſæi ſimulati, quia decimas datis mentæ & anethi & cumini, quæ autem grauiora ſunt in lege, præteriiſtis, iudicium & miſericordiam & fidem: hæc enim facere oportebat, & illa non prætermittere. Duces cæci qui culicẽ percolatis, ſed camelum deglutitis.

Ibidem. Væ vobis ſcribæ & phariſæi ſimulati, propterea quòd ſimiles eſtis ſepulchris tectorio inductis, quæ foris ſpecioſa videntur, intus autem plena ſunt oſſibus cadauerum & quauis immundicie: ad eũdem modũ & vos extrinſecus hominibus videmini iuſti, intrinſecus autẽ pleni eſtis ſimulatione, & omni genere iniquitatis.

Actor. 8. Cúmque Simõ animaduertiſſet per impoſitionem manuum dari ſpiritum ſanctum ab Apoſtolis, obtulit eis pecunias: Ac mihi etiam date, inquit, hãc poteſtatem, vt cuicunque manus impoſuero, is accipiat ſpiritum ſanctum. Tum Petrus, Habe tibi, inquit, tuam pecuniam in perditionem, quod exiſtimáris donum ſpiritus ſancti pecunia parari, nõ eſt tibi vlla ſocietas aut vllum conſortium in hac re.

Baſilij. Quantum mali ſit cùm tẽ ducem eſſe oporteat, erroris autorem eſſe tuis, ex apoſtolicis documentis perſpicere licet: atque hoc argumentum eſt, ne præceptum quidem de charitate rectè eſſe perfectum.

Nemo enim pater negligit filium ſuum, quem videt caſurum in foueam, aut iam delapſum relinquit in illa miſeria. Quanto indignius eſt animam in malorum profunditatem cùm deciderit, in exitio relinquere?

Actum eſt de grauitate ſacerdotali, defecerunt miniſtrandi pauperibus rationes ad priuatos vſus & munerum largitiones, omnia conſumentibus * tribuum præfectus.

* φιλαργύρων. per iota habetur in ſcripto exemplari Græco.

Periit æquum iudicium. Nemo non inſtituit vitam ad arbitrium cordis ſui, malitia eſt immẽſa, populus admonitiones non audit, præfecti loqui liberè non audent. Serui enim ſunt eorum à quibus beneficium accepêre, qui per homines ſibi præfecturam & potentiam compararunt.

Theologi, or. 1. Apologet. Qui alios erudire conãtur, priuſquam ipſi ſatis eruditi ſint, ac in dolio artem figuli diſcunt (vt eſt in prouerbio) atque in animis aliorum pietatem edi-

ſcunt ac meditantur, nim is ſtultorum hoc mihi eſſe videtur vel audacium: hebetes quidem certè ſunt, ſi non ſentiunt ſe eſſe indoctos: audaces autem, ſi cùm intelligant, tamen aggredi audent.

Ordo non optimus eſt docere prius, deinde diſcere, non ſolum in diuinis ac tantis rebus, &c.

Occaſio facilè creat ſanctos permultos, & impios item plurimos contra ius, vel potius omnes miſeros.

Hæc enim ſunt nothorum & obreptitiorum ſacerdotum & deſignatione indignorum, qui quùm ad ſacerdotium nihil attulerint, neque quicquam honeſti exercuerint, ſimul diſcipuli & doctores pietatis deſignantur, ac priuſquam purgati fuerint ipſi, purgant alios: heri ſacrilegi, hodie ſacerdotes: heri excluſi ſacris, hodie myſtagogi, id eſt, ſacrorum inſtitutores: in vitiis veteres, in pietate repentini ſeu extemporanei.

Caput ne eſto, qui vix alicubi manus es, aut pes, aut aliud aliquod ex corporis mẽbris imperfectioribus. Vnuſquiſque igitur in quo vocatus eſt ordine, fratres, in eo maneto, etiã ſi fuerit maioris æſtimationis. Plus enim laudis conſequetur ſi præſenti fuerit contentus, quàm ſi quæſierit eam, quam nõ acceperit.

Nemo, cum liceat ſine periculo ſequi, ducere periculosè concupiſcat.

Nauticam conſuetudinem laudo quæ remum antea dederit ei qui nunc gubernator eſt, & illinc eum ad proram deduxerit: & commiſſis alicui muniis quæ in priore nauis parte neceſſaria ſunt, ſic ad gùbernacula ſedet poſt multam maris † verberationem, & ventorum conſyderationem. † remigationem.

Non ex virtute magis quàm ex maleficio præſides conſtituuntur: neque digniorum, ſed potentiorum ſunt throni.

Quis ſubiectos moderatos efficiat, cum ſic, qui præſunt affecti ſint?

Subiecti celerrimè præfectorum vitio, malitia complentur, atque id multo facilius quàm virtute contraria. ora 1. Apologet.

Magnitudo honoris, non conuenienter honori viuere inſtituentibus, pœnæ acceſſionem facit. Chryſoſt.

Nihil doctore frigidius, verbis tantum philoſophante: hoc enim non doctoris, ſed hiſtrionis eſt.

Non enim tam ex verbis quàm ex rebus diſciplinæ in animum infunduntur.

Quantò ad altius magiſtratus faſtigium aſcendit, qui epiſcopi munus eſt ſortitus, tanto maiorem cogetur reddere rationem, non modo de docendi ratione, & pauperum præfectura, verumetiam de ſuffragiorum probatione, déque aliis infinitis.

Nihil prodeſſe poterit ſi dicãt ſe ignoraſſe eum qui crearetur ſuffragiis, ſed ob hanc ipſam cauſam magis accuſandi ſunt, quòd quem ignorabãt, promouerint.

Nihil eo magiſtratu miſerius, qui quibus præſit, nihil prodeſt.

Honorem eſſe quietis & voluptatis prætextum non debemus exiſtimare, omniũ enim rerum laborioſiſſimum eſt animis præeſſe. Et eos qui eò accedunt, vnctos eſſe oportet, vt qui in certamen laborioſum deſcendant.

Diſcãt ſi velint ab † Abimelech & Gedeone, ſubiectos, † Iudic. 9.

iectos non dictis, sed factis ad imitationem incitari: ille quidem lignorum fasces & faciebat & portabat, ac suis, Quemadmodum, inquit, vidistis me facientem, ita & vos facitote: hic autem ad res nouas quum hortaretur & duceret suos, ipséque author esset facinoris, Quod me, inquit, facere videtis, idē vos quoque facitote.

Doctoris imperitia discentes perdit, at discipulorum calamitas periculum creat doctori, præsertim cùm propter illius inscientiam illi imperiti & inertes fuerint.

Augustij. Absurdum est qui persequatur honores, eum fugere labores, è quibus nascuntur honores.

Ioseph. Qui indignè summos honores sunt assecuti, iis pareant qui tradiderint necesse est.

AD SERM. 4. ANNOT.

Basil. Actum est de grauitate.] *Meritò annotatur in margine in Græco scribi, φιλαρχόντων. sic enim vertit Ribittus quasi scriptum esset φυλαρχόντων. sic ergo verte omnia consumentibus hominibus ambitiosis. In loco Theologi*, Caput ne esto, Etiamsi fuerit maioris æstimationis. *Corruptè est in Græco καὶ ἢ τῆς κρείττονος ἀξίας pro ἄξιος, Id est*, tametsi fuerit maiore condignus. *Bill. loco cit.*

Nauticam cōsuetudinem.] *Et commissis alicui munijs &c. καὶ πιστεύσας τὰ ἐμπροσθεν, ὅπως ὅτι τάχιστα ὀιακόσμησει. Fideliùs ita reddentur. Et postquam ipsi munia priora commiserit, tandem eum ad gubernacula collocat.*

Chrysost. Quāto ad altius. pauperū præfectura.] *πενήτων προστασίας. Pauperum auxilio, vel defensione, vt Plutarchus in Romulo τὴν προστασίαν πατρωνείαν vocat. item illud*, suffragiorum probatione, *χειροτονιῶν δοκιμασίας, electionum censura, an eos seuerè examinârint quos præficiebant Ecclesiis.*

De Principibus moderatis. Sermo 5.

Esai. 1. DAbo principes tuos cum iustitia, nec amplius in terra tua audietur iniustitia, nec afflictio, nec miseria in finibus tuis.

Exod. 9. Ego & fratres mei panem præfecturæ meæ non edimus: magistratus autem qui ante me fuerūt grauia vincula iniecerunt populo, & panem & vinum ab eo acceperunt, & ad extremū argenti siclos quadraginta. Recordare deus eorum quę bene feci populo huic.

Eccl. 24. Sapiens in populo suo authoritatem habebit hæreditariam (& nomen eius viuet in sæculum.)

Ciuitas prudentia eius qui potestatem obtinet, ædificabitur.

In gloria tua vide ne des reprehensionis occasionem, & in die gloriæ ne extollaris.

Noli petere à Domino præfecturam, nec à rege cathedram gloriæ.

Eccl. 7. Noli in multitudinem ciuitatis peccare, nec teipsum des in turbam.

Eccl. 7. Noli fieri iudex, si non potes expellere iniustitiam: ne verearis vultum potestatem obtinentis, & impedimentum afferas rectitudini & integritati tuæ.

Rom. 13. Principes non sunt terrori iis qui bene, sed qui malè faciunt. Vis non timere potestatem? quod bonum est, facito, & ex illa laudem consequêre. Sin autem quod malum est feceris, timeto: non enim frustra gladium gerit, dei enim minister est, vindex seuerus improborum.

Subiecti estote cuiuis humanæ creaturæ propter dominum, siue regi tanquam præcellenti, siue præfectis tanquam per illum missis ad scelestos vlciscendos, & probos laude afficiendos. 1. Pet. 2.

Si laudem cōcupiscis, víque supra vulgus emi- Basilij.
nere, & cum gloria in mundanis negotiis versari, iustus esto, temperans, prudens, fortis, patiens in afflictionibus pietatis causa susceptis. Sic enim & sibi ipse salutem consequêris, ac in maioribus bonis illustriorem obtinebis laudem & excellentiam.

In omnium conspectu adhibe humanitatem, Theologi
qua Deus magis quàm reliquis omnibus rebus delectatur.

Clementiam terrori misceto, minis spem temperato.

Multum etiam boni moderatione & benignitate fieri scito.

Alijs nocendo robur haud monstra tuum: Tetrast. 56.
Bene sed merendo, si Deum sequi cupis.
Est eius istud, qui suum nôrit genus.
Facilè at necârint *& trygon & scorpius.*

De Principibus improbis. Sermo 6.

PRincipes animosi sunt, vinum ne bibant, vt ne Prou. 31.
cùm biberint, sapientiæ obliuiscantur, nec tenuibus rectum possint exercere iudicium.

Si seruus imperârit, violenter potestatem exercebit.

Misera est ciuitas, cuius rex iunior est, & magistratus mane cibum sumunt.

Gladio cadent magistratus ipsorum, quod lin- Osee. 4.
gua sint inerudita.

Hei meæ animæ, quòd probus de terra sublatus Mich. 7.
sit, & quòd inter homines, qui perfectè officium præstet, nō sit: omnes cum sanguinis cupiditate iudicant, fratrem suum quisque opprimit, ad maleficium manus suas paratas habent: princeps petit, iudex pacifica loquitur pro animi sui desiderio.

Principes eius in ea sunt vt leones rugientes, & Sophon. 3.
iudices vt Arabici lupi.

Principes tui non obediunt, socij furum, ac mu- Esa. 1.
nera amant, persequuntur remunerationes, pupillorum causas non iudicant, & ad viduarum iudicia non attendunt.

Præficiam iuuenes qui illis imperent, & derisores qui in illos dominentur.

Oculi tui non boni, nec cor tuum rectum sed Ierc. 22.
habendi cupiditate rapitur, & cōtra sanguinem innocentium ad effundendum illum, & ad calumniā, & iniuriam, & ad cædem faciendam.

Principes in medio eius tanquam lupi rapaces Ezech. 22.
qui prædam rapiunt violenter, vt suam auaritiam & habendi cupiditatem expleant.

Iudicium seuerè in eos qui præcellunt, exerce- Sapientiæ.
bitur.

Principum mala, subiectis important calami- Salo.
tatem.

Hoc enim video multis iudicibus nunc vsu-ve- Basilij.
nire, qui facilius summis maxima concedāt, quàm minima infimis & tenuibus.

Chryſoſt. Non in pretioſa veſte & zona, nec in præconis A voce, cernitur princeps: ſed in eo quod collapſa reficiat, quæ male conſtituta ſunt, corrigat, ac in iniurioſos animaduertat, nec patiatur à potentioribus ius auferri.

Iuſtini. Tantum poſſunt magiſtratu fungentes qui veritati gloriam anteponunt, quantum in ſolitudine latrones.

Philoſophi. Aurigæ imperitia & vitio neceſſe eſt animalia iugata per præcipitia dari, vt contrà, eiuſdem virtute & peritia ſeruari.

Philonis. Donec rerum externarum affluentia eſt, ſagacitas & ſolertia eam comitari videntur: ſin autem detracta fuerit, ſimul & opinio prudẽtiæ ſublata erit. B

Si viris rempub. adminiſtrantibus, materias & apparatus detrahas, inane ſepulchrum reperies mente carens.

Si magiſtratus deſperant ſe imperium retinere poſſe, ſubiectos ſtatim rebellare neceſſe eſt, ac eos qui ex tenuibus & vulgaribus prognati ſunt, maxime irritari.

De Iudicibus incorruptis & puras habentibus manus, quíque iuſtitiam exercent. Et acceptum eſſe Deo rectè veréque iudicia exercere.

Sermo 7.

Exod.23. INnocentem & iuſtum non occides, nec vt iuſtum, abſolues impium ob munera accepta. C

Munera ne accipito, quia munera excæcãt oculos aſpicientium, & verba iuſti labefactant.

Pauperis in iudicio ne miſeretor.

Leuit.19. Iudicium pauperis in ipſius cauſa ne peruertito.

Nihil contra ius in iudicio facito: pauperis perſonæ rationem ne habeto, nec mirator perſonam potentis: ex iure cauſam proximi iudicato.

Pretium ne accipito ob redimendum eum qui cædem fecerit. Si conuictus fuerit, dignus qui tollatur de medio, cum tu mortis ſupplicio afficito.

Deut.24. Non agnoſces quenquam in iudicio: tum paruo tum magno æqualiter iudicium reddes: non vereberis os cuiuſquam, quia iudicium dei eſt. D

Non reiicies cauſam aduenæ, nec pupilli, nec vi-

Iob.29. duæ: nec pignori accipies viduæ veſtem.

Iuſtitia me induebam, & iudicio vtebar tãquam diploide.

Qui manibus eſt puris, fiduciam ſumit, iniuſtos

Iob.31. & iniquos deridens.

Coram homine non afficiar pudore, neque verebor mortalem. Nõ enim noui admirari perſonã:

Pſal.14. ſi autem non, & me tineæ comedent.

Munera aduerſus innocentes non accepi: qui facit hæc, non concutietur in ſæculum.

Beati qui obſeruant iuſtitiam, & quouis tempo- E

Salomonis. re eam exercent.

Aperi os tuũ domini verbo, & de omnib. iudica integrè: aperi os tuum & de omnibus iuſt iudica.

†ποιῶν χείματα. Lætitia iuſtorum eſt cum † iudicia reddunt

Res magni pretij, vir purus.

Reuereri perſonam cuiuſquam in iudicio, honeſtum non eſt.

Regum. Salomon Dominus: Quia, inquit, à me hoc petiiſti, nec multos annos dari tibi poſtulaſti, nec opulentiam, nec hoſtium tuorum capita, ſed intelligentiam & ſagacitatem ad diiudicandas cauſas, en do tibi cor prudens & ſagax, vt nullus ante te fuerit qualis tu, nec poſt te exiſtet quiſquam tui ſimilis.

Iudicium exercete & iuſtitiam, quærite man- Sopho.2. ſuetudinem, vt in die iræ domini tecti ſitis.

Iudicium iuſtum exercete.

Hæc dicit Dominus, facite iudicium & iuſti- Zach.7. tiam, & eripite ſpoliatum de manu iniuria afficientis illum: aduenam, viduam & pupillum potentia ne opprimatis, nihil impiè agatis, & ſanguinem innoxium ne profundatis.

Hæc dicit Dominus, iudicia iure exercete, iuſti- Iere.22. tia vtimini: beatus qui hæc agit, his adhærẽs, & manus ſuas abſtinens ab iniuria facienda.

Exquirite iudicia, liberate iniuria affectum, iu- Eſaiæ 1. dicium reddite pupillo, viduam abſoluitote, & venite & diſceptemus, inquit Dominus.

Hæc dicit dominus, iudicate mane, & recta ra- Iere.21. tione dirigite: eripite ſpoliatum & vexatum, de manu ipſum iniuria afficientis, ne ira mea tanquam ignis ſuccendatur, & exardeſcat, nec ſit poſſit extinguere.

Iniuſtitiam & calamitatem auferte, iudicium & Ezechiel. iuſtitiam exercete, eximite tyrannidem è populo meo, dicit Dominus Deus.

Perſonam potentis ne reſpicito, ad mortem vſ- Sirach.4. que pro veritate certato. Et dominus præliabitur pro te.

Aduerſus animã tuam perſonam ne reſpicito.

Iniurioſi perſonæ, ne aſſurgito.

Tum ſummis tum infimis ius dicito æqualiter.

Iniuria affectum de manu iniuria afficientis eximito, nec in iure dicundo paruo & anguſto ſis animo.

Priusquàm inquiſieris ne accuſes: primum cognoſcito, tum denique obiurgato.

Sine iudicio nihil quicquam feceris.

Nolite ex aſpectu & vultu iudicare, ſed iuſto iudicio iudicate.

Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt.

Iuſti animi index eſt integritas in iudicando.

Ad cognoſcendam veram iuſtitiam profectò Baſilii ho. magno opus eſt ingenio & mente abſolutiſſima. 12. in princip. Prouerb. Fieri enim non poteſt, vt qui non ſit in iure inſtitutus, controuerſias poſſit recte diiudicare. Qui autem veram ſcit iuſtitiam, ac per eã ſuum cuique tribuere doctus eſt, is optimè poteſt iudicia dirigere & adminiſtrare, Quemadmodum enim ſagittarius ad ſcopum dirigit tela, neque ſuperando, neque deficiendo, neque in vtramque partem conuertendo, fruſtra ſagittam emittit, ſed collimat, ſic iudex ius tractat, neque perſonas reſpiciens, neque quicquam faciẽs cuiuſquam hortatu & inuitatione, ſed rectas & minimè contortas proferens ſententias. Et duobus litigantibus ſtat in medio iudex illos inter ſe exæquans, & tantum detrahens ei qui plus habet, quantum inuenit ademptum ei cui iniuria facta ſit.

Non eſt æqui iudicis pares imparibus decernere ſatisfactiones, ſed authorem mali neceſſe eſt cum additamento perſoluere debita, ſi debeat illa pœna melior fieri, & reliquos ſuo exemplo reddere temperantiores.

Nolite committere vt veſtra eruditio ſit mortis Theologi. armatura, ſed iuſtitiæ.

Iudex, rei perſonam ſuſtine, & minus peccabis.

Sic

Sic fratrem tuum probato, vt si ipse eisdem ratio- A nibus in iudicium vocatus esses.

Qui supra modum iniqui & iniurioſi sunt, iudicũ lenitate fiunt asperiores ad non parẽdum & rebellandum: itaque iudex ignorare non debet se Dei iudicium administrare, se autem dominum nõ esse, vt sic iudicia gubernet, vt litigantibus & in iudiciũ vocatis pœnam condonet.

Absurdum, criminibus teneri eos qui aliis iura exæquant & administrant.

Cùm iudex reum accusat, tum tacere necesse est.

Optimus iudex fieri posse iudicatur, qui citò intelligit, & lentè iudicat. Alterum quidem est benevolentiæ, alterum autem diligentiæ exquisitæ. B

Inconsyderatè nihil oportet præcipitare in iudicio, sed prius deliberare: nec cogitatione festinandum vt aliquid plus quàm decet, dicas: sed lente & cunctanter appetitio accuratè exercenda est, nec ad gratiam immutanda est: nam inconstantem, temerarium & leuem esse, deterius est quàm consilio carere.

Non tam in literarum figuris, quã in negotiis rectum sequi debemus: prauum enim iudicium omnis mali causa est.

Nemo prudens à se alienum iudicet magistratu fungi: est enim impium sese abstrahere, ab iis qui commoda abs te requirunt, & parum generosum C improbis cedere: stultum est enim magis expetere male gubernari quàm bene gubernare.

Nil est quod magis eum qui præsit, deceat, quã vt neminem vel superbè contemnat, vel indecorè admiretur, sed ex æquo omnibus præsit.

Ad serm. 7. annot.

Basil. ad cognoscendam] *Hic locus qui antea sine nomine circũferebatur indicatus est à nobis ex hom. in princ. prouerb. ex qua in Græco Antonij lege* ϖδετροπαις *non* ϖδειτροπαῖς. *In iis verò quæ sequũtur* ϑ' τε ποιῶν κατὰ πρόκλισιν, *error est tam apud Antonium quàm apud ipsum Basilium, qui in causſa fuit vt interpretes verterint*, neq; prouocatione aget, *&*, hortatu aut imitatione. *Legendum censeo* ϑ' τε ποιῶν κατὰ ϖρόσκλισιν i. neque inclinatione animi, *vel in alteram partem propensione ceu si* ἑτερομέρειαν. *Exprimit enim locum D. Pauli* 1. *ad Timoth.* 5. μηδὲν ποιῶν κατὰ ϖρόσκλισιν, *vulgata editio vertit, nihil faciens in alteram partem declinando. Huc pertinet illud Alexandri factum, qui alteram reo aurem reseruabat.*

De iudicibus nummariis & munera accipientibus, & contra ius & fas condemnantibus.

Sermo 8.

Deut 27. EXecrandus quisquis reiecerit causam peregri- E ni, & pupilli & viduæ: ignis domos muneribus corruptorum exuret.

Iob 15. Iracundia in impios erit propter munerum impietatẽ, quæ inique acceperunt ad alterius iniuriã.

Psal. 14. Si vere tandem iustitiam loquimini, recte filij hominum iudicate. Etenim in corde iniquitates perficitis in terra, iniuriam manus vestræ connectunt.

Psal. 81. Quousque tandem inique iudicatis, & personas sceleratorum respicitis?

Salomonis Munera qui accipit, se ipse perdit: at qui odit munera, viuet.

Pecuniam quæ dolo datur, quasi testam existimare debemus.

Impij personam admirari, honestum non est: nec sanctum, declinare ius in iudicio.

Qui occultat manus suas in sinum, iniustus est, nec illas ori suo admouet.

Os impiorum deglutiet iudicia.

Qui iustum iudicat iniustum, & iniustum iustũ, impurus est apud dominum, & odio dignus.

Cur impietatem reticentes tulistis, & iniurias eius Osee. vindemiastis?

Quousque tandem domine clamabo, nec exau- Abacuc. dies? cur demonstrasti molestias & dolores, vt inspicias miserias & impietatem me circunstantes ex aduerso: iudicium factum est, & iudex recipit, atq; ob eam causam dissipata est lex, nec perducitur ad finem iudicium, quod impius iustum potentia opprimit: cuius rei causa prodit iudicium peruersum.

Aduersus me factum est iudicium, & iudex recipit, ob quam causam prodit iudicium peruersum.

Quum extenderitis manus, os meũ à vobis auer- Esaiæ 1. tam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.

Vę vobis qui iustificatis & absoluitis impium munerum causa, & ius iusto eripitis.

Pupillorum & viduæ causas non susceperunt, an non hæc visitabo, dicit dominus, aut in talem gentem non vindicabit anima mea?

Væ scribentibus malitiam, scribentes enim malitiam scribunt, à se reiicientes pauperum causam, rapiunt iudicia populi mei, vt vidua sit illis rapinæ, & pupillus prædæ: at quid in die visitationis faciẽt? afflictio enim ipsorum olim veniet: tum ad quem perfugient auxilij petendi causa?

Cur vos, inquit dominus, iniuriam facitis populo meo, & ora pauperum dedecore & ignominia afficitis?

Væ qui malum dicitis bonum, & bonum malum: Esaiæ 5. & ponitis lucem tenebras, & tenebras lucem, & amarum dulce, & dulce amarum.

Improborum consilium iniqua deliberat, vt humiles oratione iniqua perdat, & pauperum sermones in iudicio dissipet. D

Deiecisti superbum, & extulisti deiectum: pro in- Ezec. 23. iuria hoc ponam, dicit dominus.

Animæ populi mei peruersæ sunt, & animas † vi- † Id est, uificauerunt, & apud populum meum profanarũt absoluerunt. me pro hordei pugillo & frusto panis, ad eos interficiendos quos occidi non oportebat, & vt eos conseruarent in vita quos viuere non oportebat.

Xenia & munera excæcant oculos sapientum, & Sirach. 20. quasi frenum in ore reprehensiones auertunt.

Est qui perdat animam suam per turpitudinem, & respectus personarum perdit eam.

Si personam respicitis, peccatum admittitis: re- Iacob 2. prehendimini enim à lege tanquam violatores.

Quare, excusationem nõ habes ô homo quisquis Rom. 2. es qui iudicas: quo enim iudicio de altero iudicas, teipsum condemnas, eadem enim facis qui iudicas.

Iniquus iudex, contaminata conscientia. Basilij.

Qui veram iustitiam in animo prius defixam non habet, sed vel pecunia corrumpitur, vel amicitiæ gratificatur & placere studet, vel inimicitiam vlciscitur, vel potentiam suscipit aut timet, is rectè iu-

dicia exercere non potest.

Iudicia apud magistratus, ne victoriam quidem sine damno reportant.

Theologi. Viri boni non est, iniquitates silentio contegere.

Iniurioſi supra modum qui sunt, iudicum lenitate fiunt contumaciores ad non parendum & detrectandum imperium. Et iudicem scire oportet se Dei in iudicio ministrum esse, non vero Dominũ qui litigantibus leges & iura præscripta condonare possit.

Metus Dei, hominibus salutaris est, sed idem rarus: vnde mirandum non est si consideres tum pauperes calumniis oppressos, tum iudices † deceptos.

† Συλλογιζομένους.

* Cyrilli. * Maximæ est iniustitiæ paria imparibus tribuere.

De parentibus bonis, & quòd oporteat liberos diligenter ac decenter instituí.
Sermo 9.

Gene.18. NOn cælabo, inquit Dominus, Abraham famulum meum, quæ facturus sim: scio enim quod præcepturus sit filiis suis, ac familiæ suæ futurę post ipsum, vt obseruent vias domini, iustitiam & iudicium exercentes, vt adducat Deus super Abraham quæcunque locutus est ad illum.

Iob.1. Misit nuncios Iob ad liberos, & purgauit eos, manéque surgens, pro illis sacrificia obtulit numero paria liberis: itémque vitulum vnum pro peccato ac illorum animis: sic enim secum cogitabat, Liberi mei fortè mala cogitarunt mentibus suis aduersus Deum.

Corrige filium, & te diliget, afferétque ornamentum animæ tuæ.

Pater probus bene educat filios: animus autem eius, filio sapiente lætabitur.

Qui diligit, diligenter erudit.

Infantem castigare ne recusato: nam si virga eum cæcideris non morietur. Tu quidem virga eũ cædes, animam verò ipsius è morte liberabis.

Iuuenum gloriatio, patres eorum: plagæ & reprehensiones dant sapientiam.

Prou.19. Erudito filium tuum: sic enim bonæ spei futurus est.

Sirach.7. Si tibi sunt liberi, instituito illos, & iam inde ab adolescentia ipsorum colla inflectito.

Prou.13. Eccl.30. Qui diligit filium suum, continenter eũ flagellet.

Qui erudit & castigat filium suum, inimicum ad æmulationem prouocat, & apud amicos eo exultabit.

Ephes.6. Nolite patres, liberos vestros ira vestra prouocare, sed eos in eruditione & admonitione domini educate.

Liberos vestros, patres, ne irritetis, vt ne animã despondeant.

Basilij. Vt parentes singulis liberis ex æquo corporis essentiam impertiti sunt, sic eisdem æqualiter pariq; conditione quæ ad vitam degendam pertinent, iure optimo præbere debent.

Theologi. Patrum lex est liberis suis parcere.

Legitimum maxime & æquissimum est, vt liberorum bona, pater cogitatione consideret.

Chrysost. Liberorum modestiam & temperantiam patres non curantes, liberorum interfectores sunt, atque grauius peccant quàm illi, quanto scilicet animi A perditio & mors grauior est quàm corporis. 720

Quod Deus est mundo, hoc liberis parentes esse arbitror: nam vt ille quod nõ erat vt existeret, effecit: sic & hi imitantes quoad fieri potest illius potẽtiam, genus immortale reddunt. Philonis.

Cura vt filios tuos eruditos magis quàm opulentos relinquas: præstant enim eruditorum expectationes, quàm indoctorum diuitiæ. Epicteti.

Parentum obiurgatio suaue pharmacum est: plus enim habet vtilitatis, quàm acerbitatis.

Filia, aliena possessio patris est.

Liberis ne arrideas, vt in posterum ne fleas.

B Liberis honesta gloriatio, laudes paternæ. Solonis.

Patris & matris appellationes cõmunes, sed potentiæ differentes sunt. Illum igitur qui hanc vniuersitatem molitus est artificem, simul & patrẽ sui operis rectè iustéque appellamus: matrem autem, ipsius fabricatoris scientiam, cum qua congressus Deus, non more humano, generandi semina inseuit, quibus illa domini seminibus acceptis perfecta & fœcundissimo partu amabilem & sub sensus cadentem filium peperit. Synesij. Philonis.

De parentibus liberorum educationem neglectim curantibus. Sermo 10.

C

1.Reg.1. RE nunciaui ei me vlturum familiam eius vsque in sæculũ: quia filij eius maledicebant Deo, nec illos castigauit, iccirco iuraui familiæ Eli, quod nõ expietur iniquitas domus eius in suffumigatione & sacrificiis vsque in sæculum.

Qui parcit suis baculis, filium odit suum. Salomonis Eccl.41.

Patrem impium accusabunt liberi, quia propter ipsum probris afficientur.

Syrach.30. Equus indomitus ore fit duro, filius indulgenter tractatus fit temerarius & præceps. Educa filium tuum, & ipse territabit te: ne simul cum illo rideas, vt ne simul cum illo tristeris & ad extremum dentibus tuis infrendeas. Ne des ei in iuuentute licentiam, & ignorationes eius ne prætermittas. In iuuentute ceruicem eius flectito: & latera ipsius tundito, dum adhuc puer est, ne robustus factus nolit tibi parere, atque ex eo tunc animus dolorem capiat maximum. Filium tuum erudito ac perpolito, vt in turpitudine illius ne † proficias.

D

† Alius ὀφειλήσῃς, id est offendaris.

Abominandi sunt liberi improborum & sceleribus infantium.

Impiorum posteri non multiplicabunt ramos, & radices ex * acutissimo saxo impuræ. * ἀκροτάτου. Incerti authoris.

Crudelissima est in pullis educandis aquila, duos enim cum ediderit pullos, alterum alis impellens in terram deiectum allidit, alterum retentum tantummodo pro suo & legitimo habet, tædio nutricationis quem procreârit ipsa repudiãs & abdicãs. Tales sunt parẽtes qui paupertatis specie suos pueros infantes exponunt, qui & suis posteris in hæreditatis distributione iniquissimi sunt.

E

1.Reg.2. Sacerdos fuit Eli, ac filios suos impiè se gerentes reprehendit quidem, sed quia non satis vehementer obiurgauit, pater religiosus pœnam filiorum temeritatis & iniquitatis luit.

Diogenis. Ridiculum est, eum qui suis parcat, alienos castigare velle.

De

921

De liberis parentes honorantibus, & quæ bona consequantur qui illis obtemperârint,

Sermo 11.

Exod.20. Honora patrem & matrem tuam, vt tibi bene sit, & longo tempore in terra viuas.

Luc.19. Patrem suum quisque ac matrem metuat.

Fili caue violes à patre tibi impositas leges, & matris monita ne repellito, sed applicato semper animo tuo, & collo tuo alligato, gratiarum enim coronam in verticem capitis recipies, & monile aureũ in collum tuum.

Audi fili patrem qui te procreauit, nec matrem senem contemnito.

Philo. Filius gloriæ erit patri. Quod si pater sum ego, vbi gloria mea?

Qui patrem suum honore afficit, delet peccata & Deum placat.

Hieron. Qualis est qui thesauros recondit, talis est qui matrem suam gloria afficit: qui patrem honorat, à filiis lætitia afficietur, & orationis suæ tẽpore voti fiet compos. Qui patrem gloria affecerit, lõgæuus erit: & qui audit dominum, matrem suam recreabit & tanquam dominis seruiet iis qui se procrearint: verbo & opera patrem colito, vt ab illo tibi benedictio accidat. Patris benedictio domos liberorum firmat: at matris execratio radicitus fundamẽta euertit.

Ibidem. Fili succurrito patri senescenti, & si amiserit intelligentiam, veniam mereatur: nec vlla ignominia affici ipsum patiare pro omnibus viribus tuis. Patris enim misericordia non veniet in obliuionem: & vt serenitas glaciem liquefacit, sic peccata tua dissoluentur.

Ex toto animo tuo, vt honori & gloriæ sis patri curato, nec matris tuæ dolorum obliuiscitor. Recordare te ab illis esse procreatum: & quid illis redederes, quale ipsi dederunt tibi?

Euangelij. Honore afficito patrem & matrem tuam, & tanquam teipsum, proximum diligito.

Epist. Liberi parentibus vestris obedite in rebus omnibus, siquidẽ hoc domino pergratum & acceptũ est.

Basilij. lib. 2. de Nenem Ciconiarum erga parentes senes beneuolentia, satis potest liberos nostros, si modo attendere velint, patris amantes efficere: nemo est enim adeo prudẽtia destitutus, qui non pudendum esse iudicet ab auibus rationis expertibus virtute superari: illæ enim patrem præ senectute pennas dimittentem, in orbem circunstant, ac pennis suis fouent, alimenta copiosè suppeditantes, quantum etiam possunt volatum eius adiuuant, placidè pennis suis vtrinque alleuantes. Atque sic beneficiorum remunerationem ἀντιπελάργωσιν nominant, quasi dicas recicoiationem.

Grati liberi magna faciunt patrum encomia.

Timoth. Quod honestum est exerceto, quia honestum est patri parere: etiamsi nihil aliud tibi accessurum esset, hoc ipsum merces est patri gratificari.

Chrysa. Quia eadem mensura, vt ait Dominus, in quaq; re gerenda nobis redditur, parentes tãquam dominos honorare discamus, vt & à nostris ipsorum honore afficiamur liberis, & à domino in hac re definitam mercedem amplam recipiamus.

Tanquam verna genitoribus tuis seruito: quid enim illis tale reddas, quale ab illis accepisti? quia

922

A vicissim generare illos non licet.

Aequum est vt filius, patris sit seruus magis quàm verna: ille enim natura patris est seruus, hic lege. Aristotelis

Talem te præsta parentibus, quales optas tibi morigeros fore liberos. Isocratis.

Alexander rex cum interrogaretur, Vtrum magis desideraret patrem Philippum, an Aristotelem? Magistrum, inquit: ille enim vt essem, hic autem vt præclarè institutus essem author fuit.

Idem cum mater Olympias ei aliquid grauius imperaret: Acerba ô mater, inquit, pro nouem mensium onere mercedem exigis.

Qualia in parentes contuleris beneficia, talia in B senectute à liberis expecta. Meles.

Viuens parentes qui colit,
Futurus est gratus Deo viuus, simulq; mortuus: Euripidis.
Nec præmium vllum est liberis honestius,
Quàm si probo nascantur & honesto patre,
Dignísque parentes afficiant honoribus.

Solonis. Solon interrogatus, cur nullas pœnas aduersus eos qui patres verberassent constituisset: Quod nullos, inquit, tales extituros existimabam.

Philonis. Parentibus par gratia reddi nullo modo potest: nam vicissim eos generare omnino non licet.

De patricidis & matricidis, & quæ eos secutura sint mala.

Sermo 12.

Exod.21. QVi patrem suum verberat, morte mulctetur.

Leuit.20. Qui patri aut matri maledicit, mortis supplicio afficiatur.

Deut.27. Execrandus quisquis patrem aut matrem ignominia afficit: cúnctus autem populus, fiat, inquiet, fiat.

Filius rebellis miserè peribit.

Prouerb.6. Qui patrem suum dedecorat, & matrem suam repellit, ignominiosus & probrosus erit.

Lumen extinguetur eius qui in patrem & matrẽ maledicta congesserit, & oculorum eius pupillæ tenebras aspicient.

Qui patrem aut matrem reiicit, & putat se non D peccare, is est viri impij socius.

Filio inerudito & non castigato pater non lætabitur: at prudens filius lætitia afficiet matrem.

Filius insipiens author est vt semper irascatur pater, & genitrix dolore afficiatur.

Sirach.3. Qui patrem suum deserit, similis est summi Dei conuitiatori: & qui matrem ad iram prouocat, domino execrandus est.

Philonis. In patris ignominia non est gloriãdum: sua enim cuique gloria ex patris honore est.

Liberi parentũ rationem non habentes, in vtrãque partem, tum Deo tum hominibus sunt odiosi.

De filio Sapiente, *Sermo* 13.

E FIlius sapiens patrem afficit lætitia. Prou.15.

Ibidem. Filius prudens afficit lætitia matrem.

Lætetur de te pater & mater, & quæ te peperit gaudeat.

Viri sapientiam amantis lætabitur pater.

Si sapiens fueris fili, tibi-ipsi eris sapiẽs, & aliis: sin autem malus & indoctus, solus feres mala.

Propter filium sapientem, animus paternus lætitia afficitur.

Iuuenis probus, pauper & sapiens, antecellit regẽ seniorem & insipientem.

Filius vnus probus, præstat mille impiis.

Sirach. 15. Liberi in vita honeſte verſantes, ſuorum genitorum ignobilitatem tegent.

Theologi. Vnus eſt liberorum fœlicitatis terminus: nempe virtus, etſi in rebus laudandis parentum ſimilitudinem referant.

Philonis. Liberorum virtus, patri gloriæ eſt.

† εὐπαιδίας. Satis † bene fœcundi ſunt, qui bonitatis & probitatis ſunt periti.

De filio inſipiente, improbo & inerudito,

Sermo 14.

Prouerb. FIlio inerudito non lætabitur pater.

Filius inſipiens patrem deridet ſuum.

Inſipiens filius patrem ad iram commouet, & genitricem dolore afficit.

Mali liberi patrem execrantur, & matri non benedicunt.

Mali liberi elatis ſunt oculis, & palpebras ſemper motitant.

Syrach. 22. Dedecori eſt patri proles inerudita.

Vitioſorum liberorum hæreditas peribit, & in poſteritate eorum continuabitur probrum.

Liberorum inutilium multitudinem ne concupiſcas, nec liberis impiis lætandum tibi eſt. Præſtat̃ ſine liberis è vita decedere, quàm impios habere liberos.

Liberi inſipientia & imperitia gloriantes, cognationis ſuæ contaminant nobilitatem.

De filia honeſta & modeſta.

Sermo 15.

Leuit. 19. FIliam tuã ne profanato, nec ſcortari ſinito, nec patieris eſſe ſcortatricem in terra, ne compleatur iniquitate.

Sirach. 26. Si tibi ſunt filiæ, corpora ipſarum ſeruato, nec hilarem vultum tuum illis oſtendito. Eloca filiam, & rem magnam perfeceris: atque viro ſagaci in matrimonium dato.

42. Filia, patris occulta eſt vigilia, & ſolicitudo de ipſa eripit ſomnum patri, ac in iuuentute quidem, ne defloreſcat forma: & cum nupta eſt, ne fiat odioſa, in virginitate, ne vitietur, & in ædibus paternis prægnans fiat: & elocata viro, ne leges matrimonij violet.

22. Prudens filia, viro eſt vice hæreditatis.

Puella pudica etiam virum reuerebitur.

1. Tim. 5. Volo igitur iuniores nubere, liberos procreare, rem familiarem adminiſtrare, nullam aduerſario conuitiandi occaſionem præbere.

Epicteti. Solonis. Filia, patri aliena poſſeſſio eſt.

Generum bonum nactus, filium inuenit: nactus autem malum generum, filiam etiam perdidit.

De filia minimè honeſta & immodeſta,

Sermo 16.

Sirach. 42. FIliæ inquietæ pone cuſtodem, ne gaudio afficias inimicos tuos.

22. Filia (*aliàs additur fatua*) minoris vęnit æſtimãda.

Ibidem. Audax & impudens, patrem & virum dedecorat, & ab vtroque vituperabitur.

Leuit. 19. Filia verecunda infamiam delebit.

De ſenibus virtute & prudentia ornatis.

Sermo 17.

Deutero. CAnõ aſſurgendum eſt, & ſeniori honor habendus eſt.

Interroga patrem tuum, & annunciabit: ſeniores tuos, & dicent tibi. 3. Reg. 2.

Locuti ſunt ad Roboam ſeniores in hunc modũ: Si hodierno die fueris ſeruus populi huius, eíque ſeruieris, & bonis humanitatis plenis verbis loquutus fueris, illi futuri ſunt in perpetuũ ſerui tui. Sed Roboam conſilium ſeniorum non eſt ſecutus. 2. Par. 10.

Tuta eſt ſeniorum doctrina, & conſilium longo vitæ & rerum vſu adiutum & firmatum. Scholion.

In diuturnitate temporis ſapientia, at in longa vita ſcientia eſt. Iob 12.

Gloriationis corona, ſenectus quæ in viis iuſtitiæ reperitur. Prou. 16.

Gloria ſenum, cani ſunt.

Corona ſenum, liberi liberorum.

Canicies eſt prudentia hominibus: & ſenilis ætas, vita nulla labe contaminata. Sapien. 4. Hyppobitis.

Leonis ſenectus præſtantior eſt hinnulorum iuuenta. Sirach.

Multitudini ſenum acquieſce, ac ei qui ſapiens eſt agglutinare.

Ne repudiato narrationes maiorum natu: nam illi à patribus ſuis didicerunt.

Noli contemnere quenquã in ſenectute: etenim ex vobis etiam ſunt qui futuri ſint ſenes.

Corona ſenum multus rerum vſus, & gloriatio ipſorum Dei metus.

Quàm decorum eſt caniciei iudicium, & maioribus natu noſſe conſilia? Quàm pulchra eſt ſenum ſapientia? & euectos quàm decet conſiliorum intelligentia?

Odi vehementer ſenem adulterum intelligentiã carentem.

Quum iuuenis eſſes, cingebas te-ipſe: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, alius te cinget. Ioan. 21.

Quicquid vetuſtate excellit, venerabile eſt. Baſilij. ho. 1. de ieiu.

Senilis animi habitus & matura prudentia, reuera præſtantior vel capillorum canicie, quæ in omnibus ætate prouectis reperitur.

Nihil intereſt inter ætate puerum, & eum qui mẽte pueros imitatur.

Melior eſt canicies cum prudentia coniuncta, quàm iuuentus inerudita. Theologi.

Magnum vſum rerum & experientiam tempore collegimus, ex qua naſcitur ſapientia. ora. 11. in pla. grand.

Non decent ſenes puerilia ludicra.

Canicies, non capilli albi, ſed animi virtus. Chryſoſtomi, & Sap. 4.

Neque iuuenem criminare, neque ſenem lauda: neque enim in ætatis, ſed in animi differentia virtus & vitium conſiſtit.

Non ætatum differentiam nouit vniuerſitatis Deus: ſed pietatem ſolam, & rerum diuinarum ſtudium à nobis requirit: quod ſi hæc in iuuene repererit, multis hunc anteponit ſenibus.

Senectus & paupertas, duo ſunt curatu difficilia. Philonis.

Verè ſenex non ex temporis longinquitate, ſed ex laudabili & perfecta vita ſpectatur.

Iuuenili vitæ quæ in rerum actione verſatur, ſenilis ſuccedit præſtantiſſima & ſacratiſſima, eáque in rerum contemplatione cernitur: cui quaſi gubernatori à ſe miſſo Deus gubernacula in manus tradidit, tanquam idoneo q̃i poſſit terrena gubernacula tenere: nam ſine contemplatione & ſcientia nihil in rebus agendis honeſtum eſt.

Tum

925

Tum floreſcit animus ad ſcientiam percipiendã, A cum robur corporis diuturnitate temporis marceſcit.

Capillus albus factus animam hinc abituram teſtatur & clamat.

Neque cuiuis ſeni fidẽdum eſt, neque quiuis omnino iuuenis repudiandus. Fieri enim poteſt, vt opinor, vt & iuuentus temperans ſit, & ſenectus ſæpe officium negligat.

Hyems tegumentum, ſenectus doloris vacuitatem requirit.

Solon, ſenectutem portum malorum eſſe dicebat, quod ad eam omnia confugiant.

Qui ſibi voluptatem reprimit, ſapiens: qui repreſſione non indiget, beatus eſt: ſenectus ad vtrumq; B
(*Deſunt quædam.*)

De ſenibus inhoneſtis & imprudentibus, Sermo 18.

SEnem adulterum intellectu carentem, ex animo odi.

Fratres, ne ſitis puerili mẽte, ſed vitiis pueros imitamini, at mente abſoluta eſtote.

Tardi fuiſtis ad audiendum. Etenim qui propter diuturnitatem tẽporis debuiſtis eſſe magiſtri, rurſus doctore egetis, qui vos doceat quæ ſint diuinorum oraculorum principia & elementa, talésque eſtis qui lacte egeatis, non etiam ſolido cibo: quiſquis autem lacte vtitur iuſtitiæ, †rationis imperitus eſt, quòd puer ſit. Solidus vero cibus eſt, perfectorum qui per habitum ſenſus habent exercitatos ad diſcernendum mala à bonis.

Nihil intereſt inter ætatem puerilem, & mentem pueros imitantem.

Noui quoſdam qui cum in iuuentute in carnis vitia prolapſi eſſent, in eis propter conſuetudinem ad canos vſque perſeuerarunt.

Turpe eſt ætatis vigorem deferbuiſſe, libidinem autem non deferbuiſſe. D

Diſcit aliquid etiam canicies, nec cuiuſuis ſenectus prudentiæ ſatis nacta eſſe videri debet.

Ergo cum ſenex iiſdem quibus iuuentus morbis laborat, maximum vitium eſt, ac ne de iuuentute quidem excuſationem habet: neque enim illa poteſt dicere, Peccata iuuentutis meæ & ignorationes meas ne memineris. Vide igitur ne propter ſenilia facta iuuenilium peccatorum venia te priues. Quinimmo tum æui in vita corporis contriuerint ſina vlla virtute & probitate, eos lõgi temporis pueros appellare licet, vt qui nullis diſciplinis eruditi ſint, ſenectute dignis.

Quouſque tãdem nos ſenes adhuc pueri erimus, E corporibus quidem propter temporis longinquitatem veteres, animis autem propter ignorationẽ & hebetudinem admodum pueri.

Senex ſtultus, quemadmodum lacerna vetuſta, nulli rei eſt aptus.

Diogenes anum comptam cõſpicatus: Si, inquit, ad viuos, falſa es: ſin ad mortuos, ne cunctare.

Reperiuntur aliquando iuuenes ſagaces, & ſenes hebetes: tempus enim prudentiam non docet, ſed natura & recta inſtitutio.

926

De iuuenibus eruditione & prudentia ornatis, Sermo 19.

IEſus Naue filius, iuuenis cum eſſet, non egrediebatur de teſtimonij tabernaculo. Num. 27.

Etſi vobis ſum iunior, non tamen hebetior. Eccl. 46.

Iunior ſum tempore, vos autem ſeniores, itaque me continui, veritus vobis explicare quæ ſciebam. Illud autem cogitabam, tempus non loqui ſolere, atque non in multis annis ſciri ſapientiam, ſed eſſe ſpiritum in mortalibus, aſpirationémque omnipotentis eſſe quæ me doceat: neque enim longæui qui ſunt, iidem ſapientes ſunt, nec ſenes diiudicãdi qui rationem norunt. Iob.

Qua in re adoleſcentiores vitæ inſtitutum emẽdabunt? ſi tuis ſermonibus parebunt. Dauid.

Adoleſcentium ornatus, ſapientia eſt. Salom.

Dum iuuenis es, lætare, & animo tuo obſequere, inſtituta cordis tui ſine cuiuſquam reprehenſione, ac quæ viderint oculi tui, ſequere. Sed illud ſcito fore, vt poſthæc omnia, Deus te in iudicium vocet ſuum. Eccl. 11.

Dixerunt ſeniores Danieli, dicentes: Age, conſide in medio noſtrũm, ac declara nobis quantam tibi ſenilem prudentiam largitus ſit Deus. Dani. 13.

Fili in ætate iuuenili collige eruditionem, & quaſi arans & ſerens ad eam accede, illiúsque optimos fructus expectato. C Sirach. 6.

Fili florem ætatis tuæ tutum conſeruato. Ignatij, ex epiſtola ad Magneſianos.

Samuel cum adhuc paruus puer eſſet, videns eſt vocatus, ac in prophetarum numerum cooptatus. Daniel adhuc iuuenis conſenes quoſdam iudicio damnauit, eósque non ſeniores, ſed perditè libidinoſos eſſe demonſtrauit. Hieremias cum iuuẽtutis cauſa eam quam Deus ei tradebat prophetãdi prouinciam recuſaret, à Deo illa audit: Te iuniorẽ eſſe ne dicito, ad quoſcunque enim te miſero, proficiſcêris. Salomon autem ille ſapiens cum duodecim haberet annos, magnam quæſtionem de ignoratione mulierum non agnoſcentium ſuos liberos diiudicauit. Dauid Propheta ſimul & rex, adoleſcẽtulus adhuc à Samuele ad futurum regnum vngitur.

Iuniores ſubiecti eſtote ſenioribus.

Non enim ætate iuuenis, ſed qui animo imperfecto eſt, iunior dicitur. Baſil. in ca. 3.

Si quis iuuenis eſt, aduerſus cupiditates & perturbationes fortis ſit, tantúmque ex ipſa iuuentute capiat vtilitatis, vt iuniorum perturbationibus non ſeruiat, ſed ſenilem prudentiam in vigenti corpore exerceat, & id erit gratia dignum maiore, quàm ſi Olympiis viciſſet corona accepta. Eſaiæ.

Optimum eſt iuuenem vel ante tempus temperãtem eſſe. Theologi. E

Iuuenis es? ſta contra motus animi perturbatos cum baptiſmatis auxilio, in Dei aciem fac annumereris. Contra Goliath gere te fortiter, aſſume mille aut decem milia, ad hunc modum fructum percipito iuuentæ.

Plutarchus iuuenes hortabatur, vt hæc tria habere curarent: in animo temperantiam, in lingua ſilẽtium, in ore autem pudorem. Plutarchi.

AD SERM. 19. ANNOT.

Ignat. Salomon autem] *Mirum ſanè quod hîc narrat interpretatio hæc, mulieres illas non agnouiſſe liberos ſuos.*

Imo vt constat ex 3.c. l.3. Reg. vtraque agnoscebat, sed non agnoscebatur mater vini. Græca Antonij σολομῶν δὲ ὁ σοφος δυὶ καὶ δεκὰ τυγχάνων ἐτῶν σωνῆκε τὸ μεγα τῆς ἀγνωσιας τῶν γυναικῶν ὅτι τοῖς τεκνοις ζήτημα. *Dissimulandum non est aliter se habere hunc locum apud Ignatium, sic, vt videatur sæpe Antonius ex memoria exscripsisse sententias istas potius, quàm ex libro: aut ex alia hæc sunt epistola* σολομων δε καὶ ιωσιας ὁμοῦ δωδεκα ετῆς βασιλεύσας τῶ φοβερὰν ἐκείνω καὶ δυσέρμηνευτον ὅτι ταῖς γυναιξὶ κρίσιν ἕνεκα τῶν παιδίων ἐποιήσατο. *Salomon, qui duodecim annos natus regnauit, terribile illud iudicium & ad inuestigandum difficile de mulieribus infantium causa contendentibus diremit. Theol.* Si quis iuuenis. & id erit gratia. *G.* καὶ χάεις ἑσται τῆ νίκη πλέον. *Legendum tamen* καὶ χαιρήσει τῆ νίκη πλέον, ἢ ὁι ἐν ὀλυμπια *maioremque ex hac victoria voluptatis sensum capiet, quàm qui in Olympiis, &c. Sic apud Greg. orat. 28. cùm rure rediisset. Billius.*

De iuuenibus in imprudentia & ignoratione vitam degentibus, Sermo 20.

3.Reg.12. DEliberauit Roboam cum adolescētulis æqualibus suis, qui circunstabant illum : Quid, inquit, mihi consulitis, vt respondeam huic populo, & illis qui hac oratione apud me vtuntur. Iugum quod pater tuus nobis imposuit, leuius facito. Illi respondent: His verbis populo respondebis: Paruitas mea lumbo patris mei crassior est: Et nunc pater meus graui iugo vobis imperauit, Ego grauius imponam vobis: Pater meus flagellis vos castigauit, Ego vos scorpionibus castigabo.

Scholion. Audaci atque superbo consilio iuuenum dū pareret Roboam, subiectos ad deficiendum & rebellādum præparauit.

Prou.22. Stultitia appensa est cordi iuuenum, virga autem & castigatio sunt procul ab eis.

Eccles.1. Iuuentus & iniquitas, nihil aliud sunt quàm vanitas.

Basilij. Iuuentutis naturale vitium hoc est, vt propter leuitatem consilij ea se habere iam arbitrentur quæ spe concupierunt: cum enim quiescunt aut noctu soli sunt, fingunt sibi visa quæ nusquam sunt, facilitate ingenij per omnia cogitationē circunferentes, splendidas sibi vitæ conditiones proponunt, magnificas nuptias, liberorū fœlicem procreationem, senectutem lōgam, ac honores sibi ab omnibus deferendos: deinde cùm nusquam cogitatione consistere possint, inflātur, ac præ stultitia speratis se frui putant tanquam præsentibus & ante pedes positis.

In cap 3. Esaiæ. Iuuentus est leuis & ad improbitatē procliuis: cupiditas effrenata, beluarum ira, temeritas, iniuria, superbia, & inflationes, magnique spiritus, congenita & coalita mala iuuētutis hæc sunt: inuidiæ aduersus rem excellentē, suspiciones de familiaribus. Denique malorum tanquā examen iuuentuti connexū & copulatum est, quorum omnium fructum necesse est in subiectos redundare, propterea quod magistratuum vitia subiectis importēt calamitatē.

Iuuentute nihil mobilius, & facilè vana spe effertur: quòd si potestatem summam adipiscatur, tum leuitas maior fit, tum in maiorem stultitiam & ruinam ferè progreditur.

Mobilissima iuuentus, & ad vitia propensa, diuersis enim perturbationum fluctibus agitatur. Eget igitur ductore, qui ad portum rectà deducat.

Quid insipientius corpore bene constituto ac deliciis affluente? aut iuuentute errante & nullis certis sedibus consistente? Theolog.

Iuuentus temporis est æstus.

Ira & cupiditatibus facilius iuuenes ducuntur & vincuntur: quare maiorem quādam custodiam requirunt, ac frenum durius. (*In Græco additur,* ἀσφαλεστέρᾳ ἰᾶ ἵυχίου καὶ τοῦ κωλυματος. Chrysost.

Forte vngis obice & repagulis firmioribus.

Cani tum demum venerabiles existunt, cum quæ canis digna sunt, faciunt: cum autē iuueniliter se gerunt senes, maiore risu quàm iuuenes digni erūt.

In omni ferè negotio periculosa sunt adolescentum consilia, nec facile reperias qui aliquid rectè gesserint rerum magnarum, quibus cani non fuerint ad considerationis communionem adhibiti. Greg. Nyss. seni.

Iuuenis summam potestatem adeptus, cupiditatibus vtens effrenatis, malum est inexpugnabile. Philonis.

Iuuenis laborem recusans, in senectute miser, & calamitosus est.

De bonis & benignis dominis, Sermo 21.

SI peruerti iudicium serui aut seruæ, cum apud me litigarent. An non vt ego in vtero sui, sic illi fuerunt? Fuimus autem in eodem vtero. Sin autē sæpe etiam dixerunt ancillæ meæ: Quis det nobis vt carnibus eius expleamur? cum illis valde essem commodus & clemens. Iob. 31.

Vir bonus iumentorum suorum vitā miseratur. Salomonis

Ne curiosè quæras omnia quæ ab illis dicuntur: ne seruum tuum audias tibi male precantem.

Si est tibi verna, tāquam alter ipse sit: quia sanguine comparasti eum. Si tibi verna erit, eum diligito: Si est tibi vtilis & frugi, vtere eo tanquam fratre: quia anima tua illius opera egebit. Syrach. 33

Eadem domini illis facitote positis minis, quod intelligatis dominum vestrum & illorum in cœlo esse.

Iustos & æquabiles præbete vos domini seruis vestris, non ignorantes vos etiam dominum habere in cœlo. Coloss.3. Ephes.6.

Cunctis benignus sis quidem, quantum potes:
Verùm propinquis amplius. Theologi. Tetrast. Philonis.

Seruis male institutis & insipiētibus, vtilis est dominus formidolosus: nam illius indignationes dū metuunt, vel inuiti metu corriguntur.

~~Quidiscum domini, opinione amicos habeto, sed non nominato.~~

~~Nullus seruo dominus est ex iis qui pecuniosi sunt, sed imperium seruit in manu seruorum: plures habuerit, felicior est: felicissimus qui & dominus quigenerosissimus est.~~

De improbis Dominis, Sermo 22.

SI quis percusserit oculum serui sui aut seruæ, atq; etiam excæcauerit, pro oculo eos manumittet: sin autem dētem excusserit vel seruo vel seruæ, pro dentibus eos libertate donabit. Exod.21.

Si quis seruum aut seruam suam virga percusserit, & sub manib⁹ illius moriatur, mulcta mulctabitur. Quod si superuixerit vnum aut duos dies, nō mulctabitur, pecunia enim illius est.

Qui non diligenter obit domum suam, pro hæreditate ventos possidebit. Salom.11.

Ne sis

Ne sis vt leo in familia tua, nec morosus in seruos tuos, & subiectos tibi ne deprimito. Ecclesiast. 4.

Si male seruum tuum tractâris, isq; te relicto aufugerit, qua via quæres illum?

Improbos pater in seruitutem redegit, seruósque effecit, ac seruum tibi reliquit: dona eum libertate, & illi leuiorem feceris pœnam, & tibi veram paraueris libertatem. Basilius.

De frugi seruis, Sermo. 23.

IRam viri, seruus prudens mitigat. Ioannes. 1.

Seruus intelligentia præditus dominis insipientibus dominabitur.

Serui sapientis prosperæ erunt actiones, & instituta eius recta.

Sapiens, iucundus domino seruus.

Serui sapientes, dominis suis mutuabuntur.

Dulcis somnus serui est, siue parum, siue multum cibi sumpserit.

Seruum syncerè opus faciẽtem ne male tractato. Ecclesiast. 33.

Prudentem seruum ex animo diligito, nec eum libertate fraudato.

Sagaci seruo liberi ministrabunt.

Serui dominos vestri corporis diligite, metuẽtes dominũ & trementes cum cordis vestri simplicitate, non quidem, vt qui tantũ seruiunt oculis domini, vt hominibus placeatis: sed vt Christi serui ex voluntate dei vitam degatis, non inuiti cũ beneuolentia domino, & non hominibus seruientes: intelligitis enim quod quisque boni fecerit, id à domino eum reportaturum. Ephes. 6.

Serui obedite dominis vestri corporis, non illis ad oculum seruientes, quasi qui hominibus velitis placere, sed simplici corde dominum metuentes: & quidquid feceritis, id ex animo faciendum suscipite, tanquam domino & non hominibus: illud non ignorantes fore, vt à domino recipiatis remunerationem hæreditatis vestræ. 1 Pet. 2. Coloss. 3.

Serui subiecti estote omni metus genere dominis vestris, non solum bonis & clementibus, sed etiam importunis: hoc enim gratũ est domino, si qui bona conscientia molestias & dolores patiatur immerito: quid enim habet ea res glorię, si propter peccata colaphis cæsi patimini? Sed si honeste & sancte viuentes patimini & suffertis, hoc demum Deo est gratum.

Serui non debent rogare vt vulgari more manumittantur, sed in Dei gloriam magis seruire, vt melioremà domino consequantur libertatem. Ignatij. ex Epist. 12. ad Polycarpũ.

Serui quid autem? maximè qui sunt pij? Theologi. anno. 33.
Dominis amicè seruiant illi suis.
Seruos herósque vita sola facit.
Seruiuit, at nos Christus exemit iugo.

Iucundum est auribus seruorum, si quid admirabile de dominis narretur. Chrysost.

Maximum est serui encomium, nihil eorum quæ præscripserit ei dominus contemnere, sed impigrè & industriè supra vires diligenter omnia curare, vt bono consilio absoluat, & recte administret. Philonis.

De seruis improbis, Sermo 24.

CVm vidisset Agar se prægnantẽ esse, probris affecit dominam suã, ac præ se contempsit. Sara autem apud Abraamũ queritur sic: Iniuria afficior abs te cum hãc puellam in sinũ tuum collocârim, at postquã se prægnãtem esse vidi, probrosa illi visa Genes. 16.

sum: iudicet deus inter me & te. Abraam⁹ autẽ, Ancilla, inquit, sub tua manu est, tracta eã vt tibi videbitur. Sara male cœpit tractare, ita vt aufugerit à conspectu eius.

Seruus durus & pertinax, verbis non erudietur: nam etsi intelliget, non tamen obediet. Prou. 29.

Non conueniunt insipienti deliciæ: etsi seruus magistratu fungatur, iniuriosè potestate vtetur.

Flagellũ equo, stimulus asino, virga seruo insipiẽti. Prou. 26.

Pabula, virga, & onera asinum decent, seruum autem panis, castigatio, & opus. Syrach. 33.

Cura vt seruus opus faciat, & requietẽ inuenies: si remiseris manum illi, quæret libertatem.

Seruo improbo tundens latus ad sanguinem vsque, ne veretor.

Iugum & lorum ceruicem inflectent: seruum autem malignum tormenta & quæstiones: Ad opus faciẽdum compellito, ne fiat desidiosus & ignauus: multa enim vitia docuit otiũ. In ea ergo opera applicato eum, quæ illi conueniunt: quòd si non pareat, grauiores iniice illi compedes.

Herum fauentem colere, serui est improbi,
Et verberantem subito opinari malum.

Illud est proprium malorum seruorum, vt heros suos reiiciant, & dominis resistant, & liberos, secũ seruos reddant. Theologi.

Nemo tam insanit, quàm qui seruus cum sit, domino aduersatur. Philonis.

Natura enim serui dominorum sunt inimici. Hermog.

AD. SERM. 24 ANNOT.

Theol. Illud est proprium.] *Locus est ex orat. 44. in sanctam Pentecosten. vbi postremum illud ita Græcè habetur.* καὶ τὸ ὁμόδουλον ἑαυτοῖς ποιεῖσθαι τὸ ἐλεύθερον, *& id quod liberum est, in eandem secum seruitutis classem redigant. Inuehitur Gregorius in eos qui Spiritum sanctum in rerum creatarum ordinem redigebant.*

De probis creditoribus siue mutuantibus. Sermo. 25.

SI pecuniam mutuaueris fratri tuo pauperi, qui apud te versatur, eum neque vrgebis, neque vsuram ab eo exiges. Exod. 22.

Tecum viuet frater tuus, nec ei dabis pecuniam tuam ad vsuram, nec vt plus recipias dabis ei de alimentis tuis. Leuit. 25.

Mutuum dato proximo tuo, quantum ei opus est, nec grauate aut cum animi mœrore dabis: nam ob istam causam fortunabit tibi deus omnia opera tua. Deut. 23.

Non fœneraberis fratri tuo cibaria, aut aliud quicquam, quod fratri tuo mutuaueris.

Syngraphamquam habebam contra quempiam humeris circundatam tanquam coronam legebã, & eam à me fractam reddidi, nihil autem à debitore meo accepi. Iob. 31.

Argentum non dedit fœnori, & munera contra innocentes non accepit: qui hæc exercet, non conquassabitur vllo tempore. Psal. 14.

Vir bonus est is qui miseretur & commodat, adhibet iudicium sermonibus suis.

Iustus miseretur & commodat.

Creditorem simul & debitorẽ inspicit Dominus. Salomonis

Qui debitoris pignus reddiderit, & argentum suum fœnori non dederit, nihilq; vltra sortem receperit, is vir bonus est, ait dominus, & quàm diutissime viuet. Ezech. 7. 18.

Sirach. 29. Qui misericordiam impertit, proximo mutuum dabit: & qui manu sua corroborat, præcepta seruat.

Lucæ 6. Petenti abs te, dato: & ab eo qui vult abs te mutuum sumere, ne auertaris.

Si mutuum datis à quibus speratis vos recepturos, quæ vobis gratia est? etenim scelerosi mutuum dant scelerosis, vt paria eis referãtur: imò vero diligite inimicos vestros, ac bene facite, mutuũque date nihil inde sperantes, & erit merces vestra in cœlis copiosa.

Basil. j. hom. 2. in Psal. 14. Neque volentem abs te mutuum sumere repellito, nec argentum tuum des fœnori, vt ex veteri & nouo testamento quæ vtilia sunt, discas, bonáque spe accedas ad deum, vbi vsuras bonorum operum recepturus es.

Si vis Christum continenter amicum & fauentem retinere, multarum rerum efficito illum debitorem: neque enim tam gaudet fœnerator debitoribus: & quibus nihil debet, eos refugit: quibus autem debet, ad hos accurrit.

De *auaris & improbis creditoribus, Sermo* 26.

CAuendum tibi est, ne quid occulte impium in animo volutes ista ratione, qua dicas † septimum annum appropinquare condonationis, atque ob eam causam sis iniquior fratri tuo egenti, nec des ei quicquam: ille clamabit ad dominum, peccatum autem tuum magnum erit.

Deuter. † Id est, nouarum tabularũ, siue iubileum.

Diuitiæ iniuria coaceruatæ euomentur.

Iob. 20. Qui amplificat res suas vsuris & præter sortem

Salom. 28. accessionibus, is impertienti misericordiam pauperibus, eas coaceruat.

Diuitiæ per iniuriam comparatæ minuentur.

Si quid largitus sit insipiens, non proderit ei qui

Oseæ. acceperit, oculi enim ipsius erunt pro vno, vt multa accipiat: pauca dabit, & multa exprobrabit: & sic aperiet os suum quemadmodum præco solet, hodie mutuum dabit, & cras reposcet: istiusmodi qui est, tum deo tum hominibus odiosus est.

Egressus autem seruus ille inuenit vnum ex conMatth. 18. seruis suis, qui centum denarios debebat, apprehẽsumque eum vrgebat, ac dicebat: Redde quod debes, & quæ deinceps.

Si debitorem deprehenderis supplicem, totam

Theologi. syngraphan iniquam discerpito: recordare decem milia talentorum, quæ tibi Christus condonauit, nec sis acerbus exactor debiti minoris.

Extremæ profecto inhumanitatis est, subsidia

Basilij. vitæ quærere ab eo cui necessaria desint, illi vero sortem non satis esse, sed ex calamitatibus pauperis reditus & copias sibi parare cogitare.

† Fœnus vt opinor, à multiplici fœtu mali nominatum est, nec aliunde: vel fortasse dicitur fœnus propter tristitias & dolores quibus affici solent animi eorum, qui mutuantur à fœneratoribus: vt enim dolor parienti, sic dies certus obærato incidit, fœnus cumulatum fœnore. Ex improbis parẽtibus improbi liberi. Fœnorum fœtus, viperarum proles recte dici possunt: narrant autem viperas, erosa matris aluo in lucem edi, & fœnora deuoratis debitorum domibus procreantur.

Ibidem † τόκος à τίκτω quod parere significat.

Quæ exigis, omne inhumanitatis genus superant: ex incommodis alterius tua paras commoda: ex lachrymis argentum colligis, nudum iugulas, esurientem verberas: nulla vsquam misericordia est, neque cognationis eius qui premitur recordatio vlla.

Agricola cum semel spicam seminis receperit, iterum sub radice scrutari non solet: tu vero & fructus habes, nec tibi vnquã sors diminuitur: incertum est cui coacerues, certus est qui fœnorib. pressus lachrymatur, atqui fruiturus sit, isto modo cõparatis opibus, ambiguum est. Ibid.

Canes si quid acceperint, cicurantur: at fœnerator accipiens, etiam irritatur, non enim desinit latrare, ac plus pluſq; inquirere: si iuras, non credit: quæ intus sunt, scrutatur, in contractibus multum operæ ponit: si è domuncula prodeas, trahit ad se & scindit vestimenta: sin autem te-ipse occultaueris, adstat in vestibulo & ostium pulsat. Ibid.

Quum inuenerint debitores suos, quasi prædam nacti sic lætantur, ac omnia faciunt vt totum repetant. Quod si id minus possunt propter eorum qui debent inopiam, iram, pecuniæ causa inflammatam, in ærumnosorum & miserorum corpus exercent, contumelioſe flagris cædentes, & verberantes, & mille aliis incommodis afficientes. Chryſost.

Ad serm. 26. annot.

Basil. Extremæ profectò] *In his verbis à Græcorum verborum sententia procul recedit interpres. Sic enim habent,* τῷ ὄντι ὑπὸ Βολίου ἀπανθρωπίας ἔχειτὸν μὴ τῆς ἀναγκαίων ἐνδεῶς ἔχοντα ζητῶν δανεισμα, *hanc enim vocem addo ex Basilio in hom. in reliq. Psal. 14.* εἰς τοσαύτην τῦ βίου. *i. Sane increbilis cuiusdam est inhumanitatis, hunc quidem, qui rerum ad vitam necessariarum penuria laborat, mutuum petere, quo vitam sustentet, illum vero non esse ipsa sorte contentum, sed &c. Billius.*

Fœnus opinor. propter tristitias] *Interpres legit* ὀδύνας, *at apud Basilium legimus* ὠδῖνας *dolores partus, qui referuntur ad allusionem nominis* τόκος *qui & partum Græcè & fœnus significat. Rectè autem coniecit Gesn. scribẽdum* ἔκγονον *non* ἔγγυον, *nã & ita Basilij habet homilia. Diem porro certum intellige* τὴν προθεσμίαν *id est, tempus præstitutum persoluendo mutuo, quales sunt Idus apud Romanos quib. omnem relegebant pecuniam.*

Agricola nec tibi sors vn. diminuitur.] *Græc.* καὶ οὐκ ἀφίσταται τοῦ ἀρχαίου, *nec abscedis à sorte, nec desinis sortem ipsam repetere.*

Canes siquid. In cõtractib. multum opere] *Græcè* τὰ συναλλάγματά σου πολυπραγμονεῖ, *tuos contractus, tua pacta, conuenta & permutationes curiosè inuestigat.*

Et scindit vestimenta] *Græcè* ἕλκει πρὸς ἑαυτὸν καὶ καταύρει *trahit ad se, & diuexat.*

De iis qui mutuantur, quos æquum est creditoribus gratos esse, Sermo 27.

PRudentiæ est, cognoscere à quo proficiscatur gratia, *id est, gratuitum beneficium.* Salomonis

Gratiam hominum tanquam pupillam oculi conseruato. Sirach.

Qui gratiam reddit, futurorum meminit, & tempore suæ calamitatis inueniet stabilimentum.

Qui de nobis bene meriti sunt, iis omnem beneuolentiam præstare debemus. Basilij.

Reddamus igitur cum fœnore debitum si modo Theologi.

tantum

933

tantum possidere videamur.

Nihil est quod facilius beneuolentiam conciliare possit, quàm ipsa beneficiorum grata commemoratio.

De ingratis cùm mutuum sumpserint, Sermo. 28.

MVtuatur improbus, nec vnquam reddit.

MNe sit manus tua ad accipiendum porrecta, & ad reddendum contracta.

Multi mutuum quasi inuentum æstimant, exhibentq; molestias eis qui ipsis subuenerint.

Stultus & ingratus, eum à quo fuerit aliquando liberatus, deseret.

Non solum est cogitandum tibi esse accipiendum, sed etiam reddendum cum repetetur, quod acceperis: cur te cum bestia nodosa coniungis?

Qui se fœnoribus subiectum reddit, quorum possessionem non tenet, voluntariam perpetuamq; suscipit seruitutem.

Videmus non eos quibus necessaria desunt ad mutuum sumendum accedere: non enim habent qui ipsis credant, sed ij solum mutuãtur qui sumptibus profusis, & luxui infructuoso se dediderunt.

Rem miserabilem spectaui, liberos homines, quorum patrimonia essent obærata, qui traherentur vt vænirent.

Non noctes debitori quietem adferunt, non dies ei iucunda, non sol delectans, sed per omnem vitam in tristitia versatur: dies odit, qui ad præscriptum tempus properant: menses formidat, quasi vsurarum genitores: si dormierit, in somnis videt fœneratorem capiti imminentem, infaustum somnium: sin vigilarit, cogitatio & solicitudo de vsuris est.

Tale quiddam in ingratos efficit beneficij gratia: pro iis enim beneficiis quibus adiuti sunt, multis damnis afficiunt de se bene meritos.

AD SERM. 28. ANNOT.

Basil. cur te cum bestia nodosa] *Græc.* τί πολυπλόκῳ θηρίῳ ἑαυτὸν ζευγνύεις; *cur sub eodem iugo cum bellua sinuosa & multiformi te copulas?*

Quorum possessionem non tenet.] *Græcè* ὧν τῶν κτῆσιν οὐκ ὑπέστη. *Interpres vertit quasi esset* κτῆσιν, *vt apud Basilium hom. in reliquum psal.* 14. ὧν τῶν ἐκτῆσιν, *itaque Billius hoc ita reddit. Qui fœneratitiis pecuniis se obstrinxit quas persoluere nequit.*

De mercede conducentibus, seu operariorum dominis probis, Sermo. 29.

DIxit Laban Iacobo: Quandoquidem meus frater es, mihi gratis non seruies: declara mihi, quam mercedem postulas?

Non pernoctabit mercenarij merces apud te vsque in crastinum.

Non fraudabis pauperem sua mercede, nec egentem ex fratribus tuis aut aduenis qui versantur in tuis ciuitatibus: eo ipso die mercedem reddes, nec occidet sol super ea: pauper enim est & in ea ipsa spem habet.

Seruum, opus verè facientem ne male tractato, nec mercenarium qui dat animam suam.

Opus facienti, merces, non beneficij sed debiti loco, numeratur & æstimatur.

De mercede conducentibus seu operariorum dominis improbis. Sermo. 30.

VIde ne mercenarius tuus clamet ad dominum contra te, & peccatum in te sit & culpa. Leuit.19.

Execratus sit, qui mercenarium mercede fraudauerit, & dicat cunctus populus, Fiat, fiat. Deut.27.

Tenues sine cibo & mercede vineas impiorum coluerunt. Iob.

Qui ædificat domum suam non cum iustitia, & cœnacula sua non cum iudicio, operarios ex proximis suis gratuito sumit, nec mercedem illis debitam tribuit. Ieremiæ.

Sanguinarius est (*vel, sanguinis effusio*) qui mercenarium mercede priuat. Sirach.34.

Dignus est operarius mercede sua. Matth.10. &1. Cor.9.

Boui frumenta terenti os ne obturato, dignus est operarius cibo suo.

En merces operariorum, qui messuerunt agros vestros, quæ à vobis retenta est, clamat, & clamores messorum ad aures domini exercituum peruenerunt. Iacob.5.

De viris bonis & probis, Sermo. 31.

SVos dominus cognoscit, & sanctos ad se aduocabit. Num.10. Deut.16.

Qui diligitur à domino, fidenter in tabernaculo suo erit, omneq; tempus ætatis ipsius deus ei glorioſum reddet.

Surge, inquit dominus Samueli, & vnge Dauidem, quia hic est vir probus. 1 Reg.16.

Iusti terræ hæreditatem consequentur, & in multa pace deliciabuntur. Psal.36.

Quum senex sim, iuuenis fui, nec vidi iustum derelictum, nec semen ipsius panẽ mendicans.

Salus iustorum domini est, & eorum propugnator est in rebus aduersis.

Familia integrorum virorum beata erit, gloria & diuitiæ in domo illorum.

Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorũ.

Fame iustos dominus non necabit.

Ex ore iusti gratiæ fluunt. Salom.10.

Viæ iustorum similiter vt lux splendent.

Vir bonus filios filiorũ in hæreditate sua cernet.

Acceptæ sunt domino viæ iustorum: propter ipsos, etiam inimici fiunt amici.

Vir probus vt leo confidit.

Moderati erunt incolæ terræ, & innocentes in ea relinquentur: quia recti qui sunt, terrã pro hæreditate possidebunt, & sancti in ea relinquentur.

Ex hominum proborum labiis, gratię stillabunt.

Iustitia rectorum rectè vias secat.

Domus iustorum beatæ sunt.

Iustorum radices non extirpabuntur.

Qui aspicit molliter, misericordiã consequetur.

Qui sine cuiusquam reprehẽsione in iustitia versatur, liberos relinquet beatos.

Proborum lætitia est, iusta omnia facere.

Viro bono posuit in cõspectu sapientiam, cognitionem & lætitiam. Oseæ.

Quis sapiẽs est, & hæc intelliget? aut sagax, & hęc agnoscet? quod rectæ sunt domini viæ, quas probi ingredientur. Sapientiæ

Viri boni viuent in ęternum, quorũ merces in domino est, & cura apud celsissimum, ob quã causam Salomonis.

regnum decorum adipiſcentur, & pulcherrimum diadema manibus domini eis imponetur, quia dextera ſua teget eos, & brachio ſuo defendet.

Iuſtus ſi ex hac vita deceſſerit, in requie futur⁹ eſt.

Gratia & miſericordia in electis eius, & viſitatio in ſanctis eius.

Sirach. 39. Vt bona bonis à principio parata ſunt, ſic mala malis & ſceleratis.

Lucæ 6. Qui bonus eſt, ex bono cordis ſui theſauro bona promit.

1. Tim. 1. Iuſto nulla lex impoſita eſt.

Baſilij. Theologi. Bonus bonorum eſt largitor.

Res virga iuſti potior eſt quàm honos mali.

Optimi enim, externis etiam ſunt lenes & humani.

Boni enim viri vel aſperitas lenis eſt, propter vtilitatem quam continet: mali autem etiam benignitas, propter morum improbitatem dura eſt.

Luc. 18. (*Nullus bonus niſi ſolus deus.*) Iis verbis, quod ſumme bonum eſt, aſſeritur Dei ſolius eſſe.

Chriſoſto. Spiritalis, omni malitia carere debet, aſtutia & dolo: quemadmodum Chriſtus inquit, Niſi conuertamini, & effecti fueritis ſimiles paruis pueris, non introibitis regnum cœleſte.

Atque robur quidem eorum, qui virtutem exercent, admiratione perpetua dignum eſt: præſertim vero cum multis eam deſerentibus nonnulli reperiuntur qui virtuti adhæreſcant.

Greg. Nyſſeni. Qui natura bonus eſt, idem ad bona omnia largienda propenſus eſt.

Vt fragantia aromata ſuo odore circunfuſum complent aërem, ſic boni viri præſentia proximos iuuat.

Cyrilli. Proprium eſt bonorum omnium aliis prodeſſe.

Erit ſanè maxime inſignis virtutis cultor, & præclariſſimorum operum author. Quemadmodum enim odoratiſſima aromata & eximia, etiamſi in vaſe condita ſint, fragrantia ſua tamen explent odorandi ſenſum, non ſolum eorum qui propè adſtant, ſed etiam eorum qui longius ſemoti ſunt: ita ſanctus animus & virtutis cupidus, & honeſte factorum & ad pietatem pertinentium rationem habens, vel nihil tale cogitans, omnibus modis erit nobiliſſimus & clariſſimus.

Philonis. Humanus, vrbanus & comis & ad ignoſcendum propenſus, nullius omnino iniuriæ memor eſt, ſed vincere hoſtes cupit benefaciendo, magis quàm lædendo.

Bonis, Deus bona ſuppeditat & inſerit conſilia, quibus cum aliis proſint, ipſi maxime iuuantur.

Viri boni, vt figuratè dicam, columnæ ſunt, populum totum confirmantes quaſi domos magnas, ciuitates & reſpublicas.

Honeſtum, tum eſt honeſtum, cum vt ab altero laudetur non eget, ſed ſecum circunfert ſuæ pulchritudinis notas & inſignia.

De malis & improbis viris,

Sermo 32.

Deut. 25. VT ne perdat ſceleroſus à ſcelere immunem, nō vult Deus illi placari, ſed accēdetur ira domini & æmulatio eius in hominem illum.

1. Reg. 1. Ab iniquis exlegibus progredietur improbitas & maleficium.

Improbè ſe geſſit Achab in conſpectu domini, & ſceleratior quàm ij qui ante ipſum fuerant.

Nemo improbus cùm ſit, ſe fore innocentem confidat.

Dulce fuit in ore eius vitium.

Modum tranſeunt errata improborum.

Malorum mors erit non decora.

Filij hominum quouſque tandem dura geretis corda? Pſal. 4.

Scelerati multa flagella (*id eſt, omnis generis afflictiones.*)

Vultus domini in mala patrantes.

Mors ſceleratorum mala eſt.

Molliores oleo ſermones illorũ, at ipſi ſunt quaſi bolides, *id eſt, pondera funiculis affixa ad explorandum aliquid.*

Iam inde ab vtero matris abalienati ſunt improbi, fallaciter mendacia loquuntur.

Salus longe abeſt ab improbis, quia iura tua iuſte inſtituta non exquiſierunt.

Sanguinarij & doloſi, ætatis dimidium non conſequentur, peccantes in mala incident.

Qui malos caſtigat, ſibi ignominiam lucrifaciet: quique impium reprehendit, ſeipſum vituperabit. Prouerb.

Quærent me improbi, nec tamen inuenient, ſapientiam enim odêre.

Animi eorum qui exleges ſunt, interibunt immaturi.

Exitus eorum qui legem violant, malus eſt.

Malos ne reprehendas, vt ne ſis odio illis.

Fili, ſi ſapiens fueris, tibi & proximis tuis ſapies: ſin malus, euaſeris, ſolus exantlabis mala. Prou.

Dolus eſt in corde mala fabricantis.

Miſericordiam & iudicium non norunt malorum architecti.

Expelle è concilio peſtiferum, & vnà cum illo exibit contentio: cum enim ſederit in virorum cōſeſſu, omnes probro afficiet.

Improbus non erit impunitus.

Odi repulíque dies veſtros feſtos, nec veſtris conuentibus delector. Amos. 5.

Qui eum qui iuſtus ſit, iniuſtum iudicat: & qui iniuſtus ſit, iuſtum: is impurus apud dominum & abominandus eſt.

Summa poteſtate præditus dominus loquitur ſic: Illi ædificabunt, ego verò diruam, vt vocentur termini iniquitatis, & populus cui dominus ſe opponet in ſæculum: non manſura eſt in ſæculum temporis improba progenies. Malach. 1.

Ex ſemine ſerpentis prodibunt aſpidum catũli, at illarum poſteri, volantes ſerpentes erunt. Eſaiæ. 59.

Peccata noſtra diſſociant nos à Deo, propterque iniquitates noſtras auertit à nobis vultum ſuum vt non miſereatur.

Inſipientes ſunt nec ſagaces, docti ad malefaciendum, honeſtè facere non norunt.

Opera illorum, opera eorum qui exleges ſunt: & pedes eorum in vitia currunt.

Si mutabit Aethiops cutem ſuam, & pardalis varietates ſuas, & vos poteritis benefacere cùm mala didiceritis. Ierem. 13.

Ruina improborum ſeriò tandem veniet.

Via ſceleroſorum elapidata & complanata, ſed in extremo, ipſa inferorum eſt foſſa.

Peccantem in animam ſuam quis abſoluet?

Liberi

Liberi abominandi sunt ex improbis prognati.
Nomen sceleratorum hominum delebitur.
Malus ex cordis sui malo thesauro quæ mala sunt, promit: ex abundantia enim cordis os loquitur.
Illud autem cognoscitote fore, vt in vltimis diebus instent acerba & difficilia tempora. Erunt homines sui amantes, &c.
In improbitatis certamine, miserior victor quàm victus, propterea quod ille pluribus peccatis onustus discedit.
Vltima, in improbitate, etiam secum ipsa discrepant.
Complures sunt qui actiones prauas approbent, *ac vrbanum quidem gratiosum nominantes: & obscœnitate verborum vtentem, ciuilem: acerbum & iracundum, minime contemnendum vocant: parcum & alienum à liberalitate, quasi rei familiaris administrandæ peritum laudant: prodigũ, quasi liberalem: scortatorem & libidinosum, voluptuarium quendam & remissiorem: istiusmodi laudatores illis ore quidem bene precantur, at corde execrantur. Nam in illa verborum pulchra commemoratione, omnem execrationem in illorũ vitam inducunt, imò eos æternæ damnationi obnoxios efficiunt, ipsa vitia approbantes.
Profecto res est rationis expers, improbitas [illegible].
Improbitas facile sui studium excitat, atque in promptu est, nihilque tam facile est, quàm fieri malum.
Difficulter bonum comprehenditur à natura hominum: quemadmodum ignem non concipit humidior materies. At ad maleficium parati plurimi, & ad idipsum quasi facti sunt.
Malum facilius & promptius improbum sequitur, quàm coërceatur à meliore.
Animis profanis nihil honesti satis dignum videtur, cui persuadendos se præbeant.
Qui sæpe peccant nec puniuntur, metuere & vereri debent: augentur enim illis supplicia per supplicij tarditatem & diuinam lenitatem.
Non tantum ij qui sceleratè aliquid faciunt, verumetiam, qui istos laudibus afficiunt, eorum cum illis vel etiam grauiorum participes erunt supplicium.
Sanctos quidem lucidi seruant angeli, [illegible].
Abundantia cognitionis sapientię, nobis multos conciliat angelos: impurus autem, etiam ab eo qui ipsi à puero datus est, separatur.
Improbus aliud sentit, aliud loquitur: aliæ etiam sunt eius actiones: deniq; diuersa ei & omnino pugnantia sunt omnia, non enim loquitur quæ sentit, & contraria decreuit iis quę se facturum narrat, nec his consentanea exequitur, vt proprie dicere liceat, improbi vitam secum bellum gerere.
Improbis, nulla re gaudere concessum est: quẽad modum in propheticis canitur oraculis, Gaudere non licet impiis, Deus ait. Sermo enim diuinus, verus & vtilis est, tetricã & tristitię deditam, ac † infelicitatis plenam esse improbissimi cuiusque vitam.
Instabiles sunt malorum hominum spes, qui sibi quidem commoda proponunt cogitatione: quibus tamen aduersa, & illis digna contingunt.
Antisthenes cum ab improbis quibusdam laudaretur. Vereor, iuquit, ne quid mali à me designatum sit, quod istis placeo. Antisthenis.
Mali, cum adulationibus deliniuntur, peiores euadunt.
Senem peccantem ne moneas: veterem enim arborem transplantare difficile est.
Diogenes improbum quendam monebat, interrogatus autem quid ageret: Æthiopem (inquit) abstergo, vt candidum reddam. Diogenis.
Medici, amaris medicamentis quæ lingendo sumuntur, mellis nonnihil adhibent vt dulciora faciant: Sic ingenioſi difficiliorum hominum congressiones, hilaritate molliunt.
Ex factis, magis quàm ex verbis, hominis periculum facito: nulli enim cum vitam vitiosam agant, oratione suaui & ad persuadendum valenti vtũtur.

De muliere forti, & temperanti & sagace, Sermo 33.

RAchel & Lia respondentes Iacobo: Num, inquiunt, pars adhuc nobis est aut hæreditas in domo patris nostri? Nónne alienæ ab illo existimatæ sumus? vendidit enim nos, & planè deuorauit argentum nostrum. Genes 31.
Accessit Abimelech vsque ad turris portam, vt eam incenderet: mulier autem quædam fragmentum molæ in caput eius coniecit, & statim clamans accersit puerum qui arma ipsius gerebat: cui, Educ, inquit, gladium tuum & me interfice, ne dicant vulgo, me à muliere interfectum. Et puer eius pupugit eum, & mortuus est. Iudic. 9.
Melchol vxor Dauidis, renunciauit ei, dicens: Nisi hac nocte seruaueris vitam tuam, cras morte afficieris: & demisit maritum suum Dauidem per fenestram. Sicque ille exiit, aufugit, & seruatus est. 1. Reg. 19.
Quis dedit mulieribus texendi sapientiam & artem acu variandi? Iob.
Vxor fortis, corona est viri sui.
Vxor grata, excitat viro gloriam.
Qui nactus est vxorem bonam, is gratias est adeptus, & à domino accepit hilaritatem. Prou. 12.
Qui eiicit vxorẽ probã, eiicit bona è domo sua.
Vxores sapientes, ædificauerunt domos: at insipiens suis manibus demolita est. Prou. 14.
Vxorem fortem quis inueniet? talis pluris est æstimanda quàm lapides pretiosi, in ea confidit cor viri, hæc spoliis non carebit, bonis afficit virum suum, non malis: vir non est solicitus de rebus domesticis, sicubi autem diutius moratus fuerit, ipsa interea geminas confecit vestes. Cùm autem in consessu seniorum consident, ipsa os suum aperit attente & legitime, ac ordinem ori suo tenendum præscribit. Taciturnæ autem sunt, domûs eius exercitationes, cibum otiosa non capit. Prou. 31.
Multę filiæ diuitias & potentiam cõparauerunt, tu autem superasti omnes, & super illas te extulisti: falsa affabilitas & inanis pulchritudo non est in te.
Mulier sagax benedicitur, sed metus domini eã commẽdet: date ei de fructibus labiorum suorum, & vir eius laudetur in portis.
Vide ne excidas vxore sapiente & bona, nam gratia eius auro præstat. Sirach. 7. 26.

†Aliàs pudica. Ibidem. Gratia duplicata, mulier †taciturna, nec est quic A quam quod cum animo illius continente comparari possit.

Probæ mulieris vir est beatus, & numerus dierum eius duplicabitur: vxor fortis exhilarat virum suum, & annos eius cum pace complebit. Mulier proba, portio bona est: & in parte metuentium dominum dabitur.

Vxoris gratia virum exhilarat, & scientia eius ossa viri saginat.

Theologi. Vir nullam rẽ acquirere potest vxore proba honestiorem, quemadmodum nullam deteriorem improba.

Cyrilli. Muliebre genus quodammodo lachrymarum amans est, & animo ad misericordiam facili præditum.

Clementis. Mulier vitat omnes calumniarum suspiciones, si neque se comat, neque ornet supra modum, precationibus & deprecationibus attentione summa vacans.

Philonis. Narrant physici, fœminam nihil aliud esse quàm imperfectum marem.

Infirmiora quodammodo sunt mulierum consilia, nec extra res quæ sub sensus cadunt, quicquam possunt eorum quæ tantum sub intelligentiam cadunt, comprehendere.

Philonis vxor in complurium fœminarum cœtu interrogata, cur sola ex omnibus aureo non vteretur ornatu: Satis (inquit) vxori magnus ornatus, viri sui virtus est.

Aristippus mulierem paruam, sed pulchram, conspicatus: Paruum, inquit, malum, sed magnum pulchrum. (*Videtur potius inuertẽdum, vt sit: Paruum quidem pulchrum, magnum autem malum: nam κακὸν & καλὸν apud Græcos facilè permutari possunt.*)

Vxorem temperantem quærito, nec formosiorem: illud enim est thesaurus qui surripi non potest, hoc autem animi opinio, siue persuasio.

Honestam vxorem & bonam si eris assecutus, vi- D tam dolore vacantem deges.

De improbis mulieribus & adulteris, omníque vitio plenis, Sermo 34.

Prou. 5. & 7. MVlieri improbę ne mentem adhibeto: mel enim ex meretricis ore fluit, quod ad tempus vngit guttur, postea tamen felle amarius inuenies, & gladio ancipiti acutius.

Ne des mulieri opes tuas.

Fili serua mandata mea & viues, vt te seruent à peregrina muliere & improba.

Prou. 9. Mulier pretiosas virorum animas prædatur.

Tẽpus est ignominiæ, mulier quæ odit honesta. E

Mulier insipiens & audax cibo quo alatur carebit, (quæ scilicet verecundiam non cognoscit.)

Prou. 11. Vt inauris in nare Suis, sic in muliere malitiosa, pulchritudo.

Qui adulteram retinet, insipiens & impius est.

Melius est habitare in solitudine, quàm cũ muliere pugnace & linguace & iracunda.

Malach. A coniuge tua tibi caue: nec quod facturus es, illi aperito.

Sirach. 9. Ne tradas mulieri animam tuam, meretricibus obuiam ne ito: ne psaltriam canentem frequentato, virginem ne consyderato: auerte oculos tuos à muliere formosa: cum vxore alterius omnino ne sedeto: forma enim & pulchritudine muliebri complures seducti sunt.

Vinum & mulieres ad deficiendum impellunt, etiam sapientes.

Omnem malitiam, noui & malitiam mulieris.

Aquæ ne des exitum, nec mulieri improbæ licentiam, si nolit monẽtem te audire, desecato eam de carne tua.

Cum leone & dracone potius habitato, quàm cum muliere improba.

Omnia viria parua sunt, si cum mulieris vitiis B comparentur, sors scelerati in eam incidat.

Ex muliere peccati initium est, at per eam omnes morti debemur.

Improbæ mulieri licentiam loquendi ne concedito.

Ira magna est mulier ebriosa.

Cor malum & vultus tristis cordísque vulnus, mala mulier viro suo resistens.

Scortatio mulieris in elatione oculorum, & in palpebris suis agnoscetur.

Præstat malitia viri, quàm benefica mulier.

Ex vestimentis enascitur tinea, sic ex muliere malitia.

C In muliere improba bonum est sigillum.

Mulier clamosa & linguax, quasi tuba hostium ad fugam spectabitur.

Basilij ho. 4. in diuites auaros. Vt enim naues putres, procellæ & tempestates demergunt: sic improba mulierũ studia & affectiones, imbecillas cohabitantium animas miserè submergunt & perdunt.

Quando igitur animi sui curam geret, qui amoribus mulierum quasi seruus addictus est? nullæ enim copiæ satis sunt cupiditatibus mulierum.

Theologi. Mulieres insipientissimæ, pulchritudine sua carentes, ad pecunias confugiũt: ac sunt (vt sic dicam) theatrali ornatu conspicuę, propter formam deformes, & propter deformitatem deformiores.

Iãbic. dist. O malum quouis malo peius, mulierem improbam.

Sæui dracones, callidæ sunt aspides: est fœminarum vis duplex inter feras.

Chrysost. Improba mulier nunquam mansuefiet: si durius tractetur, furit: si blandius, tollitur & elata est.

Ferrum coquere, quàm mulierem castigare, facilius.

Qui habet vxorem malam, suorum se peccatorum mercedem accepisse intelligat.

Nulla in mundo bellua est, quæ cum muliere improba conferatur.

Quid leone inter quadrupedes ferocius? Nihil quàm mulier improba. Quid crudelius dracone inter serpentes? Nihil quàm mulier improba.

Acerbum est pauperiorem duxisse vxorem, acerbum item opulentiorem: illud enim rem, hoc authoritatem & libertatem viri minuit & lædit.

Philonis. Mulieri parere, contumelia est suprema.

Callidissimum est mulieris ingenium ad mentem viri luxandam & è statu suo deturbandã, maxime si fuerit intemperans, quia enim conscia sibi est huius vitij, mollior subinde redditur.

Sui amans est mulier, & zelotypa immoderatè, ac mirè industria vt possit viri mores peruertere.

Diogenes

941

Diogenes. Diogenes conſpicatus mulieres inter ſe colloquentes: Aſpis (inquit) à vipera venenũ mutuatur.

Ariſtippus. Ariſtippus Cyrenæus philoſophus, à quopiam interrogatus, An ſibi ducere vxorem expediret, negauit. Si enim duxeris (inquiebat) formoſam, habebis communem: ſin autem deformem, pœnam.

Mulier os exornãs, animum deformem indicat.

Democriti. Cum Democritum quidam percunctaretur, cur cum magnus eſſet, paruam duxiſſet vxorem: Ego (inquit) in malo eligendo, quod minimum erat, elegi.

Socratis. Quum ſe diligere & appetere te dixerit mulier, tum ab illa magis metuendum tibi eſt, quàm cum conuitiatur.

Protagoras. Protagoras interrogatus, ob quam cauſam inimico filiam nuptum dediſſet: Quia, inquit, nihil ei dare poteram deterius.

Idem cum vidiſſet anum exornatam: Si (inquit) viris, falleris: ſi ſepulchro, ornata es.

Socratis. Socrates dicere ſolebat, tria ſe mala aſſecutum, grammaticam, paupertatem, & pernicioſam vxorem: quorum duo effugiſſet, pernicioſam vxorem effugere non potuiſſet.

Idem, ſe conſulentibus de ratione matrimonij contrahendi, dixit: Quemadmodum piſces, ô adoleſcentuli, qui nondum intra naſſas ſunt, volunt intrare: qui autem iam intus ſunt, volunt exire: ſic & vos ne idem vobis accidat, videre.

Idem, Xantippen ornatam & ad ſpectacula euntem conſpicatus: Nõ, inquit, vt ſpectes ô vxor proficiſceris, ſed vt ſpecteris.

Philoxeni. Philoxenus poëta cum quidam eum percunctaretur, quam ob rem Sophocles bonas introducat fœminas, ipſe autem malas: Quia, inquit, quales oporteat eſſe fœminas Sophocles dicit, ego verò quales ſint.

Omnis. Omnes vxoribus imperant, nos omnibus hominibus, nobis autem vxores.

AD SERM. 34. ANNOT.

Theol. Mulieres inſipientiſſimæ.] *Vna litera depranata hunc locum fœdè maculauit. Pro* χρήματα *enim perſpicuè legi debet* χρώματα *vt ſit ſenſus: Mulieres ſtultiſſimæ natiua pulchritudine carentes ad pigmenta confugiunt. Locus eſt in orat. Funebri Patris. Billius.*

Sæui dracones.] *Nõ ceperat mẽtem Theologi Ribittus, ideo verſum damus à Billio hoc diſtichũ, qui & poſterius carmen ſic explicat: mulier draconum ſæuitiem cum aſpidum fraude, ac verſutia copulauit.*

Quid Leone inter.] *Apud D. Chryſoſt. hom. 15. ex variis in Matthæum locis, Tom. 2. ſic expreſſam habes hanc ſententiam. Quid inter quadrupedia animalia leone ſæuius? Sed nihil ad hanc. Aut in ſerpentibus quid dracone atrocius? ſed ne hoc quidem iuxta mulierem malam conferri poteſt. In Græco libro manuſcripto ſic erat.* τί γὰρ λέοντος δεινότερον ἐν τετραπόδοις, ἢ τι ἕτερον δράκοντος ἐν ἑρπετοῖς. ἀλλ' οὐδὲ, πλὴν τῆς γυναικὸς πονηρᾶς.

Protag. Idẽ cum vidiſſet.] *Simile apophthegma Diogeni tributum habes ſupra ſermone 18. multóque concinnius prolatum.*

De congregatione bonorum virorum: & præſtantiſſimis adhærendum eſſe, non etiam improbis, Sermo. 35.

Prou. 13. QVi cum ſapientibus congreditur, ſapiens euadet.

942

Si videris ſagacem ac prudentem, mane illum adito, & limina ianuarum eius pedibus tuis deterito.

In multitudine ſeniorum ſtato, & ſi quis erit ſapiens, huic te adiungito.

Narrationes ſapientum ne contemnas, & in prouerbiis illorum verſeris.

Sermoni ſapientis, aures accommodato.

Viri ſapientes ſint tui conuiuæ.

Viro pio multum aſſiduéque vtitor.

Volucres ad pares diuertunt: miniſtri, & omnes qui vrbem incolunt, præfecti mores imitantur.

Odio ſit vobis malum, at bono agglutinemini. Rom. 12.

Quemadmodum pictores quùm imaginem ab imagine pingunt identidem exemplaria ſpectantes, illorum lineamẽta ad ſuum opificij vſum transferre ſtudent: Sic qui ſe ſtudeat omnibus virtutis partibus perfectum efficere, debet elaborare, vt quaſi ad ſimulachra motu & actione prædita, vitas dico ſanctorum, ſæpe oculos animi conuertat. Baſilij. in epiſtola ad Gregoriũ, de vita ſolitaria.

Si videris ethnicum, vitam temperatam & reliquam in moribus moderationẽ diligentius, quàm teipſum, conſeruare, fac vt ſtudium tuum & diligentiam circa eadem augeas.

Si honeſtos ſequeris monitus, non erubeſces à malis deriſus. Theologi.

Oſtia ſapientum, non diuitum terito.

Ad eruditionem & monitionem domini ne obturato aures, quemadmodũ aſpis ad incantamenta.

Non exiguum quid videtur bonis, licet exigua, maximarum rerum imitatio.

Præſtat magnorum partes ſecundas, quàm paruorum primas tenere.

Solent ad rationem conuerſationis, conuiuentium mores componi & formari. Chryſoſt.

Cuiuſque ingenium quale ſit ex conuerſatione arguitur: etenim improbus neceſſario cum ſui ſimilibus verſabitur: contrà autem temperans & ſapiens, cum iis qui eadem exercent.

Bonum eſt ſemper, vt improbior meliorem ſequatur, propter emendationis ſpem. Philonis.

De congregatione malorum virorum: & oportere ſodalitates improborum, exitioſas exiſtimari. Sermo. 36.

AVferte ex vobis ipſis improbum.

Se abſtinere ab improbis viris, id demum ſcientia eſt. 1. Cor. 5.

Beatus eſt qui in conſilio impiorum non ambulat, nec in via ſceleroſorum ſtat, nec in ſede peſtiferorum ſedit. Pſal. 1.

Non ſedi in cõſeſſu vanitatis, nec ingrediar cum exlegibus.

Inſipiens, confidẽter ſe cum exlege commiſcet.

Fili vide ne te ſeducant impij, nec ſequaris eorum inſtituta: deflecte à viis illorum, nõ enim ſomnum capere poſſunt, niſi aliquod maleficium commiſerint. Salomonis

Noli æmulari exleges: vbicunque caſtra ſua poſuerint, eò fac ne accedas: declina illos ac præteri: non enim ſomnum capient, niſi maleficium commiſerint.

Viam impiorum ne ingrediaris, nec exlegũ vias quæſieris.

Qui cum inſipientibus congreditur, agnoſcetur.

Fili, malos viros ne æmuleris, nec illorum cœtus A appetas: falsa enim meditatur cor illorum, & molesta, labia eorundem loquuntur.

Ne te adiungas sodalem iracundo, aut amico iracundo contubernalem: ne discas tãdem illius vias, & laqueum capias animæ tuæ.

Esaiæ 33. Abstine ab iniusto, & non terreberis, nec tremor appropinquabit tibi.

1. Thes. 5. Præcipimus vobis, fratres, in nomine domini nostri Iesu Christi, secedatis ab vnoquoque fratre immoderatè & sine ordine se gerente, & non ea ratione quam à nobis traditam acceperatis.

Fugite imitationes condemnatorum. B

1. Cor. 5. Si quis frater cum nominetur, fuerit vel scortator, vel simulachrorum cultor, vel conuitiator, vel rapax, cum eiusmodi ne cibum quidem sumite: tollite ex vobis ipsis improbum.

Sirach. Cum institutione carentibus ne colludas, ne parentes tui probro afficiantur.

Basilij. ho. 9 q. Deus n. est auctor. m. Pernicioſæ sunt malorum congressiones: siquidẽ hæc est amicitiæ lex ac consuetudo, vt per similitudinem ingeneretur coniunctis: vt enim in pestilentibus locis paulatim aër immissus morbum occultè illic degentibus immittit: Sic improborum consuetudo multa mala importat, etiamsi calamitas in præsentia videndi sensum effugiat.

Theologi. tetrast. 48. *Præpone semper improbis viros probos.*

Nam si frequens sis cum malis, eris malus.

Chrysost. Delicatos & dissolutos ac improbos vitato, ac etiam eos qui scorta ductant.

Athanasij. Non modo à vitiis cauere debemus, ac ea vitare: verumetiam eos qui talia faciunt, auersari.

Cyrilli. Improbis conniuere, & noxium est & vituperatione dignum.

Clementis. A malis liberari, est salute initiari.

Nili. Probi viri ad improbos accedentes multò facilius vitia trahunt, quàm virtutem impertiunt.

Philonis. Pernicioſæ sunt stultorum intelligentia carentium congressiones: & animo sæpe audiẽti, illorum D dementiæ simulachra imprimuntur.

Non rus improbos, non vrbs bonos efficit, sed similium congressio & consuetudo.

De illis qui optimos & sanctos viros honorant, Sermo 37.

Gene. 20. A Bimelech mille didrachmas argenti, oues, vitulos, pueros & puellas Abrahamo donauit: reddidit etiam Saram vxorem, eúmque sic affatur: En terra mea est in conspectu tuo, vbicunque libitum fuerit, ibi inhabitato & colito.

4. Reg. 4. Vxor dixit viro suo: Noui hunc hominem Dei sanctum frequenter hâc trãsire, faciamus ei cœnaculum in paruo aliquo loco, vbi collocemus ei lectum & mensam, & sedem ac candelabrum, vt cum præteribit hâc, huc diuertere possit. Postea autem aliquando accidit, vt veniret Elisæus, & se recepit in illud cœnaculum ibique dormiuit. E

Psal. 138. Valde autem honorati sunt à me amici tui Deus: corroborati sunt admodum principatus eorum.

Prou. 11. Qui bonis succurrit, magnus tandem aliquando euadet & existet.

Sirach. 12. Memoria iustorum, cum laudibus cõiuncta est.

Pio benefacito, & remunerationem consequeris, etsi non ab illo, at ab ipso celsissimo.

Qui prophetam prophetæ nomine recipit, mercedem prophetæ accipiet: & qui iustum recipit iusti nomine, iusti mercedem accipiet. Matt. 10.

Rogamus autem vos fratres, vt eos agnoscatis 1. Thes. 5. qui inter vos laborant: itemque eos qui præsunt vobis ad domini laudem: quique vos admonitionibus erudiunt & castigant, & habeatis illos in summo pretio per charitatem, propter munus & officium quo ipsi funguntur.

Primum inter beneficia est, vt boni laude afficiantur. Laus enim parit æmulationem, æmulatio virtutem. Theologi. Orat. 2. in laudem Hieron.

Præstantissimorum maxime memores esse debemus, quorum vel sola recordatio sancta mihi & vtilis est.

Honestũ, ex æquo omnibus veneratione & laudatione dignum videtur. Chrysost.

Qui bonos laudant, coronarum quæ illis repositæ sunt, participes fiunt.

Si quis extiterit inter nos eximiæ vitę meditator, & testimonio comprobatus de vitæ præstãtia, huic omnino consequens est, & vt honoretur, & fides ei habeatur: quin etiam iurisiurandi loco ex illo accipiatur simplex affirmatio aut negatio. Cyrilli.

Res magna non est, virum iustum curare, sed gra- C tiam meretur qui iusto ministrare dignatur.

De iis qui sanctos & præstantes viros ignominia afficiunt. Sermo 38.

IVsti deridentur, nã in impiorũ manus traduntur. Iob 12. Vir iustus & irreprehensibilis, factus est ad ludibrium.

Muta fiant labia dolosa quæ contra iustum loquuntur iniquè. Dauid.

Obseruat sceleratus iustum, & dentibus in eum frendet.

Sapientes & sagaces improbos vocant. Prou. 29.

Viri sanguinarij, quod sanctum est, oderunt.

Abhominandus est scelerato diuinus cultus.

In regione impiorum, probi gemunt: at illorum exitio boni augebuntur.

Miser animus illorum, quia malum ceperunt Esaiæ 3. consilium contra seipsos, dicentes: Vinculis constringamus iustum quia nobis est inutilis. Ergo fructus operum illorum, deuorabunt.

Si viderint iustum, contemnent: dominus autem irridebit eos: deinde ignominiosè & contumeliosè tractati ruent.

Tunc cum magna constantia stabit iustus aduer- Sap. 5. sus ora eorum qui ipsum afflixerint, & qui repudiauerunt labores ipsius, cúmque viderint, graui metu turbabuntur, & obstupefient ad admirabilem illius salutis rationem: secum enim taciti loquentur pœnitentes, Hic est quẽ risui habuimus insipienter, & conuitiis proscidimus, ac in eum cõuitiorum prouerbia iecimus, in vita eum insanire putabamus, & mortẽ ipsius ignominiosam arbitrati sumus: quomodo verò annumeratus est inter filios Dei, & inter sanctos sors eius cecidit? Ergo aberrauim⁹ à via, & iustitiæ lux nobis non illuxit, & sol nobis nõ est exortus: quid profuit nobis superbia? quid opulẽtia cum arrogantia nobis contulit? præterita sunt illa omnia, quasi vmbra, & quasi fama præteruolans.

Quicunque

Quicunque volunt pie viuere ex Christi Iesu in- 2.Tim.3. A
stituto, ij persecutionibus agitabuntur : improbi autem homines & præstigiatores ad peiora proficient seducentes & seducendi.

Sæpenumero boni etiam in manus impiorum traduntur, non vt illi honore afficiantur, sed vt hi contemptu probentur. Basilij.

Quod si malus cum sim, optimũ existimas, quid mihi faciendum est? an improbior ero, vt magis placeam tibi ? nequaquam vero sic mihi consulam. Eodem modo nec si cum recte fungar officio meo, labi & errare me credis, rectum officium propter te deseram : viuo enim non tibi magis quàm mi- B
hiipsi.

Fabricantur scelerati supra dorsum nostrum, factique sumus commune theatrum & angelis & hominibus. Chrysost.

Fieri non potest, vt qui virtuti dediti sunt, apud omnes audiant bene.

Traduntur sæpe etiã iusti in sceleros orum ma- Theodoret. in 118. Psalm.
nus, non vt isti honorentur, sed vt illi probentur: deridentur in præsens, quandiu Christi bonitas permittit : occultantur aliquantis per magna & secreta penetralia earum rerum quę vtrisque sunt reseruatæ in illud tempus quum & oratio, & actio, & cogitatio æquis lancibus pendentur, quum surget C
ad iudicandum vniuersam terram, consilia, voluntates & opera ipsa congregaturus & aperturus quæ apud ipsum consignata & clausa seruantur.

De improbitatis odio, ac de iis qui quæ absurda sunt, declinant. Sermo 39.

Accidit autem longo post tempore, vt Moses Exod. 2.
iam grandis inuiseret fratres suos filios Israëlis: cúmque animaduertisset eorum molestias ac labores, videt hominem Ægyptium percutientem Hebræum quendam vnum ex fratribus filiorum Israëlis : cúmque huc & illuc circunspexisset, nec quenquam vidisset, percussit Ægyptium illum, ac D
occultauit eum in arena . Postridie autem cum prodiisset, vidit Hebræos duos compugnantes, ac iniuriam facienti dixit : Cur verberas proximum tuum ? Ille autem, Quis te, inquit, principem & iudicem constituit super nos ? an me interficere vis, quemadmodum heri interfecisti Ægyptium?

Odi concionem improbè viuentium, nec cum impiis habitabo. Psal.

Qui dominum diligitis, improbitatem odisse debetis.

Non proponebam mihi ante oculos rem quæ contra legem esset, transgressores & præuaricato- E
res odi.

Iniquitatem odi, & abominor: legem autem tuam diligo. Psal.

Metus domini iniustitiam odit, & contumeliam, superbiam, & improborum mores. Prou.

Odi tortuosas prauorum vias.

Qui odit iniquitatem, longo viuet tempore.

Piaculum est iusto, exlex.

Nihil legi aduersum, placebit iusto.

Verbum iniquum odit iustus.

Iustus non attendit labiis mendacibus. Prou.

Gratum est domino ab improbitate desistere, & placatur, cum ab iniuria desistitur.

Demonstra ô homo te improbitatem odisse, pec- Basilij.
cata reiiciens, & virtutes honore afficiens. Si enim in vnaquaque actione effeceris vt meliora vincãt, beatus eris illo die quo Deus occulta hominum iudicabit.

Quid iustum effecit ipsum Phineem ? nónne iu- Num.25.
sta & improbitatem exosa ira aduersus scortatores, qui alioqui esset lenis & clemens ? Sed postea quam animaduertit improbitatem Zambri & Madianitidis, manifestam & inuerecundam, illis non tegentibus turpitudinem, deforme spectaculum non ferens, sicut decebat, iracundiam in illos exercuit, ac vtrumque hasta sua transfodit. Samuel ve- 1.Reg.15.
ro Agagum regem Amalecorum, iusta commotus ira, in medium adductum occidit: ita sæpenumero bonarum & iustarum actionum ministra est ira. Itémque Helias ille æmulator quadringentos & 3.Reg.8.
quinquaginta sacerdotes lucorum de mensa Hiezabelis cibum sumentes, & quadringentos turpitudinis sacerdotes meditata ratione, & ira sobria commotus, morte affecit ad vniuersi populi Israëlitici vtilitatem.

Sine sæuo animo non repurgantur vitia. Philonis.

De iis qui malis delectantur, probántque improbitatem, Sermo, 40.

COmprehenduntur in insidiosis suis consiliis Dauidis.
quæ excogitarunt, quia laudatur scelerosus in cupiditatibus animi sui, & iniuriosus in eisdem bene audit.

Si videbas furem, vnà cum illo currebas, & cum adultero societatem inibas.

Quid gloriatur potentia præditus in vitio ? ini- Psal. 49.
quitatem totos dies, & iniuriam commenta est lingua tua.

Qui dicit impium iustum esse, is execratus populis erit, & genti odiosus.

O qui malis delectamini, ac peruersitate mala gaudetis, quorum viæ tortuosæ, & obliqua cursus vestigia.

Quærens mala, comprehendetur ab illis.

Qui alterius interitu gaudet, non erit innocens.

Quouis tempore, oculi improborum admittunt flagitia.

Ne gaudeas inimica mea quod ceciderim, nam Amos.
resurgam, propterea quod etiamsi sedero in tenebris, dominus illustrabit me : iram domini sustinebo, quia in eum peccaui donec ipse iustificarit causam meam, & eduxerit me in lumen, ac ipsius iustitiam videro. Videbit item hostis mea, & confusione turpi induetur, quæ mihi dicere solebat, Vbi est dominus Deus tuus?

Miseri vos qui dicitis malum bonum, & vicissim Esaiæ 5.
bonum malum: qui ponitis tenebras lucem, & lucem tenebras : itémque amarum dulce, & dulce amarum.

Laqueo capientur qui piorum ruina gaudent, & vehemens dolor conficiet ipsos ante mortem.

Non conuenit, scelerosum laudibus efferri.

Scelerosus amicos suos turbabit: & inter eos qui pacificè viuunt, iniiciet calumniam.

Qui gestiunt gaudio propter vitia mala, iis consenescent mala.

Rom. 1. Qui quidem iusta Dei decreta cum cognoſſent, eóſque qui talia deſignaſſent mortis ſupplicio dignos eſſe, non ſolum illa faciunt, ſed etiam approbant eos qui faciunt.

Proditio eſt veritatis, & aſſuefactio ad rerum indifferentiam, improbè viuentium receptio.

Multi malas actiones approbant, ac feſtiuum, gratioſum dicunt: & obſcœnitate verborum vtentem, ciuilem nominant: & quæ deinceps ſequuntur.

Non ſolum vitium imitari, ſed etiam cum peccato viuentes, laudare, pœna dignũ eſt, & ſupplicio non vulgari: & vt etiam admirabile quiddam dicam, ſi licet nobis grauius imminet periculum, quàm iis qui in ipſo ſcelere viuunt: nam laudare peccantes, maiore animaduerſione dignum eſt, quàm peccare, & meritò: eſt enim corrupti animi, & morbo incurabili laborantis hęc ſententia & iudicium. Qui enim improbitatem laudat, is ſe pœnitendi curatione priuat, vt merito Paulus, hoc illo grauius eſſe iudicarit. Itaque non modo qui improbè faciunt, ſed etiam qui iſtos laudant, eiuſdem vel etiam acerbioris participes erunt animaduerſionis.

Philonis. Maleuolentia ac propter vitia delectatio, à ſapientibus aliena eſt.

De bonis ciuibus, Sermo 41.

Geneſ. 18. DIxit Abrahamus ad dominũ: Si fuerint quinquaginta iuſti in ciuitate, perdes eos? nónne condonabis propter quinquaginta iuſtos? Nequaquam iſtud committas, vt iuſtum cum impio interficias, ſitque eadem conditione iuſtus cum impio: nequaquam, qui iudicas vniuerſam terram, non facias iudicium. Dominus autem: Si, inquit, inuenero Sodomis quinquaginta iuſtos, propter illos quinquaginta non perdam: & reliqua.

Prou. 11. Propter bonitatem iuſtorum, fortunatæ fuerunt ciuitates.

In benedictionibus iuſtorum, exaltabitur ciuitas.

Habitationes iuſtorum fortunatæ & fœlices.

Per vnius ſagacis hominis prudẽtiam, frequens erit incolis ciuitas.

Eccleſiaſt. Hoc etiam vidi, ſapientiam ſub ſole, & magna eſt apud me parua ciuitas, & pauci in ea viri, aduerſus quam venit rex magnus, obſeditque & magnos aggeres aduerſus eam congeſſit & obuallauit: inuentus autem eſt pauper in ea, ſed ſapiens, qui eam vrbem ſaluam præſtitit ſua ſapientia.

Greg. Nyſſeni. Vt aromata odorata, fragrantia ſua circumfuſum aërem complent: ſic viri boni præſentia proximis vtilitates adfert plurimas.

Philonis. Quum virum aliquem bonum vel in familia aliqua, vel in ciuitate verſari animaduerto, eam familiam aut ciuitatem beatam prædico, exiſtimóque eam & præſentibus bonis perfrui firmiter, & eorũ quæ deſunt expectari non fruſtra copiam, cũ Deus infinitam & incircumſcriptam opulentiam ſuam propter dignos, indignis etiam largiri ſoleat.

Fœlix iudicari meretur & ciuitas & regio & familia, cum aliquem virtute præditum habuerit: infœlix autem, cum tali viro caruerit.

Improborum quidem cauſa, nulla reſpub. tranquilla eſſet: ſed ſine ſeditione durant propter vnum aut alterum ciuem, cuius virtus ciuilibus morbis medetur, Deo (cui virtus & probitas placet) hoc præmium virtutis cultori tribuente, vt is non ſolum ſeipſum, ſed etiam proximos adiuuet.

Boni viri (vt figuratiùs dicam) columnę ſunt populum totum ſuſtinentes, tanquã magnas domos, ciuitates & reſpublicas.

De ciuibus improbis, Sermo 42.

CIues Sodomorum ſceleroſi & improbi in conſpectu Dei vehementer. Gene. 13.

In populo tuo doloſè ne agito. Leuit. 19.

Per ſtultum os, illaqueatur ciuitas.

Impiorum ore dirutæ ſunt vrbes.

Peruerſum cor fabricatur mala quouis tẽpore: & homo talis, ciuitati turbas excitat, ob quam cauſam repente venit illius exitiũ, diſcinditur, & conteritur ita vt nullum poſſit inueniri remedium, quia delectatur iis omnibus, quæ dominus ipſe odit, conteritur autem propter animi impuritatem. Prou. 17.

Subſannat ciues mẽtis inops, vir autem prudens quietus eſt.

Peccans vnus, perdit bonitatem multorum: muſcæ mortuæ putidam reddunt confectionem olei ſuaueolentis. Eccle. 9.

Qui in ea habitabant, falſa loquebantur, & lingua ipſorum elata eſt in ipſorum ore.

Iſti ſunt viri qui mala excogitarunt, & malum conſilium capientes in ciuitate hac, ac dicentes: Hæc eſt lebes, nos autem carnes in medio eius: itaque dominus dicit, Mortui veſtri quos in medio eius percuſſiſti, hi ſunt carnes, hæc autem eſt lebes, voſque educam è medio eius: gladium metuitis, at ego gladium adducam in vos (dicit dominus omnium rerum præpotens) & tradam vos in alienorum manus, & exercebo in vos iudicia.

De monachis probis, & bonis præfectis, Sermo 43.

EStote fortes, nec manus veſtræ diſſoluantur, quia merces eſt operæ veſtræ. 2. Par. 20.

Domino iuuante curram † ſingulari certamine pugnans, & auxiliante Deo tranſiliam murum. Regum. 2. † μονομαχῶν.

Ecce igitur quid honeſtius, aut quid iucundius quàm fratres concorditer habitare? Pſal. 132.

Salutem quaſi theſaurum recondit, rectè ſe gerentibus, dominus: teget quaſi clypeo greſſum illorum, vt ſeruent rationem iuſtorum decretorum. Proverb.

Duo præſtant vni, quibus ipſis eſt optima merces in labore communi: quia ſi ceciderint, alter tollet ſocium ſuum. Et miſer eſt qui ſolus eſt, ſi ceciderit, quia non ſit alter qui eum poſſit erigere. Eccl. 4.

Exui tunicam meam, quomodo eam induam? Laui pedes meos, quomodo contaminabo eos? Cantic. 5.

Quem reſpiciam niſi humilem & quietum, & trementem ſermones meos? Eſaiæ 66.

Qui dominum expectant, nouas ſubinde vires recipient, & aquilarum more pennas emittent: current, & non defatigabuntur: ambulabunt, & non eſurient. Eſa. 40.

Vtile eſt cuique viro ſub iugo domini fuiſſe in iuuentute ſua, ſedebit ſolus & tacebit. Hieremiæ

Bonus

949 Bonus est dominus, iis qui ipsum patienter expectant.

Fili si accedas ad seruiendum domino, ad tentationem animum tuum præparato: cor tuum rectum facito, & durato: nec festines ipso captiuitatis tempore, adiunge te illi nec deficito, vt ad extremum augeare: quicquid graue impositum fuerit id susci pe. Vicem abiectionis & humilitatis tuæ leniter ferto: quia vt igni aurum probatur, sic homines accepti, in humilitatis fornace.

In medio fratrum, qui ductor est illorum, in honore est.

Ne deficite, sed valentes estote domini auxilio, vt ipse vos corroboret.

Portas vrbis nec circumspicito curiose, nec per vias eius errato.

Si te alicui muneri præpositum videris, ne efferare, sed vt vnus de multis esto: curam gere illorũ, sicque sedeto: cúmque te omnibus modis vtilem præbueris, recumbito.

Ne metue exigue grex, quia patri placitum est dare vobis regnum: vendite bona quæ habetis, & ad beneficentiam conferte: parate vobis sacculos qui non sentiunt vetustatem: thesaurum qui non deficiat in cœlis, quò fur non accedit, & vbi tinea non corrumpit: vbi enim fuerit thesaurus vester, ibi erit & cor vestrum. Sint autem lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes, & vos similes iis qui expectant dominum suum, quando reuertatur è nuptiis, vt cum venerit & pulsarit, statim aperiant illi: beati sunt serui illi, quos, cum venerit dominus ipsorum, vigilantes inuenerit: hoc enim vobis confirmo fore, vt ille se succingat & illos accubare iubeat, ac illis accumbentibus ministret.

Seruus ille qui voluntatem domini sui norit, nec explerit, largiter vapulauit, multásque accipiet plagas: qui autem non norit, sed plagis digna fecerit, paucas accipiet. Cuicunque autem multum datum est, ab eo ipso multum repetetur: & cui multum commissum fuerit, ab eo plus reposcetur.

Nullus seruus potest duobus dominis seruire.

Pro certo hoc vobis confirmo, nullum esse qui reliquerit domos, aut parentes, aut fratres, aut coniugem, aut liberos gratia regni cœlestis, qui non recepturus sit, hoc quidem tempore multo plura, & in futurum vitam æternam.

In curriculo omnes quidem currunt, sed vnus accipit præmium: sic currite vt apprehendatis: quicunque certat, omnibus modis continens est: at illi, vt corruptioni obnoxiam coronam accipiant: vos autem, vt immortalem & corruptioni minime obnoxiam.

Fratres firmi estote, immobiles, diligentissime versantes in opere domini assidue, illud intelligentes, laborem vestrum domini causa non esse inanem.

Fratres, fortes & robusti estote à domino, & in firmitate roboris eius induite diuinã armaturam.

Mementote eorum qui vobis ductores præpositi sunt, qui vobis annunciant diuinum sermonem: quorum contemplantes conuersationis exitum, fidem imitamini.

Parete ductoribus vestris, & cedite; ipsi enim vigilant pro animis vestris.

Nemo militans, negotiis prò victu implicatur, vt ei qui se in militiam accersiuerit, placeat: quod si quis certet, non coronatur continuò, nisi legitimè certauerit.

Videte ne perdatis ea ipsa quæ perfecistis, sed vt plenam mercedem accipiatis. Ioan.

Certator bonus, qui semel ad pietatis curriculum exutus est, fortiter & generose ferre debet ictus aduersariorum, spe coronarum laudis adipiscendæ. Etenim in gymnicis certaminibus qui assuefacti sunt palæstræ laboribus, non contrahuntur ad dolorem plagarum, sed cupiditate laudationis quæ à præcone fit, cum colluctatoribus pedem conferunt præsentia omnia despicientes. Basilij.

Vinculis affectionum & perturbationum vitæ humanæ solui debet, qui vere Deum sequi ex animo decreuit, id quod per secessum planè perfectũ, & veterum morum obliuionem recte paratur: nam nisi & à cognatione propinquitatéque carnali, & vitæ cõmunione nos ipsos abalienauerimus quasi in alterum quendam mundum exercitatione & meditatione migrantes, eius consilium sequentes, qui dixit, Nostra autem conuersatio in cœlis est, omnino fieri nequit, vt scopum, qui est Deo gratificandi, attingamus: quum dominus definite dixerit, Quicunque ex vobis non valere iubet omnia sua, non potest esse discipulus meus. Eiusd. reg. fus. disp. 5.

Est autem postrema salutatio bonorum è corde profecta, cum ad cœlestem conuersationem & administrationem se conuertit.

Continentiam dicimus non omnino omnis generis ciborum abstinentiam: (hæc enim est violenta vitæ dissolutio) sed eam duntaxat quæ puritatis causa suscipitur. Eiusd. reg. fus. 16.

Continentia est peccati detractio, ab affectibus abalienatio, corporis † extinctio vsque ad perturbationes etiam naturales & cupiditates. Reg. fus. 17 † ἐκνέκρωσις mortificatio.

Institutum & pietatis propositum non debemus existimare otij prætextum, aut laboris recusationem: sed argumentum certationis & plurium laborum, ac in afflictionibus patientiæ. Eiusd. reg. fus. 37.

Ad hunc modum Dei tẽplum efficimur, cũ curis terrenis, contẽtio memoriæ perpetua non interrũpitur, cum mens inexpectatis perturbationibus non turbatur: sed hæc omnia cum effugerit diuinarum rerum cupidus, ad Deum ipsum sese abdit & secedit, ac depellens ea quæ ad vitia flectunt & incitant, in iis tantum immoratur officiis & muneribus, quæ ad virtutem ducunt. Eiusdem epist. 1. τὸ συνεχὲς τῆς μνήμης.

Si bonos & honestos tantum discipulos diligis, nulla tibi gratia debetur: magis rebelles lenitate tractare debes, vt erudiantur: non enim omne vulnus eodem emplastro curatur. Exacerbationes perfusionibus seda. Ignatij ex Epist. 1. ad Polycarpũ.

Subiiciamur tum Deo, tum alij aliis, tum his qui in terra potestatem gerunt, ac Deo quidem omnibus modis: alij aliis propter fraternam charitatem, & societatem: magistratibus, propter ordinis conseruationem, eoque magis, si fuerint mansuetiores & benigniores: (Improbum enim est æquitatem consumere perpetuò ignoscendo) vt ne etiam illorum asperitatis ipsi pœnas luamus, tranquilliratem immisso vento soluentes, & luci tenebras inducentes, & melle commiscentes absinthium. Theologi. Or. 17. ad ciues Naz.

Qui ſeipſi à mundo ſeparárunt, & ſolitudinem amplectuntur, Deo viuunt, omnium maxime qui corpore alũtur: qui ſolummodo prorſus ſolitariam prę ferentes vitam, ſecum & cum Deo colloquuntur, illud tantum de mundo cognoſcentes, quantum in ipſa ſolitudine agnoſcunt, aliisquidem mortui hominibus, & rebus quæ in medio hominum verſantur tum agitantes tum agitatæ in omnem partem, tum nos ludificantes volubilibus mutationibus: ſibi inuicem verò mũdus ſunt, & mutua collatione virtutem acuunt.

Solum eſſe, morum magis conſtantia quàm corporis ſeceſſu formatur ac exprimitur.

Vides iſtos opibus & domibus carentes, excarnes, exiles & exangues, etiam Deo hac ratione appropinquantes, illotis pedibus & humi cubantes: qui infra cum ſint, inferiora ſuperant, & inter homines ſupra humanam conditionem ſunt: vinctos, & liberos: detentos, & tamen non teneri, quorum in mundo nihil eſt, & omnia ſupra mundum: quorum duplex eſt vita, altera quæ deſpicitur, altera quæ appetitur: qui per mortificationem ſunt immortales, qui per ſolutionem Deo copulati & apti, qui careant amoris deſyderio, & in diuino & perturbationis experte cupidine: quorum ſunt fontes lucis, & quorum iam ſunt irradiationes: quorum angelicæ pſalmodiæ, & per noctes ſtationes, & mẽtis ad Deum raptæ peregrinatio: quorum denique purgatio, quorumque repurgari eſt.

Philoſophari quantò eſt maius, tantò etiam difficilius, quod non multi facere conantur, niſi per diuinæ mentis inuitentur excelſitatem quæ boni quippiam proponentibus, manum porrigit.

Greg. Nyſ. Quibus deliciæ ſunt: continẽtia: & actio, otium, & gloria, à nemine cognoſci.

Athanaſij. Honeſta res eſt, exercitatio cum moderatione & cognitione vera. Sic debet monachus vndique ſeipſum circunſpicere & immobilem tenere animi oculum ad ſuam cuſtodiam, quaſi ſi per medios laqueos ſemper incedat.

Martyres quidem ſæpe vel vno temporis momẽto cum certaſſent, perfectionem aſſecuti ſunt, at monachorum vita ſingulis diebus per Chriſtum certans, martyr eſt, id eſt teſtimonium Chriſto dicit, non aduerſus ſanguinem & carnem in acie inſtructa: ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus mũdi dominos, rectores tenebrarum, aduerſus ſpirituales aſtutias vſque ad vltimum ſpiritum certamen habens, & certat & coronatur armatura Dei induta.

S. Serapionis. Continenti conuenit turbas fugere, vt mentem non diſtractam retineat, & perturbatione vacuam: multa enim eſt in turbis perturbatio.

Non dormientium & deſidioſorum eſt regnum Dei, ſed violenti rapiunt illud: hæc autem ſola violentia honeſta eſt, Deo vim adferre, ab eodémque vitam rapere. Ille verò cognoſcens violentos, vel potius tenaciter in propoſito durantes, eis concedere ſolet. Gaudet enim Deus ſe hac in re vinci.

Iuſtini philoſophi. Philonis. Finis quem ſibi proponit qui philoſophatur, eſt, vt Dei ſimilis, quoad eius fieri poteſt, ſit.

Inæquale quiddam naturâ, eſt meditatio & exercitatio, modo enim in altum conſcendit, modo in contrarium remeat. Et aliâs (quẽadmodum nauis) A bona & felici nauigatione vitæ, aliâs autem infelici vtens meditatorum vita † alternat, vt quidam ait, interdum viuens & vigilans, interdum verò mortua aut dormiens. Neque vero hæc à propoſito aberrantia dicuntur. Sapientes enim, humanũ locum ſortiti ſunt vt habitarent, ſurſum tendere ſemper aſſueti: mali autem, inferorum ſeceſſus & angulos petunt, à principio ad finem vſque mori aſſuefacti, & in ſenectutem à cunabulis, corruptioni familiares effecti: at meditatores medij ſunt inter extrema, & ſurſum ac deorſum frequenter quaſi in gradibus B cunt, vel meliore quodam fato ſurſum attracti, vel à peiore retracti, donec huius certaminis & pugnæ præfectus Deus reddat præmia præſtantiori parti, contrariam in vniuerſum abolens.

† ἐστιν. ες.

AD SERM. 43. ANNOT.

Baſil. Certator bonus] *Locus eſt ex homil. de gratiarũ actione, apud Baſil. vitioſe legitur* προεθηντες, *in Græco Antonij* προσεθιοδέντες *rectè: cõtra quod Geſnerus corrigit hîc* δι' ὀπθυμίαν *facilius ex Baſilio emẽdatur ita,* ὀπθυμίᾳ τῆς ἀναῤῥήζεως *in tertio caſu, vt antea* ἐλπίδι τῆς δόξης, *cupiditate renuntiationis, quæ fiebat à præcone. Ab eo enim renuntiabantur victores tantum, non laudabantur.*

Vinculis affectionum.] *Exercitatione & meditatione.* C *Græca Antonij hîc ita habẽt* οἱ ονεὶ πρὸς ἕτερον κόσμον ἀφὰ τῆς ἀσκήσεως μεταβάντες. *Cuius loci fide confirmatur correctio doctiſſ. Billij qui ſerm. 95. huius partis, vbi, vt & apud ipſum Baſilium, legimus* ἀφὰ σχέσεως, *correxit* ἀφὰ τῆς ἀσκήσεως. *Hoc enim nomine Græci religioſæ vitæ profeſſionẽ ſignificabant.*

Ignat. Si bonos & honeſtos.] *Magis rebelles apud Antoniũ.* μᾶλλον τὰς ἀπερὰς ἐν ταύτῃ ἀποπαυε, *at apud Ignatium legitur* τὰς λοιμοτέρας ἀποπαυε *& vetus eius interpres ita legit: Vairlenius vertit,* peſtilẽtiores autẽ mãſuetudine ſubige. *Extrema illa* τὰς παροξυσμὰς ἐμβροχαῖς πᾶυε, vehementiores morbi acceſſiones inſtillationibus ſedes.

D Qui ſeipſi à mundo.] *Ex orat. in laudem Athanaſij.* Theol. 21. omniũ maximè qui corpore aluntur. *ita vertit ex Græco Antonij* πάντων μᾶλλον τρεφομένων ἐν σώματι *vt apud Theologum* τρεφομένων *legitur* .i. qui in corpore verſantur.

Qui ſolummodo ſolitariam.] *Antonius hũc locum ita exſcripſit vt confuderit ea quæ duobus diuerſis generibus monachorum tribuit Gregorius, quorum alios* μοναδικὰς, *alios* μιγάδας *appellat: hi in cœtu ac ſocietate viuũt, alij prorſus ſolitarij. Verte ergo hîc & lege ita* οἱ μὲν τὸν πάντη μοναδικὸν διαβλέψαντες βίον, ἑαυτοῖς μόνοις προσλαλήσαντες καὶ τῷ θεῷ Quorũ alij quidẽ vitam prorſus ſolitariã agunt, E ſecum tantùm & cum Deo colloquẽtes. *At qui ſunt alterius generis Monachi non ſecum ſoli, ſed & cum aliis colloquuntur, de quibus interſere membrũ ab Antonio omiſſum poſt illa,* ſolitudine agnoſcũt. οἱ δὲ νόμον ἀγάπης τῇ κοινωνίᾳ τρέποντες, ἐρημικοί τε ὁμοῦ μιγάδες, τοῖς μὲν ἄλλοις. Alij autem charitatis legem per ſocietatem colentes, ſolitarij ſimul & cœnobitæ ſunt, aliis quidem mortui, &c. *rectè autẽ Geſn.* τῷ ἀρετῷ *legit in Græco.*

Philoſophari quanto.] *Poſtrema verba*, quod non multi facere conantur, *non ſatis exprimunt Græca*, καὶ ὑ πολλῶν τι ἐγχείρημα. i. *nec huiuſmodi conatus, atque inſtitutum eſt cuiuſlibet. loquitur de vita monaſtica, atque omnibus numeris abſoluta, ſumptúſque eſt hic locus ex orat. de Cæſario fratre. Billius.*

953 *De monachis inconstantibus & ad vitia reuertentibus, Sermo.* 44.

DEclinantes ad fraudes abducet dominus cum iis qui exleges sunt.

Vt canis quum redit ad vomitum suum, odiosus est, sic insipiens ad vitium suum, reuersus.

Animaduerti iustum pereuntem in vanitate sua, atque id quidem vanitas est.

Ingrediunti & exeunti non est pax ab afflictione.

Defecit currens, velut equus hinniendo defessus.

Si iustus deflexerit à iustitia sua, iniustéque fecerit ad exempla peccatorum quæ committunt exleges, eius omnes iustitiæ in quibus ante se exercuerit, in obliuionem venient propter erratum ipsius B quo lapsus fuerit, ac in ipsis peccatis quæ admiserit, morietur.

Iustum non eripiet è malo sua iustitia, quo die ipse aberrauerit: & impium iniquitas sua non afflliget, quo die ab iniquitate sua discesserit. In suis quemque viis, & institutis iudicabo, ô domus Israelitica.

Qui à iustitia ad flagitia deflectit, ei dominus præparabit gladium.

Ne cõnectas gemina peccata: nam ne in vno quidem innocens eris (*id est, quasi innocens absolueris.*)

Et qui se lauerit ob tactum cadauer, & iterum idem tangit, quid prodest lauacrum? eadem est ratio eius qui ieiunat propter peccata sua, C & iterum redit ad eadem: quis istiusmodi precationem audiet? & quid illi profuit quod se humiliauerit?

Nemo cum manum suam aratro admouerit, & ad posteriora se conuerterit, aptus est ad regnum cœleste.

Nam si postea quàm refugerunt inquinamenta mundi per agnitionem domini & seruatoris nostri Iesu Christi, rursus tamen his impliciti superati fuerint, illis, postrema peiora primis acciderunt: melius enim illis fuisset non agnouisse viam iustitiæ, quàm ea agnita retrorsum reuertisse, & à sancto illo præcepto ipsis tradito deflexisse: ac- D cidit enim illis quod vero prouerbio dici solet, Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota ad volutabrum cœni.

Spectaculum miserabile, post ieiunium, post duram exercitationem, post precationes assiduas, post multas & copiosas lachrymas, post continentiam annorum viginti fortasse, vel etiam triginta: per incogitantiam & negligentiam, denudatum omnibus ostendi, ac præceptorum perfectione abundantem, similem esse mercatori alicui opulentissimo qui copia mercium aduectitiarum exultans, naui secundis progrediente ventis, periculosa maria præteruectus, in ipso tandem portu E naui fracta, vniuersis illis simul priuatur: quod hic quoque infinitis laboribus comparata, vno diaboli impetu perdat per peccatũ, quasi per procellam quandam immanem, submersus. Hæc vox ei conuenit qui omnem simul virtutẽ naufragio amiserit: Veni in altum mare, & procella submersit me.

Qui progressum in bonis actionibus fecerit, deinde ad pristinam consuetudinẽ reuersus fuerit, non modo laborum præteritorũ mercede priuatur, sed

A etiam acerbiore cõdemnatione dignus iudicatur

Si tu tibi nihil molestiarũ fore putabas quum ad philosophiam accessisti, alienum à philosophia fuit initium. Sin putabas, & non accidit, Deo gratia est habenda: sin acciderit, aut patienter ferto, aut promissis non stetisti. Theologi.

Nonnulli cum in virtute profecissent, deflexerunt & reuocauerunt se priusquam ad finem peruenissent. Etenim optimam viuendi rationem ex animo detrahit turbulenta & pessima ratio, quæ cum paulisper quiêrit, de integro maioribus viribus renititur. Philonis.

Complures† meditatores cum essent, ad extremum virtutem mutarunt. At cui Deus firmam largitur scientiã, huic vtraque largitur, & virtutes exercere, & ab iisdem nunquam deficere, sed recondere & vnamquamque semper conseruare. † ἀσκηταί.

Iam quidam nouarum rerum cupidi & fastidiosi, cum probitatẽ degustassent, ac spem melioris mentis dedissent, in eundem recidêre morbum.

De iis qui opus libenter faciunt & studiosè. Item elaborandum esse, quòd labor utilitatem habeat.

Sermo. 45.

CVm sudore oris edes panem tuum. Gen.3.

Robusti estote, nec fatigentur manus vestræ, quia est merces operæ vestræ. 2.Par.15.

Ex solicitudine & cura tibi exorietur pax. Iob.

Exibit homo ad opus suum, & ad culturam suam vsque ad vesperam. Psal.103.

Labores fructuum tuorum edes, beatus es & præclarè tecum agetur.

Si impiger fueris, veniet veluti fons messis tua: indigentia autem velut egregius cursor aufugiet. Prouer.6.

Manus fortium locupletant.

In omni solicitè cogitanti inest aliquid redundans.

Qui accumulat sibi, cum impietate locupletabitur.

Porrexit brachia sua ad opus, ac intellexit honestum esse operari, & totam noctẽ lucerna ipsius non extinguitur. Prou.31.

Condemnabit iustus laborans viuentes impios.

Bonorum laborum fructus glorię coniunctus est.

In omnibus operibus tuis assiduus esto, & nullus te morbus corripiet. Sirach.

Crede domino, & persiste in labore tuo: quia leue est in oculis domini repente ditare pauperem. Eccles.2.

Facite opus vestrum ante tempus, & dabit vobis mercedem in tempore suo. Eccle.58.

Prętstat qui in omnibus aliquid operis facit, quàm qui gloria afficitur, panis indigens.

In opere tuo consenescito.

Ad horam præscriptam surgito, nec tardus esto.

Pater meus adhuc operatur, & ego operor. Ioan.5.

Homo quidam peregrè profecturus, vocatis seruis suis dedit bona sua, alij quidem talẽta quinque, alteri autẽ duo, alteri vnũ, ac pro facultate cuique, & peregre profectus est: *& reliqua.* Matth.25.

Ipsi nostis manus has necessitatibus meis, & eorũ qui mecum erant ministrasse: exemplo demõstraui vobis, sic laborandum esse, vt infirmis subueniatur: recordari enim debetis verba domini, quum ipse dixerit, fælicius esse dare, quàm accipere. Act.20.

Hortamur autẽ vos fratres, vt abundantiores sitis, 1.Thess.4.

& ſtudeatis quieti, & priuata opera faciatis, manibúſque veſtris opus conficiatis: quemadmodum præceperamus vobis, vt decenter vos geratis erga extraneos, nulláque re indigeatis.

Basilij hom.1.in. Nexaem.

Quod enim labore partum eſt, maiore lætiria accipitur, diligentiúſque aſſeruatur: quorum autem facilis eſt comparatio, eorum ipſorum contemnenda eſt poſſeſſio.

Otium profectò, condemnatione & odio dignum eſt, quo formicis & apibus deterior homo redditur: qui quidem cum primò formatus eſſet, in paradiſo collocatus eſt vt eum excoleret, & cuſtodiret. Quare primum & maxime accommodatum eſt naturæ hominis, operis & laboris ſtudium, & quaſi contra naturam ipſius, otium.

Basilij. Exhort. ad Baptiſ.

Quid ex numero bonorum facile eſt? quis dormiens vnquam trophæum fixit? quis in deliciis viuens, & cantibus ſeſe oblectans, continentiæ coronis eſt vnquam decoratus? Nemo qui non cucurrerit palmam & brauium retulit. Labores gloriam pariunt, ſudores, coronas comparant.

Eiuſd. regul. fus. 42.

[redacted]: at præceptum eſt diuinum, vt ob proximi neceſſitatem & ſoliciti ſimus & diligentiſſimè in opus incumbamus.

ho. 2. de iciu.

Longa conſuetudine exerciti labores, minore moleſtia ab exercitatis ſuſcipiuntur.

Ex laboribus valetudo, ex ſudoribus ſalus.

Si quæ carni ſunt moleſta fugerimus, non fruemur iuſtorum bonis.

Paululum paululo adiungere, non ſolum ad pecuniæ amplificationem, ſed etiam ad quamcunque ſcientiam vtile, ſtudioſiq; & diligentis hominis officium eſt.

Theologi.

Eiuſdem eſt difficultatis, aliquid boni acquirere quod nondum habeas, & acquiſita tueri. Sæpe enim quod ſtudio partum erat, negligentia perdidit: & quod negligentia perdidit, diligentia recuperauit.

Quod labore partum eſt, diligentius retineri ſolet: quod autem facile quæſitum eſt, quàm celerrime reſpuitur, tanquam facile recuperari poſſit.

Or. 26. de moderat.

Generoſa ingenia, ratione quidem moderante & dirigente, magnum habent momentum ad virtutem ſequendam: at ſi deſit ſcientia & ratio, non minus promptè ad vitia labuntur.

Chryſoſt.

Exiguo tempore ô prædilecti elaboremus, ne bonis excidamus æternis.

Breuis eſt temporis labor, at in ſæcula multa requies.

Vbi maior labor, ibi maior voluptas.

Qui prudentia præditus eſt, ad laborem non grauatè accedit, propter conſequentes laborũ fructus.

Vtilia, nuſquam niſi difficultate & laboribus ſuppeditari ſolent.

Labores, bonorum vbique ſunt largitores.

Exigua eſt inter volucres apis, at inter dúlcia primum locum tenet fructus ipſius.

Dionyſij Alex. † ἡφύδυα.

Fortis autem & accurata oratio, amaras etiam dicit eſſe dulcium † cauſas, & laborum fructus, eſſe voluptates: nam ſine labore nihil poteſt pulchri contingere.

Philonis.

Principium omnis boni & virtutis, ſi verum fateri volumus, laborem eſſe Deus hominibus oſtendit, quo remoto, nihil boni apud genus humanum conſtitui poteſt.

Natura enim nulli mortalium, boni poſſeſſionem ſine laboribus largita eſt.

Hæc eſt animi in rerum diuinarum contemplatione verſantis voluptas, vt laborare, exiſtimet dulciſſimum.

Qui laborem fugit, ipſa bona fugit: qui autem toleranter & fortiter ſuſtinet dura, ad beatitudinem feſtinat.

Plurima & maxima bona, certationibus exercitationis plenis & virētibus laboribus acquiruntur.

Labores debemus perſequi, quib. homines magnas res & ſplendidas ſibi comparant. Democriti

Naturæ virtutem corrumpit incuria, improbitatem corrigit doctrina. Et facilia negligentibus clabuntur, difficilia verò, curis capiuntur. Vt enim inſtrumentum quod remittitur, & intenditur, iucunda voluptate oblectat: ſic etiam vitæ ratio, hominum & otio & negotio diſpertienda eſt.

Exerce te laboribus voluntariis, vt poſſis & non voluntarios tolerare. Socratis.

Nullus vnquam laudem eſt voluptatibus conſequutus. Carcini.

Nullus negligens, gloriam magnam eſt adeptus. Sed labores fortitudinis laudem pariunt.

Demoſthenes à quodam interrogatus, quemadmodum eſſet dicendi facultatem adeptus, Plus, inquit, olei quàm vini conſumendo.

Corpus laboribus exerce: animum autem, fortiter & generosè pericula ſuſtinendo.

Deus ſic ſtatuit, vt illis qui nolint imperare & præſcribere ſibi honeſta facta, alios eis imperantes inducat dominos. Xenophōtis.

Labores voluntarij, non voluntariorum perpeſſionem efficiunt leuiorem.

Idem conſpicatus iuuenem induſtrium, & laboris amantem, Iucundiſſimum, inquit, ſenectuti condis obſonium.

De oſoribus laborum & operum, ac pigris, nihil curantibus, & incuriis, Sermo 46.

IN laboribus hominum non ſunt, & cum hominibus flagris non cædentur. Pſal. 72.

Ito ad formicam, ô piger, & æmulare rationem ac viam illius, ſiſque ea prudentior, nam cum illi deſit ager quem colat, neminémque qui cogat ad opus, habeat, nec ſub vllius dominatu viuat, parat tamen æſtate cibum, multúmque in meſſe aceruat, quod ſibi hyeme apponat. Aut accede ad apem, diſcéque quàm ſit laborioſa, quamque opus ſplendidum efficiat, cuius laboribus tum Reges, tum priuati vtuntur ad valetudinem: & ab omnibus amatur, celebratur, quanquam ſit robore infirmo: ſapientiæ enim debita, honeſtata eſt. Prou. 6.

Quouſque piger decumbes? quando tandem è ſomno excitaberis? Pauliſper dormis, pauliſper ſedes, paululum dormitas, admoues manus pectori, deinde paupertas velut egregius curſor ad te venit, & inopia velut celer viator. Pigri diuitiarum ſunt inopes.

In cupiditatibus verſatur omnis otioſus, & operis nihil agens.

Vię otioſorũ, ſpinis ſtratę ſunt: anima otioſi eſuriet.

Veſtietur

Vestietur detritis pannis, somniculosus.

Piger probris cum afficitur, non erubescit: similiterq; qui commodatò accipit frumentum, messis tempore.

Cupiditates pigrum interficient, non enim manus eius volunt quicquam facere.

Causatur & dicit piger, leonem esse in viis, & in vicis grassatores.

Qui rem contemnit, contemnetur ab ipsa.

Piger, sibi videtur sapientissimus.

Vt ostium voluitur in cardine, sic piger in lecto suo.

Viæ nihil curantium, exitiosæ.

Pigritia deiicietur & diruetur tectum, & otio manuum, stillabit domus. (*id est, stillicidiis plena erit propter otiosas manus.*)

Ne sis lingua celeri, & in operibus languidus ac remissus.

Plurima vitia docet otium.

Syrac. Eccles. 33. In iuuentute cum nihil collegeris, quomodo inuenias in senectute tua?

Tobiæ. In otio multæ res imminuuntur: otium famis mater est, & frater furti.

Matth. 25. Omni qui habet, dabitur, & affluet: ab eo autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur.

2 Thess. 3. Si quis operari recusat, is quoque nihil edat: audimus enim quosdam inter vos qui immoderate se gerant, nihil operis ipsi facientes, sed in aliena opera curiosè inquirētes: quos monemus, & hortamur per dominum Iesum vt quietè operantes, suum ipsi panem edant.

Otium, maleficij principium.

Propria est hæc ægritudo otiosi & desidiosi animi, vt vigilante corpore somnia videat.

Quis sementis tempore domi sedens, instante æstate sinum suum manipulis impleuit? quis vindemiauit vineam, quam ipse non conseuerit? eorum sunt fructus, quorum fuerunt labores. Honores & coronæ, eorum, qui victoriam obtinuerint, esse solent: Quis vnquam coronandum putauit, eum qui ad certandum cum aduersario ne se exuerit quidem? quando non solum vincendum est, sed etiam, vt ait Apostolus, legitimè certandum.

Quis certaminum præfectus adeò caret iudicio, vt iisdem coronis dignos iudicet, victorem, & eum qui nihil certârit? Quis imperator est, qui eos, qui ne visi quidem sint in prælio, ad parem victoribus, spoliorum distributionem vocet?

Theologi. Quantum est malum, ad pessima paratum esse, & ad optima cunctatorem & imparatum?

Honestum iam non est honestum, cum non fit honestè.

Infirma & dissoluta ingenia, tum ad virtutem, tum ad vitiū, similiter remissa & languida sunt, difficiliaq; ad se commouendum: & in neutram partem insigniter inclinant otiosorum momenta.

Segnities somni coniunx.

Aequè inutilia sunt, & segnities nihil agens, & diligētia calida sine doctrina: quod illa ad honesta non accedit, hæc honestum transilit, & † iusto iustius quiddam facit.

† ἀεὶ τὸ ἀγαθὸν διώκει. Chrysostomi.

Nihil est tam facile, quod nō valde graue & inuisum magna pigritia reddat: nec quicquā tam laborioſum & difficile, quod studium & alacritas non facillimum efficiat.

Qui faciunt aliquid non vt decet, prorsus non facere videntur.

Qui infirmi & imbecilles sunt, iis, vel quod mediocre est, super vires ipsorum videtur. Clementis.

Labor vtilia, & facilitas nocentia comitatur: qui autem labori facilitatem præponunt, ij vtilia suadentibus succensent. Philonis.

Continuata exercitatio scientiam efficit firmam, sicut inscientiam nulla exercitatio adhibita: itaque innumerabiles neglecta exercitatione, robur etiā naturale eneruauerunt.

Consuetudine & quiete confirmatum otium, insidiosum est.

Ad serm. 46. annot.

Theol. quantum est malum.] *Lege in Græco,* ὅμοιον, *non* ὅσον. *Æquè malum est.*

Infirma ingenia.] *Vltima verba fœdum in modum deprauata sunt in Græco,* οἱ τὰ τῆς ἀρκύντων κινήματα. *Ex quibus verbis vt sensum eliciat Gesnerus, iugulat* οἱ, *& pro* ἀρκύντων, *legit,* ἀργύντων, *Sed huic vulneri sanando parum apta est hæc medicina. Quare certius remedium ex ipso Gregorio petendum est, apud quem in orat. de moderan. disput. tum in excusis tum in manuscriptis codicib. ita hæc leguntur,* οἷα τὰ τῆς ναρκύντων κινήματα. *i. Velut hominum torpore laborantium incessus. Bill. l. 1. Obser. c. 5.*

De præstanti sensu & intellectu præditis. Sermo. 47.

TInea & erosio ossium est, Cor sensu præstans. Salomonis

Sensus prudentibus facilis.

Prudentis cor sensu viget.

Qui sensum comparauit, se ipse diligit.

Cor viri sensu præditum, molestum est animæ ipsius. Eccles. 22.

Solicitudine afficietur vir intelligentia præditus.

Vir prudens, thronus intelligentiæ.

Cor sapientis intelliget, quæ ex ipsius ore proficiscentur.

Intelligentia præditus, lapsum suum agnoscit. Sirach.

Si audierit scientia præditus sapientem sermonē, laudabit illum, & ad illum adiiciet.

De nullo sensu aut intellectu præditis, Sermo. 48.

SI flagris insipientē cecideris in medio concilio, Salomonis

Silli non detraxeris hac ignominia insipientiam.

Stultus flagris cæsus non sapit.

Erubuerunt, & infamiam suam non agnouerunt, nec vt dedecore affecti verecundati sunt.

Velut qui excitat dormientes ex alto somno, sic qui stulto aliquid narrat: qui tandem ad extremum dicet, quid istud est? & in consummatione, quid primum?

Cum stulto ne congreditor: nam cum sensum careat, omnia contemnit: caue illum, ne molestiam suscipias.

Doceri ignaros decet, non suppliciis affici, sicuti & cæcos ad manum ducimus non cruciamus. Dionysij Areopagitæ epist. ad Demophilum.

Agglutinat testam, qui stultum docet.

De homine bono & gratiam habente, Sermo. 49.

Gen.39. FVit dominus cum Ioſepho,& impertiit ei miſericordiam, deditque ei gratiam apud præfectum carceris.

Prou.22. Magis expetendum eſt nomen honeſtum, quàm diuitiæ multæ: argento & auro præſtãtior eſt bona gratia.

Gratia & amicitia liberum faciunt. Has igitur fac ſerues tibi,ne ſis probroſus.

Compara gratiam & notitiam bonam in oculis Dei & hominum.

Bonum nomen pretioſius bono oleo.

Eccleſi. 7. Curæ ſit tibi nominis fama, ipſa enim tibi magis proderit,quàm mille magni theſauri.

Gratia eſt veluti paradiſus copioſus.

Honeſtæ vitæ numerus dierum:& honeſta fama in-æternum durat.

Gratia & miſericordia in ſanctis illius.

De homine malo, & gratiam non habente.

Sermo 50.

Siracb. NOmen improbum, turpitudinem & dedecus hæreditarium conſequetur.

Homo gratia carens, intempeſtiuus ſermo.

Nomen non bonorum virorum delebitur.

Stultus queretur nullum ſibi eſſe amicum,& nullam eſſe gratiam in bonis ſuis.

De Ponderibus, ſtateris & menſuris,

Sermo. 51.

Leuit.19. NIhil iniquè feceris in iudicio, in menſuris, ſtateris & ponderibus:pondera ſint iuſta,& menſuræ, & congius iuſtus.

Deut.25. Non erit in marſupio tuo pondus paruum & magnum: nec menſura magna & parua domi tuæ. Pondus verum & iuſtum erit tibi, vt diu viuas in terra.

Ezech.45. Pondus æquum, domino eſt acceptum.

Bilanx æqua, itemq; menſura & chœnix æqua vobis ſint.

De ponderibus & ſtateris & menſuris iniquis,

Sermo. 52.

Pſal.61. VAni filij hominum, & fallaces in ponderibus, vt iniuriam faciant ipſi ex vanitate ſimul. Nolite ſpem habere in iniuria,& rapinam nõ deſyderate: diuitiæ ſi affluxerint, nolite cor in eis defigere. (*Hebræi habent, Si ſimul ponantur in bilance. ipſa vanitate leuiores erunt.*)

Prou.29. Pondera doloſa abominanda ſunt domino.

Statera magna & parua,& gemina mẽſura, ambo impura ſunt in conſpectu domini: quiq; ea facit,in ſuis inſtitutis irretietur impeditus.

Deteſtatur Dominus duplicem ſtateram,& pondus doloſum in conſpectu ipſius non gratum eſt.

Oſeæ.12. Chanaan eſt in manibus ipſius ſtatera doloſa,oppreſſionibus delectata eſt,&c. Labores eius non inuenientur in eo, propter iniurias quas fecit.

Amos 8. Audite hæc omnia,qui mane pauperem conteritis,& potentia mẽdicos opprimitis in terra,ac dicitis illa: quando tandem præterierit menſis, vt mercaturã noſtram faciamus, & aperiamus theſauros, vt minorem faciamus menſuram, & maiora pondera, & lancem faciamus iniquam,vt argento cõparemus egentes, & tenues calceamentis,& ex omni genere fructus mercemur.

Micheæ.6. Non iuſtificabitur in ſtatera iniquus, nec in ſacculo ponderum doloſorum quibus diuitias impietatis coaceruauerunt.

De excandeſcentia & ira,

Sermo. 53.

Matth. QViſquis iraſcitur fratri ſuo temere,iudicio erit obnoxius.

Ephes. Omnis acerbitas & excandeſcentia & ira, clamor,maledictum, ac ſimul omne vitium à vobis tollatur.

Sol ne occidat ſuper irritationem veſtram, nec date locum criminatori.

Salomonis Minæ conterunt cor ſapientis:inſipiens ne flagris quidem cæſus ſentit.

Stultus eo ipſo die enunciat iram, ſapiens autem paulatim promit.

Graue eſt ſaxum, & difficilis portatu arena, ſed ſtulti ira vtroque grauior:nam quo ſe inclinârit ira eius, ruinam dabit ipſi.

Iracundus & facilè excandeſcens, deformis eſt: itaque cum iracundo ne habites.

Sodalis hominis iracundi ne eſto:néue contubernalis ſis amico iracundo,ne quando ipſius inſtituta diſcas, & laqueos tendas animæ tuæ.

Baſilij hom.de ira Iracundus pugnas excitat:lenis autem, eam quæ excitari videbatur,ſedat & mitigat.

Ira excitat rixã,rixa parit cõuitia, conuitia ictus, ictus vulnera, & ſæpe vulnera mors conſequitur.

Regis ira,mortis nuncia:ſed ſapiẽs placabit illum.

In cap.5. Eſaiæ. Iracundia eſt feruor ſanguinis qui circumfuſus eſt cordi,ex euaporatione ſuccorum conſtans:ira autem eſt libido vlciſcendi, & viciſſim moleſtia afficiendi. Itaque illa celerem habet perturbationem, & motionem,hæc autem diuturniorem.

Theologi. Nec corona datur ſine aduerſariis,neque caſus & lapſus ſine aduerſario colluctatore.

Cæca eſt ira, & moleſtiarum plena, & maximè quum cauſa indignandi iuſta ſubeſt.

Iræ maximè parcendum eſt, nec ſtatim decet in bilem ferri, cuius ſtulti ſerui ſunt.

Chryſoſto. Nihil æquè mentis puritatem, & animi ſynceritatem turbat,ac immoderata ira quæ magno fertur impetu.

Iracundia eſt celeris ac breuis: ira autem tardior quidem,ſed diuturnior.

Duæ in nobis ſunt generales perturbationes, naturales magis quàm aliæ,ira & cupiditas.

Continentiam ne probes vbi clementia reiicitur.

In vehementiore ira, ſummum adhibendum eſt ſtudium & cautio: eſt enim affectus tyrannicus. Sæpe enim non ſobrios peruertit, & in barathrum exitij detrahit.

Prompta ferè per omnem vitam, iræ eſt ægritudo.

Iracũdus es?eſto in peccata tua talis:obiurga animum tuum, flagris cæde conſcientiã, vehemens eſto iudex & acerbus in propriis peccatis: hoc enim eſt iræ lucrum, ob hanc enim cauſam Deus nobis eam indidit.

Alieni ab ira ſimus: non enim vbi ira [illegible], furit habitat ſpiritus ſanctus.

Plutarchi. Iræ,quemadmodum canes,cæcas pariunt crimi-nationes.

Equi duri, frenis:at iræ vehementiores, ratione ducuntur & reguntur.

Vt aqua tepida,inflammationes:ſic oratio humanitatis

nitatis plena, iram restinguit.

Vt enim, Cæcitas, nubes: sic improborum vita, in se conuitia attrahit.

Euripidis. Nimirum in omnibus hominum habitat ira: nam qui iucunda audierit, voluptate corpus implet: qui autem contraria audierit, tumore afficitur.

Plato. Plato, seruo iratus, adstanti Xenocrati, Accipe, inquit, & flagris hunc cædito: ego enim irascor.

Democri. Castiga iudicio, non ira adhibita.

Vir improbus & veterator, clementiæ obrepens habitu, proximis quasi laqueus occultus prætenditur.

Menandri. Iræ medela est non (vt arbitror) alia,
Quàm verba amici ex ore proficiscentia.

Vt vehementer doleas, nihil tamen irritatus, temere agas: iram enim vincere (quæ alienissima rationis est) in perturbationibus, maximè sapientem decet.

Theogn. Haud licet ira tibi concedere congrua cuncta.

Ab iis qui iniuriam fecerint, ius aut rationem facti ne exigito: satis est enim illos suo premi malo.

Impius est qui non reueretur honoratum virum, nec animaduertit vt honorem illi habeat.

Immoderatum & inexplebile otium, aut stultitiam, aut insignem improbitatem procreat.

Leuipp. Dolor per pectus diffusus, animæ fomitẽ liquat: ira autem cor circumlatrans, furoris spuma, rationem quasi vndis obruit.

De simplicitate, & iniuriarum memoria, Sermo 54.

Matth. 10. AMen amen dico vobis, nisi cõuersi fueritis, & fiatis quasi pueri, nõ intrabitis in regnum cœlorum.

Matth. 5. Si munus tuum obtuleris ad aram, ibique recordatus fueris fratrem tuum aliquid aduersus te habere, relicto munere, adito primùm fratrem, eúmq; tibi reconciliato, deinde redito ad oblationem muneris tui.

1. Thes. 5. Videte ne quis malum pro malo reddat cuiquam, sed semper quod bonum est persequamini.

Sol ne occidat super iracundiam vestram.

Si alij alios mordetis & deuoratis, videte ne mutuo conficiamini.

Iudic. 14. Si ceciderit inimicus tuus, ne illius malo læteris, nec casu illius tollare: quia dominus intuebitur, nec placebit ipsi, ac iram suam ab illo auertet.

Viæ eorum qui iniuriarũ sunt memores, ad mortem ferunt.

Iniuriarum memor, exlex est.

Prouerb. 28. Condona iniuriam proximo tuo, & te precante peccata tua dissoluentur.

Basilij. Non decet vt super iracundia fratris sol occidat, nequando nox traducatur inter vtrumque, & relinquat in die iudicij inexcusabile crimen.

Improbus facillimè condemnat bonum, bonus autem ne improbum quidem facile accusat.

Nemo malum malo sanat, sed bono malum.

Quum inimicus tuus inciderit in manus tuas, nõ vindictæ, sed salutis occasionem esse credito.

Quum mente volutamus quæ à conseruis passi sumus, cogitemus etiam quemadmodum ipsi nos erga dominum gesserimus, ac nostrorum peccatorum metu impulsi, iram ex alienis peccatis susceptã A citò deponere poterimus.

Si enim licet peccatorum meminisse, nostrorum meminisse debemus solum: quod si nostrorum memores erimus, nunquam aliena supputabimus.

Si condonaueritis inimicis vestris, vobis condonabitur. Ignosce seruorum erratis, vt à domino veniã impetres peccatorum. Quod si grauiter peccarit, & te læserit, quanto maiora remiseris, tanto maiorẽ impetrabis veniam. Idcirco enim docemur dicere: Remitte nobis, sicut remittimus, vt intelligamus remissionis & condonationis modum, à nobis primum initium capere. Itaque inimicus, quanto maiori affecerit maleficio, tanto maiori afficit beneficio. Festinemus igitur ac properemus, vt eos qui molestia & dolore nos affecerint (siue iure siue iniuria irascantur) reconciliemus. Si enim hic reconciliatus fueris, illic iudicij condemnatione liberaberis: sin autem interea manente ira, mors interueniẽs simultati abducat in iudicium illud metuendum quod reliquum est, causam adduci necesse est, & extremo afficieris supplicio ex sententia illius omnium iudicis: Et ambó supplicium subibitis ineuitabile, alter iniustè iratus, quia iniustus: alter vero iustè propter ipsam, vtcunque iustam, iniuriarum memoriam.

Quod igitur ieiunio & lamentis, precibus, sacco, & cinere, & infinita confitendi ratione vix alij perficiunt, vt peccata abstergant sua: id nobis licet facile assequi sine sacco, cinere & ieiunio, si modo ex animi cogitatione iram deleamus, & omnino ex animo iis qui nobis iniuriam fecerint, ignoscamus. Philonis.

Quouis peccato, iniuriarũ memoria deterior est.

Quum delictorum veniam petis, fac ipse ignoscas iis qui in te peccarint, quia condonatio condonatione remuneratur: ac conseruorum nostrorum conciliatio, nobis fit à diuina ira liberatio.

In quibus alios reprehendere vis, in iis detrimentum maius esse existimato. Moschionis. Epicuri.

Hosti precanti ne denegato quod petit: sed te-ipse munito aduersus illum, cum à cane nihil differat.

Da operam vt inimicitias susciptas breues, amicitias autem sempiternas. Theopõpi.

Iniuriarum memoriã munera extingunt, id quod ex Iacobo discere licet, qui se in gratiam Esau fratris sui cum trecentis obuiam occurrentis muneribus insinuauit. Sed nos pauperes cum simus, quæ desunt mensæ compleamus. Euagrij.

Qui memor est iniuriæ dæmonum, non meminit iniuriæ hominum: & pacem cum dæmonibus agit, qui fratri irascitur. Martini Anachoretæ.

Crœsus filij interfectori, qui se ad supplicium offerebat, dedisse veniam dicitur: & huic ipsi Crœso magnus ille Cyrus post victoriam amicus factus esse fertur. Crœsi.

De proximo: quòd proximi onera ferenda sint, eíque succurrẽdum: & quod amicè reprehendere deceat, si quid indecenter egerit, non autem inimicitias cum illo gerere. Sermo 55.

Leuit. 19. DIliges proximum tuum tanquam teipsum. Acriter redargues proximũ tuum, nec illius causa scelus admittes.

Deut. 5. Nihil eorum quæ sunt proximi tui, cõcupiscito.

Iraſcimini,ſed nolite peccare.

Melior eſt qui reprehendit & arguit, quàm qui peruicax eſt.

Oſeæ. Qui libere arguit, pacem conciliat.

Cur impietatem ſilentio connexiſtis: & iniquitates eius vindemiaſtis?

Zachariæ. Nemo vitia proximorũ in corde ſuo recordetur.

Miſericordiam & miſerationẽ impertimini quiſque proximo ſuo ac fratri ſuo.

Ne ob quamlibet iniuriam proximo tuo iraſcitor.

Sirach.28. Remitte proximo iniuriam, & tum te precante, peccata tua delebuntur.

Melior eſt minore præditus intelligentia, ſi metu B ſe continet, quàm abundans prudentia qui legem violat.

Recordare præceptum,& ſic proximum tuum nõ negliges.

Recordare poſtrema quæ tibi eueniant, & inimicitias gerere deſinito.

Ex teipſo res proximi cognoſcito.

Matt.5. Si obtuleris munus tuum ad aram &c.

Si remiſeritis hominibus delicta ipſorum, remittet etiam vobis patèr veſter cœleſtis delicta veſtra.

Matt.18. Tum Petrus Domino dixit: Quoties peccabit in me frater meus,& remittam ei? Num vſque ſepties? Dicit ei Ieſus, Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſq; C ſeptuagies ſepties.

Lucę 17. Si frater tuus in te peccarit, obiurga eum: & ſi pœnituerit, remitte illi: & ſi ſepties in die peccarit in te, ſeptiésque in die reuertatur, ac dicat, Pœnitet me, remitte illi.

Videte ne contemnatis vnum de puſillis his: dico enim vobis, angelos ipſorum in cœlo continenter videre faciem patris mei, qui eſt in cœlis.

Rom.15. Debemus nos qui robuſti ſumus, infirmitates imbecillium ferre, nec nobis ipſis placere.

Vnuſquiſq; veſtrûm proximo placeat in eo quod bonum eſt ad ædificationem.

Nemo ſua quærat, ſed proximi commodis quiſ- D que ſeruiat.

Onera portate alij aliorum, & ſic explebitis legẽ Chriſti.

Eſtote igitur alij in alios ſuaues & commodi, miſericordes, condonantes viciſſim, quemadmodum Chriſtus condonauit.

Eſtote igitur imitatores Dei tanquam filij chariſſimi, ac in dilectione ambulate, quemadmodum ipſe Chriſtus vos dilexit, & ſeipſum pro vobis offerendum & mactandum Deo tradidit in odorem ſuaue-olentem.

Induimini, vt electi Dei ſancti ab ipſo dilecti, viſcera miſerationis, ſuauitatem, animi demiſſionẽ, clementiam, lenitatem. Ferte vos inuicem,& vobis E mutuo condonate, ſi quis cum aliquo habet expoſtulationem: vt Chriſtus condonauit vobis, ſic etiã vos condonare debetis alij aliis.

Hortamur vos fratres, vt eos qui immoderate, nullóque ordine ſeruato ſe gerunt, admoneatis: eos qui paruo ſunt animo conſolemini, & imbecilles ſuſtẽteris, & lenes erga omnes ſitis. Videte ne quis malum pro malo reddat, ſempérque quod bonum eſt, proſequimini, tum erga vos inuicem, tum erga alios omnes.

Pacem cum omnibus & ſanctificationem expeti-

A te, ſine qua dominum nemo viſurus eſt.

Vitia proximi ſui, nemo veſtrũ in animo cogitet.

Peccantes coram omnibus reprehende, vt cæteri metu in officio retineantur.

Vt qui in littore tuti ſunt, cùm, eorum qui in mare demerguntur calamitate afficiuntur, ſuam ſecuritatẽ & tutam ſtationem non amittunt propter ſolicitudinem quam de periclitantibus ſuſcipiunt: Sic etiam qui proximorum peccatis mœrent, ſuam non delent lætitiam, ſed contrà maiorem eam reddunt, dum propter lachrymas quas fratrum cauſa profuderint, domini gaudio digni habentur, propter affectionem illam qua alienis malis afficiuntur: quia talis lachryma, quaſi ſemen & fœnus æterni gaudij eſt. Baſilij. hom. de gratiarum actione.

Qui pro peccato proximi feruentem profuderit lachrymam, hic fratrem deplorando, ſe-ipſe ſanauit.

Qui conquieſcit, nec fratris ſui peccatum reprehendit, hic immiſericors eſt, & venenum quodammodo in morſum à diabolo immittit.

Scisne, quid boni proximo ſit faciendum? QVOD TIBI IPSE VIS AB ALTERO FIERI.

Qui proximũ ſicut ſeipſum diligit, is nihilo plus quàm proximus poſſidet.

C Remitte, cum tibi ſit remiſſum: miſerere, qui miſericordiam conſecutus es, humanitatéque tibi humanitatem parato. Theologi.

Caſum proximi ne rideto: tutò autem, quoad à te fieri poterit, tranſito. Quinetiam porrigito manum humi iacenti.

Concedamus aliquid exiguum, vt maius impetremus, nempè concordiam: patiamur nos vinci, vt vincamus. Videte athletarum conſuetudinem, & luctatorum certamina, qui ſæpenumero hoc ipſo quod ſuppoſiti ſunt, aduerſarios ſibi incumbentes vincunt.

Bonum eſt manſuetudine audaciam vincere, & D meliores efficere eos qui iniuriam faciunt, quæ toleramus patiendo.

Vnuſquiſque noſtrûm aliquid debet, & Chriſtus multa facit nomina. Veniã demus, vt impetremus: remittamus, vt nobis remittatur.

Pœnæ nihil ſi vindici debes Deo, Tetraſt.4o
Nec debitori lenis ipſe ſis tuo.
Debere ſin te non negas, ignoſcito.
Veniam rependit nam Deus clementiæ.

Satis eſt moderatis quidẽ, iniurioſos metu affici, atque ea expectare quibus ſunt digni: quæ enim quis tanquam perpeſſurus metuit, eadem patitur, etiamſi non patiatur: & fortè plus à ſeipſo punitur, quàm ab iis qui cruciaturi eſſent.

Sãtis eſſe exiſtimare debemus, ſi faciendi poteſtatem habemus. E

Satis mihi ſupplicij eſt aduerſus eos qui iniuriam intulerint, ſi vlciſcendi poteſtas fuerit.

Et ſæpenumero mentionem facio veniæ dandæ, vt quæ ad ſalutem, pudore affectum eum qui iniuriam intulerit, reducat: & metu liberatam, ad amorem alliciat mentem, quæ non prorſus deſipit. Videntur hæc iungẽda præcedenti veſtiui.

Multo eſt melius dolore exiguo comparare vtilitates maximas, quàm voluptates ſequendo, ſummæ totius damnum inferre.

Bonis præditi moribus, ad veniã dandã parati ſũt.

Ignoſcamus

Ignoſcamus alienis in nos peccatis, vt & ipſi veniam impetremus.

~~Note fallacium astutia cogitatio, vt iuste per~~
~~ſopitionem breue credit iniuriam, legibus~~
~~tradere puniendum.~~

Vt cum ratione vincere, ſic & honeſtè vinci didicimus.

Chryſoſtom. Quanto fortior fueris, tanto æquius eſt te, imbecilliorem ferre. Nõ enim ſibi ſolum fortis eſſe debet qui robore præditus eſt, ſed etiam aliis. Quod ſi dicis te fortem eſſe, & illius imbecillitatem contemnis, duplicem dabis pœnam: nam vnuſquiſque noſtrûm de ſalute proximi ſolicitus eſſe iure debet: itaque non tantum commmoda noſtra ſpectare & parare iuſſi ſumus, ſed etiam proximorum: pretio empti ſumus: qui autem nos redemit, hoc præſcripſit ad communem omnium vtilitatem.

Non ſimpliciter ad delictorum modum adhibẽda eſt obiurgatio, vel caſtigatio: ſed delinquẽtium conſilium etiam conſiderandum eſt, ne dum diſſutum conſuere vis, deteriorem efficias rupturam.

Difficile eſſe arbitror vt qui futurus ſit aliorum reprehenſor & caſtigator, animum ſuum ab audacia & ſuperbia longiſſimè abducat: & verbis tantũ non verberibus agat.

Clementis. † τῶν κακῶν πραγμάτων. Fidelis maximè, quæ fit ſcientia adhibita, reprehenſio: quando perfectiſſima eſt demonſtratio, † condemnatorum rerum cognitio.

Maius bonum eſſe iudico, reprehenſionem ferre quàm reprehendere: quanto maius eſt ſcilicet te ipſum liberari malo quàm liberare alium.

Methodij. Nec quiſquam tetricè monens eos qui in vituperatione dignam rem inciderint, coarguendo, oratione commota vtatur: nam dicere, cur peccaſti, grauius eſt & ſeuerius, quàm laboribus leuare: multum autem valet propriè, & vt decet, adhibita reprehenſio.

Philonis. Euagrij. Venia, pœnitentiam generat.

Talem te præſta omnibus, quales tibi omnes eſſe vis.

Nazianz. Veniam & condonationem peccatorum noſtrorum in condonatione proximi inuenimus. Et miſericordia Domini, in miſericordia quæ impertitur proximo, abſcondita eſt. Quamobrem dominus dicebat: Remittite, & remittetur vobis, in voluntate veſtra relinquitur ſalus veſtra.

Ad serm. 55. annot.

Theol. vnuſquiſque noſtrum] *Hoc loco articulus Græcus cum nomine ſuo cõfuſus, Geſnerum atque interpretem Ribittum ita turbauit, vt ſumma cum iniuria vocabulum illud ſede ſua eiecerint, eíque χειρὸς ſubrogarint. Quam quidem emendationem, ſi emendatio potius ea quàm depranatio dicenda eſt, quid eſt cur admittamus, cum prior lectio perbellè quadret, ac cum omnibus Gregorij codicib. conſentiat: in quibus ſic legitur,* ἕκαστος ἡμῶν ἐστιν ἐν ὀπτιμίοις (*quæ alluſio eſt ad* 8. *cap. Eccl.*) καὶ ὀχθὸς πολλὰ φέρει τὰ ὀφλήματα. i. vnuſquiſque noſtrum pœnæ obnoxius eſt, ac terra (*ſcil. ex qua orti ſumus*) multa ſecum debita trahit. *Eſt autem hic locus orat. ad ciues Nazianz. Billius.*

Et ſæpenumero] *Græca ſic corrigenda ſunt* καὶ τὸ συγγνῶμον πολλάκις μέγα πρὸς σωτηρίαν, αἰδοῖ καθείρξον τὸν ἀδικήσαντα, καὶ μετάλλον εἰς φίλτρον ἐκ φόβου, τὴν ἀσφαλεστέραν εὔνοιαν. i. *Ignoſcendi facilitas magno perſæpè adiumento eſt ad ſalutem, vt quæ eum, qui iniuriam intulit, pudore reprimat, atque ex metu ad amorem, quæ certior beneuolentia eſt, traducat. Billius.*

De iis qui non remittunt, ac iniurias meminerunt. Sermo 56.

VIæ eorum qui iniuriam meminerunt, ad mortem ferunt. Prouer. 16.

Inimicitiam cælans, dolum mãchinatur.

Qui odit occultare iniuriam, amicos & familiares diſſociat.

Iniurias meminerunt, & vlti ſunt, quamobrem hæc dicit Dominus: Extendam manum meam aduerſus Idumæam, & exterminabo ex ea hominem, eámque vaſtabo. Ezech. 35.

Qui ſe vlciſcitur, eum Dominus vlciſcetur, eiúsque peccata ſedulo obſeruabit. Syrach. 28.

Homo homini iraſcitur, & à Domino ſanari quęrit: homini ſui ſimili miſericordiam non impertit, & pro peccatis ſuis precatur: ipſe caro cum ſit, iracundiam retinet, & quis Deo placato peccata illius expiabit? Fac eorum quæ ad extremum tibi euentura ſunt, memineris: & deſine inimicitias gerere. Recordare præcepta, proximo autem ne ſuccenſeas. Perpende pactum altiſſimi, & parce inſcitiæ. Ibidem.

Si non remiſeritis hominibus delicta ipſorum, ne pater quidẽ cœleſtis remittet vobis peccata veſtra. Matth. 6.

Si alij alios mordetis & deuoratis, videte ne alij ab aliis conficiamini. 1. Cor. 3.

Sæpe qui hoc morbo tenentur vt iniurias recordentur, in manifeſtum & certum malum ſe coniiciunt, vlciſcendi cupiditate impulſi, ac ſui omnino obliti: Etenim quaſi œſtro, memoria eorum qui moleſtia affecerint, tabeſcunt, & bulliente ac ſaliẽte eorum ira, nõ prius deſiſtunt quàm mali aliquid ei qui ipſos irritarit, dederint, ſicubi fortè in eum inciderint. Baſilij.

Scimus difficile eſſe, recenti adhuc iniuria & ira feruente, recipere rationis conſilia. Cæca enim ira eſt, & dolor, & maxime ſi iuſta fuerit indignationis cauſa: Sed non idcirco etiam noſipſi iniuria afficiemus, nec eum qui iniuriam fecit tantum oderimus, quantum nobis non expedit: nec noſtram erga Deum libertatem amittemus, inimici exiſtentes eorum qui iniuriam fecerint, & ſupra modum indignantes. Theologi.

Peccata obſeruamus, non vt lugeamus, ſed vt exprobremus: nec vt ſanemus, ſed vt præterea vulneremus: & proximorum vulnera pro noſtrorum malorum excuſatione habemus.

Aequè vitioſum eſt obſequium immoderatum, & condemnatio omni venia ſemota: illud enim totas laxat habenas, hæc acerbitate præfocat.

Quid poteſt eſſe iniuriarum recordatione deterius, quæ humanitatem Domini promptam reuocat & amolitur? Chryſoſtomi.

Quum memoria repetimus quæ à conſeruis paſſi ſumus: & quæ deinceps ſequuntur. *Vide ſupra in Sermone* 54. *mox poſt citatum Baſilium.*

Multi ſunt pecudibus ipſis deteriores, qui ne ſalutare quidem dignantur priores proximum, exiſtimantes ſe contumelia affici & contemni, ſi vel tenuem quandam impertiant ſalutationem. Sed

quid esse potest ista stultitia ridiculum magis? tum enim contumelia afficeris, tum ignominia notaris ô homo, cùm prior te tuus proximus alloquitur.

Non reconciliari ei qui molestiam exhibuerit, non tam est illum vlcisci, quàm contumelia Deum afficere, qui hanc legem præscripsit.

Ad serm. 56. annot.

Basil. sæpè qui hoc morbo] *In hac sententia quæ decerpta est ex hom.* 10. *de Ira siue contra iracscentes, primum nota hæc verba* πολλάκις ὁι τῷ τῆς μνησικακίας παθει κρατούμενοι, *esse addita ab Antonio & ad ea accommodata quæ in iratos dicuntur. Deinde aliter quædam hîc & apud Basilium se habere. nam quod Antonius,* τῇ μνήμῃ τῶν λελυπηκότων τηκόμενοι, σφύζοντος αὐτῶν τὸ θυμῷ : *Basil.* τῇ μνήμῃ τῶν λελυπηκότων περικεντούμενοι, σφαδάζοντος αὐτοῖς τὸ θυμῷ. Eorum namque recordatione, quibus læsi sunt, veluti œstro stimulati. *Sanè enim œstro incitari dicimur non tabescere*, ira in ipsis tumultuante seséque commouente. *Postrema non satis fidus interpres reddit quod erant leuiter immutata*, πρὶν ἢ κακόν τι δρᾶσαι τῷ προξύναντι, ἢ πᾶν τὸ χαλεπὸν ἐὰν τύχῃ non desinunt antè, quàm aut mali aliquid ei, qui illos irritauit, dederint, aut certè aliquid præterea acceperint, si ita contingat. *Et quæ addit explicant sententiam, ait enim sæpè quæ cum impetu alliduntur aliis rebus solidis plus accipere incommodi, quàm inferant.*

Theol. scimus difficile.] *Delectauit me quòd hanc* γνώμλν *initio epistolæ* 198 *offendi inter eas quæ nuper editæ sunt primùm in lucem à doctissimo I. Billio vt illis & auctoritas ex hoc libro & subsidium comparetur. Nam initium suspectum erroris fuit Billio cùm legeret* θυμῷ ζέοντος, ἐπὶ παραχθλῶσι λογισμὸς, *at in Græco Antonij rectius opinor* θυμῷ ζέοντος ἐπὶ, προσδεχθλῶσι λογισμὸς. *Porro quod sequitur* μηδὲ τοσοῦτον τὸν ἠδικηκότα μνησικακῶμλν, *aliter apud Gregor.* μηδὲ τοσοῦτον τλὼ εὐσέβειαν μισῶμλν nec tantum pietatis odium concipiamus.

Æquè vitiosum est obsequium] *In Græco pro* ἄρεσις *vna litera mutata* ἄνεσις ἀσωφρόνιστος *legendum. Aequè vitiosa est indulgentia & noxæ cõdonatio inconsiderata.*

Chrysost. Quid potest esse] humanitatem promptam ἐνενεχθεῖσαν *i. instar sententiæ cuiusdam prolatam. loquitur de seruo illo, cuius erga conseruum crudelitate factũ est, vt Dominus in Euangelio benignitatem suam, debitæque pecuniæ remissionem reuocarit. Billius ibid.*

De gratis & beneficia agnoscentibus, Sermo 57.

Psal.115. QVid retribuã Domino pro omnibus quæ mihi largitus est?

136. Si obliuiscar tui Hierusalem, in obliuionem veniat dextra mea, agglutinetur lingua mea gutturi meo.

Salomonis. Prudentiæ est agnoscere cui debeatur gratia.

Qui gratiam refert, in futurum prospicit, ac in tẽpore miseriæ suæ inueniet quo stabiliatur.

Syrach.29. Gratia hominis tanquam pupilla oculi obseruanda.

Lucæ 17. Vnus autem de leprosis cum vidisset se esse sanatum, cum magna voce reuersus est Deum laude celebrans, & cecidit in faciem suam ad pedes Iesu, gratias illi agens: is autem erat Samaritanus.

2. Thess.5. In omni re gratias agite: hoc enim Deus requirit

A à vobis, qui Christum Iesum agnoscitis. 968

Impertiatur Dominus misericordiam Onesiphori familiæ, quia sæpe me recreauit & refecit, nec catenæ meæ eum puduit, sed cum Romam venisset, summa diligentia me quæsiuit, & inuenit: faxit Dominus, vt illo die misericordiam cõsequatur. 1. Tim 1.

Beneficiorum acceptorum commemoratio, honesta est laudandi occasio. Basilij.

Benemeritis vltro debemus omnem beneuolentiam præstare.

Reddemus igitur cum fœnore debitum, si modo tanta copia abundare videamur. Theologi.

Quando, quantum debemus ad gratiam vobis re- Chrysosto-
B ferendam, dicere non valemus, dicimus quantum possumus. mi.

Nihil tam valet ad beneuolentiam conciliãdam, quàm beneficiorum prædicatio acceptorum. Philonis.

De ingratis & beneficia non agnoscentibus, Sermo 58.

MAla pro bonis mihi reddiderunt. Calumniabantur me, cum diligerem eos. Ego autem precabar, & mala pro bonis mihi reposuerunt, & odium pro dilectione mea. Psal.33.

Qui mala pro bonis reddit, ex eius familia mala
C non mouebuntur. Prou.17.

Væ illis, quia resilierunt à me, infœlices sunt, quia impij in me fuerunt. Ego enim redemeram eos, ipsi vero oblocuti sunt mihi falsò. Matt.7.

Audi cœlum, auribus percipe terra, quia Dominus loquitur: Filios procreaui, euexi, ipsi verò me reiecerunt: agnoscit bos dominum suum possidentem, & asinus præsepè domini sui, Israël autem me non agnoscit, & populus meus non intelligit. Esaiæ 1.

Ingrati spes, quasi hyberna pruina liquescet, & defluet vt inutilis aqua. Sapien.16.

Ingrata mens deseret eum à quo aliquando fuerit liberata. Syrach.19.

D Hospitio & potu excipies ingratum, & insuper acerba audies, &c. Duplicia enim mala comparabis tibi pro omnibus bonis, quæ in eum contuleris. Ibidem.

Indigna res, eum qui sit beneficio affectus vel maximis oppigneratorum remissionibus & condonationibus, præterquàm quod ingratus sit, etiam iniuria & ignominia lacessere: indignum quidem id est, sed facienti, maiori est damno, quàm patienti. Basilij.

Ingrati animi, in alienatione bonorum, præteritam gratiam sentire consueuerunt: cum enim acceperint à liberalioribus, nullam largienti habent gratiam: priuati autem, præterita beata prædicant.

E Admiranda illa quidem ingratitudo est, quæ bene merentis beneuolentiam, ingratitudinis occasionem facit.

Permulti sunt morosis hominibus similes, id quod adest contemnentes, & quæ absunt requirentes: non enim indigentiores ipsis enumerando, pro iis quæ possident gratias agunt domino: sed comparantes sua cum excellentissimis, & quãtum vincantur cogitantes, quasi propriis careant, quòd aliena non habeant, cruciantur & queruntur.

Multos hominum videre licet, beneficiis acceptis, mancipiorum ritu, de se bene meritos cõtemnere, Chrysosto.

nere, & aduersus illos supercilia contrahere.

Vitium maximum ingratitudo videtur, indignũ profecto & perquam indignum vitium. Nam beneficio aliquo affectum, non conari rependere, si non licet aliter, at saltem gratias verbis agendo, vel omnino stulti & beneficia non sentiẽtis, vel ingrati hominis est.

Hîc deest SERMO. 59. qui inscribitur: De consultore & illis qui consilium & reprehensionem admittunt: & quòd intelligere oporteat qualis sit consultor.

De iis qui consilium & reprehensionem non admittunt, Sermo 60.

Salomonis. IN aures insipientis nihil dicito, ne quando sermones tuos prudentiæ plenos irrideat.

Prou. 17. Malos ne reprehendito, vt illis odio ne sis.

Reprehensio, impio est pro vibicibus.

Qui odit reprehensionem & castigationem, insipiens est.

Qui malos castigat, sibi pariet dedecus.

Qui castigationes odêre, turpiter vitam finient.

Imperitus non amabit castigantes ipsum.

Amos 3. Oderunt in portis, reprehendentem, & sanctam orationem abhominati sunt.

Hermæ. Omnes reprehendentes in portis, pro offendiculo habebuntur.

Locutus sum tibi in delicto tuo, & respondisti te non auditurum.

Syrach. Hæc fatur dominus: Ecce ego posui ante vestrum conspectum viam vitæ & viam mortis.

Improbus castigationem declinare solet.

Sent. Vir cõsilio carens, nauigium est gubernatore destitutum.

Si peccârit frater tuus, reprehende ipsum dum solus es: Si te audierit, lucratus es fratrem tuum.

Idiq. Qui non recipit, sibi à fratre adhibitam curationem, is secum ipse dissidet.

Stoici. Omnis anima repudians admonitiones, incurabilis est.

Amicè reprehendens, nõ est extra terminos amicitiæ eiiciendus.

Sen. Inanis est omnis oratio, quæ ad corrigendum adhibetur, si auditorum voluntas & studium ad deterius inclinans, consilio nostro aduersatur.

Crysost. Multi sæpenumero ne viderentur alterius egere consilio maluerunt prodere & amittere vtilitatem, quæ à consilio profecta fuisset, quàm audiendo admonitiones, errata corrigere: & ignorare quàm discere maluerunt: nescientes in discẽdo nullum esse crimen, sed in ignorando: nec discere, sed inscitiam retinere: nec reprehendi & castigari, sed peccare ita vt corrigi nolis, vitio dari. Licet enim, licet, vel apud hominem infimum & abiectissimum, aliquid rectũ, quódque deceat inuenire, quod apud sapientem & magnum sæpè non reperitur.

Dauid, Iobi, monitione contempta, mulctæ subiacet diuinæ.

Roboam consilio maiorum natu repudiato, populum suum dissipauit.

Philonis. Nemini improborum, castigatio voluptati est.

Inanis est omnis ad honestatem exhortãs oratio, cum audientium animi ad deterius conspirant.

De pudore honesto, Sermo 61.

SEm & Iaphet acceptam vestem imposuerunt super dorsa sua, & auersi accesserunt, & nuditatẽ patris sui contexerunt: auersi igitur cum essent, nuditatem patris sui non viderunt. Genes. 9.

Salomonis Est pudor qui peccatum adducit, est qui gloriã & gratiam.

Syrach. 32. Non est honestum, quemuis pudorem cauere.

Vt à tonitru confestim prodit fulgur: sic à verecũdo & pudente proficiscetur gratia.

Verecundare coram parentibus de scortatione, coram præfecto & tyranno de mendacio, apud iudicem & magistratum de errato, apud socium & amicum de iniuria: in loco vbi habitas, de furto verendum est: in cogitatione, de muliere nupta, & à curiosa eius ancilla: ab amico de verbo exprobrationis, & patefactione arcanorum sermonum. Et eris verè verecundus, erisq; gratiosus apud omnes.

Theologi. Tetrast. 36. Malum vocari turpe, non ignobilem.

Sunt namque pridem putridæ carnes genus:

Genus auspicari præstat, id quàm soluere.

Chrysost. Verecundum, oportet peccatum vereri, & ne Deum offendat, & ne quid turpe admittat.

Synesij. Est igitur & hoc secundum bonum, vereri: nam nunquam peccare palàm, est diuini cuiusdam fati, & naturæ. Rubor autem qui ob non rectè facta innascitur, temperantiæ indicat colorem.

De verecundia improbanda, Sermo 62.

Syrach. DE anima tua ne verearis: est enim pudor qui peccatum inducit, alter verò gloriam & gratiam: & ne accipias personam cõtra animam tuam, nec verearis in ruinam tuam.

Est qui pudoris gratiam aliquando professus amico, parauit eum sibi inimicum gratis.

Non est honestum, quamuis verecundiam obseruare.

Ira & impudentia & pudendum quiddam est, si vxor marito necessaria præbeat.

Mulieri improbæ, honestũ est obsignata esse omnia: & vbi manus multæ, claudendum est: cuicunque dederis, numero & pondere, & datum & acceptum omnia perscribantur.

Est qui pudore perdit animam suam, & personæ acceptione perdet eam.

Philonis. Pudorem aiunt plerisque inutilem esse.

De iis qui iureiurando frequenter vtuntur: item non licere frustra vsurpare iusiurandum aut omnino iurare, Sermo 63.

Exo. 20. NOmen Domini Dei tui ne in vano & re nihili vsurpato, non enim purum existimabit Dominus, eum qui nomen ipsius in vano vsurparit.

Leuit. 19. Nomen meum ne iurate in re iniqua, nec prophanate nomen Domini Dei vestri.

Eccle. Iuri-iurando ne assuefacito os tuum, & sancti nominationi non assuescas.

Sirach. 23. Qui multum iurat, iniquitate replebitur, nec flagellum ab illius domo recedet.

Matt. 5. Audistis dictum esse antiquis, nõ esse peierandũ, sed reddendum Domino iusiurandum. Ego vero dico nõ iurandum omnino: neque per cœlũ, quod

thronus sit Dei:neque per terram, quod ea sit scabellum pedum eius: sed nec per caput tuum iurabueris, quia non potes capillum vnum cãdidum aut atrum facere:sed sit sermo vester, etiam, etiam: & non,non:quod enim præter hæc adiicitur, ex malo est.

Iacobi.5. Ante omnia, fratres mei nolite iurare,neque per cœlum, neque per terram, nec vllo alio modo iuratote. Sed sit vestrum,etiam,etiam:& non,non.

Theologi. Lex ait, non peierabis: tu vero ne initio quidem iurato, neque per rem minimam neque per maximam,quod iusiurandum,periurium pariat.

Chrysost. ~~Iusiurandum, omnis controuersiæ finis est ad cõfirmationem.~~

Gregorij. Nissi. Philonis. Iuramentum, est oratio confirmans per se veritatem.

Iusiurandũ est testificatio Dei de re cõtrouersa.

† χρῆσθαι ὀμνύειν. Iusiurandum ita fugito, † vt ne sanctè quidem iures.

*Isocratis. * Bonos viros decet, vt eos mores afferre videantur qui sint iureiurando firmiores.

Iusiurãdum oblatum,duabus de causis suscipito: aut te à crimine absoluens, aut amicos ex magnis periculis liberans.

Pecuniæ causa nequicquam Deum iurâris, ne si sancte quidem iuraturus sis:aliis enim peierare, aliis auarus esse videberis.

Eusebij. Multi solent monere alios, vt sanctè iurent: ego vero ne ab initio quidem, facile iurare licitum esse censeo.

Solonis. Morum probitatem iureiurando firmiorem, habere oportet.

De multum iurantibus & iusiurandum exigentibus.

Sermo 64.

Leuitici 5. SI anima peccarit & vocem iurisiurandi audierit, & hic testis vel vidit, vel conscius est, nisi enuntiarit,asciscet sibi peccatum illius.

Salomonis Si qui iusiurandum additum audierint,nec enunciauerint,quod homines aut metuerent, aut reuererentur, fraudem admiserunt.

Zach.17. Hæc dicit Dominus: Viuo ego,nisi testamentum meum quod violauit, & iusiurandum meum quod dedecore affecit,dedero in caput eius,& extendam rete meum in eum,capietúrque in munitione sua.

Sapientiæ, Salom. 14. Iniquè doloséque iurauerunt,sanctitate contempta:non enim iurantium potestas, sed peccantium supplicium,persequitur semper iniquorum præuaricationem.

Sirach. 13. Vt seruus semper vapulans,flagello non emendatur:sic iurans & Deum nominans semper, à peccato non repurgatur.

Qui multum iurat, iniquitate plenus esse solet, nec ab illius domo discedet flagellum.

Confirmans mendacium iureiurando,exitiosam inhumanitatis mercem,videlicet periurium, comparat.

Chrysosto. Non tam interficit ensis, quàm iurisiurandi natura:non tã occidit gladius, quàm iurisiurandi plaga. Qui iurat,etsi videtur viuere,tamen iã mortuus est,& plagam accepit: Ac quemadmodum cui iniectus est laqueus, priusquàm ex vrbe egrediatur & adstantem videat carnificem,mortuus est,simul atque ianuam egressus est prætorij. Sic & qui falsò mendacitérque iurârit,etiamsi viuat,mortuus est.

Ex frequenti iureiurando, periurium nascitur. Philonis.

Aiunt quidam,iusiurandum verum, non esse reiiciẽdum:sed qui iam iurarit, eius fides in suspicionem venit.

Testificatio Dei est de rebus ambiguis, iusiurandum:testem autem adhibere in mendacio Deum, summè impium est.

~~Fusiurandum ab veritate, placidum [illegible] &c.~~

De zelo bono & imitatione bona,

Sermo 65.

B DIxit Dominus,Exemplum dedi vobis,vt quẽ- Ioan.13. admodum ego feci vobis,sic & vos alij aliis faciatis.

Aemulamini dona perfectiora.

Imitatores mei estote, quemadmodum & ego Christi. 1.Cor.4.

Consideremus alij alios ad charitatis prouocationem,& honestorum operum.

Memores estote eorum qui vobis præsunt, qui vobis verbum Dei ministrarunt,quorum contemplantes exitum conuersationis,imitamini fidem.

Dilecte, noli tibi malum ad imitandum propo- 3 Ioan.1. nere,sed id quod bonum est:qui bene facit,ex Deo est:at qui malè, Deum non vidit.

C Imitatio,conciliatio est,& coniungit cũ eo quod Synesij. imitandum proponitur,imitantem.

Si videris ethnicum vitæ temperatæ, & reliquæ Basilij. morum honestatis studiosum supra te, tuum etiam studium intende, vt fias assimilis fructuosæ ficui, quæ per caprifici viciniã vires suas colligit, ac diffusionem cohibens melius suos fructus alit & producit.

De zelo & imitatione praua, Sermo 66.

EGo Dominus Deus vester: Secundum instituta Leuit.18. Ægypti,in qua incolæ fuistis, non viuetis:nec ex institutis Chananæorũ vitam instituetis,in quorum agrum vos inducam,nec ex legibus eorum re-

D gemini, ne terra detestetur vos, sicut detestata est eos qui habitabant in ipsa.

Beatus qui non adiit consilia impiorum,& in via Psal.1. sceleratorũ non stetit, & in cathedra pestilenti non sedit.

Noli æmulari sceleratà viuentes,nec legis violatores, quia sicut herba cito exarescent. Salomonis

Vide ne prauorum hominum dedecora asciscas, nec vias illorum sequaris.

Fili noli æmulari improbos, nec cum illis esse cõ- Prou.24. cupiscas:mendacia enim meditatur cor eorum, & molestias labia eorum loquuntur.

Ne delectare malis,nec improbos æmulare.

E Fili ne legis contemptorum vias sequare, vbicunque castrametati fuerint, eò ne accedas, declina illos & præteri,non enim somnum capere solent, nisi malefecerint, detractus est illis somnus, nec dormiunt. Isti enim cibis impietatis aluntur, & vino iniquitatis inebriantur.

Impiorum vias ne ingrediaris, nec exlegum viam quæras.

Noli æmulari gloriam sceleratorum:ignoras enim Sirach. quid exitus ipsorum ferat.

Semper decet æmulari honesta. Galat.4.

Fugite imitationes condemnatorum.

Noli

Noli quicquam æmulari eorum quibus non in- Basilij.
uidetur, sed odio habentur.
Noli cogitare te malis videri præstantiorem, sed Theologi.
tristare quod sis bonis inferior.

De charitate, pace, concordia & pacificis, Sermo 67.

Quære pacem, & eam persequere, Psal. 33.
Est derelictio homini pacifico.
Cum iis qui pacem oderunt, eram pacificus.
Cupientes pacem, lætitia afficientur. Salomonis
Occultant inimicitiam labia iusta.
Liberè reprehendens, pacem conciliat.
Iram viri mitigat famulus taciturnus.
Qui œlat iniuriam, quærit amicitiam.
Omnes non contentiosos teget amicitia.
Simulatio summisse se gerens, iram auertit.

Melius est frustum panis cum lætitia in pace, quã domus multis bonis plena, & iniquis victimis cum contentione.

Melius est accipi hospitem oleribus amicè & gratiosè, quàm si apponerentur vituli cum inimicitia.

Veritatem & pacem diligite, dicit Dominus. Zacha. 8. Luce 16.

Pacem Domine Deus da nobis, cum omnia nobis dederis.

Si prospera & pacifica tibi fuerint omnia, plurimi sese tibi coniungent. Prouerb.

Dixit Dominus, Diligite inimicos vestros: benedicite iis, qui execrantur vos: benefacite iis, qui vos oderunt: & orate pro iis qui vos offendunt & persequuntur, vt sitis filij patris vestri, qui est in cœlis: quia solem suum exoriri facit super improbos & probos, & pluuiã demittit super iustos & iniustos. Matt.

Beati pacifici, quoniam ipsi filij Dei vocabũtur.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.

In quãcunque domum ingressi fueritis, primum dicite, Pax huic domui: & si fuerit illic filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin secus, ad vos se reflectet.

Quoad à vobis fieri potest, cum omnibus homi- Rom. 12.
nibus pacem habete.

Pacem persequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo Deum visurus est.

Nemini quicquam debete, nisi vt mutuò alij alios diligatis: qui enim alterum diligit, legẽ compleuit: nam illud, Non committes adulterium, Non furaberis, Non falsum dices testimonium, Non concupisces, & si quod præterea est aliud mandatum, in hoc sermone summatim comprehenditur, qui est: Diligito proximum tuum tanquam teipsum.

Dilectio, proximum malo non afficit: expletio igitur legis, est dilectio.

Tota lex in vno solo completa est, in illo videlicet: Proximum tanquam teipsum diligito.

Ex puro corde alij alios vehementer diligitote: 1. Pet. 4.
charitas enim operit multitudinem peccatorum.

Si quis dicat se Deum diligere, & fratrem suum 1. Ioan. 4.
oderit, mendax est. Qui enim fratrem suum non diligit quem videt, quo tandem modo diligere potest Deum quem non videt?

Nihil est pace melius, qua omne bellũ dirimitur. Ignatij, Basilij.

Quàm sit res honesta pax, quid necesse est commemorare apud filios pacis? nihil est tam proprium Christiani, quàm pacem conciliare & pacificũ esse:

Ita itaque Dominus mercedem maximam nobis propter illam promisit.

Ratam facite charitatem, qua remota nullũ mandatum confici posse Dominus ipse affirmauit.

Non omnium Deus, Deus est: sed sibi coniunctorum per charitatem.

Nihil tam firmum ad charitatem, quàm mutua affectio. Theologi.

Humana est charitas, vel potius ipsa humanitas.

Non satis est animi affectio, nisi & re ipsa declaretur: opus enim, affectionis argumentum & probatio est.

Deo proximi rerúmque diuinarũ participes esse censentur, qui pacis commoda amplectuntur, & è contrario seditionem oderunt, & molestè ferunt.

Laudabilius est bellum, quàm pax ea quæ nos à Deo disiungit & separat.

Præstat honestè vinci, quàm periculosè contra fas vincere. or. 1. apologet.

Nemo ita existimet me in ea esse sententia, vt dicam omnem pacem esse amplectendam: noui enim vt seditionem quandam optimam, sic nocentissimam concordiam: sed eam quæ honesta sit, & ob rem honestam suscipiatur, quęq; Deo nos copulet, probandam esse censeo. or. 12. de pace.

Plurimum valet ad concordiam, alienis affici malis: & ad consilium capiendum, concordia.

In amore nulla est satietas, qui nisi re amata potiatur, maiorem concipit flammam: atque id huius cultor virtutis Paulus declarans, dicebat: Nemini quicquam debetote, nisi vt inuicem diligatis. Rom. 13.

Dilectio, omnis virtutis effectrix.

Optima & præstantissima res est concordia, & consensio mutua.

Vt enim cum irascimur, & contendimus, & confligimus inuicem, diabolus gaudet & regnat: sic nobis in pace viuentibus & iram regentibus, mœrore cõtrahitur & abiectus redditur: quippe qui sit pacis hostis, & concordię inimicus, & inuidentiæ pater.

Caput bene sentientium pax est. Gregorij Nysseni.

Vt valetudine recuperata morbus euanescit, & lumine illato tenebræ recedunt: sic pace obortа, dissoluuntur omnes perturbationes quæ ab aduersario productæ erant.

Pax, est dissidentium concordia & consensio.

Bellum honestum, pace turpi magis expetẽdum.

Pax bona, magnum malorum ipsi contrariorum numerum ex animo depellere & fugare solet.

Omnis malorum turba, charitatis affectione exterminatur. Clementis.

Multis modis charitas intelligitur & sentitur, clementia, suauitate, patiẽtia, inuidentiæ & ęmulationis vacuitate, & iniuriarũ obliuione: indiuidua est in omnib⁹, inseparabilis, & ad impertiẽdũ propẽsa. 2. Stromat.

Amare inimicos iubet: non autem malum, neque impietatem, aut adulterium, aut furtum: sed furem, & adulterum, nõ quia peccet, & illa turpi actione, hominis vocabulum cõtaminet: sed quia homo sit, & Dei opus. Peccatum certè actio est, non substãtia, ideóque ne opus quidem Dei est.

Pax vel cũ magno damno cõiuncta, vtilior bello. Philonis.

Pax ex recta præfectorum administratione nascitur.

Pax maximum bonum est, quod nullus omnino mortalium præstare posset: siquidem diuinum hoc donum est.

Cratetis. Crates Thebanus fertur familias dissidentes adiisse,& de pace verba faciendo lites diremisse.

Democriti Seipsum vincere,omnium victoriarum prima & pulcherrima:vinci autem à seipso, & turpissimum & pessimum est.

Lamachi. Lamachus cum quendam manipuli ductorem obiurgaret peccantem,illéque respondisset, Se in reliquum tempus non peccaturum: Non licet, inquit,in bello bis peccate.

AD SERM. 67. ANNOT.

Ignat. Nihil est pace] *Hæc quidem ex Græco Antonij sic exprimenda erant,at apud ipsum D.Ignatium epistola 14. ad Ephesios sic effertur hæc sententia* οὐδὲν ἄμεινον τῆς κατὰ χριστὸν εἰρήνης, ἐν ᾗ πᾶς πόλεμος καταργεῖται, ἀερίων, καὶ ὑπογείων πνευμάτων. *Nihil præstantius quàm pax secundùm Christum, qua bellum omne aboletur tam aeriorũ, quàm terrenorum spirituum.*

Theol.Deo proximi.] Et è cõtrario seditionem. *Apud Gregor. orat. 12.de pace.i.* καὶ τῷ ἐναντίῳ τῇ φάσει ἀπεχθανόμενοι,& qui ei contrariam discordiam oderunt,& molestè ferunt. *Imo & ex ipso Antonio sic vertendum fuit.*

Laudabilius est] *Græca Antonij & Gregorij ipsius sic reperies* κρεῖσσόν ἐστι νικᾶν πόλεμος εἰρήνης χωρὶς θεοῦ. Melius est laudabile bellum, quàm pax quæ nos à Deo disiungit. *In quem locum orationis 1. Apologet. scribens Elias Cretensis ait præstabilius esse pro Deo bellum gerere,quàm pacem cũ hæreticis colere,profertque sententiam Demosthenis* πόλεμος ἔνδοξος εἰρήνης αἰσχρᾶς ἀσφαλέστερος *optabilius splendidum bellum turpi pace. Quodnam porrò splendidius esse posit, quàm pro fide & summis de Theologia quæstionibus bellum gerere.*

De odio & inimicitiis,& pugnas serentibus,
Sermo 68.

Iudicũ. 11. IEphtha nuncios misit ad regem Ammonitarum, cum huiusmodi mandatis: Quid tibi mecum rei est, quod venis in fines agri nostri bellatum? nihil in te peccaui:& tu mecum malitiosè agis, qui mihi bellum inferas. Iudicet Dominus de causa Israelitarum & Ammonitarum. Rex autem Ammonitarum non acquieuit orationi Iephthæ,qua per nuncios apud illum vsus erat: & corripuit Iephthã spiritus Domini, & progressus est ad bellum inferendum filiis Ammonis, tradidítq; eos Dominus in manus ei,vastauítque viginti vrbes: & Ammonitæ timuerunt Israëlitas.

Dauid. Seda iracundiam,& iram omitte,noli ita æmulari vt improbè agas:quia improbi funditus peribunt.

Disperge gentes quæ bella volunt.

Salo.15. Odium excitat contentionem.

Quocunque ingressa fuerit contumelia,eò etiam ignominia.

Vir iracundus præparat pugnas.

Contradictiones excitat omnis malus:Dominus autem illi mittet angelum immisericordem.

Peccandi cupidus,pugnis gaudet:molesta oratio excitat iras.

Ne insultes aut irruas in prælium citò, ne ad extremum te eius pœniteat.

Vt ferrum acuit ferrum,sic homo hominẽ irritat.

Noli sine causa inimicitias cum quoquam suscipere,ne quid in te mali excogitet.

Contritio & miseria in viis eorum, nec viam pacis norũt,nec est in viis eorum iudicium: viæ enim quas ingrediuntur,prauæ sunt,nec pacẽ nouerunt. Esaiæ 59.

Tota familia Israëlitica ex contentiosis & peruicacibus constat. Ezechiel.

Improbus exacerbat amicos,& inter concorditer viuentes iniicit calumniam.

Contentio festinata emittit ignem, & pugna accelerata effundit sanguinem. Syrach. 28.

Omne regnum secũ dissidens desolabitur, itémque ciuitas omnis ac familia diuisa aduersus seipsã, non stabit. Matth. 12.

Quia multiplicabitur iniquitas,frigescet charitas multorum.

Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus,nec Ecclesia Dei. 1. Cor. 11.

Qui conturbat vos, damnationem portabit quicunque tandem sit.

Quum enim in vobis contentio & æmulatio & seditiones sint, nónne carnales estis, & hominum ritu ambulatis & viuitis? Iacob. 3.

Vbi æmulatio & contentio, ibi inconstantia & omnis improbitas.

Seruum Domini non decet pugnare,sed erga omnes mitem esse.

Si quis dicat se Deum diligere, & fratrem suum oderit,mendax est. 1. Ioan. 4.

Defecit dilectio mandatorum radix. Basilij.

In certaminibus improbitatis miserior est qui vicerit,propterea quod peccatis onustior discedit.

Solent contentiosi,minus consilio valere, & sæpè suis rebus malè consulere, vt dolore afficiant suos aduersarios. Theologi.

Præstat honestè vinci,quàm periculosè & iniustè vincere. or.1.apologi.

(*Ex Græcis hoc loco mutilis,hæc tandem integro sensu reddere licuit.*)

Qui ingenio sunt bellicoso, gloriam suam ex publico malo venantur,& dedecore suo gloriantur.

Apertum hostem cauere,facile est.

Sit finis odij,ne sciat fines amor. Tetra.4. Chryso.

Qui inter nos temere digladiamur? quid bellamus alij cum aliis?quibus præceptum est,vt qui nos oderint, amemus. stomi.

Si inter Paulum & Barnabam angustus & pusillus animus fuit,quid mirum si etiam inter nos?

Non vbique debemus velle vincere:est enim vbi victoria detrimẽtum affert, vinci autem vtilitatem præbet.

Seipsum vincere omnium victoriarum prima & præstantissima est, at vinci à seipso & turpissimum & pessimum. Democri. Isocratis.

Praua ingenia,eadem solent esse & contentiosa, vt non prius finem faciant pugnæ & contentionis, quàm lęthalem acceperint plagã, & supplicio memorabili afficiantur. Euripidis.

Nam consilium bonum multas vincit manus.

Turbæ vero coniuncta ruditas,plus affert mali.

AD SERM. 68. ANNOT.

Qui ingenio sunt] *Mutila hoc loco non sunt Græca, vt censet interpres:tametsi quædam sunt verba ex orat. 1. de pace,sic restituenda:* τῆς ἀπηχειμένης μελίδος ὅσοι πολεμικοὶ

μικροὶ τὸν τρόπον, καὶ τὸ εὐδόκιμον τῷ καιρῷ θεράμενοι. *Id est, aduersariæ partis (hoc est diaboli) sunt ij omnes, qui contentiosis sunt moribus, quique nouitate famam aucupantur. Billius. Græca tamẽ allata à Billio sequebãtur hæc apud Antonium* καὶ τῇ ἑαυτοῦ αὐχμῇ ἐξαλλωπιζόμενοι. ἐπεὶ καὶ ὁ ῥᾴζολος. *quæ sic expleo ex Gregorio*, αὐτόστε ταπεινοῖ πρὸς ἑαυτὸν, καὶ τῷ πολυειδεῖ καὶ τοῖς παθεσι ταυτὸ τοῦτο ἐνεργεῖ, *atque ignominia sua gloriantur. Nã & diabolus tũ multiplici specie, tum perturbationibus secum ipse pugnat.*

De obloquutoribus, & contumelia,

Sermo. 69.

AVditionem inanem ne admittas.

AQui detrahebat clam proximo suo, eum persequebar.

Qui fratri detrahit, aut audit detrahentem & sustinet, ambo digni sunt qui exterminentur.

Nihil tam iucũdum est hominibus, atque de alienis rebus loqui, & maxime si fauore alicuius aut odio ducantur, à quibus solet plurimum veritas occultari & supprimi.

Cum iraſceris conuitium facienti, probra confirmas: quid est enim ira insipiẽtius? Sin vero iræ parcas & lentus fueris, pudore afficis iniuriam facientem, re-ipsa temperantiam declarans.

Qui fratrem suum criminatur, fraternas carnes edit, existimatione eius læsa, & mille aliis malis lingua patratis.

Vt benedicere & laudare, initium amicitiæ est: sic maledicere & criminari, inimicitiæ & odij & sexcentorum malorum principium & occasio est.

Si tibi vt probrum obiicit, inimicus, peccatũ cuius tu tibi conscius es, nec tu audiens illum contumeliosè excipis, sed acerbè gemis, Deumque precaris, statim omne peccatum à te remouisti.

Fac nunquam reuerearis eum qui apud te alteri detrahit, sed potius illum sic moneas, dicens: Desine frater. Ego quotidie grauius labor & pecco: & quî possum illum condemnare? duos enim lucraberis, ac vno emplastro & te ipsum & proximum sanans.

Plato cum quidam ei narraret esse nonnullos qui ipsum maledictis insectarentur: Et ego, inquit, sic viuam, vt illis non habeatur fides.

Quum reprehenderis conuitiosè, vide num quid à te conuitio dignum designatum sit: quod si à te nihil tale actum est, fumum esse conuitium illud existimato.

Chabrias ab improbo quodam multis cõuitiis affectus: Bene, inquit, feciſti, quod nihil eorum quę insunt, prætermisisti.

Gladius secat, calumnia autem disiungit amicos.

Neque infirmi, ictus: neque stulti minas metuere debemus.

Philippum Alexandri patrem conuitio afficiebat quidã effreni lingua præditus, cumq; amici hortarentur vt conuitiatorem persequeretur: Non est hoc, inquit ille, faciendum, ne amplius affectus & implicatus plura in nos iaciat maledicta.

Idem dicebat se suis conuitiatoribus gratiam habere, quòd se meliorem redderent.

Ego enim, inquit, studens illos mendacij conuincere, si quid improbè fecerim, muto consilium & pœnitentia emendo factum.

Vitato calumnias etiam falsas: multi enim veritatem ignorantes, existimationis & opinionis ratio-nem tantum habent.

Quum sapienti cuidam aliquis diceret, se præsente, ipsi à certo quodam conuitium factum: tum ille, Nisi tu, inquit, libenter audiuisses, nunquam ille mihi conuitatus esset.

Cum quidam afficeretur cõuitio à caluo aliquo: Tibi, inquit, contumeliam non dicam, sed capillos tuos laudo, quod malum caput refugerint.

Conuitio lacessitus quidam ab altero discedebat: cum autem conuitiator persequeretur, ac diceret, Fugis? Etiam, inquit: nam tu quidem maledicendi potestatem habes, ego autem non audiendi.

Cum cuidã multis modis aliquis vt probrum obiiceret, quod è parentibus prognatus esse ignobilibus: Mihi, inquit, dedecori sunt parentes, tu verò parentibus.

Diogenes cõuitianti sibi, At nec mihi, inquit, credit quisquam te laudanti, nec tibi me vituperanti. Diogenis.

Cum sapienti quidam narraret, eum à quopiam conuitio impetitum: Non præsentem, inquit, etiã verberet me.

De loquacitate & temeritate in dicendo,

Sermo. 70.

ILlud autem vobis confirmo fore, vt de omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, in die iudicij rationẽ reddant: nam ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Matth. 12.

Sit omnis homo velox ad audiendum, & tardus ad loquendum. Iacobi. 1.

Nullus sermo spurcus de ore vestro exeat, sed si quis aptus est ad ædificationem fidei.

Cum linguaci noli pugnare, nec in ignem eius ligna congerere. Sirach. 8.

Ne festina pronunciare verbum in conspectu Dei, quia Deus in cælo sursum, & tu in terra deorsum.

Lingua ne sis in omnibus confidenti, ne quid tibi intempestiuum accidat: quemadmodũ oculus totum volens intueri solem, id etiam quod habet lumen perdit. Basilij.

Lubrica est in lingua, quæ non ratione regitur. Theologi. Chrysostomi.

Multi sæpe etiam temperantes, per obscœna verba ad vitiosas actiones descenderunt: anima enim nostra nec bona est natura, nec mala, sed ex † instituto hoc & illud efficitur. † αὐτεξούσιος.

Nullus sit sermo otiosus: ab otioso enim in absurdos delabimur. Non est hoc tempus ridendi, sed lugendi, afflictionum & lamentationũ. Tu verò scurra agis? quis athleta in stadiũ ingressus, omisso certamine cum aduersario, vrbana iactat dicta? Adstat diabolus, circumit rugiens ad rapiendum, omnia mouet, omnia voluit in caput tuum, & machinatur, vt è domo te extrudat, crepat dentibus, fremit, ignem sufflat contra salutem tuam: & tu sedes vrbanis dictis te oblectans, & stulta loquens, ac ea quæ non decet ore proferens.

Si ventrem contines, contine & linguam: vt ne sis alterius seruus, alterius autem stultè liber. Nili.

Loquere quæ decet, & quando decet, & de rebus honestis: & non audies inhonesta, quæq; minimè decet. Euagrij

Amygdalas, qui omnium stirpium primæ florent, pruina corrumpere solet: sic homines ferè linguæ temeritas, & præceps loquacitas.

Isocr. tis. Quicquid dicturus es, id prius in animo consyderato: multorum enim lingua mentem præcurrit.

Isocrates orator, cum Caræon loquax ei vellet operam dare, duplicem petebat mercedem, cumq; ille causam percunctaretur: Vnam, inquit, vt loqui discas: alteram autem vt tacere.

Clitarchi. Quę nolis audire, ea ne dicito: quæ nolis dicere, ea ne audito quidem. Aurium enim & linguæ magnum est periculum.

Præstat pede quàm lingua labi.

Socratis. Arrogantia est omnia dicere, nihil autem audire velle.

Theophyl. Multiloquium multa errata habet, sed tacere tutum est.

Simocati. Quæ verbis peccarimus, eorum supplicium factis feremus.

De contradictione & confidentia, siue audacia, Sermo 71.

Rom.9. TV quis es, qui ex aduerso respondeas Deo? num dicet figmentum fictori suo, Cur me sic fecisti? annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa faciendi aliud vas honorificum, aliud dedecorosum?

Salo.27. Ferrum acuit ferrum, homo hominem exasperat.

Vt ante ignem vapor camini & fumus præit, sic ante vulnera & sanguinem conuitia.

Sirach.28. Contentio accelerata ignem accendit, & pugna festinans sanguinem effundit.

Dissensionem sedat omnis taciturnus.

Dissensiones excitat omnis malus: Dominus autem illi angelum immisericordem mittit.

Assuefactus verbis probrosis, in omnibus diebus suis non castigabitur.

Basilij. Vbi odia, lites, iræ, contentiones, magnos tumultus in animis excitant, ibi spiritus mansuetudinis non requiescit.

Ipsa contradictio, imperatorium quiddam & voluntatem nulli se subiiciendi indicat, etiamsi in humili fuerit habitu.

Theologi. Solent enim magno spiritu præditi violentis contumaciter præfracteq; resistere: & quemadmodum flamma à vento excitata, tanto magis accendi, quãto vehementius sufflatur.

Chrysostomi. Si finis doctrinæ est seipsum reuereri: extremæ est imperitiæ, ne alios quidem reuereri.

Philonis. Impudentia, est propria sceleratorum, pudor autem bonorum. Neutro autem horum affectuum moueri, eorũ est qui nihil affirmãt, aut assentiuntur.

Aristotelis. Aristoteles cum ab impudente quodam conuitiis lacesseretur: Tu (inquit) & conuitia facile audis & libenter dicis: mihi vero & dicere non consuetum, & audire iniucundum.

Si quis malus cum sit non erubescit, insigniter improbus est.

Socratis. Lingua petulanti non vtẽdum, Sæpe enim audacia ipsum perdidit caput.

Euripidis. Audacia quidem, nemo adhuc virtutẽ comparauit, sed industria, generositate & clementia.

Theophra. Theophrastus adolescentulum erubescentem conspicatus: Confide, inquit, talem enim virtus habet colorem.

De temerario & impudente, iracundo, & efferuescente ira, & extremæ bilis homine, Sermo. 72.

A SImeon & Leui fratres, iniustitiam perfecerunt Genes.49.
propositi sui, in consilium eorũ ne veniat anima mea, quia in ira sua interfecerunt homines, & in cupiditate sua eneruauerunt tauros: detestanda ipsorum ira est ob contumaciam: & indignatio eorum, quia induruit.

Scelerati commoti ira, imbecillos euerterunt.

Impius est qui non reueretur conspectum honorati viri, nec nouit ei honorem habere. Iob.

Fac finem iracundiæ, iramque omittito.

Ira eorum est, qualis serpentis. Dauid.

qui iracundus est, agit nullo consilio adhibito. Salom.15.

Iracundus indecorè se gerit.

B Grauis est lapis & portatu difficilis arena: sed insipientis ira grauior vtroque.

Animosus fodit victoriam, iracundus autem effodit peccatum.

Vbi non est † concitatus ira, ibi quiescit pugna. † ἀθυμος.

Insipientis labia in calamitatem ferunt, os autem eius audax, mortem accersit.

Os insipientis conterit ipsum, & labia illaqueant animam.

† Boreas excitat nubes: facies impudens linguam irritat: *Iuxta Hebræos vertitur: Ventus aquilonaris pellit pluuias, at vultus seuerus linguam absconsionis: id est, quæ clam defert.* † Cæcias.

C Ore impudenti qui est, odio habebitur.

Propter iniuriam superbiens, temerario est corde.

Ne festina spiritu perturbari, quia ira in sinu insipientium manet & conquiescit. Isaiæ.

Neruus ferreus collum tuum, & facies tua ænea. Ieremiæ.

Aspectus meretricis fuit tibi, erga omnes te impudenter gessisti. Isaiæ.

Cum iracundo ne pugnes, nec iter facito cum illo in solitudine, quia nihili æstimat sanguinem, & vbi nullus succurrere poterit, ibi te prosternet.

[redacted]

D Aemulatio & ira, dies vitæ minuunt.

Omnipotẽs domine Deus salutis meæ, ne tradas me voluntati hominis impudentis.

Temerarius ne sis, vt ne efferaris.

Quicunque fratri suo irascitur temere, obnoxius erit iudicio. Matth.5.

Sol ne occidat super iracundia vestra, nec date locum calumniatori. Ephes.4.

Omnis amaritudo & excandescentia, & ira, & clamor, & blasphemia tollantur.

Postquã semel deturbata ratione, iræ perturbatio, animi dominatum occupauit, hominẽ efferat omnino, nec hominem esse patitur qui à ratione amplius auxilium habeat: nam quod est in venenatis venenum, id est in irritatis & acerbis ira. Basilij E

Quemadmodum enim torrentes per caua loca fluẽtes, quicquid occurrerit secum trahunt: sic iratorum impetus, violenti sunt, talesq; vt retineri nõ queant, ac per omnia similiter incurrunt.

Iratis non veneranda canicies, non victus vitæ, non propinquitas generis, non prẽterita beneficia, non aliud quicquam talium, apud tales magni æstimatur.

Irati nõ prius desistunt quam per magnum & insanabile aliquod malum, ira ipsorum veluti bulla erumpat,

erumpat,& inflammatio discutiatur. Neque enim gladij acies,neque ignis,neque aliud quicquam eorum quæ maxime timentur, ira furentem animum coercere potest: Non magis quàm eos qui à dæmonibus occupati tenẽtur,à quibus irati nihil prorsus neque habitu, neque animi affectione differunt. Cum enim vlciscendi libidine, quempiam dolore afficere cupiunt,tũ iis sanguis circa cor efferuescit, quasi calore ignis agitatus, & ebulliens: at cum in extrema cute efflorescit, aliam irati speciem demonstrat, famil i arem & notã omnibus veluti personam in scena immutans.

Retine iram habenis, ne occupet mentem furor.

Nihil tam puritatem & limpitudinem turbat mentis, atque ira immoderata quæ multo impetu fertur.

Quæ fera adeo crudelis & immanis est, vt iracundus & intemperatæ iræ imperio subditus? Aut quod mare adeo vehementibus ventis agitatum & impulsum ad saxa illiditur, vt homo effrenis & asper, quique nullo modo retineri potest quin iræ pareat,& totas perturbationi laxet habenas?

Irasci,apud nos eo vsque extendatur,dum peccata sedet:Irascimini enim, inquit, & ne peccetis. Et summum ius vitandum est,cum dicat Ecclesiastes: Ne sis iustus multum.

Iræ maxime opus est gubernatore: nam si gubernatore careat, sursum & deorsum agitata fluctibus & procellis, animam totam quasi scapham fundo carentem euertet, corpore simul euerso.

De modestis & spiritu pauperibus,
Sermo. 73.

REspondens Abrahamus: Nunc, inquit, cœpi loqui cum domino meo, cum tamen sim terra & cinis.

Dixit Dauid ad Abessa, Sinite eum maledicta iacere, quia dixit ipsi Deus: Si qua fieri possit vt Dominus videat humilitatem meam, & redeant ad me bona pro maledicto & execratione istius, hoc ipso die.

Demissos oculos Deus liberat.

Antea auribus te audiui, nunc vero meus oculus te vidit: & mei-ipse nihil feci,me terra & cinerem putaui.

Semel Domine locutus sum, sed iterum non loquar: quis enim sum vt causam meam agam in conspectu tuo?

Ego sum vermis & non homo, probrum hominum, & reiectamentum populi.

Propè adest dominus contritis corde, & humiles spiritu saluos facit.

Sacrificium Deo spiritus contritus, cor contritum & humiliatum Deus non reiiciet.

In humilitate nostra memor fuit nostri Dominus, & redemit nos de inimicis nostris.

Modestos ad gloriam euehet Dominus.

Superbis Dominus resistit, humilibus autem dat gratiam.

Os humilium, sapientiam meditatur.

Sanctũ existimate, eum qui animũ suum deiicit.

Quem respiciam, nisi humilem & quietum, sermonesque meos cum tremore seruantem?

Ego Dominus sum qui lignum excelsum humile reddo, & lignum humile exalto: viride autem arefacio,& aridum florere facio. Ego qui quod dixerim, facio.

Igne probatur aurum, & homines accepti fiunt humilitatis camino. Sirach. 17

Quanto maior es, tanto summissius te geras in cõspectu Domini,& gratiam nanciscēris,quia magna Domini potestas est, & ab humilibus magnificabitur?

Principum thronos detraxit Dominus,& pro illis plantauit abiectos.

Beati pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cœlorum. Matt.5.

Amen amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & facti fueritis vt parui pueri,non ingrediemini in regnum cœlorum. Qui igitur se abiecerit vt paruus puer hic,in regno cœlorum is erit maximus.

Quicunque vult in vobis magnus esse,sit minister vester: & quicunque in vobis vult primus esse, sit omnium seruus, & omnium postremus. Etenim filius hominis non venit vt ipsi ministraretur, sed vt ipse aliis ministraret.

Qui se-ipse elatè gesserit,humilis reddetur:qui vero summissè,in altum gradum euehetur.

Dixit Petrus Iesu: Exi à me,quia homo peccatis onustus sum, Domine. Lucæ. 5.

Dixit Centurio. Non sum idoneus, Domine, vt tectum meum subeas. Matth.8.

Quum ab aliquo vocatus fueris ad nuptias,ne accumbas in primo loco: *& quæ deinceps.*

Quum feceritis omnia quæ præscripta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quia quod debuimus facere, fecimus.

Dico autem per gratiam mihi datam, cuiuis versanti inter vos,ne sentiat de se,supra id quod sentire debet:sed ita sentiat, vt moderatè & temperanter sentiat. Rom.12.

Videte ne vos elatè geratis,sed abiectis & humilibus vos accommodetis.

Per humilitatem animi, alium quisque sibi antecellere existimato: non vestra commoda spectate, sed etiam aliorum. Philip.2.

Deus nos Apostolos postremos fecit,quasi morti addictos:quin spectaculum facti sumus mundo.

Quasi mundi purgamenta facti sumus.

Humiliamini coram Domino, & extollet vos. Iacobi. 4.

Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis. 1. Pet. 5.

Fieri non potest,vt is,qui non infimam & postremam sortem sibi æquo animo ferendam persuasus sit: aut si conuitium ipsi fiat,iram comprimat:aut si prematur,potentia victor euadat. S.Basilij.

Exercitatio humilitatis est, in vilioribus rebus versari:sic enim gloriæ cupiditas coercetur. reg. breui 289.

Optimam dignitatis viam ostendit Dominus, humilitatem dico.

Præstat doctum, de suo iure cedere clementia, quàm imperitum, per audaciam nimium alas extendere.

Non in veste solum vtamur modestia, sed etiã in animi constitutione:neque enim ceruicis deiectio, aut vocis remissio,aut capitis nutus, aut barba promissa,aut incessus compositus modestiam rectè exprimũt:vtpote quę ad tẽpus fingũtur,sed celerrimè

falsa deprehenduntur: quicquid autem est fictum, idem non diuturnum erit: Simus igitur vita quidē elati, sed spiritu humiles: & virtute quidem inaccessibiles, conuersatione autem facillimus sit ad nos aditus. Est enim hominis ciuilis officium, vt omnia faciat & ducat ex quibus ab aliis gloriā consequatur: Spiritalis autē & eius qui nobiscū sentit, in vnicam rem spectare, nimirum salutem, quæ est in simplicitate & moribus minimè dolosis, ac iniuriarum obliuione.

Chrysost. Nihil est tam Deo gratum, quàm seipsum cum postremis numerare.

Non tam peccantem, quàm rectè facientem, decet modum seruare & mediocritatem.

Modestia est, fortiter factis & virtutibus excelsum, animo seipsum deiicere.

Nemo credat labore carere, aut facile præstari posse modestiæ & humilitatis officiū. Innatum est enim superbiæ vitium omnibus ferè natura humana constitutis. quare hoc ex omnibus virtutis operibus difficillimum est.

Infamia non eum attingit, qui se moderatione & abiectione animi rexerit.

Modestia est, modestè sentire, alterum conuitiantem ferre, agnoscere peccatum, accusationes pati.

Ταπεινοφροσύνη dicitur quod φρονήμα, id est, spiritus est, ταπείνωσις, id est, abiectio.

Modestus aut humilis est, is qui cum possit elatus esse, se-ipse abiicit: vt si imperator subiiciatur prætori aut proconsuli, modestus est, quod ex alto descenderit. Sin prætor imperatori, non est humilis iccirco: non enim ex alto se-ipse abiecit, & extenuauit.

Clementis. Tanto quisque debet se submissius gerere, quanto maior videtur esse. Decet enim vt superiorem deterior sequatur, ea spe vt fiat melior.

Nili. Beatus cuius est vita excelsa, spiritus autem humilis.

Euagrii. Armatura tutissima, animi modestia.

Legi, magistratui, & sapientiori cedere, modestiæ est.

Patrum. Versare cum modestis, & mores ipsorum edisces. Si enim contemplatio dictorum vtilis est, quanto magis doctrina, quæ ex illorum ore proficiscitur?

Philonis. Tolerantiæ & prudentiæ & iustitiæ amatorem decet, elationem & magnos spiritus detrahere: nam magnum est argumentum verè exerceri virtutem, si omnis modestia adsit, & arrogantia absit.

Si dignitatibus & magistratibus multum inflantibus †præditus, tanquam optimus gubernator vela expensa contrahito, ne imprudens præcipiteris.

†ἐφίσας.

De superbis, & proteruis, & arrogantibus, & inanis gloriæ cupidis.

Sermo. 74.

Iob.40. OMnem contumelioſum humilia, & superbum restingue: tabefacito impios repente, & ora ipsorum ignominia impleto.

Psalm.9. Dum superbit impius, vt ignis accenditur.

Psalm.17. Oculos superbos deprimes.

Vidi impium superexaltatum, & in sublime quasi cedros Libani sublatum.

Psal.88. Tu depressisti sicut saucium, superbum.

Psal.100. Cum superbo oculo & inexplebili corde cibum non sumpsi.

Superbis Domnius resistit, humilib⁹ verò dat gratiam. Salom.11.

Impurus est apud Dominum, quisquis est elato corde.

Audax & præfractus & arrogans, pestis vocatur.

Perdam contumeliam exlegum, & superborum iniuriam deprimam. Sophon.3.

Si tam sublime sublatus fueris quàm aquila, ac inter astra nidū posueris tuum, illinc detraham te, inquit Dominus.

Euanuerunt etiam pennigera, quia dixerunt Dominum non visurum vias ipsorum. Hieremiæ.

B Omnes qui superbè incedūt, Dominus deprimet. Dan.4.

Tunc dicent in seipsos, quid profuit nobis superbia? quid item opulentia cū arrogantia coniuncta contulit? omnia in vmbræ morem præterierunt. Sap.5.

Noli te tollere, ne cadas & animæ tuæ ignominiā. inuras, & dominus patefaciat occulta tua, & in medio ecclesiæ deiiciat te.

Odiosa est in conspectu Dei & hominum, inanis gloria. Sirach.10.

Sunt qui se diuites prædicent, cum nihil habeant.

Melius est in ignobilitate sibi seruire, quàm honorem sibi assumere cum panis penuria.

Quid superbit terra & cinis? Ibidem.

C Superbię initium peccatum est, (*al. superbia initium peccati est*) & præditus ea profundet execrabilia. Ibidem.

Qui tangit picem, contaminabitur: qui cum superbo communicat, similis ei euadet. Sirach.13.

Detestantur superbi modestiam. Ibidem.

Ne superbè te geras in conspectu regis: noli superbè sentire de te, sed time.

Defecit exlex, periit superbus: cadent elati gladio.

Laudem inuicem accipientes, laudem à solo Deo non quæritis.

Quisquis se-ipse extollit, deprimetur.

Quod in hominibus excelsum est, id coram Deo detestandum, noli elatus esse, sed time. Apostol.

D Ne simus inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocātes, inuicem inuidentes. Galat.5.

Non verba ipsa solent dolore afficere, sed conuitiantis nobis contemptus, & vt cuiusque est de illis opinio. S.Basilij.

Mores hominis superbi si verè sanati fuerint, solent esse sui despicientiores. Epist.10.

Aequè difficile est in rerum difficultatibus animum non abiectum seruare, atque in prosperitatibus non extolli.

Inanis gloriæ captator est, qui aliquid aut facit aut dicit mundanæ & nudæ gloriæ causa, quæ ipsi vel à spectatoribus vel auditoribus tribuatur. regu brc. 52.

E Ne multum tollare, vt ne magis deiiciare. Theologi.

Inanis gloria, magnum est ad virtutem impedimentum.

Facillimū est se-ipsum fallere, ac prę gloria inani inflatum, se aliquid putare cum nihil sit.

Opinari, ab eo quod est plurimum dirimitur.

Noli cogitare te malis videri præstantiorem: sed potius tristare quòd sis bonis inferior.

Iniuria est, si quis cum paulum valeat, multum inflectur.

Quid fastu & arrogantia turpius? Chrysost. κατὰ λέξιν.

Verè

Verè dicta est ab antiquis inanis gloria, quod A inanis sit, nihil intus habens quod vtile sit.

Generis nobilitas & fastus superbi, cognationē cum figulinis lateribus habent. (*Nimirum quia omnes homines ex luto vt lateres originem ducunt.*)

Effrenatus & proteruus, cum ab aliis adiri non potest, tum ipse sibi inimicus est.

Si detrahas fastuosos mores, iræ nullus relinquetur locus.

Elatus est semper arrogantium animus, & ad sublimia semper fertur, conuiuere humilioribus non sustinens, & moderatum & humilem despiciens spiritum.

Laudatione summa dignus est, qui arrogantem B odit, videlicet ipsum arrogantiæ vitium quod est omnium malorum fœdissimum, tum apud Deum, tum apud homines odiosum & reiiciendum. Quis enim contemptorem non putat molestum & intolerandum? quis turgidum non vitat spiritum? quis non inflatos obiurgandos & increpandos putat?

Semper enim quodam modo arrogãs est audax, asper, iracundus, & compesci non potest.

Excelso & glorioso affixa est volubilis ad humilitatem mutatio & casus, vt diuina docet oratio.

Aiunt quidam sapientem omnium postremum C exuere inanis gloriæ tunicam: etenim vt alias perturbationes superet, à gloria & à populi laudatione superari solet.

Ex his qui in repub. versantur, si detrahas † materias, inane sepulchrum reperies mente carens.

Honorem aut magistratum quis cõtempsit? Nullus ferè illorum qui adhuc immersi fuerunt inani gloriæ.

Indignum est, vt is qui parum efficiat, multum glorietur.

In omnibus rebus opinio impedit illud quod est D reuera.

Ventilator virtutis, animus superbus.

Cisterna destituta aquis, animus glorię cupidus.

Superbus animus, diuersorium latronum.

Ieiunans, gloriæ inanis cupidus sum, abdo me vt igno tus sim, tanquam prudens, rursus gloriam appeto. Splendidè vestitus ab ira vincor: vili habitu tectus, rursum gloriam cupio: loquens vincor, tacens rursus victus sum: vtcunque proieceris istum tribulum, aculeus stat rectus.

Difficile est, inanis gloriæ dæmonem effugere: nam quicquid molitus fueris vt hanc detrahas, id ipsum erit alterius inanis gloriæ initium.

Fur solem detestatur: superbus modestos des- E picit.

Præstat cum ratione vini potio, quàm cum fastu, aquæ.

Exhaurire oportet ex animis iuuenum falsam opinionem, & fastum: sicut aërem ex vtribus vtile quippiam infusuri exsugunt: secus enim inflatione & spiritu turgentes nihil admittunt.

Vtres aër distendit, homines autē stultos elatio.

Fastus, quasi pastor, quolibet † multos agit.

Alexander diuturno morbo afflictatus, vt conualuit, negauit se deterius esse affectum: admonuit enim nos ægritudo, mortales cum simus, ne magnificè de nobis sentiamus.

Si videris improbum in altum gradum euectum, magnísque opibus & fortuna exultantem, superciliáque supra fortunam extollentem, eius celerrimam expecta mutationem: tollitur enim altissime, vt maiori casu ruat. Philistionis.

O ter miseri quotquot magnis sunt inflati rebus, ipsi enim hominis naturam non norunt. Menandri.

Aristoteles adolescentulum superciliis sublatis superbientem conspicatus, sed nulla scientia præditum: Adolescentule, inquit, vtinam talis esses, qualis ipse tibi videris: qualis autem reuera es, tales fiant hostes mei. Aristotelis.

Idem cum animaduertisset sumptuosa chlamyde adolescentulum se iactantem: Non desines, inquit, adolescentule quis pelle gloriari?

AD SERM. 74. ANNOT.

Basil. Nō verba ipsa.] *Gr.* ἡ κατὰ τοῦ λοιδορήσαντος ἡμᾶς ὑβρολογία. *Ex Homil. de Ira sunt hæc, quæ ad verbum ita Basilij interpres. Non igitur verba (conuitiantis scilicet) solent tristitiam mouere, sed superbia aduersus eũ, qui nos vituperat, & vniuscuiusque de seipso* (vel de ipsis verbis) *phantasia.* καὶ ἡ ἑκάστου περὶ αὐτῶν φαντασία.

Mores hominis.) *Pulchra est sententia sed in alienissimum, imò planè contrarium sensum ab interprete detorta. Græca enim sunt eiusmodi:* τῶν ὄντι θεραπευόμενα τὰ ὑπερηφάνα ἤθη ἑαυτῶν ὑβριστικώτερα πέφυκε γίνεσθαι. Sanè homines superbi ac insolentes, cum coluntur & obseruantur, maiorem inde arrogantiam concipere solent. *His autem verbis vtitur epist. 10. ad Eusseb. Samosat. Billius sup.*

Platonis. falsam opinionem.] *Græcè τὸ οἴημα arrogantem opinionem malim. Suidas* οἴησις, ὕπαρμα, ὑπόνοια καὶ οἴημος. ὁμοίως & ὀιηματίας, ἐπηρμένος, *elatus.*

Philistionis. Si videris improbum.] *In Græco Antonij quinque versibus comprehensa est hæc sententia, quorum quatuor priores apud Stobæum Serm. de superbia ex Euripide prolati reperiuntur; eos non pigebit addere vt inde constet quî emendandi sint apud Antonium.* * Serm. de superbia.

ὅταν δ' ἴδῃς σοὶ πρὸς ὕψος ἡρμένον τινὰ
λαμπρῶν τε πλούτῳ καὶ γένει γαυρούμενον,
ἐφρύξατ' μείζω τῆς τύχης ἐπηρκότα,
τοῦτ' ταχεῖαν νέμεσιν εὐθὺς προσδόκα.
Elatiorem fortè si quem videris,
Et genere gloriantem & opibus splendidis,
Maiore fastu turgidum, quàm fors ferat.
Huic vltionem crede non longè fore.

De amore sui, Sermo 75.

QVi amat animam suam, perdet eam: & qui odit eam in hoc mundo, in vitam sempiternam custodiet eam. Ioan. 12.

Non qui seipse commendat, hic probatus est, sed quem Deus commendat. 1. Cor. 10.

Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Christi.

Quiuis sibi videtur iustus, sed cor dominus dirigit. Salomonis

Laudet te proximus, non os tuũ, sed labia aliena.

Omnes videntur pij in hoc vno, condemnando videlicet alij alios impietatis, & suorum peccatorum parum seueri iudices, alienorum autem accurati examinatores. Theologi.

Conuerſemur alij aliis ſpiritualiter, & ſimus fratrum magis quàm noſtri amantes.

Chryſoſt. Qui non fratris obſequium accipit quod ille offert, ſecum ipſe diſſentit: nemo amicus, nemo frater, ſuis quiſque ſeruit commodis, ideóq; ſua quiſque minuit: & infirmi & debellatu faciles, tum hominibus, tum diabolo ſumus, quod alij alios non contegimus, & propugnamus.

Philonis. Sua cauſa omnia agentes, philautiæ, (*id eſt, amoris ſui*) maximum vitium exercent.

Maxim. Amor ſui, eſt corporis ratione carens amicitia, ex qua quidem naſcitur guloſitatis ratio, & inanis gloriæ cupiditas: ex his autem naſcitur vniuerſus malorum numerus.

Platon. Cum deridebimus alios, decet in nosipſos nos conuertamus, conſyderemúſq; num & ipſi iiſdem vitiis ſimus obnoxij: multa enim amor ſui cælat & tegit, etiam in his qui maxime alios irrident.

Critiæ. Indigna res eſt, quum quis non ſapiens, ſapere ſibi videtur.

Apti ſumus ad aliena vitia cernenda, ipſi autem ſi quid facimus, non cernimus.

Socratis. Nemo in ſeipſo vitia cernit, alterius vero dedecora videt apertè.

Diogenis. Diogenes interrogatus quid eſſet difficillimum, Noſſe ſeipſum, inquit: multa enim propter amorẽ ſui, ſibi quemque ſumere ſolitum.

Idem, nonnullos homines eſſe dicebat, qui cum belle dicerent rectéque loquerentur, ſeipſos non audirent, in Lyrarum morem, quæ cum bellè ſonent, nihil tamen ſentiunt.

De curioſitate & ſecuritate & quiete: ac quietum eſſe, Dei cognitionem conciliare, Sermo 76.

Gene. 25. IAcobus erat vir minime fictus, domi ſe continens.

Regum. Gloriam comparato, domi ſedens.

Iob. Quieſces, & non erit qui tecum bellet.

Deridens magnam ciuitatis turbam, querelam autem exactoris tributorum non audiens.

Otium agite, & cognoſcite me eſſe Deum.

Solus ſum ego dum præteriero.

Salomonis Vir prudens quietem agit.

Sirach. 3. Difficiliora quàm quibus par ſis, ne quærito: & te profundiora ne ſcrutator: ſed quæ tibi præſcripta ſunt, hæc conſyderato: quæ enim vlterius opera Dei ſunt, in arcanis latent.

Boni viri, perpetuo ſunt quieti.

Amos 5. Intelligẽtia præditus hoc tempore tacebit, quia tempus malum eſt.

Eſaiæ 66. Quem reſpiciam, niſi humilem & quietum, & timidè audientem ſermones meos?

Iere. 6. Lætabuntur qui quieti ſunt in terra.

Ne egrediamini in agrum, nec per vias vadite, quia gladius hoſtium in orbem circumhabitat.

Beneuolus dominus, iis qui ipſum expectant: animæ quæ ipſum quæret, bene erit, & in ſalute illius conquieſcet.

Bene eſt ei qui tulerit iugum à iuuentute ſua', ſedebit ſolus & tacebit, quoniam in ſeipſo ſuſtinet, dabit percutienti malam. Saturabitur probris: quia non in æternum repellet dominus.

Luc. 10. Reſpondens autem Ieſus, dixit ei: Martha, Martha ſolicita es, & turbaris circa multas res, vno autem eſt opus.

Obſecro igitur fratres, vt magis ac magis abundetis, & honeſtatem concupiſcatis, quieti vos tradatis, & priuata negotia geratis, & manibus veſtris opus faciatis. Philip. 1.

Facilius eſt cuique noſtrûm, alia curioſe ſpectare, quàm noſtra propria conſyderare. S. Baſil.

Multi feſtucam quæ eſt in oculo fratris conſyderant, trabem autem ſui oculi non vident.

Vt enim feræ facile ſuperantur, ſi demulceas: ſic cupiditates, iræ, timores, dolores, venenata animi mala, per quietem conſopita, nec efferata perpetua irritatione, vi rationis facilius domari ſolent. Epiſtol. 1. ad Greg.

Quod ſeparatum & priuatum eſt, pluris æſtimatur, quàm quod commune multis & coniunctum.

Vtile eſt priuatim & ſeparatim habitare, vt animus in plures partes non diſtrahatur: nam in vita commiſcere ſe cum iis qui imprudenter & contemptim ad mandatorum obſeruationem exquiſitam affecti ſunt, inutile & perniciоſum eſt.

Quies igitur, initium eſt purgationis animi, cum neque lingua res humanas loquitur, nec oculi corporum colores & aptas membrorum compactiones circunſpiciunt, nec aures animi intentionem ſoluunt audiendis canticis ad voluptatem modulatis, aut dictis ſcurrilibus & ridiculis, qua re, animi intentio langueſcere maxime ſolet. Epiſt. 1. ad Greg.

Mens enim cum ad res externas non diſſipatur, nec immundum per partes, in quibus ſiti ſunt ſenſus, diffunditur, ad ſe ipſa reuertitur, ac per ſeſe ad Dei notionem aſcendit: atque illa pulchritudine cum circumluſtratur ac illuminatur, ipſius quoq; naturæ obliuiſcitur, non alimenti cura aut veſtimenti, animum ſolicitans, ſed liberata terrenis cuiuſcunque omne ſuum ſtudium ad comparanda bona ſempiterna transfert, quò nimirum temperantiam & fortitudinem, iuſtitiam & prudentiam & reliquas virtutes habeat & exerceat. Ibidem.

Quietos nos eſſe oportet, vt nõ turbulentè cum Deo colloquamur, & paululum reuocemus mentem ab iis quæ ſeducunt & errore inuoluunt. Theologi.

Obſeruamus inuicem errata, nõ vt deploremus, ſed vt exprobremus: nec vt ſanemus, ſed vt inſuper vulneremus, & pro defenſione noſtrorum vitiorum, habemus proximorum vulnera.

Otioſa quies, pluris æſtimãda quàm negotiorum illuſtris tractatio. Greg. Nyſſeni. Nili.

Vita quieta multis pecuniis anteponenda eſt.

Moleſtum iis qui recens ſeceſſerunt, otium eſt, quod tunc occaſionem nacta memoria, omnem repetit & mouet inſitam immundiciem, cum antea ad id faciendum ſpacium non haberet, propter multitudinem diſtrahentium negotiorum.

Sapiens, quietem & otium perſequitur, vt rerum diuinarum opportunè compos fiat. Philonis.

Sapiens demigrat, & transfugit à vita confuſa & perturbata ad beatam vitam, & pacificis conuenientem.

Res profecto conſtans, & vera exiſtit ſapientia: qui amat illam, ſapiens exiſtit: cúmque talis ſit, tamen nos improbos præterit: bonum enim malo comitatum eſſe non vult.

Socrates interrogatus, qui ſine perturbatione viuerent: Socratis.

viuerent: Qui, inquit, nihil sibi conſciunt mali.

Aristippus, cum quidam ei obiiceret ac diceret: Propter te ager periit: An nõ, inquit, melius agrum propter me, quàm me propter agrum perire?

Demostheni cum quidam diceret, eum, agrum negligere, ipsum autem, se curare: Ea enim, inquit, curo propter quæ agrum comparaui.

Thaletem in cœlum suspicientem, & lapsum in barathrum ancilla conspicata, merito id illi accidisse dicebat: qui cum quæ ante pedès essent ignoraret, cœlum contemplaretur vt cognosceret.

Valens ægrotat, omnis curiosus, aliena solicitè curáns.

Cum quidam exquirerent, an mundus esset animatus: & rursus, an globosus: Vos, inquit Demonax, de mundo soliciti estis, at vestram ipsorum immundiciem non curatis.

De negotiorum solicitudine & distractione, Sermo 77.

TOta impij vita in solicitudine est.

Odi equidem vniuersum laborem, quem sub sole sustineo: quia relinquo eum post me futuro hæredi: & quis nouit sapiensne an insipiens futurus sit?

Peccanti dedit distentam anxietatem augendi & coaceruandi, vt det bono in conspectu Dei.

Fili, fac ne variis actionibus distraharis. Si enim auctus fueris, non eris innocẽs: qui sequitur † quæstum, implicabitur litibus.

Cor malitiosum onerabitur laboribus.

Homo quidam fecit cœnam magnam, multósque vocauit, & misit seruum suum hora cœnæ, qui iuberet inuitatos venire, quod iam parata essent omnia: & cœperunt pariter omnes se excusare, ac primus dixit se agrum emisse, &c. Dico vobis, neminem illorum de cœna mea gustaturum.

Omnes de suis rebus soliciti sunt, non de iis quæ pertinent ad Christum.

Fieri non potest vt potiatur aliquis laboriosa rerum diuinarum meditatione, inter animi distractiones & occupationes rerum ad victum pertinentium.

Vt in speculo non repurgato * videri nõ possunt imaginum species: sic animus curis affixus, & perturbationibus quæ à carnis sensu suggeruntur victus & obtenebratus, spiritus sancti illustrationem recipere non potest.

Vt oculus qui continẽter circumagitur, ac nunc in transuersa circumfertur, nunc sursum ac deorsum deflectitur, euidenter & clarè rem propositam cernere non potest: Sic & mens humana sexcentis mundanis curis distracta, veritatem attente cernere, ac in ea defixa esse nullo modo potest.

Qui vehementer vitæ huius curis occupati sunt, quasi aues corpulẽtæ frustra pennis præditæ deorsum trahuntur cum pecudibus.

Animus igitur mundanis nondum liberatus curis, neque verè Deum diliget, neque diabolum detestabitur, vt dignum est. Prætextum enim habet, grauem, rerum ad victum pertinentium, curam.

In mente, tumultu & angore plena, neque rerum honestarum cogitatio, neque Dei gratia inest.

Perfecti animi est, curæ vacuitas: impij autem, curis conteri.

Insipiens præter rectam rationem motus, tranquillitatem, & requiem semper odisse solet.

Qui multis curis distractus est, lenis & quietus esse nullo modo potest, propterea quod causæ negotiorum in quibus miser est, cogunt eum commoueri inuitum & nolentem, & eius tranquillum & quietum statum disturbant. Isaac.

Sine curarum vacuitate, lumen in animo tuo ne quæras.

Improbus, ciuitatem ac ciuitatis turbam & fæcem hominum simul & negotiorum persequitur: nam alienarum rerum curationes & † rapinæ, popularitates & tribunatus plebis, istiusmodi homini, ceu dignitates probantur: at quietum esse, probrosissimum est. Philonis. † πλεονεξίαι δημοσιῶν πραγμάτων.

[redacted]

† ἐν πέρυσι μόρῳ βίῳ.

De libertate reprehendendi, Sermo 78.

NEmo quod in occulto facit, id vult palàm fieri. (*Aliàs, Nemo aliquid in occulto facit, & quærit ipse palàm esse.*) Ioan. 7.

Si cor nostrum non condemnet nos, fiduciam habeamus apud Deum: & quæ petimus ab eo accipimus, quia mandata eius exequimur, & quæ illi placent, facimus. 1. Ioan. 3.

Fac ne quis iuuentutem tuam contemnat: reprehende eos seuerè.

Facit potestatem dicendi, æquus magistratus.

Ne carbones accendas, sceleratos reprehẽdens: ne flamma ignis peccatorum ipsorum exuraris. Salom 26.

Qui quiescit, nec coarguit peccatum, (*Deest aliquid.*) S. Basilij.

In obiurgando grauis ne esto, nec cito, nec affectu nimio reprehendito, hoc enim contumacię est: nec ob res leuiores damnato, quasi summo iure cũ his qui deliquerint agẽs, sed spiritaliter eos instaurans, quemadmodum monet Apostolus, te-ipse consyderans ne & tu tenteris.

Multo satius, breui dolore afficere dũ plurimum profis, quàm voluptati se accommodando summa re priuare. Theologi.

Optabilius est, obiurgationem sapientis vnius admittere, quàm totius chori hominum improborum canentium fieri auditorem.

Libere loqui & simpliciter, est etiã vulgaris hominis sæpenumero: at sicut res postulat, & cum tempus idoneum est, adhibita modi regula, & prudenter hac re vti, id vero magnum admodum & admirabilem virum requirit. Chrysost.

Vita quæ ex legibus, libertatis effectrix est.

Maxima est libertas, se non habere libertatem existimare, quemadmodum dedecus est maximum in cõspectu domini se iustificare: testes sunt eorum quæ dicimus, Pharisæus & Publicanus.

Nihil est quod magis arrogantiam augere soleat, quàm præclarorum facinorum sibi conscius animus, & vtens libertate.

Concede libertatem, tibi bene cupientibus, vt de quibus ambigis, qui tecum exquirant & probent, habeas. Isocratis.

Præstat sua, quàm aliena redarguere peccata.

Pythagoras, cum quidam dixisset, Nimium me irrides: Atqui, inquit, splenicis etiam acria & amara prosunt, dulcia nocent. Pythagor.

Neque gladio obtuso, neque immoderata libertate vti decet. A

Socratis. Libertatis, vt cuiusque partis anni, in tempore gratia iucundior.

AD SERM. 78. ANNOT.

Basil. Qui quiescit.) *Miror sanè quid sibi velit Ribittus, dum hic aliquid deesse ait, cùm perfecta reperiatur sententia in Græco Antonij, & contrà in Maximi sermone 31. integrâ profert quæ tamè abest ab eius Græco, est ex Basi. reg. breuior. 5.* εἰ δὲ κέντρον τὸ θανάτου ἁμαρτία, ἀπλαγχνός ἐστιν ὁ ἐφησυχάζων, ἢ ὁ ἐλέγχων. ὥσπερ ὁ τὸν ἰὸν ἐναφεὶς, τῷ δηχθέντι ἴσως ἰοβόλου ἢ ὁ ἐξαίρων. *Si verò stimulus mortis est peccatum, immisericors est is, qui conquiescit, non qui reprehendit, & exagitat peccatum fratris sui, vt qui venenum derelinquit ei, qui à bestia venenata fuerit morsus, non qui exerit.* B

De generis nobilitate & ignobilitate.

Sermo, 79.

Ioan. 3. QVod natum est ex carne, caro est: & è spiritu natum, spiritus est.

Apostoli. Non filij carnis, iidem sunt filij Dei: sed filij promissionis habentur pro semine.

Sirach. Liberi honestè vitam agẽtes, genitorum suorum tegunt ignobilitatem. C

S. Basilij. Patres & maiores non licet narrare nobiles, cum veritatis lex, propria cuiusque deposcat encomia.

Theologi. Malum vocari turpe, non ignobilem.

Chrysost. Splendidum & nobilem, non maiorum nobilitas, sed animi virtus efficere solet.

Euripidis. Nihil generis nobilitas ad pecuniam. Opulentia enim, vel pessimum inter primos collocat.

Quod si generis origo recta non fuerit, posteros in calamitate versari necesse est.

Non recte se habet vetus hæc sententia: ex malo D patre nunquam nascetur bonus.

Theopempti. Generosos existimato, non qui ex bonis & probis nati sunt, sed qui honesta, & bona sequenda sibi proponunt.

Thespidis. Maiorum nobilitate nemo gloriari debet: omnes enim habent generis originem, lutum, tum ij qui in purpura & byssо nutriuntur, tum ij qui in pauertate magna viuunt.

Silesiæ. Multi mortalium præ se ferunt nobilitatem in vultu, quorum tamen animus ignobilis & ingenerosus reperitur.

Quid cæco cum speculo?

Sostrati. Sostratus tibicen, cum quidam ei obiectaret, quod ex ignobilibus prognatus esset parentibus: E Atqui, inquit, ob id ipsum debui magis laudari, & in admiratione esse, quòd à me genus initium cœpit.

Phalaridis. Nobilitate quemadmodum alia aliqua re honesta gloriari non indecorum est. Ego verò vnam virtutem noui, cætera omnia tribuuntur fortunæ. Et fieri potest, vt qui ex improbis sit, bonus fiat, & regum & omnium generosissimus: ex bonis autem prognatus, improbus fiat, & seipso deterior & humillimis quibusque ignobilior. Quare laudem animi glorioſè iacta, non autem maiorum, per ignobiliores posteros emortuam nobilitatem.

Ex virtute procreatus, is generosus effingitur.

TEmpore confirmata impia consuetudo, quasi lex seruatur. Salomonis

Nihil est tam appetendum, quin perpetuò fruendo, contemptibile reddatur. S. Basilij.

Quorum autem rarior est possessio, iucundior est vsus & perceptio.

Inueteratum enim vulnus animi, & mali † meditatio tempore confirmata difficiliter curatur, vel etiam non curatur omnino, quod habitus sæpenumero in naturam mutetur. Hom. in 1. Psal. † Exercitatio.

Ab assuetis disiungi vel rationis expertibus, difficile & molestum est. Et ipse aliquando animaduerti bouem, qui ad præsepe socium bouem & in pastu & in iugo subeundo, mortuum fleret. Hom. In mar. Iuli.

Facilius est à principio non se vitio dedere, & effugere nascens, quàm natum abscindere atque eo superiorem fieri. Theologi.

Reticulo aquam ferre & laterem lauare, facilius est, quàm vitium in hominis animo tempore diuturno plantatum eximere.

Nihil tam firmum est in rebus humanis, quàm veteris consuetudinis tyrannis. Chrysost.

Externi quidam, consuetudinem alteram naturam esse dixerunt.

Mirè efficax est consuetudo retinere, & non pati vt ad pristinum virtutis habitum aliquis reuertatur.

Diuturnus mos natura ipsa firmior est, & leuiora peccata, si non prohibeas, subinde nascuntur & magnitudinem assequuntur. Philonis.

Naturam accusare non debemus, cum iucundam aut iniucundam vitam omnem efficiat consuetudo.

Ex omnibus enim passionibus quæ citò percipitur, ei facile remedium adhiberi potest: quæ vero longo tempore innata fuerit, propè est incurabilis. Charicl.

Nacta semel delicias natura, vix ad labores vult reuerti. Chorici.

Nihil natura iucundum aut iniucundum, sed omnia talia consuetudine fieri videmus. Socratis.

Optimum vitæ genus tibi proponito, hoc enim iucundum efficiet consuetudo. Menand.

Perdifficile est vt longa consuetudo breui tempore soluatur: consueta enim haudquaquam despicienda sunt.

Consuetudo à paruis initium capit, neglecta autem vim maximam accipit. Polyæni.

De libertate, *Sermo* 81.

NEmo liber est, qui se-ipse non continet.

Libertas impotens & immoderata, facile amittitur.

Fieri non potest vt is liber sit, qui perturbationibus seruit, & à perturbationibus vincitur.

Præstat seruire decenter, quàm libertate vti impudenter.

De conscientia. *Sermo,* 82.

PArentes, pædagogo pueros nos tradidẽrũt, qui vbique obseruarent ne quid læderemur: Deus autem iam viros insitæ conscientiæ custodiendos tradit, quæ quidem custodia & conseruatio nequa- Epicteti.

quam

quam contemnenda est: quoniam & Deo displiceret, & conscientiæ ipsi nostræ hostes essemus.

De benignitate. Sermo 83.

Luc. 6. BEnefacite & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit merces vestra ampla, eritisque filij altissimi: quia ipse in ingratos & improbos benignus est.

Ephes. 4. Estote benigni inuicem & misericordes, condonantes mutuo, quemadmodum ipse Deus vobis per Christum donauit.

Induite viscera miserationis, benignitatem, animi humilitatem, lenitatem, clementiam.

Basilij. Imaginem habeo, dum rationis sum particeps: B ad similitudinem autem fio, dum benignitatem colo.

Theologi. Bonitatis habet laudem, mãsuetudine feritatem vincere, & in meliores efficere iniuriam facientes, patienter ferendo quæ nobis inferuntur.

Terent. 51. Cunctis benignus sis quidem, quantum potes: Verum propinquis amplius.

Terent. 44. Fac sis benignus, vt benignum habeas Deum.

Benignitatis dogma quod contractius?

Quales apud te proximos esse expetis, sis talis ipsis.

Chrysost. Non solum Deus benigne & humaniter nos tractat dum beneficiis nos afficit, verumetiam dum C punit. Etenim animaduersiones eius & supplicia, beneficij sunt pars maxima: quãdo & medicus non solum cum in hortos & prata educit ęgrotum, aut in balneas & aquarum piscinas, sed etiam cum à cibo abstinere iubet, cum secat, cum amara adhibet medicamenta, tum quoq; æquè est medicus, suámque magis declarat humanitatem.

Greg. Nyssen. Qui natura bonus est, idem & bonorum largitor omnino est.

Proprium bonorum omnium est, prodesse aliis.

Non tam verba, quàm boni mores persuadere possunt.

Philippi. Quorum mores sunt moderati, eorundem tota D vita bene composita est.

Arte multos mihi familiares, moribus autem plurimos amicos comparaui.

Themisto. Themistocles prædium venditurus, iussit præconis voce promulgari, etiam bonum vicinum id habere.

De clementia & † verecundia. Sermo, 84.

Num. 12. VErentes & metuentes facite filios Israëlis.

Psal. 14. Moses mansuetus supra omnes homines qui sunt in terris.

Deducet clementes & mansuetos in iudicio, & docebit eos vias suas.

Mites autem hæreditate capient terram, & in E summa pace vitam agent cum voluptate.

Excipiens clementes dominus extollet, & salutem dabit.

Salomonis Prou. 16. Vir leni præditus animo, celer est medicus.

Præstat leni esse animo cum humilitate, quàm diuidere spolia cum contumelia.

Beatus qui prudenter omnia timet, duro autem corde præditus incidet in mala.

Prou. 15. Responsio submissa iram auertit.

Qui se abstinet quo minus verbum emittat durum, prudens est.

Psal. Mollis oratio cõfringit ossa: mitis esto pugnator.

Fili in lenitate fac opera tua perficias, & ab homine accepto diligêris. Prou. 25.

Esto lenis in responsione, vt intelligas. Sirach. 5

Fili in lenitate animum tuum doceto. (*Aliâs,* δόξασον, *id est, glorifica.*) Sirach. 10.

Radices gentium detraxit dominus, & in locum illarum plantauit mansuetos. Ibidem.

Beati clemẽtes, quoniam ipsi terræ hæreditatem capient. Matt. 5.

Accipite iugum meum super vos, ac ex me discite, quoniam mitis sum & humili corde, & animis vestris requietem inuenietis.

Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, vt quemadmodum vnicuique respondere conuenit, sciatis. Colloss. 4.

Modestia vestra nota sit omnibus.

Quasi fundamẽtum quoddam est ad perfectionem, verecundia cum metu. S. Basilij.

Cani senum, clementia.

Iuuenis clemens multa sustinet.

Nulla de virtutibus sic solet sapientiam parere, vt clementia.

Clementia egeo, qua euertitur princeps huius sæculi diabolus. S. Ignatij. Epistol. 5. ad Trallia.

[Bonos remunerator, malos † circunspice, vt eos quoque bonos reddas tempore. † αἰφρόνει.

Clementium benignitas, largitio est honesta.]

Modestia nihil potentius, atque declarans quidam, dicebat, Oratione molli ossa confringi: atqui quid osse durius? Verum etsi quis adeò durus fuerit, & minimè flexilis, facile tamen moderato & leni orationis vsu corrigitur. Chrysost.

Exemplum summæ omnium clementiæ, ipsum habemus omnium seruatorem Christum, quem à tergo sequi debemus, & alij aliorum iniurias necessariò ferre: nam de illo scriptum est, Cum contumelia vexaretur, non vicissim contumelia & conuitio affecisse: dum pateretur, non minitatum, sed ei qui iuste iudicat tradidisse iudicandum. Cyrilli.

Iuuenis lenis multa ferre solet: at senem angusti animi quis ferat? Iracundum senem vidi sublatum in thronum suum: maior tamen de iuuene spes habetur, quàm de illo.

Philosophus quidam cum vxorem haberet improbam & garrulam, & ebriosam, percontantibus cur talem ferret: Vt domi, inquit, habeam philosophiæ gymnasium & palæstram. Ero enim erga cæteros lenior, hac quotidie institutus. Sunt etiã qui ipsum ob hanc ipsam causam, illam duxisse dicant.

AD SERM. 84. ANNOT.

E Bonos remunerator.] *Meritò additũ est in margine verbum* αἰφρόνει, *non enim rectè vertit Ribittus* circumspice. *Billius loco citato vertit, Bonos remunerare, malos contemne, additque versum vnum quem subiicit primo ex tetrastícho Gregorij. 51.* κἀν τοῖς δε κείνῳ τὸ μηδὲν παθεῖν χάρις *monetque in 4. versu pro* τῷ πραέῳ *reponendum* τῷ μακροθύμῳ. *Sed satius est integram interpretationem versibus à Billio redditam subiungere.*

Probis repende: sperne quos malos vides.
Sit hoc & illis munus abs te, quod nihil
Luant acerbi. Sic eos reddes bonos.
Est namque leni munus amplum lenitas.

sequitur locus Chrysostomi.

De simplici & innocente, Sermo 85.

Genes. 25. IAcobus erat simplex miniméque fictus, domi se continens.

Iob. Dominus innocentem non repudiabit.

Psal. 36. Serua innocentiam, & vide æquitatem rectam, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.

Deus stabilit in domo, constantes & vnius moris homines.

Salo. 10. Dominus in innocentia gradientes, bonis non priuabit.

Qui simpliciter ambulat, ambulat fidenter.

Quandiu innocentes iustitiæ adhæresunt, non afficientur pudore.

Qui aspicit molliter, misericordiã consequetur.

Qui recte ambulat, dominum metuit.

Laudabilis est animus omnis simplex.

Simplex cuiuis sermoni credit.

Prou. 2. Benigni erunt terræ possessores, & innocentes in ea superstites erunt: quia recti terram inhabitabunt.

Oseæ 7. Et erat Ephraim velut columba stolida & carens corde.

Matt. 10. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices vt columbæ.

Matt. 6. Lucerna corporis tui, est oculus. Si igitur oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.

S. Basilij H. in princip. Prou. †ἀκακίαν. Dupliciter † innocẽtiam intelligimus: aut enim ob alienationem à peccato, quæ ratione dirigitur, ac per longam attentionem & exercitationem bonorum quasi radice vitiorum excisa: aut ex omnimoda malitiæ priuatione, simplicis & innocentis

Innocẽtia multiplex. appellationem recipimus. Et rursus, innocentia est ea quæ mali imperita est, vt sæpe propter ætatem iuuenilem, aut propter vitæ genus nonnulli imperiti sunt aliquarum improbitatum & vitiorum: vt puer non nouit superbiam, non nouit dolum aut versutiam, tales simplices dicere solemus, nõ quod ex instituto à malo & vitio sunt separati, sed quod nondum senserint aut experti sint malam animi affectionem. Format igitur simplicem, morum simplicitas.

Simplicitas & mores minimè dolosi, facilè animi secreta enunciant.

Theologi. Incauta est simplicitas: miniméque mali quic-

O. 3. in Iul. quam suspicatur qui à malo liber est.

or. 8. ad patrem. Tardus est ad mali suspicionem, qui ad malum ægrè impellitur.

Qui ad malum suscipiendum paratus non est, is ne ad mali quidem suspicionem facilis est.

Chryso. Qui à malo liber est, is ad malum suspicandum tardior.

Orationis simplicitas simplicem declarat.

Cyrilli. Maximi est pretij apud Deum simplicitas: nam etsi versutia aliquoties non reiicitur in rerum diuinarum studiis, haudquaquam tamẽ in virtutis suaueolentis numerum reponetur.

De versuto, & doloso, & peruersis moribus prædito, Sermo 86.

Psal. 11. DIsperdet dominus omnia labia dolosa, & linguam magnifica loquentem.

A Os tuum malitia redundauit, & lingua tua dolos connexit.

Viri sanguinarij & dolosi, dimidium vitæ tempus non implebunt.

Libera domine à labiis iniquis animam meam, & à lingua dolosa.

Peruersum cor architectatur mala: in omni tempore, talis, turbas suscitat ciuitati, quamobrem repente aderit internecio eius, quod is, omnibus delectetur quæ odit Deus. Salomonis

Sermones impiorum, insidiosi.

Animi iustorum falluntur peccatis.

Prauus in os suum fert exitium.

B Vir prauus immittit mala, & dissociat amicos.

Prauis, prauas vias mittit Deus.

Sermones adulatorum molles, sed intimas partes feriunt.

Tortuosus viis ambulans, implicabitur.

Filij huius sæculi, in genere suo, filiis lucis sunt prudentiores. Lucæ 16.

Duo significat † astuti vocabulum: alter enim ad S. Basilij in prin. prou. † πανοῦργον. nocendum aliis, solertia ingenij vtens improbus est: alter laude dignus, qui acutè & prudenter sibi accommodatum bonum reperit, dolosa autem & insidiosa incommoda & detrimenta quæ ab aliis C afferuntur, declinat. Obserua igitur diligẽter astutiæ vocabulum, ac medium quendam id habere habitum intellige: qua qui ex instituto sano ad vtilitatem proximi sui vsus fuerit, probandus est: at qui ad proximorum perniciem eam exercet, condemnandus, quod ea arte tanquam perditionis occasione & materia vtatur.

Fuge varietatem & multiplicitatem ingenij. Serpens enim varius, ob id, ad serpẽdum damnatus est.

Dolus, est † curiositas vitiosa ad parẽdas insidias parata cum quis boni aliquid præ se fert, idq; quasi †Sedulitas τὸ πανοῦργον. D escam prætendit vt insidias structas reddat.

Occulta malitia est pernicioſior quàm aperta.

Quibus vires desunt, tyrannicæ naturæ homines, rem astu & insidiis moliuntur. Philonis.

De puro corde & cogitationibus, & de iis qui puram habent conscientiam, Sermo 87.

NOn loquentur labia mea, legi aduersa, nec anima, iniusta meditabitur. Iob 27.

Purum cor meum verbis, & sagacitas labiorum meorum pura intelliget.

Laudabuntur omnes qui corde sunt recto. Psal. 63.

Res pretiosa vir purus.

E Omni cautione cor seruato: ex hoc enim sunt exitus vitæ. Prou. 4.

Cor viri æqua cogitet, vt à Deo gressus eius dirigantur.

Cogitationes iustorum, iudicia sunt.

Vt probatur argentum & aurũ in fornace ignis: sic corda electa apud Deum.

Cogitationibus suis implebitur vir bonus.

Viæ vitæ, consilia sapientis.

Diligit dominus corda pura, ac illi accepti sunt omnes, qui tales sunt vt reprehendi non possint.

Ambula in cordis tui via sine reprehensione, & scito te in omnibus his adductum iri à domino in iudicium. Eccle. 11.

Remoue

Remoue iram à corde tuo, & malitiam repelle à carne tua: beatus quem suus animus non condemnat.

Beati puro corde, quia ipsi Deum videbunt.

Gloriatio nostra hęc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in sanctitate & synceritate Dei, non in sapientia carnali, sed in gratia Dei in mundo versati sumus, sed multo magis apud vos.

Fratres precamini pro nobis. Confidimus enim nos bonam conscientiam habere, in omnibus honestè versari volentes.

Si cor nostrum non condemnat nos, ad Deum liberè accedimus, & quicquid petimus, ab illo accipimus: quia præcepta eius seruamus, quæque illi grata sunt facimus.

Primum beatissimum est quod in corde nostro purum: quia radix est omnium corporis actionum, cordis consilium.

~~Puro corde estis, qui seipso non convincit praeceptorum Dei violatione.~~

Non est pietas in rebus paruis, nec philosophia in vultus demissione, sed in animi firmitate & cogitationis puritate, & vera ad res honestas propensione.

Nihil est quod sic nos delectare soleat, vt conscientia pura & spes bona.

Conscientia læta, exultans, & secura etiam vultum hilarem reddit, ac genas rigat animi bona valetudo, nec sine causa dictum est à sapiente: Læti cordis os floresçit.

Qui præclara sunt conscientia, filij lucis & diei prædicantur.

Non facinorum abstinentia fidelem iustificat, sed cogitationum castitas & pura synceritas.

Oratio casta, & vita nulla labe cõtaminata, thronus & verum Dei templum est.

Salus, est eorum qui perturbationibus carent, & puri sunt.

Cor temperans, commentationum portus est.

Non extirpatrix perturbationum est, sed aduersatrix ratio.

Quia nobis non videntibus in animi locum intrat Deus, præparemus locum illum, quàm licet pulcherrimum, & idoneum maximè futurum Dei habitaculum. Sin secus, nobis non sentientibus in aliam domum Deus migrabit.

Domus Dei, cogitatio sapientis, ac huius propriè vocatur Deus, qui vniuersorum est, (vt inquit propheta) quod Deus tanquam in regia in ea ambulet.

Oculis quæ aperta sunt, quæq; in manibus sunt, comprehenduntur: sed ratio syncera penetrat etiã ea quæ sub oculos non cadunt & futura sunt.

De corde versuto, deque mala conscientia.
Sermo 88.

EX occultis meis purga me, & ab alienis parce seruo tuo.

Distortum cor architectatur mala.

Qui duro corde præditus est, ei bona non obtingunt.

In corde bono conquiescit sapientia: at in corde insipientium non dignoscitur.

Insipientes, mala in animo volutant, duro corde præditus in miserias incidet.

Detestãda est apud dominum iniqua cogitatio.

Molesta cogitabant & mala designabant in cubilibus suis, & simul vt illuxerat, ea perficiebant. Michææ 2.

Cogitationes eorum sanguinariæ. Esaiæ.

Eluito à malitia cor tuum: quousque tandem in animo volutabis dolores & molestias?

Stultus stulta loquitur, & cor eius in vanis elaborat. Sapien.

Prauæ cogitationes à Deo nos seiungunt. Salom.

Cor durum grauabitur molestiis. Sirach. 3.

Vt in motione cribri remanet fex, sic reiectamenta hominis in cogitatione ipsius.

Vt vasa figuli probat fornax, sic distrahitur homo in cogitatione sua.

Quicquid intrat in os, in ventriculum descendit, & in secessum eiicitur: quod autem ex ore exit, ex corde proficiscitur, atque id impurat hominẽ: nam ex corde exeunt prauæ cogitationes, cædes, adulteria, scortationes, furta, falsa testimonia, maledicta: hæc sunt quæ hominem impurum reddunt. Matt. 15.

Ex cordis abundantia, os loquitur. Iacobi 4.

Repurgate manus scelerati, purificate corda duplicis animi homines.

Illud solum non potest euitari internum, & in nobisipsis situm iudicium. Theologi.

Quum turpe aliquid cogitas, complures adesse existimato ac teipse reueretor.

Malum esse, in ipsa solum voluntate positum est: sæpéque satis est ad vitij, perfectionem, cogitatio. Greg. Nyss.

Ipsum per se malum, nusquam reperitur extra voluntatem priuatim subsistens: sed tum demum procreatur, quum animo instituimus illud.

Nulla res æquè impudẽtes facit atque mala conscientia.

Principium & radix & quasi fons & procreatio nostrarum perturbationum est, ad malũ propensus appetitus, ad ipsas inuitans mentem, ac primò præstigiis illudens, postea vim adhibens & concutiens. Cyrilli.

Siquidem fumi more, vel etiam quemadmodum vapores quidam, insitarum voluptatum appetitus in nobis nascuntur. Sed qui temperans est, & fortis, motus increpat, nec longius progredi finit, facile infirmos adhuc perturbationis motus superat. Iners autem & negligens voluptatum principia admittit, quasi cogitationes nudas, cúmque permiserit in latitudinem progredi, difficillimum erit resistere: nam qui ante captus est & iam occupatus, is consiliorum suorum non est dominus, immò magis victrici perturbationi quasi barbaro alicui subiicietur.

Peccatum non erit in ipsis solis cupiditatibus, sed in ipsis effectorum exitibus: ac quãdiu quidem est malum in mente parturiente, nondum est extinctio, nondum mors. Caute lege.

Perpetuæ recordationes & imaginationes perturbationum, claras species imprimentes mentem lædunt, & cedentem sæpe illam peruertunt. In istis igitur rebus, salutaris est fuga: recordari autem, & in ore habere, ac in animo volutare, id verò vincit & violenter mentem in seruitutem redigit. Philonis.

Peccanti virtutis ignoratione, venia parata esse debet: atqui de industria iniuriam facit, excu-

satisfactionem non habet, quippe qui prius in iudicio A conscientiæ damnatus sit.

Interno ac domestico iudicio quilibet insipiens damnatur.

Nili. Voluptas dolorem non exhibet, nec mœror gaudium, nec tristitiam lætitia.

De patientia & lenitate, vel longanimitate, Sermo 89.

2 Reg.16. SInite, inquit Dauid, maledicta iaciat Semei, quod Deus ipsi iusserit, si qua ratione dominus abiectionem meam videat, & ad me redeant bona pro execratione istius.

Iob.22. Si patiens fueris, fructus tuus in bonis numerabitur.

Dauid. Quicunque patienter te expectant domine, ij nunquam dedecore afficientur.

Patienter dominum expectato, & viam eius obseruato, & ipse te extollet, vt terram possideas.

Salom.14. Prudens multa fert.

Leni animo præditus lites accensas extinguit, sed impius magis excitat.

Longanimis, multum prudentiæ habet, pusillanimis autem valde stultus est.

Lenis, forti præstat: & iræ qui imperat, maior est vrbium expugnatore.

Nahum. Si tardauerit, tamen expectato, quia certò veniet, nec procrastinabit.

Expecta me, inquit dominus, ad diem resurrectionis meæ in testimonium.

Malach.3. Benignus est dominus iis, qui ipsum expectant cum premuntur, & agnoscit timentes eum.

Esa.40. Qui dominũ spectant, vires renouatas accipient, aquilarum more renouabuntur eis alæ: current nec fatigabuntur: deambulabunt, nec esurient.

Bonus est dominus iis qui ipsum expectant.

Baruch 4. Filioli leniter ferte iram super vos venturam.

Sirach. Ad tempus patientiam præstabit leni præditus animo, postea ei afferetur lætitia, tempore postu- D lante occultabit sermones suos, & multorum labiis enarrabitur prudentia eius.

Qui metuunt dominum, præparant animas suas, ac in conspectu eius humiliabunt animas suas, & lenitate vtentur vsque ad tempus visitationis eius.

Fili si seruire domino instituis, ad tentationem animum tuum præparato: rectum cor habeto, & perdurato.

Vide ne festines tempore calamitatis, expectato patienter Deũ, ac illi adhæresci to, vt ad extremum bene tibi cedat.

Lenitate in respondendo vtitor.

Haudquaquam tardabit patientia pij. E

Matt.10. Qui patientia nisus fuerit vsque in finem, is salutem conseque tur.

Luc.21. Patiẽtia vestra nitẽtes, possidete animas vestras.

Ephes.4. Obsecro vos fratres, ego qui captiuus sum & vinctus domini nomine, vt sicuti est vocatione vestra dignum, ambuletis cum omni modestia, mansuetudine & lenitate, ferentes vos inuicem cum dilectione.

Facite ne vestram in dicendo libertatem amittatis, quæ magnam habet mercedem: patientia enim vobis opus est, vt voluntati diuinæ obtemperantes promissiones accipiatis.

Certus est sermo: si commortui sumus, conuiuemus etiam: si patimur patienter, simul etiam regnabimus.

Omne gaudium existimate fratres mei prædilecti, si in tentationes varias incideritis, illud nõ ignorantes: probationem fidei, vestræ patientię effectricem esse: patientia autem perfectum habeat opus, vt perfecti sitis & integri, nulla re indigentes.

Beatus qui tentatur, & patienter fert: quia probatus cùm fuerit, vitæ coronam accipiet, quam Deus iis promisit, qui diligunt ipsum.

Hoc gratia est, si bona conscientia quis dolores 1. Pet. 2.
B patiatur iniquè. Quæ enim gloria est, si peccantes colaphis cædimini & patimini? Sed si benefacientes cruciari patienter fertis, id verò gratum est Deo.

Si iustus vix salutem consequitur, sceleratus & impius vbi comparebit?

Firmiter dum cęderis, quasi incus stato. Generosi S. Ignat. est athletæ cædi & vincere: maximè verò propter Deum nobis omnia patienda sunt, vt ipse nos patiatur.

Patienter alij alios cum mansuetudine patimini, vt semper Deus nos leniter ferat.

Qui demissione animi suas cogitationes præmu- S. Basilij. nierit, apud Deũ minus dedecoris inueniet quàm
C reuera habeat: ac ex patientia sibi coronam parabit, alterius insaniam, suæ securitatis & quietis occasionem faciens.

Quum igitur ad cõuitia incitaris, te-ipse in iudicium adductum existimato: vtrum ad Deum per lenitatem accessurus sis, an per iracundiam ad aduersarium recurras.

Piis certatoribus propheta occupãs in principio Homil. in
Psalmi beatitudinis finem ostendit, vt bonorum Psal. 1.
spe futurorum, molestias vitæ nõ grauatè feramus: & iter facientium laborem asperæ & salebrosæ viæ leuat commodi expectatio diuersorij. Quocirca communis vitæ rector, & magnus doctor spiritus
D ille veritatis sapienter & arte maxima præmia proposuit, vt vltra labores & dolores præsentes prospicientes, cogitatione properemus ad sempiterna bona perfruenda.

Non enim rerum necessariarũ egens, patiens est: sed qui in abundantia voluptatum, perfert malum.

Temperantium est non se in pericula coniicere: sed fortium & philosophorum est, si inciderint, ferre fortiter.

Est in fabulis, plantam quandam esse, quæ cum Theologi. Orat. 28. cùm ruit. inciditur germinet, quæque cum ferro certare dicatur, ac si poëtarum more loqui licet, quæ morte viuat, & incisione nascatur, & consumptione augeatur. Talis mihi videtur esse sapiens & philosophus, qui in perturbationibus claritatem consequitur, cui virtutis materia est molestia, & aduersis ornatior redditur, nec dexteris iustitiæ armis tollitur, nec sinistris flectitur aut deiicitur, sed idẽ semper manet in non iisdem, aut etiã probatior, quemadmodum aurum in fornace.

Melior lenitas celeritate, & consensus quàm contumacia.

Vtile est audaciam mãsuetudine vincere, & meliores reddere iniuriam facientes, quæ nobis inferuntur patienter ferendo.

Nihil est fortius, iis qui ferre omnia parati sunt.

Dolent

Dolent etiam qui orbi præfecti sunt, ac multo magis quàm qui Deo seruiunt, sed præmium illis est dolor: nobis verò etiam pati, nõ caret mercede, si modo propter Deum patiamur.

Videndum est ne serui mali simus: & benignè quidem facienti domino gratiæ à nobis sunt agendæ: & castigante etiam eo, non ægrè ferendum est. Etenim præstat aliquoties valetudini morbus, & patientia remissioni, & animi intentio negligentiæ.

Nulla res æquè facit venerabiles, atque iniuriam sustinere.

Quemadmodum pœnitentibus, diuina prodest lenitas, sic obstinatis & pertinacibus, grauiora affert supplicia.

Solet Deus non à principio mala auertere, sed cũ vsque ad summum venerint & creuerint, quum ferè nihil prætermissum fuerit ab hostibus, quin omnia experti sint: tum simul omnia in summam tranquillitatem conuertit, ac præter omnium expectationem res ipsas optimè constituit & firmat.

Quum quis te offendit, noli ad ipsum aspicere, sed ad dæmonem impellentem, & iram totam in illum effundito, illius autẽ miserere qui à dæmone impellitur.

Non enim solum dum boni aliquid facimus, sed etiam dum mali patimur, aliquid, magna præmia expectare debemus: id quod Iobus ostendit, qui ex malis & rebus aduersis, magis quàm à rectè factis, clarus euasit.

Nulla profecto res est, quæ tam splendidos efficiat & imitatione dignos, ac bonis & commodis afficiat innumeris, quàm multæ & variæ tentationes & afflictiones, pericula, labores, tristitiæ, & continenter insidiis appeti, vel ab iis qui minimè debebant, sed omnia leniter ferre.

Quicquid enim à quocunque iniustè patimur, aut ad peccatorum remissionem Deus nobis iniuriam illam imputat, aut ad mercedis remunerationem.

Qui meditatas habet afflictiones, non *fastidiet cum opprimetur.

Contemnere & nolle pati calamitates, magnæ & variæ est insipientiæ proprium.

Magnam eam peritiam existimato, per quã ferre possis imperitiam.

Notio Dei, per lenitatem & clementiam in homines declaratur.

Optare non debes, vt ea quæ fiunt, quemadmodum velis, fiant: sed quemadmodum res ipsæ accidunt, ita accidere velle debes.

Nihil tam plagas reprimit, quàm eas ferre: & iniuriam accipientium patientia quieta, iniuriam facientibus pudorem affert.

suum regnum admittat, aut, transferendos expectet.

Patienter alij.] *Ex eadem Epistola est hæc* γνώμη. *vbi tamen postrema illa* vt semper nos Deus leniter ferat, *Græca Antonij* ὡς ὁ θεὸς μεθ' ἡμῶν διὰ παντὸς, *apud Ignat.* καὶ ὁ θεὸς μεθ' ὑμῶν. *Et Deus ita vobiscum aget. sequitur.* ὀναίμην ὑμῶν διὰ παντὸς.

Basil. Quum igitur ad conuitia.] *Ex homil. de Ira vbi hæc sic habẽt,* ὅταν δέ σοι κινηθῇ ὁ τῆς λοιδορίας σφυγμὸς, νόμιζε κρίνεσθαι ἑαυτὸν πότερον διὰ μακροθυμίας προχωρεῖς τῷ θεῷ, ἢ διὰ τὸ ὀργῆς ἀπόδεκτος εἶναι πρὸς τὸν ἀντίδικον. *Quando enim tibi cõuiciorum tentatio commota fuerit, explorari te-ipsum existimato, vtrum per longanimitatem ad Deum accedas, an per iram ad aduersarij partes recedas. Hîc vide an per vel* ἀντίδικον *vel* διάβολον *vt habet Antonius diabolum intelligat.*

Dolent etiam qui orbi.] *Græcè,* τῷ κοσμῷ προσπεπηκότες. *Qui mundo affixi sunt, & qui adhærent seculo. Ribittus vertit quasi esset* προσηκότες.

Dolent etiam qui orbi.] Theol. videndum est ne mali] *Miror quid tam sæpe in mentem veniat Gesnero Græca immutare, atque in scirpo nodum quærere. Quid enim planius his verbis?* μὴ γενώμεθα δοῦλοι κακοὶ, ἀγαθοῦσι μὲν ὁμολογοῦμενοι τῷ δεσπότῃ, παιδεύοντι δὲ μὴ προσπαθοῦμενοι. *Ne simus serui improbi, confitentes quidem Domino, cum benefacit nobis, eidem autem castiganti minime nos adiungentes. Et tamen pro* προσπαθοῦμενοι, *quod in omnibus codicibus habetur, emendat* προσοχθοῦμενοι, *eúmque Ribittus interpres sequitur. Hæc Billus c. 5. l. 1. obser. Qui tamen aduertere debuit Gesnerum in varijs lectionibus quibus errata typographi correxit, suam coniecturam antiquasse. Cæterum hic locus est apud Gregor. orat. 17. ad Nazianz. alludítque ad locum Psal. 48. Confitebitur tibi cùm benefeceris.*

De non patientibus & animo paruo præditis, Sermo. 90.

PAruo animo præditus, valde est insipiens. Animi virum angusti quis ferat? Salomonis

Væ vobis qui patientiam perdidistis: quid facietis, cùm dominus ad res inspiciendas veniet? Syrach. 2.

Si iraseeris conuitianti, conuitia approbasti. Quid enim ira insipientius? Sin vero nihil moueris iram, iniuriam facientem pudore affecisti, re-ipsa temperantiam declarans. S. Basilij.

Euidentibus argumentis dominus noster patientiæ viam nobis monstrauit, leniter mansuetéque percutientem ferens, nihilque se commouens. Effector enim cœli terræque, & dominus ab omnibus creatis adorandus, qui fulcit omnia verbo virtutis suæ, eum à quo alapa cæsus fuerat, haudquaquam viuum ad inferos dehiscente terra demisit, sed monuit, & docuit, dicens: Si male sum locutus, testare de malo: sin autem bene, cur me cædis? Si enim assuefactus fueris omnium postremus esse, quemadmodum præceptum est domini, nunquam indignaberis, quasi præter dignitatem tibi contingat iniuria. ho. 10. de Ira.

Ex iis qui tentantur, alij mihi videntur in morem leuissimorum lapillorum & inanium cõchularum rapi, ac ne ad breuissimum quidem tempus insultum sustinere posse: neque enim in se possident rationis temperatæ soliditatem & grauitatem, quæ casibus irruentibus obsistat. Alij verò similes vi- Theologi. or. 28. cùm ture red.

AD SERM. 89. ANNOT.

S. Ignat. Firmiter dum cedens.] *Hæc apud ipsum Ignatium Epist. 11. ad Polycarpum paulò aliter leguntur.* πάθε δὲ ἵδεσιος ὡς ἄκμων τυπτόμενος. μεγάλα δόξιν ἀθλητὴ δέρεσθαι, καὶ νικᾶν. μάλιστα δὲ ἕνεκεν θεοῦ πάντα ὑποφέρειν ἡμᾶς δεῖ, ἵνα καὶ αὐτὸς ἡμᾶς ἀνάμενη εἰς τὴν βασιλείαν. *Ita firmus velut incus, quæ verberatur. Magni athletæ est ferire & vincere (alij vertunt cædi & vincere) Dei autem nomine maxime sustinere oportet omnia, vt ipse nos in*

dentur petræ,illa petra digni in qua ſtamus, quámque colimus, quicunque ratione vtentes † ſapientię ſtudioſa,vulgi excellunt humilitatẽ,& omnia ferunt æquo animo & infracto, ac ridẽt magis, quàm miſerentur alios,qui vexãtur: † illud per philoſophiam,hoc vero per humanitatem: Ipſi autem turpe exiſtimant,quæ abſunt pericula contemnere & nihili æſtimare,præſentibus ſuperari, & præſertim prætereuntibus:& † non in tempore philoſophari, in ipſo autem vſu philoſophiæ expertes deprehendi,tanquam ſi quis ſe velit athletam exiſtimari,qui nunquã in ſtadium deſcenderit,aut egregium gubernatorem qui in ſerenitate magnos ob artem ſibi ſumat ſpiritus, in tempeſtatibus autem gubernacula deſerat.

† Philoſophica.

† Perturbãtur.

† ἔξω καιρῶ φιλοσοφῶν.

Proprium eſt inſignis ſtultitię,aduerſas res paruifacere,& nolle quum accidunt, pati.

De republ. honeſta, & de obedientia,
Sermo. 91.

Matth. 5. AVdiſtis dictum eſſe antiquis: Oculũ pro oculo, & dentem pro dente. At ego dico vobis, non eſſe malo reſiſtendum: ſed qui alapam tibi incuſſerit in malam dextram, obuertito ei & alteram: volentique tecum certare & tunicam auferre tuam, permitte & pallium: & ſi quis te adegerit ire miliare vnum, cum eo duo pergito: petenti à te dato: & volentem abs te mutuum ſumere,ne auerſator.

Si quis me diligit, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum,& ad eum veniemus, & apud eum manebimus.

Philip 2. Hæc facite ſine murmuratione, & diſputatione: nihil per contentionem, aut inanem gloriam.

Ne murmuremus, ſicut quidam illorũ murmurauerunt,& perditi ſunt à perdente.

Vxores ſubiectæ viris eſtote, ſicuti decet propter dominum. Viri diligite vxores, nec erga illas acerbi ſitis. Liberi, obedite parentibus in omnibus: quia hoc domino pergratum eſt. Patres,nolite liberos veſtros irritare,ne illi deſpondeant animos. Serui, ſubiecti dominis carneis eſtote, non ad oculum ſeruientes,quaſi qui hominibus placere ſtudeatis, ſed in ſimplicitate cordis Deum metuentes: & quicquid facitis, id ex animo exequi debetis, quaſi in conſpectu domini, non hominum, non ignorantes futurum eſſe, vt à domino remunerationem hæreditatis accepturi ſitis. Quod iuſtum & æquum eſt domini ſeruis tribuite, quod ſciatis vos habere dominum in cœlis.

Iob. 31. Iniquum nihil fuit in manibus meis,precatio autem mea pura.

Prou. 4. Oculi tui recta aſpiciant, & palpebræ tuæ æqua nutent.

qui ſine reprehenſione in iuſtitia verſatur,liberos relinquet beatos.

Senectus honorata, non quæ multos habet annos,nec numero annorum metienda eſt,ſed vita inculpata.

S. Baſilij. † ἀκεράιας. Fac diſcas,ô homo, ac docearis euangelicam tẽpub.oculorum † eruditionem, linguæ continentiã, corporis ſeruitutem,animi humilitatem,puritatem mentis,iræ deletionem. Cùm aliquid abs te exigitur,etiam amplius adde:cum fraudatus fueris,iudicium ne petito:ſi te quis odit,amato:ſi perſequitur, ſuſtineto:ſi conuitiis proſcindit,obſecrato.

Infecta verba muta vincit actio.

Nemo abſque vita magnus vnquam vir fuit: Theologi Tetraſt. 6.
At abſque verbis plurimi mulcentibus.
Namque eſt agentis non loquentis gratia.

Vbi res ipſæ comparent, longa ſuperuacua eſt oratio.

Vita potentior oratione, verbíſque mores: & operum demonſtratio, verborum doctrinæ præponitur. Chryſoſt.

Audi Apoſtolum dicentem, cum timore & tremore veſtram ipſorum ſalutem efficite: † omnia facite ſine murmurationibus & diſputationibus,vt ſitis ſimplices,ac tales de quibus conqueri poſſit nemo, filij Dei ſine reprehenſione. Quinetiam vates Dauid: Seruite,inquit,domino,cũ metu, quia vbique eſt Deus, audit omnia, omnia videt,nõ modo ea quæ aguntur& dicuntur,verumetiam ea omnia quæ in cordibus volutantur,vel quæ ſunt in fundo cordis: quippe qui ſit cupiditatum & cogitationũ cordis iudex & cognitor. † Philip. 2.

Præſtantioribus ſubiectum eſſe, vtiliſſimum eſt. Nili.

~~Infinita ſunt mala quæ commaculant animum à quibus expugnari & eluiomnino non licet: neceſſario enim relinquuntur cuiuis mortali ſordes, quæ † lauiores fieri credi poteſt, tolli autem omnino non poſſunt.~~ † λαμπρας.

Obedientia iuncta cõtinentiæ vel beſtias ſubigit. Senum.

De repub. vituperanda, & inobedientibus ac rebellibus,
déque iis qui moribus improbis præditi ſunt,
Sermo. 92.

QVia noluerunt mea ſequi conſilia,ſed increpationes meas deriſerũt,vię ſuæ fructibus fruentur, & cupiditatibus ſuis explebuntur.

Populo huic fuit cor inobediens & rebelle: omnes inobedientes ſunt & prauè ingrediuntur. Ieremiæ.

Ad quem loquar & teſtabor, vt audiat? ecce aures eorum incircunciſæ ſunt, nec poſſunt audire. Ezech. 3.

qui audit me,audiat:& qui non paret, ne pareat. S. Baſilij.

Vbi inimicitiæ, lites, iræ, contentiones,quæ in animis tumultus inexplicabiles excitant, ibi ſpiritus clementiæ non requieſcit. Theologi.

Præſtat, opinor, à patre & domino obiurgari, quàm abdicari.

Impudens aſpectus, ceruix erecta, continua ſuperciliorũ motio, inceſſus faſtuoſus,& ob nullam rem improbam erubeſcere, animi fœdiſſimi ſigna ſunt,occultas probrorum ſuorum formas conſpicuo corpori inſcribentis. Oppiani.

Semper enim imperitorum mens virorum,
Expugnatu difficilis eſt, nec volunt etiam veris fidem habere.

De remuneratione eorum qui bene & ex virtute vixerint, in beatitudine ſempiterna,
Sermo. 93.

DEus qui ſeruat teſtamentum ſuum, & miſericordiam diligentibus ipſum, iiſque qui mandata Deut. 21.

data ipſius exequntur,in mille ætates.

Iuſti hæreditatem terræ accipient,ac in ea in ſæculum ſæculi habitabunt.

Pſal.36. Miſericordia autem domini continuatur iis, qui ipſum metuunt.

Iuſti optimè excipientur.

Qui iuſte viuit,ei auxilium non deerit.

Salomonis Benigni terræ erunt poſſeſſores, & innocentes in ea relinquentur:nam qui recti ſunt,habitabunt terram,vbi abierit dolor, triſtitia & gemitus.

Iuſtus ſi extremum vitæ diem confecerit, in requiete futurus eſt.

Iuſtorum animi in manu Dei ſunt, nec tanget illos cruciatus.

Hæc domini ſunt verba: Ecce,inquit,ſerui mei edent,vos autem eſurietis. Ecce ſerui mei bibẽt, vos autem ſitietis. Ecce qui ſeruiunt mihi,lætabuntur, vos autem pudore afficiemini.

Daniel.12. In tempore illo ſalutem conſequetur omnis populus, qui fuerit inuẽtus in hoc libro ſcriptus:multique eorum qui dormiunt in terrę tumulo,excitabuntur ad vitam ſempiternam, & qui intelligunt, ſplendebunt quaſi ſplendor firmamenti.

Iuſti in æternũ viuunt, & in domino merces eorum, & de ipſis ſolicitudo apud altiſſimum:itaque regiam magnificam &decorum diadema accipient de manu domini.

Sapien. Bona bonis iam inde ab initio condita ſunt.

Matth.25. Tum dicet rex iis qui fuerint ad dextram, Adeſte, beati effecti à patre meo, poſſidete paratum vobis regnum à mundi conſtitutione. Eſuriui enim & dediſtis mihi edere.

Thom. Proponitur requies æterna iis qui legitimè in hac vita decertarint, quæ non ex debito operum redditur, ſed ex Dei magnorum donorum largitoris gratia, iis qui in ipſo ſpem habuerint, præbetur.

Iuſtorum corona,ſpiritus eſt gratia,quæ & copioſior & perfectior conceditur, cum pro ratione fortium factorum ſpiritalis gloria cuique diſpertiatur. In ſplendoribus enim ſanctorum multæ ſunt manſiones apud patrem. Hæc ſunt quę dignitatum differentiam efficiunt.

Theologi. ar.17.in Pagam.5. Ac alios quidem lumen inenarrabile excipit, ac ſanctæ & regalis trinitatis contemplatio,quæ lucidius & purius illuſtrat,quæque tota toti menti permixta eſt quod ipſum ſolum & maxime regnum cœlorum exiſtimo.

Præmium virtutis Deum fieri, & puriſſima luce colluſtrari.

Non qui non ſupplicio dignus,idem continuo & honore: quemadmodum & præmio indignus,non ſtatim ſupplicium meretur.

Chryſoſto. Regnum cœlorum, non eſt terra fluens melle & lacte,nec viridis ſenecta, nec liberorum copia, non cibus,non vinum,non ouilia, non bubilia, ſed cœlum ac ea bona quę in cœlo ſunt,eſt adoptio,& fraternitas cum vnigenito, & communio hæreditatis, & vnà cum illo gloria affici, & regnare, & ſexcenta talia præmia.

Marci Anachoretæ. [redacted]: qui autem ad perfectum venire volunt, neceſſe habent omnia prorſus exequi:

A continet autem omnia mandata, animæ abnegatio,quæ eſt mors.

De remuneratione eorum qui in vitio & illicitè vixerint, perpetuúmque illis & interminatum propoſitum eſſe ſupplicium, Sermo 94.

VT non perdat ſceleratus innocentẽ,nolet deus illi placari,ſed exardeſcet ira domini,& æmulatio eius in hominem illum. Deut.28.

Qui ſementem abſurdam fecerint, dolores ſibi metent. Iob.18.

Impiorum lucerna extinguetur. Veniet conuerſio eorum, & ſimiles erunt paleis, quæ à vento diſpelluntur.

B Paululum cæſus es flagellis, ob ea quæ peccaſti?

Pluet in improbos laqueo,igne,ſulphure, & vento procelloſo. Pſal.10.

Facies domini in eos qui mala patrant.

Mors ſceleroſorum mala.

Vt cera igne liquefit,ſic ſcelerati interibunt.

Reddet illis dominus iniquitatem ipſorum, & pro ratione malitiæ illorum,dominus Deus exterminabit eos.

Ira tuarum in ſceleratos minarum intolleranda eſt. Manaſſæ.

Promptum eſt impiorum exitium, de quo boni lætantur. Salomonis

In ſupplicio ſceleroſorũ nõ eſt vllum remedium.

C Vitam impiorum dominus euertet.

Impiorum afflictio mortifera.

Præparantur intemperantibus flagella.

Exleges præteribunt bona, & non ingredientur in ea.

Lumen impiorum extinguetur.

Peccantes,mala perſequentur.

Exitus iniquorum,miſer.

Execratio domini in domibus impiorum.

Domus impiorum exterminabuntur.

Defigam oculos meos in illos ad calamitates inferendas, non proſperitates. Amos.9.

Infirmi erunt impij, & de terra tollam iniquos, Sophoniæ. 3.

D dominus ait omnium præpotens.

Ecce dies veniet quaſi clibanus exardeſcẽs,& cremabit eos, eruntq; omnes iniqui,ſtipulæ ſimiles,& incendet eos dies illa quæ ventura eſt, dicit omnipotens,neque relinquetur nec radix nec ramus. Malach. 4.

Conſummatio in ſceleroſos veniet.

Ecce dies domini veniet cum vehementi ira, vt totum orbem deſertum efficiat, & ex eo tollat ſceleroſos. Abacuc.

Væ iniquo: mala,ſicut opera ipſius requirunt, accident ei. Eſaiæ.13.

Exurentur iniqui & ſcelerati ſimul, nec exiſtet quiſquam qui extinguat ignem.

E Vermis eorum non morietur, nec ignis ipſorum reſtinguetur,erúntque omnibus ſpectaculo.

In concilio ſceleroſorum, igni exurentur.

Ignis,grando,& fames & mors, hæc omnia ad ſceleratorum ſupplicium condita ſunt. Syrach. 39.

Vindicta ſceleroſorum, ignis & vermis: in ſceleratos ira illius exardeſcet.

Quemadmodum colliguntur zizania,& igni exuruntur:ſic fiet in huius ſæculi cõſummatione: mittet filius hominis angelos ſuos, & ex regno ipſius colligent omnia offendicula, eóſque qui iniquè Matth.13.

se gerunt, & coniicient in fornacem ignis, vbi futurus est fletus & stridor dentium.

Tum dicet rex, iis qui erunt ad sinistram: Discedite à me execrati in ignem sempiternũ, qui diabolo & angelis eius paratus est.

2. Pet. 2. Nouit dominus, pios ex tentatione eripere, iniquos autem in diem iudicij cruciandos seruare.

2. Cor 5. Ad tribunal Christi vt sistamur omnes, oportet, vt auferat quisque pro suis actionibus quas in corpore gessit, siue bonum siue malum.

S. Basilij. Ex insidiis diaboli sunt etiam istæ: vt multi homines, quasi obliti tot & talium domini sententiarum, finem suppliciorum sibi circumscribant, quò in futurum audaciùs peccent. Si enim æterni supplicij futurus est aliquando finis, omnino & vita æterna finem habitura est. Quod si hoc de vita æterna non probamus, qua ratione supplicio sempiterno finem concedemus? nam in vtroque æternitatis vocabulum æquè additum est: Abibunt enim, inquit, isti in supplicium æternum: iusti verò in æternam vitam.

O quàm te-ipse laniabis, quàm suspirabis & gemes frustra, sero scilicet plorans rebus iam constitutis, nec mutationem admittentibus, quum videris iustorum splendorem illa magnifica donorum distributione, & sceleros orum in profundissimis tenebris demissionem & tristitiam.

Peccati labores, tristis & laboriosa manet gehenna.

Suæ, quisque, actionis fructus, in illo remunerationis die agnoscet.

Theologi. Quàm melius est nunc castigari & perpurgari, quàm in illum cruciatum venire, cum iudicij, non purgationis tempus erit.

ora. 15. Non enim licet iis qui ad inferos descenderint confiteri & se corrigere. Concluſit enim Deus hic vitam & actionẽ, illic autem rerum gestarum examinationem.

Ibidem. Postquam non restat iudex maior, non per secunda opera defensio: non oleum à prudentibus virginibus, aut à vendentibus, lampadibus quæ iam extinguuntur, comparari potest: nulla est pœnitentia diuitis, qui flammis exuritur, & domesticis suis correctionem inquirit: non relinquitur ad emendationem dies, sed solum hoc, & supremum, & formidolosissimum iudicium exstat.

O quàm Dies hic mî grauis! Quónam fugam
Capiam? quid & agam? Quàm metus me ingens habet?
Vuis Gomorrhæ criminum atque sentibus,
Non plenus extem, iura cùm dicens Dei
Natus piorum cuilibet sedem dabit
Pro dignitate, luminis captu & sui.

Chrysostomi. Non solum bonorum, sed etiam improborum immortalia surgunt corpora, sed honor hic, sceleratis, supplicij & cruciatus occasio est: immortalia enim resurgunt, vt semper ardeant: nam cum ignis ille sit talis vt nunquam extinguatur, ei talibus opus est corporibus, quæ nunquam conficiantur.

Cyrilli. Excitamur ergo æterna habentes corpora, sed non omnes similia. Sed si quis est iustus, is corpus spirituale accepit, vt dignè cum angelis versetur. At si quis sceleros us est, corpus accipit quod pecA cati supplicia pati possit, vt igni sempiterno, ardens conficiatur nunquam. Atque id iustissimè Deus vtrisque ordinibus constituit, quod sine corpore à nobis gestum est nihil.

AD. SERM. 94 ANNOT.

Basil. Ex insidiis. quò in futurum audaciùs.] *Græca sic corrige* ὑποζεαφειν, εἰς τὸ μᾶλλον χὴ τολμαν τ ἁμαρτίας. *Sic enim legendum apparet, ex orat. 23. opusculi moralis à Simeone Metaphraste excerpti. Bill.*

Theol. Postquàm nõ restat.] *Distinguenda fuit hæc sententia à superiore, licet ex eadem oratione deprompta 15. in plagam grandinis. & domesticis suis.] forte melius, & propinquis suis correctionem quærentis,* χὴ τοῖς οἰκείοις ὅπ-
B ζητοῦντος διόρθωσιν. nõ relinquitur dies.] ἢ προθεσμία μεταποιήσεος, *non denique præstitutum vitæ in melius commutandæ tempus.*

O quàm dies hic.] *Habentur hæc in Iambicis à I. Billio editis ex Reginæ Bibliotheca & ex ipsius interpretatione hæc sunt. Quædam aliter erant apud Antonium Græcè* vt ὡς δέος ἀκαρπίας, *metus infœcunditatis, apud Gregor.* ὡς δέως μ' ἁμαρτίας, δέος δ' ἀκαιρῶν. *Et in fine,* ἑκάστῳ φωτὸς ὡς ὄψεις φέρει, *minus rectè, quod Ribittus verterat, prout quisque lucis splendorem sustinet: apud Gregor.* ἑκάστῳ φωτὸς ὡς ὄψις φέρει.

Quomodo subiici quis debeat, & valedicere mundo, & postea se exercere,
Sermo. 95.

DEbent igitur qui in asceſi & meditatione volunt vitam degere (vt qui in balneum ingrediuntur, omnem vestitum exuunt) omni materia negotiorum vitæ nudati, intra septa philosophicæ vitæ sed abdere. S. Basilij.

Cæterùm vera & perfecta subiectorum erga ductorem obedientia in hoc ostenditur, vt non solum ab absurdis præfecti consilio obtemperantes abstineant, sed etiam vt ne illa quidem quæ laudabilia sunt sine illius consilio suscipiant. Continentia enim ac quæuis corporalis afflictio ad aliquid vtilis est: sed si quis proprios appetitus sequens, quod sibi placet, faciat, & præfecto consilium danti non obtemperet, maius erit peccatum, quàm † officium: qui enim resistit potestati, Dei ordinationi resistit: ac obedientiæ præmium quàm continenter facti maius est. † τῶ κελεύσαντι.

Eiusdem. reg. fus. Exercitatio vitæ ex Euangelio Christi institutæ vt Deo accepti simus, hæc est: vt secedamus ab omnibus mundi solicitudinibus, & omnino à tentationibus alieni simus: nam nisi abducamus nosipsos ab omni carnis cognatione, & vitæ communione quasi ad alterum mundum migrantes, per † meditationem sequentes consilium illius, qui dixit: Nostra enim conuersatio in cœlis est, omnino fieri nequit, vt propositum teneamus quo volumus Deo accepti esse, cum dominus definitè dicat sic: Quicunque ex vobis non valere iusserit omnia sua, non potest meus esse discipulus. Et alibi, Si quis me sequi vult, abneget semetipsum. Abnegatio autem sui-ipsius est perfecta præteritorum oblitio, & à suæ voluntate omnimo abalienari. † ἀφ' ἑαυτοῦ ἀρνήσασθαι.

Quod imperatum fuerit & præscriptum, non est recusandum:

recusandum: nam obedientia vel ad mortem vsque extenditur.

Chrysost. Virtus subiecti & honor, est in obedientia perstare.

Ienum. Si quis fidem habet in aliquem, ac seipsum tradit illi subiiciendum, nihil ei est opus vt mandatis Dei mentem adhibeat, sed vt patri suo omne voluntatis suæ iudicium deferat, & apud Deū crimine vacabit.

Refice patrem tuum, vt cum ad dominum abierit, pro te roget & tibi bene sit.

Vehementer oderunt dæmones, eos qui in subiectione patris manent, & aduersus eos dentibus frendent, quod cum obedientia renunciationem copulauerunt, idque omni solicitudine posita: aduersus quos, meditatas rationes comminiscentes, irritationem instituunt, ac iræ iam innatæ adiungunt iracundiam, deinde etiam odium in patrem paulatim coquunt, quasi pater iniquè obiurget, & personam respiciat, vt ex dissidentibus moribus animum agitatum ex vlnis paternis extortum dissipent.

Dorothei. Qui se in patrum obedientiam committit, securè & quiete viuit.

AD SERM. 95. ANNOT.

Basil. Exercitatio vitæ] quasi ad alterum mundum migrantes per meditationem. *Hîc legendum vult* Ἀφὸ τῆς ἀσκήσεως *loco citato Billius non* ἕξεως. *Apud Basilium, tamen in regulis fusius disputatis* 5. *ita legimus* οἱονεὶ τόπος ἕτερον κόσμον Ἀφὸ τῆς ἕξεως μεταβαίνοντες. *Quoniam ergo illa* διάθεσις εὔλυτος *ceu affectus mouens, quem nomine* ἕξεως *intelligunt Philosophi hîc locum non potest habere, neque item aut* ἀποχὴ *aut* συγγενεία. *corrigemus apud ipsum etiam Basilium* Ἀφὸ τῆς ἀσκήσεως, *id est*, per religiosæ vitæ professionem: *vnde Ascetica opera Basilij dicuntur, quæ de religiosorum vita agunt, de quo nomine I. Billius multa lib.* 1. *obser. c.* 40. *vide notas ad serm.* 43. *huius partis.*

De præfecto, Serm. 96.

S. Basilij. EX officio incumbit præfecto, vt fratrum sodalitati vigilet, pro animis eorum ac de salute ipsorum sit solicitus, quasi qui rationem sit redditurus. Ac ita debet de animis illorum solicitudinem suscipere, vt ad mortem vsque studium pro illis suū probet, & declaret, nō solum ex mandato domini, quod ad omnes pertinet, vt animam suam quis ponat pro amicis suis, verumetiam ex priuato & pro-
† 1. Thess. 2. prio illius qui dixit: † Studioſi vestrûm ex animo cupiebamus impertire vobis, non solum euangelium, verumetiam nostras ipsorum animas.

Sic igitur persuasus esse debet præfectus, futurum vt nisi cum ratione præsit fratribus ea, res ipsi grauem & ineuitabilem iram adducat: nam sanguis ipsorum de manibus eius requiretur, quemadmodū scriptum est. Subiectus autem sic paratus esse debet, vt ad nullum præscriptum & præceptum vel difficillimum pigritetur, ea spe fretus, quòd merces ampla sit in cœlis. Obedientem spes consoletur vitæ, vt cum omni gaudio & patientia opus domini fiat.

Testificare populo isti, inquit propheta, etsi non audierint, ipse culpa vacabis.

Theologi. ora. 1. Apologet. Solent subiecti quàm celerrimè præfecti sui vitiis inſici, & perire, atque id multò facilius quàm contraria vitiis virtute imbui. Facile enim est & promptum vitia imitari, nec quicquam est tam facile, quàm fieri malum, etiamsi nemo ad illud nos inuitet & ducat.

Vitiorum apud vulgus celebratio, multos ad simile vitæ genus attrahit, eorum maximè qui lubrici & inconstantes sunt.

Chrysost. Rectum non est vt leo pascat oues: nec tutum est vt qui adhuc perturbationibus ducitur, iis præsit qui iisdem mouentur.

Capite enim male affecto, corpus etiam reliquum imbecillitatem participare necesse est.

Maximam affert subiectis vtilitatem, præfecti reuerentia.

Vita præfectorum, grauis, talisque quæ reprehēdi non possit, subiectis pro eruditione est.

De iis qui ob cibos offenduntur, & de mensarum differentia, Sermo 97.

Coloss. 2. NEmo igitur iudicet vos in cibo & potione, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi.

1. Cor. 8. Cibus vos non commendat Deo: neque enim si non edamus, inferiores sumus: neque si edamus, superiores.

1. Tim. 4. Quæcunque Deus condidit, vt sumantur cum gratiarum actione à fidelibus, ea tangere non dedecet: quicquid enim Deus condidit, bonū, nec quicquam reiiciendum est, si modo cum gratiarum actione sumatur: sanctum enim efficitur per sermonem Dei, & precationem.

Rom. 14. At qui discernit, si ederit, condemnatus est, quod id non fide nixus faciat.

Noli destruere opus Dei propter cibum: omnia quidem pura, sed malum est homini, qui per offendiculum edit.

Non solum ciborum sumptuosus apparatus, verumetiam inuitatorum appetitus, mensam effecit iucundissimam.

S. Basilij. Non natura ciborum, sed appetitu & affectione edentium, apparatus iudicatur mensarum.

Oppipara mensa, tenuis videtur, quum non expectata esurie cibum sumunt: & contra, vilis, sumptuosa fit cùm esurientes accesserint conuiuæ.

Anima enim (ait Iob) in rerum abundantia versans, fauis illudit: animæ autem indigenti, amara, dulcia videntur: non quia appositorum natura mutata sit, sed quia conuiuantium affectio, sensum fallit.

Multitudine ciborum & superuacanea copia ad voluptatem apparans fratri tuo mensam, tacitè eū accusas quod voluptuarius sit, & effundis in eum gulositatis probra, ipsa præparatione tua ceu delicatum enim arguens.

In regul. breu. 132. Generatim cibum quærere, contrarium est mandato domini, dicentis: Nolite quærere quid edatis, & quid bibatis, & ne sitis suspensi quid induatis: hæc enim omnia gentes mundi requirunt.

De non offendendo, nec iudicando quoquam, Sermo 98.

Lucæ 22. OPortebat prodi filium hominis, sed væ illi per quem proditus est: & offendicula venire necesse est, sed væ illi per quem veniunt.

Matt. 18. Vtilius esset vt mola asinaria collo eius circundaretur, & in mare proiiceretur, quàm vt vnum ex istis paruis offendat.

Marci 9. Vt autem eos ne offendamus, iace hamum in mare, & eum qui primus ascenderit, piscem tolle, & in ore eius inuenies staterem, quem illis dato pro me & pro te.

Rom. 14. Si propter cibum frater tuus dolet, non ex charitate id agis. *Et paulò pòst,* Bonum est non edere carnes, & vinum non bibere, nec quicquam quo frater tuus impingat, aut offendatur aut infirmetur.

Sed illud iudicate magis, ne quid cõmittatis quo frater offendatur.

Sic enim peccantes in fratres, & verberantes eorum infirmam conscientiam, in Christum ipsum peccatis.

Tales vos præstate, vt neque Iudæis, neque Græcis, neque Christi ecclesiæ offendiculo sitis.

Nolite quicquam ante tempus iudicare, donec venerit dominus, qui & illustrabit & in apertum proferet quæ sunt occulta in tenebris: & cordium consilia patefaciet, hæc Dei iudicia vlcisci necesse est omnino, ne experiatur iram Dei etiam ille qui fuerit quietus.

Theologi. Ne velox sim ad iudicandum, à scriptura admonitus sum.

Chrysosto. Omnia ergo ita geramus, vt ne proximus offendatur.

Vita enim quàmuis rectè instituta fuerit, si offendiculum aliis præbeat, omnia perdidit.

Qui vult igitur viam charitatis ingredi, nullius hominis suscipiet curam, vt neminem iudicet, siue rectus & bonus sit, siue secus.

De negligentibus & inertibus: & quòd si vigilemus, nihil nos diabolus possit lædere, Sermo 99.

S. Basilij. reg. breu. 75. †ἐς τὰ ἀλλότρια πάθη in sua vitia. OMnino ipsum per se Satanam, nemini peccati authorem esse posse arbitror, sed illum conari vt nos non vigilãtes nec sobrios † in sua abducat ex motibus qui in nobis interdum naturales, interdum etiam licet vetiti, nostro tamen arbitrio vsurpati sunt.

Chrysost. Canis ritu diabolus insultat diuitibus, quasi qui à puero tenente offam aut placentam, auferre velit.

Diabolus quum animaduerterit se nihil proficere, in posterum desistit, metuens ne maiorum nobis author sit coronarum.

Diabolus sibi malus est, non nobis: nos enim si velimus magnas per ipsum capiemus vtilitates: metuentes enim illius insidias vigilamus, & continenter Dei meminimus.

Nouit enim, nouit artifex varius diabolus, vel per bonas actiones suum interspergere venenum.

Solent dæmonia non solum inter se mutuis vti ministeriis, verumetiam improbis hominibus, pro instrumentis, ad sui generis hominibus insidias po-

A nendas.

Noli igitur expectare, vt cum remissione & incuria cœlum videas: non enim licet: nemo speret se cum deliciis per angustam viam ingredi posse: id enim fieri nequit: nemo per latam ingrediens, speret se vitam consecuturum.

Non remissorum & securorum est regnum cœlorum, sed violentorum.

Arena est hæc vita: in arena autem & certaminibus non potest remissè agere qui coronandus est.

Adhærescito igitur virtuti: sic enim etiamsi nouitius abieris, cum magna copia ibis: duplicémque

B semper vitæ festiuitatem habebis, & à vitio abstinens & virtutem retinens.

Remissionem ne quæramus: afflictionem enim suis discipulis promisit Christus: & Paulus, Qui volunt (inquit) in Christo viuere, persecutionib⁹ vexabuntur. Generosus Athleta, in stadio balnea non requirit, nec mensam cibis & vinis onustam. Hoc enim non est athletæ, sed mollis & ignaui: nã athleta pugnat cum puluere, oleo, solis calore, sudore multo, afflictione & angustia: certaminis hoc

C est & pugnandi tempus, ergo etiam vulneris accipiendi, dolendi, & sanguinis effundendi tempus est. Audi quid beatus dicat Paulus: Sic certo, non quasi aërem cædens. Omnem ergo vitam, certamis tempus esse existimemus: nec vnquam afflicti, admiremur aut stupeamus: nam neque pugil dũ in certamine est, aduersum aliquid sibi accidere miratur. Non hoc, sed aliud est recreationis tempus. Hic sanè in afflictionibus perfectio nobis conquirenda est: quãquam illi casus quos experimur quotidie, persecutio & afflictio dici non debeant: quod si tamen hos non ferimus, vix illas feremus: Tenta-

tio vos non apprehendat, inquit, nisi humana. Precemur igitur à Deo, in tentationem ne incidamus: sin inciderimus, fortiter feramus.

Qui molli vestitu vtuntur, in aulis regum versantur: qui verò non tali vestitu sunt, in cœlis sunt: nã

D mollis vestitus, vel austerum animum, solutiorem facit, frangit, diffundit: & si corpus asperum & durum nanciscatur, continuò delitiis emollit & infirmius reddit. Ex quo fit vt mulieres quæ ruri viuũt, viris in vrbe degẽtibus sint robustiores. Atqui corpore molliore reddito, necesse est etiam animum illius corruptionis esse participem. Propterea quod ipsius animi actiones ferè ad corporis affectionem consensu mutuo formentur.

Quis igitur est vitij artifex? quis alius esset quàm voluntatis desidia?

Remissio, securitas, requies, hæc emolliunt & dif- Doroth. fundunt animum: tentationes autem consolidant,

E ac cum Deo coniungũt: quemadmodum propheta dicit, In calamitate meminimus tui.

Si animaduerteris te-ipsum aliquo tempore perturbationibus solutum, vide ne tu tibi fidas, quia parant se hostes ad tempus opportunum versutiæ: fortassis homo soluto erit animo, omnia sedata esse credens, & repente in miserum animum insilient hostes, & quasi passerculum deuorabunt.

Euagrij. Cum mundanis, Dæmones per res ipsas magis luctantur, cum Monachis autem, ferè per rationum disputationes: negotiis enim & operibus propter solitudinem soluti sunt. At quantò facilius est mẽ-

te peccare,

te peccare, quàm externa actione: tanto est animi bellum difficilius, quàm ipsarum rerum. Est enim mens quiddam quod facilè mouetur, & ad contrarias legi phantasias effrenata.

De participatione diuinorum Christi mysteriorum, Sermo 100.

Quicunque panem hunc ederit, aut biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini: probet autem seipse homo, ac sic de illo pane edat, & de poculo bibat. Qui enim edit & bibit indigne, iudicium sibi edit & bibit, nõ diiudicans corpus Domini.

Si quis legem Mosis reiecisset, sine misericordia, duobus aut tribus conuictus testibus, morte afficiebatur: quanto grauiore dignus erit supplicio, qui filium Dei conculcarit, & sanguinem testamenti communem duxerit, per quem sit ipse sanctificatus, quique spiritum gratiæ contumelia affecerit. Nouimus enim eum qui dixit: Mea est vindicta, ego retribuam, dicit Dominus. Ac rursus: Dominus iudicabit populum suum: terribile est incidere in manus Dei viuentis.

Impurum appropinquare sanctis mysteriis, vel ex veteri testamento horrendum esse iudicium, docemur. Quod si amplius est hîc templo, perspicuũ est magis horrendum esse: id quod docet nos Apostolus dicens: Qui edit & bibit indignè, iudicium sibi edit & bibit.

Tempus communionis nõ festus dies & celebris, sed conscientia pura, & vita criminibus libera. Et quemadmodum, eum qui sibi nihil male conscit, decet quotidie accedere: sic peccatis præoccupatũ, nec pœnitentia mutatum, ne in festo quidem die tutum est accedere. Nam vt quod semel in anno licet, cùm dignitate accedere, nõ liberat nos à peccatis: ita hoc ipsum magis condemnat, quod semel tantum accedentes ne tum quidem purè id faciamus. Quamobrem vos omnes obsecro, ne simpliciter propter festi necessitatem adeatis: sed si quando huius sanctæ participes oblationis esse velitis, multo ante, vosipsos purgare debetis per Pœnitentiam, precationem & eleemosynam, & rerum spiritaliũ studia, nec rursus reuerti, canis ritu, ad proprium vomitum.

Ad diuina Christi mysteria negligenter accedere, supplicium intollerabile meretur: & si vel semel in anno hoc quis audeat, ignis spiritualis plena est ipsa mensa. Et quemadmodum fontes naturaliter aqua scaturiunt, sic & hæc mensa flammam quandam ineffabilem fouet. Caue igitur accedas cum stipula, lignis & fœno, ne maius efficias incendium, & animum qui sit eius particeps, exuras. Regem excepturus es per communionem, Rege autem in animum intrante, magna esse debet tranquillitas, magna quies, alta summáque cogitationum pax.

Migraturi hinc, si mysteriorum fuerint participes pura conscientia, cum extremum æditurí sunt spiritum, stipatores habent angelos, qui ipsos propter id quod sumpserunt, hinc deducunt.

Si quis gulositate aut turpium consensu cogitationum, quasi luto contaminatus est, si quis odio & iniuriarum recordatione quasi vertigine affectus est, si quis inuidia aut ira perturbatus est, si quis superbia & arrogantia victus tenetur, is ad diuina & pura hæc mysteria accedere ne ausit, priusquam per pœnitentiam conuenientem, eluerit & purgarit seipsum ab omni carnis & spiritus inquinamento. Athanasij.

LOCI COMMVNES SENTENTIARVM, QVAS S. PATER MAXIMVS EX SACRIS ET PROPHANIS LIBRIS GRAECIS congessit, Ioanne Ribbito interprete.

Gratiam Christe laboribus impertire meis.

SANCTI EPHRAIMI.

Quum in diuinis libris versaris, noli tantum curare vt leuiter percurras, & quæ scripta sunt obiter persequaris, sed etiã si opus erit, sæpè & iterum & tertiùm rem eandem per legas diligenter accuratéque sine recusatione. Quinetiam quum aliquid lecturus es, aut alterum legentem auditurus, Deum prius precare in hunc modum: Aures & oculos cordis mei Domine Iesu Christe aperi, vt audiam & intelligam sermones tuos, & voluntati paream tuæ: peregrinus ego sum in terra, mandata tua ne me celato. Patefac oculos meos, vt quæ sunt admirabilia in lege tua intelligam.

DE VITAE VIRTVTE ET VITIO, Serm. I.

Matt. 7. Rom. 12.

ANgusta via & arcta quæ ad vitam deducit.

Salomonis

Noli vinci malo, sed per bonum vince malum.

Eusebius.

Virtutis quidem signum nullum ostendere possumus: in vitio autem consumpti sumus.

Vide ne te seducant impij, nec per viam cum illis gradiaris: sed retrahe pedem tuum à semitis illorũ, quod pedes ipsorum ad vitia currant.

Qui rẽ aliquã contemnit, contemnetur ab ipsa.

Quemadmodum vua acerba nocet dentibus, & fumus oculis: sic iniquitas & legis violatio violatoribus.

Noli mala facere, & te mala non apprehendent. Sirach. 7.

Qui praua scelera admittit, in ipsa includetur, nec intelliget vnde ipsi accidant.

Vt ignis sua natura illuminat, & vnguentum odorem emittit: sic etiam bonas actiones necessariò sequitur aliquod emolumentum. Basilij. homi. 19. in Gordium.

Virtutis exercitatio pretiosa est habenti possessio, & iucundissimum congredientibus spectaculum. Epist. 42. ad Maxim.

Theologi. Non ſolum præclara actio nobiles efficit, ſed etiam vitium improborum gloriam ſuperans.

ora 1. apol. † Adeptio. Rara eſt boni † poſſeſſio atque difficilis, etiamſi in eo ſit quod multum attrahat & inuitet.

Natura vitium promptum eſt, & magnus ad id quod peſſimum eſt concurſus fit, vt torrẽs per prona ruit, & ſtipulæ ad ſcintillam & ventum facilè accenduntur ac inflammantur, & à ſua ipſa prole, videlicet flammis, conſumuntur.

Ora. 16. de pauper. amore. Non eſt admodum facile virtutum victricem inuenire, atque huic dare munera honoraria & victoriæ præmia: quemadmodum nec in prato variis florum generibus veſtito, pulcherrimum & odoratiſſimum florem reperias, cum alibi alius odoratũ & aſpectum ad ſe trahat, & ad ſe decerpendum primum inuitet.

Non poteſt fieri quin virtutis ſtudioſus multos habeat hoſtes.

Non locus virtutem, ſed virtus locum auguſtiorem reddere ſolet.

Chryſoſt. Si qui leges hominum terrenorum violat, ſupplicium ineuitabile ſuſtinet: quanto magis cruciatibus dedetur intolerabilibus, qui cœleſtis Domini præſcripta reiecit?

Vt in cithara non ſatis eſt in vno tantum neruo concentum efficere, ſed vniuerſi percurrendi ſunt numeroſè & decenter: ſic & animi virtute non ſatis eſt nobis ad ſalutem lex vna, ſed vniuerſæ ſumma cum diligentia obſeruandæ ſunt.

Ne igitur dicamus hunc natura bonum & illum natura malum. Si enim natura bonus eſt, nunquam poterit fieri malus: & ſi natura malus, nunquam fieri bonus.

Mali quies principium eſt motionis ad virtutem.

Non ſuſtinent tenebræ lucis præſentiã, non morbus valetudine recuperata conſiſtit: nihil agũt perturbationes ſi adſit tranquillitas & perturbationum vacuitas.

Liberam eſſe conuenit virtutem ab omni metu & dominatu.

Virtus enim & voluntaria eſt & ab omni metu & neceſſitate libera.

Philonis. Non licet aliam vitij procreationem cogitare, quàm virtutis abſentiam.

Improbi aliæ ſunt cogitationes, & alij ſermones & alię actiones: omnia autem differentia & pugnantia.

Vitij exitus virtutis introitum facit: vt cõtra, migrante bono, inſidians malum intrat.

Clementis. A malis liberari, ſalutis eſt initium conſequi.

Iuſtitia vt videtur quadrata eſt, par & ſimilis in verbo & opere, in malorum abſtinentia, in beneficentia, in perfectione erudita, nuſquam vlla ex parte claudicans, vt ne iniuſta & inæqualis videatur.

Nili. Gaude cum aliquid cum virtute agis, ſed ne extollaris, ne quando naufragium in portu fiat.

Didymi. Virtutem ſimulato, non vt fallas, ſed vt proſis.

Regnum cœlorum dicere licet ſtatum & viuendi rationem, eorum qui ex diuinis legibus moderatè viuunt.

Omnis actiua virtus in hoc conſiſtit vt fiat, non vt facta ſit.

Virtus altera ex parte claudicare non debet, ſed verbo & opere rectam & integram eſſe oportet. Cyrill.

Rebus quatuor animus polluitur: ſi per vrbẽ ambules, ne oculos cuſtodieris: & ſi omnino conſuetudinem aliquam cum mulieribus habeas: tertium eſt nobilium huius mundi amicitiam colere: quartum, cõgreſſionibus carnalibus & inanibus diſputationibus delectari. Ex patrib.

Ignotæ virtutis veluti defoſſi auri ſplendor non apparet. Plutarch.

Vt iis qui exercentur in gymnaſiis cibus: ſic eruditis virtus ſuauis videtur.

Etſi improbi homines probitatem & benignitatem pollicentur, tamen propter mores eis fides nõ habetur.

Statuam quidem figura, virum autem exornat actio.

Omnia facito quaſi neminem cælaturus: nam etſi in præſens cælaris, poſterius tamen cerneris.

Sic vitam inſtitue, vt neque à potentioribus contemnare, neque inferioribus terribilis videare.

Omnia in futurũ bene ſe habebunt, ſi quod præſens eſt rectè fuerit compoſitum.

Cum quidam iniuria illum affeciſſet, & fugeret, obuiámque fieri non auderet, aliquando tandem in fugientem incidit, ac ei, Non oportet, inquit, vt tu me, ſed ego te cum ſis improbus, fugiam.

Non eſt cum cane comparandus, imò ne cum aſino quidem, timidus vir & imbellis, diuitiis & delitiis diffluens.

Virtutis magis quàm corporis imagines ac monimenta relinquenda putato. Iſocrat.

Quemadmodum domus & nauigij & cæterorum talium baſes firmiſſimas eſſe conuenit: ſic & actionum primordia & fundamenta vera iuſtáque eſſe decet. Demoſt.

Non ſimpliciter habere virtutem honeſtum exiſtimato, ſed quemadmodum decet & pro quibus decet. Clitarchi.

Virtutem ſi habes, omnia habes: at ſi vitium, ne teipſum quidem.

Socrates cum quendam ex diſcipulis ſuis animaduertiſſet agri quidem eſſe ſtudioſum, ſed actionis negligentem: Heus tu, vide (inquit) ne dum agrum cicurare vis, animum tuum efferari ſinas. Socrat.

Quum autem intellexiſſet quendam ex familiaribus ſuis ſtudioſè curantem vt imago ipſi ſimilis fieret: Tu (inquit) vt tibi ſimilis lapis fieret curaſti: at ipſe ne lapidi ſimilis fias non curas.

Tantum virtuti appones, quantum de voluptatibus detraxeris. Demonactis.

Turpe eſt in aliis virtutes approbare, & in ſeipſis vitia habere.

Corporis curatores, ſui autem negligentes, proboſos exiſtimabat, & ſimiles iis qui domos quidem curant, ſed domeſticos negligunt.

†Principia certiſſima eſſe oportet, actiones autem præclariſſimas. †Democritus.

Illud te Deo dignum efficiet, ſi nihil illo indignum feceris.

Lẽtè res agendas aggreditor: vbi autem aggreſſus fueris,

fueris, agito constanter.

Sic institue vitam, quasi & paulum & diu sis victurus.

Lacon. Lacon interrogatus, cur Sparta munita non esset: Noli (inquit) mentiri, munita est enim habitantiũ virtutibus.

Diogenis. Quum quidam ei vt probrum obiiceret, quod in loca impura intraret: Etiam sol (inquit) intrat, nec contaminatur.

Euripidis in Andromacha. Bonorum virorum reliquias tempus non abolet, sed etiam defunctis eis virtutibus relucet.

Diogenis. Multi mali diuites sunt, boni autem pauperes.

Sed nos cum istorum diuitiis virtutem

Nolimus mutare: quoniã hæc semper firma est. Pecunias autem hominum alia alius habet.

Iudi. Pietas colenda est, ciuibus optima consulenda, voluptas vincenda, nihil per vim gerendum, populi inimicus pro hoste habendus, serui dum ebrij sunt, non puniendi: secus enim tu-ipse ebrius videberis.

Lycurgi. Lycurgus legislator † assiduum esse dignúmque cui debitum credas, in opibus: at fide dignum, in moribus situm esse dicebat.

Pythagor. Vt idem voluptatem, corpus, pecuniam, & Deũ amet, fieri nullo modo potest: nam qui voluptates amat, idem & corpus amet necesse est: iam qui corpus amat, idem continuò & pecuniam: qui autem pecuniam, idem necessariò iniustus est: at iustus, in Deum quidem impius, in homines iniquus est.

Antisth. Omnia ista contemnito, quibus à corpore solutus non indigebis: quibus autem egebis tum temporis, ad ea tibi laboranti Deum auxiliari precator. Omnes homines imbecillitatis naturæ vitio, exiguum quoddam vniuersi temporis momentum in vita durant, reliquum vero totum spacium occupati morte iacent. Et illis sanè, qui dum viuerẽt præclari nihil gesserunt, eodem cum corpore obitu omnia pessum-eunt: Qui vero per virtutem sibi gloriam conciliarunt, illorum actiones omnibus sæculis diuinissimo historiæ sermone commemorabuntur.

Hyperidis Virum bonum quæ sentit, verbis: quæ facit, opere ostendere decet.

Boni cum officium non faciunt, exempla præbent peccare volentibus.

Aristotelis. Bonos viros Dei quandam partem habere, Aristoteles dicit: Dei enim est, quæ velit, agere: hominis autem, quæ opus sunt prouidere.

Antipha. Si quis in rerum abundantia turpe aliquid admittit. Quid expectandum est vt committat in penuria?

Ad serm. I. annot.

Theol. Natura vitium] *Locus est ex oratione Gregorij 13. quæ est de Pace. 2. Vbi ita legitur illud quod frustra mutat Gesnerus,* ὁ δρόμος, ῥᾳδιος κατὰ πρωγυδις ῥεων. *Item quod vertit interpres,* & à sua ipsa prole consumuntur *Græcè est* καὶ συνδαπανωμένη τῷ ἰδιείῳ γεννήματι, accenduntur, & flamma factæ vnà demum cum sua prole consumuntur. *Improbos enim cum stipulis comparat, cum flamma improbitatẽ, quæ eos consumit & cum eis perit.*

A Democr. Principia certiss.] *Gr.* τὰς μὲν γραμμὰς ἀσφαλεστέρας. Lineas certiores, *fortasse melius reddas, aut principia intelligit, & carceres curriculi.*

De prudentia & consilio.
Sermo 2.

ESTOTE prudentes veluti serpentes, & simplices sicut columbæ. Matth. 2.

Ne sitis pueri mentibus, sed malitia infantes imitamini: mente autem perfecta præditi estote. 1. Cor. 14.

Beatus vir qui inuenit sapientiam, & mortalis qui vidit prudentiam: melius est enim hanc mercari, Prou. 3.
B quàm aurum aut argentum.

Aurum quidem & argentum statum cuiuspiam constabilierint, sed prudentia est vtroque commẽdabilior. Sirach. 4.

Vt compages (*vel, subscudes*) & iugamenta lignea ædificio indita concussu non dissoluuntur: sic animus perpenso consilio, nullo tempore pertimescet. Sirach. 22.

Duplex est prudentiæ nomen, altera enim est obseruatio domestici commodi cum alterius iniuria & insidiis, qualis est serpentis caput suum obser- S. Basilij Ho 12. in princip. Prouerb.
C uantis, quæ quidem est morum improbitas, quæ citò vtilitatem suam reperit, & simpliciores expilat, qualis est prudentia * dispensatoris iniqui. Vera autem prudẽtia est scientia rerum faciendarum, & non faciendarum, quam qui sequitur nunquam virtutis officia deseret, nec vitij pernicie transfigetur vnquam. * Villici iniqui. Lucæ 16.

Qui serpentis calliditatem columbinæ simplici- Theologi.
tati miscuerit, is neque prudentiam malignam, neque simplicitatem stolidam fieri patietur.

Auarus olim quispiam hoc dixit. Bonæ Iambic.
Mihi gutta sortis est prior mentis cado.
Nam sorte vacuæ mentis est miser status.
Ad quem hoc reiecit quispiam prudentium,
Mihi gutta mentis est prior sortis mari.

D Fons & mater radixq; prudentię virtus est: quem- Chrysost.
admodum contrà omnis improbitas ex amentia capit initium, sicut propheta dixit: Non est sanitas in carne mea à facie insipientiæ meæ. At virtutis studiosus, & in Dei metu viuens, omnium est prudentissimus: & rectè quidam dicit, metum Domini esse sapientiæ primordium.

Prudentia virtutum principatum tenet. Solus sa- Philonis.
piens liber est, & imperat, quàmuis corporis dominos habeat infinitos.

Qui perfecti estis, perfecta sapite: volenti- Ignatij.
bus enim vobis bene agere, Deus paratus est præbere.

E Prudentia non corporum, sed negotiorum in- Plutarch.
spectio est, priusquam in ipsis versetur homo: futura subiiciens oculis, vt eis occurrentibus postea optimè vtatur.

Corpus enim ante tantùm oculatum est, retro autem cæcum est: at mens etiam præterita cernere potest memoria.

Insipiens eodem die iram suam enunciat. Omnis insipiens paruo etiam præditus est animo: nõ enim est constans.

Hîc aliquid deest.

Prudentia bonam fortunam vt plurimum donat: A fortuna autem prudentiam non efficit.

Si quando quempiam peccantem animaduerteret, dicebat: Ne quando etiam ipse in tale quiddam incidam.

Menandri. Nil non seruire sibi cogit prudentia.

Consultans præterita sibi exempla futurorum facit. Quod enim obscurum est, ex manifesto celerrimè diiudicari & discerni potest.

Qui malè suis rebus prospicit, nunquam bene alienis consulet.

Isocratis. Omnia quidem ad vitam pertinentia curato, sed maximè prudentiam tuam exerceto. Nusquam enim maius aliquid minori includitur, quàm bona B mens in humano corpore.

Clitarchi. Robur corporis, animi ne sit imbecillitas: vim autem animi, prudentiam putato.

Demonactis. Alienis te exemplis erudito, & nihil mali patieris.

Ex scriptis Phauorini. Tantum prudentiam reliquis virtutibus præstare Solon dicebat, quantum visus reliquos sensus præcellit.

Choricij. Sine cõsilio ne robur quidem quicquam prodesse solet: at sagacitas etiam sine viribus sæpè multa excogitat.

Aristidis. In præliis vincere etiam improbis sæpenumero contingit: at prudentia & sapientia superare posse, C id demum est eorum qui consilio valent.

Diodori. Sapiens consilium multis manibus anteponendũ, & sapiens robustè præstat.

Pythago. Neque equus sine freno, nec diuitiæ sine prudentia retineri possunt.

Gaij. Prudentius est, priusquam accidere cauere ne accidat, quàm postquam acciderit accusare.

Democratis. Prudentiæ munus est, cauere ab iis qui iniuriam volunt inferre: allatam autem non vindicare.

Solonis. Consule non quæ iucundissima, sed quæ sunt optima.

Epicteti. Multum deliberato priusquam quid dicas aut D agas: non enim integrum erit dicta vel facta reuocare.

Biantis. Robusto & valenti esse corpore, naturæ munus est: at ea dicere quæ patrię prosint, id animi propriũ est & prudentiæ.

Idem interrogatus quis optimus esset consiliarius, Tempus, inquit.

Prudentes dicebat magis ab imprudentibus, quã imprudentes à prudentibus iuuari solere: hos enim illorum obseruare errata, illos autem horum non imitari rectè facta.

Virum bonum decet præterita meminisse, instantia agere, & futuris diligenter prospicere. E

Vnum est principium bene consultandi, nosse de quo instituatur oratio: sin secus, omnino aberrare necesse est.

Locorum mutationes neque prudentiam docẽt, neque insipientiam depellunt.

Animi magnum frenum est ipsa mens.

Euripidis in Antiope. Hanc meam corporis imbecillitatem non rectè accusasti.

Si enim rectè sapere valeo,
Idipsum est robusto brachio præstantius.

Prius rerum fines & exitus prospicere debemus, deinde ad rem ipsam efficiendam aggredi. Chabriæ.

Ex his profecto moribus, nunquam
Vllius legis constitutio fieret: Sophoclis in Aiace.
Si eos qui iustè vincunt expellemus:
Eos autem qui posteriores sunt, in partem anteriorem adducemus.
Sed iis cedendum est: non enim lati
Aut robustis humeris viri tutissimi sunt:
Sed qui rectè sapiunt vbique superiores euadunt.
Atqui bos quàmuis magnis lateribus præditus,
Paruo tamen flagello regitur vt per viam rectâ gradiatur.

Qui enim rectè sapit omnia complexus habet.

Par atque idem est, ô rex vt mihi quidem videtur, vel rectè sapere, vel recta monenti velle parêre. Herodoti.

Ad serm. 2. annot.

Theol. Qui serpentis] *Hæc sententia & abest à Græco Maximi & manca profertur; integram reperies apud Antonium serm. 8. 1. partis ex orat. 19. Gregorij.*

De castitate & temperantia.
Sermo 2.

QVi aspexerit mulierem ad concupiscendum eam, iam ei stuprum intulit in corde suo. Matth. 5.

An nescitis corpora vestra membra esse Christi? num igitur membra Christi faciam membra meretricis? Istud auertat Deus. Aut nescitis eum qui meretrici agglutinatur, vnum corpus esse: & eum qui domino agglutinatur, vnum esse spiritum? 1. Cor. 6.

Si cor meum alterius viri vxorem secutum est: aut si etiam insidiosè pro foribus illius sedi, alteri quoque placeat vxor mea. Iob. 31.

Beata sterilis incontaminata, quæ cubile non cognouit per lapsum: in visitatione animarum fructũ percipiet. Solom. Sap. 3.

Senectutis temperantia, non temperantia, sed intemperantiæ imbecillitas est. S. Basilij. Exhortat. ad baptis.

Non igitur ob temperantiam laudari conuenit eos qui execti sunt: neque enim equos quod cornu non petunt laudamus, sed quòd calcitrosi non sint: ac boues qui cornu non petunt, mãsuetudinis laude afficimus: non enim in quo quis nihil potest, sed in quo cum possit non ad alterius iniuriam vtitur, cum admiratione laudatur. Libro de virginitate.

Ne igitur emolliamus vires nostras, nec eneruemus nos his congressionibus: multum enim, & quantum vix dici potest vitij in animos nostros hinc influit: nam tametsi non sentimus amore facti ebrij, id quid iuuat? hoc enim ipsum longè est grauissimum malum, quòd nesciamus quemadmodum eneruemur, & interim quauis cera fiamus molliores. Quemadmodum enim si quis leonem egregium & ferum cœperit, deinde iuba detonsa dentes exemerit, & vngues circunciderit, deformé reddit, & ridiculum, ac vel pueris expugnabilem, illum qui tam terribilis & intolerabilis erat, qui vel solo rugitu omnia quatiebat: Sic & istæ Chrysosto.

quoscunque

quoscunque cœperint, sub potestatem redigunt diaboli, molliores reddunt, calidiores, impudentes, dementes, extremæ bilis homines, audaces, importunos, ignauos, effrenes, ingenio seruili, illiberales, contumaces, loquaces, & omnino omnes mulliebres affectus corruptos afferentes istorum animis imprimunt. Fieri enim non potest, vt qui cum mulieribus versatur, in tanta præsertim affectuum similitudine & morum, quique illorum congressionibus & colloquiis vtatur, non sit circulator quidam, & circumforaneus, & impurus: nam si quid loquatur, telas & lanas meras loquitur, quòd linguam quasi colore quodam muliebrium verborum coloratam habeat. Quod si quid faciat, id seruiliter admodum facit, & aliena à Christianæ libertate ratione & modo, non ad illâm magnorum munerum functionem vtiles.

Greg. Nyss. Beatos prædicat Dominus non eos qui vitam sine vlla perturbatione degunt (fieri enim non potest in tam crassa vita spiritalem omnino & perturbationibus vacantem transigere vitam) sed eos qui ad naturales appetitiones lentè & difficulter commouentur.

Omnis vitij quasi quædam esca voluptas, facilè cupidiores animos in hamum attrahit exitij.

Clemens. Virgines corruptæ non solum dicuntur propter scortationem, sed etiam propter immaturam elocationem: quum, vt ita dicã, immatura, vel à seipsa, vel à parentibus viro elocatur.

In patrib. Rebus quatuor scortatio excitatur: cibi & potionis expletione, somni satietate, otio & lusu, inanique verborum funditatione, & vestitus exornatione.

In Clima. Curans ventrem, & spiritum fornicationis vincere volens, similis est incendium oleo extinguenti.

XII. Remoue à coniuge tua eunuchum, Smaragdum: nam etsi geminis inferioribus exectus esse videtur, tamen habet nescio quomodo geminos in facie oculos, qui motus aspiciendo concitant, atque testes malos asciscunt & pelliciunt.

Cyrill. Fumi more, aut etiam veluti vapores quidam insitarum voluptatum in nobis vigent appetitus. Sed temperans quidem & fortis cohibet motus, nec vlterius progredi sinit, & infirmum adhuc affectũ facilè superat. At iners & negligens, admittit quidem voluptatum principia quasi nudas adhuc cogitationes, permittens vero in latum progredi difficillimè inuenit remedium: nam captus iam & præoccupatus, non est suarum voluntatum Dominus, sed magis victrici perturbationi quasi barbaro alicui subiacet.

Menãdri. Virtutis conclaue temperantia est.

Iamblichi ex vna epistolarum quæ ab illo de temperantia scriptæ.

Virtus omnis quicquid mortale est contemnit: immortale autem quod est amplectitur. Sed præter reliquas eximiè temperantia hoc studio tenetur, quippe quæ voluptates animum corpori affigentes repudiet, & in castis sedibus consistat, vt est apud Platonem. Quî enim nos temperantia perfectos non reddat, cùm quicquid est imperfectum & perturbationibus obnoxium à nobis depellat & exterminet. Atque hoc ita se habere facilè intelligas, si consideraris Bellerophontem, qui moderationis auxilio sibi coniuncto, Chimæram certando, ferúmque & agreste, & immite genus omne sustulit: prorsus enim affectionum immoderata dominatio, ne homines quidem sinit esse homines, sed eos ad naturam trahit ratione carentem, ferinam, & inordinatam.

Moschionis. Temperans est non qui vetita non tangit, sed qui à concessis abstinet.

Fac esuriei & sitis in mentem tibi veniat: hæc enim plurimum valent in iis qui temperantiam sectantur.

Ex Aristig. Voluptatem vincit, non qui abstinet, sed qui vtitur quidem, at non effusè: sic & nauem & equum regit, non qui vtitur, sed qui quò libitum fuerit ducit.

Esaiæ. Maximum omnium sacrificium esse puto, quotidie moderationem & temperantiam exercere.

Socrat. Idem interrogatus quid esset continentia: Corporis inquit, continere voluptatem.

Alexan. Ignem ventus, amorem autem accendit consuetudo.

Cum Alexander captiuas haberet in sua potestate Darij filias, eique amici suaderent vt cum tam formosis congrederetur: Turpe foret, inquit, virorum victores à mulieribus vinci.

Idem cum in Illyrios peruenisset, ac in Iouis ara animaduertisset mulierem forma præstantem, pulchritudinem admiratus diu spectauit: cúmque Hephæstion diceret, equum esse vt ipse amatam caperet: An non, inquit, hoc indignissimum esset, vt qui in aliorum incontinentiam animaduertere velimus, ipsi incontinentiæ seruire ab exteris deprehendamur?

Clitarchi. Si quæ non decet, amas, quæ decet non amabis: est enim inexplebilis cupiditas, ideóque * infinita. *ἄπορον.

Xenophontis ex epistola ad Lamprocleam.

Nihil mali nascitur viro, qui pro fundamentis habet sapientiam, temperantiam, & castitatem.

Diogenis. Rem indignam esse dicebat citharœdos & athletas, gulam & voluptates vincere: illos quidem vocis gratia, hos autem corporis: neminem verò temperantiæ causa illa contemnere.

Democrat. Nonnulli ciuitatibus dominantur, & mulieribus seruiunt.

Patris temperantia maximum est liberis præceptum.

Mensam sumptuosam fortuna apponit, temperantia autem vt contentus sis efficit.

Antiphon. Qui turpia vel mala non desiderauit, neque tetigit, non est temperans. Nihil enim est per cuius abstinentiam ipse moderatum se & continentem præstiterit.

Epictet. Liber non est, qui se-ipse non continet.

Si non vis inter seruos reputari, ipse liberator seruitute: eris autem liber, si cupiditate fueris liberatus.

Pythagoræ Vis animi perturbatione carentis temperantia est hæc enim est lux animi vacantis perturbatione.

Seruire perturbationibus, grauius est quàm tyrannis: fieri omnino nõ potest vt is sit liber, qui perturbationibus seruiat, & superetur.

Sophoclis. Turpiter viuere turpe est iis qui honesto loco nati sunt.

Demosth. Decet sapientem vt rationi obedientes appetitus efficere conetur.

Demetrij. Demetrius Phalareus honestos adolescentes domi parentes reuereri debere dicebat, in via autem omnes vt quisque se obtulerit, in solitudine seipsos.

Menedemi Menedemus, cum adolescens quidam dixisset, magnum esse si quis quæ concupisset assequeretur: Multo, inquit, maius est, nihil eorum quæ non decet, concupiscere.

Isoc. ad Dem. Voluptas non omnis, sed quæ honesta est, expeti debet.

Bias. Bias Prieneus beatum eum esse dicebat, qui & diues esset, & cupitis potiretur: sed eum qui nihil cõcupiscceret, beatiorem.

Xanthi. Xanthus ille sapiens cum adulterum quendam vidisset pro foribus formosæ mulieris: Iste, inquit, breuem voluptatem magno emit periculo.

Charicleæ. Amorum suorum aspectus, renouat passionem, nec minus hoc spectaculum animum inflammat, quàm materies igni admota incendium. Cupiditatis fomentum est amatorius sermo.

De fortitudine & robore, Sermo 4.

Matt. 16. SI quis vult me sequi, abneget semetipsum, tollátque crucem suam, & me sequatur.

Ephes. 6. Induite totam Dei armaturam, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quia non est nobis lucta cum carne & sanguine, sed cum principatibus & potestatibus, cum dominis tenebrarum huius sæculi.

Pro. 21. Non est homini sapientia, non est fortitudo, non est consilium aduersus dominum.

Equus præparatur ad belli diem, sed à domino est auxilium.

Sirach. 13. Cum fortioribus te ne communicato: quid cõmunicabit olla cum lebete? ipsa collidetur, & conteretur.

Basilij, Ho. in Iulittam. Ferto igitur, non quidem sine vlla perturbatione, aut vllo sensu: quæ enim merces est indolentiæ, sed quamuis laborioſè, ac cum doloribus plurimis, ferto tamen: quemadmodum generosus certator, robur & fortitudinem spectandam præbet, non solũ cædendo aduersarios & colluctatores, sed etiam fortiter ferendo, quas ab illis acceperit plagas: item vt gubernator doctus, & longo nauigandi vsu iam imperterritus, rectum miniméque aquis obruendum, atque omni tempestate excelsiorem animum seruans.

Theologi. † θάρσος καὶ θεραπὸς. † Fiduciam & confidentiam (quæ etiamsi multam nominum similitudinem habeant, inter se tamen plurimùm disiuncta sunt significatu) & fortitudinem esse dicimus & timiditatem: nam in loco confidere, fortitudinis est, vt contra diffidere & cedere, timiditatis. In maius autem periculum A se offerre, & irruere, nec se retrahere, timiditatis & audaciæ est: declinare & retrocedere, † securitatis. ἀσφαλείας Chrysost.

Neque detrectandum est certamen, neque ad id irruendum. Sic enim & nostra victoria futura est splendidior, & diaboli offensio contemptior risúque dignior. Cum attrahuntur enim magno & excelso animo resistere, non prouocatos autem quiescere & occasionem expectare, bonos vt simul & generositatem, inanis gloriæ nos non esse appetentes ostendamus.

Fortis est, non solum qui vincit hostes, sed etiam qui voluptates. Democriti

B Conspicatus Corinthiorum portas validè clausas: Num, inquit, habitant hic mulieres? Socratis.

Robur mente carens, in quoscunque inciderit, eos sepulchro tradit. Alexandri.

Hic cum amici hortarentur, vt noctu hostes aggrederetur: Non est, inquit, regium victoriam furari.

Cum autem vidisset quendam idem cum ipso nomen habentem sed timidum: Adolescẽs, inquit, aut nomen aut mores mutato.

Idem, cum eum amici vt liberis procreandis operam daret, hortarentur: Nihil est, inquit, cur sollicitati sitis: relinquo enim vobis liberos certaminum

C victorias.

Idem cum ei ad bellum gerendum proficiscenti diceret Aristoteles, expectandam esse perfectam ætatem, tum denique bellandum: Vereor, inquit, ne dum perfectam ætatem expecto, audacem perdam iuuentutem.

Lacon cum quidam ei vt probrũ obiiceret, quòd claudus cum esset in militiã proficisceretur: Quid istud? (inquit) non est opus fugientibus, sed manẽtibus & certantibus.

Robur prudentiæ iunctum prodest: sed hac si careat, plurimum obest habentibus. Isocratis.

Leonides Lacedæmonius cum parua manu ad Leonidæ.

D pugnam contra Persas proficisceretur, & diceret quidam eum cũ nimis paucis proficisci: At, inquit, cum volentibus.

Lacon ægroto corpore in aciem progrediebatur: cum autem quidam eum quorsum ita affecto corpore proficisceretur interrogarent, respondit, Ad moriendum pro patria.

Honestè moriendi occasio arripienda est, cum licet ne paulo post tibi tempus moriendi, non autem honestè moriendi, accedat. Musonij.

Lacæna mulier, cum eius filius accepto vulnere in prælio claudus factus esset, isque suam calamitatem ægrè ferret: Noli, inquit, fili dolere: quotiescũque enim gradum feceris, toties tuam virtutem recordaberis. Ex Dionis Chrisi.

E

Celtæ, oceani accolæ, domus aut parietis ruinam fugere turpe ducunt. Aduentanti quoque refluentis maris æstui armati occurrunt, & eò vsque expectant donec aquis obruti demergãtur, ne videlicet fuga mortis timorem in illis possit arguere. Ex Nicolai Collectaneis.

Coriscus admodum senex cum difficili quodam morbo liberatus esset: Apage, inquit, quàm molestè reuersus sum, iam aliquãtum viæ progressus, quam ingredi omnino necesse est. Coriſci.

Cùm

Cùm Pyrrhus in Lacedæmonios exercitum A ducceret, multaque minaretur Cercyllidas, vnus de numero senatorum, in concione surgens: Si, inquit, Deus est is qui minatur, nihil metuendum, nihil enim iniuriæ facimus: sin homo, sciat se viris minitari.

Fortior esse mihi videtur qui cupiditates, quàm qui hostes vincit, quòd difficillimum sit seipsum vincere.

Darius Persarum rex cum trecentis militum milibus ad Marathonem castra posuit: Atheniensis mille aduersus illos miserunt quorum duces erant Polyzelus, Callimachus, Cynægirus, & Miltiades: confligentibus autem exercitibus B vtrisque, Polyzelus visum admirabile ac supra hominem cum vidisset cernendi sensum amisit, cæcúsque factus octo & quadraginta interfecit. Callimachus multis transfossus hastis etiam mortuus stabat. Cynægiro nauem, quæ Persas vehebat, retinenti manus abscissa est. Vnde à Pantelio hæc scripta esse dicuntur:

O inanem laborem & infestum bellum!
Regi nostro quid dicemus ad illum reuersi?
Cur me rex ad immortales bellatores misisti?
Prosternimus, non cadunt: vulneramus, non metuunt.

Vnus vir totum spoliauit exercitum: & in medio,
Anhelus consistit ferreis in radicibus,
Neque vult cadere, & forsitan etiam naues ingredietur.

Fuge gubernator, cadaueris minas effugiamus.

Ad serm. 4. annot.

Theol. Diuinæ iræ] *vitio vacat hæc scriptura quam in Græco Maximi Gesnerus mendosam existimat. Putat enim pro τεύχων legendum τραχύτητα: sed malè. Verùm pro λῆμμα corrigendum est λεῖμμα, sicque vertendum:* Ac Dei quidem fæcem quandam & credi- D dimus & audimus, hoc est reliquias indignationis ipsius aduersus eos, qui digni sunt. *Alludit ad illud Psalmi. 74. Verumtamen fæx eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ: Locus est apud Greg. orat. 19. de laudibus Patriis. Billius. l. 1. obseruat. c. 12.*

De iustitia, Sermo. 5.

Mat. 5. BEati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabuntur.

Rom. 6. An nescitis vos eius seruos esse, cui obeditis, & vos ad obediendum & parendum offertis, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustiE tiam?

Prou. 26. Qui proximo foueam foderit, ipse in eam incidet: qui lapidem voluit, in se ipsum voluit.

Stateræ vestræ & mensuræ iustæ sunto, & congius iustus.

Melius est paululum aliquid cum iustitia, quàm multa bona cum iniustitia.

Eccli. Iniustorum bona fluminis more exarescent, & vt magnum tonitru in pluuia personare desinent.

Qui veram animi iustitiam non secum affert, S. Basilij. pecuniis corruptus, aut amicitiæ gratificari studens aut inimicitias vlcisci cupiens, aut denique potentiam metuens, is iudicia exercere non potest nec dirigere.

Diuinæ iræ asperitatem & credimus, & audi- Theologi. mus concitationem propositi eius, aduersus eos qui digni sunt & commeriti supplicium: quia Deus est vltionum Dominus. Etsi enim de summo iure per humanitatem inclinat ad misericordiam & remissionem, non omnia tamen peccantibus ignoscit, ne clementia illius deteriores fiant.

Nec de omnibus hic supplicium sumit Deus, ne Chrysostomi. mortuorum excitationi diffidas, & de iudicio desperes, tanquam omnes hic reddant rationem: nec omnes impuniti relinquuntur, ne sine prouidentia omnia contingere credas.

Æquissimum Dei iudicium nostris affecti- Gre. Nyss. bus consimile sit: & qualiacunque à nobis profecta fuerint, talia nobis ex similibus redduntur vicissim.

Iniquus iudex est, contaminata conscientia. Euagrij.

Quisquis iniuria afficitur, præ dolore tabescens, Cyrilli. cum se vlcisci aut par pari reddere nequeat, nimirum qui viribus inferior sit, cœlestis in malignos odij & vindictæ stimulum ad opem sibi ferendam C implorat.

Non appellamus homicidas aut sanguinarios qui ex legib. diuinis eos interfecerint, qui mortis supplicio digni sunt: sic Samuelem & Phineen tali nomine non notamus.

Qui iniuriam facit nemini, dignus ille quidem Platonis. est honore: at qui non patitur, & impedit iniuriosos ne iniuriam faciant, plus quam duplici præ illo dignus honore fuerit: ille enim vni, hic autem multis dignitate comparandus est.

Sic enim existimo, & me & te aliósque homines in ea esse sententia, vt iniuriam facere quàm accipere deterius esse ducant, & non dare pœnas, D quàm dare.

Æquum est vt eos laude afficiamus, qui nullum commodum æquitati præponunt: pecuniam enim licet acquirere, sed gloriam pecunia parare difficile est.

Iniuriam mihi faciat locuples, non pauper:
Facilius enim est superiorum tyrannidem ferre.

Si pro eo contendas quod iniustè feceris bis pec- Clitarchi. caueris.

Præstat rectè iudicando à condemnato iniustè ac- Moschion. cusari, quàm iniuste iudicando apud naturam iuste vituperari.

Optime agendum est, & maxime seruanda de- Ex dictis E mocratia, vbi iniuriarum authores puniuntur, & septem sapientum. inferiores aduersùs eos defenduntur.

Duabus de causis ab iniuriis solent homines ab- Hyperidis. stinere, aut metu aut pudore.

Quæ ab altero passi indignanter ferris, videte ne Socratis. hæc eadem aliis faciatis.

Iustus est non qui iniuriam non facit. Philemon.
Sed qui cum possit facere iniuriam, non vult.

Fortitudinis nullus est vsus absente iustitia: si Agesilai. verò iusti forent omnes, nihil iam fortitudine foret opus.

Epicteti. Vt iusta bilanx, nec à vera bilance corrigitur, nec à falsa iudicatur: sic & iudex iustus, neque à iustis examinatur, nec ab iniustis arguitur.

Noli prius in altero iudicio iudicare quàm apud ipsam iustitiam rem exa minaueris.

Si vis recta exercere iudicia, neminem neque litigantium, neque patronorum agnoscito, sed ipsam solam iustitiam.

Cum iustitia viuenti tutus est omnis locus.

Pythagoræ Plus torquetur iniuriam faciens dum in conscientia cruciatur, quàm qui corpore plagas accipit & cæditur.

Zenonis. Zeno Stoicus philosophus, cum ex eo quidam familiarium quæreret, qua possent ratione nihil iniuriæ facere; Si semper, inquit, me vobis adesse existimabitis.

Idem interrogatus an Deum latere possit iniuriam faciens: imò, inquit, ne cogitans quidem.

Socratis. Damnatus Socrates ab Athenienſibus vt præcipitaretur, vxore eius Xanthippe clamante ac dicente: Quàm iniustè Socrates morte afficieris: Tu igitur, inquit, velles me iuste mori?

Menãdri. Ne suspicator de bonis vnquam malum.

Nam iustus haud vllum nocendi scit modum.

Xenophõtis. Socrates loquitur. An non videtur tibi opus ipsum magis mereri fidem quàm sermo? Maxime vero, inquit: multi enim de iure loquentes iniustè agunt, ex his autem qui iusta faciunt, ne vnus quidem reperietur iniustus.

De amicis & fraterna dilectione, Sermo. VI.

Ioan. 13. EX hoc intelligent omnes vos esse meos discipulos, si alij alios dilexeritis.

1. Cor. 13. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitate autem vacem, sum tanquam æs sonans aut cymbalum tinniens. *Et paulo post*, Ac si omnia bona in alimenta contulero, corpusq; meum exurendum tradidero sine charitate, nihil effeci.

Salom. 27. Vtiliora sunt amici vulnera, quàm voluntaria inimici oscula.

Qui in amicum rete parat, id pedibus suis induit.

Excusationes prætendit, qui se vult ab aliquorum amicitia remouere.

Melius est excipi oleribus cum amicitia & gratia, quàm vitulorum apparatu cum inimicitia.

Qui fratrem pauperem odit, ab amicitia longè abest.

Qui in volucres iacit lapidem: eas turbat, & qui conuitiatur amico, dissoluit amicitiam.

Amicum compendij causa ne mutato.

Amicus fidelis pro valida munitione est: talem nactus, thesaurum reperit.

Nihil est quo fidelis amicus permutari possit, nec quo pulchritudo eius rependi.

Gregorij. Improborum congressiones multum solent obesse, (quia hæc est natura amicitiæ, vt per similitudinem congredientibus & coniunctis ingeneretur) qui odium alta mente retinentes dilectionis & amicitiæ præ se gerunt speciem: Vt saxa sub aquis latentia, quæ cum exigua aqua tegantur, damnum improuisum afferunt incautis.

Præpone semper improbis viros probos.
Nam si frequens sis cum malis, eris malus. Theologi Tetra. 4.
Ne munus vnquam de manu sumas mali.
Veniam suorum nam petit sic criminum.

Omnia feret amicitia & verba & opera.

Corpora quidem loco aptantur, animi autem spiritui congruunt.

Sit finis odio, nesciat fines amor.

Dissidium religionis gratia natum, melius est praua concordia. Tetra. 4.

Nemo existimet me in ea esse sententia, vt dicam omnem pacem amplectendam (noui enim vt sedi. or. 12. de Pace. 1. tionem quandam optimam, sic concordiam quandam perniciosissimam) sed eam demum quæ honesta est & ob rem honestam suscipitur, quęq; nos Deo copulat.

Qui enim cum regis hostibus amicitiam instituit, regis amicus esse nullo modo potest. Chryſoſt.

Vt anima sine corpore non vocatur homo, nec contra corpus sine anima: sic ne charitas quidem in Deum, nisi coniunctam quoque habeat in proximum charitatem.

Non tam febris tabefacere solet corporis naturã, quàm animum à suis amoribus disiunctio.

Nihil est concordiæ comparandum, vnus enim quodammodo multiplicatur in hunc modum. Si concordes fuerint duo aut decem, vnus non est vnus, sed illorum quisque decuplex redditur, inueniesq; in decem vnum, atque in vno decem. Quod si hostes illis aliqui sint, qui in vnum impetum fecerit, is quasi in decem irruerit, sic capitur. Eget vnus, at non premitur egestate: nam maiori parte & numero inopia obumbratur: illorum vnusquisque viginti habet manus, ac viginti oculos, totidemque pedes, animas item decem: non enim suis tantum, sed illorum etiam membris quisque vtitur in omnibus, ac si centum forent, idem rursus contingeret. Idem apud Persas & Romæ esse potest: quódque natura non potest, id amicitia potest. Si igitur mille habeas amicos aut etiam duo millia amicorum, cogitare debes quò rursus euadat numerus. Hoc enim est admirabile vnum millesimum fieri: optabilius esset Solem nobis extingui, quàm amicis orbari. Etenim multi solem videntes in tenebris sunt, at qui multos habent amicos ne incidere quidem possunt in calamitatem. Nihil enim, nihil amicitia & charitate suauius esse possit: quid enim est quod non efficiat verus amicus? quam voluptatem non afferat, quam vtilitatem, quam securitatem? denique infinitis thesauris amicum verum immensis anteferendum iudicabis. Et quemadmodum res splendidæ lucem quandam in circumfusa & vicina loca diffundunt: sic amici vbicunque versati fuerint, gratiam & suauitatem spirant & emittunt, vt satius sit in tenebris versari, quàm carere amicis.

Quemadmodum odorata aromata suo odore circumfusum aërem complent: sic boni viri præsentia proximos iuuare & oblectare solet. Gre. Nyſ.

Amicitia inflammatas iræ partes sanat. Euagrij. Philoxe.

Eum amicum existimare debemus, qui & auxiliari, & vicissim prodesse vult, etiam si non possit.

Qui

Qui ab amico perfido consilium accipit, idem facit, quod qui ex poculo aureo venenum bibit.

Vasa quidem noua præstantiora sunt veteribus: sed amicitia quo vetustior, eo melior.

Terræ fruges singulis annis, at amicitiæ fructus omni tempore nascuntur.

Multi amicos sibi deligunt, non optimos, sed abundantissimos.

Multi cum videantur amici, amici non sunt: & contra, multi cum non videantur, amici tamen sunt: docti igitur & sapientis est vnumquemque cognoscere.

Eorum fugienda amicitia est, quorum animus ambiguus & inconstans est.

Amicos parato, non omnes qui amicitiam tuam appetierint, sed eos qui tuo ingenio & natura digni sunt.

Nullius amicitiam parato prius, quàm superiorem amicitiam quemadmodum coluerit inquisieris: existimato enim illum talem erga te futurum, qualis erga illos fuerit.

Lentè fias amicus, factus autem permanere conator. Æquè enim turpe est multos mutare amicos, ac nullum omnino habere amicum.

Amicos ex vitæ calamitate & periculorum participatione probato. Aurum enim igni exploramus, amicos autem in rebus aduersis dignoscimus.

Vera amicitia tria requirit maximè: Virtutem tanquam honestam, & familiaritatem vt iucundam, & vsum tanquam necessarium: nam vbi iudicaris, recipere debes, & congressu lætari, & si egeas vti.

Equi virtutem in prælio, amici autem fidem in calamitate exploramus & cernimus.

Non decet fratres, vt lances in statera, altero humiliato alterum extolli.

Amicorum absentium apud præsentes mentionem facito, vt præsentes etiam ne contemnere videaris.

Comis omnibus esto, sed optimis vtitor. Sic enim illis grauis non eris, his autem fies amicus.

Amicos parato quibuscum non iucundissimè, sed quibuscum optimè viuas.

Quot amicos parâris, tot oculos habes, quibus quæ velis videas: tot aures quibus quæ decet, audias: tot consilia quibus de iis quæ conducunt, consultare & prospicere possis. Non enim aliter se habet plurium amicitia, quàm si cui Deus vnum corpus habenti multas daret animas, quę omnes illi prouiderent & consulerent.

Acquirenda magis sunt bona propter amicos, quàm amici propter bona.

Aptus est ad amicitiam, qui plurimas iniurias pati potest.

Quemadmodum vinum moribus bibentium attemperatur: sic amicitia vtentium affectibus.

Is cum obiiceretur ei vt probrum, quod cum improbis versaretur: Optimus, inquit, est medicus qui à cæteris omnibus desperatos recipit.

Idem omnibus placere difficillimum esse dicebat.

Amicitiam qui violant, etiamsi iniuria affectorum effugerint supplicium, at certè Dei vltionem non euadent.

Importunè amare nihil est aliud quàm odisse: Verum amicum in rebus aduersis ne timeto.

Idem Crœsum interrogans, quid esset maximum & pretiosissimum ex regno consecutus, illeque respondisset, vt hostes vlcisceretur, & amicos beneficio afficeret: multo inquit, melius feciſſes, si & illos tibi amicos asciuisses.

In rebus secundis vocatus venire debet amicus verus, in aduersis autem vltro adesse debet.

Non posse opitulari amicis, inopiæ est: nolle autem, malitiæ est signum. Democrit.

Veri amici iucundas amicitias, & leuiores efficiũt calamitates: illis quidem simul fruentes, his autem participantes. Euripidis.

Omnes locupletum se vocari volunt,
Et esse amicos: vsus hoc me perdocet. Clitarchi.

Tuas calamitates, amicorum esse existimato: tuas autem prosperitates amicis communicato: mortuos amicos lugere haud est generosum, prouidere autem domesticis diligentiæ est. Catonis.

Eum amicum existimato, qui te-ipsum non tua amat.

Melius est multis amissis pecuniis amicum vnum acquirere, quam vno amisso amico multas pecunias comparare.

Non diuitiæ amici, sed amicus diuitiæ. Et diuitiæ nunquam efficient amicitiam, quemadmodum nec terra Deum: amicitia autem diuitias facilè adipiscatur & paret, quemadmodum & Deus terram.

Vt apem propter aculeum non odisti, sed propter fructum foues & tueris: sic amicum propter acerbam obiurgationem ne auerseris, sed propter beneuolentiam ames.

Qui amicum mœrentem fugerit, dignus non est qui eo gaudente fruatur

Sic decet nos amare tanquam osuri simus, & odisse quasi amaturi.

Vt aurum igni probatur: Menandri.

Sic erga amicos beneuolentia tempore † cernitur. † χρίνεται.

Qui tempore secundæ fortunæ amico adulatur, temporis est amicus, non amici.

Insipientibus amicis ne vtitor: nam tu etiam insipiens omnino vocaberis.

Verus est amicus qui amicorum calamitatis quoque particeps est.

Asini vsum arguit asperitas viæ, & amicum beneuolum calamitates ostendunt.

Veros amicos ne prius parato, quàm falsos repudiaris.

Leuioribus afficiuntur homines incommodis ab inimicis quàm ab amicis: inimicos enim dum metuunt, cauent: amicis autem dum aperti sunt, eorum insidiis opportuni fiunt faciléque incidunt. Demonac.

Nunquam appetij vulgo placere: nam quæ illis placent, nunquam didiceram: quæ autem noram longè absunt ab illorum affectu.

Qui fratribus præteritis alios sibi amicos acquirunt, iis sunt similes, qui relicto suo agro alienum colunt. Socratis.

Qui cum amicis versatur omnia ad gratiam & Critiæ.

voluntatem illorum faciens, ex præsenti voluptate inimicitiam facit in-posterum.

Polyæni. Quo pluribus beneficiis affeceris amicum, tanto tibi plura paras commoda. Vicissim enim ad nos redit illorum beneuolentia.

Cypseli. Amicis fælicibus & infælicibus idem esto.

Ex dictis & sententiis Epicteti, Iscoratis & Demonactis.

In rebus secundis nanciscì amicum quàm facillimum est: in aduersis autem omnium difficillimum.

Calamitates & necessitates amicos probant, & inimicos arguunt.

Præsentibus amicis benefaciendum, de absentibus bene loquendum.

Malorum amicitia, & bonorum inimicitia fugienda.

Nulli amicum à nullo amari existimandum.

Et medicus & amicus non iucundior, sed vtilior eligendus est.

Sexti. Arcanum in amicitia cum audieris, posteáque inimicus factus fueris, ne enunties: non enim inimicum sed amicitiam lædis.

Amicum ne parato, cui non credis omnia.

Amicum vsus causa ne diligito: talis enim amicitia temporaria & instabilis est.

Pittaci. Esto erga amicos constans & stabilis, & aduersus inimicos munitus & cautus.

Cyri. Cum quidam ad eum misisset ornamenta multa, ea distribuit amicis: cum autem ex eo quæreretur, cur sibi nihil reliquisset: Quia (inquit) corpus meum his omnibus ornari non possit: amicos autem his-ipsis ornatos intuens, maximum mihi ipsi ornatum aptatum esse putabo.

Timon. Timon ille qui ab odio hominum, Misanthropos Græcis vocabatur, interrogatus cur omnes odisset homines, Quia, inquit, merito improbos odi: reliquos autem, quia improbos non oderunt.

Romuli. Romulus cum ei crimini verteretur quod cum improbis versaretur: Et medici (inquit) cum ægrotis, sed ipsi valent.

Nicoclis. Iudicare oportet antequam ineas amicitiam, postea vero non iudicare sed amare.

Sordidus si sis, nequaquam optimum habebis amicum.

Antigoni, Regis. Hic diis sacrificans precabatur, vt se à simulatis seruarent amicis: cumq; percunctaretur quispiam quamobrem tale quid à diis optaret: quia, inquit, hostes cum cognosco, caueo.

Alexand. Interrogatus à quopiam vbi thesauros haberet, amicos ostendens, in his, inquit.

Libanij. Congratulandum est amicis cùm præclarè cum illis agitur: vt contra condolescendum si dolore afficiuntur.

Molestiæ quæ ab amicis inter se excitantur, sunt curatu difficiles omnino, grauiusq; quam hostium contumeliæ offendunt.

Pisoniani. Quanto fortiores amicos reddideris, tanto ipse fortior euadis.

Dionis. Quæ calamitas extra amicitiam non intollerabilis? quæ prosperitas remota amicitia, non iniucunda est?

Facilius calamitates acerbissimas cum amicis feras, quàm solus prosperitates maximas.

Eum iustè miserrimum iudico, qui in miseriis & calamitatibus multos habet qui lætentur: in rebus autem secundis qui simul delectetur, neminem.

Qui gratificatur amicis, is simul tanquam gratificans lætatur dando, simul etiam tanquam ipse acquirat.

Arcana ne probas amico, sed tegas.

Sic non timebis, factus hostis si fiat. Menandri.

Ne propter iram amici arcana enuncies, Philistion.

Sperans eum rursus tibi amicum fore.

De eleemosyna, Sermo. VII.

Cauete ne beneficentiam vestram præstetis spectantibus hominibus, quo ab illis spectemini: sin secus, præmium nullum habituri estis. Matt. 6.

Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci: talibus enim sacrificiis placatur Deus.

Beneficentia & fide peccata repurgantur. Galat. 6.

Egenti benefacere ne cessato: quum potest manus tua auxiliari, ne dicas illi esse reuertendum, vt postridie accipiat, si potes in præsens benefacere: nescis enim quid sit postera dies paritura. Solomonis

Ignem accensum extinguit aqua: & eleemosyna peccatis Deum propitium reddit.

Largire pio, scelerato autem ne subuenito: benefacito humili, nec des impio. Sirach. 5.

Conclude beneficentiam in conclauibus tuis, & ipsa te eripiet ex omni calamitate, & aduersus hostem pro te pugnabit. Sirach. 12.

Qui beneficentiam præstat: afflictationis tempore, est tanquam nubes pluuiosa siccitatis tempore.

Bona vel inuitus hic relinques, bonorum autem operum gloriam ad dominum asportabis. S. Basilij.

Auaritiæ genus est acerbissimum ne * pereuntia quidem impertiri egentibus. ho. In dites. auaros.

Tot iniuria afficis, quot largiri potuisti. * φθαρτὰ quæ corrũpuntur. Theologi, Tetrast. 3.

Accessit ad me pauper: at frustra tamen.
Christe extimesco, ne tuam quærens opem,
Abeam vicissim prorsus abs te nil ferens.
Nam quod negat quis alteri, frustra petet.

Beneficio afficere quàm affici honoratius est: & misericordia magis quàm lucrum expetenda est. Si quid largiris, vide ne murmures, quod multi facitant, dantes quidem, sed parum alacriter: Atqui alacritas dandi, ipsa largitione maius quid & perfectius est. Neque vero inquirendum de accepturo beneficentiam, dignus ne sit an indignus.

Multo enim melius est propter dignos indignis etiam dare, quàm propter indignos fraudari dignos.

Melius est pro facultate aliquid afferre, quàm nihil omnino dare: non enim qui non potuerit, sed qui noluerit, culpandus est.

Esto proximo honoratior, ex eo quod videaris benignior.

Calamitosis Deus esto, Dei misericordiam tibi ad imitandum proponens.

Ad rationem eius à quo petitur moderanda est petitio. Æquè enim absurdum est, à paruo magna

quærere

quærere, atque à magno parua: illud enim intem- A pestiuum, hoc verò sordidum fuerit.

Age gratias Deo, quòd ex eorum sis numero, qui beneficia in alios conferre possunt, non autem ex eis qui vt beneficiis afficiantur indigent.

Chrysost. Cæcus, cui misericordiam impertieris nouit in regnum cœlorum manuducere: & qui ad parietes impingit, ac in foueas cadit, hic ductor sit ascensus in cœlum.

Quum pauperẽ pascis, temet ali existimato: talis est huius rei natura, vt à nobis in nosipsos transeant & redundent quæ ipsi largimur.

Nihil eum iudicem metuamus, qui ante iudiciũ B manum porrigit: nihil iudicem metuamus, qui recipere non recusat.

Quid ô diues frustra laboras, qui bona pauperum in thesauris tuis recõdis? quid cum illi aliquid ex te petunt, indignaris, tanquam domestica consumas? paterna requirunt, non tua: tibi in manus propter illos tradita, non tecum procreata: quæ accepisti, donato, & vsu-fructum lucrifacito: tibi satis est ea te esse conditione vt dones, non vt accipias.

Illud valde est à ratione alienum, vt agrum emere cupiens terram feracem quærat: cum autem cœlum sit loco terræ propositum, liceátque illic præ- C dium comparare, in terra manere, ac eius labores sustinere.

Greg. Nyss. Qui pauperi impertierit, in partem eius qui pro nobis factus est pauper se ipse collocat.

Vt lucis propriũ est illuminare, sic Dei proprium est misereri suorum operum.

Sancti Irenæi ex Epistola ad Victorem.

Vbi aliquis potest benefacere proximis, nec facit, alienus à charitate domini censendus est.

Philonis. Talem te domesticis seruis præsta, qualem Deum in te esse velles: vt enim audimus, sic à Deo audiemur: atque vt intuemur alios, sic Deus nos intuebitur; offeramus ergo misericordię misericordiam, vt D simili simile consequamur.

Demosth. Æquum est vt misericordiam impertiamur, non iniquis & improbis, sed iis qui iniustè aduersa vtũtur fortuna.

Biantis. Bias quendam capite damnaturus lachrymabatur: rogatus autem quid ei accidisset, quòd alium damnans ipse fleret. Quia, inquit, naturæ quidem mutuum dolorẽ reddere necesse est, legi verò suffragium.

Pittacionis. Nec ex templo ara, nec ex humana natura tollenda est misericordia.

Pittaci. Pittacus à quopiam violatus cum vlciscendi haberet pot estatem, ei remisit, inquiens: Præstat ignoE scere, quàm vlcisci: illud enim est mansuetæ naturæ, hoc feræ & agrestis.

Democriti, Isocratis & Epicteti.

Peregrinis impertire & egentibus ex iis quæ adsunt: qui enim indigenti non impertierit, ne ipse quidem accipiet, cum eguerit.

Cum piratæ cuidam in terram appulso & tempestate afflictato vestitum quispiam attulisset, & in domum adducto deinceps omnia necessaria præbuisset, à nonnullis vituperatus quòd sceleratos beneficiis afficeret: Non homini (inquit) sed humanitati hunc honorem habui.

Peregrina in terra quod venale est, ignorantibus est rarum: quod autem rogatur, facilè impertiunt misericordes. Charicleæ.

De beneficentia & gratia, Sermo 8.

CVm prandium aut cœnam paras, inquit domi- Luc. 14. nus, noli vocare tuos amicos, nec consanguineos, nec vicinos diuites, ne illi te vicissim vocent, atque sic mutuum reddatur beneficium.

Qui bene facit, ex Deo est: qui autem male, Deũ 1. Ioan. 3. non vidit.

Prudentiæ est agnoscere cui debeatur gratia. Salomonis

Qui gratiam refert, futura quoque cogitat, & in Sirach. posterum prospicit, & in tempore calamitatis inueniet sustentationem.

Tanquam pupillam tuam, hominum retine gratiam.

Quemadmodum enim oculi quæ nimium pro- Basilij ho. in Marty. Iulittam. pe admota sunt non cernunt, sed iustam requirunt distantiam: ita & ingratorum animi præteritam gratiam sentire videntur, quum boni ab eis alienantur.

Operum gratiæ bonorum, in largitores ipsos reuertuntur.

Donec secundis veteris ventis, naufragium fa- Theologi. cienti porrige manum: donec fœlix & diues es, in miseriis versanti succurre.

Si beneficus sis Deum imitari te puta.

Qui enim prior beneficium confert, is apertè Chrysost. declarat benignitatem: beneficio autem affectus, quicquid reddiderit, debitum reddit, non gratiam confert.

Haud æquum est vt præterito largitore & deser- Clementis to, quæ data fuerint, apud ingratos remaneant.

Nihil æquè beneuolentiam conciliat, atque be- Philonis. neficiorum grata commemoratio.

Plus tibi diligendi sunt, imperator, qui supplicater petentes beneficia abs te sibi præstari cupiunt, quàm qui tibi munera offerre studeant: his enim debes remunerationem, illi verò debitorem tibi efficiunt Deum, qui in propriis numerat quæ in ipsos contuleris, qui remuneraturus est optimis donis humanitatis tuæ benignitatis institutum.

Si quis beneficium ad animũ pertinens tibi con- Nili. ferat, eum tanquam Dei ministrum secundum Deum honorato.

Perinde facit qui in ingratum beneficium con- Plutarchi. fert, ac si cadauer pretioso oblinat vnguento.

Serpentem alit, qui apud ingratum beneficium collocat: neutri enim collata gratia beneuolẽtiam conciliat.

Gratia tanquam luna, cum plena est & perfecta E tum pulchra videtur.

Anacreon Poëta cum à Polycrate tyranno auri Anacreon. talentum accepisset, reddidit, inquiens se donum odisse, quod cogeret vigilare.

Demosthenes interrogatus quid Deo simile ha- Demosthe. berent homines, respondit: Benignè facere & veritatem amare.

Parua beneficia in tempore data, magna sunt ac- Democrit. cipientibus ea in calamitate.

Deo simile habet homo, bene agere, si modo id non cauponetur: item beneficia præstare, & veritatem colere.

Parua des potius, quàm magna promittas: nullum enim est periculum in illo, & qui accipit re magis quàm verbis eget. A

Cui beneficium dare vis, citò dato: tarditas enim donum ingratum efficit.

Idem cum animaduertisset quendam quibus libet promptè largientem & temerè suppeditantem: Male, inquit, pereas, quia Gratias virgines, meretrices effecisti.

Si potes dare, ne cunctare, sed dato, cum scias res nullas esse diuturnas.

Moschion. Vt in ingratum aliquid conferre damnosum, sic etiam in gratum nihil conferre noxium est.

Qui diuiti largitur & suppeditat aliquid, nihil ab eo differt, qui in mare effundit aquam. B

Catonis. Multi mortales ad vlciscendum promptissimi: ad benignè autem faciendum & amicitias conciliandas, tardissimi sunt.

Beneficium apud gratum positum, nunquam intermoritur.

Alexand. Cum Xenocrati philosopho quinquaginta talenta misisset isque repudiasset, quod sibi opus esse negaret: percũctatus est an Xenocrates ne amicum quidem haberet: Mihi enim (inquit) vix Darij gaza in amicos satis fuisset.

Cum quidam ex amicis pro dote filiæ aliquid ab C eo peteret, quinquaginta talenta iussit ei dari: illo autem dicente decem satis esse: tibi (inquit) decem accipere satis videtur, mihi autem decem dare non satis.

Idem discum ossibus refertum Diogeni philosopho Cynico misit: quem cum accepisset Diogenes: Est quidẽ, inquit, cibus Cynicus, *id est*, *camnus*, sed donum minimè regium.

Idem dicebat in eodem ponendum vitio, dare indignis & dignis non dare.

Diogenis. Diogenes à quodam rogatus, quam ob causam D homines mendicis darent, philosophis verò nihil largirentur: Quia, inquit, se claudos & cæcos fore sperare possunt, philosophos autem minimè.

Philistion. Præstat terræ mutuum dare, quàm hominibus: Quod non inuita cum fœnore quæ acceperit, reddat.

Lysandri. Lysander cum ei Dionysius tyrannus ad vsum filiarũ eius pretiosas vestes misisset, repudiauit: quod diceret se vereri ne cum illis ornamentis turpiores viderentur.

Gratia, si quicquam aliud in vita hominum, apud multos quàm citissimè senescit.

Epicuri. Parua largiri nihil veretor, nam in rebus etiã magnis videbere liberalis. E

Sexti. Amico beneficia ne exprobrato: eris enim quasi non dederis.

Idem dicebat, cum qui beneficium præstitisset, statim obliuisci oportere: qui autem accepisset, perpetuò meminisse.

Heraclyti, Phylici. Opportuna gratia, quasi cibus fami conueniens, animi indigentiam sanat.

Socratis. Bonis benefacito: pulcher enim thesaurus est apud virum bonum gratia debita.

Thespidis. Consumi non potest beneficentiæ opulentia: in dando enim accipitur, & in dispergendo colligitur.

Menandri. Si quis tibi de re aliqua non amplius dare volet, Accipe particulam: nam quod minus est accipere, Multo tibi amplius erit, quàm nihil accipere omnino.

De Magistratu & potestate. *Sermo*, 9.

ROgabant eum & milites, dicentes: Et nos quid faciemus? Et dixit illis: Neminem concutiatis, nec calumniemini, & contenti sitis stipendiis vestris. Luc. 3.

Subiecti estote cuiuis humanæ creaturæ propter dominum, siue regi tanquam præcellenti: siue præsidibus, tanquam ab eo missis ad improbos supplicio, bonos autem laude afficiendos. Rom. 13.

In numeroso populo cõsistit regis gloria: in paucitate autem populi abiectio & imminutio principis est. Prou. 14.

Qualis populi iudex, tales eius ministri: & qualis est ciuitatis rector, tales sunt omnes illius ciuitatis incolæ. Sirach. 10.

Vide ne tua laus reprehensionem incurrat, & tempore honoris ne extollaris.

Præfecturam à domino ne petas, nec à rege sedẽ honorificam. Sirach. 7.

Populi impotentia sæpe pessimum magistratui præficere solet. S. Basilij.

Ad præfecti mores se totum fingit populus, vt quales tandem fuerint, qui ducunt, tales esse qui ducuntur necesse sit. In c. 1. Esa.

Decet vt semper deteriori præstantior præsit.

Præfectum non debet dignitas efferre, ne amittat beatitudinem animorum humilitati promissam. Regul. fus.

Confusio reipublicæ magistratu carẽtis signum est, ordo autem magistratum ostendit. Theologi.

Quid iuuat optimum esse gubernatorem, si praeuis vtaris remigibus?

Cum difficile sit scire parêre, periculum est ne multo sit difficilius scire imperare.

Cum talis est magistratus vt reprehendi non possit, tũ potest summa authoritate & punire & ignoscere, quibus præsit omnibus. Chrysost.

Honoris magnitudo iis, qui non pro dignitate eius vitam degere instituunt, supplici accessio est.

Deus nullius eget, rex solius Dei. Imitare igitur eum qui nullius eget, & petentibus misericordiam impertire, cum seruis summo iure non agens, sed omnibus ea quæ ad vitam pertinent petentibus præbens. Multo enim præstat propter dignos etiam indignos misereri, quàm dignos fraudare propter indignos. Philonis.

Multis metuendus multos metuit. Aristotelis

Sapientes magistratus non propter magistratum, sed propter virtutem in admiratione esse debent, vt mutata fortuna iisdem laudibus digni iudicentur.

Æmulare non summum magistratum adeptos, sed optimè suo magistratu fungentes. Isocratis.

Pessimum eum imperatorem esse dicebat, qui sibi ipse imperare non posset.

Amari potius, quàm metui velis in vita. Quem enim omnes metuunt, & ipse omnes metuit. Democrit.

Magistratus aduersus tempora rationem, aduersus resistentes audaciam adhibere debet, erga subiectos

iectos vero beneuolentiam.

Qui aliis imperaturus est, debet ipse sibi prius imperare.

Satius est stultis parêre, quàm imperare.

In magistratu fungendo vtere clementia, in parendo autem animi magnitudine.

Prudentem regem diadema non efficit: mens enim est quæ imperat.

O diuitiæ, & regnum, & ars artem
Superans, in vita hac æmulatione plena
Quanta vobiscum inuidia latet?

Maximarum rerum præfectum decet, ô bone vir maxima præditum esse prudentia.

Parcè vtendum est potestate, vt semper permaneat potestas vtendi.

Princeps seu iudex neque pro bonis orari, neque pro malis exorari debet.

Cum pincerna phialam amisisset auream, eámque amissionem ægrè ferret, id resciscens Alexander eum accersiuit, ac dixit: Bono animo sisfili, vbi vbi est, nostra est.

Idem interrogatus, quis esset rex optimus: Qui inquit, amicos muneribus retinet, & inimicos beneficiis ambit & reconciliat.

Rogatus quemadmodum in repub. potestate sit vtendum: Sicut igne, inquit: neque nimis prope accedendum, ne exuraris: neque nimis procul abeundum, ne rigeas.

Ei non conuenit imperium, qui non est excellentior subiectis.

Impera si prius parêre didiceris: qui enim parêre didicerit, imperare non ignorabit.

Principem trium meminisse oportet: primum se hominibus imperare: alterum, ex legibus imperari debere: tertium, se non semper imperaturum.

Is cuidam vetulæ ipsum beatum prædicanti: Si scires, inquit, ô mater, quàm multis malis sit hic pannus refertus, diadema autem ostendebat, è stercore nolles tollere.

Magistratum adeptus prauis ministris ne vtitor: eorum enim quæ illi peccarint, culpa in te transferetur.

Epaminondas Thebanus, cum magnum & pulchrum videret exercitum, duce carentem: Quāta, inquit, belua caput nullum habet?

Regem meminisse decet, se hominem, parem Deo potestatem accepisse: vt præclara & diuina sibi proponat, prudentia autem vtatur humana.

Vt multitudinem colere debet, qui in democratîa & statu populari versatur: sic illi qui in monarchia & sub vnius dominatu viuit, regem mirari & venerari conuenit.

Si rectè familiam tuam cupis administrare, Lycurgum Spartanum imiteris. Vt enim ille non mœnibus ciuitatem sepsit, sed virtute ciues obuallauit, & perpetuò ciuitati libertatem retinuit: sic tu non magnam aulam circundato, & turres altas excitato, sed ciues beneuolentia, fide, amicitia firmato: atque ita nihil in eam irrumpet nociturum, ne si totum quidem improbitatis agmen se opponeret.

Nemo prudens magistratum gerere à se alienum putet, cùm sit impium se ab iis seducere qui tuo indigent beneficio, & improbis credere minimè generosum: stultum est enim præoptare malè regi, A quàm bene regere.

Indignum & molestissimum est deteriores melioribus imperare, & stultiores prudentioribus præscribere.

Fac sis † dignus magistratu, non asperitate, nec seueriùs puniendo: sed talem te gerendo, vt consilio tuo omnes vincantur, & cedant. Isocratis. ἀρχικός.

Omnino virtus effugat superbiam. Chæremo.

Eumenes rex fratribus suis perpetuo dicere solebat: Si vt rege me vtemini, ego vobis vt fratribus vtar: sin autem vt fratre, ego vobis vt rege. Eumenis.

Cotys Thracum rex Thebanis gloriātibus quòd B Lacedemoniis imperarēt: Ego, inquit, vidi torrentes perennibus fluuiis maiores & auctiores factos, sed ad tempus exiguum.

Idem interrogatus, cui regiam relinqueret: Potenti, inquit.

Corporis quidē natura cuiuis homini par est rex: dignitatis autem potestate Deo, qui supra omnes est, similis: nihil enim habet in terra se altius. Decet igitur eum vt mortalem non efferri, & vt Deum non irasci. Tametsi enim diuina imagine honoratus est, tamen terrestri etiā connexus est per quam erga omnes simplicitatem edocetur. Agapeti.

Princeps dare operam debet vt subiectis venerabilis potius quàm terribilis esse videatur: illud C enim grauitatis tantum est, huius verò comes est sæuitia. Musonij.

Maligna natura potestatem nacta publicas inuehit calamitates. Democrit.

Tum ciuitates pereunt, cum magistratus, malos à bonis secernere non possunt. Antisthen.

Vt furenti gladium dare periculosum, sic & improbo potestatem.

Si stolidis diuitiis accedat potestas, Menandri.
Vel antea visos sapere, stultos faciunt.
Prospera fortuna stultis desipiendi causa est. Demosth.

D *De vituperatione & calumnia, Sermo* 10.

BEati estis cum probris vos affecerint homines, persequuti fuerint, & omne maledictum in vos iecerint mentientes propter me. Matth. 5.

Cum conuitiis afficimur, benedicimus: cum fugamur, sustinemus, cùm maledictis impertimur, obsecramus. Rom. 12.

Tegunt inimicitiam labia iusta: qui autem conuitia iactant, insipientissimi sunt. Salomonis

Vir sceleratus turbabit amicos, ac inter pace fruentes iaciet calumniam: vt materia ignis sic exardescet. Sirach. 28.

Prius quàm examinaris, ne reprehendas: nosce E prius, deinde increpato.

Non verba ipsa dolorem nobis afferunt, sed nostra nobis conuitiantem superbia & contemptus, & vt cuiusque est opinio de ipsis. S. Basilij, Homil. de

Solent quodammodo magnis principibus huiusmodi obsequiorum artifices adhærere: vt quoniam proprio bono carent quo innotescant, ex alienis malis se-ipsi commendent.

Haud magnum est reprehendere, imo facillimum & cuiusuis est: at sententiam suam in locum reprehensæ proponere, viri est & pij, & magna mēte prædití. Theologi.

Male audire, quàm male dicere præstat.

Tangit non solum multitudinem, sed etiam principes Momus.

Chrysost. Vt bene dicere & laudibus afficere, principium est amicitiæ: sic malè dicere & calumniari, inimicitiæ & odij infinitorúmque malorum origo & materia est.

Fieri non potest, vt qui virtute excellunt, apud omnes bene audiant.

Si illi qui leues & inanes excipiunt narrationes, veniam non impetrabunt: qui criminantur & conuitiantur, quam habituri sunt defensionem?

Non dolendum si malè audiamus, sed si iure malè audiamus.

Plerique vitiorum suorum reperiuntur patroni, alienorum accusatores.

Plutarchi. Lingua maledica malæ mentis index est.

Isocratis. Caue calumnias, etiamsi falsæ fuerint.

Vulgus enim veritatem ignorat, ad famam respicit.

Hic cum quidam ad eum obtrectatoris sermonem referret, ac diceret: Me præsente ille hæc de te maledicta iaciebat: Nisi tu, inquit, libenter audisses, nunquam ille conuitiatus esset.

Democrit. Gladius quidem secat, calumnia autem separat amicos.

Socratis. Cum quidam ei dixisset: Quidam de te male loquitur: Verberet me etiam (inquit) non præsentem.

Susurronem & calumniatorem ne recipito: non enim beneuolentiæ causa hoc facit: Et sicut aliorum secreta tibi enunciauit, sic & quæ à te dicuntur, aliis exponet.

Moschion. Multorum improborum calumniis peti, neque verum, neque detrimentosum est: at ab vno aliquo bono vituperari & verum & commodum est.

Demonac. Cum Sophista quidam eum accusaret, diceréque, Cur de me male loqueris? quia non contemnis, inquit, malè loquentes.

Diogenis. Cum à caluo quodam conuitio afficeretur: Tibi contumeliam, inquit, non dico, sed capillos tuos laudo, quòd malam effugerint caluam.

Cum proditor quidam ei malediceret: Gaudeo (inquit) me factum inimicum tuum: non enim inimicis, sed amicis malè facis.

Aristippi. Aristippus cum contumelia à quodam afficeretur, secedebat: maledico autem persequente, ac dicente: Fugis? Etiam, inquit: nam tu male dicendi potestatem habes, ego verò non audiendi.

Pelopidæ. Pelopidas, cum fortis quidam miles delatus esset ei, quòd obloqueretur: Ego (inquit) facta eius video, verba non audiui.

Philemon. Nihil neque suauius, neque musicæ conuenientius est,
Quàm posse conuitiantem ferre.

Etenim in conuitium facientem, si qui conuitio afficitur,
Dissimulet, ipsum conuitium redundat.

Demosth. Demosthenes, cum quidam ei conuitium faceret: Non descendo (inquit) in certamen, in quo victus victore superior est.

Menandri. Nihil est molestius calumnia.
Peccatum enim quod alteri inest,
Necesse est illum-met qui calumniam patitur seu proprium crimen suscipere.

Eiusdem. Qui calumniis cito credit,
Aut ipse improbis est moribus,
Aut omnino puerile ingenium habet.

Multis iam maiora accidêre mala à calumniatoribus, quàm ab hostibus: multíq; maioribus & pluribus afficiuntur malis propter aurium infirmitatẽ, quàm ab inimicorum insidiis. Rhegini.

Maleficentius calumnia nihil est:

Clam enim quodammodo cum persuasum deceperit, Cleanthis.

Odium fingit aduersùs eum, qui omnino extra culpam est.

Criminans amicum non approbetur, etiamsi vera dicat. Xenxis.

Cum quidam ei diceret: Amicus clanculum te mordet, & conuitiatur: Hominem, inquit, ne arguito, quoniam idem palam facturus est. Chrysippi.

Idem à quodam improbo multis affectus conuitiis: Optimè, inquit, fecisti, quod nihil eorum quæ in te sunt præterieris.

Idem cum quidam narraret quosdam ipsi obloqui: Atqui ego, inquit, sic vitam degam, vt illis nemo sit crediturus.

Quis non fateatur in omnibus rebus æquabilitatem, & nihil nimium & redundans, iustitiæ opera esse: inæqualitatem verò & nimiam habendi cupiditatem, iniustitiæ? Atqui calũnia in absentes clanculum abutens aliquis, quid est cur auarus & cupidus non censeatur? Quippe qui totum auditorem suum reddat & occupet, eiusque aures obturet, & posteriori sermoni clausas reddat calumnia iam repletas. Liciani.

De adulatione. Sermo II.

VÆ cum de vobis bene loquentur homines. Matt. 5. Luc. 6.
Isti sunt murmuratores, queruli, cupiditatibus suis seruientes, quorumque os superba & tumida loquitur, personas admirantur vtilitatis causa.

Sermones adulatorum molles: isti autem verberant intima viscerum. Salomonis

Reprehendens adulante melior est.

Qui vos beatos prædicant, in errorem vos inducunt, & semitam vestram turbant. Esaiæ 3.

Fugiamus adulationes & blandas assentationes, & insidiosæ vulpis vafriciem ac versutiam. S. Basilij.

Nihil est molestius viris prudentibus, quàm ad opinionem alterius viuere, & quę vulgo placent circumspicere, nec rectam rationem vitæ ducem sequi.

Si me vitiis obnoxium, optimũ existimares, quid me facere oporteret? deterior ne fierem, vt magis tibi placerem? non sic mihi velim cõsulere. Eadem ratione nec si ex virtute viuerem, & tu me labi & peccare putares, virtutis vitam mutarẽ. Non enim tibi magis, quàm mihim et-ipsi viuo. Theologi.

Est enim viri magnanimi amicorum magis libertatem admittere, quàm inimicorũ assentationem.

Longè satius est, paruo dolore illato magnas creare vtilitates, quàm persequendo voluptatem summa rerum mulctare.

Facta rerum in miseriam mutatione auferuntur adulatorum personæ, histrionum chorus patefit, & totius rei simulatio. Aperiuntur omnium ora dicentium: O impurum, ô sceleratũ, ô perquàm sceleratum! An non heri adulabaris, & manus eius exosculabare? Chrysost.

exoſculabare? perſonata erãt omnia: venit tempus, & abieci perſonam, & voluntatem expoſui.

Amicitiæ morbus eſt adulatio.

Principium fortunas magis quàm ipſos principes colit vulgus.

Armaturæ pictæ perſimilis eſt adulatio: propterea quod voluptatẽ habet, ſed omni vtilitate caret.

Ligna dum ignem augent, ab ipſo igni conſumũtur: ſic opulentia quæ adulatores alit, ab iſtis ipſis corrumpitur.

Vt † corui inuolantes cadauerum oculos effodiunt: ſic * adulatores ſuis laudationibus rationem & mentem humanam corrumpunt.

Lepus canem, amicus adulatorem natura hoſtem exiſtimare debet.

Nec vxori meretricem, nec amicitiæ adulationem præponere debemus.

Lætandum magis reprehenſoribus, quam aſſentatoribus: illi enim veluti ſtimulo animos excitant, hi verò gratificantes diſſoluunt & ſubuertunt.

Arte aſſentantes ab iis qui cum beneuolentia te colunt diſcernito, ne ſint apud te meliore conditione mali, quam boni.

Eodem ſunt digni odio aſſentatores & deceptores: vtrique enim fidem ipſis habentes lædunt.

In aſſentatione tanquam in monimento ipſum ſolum nomen amicitiæ inſcriptum eſt.

Interrogatus quæ beſtia peſſimè morderet: Ex feris, inquit, ſycophanta: ex cicuribus, adulator.

Demoſthenes † adulatorem à coruo hoc differre dicebat, quòd ille viuos, hic mortuos vorat.

Antiſthenes dicebat, magis optãdum eſſe in coruos incidere, quam in adulatores: quod illi mortui corpus, hi animum viuentis lanient & corrumpant.

Adoleſcenti opulento multos adulatores pellicienti: Adoleſcens, doleo (inquit) tuã ſolitudinem.

Quemadmodum Actæon à canibus quos ipſe aluerat, interfectus eſt: ſic adulatores eos à quibus aluntur deuorant.

Argue teipſum quiſquis es, nec ad gratiã audias: ſed adulatoribus libertatem adimas.

Gaude magis reprehendentibus, quàm aſſentantibus. Tanquam hoſtibus deteriores auerſare aſſentantes.

Adulatorum beneuolentia, tanquam tergo hoſtibus dato fugit infortunia & res aduerſas.

Corui mortuorum oculos corrumpunt, quum iam eorum nullus eſt vſus: at adulatores viuorum animos perdunt, & animorum oculos excæcant.

Simij iræ comparantur adulatorum minæ.

Approbato eos qui bene conſulere cupiũt, non etiam eos qui vbique adulari ſtudent: illi enim vtile in veritate cernunt, hi verò ea quæ potentibus placent, ſpectant, corporúmque vmbras imitantes omnibus illorum dictis aſſentiuntur.

Caue fallaces adulatorum ſermones: hebetantes enim animi rationes & conſilia rerum veritatem cerni non concedunt: aut enim laudant vituperatione digna, aut ſæpe vituperant quæ ſunt omni laude maiora.

Delphini quouſque vndæ ſubſunt, cum natatoribus natant, ſed in ſiccum non ſe immittunt: Eodem modo adulatores in ſerenitate manent: & qui amicos ad peregrinationem deducunt tantiſper dũ via leuis & plana eſt comitantur: at vbi in aſperam deuenerint, diſcedunt.

Omnium vitiorum turpiſſimum adulationem inuenias licet. Primum enim laudem rem pulcherrimam & iuſtiſſimam corrumpit, vt iam ne ſi vere quidem adhibita fuerit, fidem mereatur: & quod indigniſſimum eſt omnium, virtutis præmia vitio donat, vt ſceleratius facere videantur quàm qui nummos corrumpunt & adulterant. Hi enim ſuſpectos reddunt nummos, illi virtutis fidem labefactant. Dionis. Chryſoſt.

Phocion Antipatro dicere ſolebat: Non potes me & amico & adulatore vti. Phocion.

De diuitiis, paupertate, & auaritia.
Sermo 12.

FAcilius eſt camelum per foramen acus intrare quàm diuitem in regnum cœlorum. Matt. 10. & Lucæ 18. 1 Tim. 6.

Diuitibus huius ſæculi præcipe ne ſuperbè de ſe ſentiant, nec ſpem ponant in diuitiis incertis, ſed in Deo, qui nobis omnia præbet opulentè, quibus fruamur. Iob. 20.

Diuitiæ iniuria coaceruatæ euomentur.

Melior eſt pauper iuſtus, quàm dives mendax.

Pecuniæ obediunt vniuerſa.

Vigilia opulentiæ tabefacit carnes, & ſollicitudo eius ſomnum adimit. Salom. 19.

Diuiti lapſo multi præſtò ſunt adiutores. Enuntiauit arcana & abſoluerunt eum, iuſtúmque pronuntiarunt. Eccle. 10.

Dives locutus eſt, & omnes conticuerũt, ſermonémque eius vſque ad nubes ſuſtulerunt. Sirach. 13.

Paupertas cum veritate quauis voluptate temperantibus precioſior eſt. S. Baſilij.

Non dedecoroſum eſt pauperem eſſe, ſed non ferre æquo animo paupertatem. Homil. 10. de Ira.

Animus auaritia præoccupatus, trutina eſt ad pondus regulæ momentum deferens.

Opibus carenti nil viro ſecurius: Theologi.

Spes ille totas in Deo fixas tenet.

Vtinam pereant diuitiæ, ſi non ſuccurrant pauperibus.

Melior egeſtas improbè partis bonis. εὐεξία.

Vt ſanitate morbus haud laudabili.

Moleſtum quidem eſt pauperie premi, at deterior eſt iniqua abundantia.

O quanta dignitas paupertatis eſt. Dei ſit perſona (*vel Dei ſuſtinet perſonam*) latet in paupertate Deus. Chryſoſt.

Et pauper eſt qui manum protendit, ſed Deus qui recipit.

Vt ex edacitate naſcitur inflammatio, ex inflammatione febris, quam ſæpe mors conſequitur: Sic & à rerum & diuitiarum exuperatione amentia gignitur: vt enim in corporibus inflammatio, ſic & in animo amentia, deinde ex amentia cupiditas earum rerum, quæ non conueniunt, ſequi ſolet. φλεγμονὴ.

Pauca honeſtè habere pluris faciendum, quàm multa inhoneſtè. Gregor. Nyſſ.

Nulla eſt vnquã lucrandi ſatietas: ſed quod ſemper acquiritur & accedit, materia eſt & fomes plus habendi cupiditatis.

Graue quiddam est aurum, leue autem & sublime petens virtus. Si ergo ad superna venire oportet, detrahentibus rebus & impedientibus carere debemus, vt in excelsum collocemur.

Philonis. Diuitiarum pulchritudo non est in crumena, sed in egentium subuentione.

Pecuniarum & possessionum cupiditates tempus consumunt: temporis autem parcum esse pulchrum est.

Didymi. Maiore & diligentiore cura foueto, quos virtutis & pietatis causa scis in paupertatem incidisse, quã aliter paupertate pressos: præterea magis curandi qui ex morbo aut infortunio egentes sunt facti, quàm qui ex maleficio aut luxu.

Nili. Noli ditescere propter cupiditatem benefaciendi pauperibus, nam ex his quę adfuerint Deus iustũ esse sanxit misericordiam impertiri egentibus.

Plutarchi. In bello quidem ad se tuẽdum vtilius est ferrum, quàm aurum: in vita autem ratio diuitiis præstat.

Neque equo sine freno, neq; diuitiis sine ratione & consilio vti tutò possumus.

Talares togæ corpora, diuitiæ nimiæ animos impediunt.

Nec conuiuium sine sermone & colloquio, nec opulentia absque virtute vllam habet voluptatem.

Auarorum vita similis est mortui conuiuio: omnia enim cùm habeat, qui delectetur neminem habet.

Neque à mortuo colloquium, neq; ab auaro beneficium quærendum est.

Apes ad mellis, auari autem ad lucri odorem cõfluunt.

Auaro necis loco est, pecuniarum lucri cupiditas: nam pecuniæ quasi sanguinis adẽptio mortem ipsi affert.

Parant nonnulli in vita, quę ad vitam pertinent, quasi victuri post vitam.

Diuites autem & inexplebiles aqua inter cutem laborantibus similes esse dicebat: hi enim aquis pleni sitiunt, illi pecuniis.

Neque enim equus generosus iudicatur, quòd sit magnifico instructus apparatu, sed quòd egregia natura sit præditus: neque vir bonus creditur quòd multa possideat, sed quòd generoso sit animo.

Contemne eos qui diuitiis student, partis autem vti non possunt: Similiter enim eis accidit, vt si quis egregium comparet equum, cùm sit ipse equitandi imperitus.

Magnanimos existimato, non eos qui maiora sibi assumunt, quàm vt possint retinere & tueri: sed eos, qui mediocritatem sequentes, ea quæ instituerunt, perficere possunt.

Aristotelis. Paupertas multis eget, insatiabilis cupiditas omnibus.

Democr. Omnibus inest quędam perpetua diuitiarum cupiditas: quæ si non acquisitæ fuerint, vexant: sin erunt acquisitæ, sollicitudine & cura torquent: amissæ verò, dolores etiam afferunt maximos.

Neminem vnquam ob diuitias & gloriam beatum existimes: talia enim omnia incertiora sunt: minorique fide deuincta, quàm vt bona censeri debeant.

Non diues, sed diuitiis vtens beatus.

Maximum est in diuitiis, agnoscere quòd superuacuæ sint.

Si non multa concupiscas, pauca etiam multa videbuntur: exigua enim appetentia, paupertatem opulentiæ efficit parem.

Naturalis opulentia panc & aqua, & corporis tegumento non exquisito expletur contenta: superuacanea autem in animo perpetuum habet cupiditatis cruciatum.

Idem interrogatus quemadmodum quis diues fieri possit: Si, inquit, cupiditatum pauper erit.

Quantum est in natura, omnes sumus diuites: sed quantum est in nobis, omnes pauperes sumus.

Qui naturalibus diuitiis contentus est, multo est ditior eo, qui cùm multa possideat, plura tamen concupiscit: illi enim nihil deest, huic plura quàm possideat.

Nimia pecuniæ coaceruatio parentum propter liberos, species & prætextus est auaritiæ, mores innatos ostendens.

Maxima mala effugerunt pauperes, insidias, inuidiam, odium, in quibus diuites quotidie versantur.

Diogenes Cynicus ab aliquo rogatus cur aurum pallidum esset: Quia, inquit, multos habet insidiatores. Diogenis.

Idem Anaximenis seruos conspicatus multa vasa ferentes, cuius ea essent interrogauit. Cum autem illi Anaximenis esse respondissent: An non pudet eum, inquit, tam multa habere, cùm seipsum non habeat?

Vinum cum vasis natura mutatur, diuitiæ cum dominorum moribus. Socratis.

Vt sudor qui ab exercitatione prolicitur, decentior & vtilior est: sic diuitiæ nostris partæ laboribus iucundiores sunt.

Diuitum & prodigorum bona, fico arbori positæ in loco præcipiti & abrupto comparabat, de qua homines nihil accipiant, sed corui & milui: quemadmodum ab illis scorta & adulatores.

Idem interrogatus qui sint auari & pecuniæ studiosi: Qui turpia, inquit, lucra venantur, & necessarios amicos contemnunt.

Auarorum diuitiæ, quemadmodum sol post occasum neminem viuentium iuuant.

O aurum pulcherrima fœlicitas hominibus. Euripidis in Danae.

Nam neq; mater huiusmodi voluptate fruitur.

Non tam liberi hominibus, neque liberis tam charus est pater.

Quod si Venus tales habet oculorum radios,
Non mirum est ipsam infinitos amores alere.

Quemadmodum ornatus equorum, & nidus auium, vt extollantur & gestiant non efficiunt, sed in illo pedum velocitas, auibus alarum: sic homini non ornatus, non delitiæ, sed bonitas & beneficentia gloriam pariunt. Moschiõ.

Si in Persia natus esses', 'non laborares Græciam habitare, sed ibidem fœliciter versari studeres. Cur igitur in paupertate natus contendis ditescere, non in eadem permanens fœliciter vitam degere?

Homo temperans patientia & generositate paupertatem honorans, diuitiis eam reddit honorificentiorem.

Dos magna liberos non efficit meliores.

Continentia

1045 Continentia pietatis est fundamẽtum: cupiditas habendi, auaritiæ initium: ex auaritia autem & studio pecuniæ nascitur iniustitia.

Gloriæ & diuitiarum sine prudentia parum tuta possessio est.

Naturaliter pauperem esse, turpe non est: sed ob turpem causam pauperem esse, probrosum est.

Stulti mortales improbos pecuniosos colunt & admirantur: bonos autem, damnata eorum inopia contemnunt.

Animam decet habere diuitem, pecuniæ verò istæ nihil sunt aliud quam ostentatio, & externus ornatus vitæ.

Beatus est ille, qui opes & mentem habet.

Is enim honeste & vbi decet, eis vtitur.

Quisquis auro manum subiicit, etsi nõ fateatur, propositum habet malum.

Nunquam eum fœlicem iudicaui,
Qui valde diues suis rebus frui non solet.

Dicis, sed quæ dicis lucri causa dicis.

Nulla est maior in vita calamitas paupertate.

Nam licet sis natura bonus, tamẽ ridiculus eris.

Præstat honestè pauperem esse, quam diuitem inhonestè: illud enim misericordia: hoc reprehensione dignum est:

Bæotus amplius septuaginta annos natus cum in thesaurum incidisset, sublato crure contempsit & præteriit quasi iam nihil ad se pertinentem.

Quemadmodum ex his qui idem vinum biberint, alij bacchantur & furiunt, alij mitiores reddutur: sic etiam qui pares habent diuitias, non pariter tamen afficiuntur.

Bion eos esse deridendos putabat, qui eius generis diuitiis studeant quas fortuna largitur, illiberalitas seruat, benignitas aufert.

Non frustra te Plute colunt, venerantur & omnes:
Nanque tibi facile est, non leue ferre malum.
Haud aueo diues fieri nec multa requiro.
Absque malo paucis viuere sufficiet.
Editus in lucem nudus sum, nudus abibo.
Quid frustra sudo funera nuda videns?

Simonides interrogatus vtrum magis expetendum, diuitiæ an sapientia: Nescio, inquit, video tamen sapientes diuitum ianuas frequentare.

Aristides cognomento iustus, cùm quidam ei diues paupertatem exprobraret. Mihi, inquit, paupertas nihil mali videndum præbebit, tibi autem diuitiæ turbas non paucas.

Cum vituperaretur quod eum multos rhetoricari docuisset, ipse egeret: Atqui, inquit, diteſcere non docui eos, neque pecuniæ studere.

Crœsi quidem & Cyri thesauros tanquam extremæ paupertati obnoxios damnabimus: vnum autem solum diuitem credimus sapiẽtem, vt qui possit vbique tantum reperire quantum indigentia postulat.

Paupertatẽ per se doctam philosophiã esse dicebat: quæ enim hæc verbo suadet, illa opere cogit.

Multorum malorum tegumẽtum est opulentia.

Idem diuitem & indoctum sordes inargentatas esse dicebat.

Etiamsi fueris terræ decem millium cubitorum dominus, mortuus tamen eris trium aut quatuor.

Sunt quidam qui nõ in hac præsenti vita viuunt, sed magno studio præparant quasi alteram vitam sint acturi, non hanc præsentem.

Non vt calceamentum maius inutile est, sic & possessio maior: illud enim dum vtimur, impedimento est: hac autem vel tota vti licet tempestiuè. Ex Aristip. sententiis.

Demosthenes cùm animaduertisset auarũ quendam efferri: Iste, inquit, cùm vitam non vitalem vixerit, aliis vitam reliquit. (*Βίος, Græcis & vitam & victum significat.*) Demosth.

Damnum lucro turpi magis expetendum: illud enim semel molestum erit, hoc verò semper.

Diuitum multos dicebat esse procuratores, non autem pecuniarum dominos. Democriti aliâs, Theocriti

† Qui corpus curat, is non rem suam, sed seipsum curat: qui autem pecunias, neque se ipse nec sua curat, sed quàm longissimè à suis abest. † Platonis.

Si nemo acciperet, nullus improbus esset: Diphili.
Auaritia hoc est, quando ius & æquitatem
Spectare desistens, lucri perpetuo seruus es.

Anacreon cũ dono accepisset à Polycrate quinque talenta sollicitúsq; fuisset propter illa duas noctes, ea reddidit, dicens non se ea æstimare prẽtio sollicitudinis, qua ipsorum causa solicitaretur. Anacreon.

Duabus de causis bona tua in pretio habeto: tum vt magnum damnum dissoluere, aut magnã iacturam resarcire possis, tum vt amico bono in miseriis versanti subuenias: ad reliquam verò vitam incertam, non admodum, sed mediocriter æstimanda sunt. Præsentibus contentus esto, & † meliora quærito. Isocratis. † Alias futura.

AD SERM. 12. ANNOT.

Theol. opibus carenti.] *Ex tetrast. 32 πένητος ἀνδρὸς ἄδην ἀσφαλέστερον. Simile illud Diphili Comici πένητος ἀνδρὸς ἄδην εὐτυχέστερον, opibus carenti nil viro fœlicius.*

Chrysost. Vt ex edacitate. sic amentia.] *Rectius fortasse vertas* sic & à rerum & diuitiarum copia superbia ingeneratur. *καὶ ἀπὸ τῆ πλήθη ὑπερβολῆς ἀπόνοια γίνεται. Nam & ita hom. 17. in c. 10. ad Rom. idem ait, Multitudo famulorum, vehicula argento conspicua, aliáque istis vaniora solius vanæ gloriæ gratia fiunt.*

Euripidis ô aurum.] *Reperitur & apud Athenagoram legat. pro Christianis hæc sententia vbi ὦ χρυσὲ ἀξίωμα καλλιστον, legitur non vt hîc ὦ χρυσὲ δεξίωμα κάλλιστον. itéque apud Athenæum & Stobæum.*

Seneca Philosophus eam totidem senariis reddit Epist. 115.

Pecunia ingens generis humani bonum.
Cui non voluptas matris, aut blandæ potest
Par esse prolis, non sacer meritis parens.
Tam dulce si quid veneris in vultu micat,
Meritò illa amores cœlitum atque hominum mouet.
Idémque videtur hæc tribuere personæ Bellerophontis.

De virtute qua quis rebus suis contentus est,
Sermo, 13.

NOlite, inquit dominus, soliciti esse animæ vestræ, quid edatis, neque corpori quæ induamini. Matth. 6.

Ego didici iis quæ mihi adsunt, contentus esse: noui & in humilitate viuere, noui & in rerum magna copia versari: in omnibus rebus institutus sum, & saturari & esurire, & copia vti & inopia: omnia possum per Christum qui me corroborat. Philip. 4. d

Salom. 30. Nec diuitias, nec paupertatem mihi dederis domine: sed mihi constitue quæ decet, quæque satis sint, vt ne impletus mẽdax fiam ac dicam: Quis me videt? aut in paupertatẽ redactus furer, & diuinum nomen iurem.

Sirach. Vita quæ seipsa contenta est, in operario dulcis & iucunda erit.

Sirach. 31. Somnus sanitatis in intestinis moderatis.

S. Basilij. Vis illa, qua animal regitur, mediocritatem quæ satis sit facilè concoquit, & corpori nutriendo assimulat. Luxu autem & ciborum varietate obrupta, vbi demum resistere nequit, varia morborum genera producit.

Theologi. Honestè pauca habere maius & pretiosius est, quàm multa inhonestè.

Chrysost. Dives est, non qui multa possidet, sed qui non multis indiget.

Ad vsum & necessitatem non ad voluptatem vitæ modus datus est: deposito igitur superuacaneo, quod necessarium est tantum amplectamur.

Nili. Modus possessionis est necessitas corporis, quem transire immodestia est, non amplius necessitas.

Vt enim tunica ad corporis modulum aptata, vsui est & ornamento: quę autem vndique diffluit & pedibus implicatur, & humi trahitur indecorè ad omnem actionem impedimento est: sic possessio quæ vsum necessarium corporis excedit, virtutem impedit, multúmq; ab iis qui rerum naturam scrutantur, vituperatur & condemnatur.

In necessitatis terminis manere honestum est, & ne eos transiliamus omnibus viribus contendere. Si quis enim vel paululum cupiditate ductus ad vitæ voluptates traducatur, nullus potest inhibere in posterum quo minus progrediatur in instituto longiùs.

Clementis. Sobrietatis & mediocritatis amatores, luxum & sumptus profusiores tanquam animi & corporis morbum deuitant.

Rerum necessariarum possessio & vsus, non qualitatem habet noxiam, sed quæ modũ transit, quantitatem.

Philonis. Vir bonus & paucis egens, in mortis & naturæ mortalis confinio quodam est. Nam indiget quidem, propter mortale corpus: sed non multis, propter animum immortalitatis appetentem.

Democrit. Contentis frugali victu nulla vnquam nox longa aut molesta esse potest.

Debemus nos assuefacere, vt paucis contenti viuamus, vt nihil turpe pecuniæ causa discamus.

Socratis. Interrogatus à quodam, quis ei ditissimus videretur: Qui, inquit, minimis contentus est: nam contentum esse, naturæ continet diuitias.

Quasi ad viam vitæ non magni prætij viaticum, sed quod est magis necessarium componito.

Moschion. Præstat in tenui re se contrahentem, cum animi tranquillitate versari quàm in summis opibus cum infortunio & miseria.

Alexandri. Cum quidam ex numero amicorum, qui summè beneuoli videbãtur, ei diceret, Ciuitates subiectas maiora posse pendere tributa, respondit:

Olitorem odi, qui radicitus euellit olera.

Democrit. Ex sententiis Epicte. & Isocr. Sumptuosam mensam apponit fortuna: quæ satis sit, temperantia.

Frugalitas sicut via breuis & delectabilis, gratiam quidem habet magnam, laborem verò exiguum.

Obualla te-ipsum virtute, quę seipsa contẽta est: hæc enim arx difficilis est expugnatu.

Idem interrogatus quis esset in hominibus diues: Qui, inquit, contentus est.

Xanthipp. Cum Xanthippe Socratem virum suum increparet, quod tenuiter se ad amicos accipiendos præpararet, dixit: Si nostri fuerint, nihil curabunt: sin alieni, nos de ipsis nihil curabimus.

De precatione, Sermo 14.

Matt. 6. PRecantes, ne sitis multiloqui, vt solent ethnici, qui existimant se in suo multiloquio exaudiri iri, ne sitis igitur illis similes: scit enim pater vester quibus sit vobis opus, antequam ab ipso petatis.

Iacob. 5. Affligitur quis inter vos? precetur: alacer est quis? psallat: ægrotat quis inter vos? accersat presbyteros ecclesiæ, qui super eum precentur, & oleo vngant in nomine Domini: & precatio fidei ægrotum seruabit, eumq; excitabit Dominus: & si peccata admiserit, remittentur ei.

Salomon. Impiorum sacrificia execratur dominus, precationes autem rectorum apud eum sunt acceptæ.

Sirach. Ne sis paruo animo in precatione tua.

Non moreris quin votum reddas tempestiuè.

S. Basilij. in Psal. 114. Auditus diuinus ad audiendum voce non eget: nouit enim etiam in cordis motu quæ petuntur dignoscere. An non audis Mosem nulla voce emissa, sed tacitis suspiriis cum domino colloquentem exauditum esse à Domino respondente, quid clamas ad me? honestarum autem actionum præsentia magna vox est apud Deum.

Theologi. Cauendum est ne in oratione nostra ob minutas quasdam petitiones & largitore indignas arguamur.

Chrysost. Magna quædam res est & vtilis precatio, si mente grata fiat, si ad gratias Deo agendas instituamur, non solum cum aliquid accipimus, sed & cum repulsam ferimus. Interdum enim dat, interdum etiam non dat, vtrumque vtiliter: vt siue accipias, siue non accipias, aliquid tamen receperis in nihil recipiendo: vtq; impetraris, siue impetres siue non impetres in non impetrando: est enim interdum non accipere vtilius: nisi enim vtile nobis esset aliquando non accipere, omnino dedisset: vtiliter autem re aliqua excidere, assequi est.

Cum ex puris labris exit deprecatio, & ex corde non simulato, peruenit ad aurem Domini adulatores respuentem.

Cum in precibus aliquid à domino petimus, statim deficere non debemus, sed repulsæ continuationem ipsius precationis continuatione euincere.

In dilationibus & procrastinationibus Dei donorum ne defatigemur, nec animis deficiamus.

Sæpe enim eam quæ videtur dilationem, ad fidei exercitationem adhibet & protrahit.

Optimum est perpetuò per precationem cum Deo colloqui. Si enim boni viri congressus & colloquium meliorem reddit colloquentem, quanto magis diuinum colloquium quod dies noctésque perpetuatur?

Sæpenumero Deus differt, quæ petimus dare: non quia velit nos † præterire, sed vt cunctatione προτρέπεται protrahens donandi,

donandi, assiduitatem orandi perpetuam doceat. Sic enim & liberorum amentes patres in liberos negligẽtes se gerunt, quos ad lusus pueriles currentes sæpe magnis promissis apud se retinent.

Cùm hominum auxilia requirimus, sumptibus & pecunia nobis est opus, & adulatione seruili, multaq; ambitione & negotiosa tractatione: non enim recta ipsis dominis munus dare licet, aut colloqui, sed necesse est prius ministros & domus præfectos ipsorum & procuratores pecuniis & verbis conciliare, & colere omnibus modis, ac tum demum istorum opera, quod petis impetrare. At cum Deo non ita se res habet: non enim eget conciliatoribus, propter eos qui aliquid petunt: neque sic per alios rogatus vt per nosipsos qui egemus annuit votis.

Greg. Nyss. Sat vocalis est illa vox, & vsque ad diuinum auditum perueniens, non clamosa, & cum contentione missa, sed ex pura conscientia cogitatio excitata.

Qui orationis tempore non ad ea quæ sunt animæ vtilia intentus, sed ad vitiosos animi motus, petit vt Deus eodem modo afficiatur, & petitionibus talibus annuat, is verè nugator est delyrus, & loquax ineptè, verborum funditator, blatero, & siquid aliud est huius significatus.

Basilij. Primum pro communi salute precãdum est, deinde pro nobisipsis.

Vt auiculæ alarum motu in sublime tolluntur, & aëreæ fiunt: sic & vir pius & deum colẽs à terrestribus ad cœlestia per precationẽ semet-ipsũ trãsfert.

Si malè & inutiliter aliquid petas, quemadmodũ qui febricitat, suppliciter petit sibi dari vinum: Deus, qui futura prouidet, tuæ non paret voluntati, neque dat quæ sine ratione petis.

Diuitias in precatione ne petas, nec sanitatẽ, nec inimicorum vltionem, nec humanam gloriam: sed ea tantum quæ ad animæ salutem pertinent.

Quemadmodum respirare nunquam est intempestiuum: Sic neque postulare à domino petitiones mysticas vsque ad extremum spiritum.

Cùm pro bono aliquo obsecras Deum, nec statim audiris ab illo, non tamen rem negligas aut desperes: Sæpe quod eo tempore petis, nihil tibi prodesset si concederetur.

Aristotelis. Precantem prudentem esse oportet, ne quid mali imprudens sibimetipsi precetur.

Alexand. Alexander rex cùm sibi multa de matre scripsisset Antipater: Ignoras, inquit, Antipater matris vnam lachrymam multarum calumniarum epistolam deleturam esse.

Epicur. Si hominum preces Deus sequeretur, citò homines perirent omnes. Nam subinde multa & acerba alij in alios precantur.

Ex sententiis Epicteti & Isocratis.

Tum meliores fiunt homines, cum ad Deum accedunt: Illa autem Deo similia habent, beneficia præstare & vera dicere.

Thalis. Is cum aliquando vna cum impiis quibusdam nauigio veheretur, magnaque tempestas excitata esset, & illi deos inuocarẽt: Silete, inquit, ne sentiant vos hîc nauigare.

Eos qui à diis meliorem peterent mentem, ne se ipsi emendarent, stultos & hebetes esse dicebat: non enim pictorem precari à diis, vt lineam dent & elegantem colorẽ, nisi artem discat: neque vllam esse musicam propter preces & optata, nisi quæ musices sunt discantur. Eodem modo ne prudentem quidem vllum vnquam euadere precando, nisi earum rerum disciplinam colat.

De doctrina & sermone,

Sermo. XV.

VErè dico vobis, quisquis fecerit & docuerit, is magnus vocabitur in regno cœlorum. Matt. 5.

Sit omnis homo velox ad audiedum, & tardus ad loquendum. Quod si quis in sermone non labitur, hic perfectus, est, qui possit etiam totum corpus frenare & regere. Iacob. 1.

In aures insipientis nihil dicito, ne tuos irrideat sermones prudentiæ plenos.

Narratio stulti est quasi fascis in via: in labiis autem eius inuenietur gratia. Sirach. 21.

Ne contemnas sapientium narrationes, & in prouerbiis eorum verseris.

Cauendum est ne verborum nimia multitudine ea reddamus inutilia, quæ magno labore à nobis collecta sunt: mens enim fatigata debiliórque, quàm vt omnia possit simul complecti, eodem modo afficitur, quo venter qui propter nimiam saturitatem non possit cibos commissos concoquere. S. Basilij.

Infecta verba muta vincit actio. Theologi.
Nemo absque vita magnus vnquam vir fuit: Tetrast. 6.
At absque verbis plurimi mulcentibus.
Vel ne doceto, vel doceto moribus. Tetrast. 4.

Dicere quæ decet, minoris æstimandum est, quàm audire (*Græcum exemplar ita corruptum est, vt possis etiam contrarium interpretari.*)

Tum discipuli vtiliter æmulantur, cùm à magistris præclara habent exempla. Chrysost.

Superuacanea est omnis oratio ad correctionem quum ad deterius auditorum propendens voluntas & studium, consultorum dictis aduersatur. Nili.

Tum aliquid perficit, & dicendo facit doctor, cũ ex iis quæ ipse agit, docet: secundùm hæc verba: quemadmodum cœpit Iesu facere & docere. Didymi.

Vt corpora modicis laboribus augescunt: sic animus honestis & seriis sermonibus.

Demosth. vel, Democriti. Vt in speculis vultus figura, sic in colloquiis animi character cernitur.

Clitarchi. In conuentu primo loco dicere ne contendas: nam post alios multos facilius, quæ vtilia sint, cernere poteris.

Moschion. Trifariam nobiscum colloquentem considerare debemus, aut vt præstantiorem, aut inferiorem, aut æqualem: quod si præstantior fuerit, audi, & pare: si deterior, ne pare: si æqualis, assentire.

Demonac. Oratio quasi bonus figulus animi formam effingit & profert.

Hirundines serenitatem nobis futuram præsagiunt, sermones philosophici indolentiam & doloris vacuitatem.

Solonis. Quantum potest in bello ferrum, tantum in republica commoda valet oratio.

Idem orationẽ operum simulachrũ esse dicebat.

Oratores vt bene dicerent, studere dicebat: at vt bene facerent, nullo modo.

Diogenis. Cùm Atticus quidam accusaret eum, ac per-

cunctaretur: Cur Lacedæmonios laudans non magis apud illos habitas? quia medicus, inquit, qui sanitatis effector est, cum valentibus non versatur.

Eteoclis. Non dicentis facultatem, sed rei naturam perpendendum esse dicebat.

Socratis. Aut quàm minimum cum potentibus, aut quàm iucundissimè colloquendum.

† Μὴ κεχατῶν. Non ex verbis res, sed ex rebus verba sunt †tenenda: non enim propter verba res perficiuntur, sed ex rebus verba.

Menandri. Odi malum, cum verbum dixerit bonum.

Epicharmi. Aures tuas omnibus ne patefacito sermonibus: malus enim sermo malarum actionum dux est.

Mores dicentis persuadeant, non oratio.

Herodoti. Æquale illud à me iudicatur, recte sapere, & vtilia monenti velle parêre.

Nam benedicere graue est, si aliquod afferat detrimentum.

Pythagoræ. Potius lapidem iacere debes temere, quàm verbum ociosum.

Anagoræ. An agoras cum Thebaidos librum apud Bœotos recitaret, nec quisquam recitanti applauderet plicato volumine: Merito, inquit, vocamini Bœoti, quia boum habetis aures.

Hieronis. †ἀκρόασιν πωιύμδνος. Hic † facta sibi audientia, tria sibi proposita esse dicebat, intelligentes iuuare, imperitos docere, inu dos afficere dolore.

Cenopi. i Qualis cuiusque esset natura, talem esse decet orationem.

Romuli. Hic fictile sono & percussu, hominem sermone explorandum esse dicebat.

De admonitione, Sermo. XVI.

Ioan.5. DIxit dominus paralytico, Ecce sanus factus es, posthac ne peccato, ne quid tibi deterius contingat.

1. Thess.5. Obsecramus vos fratres, vt admoneatis immoderatè se gerentes, consolemini paruo præditos animo, & infirmos sustentetis: & semper quod bonum est & honestum, persequamini.

Salomonis Idcirco labentes & impingentes, paulatim reprehendis domine, & in his quæ peccant admones & castigas, vt vitio liberati tibi fidant, & spem in te ponant.

Sirach.18. Misericordia Domini super vniuersam carnem reprehendens, & admonens, & conuertens tanquam pastor gregem suum.

S. Basilij. orat.6. de Institutione. Violenta disciplina nõ solet esse permanens: quæ autem voluptate & gratia temperata est, constantius & diutius quodammodo in animis nostris insidet.

Qui iacentem erigere vult, vt lapso sit altior, necesse est omnino: qui autem æquè ac alter lapsus iacet, hic etiam erigentis eget auxilio.

Theologi. Neque tristitia consolationem non recipere, neque secunda fortuna castigatione carere debet.

Chrysost. Ne aggrediamur aliis mederi, ipsi scatentes vlceribus.

Vtile est peccantes verborum dolore morderi, vt rerum turpitudine possint liberari.

Admonitiones non sunt grauiter ferendæ. Si enim ægrè ferre deceret, me deceret, qui sæpe dico & non audior: non vos, qui semper auditis, sed nunquam obeditis.

Aristotelis. Admoneri tanti faciendum est, quanti laudari.

Senem monere, ac mortuo mederi, idem est. Diogenis.

Cum quidam interrogaret, quo tandem modo aliquis sibi præceptor fieri posset: Demosthe.

Si, inquit, quæ in aliis reprehendit, in se maxime reprehendat.

De quibus enim amici non audent admonere reges, ea in libris perscripta reperiuntur. Demetrij Phalerei.

Quemadmodum mel exulceratas partes mordet, sanis autem iucundum est: sic accidit etiam sermonibus philosophorum.

Omnes sumus ad monendum docti, Euripidis.
Ipsi verò cum delinquimus non sentimus.

Æsopus dicebat binis quemque nostrûm gestare manticas, vnam ante, alteram retro: atque in anteriorem aliorum ponere vitia, in posteriorem nostra, ideoq; à nobis non videri. Æsopi.

Monitor illud in primis curare debet, vt eorũ, qui monendi erunt, pudori consulat & verecundiæ: qui enim pudore non afficiuntur, corrigi nullo modo possunt. Epicteti.

Melius est monere, quàm conuitium facere: illud enim lenitatis & amicitiæ plenum, hoc verò acerbum & contumelioſum est: illud item peccantem corrigit, hoc solum redarguit.

Interrogatus cur cum malè audiret tam indignãter ferret maledicta: Quia, inquit, ne laudationes quidem mihi iucundæ forent, nisi maledicta molesta essent. Empedoc.

Malis actionibus neque adesto, neque patrocinator. Videberis enim & ipse talia facere, si aliis facientibus opituleris. Isocratis.

Ad serm. XVI. annot.

Theol. Neque tristitia.] *Hæc sententia est ex orat. ad ciues Nazianzenos, quam vide integram ex eo depromptam annotat. in serm. lxx Antonij priori parte Melissæ.*

Chrysost. Ne aggrediamur.] *alludit ad illud antiqui poetæ carmen quod in prouerbium abijt, Alijs medetur ipse qui vlceribus scatet. refertur à Plutarcho lib. de discrimine adultat. & alibi sæpe.*

Eurip. Omnes sumus.] *Refertur hæc sententia inter eas, quæ ex veterum Comicorum naufragio collectæ sunt, & Menandro non Euripidi tribuitur. Sic eam potes senario latino exprimere.*

Alios monentes sapimus omnes. ast vbi.
Peccamus ipsi, nostra non cognoscimus.

De eruditione & Philosophia, Sermo. XVII.

Ioan.7. ASscendit Iesus in templum, & docuit turbas: mirabantur autem Iudæi, dicentes:

Quomodo hic literas nouit, cum non didicerit?

Apostoli. Si quis videtur sapiens esse inter vos in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi, apud Deum stultitia est.

Salomonis. Sapientia in viis clamat, & in plateis liberè agit.

Nihil est quo permutari possit animus eruditus.

Sirach.6. Fili, in iuuentute tua collige eruditionem, & tanquam qui arat & seminat colito eam, & fructus eius bonos expecta.

S. Basilij Melius & vtilius est idiotam & imperitũ, & per charitatem Deo proximum esse, quàm cum multa scientia & peritia maledicum in Dominum suum

ſuum deprehendi.

Similes ſunt noctuæ oculis, qui in philoſophia inani ſunt occupati: propterea quod noctu illius oculi acriter cernunt, ſole autem ſplendente perobſcurè. Horum etiam mens ad rerum inanium contemplationem acutiſſima eſt: at ad veri luminis conſiderationem hebetiſſima, & caliginoſiſſima.

Iuſtitiæ arma parate, nec mortis inſtrumentum quærite.

Vt terra non rigata pluuiis, etiamſi infinita ſuſceperit ſemina, ſpicas proferre non poteſt: ſic animus diuinis ſcripturis non illuminatus, etiamſi quis innumera verba apud eum effundat, fructum nullum proferre poteſt.

Verſari debemus in ſcripturis diuinis. Vt vinum ſedat dolorem, & cor ex triſtitia transfert ad lætitiam: ſic ſpirituale vinum gaudio perfundit animum.

Scire ſe ignarum eſſe, ſapientiæ eſt: ſe iniuſtè feciſſe non ignorare, iuſtitiæ eſt.

Diuitiæ cupidum nulla afficiunt lætitia: doctrinæ cupidum, nec inopia deprimit.

Quippe virtus & ſapientia eum extollit & ſupra diuitias collocat.

Aurigæ imperitia & vitio neceſſe eſt iumenta per præceps agi & barathra: & contra, peritia eius & virtute conſeruari.

Magna prius quàm parua diſci nullo modo poſſunt.

Scientiam actiones ſequuntur, vt corpus vmbra.

Somno ſimilis eſt indoctorum vita, inanes habens opiniones.

Neque in piſcibus vox, neque in doctis virtus quærenda eſt.

Neque aquam turbidam, neque indoctum animum commouere debemus.

Indocti moroſi cum ſint, quaſi ex ædibus, ſic de ſuis inſtitutis quotidie migrant.

Vt peregrini in viis, ſic indocti in rebus ipſis aberrant.

Scientia quæuis, iuſtitia & aliis virtutibus vacans, verſutia non ſapientia videtur.

Vt videmus apem omnibus floribus inſidentem à ſingulis quod vtile ſit, accipere: ſic & doctrinæ cupidos nihil non attingere, & vndique vtilia quæ ſint, colligere.

Diligentius verborum quàm pecuniarum depoſita ſeruato.

Beatitudo in poſſeſſione multarum rerum ponẽda non eſt, ſed in animo bene conſtituto: neque enim quiſquam corpus beatum dicat, quod ſplendidis ſit ornatum veſtimentis, ſed quod ſanum ſit & optimè conſtitutum, etiamſi nihil eorum quæ ante dicta ſunt, adſit. Eodem modo & animus ſi fuerit bene inſtitutus: & homo beatus eſt dicendus, non ſi rebus externis ſplendidus ornatúſque fuerit, cùm ipſe ſit nihil homo: non enim equum, ſi ornamenta habeat aurea & pretioſa magni æſtimamus, cum ſit ignauus: ſed qui optimè eſt corpore conſtituto, hunc maxime laudare ſolemus. quemadmodum enim ſi quis ſuis vernis dominus deterior ſit, ridiculus eſſe ſolet: ſic eos miſeros iudicamus, quibus contigit vt ſe-ipſis maiores haberent opes.

A Hic ſcientiæ radices amaras eſſe dicebat, fructus verò dulces. Demoſth.

Scientia fortunatis quidem eſt ornamentum: infortunatis eſt perfugium. Democri.

Vrbes †donariis, animi autem diſciplinis ornandi. Socrat. † ἀναθήμασι.

Diuitem quendam indoctum conſpicatus: Ecce, inquit, aureum mancipium.

Idem interrogatus quod eſſet animalium pulcherrimum: Homo, inquit, ornatus doctrina.

Cum quidam eum per conuitium barbarum vocaret: Ego, inquit, ſermone ſum barbarus, vos autem moribus.

Idem rogatus quænam optima eſſet diſciplina:
B Dediſcere mala, reſpondit.

Indocti tanquam piſces capti, dum trahuntur, ſilent. Demonactis.

Rogatus quod onus terra grauiſſimum ſuſtineret? Indoctum hominem, inquit. Diogenis.

Ariſtippus Cyrenaicus philoſophus adoleſcentes hortari ſolebat, vt talia ſibi viatica quærerent, quæ cum ipſis naufragio facto enatare poſſent. Ariſtip.

Cum vituperaretur aliquando, quod lite ſibi intenta oratorẽ adhiberet: Etenim, inquit, quum cœnam paro, coquum conduco. Solonis.

Cleanthes ſola forma indoctos à beſtiis differre dicebat. Cleanthis.

C Glycon ſapiens doctrinam ſacrum aſylum eſſe dicebat. Glycon.

Empedocles phyſicus cùm quidam ſe neminem ſapientem inuenire poſſe diceret: Empedoc.

Merito, inquit: qui enim quærat ſapientem, cum prius oportet eſſe ſapientem.

Theocritus Chius cum malus quidam poëta recitatis carminibus eum rogaret, quæ ſibi viderentur bene dicta: Quæ, inquit, prætermiſiſti. Theocriti.

Hieron Siculus tyrannus, cum Xenophantes Colophonius poëta Homerum vituperaret, quot famulos haberet, interrogauit: cumque is ſe duos habere reſpondiſſet, coſq; vix alere poſſe: tum
D tyrannus, Non te pudet, inquit, Homerum vituperare, qui defunctus etiam amplius quàm decem milia nutrit? Hieronis.

Philoſophus quidam cum duos haberet diſcipulos: alterum hebetem, ſed laborioſum: alterum ingenioſum, ſed deſidem & pigrum: Ambo, inquit, male pereatis: quia tu cum velis, non potes: tu vero cum poſſis, non-vis.

Idem dicebat magiſtros à diſcipulis magnam mercedem exigere debere: ab ingenioſis quidem quòd multa diſcant: ab hebetibus, quòd multum moleſtiæ exhibeant.

Idem interrogatus, quid eſſet à philoſophia adiutus, reſpondit: Vt libenter & iniuſſus faciam,
E quæ cæteri legum metu faciunt.

Maiorem curam adhibe in diſciplinis, quàm in pecuniis adipiſcendis: diſciplinæ enim pecunias ſuppeditant. Philiſtion.

In dolendo condoleſcere diſcito.

Nam & tibi alius condoleſcet, qui aliquando doluerit.

Seria meditator, nec pudeat, ſi quid adulta ætate diſcas.

Melius eſt enim ſerò diſcere quàm nunquam.

Agricola terram, philoſophans animum excolit.

Ex Democrate, Isocrate & Epicteto.

Scientiæ sicut auri magna vbique æstimatio est.

Sapientiam exercens, scientiam de rebus diuinis exercet.

Nullum est animal homine doctrina ornato pulchrius.

Vrbibus mœnia, animis autem mens erudita ornamentum & tutelam præbet.

Cùm adolescens quidam in theatro gloriaretur, ac diceret se sapientem esse, multis vsum sapientibus. Et ego (inquit quidam) multis vsus sum diuitibus, sed diues non sum.

Idem dicebat, honestum non esse doctum cum indoctis colloqui, sicut nec sobrium cum ebriis. B

Idem dicebat, eum qui instituitur & eruditur tribus his egere, natura, exercitatione, tempore.

Oenopides cùm adolescentulum multos libros ementem videret: Non arcæ, inquit, sed pectori.

Oenopidis.

Idem dicebat doctorum libros esse † commentaria, indoctorum vero † monimenta.

† ὑπομνήματα. † μνήματα.

Idem dicebat, mentem esse † genium, eruditis bonum, ineruditis malum.

† παρεῖναι. δαίμονα.

Socrates rogatus, quid iucundissimum foret in vita: Scientia, inquit, & virtus, & eorum quæ ignorantur, cognitio.

Socrat.

Stilpo Megaricus philosophus, patria eius à Demetrio tyranno capta & direpta, ductus ad regem C interrogatúsque an quicquam ipse etiam amisisset: De meo nihil, inquit: rationem enim & eruditionem habeo: cætera cur mea magis sint, quàm obsidentium?

Stilponis.

Idem cùm à Demetrio direpta vrbe sic rogaretur, Num quid tuarum rerum tibi ablatum est, Stilpo? Nihil, inquit,

Non armenta mihi quisquã mea abegit, equóue.

Et alioqui nullum vidi militem qui virtutem humeris sublatam auferret.

Protagoræ.

Protagoras neque artem sine exercitatione, neque exercitationem sine arte quicquam esse dicebat.

Lasi.

Lasus Hermeneus aliquando quid esset sapientissimum interrogatus: Experientia, inquit.

Idem cùm malus quidam pictor ei dixisset, Tectorio domum tuam dealbato, vt eam pingam: Imo verò, inquit, prius tu pingas, vt ego postea eam dealbem.

Epicuri.

Non est simulatè philosophandum, sed verè: non enim opus habemus vt valere videamur, sed vt reuera valeamus.

Idem cùm rogaretur, quis eius fuisset præceptor, Athenienſium, inquit, tribunal: significans rerum actionem omni sophistica disciplina præstantiorem.

AD SERM. XVII. ANNOT.

Theol. Iustitiæ arma.] *Græcè Maximus ita ποιήσατε δικαιοσύνης ὅπλον, χαὶ μὴ θανάτου, τῷ παιδεύσιν. Locus est ex oratione Gregorij ix ad Iulianum exæquatorem, quo admonet eos qui literis operam dant.* Curate vt doctrina, non mortis, sed iustitiæ vobis instrumentum sit.

Oenopidis. Idem dicebat mentem.] *Græca ita cum Gesn. legenda. ὁ αὐτὸς ἔφη τὸν νοῦν τὸν δαίμονα, τοῖς μὲν πεπαιδευμένοις ἀγαθὸν, τοῖς δὲ ἀπαιδεύτοις*

A *κακὸν εἶναι.* Idē dicebat mentem esse genium, *siue fortunam*, auctorem & causſam bonorum eruditis, malorum indoctis.

De fœlicitate & infœlicitate,
Sermo. XVIII.

RECepisti tu tua bona in vita, & Lazarus similiter mala. Nunc verò hic consolationem habet, tu cruciaris. Luc. 16.

Ad hanc vsque horam & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & incertis vagamur sedibus, opus manibus facientes. 1. Cor. 4.

Prosperis rebus nostri dolent inimici, at in aduersis etiam amicus disiungitur, & recedit. B Sirach. 12.

Memento famis tempore, saturitatis: & mendicitatis ac egestatis, diuitiarum tempore: mutatur tempus à matutino vsque ad vesperam. Sirach. 18.

Ne æmuleris gloriam sceleratorum.

Vt te fata volunt, sic fertor: sin minus, ipse S. Basilij. Theologi. monostich.
Mœrorem quæres, fatáq; te rapient.
Cursu in secundo fac procellæ sis memor.

Quis scire possit an hic propter vitia puniatur, & ille quasi extollendus tollatur in altum: aut contra, hic propter improbitatem efferatur, ille propter virtutem probretur?

Illud certò persuasi tenere debemus, nobis vtiliter omnia à Deo administrari, modum autem non C esse quærẽdum quo id fiat: nec si ignoremus, ægre ferre aut tristari debemus: nec enim fieri potest, vt hæc sciamus, nec scire quicquam prodest: tum quia mortales sumus, tum quia citò ad fastum extollimur. Chrysost.

Non decet propter vllum casum & delictum cuiusquam animo efferri, nec lætari si quis alterius fraude sit prostratus, etiam si capitalis hostis esse videatur. Nili.

Lamentare improbum fælicitate fruentem: gladius enim iudicij ei intentatur.

Cur iusti infirmi sunt & egestate premuntur: iniusti autem euehuntur, & diuites sunt? Mea sic est D sententia, vt illi coronentur, hi verò perpetuò crucientur.

Omnibus tuis rebus ex sententia tua procedentibus expecta mutationem. Et rursus, si quando inexpectatis calamitatibus affectus fueris, meliora & iucundiora tibi promitte.

Lætari alienis calamitatibus etiamsi aliquando æquum videri possit, at non humanum. Philonis.

Vt ægrotum nihil iuuat mensa aureis prædita pedibus: sic nec stultum splendida fortuna.

Ægrotis medicos, miseris amicos adesse conuenit. Plutarchi.

E In ebrietatibus plurimi † bacchantur, in miseriis & calamitatibus * mente mouentur. † παραφέρονται. *παραφέρεται.

Infirmo onus imponere, & animo indocto prosperitatem, prorsus idem est.

Splendidæ fortunæ, quemadmodum vehementiores venti, magna efficiunt naufragia.

Vt qui cœlo nauigant sereno, ea etiam parata habẽt quæ sunt in tempestate necessaria: sic qui sapiunt, in fælicitate miseriæ præparant adiumenta.

Agrotantis victus ratio, & insipientis prosperitas morosa est.

Fortuna

Fortuna malo certaminum præfecto ſimilis eſt, qui ſæpe nihil agentem corona donat.

Fortuna ſagittarij more collimat, interdum in nos iaculans, tanquam in ſcopum quendam, interdum in ea quæ nobis adhærent.

Infortunium tuum occulta, ne tuos hoſtes afficias lætitia.

Calamitatem nemini exprobres: communis enim fortuna, & quod futurum incertum eſt.

Nihil rerum humanarum firmum putato. Sic enim nec in proſperitate nimium lætus eris, nec in calamitatibus nimium triſtis.

Generum aſſecutus bonum, reperit filium: malũ autem, perdidit & filiam.

Et bonus gubernator nonnunquam naufragium facit, & vir bonus in calamitates incidit.

Pulchrum eſt in foco luculentum videre ignem, & in ſecunda fortuna mentem.

Incontinentes in morbis, & inſipientes in proſperitatibus, curatu difficiles ſunt.

Idem interrogatus quid dolore afficeret bonos: Proſperitas, inquit, malorum.

Solet enim vitæ iucunditas & proſperitas temere ad iniurias faciendas prouocare.

Quem fortuna contumelioſum reddit, is vel apud clementes flagella reperit.

Nec muſices imperiti inſtrumentis, nec indocti fortunæ ſe accommodare poſſunt.

Fuga verè fortem oſtendit, calamitas verò prudentem.

Si ſecunda veteris fortuna, ne ſuperbè te geras: ſin aduerſa, ne deiiciaris: fortunæ mutationes fac ſcias fortiter ferre.

Alexander rex Diogenem in dolio dormientem conſpicatus: O dolium, inquit, ſapientiæ plenum. Philoſophus autem cum ſurrexiſſet: O maxime rex, inquit,

Malo fortunæ ſtillam, quàm ſapientiæ dolium.

Cui quidam ex ſapientiæ ſtudioſis reſpondit:

Pluris mihi eſt ſapiẽtiæ gutta, quàm fortunæ pelagus.

Sapientia enim abſente infœlix eſt animus.

Humilis & paruus animus proſperitatibus effertur, aduerſis autem rebus deprimitur.

Qui aduerſam fortunam ferre non poſſet, eum ne ſecundam quidem ferre poſſe dicebat.

Rebus ſecundis modeſtus, aduerſis prudens eſto.

Docti, palæſtritarum more, etiamſi ceciderint, cito & induſtriè ſe ex miſeriis erigunt.

Proſperitate tanquam fructibus autumni, dum adeſt frui debemus.

Ad bene nauigandum gubernatore & vento opus eſt: ad fœlicitatem vero comparandam, ratio & fortuna requiritur.

In miſeriis & calamitatibus rationis, tanquam boni medici, opem implorare debemus.

Proſperitatis tanquam ebrietatis voluptate, quò plus inſipiens fruitur, tanto ſtultior redditur.

Fortunatis aduerſaria eſt inuidia.

Qui meminerit quid ſit homo, nullam rem, quæcunque acciderit ægrè feret.

Ratione caret, qui quæ naturali neceſſitate accidunt, indignanter ferre ſolet.

Infortunatum eum eſſe dicebat, qui infortunium non ferret.

Idem interrogatus quid eſſet difficile: Mutationem, inquit, ſecundæ fortunæ fortiter ferre.

Zeno facto naufragio cum omnia ſua amiſiſſet nihil molle aut nõ generoſum locutus eſt, ſed: Euge, inquit, ô fortuna, tu nos ad hoc palliolum redegiſti. Zeno.

Idem cum rogaretur quis eſſet fœlix: Qui, inquit, corpore eſt ſano, animo autem liberali, & ingenio docili. Hieronis.

Idem cum rogaretur quemadmodum quis calamitatem optimè ferre poſſet: Si, inquit, hoſtes videat in maiore verſari miſeria. Thaletis.

Beatum prædicare non debes facilè qui propter amicos, aut liberos, aut alios quoſdam vnius diei ſalutem habentes, exultat: propterea quod talia ſunt fallacia, ſolo autem Deo fretum eſſe, ſtabile eſt. Romuli.

Idem dicebat † mala hominibus vitæ eſſe * documenta. Nam multi cum ratione futura prouidere non poſſint, ferendo ſentiunt præſentia. † παθήματα * μαθήματα.

Lætare ſi quid tibi boni acciderit: moderatè dole, ſi quid mali.

Calamitates noſtræ, calamitatibus ſoluuntur, Philiſtion.
Dum aliena mala noſtris ſolatio ſunt.

In malis, amicis benefaciendum eſt. Euripid.

Cum enim fortuna fauet, quid eſt opus amico?
Satis eſt Deus ipſe iuuare volens.

Quemadmodum ineptorum eſt ſecunda fortuna nimium efferri: ſic molliũ eſt aduerſa deiici & terreri: facilis enim in vtraque mutatio. Ioſephi.

Ad serm. 18. annot.

Malo fortunæ] *Vide hanc ſententiam verſibus expreſſam Ser. lxx. 1. partis Meliſſæ.*

Zeno facto] *In Græco Maximi* Ζήνων ὁ κιτιεὺς *Zeno Citieus. Profertur & hoc eius dictum paulò aliter à Diogene Laertio, apud quem legimus* εὖγε ποιεῖ ἡ τύχη παρσελαύνουσα ἡμᾶς τὴν φιλοσοφίαν, *non vt apud Maximum* εὖγε ὦ τύχη. *Rectè ſanè fortuna facit, quæ nos ad philoſophiam impellat.*

De ira & furore. Serm. 19.

Qviſquis temerè fratri ſuo iraſcitur, obnoxius tenebitur iudicio. Matt. 19.

Sol ne occidat ſuper irritatione veſtra, neque date locum diabolo. Epheſ. 4.

Omnis amaritudo & iracundia, & ira, & clamor tollatur à vobis cum omni vitio. Ibid.

Graue eſt lapidis pondus, & arenæ tale vt portari non poſſit: at inſipientis ira vtroque eſt grauior. Prouer. 27.

Vir lenis præſtat robuſto: & qui reprimit iram, ſimilis eſt ciuitatis expugnatori.

Ira regis mortis eſt nuntia, ſed vir ſapiens placabit ipſum.

Ira & furor minuunt dies.

Dum te vlciſceris, & par pari refers conuitiatori, quid excuſationis habes? an quòd prior ille irritarit? ſed iſtud qua venia dignum eſt? nõ enim ſcortator in meretricem transferens culpam quod ad peccatum ipſum inuitarit, condemnationem vitat. Et neque coronæ ſine aduerſariis quæruntur, neque quiſquam cadit in lucta ſine colluctatore. Sirach. 30. Baſilij, ho. de ira.

Ira quid inſipientius? Si iram contineas, pudore

affeciſti iniuriam facientem, te ipſa temperantiam oſtendens.

Theolo. Cæca eſt ira & moleſta, idque maximè cum eſt indignandi cauſa.

Chryſoſt. Si quis tibi iniuriam & conuitium facit, conſidera cruciatum quo ille cruciatur, & non ſolum non iraſceris, verumetiam lachrymabere: non enim quiſquam febricitanti iraſcitur, aut inflammationem patienti, ſed miſeretur omnino & lachrymis eum proſequitur. Quod ſi eum vlciſci vis, tace, & magnam periculoſámque dediſti plagam. Sin verò morſus refers conuitia, vt vera exiſtimari poſſint, quæ in te dicuntur, tu tibi author es. Cur enim dicues qui ſit, ſi quis eum pauperem dicat, ridet? quod paupertatis ſibi non ſit conſcius. Si igitur contumelias rideremus & conuitia, maximam daremus ſignificationem, eorum quæ nobis obiicerẽtur nos non eſſe conſcios.

Nihil æquè mentis puritatem & rationis limpitudinem turbat, ac ira immoderata, quæq; magno fertur impetu.

Euagrij. A cibo & potione abſtinens, immoderatè autem ira commotus, ſimilis eſt naui per mare vaganti, cuius dæmon ſit gubernator.

Cyrilli. Quæ beſtia tam ſæua & immanis eſt, vt iracundus, & iræ immoderatæ tanquam tyranno cuidam parens?

Ex patrib. Quatuor ex rebus ira naſcitur, ex dandi ratione & accipiendi, ex eo quòd quis ſuę morem gerat voluntati, ex ſtudio litium, & prudentiæ opinione (*id eſt ex eo quòd quis ſe prudentem eſſe iudicat.*)

Dionyſij. Iraſci apud nos hoc termino finiendum eſt, vt peccata ſedet: Iraſcimini enim, inquit ſcriptura, & ne peccatote.

Apollonij. Iræ affectus, ſi ſermone non deliniatur & curetur, naturalis efficitur morbus.

Plutarchi. Ira canis more cæcas parit criminationes.

Vt feroces equi frenis, ſic irę affectus ratione coërcentur.

Vt temperata aqua inflammationes, ſic lenis oratio iram ſedare ſolet.

Ariſtotelis. Vt fumus oculos lædens impedit quo minus proſpicere poſſimus quod eſt ante pedes poſitum: Sic ira rationem tenebris offundit, vt abſurditates mẽte cernere non ſinat.

An non vides eorum, qui ira perturbantur, rationem peregrinari? quippe quæ iram quaſi tyrannum quendam acerbum fugiat.

Ira eſt perturbatio quædam belluarum motui ſimilis, quæ perpetuo premit, dura & violenta quadam vi prædita, homicidiorum cauſa, calamitatum ſocia, incommodorum conciliatrix & infamiæ, pecuniarum conſumptrix, denique corruptelæ dux & princeps.

Eumenis. *Prodidit ira viri mentem, quæ ſæpe lateret,*
Inſano & grauior tecta furore foret.

Philemonis. Furimus omnes cùm iraſcimur.
Nam ſe tenere in ira magni eſt laboris.

Pudor mortalibus vtilior eſt quàm ira.

Euripidis. Quemadmodum autem corpus noſtrum mortale eſt,
Sic conuenit iram non habere
Immortalem, cum qui temperantia vti nouerit.

Herodoti. Nam in auribus hominum animus reſidet: qui enim iucunda audierit, voluptate corpus explet: cõtraria verò cum audierit, ira tumeſcere ſolet.

Sunt nonnulli leniter magnanimi, qui ſedatè & quaſi lente & ira remota ea omnia agunt, quæ vehementer ira concitati: quorum peccatum & incõſiderantiam vt longè deteriorem quàm eorum qui ira vehementi commouentur, cauere debemus. Hi enim citò ad ſatietatem vltionis perueniunt: illi vero in longum tempus protrahunt, vt qui leuiter febricitant. Ariani.

Qui ob leuia peccata vehementiſſime ira commouetur, non ſinit diſcernere peccantem, vtrum leuiter, an grauiter deliquerit. Apollonij Democrati.

Sapientibus & doctis pro ira Heraclito lachrymæ, Democrito riſus mouebatur. Sotionis ex diſputatione de ira.

Vt naues egregiæ ſunt, non quæ ſereno cœlo nauigant, ſed quæ tempeſtati reſiſtunt & ſeruantur: ſic homines iræ & motui reſiſtentes magni ſunt & fortes.

Iræ repugnare, difficile eſt: vincere autem, viri eſt ratione optima præditi. Democri.

Iratus aliquando præſente Xenocrate: Cape, inquit, hunc, & flagris cædito: ego enim ſum iratus. Aiunt etiam eum, cum puero minatus eſſet, diu ſuſpenſum & perplexum ſtetiſſe: cauſámque rogatum, reſpondiſſe, cruciare & ſe punire à ſe concitatam iram. Plato.

Naucratis ſapiens iracundis eadem prope accidere dicebat quæ lucernis, quæ præ nimia olei copia exuruntur. Naucratis.

Caſtiga adhibito iudicio, non autem ira perturbatus. Demonactis.

Vir improbus clementis ſpeciem gerens,
Occultus eſt † vicinis laqueus. Menandri
† τοῖς πλησίον.

Iræ nullum eſt vt apparet remedium,
Niſi bene compoſita amici oratio.

Etiamſi vehementer doleas, nihil tamen
Irritatus agas temere: nam in perturbationibus
Iram vincere, maximè ſapientis eſt.

Non tibi poſſum ô iracũdia exhibere omnia quæ tibi conueniunt. Theognid.

In rebus paruis & leuibus vide ne temetipſum iracundum præbeas.

Ariſtippus Cyrenæus philoſophus quendam iratum conſpicatus, verbísque ſuccenſentem: Nõ (inquit) iræ verba accommodemus, ſed verbis iram ſedemus. Ariſtipp.

Ab iis qui fecerint iniuriam, ne ſumito pœnam: ſatis eſt enim ſuis eos premi vitiis. Pythagoræ

Prodeſt cum muliere iracũda conſuetudinẽ habere exercitationis cauſa: vt equites decet ferocibus aſſueſcant vti equis, quos ſi domuerint, aliis etiam faciliùs vtentur.

De taciturnitate & arcanis.
Sermo 20.

QVodcunque verbum otioſum locuti fuerint homines, eius rationem in die iudicij ſunt reddituri. Matt. 12.

Sit omnis homo velox ad audiendum & tardus ad loquendum. Iaco. 1.

Qui cuſtodit os ſuum, ſuam ipſius animam ſeruat. Salom. 21.

Qui

Qui diligit vitam ſuam, parcit ori ſuo.

Sapientia abſcondita & theſaurus latens quid proſunt?

Dicenda tacendáque noſſe debemus: non enim diuina omnia linguæ verbis explicanda ſunt, ne mens ſicut oculus ſolem totum intueri volens, id etiam quod habet luminis, perdat.

Si quid ſilentio melius habes, loquere: vbi autem ſilere, quàm loqui plus prodeſt, ibi ſileto.

Permulti ſunt qui cùm aliquid arcani enuntiarint, hortantur auditorem, & iureiurando adigunt ne cuiquam alteri enuntiet, eo ipſo ſignificantes rẽ à ſe factam accuſatione eſſe dignam. Si enim illum hortaris vt nemini enunciet, multò magis te decebat illa non enunciaſſe.

Aut dic quid taciturnitate melius, aut taciturnitatem colito.

Omnem adhibeas diligentiam, ne ea dicas quæ dicere non decet: omnino enim indocti & inculti eſt, non poſſe tacere, ſed quæ recta non ſunt effutire.

Vir ſapiens & taciturnus Deum honorat, ſilentij cauſam non ignorans.

Quod taceri vis, nemini dixeris: aut quomodo ſilentij fidem ab altero exiges, quam tibi ipſe nõ præſtiteris?

Taciturnitas non ſolum ſitim mitigat, vt ait Hippocrates, verumetiam dolore & moleſtia caret.

Cùm hoſpites quidam ad conuiuiũ Zenonem humaniter inuitaſſent, ei propinantes, & tacitum permanentem interrogaſſent, quid de ſe vellet regi nunciari: Nihil aliud inquit, niſi ſenem quendam Athenis eſſe, qui in compotatione poſſit ſilere.

Is à Solone conuiuio acceptus, cùm ſe cubitum recepiſſet, ſic compoſitus erat vt ſiniſtra manus ad pudenda appoſita eſſet, dextra autem ori: continẽtiori enim freno, linguam indigere putabat.

Qui neſcit tacere, neſcit loqui.

Idem cum ex eo quæreretur, quid eſſet in vita difficillimum: Tacere, inquit, quæ loqui non decet.

Rogatus quam ob cauſam cum loqui alios doceret, ipſe taceret: Atqui cos, inquit, ipſa non ſecat, cũ tamen acuat cultros.

Duo dicendi tempora ſtatue, vel de iis quæ certò nôris, vel de quibus dicere eſt neceſſarium. In his enim ſolis oratio ſilentio præſtat: in aliis melius eſt ſilere, quàm loqui.

Improbi hominis quaſi taciturni canis ſilentium magis quàm vocem timere debemus.

Theophraſtus Peripateticus philoſophus cũ iuuenem in conuiuio tacitum animaduertiſſet, inquit: Si imperitus taces, peritus es: ſin verò peritus, imperitè taces.

Linguam continere vbique & maxime ſtudeto: Quia cum ſeni tum iuueni laudem affert.

Lingua tempeſtiuo prædita ſilentio.

Arcana enunciantes iniuriam facere dicebat eis etiam, quibus enunciarent. Odimus enim non ſolùm eos qui effutierint, verumetiam eos qui quæ nolumus, audierint.

Quod facturus es, ne cuiquam dicito: nam ſi non perfeceris, deridebere.

Si quis in furto deprehenſus fuerit manifeſto, Sophoclis.
Ei neceſſariò ſilẽdum eſt, etiam ſi linguam habeat exercitatam.
Pudor enim in malis nihil prodeſt,
Quod ſilentium ſit loquenti auxilio.

Xenocrates ſingulas diei partes diuidens in actiones certas, ſuam etiam ſilentio partem reddebat. Xenocrat

Qui verba quaſi depoſitum accepta Alexand.
Enunciat, iniuſtus eſt, aut valde impotens:
Ille quidem ob quæſtum iniuſtus, hic verò ſine quæſtu
Incontinens: æquè autem malus vterque eſt.

Hic quærenti cuidam, cur Lacedæmonij breui- Lycurgi.
loquẽtia vterentur: Quia, inquit, taciturnitati proxima eſt.

Melius eſt tacere, quàm loqui inaniter. Philonidę.

Cùm animaduertiſſet quendam multa imperitè Democriti
diſputantem: Hic, inquit, non dicendi peritus mihi videtur, ſed omnino tacendi imperitus.

Silentio ſermones obſignato, ſilentium autem occaſione. Solonis.
Aut ſilentium tempeſtiuum tenendum, aut ſermones vtiles habendi.

Simonides tacuiſſe, nunquam ſe pœnituiſſe dicebat, locutum eſſe ſæpe. Simonidis.

Cum quidam ei obiiceret, quod os male olens Demoſthe.
haberet: Multa, inquit, in eo arcana computruerunt.

De curioſitate vel diſtractione in mundi negotiis, & quiete vel tranquillitate.
Sermo 21.

MArtha, Martha angeris, & in multarum rerum perturbatione verſaris: ſed vno eſt opus. Maria bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Lucæ 10.

Obſecro vos igitur fratres, vt magis ac magis abũdetis, & liberalitatem exerceatis, quietam vitam agatis, veſtra negotia geratis, manibus opus faciatis. 1. Theſ. 4.

Si conquieſcas, nemo tibi bellum inferet: qui irridet magnam ciuitatis turbam, accuſationem exactoris non audit. Iob.

Fili, fac tuæ actiones ne ſint multorum negotiorum: Si enim multiplicâris, non eris innocens. Syrach. 11.

Vt enim animantes facilius cicurantur, ſi demulceas: ſic cupiditates, iræ, metus, dolores, & reliqua animi venenata mala † ſilentio conſopita, nec perpetua efferata irritatione, vi rationis facilius expugnantur. S. Baſilij, epiſto. 1. † διὰ τῆς ἡσυχίας.

Quies negotiorum vacua illuſtri negotiorum Theologi.
ſplendori anteferenda eſt.

Obſeruamus alij aliorum vitia, non vt lamentis ora 1.
proſequamur, ſed vt exprobremus, nec vt curemus, apologet.
ſed magis vulneremus, & noſtrorum habeamus malorum excuſationem per vicinorum vulnera.

Melior eſt panis buccella cũ ſale in quiete & ſecuritate, quàm ciborum magnificus apparatus, cũ animi diſtractione & ſolicitudine. Chryſoſt.

Fieri non poteſt vt qui alienam vitam curioſè intuetur, ſuam rectè curet. Cum enim in alienorum curioſa contemplatione omne ſtudium conſumat, neceſſe eſt ipſius res negligi & iacere.

Philonis. Sapiens tranquillitatem & negotiorum vacuitatem otiúmque perſequitur, vt diuinis contemplationibus quietus fruatur.

Fuggij. † θὶ τρέφεις. Præſtat in † ſtorea cum fiducia iacere, quàm in lecto aureo perturbari.

Quatuor ex rebus animus incultus redditur, ſi quiete caret, ſi negotia & diſtractiones amet, ſi res terrenas concupiſcat, & ſi præparcus fuerit.

† ἔρημος. Nili. †Vita quieta magnis pecunis illuſtrior eſt.

Cyrilli. In tumultuoſa mente & anxia neque eſt rerum honeſtarum cogitatio, neque diuina gratia ei ſe inſinuat.

S. Atha. Melius eſt vt dubitantes ſileamus, & credamus quam vt ob dubitationem diffidamus.

Socratis. Rogatus qui perturbatione vacantes vitam degerent: qui, inquit, nullius ſibi culpæ conſcij eſſent.

Moſchion. Qui vitandæ turbæ cauſa ſeceſſerit, lucrum putat eſſe damnum.

Ex Ariſtippi ſententiis. Quum quidam ei diceret, Propter te periit fundus: An non, inquit, melius eſt fundum propter me periiſſe?

Demoſthe. Cum quidam ei obiiceret probrum, quod agrum negligeret, ſibimetipſi inſeruiret: Eum inquit, curo propter quem etiam agrum comparaui.

Serini. Thaletem dum cœlum ſuſpicit, in foueam delabi ancilla quædam conſpicata, merito illud ei accidiſſe dicebat, qui cum antè pedes ſita ignoraret, cœlũ contemplaretur.

Ariſtot. Ariſtoteles eos qui res euidentes demonſtrare conarentur, ſimiliter facere dicebat, vt qui ſolem per lucernam oſtendere conetur.

Euclidis. Euclides à quodam rogatus, quales ſint dij, quaque re gaudeant: Cætera quidem ignoro, inquit, at curioſos illis odio eſſe, certò ſcio.

Valens ægrotat, curioſus aliena curans.

Demonact. Cum alij quærerent, an mundus ſit animatus: & rurſus, an globoſus: Vos inquit, de mundo ſoliciti eſtis, ſed de veſtra immunditia non laboratis.

De auaritia. Sermo xxij.

Lucæ 12. VIdete & cauete vobis ab auaritia, quia non in abundantia conſiſtit cuiuſquam vita.

1. Cor. 6. Cur non potius fraudamini? at vos fraudatis vel fratres: an neſcitis iniquos regno Dei excluſum iri?

Salomonis Oculus aſpectu non ſatiatur, nec auris audiendo expletur.

Syrach. Manus tua ad accipiendum ne extẽdatur, & in largiendo ne contrahatur.

Iniuſtorum diuitiæ quaſi amnis exareſcent, quaſiq; magnum tonitru cum ſonitu euaneſcent.

Iniquè partis ne gaudeto, quia nihil profutura sũt tempore calamitoſo.

Auari oculus non expletur in parte.

Qui alienis pecuniis domum ſuam ædificat, ſimilis eſt ei, qui lapides in torrentem congregat.

S. Baſilij. Qui aliena deſiderat, paulò pòſt lugebit ſuis priuatus.

Præſtat paulatim conſilio inopiam ſubleuare, & conſolari, quàm repentè alienis ſublatum, ad extremum omnibus ſimul priuari & nudari.

Qui accipit aliena & aliis donat, non miſericordiam tribuit, ſed iniuriam facit extremam. Si enim miſereris ex iis quæ iniurioſè feceris, miſerere iniuria affectorum: pius enim eſt, non qui multorum miſeretur, ſed qui neminem lædere conſueuit.

Theolo. Scortationis merces non caſtè diſpertitur: eſt enim ſummæ miſeriæ non in ſuis munitionibus tutum eſſe, ſed in alienorum putribus fundamentis.

Chryſoſt. Qui alienis ad ſe tuendum non eget, ſed ſuis cõtentus viuit, is eſt omnium copioſiſſimus.

Qui ſuam ipſe cupiditatem continere non poteſt, etiam ſi omnibus copiis affluat, quî fieri poteſt, vt is vnquam copioſus ſit, & non magis inops.

Plutarchi. Qui ex inhoneſtis lucris ad honeſtas functiones & adminiſtrationes ſumptus faciunt, ſimiliter faciunt, vt qui de ſacrilegio Deum colere ſtudent.

Demonact. Diuitiæ malis artibus quæſitæ, probroſiſſimæ ſunt poſſidenti.

Diuitias parare non illud quidem inutile: ſed per iniuriam quærere, hoc verò ſceleratiſſimum eſt.

Socrat. Auari comparandi ſunt auibus, quarum aliqua ita deglutit omnia quæ inciderint, vt aliquando ſuffocetur: aliæ ſequuntur illud ipſum detrahere feſtinantes vt & ipſæ vna poſt alteram ſuffocentur.

Diogenis. Rogatus quænam animalia crederet omnium difficillima & aſperrima: In montibus, inquit, vrſos & leones: in vrbibus autem publicanos & ſycophantas.

Antipha. Mala lucra voluptates afferunt breues, dolores autem longos.

Euripidis. Qui plura ſemper appetit, ius negligit.
Nec idem amicis ſe ſociat, nec ciuibus.

Cum quidam deprehendiſſet quendam lapides ipſius furantem: & deprehenſus dicere ſe neſciſſe ad illum eos lapides pertinere: Atqui, inquit, ſciebas tuos non eſſe.

Menandri. Auaritia malum dat ſæpe hominibus magnum.
Qui enim volunt vicinorum bona addere ſuis, victi ſæpè,
Et excidentes ſpe, ſua adiungunt alienis.

Platonis. Paupertas putanda eſt, non cum facultates imminuuntur, ſed inſatiabilis cupiditas fit maior.

Furtum quidem pecuniarum illiberale eſt, rapina autem, impudens.

Philemon. Si quæ habemus, iis ne vtimur quidem,
Et quæ non habemus, ea quærimus:
His per fortunam, illis autem per noſmetipſos priuabimur.

Euripidis. Si quis beatus poſſidens magnas opes,
Bonis tamen non audeat frui ſuis:
Hunc iure fœlicem vocare non licet.
At iure cuſtodem beatum dixeris.

Ad serm. 22. annot.

Theol. Scortationis merces non caſtè diſpertitur] *Græcè* μίσθωμα πόρνης ἁγνῶς δὲ μέμεζεται. *Lege* ἁγνὸς *vt conſtet ſenarius, & ſepara hanc ſententiam à ſequentibus verbis, eſt enim ex tetraſtichorum 7. vbi cum dixiſſet virtutes, & munera munda Deo eſſe offerenda, ad extremum addidit, Meretricis horret purus ille præmium, alludit vt monet Nicetas ad illud Deuteronom. 23. Non offeres*

offeres mercedem prostibuli, nec pretium in domo domini A *Dei tui.*

Menand. Auaritia malum dat] *Quibusdam non satis exprimi videtur hoc nomine* πλεονεξία: *neque dare, sed esse malum ait, sic ergo reddunt:*

Cupido habendi aliena maximum est malum.
Aliena namque qui student asciscere,
Sæpe excidentes spe sua, contrà obruti
Ipsimet addunt opibus alienis suas.

De honore parentum, & liberorum amore, Sermo 23.

HOnora patrem & matrem, & proximum tuum tanquam teipsum ama.

Filij obedite parentibus vestris in rebus omnibus, quod hoc sit domino gratum, & acceptum.

Fili, subuenito patri in senectute ipsius, & si defecerit intelligentia, veniam dato, nec contemnito eum quoad eius potes: beneficentia enim erga patrem in obliuionem non veniet: & vt serenitas glaciem liquat, sic dissoluentur tua peccata.

Ex animo patrem honorato, & dolorum matris ne obliuiscitor: recordare te ex illis natum esse: & quid tantum illis reddas, quantum illi donarunt?

Liberi grati magnas efficiunt parentum laudationes. C

Quod honestum est sequitor: honestum autem est patri parêre. Quod si nihil præterea accederet, hoc per se amplum est præmium patri gratificari.

Tanquam seruus parentibus tuis inseruito: quid enim tantum illis reddas, quantum ab illis accepisti? non enim licet illos vicissim procreare.

Qui liberorum modestiam & temperantiam negligunt patres, liberorum sunt interfectores: atque hoc grauiores & acerbiores, quod hæc sit animi perditio & mors.

Christianorum prima laudabilis pietas est, vt eos qui nos procrearunt, honore afficiamus, & labores eorum remuneremus, & omnibus viribus conemur illis otium dare & quietem. Etsi enim plurima illis reddiderimus, at certè vicissim illis procreationem reddere nunquam possimus. D

Necessarium est liberos patribus cedere, sed vbi veritatis ratio cogit, ibi Deus honoretur, ipsiúsque amor naturalem amorem parentum vincat.

Deum nemo digne potest honorare, sed iustè tantum: quando ne parêtibus quidem parem possumus referre gratiam: fieri enim non potest, vt illos vicissim generemus.

Decet filium serui more patri inseruire: hic enim E natura seruus est, ille vero lege.

Talem te præsta parentibus, quales erga te cupis esse tuos liberos.

Alexander rex vtrum magis desideraret rogatus, patremne Philippum aut Aristotelem: Præceptorem, respondit: illum enim sibi vitę, hunc autem rectæ vitæ authorem fuisse.

Idem cum mater Olympias ipsi graue quiddam imperare videretur: O mater, inquit, quàm grauem pro nouem mensium inhabitatione mercedem poscis?

Cum vxor eum reprehenderet, quod filium inutilem non admitteret, dicéretq; ex eo esse cum despuisset. Et hoc, inquit, ex me est, at non vtile. Socrat.

Qualem parentibus retuleris gratiam, talem in senectute à liberis expectato. Miletij.

Suos colens viuus parentes, est Deo Euripidis.
Gratus: simul viuus simúlque mortuus.

Nihil est quod magis decorum & honestum sit liberis,
Quàm si è patre bono nati sint,
Et genitoribus dignam referant gratiam.

Plato cum quendam animaduertisset cum patre Plato. B confidentius agentem: Non desines, inquit, adolescens de illo leuiter sentire, propter quem magnifice de te sentis?

Prima & octogesima Olympiade Ætnam ferunt Ex Aeliani Hist. fluxisse, quo tempore Philonomus & Callias Catanæi, cæteris omnibus rebus contemptis, patres suos in humeros impositos per mediam flammam sustulerunt, pro qua pietate diuinitus remunerationē acceperunt: ignis enim currentibus illis, interruptus stetit ea parte qua transierunt.

Liberos doctiores, quàm ditiores relinquere studeto. Ex Epicteti Enchiridio, & Isocrate.

Filia aliena quædam possessio est patri.

Idem liberis pudorem magis, quàm aurum relinquendum esse consulebat. C

*Obiurgatio quæ fit à patre, suaue medicamentum est: plus enim prodest quàm mordet. *ἔλεγχος

Solon interrogatus, cur iis qui patres verberasset, Solon. nullum constituisset supplicium: respondet,
Se nullos tales extituros credidisse.

Filio ne arrideas, nec etiam filiæ, ne in posterum Syrach.30. lachrymeris.

De metu. Serm. 24.

SPiritus quidem promptus est, sed caro infirma. Matt.26. Marci.14.

Verè deprehendo Deum non esse personarum Act.10. acceptatorem: sed in omni gente, qui metuit Deū & iustitiam sequitur & colit, acceptum illi esse.

Metus Domini fons vitæ, efficitque vt mortis laqueos euitemus. Prou.14.

Finem orationis omnino audi: Deum metue & præcepta eius seruato: quia hoc est omnis homo.

Pecuniæ & vires cor extollunt, sed vtrumque superat metus Domini. Syrach.10.

Vt enim qui infixos habet corpori clauos, ad nullum opus est aptus, quod doloribus totus occupetur: sic qui metu Domini coërcetur, non oculo vtetur ad ea quæ non decet, non manus actionibus vetitis admouebit, nihil denique vel minimum vel maximum contra officium suscipiet, quasi dolore quodam propter minarum Dei metum percitus. S. Basilij Homil. in ps.33.

A contemplatione exordium non est ducendū, Theolo. & in metu quasi in extremo desinendum: contemplatio enim freno caret, & fortassis præcipitem agat: sed metu primum quasi initiatos purgatósque, vel vt ita dicam attenuatos, ita in sublime erigi cōuenit.

Metuamus tantum: quid est metu Domini amplius?

Iambic. dist. Sonus pauorem frondium vt lepusculis
Excitat: inertes vmbra sic rerum quatit.

Chrysost. Non tantum efficere potest oratio, quantum efficit metus: nam gehennæ metus nobis regni afferet coronam.

Quemadmodum in ædibus militis semper armati, non latro, non parietum dirutor, non alius quisquam eorum qui huiusmodi maleficia suscipiunt audet apparere: sic metu animos occupante nulla perturbatio illiberalis nos inuadit.

Didymi. Fieri non potest, vt qui verè metuit dominum, in timiditate versetur, cum scriptum sit, Præter Deũ neminem esse metuendum.

Ioan. Climacis. Quemadmodum radius solis per foramen ingressus, omnia quæ sunt domi collustrat, vt vel minutissimus conspiciatur puluis volitans: sic & metus Domini cum iudicio in corde hærens, omnia ipsi peccata ostendit.

Seueriani. Initium salutis humanæ, est Domini metus: & omnium bonorum quæ in nobis sunt, radix est lex diuina: nec vero diuina lex caret metu, nec metus lege. Lex enim ad ea quæ præcipiuntur ministro vtitur metu: Metus autem eorum quæ iam præcepta sunt iudicem habet legem.

Bias interrogatus, quid esset in vita metus expers, Bona, inquit conscientia.

Epicuri. Non esse sine metu potest, qui metuendus aliis videtur.

Democrit. Non autem metus causa, sed quia decet, à peccatis abstinendum est.

Euripid. Intelligens haud est, metu iam debilis:
Animo resumpto, iam repente elatior.

Menandri. Stultitia mihi videtur esse manifesta,
Intelligere quidem quæ conuenit intelligi, cauenda autem non cauere.

Ad serm. 24. annot.

Theol. contemplatio enim] *Gr.* θεωρία γὰρ ἀχαλίνωτος τάχα ἂν καὶ κατὰ κρημνῶν ὤσειεν. Effrænata enim cõtemplatio in pręcipitia quoque fortasse nos impelleret. *Est apud Gregor. or. 39. in sancta lumina.*

Metuamus tantum] *Græca sic habent* οὐ φοβηθῶμεν μόνον, τὸ φοβηθῆναι θεὸν πλεόν, vnum hoc timeamus, ne quid amplius, quàm Deum timeamus. *Bill. c. 12. lib. 1. obseruat.*

Eurip. Intelligens] *Gr.* ἀσώφρων, *id est, quiuis insipiens in timore debilis est.*

De iis qui facile mutantur ad vitia, & item de pœnitentia. Sermo 25.

Luc. 9. NEmo missa manu ad aratrum & respiciens posteriora, aptus est ad regnum cœlorum.

2. Pet. 2. Melius est non agnouisse viam iustitiæ, quàm post agnitionem, deserta sancta doctrina regredi: accidit autem istis quod vero prouerbio dicitur: Canis ad suum vomitum reuersus: & sus lota ad cœni volutabrum.

Salom. Qui mutabili & instabili lingua est, incidet in calamitates.

Prou. 26. Quemadmodum canis cum ad vomitum reuersus, abominabilis fit: sic insipiẽs suo vitio ad suum reuertitur peccatum.

Syrach. 34. Qui ieiunat propter peccata sua, & rursus eadem committit, precationem eius quis exaudiet? quidue profecit sese abiiciendo?

Qui progressus fecerit in bonis actionibus, si ad pristinam peccandi consuetudinem reuertatur, non modo laborum suorum mercede priuatur, sed etiam acerbiore damnatione dignus iudicatur. S. Basilij.

Quibus facilis est ad mutationem cogitatio, nihil est mirum eorum vitam moderatam non esse.

Nemo in vitiis viuens desperet, sciens vt cultura plantarum naturæ mutantur: sic diligentia quæ à virtute proficiscitur, cuiusuis generis morbos superari posse.

Homines similes sunt nubibus ad ventorum mutationem aliàs in aliam partem aëris delatis. Epist. 81. ad Patrophil.

Non temporis spacio, sed animi affectione pœnitentia fit.

Tales esse debemus, vt ad meliora ex malis facile mutemur: nunquam autem à bono ad deterius dimoueamur. Theol.

Mutatio vitij turpitudinem non habet, sed in eo permansio exitium est.

Non peccare sine vllo peccati sensu, sed agnoscere, & peccata contueri, id non est exiguum: sed via quædam est & initium ad emendationem ferens, & in meliorem mutationem.

Leues & stultos eos iudicamus, qui facile ad vtramque partem feruntur & confluunt ventorum more, & in Euripi morem mutantur, & reciprocantur, instabilésque sunt fluctuum modo marinorum. ora. 11. de pace.

Quem pœnituerit indigne factorum, etiamsi peccatorum dignam non egerit pœnitentiam, at huius ipsius tamen remunerationem accipiet. Chrysost.

Planta si frequenter transferatur, fructum non profert. Euagrij.

Vt statua in sua basi, sic vir bonus in præclaro instituto constans & immutabilis esse debet. Socrat.

Non pœnitere, sed prouidere sapientem decet. Epicharm.

De peccato & confessione. Sermo 26.

Ioan. 8. QVisquis peccatum cõmittit, seruus est peccati.

Rom. 6. Ne regnet igitur peccatum in mortali corpore vestro, vt ipsius cupiditatib⁹ pareatis, nec exhibete vestra mẽbra peccato, vt sint iniquitatis & iniustiæ arma.

Syrac. 27. Vt leo venationi insidiatur, sic peccatum iniustitiam exercentibus.

Peccatum tanquam anguem fugito: nam si accesseris, mordebit te: leoninis præditum est dentibus, qui animos hominum occidunt.

Syrach. 39. Bona bonis ab initio rerum condita sunt, ita & sceleratis mala.

S. Basilij. Quemadmodum incisionis, aut cauteris, medicus non est causa, sed morbus: sic & ciuitatum dissipationes ex peccantium immodestia.

Peccatum donec parturitur, quendam retinet pudorem: cum autem perfectum fuerit, tum eius authores efficit impudentiores.

Vt fumus apes fugat, & columbas abigit graueolentia: sic & custodem vitæ nostræ angelum à nobis discedere cogit lachrymabile & fœtidũ peccatum.

Vt

Vt corpus vmbram, ſic animos peccata ſequun- A
tur & actiones manifeſto effingunt.

Vitium tacitum & occultũ, morbus eſt animi latẽs.

Citius exigui vitij fias particeps copioſè, quàm paulatim maximę virtutis: nam & melli vel exiguũ abſinthij citiſſime amaritudinem impertit: mel autem ne duplum quidem abſinthio dulcedinem infundit.

Ne graueris enunciare & confiteri peccatum tuum, vt illam futuram turpitudinem hac præſenti vites.

Quemadmodum enim ſcintilla, ſi quid vel exiguum apprehenderit & accẽderit, omne reliquum depaſcitur: ſic peccati natura, poſtquàm animi cogitationes nacta fuerit, nemóque ſit qui extinguat, grauior in reliquum & ſuperatu difficilior fit per ſecundorum acceſſionem, cum iam in maiorem contemptum peccator effertur.

Vt enim qui in peccatis eſt, dum alios accuſat, ſe prior ipſe accuſat: ſic & in miſeriis verſans, & exprobrans aliis calamitates, ſibi ipſe prior exprobrat.

Quemadmodum qui nocte illuni ambulant, tremunt, etiam ſi nihil ſit quod terreat: ſic & qui peccant, non poſſunt confidente animo eſſe, etiam ſi nemo ſit qui redarguat.

Hic vel vno præſente nihil indecore agere ſuſti- C
nemus, illic autem quid coram tot millibus agemus?

Ei qui per imprudentiam errârit veniam damus: qui autem de induſtria iniuriam facit, excuſatione caret.

Timeamus, non morbum externum, ſed peccatum ex quo morbus exiſtit, & morbum animi, non corporis.

Incrementum eſt vitij, ſi non ſolum ipſe pecces, verumetiam aliis patrocineris.

Peccatum ſimile eſſe videtur obici, prohibenti beneuolentiam Dei ad nos peruenire.

Ratio perturbationes non extirpat, ſed aduerſus D
eas luctatur.

Nec ignis veſtimento, neque turpe ſcelus tempore tegi poteſt.

Non procul ab eo qui nihil peccarit, ſe collocat, qui peccatum ſuum non grauate confitetur.

Quemadmodum corporis morbus non tectus, nec laudatus ſanatur: ſic nec animus malè cuſtoditus curatur.

Peccata tua conare non oratione tegere, ſed reprehenſione curare.

Melius eſt raro polliceri præclarum aliquid, ſæpe autem reipſa præſtare: quàm raro dicere ſe peccare, ſæpe autem aberrare. E

Viue homo non ſolum vt edas & bibas, ſed vt vita ad beatam vitam quærendam vtaris.

Affectio quædam inuaſit animum meum, ſed quę ſit neſcio: initiati dicunt amorem eſſe. Inuide dæmon & rationis expers, infirmum inuaſiſti corpus, quod te ferre non poteſt: abs te deficio dæmon, deſero tuam militiam, non ſum tuus miles.

Amor eſt alicuius rei præter rationem cupiditas nimia, celerem habens aditum & acceſſum, diſceſſum autem & finem tardum.

De incontinentia & guloſitate.

Sermo 27.

VÆ qui expleti eſtis, quia eſurietis: væ qui ridetis, quia lugebitis, & plorabitis. Lucæ 6.

Nutriiſtis corda veſtra, quaſi ad diem mactationis. Iaco. 5.

Ne ſeducaris in ſaturitate ventris tui. Salomonis Prou. 25.

Mel nactus quantum ſatis eſt, edito, ne expletus euomas.

Qui in menſam alienam intuetur, vita eius non conſiſtit in vitæ ratione. Syrach. 40

Venter eſt perfidus mercator, penus nihil con- S. Baſilij. hom. 2. de ieiunio.
B ſeruans, multarum rerum appoſitarum incommodum retinens, res ipſas autem non conſeruans. συναλλάκτης.

Ex craſſo alimento & vino fuliginoſæ exhalationes elatæ in morem denſæ nubis, ſpiritus ſancti illuſtrationes in ipſam mentem ſuo interuentu impediunt. Ho. 1. de ieiunio.

Peruigil miniméque ſomniculoſa eſt ad plura habendi cupiditatem humana natura.

Da, venter, inquit, perlubens ſanè, modo Theologi. Tetraſtich. 19.
Sis caſtus. at ſi partibus des infimis,
Habebis à me ſtercus, idque parcius.
At temperanti largius præbebitur.

Cum ederis & biberis expletúsque fueris, caue ti-
C bi: præceps enim eſt locus deliciarum. Chryſoſt.

Obſonium ſit tibi indigentia, & non ſaturari ſaturum, nec crapula hebetare appetitum. Io. Climac.

Radix errorum, qui in vita verſantur, eſt gulæ ſtudium.

Cum premitur ſtomachus, cor humiliatur, ſi vero cures ſtomachum, exultabit & geſtiet animus.

Palato tenus percipitur ciborum voluptas, atque ibi terminum habet: vltra palatum non ſentitur diſcrimen eorum quæ ingeruntur, cum omnia deinde æqualiter per naturam in fœtorem reducantur.

Continentiæ proprium eſt valetudo & robur: in- Philonis.
D continentiæ autem infirmitas, & morbus morti vicinus.

Deliciæ ex animo, tanquam ex caſtris, optima Plutarchi.
quæque rapiunt.

Valetudinem à Deo precantur homines, cuius Democriti
vim in ſemetipſis eſſe neſciunt: dum enim incontinenter viuunt, ſuæ ipſi valetudinis ſunt proditores.

Vt vnctio non quæ ſuauis eſt, aut longa, bona eſt, ſed quæ ſanat: ſic cibus, non qui ſuauis, aut multus, bonus eſt, ſed qui valetudinem tuetur.

In cibo capiendo abſit celeritas, & feſtinatio: hoc enim caninum eſt, beſtiámque magis quàm hominem decet. E

Hic ſumptus deliciarum reprehendens, Quàm Catonis.
difficile eſt, inquiebat, ad ventrem verba facere auribus carentem?

Antiſthenes quid eſſet feſtum interrogatus: Antiſthen.
Gulæ irritamentum, & luxuriæ occaſionem eſſe, dixit.

Cura vt te cibi qui in ventrem ingeruntur, Epictet.
alant, ſed animi lætitia. Illi enim in excrementa vertuntur, & ſimul perit laus eorum: animus autem à corpore ſeiunctus, incorruptus perpetuo manet.

In conuiuiis memento duas esse res, quæ recipiã- A tur, corpus & animum: ac quicquid corpori impertitus fueris, id statim te effusurum: quod autem animo donaris, id te perpetuo retenturum.

Diogenis. Quibus in ædibus magna esset ciborum copia, ibi multos mures & feles esse solere dicebat: ac ea corpora, quæ multum cibi caperent, multos morbos contrahere solere.

Cratetis. Cum Crates Delphis Phrynes scorti imaginem vidisset auream: Hoc est, exclamat Græcorum trophęum.

Idem conspicatus adolescentulum athleticum, vino carne & exercitatione corpulentiorem fieri: B O miser, inquit, desine aduersus temetipsum carcerem munire.

Theognid. Multo plures iam viros satietas quam fames perdidit:

Viros, qui plus quam conueniret habere voluerũt.

Socrat. Hic homines vt ederent viuere dicebat: Ego verò (inquit) vt viuam edo.

Ad serm. 28. annot.

Basil. Ex crasso alimento] *P. Leopardus l.3.c.25. Emendat hunc locum ex Basil. hom. de Ieiunio 2. neque legendum ait* ὗν πυκνῆς *vel* ὗν *tantum* ὑς *Gesn. putat, sed* ἐκ γὰρ τῆς παχείας τροφῆς ὅιον ἀιθαλώδεις. i. ex crasso enim alimento velut fuliginosæ. *Eundem locum & Billius l.1.c.12. obseruat, ex eodem Basilio qui etiam collatus cum simili apud Maximum sermone corrigi potuit ab interprete. Is* ὑς *verò etiam reddidit* suo interuentu *quasi* ἐγγιγνομένας *referat ad* ἀναθυμιάσεις *non ad* ἐλλάμψεις, *illustrationes interuenientes* ὑς *in animam illapsas.*

Idem rogatus quemadmodum sine dolore viui posset, negauit fieri posse, quin is qui domum vel ciuitatem inhabitet, vel aliter cum hominibus cõsuetudinem habeat, dolore afficiatur.

Hoc est oculorum proprium, vt in magnis malis nullam profundant lachrymam, in mediocribus calamitatibus copiosè id faciant. Leucippet.

Mortales sepulchra, quæq; ad funus & sepulturam pertinent, præparant, quasi his sint vsuri: quemadmodum autem mortis metu & dolore vacent, quorum maximus vsus est, nihil tale præparant. Charicles.

Si quis plurima bona possidens, in mœrore vitam degat, omnium est & qui sunt, & qui futuri sunt, miserrimus. Thepomp. al. Theopempti.

Si vis tristitia vacare, quæ futura sunt sic æstima, veluti iam accidissent. Ex sententiis Epict. Isocrat.

Fac dolore vaces, non vt omnino affectionibus carens, brutorum more: nec vt rationis expers veluti insipientes, sed tanquam virtutis cultor rationem pro doloris remedio habe. Democri.

Sapit, non is qui dolet iis quæ non habet: sed qui iis quæ habet, gaudet.

Qui ob calamitates tum animo minime sunt tri- C sti, tum reipsa maxime resistunt, ij & ciuitatum & priuatorum præstantissimi sunt habendi.

Interrogatus quemadmodum hostem dolore afficere possis: Si, inquit, optimam tibi vitam præparaueris.

Nullus ex hominum numero vitam sine dolore transegit, nec vsque ad finem fortunatus fuit.

Expers doloris vita nulli permanet. Euripidis.

De dolore & tristitia. Sermo 28.

Matt.5. 2.Cor.2. BEati qui lugent, quia consolatione afficientur. Quis est qui me lætitia afficit, nisi dolore à me affectus?

Prou.25. Vt tinea vestem & vermiculus lignum, sic dolor viri cor lædit.

Syrach.30. A dolore mors egreditur, ac cordis dolor minuet vires.

Quemadmodum vermiculi teneris lignis innascuntur maximè, sic dolores in mollioribus hominum ingeniis ingenerantur.

Qui negat afflictationem iusto esse decoram, nihil aliud dicit, quàm non conuenire, vt athleta habeat aduersarium.

Theologi. Affert cõsolationem tristi, dolorum communio.

Est interdum dolor pluris faciendus, quàm voluptas: & tristitia submissa pluris quàm festiuitas, & risu inhonesto lachrymæ laudabiles.

Magnum enim confertur remedium ab his., qui eodem nobiscum afficiuntur dolore: qui enim æqualem participant dolorem, plus afferunt patientibus consolationis.

Chrysost. Tempus est tristitiæ, non cum mala nobis accidunt, sed cum malè ipsi nos gerimus.

Plutarchi. Via quidem planissima eligenda est, vita autem quàm minime perturbationibus obnoxia.

Socrat. Thoraci tunicam, tristitiæ verò mentem superinducere conuenit.

Interrogatus quid maximè bonos dolore affice-

De somno. Sermo 29.

CVm veniisset Iesus, discipulos suos dormien- Matt.26. tes reperit: erant enim oculi eorum grauati, D quibus dixit: Siccine non potuistis vnam horam mecum vigilare? (quamuis ipsi spectaueritis quã non dormiat Iudas.) Vigilate igitur & precamini. Marci 14. Lucæ 21.

† Ne dormiamus igitur quemadmodum & cæteri, sed vigilemus & sobrij simus. Qui enim dormiunt, noctu dormiunt: & qui inebriantur, nocte fiunt ebrij: nos cum diei simus, sobrie vitam instituamus. † Hecnon [illegible] noctu [illegible]

Induetur laceris & pannosis vestibus, quisquis somniculosus est. 1.Thess.5.

Sollicita vigilia appetit dormitationem. Solom. 13.

Age gratias homo ei qui nos mirifice per somnũ à continuitate laborum recreat, & ex parua & bre- Basil. vide ser. 42.1.p. Melis. E ui quiete rursum ad vires vegetas reuocat.

Vir somnolentus sola reperit somnia: Theologi. Iamb. dist.

Nam somnus haud res, visa sed tantum docet.

Somnus nihil est aliud, nisi mors quædam temporaria & quotidianus vitæ finis. Chrysost. Gre.Nyss.

Vt in terra humida radiis solis calidioribus calefacta, vapores quidam nebulosi ex alto excitantur: sic fit propè ad eundem modum in nostra terra, cũ cibus naturali calore feruefactus fuerit: nam cum vapores secũdum naturam sint aërei, & in sublime ferantur, ad superiorem locum aspirantes in capite considunt.

Mortis

Philonis. Mortis meditationem, & futuræ vitæ vmbram, & delineationem quandam somnum esse meritò definierunt veritatis studiosi indagatores. Vtriusque enim euidentes habet imagines, quippe totum hominem & sibi aufert, & restituit.

Clementis. Quæcunque de somno dicuntur, eadem etiam de morte intelligi debent: vtrumque enim animi defectionem declarat, hæc magis, ille minus.

Omnibus nobis cum somno, vt sic dicam, digladiandum est, vt plus vitæ temporis per vigiliam cõsequamur.

Somnus enim quasi publicanus quidam, dimidium nobis vitæ tempus aufert.

Tantum abest vt interdiu dormiant, vt etiam noctis maximam partem vigiliæ impartiantur.

Somnocti. Somni diurni corporis perturbationem, aut animi anxietatem, aut ignauiam, aut insciti am significant.

Mente vigili esto: huius enim somnus veræ mortis cognatus & germanus est.

Temperantes & studiosi nunquam dormitant, etiam si sua studia in multam noctem producant: non enim somnus tanquam dominus quidam eos impellit ceruicem vino subactam & in seruitutem redactam quasi cum contumelia deprimens: sed liberi & recti permanent: cum autem somnum petunt, eum pura mente recipiunt, neque prosperitatibus elati, neque vllis rebus aduersis deiecti: æqualiter enim vtraque hæc fert animus sobrius, neutróque horum se vinci patitur: itaque & suauissimè dormit omni dolore vacuus, & somnõ non intercepto.

De ebrietate, Sermo. XXX.

Luc.21. CAuete ne quãdo corda vestra crapula & ebrietate grauentur, & victus curis: & repente dies ille vobis ingruat.

Ioan.13. Tanquam in die, decenter ambulemus: non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis.

Rom.13. Melius est ire in domum luctus, quam compotationis.

Noli esse vini potor: ebriosus enim omnis mendicabit.

Qui libenter in vini compotationibus versatur, in suis munitionibus relinquet ignominiam.

Eccles.31. In conuiuio ne proximum arguas, nec eum in lætitia ipsius contemnas.

Vt enim aqua aduersatur igni, sic immoderatus vini potus rationem extinguit temperantem.

Optimus vini bibendi modus est, corporis necessitas.

Ebrietas dominum non recipit, spiritum sanctum repellit: vt fumus abigit apes, sic dona spiritualia repudiat crapula.

Et pauperes quidem hoc modo viuunt: nos autem splendidi splendidè accubabimus, in lectis mollibus & sublimibus, & excellentibus, & † pretiosis stragulis. Illis aquæ potus est satis: nobis autem ad ebrietatem vsque in vini crateres, imò & supra ebrietatem intemperatioribus dantur. Vina alia in vini numero non habemus, alia † florum instar odorata iudicamus: & de his ipsis philosophamur: damnum autem putamns, nisi vernaculo externum aliquod vinum quasi tyrannus addatur:

A decet nos molliores aliquid habere redundans & excellens: & haberi quasi ignominiosos, nisi mali existimemur & ventris, & eorum quæ sunt infra ventrem serui.

In ebrietate & intemperantia viuentibus dies in tenebras noctis mutatur, non solis luce, sed illorum mente per ebrietatem obtenebrata. Chrysost.

Vinum corpus roborat, animum sermo diuinus. Euagrij.

Mundus aqua & igne corrumpitur, luxuriosorum autem opes amore & ebrietate. Plutarchi.

In conuiuio quodam cum ei vini multum datum esset, id effudit: cúmque quidam eum reprehenderent: Si, inquit, ebibero, non solum ipsum perit, sed me quoque perdit. Diogenis.

B Contumelia & vinum amicorum mores amicis detegere solent. Menandri.

Multum meri parum sapere cogit.

Non vini copia, si considerare velimus,

Eum qui biberit bacchari facit, sed bibentis ingenium.

Indignum est, si quis plura loquatur, quàm bibat.

Nihil interim sciens, sed omnia simulate.

Interrogatus à quodam ebrioso, qno tandem modo ab ebrietate desisteret, Si subinde, inquit, quæ ipse faceret contemplaretur. Pythagor.

Is ebrietatem insaniæ exercitationem esse dicebat.

C Cleostratus cuidam sibi dicenti, Non te pudet ebrium fieri? dixit: Te vero non pudet ebrium monere? Cleostrat.

Cicadæ canoræ, cochleæ autem mutæ, gaudent tamen hæ humectatione, illæ vero calore: hæ prouocantur rore, & in eum exeunt: illas contra excitat sol ardens, & in eo canunt: itaque si vis & musicus, & ex omni parte aptus vir existere, cum in compotationibus vino animus irrigatus fuerit, tum eum progredi & contaminari ne finito: at cum in confessibus à ratione animus incensus fuerit, tum, & diuinare & iustitiæ oracula canere, iubeto. Epicteti.

D Speculum formæ æs est, vinum autem animi. Aeschin.

Vini crater miscetur & bibitur, primus quidem valetudinis, secundus voluptatis, tertius contumeliæ, postremus insaniæ. Anacharsidis.

Ebrius gubernator & quiuis præfectus omnia euertit, siue nauim, siue currum, siue exercitum, siue quodcunque tandem sit, quod ab illo gubernetur. Plato.

Sophocles Æschylum, quòd ebrius scriberet, reprehendebat: propterea quod & si quæ recta sunt faceret, tamen id nescions faceret. Sophoclis.

Vitis tres producit vuas, primam voluptatis, alteram ebrietatis, tertiam contumeliæ. Epicteti.

E Inter pocula noli multum verborum fundere, eruditionis ostentandæ causa: bilis enim hunc habet loquendi locum.

Ebrius est, qui plus quàm tria ebibit pocula, etsi si non ebrius fiat, modum tamen transit.

De libertate loquendi, & redargutione, Sermo XXXI.

Ioan.7. QVi in occulto aliquid agit, non vult in publico & in luce liberè versari.

1.Ioan.3. Si cor nostrum nos non condemnat, liberũ ha-

bemus ad Deum aditum, & quicquid petimus ab illo accipimus: quia præcepta eius seruamus, & quæ illi sunt grata, facimus.

Solom. 15. Authoritatem dat orationi initium iustitiæ.

Sirach. 8. Ne accendas carbones reprehendens improbos, ne exuraris flamma ignis peccatorum ipsorum.

Basilij. Reprehensio correctionem peccantis propositum habet: at conuitium ad lapsi & errantis fit iniuriam.

Qui quiescit nec fratris arguit peccatum, immisericors est, quasi qui venenũ immittit in eum qui sit à venenata bestia morsus.

Theol. Multo satius est breuem dolorem excitando maximam afferre vtilitatem, quàm voluptati indulgẽdo totius summæ damnum dare.

Chrysost. Melius esse credo arguere, quàm argui: quanto potius est te à malo liberum fieri, quàm alterum liberare.

Liberè loqui & simpliciter quidam aliquoties etiã vulgares solent: at decenter & tempestiuè cum modo & prudentia licentia vti, hoc demum est magni & admirabilis animi.

Phocionis. Cùm aliquando Phocion Athenensis Athenis non ad gratiam, sed ad vtilitatem concionaretur, ei Demades orator dixisse dicitur: Si populus insanierit, te occidet: cui Phocion, Te verò, si sapiet.

Nec è mundo sol tollendus, nec loquẽdi libertas ex hominum congressu remouenda.

Xenochares de obscœnis quibusdam aliquando rogatus, cùm nihil responderet, & qui interrogarat, Quid taces, diceret: De talibus te rogare decet, inquit, me autem non respondere.

Isocrat. Dicendi liberam facito potestatem sapientibus vt de quibus ambigis, habeas qui tecum consultent.

Democriti. Cum Democritus pro Athenienſibus, apud Philippum legatione fungeretur, liberéque loqueretur Philippus, Metuisne, inquit, ne tibi caput iubeam amputari? Non, inquit: nã hoc si mihi abstuleris, patria ipsa mihi immortale pro hoc reponet.

Pythagoræ Cùm quidam dixisset, Nimium me irrides: Atqui inquit, lineosis acria & acerba prosunt, dulcia verò nocent.

Ex Epict. & Isocr. Nec gladio obtuso, nec libertate immoderata vti decet.

Ex Aristonymi scriptis, Hermis & Isidori. Quemadmodum mel exulcerata mordet, secundùm verò naturam constitutis suaue est, ita habet & oratio philosophorum.

Perinde facit, qui ex oratione libertatem tollit, ac si ex absynthio tollat acorem.

Reprehensio si ignoscatur (ô maxime imperator) ad cupiditatem eorum quæ prius non nôrat, reprehensum ducit.

Socrat. Libertatis sicut cuiuslibet anni partis suo tempore iucunda est gratia.

Eusebij. Hostis vera dicens amico ad gratiam simulanti omnino præponendus est.

Ad serm. xxxi. annot.

Basil.] at conuitium ad lapsi.] *Apud Basil. hom. 1. in psal. 114* ὁ δὲ ὀνειδισμὸς ὅτι αἰσχύνη τῷ ἐπταικότος γίνεται, *ad ignominiam lapsi. Maximi Græca* ὁ δὲ ὀνειδισμὸς ὅτι ἀσχημοσύνη *ad dedecus. Sententia quæ consequitur est ex Interrogat. reg. breu. 5. quasi qui venenum immittit* ὁ τὸν ἰὸν ἐναφεὶς τῷ δηχθέντι, *qui venenum derelinquit in eo, qui commorsus est à fera.*

De labore & industria, Sermo. xxxii.

PAter meus adhuc operatur, & ego operor. Ioan. 5.

Ipsi nostis meis necessitatibus & eorum qui mecum sunt, has manus suppeditasse: de omnibus vos commonefeci, sic laborandum, & infirmos subleuandos esse. 2. Thess. 3.

Bonorum laborum fructus gloriosus. Salomonis.

Opus vestrum facite ante tempus, & mercedem vobis reddet in tempore suo. Sirach. 51.

Nam quod labore partum est, alacriter suscipitur, & industriè conseruatur: at quorum facilis & prompta est comparatio, eorum possessio contemni solet. S. Basil. hom. 1. in Hexaem.

Nobilior est in patiendo philosophia, quæ, vt aqua frigida ferrum, periculis acuitur. Theologi.

Vbique per difficultates & labores vtilia hominibus obuenire solent. Chrysost.

Laborem fugiens, bona fugit: at qui toleranter & fortiter sustinet difficilia, is ad beatitudinem festinat. Philonis.

Absurdum est sequentem honores fugere labores, ex quibus nascuntur honores. Euagrij.

Quemadmodum organum intentionẽ & remissionem suscipiens suaue fit, sic etiam vita. Plutarchi.

Voluntariis laboribus te-ipse exerceto, vt etiam non voluntarios sustinere posse videaris. Isocratis.

Nullus laudem voluptate comparauit:
Nullus desidiosus, nobilis euasit.
Sed labores pariunt nobilem fortitudinem. Philisci.

Non licet, ô stulte, cum desidia
Non laborantem labore partorum participem esse.

Hic adeò fuit laboriosus, vt sæpe rogaret seruos, an lotus esset & pransus. Niciæ.

Archimedem tabulæ incumbentem, famuli per vim extractum vngebant: at ille etiam in corpore vncto describebat figuras. Archime.

Rogatus à quodam, quo tandem modo artem dicendi esset consecutus: Plus, inquit, olei quàm vini consumendo. Demosth.

Corpus quidem laboribus, animum autem fortiter tolerando pericula exerceto. Ex sententiis Dem. Euchindij, Isocrat.

Idem rogatus, qua re industrij ab inertibus differrent: respondit, Quo impij à piis, spe nimirum bona.

Idem adolescentem conspicatus industrium: Optimum (inquit) senectuti condis obsonium.

Voluntarij labores non voluntariorum tolerantiam efficiunt leuiorem. Democr.

Ad serm. 32. annot.

Theol. Nobilior in patiendo.] *Apud Greg.* γενναιότερον γὰρ ἐκ τοῦ παθεῖν τὸ φιλόσοφον. Philosophicus enim animus ex eo, quòd pastus sit, generosior redditur: atque, vt candens ferrum aquæ frigidæ aspersione, ita periculis obdurescit. *orat. 23. in laudem Heronis.*

De

De iureiurando, Serm. XXXIII.

DIco vobis non esse omnino iurandum, neque per cœlum, quia thronus est Dei : neque per terram, quia subsellium pedum eius est.

Ante omnia fratres mei, nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque vllo alio iurandi modo : sed vestrum sit etiam, etiam, & non, non.

Iniquè iurarunt cum dolo, sanctitate contempta : non enim iuratarum rerum potentia, sed peccantium iudicium persequitur semper iniustorum transgressionem.

Qui multum iurat replebitur iniquitate, nec discedet ab illius domo flagellum.

Qui falsum iureiurando confirmat, malam inhumanitatis mercem periurium comparat.

Turpe est omnino & stultum accusare seipsum, quasi fide indignum, & iurisiurandi firmitatem adiicere.

Qui enim sanctè iurat, casu aliquo fit aliquando, vt fallatur: at qui non iurat, periurij periculum effugit.

Lex inquit, Non peierabis : tu verò ne iurato quidem omnino, neque parum neque multum, quòd iusiurandum periurium pariat.

Quemadmodum seruus qui continenter torquetur flagello, nihil imminuitur aut immutatur : sic homo qui iurat & Deum nominat perpetuò, à peccato non repurgabitur.

Sycophantæ mēdacium vendunt: alios alij fallentes iuramenta consumunt, & solùm inter iurandum Dei meminerunt.

Viros decet, vt eis moribus sint præditi, qui iureiurando firmiores esse videantur.

Iusiurandum oblatum accipito duabus de causis, aut vt te criminatione liberes, aut vt amicos ex magnis eripias periculis.

Pecuniæ causa Deum nunquam iurato, nec etiamsi sanctè iuraturus sis? aliis enim peieraſſe, aliis cupidus esse pecuniarum videbere,

Qui iuranti nihil credit, is peierare facilè nouit.

Multi solent hortari cæteros vt sancte iurent: ego vero ne ab initio quidem temere iurare sanctũ esse affirmo.

Morum probitatem iureiurando firmiorem habere decet.

De inani gloria, Serm. XXXIIII.

GLoriam inuicem accipientes, gloriam à solo Deo non quæritis.

Ne simus inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

Præstantior est qui in ignominia sibi seruit, quàm qui sibi honorem assumens eget pane.

Noli te efferre, ne cadas, & animam tuam afficias ignominia.

Odiosa est in conspectu Domini inanis gloria hominum.

Sunt qui se diuites prædicent, cum nihil habeant.

Vanæ gloriæ appetens est, qui nudæ eius quæ in mundo est gloriæ causa facit aliquid, aut dicit.

Superbi mores profecto quo magis coluntur, eò amplius contemnunt cæteros & superbiores fiunt.

Æquè difficile est in aduersis rebus excelsum retinere animum, ac in prosperis & splendidis non efferri.

Mortalibus vana gloria magnum est ad virtutem impedimentum. Theologi.

Opinari multum adimit ab eo quod est reuera.

Facillimum est seipsum fallere, & se aliquid existimare eum qui nihil sit, inani cùm sit inflatus gloria.

Contumelia est vt qui parum possit, multum infletur.

Noli superbire quòd vincas malos, sed te à bonis vinci doleto. or. 43. in nonã dom. Chrysost.

Merito certe dicta est ab antiquis inanis gloria : inanis enim est, intus nihil continens vtile, sed vt laruæ videntur splendidæ & amabiles, intus vero sunt inanes : ita etiamsi veris vultibus elegantiores, neminem tamen vnquam ad sui amorem videndo attraxerunt : Tale quid etiam & multo miserius quiddam est, quæ à vulgo datur gloria.

Propter diuitias se iactare, aut propter genus & ortum magnificè de se sentire, aut ad gloriam spectare, aut supra proximum esse velle, quibus rebus humani perficiuntur honores, hæc omnia detractionem humani honoris & dedecus continent. Gre. Nyss.

E rebus ciuilibus si materias detraxeris, inanem reperies fastum mente carentem. Philonis.

Difficile est inanis gloriæ dæmonem effugere: quod enim feceris detrahendæ illius causa, id erit initium alterius inanis gloriæ. Euagrij.

Detestatur solem fur, superbus modestos nihili facit. Ioan Climac.

Inanes vtres ventus inflat, sic stultos homines opinio. Socrat.

Cæcus sicut pastor non vult, multos ducere. Diogenis.

Alexander cum ex diuturno morbo conualuisset, negauit se quicquam peius affectum esse, quod morbus admoneat non esse superbiendum mortalibus. Alexandri.

Si videris improbum in altum sublatum, Philistion.
Splendidáque opulentia & fortuna exaltantem,
Superciliúmque magis, quàm pro fortuna tollentem,
Huius quàm citissime mutationem expectato:
Altiùs enim tollitur, vt grauiùs ruat.

O ter miseros omnes qui turgent, & multum inflant sese. Menandri.

Isti enim naturam ignorant humanam.

Aristoteles adolescentem contemplatus superciliosè & superbè loquentem, sed nullius rei peritum : Vtinam, inquit, talis essem, qualem te esse putas: qualis autem reuera es, tales sint hostes mei. Aristotelis.

Idem cùm animaduertisset adolescentem propter chlamydis magnificentiam se iactantem & gloriantem: Non desines adolescens, inquit, propter ouis gloriari virtutem.

Heraclitus physicus persuasionem dicebat esse impedimentum profectui.

De veritate & mendacio,
Sermo. XXXV.

Ioan. 7. QVi facit veritatem, accedit ad lucem, vt eius manifesta sint opera, quod per Deum sint facta.

Ephes.4. Remoto mendacio veritatem loquimini quisque cum proximo suo, quia sumus alij aliorum membra.

Solom. 10. Qui nititur mendaciis, ventos is pascet, & idem aues pennigeras persequetur.

Sirach. 27. Volucres ad sui similes diuersantur, & veritas ad sui studiosos reuertetur.

Ab impuro quid purum fieri potest? à mendace quid veri proficisci?

S.Basilij. Neque in iudiciis, neque in aliis actionibus commodum est mendacium iis qui rectam vitæ viam & veram ingredi instituerunt.

Theol.or. 26. Chrysost. Veritas vna est, mendacium vero multiplex.

Nullo eget auxilio veritatis fortitudo. Quinetiam si infinitis ipsam velint extinguere, non modo non obscuratur: verumetiam per eos ipsos qui incommodare conantur, alacrior & excelsior redditur, illos frustra se torquentes deridens.

Euagrij. Isidori Pelusiotæ. Seueriani. Gabalonis. Silere veritatem, aurum sepelire est.

Mendacium priore loco dictum, plus fidei facit, quàm posteriore loco prolata veritas.

Mendacium nisi speciem veritatis pro fundamẽto habeat, fidem non facit.

Thaletis. Thales Milesius à quodam rogatus, quantum à vero falsum abesset, Quantum, inquit, oculi ab auribus.

Plutarchi Æqualitas per libram, veritas per philosophiam iudicatur.

A via & à veritate periculosum est aberrare.

Charicleæ. Honestum est aliquando & mendacium, tum cum dicentibus prodest, & audiẽtibus nihil obest.

Gerini. Quemadmodum debilis & impotens aspectus solis lucem intueri non potest, sic idq; multo magis debilis & infirma mens verum cernere non potest.

Ex Epict. & Isocr. sententiis. Veritate nihil honoratius est, ne amicitiæ quidem delectus, vt pote intra affectus sitæ, quibus ius confunditur & obscuratur.

Æsopus rogatus quid lucri accederet ex mendacio mentientibus: Vt eis, inquit, etiam cum vera dicunt, fides non habeatur.

Platonis. Plato veritatem rem auditu iucundissimam esse dicebat: Polemon autem, vera audire quàm dicere iucundius.

Satius est mendacium sequi, quam veritatem malam.

De morte, Sermo. XXXVI.

Ioan.11. QVi credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in-æternum.

1.Thess.4. Nolo vos ignorare fratres de iis qui dormierunt, ne doleatis, sicut & cæteri qui spem non habent.

Solomonis. Perfectus (*Defunctus iuxta Hæbræos*) paucis longa compleuit tempora: placebat enim domino anima eius, quare ex media improbitate propere sublatus est.

A Melior est mors, quàm vita acerba, aut diuturnus morbus. Sirach 30.

Fili, super mortuos funde lachrymas, & luge ex ordine constituto vnum diem, vel duos, vitandæ calumniæ causa: & consolare teipsum, & abductor à dolore: scito enim nullum illis esse reditum: nec quicquam hac ratione profeceris, & te ipsum afflixeris: à dolore enim proficiscitur mors.

Quemadmodum qui in nauigiis dormiunt, à vẽtis vltro aguntur, etiam si nihil sentiant, sed cursus eos ad exitum & portum defert: sic & nos tempore nostræ vitæ præterfluente, quasi motu quodam perpetuo & indefesso, ad suum quisque finem occulto cursu vitæ nostræ festinamus. S.Basilij. orat. 24. de morte. B

Qui adhuc in vita manet, nondum propter incertum exitum beatus est: qui autem sibi præscripta & concessa compleuit tempora, & fine irreuocabili vitam conclusit, is iam tutò beatus iudicari potest.

Nemo dimissis conuentibus & mercatibus finitis negotiatur, aut post certamina coronatur, aut post prælia fortem se ostendit.

Omnis sepulchrum mortuo est tellus, humo
Nam quicquid ortum est, humus & est, & huc redit. Theologi. Iamb. distich.

Cum ex vrbe in vrbem migramus manu ducente egemus: quanto magis animus è carne migrans & ad futuram transiens vitam ductoribus egebit? Chrysost. hom.1.de Lazaro. C

Vt corpus exhalandæ animæ & morti vicinum, infinitas contrahit ægritudines, & ruinam minante domo multa prius delabi solent, tum de tecto, tum de parietibus: sic & orbe terrarum breui interituro, infinita vbique iam mala dispersa.

Optimum est è vita, vt ex conuiuio, neque sitientem neque ebrium excedere. Aristotelis

Si quis in morbo testamentum scribat, similiter facit, vt qui in tempestate maris instrumenta nauis incipiunt præparare.

Fac velis potius honeste mori, quam turpiter viuere. Isocratis.

Præstat mori quam per intemperantiam animum obtundere & hebetare. D

Morbis aliis atque aliis inuadentibus, ne mors quidem ipsa diutius aberit.

Aristides cognomento Atticus, rogatus quandiu liceat homini honeste viuere: Ex Phauorino.

Quoad, inquit, mori existimabit melius esse quã viuere.

Amasis Ægyptiorum rex, ad amicum qui filium amiserat, scribens vt consolaretur: Si, inquit, cum nondum esset, non dolebas, ne nunc quidem cum iam non est, dolere debes.

Diogenes Cynicus cum quidam lamentaretur quod sibi peregre moriendum esset: Quid stulte, inquit, lamentaris: vndique enim ad inferos tantũdem est viæ. Diogenis. E

Lugere natos conuenit tot in mala Euripidis.
Venisse: mortuus laborem desinens
Cum gaudio efferendus est ex ædibus.

Contra cætera omnia aliquid tutum inueniri potest, at contra mortem omnes vrbem habitamus immunitam. Epicuri.

Non potest is honeste præsentẽ diem transigere, qui nõ eum diem vitæ sibi proposuerit extremum. Musonij.

Propter

Polyæni. Propter mortuos ne doleto, quia neceſſarium A mori, ſed propter eos qui turpiter moriuntur.

Democrit. Hic cum ægrotaret & in lethargum incidiſſet, poſtea leuatus: Nihil me (inquit) fallet vitæ cupiditas, & vita ſe priuauit.

Menandri. Ter miſera & ęrumnoſa vitæ natura eſt,
Et plurimis referta curis vndique.

Magis eſt neceſſarium animum quam corpus ſanare. Præſtat enim mori, quam male viuere.

Sophoclis. Fidus tibi tumule quis ex mortalibus?
Heu mortuis, quam cito fluit breuiſſima.
Et priſtina omnes deſerit inita gratia.

Hic gladium proiectum conſpicatus, Quis te, in- B quit, perdidit, aut quem tu?

Idem cum mortem quidam aduocaret in liberorum amiſſione, Cur homo, inquit, ipſam vocas? an non, etiam ſi non vocaris, veniet?

Idem rogatus, quod genus mortis malum eſſet: Quod, inquit, legibus conſtitutum eſt.

Socratis. Socrates damnatus ab Athenienſibus præcipitij, vxore eius Xanthippe flente, & dicente: Quam iniquè, ô Socrates, occideris: Velles igitur, inquit, me iuſtè occidi?

Idem cum quidam ei dixiſſet, Athenienſes te morte afficiendum decreuerũt: Et ante eos, inquit, natura.

Idem interrogatus, quænam apud inferos eſſent, Nec ego, inquit, vnquam iui, nec cum quoquam illinc reuerſo ſum collocutus.

Ami. Animum mors non perdit, ſed mala vita.
Si nullus occideretur, impunita eſſent vitia.

Basilion. Amicorum & familiarium, dum viuunt curam gerito: defunctorum autem corpora terræ commiſcenda ſunt, quod hoc ſit pium: non enim vna cum corpora ſepelitur animus. Fruſtra igitur nimius ille ſepulturarum labor ſuſcipitur.

Imago. S. Nicolai Collectio. Duo eſſe mortis documenta puto, tempus quod fuit ante ortum, & ſomnum.

Cauſiani natos lugent, mortuos beatos prædicãt. D

De pace & bello, Sermo 37.

Luc.10. IN quamcunq; domum ingreſſi fueritis, primum dicite, Pax huic domui: & ſi fuerit illic filius pacis, requieſcet ſuper eum pax veſtra.

1 Cor.13. Pacate viuite, fratres & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum.

Prou.15. Melius eſt fruſtum panis in voluptate & pace, quam domus bonis referta cum pugna & contentione.

Eccl.25. Tribus ſum delectatus, ſuntque hæc grata Deo & hominibus: fratrum concordia, proximorũ pax, vir & vxor inter quos bene conuenit. E

S. Baſilij. Quantum ſit pacis bonum, quid neceſſe eſt apud pacis filios commemorare? nihil enim tam proprium Chriſtiani, quàm pacificè viuere: quare etiam huius rei mercedem dominus eſt nobis pollicitus.

Theologi. Præſtat laudabile bellum, quam pax à Deo ſeparans.

Chryſoſt. Qui omnibus pacem imprecatur, bellum affectuum profligauit, & animum portu tranquilliorem reddidit.

Greg. Nyſ. Quemadmodum bona valetudine reuerſa, morbus euaneſcit, & lumine apparente non relinquun- tur tenebræ: ſic & pace præſente & ſe prodente, omnes aduerſarij perturbationes diſſoluuntur.

Qui bello rectè vti volunt, illos non res ſequi, ſed eas anteuertere oportet.

Honeſtum bellum turpi paci præponendum. Demoſth.

Nullus enim eſt tam ſtultus, qui paci bellum Herodoti. præponat.

Pax agricolam vel in petris alit bene: Menandri.
Bellum autem vel in campo malum eſt.

O pax profundę diuitię, & iugum boum. Vtinam Ariſtoph. enim mihi pacem habenti liceat fodere incuruato, & loto trahere vinum, panem & pinguem raphanum ferenti.

Prudentia quàm plurimas vinces manus. Euripidis.
At imperita multitudo auget malum.

De ſpe, Sermo 38.

IN tuemini in volucres cœli, quia non ſeminant, Matt. 6. neque metunt: non colligunt in horrea ſua, & pater veſter cœleſtis alit illas.

Spes quę cernitur, non eſt ſpes: quod enim cernit Roma. 8. quis, id non ſperat: Quod ſi id quod non cernimus, ſperamus, per patientiam expectamus.

Ingrati ſpes quaſi hyberna pruina liquefiet, & Solom. 20. quaſi aqua inutilis defluet.

C Spes impij qualis puluis qui à vento agitatur, & fumus qui à vento diſſoluitur, & vt recordatio hoſpitis vnius diei præterit.

Spectate antiquas ætates, & videte num qui ſperauit in domino ſit ignominia affectus, & qui in illius metu permanſit, ſit contemptus. Sirach.

Qui in homine ſpem ponit ſuam, aut alia aliqua re S. Baſilij. earum quæ in hac vita ſunt, hic ſe effert, nec poteſt illa verba dicere: In te domine ſperaui.

Præceptum eſt enim ne in principibus ſperemus.

Epiſt. 19. ad Greg. Eum dignum laude iudico, qui ſpes vigilantium ſomnia eſſe dicebat.

Cum magna ſperauerimus, ſimul ſperatis potimur, minore opinione. Theologi.

Ne fide multum, nec nimis ſpem proiice. Tetraſt. 11.
Mens languet illinc: prorſus hinc euertitur.

Quæ quis tanquam paſſurus metuit, hæc conſecutus eſt etiam ſi non recuperarit.

Periere multi iam propinqui littori. Tetraſt. 27.
Vado oppulere turbine acti plurimi.

Nec in triſtitia de fœlicitate deſperes, nec in fœ- Or. 43. licitate † calamitatem nullam expectes. † ἀθυμίαν.

In rebus vnum eſt permanens, ſpes quæ in Deo habetur: cætera omnia natura non ſunt, ſed eſſe putantur.

Fieri non poteſt vt is à propoſito fine excidat, qui tota mente in Deo ſpem habet, & omnia ſua illi offert.

Eorum quæ expectantur bonorum afflictatio Greg. Nyſ. flos eſt: ergo propter fructum, florem etiam decerpamus.

Inexpectatum malum omnino tumultum ciet Nili. cum incidit: expectatum verò, quia præparatum ad ſuſcipiendum inuenit animum, calamitatem efficit leuiorem.

Speratum bonum, ſi in contrarium cadat, intole- Procopij, rabile affert malum. Sophiſtæ. Plutarchi.

Nec nauis vna anchora, nec vita vna ſpe firmanda eſt.

Stabiles eruditorum sunt spes, vt quæ in rationis portu conquiescant.

Virtutis spes propriæ sunt animi, vitij autem nothæ.

Idem præstat scaphæ impulsæ infirma anchora, quod spes innitens malo consilio.

Socratis. Improbæ spes quemadmodum mali vitæ duces in errorem inducunt.

Nec mulier sine viro, nec spes bona sine labore quicquam parit vtile.

Leucippi. Iucunda etiam si præsto non adsint, spe tamẽ delectant.

Quod enim semel speratum est, ex animo detrahitur: & quod nusquam amplius expectatur, metu liberat ægros.

Charicleæ. Festinatio orationis ad id quod nondum est dictum, integritatem iam dictorum detrahit.

Leucippes. Periculi metus, spes animi turbabat: spes autem adipiscendi, metum voluptate occultabat. Sic & qui sperabat, metuebat: & quod dolebat, gaudebat.

AD SERM. 38. ANNOT.

Basil. *quæ in vita sunt.*] μετεωριζόμενος ὑδ' ὧν αὐτὸς ἐστὶν εἰπεῖν, quæ in vita sunt elatus, non potest dicere, In te, &c.

Theol. Quæ quis tanquam.] *Ex orat. 4. in Iulian. 2. vbi agit de improborum pœna ex metu supplicij.* ἃ γὰρ τις δέδοικε *recte collegit legendum Gesn. pro* δέδωκε. Nam quæ quisque vt iamiam perpessurus timet, hæc passus est, etiam si non patiatur.

De mulieribus, Sermo 39.

Ioan. 4. DIcit ei Iesus, Ego sum qui tecum loquor: & interea venerunt discipuli eius, qui mirati sunt, quod cum muliere loqueretur.

1. Tim. 2. Mulier in quiete discat, cum omni submissione & obedientia: nec mulieri docere permitto, aut in virum authoritate vti.

Solomo. 5. Improbæ mulieri ne te adiungito: mel enim ex meretricis labris destillat, quæ ad tempus guttur tuum vngit, ad postremum felle acerbius reperies.

Vt vermis in ligno, sic virum perdit improba mulier.

Præstat in solitudine degere, quam cum muliere pugnace, & linguace & iracunda.

Sirach. 25. Cum leone & dracone habitare malis, quam cũ malicioſa muliere.

Basil. ho. 4. in diuit. Mala mulierum studia & affectus, infirmos cohabitantium animos submergunt.

Theologi. Insipientissimæ mulieres naturali pulchritudine carentes, ad colores confugiunt, & sunt, vt sic dicã, ornatæ ad spectaculum, per ornatum inornatæ, & per dedecus & turpitudinem turpiores.

Chrysost. Qui malam habet vxorem, is sciat se suarum iniquitatum mercedem iam recepisse.

Graue est pauperem ducere vxorem, graue quoque diuitem: illud enim viri † bonis nocet, hoc verò authoritati & libertati.

Clementis. Mulier tollit omnem suspicandi occasionem, si se non comat, nec supra decorum se ornet.

Sexti. Mulierem malam decet sigillum,

Democriti Solonis. Parêre mulieri contumelia est extrema.

Solon à quodam rogatus, an vxorem duceret, respondit: Si turpem duxeris, habebis pœnam: sin pulchram, habebis communẽ. (*Græcis allusio verborum est* ποινὴ & κοινὴ)

Diogenis. Colloquentes mulieres conspicatus, Aspis (inquit) à vipera venenum mutuatur.

Philonis vxor. Hæc in conuentu plurimarum mulierum interrogata, cur sola ex omnibus mulieribus ornatum non ferret aureum: Vxori, inquit, satis magnus est ornatus viri virtus.

Pythagor. In ignem & in mulierem incidere æquale esse dicebat.

Secundi. Secundus ille sapiens quid esset mulier interrogatus, respondit: Viri naufragium, domus tempestas, quietis impedimentum, vitæ captiuitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, bellua conuiua, solicitudo † considens, leæna complectens, exornata Scylla, animal maliciosum, malum necessarium.

Idem tria mala se adeptum esse dicebat, Grammaticam, paupertatem, & pernicioſam vxorem: duo se effugisse, malam autem mulierem effugere non potuisse.

Philoxeni. Philoxenus poëta cum quinam percunctaretur cur bonas Sophocles introduceret fœminas, ipse autẽ malas: Quia (inquit) quales oporteat esse mulieres, Sophocles dicit, ego verò quales sint.

De contradictione, & audacia, & contentione, Sermo 40.

Matth. 5. AVdistis dictum esse: Oculum pro oculo, & dentem pro dente: ego verò dico vobis, non esse malo resistendum: sed quicunque tandem tibi in dextram malam incusserit alapam, ei & alteram obuertito.

Rom. 9. O homo tu quis es, qui ex aduerso respondeas Deo? num dicet figmentum fictori suo, cur me sic fecisti? An non habet figulus potestatem ex eadem massa luti aliud vas honesto vsui destinare, alterum turpi & ignominioso?

Solomonis Ferrum ferro acuitur, vir vultum alterius irritat.

Ventus Boreas excitat nubes, vultus impudens linguam irritat.

Sirach. 4. Ne sis audaci lingua, nec segnis & remissus in operibus tuis.

Ante ignem vapor camini & fumus, sic ante sanguinem conuitia.

Qui conuitiis faciendis assuefactus est, omnibus vitæ diebus non emendabitur.

Contentio festinans ignem effundet, & pugna festinans cruorem dabit.

Contradictio animum imperãdi cupidum & inobedientem arguit, etiamsi in habitu demisso fiat.

Theologi. Solent enim generosi spiritus aduersus violentos refractarij esse, vt flamma à vento incitata tãto magis accenditur, quanto vehementiùs aspiratur.

Chrysost. Hortantibus te ad silẽdum ne aduerseris, dicens: Non ferã, vt ille me deridens abeat: non enim tum deridet, sed si rem persequaris. Quod si etiam tum riserit, vt stulto id illi accidet: tu verò ne quæras obtinere de stultis testimonium, sed id satis esse existimato quod prudẽtes dederint: vel potius in Deum spectato, qui tibi laudem tribuet. Illum verò, quem Deus laudauerit, omnino non decet ab hominibus honorem quærere.

Cætera

Cætera quidem peccata,& re,& tempore, & extrinsecus adhibita actione vt fiant egent: at orationis natura per se peccandi libertatem obtinet.

Improbi propria est impudentia, pudor autem probi: at neque pudentem , neque impudentem esse, ad Academicos pertinet & nunquam assentientes.

Impudens aspectus & elata ceruix, & continuus superciliorum motus, & incessus insolens, & ob rem turpem non erubescere, animi sunt signa turpissimi,obscuras suorum dedecorum notas in conspicuo corpore inscribentis.

Qui non seipsum veretur,
Cum sit malefactorum sibi conscius:
Qui potest alium nescientem vereri?

Si quem improbus cum sit, nihil pudet, in eo est vitiorum cumulus.

Lingua temerè ne vtitor, nam temeritas sæpe etiam caput ipsum perdidit.

Temeritate nullus adhuc virtutem comparauit sed labore,& generositate,& clementia.

Nihil est stultitia, vt mihi videtur, audacius.

Reuerentia apud omnes dignus eris, si primum teipsum vereri cœperis.

Verere temetipsum, & apud alium non erubescas.

Maxime se quemque reuereri oportere putato: neminem enim vnquam à se disiunctum esse.

Idem adolescentulum erubescentem conspicatus,Confide, inquit: talem enim virtus habet colorem.

De senectute & iuuentute. Sermo 41.

CVm iunior eras, te ipse cingebas, & vbi volebas deambulabas:cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & quo nolis te ducet.

Itaque remissas manus & dissoluta genua erigite,& semitas rectas pedibus vestris facite.

Longitudo vitæ,viæ iustitiæ.

Cum multitudine seniorum versator: & si quis est sapiens,huic te adiungito.

Ne repudiato virum in senectute sua:etenim etiã ex nobis aliqui senescent.

Quam pulchrum est caniciei iudicium,& senioris dominium agnoscere.

Quam pulchra est senum sapientia.& honoratorum consilij perspicientia.

Mœchum senem ex animo odi, intelligentia diminutum.

Plus reuera valet ad senioris commendationem senilis prudentia, quam caniciei color.

Nihil differt à vero puero qui mente puerascit.

Turpe est ætatem defloruisse, & libidinem non deferbuisse.

Canicies aliquid etiam discit, nec omni ex parte senectutem omnia intelligere credendum est.

Canicies non in capillis canis, sed animi virtutibus sita est.

Nec iuuenem vituperato , nec senem laudato: non enim in ætatis,sed consilij differentia virtus & vitium est.

In omni negotio ferè iuuenes consiliarij fallunt: nec à iuuentute facilè corrigitur, aliquid eorum quæ studio sunt digna.

Vere senior non ex temporis diuturnitate,sed ex laudabili & perfecta vita spectatur. Philonis.

In senectute honoratum esse, argumentum est eundem ante senectutem industrium fuisse: studiũ & diligentia in iuuene certa est honoratæ senectutis futuræ sponsio. Euagrij.

Tum floret animus ad scientiam, cum corporis vigor temporis diuturnitate marcescit.

Cani animum hinc migraturum clamãt, & protestantur. Nili.

Hyems tegumentum, senectus doloris vacuitatem requirit.

Iucundum est vt cum amico bono,sic cum bona ratione senescere. Plutarchi.

Hortabatur iuuenes vt hæc tria haberent:in animo prudentiam,in lingua silentium, in vultu verecundiam.

Eratosthenes , ætatis partem vigentem ver esse dicebat:eam autem partem quæ vigori & flori succedit,æstatem & autumnum,& hyemem, senectutem. Ex Phauorini commentariis.

Senectutem dicebat * malum esse portum:quippe omnia ad eam confugiant. Diogenis. * κακῶν, malorum.

Cum quidam ex eo quæreret quid senectutem esse putaret,respondit, vitæ hyemem.

Cum vidisset anum comptam. Si(inquit) ad viuos,erras:sin ad mortuos,ne cuncteris.

Alexander cum senem quendam capillos inficientem vidisset, inquit: Non capillos, sed genua tingas.

† Orgias cum ex eo quæsitum esset, qua victus ratione vsus in longam senectutem peruenisset:Nihil (inquit) vnquam ad voluptatem edens, neque faciens. Fortè,Gorgias.

Vitæ longitudo expectando quidem prolixa videtur:iam autem præterita, somno & vmbra magis euanida esse solet.

N. Syra,Syra,quid est?vt vales? Philemon.
Nunquam de hoc rogato , si senem videris.
Aut vetulam aliquam,sed statim scito eos male habere.

Vbi sexagesimum solem flexeris Herodis.
O Grylle,Grylle morere & cinis fias.
Nam cæcus foret omnis deinceps vitæ flexus.

Est cum iuuenum prudentia reperitur, & senum stultitia:tempus enim prudentiam non docet, sed natura recta & viuendi ratio.

Paupertas seniúmque, duo sunt vulnera curæ Democr.
Difficilis nimium.

Vetus hoc dictum est, faciendo iuuenes:
Consultando autem seniores præstare.

Senectus leonum præstantior est hinnulorum iuuenta.

Robur & pulchritudo iuuentutis bonum est,senectus autem prudentiæ flos.

AD SERM. 41. ANNOT.

Orgias.] *Rectè coniecit Gesn.esse Gorgiæ hoc apophthegma ei à Diogene Laert. tribuitur. Locus qui sequitur ex Philemone profertur & à Stobæo sermone de Senectute & inter veterum Canonicorum sententias reperitur ita interpunctus. N. Heus tu Lyra. Sy. Hem quid est? N. Satin' belle te habes*

Sy. Simul atque quempiam senem, aut anum vides, A
Male sese habere credito.
Illud porro vetus hoc dictum *à Stobæo tribuitur Euripidi, & quod sequitur* Senectus *Hippothoonti.*

De patientia & lenitate, Sermo 42.

μακροθυμία.

Matt.10. Lucæ 22. Iacobi 5.

IN patientia vestra possidete animas vestras. Fratres exemplum sumite patientiæ & lenitatis ex prophetis, qui nomine domini sunt locuti. Ecce beatos dicimus sustinentes patienter. Patientiam Iob audistis, & exitum domini vidistis.

Solom.26. Lenis vir extinguit lites, impius autem magis B excitat.

Sirach.2. Quicquid tibi illatum fuerit, suscipe: & in vicissitudine humiliationis tuæ leniter sustineto: quia vt in igne probatur aurum, sic homines accepti in fornace abiectionis.

Sirach. 22. Patere tempore afflictionis, & perseuera cũ proximo tuo, vt in hæreditate eius sis cohæres.

S. Basilij. Sit tibi præceptum Dei domesticum, quasi lumẽ quoddam & illustratio ad negotiorum discretionem nunquam non sese proferens: quod eminus animi tui meditationem præoccupans veras de quaque re opiniones & sententias tibi præparat, nec sinat te in vllo casu alienari: sed efficiat vt præparata C mente tanquam scopulus quidam mari vicinus tuto & constanter violentorum ventorũ & fluctuum impetus sustineas.

Theologi. Ne simus serui mali, benefaciẽti domino gratias agentes, castiganti autem non assentientes.

Atqui nonnunquam valetudine vtilior est morbus, & patientia remissione præstantior, & cura quam securitas.

Chrysost. Nihil æquè venerabiles reddit, ac iniuriam patientes ferre toleranter.

Quemadmodum pœnitentibus Dei lenitas vtilis est: sic obstinatis & duris supplicij est occasio maioris.

Cum quis tibi maledicit, noli in eum spectare, sed in dæmonem impellentẽ, & omnem iram contra hunc effundito: illius autem miseretor, qui à dæmone impulsus sit.

Greg. Nyss. Conuitiorum & contumeliarum progressus leniter ferendo sistitur. Nam si quis contumelia contumeliam & conuitium vlciscatur, hæc ipsa vitia augebit, dum quod absurdũ est similibus addit.

Firma & indubitata gratiæ spes, fruitio est iis qui per patientiam expectant.

Nili. Contemnere & nolle calamitates ferre, magnæ & variæ stultitiæ proprium est.

Democrit. Si quæ sunt perpetienda discere liceret & non E perpeti, bonum esset discere, sed si perpetienda sunt omnino, quid discere iuuat? perpeti enim necesse est.

Solonis. Solon in se despuentem quendam ferebat: cum autem alter quidam eum propterea accusaret: Atqui, inquit, piscatores vt gobium vnum capiant, patiuntur se aqua marina conspergi: ego idem ferre non sustineam, vt hominem capiam?

Glyconis. Cognitio Dei per lenitatem & clementiam in homine agnoscitur.

Metrodori Noli petere, vt quę fiunt, fiant vt vis: sed ea ita fieri velis vtcunque fiant.

Theol. Atqui nonnunquam.] *Hæc absunt à Græco Maximi, sed sumpta ex 2. parte Melissæ.* χρεῖσσων ἐστὶ μονὴ ἀνέσεως καὶ ὑποσκελὴς ἀμελείας. *Gregor. orat. 17. ad Nazianz. ne improbos seruos imitemur, qui domino quidem gratias agunt, cum benefacit ei, verùm eidem corripienti nequaquam pari studio & voluntate adiunguntur, cum tamen interdum accidat, vt dolor sanitate, & admonitio indulgentia, & visitatio neglectu, & castigatio venia melior sit & præstabilior.*

De laude, Sermo. 43.

VÆ vobis cum benedixerint vobis homines: Matt.5. idem enim fecerunt pseudoprophetis patres vestri.

Ex eodem ore exit benedictum & maledictum: Iacobi 3. non oportet fratres mei ista sic fieri: num fons ex eadem scaturigine fundit dulcem & amaram aquam?

Aurum & argentum igni exploratur, vir autem Solom.17. probatur ore laudantium eum.

Inconsulte vide ne quenquam laudes: hæc enim Syrach. est hominum tentatio.

Ne laudibus efferamur, quæ supra verum nobis Basilij. tribuuntur.

Nimia honorum excellentia ita quosdam afficit, vt decorum etiam deserant & contemnant. Quorum enim laudes noui, eorum etiam incrementa certo scio.

Nihil alienum quod non sit iustum, laudetur: nec nostrum vel domesticum reiiciatur, si est honestum: vt illi alienum esse lucro non sit, sed huic domesticum esse damnosum: vtroque enim modo æquitatis violaretur ratio, si vel illi laudarentur, vel hi silerentur.

Qui improbitatem laudat, eam pœnitentiæ re Chrysost. medio fraudat.

D Non solum qui improbe agunt, sed etiam qui eos laudant, eodem vel etiam grauiori afficientur supplicio.

S Ignatij ex Epistol. ad Tralienses. Vt sanus sim in his quæ ad Deum pertinent, vehementius tamen verẽdum mihi est, & cauendum ab iis qui me temerè inflant: laudantes enim me flagellant.

Plutarchi. Venatores canibus lepores venantur, & laudibus stulti capiuntur.

Diis thura, bonis autem laus tribuenda est.

Socratis. Fidos eos existimato, non qui dicta & facta tua omnia laudant, sed qui quæ peccâris reprehẽdunt.

Moschion. Si vis bene audire, discito bene dicere: conare bene agere, & sic bene audiendi fructum percipies.

Polyæni. Præsentem nec vituperato, nec laudato: illud enim inimicitiam gerit, hoc assentationem.

Cypsæi. Viuus laudator, mortuus beator.

Antagorz. Idem dicebat: Cum me multi laudant, tum nullius me pretij esse arbitror: cum vero pauci, bonum virum.

De pulchritudine, Sermo, 44.

COnsiderate lilia agri, vt crescant: nõ laborant, neque nent. Ego illud affirmo ne Solomonem quidem in omni sua magnificentia, sic vestitum fuisse, vt vnum ex istis.

Volo

1. Tim. 2. Volo mulieres in habitu modeſte cum verecun-
dia & temperantia ſeipſas ornare, non tortis cri-
nibus, aut auro, aut margaritis, aut veſtitu ſum-
ptuoſo.

Salomonis Fac ne te vincat formæ cupiditas, nec tuis oculis
capiaris.

Ieſech. 26. Ne quenquam laudes ob pulchritudinem: pul-
chritudo vultus in ætate ſtabili.

S. Baſilij Qui eſt hodie corpore florenti, corpulentus præ
delitiis, florentem habens formam, propter ætatis
vigorem turgidus & toroſus, & viribus intolerabi-
lis: cras idem iſte miſerabilis erit, vel tempore mar-
cidus factus, vel morbo diſſolutus.

Chryſologi. Aurum, & lapides pretioſi, & cætera artificio &
manu hominum compoſita ornamenta, deformi-
tatem mulierum collatione facta produnt: formo-
ſæ verò nihil egent ornatu fictitio.

Ieſaiæ 22. Verum decorem mentis ornatum puta.

Neque flamma manet conſumpta materia, ſed
ſimul cum ſuo fomento perit: neque cogitatio af-
fectibus obnoxia perſiſtit, ſi fomes eorum marce-
ſcat.

Nyſſenus. Ne te ſuperet pulchritudinis cupiditas, neque
corripiaris palpebris tuis, vel vſque ad cõtemptum,
ſi fieri poteſt.

Chryſoſt. Quid eſt oculi virtus? num vt ſint molles, & ſagi-
nati, & rotundi & cærulei? an vt ad perſpiciendum
ſint acres. Et quæ lucernę virtus eſt? vtrum clare lu-
cere & totam domum illuſtrare? an pulchre forma-
tam eſſe & rotundam? non enim ab ipſa figura ſed à
moribus & moderatione pulchritudo efficitur.

Baſilii. In ſpeculo temetipſum cõtemplare: & ſi pulcher
videbere, te digna gerito: ſin turpis, quod aſpectui
deeſt, probitate exornato.

Iuuenis. Oculus eſt amicitiæ conciliator, & familiaritas
conuerſationis ad gratiam conferendam venera-
bilior eſt.

Oculorum motus inuicem reciproci quaſi in
ſpeculo corporum ſpecies concipiunt.

Diogenis. Formoſos & eoſdem imperitos alabaſtris ace-
tum continentibus ſimiles eſſe dicebat.

Demetr. Cuidam ob formam glorianti, inquit: Non pu-
det te ſuperbire ob ſpeciem pulchram, quam depo-
ſitam habes ad exiguum tempus?

Æſopi. Æſopus ei qui forma male vtebatur: O quali ve-
ſte (inquit) indutus male eam exuis.

Idem cum ei obiiceretur quod deformem habe-
ret aſpectum: Ne (inquit) in vultum, ſed in animum
ſpectato.

Conſpicatus adoleſcentulum ſe comentem: Si
(inquit) ad viros, infœlix es: ſin ad mulieres, iniurio-
ſus.

Idem cum adoleſcentem animaduertiſſet for-
moſum, atque ob eam cauſam à multis amatum:
O adoleſcens, inquit, da operam vt corporis a-
matores ad animum traducas.

Menandri. Cum formam naturalem boni mores
Exornant, dupliciter ſpectator capitur.

Socratis. Bona & vtilia (inquam ego) non propter aſpectus
formam elegantem, ſed propter vitæ virtutes ho-
minibus eueniunt & augeſcunt.

Formoſorum oſcula vitanda ſunt, quaſi animalium morſus venenatorum.

AD SERM. 44. ANNOT.

Theol. Formoſe verè.] *Græcè τῇ καλῇ δ' ἁρμοδήσει κἀλλύσης ἁπαλώμενα.* Pulchræ verò fœminæ nihil addunt decoris à natiua pulchritudine ſuperata.

Neque cogitatio affectibus.] *Græca maximi, ὅτε λογισμὸς ἐμπαθὴς ἀφίσταλαι.* at apud Gregorium ipſum or. 20. in Baſil. *ὅτε πόθος ὑφίσταλαι μαραινομένου τοῦ ὑπερκαύματος,* neque cupiditas marceſcente fomite ſubſiſtit. *Paulo poſt in loco Chryſoſtomi vbi oculos molles & ſaginatos vertit è Græco εὐπρόφυες, fortè εὐπρόφυες verſatiles, volubiles melius legas. Poſtremo apophthegmata quæ incipiunt.* Conſpicatus & idem cum adoleſcentem *alibi tribuuntur Diogeni vide Antonij ſerm. 60. 1. p. Meliſſ.*

De futuro iudicio, Sermo, 45.

Futurum eſt vt filius hominis veniat in gloria patris ſui cum Angelis ſuis, & pro factis ſuis cuique reddet. Lucæ 21.

Opus cuiuſque perſpicuum erit: dies enim indicabit, quia per ignem patefiet: & opus cuiuſque quale ſit, ignis probabit. 1. Cor. 3.

Vniuerſa opera adducet Deus in iudicium, in omni dilecto, ſiue bona ſint ſiue mala. Eccle. 11.

Exurget Dominus & reddet omnibus, & retributionem eorum in capita authorum conuertet. Sirach. 17.

Ne me putes tanquam matrem quandam nutricem falſa tibi irritamenta incutere, quod illæ facere ſolent in pueris infantibus, quum plorant immoderate nullum finem facientes, & per fictas narrationes vt ſileant efficiunt. Hæc enim non fabula, ſed ſermo verax multo ante prædicatus docet: Itaque certo ſcito eorum omnium quæ in vita geſta ſunt ſeueram factum iri inquiſitionem & examinationem. S. Baſilij.

Melius æſtimo nunc caſtigari & purgari, quam in illud examen mitti, cum iudicij tempus erit non purgationis. Theologi

Quemadmodum à vernis noſtris non exitus ſolum, ſed etiam introitus rationem exigimus, exquirentes vnde hæc aut illa acceperint, à quibus & quando, & qualia, & quanta: ſic & Deus non ſumptus modo, ſed etiam poſſeſſionis rationem repoſcit. Chryſoſt.

Nihil omnino bonorum ne exiguum quidem prætermittet ille iudex. Quod ſi peccatorum, & verborum, & cogitationum pœnas luituri ſumus: multo magis præclara facta, ſiue parua ſiue magna fuerint, ad rationem vocabuntur.

Qui ſæpe labuntur peccantes, nec puniuntur, terreri metueréque debent: illi enim ſupplicia augentur per Dei lenitatem & ſuam impunitatem.

Si enim qui ſolis lucem non intuentur, aguñt vitam quauis morte acerbiorem, quid par eſt eis euenturum qui illo priuabuntur lumine?

Meſſem habebis ſemente dignam. Acerbitatem ſeminaſti, collige manipulos: immiſericordiam honoraſti, habe quod amaſti: fugiſti miſericordiam: te fugiet miſericordia: deteſtatus es pauperem, deteſtabitur te qui propter nos factus eſt pauper. Greg. Nyſſ.

Apud Deum nec improbus poteſt amittere mercedem vnius boni cum multis malis peracti: nec contra probus poteſt ſupplicium euadere, ſi quid ab eo cum multis bonis factum fuerit improbe: neceſſe eſt enim Deum libra & pondere omnia reddere. Philonis.

Non hic cruciari malum est, sed futuro illo cru- A ciatu dignum fieri.

Zaleuci. Sic nobis præceptum est omnibus, tum ciuibus, siue viris siue mulieribus, & inquilinis, vt meminerimus Deum esse, & suppliciis iniquos afficere, vtque ob oculos ponamus nobis tempus illud quo erit singulorum finis cum ex hac vita excedent: omnibus enim morituris venit in mentem pœnitentia: meminerũt enim quos læserint, & ita afficiuntur, vt velint omnia à se iuste facta fuisse.

Apollonij. Quod si est aliquis sensus apud inferos, & Deus defunctos curat, vt nos opinamur, credendum est eos qui honoribus diuinis labẽtibus succurrerunt, B plurimam à Deo mercedem consecuturos esse.

De gloria, Sermo 46.

Matt. 6. QVærite regnum Dei & gloriam eius, & hæc omnia vobis accedent.

Rom. 8. Non sunt huius temporis afflictationes dignæ futura gloria, quæ nobis patefacienda est.

Solomonis Gloriam sapientes tanquam hæreditatem assequentur.

Sirach. 7. Noli à domino principatum quærere, nec à rege sedem gloriosam, sed omnibus viribus tuis gloria affice eum qui te creauit.

Nihil fecit imperfectum. Vnum vnius bona con- C firmauit: & quis expleatur contemplans gloriam eius?

S. Basilij. Si gloriam appetis, vsque multitudinem excellere, & negotiis mundanis primus & præstantissimus esse: iustus esto, temperans, prudens, fortis, patiens in his quæ ferenda sunt pietatis causa: sic enim & temetipsum seruabis, & propter maiora bona maiorem consequere laudem ac splendorem.

Theologi. Curæ perenne sit decus semper tibi:

Iãbic. dist. Hoc namque pręsens quolibet fallit die.

Chrysost. Si pro gloria & dignitate huius vitæ inuenitur, qui vel totum profundat patrimonium', quid potest esse nobis miserius, qui pro permanente gloria D & quæ eripi non potest, ne tantillum quidem expendimus?

Plutarchi. Plantæ capiunt à radice incrementum, gloria verò † à prima sumptione augetur. Ἀπὸ δὲ πρώτης λήψεως, *alias* λίξεως.

Nemo bonæ existimationis studiosus, improbus est futurus: pulchrum est autem pro breui voluptate sempiternam accipere gloriam.

Aristotelis. Maxima est dignitas non quidem vti honoribus sed efficere vt dignus illis existimêre.

Isocratis. Quorum laudes magni æstimas, illorum etiam virtutes æmuleris.

Ind⁹ sagit. Indum celeberrimum sagittarium, quique dice- E retur per annulum sagittam transmittere, suæ artis specimen dare iussit: & recusantem iratus interfici imperauit. is cum ad supplicium duceretur, lictoribus cœpit dicere, multum temporis esse, quod arcum in manus non sumpsisset, & ne aberraret pertimuisse: quibus auditis Alexander miratus, tum absolui iussit, & cum muneribus dimisit, quod mori, quam gloria indignus videri mallet.

Theophra. Non ex familiaritate & gratia, sed ex actionibus honores adipiscendi sunt.

Heraclyti. Viam ad gloriam maximè compendiariam esse dicebat, si quis bonus esse studeret.

De loquacitate, Sermo 47.

DIco autem vobis, quodcunque tãdem verbum Matt. 12. otiosum locuti fuerint homines, eius rationẽ reddituros esse: nam ex verbis tuis iustificaberis, & ex eisdem condemnaberis.

Sit vnusquisque velox ad audiendum, & tardus Iacobi 1. ad loquendum.

Cum linguace ne contendito, nec in ignemeius Sirach. 8. ligna aggerito.

Qui custodit os suum, conseruat animam suam.

Firmus laqueus sua cuique labia: suíque oris verbis quisque capitur.

Qui labiis est detectis, & oblique agit, subuertetur.

Fouea profunda os exlegis: quem Deus odit, is in eam incidet.

In multis lignis viget ignis: os autem detectum † †ἀκατασ- seditionem concitat. τάσιας.

Quis dabit ori meo custodiam, & labiis meis si- Syrach. 22 gillum? vt ne excidam inde, & lingua mea pereat.

Bona diffusa sunt in ore clauso.

Noli lingua omnia audere, ne quid tibi acci- S. Basilij. dat intempestiuè: quemadmodum oculus totum volens intueri solem, etiam quod habet lumen, perdit.

Labendi causa est lingua, quæ non ratione gu- Theologi. Orat 2. bernatur.

Oratio simpliciter prolata totas euertit domos Chrysost. & animas subuertit ac demergit: ac pecuniarum quidem damnum resarcire licet, semel autem emissum verbum reuocare non licet.

Hirundines tecto ne accipito: hoc est homines Cyrilli. loquaces, & linguæ incontinentis contubernales tibi ne ascisito.

Quæ decet, & quando decet, loquitor, & de qui- Euagrij. bus decet: nec quæ non decet, audito.

Si imperas ventri, impera & linguæ: vt ne huius Nili. fis seruus, ab illo autem stultè liber.

Quicquid dicturus sis, prius id in animo considerato: multis enim lingua mentem præcurrit.

Isocrates rhetor à Caræone loquace in schola Isocratis. eius versari cupiente, duplicem petebat mercedem: cúmque causam Caræon percunctaretur: Vnam peto (respondit) vt loqui, alteram vt silere discas.

Quod nolis audire, id etiam ne dixeris: quod no- Clitarchi. lis dicere, id quoque ne audiueris.

Aurium & linguæ magnum periculum. Socratis. Demonic.

Melius est pede labi, quam lingua.

Auribus plus, quam lingua vtitor.

In conuiuio cuidam multi loquenti. Si tam Demostk. multa inquit, sapuisses, nunquam tam multa locutus esses.

Rogatus, cur vnam habeamus linguam, aures verò duas: Quia, inquit, duplo plus audiendum, quam loquendum.

Plato cum Antisthenes aliquando in disputatio- Plato. nibus longa ageret oratione: Ignòras (inquit) orationis modum esse non in dicente, sed in auditore situm.

Si continenter & multa & celeriter loqui, sa- Nicostrat. piendi signum esset, hirundines dicerentur nobis sapientiores.

Auaritia

Auaritia est omnia dicere, & nihil audire velle. Democriti Apollonij. Et Epict. & Moer.

Multiloquium errata multa habet, sed silere tutum est.

Linguam vnam hominibus natura dedit, & aures duas, vt duplum eorum quæ dicimus, ab aliis audiamus.

Gladij plaga leuior quàm linguæ: ille enim corpus, hæc animum vulnerat.

Hic quid esset in hominibus bonum & malum interrogatus, Linguam esse dixit. Æsopi.

Hic oratores ranis similes esse dicebat: has enim in aqua clamare, illos verò ad clepsydram. Syconis.

Quemadmodum hirundines perpetuo garritu voluptatem familiaritatis perdũt: sic loquaces perpetuo obtundentes molesti sunt auditoribus.

Iurisconsulto loquaci quidam dixit, non oportere multis verbis pauca dicere, sed paucis multa. Theophil.

Quæ verbis peccarimus, eorum re ipsa pœnam luemus. Innocati.

De prouidentia, Sermo 48.

NOnne duo passerculi minuto asse venduntur? & vnus ex illis in terram non cadet sine patre vestro. Vestri verò etiam capilli capitis omnes numerati sunt. Matt. 10.

O profunda opulentia, & sapientia & notio Dei: quam insrutabilia sunt iudicia eius, & non vestigabiles viæ eius? Rom. 11.

Tu fortitudinis dominator clementer iudicas, & multum parcens nos gubernas. Sapi.

Ne dicas, Abscondar: & ex alto quis mei meminerit? Ecce cœlũ, & cœlũ cœli, abyssus, & terra, & quę in eis continentur, in visitatione illius commouebuntur. Vias eius quis cogitabit? procella quam non videbit homo, & plurima operum eius sunt in abscondito. Iesai. 26.

Nihil non prouisum, nihil est neglectum apud Deum: omnia videt peruigil oculus, omnibus adest, salutem cuique dans. S. Basilij.

Quicquid boni ex diuina potentia ad nos peruenit, id gratiæ omnia agentis effectum esse dicimus.

Sæpe Deus nouas salutis rationes, eásque admirandas profert, ad † humanitatem sua se prouidentia accommodans. Theologi. † philanthropian.

Nemo tam sibi parcit, quam Deus nobis omnibus: multo enim magis ille vult nobis nihil mali accidere, quam nosipsi.

Non nosti, ô homo, quæ tibi vtilia sint: sæpe petis nocentia & fallacia. At ille qui magis est solicitus de tua salute, non audit petitionem tuam, sed ante petitionem tuam quod tibi est vtile modis omnibus prouidet. Si enim patres carnales non omnia petentibus liberis, donant, non quia contemnant petentes, sed quia illis melius consulere volunt: quanto magis Deus qui & magis amat, & plus omnibus nosci, quod nobis vtile est, dabit? Chrysost.

Omnium cogitationum abscondita cognoscens opifex, omnibus prouidet, non solum ex his quæ cogitantur & aguntur, sed etiã ex iis quæ ipse prænoscit, & meliora quæuis & auctiora reddens. Didymi.

Mundum Deus toleranter & patienter inspicit, futura † obscure significãs, & præsens malum terminis concludens, & improbitatem præceptis suis refrenans, per conscientiam verò sceleratas & malitiosas cogitationes puniens. Theod. Ephes. † ἀσαφῶς.

Gratia agatur beatæ naturæ, quod necessaria fecit parabilia, & difficilia paratu non necessaria. Epicuri.

Neque authorem malorum Deum credito, neq; nos sine eo versari in miseriis existimato. Theopom.

Si quid cura potest, cures: at si Deus ipse Te curat, cur tu solicitus tibi sis? Socratis.

Cum vult Deus beatam esse ciuitatem, bonos efficit viros: cum autem misera est futura ciuitas, ex ea bonos eximit viros. Platon.

Ita fit vt virtus nec sub doctrinam cadat, nec sit naturalis, sed diuino fato inest iis qui eam habent. Eiusdem.

Deus omnia, & secundum Deum, fortuna & occasio humana gubernant vniuersa. Eiusdem.

Quanto numen iustos adiuuat, tantum iniustis aduersatur. Demadis.

De animi abiectione, aut humilitate, Sermo 49.

QVisquis se extulerit, deiicietur: & qui se demiserit, extolletur. Luc. 14.

Non superbe de vobis sentientes, sed humilibus vos accommodantes. Apostoli.

Modeste & humiliter de se sentientes ad gloriam euehet dominus. Solom. 29.

Quanto maior es, tanto te summissius geras, & in conspectu Domini inuenies gratiam. Sirach.

Perdifficile est vt possis aliquando vel conuitiis audiendis iræ imperare: vel pressus, lenitate tentationes vincere, nisi humilitatem vel infimam erga omnes exercueris. Basilij.

Gymnasium humilitatis est in vilioribus negotiis † exercitatio, affectus ambitionis gloriæ sanans. Reg. breu. 286. † ἄσκησις.

Præstat vt sapiens & doctus te demittas, & per modestiam cedas, quam vt indoctus per audaciam nimium efferaris. Theologi.

Nihil æque Deo gratum, atque se cum infimis annumerare. Chrysost.

Tanto quis de se magis debet humiliter sentire, quanto excellentior videtur esse. Clementis.

Beatus cuius vita excelsa est, & spiritus humilis. Nili.

Legi, & principi, & sapientiori cedere, modestũ. Isocratis. Socratis.

In nauigando gubernatori, in viuendi ratione melius ratiocinanti parendum est.

De medicis, Sermo 50.

NOn egent medico valẽtes, sed male habentes. Luc. 5.

Semitas rectas facite pedibus vestris, vt ne quod claudum est, à via aberret, sed magis sanetur. Matt. 9. Apostoli

Lenibus præditus moribus cordis est medicus. Solomonis

Scientia medici caput sui cultoris extollet, & apud proceres erit in admiratione. Sirach. 38.

Neque omnino hæc ars fugienda est, nec omnino omnis spes in ea ponenda est. Sed vt vtimur agricultura, & petimus à Deo fructus: & gubernatori clauũ permittimus, sed à Deo precamur vt ex alto in portum seruemur: sic & medicum adhibentes, spe quæ in Deo habenda est, non excidimus. S. Basilij. Reg. fus. disp. 55.

Indoctus medicus ad ægrotos admissus, cum sanitatem illis restituere deberet, id etiam exiguum quod habebant reliquum, virium aufert?

Nostram medicinam ea quæ circa corpus versatur, longe difficiliorem puto, atque idcirco honoratiorem: quod illa pauca quædam in profundo Theologi.

latentia conſiderans, plurimum circa ea quæ ſub A oculos cadunt, verſetur: nos autem in occulto hominis corde ſanando omne ſtudium & curam ponamus.

Chryſoſt. Indigus atque mali inſatiabilis vlcera celans.
Infœlix ſemper putrida membra geret.

Non ſine ratione veteres medicos inſtituiſſe arbitror, vt publicè varietatem inſtrumentorum oſtentarent, vt valentes & ſanos redderent cautiores, præmonſtrantes eis quam multis egerent, ſi ſe intemperanter gererent.

Greg. Nyſ. Quanto eſt anima corpore prętſtabilior, tanto eſt maiore dignus honore, qui animas ſanat, quam qui B corpora.

Didymi. Perfectum vocamus medicum, non qui ſanat omnes, ſed qui nihil eorum quæ ad vtilitatem & curationem pertinent, prætermittit.

Trophil. Trophilus medicus à quodam rogatus, quis perfectus eſſet medicus: Qui quæ fieri poſſunt, inquit, ab iis quæ fieri non poſſunt diſcernere poteſt.

Hieronis. Amicum & medicum exiſtimato, qui cum neceſſitas poſtulat ſedulo tibi adfuerint.

Nicoclis. Nicocles cum malus quidam medicus diceret, ſe magnam habere poteſtatem. Quidni (inquit) iſta dicere liceat, qui tam multos impune ſuſtuleris.

Idem medicos fortunatos eſſe dicebat: quod eo- C rum fœlicitatem ſol videret, infœlicitatem terra tegeret.

Stratonici. Idem adulans medico, dicebat: Laudo tuam peritiam, quod non ſinis ægrotos computreſcere, citiſſime eos ex hac vita liberans.

Demadis. Aſclepiadeis (*id eſt medicis*) maior debetur gratia, qui imminentem morbum repellunt, quam iis qui iam occupantem ſanant.

AD SERM. 50. ANNOT.

Thecl. honoratiorā.] *Locus eſt ex orat. 1. Apolog. vbi* πμιοτέραν *melius per* præſtantiorem, *redditur. Item illud* in occulto hominis *corde* τῷ κρυπτὸν ἄνθρωπον. At D nobis circa occultum & internum hominem curatio omnis, ſtudiúmque verſatur.

In ſequenti verſu corrigit Billius ex Gregorio ἀχόρεστος *legitque* χηΐζων παθέεσιν ἀκέστορος, ὦ κακὰ κεύθης *itáque vertit, Cum medicum poſcant tua vulnera, ſi tegis illa, Infœlix ſ. p. m. geres.*

De fide, Sermo 51.

Matth. 4. Luc. 17. AMen dico vobis, ſi habueritis tantum fidei, quantum eſt granum ſinapis, dicetis monti huic: Demigra hinc illuc, & demigrabit: nec quicquam erit, quod à vobis fieri non poſſit.

Epheſ. 2. Gratia ſeruati eſtis per fidem, idq; non ex vobis, E Dei donum eſt: non ex operibus, ne quis glorietur.

Solomonis Probatam fidem annunciabit iuſtus,

Strach. 11. Crede domino, & in labore tuo perſeuera, quia facile eſt in oculis Domini repente pauperem ditare.

Largitio Domini apud pios permanet: crede illi & auxiliabitur tibi.

S. Baſilij Hom. in Pſal. 115. Fides eorum quæ de Deo dicuntur dux eſto, fides & non demonſtratio.

† μεθοδίας Fides, quæ ſupra logicas † captiones animum ad conſenſum trahit, fides eſt non ex geometrica neceſſitate, ſed efficacia ſpiritus ingenita.

Quod enim aſſequi non poteſt aliquis, idem nul- Theologi. lo modo credit propter inuidiā: animis enim profanis nihil eorum quæ pręclara ſunt, fide dignum eſt.

Quemadmodum enim radice non plantata, fru- Chryſſto. ctus non enaſcitur & germinat: ſic fidei nullis poſitis fundamentis nunquam doctrinæ progredietur oratio.

De memoria & recordatione, Sermo 52.

HOc eſt corpus meū quod pro vobis traditum Matt. 26. eſt: hoc facite in mei recordationem.

Memento Ieſum Chriſtum à mortuis excitatum. 2. Tim. 2.

Recordatio iuſti cum laude coniūcta eſt, impio- Salomonis rum autem nomen extinguitur.

In omnibus operibus tuis fac poſtremorum me- Sirach. 7. mineris & in ſempiternum non peccabis.

Fieri non poteſt, vt de recta via deflectant, qui o- Baſilij. bliuione Dei, morbo animi, non laborant.

Magis Dei meminiſſe debemus, quàm reſpirare. Theologi: Deum operibus venerare, verbis lauda, mente cole & honora.

Pietatis ſignum eſt rerum diuinarum perpetuò Chryſoſt. meminiſſe, & crebris interpellationibus Deum placare.

Quod ſi quis ſtatua inanimata filij vel amici vel cognati poſita, eum putat adeſſe cum deceſſerit, & per imaginem vitæ expertum viuum illum imaginatur: quanto magis nos per diuinas ſcripturas, ſanctorum præſentia fruimur? non corporum quidem ipſorum, ſed animorum imagines habentes. Quæ enim ab illis dicta ſunt, animorū illorum ſunt imagines.

Admodum iuuenes & ſenes obliuioſos eſſe dice- Plato. bat: diffluere enim memoriam illorum, quia creſcant: horum, quia decreſcant, ſimilitérq; nimium celeres ingenio, aut tardos: illos enim eſſe plus æquo molles, hos verò duriores: ac illos quidem non diu retinere in animo rerum imagines, hos verò ne attingere quidem omnino.

Memoriæ ipſum vocabulum indicat in animo Idem in manere eam, non moueri. Μνήμη παρὰ τὸ μένειν. Cratylo.

Receptaculum phantaſmatum memoriam vocari, eorúmque agitationem recordationem: & tardos fere meliore præditos eſſe memoria: celeres autem & dociles, in reminiſcendo fœliciores.

Multum prodeſt ad malorum obliuionem, ſi Charicles. oculorum monitio quæ animum mouet obſcuretur.

Magis eſt de Deo ſermo renouandus quotidie, Ex ſententiis Epicte. quam ipſis cibis.

Crebrius Deum cogitato, quam reſpirato.

Si perpetuo memineris Deum ſpectatorem tibi adeſſe, quicquid agat, ſiue id animum ſiue ad corpus pertineat, in omnibus tuis precationibus & actionibus non peccabis & Deum contubernalem habebis.

Vt iucundum eſt è terra mare ſpectare, ſic à periculis liberato meminiſſe laborum.

De anima, Sermo 53.

QVi inuenerit animam ſuam, perdet eam: & qui Matt. 10. perdiderit eam mea cauſa, inueniet eam.

Etſi externus homo noſter corrumpitur, tamen 2. Cor. 4. internus quotidie renouatur.

Animus

Animus beatus omnis, qui ſimplex eſt.

Conuerſatio exlegum mala, impietate enim ſuã ſuam ipſorum auferunt animam.

Sirach. 10. Fili per manſuetudinem gloria affice animam tuam, & vide quid in ea ſit mali, nec ei indulgeas, non enim omnia omnibus conducunt, nec omnis anima omnibus delectatur.

S.Baſilij. Animi theſaurus corporis indigentia: hoc enim diteſcente, ille pauper eſt.

Natura honeſtum exiſtimare debemus animi bonum.

Nullus negligit ſi filium cadentem in foueam viIdem. reg. ſua. 25. derit, aut lapſum in illa ruina deſerit: quanto grauius eſt animam in profunditatem malorum cadẽtem in exitio relinquere?

Tirol. in Anacreonte. *Quidnam tibi requiris,*
(Percontor ipſe mentem,)
Paruum quid, aut quid ingens,
Tibi videtur eſſe
De rebus huius æui?
Tantum petas quid amplum,
Dabóque perlibenter.

Chryſoſt. Animum Deo potius quam precationis formulam offer.

Omnia natura gemina dedit nobis Deus, geminos oculos, geminas aures, geminas manus, geminos pedes, ſi alterutrum læſum fuerit, altero vti licet ad vſum neceſſarium: vnã autem animam nobis dedit, hanc ſi perdiderimus, quid erit quocum viuamus amplius?

Clemens Omnium ſpirantes animæ vitam habent, etiamſi ſeparatæ fuerint à corpore, & idem corporis deſiderium retinere deprehendantur, in ſinum Dei tolluntur immortales. quemadmodum hyeme vapores terræ à ſolaribus radiis attracti verſus ipſum feruntur ſolem.

Immortales omnes animæ ſunt, etiam impiorũ, quibus melius eſſet animas non habere tales quæ nunquam corrumpi poſſint: Dum enim ignis, qui nunquam extingui poteſt, cruciatu perpetuo cruciantur, nunquámque moriuntur, ſuo ipſarum malo nullum ſui reperiunt finem.

Cleanthi. Animi tanquam ducis curam gerito, corpori autem tanquam militi conſulito.

Philemon. ſua ſententia. Omnibus mortalibus & terreſtribus amiſſis, † vnum aliquid immortale & cœleſte comparare prę-optato.

Sapientis animus vt ad Deum migret, ſe componit.

Philiſtion. Zaleuci. Animam mors non perdit, ſed mala vita.

Vnumquenque igitur decet ita affectum eſſe, vt animum ſuum ab omnibus vitiis purum præparet, quia Deus ab homine improbo non colitur, neque ſumptibus placatur, aut tragœdiis agendis capitur, ſed ſtudio honeſtarum & bonarum actionum.

Democriti Hominem decet animi potius quàm corporis rationem habere: quippe animus abſolutiſſimus corporis vitium corrigit, corporis autem vis ſine ratione animum nihilo meliorem reddit.

Epicteti. Animum ſanare magis eſt neceſſarium, quam corpus: mori enim præſtat, quam male viuere.

Matth. *De inuidia, Serm.* LIIII.

CVmque veniſſent primi arbitrati ſunt ſe plura accepturos: & acceperunt & ipſi ſinguli denarium: quo accepto murmurauerunt contra patremfamilias, dicentes: Iſti poſtremi vnam horam opus fecerunt, & pares nobis eos feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtum: at ille reſpondens vni ex illis, dixit: Amice, non facio tibi iniuriam: nonne denario mecum pepigiſti? tolle quod tuum eſt, & abi. Volo enim huic poſtremo tantum dare, quantum tibi: an non licet mihi de meo quod velim facere? an oculus tuus malus eſt, quod ego bonus ſim?

Vbi æmulatio & contentio, ibi inconſtantia & omne opus malum eſt. Iacobi. 3.

Noli conuiuari cum inuido, nec illius cibos appete. Solom. 23.

Noli conſultare cum eo qui te toruè intuetur: æmulatores cæla tuum conſilium. Sirach. 8.

Quemadmodum rubigo proprius eſt frumenti morbus: ſic inuidia amicitiæ eſt vitium. S. Baſilij ho. 11. de Inuidia.

Quid quæris inuide, tuum malum, an alterius bonum?

Quemadmodum bonus omni caret inuidentia: ſic contrà calumniator eam perpetuum habet comitem.

Vultures ad maleolentia caduera præteritis pratis & locis aliis multis amœnis & odoriferis, feruntur: itemque muſcæ quæ ſana ſunt præteruolantes ad vlcera feſtinãt: Sic inuidi ſplendida & magna & præclare facta ne intuentur quidem, ſed putria inuadunt. Ibidem.

Vt erugo ferrum, ſic inuidia animum conſumit.

Num vides quantum malum ſit ſimulatio, quæ & ipſa eſt inuidiæ fructus? nam duplices illi mores maxime ex inuidia naſcuntur. Ibidem.

Ne inuideas corrigenti tu qui te inuidioſum eſſe putes, ob eamq; cauſam iratus es. Theologi.

O inuidia mortis radix, multiplex morbe, cordis acutiſſime claue: quis enim clauus acutiſſimus tam pungit, quam inuidia cor occupatum vulnerat! Chryſoſt.

Inuidiæ infortunium quod non proprio malo, ſed alieno bono efficitur: & contra, eius fælicitas non fit per domeſticum & proprium bonum, ſed vicini malum. Gre. Nyſſ.

Narrant vultures cadaueribus delectari, vnguento necari: ad maleolentia corrupta aduolare, vt eorum naturæ proprium & accommodatum eſt. Ita qui hoc morbo tenetur amicorũ proſperitate quaſi vnguento admoto emoritur: ſin autem in calamitatem incidiſſe animaduerterit, aduolat, & os infigit aduncum, occultam miſeriam extrahens.

Honeſta, etiamſi per inuidiam ad tempus aliquod obſcurentur, tamen ſuo tempore ſoluta iterum reſplendent. Philonis.

Ariſtoteles inuidiam fortunatorum aduerſariam eſſe dicebat.

In ſole ambulantes neceſſariò vmbra ſequitur, in honore & dignitate viuentes inuidia comitatur. Ariſtotelis Plutarchi.

Gloriæ pulchritudo ab inuidia quaſi à morbo quodam cito immutatur.

Anacharſis Scytha cum ex eo quæſitum eſſet, cur ſemper homines doleant: Quia, inquit, non ſolum mala ſua dolent, ſed etiam aliena bona. Anachar.

Democrit. Bonorum contentio iuuat æmulantem, non nocet ei cui æmuleris.

Nũquam leges suo quemque more viuere vetuissent, nisi alter alterum læsisset: seditionis enim exordium inuidia induxit.

Idem inuidiam veritatis vlcus esse dicebat.

Clitarchi aliàs Plutarchi. Socratis. Vt ferrugine ferrum, sic inuidos suis ipsorum moribus consumi.

Multi mortuos sepulchris remunerantur, quos viuos antea per inuidiam dolore affecerant.

Idem dicebat, inuidiam animi esse serram.

Leucippes. Zeloptypia enim, cum semel in animum inciderit ægre illinc reuelli potest.

Cleobuli. Cleobulus Lyndius cum ex eo quæreretur, quæ maxime vitanda esse putaret: Amicorum, inquit, inuidiam, & hostium insidias.

Bion. Bion Sophista cum inuidum quendam admodum tristem animaduertisset: Aut huic (inquit) magnum malum accidit, aut alteri magnum bonum.

Agathonis. Non esset inuidia in vita mortalium,

Si omnes inter se pares & similes forent.

Theophra. Theophrastus dicebat malos non tam delectari suis bonis, quam alienis malis.

Platonis. Bonus erat: bonus autem nulli vnquam ob vllam rem inuidet.

Aristonymi. Thucydid. Inuidia, sicut malus demagogus, honestis se opponit actionibus.

Inuidiam mortales exercent in aduersaria sibi: ea vero quibus nihil impediuntur libera beneuolentia colunt.

Anaxime. Quicunque enim bene dicta aut facta per inuidiam non laudent, quo tandem modo ij reipsa iuuerint quenquam.

Pollonis. Nemini inuidendum: boni enim prospero successu digni sunt: mali vero si fortuna vtantur secunda male viuunt.

Ad serm. 54. annot.

Theol. Ne inuideas.] τῷ κατορθοῦντι, *ei qui rectè agit; Interpres vertit præter mentem Gregorij, sed à Græco Maximi libro impresso aberat hæc gnome, quæ forte petita est è 62 Serm. de Inuidia. 1. par. Melissæ, vbi totum eum correctum vide.*

Socrat. Idem dicebat.] *At hæc contrà sententia è Græco Maximi sumpta videtur & inserta Melissæ vnde abest Græco libro: in Latino verò perperam tribuitur Clitarcho. Ibidem etiam male Agathoni tribuitur, quæ & hîc, & apud Stobæum, Theophrasto.*

Leucippes. Zelotypia.] *In Græco erat* λευκίππου *male, legendum enim* λευκίππης, *notandúmque quotiescunque apud gnomologos adducitur aliquid decerptum è Leucippe, intelligendum esse Achillis Statij librum. Hic quidem extat apud eum lib. 6. P. Leopard. l. 3. c. 25. Emendat.*

Aristony. Inuidia.] *Profertur & à Stobæo,* δημαγωγος, *videtur significare popularem magistratum, qualis erat Romæ Tribunus plebis, qui consulum, & senatus decretis intercedebat. Cæterùm in Græco Maximi post sententiam Pollonis additur & hæc Catonis maioris, quæ ab interprete & hîc & apud Antonium ser. 62. omissa est, reperitur & apud Plutar. & Stobæum.*

Catonis. Minime inuideri dicebat illis, qui fortuna modestè ac moderatè vterentur. Non enim nobis, sed bonis, quæ nos circunstant, inuident homines.

De voluntario & non voluntario. Sermo 55.

ILle seruus qui cognita Domini voluntate non eam sequitur, multis plagis cædetur: qui autem non norit, paucis. Matt. 11.

O me infælicem si non euangelium promulgâro: si enim volens hoc fecero, præmium accipiam: sin inuitus, hæc dispensatio mihi est credita. 1. Cor. 9.

Voluntarium exiit à facie potestatem habentis. Emulge lac, & erit butyrum: at si compresseris nares, sanguis prodibit. Solomonis. Prou. 30.

Tuas cupiditates ne sequitor, & ab appetitu tuo temetipsum prohibeto. Si enim suppeditaueris animæ, quæ appetit & probat, inimicos afficies lætitia. Sirach.

Eorum quæ apud inferos sunt malorum, non Deus, sed nos ipsi authores sumus: quod initium & radix peccati, libera nostra sit voluntas & potestas. S. Basilij ho. 9. quod Deus non est auctor &c.

Eos laudamus qui ex animi iudicio & instituto boni sunt, non eos qui ex necessitate istuc perueniunt: vbi enim studium promptum est, ibi nullum solet retardare impedimentum.

Vis enim aut formido non potest esse virtutis effectrix. Nam ex voluntate, non ex necessitate, honesta proficiscuntur.

Nã voluntarium permanentius est & tutius inuoluntario: hoc à vim faciente nascitur, illud vero nostrum est: vnum est clementiæ diuinæ, alterum tyrannicæ potestatis. Theologi ora. 37. de theologia.

Vt passeri nihil prosunt alæ, si laqueo irretitus teneatur, frustraq; & temere agitat alas: sic & tibi tuæ rationes nulli sunt vsui, si malis cupiditatibus vi constrictus teneare. Chrysost.

Maxime omnium Christianis permissum non est, vt peccata violenter corrigant: Deus enim non eos qui ex necessitate, sed qui animi iudicio à peccatis abstinent, coronat. Clementis.

Non coactam vitam habemus nos homines: neque propter libertatem eorum quibus prouidetur, diuinæ illustrationis lumina obscurantur. Dionysii.

Non voluntaria peccata & lex condonat, & Deus impune prætermittit, vtpote benignus erga homines, & etiam in voluntaria peccata non sæuus iudex. Didymi.

Non vt voluntarie peccare iniustum est, sic non voluntarie & per imprudentiam continuo iustum erit. Sed fortassis est iusti & iniusti, confiniũ quoddam, quod à quibusdam vocatur indifferens, nullum enim peccatum opus iustitiæ fuerit. Philonis.

Fieri non potest vt quisquam sit constanter bonus, nisi ex animi sui proposito proprio. Qui enim ab altero ex necessitate factus est bonus, bonus non est: quia non ex instituto fit, quod est. Libera enim cuiusque voluntas, quod reuera bonum est, efficit, & reuera malum ostendit: vnde Deus per istas occasiones voluit cuiusque affectionem patefacere. Clementis

Qui sponte in miseriis versatur, bona quadam spe laboribus lætatur: At † negligentia & momentaneæ Socratis. † ἀφυλακτίας.

neæ voluptates, neque corporis bonam conſtitutionem efficere poſſunt, neque animi vllam memoratu dignam ſcientiam ingenerant.

Naturale bonum nullam laudem meretur: quod autem proficiſcitur ex animi iudicio & inſtituto, id demum laudabile eſt.

Chonicij. Quod voluntarium non eſt, dolore & metu non caret: quod autem voluntarium, voluptatem & hilaritatem comites habet.

Hegesi. Pabagor. Si vis ſine vlla perturbatione placidéque viuere, da operam vt contubernales tuos omnes bonos habeas: bonos autem habiturus es, ſi volentes erudias; inuitos autem dimittas: vna enim cum illis abibit vitium & ſeruitus, & cum remanentibus remanebunt bonitas & libertas.

Epicteti. Thymi naufragos humaniter excipiunt, & amicitia ſibi conciliant. Ex peregrinis autem eos, qui volentes accedunt, honoribus multis afficiunt, & inuitos ſuppliciis.

D. Nicolai collectan.

De cognitione ſui, Serm. LVI.

CVr intueris feſtucam quæ eſt in oculo fratris tui, trabem autem quæ eſt in oculo tuo, non animaduertis?

Matt. 7. Luc. 6. Quis tu es, qui alienum ſeruum iudicas? ſuo domino ſtat aut cadit, ſed ſtabit. Nam poteſt Deus illum ſtatuere.

Iam. 4. Ambula in viis cordis tui ſine reprehenſione, & noſce te-ipſum: quia in omnibus his adducet te Deus in iudicium.

Eccleſiaſt. Obſerua & diligenter attende, quia cum periculo tuo ambulas.

Iuuen. Accurata ſui conſideratio, ſatis te ad Dei cogitationem ducet.

Thaliſij. Memor naturæ, nunquam te efferes: memineris autem tui, ſi te-ipſe attenderis.

Accidit tibi, quod in alio criminaris: & in alienũ malum diligenter ſpectas, tuum autem dedecus nihili pendis.

Iuuen. in Hexaemeron. Noſſe ſeipſum omnium difficillimum eſſe videtur: non enim ſolus oculus, alia intuens ſeipſe non cernit, ſed etiam mens noſtra acute aliena errata videns, ad ſuorum cognitionem tarda eſt.

Te potius ipſum, quam propinquos excute.
Lucrum tibi illud, proximis iſtud feret.

Theologi Teſtam. 14. Fac quæſo noſcas te, qui ſis, vnde profectus:

Inuenies formæ ſic tua principia. ῥεῖα κὲν ὧδε τύχῃς κάλλεος ἀρχετύπου.

Is maxime ſe nouit, qui ſe nihil eſſe putat.

Chryſoſt. Clementis. Didymi. Si vis Deum noſſe, prius teipſum noſce.

Noſce ignarum ſe eſſe, ſapientię eſt: & ſcire ſe iniuriam feciſſe, iuſtitiæ.

Cum ſis homo, ſcito hoc, & ſemper eris homo.

Philemon. Antipha. Demoſth. Mortalis es, mortalia igitur cogita.

Futura nemini nota eſſe arbitror, & paruæ occaſiones res magnas efficiunt: quare moderatione vtendum eſt in proſperis rebus, & de futuris prouidendum.

Sotacis. tEſi rex natus es, tanquam mortalis audito.

Si procul expuis, pituita redundas.

Si bene veſtitus es, ea priuſquam tu, habuit ouicula.

Si aurea geſtas, hæc fortunæ eſt elatio.

A Si dives, hoc robur tempore euaneſcit.

Arrogans es hæc ſtultitiæ eſt iactantia.

Si moderatus es, hoc Dei donum eſt.

Temperantia autem aderit, ſi tuo te modulo metiris.

Difficile eſt ſe noſſe, ſed beatum, quod hæc ſit ſecundum naturam vita. Thaletis.

Qui nihi propemodum ſcimus, arbitramur nos omnia ſcire: non permittentes autem alios, quæ ipſi neſcimus agere, peccare cogimur ipſi cum agimus. Platonis.

Multis illud dictum, Noſce teipſum, non conuenit: Menandri.

B Quod eis vtilius foret illud, Alios noſce.

Heraclitus iuuenis omnibus ſapientior fuit, quod ſciret ſe nihil ſcire.

Qui ſe-ipſi noſcunt, neceſſaria ſibi norunt & diſcernunt, & quæ poſſint, & quæ non poſſint: itemque quæ ſciunt agentes, ea quibus opus eſt ſibi parant, & beati ſunt: ab iis quæ non norunt, abſtinẽtes nihil peccant, & infælicitatem effugiunt. Xenopho.

Chilo interrogatus quid eſſet difficillimum omnium, Seipſum noſſe, inquit: vtile enim hoc dictũ eſt ad obiurgationem arrogantium, qui ſupra ſuas vires inaniter ſe iactant. Chilo.

Is mihi non videtur, qui ſuam facultatem non C norit, ſeipſum noſſe: illud vero annon perſpicuum eſt, homines propter ſui cognitionem plurima bona habere, & propter ignorationem multa mala? Xenopho.

Aliena virtute nunquam te efferto. Si equus ſe eſferens diceret, ſe pulchrum eſſe, tolerabile id eſſet: tu vero cum dicis te pulchrum habere equum, ſcito te ex bonitate equi gloriari. Quid igitur tuum eſt? opinionum vſus, quem cum ſecundum naturam habes, tum effertor: tum enim ob rem tuam elatus eſſe videberis.

Ad serm. 56 annot.

D

Theol. Fac quæſo noſcas.] *Interpres addidiſſe pentametrum græcum videtur ſuſpicatus aliquid in eo eſſe vel obſcurum vel mendoſum. Reperitur tamen apud Gregorium in diſtichis Elegiacis itidem vt apud Maximum. Billius ita reddidit latinè:*

Te noſcas, & quæ tibi ſit cœleſtis origo.
Sic facilis venies ad decus archetypum.

Id eſt, primigeniam pulchritudinem conſequeris ſi te corpus quidem è terra fictum ſpiritum autem diuinitus illapſum habere ſcias.

Sotacis. Si dives hoc.] *Hunc verſum ita legit is qui Comicorum veterum ſententias collegit,* αὖ πλούσιος ἦς, τοῦτο χρόνῳ ἄδικος ἰσχύς. *non vt apud Max.* ἄδηλος ἰσχύς. *Es dives? id iniqua eſt potentia temporis.*

E Menand. Multis illud.] *Citatur & à Stobæo hic locus ſerm.* περὶ τοῦ γνῶθι σαυτόν, *ex Menand. in Thraſyleonte, vbi ita legitur prior verſus* πολλ' ἀφ' ὑβρίσθη καλῶς ἀφημύθου: *non vt apud Maxim.* πολλῶν ὑβρίσθη καλὸν ἐφημύθου. *Eraſmus ita vertit,*

Multis modis dictum videtur perperam,
Cognoſce te-ipſum. magis enim in rem fuerat hoc,
Cognoſce cæteros.

Quidam exiſtimant à iocante quopiam id dictum apud Menandrum, vt ſit luſus ex ambiguo.

De benignitate. Sermo LVII.

Luc.6. BEnefacite & mutuum date, nihil inde ſperantes, & erit merces veſtra ampla, eritísque filij altiſſimi, quia ipſe eſt benignus in ingratos & improbos.

Epheſ.4. Eſtote inuicem, manſueti, miſericordes, condonantes mutuo, quemadmodum & Deus vobis cõdonauit.

Solom. 28. Manſueti erunt terræ habitatores, & ſimplices in ea relinquentur.

Sirach. Chriſtus manſuetus cum eſſet, & quæ formârat videret, néque remiſit eis, neque deſeruit parcens illis.

S. Baſilij. Repugnantes vincere & ſubiicere, fortis eſt, & vere principis: ſubiectis autem manſuetum & clementem ſe præbere, magnanimi & manſuetudine excellentis.

Cum Dei imaginem habeam, quia rationis ſum particeps: ſimilitudinem aſſequor, dum benignus fio.

Vtile eſt benignitate audaciam vincere, melioréſque efficere iniuriam facientes perpetiendo toleranter.

Cùm erga omnes cæteros, tum maxime erga proximos manſuetus eſto.

Clementiam quæras Dei, clementia.

Quid eſt clementia compendiarium magis?

Talem te præſta amicis & proximis,

Quales in te vis illos eſſe.

Chryſoſt. Deus non ſolum cum beneficiis nos afficit, ſed etiam cum ſuppliciis, bonus eſt & humanus. Nam illius etiam animaduerſiones & cruciatus magna pars beneficij ſunt, quando & medicus eſt, non modo cum in hortos & prata educit ægrotum, aut in balnea & piſcina: verumetiam cũ vulnera curat, cum ſecat, cũ amara adhibet pharmaca, tum quoque medicus eſt æque, magiſque ſuam beneuolentiam declarat.

Chryſoſt. Natura bonus, bona omnino libenter largitur.

Dionyſij Areopagi. Proprium eſt bonorum, iuuare.

Menandri. Nihil vſquam omnibus modis bonitatis expers aut fuit aut futurum eſt, aut denique eſſe poteſt.

Non me mones quæ te decent, nec me impulit ad officium ſermo tuus, aut mores tui.

Non improbam rem fecit vnquam vir probus.

Nihil improbis permittendum omnino,

Sed reſiſtendum: ſin ſecus, vita noſtra nobis impudentibus

Surſum ac deorſum verſata euertetur.

Leucippes. Manſuetudo gratiam ſi adipiſcatur, multo etiam magis augetur: contumelia autem affecta, ad iram commouetur.

Multis opibus benignitas vtilior eſt.

Non tantum perſuadere poteſt oratio, quantum boni mores.

Boni enim mores firmiores ſunt lege.

Illos enim nullus vnquam orator

Euertere poteſt. Hanc autem verbis

Surſum ac deorſum perturbans ſæpe corrumpit.

Quorum mores ſunt bene compoſiti, eorum vita quoque ſimul moderata eſt.

Poſidippi. Arte quidem familiares mihi multos

Paraui, ſed propter mores plurimos amicos.

A Themiſtocles prædium cum venderet præconẽ iuſſit dicere, bonum etiam habere vicinum. Themiſto.

Non tam oratio quàm boni mores perſuadere poſſunt. Demoſth.

De lege, Sermo. LVIII.

IVdicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum, ſed ego & is qui me miſit: & in lege veſtra ſcriptum eſt, duorum hominum teſtimonium verum eſſe. Ioan.8.

Quicunque ſine lege peccarunt, ſine lege etiam peribunt: & quicunque in lege peccarunt, per legẽ B iudicabuntur. Rom.2.

Legem noſſe bonæ mentis eſt.

Qui ſeruat legem Domini, cogitationem ſuam continet. Solom.19. Sirach.32.

Si rationis expertes animantes ſuæ conſulunt ſaluti & tuentur, & piſcis quid fugiendum & ſequendum ſit, nouit: quid dicemus nos qui rationis & orationis munere decorati ſumus, & legibus inſtituti, promiſſionibus inuitati, ſpiritu docti, alienius tamen à ratione quod noſtram ſalutem attinet, quàm piſces rationis expertes, † affecti ſumus, legi parêre recuſantes? S. Baſilij hom. 7. in hexaemeron.

Fieri non poteſt, vt is ſalutem conſequatur, qui C non ea executus fuerit, quæ præcepta ſunt: neque periculo vacat aliquid eorum quæ præſcripta ſunt, contemnere. Indigna eſt elatio, nos ſedere iudices legiſlatoris & alias ex legibus approbare, alias verò improbare. † διαπράττεσθαι διίσπονιμus. Proœm. in regul. fuſ.

Si enim hominem Dei oportet eſſe perfectum, omnino neceſſe eſt per omnia præcepta abſolutũ eſſe, ad modum ætatis perfectæ Chriſti: quando ex lege diuina, etiam ſi purum fuerit quod offertur ad ſacrificandum Deo ingratum eſt. Ibid.

Si manſiſſemus quod eramus, & præcepto paruiſſemus, fuiſſemus quod non eramus. Theol. Iamb. diſt.

Legem tuendo proijcis metum foras.

Nam legis extrà eſt pallidum cuſtos metum.

Suauius eſt aliquid de Deo diſcere quam docere.

D Verbis quidem parce, operibus autem abunde pietatem proferentes, & legum obſeruatione magis, quam quod legiſlatorẽ admirentur, amoris affectionem in eum oſtendentes.

Legibus ſubiect⁹ es, & canonibus dominicis, quibus vita dirigenda eſt. Atque hoc primũ ex te ipſe cognoſcito, quod animus tuus vndiq; virtutis præceptis inſtructus eſt. Corpus etiam accepiſti à creatore quinque ſenſibus ad vitæ functiones communitum, qui nec ipſi ſunt liberi aut ſui arbitrij, ſed ſinguli ſerui ſunt legum. Et oculus primus illud audit præceptũ, Vide & ſpecta quæ ſunt honeſta viru.

E Et melius eſt eruere eum, ſi in honeſta viderit, & damnoſa. Habet & auditus præceptum, habet etiã lingua, & reliqui item ſenſus.

Neque nauigantibus tutum eſt extra portum appellere, neque viuentibus vitam ſine legibus degere.

Demoſthenes orator, ciuitatis animam leges eſſe dicebat: vt enim corpus anima carens cadit, ſic ciuitas nullis adminiſtrata legibus euertitur. Demoſth.

Is interrogatus quoſnam putaret iniuſtos, Lege, inquit, non vtentes. Cyrilli.

Boni

Theophra. Boni non multis egent legibus: non enim res ipsę legum causa, sed leges rerum causa ponuntur.

Locrorum legislator leges telis aranearum similes esse dicebat: nam si in illas incidat musca aut culex, retinetur: sin autem vespa aut apis, perrumpens auolat: sic etiam fit in legibus, si pauper incidat, cõstrictus tenetur: sin diues aut potens, dicendo perruptis legibus euadit.

Optimam esse democratiam, in qua omnes legẽ tanquam tyrannum metuunt.

Solon. Solon legislator cum ex eo quidam quæsiisset, quemadmodum respub. optimè administraretur: Si, inquit ciues magistratibus, & magistratus legibus pareant.

Arcesilaus. Arcesilaus dicebat: Quemadmodum vbi medicamenta multa & medici multi, ibi plurimos esse morbos contingit: sic vbi plutimæ leges, illic etiam summam esse iniquitatem.

Seruis necessitas lex est, liberis lex necessitas est.

Pythag. Probi mores lege sunt tutiores.

Quod illos nullus vnquam orator possit euertere.

Hanc autem verbis in omnem partem factis sæpe peruertat.

Epict. Aristot. Lex quidem vult hominum vitam beneficiis afficere, sed non potest, cum ipsi nolunt: in iis enim suã exerit virtutem, qui parent.

Vt medici sunt ægrotantibus seruatores, sic & reges iis qui iniuriam patiuntur.

Ad serm. 58. annot.

Basil. Si enim] ad modum ætatis. *Vulgata editio, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Finis autem huius gnomes mancus est ita supplẽdus ex Basil.* κἂν καθαρὸν ᾖ τὸ λελουσμένον ἀπρόσδεκτον εἰς θυσίαν, quando ex lege diuina etiam si mundum sit (*animal*) quod trũcatum est, Deo ad sacrificium *acceptum non est.*

De rationali & ratiocinatione. Sermo 59.

Matt.12. Luc.6. BOnus homo de bono thesauro promit bona, & malus homo de malo promit mala.

2.Cor.10. Arma enim militiæ nostræ non carnalia sunt, sed per Deum potentia ad demolitionem munitionũ: quibus consilia demolimur, & omne excelsum quod se extollit contra cognitionem Dei, & captiuam abducimus omnem cogitationem, vt Christo obediatur.

Salom. Viæ sunt vitæ cogitationes sagacis. Cogitationibus suis replebitur vir bonus.

Sprach 27. In concussione cribri remanent sordes? sic spurcitiæ hominis in ratione ipsius.

Basilij l. de virg. (*Scilicet inhærent, vel discernuntur ab ea*)

Ex duabus partibus, quarum altera rationis est particeps, altera expers, veluti centaurum quendam (vt fictio Græcorum ad physiologiam refertur) Deus totum hominem constituens: humanæ formę, id est, à capite vsque ad pectus, superiori parti eam quæ est ab vmbilico vsque ad lumbos quasi equi naturam (ad ventris voluptates belluino more pronam, & ad coitum propensam temerè) inferius suppposuit: cum nollet rationis participem à rationis parte vacua abripi: imo rationẽ parti brutæ imperantem, gubernatricem & moderatricem esse volens ad naturæ necessitates, sapientissime eam imposuit.

Theol. Tetrast. 14. Numerare præstat acta, quàm vastas opes. Nam semper acta permanent: opes fluunt.

Chrysost. Ob hanc causam passeribus datæ sunt alæ, vt laqueum effugiant: & ratio hominibus, vt euitent peccata.

Qui diuinam perturbationum vacuitatem sibi ascisscere studet, ita vt nulli seruiat affectui, debet suam ipse custodire rationem.

Nunquam desistit mens cogitationes parere: tu malas euelle, & bonas excole.

Clementis. Non actionum modus iustificat fidelem, sed cogitationum puritas & synceritas.

Plutarchi. Sæpe solem nubes obscurant, & rationem perturbationes.

Ex pede spinam extrahere decet, & ex anima irrationali ignorantiam.

Vt ex bene morata ciuitate expellendus est seditiosus: sic ex anima mens ad praua inclinans.

Philistionis al. Philemonis. Qui ratione omnia sua spectat & circumspicit,
Is malum reiicit, & bonum deligit.

Charicleæ. Quæ tibi ratiocinanti optima videntur, ea opere exequitor.

Corporis affectioni, etiam animi intelligentia cõsentire sustinet.

Epicteti. Quæ facere non decet, ea ne cogitato quidem facere.

Pythagor. Turpe est apum munere potionem dulcem reddere, & Dei donum sermonem malitia exacerbare.

Theagis. Laboribus resistere non posse, & voluptate vinci proprium est irrationalis animæ facultatis. Propositum autem tum rationali, tum rationis experti facultati commune est.

Ad serm. 59. annot.

Clem. Non actionum] *Hic locus abest à Græco Maximi, sed reperitur apud Antonium ser. 64. 1.p. Mel. vbi melius vertit Gesnerus* ἡ τῶν πράξεων ἀποχὴ, *abstinentia factorum, quam hic Ribittus, actionum modus. Hoc videtur velle Clemens, non tam valere ad iustificationem à malis actionibus abstinere aut bonas exequi, quàm vt recto consilio, bonáque mente seu intentione omnia fiant. Eiusmodi est hoc è lib. 6. stromat.* οὐ γὰρ ὁ ἀπεχόμενος μόνον τῆς κακῆς πράξεως δίκαιος, ἐὰν μὴ προσεργάζηται καὶ τὸ εὖ ποιεῖν, οὐδ' ἁπλῶς εὖ πράττειν ἀλλὰ τὸ τρός τινα, σκοπὸν τὰς πράξεις ποιεῖσθαι.

Charicl. Quæ tibi ratioc.] *Hæc sententia & apud Anton. ser. 64. citato Isocrati tribuitur, & in eius oratione ad Nicoclem præcept. 34. reperitur. Ea præterea quæ Epicteto hîc, datur apud Antonium eidem Isocrati.*

De insipientia. Serm. 60.

Matt.7. QVicunque audit hos meos sermones, nec eos exequitur, similis existimabitur stulto.

2.Cor.14. Ne sitis pueri mente, sed malitia repuerascite: perfecta vero mente estote.

Salom. 17. Cor insipientis, dolori est possessori suo.

Eccl.10. Labia insipientis submergunt ipsum: initium verborum oris eius insipientia, & finis sermonis eius error pernicioſus.

Cum insipiente ne multiplices verba: & ad insipientem ne accedas.

Inutilis est sapientia ei, qui mente caret, cum ipse insipientia ducatur.

Syrach.22. Mortuum plora, caret enim luce: & stultum quoque plora, quia caret prudentia.

S.Basilij. Arenam, salem, & glebam ferream facilius est sufferre, quàm hominem insipientem.

Quemadmodum infirmi egent medicina, sic sapientia insipientes.

Turpe est iuuenem sene infirmiorem
Esse, & senem stolidiorem iuuene.

Tanquam sonitus fluctuum sunt insipientis viri sermones,

Qui littora feriunt, sed non saginant herbas.

Chrysost. Nihil sic stultum reddit, vt improbitas: cum enim aliquis fraudulentus est, cum ingratus, cum nulla affectus iniuria molestus est, quomodo is non extremæ præbet exemplum dementiæ?

Philonis. Insipiens nulla in re solet consistere, aut acquiescere: estq; tota eorum vita suspensa, quippe quę firmo careat fundamento.

Nullum maius malum accidere homini potest, quàm insipientia, qui mentem hominibus propriã, perdiderit.

Aduersus rectam rationem iens, tranquillitatem & quietem solet odisse insipiens.

Qui viæ ducem cæcum adhibet, & qui stultum consiliarium, idem faciunt.

Plutarchi. Neque ægroti ictus, neque stulti minas metuere debemus.

Non tam pupilli, quàm viri stulti tutoribus egent.

Leues homines, tanquam inania vasa, auribus gestatu sunt faciles.

Fastidiosus est ad vtilem orationem stultorum animus, qui non recipit salutiferam intelligentiam, quasi medicamentum.

Cratetis. Crates stultos terebris similes esse dicebat, quod nihil eorum quæ recta sunt sine vinculo & necessitate facere velint.

Zeno. Quidam eorum qui in academia versabantur adolescentulorum de stolidis studiis loquebatur: cui Zeno, Nisi lingua in mentem intincta loquaris, inquit, multo etiam plura in sermone peccabis.

Demades tibiis Athenienses comparare solebat: ex quibus si linguam detrahas, reliquum inutile erit.

De luxuria. Sermo 61.

Lucæ.15. ET post paucos dies collectis omnibus iunior filius peregre profectus est in longinquam regionem, & bona sua luxuriosè dissipauit.

Eph.5. Nolite ebrij fieri vino, in quo est luxuria.

Prou.19. Qui deliciatur à puero luxuriosè, seruus erit, & ad extremum in mœrore versabitur.

S.Basilij ho. 23. non adhærendum &c. Folia tua deuorabis luxuriosè, & fructus perdes tuos, & tibi relinques aridum folium.

† κεθάπαξ. omnino. τὸ φιλόπλουτον ambitionem. Neque enim parcẽtes † semel diuitiis, humi abiectos præterimus fratres, neque liberis aut aliis domesticis rerum copiam seruantes egentibus aures claudimus: sed in rebus deterioribus sumptus facimus, & nostram † liberalitatem cotem malitiæ facimus iis qui in malitia versantur. Quàm multi enim, aut quàm multæ nonnullorum circunstant mensas? qui turpibus & obscœnis verbis conuiuatorem delectant: alij aspectu lasciuo & gestu incõtinentiæ accendunt ignem: alij mutuis dicteriis risum mouere inuitatori student: atque ij non solum sumptuosas epulas lucrantur, verumetiam manus magnificis muneribus refertas referunt.

Theolo. Eiusdem est difficultatis boni aliquid quod non habeas parare, & paratum conseruare & tueri.

Plerique ad sumptum alacrius faciendum celebritatis ambitione inuitantur: vbi vero non conspicua videtur largitio futura, ibi liberalitas reprimitur.

Chrysost. Si pueri tutor esses, & bonis eius receptis eum extremè laborantem contemneres, innumerabiles haberes accusatores, supplicióque legibus constituto afficere: nunc vero cum Christi bona acceperis, annon rationem tibi reddendam putas quod sic temere profundas?

Plutarchi. Luxuriosorum vita quasi quotidie moriens effertur.

Menandri. Collaudatio eorum qui sine ratione sua
Dilapidant, nimirum omnibus molesta est.

Diuitem prodigum contemplatus oliuas edentem & aquam bibentem: Si sic, inquit, prandisses, non sic cœnares.

Cypseli. Parcum præstat mori, quàm vt egens viuat.

Platonis. Plato ille sapiens generosum conspicatus adolescentulum, patrimonio consumpto ad fores pandochij panem edentem & aquam bibentem: Si, inquit, sic moderate prandisses, nunquam sic cœnares.

Diogenis. Idem cum ad quendam accessisset adolescentulum, qui patrimonium deuorârat, ab eo decem dragmas petiit: cumque is causam percunctaretur: cur cum ab aliis obolum acciperet, ab ipso drachmas decem peteret: Quia, inquit, ab aliis sæpe me acceptorum spero, à te autem posthac nunquam.

Xenop. Non enim bona non accipere sic molestum est, vt postquam acceperis, priuari.

Chilo. Si sumptus magnos vbi non decet feceris: vbi decet, exiguos facies.

Diphili. Difficile accumulaueris longo tempore tantum,
Quantum vno die facile prodegeris.

Zenonis. Zeno excusantibus suam luxuriam, ac dicentibus, sumptus à se factos ex magna redundantium copia: Num (inquit) coquis ignoscendum putaretis si dicerent se nimis salita obsonia fecisse, quod magnam salis haberent copiam.

De consuetudine. Sermo 62.

Deest hîc sententia quædam ex Euangelio.

Roma.7. DElector lege Dei ratione interioris hominis. Sed video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me abducentem per legem peccati quæ inest in membris meis.

Tempore roborata impia consuetudo pro lege seruatur.

Assuefactus conuitiis faciendis, nunquam castigabitur.

S.Basilij. Nihil est desiderabile, quod perpetua percep-

tione

ptione & vſu contemnendum non reddatur: vt A contrà ratior vſus conquirendi & fruendi efficit maiorem.

Inueteratũ enim vulnus animi, & rei malæ exercitatio tempore infixa, curatu difficilis eſt, vel omnino incurabilis, quia vt plurimum habitus in naturam mutatur.

Fieri non poteſt vt in cera ſcribas nõ deletis prioribus notis impreſſis: ſic nec animo diuina decreta committas, niſi conſuetudinis † opiniones priſtinas euulſeris.

Facilius eſt enim à principio vitiis non ſe dedere, & prodeuntia effugere, quàm progredientia reſecare, & iis ſuperiorem videri.

Animus ſemel vitiis conciliatus, & ita affectus vt ſenſum doloris inde non capiat, magnum morbo additamentum adiungit.

Qui flammam ab initio non extinguunt, ij ſæpe in magnum incidunt incendium.

Nam ſi peccatum nemo vltra progredi prohibeat equo ſimile eſt, qui freno abiecto ſeſſorem præcipitat.

Diuturna conſuetudo natura robuſtior eſt, & parua peccata, ſi non prohibita fuerint, enaſcuntur, & aucta magnum capiunt incrementum.

Quod quis odit propter cõſequutam ætatis pru- C dentiam, id propter diuturnam malorum conſuetudinem facere cogitur, peccatum grauem nactus contubernalem.

Naturamne accuſemus, quia omne genus vitæ iucundum aut iniucundum efficit conſuetudo.

Omne enim vitium ſi cito cognoſcatur, facile curari poteſt: quod autem tempore roboratur, prope inſanabile eſt.

Natura nihil iucundum aut iniucundum eſt, ſed talia fiunt omnia conſuetudine.

Optimum vitæ genus ſequitur: hoc enim iucundum efficiet conſuetudo.

Natura ſemel voluptatem nacta, vix ad labores D ſolet redire.

Diuturnam cõſuetudinem breui tempore expugnare difficile: quibus enim aſſueueris, ea non facile contemnas.

Sunt ex Bœotis nonnulli, qui debitores debita non ſoluentes in forum adductos ſedere iubent: deinde cophino ſedenti iniiciunt. Qui autem cophino iniectus fuerit, apud illos infamis eſt: quod etiam patri Euripidis genere Bœoto accidiſſe putatur.

Perſæ quod facere non licet, ne dicendum quidem putant: quod ſi patrem occiderit aliquis, † ſimplicem eum iudicant: ſi quem rex flagris cędi iuſſerit, gratias agit quaſi aliquod bonũ ſit nactus quod E ſui rex meminerit: præmia pro liberorum multitudine accipiunt à rege. Liberi apud illos verum dicere, tanquam diſciplinas diſcunt.

Inſidioſos mores & aliquid ſemper mali contra omnes machinari, non ſolertiæ, vt nonnulli exiſtimant, ſed peſſimæ parti attribuo.

Facile eſt & laudare & vituperare quę non decet: ſed vtrumque eſt improborum morum.

Perſarum reges antequam ſacrificent, de pietate diſputant: antequam bibant, de temperantia: antequam bellum ineant, de fortitudine.

Agathyrſi molliſſimi ſunt, & plurimũ aurea ge- Herodoti. ſtant ornamenta: communiter vxoribus vtuntur, vt fratres ſint mutuo, & cognati omnes cum ſint, inuidiam & odium mutuum vitent.

Conſuetudo à paruis quidem ducit exordiũ, ſed Polyæni. ſi negligatur robur maius capit.

De nobilitate & ignobilitate, Sermo 63.

QVod natum eſt ex carne, caro eſt, & natum ex Ioan.3. ſpiritu, ſpiritus eſt.

Non liberi carnis, ij ſunt liberi Dei, ſed liberi pro- Rom.9. B miſſionis pro ſemine reputantur.

Generationis iniuſtæ acerbi ſunt exitus. Sytach.44.

Liberi optima ratione educati ſuorum genitorũ ignobilitatem tegent.

Liberi inſipientia & imperitia exultantes, cognationis ſuæ generoſitatem contaminant.

Non poſſumus patres & maiores nobiles dicere: S.Baſilij. nam veritatis lex proprias cuiuſque requirit laudes: non enim idcirco equus eſt celer, ſi ex celerrimis natus ſit, ſed quemadmodum cæterorum animalium in ſe quodque ſpectatur, ſic viri laudes teſtatæ ſunt ex ſuis cuiuſque præclaris factis.

Malum vocari turpe, non ignobilem. Theol. Tetraſtic. 36.

C Sunt namque pridem putridæ carnes genus:
Genus auſpicari præſtat, id quam ſoluere:
Vt eſſe pulchrum, quam ſatum pulchro patre.

Non maiorum nobilitas, ſed animi virtus nobi- Chryſoſt. lem & ſplendidum efficere ſolet.

Generoſitas & grauitas ſuperbiæ cum latere co- Gre.Nyſſ. gnationem habet.

Optimum frumentum non ex pulchritudine agri Demoſth. æſtimamus, ſed ex eo quod cibum optimum præbeat: nec virum bonum aut amicum beneuolum qui ex nobili ſit propagatus genere, ſed qui ſit optimis præditus moribus.

Nobiles & pulchros maxime decet, in aſpectu D quidem pulchritudo, in animo autem temperãtia, & in horum vtroque fortitudo & virilitas, & in oratione venuſtas.

Quum quidam ex eo percunctaretur, qui eſſent Diogenis. hominum generoſiſſimi: Qui, inquit, diuitias, gloriam, & voluptatem contemnunt: & quæ iſti aduerſantur vincunt, ſcilicet paupertatem, ignobilitatem, dolorem, mortem.

Nihil eſt † generoſitas, ſi opulentiam ſpectes: Euripid.
Vel peſſimum enim opulentia primum facit. † εὐγένεια nobilitas.
Primordium generis malum ſi ſit, miſer
Futurus eſt nepos in æuum poſterum.

O quam vere dicta eſt vetus hæc ſententia,
Nunquam bonus quiſquam ex malo fiet patre.

Generoſos eſſe putato, non qui à bonis & probis Theopom. procreati ſunt, ſed qui bonitatem & probitatem profitentur.

Is dicebat, quærendum non eſſe, ſintne homi- Zeno. nes ex magnis ciuitatibus, ſed an magna digni ſint ciuitate.

Ob maiorum nobilitatem nemo glorietur: lutum Theſpidis enim omnes habemus generis principium, & qui in purpura & byſſo ſunt educati, & qui in paupertatis abyſſo conſumpti,

Complurium vultus generoſus ſit licet, Scleriæ.
Mens attamen non nobilis deprehenditur.

Epicharm. Ægerrime fero, cum aliquis obscurus de nobilitate
Loquitur, ipse verò moribus ignobilis est.
Quid enim rei est cæco cum speculo?

Chariclea. †Græca nõ integra videntur. Socratis. † Nobilitatis enim splendor, & formæ pulchritudo, & ingenium insidiosum, vel robustissima quæque superauerit.

Socrates philosophus cum ex discipulis quendam animaduertisset agrum diligenter curare, & in moribus negligentem esse: Heus tu, inquit, vide ne dum vis agrum colere, teipsum efferes.

Sostratus tibicẽ cum ei quidam obiectaret vt probrum quod obscuris natus esset parentibus: Atqui (inquit) ob id ipsum magis laudari deberem, quod à me genus initium capit.

Phalaridis. Claritate generis sicut aliis honestis & bonis rebus gloriari non decet: sed ego vnam virtutem noui, cætera omnia fortuita: fierique potest, vt quis ex malis existat & regum & omnium nobilissimus: & contra ex bonis malus prodeat abiectissimorum ignobilissimus. Quare animi laudem iactato, non maiorum emortuam † gloriam.

† adde ex Antonio ἀδόξοτερος apud ignobiliores. Plutarchi. Quid enim aliud existimamus esse nobilitatem nisi veteres diuitias aut veterem laudem? cũ neutrum horum sit in nobis, sed alia in incertæ arbitrio fortunæ: alia sint ex intemperantia hominum: itaque ex duobus alienis pendet nomen hoc inflatum generositas. Atqui opulentia non similes sibi procreat liberos: sed qui ex virtute procreatus fuerit, generosus, veluti ad archetypum factus, redditur.

Ad serm. 63. annot.

Euripid. Primordium gen.] *Locus extat apud Euripidem Hercule furente, proximus autem citatur à Stobæo serm. de ignobilitate ex eodem in Dicty, cæterum in Græco Maximi non reperitur, verũ ex Antonij Melissæ 2. part. sermone 79. desumptus est, vbi tamen perperam legitur* φεῦ φεῦ παλαιὸς οὗτος ὠ καλῶς ἔχει *pro* ὡς καλῶς ἔχει *vt est apud Stobæum & ad hãc lectionem accõmodanda Ribitti interpretatio ibid.*

Epichar. Aegerrimè] *In Græco Maximi legitur* ὠδὲν ὢν κακῶς λέγει τις. *Quod potes interpretari, cum quis homo nihili nobilitatem verbis insectatur. at apud Stobæum serm. de ignobilit.* ὠδὲν ὢν κακὸς λέγηται *cum nobilitatem homo nihili & malus nominat.*

Chariel. Nobilitatis] *Admonet P. Leopardus lib. 3. Emendat. c. 25. quoties apud Maximum & alios gnomologos testimonia petuntur à Chariclea Heliodori librum intelligendum quem de Theagene & Chariclea scripsit, emendátq; ita hunc locum ex lib. 1. Aethiopic.* εὐγενείας γὰρ ἔμφασις καὶ κάλλους ὄψις, καὶ λῃστρικὴν ἦθος ὀδὲν ἂν τοσοῦτον ἰσχύσειεν, καὶ κρατεῖν τῶν αὐχμηροτάτων δύναται. *Nobilitatis splendor, & pulchritudinis aspectus etiam Latroniam indolem nouit subiicere sibi, & robustissima quæque superare.*

Socrat. teipsum efferes] *Gr.* μὴ τὸν ψυχὸν ἀγριώσῃ *incultum animum & syluestrem habeas.*

De risu. Serm. 64.

Luc. 6. VÆ vobis qui ridetis: quia lugebitis & plorabitis.

Ephes. 5. Obscœnitas & stultiloquium & vrbanitas, & quæ non conueniunt, ne nominentur quidem inter vos, sed potius gratiarum actio.

Stultus in risu tollit vocem suam, vir autem sapiens vix paululum ridere solet. Prou. 21.

Qualis est sonitus spinarum sub lebete, talis est risus insipientium.

Narratio stultorum detestatio est, & risus eorum in deliciis peccati.

Vsque ad hilarem risum lætitiam animi subindicare non est indecorum, vt solum demonstretur quod scriptum est: Corde lætante vultus floreſcit: cachinnari autem voce, & corpore concuti, nec animi compositi, †nec sui compotis hominis est: cõfirmat enim hanc sententiam sapientissimus Solomon, cum inquit, Stultum in risu tollere vocem suam, & sapientem virum vix vt percipi possit, ridere solere. S. Basilij. regul. fus. 17. †ἀλλαχ. Prou. 15.

Risus quidem omnis dignus est risu viris
Sapientibus, sed maxime meretricius,
Fletum immodestus haud leuem risus parit. Theolo. Tetrast. 20.

Si vis aperte demonstrare te non delectari obscœnitate verborum, ne audire quidem sustineto. Nunc quando tandem poteris temperantiæ sudores sufferre, qui subinde risu diffluis, & istorum obscœnitate verborum? Atqui bene agitur, si animus etiam ab omnibus istis liber, honestus & temperans fieri possit. Chryſost.

Non decet risus studiosum: ferè enim qui risu vehementiore delectatur, vehementem sui status mutationem quærit.

Qui cum adolescentulo ridere solet, contumelias turpes lucrifacit, & reprehensionem. Moschion.

Nimium fuge risum, & risum mouere caueto: est enim locus hic lubricus, † ad vulgi ineptias. Ex Epict. sententiis. †ἐς ἰδιωτικὰ μέρη.

Risus profusus ne sit: quare in cœnis multis & externis & plebeiis ne versator frequenter: si tamen occasio fert, caue tibi. Scito enim, quod si alter fuerit pollutus, alterum quoque impleri necesse est.

Studiosos rerum ridicularũ dicebat in seriis esse ridiculos. Catonis.

Stratonicus citharœdus cum quendam imperite iaculantem vidisset, ad scopum astitit: & cum ex eo quidam cur id faceret percunctaretur, Ne, inquit, feriar.

Ad serm. 64. annot.

Basil. nec animi compositi] *Locus est ex Basil. reg. fus. 17. vbi his additur* ὠδὲ τῷ δοκίμῳ *nec probati, aut planè probi. Quod vero sequitur, sapientem videre vix vt percipi possit, vno verbo Græce* μειδιᾶν. *Locus est & 21. Ecclesiastic. vt id* ἐν ᾠδῇ δῴδῳ. *notem Salomoni hunc librum tribuere Basilium qui est Iesu filij Syrach, nisi sit ipsius* μνημονικὸν ἁμάρτημα, *ita paulò pòst* καὶ ὁ παροιμιαστὴς *ait Basil. vbi affertur ex Ecclesiaste locus hic apud Gregor. or. in laudem Cæsarij cum citetur Salomon pro Iob Nicetam, videtur inde colligi posse Salomonem auctorem eius libri, at Billius memoriæ lapsum putat.*

De somniis. Sermo 65.

Matt. 27. NIhil tibi sit negotij cum iusto illo: quia multa hodie in somnis propter eum sum passa.

Act. 9. Erat autem quidam discipulus Damasci nomine Ananias, cui Dominus per visionem dixit: Anania: cui ille, Ecce ego domine: & Dominus illi, Surge, inquit, itóq; ad vicum qui vocatur, Rectus, & ibi in domo Iudæ quærito Saulũ cognomẽto Tarsensẽ.

Ecce

Ecce enim dum precatur, vidit per visum virum A nomine Ananiam ingredientem, & sibi manus imponentem, vt visum recuperaret.

Venit insomnium in multitudine tentationis.

Idem facit vmbram manu prehendens ventósque persequens, quod qui somnio animum applicat.

Vt plurimum quæ apparent in somniis visa, sunt diurnarum cogitationum repræsentationes.

Qualia sunt cuiusque nostrum vitæ studia, talia necesse est esse & somnia.

Secundum quietem videre cupita, affert amantibus consolationem.

Ne somniorum ludicris fidem nimis
Accommodaris: cuncta nec te terreant.
Nec læta rursum visa te tollant nimis.
Laqueos frequenter hos parat dæmon tibi.
Vir mente læua dormiens est ditior,
Quam qui peramplos aggeres opum tenent.

Nam qui ebrietati & edacitati seruiunt, neque somnum adipiscũtur verum & purum, neque horrendis destituuntur somniis.

Somniis credens, ad omnia † ineptus est.

Qui somnia sequitur, vmbram persequenti persimilis est.

Cum in somniis dæmonibus parere cœperimus, C tum in posterum etiam vigilantes ludificantur.

Solet enim Deus hominibus futura noctu exponere, non vt quæ euentura sunt, vitent: (non enim fatum superare possunt) sed vt leuius quæ passuri sunt, ferant.

Plus quam decet dormire, mortuis conuenit magis quàm viuentibus.

De simplicitate vel innocentia, & iniuriarum recordatione. Sermo 66.

AMen dico vobis, nisi conuertamini, & fiatis tanquam pueri, non ingrediemini in regnum D cœlorum.

Videte ne cuiquam quis malum pro malo reddat: sed semper quod bonum est, persequimini.

Si ceciderit inimicus tuus, ne insultes illi: in casu illius ne te efferas: quia Dominus intuebitur, & nõ erit ei gratum, & auertet iram suam ab illo.

Simplex credit omni dicto: quandiu simplices iustitiæ adhærebunt, non afficientur pudore.

Condona iniuriam proximo tuo, & tum peccata tua te precante dissoluentur.

Simplicitas minime omnium suspicax est malorum.

Malus enim quàm citissime condemnat bonum: E bonus autem ne malum quidem facile: nam qui ad mala nõ est promptus, nec ad suspicionem quidem est facilis.

Ingenium expers malitiæ, tardius quoque suspicatur mala.

Si videris inimicum in manus tuas incidisse, noli putare tempus esse vindictæ, sed salutis: itaque tum maxime parcẽdum est inimicis, cum in nostra fuerint potestate.

Si tibi quis molestus fuit, tu vicissim ne sis molestus, alioqui illi similis fueris: nemo enim malũ malo sanat, sed bono malum.

Qui mala pro bonis rependit, ex eius domo non eiicientur mala. Nili.

Cum veniam peccatorum petis, fac etiam ipse iis ignoscas, qui in te peccarint: quia remissione compensatur remissio: & conseruorum nostrorum conciliatio diuinæ iræ est liberatio. Philonis.

In quibus alios percutere vis, in iis detrimentum maius expectato. Moschio.

Inimicum petentem ne auersator: sed interim temetipsum munito, quod à cane nihil differat. Epicuri.

Inimicitias breues, amicitias autem diuturnas parare studeto. Theopom.

Aeschines orator ab Athenien sibus condemnatus, cum Demosthenes ei decem millia drachmarum Atticarum misisset, & vt fortiter exilium ferret, hortaretur: Qui possum, inquit, non mœrere, ex ea eiectus patria, in qua etiam qui iniuriam acceperint, iniuriarum authoribus benefaciunt? Aeschin. B

De vitæ inæqualitate. Sermo 67.

AMen dico vobis, plorabitis vos & lamentabimini, mundus autem gaudebit, sed dolor vester in gaudium mutabitur. Mulier cum parit, dolore afficitur, quoad venerit eius hora: onixa vero infantem, iam non meminit doloris præ gaudio, quod homo natus sit in mundum. Ioan.16. C

Diuitibus præsentis sæculi præcipe, ne superbe de se sentiant, néue in incertis diuitiis spem suam ponant. 1.Tim.6.

Fumus est spiritus qui efflatur è naribus nostris, & præteribit vita nostra quasi nebulæ vestigia. Nam veluti præteriens vmbra vita nostra est. Sa.Solom. 2.

Quid profuit nobis superbia nostra? quid diuitiæ cum arrogantia contulerunt nobis? illa omnia tanquam vmbra & nuncius currens præterierunt: & tanquam nauis quæ per aquas fluctuantes fertur, quæ cum præterierit, nullum licet reperire vestigium in vndis aut semitæ signum, vt auis per aërem transuolans, nullum sui volatus relinquit signum. Sap.5.

Multi tyranni humi sederunt, & inexpectatus aliquis gestauit diadema. Syrach.11.

Sic vt fieri non potest vt mare diu in eodem permaneat statu, propterea quod modo æquum & stabile, paulò pòst videas asperatum ventorum vi: & contra, furens & fluctibus æstuans, maxima paulò post sedatur tranquillitate: sic & res humanæ facile in vtranque partem mutationes accipiunt. Basilij ho. in princ. proueib.

In rebus humanis nihil firmum, nihil æquabile, nihil quod sibi satis sit: sed circulus quidam nostrorum circunuersatur negotiorum, varias in vno die sæpe, & interdum in vna hora, accipiens mutationes: vt fidendum sit magis auris non durantibus, & pontiuagæ nauis vestigiis, & nocturnis somniis fallacibus, quorum breuis est gratia, & ludicris puerorum in arena figmentis, quàm humanæ fœlicitati. Theologi.

Vt enim aquarum fluxus copiosarum, incidentem recipiens pluuiam, bullas excitat: quarum aliæ simul ac natæ sunt, rumpuntur, aliæ diutius

inflatæ,postea & ipsæ rumpi solent. Sic ad eundem modum huius vitæ mare,alios cum paulisper conspecti fuerint,occultat: alios diutius permanentes, ipsos quoque submergit.

Cadaueribus inutiliora sunt, quæ in præsenti vita sunt splendida.

Studiosum esse earum rerum quæ apparent, eorum est proprium qui futuri sæculi nulla spe ducuntur.

Ne vos fallãt quæ in hoc mundo illustria & splẽdida demonstrantur,quia prætereunt omnia,nihilque eorum quæ apparent,stabile est.

Rebus tuis omnibus prospere procedentibus expecta mutationem:& rursus inexpectatis circunfusus calamitatibus,commoda sperato & meliora.

Socrat. Similiter facit qui ob prosperitatem superbit, vt qui per lubricam viam currit.

Aristony. Vita similis est theatro: nam pessimi plerumque optimum in ea obtinent locum.

Nemo ex omni parte beatus est.

Æstimare autem debes te quoque esse vnum ex multis.

Democrit. Temporum mutationibus, etiam qui plurimum possunt,infirmiorum egent auxilio.

Diogenis. O mortale & miserum genus hominum,
Quàm nihil sumus,sed similes vmbris!
Terræ pondus inutile circumimus.

Appellis. Appelles pictor interrogatus cur sedẽtem pinxisset fortunam:Quia,inquit,non stat.

Hippoth. Cum sis homo,cõmunem memento fortunam.

Isidori. Mortalis natus,quæ sequantur te inspice.

Euripidis. Mortalium generi nihil constans inest.
Nec viuit vllus sic,vt ipse elegerit.

Biantis. Is dicebat sic metiendam esse vitam,quasi & multum & parum temporis victurus sis.

Sopho. in Aiace. Dies abit reditque, sic mortalium
Quæcunque res contrarias vices habent.

De honoranda virtute & puniendo vitio, Sermo 68.

Ioan.5. PRodibunt qui bona fecerint ad vitæ excitationem:& qui mala,ad condemnationem.

2.Pet.2. Nouit Dominus pios de tentatione eripere:iniustos autem ad diem iudicij cruciandos reseruare.

Salomonis Cum prodigus & intemperãs mulctatur, simplex prudentior redditur.

Syrac.10. Æquum non est pauperem prudentem contemni,nec decet sceleratum gloria affici.

S.Basilij. Si temperantes viderint improbos ignominia notatos,multo promptius virtuti adhærescent.

Alius quispiam,aut forte nullus, ad pronuntiandum hac in re audax & promptus fuerit: ego vero dubito malitię omnino in præsenti vita punitionẽ, & pietati recreationem assignare. Quamuis enim aliquãdo vtile sit malos infœliciter agere, ad impedienda vitia:& bonos fœliciter, ad promouendam virtutem:non semper tamen,nec omnino. Sed hoc futuro sæculo proprium videtur, quando probi virtutis præmia, & improbi scelerum pœnas recipient.

Chrysost. Da egenti,non saltanti, ne præter pecuniam tuã animã quoque eius perdas: tu enim author es exitij eius per intempestiuam liberalitatem. Si enim A ij qui in orchestra saltant, scirent suam sibi artem nihil lucri & quæstus allaturam,eam exercere desisterent.

Si vis duplici nomine præclarus esse, & optime viuentes honorato,& malos increpato. Philonis.

Interrogatus quæ ciuitas optime administraretur: Quæ,inquit,ex lege viuit,& iniustos punit. Socrat.

Iniuriam facit bonis qui parcit malis. Esaiæ.

Qui animaduertunt in iniurioſos,ij ab iniuria inferenda alios prohibent.

Virtutem colens, primùm veritatem colit, idque maximè, cum ea sit omnis boni præses.

Solon eam dicebat optime administrari rempublicam,in qua boni essent honorati:pessime autem in qua mali. Solon.

Duæ sunt causæ quæ ad diuinarum rerum cultũ hominem impellunt:impietatis supplicia,& pietatis præmia. Democ.

Intolerabile fit vitium si laudetur. Sexti.

Vbi virtus honorata non est, ibi vitium confidens est. Procopij soph.

Facile esse vitium & difficilem virtutem, Sermo 69.

Matt.7. INtrate per angustam portam:quia lata & spatiosa est via,quæ ad interitum ducit,multique eam ingrediuntur.

Omnis castigatio in præsens gaudio carere videtur,dolorem afferens: sed postea per eam exercitatis fructum reddit pacificum. Heb.12.

Est via quæ videtur hominibus recta,sed extrema illius pertingunt ad inferorum fundum. Prou.14.

Via sceleroſorum lapidibus complanata est,sed in extrema ea inferorum est fossa. Syrach.21.

Neque enim fieri potest vt ignis,si aridam nactus fuerit materiam,non totam absumat, præsertim si ventus accedat secundus, qui flammam excitet ac deducat:sic peccatum cum vnum quemlibet inuaserit, omnes peruadit vicinos†spiritibus malignis ipsum accedentibus. S.Basilij ho.1.in 1. Psal. † Si spiritus ac ventus malignitatis accẽderit. Theol. oratio.1.apologet.

In promptu est vitium, neque quicquam tam facile est,quàm fieri malum.

Æque difficile est & quæ non habeas bona parare,& parta conseruare & tueri. Sæpe enim quod diligentia acquisierat,negligentia perdidit,quódque desidia amiserat,cura recuperauit.

Facilius est vitij participem fieri, quàm virtutem impertiri.

Vt materia humida difficulter ignem concipit,sic humana natura bonum non facile comprehendit. Plurimi verò ad mali perpetrationem prompti & commodi sunt.

Facilius malus malitiam sequitur, quàm bonus eam abrumpit.

Vitium multas habet voluptates, virtuti multi coniuncti sunt labores & sudores. Chrysost.

Et quæ tibi deberetur gratia, aut quod præmium acciperes,nisi laborioſum esset negotium? Etenim multos possum ostendere, qui natura mulierum cõgressus oderint: an igitur hos castos vocabimus, aut corona insigniemus? minimè vero:nam castitas fit per continentiam & pugnam aduersus voluptates.

Labore

Labore multo & ſudore mores boni & recte compoſiti in nobis efficiuntur: fieríque poteſt, vt quæ multo labore pręclare facta ſunt, vno temporis momento perdantur.

Lucerna interdiu accenſa oberrabat, & quibuſdam quærentibus quid ageret, reſpondit, ſe quærere hominem.

De amore ſui. *Sermo* 70.

QVi amat animam ſuam, perdet eam, & qui odit eam in hoc mundo, in vitam ſeruabit ſempiternam.

Non qui ſeipſe commendat, probatus eſt, ſed quẽ dominus commendat.

Omnes ſibi videntur iuſti, ſed dominus iudicabit corda.

Laudet te vicinus, & non os tuum, alienus & nõ labia tua.

Fili in vita tua explora animum tuũ, & vide quid ſit illi pernitioſum, nec id ei conceſſeris: non enim † omnia omnibus conferunt.

Magnum certè dedecus eſt illi qui vere ſit nomine viri dignus, comptum & corporis ſtudioſum eſſe, aut alio aliquo vitio non generoſe affectum: nã omnem adhibere diligentiam & ſtudium, vt quam pulcherrimum ſit corpus, eius eſt qui ſe ipſe non agnoſcit, nec præceptum ſapientiæ plenũ intelligit.

Omnes in hoc vno pij ſumus, quod alij aliorum impietatem condemnamus: noſtrorum vitiorum clementes iudices, alienorum ſeueri examinatores.

Spiritualiter alij aliis inclamemus hæc verba: fratrum magis quàm noſtri ſimus amantes.

Qui non recipit adhibendam ſibi medelam, is ſecum ipſe non conſentit.

Non eſt quiſquam amicus, non eſt frater: noſtra ſinguli ſpectamus, atque ita noſtra imminuimus, infirmique & expugnatu faciles ſumus tum hominibus tum diabolo, propterea quod non inuicem nos defendimus. Nam in bello & in acie miles qui ſibi tantum vnum hoc proponit, vt fuga ſibi ſalutem quærat, alios quoque ſecum perdit vt contra, magnanimus & pro aliis etiam ſumens arma, vnà cum aliis & ſe ipſe conſeruat & tuetur.

Qui omnia propter ſe tantum agunt, amoris ſui ipſorum maximum exercent vitium.

A ſeipſo falli omnium eſt peſſimum: cum enim ne minimum quidem diſtet, ſed ſemper adſit qui ſit ad fallendum paratus, an non hoc malum eſt?

Cum deridemus quempiam, in ipſos oculos conuertere & ſpectare debemus, num & ipſi iiſdem teneamur vitiis: multa enim amor noſtri in nobis occultat & tegit quæ riſu digna ſunt maiore.

Moleſta res eſt, ſi non ſapiens ſapere putat.

Acuti ad aliorum vitia cernenda ſumus.

At cum ipſi deſignamus, non cernimus.

Nullum in ſe vitium Pamphile aperte cernit,
Sed alterum aliquid indecore agente, cernet.

Is interrogatus quid eſſet difficillimum: Seipſum noſſe, inquit: multa enim ſibi quenque aſſumere ex amore ſui.

Nonnullos eſſe dicebat homines, qui loquerentur quidem egregie, ſed ſeipſi non audirent: eósque lyris ſimiles eſſe, quæ cum bene ſonent, nihil tamen ſentiunt.

AD SERM. 70. ANNOT.

Baſil. Magnum certè] *Sententia eſt in orat. de legendis libris gentil. paulò aliter.* οὐχ ἥττον γὰρ ὄνειδος ἀνδρὶ κακλλωπιστῇ εἶναι, ἢ τῷ ἄλλο τι τῶν παθῶν ἀγεννῶς διακεῖσθαι. Non minus fuerit dedecus viro, qui quidẽ hac appellatione dignus ſit, comendi & colendi corporis ſtudioſum eſſe, quàm aliquo alio vitio non generoſè affectum eſſe. *Et illa poſtrema auctiora* δῆλε σωιέντος τὸ σοφὸ τοῦτο γέλματος, ὅτι δ τὸ ὁρώμενον ἐστιν ἄνθρωπος *neque præceptum illud ſapiens intelligit, non id quod cernitur eſſe hominem.*

Socra. Acuti] *Socrati perperam tribuitur hoc diſtichum cuius poſterior verſus reperitur & in ſimili ſententiæ diſticho apud Antonium Serm.* 49. 1. *partis tribuitúrque ab aliis Euripidi, ab aliis Menandro. Sed & varie legitur* αὐτοὶ δ' ἐσμὲν σφάλλομεν ἐγνώκομεν *ſic apud Stobæum,* αὐτοὶ δ' ἁμαρτάνοντες ἐ γινώσκομεν. αὐτοὶ δ' ὅταν ποιῶμεν. *ride & ſer.* 16. *Maxi.*

Maiorem partem non ſemper eſſe meliorem.

Sermo 71.

SVblatis autem oculis vidit diuites qui munera ſua in gazophilacium mittebant: vidit etiam viduam pauperem duo minuta illuc iacientem, & dixit: Vere dico vobis, vidua hæc pauper plus omnibus immiſit. Lucæ 21. Mar. 12.

In Eccleſia malo quinque verba ex mente mea loqui, quàm decem millia in lingua mea. 1. Cor. 14.

Melior eſt manipulus vnus in quiete, quàm duo in labore & ærumna. Salo. 15.

Melior eſt iuſtus vnus, quàm decem milia exlegum: & mori præſtat orbum, quàm liberos relinquere impios. Syrach. 16.

Per vnum prudẽtem fiet celebris ciuitas: per multitudinem vero impiorum & exlegum breui deſerta reddetur.

Sæpe enim qui in mediocritate aliquid vel exiguum præclarè fecerit, præſtantior eſt eo qui in abundantia nihil non fœliciter geſſerit. S. Baſilij.

In malis certaminibus miſerior eſt victor, quàm victus: nam plus inde peccati reportat.

Si enim panis cor ſuſtentat, non plus obſonij quã cibi præter neceſſitatem temere ingerendum eſt.

Melius eſt regnum breue, quàm diuturna tyrannis: & exigua portio pretioſa, quam poſſeſſio magna, ſed vilis & inſtabilis: & multis tenebris, vel exiguum lumen præſtat. Theol. or. 1. Apologet.

Non ex copia datorum, ſed ex animi liberalitate eleemoſyna æſtimatur. Chryſoſt.

Copioſiori vitæ & viliori, minor & melior omnibus omnino præponenda eſt. Platon.

Mediocris rerum copia cum iuſtitia, magnis diuitiis cum iniuſtitia coniunctis præoptanda eſt. Iſocr.

Is conſpicatus tribunum plebis hebetem magna voce clamantem: At, inquit, non quod magnũ eſt, bene eſt: ſed quod bene eſt, id magnum. Demoſth.

Rariſſimæ voluptates maxime delectant. Epicti.

Cum audiſſet Darium trecenta milia in aciẽ educere: Vnus lanius (inquit) non metuit multas oues. Alexan.

Idem cum explorator renũciaſſet, plures eſſe Darij milites: Et oues, inquit, numeroſiores ab vno aut altero lupo vincuntur.

FINIS.

INDEX LOCORVM COMMVNIVM OMNIVM QVI HOC VOLVMINE CONTINENTVR. INDICAT AVTEM

a litera primam partem Meliſſæ, id eſt, Locorum quos Antonius congeſſit, b ſecundam: c verò locos Maximi. Numeri literis ſubduntur, non foliorum, ſed ordinis locorum.

Abſurditatis odium b 36
Actio vel opus a 46 47
Admonitio a 49 c 16
Adulatio a 25 c 11
Adulterium a 15
Adultera b 34
Aegrotantes a 57
Aemulatio, vel imitatio, proba b 65 *mala* b 66
Aeterna beatitudo b 93
Aeterna pœna b 94
Ambitioſi b 74
Ambitio: vide Gloria inanis
Amici, & amicitia a 24 c 6
Amici mali a 15
Amor, & timor Dei a 2 *Contrarium eius* a 4
Amor & pax b 67 *Odium* b 68
Amor fraternus a 23 c 6 *Charitas* a 26
Amor liberorum c 23
Amor ſui b 75 c 70
Anima a 55 c 53
Arcana, & taciturnitas a 73 c 20 *Effutientes ea* a 74
Arrogantes b 74
Auaritia a 34 35 c 22 *Pecuniæ ſtudium* c 12
Audacia, & contentio c 40

B

Beatitudo æterna b 93
Bellum & pax c 37
Beneficentia in pauperes a 27 *Contrarium eius* a 28
Beneficentia c 8
Beneficia & gratia a 29
Benignitas ſimplex, ἀκακία b 54
Benignitas χρηστότης b 83
Biliоſus b 72
Boni vel mali Reges, Principes, Magiſtratus &c. reperies in nominibus ſubſtantiuis.

C

Calumnia a 22 53 c 10
Candidi & grati b 57 *Contrarium* b 58
Caſtitas a 14 *Caſtitas & temperantia* c 3
Cautio & manſuetudo εὐλάβεια καὶ πραότης b 84
Charitas: vide Amor
Ciborum & menſarum diuerſitas, & de illis qui propter cibos offenduntur b 97
Ciues boni b 41 *Mali* b 41
Cœnæ domini ſacramentum b 100
Cogitationes puræ b 87 *Prauæ* b 88
Cognitio ſui a 59 c 56
Colloquium a 48
Concordia b 67
Conducentes mercede, vide Locatores
Confeſſio a 17 c 26
Conſcientia b 81 *pura* b 87 *impura* b 88
Conſilium & conſulte agere a 10 *Contrarium eius* a 11 *Conſilium ſerum, ibidem*
Conſilium & prudentia c 2
Conſilium & reprehenſionem non admittens b 60 *nam locus* 59 *de admittente conſilium, deſideratur.*
Conſuetudo b 80 c 62
Contemptus bonorum & ſanctorum virorum b 38
Contentio c 40
Contentionis ſtudioſi b 68 & 71
Contentus ſorte ſua a 36 c 13. Ὀλιγοδεία, *id eſt, paucarum rerum indigentia* a 30
Contradictio b 71 c 40
Continentia & ieiunium a 38 *Contrarium* a 39
Contumacia ſermonis reprehenditur a 75
Contumelia ὕβρις b 69
Conuerſatio, ſocietas, conuentus a 48
Conuerſatio cum bonis ineunda b 35 *malorum fugienda* b 36
Cor (id eſt, cogitationes) purum b 87 *prauum* b 88
Creditores boni b 25 *mali* b 26
Criminatio & calumnia c 10 *vide Calumnia.*
Curioſitas, & diſtractio in negotiis mundi b 76 c 21. *Tranquillitas in eiſdem Locis.*
Cuſtodia linguæ a 75

D

Deſperatio & triſtitia, ἀθυμία a 72 c 28. *In Deum non ſperantes* a 6
In Deum pietas & fides a 1 *Impietas* a 2
Dei amor & timor a 3. *Eorundem contraria* a 4
In Deum ſpes a 5 *Eius contrarium* a 6
Diabolus ſobrios non lædet b 99
Dilectio: vide Amor
Diligentia b 45 *negligentia* b 46 *vide Induſtria.*
Diſciplina & philoſophia a 50 c 17
Diuitiæ, & honeſtus earum vſus a 31. *Eius contrarium* a 32
Diuitiæ & paupertas c 12
Diuitiis freti, & non Deo a 6
Doctrina & ſermo a 48 c 15
Doloſus b 86
Domini boni b 21 *mali* b 22

E

Ebrietas a 41 c 30
Educatio liberorum recta b 9 *neglecta* b 10
Egeni a 33
Eleemoſyna a 27 c 7 *Contrarium eius* a 28
Epiſcopi boni b 3 *mali* b 4
Eruditio & philoſophia a 50

F

Fama: vide Nomen
Familiaritas: vide Conuerſatio
Faſtuoſi b 74
Fœlicitas & infœlicitas, quod ad fortunam a 70 c 18
Fides, & quòd operibus iuncta maxime ſplendeat a 1 & 44 c 51
Fidei præuaricatio a 2
Fiducia loquendi, & redarguendi c 31
Filia pudica & honeſta b 15 *Impudica & inhoneſta* b 16
Filius prudens b 13 *imprudens* b 14. *Vide in Liberis*
Fortis & temperans mulier b 33
Fortitudo, & robur a 12 c 4
Fortuna ſecunda, & aduerſa a 70 c 18

Fortunæ inconstantia: vide Inæqualitas
Fratres, & fratrum amor vel odium a 23 c 6
Fraudulentus b 86
Frugalitas, vel αὐτάρκεια a 36 *ὀλιγοδεία* a 30

G

Garrulitas b 70 c 47
Gaudentes malis b 40
Gloria a 61 c 46
Gloria inanis b 74 c 34
Grati accepto mutuo b 27 *Ingrati* b 28
Grati & candidi b 57 *Contrarium* b 58
Gratia & beneficentia a 29 c 8
Gula & intemperantia a 39 c 27

H

Hominum & diuitiarum, non Dei subsidio freti a 6
Quòd non confidendum sit hominibus a 5
Honor conferendus in bonos & sanctos viros b 37
Honoranda virtus a 68
Honorandi parentes b 11 c 23
Humiles & pauperes spiritu b 73
Humilitas animi c 49

I

Ieiunium a 38 *Contrarium ei.* a 39
Ignauia b 46
Ignobilitas & nobilitas b 79 c 63
Ignoscere oportere, & obliuisci iniuriarum b 55
De illis qui non ignoscunt b 56 c 66
Illiberales a 28
Imitatio: vide Aemulatio
Immorigeri b 92 *Impatientia* b 90
Imperium & potestas b 1
Impietas in Deum a 2 *Impietatis pœna* b 94
Imprudentia b 48 c 60
Imprudentia senum b 18 *Iuuenum* b 20 *Filij* b 14
Impudens b 72
Inæqualitas vitæ, & inconstantia fortunæ c 67
Inconstantes a 18
Inconstantes, & statim ad prauum ingenium redeuntes: vide Mutabiles
Inconstantia fortunæ: vide Inæqualit.
Incontinentia & gula c 27
Indigentia paucarum rerum a 30
Industria & alacritas in labore c 32
Infamia: vide Nomen
Infælicitas & fælicitas, quod ad fortunam c 18
Ingrati b 58
Ingrati mutuo accepto c 28
Inimicitia b 68
Iniuria: vide Contumelia
Iniuriarum memoria c 66
Iniuriarum obliuio: vide Obliuio
Iniusti, iniustitia a 16 & 35 *vide Boni.*
Innocentia morum & simplicitas ἀκακία καὶ μνησικακία b 54 & 85 c 66 *Ei contrarium* b 86
Inobedientia, & vitiosa respub. b 92
Inopia, & paucarum rerum indigentia a 30
Insensatus b 48
Insipiens a 9
Insomnia a 43 c 65
Intellectus a 8
Intemperantia & gula c 27
Inuidia a 62 c 54
Inuoluntarium & voluntarium a 65 c 55
Ira, & animi feruor seu iracundia b 53 c 19
Iracundus, feruidus, biliosus b 72
Iudicandus nemo, nec offendendus b 98
Iudicium futurum a 20 c 45
Iudicia recta Deo gratissima b 7
Iudices iusti b 7 *Iniusti* b 8
Iuramentum c 33. *Non iurandum temere, vel omnino non iurandum: & de procliuibus ad iuramenta* b 63
Iurantes frequenter, & iuramenta exigentes b 64
Iusti, & iniusti diuersi: vide Boni
Iustitia a 13 c 5
Iuuenes prudentes b 19 *Imprudentes* b 20
Inuentus & senectus c 41

L

Laborandum esse b 45
Laboris alacritas & industria c 32 *Ignauia* b 46
Laus, laudatio a 51 c 43 *Vituperium* a 52
Lex a 67 c 58
Lenitas: vide Longanimitas
Libertas b 82
Libertas dicendi: vide Fiducia
Liberorum educatio recta b 9 *Neglecta* b 10
Liberorum amor c 23
Liberorum in parentes honor & obedientia b 11 *Inobedientes & parricidæ* b 12. *Vide in Filio & Filia.*
Linguæ custodia a 75
Locatores operarum, seu mercede conducentes boni b 29
mali b 30
Longanimitas & patientia b 89 c 42 *Pusillanimitas* b 90 *Vide Mansuetudo*
Loquaces & arcana effutientes a 74 *Linguam suam custodientes* a 75
Loquacitas b 70 c 47
Loquendi libertas, & redargutio b 78 c 31
Loquendum non dure, nec minaciter a 75
Luxuria a 40 c 61 *Ebrietas* a 41

M

Magistratus (& potestas) bonus & malus b 1 & 2 c 9 *Rex bonus & malus* b 1 & 2 *Principes boni & mali* b 5 & 6
Maiorem partem non semper esse meliorem a 37 c 71
Malitia facilis, virtus difficilis a 69
Malitia punienda a 68
Malitia: vide Vitia
Mali, & mala diuersa: vide Boni
Malis & vitijs gaudentes b 40
Malorum obliuio: vide Obliuio iniur.
Mansuetudo & cautio πραΰτης καὶ εὐλάβεια b 84 *Vide Longanimitas*
Matrimonium honestum a 14
Medici a 56 c 50
Memoria a 54 c 52
Mendacium a 22 *Mendacium & veritas* c 34
Mensarum & ciborum diuersitas b 97
Mensuræ iustæ b 51 *Iniustæ* b 52
Mercenarij boni b 29
Merces: vide Retributio
Mercenariorum conductores boni b 29 *Mali* b 30
Metus a 66 c 24
Misericordia a 27 c 7 *Contrarium* a 28
Mœror & tristitia a 72 c 28
Monachi boni b 43 *Ad malitiam redeuntes* b 44
Monachorum præfectus b 96
Monastica vita, & mundi valedictio b 95

Moribus innocens & simplex b 85 *Contrarius ei* b 86
Moribus malis præditi, & inobedientes b 92
Mors a 58 c 36
Mos & consuetudo b 80 c 62
Mulieres c 39 *Bonæ* b 33 *Malæ* b 34
Munera non capientes iudices b 7 *Muneribus corrupti* b 8
Munus & beneficentia c 8
Mutabiles cito, qui statim deserta virtute ad vitia redeunt a 18 c 25
Mutuo accepto grati b 27 *Ingrati* b 28
Mysteriorum diuinorum participatio b 100

N

Negligentia b 46
Negligentes in religione b 99
Negotiosa & occupationibus distracta vita b 77
Nobilitas & ignobilitas b 79 c 63
Nosce teipsum a 59 c 56
Nomen bonum, seu fama bona b 49 *Infame* b 50
Nuptiæ honestæ a 4

O

Obliuio iniuriarum b 54 & b 55 *Contrarium eius* b 56
Obedientia & respub. honesta b 91 *Inobedientia* b 92
Obedientia liberorum erga parentes b 11
Obedientia in monastica vita b 95
Obtrectatio & vituperium a 53 b 59
Occupationes variæ b 77
Odium b 68
Odium in fratres a 23
Odium vitiorum b 39
Offendendus nemo, nec iudicandus b 98
Offensio propter cibos b 97
Opus vel actio a 46
Opera bona fidei coniuncta a 1
Oratio vel precatio a 46 c 14

P

Parci a 28
Parentes boni, & diligentes in liberorum educatione b 9
Negligentes b 10 *In parentes honor* b 11 c 23
Parricidæ b 12
Patientia & longanimitas b 89 c 42 *Impatientia* b 90
Paucarum rerum indigentia a 30 Αὐταρκεία a 36
Pauperes a 33
In Pauperes beneficentia a 27 *Contrarium* a 28
Pauperes & humiles spiritu b 73
Paupertas a 30 *Paupertas & diuitiæ* c 12
Pax, & pacifici b 27 *Inimicitia* b 28
Pax & bellum c 37
Peccatum a 16
Peccatum & confessio c 26
Pecuniæ studium a 34 c 12
Philosophia & disciplina a 50 c 17
Pietas in Deum a 1
Pietatis retributio b 93 *Impietatis* b 94
Quod Plus est, non semper præstare a 37 c 70
Plus habendi studium: vide Auaritia
Pœna perpetua b 94
Pœnitentia a 17 b 25 *Non pœnitentes* a 19
Ponderaiusta b 51 *Iniusta* b 52
Potestas: vide in Magistratu
Præfectus monachorum b 96
Precatio a 46 c 14
Principes boni b 5 *Mali* b 6
Principatus & potestas c 9
Prouidentia a 45 c 48
De proximo, quòd onera eius ferenda sint, communi ope iuuandus, amicè arguendus, & delictis eius ignoscenda b 55
Non ignoscentes b 56
Prudens & fortis mulier b 33
Prudens: vide Senatus
Prudentia & consilium a 8 c 2
Prudentia senum b 17 *Contrarium* b 18
Prudentia iuuenum b 19 *Filij* b 13
Pudica filia b 15
Pudor bonus b 61 *malus* b 62
Pulchritudo a 60 c 44
Punienda vitia: vide Vitia
Puritas cordis, cogitationum, conscientiæ b 87
Impuritas b 88
Pusillanimitas b 90

Q

Quies à negotiis mundi, & tranquillitas curiositati opposita b 76

R

Ratio & rationalis a 64 c 59
Redargutio c 31. *vide Consilium*
Redargutio, & libertas loquendi b 78
Reprehensio: vide Consilium
Reprehensio & libertas loquendi c 31
Respub. laudabilis b 91 *Culpabilis* b 92
Retributio vitæ piæ b 93 *Impiæ* b 94
Rex bonus & iustus b 1 *malus* 2
Risus a 63 c 64
Robur & fortitudo a 12 c 4

S

Sancti viri: vide Virorum
Sapientia a 8
Scandalum: vide Offendere, Offensio
Scortatio a 15
Secreta & taciturnitas a 73 c 20 *Effutientes ea* a 74
Senectus & iuuentus c 41
Senes boni & prudentes b 17 *Stulti & improbi* b 18
Sensatus homo b 47 *Insensatus* b 48
Sermo & doctrina a 47 c 15
Sermo durus, contumax, minax a 75
Serui boni b 23 *mali* b 24
Silentium: vide Taciturnitas
Simplex & innocens ἄκακος b 85 *Contrarius ei* b 86 c 66
Simplicitas, ἀκακία b 54
Sobrios non lædet diabolus b 99
Societas, vide Conuersatio
Socordes in religione b 99
Somnus a 42 c 29 *Insomnia* a 43
Spes in Deum a 5 c 38 *Contrarium* a 6
Spiritu humiles & pauperes b 73
Stateræ iustæ b 51 *Iniustæ* b 52
Stultus a 9
Subiectio in monastica vita b 95
Superbi b 74

T

Taciturnitas, & secreta a 73 c 20
Temeritas a 11 b 71 & 72 *Audacia* c 40
Temperantia a 14 *Temperantia & castitas* c 3
Temperantia & ieiunium a 38 *Contrarium* a 39
Temperans & prudens mulier b 33
Testimonium verum a 21 *Falsum* a 22
Timor a 66 c 24
Timor & amor dei a 3 *Contrarium* a 4
Tolerantia b 89 c 42

Tranquillitas cõtraria curioſitati & negotijs mũdi b 67 c 21
Triſtitia. a 72 c 28

V

Valedictio rerum mundanarum, & exercitatio vitæ monaſticæ b 95
Verecundia: vide Pudor
Verſutus b 86
Veritas a 21 *Veritas & mendacium* c 34
Verum teſtimonium a 22
Virorum bonorum & ſanctorum honor b 37
Contemptus b 38
Virorum bonorum conuentus b 35 *malorum* b 36
Viri boni & honeſti b 31 *Mali & improbi* b 32
Virginitas a 14
Virtus a 7 *Virtus & vitium* c 2
Virtus honoranda, vitia punienda a 68 c 68
Virtus difficilis acquiſitu, vitium facile a 69 c 69
Virtus ſenum b 17 *Contrarium* b 18
Vita negotioſa, & occupationibus diſtracta b 77
Vitæ inæqualitas, & inconſtantia fortunæ a 71 c 67
Vitæ piæ retributio b 93 *impiæ* b 94
Vitia facilia, virtus difficilis a 69 c 69
Vitia punienda, virtus honoranda a 68 c 68
Vitiorum odium b 39
Vitium & virtus vitæ c 2
Vituperatio & calumnia a 53 c 10
Voluntarium & inuoluntarium a 65 c 55

SANCTI MAXIMI SENTENTIARVM DE CHARITATE, EX PATRIBVS COLLECTARVM, CENTVRIAE QVATVOR AD Elpidium, Vincentio Obſopæo interprete.

authoritatem nimis & lectione non satis tuta & ideo cauta legenda.

S. MAXIMI AD ELPIDIVM PRAEFATIO.

ECce ad eum ſermonem quem de vitæ exercitio conſcripſi, & hunc de charitate compoſitum, tuæ Sanctitati miſi, pater Elpidi, æquali capitulorum numero, quatuor Euangeliis, totidem Centuriis reſpondentem, fortaſſe non admodum dignum tua expectatione noſtra tamen ingenij facultate non minorem. Verum tamen legat tua Sanctitas, quoniam neque hæc noſtræ commentationis fœtura eſt, ſed perluſtratis atque excuſsis Sanctorum Patrum ſcriptis atque ſermonibus, & inde mente ad argumentum intenta, paucis verbis multa ſtrictim & breuiter admodum collecta, vt & facilius legentium paterent oculis, & promptius memoriæ occurrerent, tuæ Sanctitati miſi, orans atque obſecrans, vt hæc qualiacunque ſint, benigne & gratanter legas, ac ſolam in illis vtilitatem venari digneris, cæterum verborum ornatum & compoſitionis elegantiam contemnas, próque noſtra mediocritate preceris, quæ omni ſpirituali vtilitate vacua eſt. Quinetiam hoc à te contendo precibus, ne iſta in lectorum defatigationem ſcripta putes: nos enim imperata fecimus. Hoc ideo dico, quod noſtrûm qui orationibus ſuis alios defatigant, hodie non parum multi ſint: cæterum qui re ipſa docent aut docentur, perpauci admodum. Sed potius ſingulis capitibus legendis, attentum fac adhibeas animum. Neque enim omnia vt opinor omnibus intellectu & comprehenſu ſunt facilia, ſed multa multam apud multos perſcrutationem requirunt, tametſi ſimpliciter dicta videantur. Fortaſſe enim vtilitas quædã ex illis reuelata apparebit. Apparebit autẽ omnino Chriſto volente, hæc incurioſa mente & cum timore Dei ac charitate legentibus. Porro autem qui in huius opuſculi, aut alterius cuiuſcunque lectionem inciderit, non hoc animo, vt ex iis ſpiritualem aliquem fructum conſequatur, ſed vt dictiones venetur ad probroſe & malitioſe flagellandum authorem, vt ſe ipſe hoc longè prudentiorem oſtentet, huic nihil vtilitatis ex nulla re vnquam apparebit.

PRIMA CENTVRIA CAPITVLORVM DE CHARITATE MAXIMI, Confeſſoris.

CHaritas boni animi adfectus & propoſitum eſt, cuius impulſu nihil in rebus humanis Dei cognitioni anteponit. Impoſſibile autem eſt, vt aliquis charitatis habitum conſequatur, qui rerũ humanarum adfectibus adhuc detinetur.

2. Charitatem parit adfectuum carentia, adfectuum carentiam, ſpes quæ in Deum eſt: cæterum ſpem, perſeuerantia & longanimitas: hanc autem † adquiſita temperantia: porrò temperãtiam timor Dei, timorem vero fides quæ in Chriſtum eſt.

3. Qui credit in Chriſtum, pœnam pertimeſcit & ſupplicium. qui autem metuit ſupplicium, ab adfectibus temperat. Cæterum qui ab adfectibus temperat, patienter ſuffert adflictiones. Porrò autem adflictiones ſufferens, ſpem in Deum habebit. Spes verò in Deum fixa, mentem ab omnibus A terrenis affectionibus ſegregat. At mens ab his ſegregata charitatem erga Deum obtinebit.

4. Qui Deum diligit, omnibus ab eo factis & creatis, eiuſdem cognitionem anteponit, cui etiam indeſinenter, propter deſyderium, adhæret.

5. Quod ſi omnia quæcunque exiſtunt per Deum & propter Deum facta ſunt, Deus autem rebus per ipſum factis & conditis longe exiſtit præſtantior: qui relinquit Deum, ac vilioribus & deterioribus vacauerit, ſatis declarat ſeipſum Deo anteponere ea quæ per ipſum facta ſunt.

6. Qui charitati erga Deum cor affixum habuerit, omnia viſibilia atque adeo ipſum corpus tanB quam alienum contemnit.

7. Quod ſi anima corpore eſt melior, & Deus qui mundum fabricatus eſt, eo ſupra omnem comparationem eſt præſtantior: fit vt ille, qui animæ corpus, & Deo mundum ab ipſo creatum antepoſuerit, nihil ab idololatris diſcrepat.

8. Qui mentem à charitate erga Deum habenda, & assidua eius contemplatione segregauerit, alicui rerum visibilium alligatam habuerit, ille est qui animæ corpus, & Deo conditori res ab ipso conditas anteponit.

9. Si vita mentis, illuminatio est cognitionis, hanc autem erga Deum charitas parere solet, diuina charitate nihil esse maius, præclare dictum est.

10. Quando præ amore & desiderio charitatis, erga Deum mens peregrinatur, tunc neque seipsũ, nec aliam rem vllam earum quæ sunt, omnino sentit. Siquidem dum diuino & immenso lumine illustratur, citra sensum agit omnium earum rerum quæ à Deo creatæ sunt. Quemadmodum illustratus oculus se habet erga sydera sole exoriente.

11. Omnes quidem virtutes animo cooperantur ad amorem diuinum, omnium autem maxime pura precatio. Huius enim adminiculo ad Deum, quasi alis subleuatur, atque ita extra omnes res humanas constituitur.

12. Quando propter charitatem à diuina cognitione mens rapta fuerit, atque extra res humanas constituta, diuinam & incomprehensibilem magnitudinem persenserit, tunc secundum diuinum Esaiam præ stupore in suæ ipsius humilitatis cognitionem delata, cum adfectu prophetæ verba effatur: O miser ego, quàm obstupeo, quod homo exi- Esai. 6.
stens, & immunda labia habens, in medio populi immunda labia habentis ego habitem, & regem Dominum sabaoth oculis meis viderim.

13. Qui Deum diligit, non potest non etiam omnem hominem vt seipsum diligere: etsi moleste ferat adfectus & vitia illorum, qui nondum purgati sunt: quare eorundem conuersionem & emendationem videns, immenso & inexplicabili gaudet gaudio.

14. Immunda est anima, quæcunque cogitationum concupiscentiis & odio impleta est.

15. Odij aut simultatis vestigium cernens in corde suo, propter quodcunque peccatũ aduersus quẽcunque hominẽ, omnibus modis alienus est à charitate Dei, propterea quod nullo modo charitas qua Deus complectendus est, cum odio aut simultate aduersus hominem susceptа cohærere possit.

16. Qui diligit me, inquit Dominus, præcepta mea seruabit. Hoc autem præceptum meum est, vt diligatis vos mutuo. Itaque qui non amat proximum suum præceptum Domini non seruat. Cæterum præceptum non seruans, neque dominum potest diligere.

17 Beatus est homo ille, qui omnem hominem ex æquo potest diligere.

18. Beatus est homo ille, qui nulli rei, aut negotio temporario & transitorio semet implicat.

19. Beatus est ille animus, qui omnibus rebus posthabitis, in sola diuina venustate & elegantia indesinenter deliciatur.

20. qui carnis prouidentiam vertit in concupiscentiam, & propter res temporaneas iniuriarum memor infẽsus est proximo, hic præ creatore creaturam colit.

21. Qui nullis voluptatibus aut morbis obnoxium corpus seruauerit, conseruum illud habet ad ad rerum longe præstantiorum seruitium.

22. Qui fugit omnes mundanas concupiscentias, omni mundana materia se superiorem collocat.

23. Qui Deum diligit, omnibus modis proximũ quoque diligit. Atqui eiusmodi pecuniæ seruandæ rationem habere non potest, sed planè Dei dignum dispensatorem agit, vnicuique egentium benigne suppeditans.

24. Qui Deũ æmulando eleemosynam facit, non nouit discrimen mali & boni, iusti & iniusti, in his quæ necessaria sunt corpori, sed omnibus ex æquo prout exigit necessitas, largitur: tametsi improbo virtute præditum, propter bonum propositum, anteponere soleat.

25. Quemadmodum Deus natura bonus existens & omnibus carens adfectibus, omnes quidem pariter & ex æquo diligit, veluti suas creaturas, attamen virtute præditum glorificat, vt eum qui sui cognitionem recte obseruat. Improbi vero propter suam bonitatem miseretur, eundémque in hoc sæculo castigans atque instituens conuertit. Non secus facit qui animo bono & adfectibus vacuo præditus fuerit, omnes enim homines ex æquo amat: virtute præditum, propter naturam & bonum propositum: improbum vero, propter naturam & adfectum misericordiæ, vt amentem & væcordem, & in tenebris ambulantem misertus.

26. Non solum pecuniárum distributione & largitione charitatis adfectus cognoscitur, sed multò impensius & certius diuini verbi distributione ac corporalibus obsequiis.

27. Qui mundanis rebus atque negotiis vere atque ex animo renunciat, ac proximo charitatis obsequiis nulla hypocrytica simulatione inseruit, ab omnibus adfectibus quam primũ liberatur, diuinęque charitatis & cognitionis particeps efficitur.

28. Quid Dei charitatem in se ipso possidet, non non fatigatur sequendo dominum Deum suum, iuxta † Esaiam prophetam: verum omnem labo- † Græcum exemplar habet, Hierm. 7.
rem, opprobrium, contumeliam, & iniuriam magno animo generose tolerat, nemini mortalium in vniuersum malum cogitans.

29. Quando ab aliquo contumelia iniuriose adfectus, aut aliqua in re contemptus fueris, tunc caue ab iracundiæ cogitationibus, ne per illas propter animi perturbationem atque tristitiam à charitate excluſus, in locum odij constituaris.

30. Quoties ob acceptam iniuriam aut ignominiam, perturbatus fueris, tunc scias teipsum magno affectum esse commodo, inani ambitione & gloria per contemptum & ignominiam à te reiecta.

31. Quemadmodum ignis recordatio corpus nõ calefacit, sic fides sine charitate non operatur: in anima cognitionis illuminationem.

32. Quemadmodum Solis lumen sanum oculum ad seipsum pertrahit, sic Dei cognitio puram mentem per charitatem naturaliter ad seipsam allicit.

33. Mens pura est, quæ ab ignorantia segregata, & à diuino lumine illustrata fuerit.

34. Anima pura est, quæ adfectibus liberata, Dei charitate indesinenter exhilaratur.

35. Adfectus est vituperabilis, motus animi prẽter naturam.

36. Adfectuũ

36. Adfectuum carẽtia pacatus est ſtatus animæ, ſecundum quem difficulter mouetur anima, erga malitiam.

37. Qui charitatis fructus ſummo ſtudio conſecutus fuerit, nunquam illam deſerturus eſt, etſi infinita mala illi ſufferenda ſint. Ad hoc perſuadeat te Stephanus Chriſti diſcipulus, qui pro ſuis occiſoribus precatus eſt, ac veniam ab illo tanquam ignorantibus poſtulauit: & alij eius exemplum ſecuti.

38. Si charitatis eſt eſſe longanimum & benignum, conſentaneum eſt iracunde ſæuientem aut impotenter indignantem, & malitioſe agentem, alienum videlicet à charitate fieri. Cæterum qui à charitate alienus factus eſt, à Deo alienatus eſt. Siquidem Deus eſt ipſa charitas.

39. Ne dixeritis, inquit diuin⁹ Hieremias, quod templum Domini ſitis: & tu ne dixeris, quod nuda fides in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum te ſeruare poſſit, id enim impoſſibile eſt, niſi charitatem quoque in illum per opera poſſederis. Siquidẽ nude credere nouerunt etiam dæmones, & contremiſcunt.

40. Charitatis opus eſt, operoſa & benigna in proximum, ex intimo adfectu animi beneficentia, & longanimitas & perſeuerantia: item recta cum ratione rerum vſus.

41. Qui Deum diligit, nulla triſtitia quenquam afficit, neque à quoquam afficitur, propter res temporaneas. Vna autem ſed ſalutari triſtitia afficit & afficitur, qua beatus Paulus contriſtatus eſt, & contriſtauit Corinthios.

42. Qui Deum diligit, angelicam vitam in terra tranſigit, ieiunans & vigilans, pſallens & orans, ac de omni homine bona quæque ſemper cogitans.

43. Si quid aliquis vehementer concupiſcit, illud quoque omni conatu ſtudet conſequi: omnibus autem bonis & rebus deſiderabilibus diuinum numen ſupra omnem comparationem deſyderabilius eſt atque præſtantius: omne profecto ſtudium nobis impendendum eſt, vt id quod natura bonum eſt & deſyderabile conſequamur.

44. Ne contamines carnem tuam turpibus operibus, neque animam tuam coinquines prauis cogitationibus, & pax Dei veniet ſuper te, charitatem adducens.

45. Adflige & compeſce carnem tuam ieiunio & vigiliis, & ſtrenue pſalmodiis ac orationibus incumbito, ſanctificatio temperantiæ ad te veniet, charitatem adferens.

46. Qui diuina cognitione dignatus eſt, & eius illuminationem per charitatem poſſidet, ille nunquam ambitionis & vanæ gloriæ ſpiritu commouebitur. Porrò qui hac nũquam dignatus eſt, haud difficulter ab illo hinc inde rapitur. Itaque ſi talis homo in omnibus quæ ab ipſo fiunt rebus ad Deũ reſpexerit, veluti per ipſum omnia faciens, facile cum Deo illum effugiet.

47. Qui diuinam cognitionem nondum conſecutus eſt, quæ per charitatem efficitur ſuperbum ſe gerit, in his quæ ab ipſo per Dei auxilium facta ſunt. Atqui hanc conſequi dignatus eſt, cum adfectu Abraham patriarchæ verba profert, quæ ipſe cum diuina apparitione dignatus eſſet, protulit: Ego ſum terra & cinis.

48. Qui timet dominum, ſemper coniunctam habet humilitatem comitem, perque huius cogitationes ad diuinam charitatem & gratiarum actionem peruenit. Etenim prioris ſuæ conuerſationis ſubinde recordatur, atque etiam diuerſorum erratorum tenaciter memor eſt, neque non tentationum quæ illi à puero contigerunt. Tum quomodo ex his omnibus liberauerit eũ Dominus, & tranſtulerit à vita multis adfectibus obnoxia in eã quæ eſt ſecundũ Deum & vitam. Quinetiam cũ timore charitatem accipit, gratias agẽs ſemper cum humilitate multa benefactori & gubernatori vitæ noſtræ.

49. Ne ſordibus contamines mẽtem tuam concupiſcentiæ & iracundię cogitationes ſuſtinens, ne pura precatione elapſus in † pigritiæ & vecordiæ † ἀκηδίας ſpiritum incidas.

50. Tunc mens omni erga Deum † libertate excidit, quando prauis & ſordidis cogitationibus vacauerit. † παῤῥησίας.

51. Væcors homo & nullius iudicij, qui ducitur adfectibus, quando iracundia commotus conturbatur, citra omne rationis iudicium fratrum conſortium fugere feſtinat. Porrò vbi iterum per pœnitudinem incenſus deſyderio incaluerit, vltro ſemet offerens occurrit. Cæterum homo cordatus & prudens in vtriſque diuerſum facit. Siquidem inflammatus iracundia, omnibus indignationis cauſis abſciſſis, ſeipſum ab omni erga fratres concepta triſtitia atque moleſtia ſegregat. In concupiſcentia autem, à ſtolido impetu & conuerſationis deſiderio ſe continet.

52. In tempore tentationum, ne deſeras monaſterium tuum, verum generoſo animo cogitationũ fluctus tolerato, maxime verò eos quibus te impugnat & obruit triſtitia & ignauia. Ita enim † militariter ac vere probatus tribulationibus firmam atque conſtãtem in Deum ſpem habebis. Sin autem deſerueris, non probatus parúmque virilis & inſtabilis inuenieris. † διδόμενος χῶς.

53. Quòd ſi nolueris à charitate erga Deum obtinenda excidere, neque fratrem tuum à te conturbatum ad ſomnum capiendum dimiſeris, neque tu ab illo conturbatus ſecedas cubitum: ſed vade, reconciliare fratri tuo, & veniens offer Chriſto pura conſcientia & deuotis precibus donum charitatis.

54. Si omnes donationes ſpiritus habens, charitatem autem non habens, nihil vtilitatis accipit, ſecundum diuinum Apoſtolum, quanto conatu in hoc nobis incumbendũ eſt, vt illam conſequamur?

55. Si charitas proximo malum nõ operatur, qui inuidet fratri, aut ob eius celebritatem & nominis ſplendorem dolore afficitur, probroſiſque dicteriis eius exiſtimationem immaculat, aut quadam malitia & improbitate illi tendit inſidias, quomodo ille ſe ab omni charitate alienum eſſe non oſtendit: & æterni iudicij reum comprobat?

56. Si plenitudo legis eſt dilectio, præteritarum iniuriarum memor erga fratrem, aut dolos etiam & inſidias illi fabricans, aut male imprecans, eiuſdémque lapſu & infœlicitate gaudens, quomodo ille iniquus nõ fit, & æterno ſupplicio digniſſimus?

57. Qui detrahit fratri ſuo, eundémque iudicat,

detrahit legi, & legem iudicat: at lex Christi est charitas: quomodo è lege Christi detractor non excidet, suáque culpa author sibi fiet æterni supplicij.

58. Ne accommodes aurium tuarum operam linguæ detractoris, neque linguam tuam impertias reprehendendi studioso, iucunde libentérque loquens & audiens aduersus proximum, ne à diuina charitate excidas, alienúsque inueniaris à vita æterna.

59. Ne suscipias aduersus patrem tuum contumeliam, neque vlla animi promptitudine aut benignitate suscipias eundem probrose dehonestantem, ne irascatur Dominus propter opera tua, tuque exterminеris è terra viuentium.

60. O brura os detractori audiendo illum, ne duplici delicto cum eo fias obnoxius, & te ipse pernicioso adfectui assuefaciendo, & illum aduersus proximum nugaciter & improbe garrientem non compescendo.

Matt. 5. 61. Ego autem dico vobis, inquit Dominus, diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui odio vos prosequuntur, orate pro contumeliosis in vos. Quamobrem verò hæc nobis facienda præcepit? nempe vt te ab odio, tristitia, iracundia, & præteritarum iniuriarum reminiscentia liberaret, téque re omnium preciossima, nimirum perfecta charitate,† dignum faceret: quam fieri non potest vt aliquis habeat, qui non omnes homines ex æquo diligit, iuxta Dei imitationem, omnes homines ex æquo diligentis, & volentis saluos fieri, & ad veritatis cognitionem peruenire.

† κατάξιον.

62. Ego autem dico vobis, ne resistatis malo, sed quisquis impegerit alapam in dextram tuam maxillam, obuerte illi & alteram: & ei qui velit te in ius trahere, ac tunicam tuam tollere, permitte illi & pallium. Et qui te adegerit ad milliarium vnum, abito cum illo duo. Quorsum hæc præcepit nobis? vt te ab omni iracundia & perturbatione vacuum conseruaret, alienúmque à tristitia, & illum per tuam malorum tolerantiam erudiret, & sic vtrosque veluti bonus pater, sub charitatis iugum adduceret.

63. Quas res quondam dolenter pertulimus, earum etiam imaginationes non sine graui adfectu apud nos circunferimus. Itaque qui imaginationes dolore nos afficientes vincit, ille quoque res ipsas vnde tales imaginationes obueniunt omnibus modis contemnit. Quoniam bello quod aduersus res suscipimus, tanto grauior pugna est quam aduersus malorum recordationem gerimus, quantò facilius est cogitatione quàm reipsa delinquere.

64. Adfectuum quidam sunt corporales, quidam animales. Iam corporales ex ipso corpore suas habent occasiones. Porrò animales, è rebus externis proueniunt. Vtrosque verò resecat charitas & temperantia, hæc quidem animales, illa verò corporales.

65. Adfectuum partim sunt in animæ parte irascibili, iracundia, partim concupiscentiæ obnoxia vtrique mouentur sensibus. Cæterum tunc mouentur, quando extra charitatem & temperantiam anima constituta inuenitur.

66. Adfectus, quos excitat iracundia, difficiliores sunt expugnatu, quàm quos excitat concupiscentia. Quare etiam maius pharmacum contra illos, nempe charitatis præceptum, à domino datum est.

67. Omnes alij adfectus, aut iracundiam in anima attingunt, aut concupiscentiam, aut partem animæ rationalem, cuius generis est obliuio, aut ignorantia.† Acedia verò omnes animæ vires inuadens, omnes ferè vnanimiter adfectus commouet. Quapropter ex omnibus aliis quoque adfectibus est grauissima. Probe itaque Christus aduersus hanc nobis præstitit pharmacum: In patientia vestra, inquit, possidete animas vestras.

† ἀκηδία.

68. Ne †cõcutias vnquam ex fratribus tuis quẽpiam, maximè verò temere, ne quando tribulationis impatiens cedas, neque tamen effugias eius qui tibi conscius est redargutionem, quæ tempore orationis tristitiam tibi conciliet, & à libera in Deum fiducia mentem deturbet.

† πλήξῃς.

69. Ne sustineas in animo siue suspiciones siue homines offendicula tibi aduersus quospiam adferentes. Etenim qui offendicula suscipiunt, quocunque modo, siue secundum animi voluntatem siue præter eiusdem propositum cõtingat, illi viam pacis nequaquam compertã habent, ferentem charitate duce in Dei cognitionem illius amatores.

70. Nondum perfectam charitatem ille assecutus est, qui pro variis hominum ingeniis diuerse adfectus, hunc quidem diligit, illum verò odio prosequitur, propter hanc aut aliam causam. Aut etiam eundem aliquando diligit, aliquando verò habet odio, propter easdem causas.

71. Perfecta charitas non diuidit vnam illam & eandem hominum naturam propter diuersas illorum sententias. Sed in illam semper intentos habens oculos, omnes homines ex æquo diligit. Bonos quidem vt amicos, malos vero vt inimicos adamat, multis officiis & longanimitate cunctos complectens, sufferens quoque ea, quæ ab illis inferuntur mala, iniurias illatas omnino non reputando. Sed exigẽtibus occasione & tempore pro illis quoque patitur, vt & eos, si fieri possit, ex hostibus amicos faciat. Sin illud non contigerit, proprio tamen instituto non excidit, charitatis fructus semper ex æquo omnibus hominibus ostendens. Quapropter etiam Dominus noster & Deus Iesus Christus, eadem charitate nobis ostensa pro vniuerso genere humano passus est, & omnibus ex æquo spem resurrectionis gratuito largitus est, etsi quisque seipsum aut gloria, aut supplicio dignum constituat.

72. Qui non contemnit gloriã & ignominiam, diuitias & inopiam, voluptatem & tristitiam, perfectam charitatem nondum consequutus est. Siquidem perfecta charitas nõ ista solum habet contemptui, verumetiam hanc vitam temporaneam & mortem.

73. Audit eos qui perfectam charitatem adepti sunt, cuiusmodi de ea pronuntiant: Quis nos separabit à dilectione Dei? num adflictionum angustia? num persequutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? Quemadmodum scriptũ est: Propter te morti tradimur toto die habiti sumus veluti oues destinatæ mactationi. Verum in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos.

Rom. 8.

Nam

Nam mihi perſuaſum hábeo, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque vlla creatura alia poterit nos ſeparare à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Et hæc quidem de charitate erga Deum habenda, & dicentes & facientes ſunt omnes ſancti.

74. Cæterum de charitate erga proximum obtinenda, audi rurſum, qualia pronuntiare ſoleant. Veritatem dico in Chriſto, non mentior, atteſtante mihi ſimul conſcientia per ſpiritum ſanctum, quod dolor mihi ſit magnus, & aſſiduus cruciatus cordi meo. Optarim enim ego ipſe anathema fieri à Chriſto pro fratribus meis, cognatis meis ſecundùm carnem qui ſunt Iſraëlitæ. Et reliqua. Similiter & Moyſes, & alij ſancti teſtificantur.

75. Qui non contemnit gloriam & voluptatem, & has ſubinde augentem pérque illas conſiſtétem auaritiam iracundi animi occaſiones reſecare non poteſt. Porrò qui has non reſecat, perfectam charitatem conſequi non poteſt.

76. Humilitas & malorum tolerantia, ab omni delicto liberant hominem. Illa quidem animæ, hęc verò corporis adfectus reſecans. Hoc feciſſe beatus quoq; Dauid videtur, in his quibus ad Deum precatur dicens: Vide humilitatem meam & laborem, & remitte vniuerſa delicta mea.

77. Per præcepta Dominus adfectuum expertes reddit illos, qui ea ſeruauerint. Porrò per diuina dogmata cognitionis illuminationem eiſdem largitur.

78. Omnia dogmata, aut de Deo, aut de viſibilibus & inuiſibilibus, aut de ea quæ in illis eſt prouidentia & iudicio conſtituta ſunt.

79. Eleemoſyna quidem rationalem animę partem ſanat, at ieiunium ſedat concupiſcentiam: & oratio purgat animum, & ad rerum contemplationem eum adornat. Siquidem pro diuerſis animæ facultatibus præcepta quoque Dominus nobis accommodauit.

80. Diſcite à me, inquit Chriſtus, quoniam mitis ſum & humilis corde: & reliqua. Siquidem manſuetudo animum nullis perturbationibus conſeruat obnoxium: verum humilitas ab inſolenti faſtu & inani ambitione mentem liberat.

alter. 81. Duplex eſt timor Dei, quorum alter ex minis ſupplicij nobis ingeneratur, per quem temperantia & perſeuerantia, & in Deum ſpes & indolentia, deinceps quoque charitas ſecundum ordinem nobis innaſcuntur: alter verò ipſa cum charitate coniungitur, cautionem quandam & metum cum pietate coniunctum in anima conſtituens, ne per charitatis fiduciam, in contemptũ Dei rumpat.

Prou. 16. Prou. 1. Eccl. 1. Pſal. 18.

82. Iam priorem metum eiicit ex anima perfecta charitas hanc poſſidẽte, ne poſthac ſupplicium pertimeſcat. Verum alterum ſemper habet, vt dictum eſt, ſibi coniunctum. Ac priori quidem metui conuenit illud nimirum: Timore Domini declinat omnis à malo: &, Principium ſapientiæ timor Domini. Alteri verò illud quadrat: Timor Domini, purus permanens in ſæculũ ſæculi: & illud, Non eſt † penuria timentibus eum.

† ἔνδεια. Pſal. 33.

* Coloſſ. 3. 83. * Mortificate igitur membra veſtra terreſtria, A ſcortationem, immunditiem, mollitiem, concupiſcentiam malam, & auaritiam: & reliqua. Terram quidem nominauit ſapientiam carnis: at ſcortationem peccatum opere completum dixit. Cæterum immunditiem conſenſum vocauit: porrò, mollitiem rationem adfectibus inuolutam nominauit. Verum prauam concupiſcentiam, quæ nuda cogitatione fit cupiditatis admiſſio. Auaritiam denique materiam adfectus augẽtem & generantem nominauit. Itaque hæc omnia velut carnalis meditationis membra, mortificare iuſſit diuinus Apoſtolus.

B 84. Primum quidem memoria nudam cogitationem ad mentem refert, & cogitatione aliquandiu in animo perdurante mouetur adfectus. Hic ſi non actutum ſublatus fuerit, flectit mentẽ ad conſenſum. Quo facto etiam ad peccatum ipſo opere complendum pertranſit animus. Itaque ſapientiſſimus Apoſtolus, ad eos qui ex gentibus conuerſi fuerant ſcribens, primum peccati effectum iuſſit tollere, deinde ſecundum ordinem retrogredientes, in cauſſa deſinere. Cæterum ipſa cauſa eſt, quæ adfectus, vt prædictum eſt, & auget & generat, à Paulo auaritia dicta. Opinor autem hoc loco ſignificari guloſitatem, velut matrem & nutricem ſcor-

C tationis. Siquidem auaritia non tantum in opibus & diuitiis, ſed ciborum inſatiabilitate quoque mala eſt. Quemadmodum continentia non ſolum de eduliis, verumetiam de pecuniis accipienda & intelligenda eſt.

85. Quemadmodum paſſerculus pede alligatus, volare incipiens in terram funiculo detrahitur: ſic quoque mens nondum adfectibus liberata, & ad rerum cœleſtium cognitionem volare contendens adfectibus ducitur, & in terram detrahitur.

86. Quando mens in totum ab adfectibus libe- ἀμεταστατι. πήματος.

D rata fuerit, tunc etiam ad rerum contemplationem irreuerſim contendit, ad cognitionem ſanctæ Trinitatis iter faciens.

87. Mens pura exiſtens, rerum intellectum ſuſcipiens, per illas ad ſpiritualem contemplationem commouetur: cæterum impura per ſocordiam facta, reliquarum quidem rerum intellectus nudos imaginatur, humana vero complectens, in turpes & prauas cogitationes conuertitur.

88. Cum inter orandum nulla rerum mundanarum cogitatio animum conturbat, tunc demum ſcias te non extra adfectuum carẽtiæ terminos eſſe conſtitutum.

89. Cum anima propriam ſanitatem inceperit perſentiſcere, tunc imaginationes quoque in ſom-

E niis nudas & perturbationis expertes incipit videre.

90. Quemadmodum rerum viſibilium pulchritudo, ſenſibilem oculum: ſic mentem quoque puram rerum inuiſibilium cognitio ad ſe pertrahit. Inuiſibilia vero dico ea, quæ ſunt incorporea.

91. Magnum quiddam eſt, erga res nihil pati aut affici, multo autem maius hoc æſtimandum eſt, illarum imaginationibus non commoueri. Quapropter bellum quo impugnant nos dæmones cogitationibus, ea pugna qua per res infeſtamur, eſt difficilius.

92. Virtutibus recte & egregie exornatus, &

cognitione opulenter præditus, vtpote iam naturali quodam ingenij ductu res perſpiciens, omnia recto quodam iudicio & facit & loquitur, omnino non aberrans. Ex eo enim quod rebus recte vel ſecus vtimur, aut boni aut mali fieri ſolemus.

93. Signum eſt certiſſimum, omnes adfectus eſſe extinctos, quoties nudæ rerum cogitationes aut ſenſus ſubinde in cor aſcēdunt, tum vigilante corpore, tum ſopore proſtrato.

94. Mandatorum operatione animus omnes adfectus exuit. Verum per rerum viſibilium ſpiritualem contemplationem, rerum cogitationes nos adficientes: rerum autem inuiſibilium cognitione, viſibilium contemplationem abiicit: hanc denique per ſanctæ trinitatis cognitionem.

95. Quemadmodum ſol exoriens, & mundum illuminans, cum ſeipſum, tum res à ſe illuminatas demonſtrat: ita quoque ſol iuſtitiæ purgato animo exoriens, & ſeipſum videndum exhibet, & rerum quæ à ſe factæ ſunt, & deinceps fient, rationes demonſtrat.

96. Deum non in eſſentia ſua cognoſcimus, ſed potius rerum ab illo factarum magnitudine, & eorum quæ ſunt prouidentia. Per hęc enim tanquam ſpeculum immenſam eius bonitatem & ſapiētiam & potentiam cognoſcimus.

97. Pura mens aut nudis humanarum rerum cogitationibus inuenitur, aut in naturali rerum viſibilium contemplatione, aut inuiſibilium, aut in lumine ſanctæ trinitatis.

98. Iam in rerum viſibilium contemplatione mens conſtituta, aut naturales illarum rationes rimatur & explorat, aut ea quæ per illas ſignificantur, aut ipſam cauſam quæritat.

99. Cæterum in rerum inuiſibilium contemplatione immorans, naturales illarum rationes quærit, & generationis earum cauſam indagatur, & ea quæ illis ſunt conſentanea. Adhæc etiam quænam ſit de iiſdem prouidentia & iudicium.

100. Sed enim in contēplando Deo mens occupata, de eius eſſentia primum rationes inquirit flagrans deſiderio: nihil tamen inde ſolatij inuenit. Nec enim vlla vſquam eſſentia genita tantum aſſequi poteſt. Verum ex illis quæ Deum ſequuntur, ſolatium percepit, qualia ſunt: æternitas, immenſitas, infinitudo, bonitas, ſapientia, vis rerum opifex & prouida & iudex: hæc omnino ſolum de ipſo cognoſci queunt. Nam vel ipſa immenſitas quodammodo percipitur animo inſcitiæ circa tantam rem ſibi conſcio, & longe ſupra ſe poſitam agnoſcente, vt Gregorius & Dionyſius Theologi docuerunt.

Similis eſt aphoriſm. 27. centuriæ 2.

EIVSDEM DE CHARITATE centuria ſecunda.

QVi vere atque adeo germane Deum diligit, ille omnino († indeſinenter atque indiuulſe) orat, & qui indiuulſe orat, ille germane quoque Deū diligit. Cæterum ille nequaquam indiuulſe orat, qui rei alicuius mundanæ amori animum habet affixum. Itaque ille Deum nō amat, qui alicui rerum terrenarum mentem habet alligatam.

† ἀπαύστως.

2. Animus rei alicui ſenſibili cunctanter inhærēs, omnino erga illam adfectus eſt aliquo modo, veluti per concupiſcentiam, aut triſtitiam, aut iracundiam, aut præteritarum iniuriarum reminiſcentiam. Et niſi rem illam contempſerit, ab illo adfectu nunquam liberari poterit.

3. Quicunque adfectus mētem vincunt, eadem rebus materialibus alligant, & à Deo ſegregatam his ipſis vacare faciunt. Verum ſi Dei charitas præualuerit, ſoluit illam à vinculis, perſuadēs non tantum res ſenſibiles, verumetiam hanc vitam temporaneam contemnere.

4. Præceptorum opus eſt, rerum cogitationes nudas facere: cognitionis autem & contemplationis, nulli materię & formæ mentem obnoxiam adornare. Ex hoc deinde prouenit, † indefeſſa & indeſinens orandi ſedulitas.

† ἀπαύστως.

5. Nō ſufficit * efficax aliqua ratio aut diſciplina ad mentem perfecte liberandam ab adfectibus, vt poſſit ſine vlla diſtractione vacare precationibus, niſi etiam diuerſæ ei accedant ſpirituales contemplationes. Externa enim diſciplina ab intemperantia ſaltem & odio mentem liberat. Hæ verò & ab obliuione & ignorantia ipſam ſegregant: atque ita poterit, vt par eſt, vacare precationibus.

* ἐφικτὸς μέθοδος, id eſt, externa aliqua ratio.

6. Puræ precationis duæ ſunt ſummæ conditiones, quarum altera actionibus, altera ſpeculationi intentis ſolet contingere. Et illa quidem ex timore Dei & ſpe bona animæ innaſcitur: hæc vero ex diuino amore & ſumma puritate. Prioris autem modi ſignum hoc eſt, videlicet mentem ab omnibus mundanis cogitationibus abductam colligendo, & non ſecus ac ſi ipſe Deus præſto eſſet, vt ſanè eſt, orationes facere ſine vlla diſtractione & interturbatione. Alterius verò, vt in ipſo orationis impetu, ipſa mens à diuino & imm̄ſo lumine rapiatur, adeo, vt neque ſe ipſa, neque aliud omnino quippiam ſentiat, niſi ſolum illum, qui in ipſa per ſanctā charitatem eam illuminationem operatur. Et tunc ſi circa rationes Deo peculiares moueatur, puras & perfectas ab ipſo illuſtrationes accipit.

7. Quam rem aliquis amat, eandem etiam omnibus modis amplectitur, & omnia quæ illi erga illam impedimento ſunt, aut obſtaculo, contemnit, ne adamata priuetur: ita qui Deum diligit, puræ precationis curam habet, & omnem adfectum illi erga hoc obſtantem ex ſeipſo eiectum abiicit.

8. Qui omnium adfectuum matrem philautiā, hoc eſt, amorem ſui abiicit, aut difficulter & reliquos Deo adiuuante deponit, nempe iracundiam, dolorem, præteritarum iniuriarum reminiſcentiam, & id genus reliquos. Porrò qui à primo vincitur, à ſecundo etiam nolens vulneratur. Eſt autem philautia adfectus, quo aliquis erga proprium corpus adficitur.

9. Propter haſce quinque cauſas, homines mutuo amore ſe proſequuntur, aut laudabiliter, aut illaudabiliter. Videlicet aut propter Deum, ſicut virtute præditus omnes, & virtute præditū is qui nondum virtuoſus eſt diligit: aut ductu naturæ, veluti parentes amare ſolent ſuos liberos & contra: aut propter inanem gloriam, vt ille qui gloria adficitur, glorificantem: aut propter auaritiam & habendi cupiditatem, ſicut ille qui † proximum amare conſueuit propter munera: aut propter voluptates, velut ille qui ventrem colit, & ea quæ ſub

† diuitem.

ventre

ventre sunt. Iam prima causa laudabilis est, secũda media, reliquæ omnes adfectibus vitiatæ sunt.

10. Si quospiam diligis, quospiam vero neque odio prosequeris, rursus alios diligis, sed mediocriter, alios autem vehementer diligis, ex ipsa charitatis inæqualitate, scias te longe latéque abesse à perfecta charitate, iubente omnes homines ex æquo amare.

11. Declina à malo, & fac bonum, hoc est, expugna inimicos, vt adfectus imminuas. Deinde verò sobrius esto, ne augeantur. Et iterum pugna, vt pares tibi virtutes, ac deinde sobriè agas, vt easdem conserues, & hæc est ratio parandi & conseruandi.

12. Qui Dei permissu nos tentant, illi aut animę concupiscentiam accendunt, aut iracundiam conturbant, aut rationem obtenebrant, aut corpus doloribus obruunt, aut res corporales discerpunt.

13. Aut dæmones per se & sua sponte tentationibus nos adoriũtur, aut homines Deum non metuentes aduersus nos armant. Per seipsos quidem, quando ab hominum conuersatione seiuncti solitariam vitam agimus, quemadmodum dominum in deserto: per homines autem, quando cum hominibus conuersamur, quemadmodum dominum per Pharisæos. At nos ad † figuram nostram respicientes, ex vtraque parte illos depellemus.

† ἕξιν, habitum.

14. Quando mens in charitate Dei proficere incipit, tunc quoq; dæmon blasphemiæ illam tẽtare incipit, eásq; illi cogitationes suggerit quales nullus hominum vnquam, sed solus illarum artifex diabolus inuenit. Hoc autem facit, homini pio & Deum amanti inuidens, vt in desperationem prolapsus, veluti qui talia cogitauerit, non amplius consueta precatione audeat ad Deum subuolare. Nihil verò inde dæmon sceleratissimus vtilitatis capit ad scopum proprium, sed nos longe firmiores hac ratione reddit. Oppugnantibus enim dæmonibus repugnantes, probatiores, & in charitate obtinenda velut germani Christiani vehementiores inuenimur. Gladius verò eius in cor eius intret, & arcus eius conterantur.

15. Animus semet rebus visibilibus applicans, iuxta naturam res humanas sensuum ductu & adminiculo intelligit. Iam neque animus malus est, neque iuxta naturam res intelligere, neque res ipsæ, neque sensus. Hęc omnia Dei sunt opera. Quid igitur malum est? nimium adfectus intelligentiæ quæ est secundum naturam, qui nequaquam potest esse in vsu intelligentiæ, si mens attente vigilauerit.

16. Adfectus est motus animi præter naturam, aut ad amorem sine ratione, aut ad odium sine iudicio, siue alicuius rei, siue propter rem aliquam sensibilem, verbi gratia, ad amorem, aut ciborum temere appetitorum, aut mulieris, aut opum, aut gloriæ fluxæ, aut alterius cuiuspiam rerum sensibilium, aut propter hæc. Ad odium verò, videlicet, aut cuiuspiam rei prædictarum, vt dictum est sine iudicio, aut erga aliquem propter hæc.

17. Rursus malitia, iudicium falsum est sensuum, quam rerum abusus sequitur. Videlicet super mulieris concubitu rectum iudicium est, procreandorum liberorum scopus. Itaque qui oculos ad voluptatem deflexerit, in iudicando errat & deceptus est, quod non bonum fuit, vt bonum existimans. Quare talis rem cum muliere habens, ea abutitur. Ad hunc modum de aliis quoque rebus & sensibus iudicandum est.

18. Quando mentem tuam dæmones à temperantia deiectam, scortationis & immunditiæ cogitationibus circumdederint, tunc lachrymabundus dic ad Dominum: Eiectum me circundederunt, exaltatio mea libera me à circundantibus me, & saluaberis. Psal. 31.

19. Grauis scortationis dæmon est, & vehementer eos infestat, qui cõtra adfectus gnauiter pugnãt, maxime verò in victus rationis negligentia & mulierum conuersationibus. Etenim fraudulenter irrepens voluptatis illecebris decipit animũ aç deinceps memoriæ securi & incauti se insinuat & corpus cupiditate inflammans, & varias formas animo exhibens, ad peccandi propositum eundem pelliciendo irritat. Has si nolueris in animo tuo multum morari, ad ieiunium, laborem, & vigilias te conferas necesse est, neque non honestam mentis tranquillitatem secteris oportet, † indesinenter precando. † ἀκατιῶς.

20. Animam nostram quærẽtes, cogitationibus adfectum suggerentibus eandem quærũt, vt ipsam aut in peccati cogitationem, aut in actum iniiciãt. Itaque quando mentem inuenerint suggestas cogitationes non suscipientem aut respuentem, tunc pudore afficientur, & confundentur. Cæterum, quando eandem spirituali contemplationi intentam & vacantem offenderint, tunc illico pudore suffusi auertunt sese, in fugam proripientes.

21. Diaconi seu ministri rationem sustinet, qui ad sacra certamina mentem perungens, cogitationes quoque adfectibus plenas ab illa abigit: Senioris autem, qui rerum existentium cognitionem illustrans, falsam cognitionẽ abolet. Porro Episcopi qui sancto vnguento, id est, cognitione adorandæ & sanctæ trinitatis, alios perficit.

22. Infirmi redduntur dæmones, quando præceptorum obseruatione adfectus qui in nobis sunt imminuuntur, Pereunt verò, quando prorsus per adfectuum carentiam obscurantur, amplius haudquaquam inueniẽtes ea per quæ in anima inueniebantur, quorúmque subsidio eandẽ oppugnabant. Et hoc esse possit, quod dictum est: Infirmabuntur & peribunt à facie tua.

23. Nonnulli homines propter humanum metum ab affectibus temperant: alij verò propter vanam gloriam, alij propter continentiam, alij denique diuino iudicio liberantur ab affectibus.

24. Omnes sermones Domini hæc quatuor cõplectuntur: præcepta, doctrinas, minas, & promissiones. Et omnem duram disciplinam propter hæc sufferimus, cuiusmodi est ieiunium, vigiliæ, humi somnũ capere, labores, dolores in ministeriis, contumelias, ignominias, duras tractationes, mortem & similia. Etenim propter sermones labiorum tuorum, inquit ille, ego conseruaui vias duras.

25. Temperantiæ merces est adfectuum carẽtia, fidei verò cognitio. Et adfectuũ carentia discretionem procreat, ac cognitio charitatem erga Deum.

26. Practicam mens recte exercens in prudentia proficit, ac theoricam in cognitione. Illius enim

partes sunt, in virtutis & vitiorum discretionem hominem certantem perducere: huius verò in rationes de rebus incorporeis & corporeis participē deducere. Verum Theologicæ gratiæ munus tum demum assequitur aliquis, quando per hæc omnia prædicta charitatis alis penetrauerit, atque in Deo existens rationem de Deo, spiritus sancti adminiculo, quantum humanæ menti possibile est, contemplatus fuerit.

Similis est aphorism⁹ vltimus centuriæ primæ.

27. Theologiæ operam daturus, ne diuinitatis rationes exquiras, neque enim humanę menti sunt perueſtigabiles, sed neque alterius cuiuspiam rei post Deum. Sed potius causas & rationes illi adhęrescentes, quoad fieri poterit, considera, nempe ipsius æternitatis, immensitatis, infinitatis, bonitatisque & sapientiæ, & potētiæ procreādi, prouidendi, & iudicandi res creatas. Siquidem hic magnus inter homines est theologus, qui harum rerum rationes, vel aliquousque exquisitas inuenerit.

28. Potēs ille vir est, qui operibus cognitionem copulat, illis enim tollit concupiscentiam, & iracundiam cicurat, hac vero mentem à terrenis rebus eleuat & ad Deum peregrinatur.

29. Quado dicit Dominus: Ego & pater vnum sumus, vnitatem essentiæ significat. Quando verò rursum dicit: Ego in patre sum, & pater in me est, indiuisibilem personarum communionem indicat. Itaque Tritheitæ qui filiū à patre segregant, in anceps labuntur præcipitium. Aut enim coæternum patri filium affirmantes, segregantes vero illum ab eodem, coguntur dicere è patre non esse natum, atque adeo eo adiguntur, vt dicant tres esse Deos, & tria principia. Aut si dixerint è patre esse natum, cæterum segregantes illum, cogūtur dicere filium patri non esse coæternum, atque ita omnium temporum Dominum faciunt temporaneum. Nam vnus Deus nobis colendus & seruandus est, & tres personæ confitendæ, iuxta doctrinam magni illius Gregorij, & vnamquanque peculiari proprietate. Etenim diuiditur, sed indiuisibiliter, vt idē inquit: copulatur quoque, verum diuisibiliter. Atque ob hoc ipsum valde mira & inusitata est tum diuisio tum vnitas. Quid enim esset admiratione dignum, si quemadmodum homo homini vnitur & segregatur, sic etiam patri filius, & nihil amplius?

30. Qui summū charitatis gradum perfecte consequutus est, ac iam ab omnibus adfectibus viuit liberè, ille nullum discrimē nouit hominis alieni aut proprij, aut alienæ & propriæ, fidi atque infidi, aut serui aut liberi, aut omnino maris & fœminæ. Sed iam adfectuū tyrānide multo factus superior, ac in vnicam hominum naturā intentis oculis respiciēs, omnes æqualiter cōtemplatur & erga omnes ex æquo adfectus est. Neq; enim in ipso est, aut Græcus aut Iudæus, aut mas aut fœmina, neque seruus neque liber, sed omnia & in omnibus Christus.

† ὑποκειμένων. 31. Ex adfectibus animæ † subiectis, aut innatis occasiones accipiūt dæmones & excitātes illā, adigunt, vt perueniat ad peccandi consensū. Eandē sic superatam perducunt in peccatum animi: & hoc perfecto, illam deinde captiuam in opus quoq; rapiunt. Quo perpetrato, anima deinceps † cogitationibus desolata, vna cum ipsis discedit. Manet vero solum in animo idolū peccati, de quo inquit Dominus: Quando videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, qui legit, intelligat quod locus sanctus, & templum Dei mens hominis existit, in qua dæmones per cogitationes adfectibus plenas anima desolata, peccati idolum erigunt. Quod autem hæc quoque certa historia contigerunt, nemo certe ex his quibus Iosephi scripta lecta sunt, vt opinor, dubitabit: verum aliqui dicunt, hæc quoque Antichristi temporibus futura esse.

32. Tria sunt, per quæ ad res honestas excitamur: naturalia semina, sanctæ virtutes, & bonum propositum. Naturalibus quidem seminibus, vt, si quæcunque voluerimus, vt faciant nobis homines pariter & nos illis faciamus: vel, quando viderimus aliquem in necessitate aut angustia constitutum, naturaliter eius misereamur. Sanctis autē virtutibus, videlicet quando ad honestam rem & actionem mouemur, & statim ad id efficiendum subsidium quoddam nobis cooperans inuenimus, atque ita ea in re prosperum successum accipimus. Porro bono proposito ita mouemur, quando bonum à malo discernentes, id quod bonum est eligimus.

33. Rursus tria sunt, quibus ad mala faciēda mouemur & impellimur, nimirū adfectus, dæmones, & malum propositum. Adfectibus hoc pacto ad mala rapimur, nempe quando præter rationem rei alicuius desiderio tenemur, videlicet aut cibi vltra quam tempus aut necessitas exigit, aut mulieris præter scopum procreandi liberos, aut etiam illegitime: & rursus, irascentes aut tristantes præter modum, scilicet aduersus eum, à quo aut contumelia aut iniuria adfecti sumus. At dæmones quoties nostri curam non habemus, ipsi obseruata opportunitate ex improuiso in nos magna cum vehemētia irruunt, excitantes in nobis prædictos iam adfectus, & similes. Porro malum propositum, videlicet, cum quod bonum est cognoscentes, malum tamen eligimus.

34. Præmia laborum virtutis sunt, adfectuum carentia & cognitio. Hæ enim causæ sunt, quibus nobis conciliatur regnum cœlorum. Quemadmodum adfectus & ignorantia, perpetui supplicij sufferendi causę sunt. Labores igitur quęrens propter gloriam hominum, & non propter ipsius honesti & boni amorem, audit à scriptura: Petitis, & non accipitis, propterea quod male petitis.

35. Sunt nonnulla quæ fiunt ab hominibus natura quidem bona, sed rursus nō bona, propter certam causam. Ex quo genere est ieiunium & vigiliæ, oratio & psalmodia, eleemosina & hospitalitas: quę quidem natura sunt bona opera, cęterum cum illa fiunt vanæ gloriæ aucupandæ gratia, non amplius bona sunt.

36. Omnium quæ à nobis fieri solent operum, scopū adeo solum Deus quærit, num ista scilicet † propter se an aliam causam aliquam fieri soleant. † δι' αὐτὸ.

37. Cum audieris scripturam dicentem: Tu reddes vnicuique secundum opera sua, non ita accipe, quod pro iis quę pręter rectū scopum fiunt, tametsi bona esse videātur, Deus bonum retribuat: sed pro iis solum quæ secundum rectum scopum fiunt. Neque enim ad opera, sed ad scopū operum diuinum iudicium intentos habet oculos.

† διὰ τῶν λογισμῶν.

38. Superbiæ

38. Superbię dæmon duplici malitia infectus eſt: Aut enim perſuadet monacho, vt ſibi ipſe egregias virtutis actiones adſcribat, & non Deo virtutum largitori, & in omni præclara actione opitulatori. Aut in hac re non obtemperantem, inferiorum fratrum Monachorum contemptu impugnat. Sed & ſic ille qui dæmonis vafricie agitatur, ignorat ſe perſuaſum Dei auxilium abnegare. Etenim ſi illos, quaſi nequeant aliquid præclare, quod cum virtute coniunctum eſt facere contempſerit, ſeipſum videlicet tanquam propria potentia omnia recte facientem inducit: quod equidem impoſſibile eſſe conſtat, dicente Domino: Sine me nihil poteſtis facere. Quoniam noſtra imbecillitas, quę ad honeſta facienda mouetur, ſine virtutum largitore ad finem peruenire haud poteſt, aut aliquid finem conſecuta effectum reddere.

39. Qui perſpectam habet humanæ naturæ imbecillitatem, ille diuinæ virtutis cepit experiętiam. Et idem eius adminiculo quædam emendauit, quædam vero emendare feſtinans, nũquam vllum contemnit hominem. Nouit enim quod quemadmodum illi auxiliatus eſt, & à multis ac duris & grauibus adfectibus illum liberauit, ſic potens ſit etiam omnibus ferre ſuppetias, quando voluerit, maxime verò iis, qui ipſius ope anniſi aduerſus carnem, mundum & dæmones aſſidue belligerantur. Tametſi certo quodam iudicio ſimul omnes ab adfectibus non liberat, ſed ſuis temporibus vt bonus medicus & † perhumanus vnumquenque è feſtinantibus ſanitati reſtituit.

40. Otioſæ adfectuum tranquillitati ferè ſemper accedere ſolet ſuperbia, aut dum cauſæ & occaſiones affectuum latitant, dum dæmones fraudulenter ad tempus diſcedunt.

41. Omne fermè peccatum propter voluptatem conficitur: deponitur verò & tollitur, aut per laborem & dolorem, aut voluntariam pœnitętiam, aut per condemnationem propriam, quæ per prouidętiam inducitur. Si enim ipſos nos iudicaremus, non iudicaremur, cum iudicamur autem, à Domino caſtigamur, ne cum mundo condemnemur.

42. Superueniente tibi de improuiſo tentatione illum per quem venerit culpandum cenſeas, ſed cauſam propter quam venerit, inueſtigandam cures, & emendandi rationem inuenies. Quoniam ſiue per illum, ſiue per alium, diuinorũ iudiciorum ebibere te oportebat abſinthium.

43. Tanquam improbus, ne mala ſufferre recuſes, vt per hoc humiliatus, animi faſtum & inſolentiam expuas.

44. Tentationum, aliæ voluptates, aliæ triſtitiam, aliæ dolores corporales inducunt hominibus. Siquidem ſecundum inhærentem animæ cauſam adfectuum, etiam pharmacum medicus animarum, per ſua iudicia adhibere conſueuit.

45. Tentationum impreſſiones, aliis quidem ad iam admiſſorum delictorum, aliis verò ad eorum, quæ in præſentia admittuntur, ſublationem: nonnullis, ad eorum quæ poſt committentur impedimentum introducuntur: abſque his caſibus, qui probandi gratia alicui accidunt, veluti ipſi Iob accidiſſe videmus.

46. Cordatus homo diuinorum iudiciorũ medicinam reputans, animo æquo & gratanti ſuffert calamitates illi per hæc accidentes, nullam aliam harum cauſam, quam ſua peccata eſſe exiſtimans. Cæterum homo ſtolidus Dei ſapiętiſſimam ignorans prouidentiã, dum peccãs corripitur, aut Deũ, aut homines ſuorum malorum authores exiſtimat.

47. Quædam adfectus excitatos, ne augeantur ſiſtunt: alia eoſdem imminuentia, & ad decrementum ducentia, videlicet ieiunium, labor, & vigiliæ non ſinunt augeri concupiſcentiam: ſolitudo, contemplatio, oratio, & in Deum amor illã obſcurant & imminuunt. Idem de iracundia ſentiendum eſt: hanc enim longanimitas & præteritarum iniuriarum obliuio, præterea manſuetudo, ſedant: nec ſinunt in augmentum progredi: porro charitas & eleemoſina & benignitas & humanitas, in decrementum eandem perducunt.

48. Cuius mens ſubinde apud Deum eſt, illius etiam concupiſcętia in Dei amore aucta & cumulata eſt, & animus† non iniquus in diuinã charitatẽ conuertitur. Diurna enim diuinæ illuminationis communione totus illuſtratus, ac ſuã ipſius partem adfectibus obnoxiam ſibi valide coniunctam in diuinum amorem, vt dictum eſt, & indeſinentem & nunquam finiendam charitatem conuertit, omnino à rebus terrenis ad Deum ſubducens.

† ὁλοτὴς, id eſt, integer vel totus.

49. Non omnino qui inuidia nõ laborat, neque iracundia inflammatur, neque acceptarum iniuriarum memor eſt erga eum, à quo iniuriam dolore adfectus eſt, iam charitatem quoque habet erga illum. Poteſt enim nondum planè amãs malum pro malo non reddere, propter præceptum. Neque tamen prorſus, bonum pro malo reddere animo non coacto, poteſt. Siquidem liberali animo benefacere odio proſequentibus, ſolius ſpiritualis & perfectæ charitatis opus eſt.

50. Nequaquam qui nõ diligit quempiam, iam omnino etiam odit illum: neq; rurſus qui non odit, ſtatim quoque prorſus illũ diligit. Sed medio quodammodo eſſe poteſt erga illum adfectus, hoc eſt, neque amare, neque odiſſe. Nam amoris adfectum, quinque tãtum rationes, quas in nono huius Centuriæ capitulo enumerauimus, in nobis ingenerãt, quarum vna laudabilis eſt, altera media, reliquæ omnes vitioſæ & vituperabiles.

51. Quando conſpexeris mentem tuam rebus terrenis iucunde & cum voluptate vacantem, & harum cogitationibus pertinaciter incumbentem cognoſcas planè teipſum has magis quam Deum diligere. Vbicunque enim eſt theſaurus tuus (inquit Dominus) ibi & cor tuum eſt.

52. Animus qui Deo copulatur, ínque eo per precationem & charitatem perdurat, ſapiens fit, & bonus redditur & potens, & humanus, & miſereſcens, & longanimis: & vt ſimpliciter dicam, omnes fermè diuinas proprietates in ſe circunferre ſolet. Cæterum diſcedens à Deo, aut belluinus fit, voluptatis ſtudioſus factus: aut ferinus, rerum mundanarum gratia cum hominibus hoſtiliter decertans.

53. Mundum ſcriptura vocat res terrenas, mundani verò ſunt hiſce rebus animo adhærentes & vacantes: ad quos etiã dicit ore obiurgatorio: Ne diligatis mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum,

& vitę arrogantia, ex Deo non ſunt, ſed ex mundo: & reliqua.

54. Monachus eſt, qui mentem ſuam à rerum terrenarum amore ſegregatam habet, atque per continentiam & charitatem & pſalmodiam & precandi aſſiduitatem in Deo amando & colẽdo perdurat.

55. Iumentorum paſtor intelligibilis eſt practitus, iumentorum enim rationem morales virtutes ſiue officia obtinent. Quamobrem etiam Iacob inquit: Iumẽtorum paſtores ſunt ſerui tui. Paſtor autem ouium eſt cognitione præditus, etenim ouium rationem obtinent cogitationes quæ in montibus contemplationum à mente paſcuntur. Quare abominatio Ægyptiis eſt, omnis paſtor ouium †.

† Addũtur quędam in Græco, ſed crorupta.

56. Animus malitia & improbitate contaminatus, qnando corpus mouetur ſenſibus ad concupiſcentias proprias & voluptates conſectandas, ſtatim ſequitur, & conſentit illius imaginationibus & appetitui: At animus virtute exornatus, temperantiæ frenis ſemet coërcet ac detinet à vitioſis imaginationibus & impetibus, ac potius omni ſtudio meditatur vt eiuſmodi motus meliores efficiat.

57. Virtutum quædam ſunt corporales, quędam animales. Corporales ſunt, ieiunium, vigiliæ, humi quæſita quies, miniſterium, manuum operatio, in hoc ne aliis oneroſi ſimus, aut vt aliis inopia laborantibus impertire poſſimus, & ſimilia. Virtutes vero animales illæ ſunt, charitas, longanimitas, manſuetudo, continentia, precatio, & eius generis ſimilia. Iam itaque ſi aut neceſſitate præpeditis, aut corporali caſu ſiue adflictione obrutis, videlicet morbo, aut alia aliqua re conſimili, nobis contingeret, vt hiſce corporalibus virtutibus minus ſatisfacere poſſimus, veniam habemus propoſitam à Domino eius rei cauſæ non ignaro, cæterum animi virtutibus non ſatisfacientes, nullam excuſandæ culpæ defenſionem habebimus: neque enim hæ perinde vt corporales neceſſitati ſubiectæ ſunt.

58. Charitas quæ erga Deũ eſt, ſuadet ei qui ſui particeps eſt, vt omnem voluptatem, omnem laborem iuxta ac dolorem & triſtitiam habeat cõtemptui. Id tibi quoque perſuadeant omnes ſancti, qui tanta propter Chriſtũ diris ſuppliciis perpeſſi ſunt.

59. Attende tibiipſi omnibus modis cauens philautiam omnium malorum matrem, quæ eſt immoderatus quidam & cęcus amor corporis. Ex hac enim aperte progenerantur illæ præcipuæ & adfectibus pleniſſimæ & † generoſiſſimæ tres furibundæ cogitationes, nempe crapulæ, & auaritiæ, & vanæ gloriæ, occaſiones ex neceſſitate corporis fermè ſumentes. Ex illis deinde naſcitur omnium malorum ac vitiorum catalogus. Eſt itaque operæpretium (veluti prædictum eſt) diligenter animum attẽdere, & aduerſus hãc gnauiter depugnare cum multa ſobrietate. Hac enim ſublata, tolluntur omnia vitia quæ ex illa progenerantur.

† γαστρόπλατα, id eſt, latiſſime patentes.

60. Philautiæ adfectus, monacho ferè ingerit, vt miſereſcens ſuo parcat corpori, vtque præterquam æquum & bonum eſt cibis indulgeat, & hæc ferè corporis curandi & gubernandi prætextu: vt cum ad hũc modum pellicitur, & ſenſim pertrahitur, tandem in voluptatis & intemperãtiæ foueam prolabatur. Mundano autem & ſæculari ſtatim ab initio deſiderium ſuggerit, vt corpus ſuum curet, eique proſpiciat.

61. Summum orandi modum & perfectiſſimum hunc eſſe dicunt, quando mens extra carnem & mundum poſita, ac ab omni materia formáque rerum naturæ libera orat. Itaque qui hunc illæſum orandi modum obſeruat, ille reuera indeſinenter precatur.

62. Quemadmodum corpus moriens ab omnibus mundanis rebus ſeparatur, ita quoque animus perfectam illam precandi rationem ſequendo moriens, ab omnibus mundanis cogitationibus ſeiungitur. Niſi enim hanc mortem moriatur, cum Deo inueniri & viuere non poteſt.

63. Nemo te decipiat monache, quod liceat te ſeruari, voluptatibus aut inani gloriæ ſeruientem.

64. Quemadmodum corpus propter res peccat, habẽtque ad diſciplinam virtutes corporales, quarum adminiculo reſipiſcit: non ſecus quoque animus per cogitationem adfectus in corde generantes peccat, & pari ratione ad diſciplinam virtutes habet animales, vt pure, & ſine adfectibus res contuens ad meliorem mentem redeat.

65. Quemadmodum diebus ſuccedunt noctes, & æſtates ſuſcipiunt hyemes: ſic inanem gloriæ cupidinem & voluptatem ſuſcipiunt dolores & triſtitia, aut in præſenti, aut in futuro ſæculo.

66. Non licet ei qui deliquit futurum effugere iudicium, ſine voluntariis in hac vita laboribus, aut † neceſſario illatis afflictionibus.

† ἀκουσίοις ϑλίψεσιν.

67. Quinque cauſas eſſe affirmant, quamobrem Deus concedat nos à dęmonibus oppugnari: Quarum primam hanc eſſe aiunt, vt dum oppugnamur militariter repugnãtes in vitiorũ & virtutis diſcretionem veniamus. Secundũ vero, vt & bello & labore virtutem nobis parantes, eandem firmam & immotam habeamus. Tertiã, vt proficientes in virtute, non alta ſapiamus ſuperbientes, ſed diſcamus humilia ſapere. Quartam, vt à vitiis tẽtati perfecto odio vitia odiſſe incipiamus. Quintam vero poſt reliquas omnes hanc adferunt, vt purgati adfectibus non vnquam propriæ infirmitatis, & virtutis nobis ex alto auxiliantis obliuiſcamur.

68. Quemadmodum famelici animus panẽ imaginatur, & ſitientis aquam: ſic hominis crapuloſi & ventri ſeruientis ciborum varias cupedias & lautitias, & voluptatum amantis mulierum formas, & vanæ gloriæ cupidi honores qui ſibi habeantur ab hominibus, & auari lucrum, & iniuriarum memoris vindictam eius à quo læſus eſt, & inuidi adflictionem eius cui inuidet. Atque ita de aliis adfectibus ſimiliter iudicandum eſt. Dum enim animus ab adfectibus perturbatur, ſtatim arripit cogitationes malis adfectibus plenas, & vigilante, & dormiente corpore.

69. Creſcente concupiſcentia, animus in ſomnis effectrices voluptatum materias imaginatur: cum autem creſcit iracundia, res terribiles imaginationi ſe offerunt. Hos affectus immundi dæmones augere properant, negligentiam & ſecuritatem noſtram cooperatricem adſumentes, & hoſce prouocantes. Imminuũt autem eoſdem ſancti Angeli ad virtuoſas operationes nos ſubinde excitantes.

70. Animæ pars concupiſcentiæ obnoxia frequenter

quenter irritata, habitum quendam amoris erga voluptatem difficulter mobilem imponit animæ. At †animus dum continua impugnatione perturbatur, meticulosus & imbellis efficitur. Sanantur autem, illa quidem ieiunij, vigiliarum & precationis sedulo exercitio: hic vero benignitate, humanitate, charitate, & misericordia.

71. Aut rebus, & negotiis ipsis dęmones nos impugnant, aut rerum & negotiorum vitiosis cogitationibus. Et rebus quidem eos qui versantur in negotiis, cogitationibus vero, qui à rebus ipsis sunt vacui.

72. Quanto facilius est cogitatione peccare, quam facto ipso: tanto grauior quoque pugna est, quæ cogitationibus committitur, quam ea quæ rebus ipsis depugnanda est.

73. Res ipsæ extra mentem sunt: cęterum rerum cogitationes intra mentis penetralia consistunt. Est itaque in ea situm, vt recte siue secus hisce vtatur. Siquidem hallucinantem cogitationum vsum, rerum abusus consequitur.

74. Per hæc tria incidunt animo cogitationes adfectus inducentes, per sensum, per corporis temperiem, per memoriam, & per sensum quidem quoties res erga quas adfecti sumus illi incidentes, eundem mouent ad eiusmodi cogitationes. Per temperamentum vero corporis, quando ex intemperanti victus ratione, aut operatione dæmonum, aut morbo aliquo immutata corporis temperies, rursus illum mouet ad cogitationes adfectus inductrices. † Porro per memoriam, cum rerum, quarum affectiones pertulimus, cogitationem reducit aut refricat memoria, monętque eundem similiter ad prauas cogitationes.

75. Rerum nobis à Deo in vsum datarum, quædam sunt in anima, quædam in corpore, quædam corporis sustinendi gratia datæ reperiuntur: videlicet in anima sunt eius facultates & vires: in corpore, sensoria & reliqua membra. Propter autem, aut circa corpus sunt omnia ciborum genera, opes, possessiones: & id genus reliqua. Itaque his omnibus recte aut male vti, aut his etiam quæ circa hæc accidunt, aut bonos aut malos nos esse ostendit.

76. Ea quæ nobis in rebus solent accidere, partim sunt in anima, partim in corpore, partim vero in iis, quæ circa corpus esse comperiuntur. In anima sunt, cognitio & ignorantia, obliuio & memoria, charitas & odium, tristitia & gaudium: & reliqua. In corpore vero voluptas & labor, sensus & orbitas, sanitas & ægritudo, vita & mors, & similia. Res autem quæ circa corpus esse comperiuntur, sunt prolis procreatio, sobolis inopia, diuitiæ & paupertas, gloria & ignominia. Harum rerum quędam bona quædam mala videntur esse hominibus. Est vero horum nihil in se propria ratione neque bonum neque malum: verum in ipso demum vsu eorum, vel recto, vel prauo, bona aut mala esse cõperiuntur.

77. Bona est cognitio natura sua, pari modo quoque sanitas. Atqui his contraria pluribus profuerunt: Improbis enim haudquaquam conducit cognitio, tametsi natura, vt dictum est, bona sit. Similiter neque sanitas, neque diuitiæ, neq; gaudiũ, neque enim vtiliter his vtuntur. Num igitur contraria his conducũt? Atqui nec illa propria ratione mala existunt, quanquam mala esse videantur.

78. Ne abutaris cogitationibus, ne ipsis quoque rebus necessario abutaris. Etenim si primum cogitatione non peccaueris, neq; deinceps operatione & facto fac le peccabis.

79. Imago terreni existunt generalia vitia, videlicet stultitia, pusillanimitas, intemperantia, iniustitia. Porro imago cœlestis, virtutes generales, nempe sapientia, fortitudo, temperantia, iustitia. Sed quemadmodum portauimus imaginem terreni, portemus etiam imaginem cœlestis.

80. Quod si animum induxeris inuenire viam ducentem ad vitam, eandem in via quæras necesse est, & ibi inuenies, in ea scilicet quæ dixit: Ego sum via, & ianua, & veritas, & vita. Veruntamen valde laborioſe hæc tibi inquirenda & indaganda est. Pauci enim sunt, qui illam inueniunt. Est itaque omnibus modis tibi cauendum, ne à paucis illis destitutis, cum multis viatoribus inueniaris.

81. Quinque sunt per quę anima à peccando deterretur atque retrahitur, aut per timorem hominum, aut timore iudicij, aut propter futuram mercedis retributionem, aut per Dei charitatem, aut postremo propter flagellum conscientiæ.

82. Quidam affirmant nullum malum esse in rebus existentibus, nisi fortasse alia quæpiam vis sit qua ad malum pertrahimur. Sed hæc non est quicquam aliud, quam negligentia naturalium actionum mentis. Quapropter qui harum curam habent, semper quæ bona sunt, faciunt, nunquam vero mala. Proinde si & tibi proponas abiicere negligentiam, abiicies quoque malitiam, quæ hallucinans vsus est cogitationum, quem rerum abusu statim solet consequi.

83. Secundum naturam est, vt rationalis pars in nobis & diuinæ rationi subiiciatur ac obtemperet & irrationalem partem in nobis regat & gubernet. Eiusmodi itaque ordo in omnibus conseruetur, atque ita neque malum erit vllum in rebus quę sunt, neque quod ad malum pertrahat inuenietur.

84. Cogitationum quædam sunt simplices, quędam compositæ. Et simplices quidem carent adfectibus: compositæ vero iisdem subiectæ sunt nempe ex adfectibus & intellectu compositæ. Hęc cum ita sint, complures ex simplicibus cernere licet sequentes compositas, quando scilicet ad peccandum secundum cogitationem moueri inceperunt. Exempli gratia, vt circa aurum ascendit cogitatio quædam in alicuius mentem adfectum de auro inducens, mox deinde cogitatione properat ad furtum faciendum, iamque in animo peccatum furti planè admisit & perfecit. Cæterum auri memoriam vnà sequebatur etiam memoria crumenæ & scebrij & cubuclei, & reliquorum. Et memoria quidem auri erat composita, habebat enim adiunctum affectum. At crumenæ & scebrij & reliquorum, simplex: neque enim mens vllo eorum affectu mouebatur. Et sic quidem de omni cogitatione similiter iudicandum est, cum ambitionis, tum mulierum, tum etiam cæterorum. Neque enim omnes cogitationes, quæ sequuntur cogitationem affectum cientem, statim affectibus plenæ sunt: vt iam demonstratum est. Ex his itaque scire pos-

Scebrium, cubucleũ.

sumus, cuiusmodi cogitationes affectibus vitiatæ & quæ simplices sint.

85. Quidam aiunt dæmones in somnis pudenda humani corporis contingere, ac deinde scortationis affectum excitare, postea, ab effectu iam excitato, mulieris formam in mentem inferri per memoriam. Alij vero eosdem affirmant animo mulieris habitu apparere, & corporis pudenda contrectantes libidinem commouere, ac si deinceps in animo phãtasias & imaginationes subsurgere. Rursus alij sentiunt, affectum, qui in ipso appropinquante dæmone fortis est & vehemens, nostrum affectum mouere, atque ita animam cogitationibus incendi, formarum imaginationes per memoriam inducendo. Non secus etiam reliquas vitiosas imaginationes, alias quidem sic, has vero sic affirmant contingere. Veruntamen in nullo prædictorum modorũ dęmones vllum affectum mouere valent, præsente animæ charitate & continentia, siue corpus agat excubias, siue somno sopitũ quiescat.

86. Præceptorum legis quædam & corporaliter & spiritualiter conseruanda sunt, quædam verò tantum spiritualiter. Exempli gratia, Non mœchaberis, non occides, non furtum facies, & id genus similia, & corporaliter & spiritualiter necessario conseruanda sunt. At circuncidere præputium, seruare sabbatum, mactare agnũ, edere azymos panes (cum salsamentis) & similia, tantum spiritualiter.

87. Tres sunt in monachis morales status generaliores. Primus quidem, nullum delictum facto admittere. Secundus, non permittere vt aliquantisper perseuerent in animo cogitationes, affectus inducentes. Tertius, mulierum formas & vultum eorum, à quibus iniuria & dolore lacessiti sunt, citra affectum in animo contemplari.

88. Omni possessione caret, qui omnibus suis possessionibus renunciauit, neque omnino quicquam super terrã prẽter corpus possidet: erga quod omni quoque affectu posito, soli Deo & piis hominibus suarum rerum dispensationem credidit.

89. Sunt qui res suas citra omnem opum affectionem possident: quapropter etiam, cum illis priuantur, nequaquam tristes cadunt animis: veluti, qui bonorum suorum direptionem cum gaudio suscipiunt. Sunt rursus qui summo affectu bonorũ quicquid habent, possident. Quamobrem, quando his priuandi sunt, consternantur tristitia: veluti dies ille in Euangelio à Christo tristi vultu & conturbato animo discedebat. Si vero priuantur, vsque ad mortem tristantur. Itaque hominis cum affectu vel citra affectum, sua possidentis, propositum, sola arguit priuatio.

90. Homines, crebras & maxime deuotas precationes ad Deum fundentes, impugnant dæmones, ne cogitationes rerum sensibilium nudas suscipiant: at cognitione prędito, vt perseuerent in illis cogitationes affectibus plenæ: eos verò, qui rerum operationibus vacant, vt persuadeant illos, ipso facto peccatum perpetrare. Omnibus verò modis aduersus omnes depugnant, vt à Deo scelerati illi spiritus homines disiungant.

91. Qui in hac vita diuina prouidentia ad pietatem exercentur, illi tribus hisce tentationibus probantur: videlicet, aut rerum iucundarũ donatione, vtpote sanitatis, pulchritudinis, † pulchrorum liberorum, & opum, & gloriæ, & similium. Aut per rerum dolentium & conturbantium calamitatem, cuiusmodi sunt liberorum orbitas, atque etiam opum & gloriæ amissio. Aut per ea quæ corpori dolores inducunt, vt sunt morbi, cruciatus, tormenta & eiusmodi. Et ad priores quidem ita Christus loquitur. Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Cæterum ad secundos vna cum tertiis. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

92. Hæc quatuor corporis temperiem permutare perhibent, & animo cogitationes inducere, aut affectus generantes, aut affectibus vacuas, nẽpe angelos, dæmonas, aërem, & victus rationem. Ac angelos quidem verbo immutare corpus perhibẽs, dæmones vero contactu: cæterum aërem mutationibus: denique victus rationem, ciborũ & potuum qualitate, abundantia & imminutione: Præter eas quæ † illi per memoriam, auditum & visum contingunt mutationes. Patiente primum anima ex iis quæ illi contingunt, aut molestiis aut gaudiis: ex illis, inquam, patiens anima, corporis temperamentum immutat. Ex his autem iam prædictis mutata corporis temperies, menti varias cogitationes exhibet.

93. Mors animæ credenda est Dei discessio, at stimulus mortis peccatum est. Quem posteaquam suscepisset Adam, à ligno vitæ simul & paradiso. & Deo seiunctus excidit: & hunc deinceps necessario mors quoque corporis consequuta est. Vita autem proprie est qui dixit: Ego sum vita. Ille in mortis positus angustiis, morte affectum & peremptum iterum in vitam fecit reducem.

94. Oratio quæ conscribitur, aut sui admonendi gratia vt sit commentarius, conscribitur: aut in hoc vt prosit, authorum vtrorumque gratia: aut in aliquorum dedecus & contumeliam, aut ad ostentationem, aut necessariò.

95. Locus fœni est virtus practica: aqua autem quietis, cognitio (rerum quæ contigerunt.)

96. Vmbra mortis, est humana vita. Si quis igitur cum Deo est, & Deus cum illo, hic commode & liquide dicere potest: tametsi ambulem in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum est.

97. Animus purus, res ipsas recte intuetur. At ratio exercitata, res visas sub visum dutit. Cæterũ auditus splendidus, easdem suscipit. Porrò, qui his tribus priuatus est, eundem res iam prædictæ mulctant damno & infortunio.

98. Ille cum Deo est, qui sanctam trinitatem eiúsque operationem, & prouidẽtiam perspectam habet: partem vero animæ affectibus obnoxiam sine affectibus possidet.

99. Virgam significare perhibent diuinum iudicium, baculum verò prouidentiæ typum obtinere. Iam itaque harum rerum cognitionem assequuti, est dicere, Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.

100. Animus, si quando affectibus denudatur, ac rerum in humanis existentium, contemplatione illustratur, tũc etiam in iisdẽ versari potest, ac plane, quemadmodum par est, vacare precationibus.

EIVSDEM

EIVSDEM DE CHARITATE, Centuria tertia.

RErum ac cogitationum vsus rectus, & rationi consentaneus, temperãtię, charitatis, & cognitionis parens est. Porrò non rectus & peruersus, intemperantiæ, odij, & ignorantiæ.

2 Parasti in cõspectu meo mensam: *& reliqua*. Mẽsa hoc loco virtutem operãtem significat. Illa enim ex opposito tribulantium nos, à Christo parata est. Oleum verò impinguãs animum, rerum factarum contemplationem. Cæterum, calix domini, Dei cognitionem. At eius misericordia, eius rationem atque adeò ipsum Deum. Ille enim per incarnationem suam per singulos dies nos insectatur, donec omnes qui saluandi sunt, comprehendat. Quemadmodum Paulum insequendo tandem comprehendit. At domus, hoc in loco, regni cœlestis gerit imaginem, in qua omnes sancti conquiescent. Postremo longitudo dierum, vitæ æternæ typum exprimit.

3 Secundum abusum earum facultatum quæ sunt in anima, vitia nobis contingunt, videlicet concupiscentiæ, iracundiæ, & rationis. Siquidem rationalis potentiæ abusus est, imperitia & insipientia. At iracundiæ & concupiscentiæ, odium & intemperantia. At horum vsus, cognitio & sapiẽtia, charitas & temperantia. Quod si hoc ita se habet, consentaneum est nihil à Deo creatorum aut factorum malum esse.

4 Cibi non sunt mali, sed crapula: neque liberorũ procreatio, sed scortatio: neque opes, sed immodica habẽdi cupiditas: neque gloria, sed eiusdem immoderatus ambitus & affectatio. Quod si ita se habet, pro certo constat, in rebus nihil mali esse, nisi abusum, qui semper solet accidere ex mentis negligentia circa naturalem agriculturam.

5 Malitiam dæmonum hanc esse affirmat beatus Dionysius, † animum à ratione alienum, amentem & vesanam concupiscentiam, imaginationem temerariam. Cæterum rationis inopia, amentia & temeritas, de rationalibus auferunt & rationem, & mentem, & prouidẽtiam. At habituum priuationes posteriores sunt. Itaque olim dæmonibus suppetebat ratio, mens & cauta prouidentia, vnde neque dæmones natura malos esse, sed ex abusu virtutum naturalium malos factos esse.

6 Affectuum alij intemperantiam, alij odium, nõnulli verò intemperatiam & odium simul progenerant.

7 Immodica edacitas & voluptuosa manducatio intemperantiæ causa existit. At habendi cupido & inanis gloriæ studium, odij erga proximum parentes: sunt horum autem vitiorum mater philautia, amborum causa est.

8 Philautia amor erga corpus proprium affectus & irrationalis est, cui opponitur charitas & continentia. Qui philautia tenetur, certum est hũc omnibus affectibus esse plenissimum.

9 Nemo, inquit, Apostolus, suam ipsius carnem odit, sed suggillat eam, & in seruitutem redigit, nihil amplius illi exhibens, præterquam victum & amictum: atque hæc sola quantum ad vitam sustentandam exigit necessitas. Ad hunc itaque modum aliquis citra affectum carnem suam amare potest. Et sicut famulam diuinarum rerum, alit & fouet illam, his solum adhibitis quibus eius necessitatem complere solet.

10 Quem amat aliquis, hunc omnibus modis studet & adproperat etiam reuerenter habere & colere. Itaque, si quis Deum amat, omnino etiam ea quæ sibi maximè placentia sunt, festinat facere. Cæterum, si quis carnem amat ea quæ carni voluptati sunt, facit.

11 Deo summè placent charitas & temperantia, & contemplatio & oratio. At carni crapula & intemperantia, & ea quæ his dant incrementa. Quapropter qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Cæterum, qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis suis.

12 Animus, si quando ad Deum inclinauerit, habet corpus sibi subiectum mancipio, neque plus illi exhibet quàm vitæ alendæ fuerit necessarium. Verùm enimuerò eodem ad carnem declinante, affectibus in seruitutem redigitur, subinde prospiciens concupiscentiis carnis.

13 Decreuisti apud te cogitationes vincere, vide vt curam habeas affectuum, atque ita haud difficulter eiicies illas ex animo. Exempli gratia, Inflammatus scortatione, ieiuniis ac vigiliis temet macera, opus facito, priuatim in solo loco agito. At prouocatus iracundia & dolore siue tristitia conturbatus, contemne gloriam & ignominiam ac res terrenas omnes floccifacias. Verùm præteritarum iniuriarum recurrente memoria, orandum esse cogites pro eo qui te affecit aut lacessiuit iniuria, & discedent à te hæc omnia.

14 Ne temet hominibus infirmioribus admetiendum seu comparandum studeas, sed præcepto charitatis potius temet adcommodes. Etenim illis te comparans, in superbæ opinionis foueam incides: at huic te accommodans, in humilitatis altitudinẽ subinde proficiendo exaltaberis.

15 Quod si prorsus charitatis erga proximum obtinendæ præceptum seruaueris, conturbatus ab illo iniuriosè, nullam ostendes amarulentiam. Aut perspicuum erit te charitati anteponere temporanea, atque horum gratia te insectari fratrem.

16 Non tam propter necessitatem in tantam existimationem & precium aurum peruenit hominibus, quàm quia per illud multi voluptates solent sectari & colere.

17 Tres causæ sunt, quamobrem in tantum amantur diuitiæ, amor voluptatis, inanis gloriæ affectatio, & diffidentia. Ex his tribus deterior est diffidentia.

18 Voluptatis studiosus amat argẽtum, vt eius adminiculo indulgeat delitiis: at ambitiosus, siue gloriæ cupidus, vt per illud glorificetur: cæterùm homo diffidens, vt illud conditum & cœlatum cõseruet, aut famem, aut senectutem, aut morbum, aut exilium pertimescens: inq; eo plus spei habet repositum, quàm in Deo omnium rerum conditore & prouisore, extremorum etiam & minutissimorum animantium.

19 Quatuor sunt consectantes studiosè pecuniam atque diuitias, tres iam prædicti, & familiæ curam obiens. Solus verò posterior recto iudicio parandis

diuitiis intentus est,vt vnicuique necessarium sup- A peditans,nunquam illi deficiant pecuniæ.

20 Omnes cogitationes quibus affectus sunt comites, aut animi concupiscentiam prouocant, aut iracundiam conturbant, aut rationem confundũt. Atque ex hoc postea prouenit mentem cęcutire ad spiritalem contemplationem,& ad orationis peregrinationem hallucinari. Huius rei gratia conuenit monacho, maxime verò quiescenti, dare operam, vt summo studio irruentibus cogitationibus intentus sit,earũdémque causas perspectas habeat, & sedulo resecet. Cognoscat autem ad hunc mo- B dum:exempli gratia,Mulierum recordationes affectum inducentes,prouocant cõcupiscentiam. Harum autem causa est aut ciborum & potuum intẽperantia,aut ipsarum etiam mulierum crebri & intempestiui occursus existunt. Præcides autem eas, fame,& siti,& vigiliis,& seccssu. Rursus conturbãt iracundiam,eorum qui te iniuria affecerunt recordationes afficientes animum tuum,huius autẽ causa est haud dubie voluptatis sectandæ studium, aut gloriæ cupiditas, & amor rerum terrestrium. Propter hæc enim homo plenus affectibus,ab aliis dolore affectus conturbatur, dum aut his priuatur, C aut ea non consequitur. Has, inquam, causas omnes resecat,harum ipsarum rerum neglectus,& cõtemptus propter charitatem quæ erga Deum est.

21 Cognoscit Deus se-ipse, cognoscit etiam ea quæ ab ipso facta sunt. Cognoscunt etiam sanctæ virtutes Deum,& res ab ipso factas. Sed non sicut Deus cognoscit se-ipse, & res se authore factas: sic etiam sanctæ virtutes Deum,& res ab ipso conditas cognoscunt.

22 Etenim Deus cognoscit se, ex beata sua essentia,res autem se authore conditas, ex sapientia sua per quam & in qua fecit & condidit omnia. At san- D ctæ virtutes Deum participatione cognoscunt, supra omnem participationem existentem:res autem ab illo factas, susceptione contemplationum quæ in illis sunt.

23 Extra mentem sunt res conditæ, intra se vero earundem contemplationem concipit. Verum nõ eadem est ratio de Deo æterno & immenso & infinito,qui largitus est rebus quæ sunt vt essent,& bene essent,& semper essent.

24 Dei sancti particeps est rationalis & intelligens essentia in hoc quod est, atque etiam ipsa aptitudine ad hoc quod bene sit,bonitatis,inquã,& sapientiæ,prẽterea ipsa gratia ad hoc vt semper sit,hac itaque Deum cognoscit. Cæterum quæ ab ipsa facta sunt ea cognoscit,susceptione (vt dictum est) artificiosæ sapientiæ,quæ in rebus à Deo conditis spectatur, quæ quidem nuda & citra vllam substantiã in mente contemplantis consistit.

25 Quatuor diuinas proprietates, quibus res existentes continuat, custodit, & conseruat, pro sua summa bonitate Deus communicauit rebus, perducta in vim& conditionem essendi rationali & intelligibili essentia:nimirum id quod est,quod semper est,insuper bonitatem, & sapientiam. Harum duas essentiæ tribuit:reliquas duas rationali aptitudini, nempe bonitatem & sapientiam, vt quæ ipse est per essentiam, etiam creaturæ fierent per participationem.Propter hanc etiam secundum imagi- nem & similitudinem Dei factæ perhibentur. Et quidem secundum imaginem, vt existens existentis,& vt semper existens semper existentis, licet nõ sine principio, sine fine tamen. Secundum similitudinem vero, vt bonus boni, & vt sapiens sapientis,illius qui est secundum naturam, hic qui est ex gratia. Et secũdum imaginem quidem Dei est omnis natura rationalis: secundum similitudinem vero,tantum boni & sapientes.

26 Omnis rationalis & intellectus capax essentia, in duo diuisa est, hoc est, in naturam humanam & angelicam. Et omnis angelica natura rursum in genere in duos diuisa est animos, sanctos & scelestos, hoc est, in sanctas potestates & immundos dæmonas. Et omnis humana natura saltem in duas voluntates in vniuersum secta est,pias dico & impias.

27 Deus quidem,tanquam per se ipsa existens essentia,& ipsa per se bonitas, & ipsa per se sapientia: aut etiam,vt multo verius dicam, etiam super hæc omnia,nullum habet in vniuersum contrarium. Cæterum creaturæ, vt harum omnium participes, & ex gratia substantiam habentes,rationales & intelligentes, & bonitatis ac sapientiæ promptitudinem:habent contrarium substantiæ, non subsistere,bonitatis vero & sapientiæ promptitudini, malitiam & ignorantiam. Et vt hæc semper sint, aut non sint,in opificis potestate situm est. Porrò,participare bonitatem eius & sapientiam,aut non participare, hoc in arbitrio creaturarum rationabiliũ situm est.

28 Græci affirmantes ab æterno rerum essentiam simul cum Deo extitisse, solum autem qualitates essentiæ adhærentes, ex illo habere, essentiæ nullũ dicunt esse contrarium, in solis autem qualitatibus esse contrarietatem. Nos autem solam dicimus diuinam essentiam non habere contrarium, vt æternam & immensam & fine carentem,& quæ æternitatem etiam aliis largiatur. Rerum verò conditarũ essentiæ esse,quod non sit contrarium, ac in potestate verè existentis positum esse,vt ipsa semper sit, aut non sit:Nunquam autem pœnitere Deum suorum donorum:& propter hoc ipsum etiam essentia condita semper est,& erit dum omnipotenti virtute gubernatur,tametsi non existens habeat contrarium, vt dictum est, tãquam ex non existentibus in vim essendi perducta,& in arbitrio Dei habens esse ipsam aut non esse.

29 Quemadmodum malum est boni priuatio, & ignorantia est priuatio cognitionis: sic etiam non E existens priuatio est existentis: non autem proprie & vere existentis, neque enim habet contrarium, sed eius quod secundum participationem est. Et priorum quidem priuationes, rerum conditarum voluntatem sequuntur:secundi autem, in conditoris sita est arbitrio,qui creaturas propter bonitatem suam semper vult esse,& à se indesinenter iuuari.

30 Omnes creaturæ partim sunt rationales, & intelligentes, & contrariorum capaces, veluti virtutis & vitiorum, cognitionis & ignorantiæ. Partim corpora diuersa ex contrariis composita, hoc est,terra,aëre,igne,aqua. Et nonnullæ omnino sũt incorporeæ & materiæ carentes, tametsi harum aliquæ corporibus coniunctæ sunt. Nonnullæ ex

materia

materia & forma ſolum coitionem habent.

31 Omnia corpora ſecundum naturam, motu carẽt, mouentur autem animæ virtutibus, partim rationalis, partim irrationalis, partim inſenſibilis.

32 Animalium virtutum alia eſt nutritiua & auctiua, alia phantaſtica & appetitiua, alia ratiocinatiua & intellectiua. Et prioris quidem ſolius plantæ ſunt participes. Secundæ cum prima, animalia rationis expertia. Tertiæ, cum duabus prioribus, homines. Et duæ quidem priores virtutes corruptioni ſunt obnoxiæ, ſola tertia incorrupta & immortalis eſſe oſtenditur.

33 Sanctæ virtutes illuminationem ſibi inter ſe hominibus diſtribuentes, aut ſuam ipſarum virtutem, aut eam, quæ in ipſis eſt, cognitionem diſtribuunt. Et virtutem quidem, veluti Dei imitatricẽ bonitatem, ſecundum quam & ſeipſas, & inter ſe, & alias inferiores beneficio afficiunt, deiformes efficientes. Cognitionem vero, aut de diuinitate aliquid ſublimius. Tu enim, inquit, altiſſimus in ſæcula domine: aut de corporibus profundius, aut de incorporeis aliquid certius & enucleatius, aut de prouidentia aliquid planius, aut de iudicio manifeſtius.

34 Mentis impuritas eſt, primum cognitionẽ habere falſam & erroneam. Deinde ignorare quiddã rerum vniuerſalium, tanquam ad humanam mentem dico. Siquidem angeli eſt nihil prorſus particularium etiam ignorare. Tertio cogitationes habere affectibus plenas. Quarto aſſentiri peccato.

35 Animæ impuritas eſt, non operari ſecundum naturam. Ex hoc enim naſcuntur in animo cogitationes affectus inducentes. Tunc enim ſecundum naturam operatur, cũ ipſius virtutes affectibus obnoxiæ, iram dico & concupiſcentiam, in appulſu rerum & cogitationum quas agitant, ſine affectu permanſerint.

36 Corporis impuritas, eſt peccatum quod opere completur & perficitur.

37 Amat quietem, qui nullis humanis rebus mouetur aut adficitur: & amat omnes homines, qui nihil humanum amore complectitur: & cognitionẽ Dei habet ac rerum diuinarum, qui in nullo offenditur, ſiue propter vitæ lapſus, ſiue propter cogitationes è ſuſpicionibus orientes.

38 Magnum quiddam eſt erga res animo non affici, ſed multo maius eſt erga harum cogitationes nulla adfectione conturbatum & quietum perdurare.

39 Charitas & temperantia mentem ab affectionibus vacuam conſeruant, cum erga res, tum erga harum cogitationes.

40 Haudquaquam aduerſus res pij & Dei amantis hominis animus belligeratur, neque aduerſus harum cogitationes, ſed contra adfectus qui cogitationibus copulati ſunt. Videlicet, non aduerſus mulierem belligeratur, neque aduerſus eum, à quo dolore & iniuria laceſſitus eſt, neque aduerſus horum imaginationes, ſed aduerſus adfectiones quæ imaginationibus coniunctæ ſunt.

41 In hoc vno Monachus depugnat aduerſus dæmonas, vt adfectiones à cogitationibus ſeparet, nã alioqui ſine adfectibus res intueri non poteſt.

42 Aliud eſt res, & aliud cogitatio, & aliud adfectus. Et res quidem eſt, cuiuſmodi vir, mulier, aurum, & ſimilia. Cogitatio autem, nuda recordatio alicuius prædictorum. Adfectus vero, ſtultus aut rationi non conſentaneus amor aut odium temerarium alicuius prædictorum. Itaque aduerſus adfectum ſolum Monacho pugna eſt propoſita.

43 Cogitatio adfectionibus obnoxia eſt, cogitatio compoſita ex adfectu & cogitatione. Segregemus adfectum à cogitatione, & remanet cogitatio nuda. Segregabimus autem per charitatem ſpiritualẽ & temperantiam, ſi voluerimus.

44 Virtutes mentem ab adfectibus ſeiungunt. Spirituales autem contemplationes à nudis cogitationibus: at pura precatio eandem ipſi Deo exhibet.

45 Virtutes per rerum factarum cognitionem, conſiſtunt: cognitio per cognoſcentem: cognoſcens per illum qui incognoſcibiliter cognoſcitur, quique ſupra cognitionem cognoſcit.

46 Non quaſi indigens cuiuſpiam Deus per omnia plenus in vitam induxit creaturas, ſed vt ipſæ ipſius pro ſua quæque portione participes cõditoris bonitate fruerentur: ipſe vero in ſuis operibus lætaretur, videns eaſdem lætari, & rebus non ſatiãtibus inſatiabiliter ſemper ſaturari.

47 Multos habet mundus pauperes ſpiritu, ſed præterquam conſentaneum eſt: Et multos lugentes, ſed propter rerum iacturam, aut liberorum amiſſionem: Et multos mites, ſed erga impuras adfectiones: Et multos eſurientes & ſitientes, ſed alienorum bonorum direptionem, & lucrum ex iniuſtitia proueniens: Et multos miſericordes, ſed erga corpus & ea quæ ſunt corporis: Et puros corde, ſed propter inanem gloriam: Et pacificos, ſed animam corpori ſubiicientes: Et multos qui inſectationem patiuntur, ſed rebelles & inordinatos: Et multos qui probris petuntur, ſed propter turpia flagitia. Verumenimuero illi ſoli beati ſunt qui propter Chriſtum, & ſecundum Chriſtum hæc faciunt & patiuntur. Quamobrem? quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Et ipſi Deum videbunt, & reliqua. Itaque non quod hæc faciunt & patiuntur, beati ſunt. Etenim iam ſupra memorati idem faciunt: ſed quod propter Chriſtum, & ſecundum Chriſtum hæc faciunt & patiuntur.

48 In omnibus quæ à nobis fiunt actionibus, ſcopus apud Deum quæritur (vt iam ſæpe dictum eſt) num propter illum, aut aliud quiddam quod agimus, faciamus. Cum ergo aliquid bonæ rei facere voluerimus, ne ſtudeamus placere hominibus, ſed ipſum Deum nobis ſcopum præfigamus, vt in illum ſemper intuentes propter illum omnia faciamus: ne & laborem ſuſtineamus, & mercedem amittamus.

49 Etiam nudas rerum humanarum cogitationes, & omnium creaturarum contemplationes ex animo abiiciendas cura in tempore precationis, ne quando deteriora imaginando omnium rerum ſupra omnem comparationem præſtantiſſima excidas.

50 Si Deum recte & ex animo dilexerimus, ipſius charitatis adminiculo adfectiones abiiciemus. Cæterum charitas qua Deum complectimur eſt, vt ipſum mundo anteponamus, & animam corpori,

res humanas contemnentes, ipsi autem soli vacantes semper, tum per vitæ continentiam, tum charitatem & precationem, & psalmodiam, & id genus alia.

51 Si multo tempore Deo vacantes, partis animæ adfectionibus obnoxiæ curam egerimus, haud amplius ad cogitationem appulsi prolabimur: sed multo compertius harum causas intelligentes, & rescindẽtes, perspicatiores euadimus: ita vt impleatur in nobis, quod scriptũ est: Et vidit oculus meus inter inimicos meos, & inter insurgẽtes aduersum me facientes mala, audiet auris mea.

52 Cum videris animum tuum pie & iustè in mundi cogitationibus versantem, scias etiam corpus tuum purum, & à peccato alienum permanere. Cum autem mentem videris cogitatione peccatis vacantem, neque coërcueris, scias etiam corpus tuum non diu duraturum, quo minus in peccata cogitationibus agitata incidat.

53 Quemadmodum corpus habet mundum res ipsas, sic etiam animus habet mundum ipsas cogitationes. Et sicut corpus scortatur cum corpore mulieris, sic etiam animus scortatur cum cogitatione mulieris, per proprij corporis imaginationem. Sui corporis enim formam videt misceri cum forma mulieris per intellectum in animo. Similiter formam etiam eius à quo dolore adfectus est, vlciscitur intellectu & animo, per formam proprij corporis. Non aliter quoque solet in aliis peccatis vsu venire. Quæcunque enim corpus facit secundum operationem in mundum ipsarum rerum, eadem facit etiam animus in mundum cogitationum.

54 Non est horrescendum aut obstupescendum, nec decet attonitum fieri animo, quòd Deus & pater neminem iudicat, omne autem iudicium tradidit filio. Cæterum filius clamat: Nolite iudicare, vt non iudicemini: nolite condemnare, ne condemnemini. Similiter Apostolus, Ne ante tempus iudicetis donec venerit Dominus. Et quo iudicio iudicas alium, teipsum condemnas. At homines posthabitis suis ipsorum peccatis indefletis, sustulerũt iudicium à filio. Et ipsi tanquam integri vitæ scelerisque puri, iudicant & condemnant se mutuo. Ob quæ sanè cœlum obstupuit, & terra inhorruit. Ipsi autem sensu priuati non erubescunt.

55 Qui aliorum peccata curiosè inquirit, aut suspicione adductus fratrem iudicat, nondum resipiscentiæ fecit initium: neque scrutationis, qua cognoscat sua ipsius flagitia in veritate longe grauiora, quam plumbum multi ponderis. Neque cognouit vnde homo consequatur cordis duritiem, amãs vanitatem, & quærens mendacium. Propter hoc tanquam insipiens & in tenebris ambulans, suis peccatis neglectis aliorum errata imaginatur, aut ea quæ sunt, aut quæ falsa suspicione esse putantur.

56 Philautia, vt sæpe iam dictum est, omnium cogitationum adfectus inducentium causa cõstituitur. Ex hac enim generantur tres in concupiscentia, quæ latissimè patent, cogitationes: nempe, crapulæ, auaritiæ, & inanis gloriæ. Cæterum ex crapula, nascitur scortationis cogitatio: ex inani gloria, superbia. At reliquæ omnes vnamquanque ex tribus consequuntur, nimirum cogitatio iracundiæ, tristitiæ, acceptarum iniuriarum recordationis, socordiæ, inuidentiæ, obloquutionis, & reliquæ. Illi ergo adfectus rebus materialibus cõstringunt animum, eundémque in terram detrahunt instar grauissimi lapidis illi incumbentes cum natura sua igne sit leuior & celerior.

57 Omnium adfectuum principium est philautia, finis autem superbia. Porro philautia amor est quo corpus complectimur, rationi non consentaneus. Hanc qui amputauerit, eadem opera omnes adfectus ex ea orientes abscidit.

58 Quemadmodum parentes corporum compatiuntur natis ex se liberis, sic etiam animus naturaliter suis indulget rationibus & cogitationibus. Et sicut parentibus illis, qui magis dediti fuerint affectibus, liberi sui quanquam omnium & per omnia fuerint ridiculosissimi & turpissimi, omnium tamen videntur optimi & formosissimi: sic etiam amanti animo suæ cogitationes & rationes, tametsi ex omnibus fuerint pessimæ, sapientissimæ tamen esse videntur. At sapiens animus non idem de suis sentit rationibus: verum cum maxime sibi certus videtur, quod & veræ sint & pulchræ: tunc maxime suo ipsius iudicio fidem denegat, & alios sapientiores suarum rationum & cogitationum iudices adhibet, ne in vanum currat aut cucurrerit, & per illos demum confirmationem ac certitudinem accipit.

59 Cum viceris vnam ex turpioribus adfectionibus, puta aut gulositatem, aut scortationem, aut iracundiam, aut auaritiam, statim ad te aduolabit vanæ gloriæ cogitatio: qua similiter superata superbiæ cogitatio te excipiet.

60 Omnes ignominiosi & turpes adfectus superãtes animum inanis gloriæ vitium ex eo abigunt: iisdem verò prædictis omnibus superatis, ad inanem gloriam animus adigitur.

61 Vanæ gloriæ cupido, aut cum vincitur, aut cum remanet, parit superbiam. Et cum vincitur, opinionem in animo generat, manens vero insolentiam. Inanem gloriam tollit occulta operatio: superbiam verò, Deo authori præclaras virtutum actiones adscribere.

62 Cognitione Dei donatus voluptate quoque ex hac proueniente peculiariter fruens, omnes voluptates ex concupiscentia procreatas habet contemptui.

63 Qui res terrenas desiderat, is aut epularum lautitias concupiscit, aut quæ sub ventre sunt colit, aut humanam gloriam, aut opes & diuitias, aut aliquid aliud quod hæc sequitur. Et nisi humanus animus his aliquid præstantius inuenerit, quo suam concupiscentiam transferat, nunquam vt ista contemnat, persuaderi potest. Præstantiorem autem his omnibus, vel supra omnem comparationẽ Dei & rerum diuinarum cognitio est.

64 Qui voluptatum vsum contemnunt, aut metu contemnunt, aut spe, aut cognitione, aut etiam charitate quæ in Deum est.

65 Rerum diuinarum cognitio ab adfectibus aliena, non persuadet animum res materiales prorsus habere despicatui: sed similis est nudæ cognitioni rei sensibilis. Quapropter multos homines inue-

nire

nire licet magna cognitione præditos, & in carnis adfectionibus perinde vt immundos porcos in cœno volutari. Modice enim adhibita diligentia purgati, cognitionem assequuti, postea supina quadã negligentia abrepti, regi Saül assimilati sunt, qui dignatus regno, eóque indigne administrato, terribili iracundia Dei ex illo deiectus & profligatus est.

66 Quemadmodum rerum humanarum nuda cogitatio, non cogit animum res diuinas contemnere: sic neque nuda cognitio rerum diuinarum eundem adigit, vt res humanas prorsus respuat. Quoniam in vmbra nunc versatur, & solis coniecturis veritas. Eámque ob causam diuino adfectu nempe sanctæ charitatis, opus habet, animum spiritualibus contemplationibus cõstringentis & persuadentis, vt materialibus immaterialia anteponat, & sensibilibus solo intellectu comprehensibilia diuináque præferat.

67 Qui adfectus abscidit, & nudas cogitationes effecit, non protinus illos animo ad diuina conuertit, sed potest neque humanis rebus moueri, neque diuinis. Quod accidere solet in iis, qui operibus tãtum & non cognitione dignati sunt, qui metu pœnæ & supplicij, aut spe regni ab adfectionibus temperant.

68 Per fidem ambulamus, & non per speciem, & in speculis virtutem habemus & ænigmatibus. Et ob hoc ipsum multo studio & exercitatione in illis nobis opus est, vt horum diuturna meditatione & assiduitate habitum, qui nulla facultate nobis detrahi potest, contemplationum nobis paremus.

69 Si ad tempus saltem adfectionum causis præcisis, spiritualibus cõtemplationibus vacauerimus, neque in illis exercẽdis semper versabimur, ipsum illud opus habentes, haud difficulter iterum ad carnis adfectiones prolabentes declinabimus: nihil aliud fructus inde ferentes, quam nudam cum opinione cognitionem: cuius finis est tum ipsius paulatim cognitionis obtenebratio, & perfecta mentis ad res mundanas declinatio.

70 Adfectus charitatis laudabilis, etiam cum diuinis illum colligat. Nam consueuit animus, in quibus rebus aliquandiu moram traxerit, in iisdem etiam dilatari. Porro in quibus dilatatur, in illis ipsis concupiscentiam quoque & charitatem alere, siue in diuinis & propriis & intellectu comprehensibilibus, siue in carnis negotiis & adfectibus.

71 Deus inuisibilem mundum, & hunc visibilem condidit, & animam & corpus videlicet ipse quoq; fecit. Etsi hic mundus qui coram oculis cernitur, adeo pulcher est, cuiusmodi ille inuisibilis putandus est? Porro, si hoc visibili longe inuisibilis est præstantior, quãto præstabilior his duobus qui hos creauit, Deus est? Si igitur omnibus creaturis longe melior est omnium pulchrarum rerum opifex, qua ratione animus eo relicto quod omnium est optimum rebus multo deterrimis, carnis inquam adfectionibus, vacare, & adhærere solet? An ideo quod ab ineunte ætate hisce conuersatus & assuetus, rei omnium pretiosissimæ & excellentissimæ nondum plenam experientiam sumpserit? Itaque, si illum diuturna exercitatione temperantiæ voluptatum, & rerum diuinarum meditatione paulatim ab ciusmodi habitu abstraxerimus, dilatatur in rebus diuinis sensim proficiens, suámque dignitatem agnoscit: ac postremo omne desiderium suum ad diuina transfert.

72 Qui sine adfectu fratris delictum memorat, duabus de causis memorat: aut enim, vt peccantem emendet, aut vt alium iuuet. Quod si extra hasce memorat, siue ipsi, siue alteri, probris afficiendi & carpendi illius gratia dicit. Ac nequaquam diuinã †retributionem effugiet: verum aut in eundẽ aut alium turpiorem lapsum incidet, & ab aliis redargutus & ignominia adfectus pudore suffundetur. † ἐγκατάλειψιν.

73 Non vna ratio est idem peccatum opere committentium, sed diuersæ. Videlicet alia est eius, qui habitu peccati inductus peccat, & alia eius, qui ad id subito impetu rapitur, qui neq; ante peccati factum eam cogitationem habuit, neque post peccatum, sed vehementi etiam dolore ob admissi delicti facinus adficitur. At qui habitu peccat, planè contrario modo agit. Nam primum ipsa mentis agitatione peccandi finem non facit, & post factum eiusdem est animi atque propositi.

74 Qui inanis gloriæ cupiditate inductus, studet virtutibus, certum est eundem cognitionem quoque ob vanam gloriam exercere. At qui hoc est animo præditus, ille alterius ædificandi gratia nihil quicquam aut facit, aut differit, sed in omnibus & dictis & factis à videntibus & audientibus vnicam gloriam venari studet. Hic autem adfectus redarguitur, cum quidam iam ex supradictis, aut opera, aut dicta eius paulo obliquius carpserint & reprehenderint: quo facto, vehementer conturbatur, non quod illos non ædificauerit, neque enim hunc scopum præfixum habuit, sed quod ipse contemptus sit.

75 Adfectus auaritiæ hoc pacto deprehenditur. Si quis accipiendo gaudet, & aliis impertiendo tristatur: non potest vero talis œconomicum agere.

76 Propter hasce causas aliquis aduersa patiens perseuerat, aut propter amorem Dei, aut propter spem mercedis retribuendæ, aut propter metum supplicij, aut propter timorem hominum, aut propter naturæ tolerantiam, aut propter lucrum, aut propter inanem gloriam, aut propter necessitatem.

77 Aliud est à cogitationibus solui, & aliud ab adfectibus liberari. Et sæpe fit, vt aliquis à cogitationibus liberetur, rebus illis non præsentibus, erga quas adfectibus perducitur. Absconduntur autem adfectus in animo, & rebus apparentibus deprehẽduntur. Itaque animus in rebus obseruandus est, & cognoscendum quale id sit, ad quod adfectibus trahitur.

78 Ille germanus est amicus, qui ingruente infortunio tribulationes, & difficultates, & calamitates in tempore tentationis vnâ cum proximo perinde vt suas, sine animi consternatione & perturbatione, tolerat.

79 Ne spernas, aut contumeliose repudies conscientiam, optima quæque semper tibi consulentem. Nam consilium diuinum & angelicum tibi suggerit, & ab occultis contaminationibus cor tuum liberat, ac libertatem erga Deum in exitu tibi largitur.

80 Si cupis sapiens & modestus euadere, & falsæ scientiæ persuasioni nolle seruire, quære semper in

rebus humanis, quæ tuæ cognitioni occulta sunt, ac res quamplurimas & diuersas inueniens te fugientes, cum ob tuam ignorantiam miraberis, tum insolescentem animum compesces. Et te ipso cognito, multas & magnas res & admiratione dignas cognosces. Quoniam vana scientiæ opinio, nunquam permittit aliquem in cognitione rerum proficere.

81 Ille exacta diligentia seruari cupit, qui medicinalibus pharmacis non resistit. Sunt autem illa dolores & tristitiæ quæ variis † impressionibus inducuntur. Cæterũ, qui resistit, haud nouit quid inde negotietur, neque quid inde emptum auferat.

† ἐπιφερῶν.

82 Vanæ gloriæ studium & auaritia, vitia inter se cognata sunt, mutuo se progenerantia. Siquidem inani gloriæ seruientes ditescunt, & ditescentes inani gloriæ seruiunt, sed vt mũdani. Quoniam Monachus carens possessionibus, multo magis inani seruit gloriæ. Porro argentum habens, abscondit illud, quippe quem pudeat habere rem à suo habitu longè latéque alienam.

83 Inanis gloriæ quam sectatur Monachus proprietas est, ob virtutem captare gloriam, & ob ea quæ hanc consequuntur. At superbiæ monachalis proprium est, ob præclaras virtutis actiones extolli, & alios contemnere, & omnia sibi, non Deo authori adscribere. At mundanæ gloriæ atque superbiæ proprium est, propter corporis pulchritudinem, & diuitias, & principatum, & sapientiam inanem sectari gloriam atque elato animo extolli.

† κατορθώματα. † πλάσματα.

84 Mundanorum † officia, Monachorum † lapsus sunt: & Monachorum officia sunt lapsus mũdanorum. Quippe mundanorum officia sunt, diuitiæ & gloria, & præfecturæ, & deliciæ, & corpus carnosum, † numerosa liberorum soboles, & reliqua quæ hæc consequuntur. Ad quæ si Monachus peruenerit, perit. At officia in quibus Monacho elaborandum est, paupertas, ignominia, imbecillitas, continentia, malorum tolerantia, & quæ his sunt similia: in quæ si mundi studiosus & amans inciderit præter animi propositum, ingentem lapsum esse existimat. Et sæpe in id adducitur discriminis, vt etiam de induendo laqueo cogitet, quem nonnulli etiam induerunt.

† εὐτέκνια.

85 Escæ duabus de causis creatæ sunt, alimenti & curationis gratia. Quocirca, qui præter hasce causas iisdem fruuntur, tanquam abutentes rebus in vsum à Deo datis, perinde vt deliciarum sectatores condemnantur. Et in omnibus rebus abusus peccatum est.

86 Animi humilitas, precatio est assidua cum lachrymis & laboribus coniuncta. Ipsa enim subinde Deum in auxilium vocans, in propriam potentiam & sapientiam temere confidere non sinit, neque supra alios semet extollere. Quæ profecto grauia sunt vitia ex adfectione superbiæ prouenientia.

87 Aliud est cum nuda cogitatione pugnare, ne adfectionem excitet: & aliud est cum adfectibus plena pugnare, ne fiat assensio. At vtraque pugnandi ratio, non permittunt diu in animo morari cogitationes.

88 Tristitia acceptarum iniuriarum recordationi coniuncta est, cum animus fratris faciem cum dolore intuetur, certum est quod ob acceptas iniurias de illo male cogitet. At viæ eorum qui iniuriarum sunt memores ad mortem tendunt: quoniam omnis iniuriarum memor iniustus est.

89 Quod si tui iniuriarum memor de aliquo male cogitas, pro illo precare, & sopito moti animi affectu, dolorem precatione seiungas à mali memoria, quod tibi ab illo illatũ est. Humanus itaque factus & benignitate amabilis, omnem affectum ex animo tuo prorsus exterminabis. Sin autem alius ob iniuriarũ memoriã tibi insensatus est, gratiosus fias erga illum & humilis, ac humaniter & amanter cum illo versare, sic fiet vt illum hoc affectu liberes.

90 Inuidentis dolorem atque tristitiam, labore sedabis, nam calamitatem existimat idipsum cuius gratia tibi inuidet: Nec fieri potest, vt aliter hic morbus tranquilletur, nisi quiddam cælatum habueris. At si multis vtilitati est, illi autem soli dolori, quid iam considerandum venit? Necesse igitur erit vt multorum vtilitati consulatur, & illius tamen pro virili ratio quoque habeatur, ne affectus improbitate ab officio abripiamur, & hominẽ potius quàm affectionem vlciscamur. Putandũ quoque est per animi modestiam, quod ille te excellat, inque omni tempore, loco & rebus tibi ipsi præferendus est. Tuam vero ipsius inuidiam ita sedare poteris, si quibus rebus eum cui inuides gaudẽtem videris, ipse vnâ gaudeas, & quibus ille tristatur, vnâ quoque tristitiam perferas, illud Apostoli dictũ complendo, quo iubet gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus.

91 Animus noster medius est inter duos, quorum vterque opus proprium exercet: vnus virtutem, alter autem vitium, hoc est, angelus & dæmon. Cæterum animo potestas relicta est eligendi quod vult, aut vt sequatur, aut vt resistat.

92 Sãctæ virtutes cohortãtur nos ad bona: naturalia autẽ semina, & bonum animi propositum, nobis in hoc sunt auxilio. Dæmonũ vero † vim & impetũ affectus & malum propositum nobis commendãt.

† σφοδρότητας

93 Puram mentem nonnunquam Deus ipse ei se insinuans docet, nonnunquam sanctæ virtutes quę factu sunt optima suggerunt, nonnunquam naturę rerum contemplatione apprehensa.

94 Oportet animum cognitione dignatum res quas cogitat sine affectu seruare, & contemplationes tutas firmásque, & precationis conditionem incontaminatam. Sed hoc illi non licebit, quando emissis à carne tanquam vaporibus per insidias dęmonum fumo obscuratur.

95 Non quæcunque tristitiam nobis inferunt, eorundem gratia etiam irascimur. Plura sunt enim quæ tristitiam ingerunt citra iracundiam: veluti, fractum est aliquid, periit hoc, mortuus est amicorum quispiã. Propter hæc atque eiusmodi dolemus tantũ, propter reliqua autẽ dolemus & irascimur, nulla scilicet philosophica ratione exculti.

96 Animus qui rerum cogitationes suscipit, ad quanque cogitationem in alium habitum traducitur. At spiritualiter illas contemplans, ad vnãquanque contemplationem variè transformatur. At in Deo positus neque forma neque habitu mutabilis perseuerat.

perseuerat. Quippe vniformem contemplans, & ipse vniformis redditur & totus lucidus.

97. Anima perfecta est, cuius vis affectibus obnoxia prorsus ad Deum declinauit.

98. Mens perfecta est, quæ per veram fidem illum † superincognoscibilem superincognoscibili ratione supercognouit. Et eius opificia vniuersa contemplata est, inque illis ipsis prouidentiæ & iudicij cognitionem comprehensibilem à Deo consequuta est, quãtum eius inter homines fieri potest.

99. *Hoc caput in Græco exemplari non reperi.*

100. Tempus tripliciter diuiditur. Et fides ad tres temporis sectiones extenditur. Spes ad vnam, charitas autem ad duas. At fides & spes saltem ad tempus durant: cæterum charitas in infinita sæcula, superimmenso superunita tamen † augescens & crescens permanet. Et hoc nomine maior omnium est charitas.

EIVSDEM DE CHARITATE
quarta capitulorum Centuria.

PRimum miratur animus diuinam infinitatem præ omnibus cogitans, & illud imperuium & multis modis desyderandum pelagus. Secundum pelagus, Secundo obstupescit cogitatione, quonã pacto ex nihilo omnium rerum substantiam in essentiam perduxerit. Sed quemadmodum magnificentiæ eius nõ est finis: sic neque eius sapientiæ vlla est inuentio aut indagatio.

2. Quomodo enim non demiraretur immensum illud contemplans & omnem stuporem excedens bonitatis pelagus? Aut qui non obstupesceret apud se cogitans, quomodo & vnde rationalis & intelligens essentia facta sit: & quatuor illa elementa, ex quibus corpora sunt composita, cum nulla horum generationis ante materia extiterit? Tum quæ virtus illa in † opus mota, hæc omnia perduxerit in essentiam? Atqui hoc Græcorum filij non suscipiunt, ignorantes omnipotentem bonitatem, & operatricem illius super omnem humanum animum, sapiẽtiam & cognitionem.

3. Ab æterno Deus rerum opifex existens, quando vult verbo consubstantiali & spiritu sancto operatur per immensam bonitatem. Et ne dicas, Qua ratione nunc demum res condidit, cum semper bonus fuerit? Quoniam & ego tibi dico, quod infinitæ eius essentiæ inscrutabilis & imperuestigabilis est sapientia, quæ in humanam cognitionem non cadit.

4. Rerum opifex creaturarum cognitionem, quæ in ipso ab æterno fuit, quando voluit pertraxit in essentiam, & in rerum naturam produxit. Absurdum enim est de Deo omnipotente hæsitare, num possit aliquid in essentiam perducere, quando illi visum est.

5. Quam ob causam Deus res condiderit, quære, est enim cognitio. Quomodo autem & cur ita recenter, ne quæras: neque enim hoc animo tuo est comprehensibile. Nam rerum diuinarum, quædam hominibus sunt comprehensibiles, quædam incomprehensibiles. Siquidem contemplatio effrenis, aliquẽ fortè per præcipitium ageret, vt quidam è sanctis patribus affirmare non dubitauit.

6. Quidam affirmant res conditas vnà cum Deo ab æterno extitisse, quod nullo pacto fieri potest. Quomodo enim res quæ omnibus modis finitæ sunt, cum eo qui in vniuersum infinitus est, simul ab æterno esse potuerunt? Aut quomodo vere dicerentur opificia, si opifici essent coæterna? Atqui hic sermo Græcorum est, qui essentiæ nequaquã, sed solarum qualitatum opificem Deum introducunt. Nos autem qui Deum omnipotentem nouimus, non qualitatum, sed essentiarum qualitatibus præditarum, authorem & opificem Deum affirmamus. Quod si hoc verum est, constat ab æterno nequaquam vnà cum Deo res conditas extitisse.

7. Diuinitas & res diuinæ partim nosci possunt, partim non nosci possunt. Et nosci possunt cõtemplationibus quæ circa eas sunt: incognoscibiles verò sunt iis quæ secundum eas sunt.

8. Ne habitus & promptitudines quæras super simplici & infinita sanctæ trinitatis essentia, ne illam facias veluti creaturas compositam. Quod perabsurdum & nefandum esset de Deo cogitare.

9. Sola simplex, & vniformis, † & sequalis, & pacata, & aliena à seditione est, immensa essentia & omnipotens & omnium rerum creatrix. Omnis autem creatura composita est ex substantia & accidente, éstque indiga diuinæ prouidentiæ, vtpote non immunis mutationum.

10. Omnis intelligens & sensitiua substantia, à Deo in essentiam perducta, vires ad res cognoscendas accepit: intelligens, intellectiones: sensitiua, sensiones.

11. Deus quidem nullius rei particeps, nihil quàm impertit: ac creatura & particeps est & impertit, particeps in hoc, vt sit, & bene sit, impertit autem solum bene esse. Atqui aliter corporea, aliter incorporea essentia.

12. Siquidem incorporea essentia & faciens & dicens & † & contemplans bene esse impetit: at corporalis solum contemplando.

13. Semper esse aut non esse rationalem & intellectus capacem essentiam, situm est in arbitrio eius qui omnia bona creauit. At illi ipsa bona esse iuxta propositum, aut mala, positum est in voluntate rerum conditarum.

14. Non circa essentiam creaturarum malum consideratur: sed circa errantem motum, & rationi non consentaneum.

15. Recta ratione mouetur anima, cum eiusdem pars concupiscibilis temperantiæ formam recipit, irascibilis charitatem complectitur, & auersatur odium, rationalis vero ad Deum penetrat precatione & spirituali contemplatione.

16. Nondum perfectam charitatem consequutus est, neque diuinæ prouidentiæ secundum profunditatem cognitionem, qui in tempore tentationis in doloribus & molestiis sibi accidentibus longanimitate non perdurat, sed seipsum à spiritualiũ fratrum charitate abscindit.

17. Diuinæ prouidentiæ scopus est, eos qui vitiis diuersimode diuulsi sunt per rectam fidem &

ſpiritualem charitatem adunare. Siquidem ob hoc A ipſum ſaluator paſſus eſt, vt filios Dei diſperſos in vnum congregaret. Quocirca quicunque turbulẽta non tolerat, neque moleſta patitur, neque dura & laborioſa ſuſtinet, extra diuinam charitatem & ſcopum prouidentiæ ambulat.

18. Si charitatis opus eſt, eſſe longanimem & benignum, qui paruo ac deiecto animo in malis accidentibus eſſe ſolet, & ob id ipſum praue agit contra eos à quibus dolore afficitur & moleſtia, atque ſemetipſum à charitate erga illos habenda diuellit, quomodo ille diuinæ prouidentiæ ſcopo non excideret?

19. Attende tibi ipſi cauens, ne improbitas à B fratre te ſegregans, non in fratre, ſed in teipſo inueniatur. Ac propera vt cum ipſo quàm primum reconciliatus in gratiam redeas, ne præcepto charitatis excidas.

20. Caue ne charitatis præceptum deſpicatui habeas, quoniam per illud filius Dei efficieris, tranſgrediens autem filius gehennæ inuenieris.

21. Ea quæ ab amicorum charitate nos ſegregant, iſta ferè ſunt, inuidere, aut ferre inuidiam, damno afficere aut affici, ignominia notare aut notari. Præterea cogitationes quæ è ſuſpicionibus natæ ſunt. Caue ergo vnquam tale aliquid facias C aut patiaris, ne quando ab amicorum charitate ſegregeris.

22. Accidit tibi è fratre aliqua tentatio, & dolor te ad odium eius pertrahit, ne vincaris ab odio, ſed vince charitate odium. Hoc autem modo vinces, ſi pro illo oraueris Deum vere & ex animo, eius excuſationem benigne accipiens, aut etiam ipſe illũ excuſans, teipſum tentationis cauſam & authorem reputando, ac longanimitatem obtinendo, donec iſta nubes pertranſierit.

23. Longanimis eſt, qui tentationis finem expectat, & tolerantiæ gloriam acquirens.

24. Vir longanimis, multa eſt prudentia præditus, quoniam omnia quæcunque illi accidunt ad D finem refert: & hunc expectans omnia quæ ipſi moleſta ſunt æquo ſuffert animo. At finis eſt vita æterna, ſecundum Apoſtolum. Hæc autem eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.

25. Ne facilis eſto in abiicienda ſpirituali charitate, quoniam nulla alia cõſequenda ſalutis via relicta eſt hominibus.

26. Caue ne fratrem heſterno die ſpiritualem & virtute præditum, propter odium hodie tibi innatum ex calumnia qua te ſathanas impertiuit, malũ & improbum iudices. Sed potius charitatis longanimitate heſterna eius bona animo reputans, ho- E diernum odium ex anima eiicias.

27. Caue, ne quem heri vt hominem bonum & virtute præditum laudare & magnificè prædicare ſolebas, hodie vt malum & improbum vitupereres, propterea quod charitatem tuam in odium conuerteris, fratris reprehenſionem, improbi odij tui excuſationem faciens. Sed in iiſdem laudationibus perſeuera, tametſi dolore adhuc tenearis. Ita fiet, vt facilis tibi ad ſalutarẽ charitatem regreſſus pateat.

28. Caue ne laudem qua fratrem celebrare conſueuiſti, propter dolorẽ adhuc in te cælatum, quo illi clanculum infenſus es, in reliquorum fratrum conuerſatione atque colloquio obliquis & malignis verbis adulteres, admiſcens ſermonibus occultam vituperationem. Sed potius pura laudatione in colloquiis vtere, atque ex animo pro illo, perinde vt pro te ipſo precare. Atque ita exitioſo odio ſtatim liberaberis,

29. Ne dicas, Nequaquam odio habeo fratrem meum, memoriam aut mentionem eius auerſa ;; Sed Moyſem audi dicentem, Ne odio habeas fratrem tuum animo tuo, ſed reprehenſione obiurgabis fratrem tuum, & non ſuſcipies propter ipſum peccatum.

30. Si forte frater qui tentatur, tibi maledicere perſeuerat, caue ne tu propterea è charitatis propoſito transferaris, eundem improbum dæmonem conturbantem te in animo ſuſtinens. Sic autem à charitate non excides, ſi conuitiis laceſſitus, benedixeris: ſi inſidiis impetitus, beneuolentiam obtinueris. Et hæc ipſa Chriſti philoſophiæ via eſt, quam ſi quis non ambulat, nec cum eo olim habitaturus eſt.

31. Ne tanquam beneuolos eos exiſtimes, qui tibi ſermones ad aurem apportant, dolorem & odium erga fratrem in te operãtes, tametſi vera narrare videantur. Sed tanquam peſtiferos ſerpentes eius generis homines auerſare, vt & illos à maledicentię & calumniæ vitio compeſcas, & tuam ipſius animam ab improbitate liberes.

32. Ne obſcuris & ænigmaticis ſermonibus fratrem tuum odioſè pungas, ne ſimilia ab ipſo viciſſim excipiens, charitatis propoſitum ex vtroque eiicias. Verum enimuero cum amabili verborum libertate vade & ipſum redargue, vt ſublatis cauſis doloris ac triſtitiæ, conturbatione vtroſque ſubleues.

33. Omni diligentia conſcientiam tuam ſcrutare, ne quando tua culpa frater tuus irreconciliatus maneat. Et ne contemnas illam cordis tui arcana cognoſcentẽ, & accuſantem te in occulto exitus vitæ tuæ, & in tempore precationis obſtaculo tibi exiſtentem.

34. Ne velis eſſe memor tempore pacis eorum quæ tempore triſtitiæ à fratre tuo dicta ſunt, ſiue in faciem moleſta auditu tibi dicta ſint, ſiue ad alium de te ea dicta tu poſtea inaudieris: ne cogitationes iniuriarum acceptarum memoria complectens, ad exitioſum odium fratris tui regrediaris.

35. Non poteſt rationalis anima erga hominem alens odium, erga Deum pacatè agere, præceptorum datorem. Si enim, inquit, non remiſeritis hominibus errata ſua, neque pater veſter cœleſtis remittet vobis errata veſtra. Si autem ille pacẽ agere nolit, tu tamen temetipſum ab odij malignitate purum conſerua, pro illo purè precando, neque eidem apud vllum maledicendo.

36. Ineffabilis ſanctorum angelorum pax his duobus affectibus firmata eſt, nempe charitate, quam erga Deum, & quam inter ſe habent mutuam. Similiter quoque omnium ſanctorum qui

vnquam

vnquam à sæculo fuerunt. Omnibus ergo modis recte à Saluatore nostro dictum est, quod ab his duobus mandatis tota lex & prophetæ pendere soleant.

37. Ne tibi placeas, & non odio habebis fratrem tuum: neque teipsum adames, & Deũ amabis.

38. Cum spiritualibus fratribus conuersationem habere & viuere deliberatum habens, omnibus voluntatibus tuis longum valere statim præ foribus renuncia. Neque enim alio pacto pacem agere poteris, neque erga Deum, neque cum iis quibuscum vixeris.

39. Qui perfectam charitatem consequi potuit, & omnem suam vitam ad eius regulam composuit, ille dicit Dominum Iesum in spiritu sancto: & è contrario contraria videlicet.

40. Charitas quæ erga Deum est, ad diuinam conuersationem animum solet extollere: quæ autem erga proximum est, semper optima quæque de illo cogitare eundem facit.

41. Inanem gloriam adhuc amantis, aut alicui rerum materialium incumbentis est, dolore affici erga homines propter temporalia: aut ob acceptarũ iniuriarum memoriam malè de illis cogitare, aut eosdem odio prosequi, aut fœdis cogitationibus esse deditum. Cæterum ab anima Dei amante hæc omnia aliena sunt.

42. Cum nihil in animo turpe dixeris aut feceris, cúmque de eo à quo damnũ datum aut iniuria tibi obiecta est, aut factum conuitium, nihil mali cogitaueris, iniuriarum illatarum immemor, cúmque tempore precationis animum ab omnibus terrenis rerúmque formis alienum obtinueris, tunc compertum habeas, quod ad modum indolentiæ, perfectæque charitatis perueneris.

43. Haud mediocre certamen est ab inanis gloriæ cupiditate liberari. Liberatur autèm quispiam per occultam virtutum operationem, & crebriorem precandi sedulitatem. Cæterum signum animi ab ea liberati, est non male cogitare ob iniuriarum memoriã aduersus eum, à quo quis probrosè affectus est, & maledicis verbis impetitus.

44. Si iustus esse volueris, vnicuique earum quę in te sunt partium, ea quæ sua sunt pro dignitate distribue, animæ dico & corpori. Et parti quidem rationali animæ, lectiones & contemplationes spirituales, & precandi officium: parti irascibili, charitatem spiritualem quæ opponatur odio: concupiscibili vero, modestiam & temperantiam: corpori autem alimentum & indumenta, eáque sola quæ erunt necessaria.

45. Secundum naturam operatur animus, cum affectiones sibi subiectas habuerit, & rerum causas ac rationes contemplatus fuerit, & cum Deo conuersationem habuerit.

46. Quemadmodum sanitas & morbus in animantis corpore consyderantur, ac lumen & tenebrę in oculo: sic virtus & vitium in anima, sic cognitio & ignorantia in mente.

47. In his tribus Christianus philosophatur: in præceptis, in dogmatibus, & in fide: præcepta mentem ab affectibus segregant: dogmata eãdem in rerum cognitionem perducunt: fides vero in cõtemplationem sanctæ trinitatis.

48. Quidam certantium solum cogitationes affectibus obnoxias expellunt atque reiiciunt, nonnulli ipsos quoque affectus amputant. Et reiicit quidem eos aliquis, aut Psalmorum cantilenis, aut precatione, aut rerum sublimium contemplatione, aut alia quapiam † locali distractione. Ipsos autem affectus abscindit, rebus illis contemnendis, quarum affectu ducitur. † τοπικῇ περιαιρέσει.

49. Res, per quas affectus consequimur, ferè illæ sunt, nimirum mulier, opes, munera & id genus alia. Ac mulierem tunc aliquis poterit contemnere, cum post secessum corpus etiam, vt par est, temperantiæ frenis macerauerit. Opes autem cum rationem ac cogitationem persuaserit, vt in omnibus rerum † sufficientia contenta sit. Gloriã, cum occultam virtutum operationem amare incœperit, & Deo soli apparentem. Et sic de aliis similiter iudicandum est. Porrò, ista omnia contemnens, neque in odium cuiusquam vnquam incidet. † αὐταρκεια.

50. Quicunque rebus valedixit, videlicet mulieri, & diuitiis, & id genus aliis, externum hominem fecit monachum, non vero itidem etiam internum: at qui affectuosis horũ cogitationibus internũ hominem, qui est animus. Et externum quidem hominem haud difficulter aliquis facit monachum, modo adsit voluntas & animus: cæterum haud mediocre certamen est, internum hominem facere monachum.

51. Quis ergo in hoc genere esse possit? qui affectuosis cogitationibus per omnia liberatus sit, ac pura omníque materia libera precatione dignatus. Quod interni monachi argumentum est.

52. Multi affectus in animo nostro occultati sunt, qui tum deprehenduntur, cum res ipsæ apparuerint.

53. Potest aliquis nequaquam conturbari affectibus, rebus non præsentibus, particularem aliquam consequutus affectionum carentiam. Rebus autem apparentibus illico affectiones mentem distrahunt.

54. Ne existimes absolutam affectionum carentiam te habere, re non præsenti: qua apparente, si immobilis ad ipsam, eiusque postea rei recordationem, postquam animum subierit, permanseris, tum scias teipsum eius fines ingressum esse. Verumtamen, ne hic quidem contemnas, quoniam virtus certa mora perdurans, affectiones interimit, at cum eius nulla habetur ratio, eosdem iterum excitat.

55. Qui Christum diligit, eundem quoque pro virili imitari studet: nempe Christus hominibus benefacere non cessauit: idémque multipliciter offensus ingratitudine & blasphemiis lõganimitatem obtinuit: cúmque verberaretur ab illis & occideretur, patienter & omnia sustinuit, nemini prorsus male cogitans. Hæc autem tria charitatis erga proximum colendæ sunt opera, sine quibus qui dixerit se amare Christum, aut regnum cœlorum consequuturum, seipsum decipit. Neque enim qui dicit mihi, inquit, Domine, Domine, ille intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit vo-

luntatem patris mei. Et iterum, Qui diligit me, præcepta mea seruabit: & reliqua.

56. Vniuersus scopus præceptorum seruatoris nostri est, vt ab intemperantia & odio mentem liberet, & in ipsius charitatem & proximi nos inducat. Ex quibus nascitur lumen sanctæ cognitionis, quæ otiosa non est.

57. Particulari aliqua cognitione à Deo dignatus, caue charitatem & continentiam neglectui habeas. Illæ enim concupiscibilem partem expurgantes, viam ad cognitionem subinde tibi planiorem faciunt.

Via ad cognitionem perducens, est affectuum carentia & humilitas, citra quas nemo Deum videbit.

59. Quoniam ita comparatum est, vt cognitio inflatos reddat, charitas autem ædificet, coniunge cognitioni charitatem, & carebis omni superba inflatione, eritque spiritualis ædificator, cum temetipsum, tum omnes tibi appropinquantes ædificans.

60. Ex hoc fieri solet vt charitas ædificet, cum neque inuidiæ morbo corripitur, neque erga inuidentes exacerbatur animo, neque quod inuidiæ obnoxium est per ostentationem publicat, neque reputat seipsum iam consequutum esse, & earum rerum quas nescit, imperitiam ingenue confitetur. Sic fiet vt omnem fastum & insolentiam à mente abigat, ac semper in vberiori cognitione proficiat.

61. Cognitionem quodam ductu naturæ opinio consequitur, & inuidia in procœmiis maxime. Opinio quidem interne solum, inuidia vero & interne & externe. Interne, aduersus cognitionem habentes: externe, ab habentibus. Charitas ergo tria subuertit, opinionem, quoniam non inflatur: inuidiam internam, quoniam non est æmula: externam quoque, quoniam longanimis est & benigna. Itaque necesse est eum qui cognitione est præditus, vt charitatem quoque suscipiat, quo mentem ab omni vulnere inuiolabilem per omnia conseruet.

62. Cognitionis dono dignatus, & dolorem aut ob iniuriarum memoriam vlceratum erga aliquem animum obtinens, similis est spinis & tribulis animum compungenti. quapropter cognitio necessariò charitati coniungenda est.

63. Ne omne studium tuum impendas carni, sed definito illi quam potes exercitationem, & totam mentem tuam ad interna conuerte. Siquidem corporalis exercitatio parum prodest, at pietas ad omnia est vtilis: & reliqua.

64. Qui indesinenter in rebus internis perquirendis & contemplandis versatur, modestus est, longanimis est, benignus est, humilis est: quinetiam seruit contemplationibus, & theologiæ studio incumbit & precatur. Et hoc est, quod inquit Apostolus, Spiritu ambulate, &c.

65. Spiritualem viam ingredi nescius, cogitationes adfectus generantes nulla cura consyderat, verum totam vacationē curaneæ carni impendit, aut gulositati & crapulæ indulgens, aut luxuriæ: tristatur quoque & irascitur, & iniuriarum memor est, & inde animum obnubilat: aut immoderata exercitatione vtitur, ac mentem conturbat.

66. Nihil rerum à Deo nobis in vsum datarum scriptura tollit, sed immoderatum vsum castigat, & rationi non consentaneum emendat. Nimirum non prohibet edere, neque procreare liberos, neque opes possidere, rem domesticam recte administrare: verum crapulari prohibet, tum scortari, & reliqua. Quinetiam neque illa cogitare prohibet, nam in hoc ipsum res sunt conditæ, sed cum adfectu cogitare.

67. Quę à nobis secundum Deum fiunt, partim ex præcepto fiunt, partim non ex præcepto sed quasi aliquis diceret voluntaria oblatione ista fieri. Nimirum ex præcepto fit, vt Deum & proximum diligamus, vt inimicos amemus, ne adulterium committamus, ne quem neci demus, & id genus alia, quæ transgredientes condemnamur. Cæterum non ex præcepto est, virginitas, cœlibatus, † paupertas, vita eremitica, & id genus plura alia. Hæc donorum rationem habent, vt si qua pręcepta ex infirmitate implere nequiuerimus per dona optimum illum dominum placare studeamus.

† ἀκτημοσύνη.

68. Qui cœlibatum aut virginitatem honorat, ei necesse est vt habeat lumbos præcinctos, & lucernam ardentem, per precationem & contemplationem & spiritualem charitatem.

69. Quidam è fratribus existimant seipsos à spiritus sancti donis alienos & immunes esse. Neque enim nouerunt per negligentiam operationis præceptorum Dei, quod qui legitimam in Christum fidem habuerit, ille omnia diuina dona vno simul fasce comprehensa in seipso possideat. Quoniam enim per socordiam longe absumus ab efficaci in Deum charitate, quæ nobis diuinos thesauros in nobis ostendit absconditos: inde fit vt non iniuria nosmetipsos extra omnia diuina dona esse existimemus.

70. Si Christus in cordibus nostris per fidem habitat, secundum diuinum Apostolum, omnes autem thesauri sapientiæ & cognitionis in ipso sunt absconditi. Omnes igitur thesauri sapientiæ & cognitionis etiam in cordibus nostris sunt absconditi. Manifestantur autem cordi secundum proportionem vniuscuiusque mundationis per præcepta.

71. Hic est thesaurus in agro cordis tui absconditus, quem nondum obstante pigritia inuenisti. Nam si inuenisses, haud dubie vendidisses omnia, & possedisses agrum illum. Nunc autem relicto agro, quæ circa agrum sunt, consectaris, in quibus nihil aliud inuenitur, nisi meræ spinæ & tribuli.

72. Eam ob causam dicit Seruator noster: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Tunc autem videbunt eum, atque etiam in eo ipso thesauros, cum per charitatē & continentiam semetipsos mundauerunt: atque hoc impensius quanto ipsi se diligentius mundauerint.

73. Propterea iterum dicit. Vendite omnem substantiam vestram, & date eleemosynam, & ecce

ce omnia vobis munda erunt, tanquam non amplius rebus quæ ad corpus pertinent vacantibus sed ad mundanum ab odio & intemperantia animum (quem Dominus cor appellat) properãtibus. Hæc enim animum sordibus contaminatum, non permittunt, vt Christum videant in ipsis habitantem propter gratiam sancti baptismatis.

74. Vias scriptura virtutes nominat, omnium autem virtutũ maxima est charitas. Inde est quod dixit Apostolus, Adhuc & excellentiorem viam vobis ostendam, quæ faciet, vt omnes res humanas contemnatis, ac temporaneis æterna bona præponatis.

75. Charitas erga Deum, resistit concupiscentiæ voluptatum. Persuadet enim animo voluptatum temperantiam. At ea quæ est erga proximũ, repugnat iracundiæ, inducit enim gloriæ & opum contemptum. Et hæc sunt illi duo denarij, quos seruator noster dedit hospiti, vt tui curam haberet, sed ne appareas ingratus coniũngens te latronibus, ne quando rursus percutiaris, & non amplius semimortuus, sed prorsus extinctus inueniaris.

76. Purga mentem tuam ab īra & iniuriarum reminiscentia, & fœdis cogitationibus, & tunc poteris cognoscere inhabitantem in te Christum.

77. Quis te illuminauit in fide sanctæ & consubstantialis & adorandæ trinitatis? Aut quis te in cognitionem perduxit vnius in sancta trinitate incarnati? Quis docuit te rerum incorporearum rationes? aut rationes de generatione, & consummatione futura visibilis mundi? aut de resurrectione ex mortuis, & vita æterna? aut de gloria regni cœlorum, & terribili iudicio? Nónne gratia Christi quæ in te habitat, quæ est arrabo sancti spiritus? Quid maius hac gratia? aut quid hac sapientia & cognitione præstantius? aut quid promissis sublimius? Porrò si nos pigri & negligentes sumus, neq; nos ipsos purgamus ab adfectib⁹, qui partim nobis obstant, partim animum nostrum excæcant, vt sole clarius rationes harum rerum intueri queamus, nos ipsi accusemus, & gratiam in nobis habitantem non negemus.

78. Deus qui æterna bona tibi pollicitus est, & spiritus arrabonem in cor tuum dedit, præcepit tibi, vt vitæ rationem habeas, vt internus homo ab adfectionibus liberatus, in hoc sæculo bonis frui incipiat.

79. Diuinis & sublimibus contemplationibus dignatus, magnam rationem charitatis & continẽtiæ habendam puta, vt partem animæ adfectibus obnoxiam inconturbatam conseruans, indeficientem animæ lucem habeas.

80. Animæ partem iracundiæ obnoxiam charitate frenare velis, & eiusdem concupiscibilem continentia macerare, & eius rationalem precatione in sublime tollas: ita futurum est, vt mentis tuę lumen nunquam obscuretur.

81. Charitatẽ soluẽtia hæc ferè sunt, nempe ignominia, contemptus, illati damni iniuria: sycophantia, quæ fit, aut in fidem, aut in vitam: verbera & vulnera, & alia. Et hæc, si aut ipsi accidũt, aut alicui cognatorum eius, aut amicorum. Cæterũ, qui horum gratia charitatem soluit, nondum cognouit, A quinam scopus sit Christi præceptorum.

82. Stude, quoad eius fieri potest, omnem hominem diligere. Si autem hoc nondum poteris, cura saltem vt neminẽ odio habeas. At qui ne hoc quidem poteris, nisi res humanas omnes ex æquo contempseris.

83. Grauiter aliquis & enormiter blasphemauit, ne blasphemantem odio habeas, sed ipsam blasphemiam, & dæmonem illi authorem blasphemiæ. At si blasphemantem odio prosequutus fueris, hominem odio prosequutus es, & præceptum transgressus, & quod ille verbo fecit, hoc tu facis opere. Si vero præceptum seruas, quæ charitatis sunt facito. Et si quid potes, fer illi suppetias, vt à malo liberetur.

B 84. Non vult Christus, vt vllum hominem odio habeas, aut aliquem iracundia, aut dolore, aut iniuriarum memoria prosequaris, male eidem cogitando quacunque de causa, aut ob qualemcunque rem temporalem: & hoc passim ad omnes quatuor clamant euangelia.

85. Multi sumus qui dicimus, pauci qui facimus. Atqui sermonem Dei nemo debebat adulterare propter suam negligentiam, sed suam ipsius imbecillitatẽ confiteri: nequaquam vero Dei veritatẽ abscondere, ne vnà præcepta Dei transgredientes etiam verbi diuini falsæ interpretationis rei fiamus.

C 86. Charitas & temperantia animum ab adfectionibus liberant. Lectio & contemplatio, mentem ab ignorantia alienant: at precationis sedulitas, ipsi Deo eandem commendant.

87. Cum viderint dæmones res mũdanas nos habere contemptui, vt harum gratia homines odio non habeamus, atque à charitate non excidamus: tunc calumnias & obtrectationes aduersus nos excitant, quo doloris impatientes, eos à quibus calũnia adfecti sumus, odio auersemur.

88. Non est labor animæ grauior, quàm sycophantia, siue quis ob fidem, siue ob vitam sycophantias perpessus fuerit. Et nemo hanc potest D contemnere, nisi ille solus, qui in Deum intentos habet oculos, (veluti Susanna:) qui solus potest fidentes in se è periculis liberare, sicut & illam: nec non homines certos facere, veluti etiam de illa innocenter condemnata, & animam bona spe consolari atque erigere.

89. Quo vehementius pro sycophantis & delatoribus precatus fueris, tãto magis etiam Deus calumniæ scandalo offensos innocentiæ tuæ certiores faciet.

90. Natura solus Deus bonus est, animo autem solus Dei imitator. Siquidem eius scopus est, illi E qui natura bonus est, improbos coniungere, vt etiam ipsi boni fiant. Quapropter ab illis probrose impetitus, benedicit: insectationem patiens, tolerat: blasphemias audiens, consolatur: si perimitur, orat pro occisoribus. Omnia facit, quo minus à scopo charitatis excidat.

91. Præcepta domini, docent nos rebus mediis recte vti. At rerum mediarum vsus rectus & rationi consentaneus, animæ conditionem purgat, & discretionem procreat. Discretio autem adfectuum parit carentiam, ex qua deinceps perfe-

cta charitas naſcitur.

92 Ille non caret adfectibus, qui propter incidentem tentationem amici defectum (ſiue is reuera ſit, ſiue eſſe videatur) diſſimulare non poteſt. Nam adfectus animæ inſiti, ſi conturbentur, intellectum excæcant, & non ſinunt veritatis radios perſpici, neque à deteriore quod melius eſt diſcerni. Proinde neque talis perfectam charitatem conſecutus eſt, omnem metum iudicij excludentem.

93 Amicus fidus res eſt incomparabilis, quoniam amici calamitates ſuas eſſe exiſtimat, amicóque compatiens, vſque in mortem, duram eius vicem & ſortem vnà tolerat.

94 Multi ſunt amici, ſed rebus ſecundis ac proſperis: cæterum tentationis tempore, vix vnum inuenies.

95 Omnis homo ex animo amandus eſt, in Deũ autem ſolum omnis ſpes & fiducia noſtra collocãda, & ille tota virtute & omni robore colendus. Quandiu enim ille nos tuetur, & amicis omnibus curæ ſumus, & inimici omnes ad inferẽdam nobis iniuriam ſunt debiles. At vbi ille nos reliquerit, & amici omnes nos auerſantur, & inimici omnes aduerſus nos inualeſcunt.

96 Quatuor ſunt in genere rationes quibus deſerimur, vna eſt œconomica, veluti in domino Chriſto, vt ob deſertionem que videtur, derelicti ſeruentur. Altera probationis eſt, veluti diuo Iobo & Ioſepho accidit, vt alter fortitudinis, alter tẽperantiæ columna declararetur. Tertia diſciplinæ †paternæ, quæ declarata eſt in Apoſtolo, vt per humilitatem animi excellentiam gratiæ conſeruaret. Quarta eſt auerſionis ſeu odij, quæ Iudæis accidit, vt adfecti ſupplicio ad reſipiſcentiã reflecterentur. Omnes autem hæ rationes ſalutares ſunt, & diuinæ bonitatis ac † humanitatis plenæ.

† Spiritualis.

97 Soli diligentes præceptorum cuſtodes, & germani diuinorũ iudiciorũ myſtæ, amicos qui diuina permiſſione tẽtantur, nõ deſerunt. Porrò præceptorum contemptores, & qui diuinis iudiciis non ſunt initiati, quandiu amicus agit proſpere, eius fælicitate fuuntur: vbi autem tentatus mala patitur, deſerunt ipſum: aliquando etiam ad hoſtium & aduerſariorum partes accedunt.

† φιλανθρωπίας.

98 Chriſti amici, omnes amant ex animo, ſed nõ perinde amantur ab omnibus. At amici huius mũdi, nec omnes amant, nec amantur ab omnibus. Et Chriſti quidem amici, vſque in finem amoris ſtudium atque ſedulitatem conſtanter tuentur. At mundi amicitia, cum offenſio aliqua propter mundi negotia interuenerit, dirimitur.

99 Fidus amicus, firma eſt protectio. Nam & amico proſpere agenti, bonus eſt monitor & conſiliarius, & cooperator ex animo ſeruiens: & mala toleranti, adiutor deditiſſimus, & propugnator deuotiſſimus.

100 Multi quidem multa de charitate dixerunt. In ſolis autem Chriſti diſcipulis illam quęſitam inuenies. Quoniam illi etiam ſoli veram charitatem, nempe charitatis magiſtrum, habuerunt: de qua Paulus dixit: Si habuero prophetiam, & ſciuero omnia myſteria, & omnẽ cognitionem, charitatem autem non habeo, nihil vtilitatis capio. Charitatem ergo conſequutus, ipſum Deum conſequutus es. Quoniam Deus eſt charitas. Ipſi gloria in ſæcula, Amen. 1. Cor. 13.

SANCTISSIMI PATRIS MAGISTRIQVE, MAXIMI, CONFESSORIS, ATQVE MARTYRIS, VARIA CAPITVLA TVM THEOLOGICA TVM OECONOMICA, de Virtute & Vitio, Centuriis quinque diſtincta.

Oeconomica intelligę, quæ pertinẽt ad diuinam diſpenſationem, quia hîc nihil de re familiari.

Interprete Ioanne Pico, Claſsium Inquiſitoriarum in Senatu, Præſide.

Ex eiuſdem Epiſtola Dedicatoria, ad Epiſcopum, Clerúmque Pariſienſem.

HORVM lectionem libellorum (de S. Maximi libris quidem omnibus, ſed maxime de iis quæ ſequuntur, Oeconomicis de Virtute & Vitio quingentis Capitibus, loquitur) quicunque amplectetur, inprimis hunc fructum referet, vt inter animum & corpus limites ponat, & quæ cuiuſque ſeorſim propria ſint, clarè diſcernere poſsit: omnes item animi cogitationes & miniſtros illius ſenſus humanos, impuris expurget affectibus, qui intellectum & cognoſcendi vim obcæcant, & ne ſyncerè Deum ſpeculemur & amemus, impediunt. Tandem ea illum tantopere deſideratum & ſolum multò facilius aſſequetur, quàm ſi vniuerſos Stoicorum libros perlegeris. Has quinque de Virtute & Vitio centurias, è Bibliotheca Regia vt offerrem tibi, Præſul optime, tuum erga pueros & eruditos parentum officium ſuadet, ac rerum honeſtarum ſtudium, quo vehementer teneris, exigit. Vale, Pariſiis, Calendis Auguſti, Anno Domini. M. D. IX.

INTERPRES, LECTORI.

NE tuum animum reuocent à lectione, perpauca quædam ſubobſcura capitula, initio primæ Centuriæ poſita, quæ ad Opt. Max. Trinitatem pertinent. His enim traiectis ſubſequuntur ea quæ tibi legenti futura ſunt longè gratiſſima.

CENTV-

CENTVRIA PRIMA.

A

VNICVM est bonum, quod principium atque substantiam facilè vincit, sancta ter subsistens Vnitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus trium fine carẽtium infinita cognatio: quam, vt sit, & quemadmodum se habeat, quid & qualis sit, nulla planè ratione consequi possunt creaturæ. Cum enim è recondita interiorique natura nequaquam exeat, omnem mente præditorum fugit intellectum, ac omnem omnium notiarum infinitè excedit notitiam.

Nulla creatura S.S. Trinitatis cognitionẽ ratione assequi potest.

Cap. 2.

QVOD propriè secundum substantiam est, bonum est: quod quidem originis ac finis est expers, nec habet causam vt sit: neque quatenus est ad vllam prorsus causam refertur. Quod autẽ ad hunc modum se non habet, non est propriè: nempe initium & finem habens, ac etiam causam, vt sit, atque ad causam aliquam referatur. Porrò quod non propriè est: etsi dicitur esse, voluntate tamen eius quod est propriè, per participationem est ac dicitur.

B

Cap. 3.

SI verbum præcedit rerum omnium procreationem, non erat, non est, nec erit verbum anterius verbo. Verbum autem mente non caret aut vita, sed intelligit ac viuit, vt mentem gignentem habens Patrem substantialiter subsistentem, & Spiritum sanctum, vitam substantialiter subsistentem.

C

Cap. 4.

VNVS Deus, vnius filij genitor Pater, & fons vnius Spiritus sancti: vnitas minimè confusa, & indiuidua Trinitas, mens sine principio: solus solius origine carentis verbi secundum substantiam genitor, soliúsque sempiternæ vitæ fons, nempe Spiritus sancti.

Cap. 5.

D

VNVS Deus: nam vna deitas, vnitas carens origine, simplex & supersubstantialis, partium expers & indiuidua, eadem vnitas ac Trinitas. Et reliqua.

Cap. 6.

CVM omnis communio antè concipiatur animo, quàm ea quæ cõmunicant, omnes proculdubio manifestè creaturas antecedit discreta prorsus illarum causa: vt quæ natura priùs existit & intelligitur, quàm creaturæ: non quemadmodum substantia præcedit accidentia (nam ita diuinum numen declararetur compositum, opus habens hypostasi creaturarum ad complementum suæ subsistentiæ) sed eo modo quo supersubstantiale substantiam antecedit. Si enim artes adinuenêre figuras eorum quæ ab ipsis prodeunt & vniuersi natura species eorum quæ sub ipsa sunt: quantò magis Deus, vti supersubstantialis, rerum substantias ex nihilo subsistere fecit? Imò potiùs à thesi substantiam excedente distat infinitè, qui scientias coniungit artibus ad inueniendas figuras, & naturæ tribuit vim speciei cuiusuis effectricem, atque ipsis substantiis idipsum quod sunt constituit.

E

Cap. 7.

QVI communicabilis est creaturis, non secundum substantiam, alio verò modo desiderat illis quæ possunt, communicari, ab arcano substantiæ suæ planè non degenerat: cùm vel ipse modus secundum quem communicari cupit, perpetuò maneat omnibus indicibilis. Quemadmodum ergo Deus ea quam ipse nouit ratione spontè se communicat: ita etiam volens modo sibi cognito excitauit ea quibus communicatur, beneficio bonitatis potentiam superantis. Quare quod voluntate conditoris creatum est, nunquam ei coæternum esse poterit, quod voluit ipsum procreari.

Cap. 8.

VERBVM Dei semel duntaxat secundum carnem genitum, beneuolentia, qua complectitur genus humanum, his qui volunt, lubẽs semper nascitur secundum spiritum, ac fit infans per virtutes seipsum formans in illis: tantúmque se manifestat, quantum susceipiens capere nouit: non inuidia minuens suæ celsitudinis explicationem, sed modo trutinans videre cupientium facultatem. Ita Dei Verbum, quod pro viribus participantium semper apparet, secundum excellentiam mysterij perpetuò manet omnibus inuisibile. Vnde sapienter huius vim mysterij perpendens diuinus Apostolus, ait: Iesus Christus heri & hodie ipse in secula. Sciens hoc mysterium semper nouum, & animi comprehensioni nunquam antiquandum.

Christus quomodo nascatur in animis fidelium.

Heb. 13. b.

Cap. 9.

CHRISTVS Deus nascitur assumpta carne animam intellectiuam habente. Qui cùm rebus ex nihilo creationem concesserit, factus est homo. Quem dum supernaturali modo virgo peperit, nullum dissoluit virginitatis argumentum. Qua enim ratione factus est homo sine vlla naturæ alteratione, aut commutatione potentiæ: sic eam quæ peperit tum matrẽ effecit, tum virginem conseruauit miraculo, miraculum circa idem declarans, itidem altero occultans alterum. Deus enim à seipso secundum substantiam semper est mysterium: qui tantò magis ex adytis substantiæ suæ seipsum exerit, quantò conuenientius est illa explicando secretiora fieri. Rursũmque tantò plus matrem quæ peperit, virginem reddit, quanto præstat dicere fœtura virginitatis indissolubile vinculum effici.

Christi mater, Virgo.

Cap. 10.

INNOVANTVR naturæ, fitque Deus homo, non diuina solùm constans & immobilis natura mouetur ad eam quæ mobilis est & inconstans, vt gradum sistat: nec humana duntaxat natura sine semine supra naturam excolit carnem Verbo congruentem, vt pergere desinat: sed stella quoque interdiu apparet in Oriente, qua ducit Magos ad locum incarnationis Verbi: vt indicet sermonem qui apud legem habetur & prophetas, mouentem mysticè sensum, ac deducentem gentes ad summam cognitionis lucem. Planè siquidem sermo legalis atque propheticus piè intellectus, instar stellæ deducit ex decreto virtute gratiæ vocatos ad notitiam incarnati Verbi.

Matt. 2.

CAP. II.

QVONIAM ego homo sponte transgressus sum mandatum diuinum: soliditatémque naturæ meæ, spe diuinitatis me demulcens diabolus, detorsit ad voluptatem, per quam subministrata morte insultabat, triumphum agens ob naturam corruptam: propterea Deus factus est homo perfectus, natúra nullatenus immutáta dempto peccato (siquidem de natura non erat) vt obiecto carnis alliciens prouocaret Draconem illum insatiabilem, inhiantem ad deuorandum carnem, quæ quidem illi toxicum erat futura, & virtute deitatis in ipsa latentis prorsus illum deletura: humanæ verò naturæ remedium, ad recuperandam vi diuinitatis in illa reconditæ pristinam gratiam. Vt enim ille effuso malitiæ suæ veneno in lignum scientiæ; naturam quæ gustauit, corrupit: ita etiam ipse volens deuorare carnem Domini, potentia deitatis in ea latentis deletus est.

Peccatum non assumptũ à Christo, & cur.

CAP. 12.

INGENS Incarnationis diuinæ mysterium perpetuò manet mysterium, non ob id solum quòd pro modo & facultate eorum qui per illud saluantur, explicatum, habet quippiam nondum conspectum, maius eo quod enarratum est: sed ob id quoque quòd vel illud ipsum quod videri putatur, manet adhuc prorsus abstrusum: vtpote quod nullo sermone, sicuti est, cognosci queat. Neque cuiquã, quod dicitur, videatur paradoxum. Nã Deus, cùm sit supersubstantialis, & omnem supersubstantialitatem transcendens, quando voluit ad substantiam deuenire, modo supersubstantiali substantiã induit. Et hanc ob causam pro hominibus, vt amãs hominum, ex humana substantia verè factus est homo. Porrò modum quo factus est homo, semper habet inexplicabilem; pro hominibus enim factus est homo.

Deus est supersubstantialis.

CAP. 13.

PERPENDAMVS fideliter incarnationis diuinæ mysterium, ac sine vlla curiositate glorificemus duntaxat eum cui nostra gratia complacuit illud fieri. Nam quis dicendi demonstrandíve facultate consequi potest, qua ratione Dei conceptio fiat? quo pacto gignatur caro sine semine? quî generatio sit absque corruptione? quomodo mater, quæ vel post partum virgo permãsit? quo pacto qui plusquam perfectus erat, ætate succedẽte proficiebat? quo pacto baptizabatur, qui mundus erat? quomodo nutriebatur, qui esurit? quo pacto robur conferebat, qui fatigatur quomodo ægrotans, sanitatem donabat? quomodo moriens, viuificabat? & vt primum postremo loco dicam, quî Deus homo factus est? Ac sanè maius mysterium est, quo pacto substantialiter & secundum hypostasin Verbum erat in carne qui secundum substantiam & hypostasin totus est apud Patrem: quo pacto idem natúra totus est Deus, & secundum naturam totus factus est homo, neutra prorsus abnegata natura: diuina minimè, secundum quam est Deus; neque nostra, secundum quam factus est homo. Huiusmodi mysteria sola capit fides, quæ est hypostasis eorum quæ mentem superant & rationem.

Christi incarnationem nulla dicẽdi demonstrandíue facultas potest assequi.

Fidei definitio.

CAP. 14

ADAM post inobedientiam didicit, generationem naturalem à voluptate initium sumere: A quam Dominus expellens à natura, conceptionem quæ fit ex semine, non admisit. Mulier vbi transgressa est mandatum, à dolore generationem naturalem incipere demonstrauit: hanc à natura Dominus excussit, natúsque non permisit eam quæ pepererat, corruptionem pati: vt vnà tam spontaneam voluptatem, quàm propter eam coactè susceptum dolorem à natura depelleret; quorum non erat auctor, vt qui profligator extitit: ac doceret mysticè & secundum intellectum incipere ab alia vita, quæ forsan à dolore & laboribus initium ducit, sed planè desinit in delicias diuinas & lætitiam infinitam. Idcirco qui creauit hominem, fit homo, & nascitur vt homo, vt saluet hominem, ac passiones passionibus curet: qui ipse declaratus est esse passio passionũ nostrarum, modo naturam vincente, suis in carne penuriis beneuolè renouans nostros spiritales habitus.

CAP. 15.

QVI diuino desiderio ductus vicit affectionem animæ erga corpus, incircumscriptus euasit, licet agat in corpore. Deus enim qui desiderantis trahit affectum, inconfusè sublimior est omnibus, nec sinit eum qui ipsius desiderio tenetur, cuipiam eorum quæ sunt inferiora Deo, desiderium affigere. Quocira desiderio feramur in Deum totis naturæ viribus, & ab omnibus rebus corporeis inuictum reddamus animum & affectione transcendamus ea omnia quæ tum sensu tum intellectu percipiuntur: & quoad animum nihil planè damni patiemur à circunscriptione naturali, præterquàm quòd simul erimus cum Deo natúra incircunscripto.

CAP. 16.

REPVGNANTIA affectuum quæ est in Sanctis, est certamen inuidiæ atque virtutis: illius quidem & contendentem superet; huius verò, vt omnia tolerando permaneat inuicta. Ac illa quidem certat, vt affligendis præclarè agentibus nequitiam prosperare faciat: hæc autem, vt bonos & locupletiores in calamitatibus contineat.

CAP. 17.

VIRTVTIS præmium est, laboribus decertare: quando victoria pro emolumento parat iis qui sustinent, vacuitatẽ affectionum in anima, qua Deo per dilectionem vnita affectu separatur à corpore & mundo. Nam flagellatio corporis, his qui perferunt, robur est animæ.

Animæ impassibilitas, est præmium virtutis.

Corporis flagellatio est robur animæ.

CAP. 18.

CIRCVNVENTIONE voluptatis ab initio decepti, veræ vitæ mortem anteposuimus. Ideo grato animo feramus laborẽ corporis, voluptatis huius interfectorem; vt cum eius interitus secum deleuerit mortem ex ea nascentem, redeuntem ad nos vitam pro voluptate venditam recipiamus, modicis corporis laboribus redemptam.

Corporis labores cur patienter ferendi.

CAP. 19.

SI bene habente carne crescere consueuit vis peccati, ea grauiter affecta profectò repubescere meritò solet acies virtutis. Quapropter fortiter feramus afflictionem carnis, inquinamentorum aduersus animam pugnantium expultricem, ac procuratricem gloriæ futuræ. Non enim sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam

Rom. 8. d.

riam quæ reuelabitur in nobis.

CAP. 20.

Animæ morbos omnes non eodem remedio curat Deus.

NEQVE medici in curando corpore vnum & idem pharmacum omnibus offerunt, nec Deus dū morbos animæ curat, nouit vnicam duntaxat curandi rationem cunctis congruentem: sed cùm cuique conuenientem distribuerit, sanat. Dum ergo curamur, gratias agamus, licet acerbitatis aliquid habeat quod geritur: quia finis est faustus.

CAP. 21.

Carnis tribulatio, animæ affectum indicat.

NIHIL est, quod affectum animæ sic indicet, vt carnis tribulationem patientis eruptiones: quibus si se subdat, carnem plus diligere quàm Deum videbitur: sin huius cōcussionibus immota permaneat, pluris facere virtutem perspicietur, quàm carnem cuius virtutis beneficio Deum hospitem suscipiet, B illius ergò passum apud nos inclamantem vt olim discipulis: Confidite, ego vici mundum.

Ioan. 16. d.

CAP. 22.

CVM omnes Sancti castigationis fuerint participes, nos quoque qui cum illis castigamur, gratias agere debemus, vt illorum gloriæ socij esse dignemur. quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.

Heb. 12. b.

CAP. 23.

Gen. 4. a. Iacob. 5. g.

CVM Adam suscepisset costam voluptatis procuratricem, extra Paradisum opus humanum exercuit: at Dominus cum labore hac parte lancea rescissus, latronē in Paradiso constituit. Amemus igitur laborem carnis, illius autem voluptatem odio habeamus. Nam ille introducit & constituit in bonis, hæc autem abigit & destituit bonis.

CAP. 24.

SI Deus homo factus patitur carne, quis non gestiat, dum patitur, habens Deum passionis sociū? Cui ipsa compassio procurat regnum? Verax enim Rom. 8. d. est qui dixit: Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.

CAP. 25.

PLANE si laborandum est propter immixtā naturæ per proauūm voluptatem, strenuè occurren- D tes labores perferre debemus: vt qui voluptatis aculeum nobis retundant, & à suppliciis æternis per illam imminentibus nos liberent.

CAP. 26.

BONORVM omnium finis est charitas: quippe quæ tanquam fida, non lubrica, sed constans, ambulantes in ea ducit, adducit, & conducit ad Deum bonorum & vniuersi boni supremum auctorem. Nam fides est fundamentum eorum quæ ipsam sequuntur, spei inquam & charitatis, firmiter ipsam veritatem sustinens. Spes autem est extremorum robur, charitatis inquam & fidei, ambo per seipsam subindicans, tum quid credendum, E tum quid amandum, per seipsam cursum ad illa dirigendum esse instruens. At verò charitas horum est complementum, quæ post omnia prorsus expetenda est & tota induenda: quæ illis statum præbet motionis ad illam ducentis; ac pro eo quod credimus esse, & futurum speramus, fruitionem præsentis introducit.

CAP. 27.

Charitatis finis.

CHARITATIS opus perfectissimum, & eius quæ secūdum ipsam est operationis, finis est quando mutua pensitatione copulatos per charitatem A tenente, illis mutuò competunt proprietates & denominationes quadrant: verbi gratia; Deum quidem hominem facere, hominem autem Deum appellari & videri propter vnitatem & immutabilem amborum in intentione voluntatem atque motionem.

CAP. 28.

SI sanè ad imaginem Dei facti sumus, simus nostri ipsorum & Dei, imò verò toti solius & totius Dei, nihil terrenum gestantes apud nosipsos: vt proximè ad Deum accedamus, ac Dij fiamus, à Deo accipientes, vt Dij simus. Hoc enim pacto ornantur dona diuina, & aduentus pacis diuinæ benignè excipitur.

CAP. 29.

Charitas est omniū bonorum primum.

CHARITAS est bonum ingens, & è numero bonorum primum & egregium bonum: eò quòd per seipsam Deum & homines coniungat cum eo qui præditus est charitate, & factorem hominum vt hominem apparere faciat, propter illam deificati (quoad bonum quantum conceditur homini) à Deo impossibilem separationem: quam inde oriri existimo, quòd quis Dominum Deum diligit ex toto corde, anima, & viribus, proximúmque tanquam seipsum.

CAP. 30.

Genes. 3. C

SCIENDVM est, Diabolum, cùm dolo astutè compositio nos per philautiam propositā voluptatē decepisset, voluntate nos à Deo & abinuicem separasse, rectúmque peruertisse, & hoc modo naturam diuisisse atque dissipasse in multas opiniones & imaginationes.

CAP. 31.

TRIA sunt maxima præcipuáque mala, & vt semel dicam, vniuersæ malitiæ efficientia: ignorationem dico, amorem sui, & tyrannidem; quæ inuicē dependent, & se mutuò stabiliunt. Siquidem ex ignoratione Dei nascitur amor sui, inde verò nullo cōtradicente, quasi cognata tyrānis: nō quod abu- D tēdo propriis facultatibus, ratione, appetitione, ira, nequam ille in nobis hæc non suscitet.

CAP. 32.

IGNORATIONIS loco, opus est ratione per cognitionem singulari, petitione erga Deum moueri: appetione ab affectu proprij amoris libera, desiderio ad solum Deum impelli: irascendi facultate à tyrannide separata, certandum est, vt solum Deum consequamur: & quæ ex his, & propter quam hæc diuinam beatámque charitatē producere, quæ Deo coniungit, atque Deum declarat illum qui Deum diligit.

CAP. 33.

Philautia, omniū vitiorū mater.

EVVLSA philautia principe ac matre, vt dixi, vitiorū, omnia quæ ex ipsa & post ipsam sequūtur, extirpari solent, quia si hæc non subsit, nulla omnino vitij species aut vestigium subsistere potest.

CAP. 34.

TANTOPERE nos mutuò complecti debemus, quantum ipse per se Christus præueniens demonstrauit, qui pati pro nobis non renuit.

CAP. 35.

CHARITATIS causa sancti omnes restiterunt aduersus peccatum, nulla præsentis vitæ facta mē-

tione: variósque mortis modos pertulerunt, vt ab A hoc mundo ad seipsos & ad Deum colligerentur, & naturæ fracturas in seipsis vnirent. Hæc est enim vera & reprehensione carens fidelium diuina sapientia, cuius finis est ipsum bonum ac veritas, si modò bonum est, quod hominem diligit: & verum, quod secundum fidem amans est Dei: ac (quæ sunt charitatis indicia) homines Deo & inter se conciliat: ideóque habet perseuerãtiam in bonis minimè labentem.

CAP. 36.

EFFECTVS ac demonstratio perfectæ dilectionis erga Deum, est germana per beneuolentiam
1. Ioan 4. d spontaneam erga proximum affectio. Qui enim
"
" non diligit fratrem suum quem videt, inquit diuus Ioannes, Deum, quẽ non videt, non potest diligere. B

CAP. 37.

VIA veritatis charitas est, cuius nomine se appellans Verbum Dei, ambulantes in ea purificatos ab omnibus Deo & Patri præsentat.

CAP. 38.

HÆC est porta, per quam ingreditur quis in Sancta Sanctorum, & inaccessæ pulchritudinis sanctæ & regiæ Trinitatis spectator dignus constituitur.

CAP. 39.

METVENDVM re vera, & omnem condemnationem superat, cùm amore corruptibilium donatam nobis à Deo vitam beneficio sancti Spiritus, sponte interficimus. Quem metum probè norunt, quibus curæ est, vt philautiæ veritatem anteponant.

CAP. 40.

VTAMVR pace pro necessitate, & abiecta infæliciter adhærente nobis amicitia tam erga mundum quàm mundi principem, bellum quod affectionũ ministerio geritur aduersus Deum, aliquando vel serò dissoluamus: & initis cum eo pacis fœderibus indissolubilibus, euacuatione corporis inimicitias aduersus illum contractas sopiamus.

CAP. 41.

FIERI non potest, vt Deo reconciliemur, qui per affectiones ab eo dissidemus, & improbo D tyranno animarum interfectori diabolo tributa pendere non erubescimus, nec antea prorsus illi bellum mouimus. Siquidem hactenus inimici & hostes Dei fuimus, licet ipsi nobis fidelium nomen affinxerimus, vsque ad quod tempus affectionibus obscœnis inseruire libuit: atqui parta cum mundo pace, nulla nobis inde subsequetur vtilitas, cùm anima malè habeat, & aduersus proprium Conditorem dissideat, quæ regno eius subiici non ferat: infinitis insuper crudelibus illam agitantibus dominis, ad vitium illam impellentibus, qui astutè moliuntur, vt ea viam ad interitum ducentẽ E potius eligat, quàm salutarem.

CAP. 42.

DEVS nos ad hoc creauit, vt simus diuinæ consortes naturæ & æternitatis suæ participes: eique similes appareamur, secundum deificationem, gratia nobis concessam: per quam res omnes subsistunt ac permanent: & quæ non erant, excitantur & procreantur.

CAP. 43.

SI ad Deum nomine & re pertinere optamus, contendere debemus, ne more Iudæ, Verbum affectionibus prodamus, néve, quemadmodũ Petrus, abnegemus. Est enim Verbi abnegatio, quando metu recusamus agere quod bonum est. Proditio verò, est peccatum ex proposito perpetratum, siue impetus ad peccatum. Nomine & re pertinere ad Deum. Christum negare & prodere, quid sit.

CAP. 44.

FINIS omnis afflictionis, est gaudium: vniuersi laboris, requies: omnis ignominiæ, gloria: & vt in summa dicam, omnium aduersorum quæ virtutis gratia perferuntur, finis est, agere cum Deo & esse perpetuò, & æterna infinitáque requie frui. Afflictionis finis est gaudium.

CAP. 45.

DEVS, cum præter naturam atque opinionem vellet vnire nos inuicem, & ad id totum re vera genus humanum impelleret, salutaria præcepta nobis perhumaniter descripsit. Et hac de causa lege planè sanciuit, vt & misereamur & misericordiam consequamur. Misericordia, finis est legis.

CAP. 46.

HOMINVM philautia & sapientia quæ illos mutuò legémque repulit aut calumniata est, naturam vnicam in plures partes dissecuit: & introducta, quæ nũc ei dominatur, insensibilitate, ipsam in sese naturã ingenij solertia armauit. Quocirca quicunque prudenti consilio excellentia sapientiæ, hanc naturæ dissonantiam dissoluere potuit, C ille sui ipsius prius quàm aliorum misertus est, formans animum secundum naturam, & accedens animo per naturam ad Deum, declarans in seipso quis sit modus huius verbi, AD IMAGINEM: Gene. 1. & quo pacto cum Deus ab initio decenter naturam nostram eius ipsius similem, ac suæ bonitatis insignem adumbrationem co didisset, constituit illam cum seipsa per omnia eandem, pugna vacuã, pacificam, & secum minimè dissidentem, erga Deum & seipsam charitate coarctatam: qua Deum quidem desiderio, nos autem mutuò compassione complectimur. Philautia.

CAP. 47.

PERHVMANVS Deus idcirco factus est homo, D vt naturam humanam ad seipsum cogeret, & praua motionis gradum sisteret: vt quæ ad seipsam imò aduersus seipsam dissidebat & erat diuisa, statũ nullum habens, propter inconstantem animi motum erga vnumquodque.

CAP. 48.

APVD eos qui mente pollent, inter ea quæ secundum Deum sunt, nihil est pretiosius, imò potius Deo nihil gratius perfecta dilectione, quæ diuisos in vnum conciliat, vnámque in multis, vel etiam omnibus identitatem efficere potest, animo non dissidentem. Proprium enim dilectionis est, Dilectionis proprium. E vnicum efficere animum quærentium quæ pertinent ad illam.

CAP. 49.

SI bonum natúra vnire & in statu suo conseruare soleat ea quę diuisa sunt, malum profectò diuidit & corrumpit quæ vnita sunt. Quod enim natúra malum est, dissipationum, inconstans, multiforme, & diuiduum est.

CAP. 50.

LIBERATIO ab omnibus malis & compendiosa

diosa ad salutem via est, vera Dei per cognitionem dilectio, & amoris vniuersi quem habet anima erga corpus & mundum istum, abnegatio; per quam, voluptatis appetitionem & doloris cruciatum cõtemnentes liberamur à peruersa philautia, ad cognitionem Creatoris promoti: ac vicissim probam animi philautiam adepti, segregatam à prauo corporis amore, non desinimus seruire Deo, per hanc præclaram philautiam assiduè postulantes à Deo promotionem animæ. Istud enim profectò est verum ac Deo gratum obsequium, exactum in virtute animæ studium.

Philautia bona, vita peruersa.

CAP. 51.

QVI corporis voluptatem respuit, & dolorem omnino non extimescit, affectionibus vacuus effectus est: quia cum illis philautiam illorum matrem, & affectiones vniuersas, quæ propter illa & ex illis oriuntur, vnà cum maxima principe malorũ ignoratione, vnanimiter interemit, ac totus à partibus esse cœpit firmi, manentis, & eodem modo natúra se semper habentis boni: vt qui secum prorsus maneat immotus, reuelata facie spectans gloriam Dei, & beneficio lucidi, qui in ipso est, splendoris gloriã diuinam & inaccessam speculetur.

CAP. 52.

PRAESENTIS vitæ voluptatem atque dolorem pro viribus abnegemus, & ab omni affectionũ opinione & dæmoniaca vafricie prorsus liberabimur. Siquidem voluptatis gratia colimus affectiones, & propter dolorem virtutem fugimus.

Fugienda præsentis vitæ voluptas & dolor.

CAP. 53.

CVM omne vitium natúra intereat vnà cum promouentibus illud modis, homo verò experientia ipsa didicisset, cuicunque voluptati sine dubio succedere tristitiam ad voluptatem, in toto decertans pro illa totis viribus; hãc autem omni studio expugnans: vt qui arbitraretur (quod fieri non poterat) hac ratione se posse illas inuicem segregare, & philautiam soli voluptati incumbentem, tristitiæ prorsus expertem adipisci: ignorans præ affectione, vt videtur contingere nunquam posse, voluptas vt sit citra tristitiam. Impetu se contulit, tristitiam autem prorsus vitauit, mixtum enim est voluptati tristitiæ tormentum, quàmuis ob dominantẽ oblectationis affectũ latere videatur eos qui fruuntur. Quandoquidem natúra semper eminere solet, quod vincit; occultans, ne sentiatur, quod præterit. Quapropter dum ob philautiam voluptatem capessimus, rursúmque tristitiam eadem de causa vitare nitimur, innumerabiles affectionum enecantium procreationes excogitamus.

Philautia innumeras affectiones procreat. Voluptatis ac tristitiæ vanus vitæ sensus nullus animæ Deũ diligenti.

CAP. 54.

NON experitur quis sensum voluptatis ac tristitiæ, cum Deo verè dilecto, amabili & desiderando tradiderit, imò agglutinauerit animum ab affectione corporea liberum.

CAP. 55.

QVEMADMODVM non potest quis aliter purè Deo seruire, nisi penitus animam expurgauerit: ita carnis iræ inseruire nequit, nisi præparato prius corpore. Homo qui corpore tenus exhibet obsequiũ corruptibili, & in eo sibi placet, afficitur voluptate continenter, & tristitia, semper edens lignũ inobedientiæ: quod quidem experientia ipsa sensus apud eundem permixtam habet scientiam boni ac mali. Nec fortasse quis aberrauerit à vero, si dixerit, lignum quod habebat notitiam boni malíque, esse conspicuam illam creaturam. Habebat enim naturam vicissim effectricem voluptatis atque tristitiæ.

Lignũ scientiæ boni & mali. Genes. 2. b

CAP. 56.

VBI ratio non obtinet, sensus natúra dominari consueuit, in quo peccati vis quodammodo permixta per voluptatem subagitat animam ad commiserationem cognatæ carnis, quatenus simul subsistunt, ministerio voluptatis opus in ea naturale cum exercuerit, studium carnis affectione ac delectatione captum abducit à vita naturali, suadétque vt vitium quod euanescit, committere velit.

CAP. 57.

VITIVM est obliuio bonorum naturalium ad animam intellectiuam pertinentium: quæ quidem nascitur ex habitudine, tam erga carnem, quàm erga mundum affecta. Hanc spiritali scientia delet imperans ratio, quæ mundi carnisque scrutatur originem & naturam, & ad propriam sibi cum spiritibus intellectiuis regionem impellit animam: quò nullo modo conscendit lex peccati, quia sensum vltrà non habet, qui vice pontis traiiciat ipsam ad animum. Iam enim dissolutus est sensus secundum habitudinem quam habet erga animam, & in hæc sensilia spectacula deiectus: quorum habitudinem ac naturam cum transcenderit animus, omnino non sentit.

Vitij definitio.

CAP. 58.

QVEMADMODVM ratio quæ dominatur affectibus, sensus ipsos efficit organum virtutis: ita quando rationi imperant affectus, formant sensus ad peccatum. Itaque attentè perpendere ac meditari oportet, qua ratione quis bonam commodè facere poterit conuersationem, vtendo iis ad procreandas & excitandas virtutes, quorum ministerio anteà peccabat.

Studium virtutis.

CAP. 59.

SANCTVM Euangelium abnegationem vitæ carnalis suadet, spiritalis verò professionem. De his loquor, qui secundum hominem; secundum humanam, inquam, in carne viuendi rationem, quam qui ducunt in hoc mũdo, semper moriuntur: at secundum Deũ soli viuunt spiritui ex sententia diuini Apostoli: & ex eius præcepto nequaquam sibi propriè viuunt, sed quoad animam solam Christũ in seipsis viuentem habent. Ad hunc modum qui propter Deum in hoc seculo mortui iudicantur carne, afflictionibus, tormentis multis & angustiis affecti, persecutiones & infinitas tentationum species cum gaudio perferunt.

CAP. 60.

OMNIS affectus haud dubiè ex complexu sensibilis cuiusdam ac sensus siue naturalis facultatis, iræ inquam, aut cupiditatis, aut rationis à natura deflectentis consistit. Si ergo intellectus perspectum habens finem in compositione mutuum, tam ipsius sensibilis quàm sensus siue facultatis naturalis per eum operantis, horum vnumquodque discernẽs, ad inditam sibi rationem adducere possit, & considerare ipsum sensibile per se sine affectione sensus ad ipsum, atque ipsum sensum absque

proprietate sensibilis erga illum: itidem cupiditatem, verbi gratia, aut aliam facultatem naturalem citra dispositionem affectam ex sensu & sensibili, (vt motus quidam affectionis ad speculationē perducere solet) ortum cuiuscūque affectionis occurrentis discerpsit atque cōminuit, instar vituli antiqui Israëlitici: & sub aqua cognitionis seminauit, vel ipsa nuda affectionum imaginatione prorsus deleta, per euersionem rerum quæ in se natúra producere solent affectionem.

Exo.13.b.

CAP. 61.

VITA pluribus maculata delictis, quæ contraxit ex affectionibus carnis, est vestis inquinata. Quisque enim hóminum ex conuersatione vitæ, velut ex indumento, declarari solet iustus vel iniustus: vt ille quidem vestem mundam habeat, qui vitam agit virtutibus deditam: qui verò ducit vitam malis operibus inquinatam, vestem habeat immundam. Vel potius, vestimentum à carne maculatum, est habitus atque dispositio quæ ex memoria prauarum motionum ac operationum à carne prodeuntium secundùm conscientiam format animam, quę videns habitum illum, tanquam vestem, perpetuò sibi circumpositum, graui repletur affectionum odore. Nam sicut à spiritu per virtutes inuicem proportione quadam contextas, animæ nascitur incorruptionis amictus; quem induta, formosa fit & illustris: haud secus à carne secundum proportionem subductis inuicem affectionibus, oritur impurum quoddam & maculatum vestimētum quod ex seipso declarat præclaram quidem esse animam, sed alia forma atque imagine illam induisse quàm diuina.

Vestis mūda, & immūda mysticè, quæ sit.

CAP. 62.

FIRMAM fiduciam sperandi deificationem dat humanæ naturæ ipsa per Deum humanitatis assumptio, quæ tanta virtute hominem facit esse Deum, quanta Deus factus est homo. Nam qui sine peccato factus est homo, citra mutationem in diuinitatem naturam deificabit: tantúmque per seipsum illam extollet, quantum ipse hominis causa seipsum demisit. Quod mysticè docens magnus Apostolus, ait; In seculis superuenientibus, in nos supereminentes diuitias bonitatis Dei esse demonstrandas.

Christi incarnatio dat homini fiduciā deificationis.

Ephes.2.b.

CAP. 63.

RATIO quæ regit iram & cupiditatem, parit virtutes: animus autem doctrinæ deditus, rerum creaturarum immaculatam carpit notitiam. Cum ergo ratio contrariis abiectis nacta fuerit quod secundum naturam amari debet, & animus vbi transcenderit ea quæ sub notitiam cadunt, & causam excedentem rerum substantiam ac notionem assecutus fuerit, statim adnascitur per gratiam affectus deificationis: qui quidem rationem à naturali discretione abducit eò vbi non est quod discernatur: intellectum autem cessare facit à cognitione naturali, cum non extet, quod notioni sit obnoxium: ac statum identitate Deum facit illum qui diuino dignus est consortio.

CAP. 64.

TRIBVLATIO expurgat animam, quæ rubiginem contraxit è sordibus voluptatis, & segregat prorsus à rebus crassis habitudinem eius, postquam cognouerit damnum ex earum complexu proueniens. Hanc ob causam iusto iudicio diabolo permittit Deus tormentis homines opprimere.

Tribulatio expurgat animam.

Cur Deus permittit hominem vexari à Dæmone.

CAP. 65.

VOLVPTAS & tristitia, cupiditas & metus, & quæ ex iis sequuntur, non sunt ab initio creata simul cum natura humana, etenim ad finem quoque naturæ contulissent: sed aio, quod à magno Gregorio Nysseno didici, nempe hæc inuecta esse ob casum integritatis, & adhærere parti naturali minus rationali: per quæ, vnà cum transgressione loco beatæ diuinæque imaginis perspicua & clara similitudo animalium irrationalium apparuit in homine. Abscondita enim dignitate rationis per insignia partis irrationalis, à quibus abstrahebatur, iustè natura hominum veniebat punienda, sapienter dispensante Deo, vt homo simul perciperet sensum partis rationalis.

4 Animæ perturbationes non sunt creatę ab initio in homine.

CAP. 66.

ETIAM prosunt affectiones apud studiosos, quando sapienter illas à rebus corporeis auocantes, ad cœlestium adeptionem conuertimus: veluti quando ex cupiditatis affectu, efficimus motum animi diuina expetentis: ex voluptate, lætitiam incolumem efficaciæ viresccntis propter diuina charismata animi: è metu, solicitudinem procul obseruantem supplicium ob delicta inferendum: è tristitia, præsentis mali correctiuam pœnitentiam: atque, vt paucis dicam, more sapientum medicorum, qui depellere volentes præsentē aut imminentem gibberem, vtuntur venenoso viperæ corpore: sic vtamur affectionibus huiusmodi ad expellendum præsens aut impendens vitium, & ad comparandam ac conseruandam virtutem & cognitionem.

4. Animi perturbationes ad cœlestium adeptionē conuertit studiosus virtutis.

CAP. 67.

LEX prioris Testamenti per philosophiam actiuam ab omni inquinamento naturam emundat: noui verò Testamenti lex speculatiua initiatione per cognitionem mētem eleuat à corporeis, ad cōtemplanda sibi cognata intellectualia.

Veteris & noui Testaméti finis.

CAP. 68.

SCRIPTVRA sacra hos qui introducuntur & ad vestibula diuinæ virtutum aulæ prostant, vocat metuentes: eos autem qui comparauerunt habitū verborum & morum virtuti congruentium, nouit appellare proficientes: at qui per cognitionem iam peruenerūt ad fastigium virtutis experimētis veritatis, illos nuncupat perfectos. Quare qui conuersationem pristinam, quam secundùm affectiones agebat, auersatus est, omnémque suum ipsius affectum timore ductus diuinis tradidit mandatis, nullo genere boni priuatur, quod initiatos deceat, quàmuis habitum virtutum nondum sit adeptus, nec particeps effectus sit sapientiæ, quæ apud perfectos esse dicitur. Neque item is qui profecit, vllo bonorum caret, quæ in gradu aliqui esse dicuntur, licet nondum eandem supereminentem diuinorum notitiam, quam habent perfecti, consecutus sit. Quandoquidem perfecti, contemplatiua theologia mysticè iam dignati sunt, animúmque expurgarunt ab omni imaginatione materiali ac dilectionem diuinam quę totā assiduè prę se fert imitatione

Eorum qui virtutis studiosi tūt status triplex.

Theologia cōtemplatiua.

imitationem imaginis diuinæ pulchritudinis apud seipsos in pectore impressam gestare videntur.

CAP. 69.

Timor duplex.

DVPLEX est timor: alter purus, alter non purus. Nam metus ille qui nascitur ex suscepto propter peccata supplicio, habens pro causa suæ originis peccatum, non est purus, nec vnquam delebitur cum peccato per pœnitentiam: qui verò citra tristitiam ob delicta conceptam semper adest, ille purus est, & nunquam extinguetur: propterea quòd substantialiter quodammodo inest Deo erga creaturam, efficiens, vt declaretur omnibus reuerentia naturalis excellentiæ eius, superantis omne regnum atque potestatem.

CAP. 70.

Dei timor in æternũ permanes.

QVI non timet Deum vt iudicem, sed reueretur eum propter ingentem infinitæ potentiæ excellentiam, meritò nulla laborat inopia, cum sit perfectus in dilectione, cum pudore ac decenti pietate diligens Deum: & ille præditus est timore permanente in seculum seculi, neque illi quicquam vnquam deest.

CAP. 71.

Dei cognitio ex creatis.

E CREATVRIS, auctorem illarum cognoscimus: & ex varietate rerum creatarum, subsistentem sapiẽtiam eius qui est, discimus: atque ex motu naturali eorum quæ sunt, subsistentem eius qui est, vitam cognoscimus, quæ est viuificans, ea quæ sunt, potentia; nempe Spiritus sanctus.

CAP. 72.

Nihil est remotus ab vllo.

SPIRITVS sanctus à nulla abest creatura, potissimum si quoquo modo sit particeps rationis. Conseruat enim cuiusque notionem, quia Deus est, & Dei spiritus, sua virtute prouidè percurrens omnia, & rationem naturalem, quæ in vnoquoque est, excitans; per quam adducit eum qui sentit, ad sentienda quæ præter legem naturæ perperam gesta sunt; & eum qui morigero est animo, ad cogitationes natura bonas suscipiendas: Quocirca plerosque reperimus, etiam valde barbaros & in pascuis inter armenta degentes, probitati dare operam, &, quæ ab initio vigebant apud illos, belluinas leges auersari.

CAP. 73.

Quatenus sit in omnibus sit.

EST quidẽ in omnibus simpliciter Spiritus sanctus, quatenus omnia continet, ac omnibus prouidet, atque naturalia semina excitat, præscripto tamen modo. Nam apud omnes qui sunt sub lege, transgressionem mandatorum demonstrat, & quæ sit secundùm Christum edicta promissio, docet. Sed præter ea quæ dicta sunt, omnes qui Christum sequuntur, Dei filios efficit. Apud nullum tamen eorum quos nominauimus, est planè vt effector sapientiæ, præterquam apud eos qui pollent intellectu, & per conuersationem Deo gratam seipsos fecerunt dignos, in quibus Deus inhabitaret. Nam quicunque non implet mandata diuina, licet sit fidelis, habet cor carens intellectu tanquam prauarum cogitationum officinam, corpúsque subdit peccatis, inquinamentis affectionum quasi perpetuò deuinctum.

CAP. 74.

DEVS, qui salutem omnium hominum desiderat, & deificationem illorum esurit, cogitationem eorum velut sterilem ficum maledictione desiccat: vt cum maluerint esse iusti quàm videri, deposita veste simulata ostentationis moralis, ad vitam studiosam, vt diuinus iubet sermo, non fictè translati, vitæ pietate excellant, Deo potius exhibentes intentionem animæ, quàm hominibus exteriorem morum simulationem.

CAP. 75.

Agendi & patiendi ratio.

ALIA est agendi ratio, alia patiendi. Siquidem ratio quæ ducit ad agendum, est facultas naturalis operandi secundum virtutem. Patiendi verò ratio, vel est gratia circa ea quæ naturam superant, vel euentus eorum quæ sunt præter naturam. Vt enim eius quod creaturam superat, nullam habemus facultatem naturalem, ita nec eius quod non est, vlla nobis est potestas à natura. Deificationem ergo quasi supra naturam, & ex gratia nobis obuenientem patimur, non autem efficimus: quia natura nõ habemus facultatem deificationis susceptiuã. Rursúmque veluti præter naturam animo patimur vitium per accidens: cùm non adsit nobis facultas naturalis pariendi vitium. Quamobrem dum hîc

Naturalis facultas ad virtutum procreationem.

sumus, gignimus natura virtutes, qui ad eas producendas naturali facultate præditi sumus. At in futurum deificationem patimur, dono gratiæ ad id patiendum suscepto.

CAP. 76.

NOS agimus, quatenus naturam rationalem habemus virtutum procreatricem, nempe vim intellectus actiuam, & omnis notionis capacem, incomprehensa potentia omnem eorum quæ sunt & sub notitiam cadunt naturam, penetrantem, cunctáque secula à tergo relinquentem. Patimur autem cum sermones de iis quæ non sunt, haberi solent, plenè transgressi, ad causam rerum creatarum modo nobis incognito peruenerimus, & cum his quæ natura terminata sunt, vires nostras steterimus, hoc præclarum facultatis naturalis facinus assecuti, quod nusquam subsistit. Natura enim, quod supra naturam est, capere non potest. Quia nihil est natura genitum, quod deitatem producat, ob id quòd Deum non comprehendit. Etenim solius diuinæ gratiæ proprium hoc esse solet, ex proportione diuinitatem creaturis elargiri, quæ quidem gratia supernaturali lumine naturam illustrat, & per excellentiam gloriæ supra proprios terminos illam constituit.

Diuinitatem creaturis elargiri, diuinæ gratiæ proprium est.

CAP. 77.

VIRTVTES modò exercemus; at post hanc vitam cessamus: quanquam pro virtutibus gratiam, nempe deificationem, pati nõ desinimus. Illa enim passio supernaturalis est infinita, quoniam etiam agendi facultate prædita est: quod autem præter naturam est, non subsistit; vnde ad agendum imbecille est & imperfectum.

CAP. 78.

Actiones & sermones secundùm virtutem, sũt mystice, corpus Christi.

MORES secundum virtutem formati, & sermones qui de rebus creatis habentur, sunt diuinorum bonorum typi, quibus continenter Deus sit homo, habens pro corpore studiosos illos mores; loco verò animæ, scientiæ verba in spiritu, quibus Deos facit, qui digni sunt, donátque virtutis characterem verum, & solidam cognitionis minimè fallentis largitur substantiam.

Cap. 79.

Act.12.b MENS fidelis & operationi dedita cum in morem sancti Petri tenetur ab Herode; hoc est à lege pellicea (Herodes enim interpretatur pelliceus) quæ est prudentia carnis; sub duabus coërcetur custodiis, & vna porta ferrea, dum oppugnatur ab affectionum vi, & assensione animi illi præstita. Quas quidem velut custodias siue carcerem, duce philosophiæ actiuæ ratione, velut Angelo, cũ præterierit, accedit ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, firmam videlicet, duram, & non facilè expugnabilem erga sensibilia sensuum habitudinẽ, quam ratio speculationis naturalis in spiritu sua sponte reddit apertam, dimittens animum posthac sine metu ab insania Herodis ad cognata sibi intellectualia liberum.

Cap. 80.

Dæmõ est Dei, & hostis & carnifex. DIABOLVS est Dei tum hostis tum vltor. Hostis quidem, cum tanquam oderit eum, videtur erga nos homines (qui tamen est interitus) habere dilectionem, certis spontanearum affectionum modis per voluptatem suadens voluntati nostræ bonis æternis præferre momentanea: quibus dum surripit totum animæ desiderium, submouet nos penitus à dilectione diuina, & constituit nos spontaneos hostes conditoris. Vltor autem est, quando patefacto in nos odio de nobis supplicium exposcit, quasi propter peccatum eius mancipia facti simus. Nihil enim diabolo tam gratum, quàm homo qui cruciatur. Cùm autem sit hoc illi permissum, excogitat affectiones inuehere, quibus vel inuiti nos mutuò torqueamus: & ita turbinis instar, crudeliter fertur in illos, contra quos Deo permittente potestatem acceperit: non quò præceptum diuinum implere cupiat, sed quia peculiarem in nos affectum odij fouere desiderat: vt cùm molestarum calamitatum graui pondere propter infirmitatem procubuerit anima, diuinæ spei vim à seipsa amputet, & acerbitatum illarum euentum, correptionis loco causam impietatis in Deum faciat.

Cap. 81.

Hypocrisis Qui habitum actiuum & scientiam speculatiuam acceperant, quando ad gloriam humanam illa transferunt, modo quidem apparenti, mores qui sunt secundùm virtutem adumbrant: sapientiæ verò & cognitionis verba duntaxat sine iustitiæ operibus emittunt, quasi ob virtutem & scientiam aliis ostentantes superbiam. Hi meritò congruis traduntur cruciatibus, vt per tormenta discant humilitatem, quam per stolidam opinionem ignorauerunt.

Cap. 82.

Dæmon alius, aliud vitium parit. QVISQVE dæmonum pro indita sibi aptitudine ad hanc vel illam tentationem suggerendam accedit. Alius enim aliud parit vitium; & alius alio manifestè impurior, & ad hoc vitij genus magis idoneus.

Cap. 83.

SINE permissu diuino ne ipsi quidem dæmones vlla in re possunt inseruire diabolo. Scit enim ipse Deus qua ratione cum decenti, humana, & bona prouidẽtia, diabolo permittere soleat, per suos ministros de peccatis nostris varia sumere supplicia.

A Quod satis clarum est, ex scripta de Iob historia, quæ describit, citra voluntatem diuinam diabolũ nunquam ad Iob accedere potuisse. Iob 1.

Cap. 84.

Fides efficax. FIDES illa quæ est efficax & operationi dedita, subsistit; qua verbum Dei, dum res geruntur, patefit, incorporatum præceptis, per quæ tanquam verbum operantes ad Patrem, apud quem natura est, adducit.

Cap. 85.

Noui Testamenti doctrina, circũcisio spiritualis. NOVI Testamenti mysterium denunciat conuersionem vitæ, cultum religionis Angelicum, ac spontaneam animæ alienationem à corpore, nec non diuinæ transmutationis procreationem in spiB ritu. Spiritalem autem circũcisionem vocat sermo diuinus, amputationem habitudinis animæ affectionum plenæ erga corpus.

Cap. 86.

Cur Deus sinat homines affligi Dæmone. Vide huius cẽt. cap. 64. DEVS, cùm sit bonus, velitque prorsus à nobis euellere vitiorum seminarium voluptatem, quæ subducit animum à dilectione diuina, permittit diabolo tormenta & supplicia nobis infligere: itidem præoccupantis voluptatis abradens venenum per tribulationes animæ, vt qui nobis inducere cupiat rerum præsentium & sensum duntaxat irritantium, odium & perfectam abdicationem, quæ ipso vsu nihil habent in lucro præter vindictam: illiúsC que vim vltricem atque inhumanam, efficere circunstantem causam redeundi ad virtutem iis qui ab ea sponte delapsi sunt.

Cap. 87.

CONVENIT & iustum est, eos à diabolo plecti, qui prauas illius suggestiones spontaneorũ peccatorum libenter amplectuntur. Diabolus enim per affectiones sponte susceptas seminat voluptatẽ, infértque dolorem per eas quas inuiti toleramus.

Cap. 88.

Cur Dæmoni traduntur à Deo, etiã perfecti. SPECVLANDI cognoscendíque peritus animus frequenter ad luendas pœnas traditur diabolo, qui tormentis & calamitatibus illum meritò D affligit, vt patiendo, circa ocnstantiam & afflictionum tolerantiam philosophari discat potius, quam per inanem ob ea quæ non sunt, arrogantiam ineptire.

Cap. 89.

Quisnam ex diuina castigatione emẽdetur, & quis non. QVI propter Læsam Dei gratiam patitur, si agnoscat rationem sanantis ipsum prouidentiæ diuinæ, tum aduersitatem cum gratiarum actione lubens suscipit; tum etiam delictum, cuius nomine castigatur, emendat. Qui verò hanc curandi rationem minimè sentit, & iustè summouetur à donata sibi gratia, & affectionum confusioni traditur derelictus: vt ad ea peragenda veniat, quorum affectato E ducebatur desiderio.

Cap. 90.

QVICVNQVE rerum à se gestarum conscientia ductus potest libenter cum decenti gratiarum actione recipere difficiles tentationes illatas sibi, non sponte inuectas, non priuatur habitu virtutis aut gratia, vt qui volens iugum Babylonici regis subiit, aut qui tanquam debitum soluens, inflictos cruciatus suscipit: sed in ipsis perdurat, offerens quidem regi Babylonis, naturæ patibilis violentos labores, & consentientem illis animum quasi ob

præcedentia

præcedentia delicta sit illorum debitor. Deo autē ex vero cultu, humili inquam affectione, delictorum emendationem.

CAP. 91.

QVI permissu Dei correctionis gratia aduersitatem per tentationes non spontaneas sibi inuectam grato animo non suscipit, & opinionem qua videri vult esse iustus, per pœnitentiam non abiicit, velut reluctans diuinis iustorum iudiciorum oraculis, nec sponte fert ex mandato diuino subire iugum regis: traditur in captiuitatem, in equuleum, in vincula, in pestem, in mortem, in gladium, atque propria terra prorsus exterminatur. Nam hæc vniuersa & longè plura patitur, habitu virtutis & cognitionis, velut propria terra orbatus: eò quòd arrogantia & stolida opinione ductus, iustas delictorum suorum exoluens pœnas ex sententia diuini Apostoli, gratas habere nolit tribulationes, penurias, & angustias. Nouerat enim summus Apostolus, humiliationem, quæ nascitur ex afflictionibus corpori extrinsecus allatis, esse diuinorum animæ thesaurorum conseruatricem. Propterea lubens perferebat, tum propter seipsum, tum propter eos quibus virtutis & fidei typus propositus erat: vt etiam si tanquam rei patiantur, more castigati illius Corinthij, ad consolationem & patientiæ imitationem habeant eum qui vel innocens patitur.

Exod. 17.b
Psal. 118.b
Humilitas in afflictionibus, thesaurum animæ cōseruat.
1.Cor.5.b
2.Cor.2.b

CAP. 92.

QVI sensu non immoritur figuris rerum visibilium, sed quæ de his dicuntur, vt intellectualium typis, mente perquirit, aut de sensilibus creaturis dicta speculatur, nihil eorum quæ sub oculos cadunt, immundum esse discit. Cuncta enim natura sua valde bona condita sunt.

CAP. 93.

QVI vnà cum motu rerum sensilium non mutatur, puram secundum virtutes sectatur actionem. Qui verò figuras earum non format in animo, verum eorum quæ sunt concipit iudicium. Atqui ipsam etiam substantiam rerum mente percurrit, vt optimus theologus, postea modo quodam ignoto irrumpit ad vnitatem.

CAP. 94.

MENS omni contemplationi dedita, quæ gladium habet spiritus, quod est verbum Dei, eo motum visibilis creaturæ cum amputarit, proficit in virtute: & vbi à formis sensilibus suam ipsius imaginationem segregarit, veritatem eorum quæ de rebus dicuntur, inuenit: vnde speculatio naturalis oritur: at eorum quæ sunt transcendens substantiam, diuinæ inuictæq; vnitatis recipit illuminationem, per quam veræ theologiæ subsistit mysterium.

CAP. 95.

VNICVIQVE Deus apparet secundum eam quam de Deo concepit opinionem: his quidem qui affectu transcenderūt materialem compositionem, & vires animæ æquales inuicē obtinuerunt, quoad vnicum eundémque circa Deum perpetuum motum, apparet vt Vnitas & Trinitas: quò & propriam subsistentiam demonstret, & eius modum mysticè declaret: Illis verò quorum affectus circa crassa & materialia duntaxat composita versatur, nec habēt

Deus vnicuique apparet secūdum eam quā de illo concepit opinionē.

A animæ facultates mutuò connexas, apparet non vti est, sed quemadmodum ipsi se habent: ostendēs eos ambabus manibus amplecti dualitatem materialem, per quam corporeus iste mundus constat ex materia & forma.

CAP. 96.

DIVVS Apostolus diuersas operationes vnius sancti Spiritus, appellat diuersa charismata, ab vno videlicet & eodem effecta spiritu. Si ergo iuxta mēsuram eius, quæ in vnoquoque est, fidei donatur manifestatio spiritus, quatenus particeps est eiusmodi charismatis, quisque profectò fidelium iuxta proportionem fidei & affectionis animæ illi subditæ, moderatam recipit spiritus efficaciam, quæ largitur ei habitum idoneum ad hoc vel illud mandatum exequendum.

1.Cor.12.a

CAP. 97.

QVEMADMODVM hic quidem accipit verbum sapientiæ, ille verò scientiæ, alter autem fidei, & alius aliud è numero charismatum spiritus, quæ recensentur à summo Apostolo: ita hic quidem per spiritum consequitur donum perfectæ, immediatæ, & materiæ nihil habētis, erga Deum dilectionis iuxta proportionem fidei, alter verò per eundem spiritum, donum perfectæ dilectionis erga proximum, alius autem aliud quoddam (vt dixi) secundùm eundem spiritum, ita vt quisque gratiæ peculiare donum habeat efficax. Omnem enim habitum promptum ad peragendum mādatum, ait esse donum Spiritus.

D. Paulus summus Apostolus. 1.Cor.12.a

CAP. 98.

BAPTISMA Domini, est integra mortificatio voluntatis nostræ erga mundum sensilem. Calix verò, est etiam huiusce nostræ vitæ præsentis abnegatio pro veritate.

Calix, & Baptismus Christi quid sit.

CAP. 99.

BAPTISMA Domini, est figura tribulationum nostrarum, quas virtutis ergò deliberatò & lubenter suscipimus: per quas abiectis conscientiæ sordibus, interitum voluntatis erga ea quæ subiacent oculis, sponte toleramus. Calix autem, est figura tentationum quæ ratione circunstantiarum præter voluntatem pro veritate insurgunt in nos inuitos: quarum ope diuinum desiderium anteponimus ipsi naturæ, atque circunstantem naturæ mortem spontè subimus.

Mar.10.f
Luc.12.c

CAP. 100.

EA est differentia inter baptisma & calicem, quia baptisma virtutis causa mortuam reddit voluntatem erga ea quæ sunt in vita suauia. Calix verò suadet piis, vel ipsi naturæ anteponere veritatem.

Baptismi & Calicis differētia.

CENTVRIA SECVNDA.

CAP. 1.

PRIVS positus est calix quā baptisma, quia virtus est propter veritatē, at non propter virtutem veritas. Vnde qui veritatis gratia agit ea quæ pertinent ad virtutem, non læditur vanæ gloriæ iaculis: qui autem sectatur veritatem propter virtutem, opinionem habet cum vana gloria coniunctam.

Mar.10.f

A

CAP. 2.

VERITATEM quidem ait esse, scientiam diuinam: virtutem verò, esse certamina quæ pro veritate suscipiuntur ab iis qui expetunt illam. Quapropter qui labores virtutis sustinet scientiæ causa, non ducitur vana gloria, sciens laboribus natura veritatem comprehendi non posse. Quod enim prius est natura, non circunscribitur à posterioribus. Porrò qui sectatur scientiam ob labores qui illius causa suscipiuntur, planè deditus est vanæ gloriæ: nempe qui putet, se coronam adeptum esse ante sudores, ignorans propter coronas certamina suscipi, non autem ob certamina coronas. Cessat enim natura methodus omnis, si perfectum sit aut putetur illud, cuius gratia apta nata est.

CAP. 3.

Rom.1.c QVI solam scientiæ formam sectatur, qui est nudus sermo, & imaginem virtutis, qui sunt mores nudi, Iudæus est, & intumescit ipse figuris veritatis.

CAP. 4.

QVI vniuersum legis cultum exteriorem non sensu tenus aspicit, sed facultatibus intellectus vnúquodque signum visibile perpendit, latens in vnoquoque Verbum Deum perfectum ediscens, in lege Deum reperit probè, palpans viribus, intellectus, tanquam in silua fertili statutorum legalium, sicubi nanciscì queat in carne legis absconditum, qui sensum prorsus fugit, vnionem, hoc est Verbum.

CAP. 5.

QVI naturam rerum oculis subiectarum non solo sensu describit, sed rationem quæ in vnaquaque est creatura, sapienter animo scrutatur, Deum inuenit, ex magnificentia quæ produxit res extantes ipsarum causam edoctus.

CAP. 6.

CVM igitur palpantis proprium sit, discernere, qui symbola legis doctè percurrit, & conspicuam rerum naturam scitè contemplatur, distinguens scripturam, creaturam, & seipsum: scripturam quidem, in literam & spiritum: creaturam, in rationem & superficiem: seipsum autem, in mentem & sensum: & scripturæ quidem spiritum, creaturæ verò rationem, sui autem ipsius mentem accipiens, vni erit inuicem vinculo indissolubili, nactus est Deũ: vt qui quemadmodum oportet, & quoad fieri potest, cognoscat Deum, qui comprehendi solet mẽte, ratione, ac spiritu: atque liberatus est ab omnibus quæ seducunt, & in sententias infinitas distrahũt: dico autem à litera, superficie, & sensu, in quibus varia est quantitas & vnitati contraria. Si quis verò literam legis, rerum visibilium superficiem, ac proprium sensum implicans, inuicem permiscere velit, cæcus est, viam manu tentans, & ignorans rerum causam, delirat.

B

D

E

CAP. 7.

D. Paulus summus Apostolus. Heb.11.a DIVINVS & summus Apostolus definiens quid sit fides, ait; Fides est sperandarum substantia rerũ, argumentum non apparentium. Si quis etiam definiat illam esse bonum internum, aut scientiam veram, arcanorum bonorum demonstratiuam, non aberrauerit à veritate.

CAP. 8.

Fidei definitio. FIDES est facultas coniunctiua, siue habitudo effectrix supernaturalis immediatæ perfectæque vnionis ipsius credentis erga Deum cui creditur.

CAP. 9.

Lex carnis, & spiritus. Rom.7.c QVANDO igitur homo cõstat ex anima & corpore, duabus agitur legibus; carnis, inquam, & spiritus. Ac lex quidem carnis, in sensu: lex autem spiritus, in animo sitam vim habet. Itaque lex carnis per sensum operans, materiæ consentire nata est: lex autem spiritus, quæ peragit in animo suam operationem, immediatam cum Deo vnionem efficit: iusta de causa qui nõ est discretus in corde suo; hoc est, qui animo non discreuit siue diuisit immediatam quæ per fidem erga Deum nata est vnionem, quasi vacuus affectionibus, imò verò per vnionem fidei Deus iam effectus, dicet huic monti; Transi, Matt.17.c & transibit: euidenter hoc dicto declarans, prudẽtiam & legem carnis esse re vera grauem nec facilè mobilem, & quoad facultatem naturalem, prorsus immobilem & inconcussam.

CAP. 10.

TAM altè facultas irrationalis per sensum radices in natura fixit humana, vt plerique hominem nihil aliud esse arbitrentur, quàm carnem prædità sensu seu potentia fruendi præsenti vita.

CAP. 11.

Mar.9.d OMNIA (inquit) sunt possibilia credenti, & nõ discreto: hoc est; non separato ab vnione animi quã habet per fidem erga Deum, propter habitudinem animæ secundum sensum erga corpus. Quæcunq; alienant animum à mundo & carne, illa Deo proximum reddunt, nempe in rectis studiis consummatum. Hoc enim subaudiendum est in illo, omnia sunt possibilia credenti.

CAP. 12.

Fidei definitio. FIDES est scientia quæ demonstrari nequit. Quod si est scientia demonstrationis expers, procul dubio fides est habitus supra naturam: per quã modo incognito & non demonstrabili vnimur Deo, vnione intellectum superante.

CAP. 13.

MENS immediatam erga Deum vnionem adepta, totis viribus in id incumbit, vt intelligat & intelligatur. Itaque cùm illa vnione soluta quippiam inferius Deo intelligere cœperit, discreta est: vt quæ diuisit vnionem superantem intellectum, qua, quandiu cohæret Deo, vincit quodam modo naturam, & participatione Deus effecta, suæ Mar.17.c. 21.b ipsius naturæ legem veluti montem immobilem transfert.

CAP. 14.

QVI introducitur ad pietatem, & in operibus iustitiæ instruitur, operationem duntaxat cum omni obedientia & fide perficit, virtutum superficiem comedens vt carnes, nempe moralem institutionem: causas autem præceptorum, in quibus sita est perfectorum scientia, per fidem Deo concedit, vt qui modò prouehi nequeat ad tantam scientiæ profunditatem.

CAP. 15.

PERFECTVS, qui non eorum modò qui introducuntur, sed etiam proficientium ordinem decucurrit, non ignorat rationes eorum quæ iuxta præcepta

præcepta peragit: sed cum eas in primis spiritu deuorauerit, omnem virtutum carnem operibus exedit, extollens motum eorum quæ sensu perficiuntur, ad scientiam intellectus.

CAP. 16.

Matth.6.d DOMINVS inquit; Quærite primùm regnum »Dei & iustitiam eius: hoc est; ante omnia cogni»tionem veritatis, deinde conuenientium morum exercitium: apertè docuit, credentes de sola cognitione diuina solicitos esse debere, & quæ illã exornat, per opera, virtute.

CAP. 17.

CVM sint multa quæ credentes ad cognitionem Dei & virtutis inquirunt, ab affectionibus liberatio, tolerantia tentationum, sermones qui de virtutibus habentur, mores in operando, affectionis animæ erga carnem exemptio, habitudinis ipsius sensus erga sensilia abalienatio, integra mentis ab omnibus creaturis separatio, & vt simpliciter dicam, infinita alia sunt quę faciunt ad abdicationem vitij & ignorantiæ: ad promotionem autem scientiæ & Matt.21.b virtutis, meritò Dominus inquit; Quæcunque cre»dentes petieritis, accipietis: simpliciter, asserens »pios ea sola quæ faciunt ad cognitionẽ Dei & virtutem cum scientia & fide, quærere & expostulare debere. Cuncta enim hæc prosunt, & planè largitur ea Dominus petentibus.

CAP. 18.

De ornatu virtutum. IGITVR qui propter solam fidem, hoc est, ob immediatam erga Deum vnionem, omnia quærit quæ ad vnionem pertinent, proculdubio assequetur: qui verò citra hanc causam, etiamsi alia petat, vel ea ipsa quæ antè dicta sunt, non est accepturus: quia non credit, sed velut infidelis ex diuinis procurat gloriam propriam.

CAP. 19.

QVI animo per peccatum corrupto mundus est, corruptionem eorum quæ natura corrumpere solent, corrumpit. Quia voluntas incorrupta, prouidentia quadam, per gratiam Spiritus existentem in ea, illæsam conseruare solet naturæ corruptionem, nec permittit eam qualitatibus contrariis corrumpi.

CAP. 20.

Naturæ & gratiæ nõ eadem ratio. CVM naturæ & gratiæ non sit vna eadémque ratio, non est ambigendum, quo pacto quidam sanctorum affectiones aliquando superabant, quandoque verò succumbebant potius affectionibus: cùm sciamus, miraculum ad gratiam pertinere, affectionem autem ad naturam.

CAP. 21.

QVI per imitationem, tenet memoria sanctorum conuersationem, affectionum quidem mortalitatem deponit, virtutum autem vitam suscipit.

CAP. 22.

Dei prouidentia. DEVS, qui cuiusque vitam ante secula definiit; quo pacto libuerit, ad proprium vitæ finem vnumquenque deducit, siue iustum siue iniustum.

CAP. 23.

Act.27.& 28. TENEBROSAM illam tempestatem, quæ beato Paulo obtigit, coniicio grauitatem esse violentarum tentationum. Insulam autem, firmum & inconcussum habitum spei diuinæ. Pyram verò, habitum scientiæ. Sarmenta autem, rerum visibilium

A naturam, quam volutabat manu, nempe facultate animi per contemplationem contrectante, fouens meditationibus inde nascentibus scientiæ habitũ, qui curabat impressam animo tristitiam, è tentationibus tempestatis contractam. Viperam autem, per reconditam in natura rerum sensilium pravam ac pernicioſam facultatem: Quæ mordebat quidẽ manum, hoc est speculationis vim intellectu palpatricem; at non læsit perspicacem animum qui lumine scientiæ velut igne mox interemit vim illam exitialem adhærentem actiuo motui animi ex inspectione rerum sensilium.

CAP. 24.

APOSTOLVS erat odor vitæ in vitam, quia suo 2 Cor.3.d ipsius exemplo componebat fideles, vt per operationem ad bonum virtutis odorem mouerentur: aut veluti præco verbo gratiæ obtemperantes à vita sensibili traducebat ad vitam spiritalem. Odor autem mortis in mortem, iis qui à morte ignorantiæ impellebantur ad mortem incredulitatis: quibus inurebat sensum manentis illos condemnationis. Vel rursum; odor vitæ in vitam, his qui ab operatione deducuntur ad contemplationem: Odor C verò mortis in mortem, illis qui ab interfectione membrorum terrenorum, per peccati socordiam orta, transeunt ad eum quem tantopere probarũt, cogitationum affectibus deditarum & imaginationum interitum.

CAP. 25.

TRES sunt animæ facultates, ratio, ira, & cupiditas. Ratione quidem, inquirimus: cupiditate, appetimus, quod quæsitum est, bonum: ira verò, pro eo decertamus. Qui ergo quantum ad hasce facultates, Deum diligentes perseuerant in verbo diuino virtutis & scientiæ, illa quidem facultate, quærentes: altera, experentes: alia verò, decertantes: D escam incorruptibilem accipiunt & cognitionem rerum, obesum reddentes animum. Tres sunt animæ facultates.

CAP. 26.

NATVRAM donata sibi scientia vacuam, Verbum Dei factum homo, denuò scientia repleuit, eámque firmam & immutabilem effectam non natura, sed qualitate deificauit, perpetuò signãs illam charactere sui Spiritus: quemadmodum aqua cum vini qualitati permiscetur, vt solidior euadat. Hãc enim ob causam re vera factus est homo, vt nos per gratiam Deos constitueret.

CAP. 27.

DEVS cum naturam humanam conderet, cum Arbitrij libertas. volũtate dedit illi vt esset, cui etiam largitus est fa- E cultatem eorum quæ decebant effectricem, facultatem dico, motum ad exequendas virtutes, in naturam substantialiter respersum: quoad intellectũ autem, pro vsu relucentem ad voluntatem possidentis.

CAP. 28.

NATVRALE iudicium habemus, legem naturæ; quæ docet nos ante omnem sapientiam, debere nostrum moueri desiderium, ad placandum Deum conditorem omnium.

CAP. 29.

PVTEVS Iacob, est scriptura: aqua verò, est Ioh.4.a scientia scripturæ: profonditas autem, obscurè dictorum scripturæ, interpretatu difficilis positio.

At situla, est quæ per literas diuini verbi habetur disciplina. Quam Dominus non habebat, cùm sit per se Verbum, qui præbet credentibus, non eam quæ discendo & exercitatione comparatur, scientiam: sed confert dignis è spiritali gratia perpetuò fluentem & quæ nunquam desinit sapientiam. Nã situla, hoc est, disciplina, cùm partem aliquantulam scientiæ fuerit adepta, reliquum omne prætermittit, vtpote quod nullo sermone comprehendatur. Scientia verò quæ datur per gratiam, vniuersam continet (ac citra exercitationem) quæ hominibus obuenire possit, sapientiam, pro necessitatibus variè scaturientem.

CAP. 30.

Lignum vitæ & lignũ scientiæ differunt. Genes. 2. b

LIGNVM vitæ, & illud quod non est eiusmodi magnam & indicibilem habent differentiam, vel ex eo solo, quòd illud quidem lignum vitæ appellatum est: hoc autem, non vitæ, sed duntaxat scientię boni & mali. Nam lignum vitæ, est omnino vitæ productiuum: lignum autem quod non est vitæ, proculdubio est efficiens mortis. Quod enim non est effectiuum vitæ, eo quod non est vocatum lignum vitæ, manifestè gignit mortem, quia nihil aliud vitæ per contrarietatem ex diuisione correspondet.

CAP. 31.

LIGNVM vitæ, quod etiam est vt sapientia, plurimum discrepat à ligno scientiæ boni & mali; quod non est, nec appellatum est sapientia. Siquidem sapientiæ proprium est mẽs atque ratio: proprium autem illius habitus qui contrariè opponitur sapiẽtiæ, est irrationalitas & sensus.

CAP. 32.

CVM homo procreatus sit, constans ex anima intellectiua & corpore sensitiuo, esto secundum vnam notionem lignum vitæ, mens ipsius animæ, in qua sita est vis sapientiæ: lignum verò scientiæ boni & mali, ipsius corporis sensus, cui manifestè motus inest irrationalis, à cuius contactu ipsa experiẽtia atque effectu homo, cum accepisset mandatum diuinum, non sibi temperauit.

CAP. 33.

VTRVMQVE lignum, nempe mens & sensus, ex scriptura quædam possunt discernere: verbi gratia, mens quidem vim habet actiuam in ea quæ sub intellectum cadunt & sensum, siue momentanea sint, siue externa: imò, cum ipsa sit facultas animæ discretiua, suadet ei hæc esse amplectenda, illa verò repudianda. Sensus autem habet vim discernendi voluptatem corporum ac dolorem: aut potius, cũ ipse sit vis animatorum & sensilium corporum, suadet oblectationem amplecti, dolorem autem expellere.

CAP. 34.

Edere lignũ scientiæ, quid sit.

SI homo transgrediens mandatum diuinũ circa solam sensitiuam corporum discretionem versetur, quæ consistit in voluptate & dolore, edit lignũ scientiæ boni & mali; hoc est, solo sensu irrationali præditus est, vtpote promouẽte corpora discretione, qua voluptatem vt bonum complectitur, dolorem vt malum fugit. Sin in sola discretione intellectiua, quæ temporanea discernit ab æternis, omnem operam collocet, obseruans mandatum Dei, edit lignum vitæ, mentem dico, quæ est subsistens

Esus ligni vitæ.

sapientia, solam habens discretionem ædificatiuã animæ: cuius beneficio æternorum gloriam amplectitur, vt bonum: à labe verò momentaneorum abstinet, tanquam à malo.

CAP. 35.

ANIMI quidem bonum, est erga spiritum affectionibus vacua dispositio: mãlum autem, habitudo erga sensum affecta. Sensus verò bonum, est motus voluptate affectus erga corpus: malum autem, est affectio quæ ex illius priuatione oritur.

CAP. 36.

QVI suadet conscientiæ, quod pessimum est, dũ agitur, perinde se habere vt id quod natura bonum est; ille manus instar extendẽs quod sub actionem cadit, cum vituperio de ligno vitæ sumpsit: qui existimauit esse immortale, quod natura pessimũ est. Quapropter cum Deus humanæ conscientiæ natura indidisset vituperationem eius quod malum est, hominem voluntate factum malum, à vita segregauit: ne committens malum, suæ conscientiæ persuadere possit, quod pessimum est, esse natura bonum.

CAP. 37.

Vitis comparatio ad verbum Dei.

VITIS gignit vinum, vinum ebrietatem, ebrietas mentis alienationem. Sermo igitur efficax, qui est vitis, virtutibus excultus, producit cognitionẽ: cognitio verò parit honestam mentis alienationem, quæ ab habitudine erga sensum abalienat animum.

CAP. 38.

COGITATIONIBVS rerum sensilium consuevit ille nequam versutè immittere formas illarum & figuras: vnde solet affectiones fabricare circa superficiem eorum quæ subiacent oculis, vi nostra rationali quiescente, ob intermedium sensum trãsitus eorum quæ cadunt sub intellectum. Propterea nititur etiam animam obsidere & in confusionẽ affectionum detrudere.

CAP. 39.

VERBVM Dei est lucerna pariter & lumen, ac velut illuminans cogitationes fidelium naturę cõsentaneas; & adurens eas quę sunt præter naturam, dissoluit quodam modo sensibilis vitæ tenebras iis qui per mandata ad speratam vitam excitantur: & plectit incendio iudicij illos qui carnis amore caliginosam hanc vitæ noctem amplectuntur ex animo.

CAP. 40.

NISI quis antea fuerit ad seipsum redactus, inquit, abiectis affectionibus quæ sunt præter naturam, non reducetur ad sui causam propriam, videlicet ad Deum, per incrementum ex gratia bonorum supernaturalium. Nam animo segregari oportet eum à rebus creatis, qui verè conducitur ad Deum.

CAP. 41.

Triplex legis perfectio.

SCRIPTAE quidem legis opus, est affectionibus liberatum esse. Legis autem naturalis, est omnibus hominibus ex æquabilitate legis parem exhibere honorem. At legis spiritalis perfectio est, quantum homini datur, Deo quamsimillimum fieri.

CAP. 42.

FACVLTAS legis, est natura capax cognitionis

nis tam corporum quàm incorporeorum; sanctæ A verò Trinitatis ex sola gratia recipit indicia quædam: quia credit duntaxat, verùm nullatenus secundum substantiam est contumax, veluti infœlix animus. Qui enim cognitionis expers est, prorsus ignorat modum per virtutem abstergendi vitium.

CAP. 43.

QVI diligit mendacium, traditur illi ad interitum, vt patiendo cognoscat, in quo volens lapsus est verbo, & experientia discat, insciũ se pro vita fouisse mortem.

CAP. 44.

DEVS solam boni cognitionem habet: vtpote cum sit secundum substantiam ipsius boni natura B & scientia. Malum autem ignorat, quia nulla sit apud eum illius facultas. Nam eorum substantialem habet notitiam, quorum naturalem habet facultatem.

CAP. 45.

Leuit.7.d PECTVSCVLVM in Leuitico præstantiorem & sublimem speculationem significat: armus verò, actionem, seu habitum & operationem intellectualis partis, seu scientiam ac virtutem: quasi scientia nullo medio adducat animum ad Deum, virtus autem per operationem auocet eum ab omni creaturarum notitia. Hæc sermo diuinus seorsum addixit sacerdotibus, quorum tota hæreditas C est apud Deum, ita vt terrenum nihil omnino possideant.

CAP. 46.

CVM hi qui spiritu planè consummati sunt in cognitione & virtute, & per verbum disciplinæ reddant aliorum corda pietatis & fidei susceptiua, eorúmque habitum & facultatem actiuam à studiis corruptræ naturæ deditis abstractam, ad incorruptibilia bona, quæ naturam superant, exercenda transferant: meritò eorum quæ adducuntur ad sacrificium diuinum, pectusculum operiens, hoc est, cor: & armum, eorundem videlicet operationem D sermo diuinus præcepit dedicari sacerdotibus.

CAP. 47.

Videmus nunc per speculum & in ænigmate. 1. 1 Cor. 13. d VNIVERSA quæ hîc habetur iustitia, si cum futura conferatur, speculi rationem obtinet, primitiuarum rerum imaginem, non autem ipsas res in specie subsistentes continens. Omnis etiam cognitio rerum sublimium quæ hîc haberi potest, collata cum futura, ænigma est, superficiem habẽs veritatis, at non ipsam subsistẽtem veritatem, quæ apparebit.

CAP. 48.

QVONIAM res diuinæ virtute comprehendũtur & cognitione, speculum demonstrare solet ex- E emplaria virtutum: ænigma quoque primitiua cognitionis exemplaria enarrat.

CAP. 49.

QVI per operationem gratus est Deo, profectò per speculationem traducit animum in regionem eorum quæ mente cernuntur: ne per alicuius imaginationem sensu percipiat mortem in affectionibus latentem, incidens in illud, cuiusmodi nullum planè sibi occurrere cupiat.

CAP. 50.

Genes.12.a QVI puro fidei oculo futurorum bonorum intuetur elegantiam, libenter egredi paratus est è terra, cognitione, & domo paterna, relicta habitudine & affectione quam habet in carnẽ, sensum, & sensibilia: naturámque tempore tentationis & certaminum superans, causam naturæ præponit, vt magnus Abraham, ipsi Isaac, Deum. Genes.22.c

CAP. 51.

QVI studet consectari virtutem aut diuinorum eloquiorum meditationem, non gloriæ causa, nec occasione auaritiæ, neque adulandi gratia, vt placeat & sese ostentet hominibus, sed omnia propter Deum agit, dicit, & cogitat; hic ambulat in via veritatis & cognitione. Siquidem in semitis non rectis sermo diuinus libenter inhabitare non consueuit, etiamsi viam apud quosdam prę̃paratam reperiat.

CAP. 52.

IEIVNAT quispiam & abstinet à victus ratione affectiones incendente, aliáque agit quæcunque conferre possunt ad fugandum vitium? ille viam, quæ dicitur, præparauit. Qui verò talibus dat operam moribus, vanæ gloriæ aut auaritiæ aut adulationis gratia, vel vt complaceat hominibus, aut alterius cuiusdam causa, præterquàm vt Deo gratus Isa. 40. a Matt. 3. Mar. 1. sit, is non fecit semitas Dei rectas: & præparandæ Luc. 3. a viæ laborem pertulit; sed in semitis suis Deum ambulantem non habuit.

CAP. 53.

OMNIS vallis implebitur. Non simpliciter omnis, nec quorumcunque. Non enim eorum, qui non præparauerunt viam Domini, nec rectas fecerunt semitas eius. Quando igitur vallis; caro nempe vel anima eorum qui præparauerunt, vt dixi, viã Domini & rectas fecerunt semitas eius, impleta fuerit scientia & virtute, Deo in illis per mandata obambulante, cunctæ falsi nominis scientiæ, & vitiosi spiritus humiliantur, calcante illos & subiugante verbo Dei: quo destruitur imperium malignum, extollent se contra naturam humanam, ac velut magnitudo & sublimitas montium colliúmque effoditur, & ad implementum vallium reducitur. Quoniam abiectio affectionum quæ sunt præter naturam, & virtutum naturæ consentanearum comparatio, replet animam instar vallis humiliatam, & montis in morem eleuatam spirituum malignorum potentiam humiliat. Esa. 40. a Luc. 3. b

CAP. 54.

ASPERA, hoc est, violentarum tentationum illationes, erunt in vias planas, cùm maximè gaudens & lætabundus animus sibi placuerit in infirmitatibus, afflictionibus, & angustiis, laboribus vi susceptis, amputans omnem spontanearum affectionum potentiam. Aspera enim appellauit, coactarum tentationum incursiones, quæ per patientiam grato animo susceptã recidunt in vias planas. Isa. 40. a

CAP. 55.

QVI veram expetit vitam, sciens laborem omnem, siue spontaneus sit, siue præter voluntatem, fieri mortem voluptatis, quæ mortis mater est: vtiles omnes violentarum tentationum illationes gaudens grato animo excipiet: tribulationes per patientiam efficiens vias faciles & planas, ipsum, in illis cursum diuinum piè peragentem, ad brauium supernæ vocationis nullo errore deducentes. Etenim mortis quidem mater est voluptas, voluptatis Omnis labor, mors est voluptatis. Voluptas est mortis mater.

autem mors, est labor tum spontaneus, tum præter voluntatem susceptus.

CAP. 56.

QVICVNQVE igitur per temperantiam dissoluerit volubilem illam ac perplexam voluptatem simul omnibus sensibilibus variè complicatam, fecit praua in directa. Et qui non peruium & asperum afflictionum impetum patientia calcauerit, aspera fecit in vias planas. Vnde videbit, vt scriptum est, Isa.40.a
Isa.52.c
Luc.3.b
salutare Dei, tanquam præmium virtutis, & laborum pro ea susceptorum: nimirum qui bene & legitimè certauerit, voluptatem desiderio virtutis deuicerit, amore scientiæ dolorem calcauerit, & vtraque via ingenuè diuinis certaminibus excelluerit.

CAP. 57.

QVI amat virtutem, libenter fornacem voluptatum labefactat. Qui autem scientiæ veritatis conformem reddidit animum, amplectitur præter voluntatem obuenientes labores perpetuæ motionis, affectione tendentis, ad Deum.

CAP. 58.

QVI difficultates spontanearum affectionum, motus videlicet voluptatis, continentia castigat, & asperas calamitates tẽtationum prẽter voluntatem euenientium, nempe doloris modos patientia adæquat, & in vias planas conuertit, talis merito videbit salutare Dei, corde mundus effectus: quo per virtutes & pias contemplationes Deum videt in fine certaminum, iuxta illud, Beati mundo corde: Matt.5.a quoniam ipsi Deũ videbunt: & pro laboribus virtutis nomine susceptis, recipient gratiam vacuitatis affectionum: qua nihil magis Deum aperit iis qui illam adepti sunt. Affectionũ vacuitas.

CAP. 59.

Puteus, quid in scripturis mystice significet.
PVTEOS appellat scriptura, corda susceptiua cælestium charismatum scientiæ sanctę, solido verbo mandatorum excisa: quæ delectabilem affectionum amorem & habitudinem naturalem erga sensilia auersantur, tanquam occæcatione cordis: & plena sunt spiritali sursum tendente scientia, quæ & affectiones abstergit ac viuificat, estque veluti virtutum alumna.

CAP. 60.

Genes.26.c
DOMINVS fodit puteos in deserto, dico autem in mundo & natura hominum, effodit corda eorum qui merentur, & expurgat à mole & prudentia materiali, dilatans ea ad susciendas diuinas sapientiæ & scientiæ pluuias: vnde potent iumenta Christi, eos dico, qui ob pusillitatem animi opus habent morali disciplina.

CAP. 61.

Loca mõtana, quid mystice significẽt in scripturis.
LOCA montana vocat scriptura, sublimem in spiritu contemplationem naturæ: quam excolunt, qui ab imaginationibus rerum sensilium deflectentes, ad intellectuales de iis sermones per medias virtutes transeunt.

CAP. 62.

QVANDIV animus habuerit in seipso Dei viuam memoriam, per contemplationem exquirit Dominum: ac non simpliciter, sed in timore Domini, hoc est, operando secundum præcepta. Qui enim citra operationem Dominum inquirit per contemplationem, nõ inuenit eum: quia non quæsiuit Dominum in timore Domini, nec direxit eũ in via Dominus. Nam dirigit Dominus quemcunque cum scientia operantem, ac rationes mandatorum edocet, verósque de rebus quæ extant, reuelat sermones.

CAP. 63.

SVBLIMIS de diuinitate sermo turris est quoad animam mandatorum obseruatione munita. Et hoc est quod dicit, Quia ædificauit Ozias turres in Ierusalem. Nam qui rectè dirigitur ad inquirendum per contemplationem Dominum, cum iniecto timore, hoc est cum operatione iuxta mandata, ædificat turres in Ierusalem, per simplicem scilicet ac tranquillum animæ statum extollens de diuinitate sermones. 2.Par.26.b

CAP. 64.

PARTICVLARES sermones si ad vniuersales accedant, eorum quæ diuisa erant, vniones efficiunt. Quamobrem qui sunt vniuersaliores, vniendo complectuntur eos qui sunt magis particulares: vt quæ particularia sunt, ad vniuersalia naturalem habeant relationem. Quinetiam habita relatione mentis ad sensum, cæli ad terram, sensilium ad intellectualia, naturæ ad rationem, quædam est in spiritu ratio, quæ ista continet, donãs illis mutuam vnionem.

CAP. 65.

QVI potuit submouere sensus ab affectibus, & separauit animam ab habitudine sensuum, potuit vtique demoliri aditum diaboli per medios sensus in animum. Et ob id in deserto, dico verò in speculatione naturali, pias de creaturis opiniones, quasi turres munitas ædificauit: ad quas qui confugit, non extimescit dęmones in hac solitudine, hoc est, rerum visibilium natura, latrocinia exercentes: qui per sensum seducunt animum, & ad ignorantiæ tenebras detrudunt. Qui enim religiosam circa vnumquodque obtinet opinionem, non metuit dæmones, qui per ea quę subiacent oculis, fallunt homines. 2.Par.16.d

CAP. 66.

OMNIS speculatione pollens animus, est verus agricola, conseruans studio & diligentia sua diuina bonorum semina à zizaniis pura, quandiu sui conseruatricem habet Dei memoriam. Inquit enim; Et erat inquirens Dominum in diebus Zachariæ, in timore Domini. Porrò sermo diuinus scit, Zachariam, si transferatur in vocem Grẽcam, esse memoriam Dei. Quare deprecemur Dominum semper, vt conseruetur nobis salutaris eius memoria: ne vel hoc ipsum quod prosperè succedit, elatam in sublime, & quæ supra naturam sunt, audentem, more Oziæ, corrumpat animam. 2.Par.26.a

CAP. 67.

Hierusalẽ quid mystice significet.
FIRMA rerum contemplatio liberatam affectionibus requirit animam, quę Ierusalem dicitur, tum propter integram virtutem, tum ob expertem materiæ scientiam: quæ non solùm per abdicationem affectionum, sed imaginationum etiam sensibilium exoritur.

CAP. 68.

SINE fide, spe, & charitate nec quod vitiosum est prorsus euacuatur, nec quod bonum est fœliciter omnino succedit. Nam fides suadet animo qui oppugnatur,

Fidei, Spei, & Charitatis est effectus in amante Deum anima.

oppugnatur, ad Deum confugere, affertque illi solatium totius apparatus armorum corporeorum, vt confidenter agat. Spes autem constituitur apud illum, auxilij diuini minimè fallens expromissor: quę pollicetur potestatum aduersariarum internecionem. At verò charitas reddit illum, etiamsi oppugnetur, non facilè mobilem, imò prorsus immobilem à dilectione diuina, affigens desiderio diuino vim omnem affectus illius.

CAP. 69.

FIDES solatur animum qui oppugnatur, auxilij spe roboratum. Spes autem in conspectum producit opem, de qua concepta erat fiducia, & repellit aduersariorum incursionem. Charitas verò amanti Deum animo extinguit hostium impetum, desiderio diuino penitus exterminatum.

CAP. 70.

PRIMVS & vnicus diuinæ, re vera, participationis, nempe scientiæ veræ, filius, est sermo diuinæ quæ in nobis est, resurrectionis, per fidem, cum decenti dispensatione intellectus, videlicet discretione, strenuè superans insultus tam spontanearum quàm violentarum tentationum. Etenim prima in nobis resurrectio Dei, per ignorantiam à nobis enecati, est fides per opera mandatorum rectè gubernata.

Fides est prima Dei resurrectio in nobis.

CAP. 71.

CONVERSIO ad Deum, per seipsam indicat apertè † animum spe diuina pleniss imum: sine quo nullatenus quisquam inclinare solet in Deum. Siquidem proprium est spei, futura subiicere oculis tanquam præsentia, ac persuadere, nusquam abesse ab iis qui oppugnantur ab aduersaria potestate, Deum propugnatorem, pro quo & propter quem sancti bello petuntur: quia nunquam euenire solet, vt citra facilem aut difficilem expectationem quispiam conuerta tur ad Deum.

†dem, animum.

CAP. 72.

RE vera nihil perinde cõciliat inter se dissidentes, vnúmque gignit illis animum conspirante beneuolentia deuinctum, vt charitas: cuius character est æqualis dignitatis decus. Igitur causa efficiens vt facultates animales, hoc est, rationalis, irascẽdi, & concupiscendi conueniant & vniantur simul circa res diuinas, est dilectio, qua hi qui parem à Deo iam per gratiam adepti sunt honorem, describentes in memoria diuinæ pulchritudinis ornamentum conseruant indelebile, anima vice monimenti describente & insculpente in præcipua sui parte intemeratum illum decorem, diuinæ dilectionis affectum.

CAP. 73.

Trium diuinę facultatum concursus ad virtutis cõstitutionẽ.

MENS omnis diuino robore accincta, veluti seniores quosdam ac duces habet, facultatem rationalem, ex qua solet oriri fides cognoscendi petita, per quam secreta ratione docetur Deum semper esse præsentem, & per spem adhęret futuris vt præsentibus. Item appetendi facultatem, ex qua diuina constat dilectio, per quam affixum spontè desiderio intemeratę deitatis habet affectum indissolubilem ab eo quod expetit. Insuper & irascendi facultatem, qua mordicus amplectitur pacem diuinam, astringẽs cupiditatis motum in amorem diuinum. Has autem ipsas facultates habet mens omnis sibi cooperantes tum ad auferendum vitium, tum ad statuendam virtutem atque conseruandam.

CAP. 74.

SINE vi rationali non est docta cognitio, & absque cognitione non consistit fides, vnde germen pulchrum spes emanat, per quam fidelis adhæret futuris perinde ac prẹsentibus. Ac citra facultatem appetendi non subsistit desiderium, cuius finis est dilectio. Siquidem amare, cuiusdam cupiditatis est proprium. Itidem absque irascendi potentia appetitum confirmante, vt cum eo quod delectat, vniatur, nequaquam pax oriri solet: si re vera pax est, imperturbata & plena eius quod gratissimum est possessio.

Pacis definitio.

CAP. 75.

QVI non antea fuerit expurgatus ab affectionibus, speculationem naturalem minimè debet attingere, propter imagines rerum sensilium, quæ formare possunt affectionem in animo non plenè affectionibus liberato. Animus enim qui per imaginationem sensu immoratur in superficiebus rerum sensilium, affectionum immundarum fit opifex, qui per contemplationem ad germana sibi intellectualia transire nequit.

Animus qui sensilibus immoratur, fit affectionum immũdarum opifex.

CAP. 76.

QVI dum insurgerent affectiones, fortiter clausit sensus, & imaginationem ac memoriam sensiliũ prorsus expulit, motúsque naturales animi circa rerum externarum indagationem versantes, planè coërcuit, auxilio diuino victoria potitus, pudore suffudit malignam & tyrannicam, quæ insurrexit in illum, potestatem.

CAP. 77.

CVM ratio amens euaserit, ira effrenata, appetitus irrationalis, & ignoratio, tyrannis, lasciuia animam occupauerint, tunc habitus vitiosus efficax, variis sensuum voluptatibus implicitus, nasci solet.

Habitus vitiosus vnde in animo nascatur.

CAP. 78.

QVANDO malignæ potestates irrumpunt, non debet animus, qui scitè nouit euitare inuolucra inuisibilia, naturalem exercere speculationem, nec aliud quippiam agere, nisi duntaxat precari, & laboribus corpus domare, ac omni studio terrenã prudentiam subuertere, murósque ciuitatis custodire: dico autem virtutes protectrices animæ, siue semitas virtutum conseruatrices, continẽtiam, inquam, & patientiam: ne quo modo is qui solet animam absorbere turbulenta subuersione, cum deceperit per dextera, subreptum animum auocet à Deo, & per ea quæ existimantur bona ad deteriora subducat intellectum, alioqui quærẽtem quæ recta sunt.

Quid agẽdum in tẽtationibus.

CAP. 79.

QVI considerata & coërcente continentia & patientia strenuè sensus subduxerit, ac viribus animæ sensibilium imaginum aditum ad animum circumuallauerit, nullo negocio malignas diaboli machinas delet, subuertens eum cum pudore à via qua venit. Porrò via qua solet accedere diabolus, sunt res materiales, quæ facere videntur ad coagmentationem corporis.

Via dæmonis in animam irrũpentis.

CAP. 80.

INTELLECTVS qui secundũ naturam ratione media sibiipsi sensum accommodat, veram quę nascitur ex naturali speculatione, carpit scientiam.

CAP. 81.

FONTES sunt extra vrbem, quos obstruxit Eze-
2.Para.32.a chias, hoc est, vniuersa sensilia animæ. Horum autem fontium aquæ, sunt ipsorum sensilium notitię. Porrò fluuius per medium distinguens ciuitatem, est cognitio quæ per naturalem speculationem ex notionibus sensilium colligitur, transiens per mediam animam, velut confinis inter sensum & intellectum. Cognitio enim sensilium à facultate intellectiua non est omnino aliena, neque in solidum tribuitur sensitiuæ facultati: sed veluti mediatrix quædam conuentionis ipsius intellectus cum sensu, & sensus cum intellectu, per seipsam efficit illorum mutuam propinquitatem: in sensu quidem secundum speciem formata figuris rerum sensilium: in intellectu autem figuratum typos transferens ad
Ibidem.
† λόγους. † cogitationes. Quamobrem fluuius mediatim diuidens ciuitatẽ, appellatus est meritò, cognitio eorum quę subiacent oculis quasi inter extrema confinis, dico autem inter sensum & intellectum.

CAP. 82.

Orationis virtus in tentationibus.
QVI, dum insurgunt tentationes, abstinet à speculatione naturali, & collecto ab omnibus rebus animo tam in seipsum quàm erga Deum, preces amplectitur, habitum auctorem vitij interimit, & auertit cum pudore diabolum, prędictum habitum suggerentem: quo fretus cum arrogantia sua accessit ad animam, superbis cogitationibus elatus, ad-
Psal. 38.a uersus veritatem. Quod quidem cum fortè cognouisset, pertulisset, ac feciſſet magnus ille Dauid, qui
» ex omnibus maximè bellorum intellectualium a-
» ciem expertus erat: Dum consisteret inquit, peccator aduersum me, obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis. Et post hunc diuinus Ieremias præcipiens populo, ne egrederetur ciuitatẽ propter circùm imminentem gladium hostium.

CAP. 83.

Genes.4.a Beatus Abel.
IGITVR & beatus Abel si obseruasset quidem, & cum Cain non exiisset in campum, hoc est, in latitudinem speculationis naturalis, ante exutas affectiones, nunquam insurgens illum dolo interfecisset lex carnis, quæ & est, & vocatur Cain, & ante perfectum habitum comparatum, propositis lepidis per rerum speculationem clàm irrepsit.

CAP. 84.

Genes.34.a
ITIDEM etiam Dina summi Iacob filia, si non exiisset cum filiabus indigenarum, hoc est, imaginationibus sensitiuis, nequaquam Sichem filius Emor insurgens humiliasset illam.

CAP. 85.

BONVM est, nos antequàm perfectum habitum adepti simus, non attingere speculationem naturalem: ne dum indagamus rationes spiritales ex visibilibus creaturis, affectiones inscij colligamus. Plus enim apud imperfectos figuræ eminentes rerum oculis subiectarum possunt in sensum, quàm rationes sub figuris rerum creatarum latentes, in animam. Cæterùm qui literæ soli alligant intellectum, more Iudaico, in hoc seculo suscipiunt promissiones intemeratorum bonorum, ignari quæ secundum naturam sint animæ bona.

CAP. 86.

QVI gestat imaginem cælestis hominis, festinat vt per omnia spiritu sequatur sanctam scripturam: A in quo per virtutem & cognitionem consistit animæ conseruatio. Qui verò portat imaginem terreni, nudam literam sectatur: vnde nascitur cultus per sensum inseruiens corpori, qui producit affectiones. 1.Cor.15.f

CAP. 87.

POTENTIA Dei, est virtus illa quæ tollit affectiones, & pias cogitationes conseruat: quam gignit executio mandatorum, per quam malignas potestates bonos aduersantes, cooperante Deo, imò verò potius sola Dei virtute fundimus. At celsitudo Dei, est cognitio veritatis: quam parat labor in contemplandis creaturis adhibitus, ac sudores B in exercendis virtutibus prouenientes, qui sunt patres laboris. Vnde vim mendacij repugnantem veritati funditus delemus, omnem sublimitatem malignorum spirituum extollentiũ se aduersus scientiam Dei humiliantes ac destruentes. Qua enim ratione operatio procreat virtutem, ita speculatio scientiam.

CAP. 88.

SCIENTIA indelebilis habens indefinitum animæ motum superantem intelligentiam circa diuinum numen infinitum, ex illa incertitudine superinfinitam effingit opinionem veritatis. At sa-C pientis ex prouidentia bonitatis vltronea imitatio, adfert honorem, qui est, quantum homini conceditur, valde clara dispositæ mentis assimilato cum Deo.

CAP. 89.

LINGVA indicium est facultatis animæ cognitiuæ: guttur autem naturalis erga corpus amoris est argumentum. Qui ergo hæc inuicem ignominiosè copulat, nequit meminisse tranquilli secundum virtutem & sciẽtiam habitus, cũ delectetur confusione, studio in affectionibus corporeis collocato.

CAP. 90.

NATVRALES appetitiones ac voluptates, quæ D dominis ignominiam non adferunt, veluti necessariam consecutionem naturalis desiderij faciunt. Siquidem quilibet etiam cibus nos vel inuitos natúra delectat, vtpote qui præcedentem solatur penuriam: & potus, tollens sitis perturbationem: somnus, qui vigiliis exhaustas vires recreat: & alia quęcunque naturaliter nobis adhærentia, quæ necessaria quidem sunt ad tuendam naturam, ad comparandam autem virtutem, studiosis hominibus vtilia. Quæ quidem simul obueniunt omni animo fugienti confusionem peccati, ne per ea maneat redactus in seruitutem obscœnarum & quæ præter naturam nobis insunt affectionum, non habenE tium in nobis aliam originem, quàm ex motione affectionum naturalium, quæ nobiscum vnà commeare non solent ad immortalem & diuturnam vitam.

CAP. 91.

VERBA Dei nudè sola pronunciatione emissa, non exaudiuntur, cum vocem proferentium illa non habeant, vtpote operationem. Sin per executionem mandatorum proferantur, tum dæmones habent huiusmodi voci inseruientes, tum homines promotione operum iustitiæ nullo negocio diuinum cordis templum ædificantes.

CAP. 92.

QVEMADMODVM Deus secundum substan- Deus se-
tiam

condũ substantiam cognosci non potest.

tiam non cadit sub notitiam: ita nec verbum Dei notione nostra comprehenditur. Nam sermo scripturæ sanctæ licet ratione literarum recipiat circunscriptionem, simul desinens cum temporibus rerum quę enarrantur: at spiritu quoad speculationes rerum quæ pertractantur intellectu, penitus manet incircunscriptus.

CAP. 93.

Nominum interpretatio ad scripturam intelligendã necessaria.

QVI scitè quoad animam, scripturam sanctam secundùm Christum excipit, debet exerceri diligenter, & circa nominum interpretationem: vnde potest plenum aperire sensum eorum quæ scripta sunt, siquidem solicitus est de exacto scripturæ intellectu: ac non ad corpus & terram referre celsitudinem spiritus, Iudæorum more, diuinásque & intemeratas bonorum animi promissiones ex corruptione prætereuntium circunscribere.

CAP. 94.

Veri definitio.

SICVTI votum est sponsio proborum virorum, qui iuxta promissionem offeruntur Deo: ita probabili ratione perspicuum est, deprecationem esse postulationem bonorum quæ hominibus suppeditantur à Deo ad salutem, rependentem vicem bonæ primogeniorũ affectionis. Clamor verò est accessio & incrementum morum operationi studiosæ consentaneorum, & doctorũ speculationi theorematum, tempore quo insultant maligni dæmones: quem non minimè omnium Deus natura exaudit, pro grandi voce acceptans eorũ desiderium, quibus est curæ virtus ac scientia.

CAP. 95.

Regnum aduersũ figurata huius diæta.

PERVERSVM & exitiale diaboli regnum, per regnum Assyriorum figuratum, parato aduersus virtutem & scientiam bello, innatis sibi viribus nititur animam interimere, irritans in primis cupiditatem ad appetenda quæ sunt præter naturam, suadénsque anteferre sensibilia his quæ pertinent ad animum. Iram porrò excitat ad dimicandum pro re sensibili, quam elegit sibi cupiditas. Partem verò rationalem docet excogitare modos voluptatum sensum oblectantium.

CAP. 96.

SVMMÆ bonitatis proprium est, non solùm diuinas & incorporeas intelligibilium substantias, arcanæ diuinæque gloriæ simulachra constituere, integram, quantum fas est, illarum habita ratione, susc ipientes incomprehensam animo pulchritudinem inaccessæ dignitatis: verùm etiam ipsis sensilibus & ab intellectualibus substantiis longè distantibus, magnificentiæ suæ summitates immiscere: quæ possunt humanum illis insidentem animum ad Deum rectà traiicere, supra visibilia omnia collocatum: vt qui tendat ad summam beatitudinem.

CAP. 97.

ANIMVS omnis virtute ac scientia instructus, tanquam videlicet magnus Ezechias, fortitus imperium Ierusalem, hoc est, habitum nihil nisi pacem videntem, nempe statum affectionibus quibuscunque priuatum (siquidem Ierusalem interpretatur, visio pacis) omnem creaturam sibi subditam habet: quæ plena formis, Deo quidem offert per ipsam spiritales, quas habet, scientiæ notiones, velut donaria: ipsi verò munerum loco præbet inditos sibi per legem naturæ mores ad virtutem idoneos, & vtroq; modo benignè tractat eum qui potest vtrinque percelebris esse: dico autem animum ratione & vita, tam in agendo quàm in speculando perfectum philosophum.

CAP. 98.

QVI operatione & speculatione fœliciter peruenit ad summam virtutem & scientiam, meritò extollitur supra omnes carnales & ignominiosas affectiones: per operationem situs supra ea quæ vocantur corpora naturalia, ea profectò dico quæ generationi & corruptioni sunt obnoxia: ac vt paucis dicam, supra omnes planè sensibiles species: per contemplationem, scientia penetrans cunctas illorum rationes: talis ad cognata sibi diuina reduxit animum.

CAP. 99.

QVI laboribus operationi deditis adeptus est, vt in affectionum vacuitate, tanquam in Ierusalem habitet, & ab omni perturbatione peccati liberatus nihil aliud agit, loquitur, audit, aut cogitat, quàm pacem: cum per naturalem speculationem rerum visibilium assecutus fuerit naturam, offerẽtem Domino per ipsum, † notiones quas habet diuiniores tanquam donaria: ipsíque velut regi leges suas vt munera exhibentem: ante oculos omnium gentium extollitur, collocatus videlicet per operationem supra omnes affectiones carnales: & per speculationem, supra omnia corpora naturalia, & omnes species sensibiles: spiritales illorum rationes & modos penetrans.

† λόγους.

CAP. 100.

Philosophia actiua, & contẽplatiua.

PHILOSOPHIA actiua eum qui incumbit operationi, superiorem reddit affectionibus. Contemplatio verò hominem pollentem scientia constituit supra ea quæ sub aspectum cadunt, traducitque animum ad germana sibi intelligibilia.

CENTVRIA TERTIA.

CAP. 1.

Contemplatio & actio, sunt Dei thronus & scabellum.

QVI cum operatione cognoscit, & cum cognitione operatur, thronus est scabellum Dei. Thronus quidem, ob cognoscendi peritiam, scabellum autem, propter operationem. Porrò si quis humanum animum dicat esse cœlum, ab omni quidem imaginatione materiali expurgatum, ac sermonibus diuinis & ad intellectum pertinentibus incumbentem, aut potius exornatum, non mihi videtur egressus limites veritatis.

Animus dici potest cœlũ intellectuale.

CAP. 2.

OMNIS philosophus, videlicet etiam pius, virtute & cognitione, aut operatione ac speculatione munitus, vbi viderit malignam potestatem per affectiones insurgentem sibi, sicut Assyriorum rex insurrexit in Ezechiam: vnicum habet auxilium ad mala dissoluenda, Deum, quem sibi propitium reddit clamore, non linguæ, sed intensione maiore virtutis & cognitionis: & ad societatem pugnæ, imò potius ad salutem, suscipit angelum, nempe † Verbum sapientia & cognitione præstantius, quod quemcunq; fortem, bellatorem, principem ac impetratorem conterit in acie.

† λόγον. 4. Reg. 19. f. Isa. 37. f.

CAP. 3.

INNATVM sensibile cunctis dominari solet affectionibus. Nam absque vllo obiecto ad seipsum incitante facultates animæ per medium sensum, nunquam subsisteret affectio, quia sine re sensibili affectio non consistit. Itaq; sine muliere non committitur stuprum: & si non adsint cibi, non est ventris ingluuies: & si non extaret aurum, non esset auaritia. Quamobrem motum omnem virium nostrarum naturalium ad adfectionem, ipsum sensibile moderatur: nempe dæmon, qui per ipsum irritat animam ad peccatum.

CAP. 4.

† τριτίας. ἐκτριβὴς. Tritionis & contritionis discrimen.

† TRITIO delet effectum vitij: † contritio verò vel ipsam vitij cogitationem tollit. Tritio enim est solius operationis, quæ affectionum vi producitur, euacuatio. At contritio est etiam malignorum animi motuum plena deletio.

CAP. 5.

SENSIBILIA & intelligibilia, media sunt inter Deum & hominem: quibus superior euadit humanus animus, qui pergit ad Deum: sensibilibus quidem ipso facto non inseruiens, nec per speculationem intelligibilibus vllo modo deuinctus.

CAP. 6.

CREATVRA homines impios accusat, sermonibus quidem quibus est prędita, suum ipsius Conditorem prędicans: per leges autem naturales, quas habet singulis in speciebus, instruens hominem ad virtutem. Sermones igitur perspiciuntur ex solida cuiuscunque speciei cohærentia: leges autem declarantur, ex eadem per singulas species efficacia naturali. Quibus non adhærentes pro nostra animi facultate, tum existentium rerum causam ignorauimus, tum omnibus quæ præter naturam sunt affectionibus addicti fuimus.

CAP. 7.

Cur Deo donaria offerri præcipiat scriptura, ex ap. & alias frequēter.

A NOBIS offerri Deo donaria sermo diuinus præcipit, vt infinitam diuinæ bonitatis copiam repræsentet: dum susçipit à nobis munera tanquam dona gratuita, nostram prorsus reputans oblationem, quasi nobis antea nihil contulerit: copiosam ostendens & indicibilem esse Dei erga nos bonitatem, qui sua à nobis ipsi oblata, tāquam nostra sint, excipit, & eorum velut alienorum nomine debitum fatetur.

CAP. 8.

Creatura demōstrat Conditorē suū, at non qualis sit.

HOMO qui intelligit spiritales eorum quæ subiacent oculis rationes, instruitur, quendam esse eorum quæ videmus Conditorem: indiscussam relinquens notitiam, qualis sit, tanquam ad eam peruenire non possit. Conspicua nanque creatura claram præbet notitiam, quòd sit Conditor, at non qualis sit.

CAP. 9.

Iræ Dei definitio & eius causa.

IRA Dei, est eorum qui instruuntur, sensus molestus. Sensus autem molestus, est tribulationum violentarum illatio: qua sæpenumero Deus animum ob virtutem & cognitionem intumescētem, adducit ad correctionem & humilitatem: donans, vt ipse sui explorator euadat, & infirmitatis propriæ testis: quam vt sentit, stolidam cordis inflationem deponit.

CAP. 10.

IRA Domini est, quādo charismata diuina suppeditari desinunt. Quod quidem perutile est ad omnia, etiam ad animum sublimem, suspensum, & de bonis diuinitus ipsi collatis, vt de rebus à se præclarè gestis gloriantem.

CAP. 11.

Philosophia duplex.

OMNIS scientia pollens ac philosophus animus, & Iudam habet & Ierusalem: Iudam quidem veluti philosophiam actiuam: Ierusalem vero, vt speculatiuam sacrorum disciplinam. Quando igitur amans Deum animus, beneficio gratiæ diuinæ, necnon actiuæ speculatiuæque philosophiæ, repulsa omni potestate virtuti & scientiæ aduersaria, planè se gesserit impudenter erga potentiam qua vsus est contra spiritus malignos, & auctori victoriæ Deo congruam gratiarum actionem non retulerit, sed elatus corde seipsum totius præclari facinoris causam existimauerit: tunc, vt qui vices non rependerit Deo iuxta beneficium quo remunerauit eum, ille non solum obuenientem sibi excipit iram, qua deseritur à Deo: sed Iudas & Ierusalem ingruunt, hoc est, actionis & contemplationis habitus, affectionibus obscœnis, permittente Deo, confestim insurgentibus aduersus actionem, conscientiam modò puram inquinantibus: falsis notionibus speculationi rerum inuolutis, & cognitionis sententiam, quæ tum recta erat, euertentibus. Siquidem ei qui propter actionem extollitur, affectionum ignominia imminet: illum autem qui de scientia superbit, iustum iudicium circa contemplationem veritatis impingere permittit.

CAP. 12.

EX prouidentia proculdubiò definitio atque lex diuina inest rebus, quæ adhortatur eos qui rebus prosperis videntur immoderatiores, ad componendum animum eruditi debere per contraria, & vt cognitio diuinæ potentiæ promouentis bona, sit oppositorum experientia: ne si per prouidentiam concedatur, nos rebus secundis opinionem habere prorsus indelebilem, in affectum arrogantiæ Deo repugnantem delabamur, existimantes possessionem virtutis ac scientiæ ex natura nostram esse, & non comparari per gratiam: & sic reperiamur vti bono ad procreationem mali: & quibus actionem apud nos & inconcussam esse diuinam cognitionem oportebat, per ea (quasi nō iuuent) illius ignoratione laborare.

CAP. 13.

Prouidentiæ definitio.

SCIMVS prouidentiam ea quæ sunt continentem, esse definitionem ac legem diuinam rebus insitam: quæ iusto iudicio per inopiam bonorum instruit eos ad gratitudinem animi, qui ob bonorum copiam erga largitorem illius videbantur ingrati, deducens eos per contraria ad sentiendum & agnoscendum qui suppeditat bona. Nam de virtute concepta opinio, nisi regatur, producere solet arrogantiæ morbum, afferentem Deo repugnantem affectum.

CAP. 14.

QVI se putat assecutum esse virtutis finem, nequaquam posthac quæret primitiuam bonorum causam, sibiipsi soli adscribens desiderij facultatem, ipsum salutis terminum, dico autem Deum, à seipso

seipso afficiens iniuria. Qui verò suam bonorum naturalem sentit inopiam, non cessat conuersim ad eum currere, qui facultatem habet supplendi penuriam.

CAP. 15.

QVI modum virtutis infinitum cognoscit, nunquam secundùm illam currere desinit: ne ipsum virtutis principium ac finem, Deum inquam, contumelia afficiat, in seipso constituens desiderij motum, & ignarus arbitretur se adeptum esse perfectionem, incurrens in illud vt excidat ab eo quod verè est, ad quod omnis studiosi viri motus impellitur.

CAP. 16.

Deus superbis irascitur. IRA iustè exercetur in animum alta de se sapientem, hoc est, derelictio, sicuti dictum est, vtpote permissio vt ipse tam in operatione quàm in speculatione perturbetur à dæmonibus: vt suæ naturalis imbecillitatis percipiat sensum & agnitionem potentiæ gratiæque diuinæ protegentis illum, & ad omnia bona dirigentis: atque humilietur, omnino procul à seipso abacta aliena & præter naturalem eueniente celsitudine, ne alia ira, videlicet ereptionis collatorem charismatum ingruat illi deiecto & largitorem bonorum sentienti.

CAP. 17.

Ira diuinæ triplex species. QVI per primam iræ speciem, derelictionis videlicet, non eruditur vt descendat ad humilitatem, existimans eam esse explorationis probæ magistram, aliam apertè recipit iram in se venientem, quæ charismatum efficaciam eripit illi, & vacuum reddit illum potentia quæ illum modò protegebat. Auferam enim sepem eius (inquit Deus loquens de Israële ingrato) & erit in direptionem. Dirua maceriam eius, & erit in conculcationem: deseram vineam meam, & non putabitur neque fodietur. Ascendent super eam, vt super terram incultam, spinæ: & nubibus mandabo, ne pluant super eam. Esa.5.b

CAP. 18.

Impietatis initiũ est, iram Dei non agnoscere. Carnis voluptas quã plena sit periculi. QVIA non sentire pœnam quæ ob neglectas virtutes infligitur, via prona est ad impietatẽ. Nam qui propter voluptates carnis seipsum assuefacit non obtemperare Deo, occasione dictante, ipsum quoque Deum negabit, præferens Deo vitam carnalem: cuius solius voluptates pluris fecit, quàm voluntatem diuinam.

CAP. 19.

CVM putauerimus, animum quocunque modo quippiam esse passum, planè existimare debemus, vnà cum eiusmodi animo facultatem actiuam & contemplatiuam secundùm naturales ipsarum rationes passas esse. Nõ potest enim fieri, vt subiectũ patiatur, nisi patiãtur ea quæ sunt in subiecto. Subiectum autem appello, animum, veluti susceptiuũ virtutis & cognitionis: in subiecto verò, actionem & contemplationem: quæ quidem erga animum accidentium rationem obtinent. Idcirco per omnem modum cum illo patiente patiuntur, qualemcunque motum illius habentes pro principio alterationis suæ.

CAP. 20.

VIR omnis Dei amans & virtuti deditus, ex Ezechiæ sententia, scitè cõtra dæmones accinctus

robore, si quapiam illi ingruente malignorum spirituum irruptione, inuisibili modo aduersus eum in mente bellum implicantium, oratione interueniente diuinitus ipsi missum susceperit angelum, dico autem Verbum sapientia præstantius, & vniuersam phalangem diaboli contritam dissipauerit, talisque victoriæ & salutis Deum auctorem non inscripserit, sed sibi totam ipse attribuerit victoriam: is non rependit Deo iuxta beneficium ab eo collatum, non parem excellentiæ victoriæ, salutis donatæ referens gratiarum actionis copiam, nec dimetiens suum affectum cum beneficio Saluatoris. 4.Reg.19.f Isa.37.f

CAP. 21.

NOTIONIBVS diuinis illustremus animum: corpus autem, diuinarum conceptarum rationum moribus exornemus, constituentes ipsum affectionum abdicatione rationalem virtutis officinam. Nam innatæ corporis affectiones si ratione regantur, probro carent: citra hanc verò motæ, ignominiam adferunt. Has igitur abiiciendas esse dicit, quarum insitus est à natura motus, sed præter naturam frequens est vsus ratione non moderatus.

CAP. 22.

Ira diuina in superbientes de donis diuinis. QVICVNQVE suum ipsius cor extulerit, superbiens de charismatibus quæ accepit, quasi non acceperit, veniẽtem in se meritò suscipit iram Dei, permittentis diabolo, vt illius inuoluatur animo: & dum operatur, virtutis mores exagitet: ac dum cõtemplatur, splendentes perturbet cognitionis rationes, vt cum propriam infirmitatem didicerit, cognoscat vnicam esse potentiam, quæ nostras expugnat affectiones. & pœnitentia ductus humilietur, fastu suæ opinionis abiecto, Deóque sibi facto propitio, auertat iram non resipiscentibus obuenientem: quæ tutricem animæ aufert gratiam, & ingratum animum relinquit desertum.

CAP. 23.

Salutaris ira Dei. IRA salutaris est diuina permissio, qua superbus animus affectionibus oppugnatur à dæmonibus: vt dũ ignominiosè patitur, qui gloriabatur de virtutibus, discat, quis earum sit largitor: alioqui spolietur alienis, quæ quidem se putabat habere, quasi non accepisset.

CAP. 24.

RE vera beatus est animus ille qui rebus omnibus præclarè mortuus est: sensibilibus quidem, vi sensus abdicata: intelligibilibus autem, intellectiuo motu quiescente. Atqui notandum est, mortem animi laudabilem dici, spontaneam omnium quæ sunt priuationem: post quam diuina gratia vitam recipere solet, dum pro rebus extantibus, ipsarum auctorem, modo non intellecto, nanciscitur. Mors animi laudabilis.

CAP. 25.

BEATVS, qui facultatem operatricem ad id quod natura bonum est, appulit: speculatricem autem, ad veritatem naturalem. Omnis enim operatio boni causa fieri solet, omnisque speculatio solam ob veritatem quærit scientiam: quibus peractis, nihil erit prorsus quod animæ vim actiuam feriat, aut speculandi facultatem eius commentationibus peregrinis exasperet: cùm ipsa transcenderit omne illud quod est, quodque intelligitur, & ad ipsum solum bonum & verum Deum in-

troierit, qui ſubſtantiam omnem ſuperat & intellectionem.

CAP. 26.

Actiuæ, & cõtemplatiuę philoſophiæ finis.

VIRTVTIS actiuæ finem aiunt eſſe bonum ipſum: hoc autem eſt efficaciæ diuinæ complementum, quò pars animæ rationalis ducit, vtens ira & cupiditate, prout natura poſtulat: in qua pro ſimilitudine relucere ſolet quoddam ornamentũ. Contemplatiuæ autem philoſophiæ finem eſſe dicunt veritatem: quæ quidem eſt omniũ quę circa Deum ſunt, ſine partibus, vniformis cognitio: ad quam pura mens fertur, ſuo prorſus extincto ſecundum ſenſum iudicio: in qua videlicet cognitione, genuina declaratur imaginis diuinæ dignitas.

Veritatis definitio.

CAP. 27.

NEMO poteſt Deum verè benedicere, niſi ſanctificauerit corpus virtutibus, & notionibus illuſtrauerit animam. Nam affectus virtute præditus, facies eſt animi contemplatiui, in ſublimitatem veræ cognitionis elata, velut in cœlum.

CAP. 28.

BEATVS, qui cognouit verè, Deum in nobis tanquam in organis omnem peragere operationem, & ſpeculationem, virtutem, cognitionem, victoriam, ſapientiam, bonitatem ac veritatem: nobis nihil omnino conferentibus, præter ſolum affectum volentem quæ bona ſunt, quo præditus magnus Zorobabel, præter cætera ab eo dicta, inquit, Benedictus es (Deum alloquens) qui dediſti mihi ſapientiam. Et tibi confiteor domine patrum, abs te victoria, & à te ſapientia, tibi gloria: & ego ſeruus tuus. Re vera gratus ſeruus omnia Deo referebat vtpote qui dederat omnia, à quo ſapientiam acceperat: prædicans illum, vt patrum Dominum, habere poteſtatem bonorum gratuitò collatorum: quæ ſunt vnio victoriæ, quemadmodum dictum eſt, ac ſapientiæ virtutis & cognitionis, operationis & ſpeculationis, bonitatis ac veritatis. Hæ ſiquidẽ inuicem vnitæ, vnicam effulgurant gloriam & ſplendorem Dei.

3. Eſdr 4. g
» »

CAP. 29.

Dei dona, iuxta proportionem animi recipientis donantur à Deo.

CVNCTA ſanctorum præclara facinora, erant proculdubio Dei dona gratuita: nemóque quicquam prorſus habebat, præter bonum, velut à Domino Deo donatum, dimenſum iuxta proportionem grati animi ac beneuolentiæ ſuſcipientis: qui poſſidebat ea ſola, quæ donanti Domino alludebant.

CAP. 30.

» »
3. Eſdr. 3. c

ANIMVS qui prætulit virtutem & cognitionem, maluítque animam affectionum praua ſeruitute priuatam eſſe, ait, Præpotentes ſunt mulieres, & ſuper omnia vincit veritas. Muliere quidem appellans, virtutes deificas: ex quibus conſtat hominibus erga Deum & in ſeſe vnifica dilectio quæ rapit omnium animam, tam eorum quæ generationi & corruptioni ſunt obnoxia, quàm ſuperiorum ſubſtantiarum intelligibilium, & quadam amoris plena permixtione implicat ipſi Deo, quantùm humanæ naturæ conceditur, atque impollutam diuinámque parit myſticè conuerſationem. Veritatem autem dixit, ſolam & vnicam eorum quæ ſunt, cauſam & principium, regnum, potentiam & gloriam: ex qua & per quam omnia facta ſunt & fiunt: ac vt ſint, ab ea & per eam tenentur, illiúſque nomine qui Deum diligunt, nullum ſtudium ac motum prætermittunt.

Veritas.

CAP. 31.

PER mulieres quidem demonſtrauit finem virtutum, dilectionem: qui profectò eſt in affectu delectatio non excidua, & indiuidua vnio eorum qui naturalis boni ſunt participes. At verò per veritatem, omnium notionum & omnium eorum quæ cognoſcuntur, finem indicauit: ad quem velut ad principium & finem omnium rerum generali quodam ſermone motus naturales coarctantur: veritáſque natura vincit omnia, tanquam ipſa ſit principium & cauſa rerum, & ad ſeipſam adtrahat motum creaturarum.

CAP. 32.

VERITAS apparere ſolet velut id quod vnicũ & ſolum eſt per excellentiam ex priuatione plurium: quæ omnium facultates cognoſcendi, tam eorum qui intelligunt, quàm eorum quæ intelliguntur, contegit, vt modo quodam ſuperſubſtantiali ſupra intelligentia & intellecta ſubſiſtens: & infinita potentia circunſcribens ad principium & finem rerum pertinentes extremitatés, omnem omnium motum in ſeipſam conuocat, dum præbet his conſpicuam notitiam gratiæ qua priuati ſunt: illis autem largitur arcanam ſenſu, ſed participatione manifeſtam recognitionem bonitatis, cuius tenebantur deſiderio.

CAP. 33.

Singula diuina dona innatũ in nobis habent eorum capax organum.

MENS, inquit, eſt organum ſapientiæ: ratio, cognitionis: vtriuſque certitudo naturalis, vtroque conſtantis fidei: chariſmatis ſanitatum, beneuolentia naturalis. Nam omne chariſma diuinum habet in nobis idoneum & innatum capax organum, veluti potentiam, habitum vel affectũ. Exempli gratia, qui purum reddidit animum ab omni ſenſilium imaginatione, ſuſcipit ſapientiam. Qui rationem conſtituit dominam affectionum innatarum, iræ inquam & cupiditatis, recipit cognitionem. Qui verò mentis & rationis circa diuina præditus eſt inconcuſſa certitudine, recipit eam quæ poteſt omnia, fidem. At qui ſublata penitus philautia naturalem humanitatem rectè promouet, conſequitur chariſmata ſanitatum.

CAP. 34.

Diuinorũ donorum ſuſceptiua diſpoſitio in nobis ſita eſt.

QVISQVE noſtrum iuxta proportionem fidei ſuæ manifeſtam obtinet ſpiritus efficaciam. Itaque ſuæ quiſque gratiæ quæſtor eſt, nullúſque cordatus inuidere debet alij, qui gratiis fulgeat, cum in ipſo ſita ſit diſpoſitio ſuſceptiua diuinorum bonorum.

CAP. 35.

Deſidia incredulitatẽ demõſtrat.

FIDEI cuiuſque menſuram ait eſſe cauſam diſtributionis diuinorum bonorum. Prout enim credimus, acceſſionem etiam promptitudinis ad agendum obtinemus. Quamobrem qui operatur, iuxta proportionem actionis declarat fidei modum ſuſcipiens menſuram gratiæ, quatenus credidit. Qui verò non operatur, pro modo deſidiæ, menſuram incredulitatis demonſtrat, tantam recipiens gratiæ priuationem, quantum habuit incredulitatis. Quare malè agit inuidus, dum indignatur fœliciter agentibus, cùm habeat in ſe & non in alio manifeſtam

Bene agẽdi manifeſtã electionẽ in nobis habemus.

manifestam electionem credendi,agendi,gratiámque iuxta mensuram fidei venientem susciendi.

CAP. 36.

QVI diligit honesta, ex prouidentia sponte deducitur sapientiæ sermonibus ad deificationis gratiam:qui autem auersatur ea, iusto iudicio castigationis modos expertus, inuitus abstrahitur à vitio: dum ille, tanquam amans Deum, per prouidentiam deificatur: hic autem, vt rebus terrenis deditus,per iudicium non sinitur incurrere condemnationem. Deus enim,cum sit bonus,sapientię verbis curat volentes:tardiores autem ad virtutem, castigationis generibus sanat.

Castigat Deus tardiores ad virtutem.

CAP. 37.

VERA fides, est veritas carens mendacio, quæ retinet ac conciliat. Bona verò conscientia supra vires dilectionis extollitur:vtpote,quę nulla teneatur transgressione mandati.

Vera fides quæ sit.

CAP. 38.

ET requiescant, inquit, super eum septem spiritus: spiritus sapientiæ, spiritus intellectus, spiritus cognitionis, spiritus scientiæ, spiritus consilij, spiritus fortitudinis,spiritus timoris Dei. Horum autem spiritalium charismatum proprium est: timoris quidem,vt abstineamus à malis: fortitudinis, vt quæ bona sunt operemur: consilij, vt discernamus contraria:scientiæ,vt probè teneamus quę sunt officij nostri:cognitionis,vt vim diuinorum de virtutibus sermonum comprehendamus:intellectus, vt animo per omnia consentiamus iis quæ nouerimus:sapientiæ verò, latens cum Deo vnio: qua, iis qui digni sunt, desiderium euadit in fruitionem, quæ participatione facit eum qui particeps est, Deum: & ex perenni miniméque fastuoso accessu & emissione diuinorum mysteriorum ad eos qui opus habent, constituit illum enarratorem diuinæ beatitudinis.

Esa.

CAP. 39.

SPIRITVS timoris Dei, est abstinere ab his quæ ipso facto mala sunt. Spiritus fortitudinis, est alacer animi impetus ac motus ad peragenda & exequenda mandata. Spiritus consilij,est habitus discernendi peritus, quo ratione accedente diuina mandata peragimus, & à melioribus deteriora distinguimus. Spiritus scientiæ, est studiosè agendi rationes firma tenere memoria: quam dum sectamur, à recto rationis iudicio nunquam excidimus. Spiritus cognitionis, est præcepta eorúmque rationes, quibus constant modi virtutum completi Spiritus intellectus, est modis virtutum ac de iis habitis sermonibus consentanea dispositio: vel, vt magis propriè loquar, commutatio, qua facultates naturales cum præceptorum modis ac sermonibus permiscentur. Spiritus sapientiæ, est excitatio & vnio cum causa sermonum qui præceptis insunt, magis spiritualium: qua incognito modo sermones qui de rebus apud Deum sunt, quantum fas est hominibus, simpliciter intus reconditos, velut ex quodam fonte cordis scaturiente, veritatem omnium aliis hominibus variis modis exhibemus.

Ordo cognitionis rerum diuinarum.

CAP. 40.

AB his quæ postrema sunt apud Deum, nobis autem contigua, via & ordine ascendimus ad prima: quæ quidem procul à nobis sunt semota, sed Deo proxima. Nam ab eo quòd metu abstinemus à malis, per fortitudinem ad exercẽdas virtutes accedimus: porrò ab operatione studiosa, ad discretionem consilij: à discretione, ad habitum virtutum,vtpote scientiam: ab habitu virtutum, ad cognitionem quæ ipsis virtutibus insunt, rationum: ab hac, ad habitum quo conuertimur ad cognitas virtutum rationes,intellectum dico:ab hoc,ad simplicem & exactam veritatis singularum rerum speculationem:è qua erumpentes,ex docta rerum sensilium ac substantiarum intelligibiliũ contemplatione, plures variásque de veritate rationes pietati consentaneas reddemus.

CAP. 41.

BONVM quod apud nos in operatione primum est, nempe timor, postremo loco scripturæ sermo numerauit,velut initium sapientiæ:quo impulsi,ad finem sapientiæ conscendimus, intellectum: post quem euadimus proximi Deo,vnionis cum eo mediatricem solam habentes sapientiam. Siquidem fieri non potest,vt quis adipiscatur sapientiam,nisi priùs per timorẽ & reliquorum charismatum media, lippitudinem ignorantiæ vitiorúmque puluerem à se planè excusserit. Propterea Deo quidem proximam sapientiam,nobis autem timorem ordo scripturę collocauit:vt nos ordinis bene compositi definitionem ac legem ediscamus.

Isa. 11.

Timor initium est sapientiæ. Prouer. 1.a 9.c.

CAP. 42.

HIS igitur gradientes oculis fidei, hoc est, illuminationibus, in diuinam sapientiæ cogimur vnitatem, quæ nostra gratia passa est charismatum diuisionem,particularibus virtutum progressibus ad vnam procedentes causam charismatum, nullo prædictorum (cooperante Deo) prætermisso: ne paulatim negligentes, fidem nostram reddamus cæcam & orbatam oculis, nullisque spiritalibus operibus illustratam: ac meritò per infinita sæcula pœnas luamus, tanquam in nobis ipsis diuinos fidei oculos(quod in nobis est)excæcauerimus.

Fides cæca.

CAP. 43.

QVICVNQVE neglectu mandatorum insciptales effoderit oculos fidei, planè damnatus est, non habens vltra Deum intuẽtem in eum. Si enim sermo diuinus operationes spiritales appellat oculos domini,qui mandatorum executione non aperit illos, inspectorem sui Deum non habet, quia Deus non solet,vt verisimile est, aliis oculis intueri illos qui versantur in terra, si modò illuminatio nostri secundum virtutem, est inspectionis diuinæ radius.

Fidei oculi sunt operationes spirituales.

CAP. 44.

SAPIENTIA est vnitas, quæ ex variis virtutibus ab ipsa prodeuntibus indiuisim perspicitur, & vniformiter ex illarum effectibus intelligitur. Rursus etiam, declaratur simplex vnitas, dum virtutes ab ea manantes restituuntur in ipsam:quando nos, quorum opera per cuiusq; virtutis procreationem progressum facit extensim per vnamquanque virtutem ad ipsam redigimur.

Sapientia quid sit.

CAP. 45.

CÆCA præditus est fide, qui non peragit mandata diuina per fidem. Cum enim diuina mandata sint lux, proculdubio caret lumine diuino, qui

Fides cæca

mandata diuina non exequitur: & nudam, at non A veram præ se fert denominationem diuinam.

CAP. 46.

Carnis infirmitatem nemo habere potest pro peccati patrono.

NEMO dum peccat, infirmitatem carnis habere potest pro patrono peccati, quoniam vnio cum Deo Verbo naturam integram soluta maledictione restituit, reddiditque nobis affectionem animi adhærētem passionibus inexcusabilem. Siquidem diuinitas Verbi, quæ per gratiam semper adest credentibus in ipsum, legem peccati versantem in carne labefactat.

CAP. 47.

QVI fide ac dilectione in Deum fallaces cupi- B ditates siue motus affectionum præter naturam accidentium superauit, is ex ipsa lege naturali excedit, totúsque transfertur in regionem intelligibilium: & quod arridet naturæ, vnà cum accedentibus ei, velut aliena à seipso seruitute summouet.

CAP. 48.

Superbia ex eruditione.

COGNITIO quæ diuino timore per operationem non coërcetur, excitat superbiam: suadens ei qui de illa gloriatur, vt quod accepit mutuò, ostentet velut proprium, & emendicatam rationem ad gloriam suam referat. At operatio quæ cum diuino desiderio crescit, & vltra ea quæ agenda sunt nosse non tentat, humilem reddit actorem, à sermonibus C vires suas superantibus in seipsum collectum.

CAP. 49.

HABITVS virtutis vacuus affectionibus, & cognitio nullo erroneo conceptu infestante se imbuta, est domicilium cœleste.

CAP. 50.

QVEMADMODVM vnitatis motæ finis est myrias, & myriadis non motæ principium est vnitas, liquidò cuiuscunque finis initium, est quies illi consentanea: finisque cuiusuis principij, est consentanei motus complementum: ita fides, cum sit

Fides est principiū virtutum.

natura principium virtutum, finem habet, boni D proficiscentis ab illis complementum: & quod natura bonum est, vt virtutum finis, habens fidem pro principio, ad ipsam intrinsecus recipitur, quia fides, est bonum internum, & bonum est fides operibus explicata. Deus porrò natura fidelis est & bonus: illo quidem modo, vt primum bonum: hoc autem, vt postremò expetendum. Hæc autem sunt idem, ac mutuò prorsus insunt, nulla omnino ratione inuicem distincta, præterquàm intellectu, propter motum incipientium ab illo, & in illum desinentium. Certè myrias gerens figuram extremè appetendi boni, plenum describit desiderium eorum qui tendunt ad illud: vnitásque præ se ferens imaginem primi boni, perfectum declarat funda- E mentum eorum qui mouentur ab illo.

CAP. 51.

Affectionū vacuitas quadruplex.

PRIMA quidem affectionum vacuitas, est cum prorsus abstinemus ab his quæ re ipsa vitiosa sunt: quæ conspicitur in iis qui instituuntur. Secunda, cum plenè abigimus ex animo cogitationes vitiis consentientes: quæ comparatur ab his qui cum ratione sunt virtutis participes. Tertia, quando nullo modo mouetur affectionibus appetendi facultas, in iis qui per figuras intuentur animo rerum visibilium rationes. Quarta verò vacuitas affectionum, est vel ipsius nudæ imaginationis integra purgatio, quæ partem animi præcipuam confirmat, his qui per cognitionem & speculationem speculum Dei purum ac nitidum efficiunt. Igitur qui seipsum expurgauerit ab affectionibus exercendis, à consensione animi illis fauente liberauerit, statum circa illas se mouentis cupiditatis fuerit adeptus, mentémque ab earum imaginatione nuda reddiderit impollutam, quatuor generales affectionum vacuitates consecutus, à materia rebúsque materialibus decedit, & ad intellectualem, diuinam, & tranquillam intelligibilium sortem promouetur.

CAP. 52.

PRIMAM affectionum vacuitatem dicit, corporis motum operando liberum à peccato; Secundam, plenam cogitationum animæ affectionibus adhærentium abdicationem, qua labefactatur affectionum motus secundùm primam affectionum vacuitatem, eò quòd careat cogitationibus affectiones sectantibus, quæ accendant illum ad operandum. Tertiam, circa affectiones perfectam cupiditatis constantiam, ex qua nascitur etiam secunda, quæ consistit in puritate cogitationum. Quartam verò vacuitatem affectionum appellat, integram ex animo sensilium omniū imaginationum C abiectionem, vnde tertia trahit originem, cum non habeat rerum sensibilium imaginationes, quæ forment illi affectionum imagines.

CAP. 53.

RATIO & intellectus perinde ac puer aut puella, cuiuis homini operationi dedito negotium facessunt, dum intelligere nituntur & formare modos operandi secundum virtutem: ac velut ex aduerso structam omnem vim suam habent contra spiritus nequitiæ, philosophiæ actiuæ aduersantes. Philosophia actiua. Vbi verò philosophiam actiuam compleuerint, quam declarauit senarius virtutum numerus (dictum est enim, numero senario philosophiam actiuam significari) liberi dimittuntur, ratio videlicet ac intellectus, vt ad spiritalem redeant contemplationem rationum rebus cognatarum.

CAP. 54.

Ira & cupiditas si domitæ fuerint à ratione, seruiunt virtutibus.

PVERVM ac puellam alienigenas, ira cupiditás- que repræsentant: quas contemplatiuus animus beneficio fortitudinis ac temperantiæ per omnia subiugat rationis dominio, vt virtutibus inseruiant: nulla prorsus illis concessa ad libertatem remissione, donec lex naturæ plenè fuerit absorpta à lege spiritus, velut miseræ carnis mors ab infinita vita: totáque purè appareat regni principio carentis imago, integram habens per imitationem archetypi formam: qua mens effecta contemplatiua, libertate donat irascendi appetendíque facultatem: hac quidem transformata in intemeratam amoris diuini oblectationem & desiderium impollutum: illa verò ad feruorem spiritalem ignotúmque nobis perpetuum motum sobriúmq; furorem traducta.

CAP. 55.

ANIMVS circa veram cognitionem immutabilis, sensúsque circa virtutem incorrupta est imago regni carentis initio: dum corpus & anima sola diuina lege spirituali inuicem colligata sunt, animo per spiritum sibi sensum vendicante: quo fit, vt

fit, vt vim rationis habeant ſemper mobilem, ſemper viuam, ac penetrantem, in qua omnis prorſus abeſt obſcuritas erga rem diuinam.

CAP. 56.

Cupiditatis, Voluptatis, Iræ & Furoris definitio: quòdque omnia ſub rectæ, virtutibus ſeruant.

CVPIDITATEM executioni traditam aiũt eſſe voluptatem, ſiquidem ſecundùm eius definitionem bonum præſens eſt: voluptatem verò quæ nondum ſortita eſt effectum, cupiditatem, ſi quidem pro eius definitione futurum eſt bonum. Iram autem aiunt eſſe furoris motum nondum in opus deductum: furorémque eſſe iram, quæ prodit in opus. Itaque qui haſce facultates rationi ſubiecerit, reperiet cupiditatem quidem ſibi cedere oblectationi ex impolluto per gratiam, animæ complexu cum numine diuino: iram verò, intemeratum fieri feruorem oblectationis erga numen diuinum cuſtodem, temperatum furorem penitus alienantem à rebus creatis deſiderio facultatis animam demulcentis. Idcirco quandiu vixerit in nobis mundus, & ergà res materiales animæ ſpontanea fuerit habitudo, huiuſmodi facultatibus nõ eſt danda libertas: ne permixtæ cum ſenſilibus velut indigenis impugnent animam, illámque affectionum mancipium effectam capiant, vt olim Babylonij Ieruſalem. Eo enim ſeculo quo lex pueros a-
4.Reg.25.a lienigenas ſeruire iubebat, ſermo diuinus oſtendens quæ debeant intelligi per ea quæ narrabantur, ſignificabat ſpontaneam habitudinem animæ huic mundo, hoc eſt, præſenti vitæ deditam.

CAP. 57.

MALVM dicit eſſe coarctatũ, quia principium habet motum noſtrum prẽter naturam: bonum verò non arctatum, vtpote natura præcedens omne tempus ac ſeculum. Bonum ait eſſe intelligibile, quod ſolum intelligi debeat: malũ autem nõ intelligibile, quod quidem ſolum nõ ſit intelligendum. Bonum aſſerit effabile, quoniam illud duntaxat enuntiari oporteat. Bonum etiam inquit eſſe, quod fit. Nam cum per naturam ſit ingenium, per gratiam beneuolentia motum erga homines pro nobis pertulit vt gigneretur: vt nos, qui facimus & loquimur, deificaret: quod quidem maximè ſolum fieri debeat. At malum, non factum: quippe quod ſolum fieri non opporteat. Malum dicit corruptibile, quia natura mali corruptio eſt, quæ nuſquam vllo modo ſubſiſtere poteſt: bonum autem incorruptibile, vtpote quod ſemper eſt, & nunquam eſſe deſinit, ac omnia quibus ineſt, conſeruare ſolet. Quapropter hoc ipſum rationali facultate quærimus, appetitiua deſideramus, iraſcendi verò potentia tutum conſeruamus: at ſenſitiua parte ipſum impermixtum à contrariis ſcitè diſcernimus, voce illud exprimentes ignorantibus declaramus, genitiua facultate multiplicamus illud: quinimò, vt verum dicam, per illud multiplicamur.

CAP. 58.

OPORTET animum contemplationi deditum rerum notitias, ſpeculationes ac motiones proprias moderantem, habitum gerere vitiorum infœcundum, hoc eſt, nulla prorſus concipientem aut parientem vitia. In quo verſari debet, qui dat operam cõtemplationi, ne quo modo, dum rerum ſpiritualem agit ſpeculationem, neſcius incidat in quempiam ex malignis ſpiritibus, qui ſenſibili

A quodam puram obſeruationem cordis ſolent corrumpere.

CAP. 59.

QVI virtutis aut ſcientiæ nomine vana quadam gloria vulneratus, Abſalonis more comam opinionis ſtolidè nutriens, arte compoſitam mixtámque velut mulam ad decipiendos ſpectatores morum oſtentat conuerſationem, ob quam elatus exiſtimat ſe poſſe ſubiugare patrem, qui doctrina verbi genuit, volens ſibi-ipſi tyrannicè arrogare omnem virtutis ac ſcientiæ gloriam, quæ diuinitus adhæret patri: talis, inquam, egreſſus in latitudinem naturalis in ſpiritu contemplationis, ad bellum rationale pro veritate gerendum, ductus vigore ſenſus præ denſitate quercus ſyluoſarum ſpeculationum tenetur coma, habens ipſam vanam exiſtimationem alligantem ipſum morti, quæ medium ſuſpendit eum inter cælum & terram. Nam vanæ gloriæ cupidus, deprimente illum opinione, non habet ſcientiam, quæ inſtar cœli extollat eum: neque item terram, hoc eſt, fundamentum operandi in humilitate, demittens eum, attollente illum inflatione, quem vel mortuum luget præceptor qui genuit, humanitatem motus & amore diuino, nolens imitatione Dei, mortem peccatoris, vt ipſe
C conuertatur & viuat.

2.Reg.18.c

Vanæ gloriæ cupidꝰ, medius pẽdet inter cælum & terram.

CAP. 60.

PRINCIPIVM ac finis ſalutis vniuſcuiuſque eſt ſapiẽtia: quæ timorem quidem in primis gignit, & in perfecto deſiderio poſtea ſubſiſtit: imò verò ipſa noſtra cauſa diſpenſatiuè fit timor ab initio, vt amatorem vitij comprimat: poſteriúſque circa finem naturaliter à ſeipſa reperitur eſſe deſiderium, vt riſu mentis repleat eos qui conſuetudine ipſius permutarunt omnia.

Sapientia eſt ſalutis finis & prĩcipium.

CAP. 61.

SAPIENTIA & timor, & priuatio quæ ex fuga naſcitur apud eos qui non expetunt illam. Deſi-
D derium porrò eſt habitus voluptariam vim habens, qui reperitur ab his qui diligunt illum. Ipſe enim expectatione ſupplicij liberans affectionibus, tum gignit timorem, tum deſiderium parit, acceſſione virtutum aſſuefaciens animum intueri futura.

CAP. 62.

OMNIS confeſſio humiliat animam: vna quidem, gratia Dei iuſtificatam: altera verò, quæ accuſationibus erudit illam ignauia proprij animi detineri.

Confeſſio omnis humiliat animam.

CAP. 63.

DVPLEX eſt confeſſionis ratio. Prior quidem conſiſtit in agendis gratiis ob præſtita bona: poſte-
E rior autem fieri dicitur, ad arguenda & examinãda quæ perperam geſta ſunt. Nam confeſſio dicitur & beneficiorum diuinorum, quibus affecti ſumus, cum actione gratiarum enumeratio, & malè geſtorum ab reis emiſſa relatio. Vtraque verò humilitatem parit. Etenim tam is qui de bonis acceptis gratias agit, quàm ille qui ob commiſſa crimina caſtigatur, humiliatur: ille quidem, ſeipſum iudicans & vocitans indignum donatis: hic verò, dum precatur, vt remiſſionem delictorum accipiat.

Confeſſionis duplex ratio.

CAP. 64.

AFFECTIO ſuperbiæ duplici conſtat ignoratione. Duæ porrò ignorationes in vnum cõcurren-

Superbiæ coniuncta eſt duplex ignorãtia.

tes, reddunt vnum intellectum confusum. Ille siquidem solus est superbus, qui tum auxilium diuinum ignorat, tum infirmitatem humanam. Superbia igitur est, diuinæ humanæque cognitionis priuatio. Extremorum enim verorum inficiatione, vnica & mendax efficitur affirmatio.

CAP. 65.

Vanæ gloriæ definitio. VANA gloria, est recessus à scopo diuino, & ad alium scopum quàm diuinum transitus. Quocirca vanæ gloriæ deditus est ille, qui suæ, at non diuinæ gloriæ causa virtutem exercet, propriisque laboribus, non subsistentes laudes, ab hominibus redimit.

Virtutem nudo sensu metiri.

CAP. 66.

Complacentia humana. QVI placet hominibus, apparentes duntaxat mores curat, & adulatorium sermonem: vt illis quidem videntes: hoc autem, sibi conciliet audientes: qui eorum modò quæ videntur & audiuntur voluptate & stupore capti, nudo sensu metiuntur virtutem. Dicimus ergo humanam complacẽtiam esse, morum verborúmque ostentationem comparatam hominum causa, velut ob virtutem.

CAP. 67.

Hypocrisis multiplex. HYPOCRISIS, est amicitiæ fucus, vel odium habitu amicitiæ velatum, aut inimicitiæ quæ sub beneuolentia exercentur, aut inuidia quæ dilectionis stilum imitatur, aut vita splendens non re ipsa sed fictione virtutis, aut iustitiæ simulatio quæ sola apparentia conseruatur, aut deceptio veritatis habens formam: cuius studiosi sunt hi qui prauitate morum serpentes imitantur.

CAP. 68.

Arrogãtia. DEVS est causa rerum, ac bonorum quæ rebus insunt. Quare qui de virtute vel cognitione gloriatur, & pro modo virtutis aut promotionis per gratiã collatæ non auget vnà suæ infirmitatis cognitionem, arrogantiæ vitium non effugit. At qui propriæ gloriæ causa sectatur quod honestum est, Deo seipsum anteponit, vanæ gloriæ clauo traiectus. Qui virtutem exercet aut simulat vt videatur ab hominibus, commendationem humanam longè præfert diuinæ, & affectione complacentiæ humanæ laborat. Qui splendore virtutis, ad decipiendum duntaxat, astutè mores colorat, prauam affectionem animi tegit apparenti pietatis habitu hypocriseos dolo virtutem redimit. Quamobrem talis ad alia quàm ad causam cuiusque eorum scopum abducit.

Hypocrita.

CAP. 69.

NVLLVS vnquam dæmon malignus alacritatem studiosi viri prohibet, sed potiùs dolosè amputatis virtutum defectibus, certantibus imperat, vt vehementius contendant, addens illis animum, vt totum sibiipsi vendicet eius qui se exercet intellectum, qui perdito mediocritatis æquilibrio pergit inscius ad aliud, quàm ad id quod apparet, diuerticulum.

CAP. 70.

Dæmõ nõ odit virtutem, cuius causa vel scopus ad eum inclinat. DAEMONES non oderunt temperantiam, nec execrantur ieiunia, non largitionem pecuniarum, non hospitalitatem, non psalmorum decantationem, non legendi studium, non tranquillitatem, non scientias maximè sublimes: neque si quis humani dormiat, non vigilias, non reliqua omnia quibus insignita est vita Deo grata, quandiu inclinat in eos scopus & causa eorum quæ geruntur.

CAP. 71.

Dæmones virtutis cooperatores, omnium maximè metuendi. 3. Esdr. 5. g Hebr. 4. c ILLE qui se exercet, cum alios dæmonas citius fortè cognoscat, facilè vitat damnum quod ab illis infertur. At eos dæmonas qui cooperari videntur ad cursum virtutis, & quasi coædificare inimici Iudæ & Beniamin, accedentes ad Zorobabel dixerunt: ædificemus vobiscum, &c. volũt templum Domino, quænam mens hominum, etiam valde sublimium, complecti possit, absque viuo & efficaci verbo quod omnia penetrat, ac pertingit vsque ad diuisionem animæ & spiritus: hoc est, dignoscit quænam operationes & conceptiones prodeant ab anima, nempe species & motus naturales virtutis: & quæ spiritales sint, id est, supra naturã, & Deum referentes, naturæ verò per gratiam collatæ: scit etiam planè compagum ac medullarum inclinationem congruam aut non idoneam spiritalibus sermonibus de modis virtutum: & discernit cogitationes & intentiones cordium, hoc est, in his quæ diximus inuisibiles ob profunditatem habitudines & earũ causas in anima latentes: cui nulla est creatura inuisibilis in nobis qui latere videmur, sed omnia nuda & aperta sunt, nõ modò quæ facta sunt & intellecta, sed etiam quæ facienda sunt à nobis ac intelligenda.

CAP. 72.

Hebr. 4. DIVISIONEM animæ & spiritus dicit, differentiam virtutum à natura manantium, quarum causas habemus à natura: & earũ quæ proficiscuntur à spiritu, quarum gratiam pro munere suscipimus. Harum enim summa cum discretione distinctionem facit sermo discernens.

CAP. 73.

COGITATIONES & intentiones, quarum discretor est sermo, ait esse habitudines animæ, tam erga verba diuina, quàm erga cogitationes, & earũ videlicet habitudinum causas. Siquidem cogitatio mouet memoriam, cuius proprium est habitudo: intentio verò considerat finem, qui quidem denotat causam.

CAP. 74.

SI Deus est substantialis cognitio, omnem porrò cognitionem liquidò præcedit intellectus, sub quem etiam cadere solet: igitur illa superior est Deus, quia omnem quoque plusquàm infinitè superat intellectum, sub quem cuiuscunque rei cognitio cadere nata est.

CAP. 75.

QVIS non habens in profundo cordis verbum diuinum, poterit, inuisibilibus astutiis aduersariæ nobis hypocriseos dæmonum declinatis, per seipsum subsistere purus absque vlla mixtione, & ædificare templum Domini, imitatus Zorobabel magnum, Iosue, ducésque familiarum (qui diserta grandique voce impostoribus spiritibus superbiæ, vanæ gloriæ, humanæ complacentiæ, & hypocriseos dicunt, Non est vestrum ædificare nobiscum templum Domino Deo nostro. nos enim soli ædificabimus Domino Israël) cognoscens, horum permixtionem, totius ædificij parare ruinam & euersionem, ac diuinorum donariorum gratiam dignitatémque surripere? 3. Esdr. 4. 5

CAP. 76

Cap. 76.

Nvllvs habens aliquem è dictis dæmonibus secum exercentem virtutem, poterit hanc ædificare Domino: quia non habet Deum vt finem eorum quæ aguntur, quem intuens perturrat illam: sed affectionem, quæ quidem per hanc subsistit.

Nemo potest cum dæmone, virtutem ædificare Deo.

Cap. 77.

Daemones qui ob defectum virtutis nos impugnant; hi stuprum, ebrietatem, auaritiam & inuidiam docent: qui verò ob excellentiam infestãt, hi existimationem, vanam gloriam & superbiam docent, ac sub prætextu secundorum, aduersis nos clam transfigunt.

Tentationum duo genera.

Cap. 78.

Vtinam eueniat, vt spiritibus malignis, inuisibili modo, sub fictione spiritalis amicitiæ irrumpẽtibus, & qui sub occasione boni latenter moliri volunt mortem peccati, aiúntque: Vnà vobiscum ædificabimus templum Domino vestro, semper dicamus: Nõ pertinet ad vos nobiscum ædificare domum Domino Deo nostro: nos enim soli ædificabimus Domino Israëlis: Soli quidem, quia liberati à spiritibus qui nos impugnabant defectu virtutis, è quorum manibus elapsi sumus, nolumus excellentius opera vestra elati, denuò transfigi ac subire casum tantò priore grauiorem, quantò ab illo quidem redeundi spes erat facilior, vt quibus esset cõdonatum ob infirmitatem: ab hoc verò aut non est, aut difficilis erit, nempe odiosis superbiæ nomine, & secundò quippiam aliud secundius facientibus. At rursum nõ soli, quia sanctos Angelos habemus ad bona coadiutores: imò verò Deum ipsum, per opera iustitiæ seipsum nobis declarantem, ac nos sibi ipsi templum sanctum & ab omni affectione liberum, construentem.

1.Cor.5.

Angelos habemus adiutores.

Cap. 79.

Terminvs virtutis est, infirmitatis humanæ, per cognitionem, cum diuina potentia vnio. Qui igitur seipsum circunscribit infirmitate naturæ, nõ peruenit ad terminum virtutis, & ideo delinquit, nondum assecutus potentiam, quæ quod infirmũ est, corroborat. At qui diuinæ potentiæ suam imbecillitatem velut robur arroganter opponit, egressus est terminum virtutis, & propterea peccãs, vt seipsum præcellentem faciens ei quod est à tergo, non agnoscit, virtutem putans esse delictum. Quare venia dignior est, qui infirmitate naturali se coarctat, cui per ignauiam potius accidit vt excideret à virtute, quàm is qui ad ea peragenda quæ decent, imbecillitatem propriam vt robur opponit potentiæ diuinæ: vt per superbiam magis labatur à virtute.

Cap. 80.

Iac.5.d

Qvoniam dictum est: Multum valet deprecatio iusti efficax; scio duobus modis hanc efficacem esse: vno quidem, quando precator cum operibus mandatorum orationem præsentat Deo, & non in nudo duntaxat sermone & inani vocis sono linguæ sitam precationem, quæ vacua excidit, & non subsistit: sed efficacem & viuam, operibus mandatorum animatam. Orationis enim & precationis fundamentum est profectò per virtutes præceptorum implementum, quo validam, & quæ potest omnia, iustus obtinet orationem mandatis incumbentem. Altero autem modo, cùm is qui opus habet oratione iusti, peragit orationis opera, tum emendatione pristinæ vitæ, tum valida precatione iusti per honestam eius conuersationem potentiore facta.

Orationis fundamẽtum.

Cap. 81.

Nihil confert precatio iusti, cùm is cui necessaria est, magis delectatur peccatis quàm virtutibus. Nam magnus quoque Samuel lugebat quondam delinquentem Saulem: at Deum placare non potuit, eo quòd non haberet luctus adiutricem delinquentis emendationem congruam. Quocirca iubens Deus ab inutili lamentatione cessare seruum suum, ait illi: Quandiu lugebis Saulem, cum ego spreuerim illum, ne regnet super Israëlem?

1.Reg.16.a

Cap. 82.

Et rursum Ieremias maxima compassione ductus pro populo Iudæorum insaniente circa dæmoniorum errorem, non exauditur orãs, quoniam ad vim precationis augendam non habebat Iudæorũ Deo carentium, ab errore conuersionem: vnde reuocans illum Deus à luctu inutili, inquit: Tu ne oraueris pro populo isto, & ne roges vt illorum miserear. Ne precare, néve accedas ad me pro illis vltrà, quia non exaudiam.

Ierem.7.

Cap. 83.

Svmmae re vera stoliditatis est, ne dicam dementiæ, iustorum precibus salutem quærere eum qui affectione delectatur pernicios: & eorum postulare veniam, in quibus exultat: cùm re ipsa sit inquinato proposito, & conueniat non incassum fieri orationem iusti; & qui opus habet illa, permanere immobilem (si modò verè infensus est rebus prauis) sed operibus locupletatum & validum propriis virtutibus euolantem, ac præuenientem eum qui potest concedere delictorum abolitionem.

Stolidus est qui in peccatis perseuerans, oratione iusti salutem quærit.

Cap. 84.

Mvltvm valet iusti deprecatio, operibus ornata, tum ex parte eius qui emittit illam, tũ ex parte illius qui eam fieri postulat. Nam à iusto operibus dotata, præstat illi fiduciam erga eum qui donare potest iustis postulata: ab eo verò qui petit illam à iusto, summouet eum à pristina nequitia, illiúsque affectionem traducit ad virtutem.

Iac.5.d

Cap. 85.

Cvm dicat Apostolus, in quo exultatis, modicũ nunc si oportet contristari vos, in variis tentationibus quo pacto quis afflictus tentationibus exultare potest in eo in quo angitur?

1.Pet.1.b

Cap. 86.

Sermo veritatis duplicem nouit tristitiam: vnã, quæ in anima: alteram, quæ in sensu palàm consistit: & illam quidem, complecti totum illud animæ profundum, quod flagello conscientiæ cæditur; hanc autem, molestiarum grauitate vniuersum sepire sensum ab effusione naturali cõtractum: illámque sensilis voluptatis, hanc autem lætitiæ animæ finem esse: imò potius, illam spontaneorum sensus affectionum esse conclusionem, hanc verò earum quæ præter opinionem eueniunt animæ.

Tristitia duplex in scripturis.

Cap. 87.

Tristitia (vt dicam quod mihi videtur) est affectus priuatus voluptatibus. Priuatio autem voluptatum, est laborum inuectio. Labor autem pro-

Tristitiæ & laboris definitio.

culdubio est defectus & subductio naturalis habitus. Defectus autem naturalis habitus, est affectio facultatis quæ natura subiecta est habitui. Affectio verò facultatis habitui natura subiecta est, naturalis abusiuè tamen, actionis modus. Abusus autem in agendo modi, est facultatis motus secundum naturam ac soliditatem ad id quod non est natiuitati obnoxium.

CAP. 88.

Tristitia finis est voluptatis.

TRISTITIAM animæ ait esse finem voluptatis in sensu positæ: hac enim constat animæ tristitia. Sicut etiam voluptatis animæ finis, est tristitia secundum carnem. Siquidem animæ lætitia carnis est castigatio.

CAP. 89.

Tristitia duplex.

DVPLICEM esse dicit tristitiam: vnã circa sensum, quæ constat corporearum voluptatum priuatione: alteram in animo, quæ nascitur ex priuatione bonorum animæ. Duplices quoque ait esse tentationes: quasdam, spontaneas; alteras autem, coactas. Ac spontaneas quidem, sensilis voluptatis esse parentes, tristitiæ verò quæ est in anima genitrices: (solum enim peccatum admissum humiliat animam) coactas autem, quæ quidem in laboribus præter voluntatem susceptis perspiciuntur, voluptatis ad animam spectantis esse parentes, ac tristitiæ corporeæ sensum affligentis procreatrices.

Tentationum duo genera.

Solũ peccatum humiliat animam.

CAP. 90.

Tentationũ duplex ratio.

QVEMADMODVM duplicem, vt dixi, tristitiã agnoscit sermo diuinus, ita scit etiam duplicem tẽtationum rationem: vnam voluntariam, alteram prẽter voluntatem: & illam quidem spontanearum voluptatum opificem, hanc verò coactos dolores inuehentem. Nam spontanea tentatio vltroneas apertè pro arbitrio gignit voluptates: ea verò quæ est præter voluntatem, liquidò coactos præter animum suggerit labores: item illa quidem, animæ: hæc verò, sensilis tristitiæ auctor est.

CAP. 91.

Tentatio vltronea.

VLTRONEA quidem tentatio tristitiam animę procreat, sensúsq; voluptatem manifestè parit: coacta verò, oblectationem animæ, & carnis angorẽ inducit.

CAP. 92.

EXISTIMO Dominum nostrum ac Deum, docentem discipulos suos quo modo sit orandum, vt abstinerent ab vltronea tentationum specie, dicere: Et ne nos inducas in tentationem: precarentur videlicet, ne desererentur ad experiendas, oblectãtes, animo gratas, & spontaneas tentationes: magnum autem Iacobum, qui dicitur frater Domini, ad speciem tentationum coactarum se retulisse, dũ docet certantes pro veritate non debere terreri, inquiens: Omne gaudium existimate, fratres mei, cũ in tentationes varias incideritis: nempe coactas, præter voluntatem, & tribulationum procreatrices. Quod manifestè declarãt, tum Dominus subiiciens illic: Sed libera nos à malo: tum hîc magnus Iacobus: Scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur: Patientia autem opus perfectũ habeat, vt sitis perfecti & integri, in nullo deficientes.

Mat. 6 b

Magnus Iacobus frater Domini.

Iac. 1 d

CAP. 93.

DOMINVS certè docet nos deprecari spontaneas tentationes; vt carnis quidem voluptatem, animæ verò dolorem parientes. Magnus autem Iacobus suadet nobis, vt gaudeamus ob tentationes præter voluntatem accidentes, tanquam carnis oblectationem, animæ verò dolorem auferant.

CAP. 94.

Remedia contra vtrumque genus tentationum.

PERFECTVS est, qui per continentiam pugnat aduersus spontaneas tentationes; & in coactis, per patientiam perdurat. Integer verò est, qui & operationem cum cognitione, & speculationem non sine operatione peragit.

CAP. 95.

Voluptas & tristitia sensus & animæ.

DIVISA tristitia & voluptate in animam & sensum, qui sibi vendicat animæ voluptatem, ac tristitiam sensus cum patiẽtia suscipit, probatus est, perfectus, & integer: probatus quidem, propter experientiam contrariorum circa sensum: perfectus autem, quia per continentiam & patientiam sensili voluptati tristitiæque obnixè repugnat: integer verò, eo quòd in eadem rationis constantia seruet illæsos habitus aduersantes affectionibus circa sensum inter se contrariis. Dico autem actionem & contemplationem inter se cohærentes, & neutram ab altera disiunctam: sed actionem, speculationis notitiam moribus eminentem: speculationem autem, virtutem operatione non minus loricatam quàm ratione.

CAP. 96.

QVI fecit periculum tristitiæ voluptatisque carnalis, dicitur probatus, vt facilitatem ac difficultatem rerum ad carnem pertinentium expertus: perfectus autem, qui carnis oblectationem dolorémq; vi rationis expugnauit: integer verò, qui agendi & speculandi habitus summo diuini desiderij studio seruat immutabiles.

CAP. 97.

Doloris animæ duplex ratio.

DOLORIS animæ duplex est ratio: prior, quæ ob propria: altera, quæ propter aliena concipitur delicta. Causa verò huiusmodi tristitiæ, sine dubio est sensilis voluptas eius qui angitur, aut eorum quorum gratia torquetur. Siquidem vt accuratè dicatur, nullum propemodùm in hominibus est omnino peccatum, quod pro principio suæ procreationis non habeat voluptatis causa inconsidera tam animæ erga sensum habitudinem. At oblectationis animæ causa, sane est tristitia circa sensum eius qui ob sua vel aliena lætatur & gaudet. Nam, vt exquisitè dicatur, nulla ferè virtus est apud homines, quæ non habeat pro suæ natiuitatis initio meditatam animæ à sensu abalienationem.

Voluptas est principiũ omnis peccati.

Animæ alienatio à sensu, est principiũ omnium virtutum.

CAP. 98.

Animæ tristitiam præcedit carnis voluptas.

CITRA habitudinem erga sensum affectæ, non est prorsus in hominibus peccatum. Omnem porrò mœrorem in anima consistentem, voluptas carnis præcedit.

CAP. 99.

VERA procreatio virtutis, est animæ spontanea abalienatio à carne. Animam autem spiritaliter recreat, qui carnem domat vltroneis laboribus.

CAP. 100.

CVM virtutis causa habuerit anima affectum à sensu semotum, necessariò sensus affligetur, cùm careat habitudine sibi per voluntatem cohærente quæ suauia excogitare solet, nẽpe facultate animæ

contrà

contrà verò illa naturales ſenſus voluptates emergentes per continentiam viriliter retundat, & in coactis laboribus & præter naturam inuectis, per patientiam implacabilis omninò permaneat, caducæ voluptatis gratia non deſtituatur Deo conueniente per virtutem dignitate & gloria, nec quantùm ad remunerationem laborum, ob afflictum abſtinentia carnis ſenſum, à celſitudine virtutum excidat. Senſilis autem angoris cauſa, eſt quando tota occupatur anima circa ea quæ ſibi ſunt naturalia. Senſus verò voluptatem clariſſimè inducit operatio animæ præter ſuam naturam: nec poteſt illa aliud habere ſuæ natiuitatis initium, quàm cũ abiicit anima, quæ ſunt naturalia.

CENTVRIA QVARTA.

NOVIT ſermo diuinus animæ vim intellectiuam excogitandi facultate pollere: quæ quidem ſi ſegregetur ab habitudine quã habet erga ſenſum, relinquit carnem vacuam, prouidẽtia voluptatem procurante, quantùm ad voluntatis habitum attinet: nec ob vniuerſum animi tenorem circa diuina occupatum, carnis moleſtiam ſolari poteſt.

CAP. 2.

Senſus & mẽtis, cõtrarij ſunt obiectus, vt obiecta.

MENS ac ſenſus oppoſitum habent inter ſe naturalem effectum, propter eorum, quæ ſubiecta ſunt ipſis, ſummam differentiam ac diuerſitatem. Illa enim intelligibiles & incorporeas ſubſtantias habet ſubiectas, quibus capeſſendis ratione incorporea dare ſolet operam: hic autem ſenſiles & corporeas naturas, quas etiam ipſe naturaliter ſectatur.

CAP. 3.

Spiritualiũ neglectus, fere eſt initium corporeæ voluptatis.

DEPOSITIO rerum animæ naturalium, initiũ ſolet eſſe voluptatis ſenſum afficientis. Quia dum anima verſatur circa ea quæ ſibi naturalia ſunt, nulla eſt facultas, quæ genus aliquod ſenſilis voluptatis comminiſcatur.

CAP. 4.

Ratione imperante, caro neceſſariò torquetur.

QVANDO in rebus viſibilibus contemplandis ratio ſenſui ducatum præbet, omni voluptate naturali caro priuata eſt, non habens ſenſum liberum, & vinculis rationis ſolutum, ad ſuppeditandas ſibi gratas voluptates. Quocirca dum in nobis dominatur ratio, caro ad virtutem illi mancipata neceſſariò torquetur.

CAP. 5.

ANIMVS ſuperficiebus rerum ſenſilium inuolutus, ſtatim vt in ſenſu natura ſitam arbitratus fuerit ſuam eſſe facultatem, carnales excogitat voluptates: vt qui habitudine erga ſenſum affecta detentus, viſibilium naturam tranſcendere nequeat.

CAP. 6.

CVM fieri nequeat, vt animus pertingat ad familiaria ſibi intelligibilia citra ſpeculationem obiectorum in medio ſenſibilium, hæc autem fieri prorſus non poſſit abſque ſenſu, conſpirante quidẽ cum animo, ſenſibilibus autem natura cognato: meritò ſanè, ſi ſuperficiebus rerum ſenſibilium illaqueatus, exiſtimet adhærentem ſenſum eſſe vim naturalem, ab his quidem excidit quæ natura ſunt intelligibilia, præter naturam autem ambabus (quod aiunt) manibus complexus eſt corpora: quibus præter rationem agitatus, eo quòd ſuperetur à ſenſu, mœroris animæ genitor conſtituitur, crebris conſcientiæ flagellis percuſſus: ſenſilis autem voluptatis fit auctor inſignis, excogitandis rationibus carnem fouentibus impinguatus. Sin autem viſibilium, ſimul vt obiecta fuerint ſenſui, ſeparata ſuperficie, ſpiritales rerum exiſtentium † rationes, & à figuris inde naſcentibus puras contempletur, oblectationem produxit animæ nullius rei ſenſilis inſpectione captæ: ſenſus autem triſtitiam peperit, omnibus ſenſilibus illi natura gratis priuati. † λόγους.

CAP. 7.

Voluptatis & triſtitiæ origo in anima & ſenſu.

QVIA triſtitiam animæ, videlicet afflictionem (ambo enim inter ſe ſunt idem) procreat voluptas ſenſus: triſtitiam autem ſenſus, hoc eſt, afflictionem voluptas animę gignere ſolet, iuſta de cauſa qui deſiderat eam quæ ſecundùm ſpem eſt, vitam Dei ac ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, per reſurrectionem mortuorum in hæreditatem incorruptibilem, immaculatam & immarceſſcibilem conſeruatam in cœlis, animo quidem cõcipit exultationem & gaudium indicibile, continenti perfuſus lætitia ob ſpem futurorum bonorum, carne verò & ſenſu afficitur triſtitia, nempe tribulationibus ex variis tẽtationibus ei obuenientibus, & inſitis doloribus. Omnem ſiquidem virtutem ſubſequũtur voluptas & tribulatio: tribulatio quidem carnis, blando & ſuaui ſenſu priuatę: voluptas autem animæ, quæ deliciis affluit in ſpiritalibus ſermonibus ab omni ſenſili expurgatis.

Virtutem omnẽ ſequitur & voluptas & triſtitia.

CAP. 8.

CONVENIT mentem in hac vita (ſic enim intelligo ipſum NVNC) carne quidem mœrentem ob multas afflictiones tentationum, quæ virtutis cauſa ipſi inuehuntur, ſemper in anima gaudere & lætari de ſpe æternorum bonorum, quàmuis ſenſus vexetur. Quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, vt ait diuinus Apoſtolus. Rom. 8. d

CAP. 9.

Lex peccati eſt voluptas ſenſus.

CARO, eſt animæ: & non carnis, anima. Quia præſtantioris eſt inferius, non inferioris præſtantius. Quapropter cùm propter tranſgreſſionem immixta ſit carni lex peccati, quæ eſt voluptas ſenſus, propter quam perferendis laboribus condemnata eſt mors carnis, in interitum legis carnis excogitata, qui perſpicit, propter peccatum & illius delendi cauſa, introiiſſe mortem, læto ſemper eſſe debet animo, qui cernit per varias tribulationes exulãtem à ſua carne legem peccati, ad ſuſcipiendam in ſpiritu beatam vitam futuram: quam aliter conſequi non datur, niſi prius lex peccati, velut ex vaſe quodam, carne fuerit euacuata, propter habitudinem quam habet animus erga illàm in hac vita.

CAP. 10.

QVI propter labores de virtute triſtatur ſecundũ carnem, animo lætatur in ipſa virtute, quaſi prẹſentem videat futurorum dignitatẽ: cuius gratia, magni Dauidis ſententia, animo procul à carne recedente, quotidie moritur, qui per animæ generationem in ſpiritu ſemper renouatur, ſalutari potiſſimũ voluptate fretus doloréque perutili. Dolorem ſi-

quidem dicimus, non inopinatu m & qui multorũ A torquet animum, ob priuationem affectionum ac rerum materialium: vt qui præter naturã toto impetu ferantur ad ea quæ non conueniunt,& fugiũt ea quæ non oportet:sed consultum, qui diuina sapiẽtibus inserit,& præsens subindicat malum. Malum autem præsens aiunt esse tristitiam:quæ quidẽ consistit in anima,quando voluptas sensus rationalem discernendi vim occupat:in sensu verò sita est, cum sine vllo impedimento perficitur animæ cursus secundùm virtutem, qui tantùm affligit sensũ, quantùm oblectationis & gaudij parit animæ, quæ cognato virtutis & cognitionis splendore adducitur ad Deum. B

CAP. 11.

Salutaris voluptas & dolor.

SALVTAREM voluptatem dicit, animæ gaudium ob virtutem: fructuosum autem dolorem, molestiam carnis, quæ virtutis causa suscipitur. Quocirca qui affectionibus ac rebus addictus est, eo fertur quò non oportet: & qui priuationis affectionum & rerum effectrices occasiones non amplectitur, fugit ea quæ vitare non decet.

CAP. 12.

NEC diuina gratia parit cognitionis illuminationem,si absit quod naturali potentia capax est illuminationis:neque item ipsum quod est capax,sine gratia illustrationem suppeditante. C

CAP. 13.

Homo assequitur dona S. Sãcti pro ea quæ illi in est susceptiua facultate. Idem ait,i.cap. 16.20 79. & aliâs frequẽter.

NEQVE gratia sanctissimi Spiritus in sanctis producit sapientiam absque mente quæ suscipiat illam:neque cognitionem, citra facultatem rationis capacem:neque fidem, sine certitudine animi rationisque de futuris & iis quæ omnibus modò sunt ignota: neque dona sanitatum gratuita, citra naturalem humanitatem:neque aliud quoddam è reliquis charismatibus, si desit habitus & facultas cuiusque susceptiua. Neque item è diuerso vnum ex his quæ enumerata sunt,consequetur homo naturali potentia, nisi diuina virtus suppeditet ista. D Quod apertè declarant omnes sancti, qui post acceptas reuelationes diuinarum rerum, inquirunt, eorum quæ reuelata sunt,rationes.

CAP. 14.

QVI nulla ductus affectione petit, accipit gratiam qua possit operari secundùm virtutes. Et qui citra affectionem quærit, inuenit rerum veritatem naturali speculationi conformem. Qui carens affectione pulsat cognitionis ianuam, nullo prohibente perueniet ad secretam Theologiæ mysticæ gratiam.

Secreta mysticæ Theologię gratia.

CAP. 15.

Iacob 4 d

QVI vacuus affectionibus diuina quærit, accipiet omnino quod quæritur. Inquit enim; Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis: quia Deus omnem notionem transcendit. At nobis qui cognitione egemus, certè vel ipsa ratio quodammodo fit caro,non in seipsa,sed in nobis per carnẽ peragens mysterium. E

CAP. 16.

QVAERIT in nobis Spiritus sanctus rerum extantium cognitionem & scrutatur: at non sibiipsi quærit,quod quæritur. Quemadmodum enim caro nisi fuerit intellectualiter animata, non peragit ea dignè Deo quæ sunt naturalia: ita Spiritus sanctus non exercet in sanctis notiones mysteriorum, absque facultate naturaliter inquirente & scrutante cognoscendi rationem.

CAP. 17.

QVA ratione non potest oculus absque lumine Solis comprehendere sensibilia: sic mens humana citra lucem.spiritalem,nunquam consequetur spiritalem contemplationem. Quia lumen sensibile natura sensum illuminat, ad comprehẽdenda corporea:spiritale verò, mentem illustrat ad speculationem, vt intelligere possit quæ supra sensum sunt posita.

CAP. 18.

NATVRA quidem humana facultates indagandi scrutandique diuina,substantialiter à Deo creatore in ipso existendi aditu sibi conditas habet: sed rerum diuinarum reuelationes sanctissimi Spiritus accedens potentia per gratiam parit. Quoniam autem ab initio nequam ille per peccatum hasce facultates naturæ visibilium affixit; nec erat qui intelligeret aut exquireret Deum, omnésque naturæ participes haberent vim intellectiuam & rationalẽ rerum sensilium superficie circumseptam, nullam verò eorum quæ sunt supra sensum notitiam,meritò sanctissimi Spiritus gratia eorum qui non cõsultò & ex animo tenebantur deceptione rerum materialem addictam refixit ac separauit facultatem: quam adepti puram, per gratiam in primis quæsierant & scrutati fuerant, deinde per eandem videlicet gratiam Spiritus perquisierant ac fuerant perscrutati.

CAP. 19.

Fidei finis est vt dij fiant qui digni sunt.

VERA salus animarum,est finis fidei.Finis fidei, est eius quod creditũ est vera reuelatio. Eius quod est creditum reuelatio vera,est eius de quo fides est habita, iuxta proportionem fidei cuiusque arcana processio. Crediti processio,est credentium regressus ad principium fini congruum. Credentium reditus ad proprium principium conueniens fini, est implemẽtum desiderij eorum qui feruntur in Deũ. Implementum desiderij, est expetentium conditio perpetuò se mouens erga id quod expetitur. Conditio semper mouens, est optati continua & nullo modo interpolata fruitio. Continua & non intermissa fruitio,est diuinorum, quæ naturã excedunt, participatio. Participatio eorum quæ sunt supra naturam, est participantium cum eo quo participatur assimilatio. Participum similitudo cum participato,est identitas obueniẽs vi similitudinis participum cum eo quo participatur. Identitas verò participantium quæ suscipitur ob similitudinem cum eo quo participatur, est deificatio eorum qui digni sunt vt Dij fiant.

CAP. 20.

NATVRA non habet sermones de iis quæ sunt supra naturam: vti nec leges de iis quæ sunt præter naturam. Supra naturam dico,diuinas & animo nõ comprehensas delicias, quas Deus per gratiam naturæ parere solet, vnitus iis qui digni sunt. Præter naturam autem,consistentem in harum priuatione dolorem inexplicabilem quem Deus consueuit adferre naturæ,præter gratiam vnitus indignis. Nam iuxta subiectam cuique qualitatẽ affectionis, Deus (qui omnibus vnitur, vt ipse nouit) vnicuique præbet

bet sensum, prout à seipso quisque formatus est ad A suscipiendum eum qui cunctis prorsus vniendus est sub finem seculorum.

CAP. 21.

EOS qui exquirunt in spiritu salutem animarũ, huiúsque salutis sermones ac modos spiritales perscrutatur, dirigit Spiritus sanctus vt assequantur: nec immotam ipsis & inefficacem manere sinit facultatem, qua diuina solent exquirere.

CAP. 22.

IN primis quis quærit libera voluntate mortificare peccatum, & voluntatem peccato, & ita scrutantur, quî, quáve ratione mutuis vulneribus hæc interimi debeant: rursúmque post plenam horum mortificationem, quærit vitam voluntatis secundum virtutem, ac virtutis secundum voluntatem: túmque scrutatur quo pacto procreanda sit illorũ mutua vita. Est igitur (vt sub definitione complectamur) inquisitio, rei cuiusdam gratissimæ appetitus. Scrutatio verò, est modus appetitionem promouens ad id quod est gratissimum.

Inquisitionis & scrutationis discrimen.

CAP. 23.

RE vera conuenit eum qui saluandus est, non modò libera voluntate extinguere peccatum, sed ipsam quoque voluntatem peccato: & non tantum virtute excitare voluntatem, sed etiam voluntate virtutem: vt mortua mortuum, totum tota peccatũ separata non sentiat: & viua viuam, tota totam virtutem persentiat, vnione nullo interuallo disiuncta voluntas. Nam qui peccato voluntatem interemit, complantatus factus est similitudini mortis Christi: & qui iustitia excitat illam, fit etiam complantatus resurrectioni eius.

CAP. 24.

Rom.6.a PECCATVM & voluntas mutuò enecata, duplicem habent inuicem sensus priuationem. Itidem iustitia & voluntas à sese mutuam habentes vitam, duplici vita potiuntur.

CAP. 25.

CHRISTVS cum sit natura Deus & homo, à nobis, gratia naturam superante, hæreditario iure possidetur vt Deus, arcana participatione: ac propter nos in forma nostra tanquam homo nos approprians, incomprehensa demissionis ratione nobiscum seipsum possidet. Quem cum in spiritu, mysticè sancti præuidissent, edocti sunt, passiones quæ virtutis gratia Christo in præsenti sęculo euenire debebant, præcessuras reuelandam in futuro propter virtutem in eo gloriam.

CAP. 26.

ANIMVS qui solo affectu citra vllam cognitionem mouetur in causam rerum, quærit duntaxat: facultas autem rationalis variè perlustrans veras rerum scrutatur rationes.

CAP. 27.

Quæstionis, scrutationis & perquisitionis definitio.

QVAESTIO, est primus & simplex animi motus erga suam causam cum desiderio. Scrutatio verò, est prima simpléxque rationis discretio circa suã causam cum quadam notione. Perquisitio item, est motus animi, qui scientia & cognitione cum quodam feruenti desiderio ducitur in suam causam. At verò perscrutatio, est discretio rationis quæ ex virtutum exercitio cum sagaci quadam & docta notitia circa propriam causam versatur.

CAP. 28.

SANCTI diuiníque Prophetæ cùm de salute animarum inquirerent & perscrutarentur, cũ scientia & cognitione ignitum & feruentem animi motum habebant, & desiderium erga Deum, necnon sagacem ac doctam in exercendis diuinis rationis discretionem. Illos qui imitantur, cum notione & scientia salutem animarum perquirunt: & prudenter scitéque perscrutantes, discretionem quæ versatur circa diuina opera, penetrant.

CAP. 29.

Rerum diuinarum duplex cognitio.

SERMO diuinus duplicem nouit rerum diuinarum cognitionem: vnam quidem reconditam, vt quæ sita sit in solo verbo & intelligentia, nullúmque exequendo eo quod cognitum est, experientiæ sensum habeat: qua gubernamur in hac vita. Alteram germanam ac veram, quæ in sola experientia consistit & opere, citra verba notitiásque, plenum eius quod est cognitum per gratiam participatione sensum præbet: per quam iuxta sortem futuram suscipimus deificationem, quę superat naturam, & sine intermissione operatur. Itaque reconditam cognitionem, quæ in verbo & intelligentia consistit, aiũt excitare desiderium ad cognitionem quæ particeps est operationis: actiuam autem, quæ per experientiam participatione desiderium præbet eius quod notum est, delere notionem in verbo & intelligentia positam.

CAP. 30.

REFERT, duplicem esse cognitionis rationem: vnam, quæ in verbo & notitiis diuinis sita, nullum hîc in specie sensum exhibet eorum quæ sunt intellecta: alteram, quæ per solam operationem, citra sermonem aut notitiam specificè fruitur veris. Ex eo enim quòd vis rationalis per notionem subindicare solet quod cognitum est, excitat desiderium eorum qui ratione mouentur, ad fruẽdum eo quod indicatum est.

CAP. 31.

AIVNT sapientes, fieri non posse, vt simul quis experientiam Dei habeat, ac de eo loquatur: aut Deum sentiat, & eum mente concipiat. Sermonẽ autem de Deo, inquio, proportionem speculationis ex creaturis Dei cognitionem præbentis: sensũ, ipsam quæ participatione fit experientiam bonorũ supernaturalium: intelligẽtiam ex iis quæ sunt, simplicem quandam de eo notionem. At forsitan hoc etiam in alio quouis perspicuum est. Siquidem illius ipsius rei experientia, sermonem de ea sistit: & eius ipsius rei sensus, de ea conceptam intelligentiã quiescere facit. Experientiam verò dico, ipsam operis faciũdi cognitionem quæ suboritur post omnem sermocinationem: & sensum, ipsam rei cognitæ participationem, quę post omnem intellectionẽ emergit. Quod fortè mysticè docens magnus Apostolus, inquit: Siue Prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur: loquens videlicet de cognitione, quæ sita est in sermone & conceptione. 1. Cor. 13.c

CAP. 32.

DECEBAT profectò naturalem substantiæ rerum opificem, ipsummet esse per gratiam deificationis creaturarum auctorem: vt qui concesserat esse, etiam semper bene esse largiri declararetur.

Cum igitur eorum quæ sunt, nullum omnino seipsum aut aliud cognoscat, quidnam sit secundũ substantiam, iusta de causa nihil extat quod futura secundum naturam prænoscat, præter eum qui est supra omnia, Deum: qui tum seipsum nouit, quid sit secundum substantiam; tum subsistendi prænouit rationem eorum quæ facta sunt ab ipso, antequàm fierent: qui etiam per gratiam apud eos qui viuunt, tam suiipsius quàm aliorum quidnam sint secundùm substantiam, exornaturus est cognitionem: ac vniformes in seipso sermones eorum creationem præcedentes est explicaturus.

Solus Deus nouit futura.

Cap. 33.

VERBVM, quod naturam hominum creauit, non vnà condidit illi in sensu voluptatem ac dolorem, sed vim quandam animi fabricatus est ei ad voluptatem, per quam indicibili modo posset eo frui. Hanc porrò facultatem (dico naturalem affectum animi erga Deum) cum primus homo, simul vt factus est, sensui tradidisset, iuxta ipsum primum motum beneficio sensus intermedij voluptatem affectam habuit præter naturam erga sensibilia. Cui quidem is qui curat nostram salutem prouidè, velut vltricem quandam vim, affixit dolorem: per quem lex mortis sapienter insita est naturæ corporis, definiens furiosam animi cupiditatem, quæ præter naturam fertur in sensibilia.

Cap. 34.

VOLVPTAS & dolor non simul cum natura carnis creata sunt, sed illam quidem excogitauit transgressio ad corrumpendam liberam voluntatẽ: hanc autem, ad dissoluẽdam naturam adiudicauit: vt illa spontaneam animæ mortem pariat, peccatũ: dolor autem per dissolutionem in quauis animantium specie, carnis necem efficiat. Nam ad puniendam vltroneam voluptatem, prouidentia quadam Deus dedit naturæ inuitæ dolorem, & inde mortẽ nascentem.

Voluptas & dolor simul cum natura carnis creata non sunt. Voluptas libera.

Cap. 35.

OB irrationalem voluptatem quæ naturæ obuenit, iusta ratione processit dolor, qui multis tormẽtis, in quibus & ex quibus mors oritur, voluptatẽ quæ præter naturam est, aufert, non tamen penitus extinguit. In quo diuinarum animi deliciarum gratia demonstrari solet.

Voluptas irrationalis.

Cap. 36.

SPONTANEORVM laborum excogitatio, ac præter voluntatem euenientium inuectio tollunt quidem voluptatem, ipsius vi nascentem motum sistentes: sed vim non perimunt, quæ velut lex insita est ipsi naturæ statim à natiuitate. Nam philosophia quæ virtutem sectatur, efficit vt voluntas affectionibus vacet, non tamen vt illis natura careat. Ex quo videlicet, dum affectionibus est vacua voluntas, oblectationis diuinæ gratia suboritur in animo.

Labor tollit voluptatem.

Cap. 37.

LABOR omnis, quasi suæ natiuitatis originem habeat præmeditatam actu voluptatem, est debitum: quod videlicet iusta de causa naturaliter persoluitur ab omnibus qui sunt participes naturæ. Voluptatem enim quæ præter naturam est, planè sequitur natura labor apud omnes, quorum natiuitatem antecedit sine culpa lex voluptatis. Culpa verò dico vacare voluptatem à transgressione ortam: vt quæ præoccupanti labori non succedat.

Cap. 38.

NON poterat omnino fieri, vt natura tum spontaneæ voluptati tum coacto dolori subiugata, rursus ad pristinam vitam reuocaretur, nisi opifex factus esset homo, vltrò suscepto in supplicium spontaneæ naturæ excogitato dolore, non habente præcedentem se natiuitatem à voluptate: vt subiens generationem initium à voluptate non ducentem, generationis naturam à damnatione liberaret.

Cap. 39.

CVM homines cuncti post transgressionem haberẽt natura ducem suæ natiuitatis voluptatem, nullúsque natura prorsus immunis esset ab addicta voluptati generatione: sed omnes velut naturale debitum exoluentes, labores, iisque mortem adiunctam perferebãt, ambigebatúrque planè qua ratione liberari possent, qui ab iniusta voluptate tyrannide opprimebantur, & iustis laboribus & inde sequenti iustissimæ morti naturaliter erant illigati: decebat porrò ad tollendam iniquissimam voluptatem & illius causa iustissimos inuectos labores: quibus afflictus miserè distrahebatur homo, habens natiuitatis initium à voluptatis filia corruptione, ac per mortem desinens in corruptionem vitæ terminum: decebat, inquam, ad hæc restituenda, excogitare naturæ affectionibus carentis tribulationem ac mortem iniustam simul & culpa vacantem: culpa quidem vacantem, vt quæ nulla voluptate præoccupatam haberet natiuitatem: iniustam verò, vtpote vitæ affectionibus deditæ nullo modo capacem: vt tribulatio mórsque iniustissima mediatrix assumpta, voluptatis iniustæ iustissimique laboris & interitus deleret funditùs iniustissimum à voluptate tractum initium, ac per mortem iustissimum propter illam naturæ terminum, denuóque genus humanum à voluptate doloréque redderetur immune, recipiente natura pristinam fœlicitatem, nullis indiciis quæ creaturis generationi corruptioníque obnoxiis innata sunt, inquinatam. Hac de causa verbum Dei, quod natura Deus perfectus est, factum est integer homo, anima intellectiua & corpore natura patibili cõstans, sicut & nos, dempto solo peccato, nullatenus habens contractam ex inobedientia voluptatem, quæ temporaneam eius ex muliere natiuitatem antecedat: sed dolorem propter voluptatem introductum (qui finis est naturæ) humanitatis gratia sponte sibi adaptauit: quo patiens iniustè, perimeret contractam ab iniusta voluptate natiuitatis originem opprimentem tyrannicè naturam: quæ non aliorum hominum more mortem Domini gestabat vice debiti quod pro ipsa solueretur, sed potius ex aduerso illi oppositam: ac illegitima carens voluptate, cuius causa mors introiit: & de qua velut auctore mortis supplicium sumpsit, morte iustum naturæ finem deleret.

Verbũ Dei factum integer homo.

Cap. 40.

OPORTEBAT re vera, oportebat Dominum esse natura sapientem, iustum, ac potentem: qui vt sapiens, non ignoraret sanandi rationem: vt iustus, non

Dei iustitia in hominibus saluandis.

non tyrannicam exerceret ſaluationem hominis à peccato ſpontè comprehenſi; vt omnipotens, non eſſet in complenda ſanitate debilis.

CAP. 41.

Dei ſapientia, iuſtitia & potẽtia.

SAPIENTIA quidem Dei declaratur in eo quòd in rei veritate natúra factus eſt homo : iuſtitia verò, dum in natiuitate patibilem naturæ rationem, quemadmodum & nos aſſumpſit : potentia autem, quando per paſſiones & mortem parauit naturæ vitam perpetuam, ac paſſionum vacuitatem immutabilem.

CAP. 42.

DOMINVS citra conuerſionem aut quamlibet alterationem factus homo, ſapientiæ rationem in ſanandi modo perſpicuam reddidit. Æqualitatem iuſtitiæ multum ſe demittendo demonſtrauit, dum ſponte condemnatione naturæ ſubiit, quæ patibili competebat, illámque vertit in arma, ad internecionem peccati, mortíſque propter illud introductæ, hoc eſt, voluptatis & inde naſcentis doloris, in quo peccati mortíſque vis conſiſtebat, & in voluptate ſita tyrannis peccati, & ex ea dolore medio, potentatus mortis, quia in parte naturæ patibilis certò voluptatis vis ſita eſt atque doloris. Etenim naturalem doloris pœnam vehemẽtius intenſam voluptate conſolari quodammodo nitimur. Nam dum moleſti doloris ſenſum vitare volumus, confugimus ad voluptatem, naturam flagello doloris afflictam ſolari conantes. Sed dum aculeos doloris voluptate retundere feſtinamus, chirographum eius contra nosipſos magis confirmamus, cùm à dolore & tribulationibus libera nequeamus frui voluptate.

Voluptas magis ac magis adolorem.

CAP. 43.

SANE robur excellentis potentiæ ſtabiliuit, dum immutabilem originem contrariorum, iis quæ ipſe paſſus eſt naturæ latenter indidit. Siquidem paſſione, vacuitatem paſſionum: laboribus, remiſſionem: morte, ſempiternam vitam donans naturæ, denuò ſuis ipſius penuriis recreauit, habitu renouato naturæ, eíque collata per ſuam incarnationem, ſupernaturali gratia, deificatione.

CAP. 44.

Chriſtus & Adam, aliũ atque aliũ vitæ finem & initium nobis intexerunt.

DEVS verè factus eſt homo, & aliud naturæ dedit ſecundæ natiuitatis initium, per afflictionem in delicias futuræ vitæ deſinens. Quemadmodum enim primus pater Adam diuinum tranſgreſſus mandatum, naturæ præter primum inuexit aliud natiuitatis principium, quod quidem voluptate conſtat, ſed per afflictionem deſinit in mortem, atque ex conſilio Serpentis commentus eſt voluptatem quæ præcedenti labori non ſuccedit, ſed in ipſo labore terminatur, cunctóſque ſecundum carnem ex ipſo natos more ſuo propter iniuſtum voluptatis principium, iuſtè ſecum adducebat ad finem, per afflictionem ſubſequẽte morte: in hunc quoque modum Dominus homo factus aliud ex Spiritu ſancto ſecundæ natiuitatis principium fabrefecit naturæ, ſuſceptáque per tribulationes, Adami morte iuſtiſſima, quæ tamen in illo iniuſtiſſima fuit, eo quòd careret principio illo ſuæ natiuitatis ex inobedientia per primum parentem cõtracto, nempe iniquiſſima voluptate, ambo extrema principium & finem generationis humanæ quæ ſecundùm Adamum eſt, ſuſtulit, ob id potiſſimum, quòd non eſſent ex Deo: & omnes poſt illam myſticè renatos, ab eius obligatione diſſoluit.

CAP. 45.

VBI dominus extinxit voluptatem ex lege peccati contractam, vt abrogaret natiuitatem carnalem eorum qui in ipſo per gratiam & ſpiritum naſcuntur, eos qui condemnationi in naturam latæ prius erant obnoxij, ad damnandum peccatum ſubire mortem ſinit : qui quidem ex Adamo nati, iam non habẽr voluptatem ab Adamo profectam, ſed dolorem duntaxat Adami cauſa in ipſis agentem, non ſub forma debiti pro peccato ſoluendi, ſed per modum diſpenſationis, ob circumſtantiam naturalẽ, prout exigit mors peccati: quæ cum non habet matrem producentem ſe, voluptatem, de qua vlciſci ſolet, æternæ vitæ proculdiubo parens efficitur. Sicut enim Adami vita, quæ ſecundùm voluptatem agitur, mortis corruptioníſque mater eſt: ita mors Domini, quæ Adami cauſa ſuſcipitur, immunís à voluptate Adami, ſempiternæ vitæ parens euadit.

CAP. 46.

NATVRA humana poſt trangreſſionem habuit pro principio ſuæ generationis, conceptionem ex ſemine cum voluptate, & ab influxione procreationem, & pro fine mortem, quæ ex dolore per corruptionem oritur. Dominus autem cùm ſuæ ſecundum carnem generationis huiuſmodi principium non habuerit, neque fine, hoc eſt, morte, corripi potuit.

CAP. 47.

PECCATVM cum ab initio ineſcaſſet Adamum, perſuaſit, vt ad tranſgreſſionem diuini mandati procederet: per quam vbi voluptatem ſuppoſuit, ac ſeipſum per voluptatem clauis affixit ipſi fundo naturæ, vniuerſam naturam morte damnauit, impellens naturam creaturarum per mortem hominis miniſterio introductam ad deliquium. Nam hoc ipſum etiam ſtruxit ſatori peccati malignóque patri nequitiæ diabolo : qui per arrogantiam quidem ſeipſum exulem reddidit à gloria diuina, per inuidiam autem tum in nos, tum in Deum conceptam expulit Adamum è paradiſo: quo deleret opera Dei, ac diſſolueret ea quæ cõponunt generationem.

CAP. 48

Dæmon inuidus, perſuaſit Adamo Deum illi inuidere. Genes. 3. a

DIABOLVS inuidens Deo nobiſque cùm dolo perſuaſiſſet homini, inuideri illi à Deo, molitus eſt vt tranſgrederetur mandatum. Deo quidem inuidens, ne re ipſa perſpicua fiat eius omnino prædicanda potentia, quæ hominẽ, Deũ efficit: homini verò manifeſtè, ne re ipſa per virtutẽ diuinæ gloriæ particeps fiat. Nõ enim nobis duntaxat inuidet impuriſſimus ille gloriam quam virtutis cauſa conſequimur apud Deum, verùm ipſi quoque Deo prorſus laudandam eius quam exercet in nobis, ſaluandi potentiam.

CAP. 49.

Mors Adami & Chriſti.

SICVTI mors in Adamo, erat condemnatio naturæ habentis voluptatem pro ſuæ generationis principio: ita mors in Chriſto fuit condemnatio peccati, denuò per Chriſtum recipiente na-

túra generationem à voluptate liberam.

CAP. 50.

SI nos qui gratia per Spiritum facti sumus digni, qui Dei domus essemus, tantam debemus iustitiæ gratia demonstrare tolerantiam afflictionum in condemnationem peccati; ac velut scelerati, licet probi simus, contumeliosam mortem perferre: quis finis eorum, qui non credunt Euangelio Dei? Qui non solùm viuam & efficacem in anima, corpore, voluntate, natúra, voluptariam Adami natiuitatem imperantem naturę studiosè vsque in finem sectati sunt; verùm ne Deum quidem Patrē admonentem per Filium incarnatum susceperunt, neque ipsum item Filium mediatorem Patris nomine legationę fungentem, ac vt nos reconciliaret Patri, voluntate paterna pro nobis morti spontè seipsum obiicientem, vt nos decore suæ deitatis exornatos, sua ipsius gratia tantopere glorificaret, quantùm ipse nostra causa nostrorum ignominia cruciatuum affici pertulisset.

CAP. 51.

Deus, omnium beatorum locus incircūscriptus. Deus donat se cuique pro ratione tribulationū hîc susceptarum, & quomodo.

CVM Deus futurus sit omnium qui saluantur locus incircunscriptus, nullo interuallo discontinuus ac infinitus, vt qui fiet omnia in omnibus iuxta proportionem iustitiæ; imò verò iuxta modum tribulationum hîc scite pro iustitia susceptarum, seipsum vnicuique donans non aliter quàm anima membris corporis, quæ pro subiecta cuique membro facultate seipsam efficacem exhibet, & per seipsam membra continet, vt sint, & ad viuendi
1. Petr. 4. d. facultatem conualescant: impius & peccator vbi parebit hac priuatus gratia? Nam qui non potest capere præsentiam efficientem vt bene sit, vbi parebit, cùm à vita diuina excedente sæculum, tempus, & locum exciderit?

CAP. 52.

SI quis non habeat Deum, qui continet vitam ad beatitudinem, qui dignis omnibus futurus est locus; quo pacto se habebit in beata mansione & sede apud Deum, cùm careat ipso loco, qui Deus
1. Petr. 4. d est? Et si cum summa difficultate saluatur iustus, quid erit, quídue patietur is qui nullum hac vita verbum pietatis aut virtutis edidit?

CAP. 53.

Matth. 25. DEVS quidem vna infinitè potenti bonitatis voluntate congregabit omnes angelos & homines, bonos ac malos; at hi cuncti non æqualiter participes erunt liberè penetrantis omnia Dei, verùm pro sua ipsorum facultate.

CAP. 54.

QVI naturæ quidem æquabilem per omnia seruauerunt animum, & agendo sermonum naturæ capacem ipsum reddiderunt, iuxta plenam rationem qua semper bene essent, propter bonam animi affectionem erga diuinam voluntatem totius bonitatis participes erunt, iuxta splendentem in illis vt in angelis aut in hominibus vitam diuinam. Qui verò inæqualem per omnia naturæ præstiterunt animum, eúmque perpensa quauis beatitudinis ratione dissipantem ipso facto naturæ sermones exhibuerunt, propter affectum animi repugnantem diuinæ voluntati, prorsus à bonitate dilabentur, iuxta eminentem, in ipsis cum miseria familiaritatem animi, qua tales separabuntur à Deo, A vtpote qui non habeant in intentione animi, beatitudinis sermonē bonis operationibus viuum effectum: vnde relucere solet vita diuina.

CAP. 55.

Iudicium extremum. STATERA voluntatis cuiusque in iudicio erit, naturæ sermo, qui motum ipsius ad miseriam aut beatitudinem vergere arguit: secundùm quem vitæ diuinæ participes aut expertes esse solemus. Siquidem quatenus sint, ac semper sint, Deus præsens complectetur omnes: quantùm verò ad perpetuam beatitudinem, singulari quodam modo solos Angelos sanctos & homines, relinquens iis qui nō sunt eiusmodi, pro cōfuso animi fructu miseriam sempiternam.

CAP. 56.

MYSTERIVM incarnationis diuinæ præternaturalem diuersitatem eorum è quibus constat, non simul etiam introducit in hypostasi varietatē: tum ne quid accessionis capiat Trinitatis mysteriū, tum vt cum deitate nihil sit eiusdem natúra generis atque substantiæ. Nam ad componēdam hypostasin, fit concursus duarum naturarum, non autem ad componendam vnam naturam: vt & quod vnū est secundum hypostasin, concurrentium inuicem naturarum vnione consummatum declaretur, & diuersitas concurrentium ad inseparabilem vnionem, citra vllam conuersionem & confusionem, in sua naturali proprietate manere credatur.

CAP. 57.

Vnica hypostasis in Christo etiam post incarnationem. NEGAMVS in Christo esse diuersitatem hypostaseōn: quia Trinitatis manet Trinitas, etiam post incarnatum verbum: cum propter incarnationem nulla sanctæ Trinitati fiat adiectio personæ. Naturarum autem diuersitatem asserimus: ne carnem Verbo natúra consubstantialem esse censeamus.

CAP. 58.

QVI negat diuersitatem naturarum, non potest credere quod confitemur, nempe Verbum factum esse carnem absque conuersione: cùm non agnoscat, tam id quod assumit, quàm quod assumitur, in vna vnius Christi ac Dei saluatoris hypostasi post vnionem in sua conseruari natura.

CAP. 59.

SI carnis & deitatis in Christo post vnionem est diuersitas naturalis (nequaquam enim Deitas & caro secundum substantiam idem sunt) ad procreationem vnius naturæ minimè fit vnio conuenientium, sed ad vnam hypostasin construendam, per quam nullam quouis modo reperimus in Christo diuersitatē: quia Verbū secundùm hypostasin idē est cum propria carne. Quatenus enim Christus habuerit diuersitatem, nullo modè potest vnum esse: quatenus autem nullam quæcunque sit omnino diuersitatē recipit, quáuis proculdubio ratione piè sub se habet vnum, quod est & dicitur.

CAP. 60.

Bona conscientia. FIDES per spem in Deum firmat charitatem. Bona conscientia per obseruationem mandatorū stabilit dilectionem in proximum, quia bona cónscientia non habet mandatum à quo propter transgressionem accusetur. His autem sola mens eorum credere solet, qui veram salutem desiderant.

CAP. 61.

NIHIL celerius, quàm credere: nec quicquam facilius,

facilius, quàm ore confiteri gratiam eius cui credideris. Illud enim declarat animatam eius qui credidit, charitatem erga creatorem: hoc autem Dei amantem erga proximum affectionem. Porrò charitas & germanus affectus, nempe fides & bona conscientia est opus perspicuè prodiens à latente motu cordis, quod ad procreationem sui externa materia prorsus non indiget.

CAP. 62.

Ignauus circa honesta, facilè mouetur ad malum. Lapis, socordiam: Lignũ, pronitudinẽ ad mala, significat in scripturis. Eph. 2. c.

QVI omnimoda laborat ignauia circa id quod honestum est, planè facilè mouetur ad malum. Nã vt quis sit immotus ad vtrumque, fieri non potest. Vnde socordiã animæ erga res honestas, scriptura nouit appellare lapides, quasi virtutes non sentiat: ligna verò promptitudinem ad mala. Cæterùm motus sensilis vigore mentis accensus, parit virtutem cognitione præditam.

CAP. 63.

CORPORIS legem naturalem vocauit scriptura, vt opinor, medium parietem: maceriam verò, sitam in lege carnis habitudinem erga affectionem; hoc est, peccatum. Sola enim habitudo legis naturalis, hoc est, patibilis naturæ portionis erga affectiones obscœnas, fit macceries animæ, quæ corpus muris obstruit, nec sermonem virtutum per mediam animam operando transire sinit ad carnem: atqui verbum accedens, lege, hoc est, patibili parte naturæ expugnata, habitudinem affectionum præter naturam venientium in ipsa collocatam euacuauit.

CAP. 64.

Dæmõ fur est & mendax.

QVANDO iniquus dolosa circumuentione insitam naturæ de Deo cognitionem surripiens, eam sibiipsi vendicat, fur est qui adorationẽ à Deo in seipsum transferre nititur; abducens videlicet à spiritalibus creaturarum sermonibus intellectualem speculationem animæ, & sola inspectione rerum sensibilium superficie circunscribens facultatem intellectus. Quando verò à motionibus naturalibus initium sumens, ad ea quæ sunt præter naturam, facultatem actiuam captiosè detorquet, & per ea quæ putantur honesta, dolosa persuasione desiderium eius deterioribus affigit, mendosè iurat in nomine Domini, dum ad alia quàm quæ promiserat, credulam traducit animam. Ac fur quidem est, eò quòd naturæ cognitionem furto sibi arrogat: periurus autem, vt qui persuaserit operatrici facultati animæ, circa ea quæ sunt prẹter naturam frustra laborare.

CAP. 65.

Fur spiritalis est qui vitã verbis nõ cõuenié tem viuit.

AVT denuò fur est, qui ad circunueniendos auditores diuinis vtitur sermonibus, quorum vim per opera non nouit, ex nuda prolatione faciens mercaturã gloriæ, ac sermone lingua prolato venatur laudem, vt iustus habeatur ab audientibus. Et, vt paucis dicam, qui vitam non congruam verbis gerit, & affectum animæ notioni contrarium, fur est, de bonis alienis perperam se ostentans. In quẽ meritò sermo dicit: Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamẽtum meum per os tuum?

Psal. 49.

CAP. 66.

Hypocrita, est fur spiritualis.

ITIDEM fur est, qui apparentibus modis ac moribus secretam occultat animi nequitiam, æqui-

A tatis fictione interiorem tegens & occultans affectum. Ac velut ille, pronunciatione verborum ad scientiam pertinentium fallit auditorum animum; sic iste, simulatis arte moribus sensum spectantium. In quem similiter dictum est, Erubescite, qui indumini vestibus alienis. Et illud. Reuelabit Dominus habitum ipsorum in die illa. Singulis enim diebus audire videor Deum hæc dicentem mihi in secreta cordis officina, qua sim vtroque nomine disertè condemnatus. Sopho. 1. b. c.

CAP. 67.

Periurus spiritaliter

PERIVRVS est, qui mendaciter iurat in nomine Domini: qui promittens Deo se studiosam vitam acturum, à promissione sua aliena sectatur, pactúmque professionis rectè viuendi, neglectu B mandatorum transgreditur. Ac vt in summa dicam, qui cùm statuerit viuere secundùm Deum, non est huic vitæ plenè mortificatus, mendax est & periurus: vtpote qui Deo quidem iurauit; hoc est, promisit se diuinorum certaminum cursum irreprehensibilem peracturum, & non præstitit: ob idque minimè laudatur. Laudabitur enim omnis qui iurat in eo; hoc est, omnis, qui cum pollicitus sit se victurum vitam Deo gratã, cõplet etiã in veritate per opera iustitiæ, sacramenta pollicitationis honestæ. Psal. 62. c.

CAP. 68.

Hypocrita

QVI sola verborum prolatione scientiam simulat, ad gloriam suam surripit auditorum intellectum. Et qui moribus simulat virtutem, ad gloriam suam spectantium visum suffuratur, amboque dolosè surripientes, seducunt: ille quidem, intellectum animæ audientium, hic verò sensum corporis videntium. C

CAP. 69.

Infamis est, qui quod iurauit nõ implet.

SI planè laudem consequitur, qui à se promissa præstat, eo quòd iuret in Deo, & verax sit: proculdubio vituperandus erit & infamis, qui pacta propria transgreditur, quasi qui iurauerit in Deo, & mentiatur.

CAP. 70.

D CERTE non omnis homo qui venit in hunc mundum, illuminatur à verbo, plures enim manent non illuminati, & lumine cognitionis carentes: sed omnis proculdubiò homo, qui propria voluntate motus pergit in verum mundum virtutum. Omnis enim qui à natiuitate spontanea pulsus in veritate venit in huius generis mundum, à verbo sanè illuminatur, accipiens habitum virtutis immotum, & cognitionis veræ scientiam peccato immunem.

CAP. 71.

Scripturæ verba secũdùm rẽ subiectã intelligenda.

NON semper neque omnia quæ voce exprimũ- E tur, vno & eodem prorsus modo intelligenda sunt: sed vnumquodque eorum quæ dicuntur, intelligi debet secundùm vim subiectam; videlicet modo sanctæ scripturæ, si rectè velimus scopum eorum quæ scripta sunt coniicere.

CAP. 72.

Ex personis, locis, temporibus, aut aliis rebus animatis, anima carentibus, sensilibus & intelligibilibus in scriptura descriptis, nulla est quæ occurrentem omninò narrationem, aut speculationem eidem intelligendi modo semper obnoxiam

habeat. Quare necesse est, cum qui diuinam scripturæ intelligentiam inoffensè tractare velit, vnũquodque eorum quæ enumerata sunt, pro varietate eorum quæ fiunt aut dicuntur, variè excipere, & pro loco vel tempore conuenientem ei contemplationem decenter distribuere.

CAP. 73.

QVICVNQVE sunt in vniuerso mundo, docendi sunt vitam & conuersationem agere soli rationi congruam: corporúmque tantam gerere curam, quantùm summa sollicitudine amputanda est erga illa habitudo animi, nullàque prorsus animæ danda imaginatio, materiæ opus & intentionem, peragendi: cum iam extinctus sit ratione sensus, qui ab initio quidem rationem expulerat, vim autem voluptatis irrationalem, velut reptilem serpentem, susceperat: vnde iusta de causa mors exulauit, vt diabolo aditum in animam præbere desinat.

CAP. 74.

Sapiens, carnẽ morti antè mortẽ cõdẽnat.

CVM sensus genere sit vnicus, quintuplex est specie, apprehensiua cuiusque speciei facultate suadens animæ seductæ, vt innatum sensibile pro Deo amplectatur. Quapropter qui rationem prudenter sequitur, antè quàm violenta & inopinata mors accedat, morti carnem vltrò cõdemnat, animo prorsus à sensu separato.

CAP. 75.

Sensus rationi imperans plures Deos veneratur.

SENSVS qui subiugauit animum, docet plures esse Deos, dũ per singulos sensus affectionibus inseruiens innatum sensibile colit vt numẽ diuinum.

CAP. 76.

QVI in sola Scripturæ litera immoratur, sensum duntaxat habet dominantem naturæ, vnde solus affectus animæ erga carnem emergere solet. Litera siquidem non intellecta spiritaliter, solum habet sensum, qui enunciationem eius circunscribit, & non sinit eorum vim quæ scripta sunt, ad intellectum peruenire. Atqui si litera cum solo sensu familiaritatem habeat, quicunque iuxta simplicẽ narrationem, Iudaicè literam suscipit, viuit secundùm carnem: qui quotidie, voluntate, mortem peccati vigente sensu perimit, sed spiritu corporis opera mortificare non potest, vt viuat in spiritu vitam beatam. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; inquit diuinus Apostolus: Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

Rom. 8. c.

CAP. 77.

Matth. 5. b. Mar. 4. c. Luc. 11. c.

QVAMOBREM lucernam diuinam, hoc est, sermonem cognitionis illustratorem, speculatione & operatione accendentes, ne ponamus sub modio, vt non cõdemnemur, quasi sapientiæ vim incomprehensam litera concludamus: sed super candelabrum; dico sanctam Ecclesiam, in sublimitate cõtemplationis veræ lucem dogmatum diuinorum, tanquam facem, omnibus proferentem.

CAP. 78.

Lucerna spiritualis

QVI violentarum tentationum incursiones, more beati Iob strenuorúmque martyrum inconcusso perfert animo, est lucerna præpotens: qui inextinctum etiam seruat lumen salutis (quod alioqui in modo potentiæ, quæ pollet fortitudine, conseruatur) habens inter præcipua robur & laudum decãtationem. Qui verò machinas illius maligni perspicit, & inuolutiones bellorum inuisibilium non ignorat, hic quoque splendens luce cognitionis, commodè visus est summo Apostolo dici, alia lucerna: Non enim ignoramus cogitationes eius.

2. Cor. 2.

CAP. 79.

SPIRITVS sanctus timore, pietate & cognitione purificat eos qui digni sunt puritate virtutis. Illustrationem porrò cognitionis eorum quæ sunt, qua ratione subsistant, donat his qui fortitudinis, consilij, & intellectus nomine, digni sunt lumine. Perfectionem autem perillustrantem omnia, simplicem & integram sapientiam largitur iis qui diuinitate digni sunt, deducens eos immediatè prorsus (quantum homini datur) ad causam rerum, solis diuinis proprietatibus bonitatis percelebres: vnde ex Deo quidem seipsos, & Deum ex seipsis cognoscentes, nullo obstruente medio (nullum siquidem est medium inter sapientiam & Deum) statum obtinebunt omninò inalterabilem: cum ab ipsis vniuersim traiecta sint media, in quibus aberrandi circa cognitionem interdum inerat periculum. Media verò appellat, intelligibilium ac sensibilium substantiam; per quæ humana mens, ad Deum, velut causam rerum, deduci solet.

CAP. 80.

Philosophiæ cognitio.

TIMOR, pietas, & cognitio philosophiam quidem actiuam pariunt: naturalem autem in spiritu contemplationem, fortitudo, consilium, & intellectus promouent: ac mysticam theologiam largitur sola diuina sapientia.

CAP. 81.

Sine scripturis sanctis nulla vis est conceptionum Deo digna.

QVA ratione citra oleum inextincta seruari nequit lucerna: ita sine habitu, qui aptis sermonibus, modis ac moribus, cõceptionibus itẽ & cogitationibus idoneis foueat quæ honesta sunt, charismatũ lumen adseruari non potest, quin extinguatur. Siquidem quodcunque charisma spiritale innato eget habitu, qui materiam intellectualem illi, tanquam oleum, continenter infundat: vt iuxta susciptentis habitum permaneat quod accipitur.

CAP. 82.

QVEMADMODVM si desit oliua, nusquam potest, verè germanum ac naturale inuenire oleum, nec absque vase capiente potest oleum teneri: lumẽ porrò lucernæ planè extinguitur, nisi nutriatur oleo: hunc in modum sine scripturis sanctis nulla verè est conceptionum vis Deo digna: citra habitum autem, vt vas, conceptionum susceptiuum, nulla potest subsistere conceptio diuina: at lumen cognitionis charismatum, si non alatur diuinis conceptionibus, non seruatur apud eos qui habent inextinctum.

CAP. 83.

Veteris & noui Testamẽti figura & doctrina.

ARBITROR, oliuam sitam à sinistris significare Testamentum vetus, quòd philosophiam actiuam magis curet: illam verò quæ à dextris est, Testamentum nouum, quasi noui mysterij magistrum, & habitus contemplatiui, qui apud quemcunque fidelem est, procuratorem. Nam illud, virtutis modos, hoc scientiæ sermones præbet his qui philosophantur circa diuina. Item illud à rerum visibilium caligine subtrahens animum, reducit ad id quod cognatum est ei, quauis imaginatione materiali repurgatum: hoc ab adhærente materiali affectione ipsum purificat, fortitudinis

Zach. 4. d.

dinis acumine excutiens, tanquam malleo quodam, clauos animum corpori illigatum tenentes.

CAP. 84.

VETVS quidem Testamentum, corpus rationale factum virtutibus mediis effert ad animum, prohibens ne mens deprimatur ad corpus: nouum autem, animum igne dilectionis volantem extollit ad Deum. Atque illud, corpus facit idem cum animo in peragendo motu: hoc, per habitum gratiæ, eundem cum Deo reddit animum, qui tantam cum Deo habet similitudinem, vt Deus, qui suapte natura à nullo vnquam prorsus cognosci potest, innotescat per eum, velut archetypus ex imagine quadam.

CAP. 85.

TESTAMENTVM vetus, cum sit operationis B ac virtutis symbolum, efficit vt in motu concordet corpus cum animo: Nouum autem, quod speculationem & cognitionem parere solet, mentem mysticè capientem illud, diuinis conceptibus & notis exornat. Vetus, species virtutum suppeditat cognitione prædito: Nouum, operam nauanti rationes cognitionis veræ largitur.

CAP. 86.

Deus est pater eorũ qui aliis sit exẽplar virtutis.

DEVS per gratiam dicitur & fit pater illorum qui solam habent animi natiuitatem per spiritum virtuti consentaneam: qua præ se ferentes in conuersatione vitæ conspicuum in virtutibus Dei pro- C ducentis characterem, velut effigiem animæ, conuersione modum ad glorificandum Deum prouocant spectantes, pro exemplari virtutis eximio præbentes eis suæ vitæ modum ad imitandum. Non enim verbo nudo consueuit glorificari Deus, sed operibus iustitiæ, multò ampliorem Dei magnificentiã resonantibus quàm verba.

CAP. 87.

Lex naturalis & spiritualis.

VTIQVE siniſtra est lex naturalis propter sensum, rationi tamen adducit virtutum species, redditque cognitionem operandi studiosam. At lex spiritalis propter animum dextra est, quæ sensui permiscet spiritales rerum sermones, & meditatam efficit operationem.

CAP. 88.

QVI cognitionem demonstrat operatione, velut corpore, vestitam; & operationem cognitione animatam, exactam nactus est veræ & Deo gratæ operationis rationem. Qui verò vtramuis ab altera seiunxerit, aut cognitionem non subsistentem parit; nempe imaginationem aut operationẽ costruit expertem animæ, videlicet idolum. Cognitio nanque non incumbens operi, nihil differt ab imaginatione, carens actione quæ consolidet eam. Operatio item non munita ratione, idem cum idolo molitur, cùm ipsam vegetante careat cognitione.

Cognitio cum operatione perfecta est, aliqui non.

CAP. 89.

MYSTERIVM nostræ salutis hoc efficit, vt vita sit sermonis demonstratio, sermo verò sit opinio vitæ: & operatio sit contemplatio incumbens operi, contemplatio sit actio sacris initiata: ac vt paucis dicam, virtutem facit cognitionis explicationem, cognitionem autem virtutis vim conseruatricem: & ex ambabus, virtute inquam & cognitione, vnam sapientiam constare demonstrat: vt cognoscamus, duo Testamenta per gratiam plus

A inter se per omnia conuenire ad vnius mysterij complementum, quàm anima & corpus, dum ad procreationem vnius hominis inter se concurrunt in compositione.

Vtriusque Testamẽti vnum est mysteriũ.

CAP. 90.

SICVT anima & corpus inter se composita, faciunt hominem: eadem ratione operatio & contemplatio vnam concursu perficiunt sapientiam cognitiuam: antiquum nouúmque Testamentum, vnum peragunt mysterium. Porrò bonum natúra solius Dei est, vnde per communicationem illustrantur & beantur omnia quæ lucis ac bonitatis natúra sunt capacia.

Operatio & contemplatio vnã perficiunt sapientiã.

CAP. 91.

QVI mundum visibilem intelligit, videt intelligibilem. Nam per imaginationem sensu format B intelligibilia, animóque figurat conspectos sermones: & variis rationibus intelligibilis mundi constructionem transfert ad sensum, ad animum autem sensibilis mundi compositionem multa cum inuolutione: necnon ex intelligibili sensibilem capit, sensu translato † verbis ad animum: & ex sensibili, intelligibilẽ, animo typis ad sensum scitè deuoluto.

Mundus intelligibilis & sẽsibilis.

† τοῖς λόγοις.

CAP. 92.

PRIMVM de vnitate sermonem, Propheta appellauit caput, quasi virtutis omnis principium: vt illud. Subiit caput meum sciſſuras montium †: C Cogitationes autem malignorum spirituum, sciſſuras montium, quibus absorpta est mens nostra per transgressionem: Terram infimam, habitum qui nullo pacto sentit cognitionem diuinam, aut studiosæ vitæ qualemcunque motum habet. Abyssum, habitui malitiæ insidentem ignorationem, super quem, vt super terram, ambulant profunda nequitiæ. Vel terram dixit, firmum habitum malitiæ: vectes autem æternos, affectatas rebus materialibus affectiones, habitum pessimum continentes.

† Vulgata editio legit, Ad extremа mõtiũ descendi, &c. Ioan. 2. c.

Abyssus, quid mystícè significet in scripturis.

CAP. 93.

PATIENTIA sanctorum potestatem malignam irruentem absumit, cùm suis ministris suaD deat, de laboribus veritatis gratia subeundis esse gloriandum: magísque ostentari docet ob tribulationes, quàm qui carnalem vitam curant, ob remissiones: efficiens, vt naturalis in patiendo carnis infirmitas, sit illis occasio præstantis in spiritu potentiæ. Vide enim quo pacto excellentis potentiæ diuinæ occasio sit, ipsa naturalis sanctorum imbecillitas: qua superbum diabolum inferiorem esse, Dominus demonstrauit.

Carnis infirmitas, occasio spiritualis potentiæ.

CAP. 94.

SERMO gratiæ cùm per multas tentationes, ad naturam hominum; hoc est, Gentium Ecclesiam, Ioan. 3. a. E tanquam Ionas per multas afflictiones ad Niniuen ingentem ciuitatem pertransiret: suasit regi, nempe legi naturæ, vt è throno exurgeret; è pristino videlicet ad vitium sensili habitu: & stolam eius amplecteretur; vt deponeret, inquam, gloriæ mundanæ superbiã moribus insitam: & saccum indueret, luctum scilicet, ac difficilem & asperam tribulationis & vitæ Deo gratæ conuenientẽ rationem: sederétque in cinere. Cinis autem est paupertas spiritus, in qua sedet quicunq; piè viuere discit, & flagello cõscientiæ propter delicta torquetur.

Cinis paupertatem spiritus significat.

CAP. 95.

Ion.3.b. VIDE, vt legem naturalem, vocitat regem: habitum ſenſus addictum affectionibus, thronum: amictum vanæ gloriæ, ſtolam naſcentem à pœnitẽtia luctum, ſaccum: humilitatem, cinerem: eos qui ratione vtuntur, homines: qui ſectãtur cupiditatẽ, iumenta: qui ſolent iraſci, boues: qui labuntur in contemplatione rerum viſibilium, pecudes.

CAP. 96.

QVI legitimæ virtutis gratia obliuiſcitur affectionum carnis, vt ſiniſtræ; & immaculata cognitione pollens ob fælicem rerum ſucceſſum, morbo inflantis exiſtimationis, vt dextræ, nõ tenetur, euaſit homo non agnoſcens dextram ſuam, cum gloriam diſſolutam non amet: neque ſiniſtram, nempe qui carnis affectionibus non irritatur. Vanam igitur gloriam, quæ ex rebus præclarè geſtis concipitur, ſermo (vt videtur) dextram appellauit: ſiniſtram verò, ſitam in obſcœnis affectionibus intemperantiam. Quia ſermo virtutis neſcit peccatum carnis, velut ſiniſtræ: cognitionis autem ſermo, vitium animæ, tanquam dextræ, non nouit.

Matt. 6.

CAP. 97.

NOTIO virtutum ratione dotata, hoc eſt, vera & cum effectu cognitio cauſæ virtutum, plenam parit ignorationem dextræ ſiniſtræque, exceſſus ſcilicet atque defectus vtrinque mediocritati virtutum adiacẽtis. Si enim in ratione planè nihil abſurdum ineſſe ſolet, procul dubio qui deductus fuerit ad rationem virtutum, poſitionem abſurdorum minimè agnoſcet, quoniam ambo, cum ſint oppoſita, ſimul in eodem coaceruari nequeunt: & alterum per alterum declaratum, vnà cognoſci.

CAP. 98.

SI in fide nulla ratio eſt infidelitatis, nec ſecundum naturam lumen eſt cauſa tenebrarum, neque cum Chriſto ſimul oſtendi ſolet diabolus, perſpicuum eſt temerarium & abſurdum planè cum ratione ſimul eſſe non poſſe. Sin abſurdum ſimul cum ratione prorſus conſiſtere nequit, qui ratione virtutum fuerit imbutus, nullius abſurdi poſitionem amplectetur omninò, ſolam cognoſcens virtutem, vti eſt, non vt putatur, & ob id non dextram per exceſſum, neque per defectum ſiniſtram agnoſcens: quoniam in vtroque manifeſtè perſpicitur quod eſt abſurdum.

CAP. 99.

INFIDELITATEM dicit, mandatorum abnegationem: fidem autem, cum quis aſſentitur illis: tenebras ignorationem boni: lumen, cognitionem illius. At ſubſtantiam & hypoſtaſin boni & honeſti, appellauit Chriſtum: habitum verò peſſimum omnium malorum & vitiorum auctorem, diabolum.

CAP. 100.

SI ratio terminus eſt ac menſura rerum, pariter aliena ſunt à ratione, & ob id abſurda, moueri præter terminum ac modum, aut rurſum ſupra terminum ac menſuram moueri: cùm vtrumque æquale excidium ab eo, quod verè eſt, adferat his qui ita mouentur: hoc quidem, dum ſuadet illis incertum & indefinitum agere curſus motum, qui pro ſcopo Deum non habet, eo quòd mens careat menſura, beato beatiorem finem præmeditatum ſibi fingentibus: illud verò præter ſcopum ſuadet illis, vt ad ſolum ſenſum curſus motum dirigant, exiſtimantibus præ mentis hebetudine, eſſe conſultiſſimum finem, qui ſenſu eorum definitur. Quæ quidem non expertus, ignorat, nempe is qui nudo de virtute ſermoni inhæret, ac per eam ſuæ facultatis animi omnem motum circunſcribit, & propterea nihil ſupra rationem aut præter rationẽ comminiſci poteſt.

CENTVRIA QVINTA.

CAP. 1.

RATIO naturalis per medias virtutes ad mentem reducere ſolet eum qui ſtudet operationi. Mens verò per cõtemplationem, eum qui noſſe deſiderat, introducit ad ſapientiam. At temeraria affectio ſuadet ei qui mandata negligit, vt præcipitetur in ſenſum: cuius finis eſt, vt voluptati confixus ſit animus.

CAP. 2.

VIRTVTEM appellat, affectionibus vacuum & firmum erga id quod honeſtum eſt, habitum: à cuius vtraque parte nihil ſubſiſtit, cùm geſtet imaginem Dei, cui nulla res ex aduerſo reluctatur. Cauſa verò virtutum Deus eſt; cuius efficax cognitio, eſt eius qui verè Deum nouit, in ſpiritum, ſecundùm habitum mutatio. Virtutis definitio.

CAP. 3.

SI ratio definiuit cuiuſque procreationem, vt ſolet, nulla res ſurſum deorſumúe ſeipſam naturaliter egreditur. Quocirca rerum exiſtentium terminus eſt, noſſe quid cauſa expetat. Menſura verò, eſt efficax expreſſio cauſæ, ad quam pertingere poſſunt creaturæ. Iam verò ſi eorum qui mouentur, appetitus feratur ſupra terminum ac modum, reddit curſum inutilem, cum non perueniat ad Deum, in quo omnium motus, qui ſecundùm appetitum eſt, conquieſcit, ſuſcipiens finem per ſe ſubſiſtentem fruitionem Dei. Sin præter terminum ac menſuram feratur appetitus ſe mouentium, inutilem efficit curſum eorum, qui loco Dei incidunt in ſenſum, in quo voluptariè graditur labis affectionum fruitio. Rerũ exiſtentium quis ſit terminus, & quæ menſura.

CAP. 4.

LIBERE protenſus animus in cauſam rerum, omnimoda tenebitur ignoratione, nullum videns †ſermonem apud eum, qui per omnem cauſæ modum quemcunque* ſermonem ſubſtantialiter excedit, Deum, ad quem correptus ab omnibus creaturis, nullum ſcit ex his à quibus receſſit* ſermonibus, indicibili modo contemplans eum ſolum, cum quo per gratiam verſatur. Etenim mens quæ per exſtaſin ſurſum cucurrit ad Deum, rerum incorporearum & corporum dimittit ſermones: quia nulla res quæ poſt Deum ſit, cum Deo ſimul aſpectari ſolet. †λόγον.

CAP. 5.

RE vera deteſtanda eſt affectio, ſuperbia: quæ ex duobus vitiis componitur; arrogantia, inquam, & vana gloria: è quibus arrogantia quidem negat cauſam virtutis & naturæ: vana autem gloria & Superbia cõponitur ex arrogãtia & vana gloria.

naturam

naturam & virtutem ipſam adulterinam ſtatuit. A Nam ſuperbus nihil Deo gratum peragit : vanæ verò gloriæ ſtudioſus , ſecundùm naturam nihil oriri putat.

CAP. 6.

ARROGANTIÆ proprium eſt, negare Deum eſſe virtutis auctorem & naturæ . At vanæ gloriæ proprium eſt,in partes diuidere naturam , eius imminuendæ cauſa : è quibus oriri ſolet ſuperbia,qui habitus eſt vitij compoſitus , continens ſpontaneam abnegationem Dei,& naturalis in diſtribuẽdis honoribus æqualitatis inſcitiam.

CAP. 7.

Superbiæ definitio. SVPERBIA, eſt arrogantiæ vanæq; gloriæ permixtio, quæ quoad Deum contemptu pollet, quo prouidentiam cõtumeliosè calumniari conſueuit: B quantum ad naturam,dedita eſt inuerſioni,qua res omnes naturales tractat prẽter naturam,abuſu corrumpens decorum naturæ.

CAP. 8.

SPIRITVS æſtiuus non tentationes modò ſignificat, ſed etiam derelictionem Dei,quæ Iudæis eripuit diuinorum chariſmatum largitionem. Affinitas autem quam cum ſpiritu ſibi conciliat anima, voluntatis habitudinem ſoluit à carne, & affixam Deo per deſiderium colligat.

CAP. 9.

Lex naturalis. LEX naturalis cum non habuerit à ſenſu occupatam rationem , nulla docendi arte ſuadet omnibus natúra prædítis,magiſtra ſupplendi quæ neceſſaria ſunt, vt amplectantur quod eſt cognatum ac familiare:cunctique velint illud onne , quod quiſ-

Matth. 7.b. " que,ſi ab alijs ſibiipſi fiat,gratum eſſe putat . Quod " etiam docens Dominus , inquit, quæcunque vul- " tis vt faciant vobis homines , ſimiliter & vos facite illis.

CAP. 10.

OPVS legis naturalis eſſe dicit, vnanimem omnium erga omnes voluntatis habitudinem . Nam apud quos ratione natura vincit , horum vnus eſſe ſolet affectus in quibus autem idem eſt affectus, D ſtatus morum ac vitæ curſus vnus proculdubio eſſe conſueuit : quorum autẽ eſt idem morũ ſtatus & curſus vitæ , vnum & idem in animo mutuæ habitudinis extat vinculum,per vnam voluntatem deducens omnes ad vnicam rationem naturæ,in qua

Lex ſcripta. nulla prorſus eſt, qui nunc per philautiam occupat naturam , diuiſio . Cæterùm lex ſcripta , quæ mulctarum metu continet incompoſitos imprudentium impetus , aſſuefacit , docens illos ſpectare ſolam æqui diſtributionem : per quam iuſtitiæ vis tempore firmata tranſit in naturam, quiete efficiens, vt metus in diſpoſitionem mutetur , animo erga honeſtum paulatim confirmato : & habitus E in conſuetudinem quæ præcedentium obliuione expurgetur , mutuámque dilectionem ſibi ipſi comparet.

CAP. 11.

LEX ſcripta , inquit , quæ metu cohibet iniquitatem , aſſuefacit ad id quod iuſtum eſt : ſucceſſu verò temporis mutat conſuetudinem in affectum ſtudioſum iuſtitiæ , vnde firmus erga honeſtum ſuboritur habitus, nequitiæ prioris inducens obliuionem.

CAP. 12.

Lex gratiæ. LEX autem gratiæ immediatè docet illos qui adducuntur , ipſum Deum mutari : qui tantopere nos dilexit, & pluſquam ſeipſum (ſi fas eſt dicere) maximè cum inimici eſſemus propter peccatum, vt ſupra ſubſtantiã & naturam exiſtens, in noſtram ſubſtantiam ſine vlla conuerſione venerit , eámque modo ſuperſubſtantiali ſuſceperit; & homo factus , vnus ex hominibus appellari voluerit;nec noſtram condemnationem facere ſuam recuſauerit ; ac nos per gratiam in diuinitatem tantùm euexerit, quantùm per diſpenſationem ipſe factus eſt homo: vt diſcamus non modò naturaliter inuicem excipere , & ſpiritaliter velit noſipſos mutuò diligere , ſed etiam diuinè pluſquàm noſtri mutuam gerere ſolicitudinem : vt hanc mutuæ charitatis exhibeamus demonſtrationem,virtute ſcilicet duce , alterum alterius cauſa ſpontaneam mortem alacriter oppetere velle . Non enim , inquit eſt alia " Ioan. maior hac dilectio , quam vt ponat quis animam " 15.b. ſuam pro amico ſuo. "

CAP. 13.

Legis naturæ definitio. LEX quidem naturæ , eſt (vt in ſumma dicam) ratio naturalis, quæ captiuum tenet ſenſum ad delendam vim irrationalem:vnde nauraliter copulatorem ſequitur diuiſio . Scripta verò lex , eſt ratio naturalis , quæ deleta vi ſenſus irrationalis aſſumit etiam ſpiritale deſiderium , mutuam retinens affectionem erga id quod cognatum eſt . Cæterùm lex gratiæ, eſt ſupernatulis ratio quæ abſque vlla conuerſione transformat naturam in diuinitatem , & modo naturæ humanæ incomprehenſo oſtendit, veluti in imagine , primarium exemplar quod ſubſtantiam ſuperat & naturam,præſtans vt in externa beatitudine permanere poſſimus.

CAP. 14.

HABERE proximum ſicut ſeipſum, eſt de ſola vita, & vt ſupereſſe queat, curare : quod ad legem naturalem pertinet . Diligere verò proximum ſi- Leuit.19.d cut ſeipſum eſt , conſulere proximo , vt per virtu- Matt.5.g. tem fæliciter etiam agere poſſit ; quod quidem lex Iac.2.b. ſcripta concedit. At verò diligere proximum ſupra ſeipſum, maximè proprium eſt legi gratiæ.

CAP. 15.

QVI ſe cohibet ab occaſionibus voluptatem corporis procurantibus,diſcit ſermones prouidentiæ cohibentis materiam affectiones incendentem. Qui verò corporis affligendi cauſa flagella ſuſcipit,eruditur in ſermonibus iudicij , quod violentis laboribus emundat illum à priſtinis iniquinamentis.

CAP. 16.

Ion.4.a. CVM ſermo ſcripturæ Prophetam introducat tentorij & cucurbitæ (carnis , dico , & voluptatis carnalis) cauſa mœrentem; Deum autem ex aduerſo ſuſcipientem Niniuen : perſpicuum eſt , longè melius ac pretioſius eſſe quod Deo gratum eſt, iis omnibus quæ magni fiunt & adamantur ab hominibus , multò magis iis quæ non ſunt eiuſmodi,ſed præoccupatione ſola & fallaci iudicio putantur eſſe : quorum nulla eſt omninò ſubſiſtendi ratio, ſeu ſola imaginatio illudens animo,quæ figuram præbet inanem iis quæ non ſunt, non tamen hypoſtaſin affectioni præſtat.

CAP. 17.

ELOQVIORVM Spiritús exacta cognitio ſolis reuelari ſolet dignis Spiritu, qui ſummo ſtudio virtutum, expurgata mente ab affectionum fuligine, inſtar mundi lucidíque ſpeculi recipientis effigiem ſtatim vt obiecta eſt, rerum diuinarum obuenientem & impreſſam illis cognitionem ſuſcipiunt. Illi verò quorum vita maculis affectionum diſtincta eſt, vix poſſunt, vel ex quibuſdam veriſimilibus argumentis, diuinorum notitiam coniicere: tantùm abeſt, vt accutè ſe illam tenere & eloqui poſſe ſibi arrogent.

CAP. 18.

EI qui mentis formam, nempè orientem è virtutibus notionem per ſpiritum diuinum ſuſcepit, diuina quædam accidiſſe dicuntur, quia non natúra ſecundum ſubſtantiam, ſed gratia per participationem adeptus eſt illam. At qui non ex gratia cognitionem cõſequitur, quàmuis loquatur quidpiam cognitu dignum, vim tamen eius quod enunciat, per experientiam non nouit. quoniam inſtructio nuda, cognitionis non impartitur habitum.

CAP. 19.

ANIMVS qui per virtutes ſummè purgatur, meritò aptus eſt vt ſermones virtutum edoceatur, ex illorum notitia diuinitus impreſſa propriam ſibi conſtituens effigiem. Nam quiuis animus ex ſeipſo vacuus eſt ſpecie & charactere, acquiſititiam habens formam, vel ipſam ex virtutibus conſtantem per Spiritum notionem, vel prouenientem ab affectionibus ignorationem.

Animus ex ſeipſo vacuus eſt.

CAP. 20.

QVICVNQVE excidit à dilectione diuina, legem carnis habet regnantem per voluptatem quæ nullum poteſt aut vult obſeruare mandatum diuinum. Cùm enim vitæ regnóque quod per Spiritum Dei ſecundùm virtutem regitur, vitam anteposuerit voluptati deditam, pro ſcientia ignorationem ipſe ſibi contraxit.

Rom. 7. d.

CAP. 21.

QVI non penetrat animo interiorem in Spiritu literæ legalis dignitatem diuinam, ex eruditione quę in ſola prolatione verborum legis conſiſtit, voluptatis amantem habitudinem animi producere ſolet; hoc eſt, mundanam mundique ſtudioſam affectionem.

CAP. 22.

DICTV pudenda eſt mundi corporíſque ſtudioſa meditatio cogitationum animi. Apud quem enim ex forma corporea in litera legis eminenti, per voluntatis habitudinem mundus gigni ſolet, apud eundem ſanè & affectus diligens mundum, & dedita voluptati exercitatio cogitationum animi: quoniam erga illud mentis meditationem obtinemus, in quod fixè ſumus affecti.

CAP. 23.

ITEM infamis eſt dictu motus enimi, qui ſpeciem inducit affectionibus, & in ſenſu format oblectantem pulchritudinem. Nam abſque vi mentis intellectiua, ad fingendam formam minimè fertur affectio, vel craſſus, deformis, ac rudis affectionum motus, qui format affectionem in ſenſu animi, & cogitationibus ſuppeditat conuenientem affectioni materiam.

CAP. 24.

QVI credit, Deum in lege ſtatuiſſe ſacrificia, feſta, ſabbata, neomenias, ad delicias & quietem corporis; per omnia prorſus obnoxius fiet affectionum viribus, & infami ſpurcitiæ cogitationum obſcœnarum ab illis prodeuntium: ſeruiétque mundo corruptibili, corporis amanti cogitationũ meditationi, materiæ denique affectionum & formæ: qui nihil aliud habere poterit in pretio, quàm ea quæ corrumpuntur.

Feſta & ſacrificia ludæis imperata nõ ad delicias aut quietem.

CAP. 25.

QVI perſuaſum habet, corpoream ex lege capere voluptatem, diuinam eſſe viuendi rationem; ventris ingluuiem vt Dei domum aſſumit ad hilarem vitæ conſuetudinem: vnde producit mores abuſu facultatem ſenſuum inquinantes.

CAP. 26.

CVM facultas animæ contemplatiua ad conſuetudinem vitæ fuerit amplexa delicias ex litera legis velut diuinas propter mandatum, ſenſuum vſum tranſgreditur præter naturam, nulli concedens vſum naturalis actionis edere. Parit enim habitum affectionum & effectum, & ventris ingluuiem vt diuinam introducit, ad procreandos mores, qui per abuſum ſenſus ipſos inficiant, in perniciem cauſarum ac ſeminum naturalium in rebus exiſtentium.

CAP. 27.

NVLLVS intendens in ſolum exteriorem legis cultum, naturalem omninò rationem aut cogitationem accipere poterit: quia ſymbola non idem eſſe conſueuerunt, quod natura. Nam qui in ſignis duntaxat legis immoratur, rerum naturam ratione luſtrare non poteſt, nec cauſas in ſubſtantia rerum inſitas ab opifice ſibi vendicare, propter diſcrimen quod eſt inter ſymbola & rerum naturam.

CAP. 28.

QVI ventrem putat eſſe Deum, & de re turpi perinde gloriatur ac de honeſta, ratione ſtudij ſolas nouit amplecti affectiones obſcœnas tanquam diuinas: & ideo temporanea duntaxat ſectatur; hoc eſt, materiam & ſpeciem, & quintuplicem abuſu ſenſuum effectum. Nam ſenſus per mixtionem inuolutus materiæ ac formæ, perficit quidem affectionem, cauſas verò naturales interimere ſolet ac tollere. Quoniam affectio & natura ſubſiſtendi ratione nequaquã vna cum altera ſimul ſunt: cùm ratio naturæ ſimul apparere nequeat cum affectione, vti nec quantùm ad procreationem, affectio gignitur vnà cum natura.

Phil. 3. d.

CAP. 29.

QVI non credit ſpiritalem eſſe ſcripturam, ſuã cognitionis inopiam non ſentit, ſed fame conficitur: quia fames eſt haud dubiè, defectus cognitorum ipſa experientia bonorum, & eſcarum ſpiritalium animam coroborantium penuria & raritas omnimoda. Quo enim pacto quiſpiam ablationẽ eorum quæ ſibi nullo modo nota ſunt, famem eſſe vel damnum exiſtimauerit?

Fames ſpiritualis.

CAP. 30.

RE vera laborat fame populus fidelium & eorum qui nouerunt veritatem: item cuiuſuis anima, quæ deſerens ſpiritalem contemplationem in gratia po-

tia positam, & literæ typis inseruiens, non pascit animum magnificis conceptibus, sed sensum, imaginationis affectiones sectantis, replet crassis scripturæ signorum informationibus.

CAP. 31.

QVICVNQVE spiritalem sanctæ scripturæ speculationem non amplectitur, Iudæorum more: tum naturalem, tum scriptam legem vnà cum illa explodit, & gratiæ legem ignorat per quam diuinitas illis donatur qui ductu eius vitam degunt. Quisquis igitur legem corporaliter accipit, non alit virtutibus animam. Et qui causis rerum non incumbit, varia Dei sapientia honorificè non pascit animum. Item qui summum nouæ gratiæ mysterium non cognoscit, ob spem deificationis futuræ non exultat. Quamobrem defectus speculationis circa legem scriptam, habet insequentem se penuriam multiplicis sapientiæ Dei, quæ ex lege naturali perspicitur, & subsequentem diuinitatis per gratiam, iuxta nouum mysterium, donandæ plenam ignorationem.

Lerno intelligenda corporaliter.

CAP. 32.

MENS omnis secundum Christum perspicax & visione pollens, semper desiderat & quærit faciem Domini. Facies porrò Domini, est vera rerum diuinarum secundum virtutem speculatio ac cognitio, quam qui inuestigat, docetur quæ sit causa inopiæ & penuriæ suæ. Nam qua ratione vultus index est animi cuiusque, eadem quoque spiritalis cognitio numen diuinum expressè designat; quod quidem qui inquirit, quærere faciem Domini dicitur. Qui verò iuxta literam legis ruētis sacrificiis incarnatus est, optata fruitur insciti, mandatum accipiens ad solam carnis voluptatem, & materiam duntaxat literæ corporaliter ad sensum amplexus.

Facies Domini quid sit in scripturis.

Fetié Domini quærere. Psal.23.b. & c.104.a. 1 Par.16.c. Dan.3.d. Osee.5.d.

CAP. 33.

QVI iuxta legem, corporalem quidem cultum exhibet, ipso effectu peccatum gignit velut materiam, & aptis sensuum voluptatibus consensionem animi tanquam speciem in ipsa materialiter formatur. Qui verò scripturam spiritaliter excipit, per naturales cogitationes excelsæ vacuitatis affectionum, ipsum effectum vt materiam, peccati verò consensum velut speciem mortificat, vnà cum modis sensus oblectationum abusum promouentibus.

CAP. 34.

TRANSACTO iuxta literam legis cultu corporeo, transmissáque ignorātia, lex vel animus spiritalis materiam & formam, necnon quinque modos quinque sensuum circa materiam & speciem abusiuè versantes (dico autem alienum à natúra deditúmque affectionibus sensuum complexum erga sensilia, hoc est, temporanea & caduca) tradit mortificanda sublimioribus in contemplatione naturali †rationibus & cogitationibus: ad delendam & enecandam maximè vniuersalem temporaneorum habitudinem sitam in symbolis sensum & corpus afficientibus, per ea quæ pro celsitudine pertinent ad legem spiritalis speculationis.

†πὸς λόγους.

CAP. 35.

CITRA speculationem naturalem nemo discernit quantùm discrepent à diuinis legalia symbola. Nisi enim quispiam antea naturaliter expenderit rerum diuinarum & intelligibilium dissimilitudinem à symbolis desiderans animo peruenire ad intelligibilium dignitatem, cum prorsus extra adyta diuina sensum collocet, à varietate corporea, quæ typis insidet, non potest per omnia liberari: in qua quamdiu incedit, complectens literam, meritò non solatur inopiam ex fame cognoscendi contractam, seipsum condemnans, dolosi serpentis more, ad edendam terram scripturæ; hoc est, corpus, non autem cœlum, iuxta Christi sentētiam; nempe scripturę spiritum & animam; hoc est, cœlestem & angelicum panem, vescens, inquam, in Christo spirituali scripturarum cōtemplatione & cognitione: quam opiparè largitur & suppeditat Deus diligētibus eum, prout scriptum est. Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducauit homo.

Genes.3.c.

« Psal. « 77.c.

CAP. 36.

SI tandem impleri diuina gratia desideramus, acceptionem scripturæ in sensu & corpore positam velut affectionum planè & vehementer adhærentis temporaneis & fluxis affectús genitricem, nempe facultatis sensuum erga sensilia affectæ, non aliter quàm Saulis filios & nepotes in monte, delere conuenit, per naturalem eloquiorum diuinorum ductu contemplationem.

2. Reg. 21.b.

CAP. 37.

DEDIT veritatem, tum lex cum iuxta literam solam intelligitur, tum populus Iudaicus & quisquis illorum imitatur ingenium, definiens sola litera vim legis, & ad declarationem mysticæ latentis in litera scientiæ, non admittens & speculationem naturalem quæ media est inter typos & veritatem, ab illis quidem abducens eos qui introducuntur, & ad hanc reducens: sed illam omninò propè repudiat, & à sacra diuinorum imitatione repellit. Perimenda igitur est hæc externa & temporanea legis exceptio, vt seruiens tempori & caduca, per naturalem contemplationem, perinde ac in monte, sublimitate scientiæ, ab iis qui diuinarum studiosi sunt contemplationum.

Scripturæ speculatio naturalis.

CAP. 38.

CORPOREVM sensum scripturæ penitus delet, qui operando per naturalem speculationem interimit voluptatis & corporis amantem, è lege scripta natam habitudinem ad materiam minimè stabilem & influentem animæ: &, tanquam filios ac nepotes Saulis, in celsitudine cognitionis, velut in monte, per contemplationem naturalem enecat abiectum legis intellectum: & declarat in conspectu Domini, per confessionem scilicet, priorem legis interpretationem corporalem. Ita enim hoc ipsum, CRVCIFIGERE, potest ab his intelligi, qui discere cupiunt coram Domino. Et ipsos, ait, crucifixerunt in monte coram Domino. Adducentes ad lucē, per cognitionem videlicet, priorē iuxta literam legis acceptionem erroneā: quod quidē est declarare literam per sublimitatem speculationis, beneficio cognitionis spiritualis, mortuam esse.

« 2. Reg. « 21.b. «

CAP. 39.

LITERA (inquit) occidit, spiritus autēm viuificat. Idcirco quod occidere solet, spiritu viuifi-

« 2. Cor. « 3.b.

co interficiendum est. Quia prorsus fieri non potest, vt quod in lege corporeum est, & quod diuinum, nempe litera & spiritus, simul sint inter se circa idem cum effectu. Nam cum eo quod natúra vitam confert, consonare non solet id quod ipsam adimit.

CAP. 40.

VITAM præbere solet spiritus, litera vitã auferre, quamobrẽ circa idem agere nequeunt litera & spiritus: quemadmodũ nec id quod viuificat, simul esse potest cum eo quod corruptionem adfert.

CAP. 41.

Circũcisio mystica. MYSTICA circuncisio, est habitudinis animi affectionibus obnoxiæ circa natiuitatem integra amputatio. Natura enim nouimus, qui rebus incumbimus, detruncationem integritatis naturalis prouenientis à Deo, non esse perfectionem. Siquidem natura per artem decurtata, & solertia quadã deponens id quod ratione creationis sibi diuinitus inest, non inducit perfectionem: ne ad firmandam iustitiam introducamus artem Deo potentiorem, atque efficiamus, vt excogitata ratio imminuendæ naturæ suppleat defectum in procreandi iustitia: sed expositione locali particulæ quæ † γραμικῶς, vltrò ex sententia. abscinditur, discamus † scitè facere circuncilionem capacis affectionum dispositionis animæ: qua redditur aptior animus, vt concurrat cum natura, corrigens natiuitatis aduẽtitiæ legem affectionibus deditam.

CAP. 42.

PRÆPVTIVM, est quippiam naturale. Quicquid porrò naturale est, diuinæ creationis est opus, Genes. 1.d. « idque valde bonum, iuxta scripturam quæ dicit: « Et vidit Deus quæcunque fecit, & ecce valde « bona. Atqui lex dum iubet per circunciſionem amputari præputium, velut immundum, introducit Deum artificiosè corrigentem opus proprium: quod quidem vel cogitatu impiissimum est. Quocirca qui symbola legis naturaliter capessit, nouit, quòd Deus non corrigat arte naturam: sed patibilem animæ facultatem parendi rationi, iubet circuncidi (quæ typicè significatur per corpoream particulam) quam quidem cognitio ab animo deponere consueuit operationis vigore. Siquidem sacerdos circuncidens, significat notionem: quæ velut ferrum, aduersus affectionẽ, habet rationalẽ operandi fortitudinem. Aboletur enim traditio legis, cum spiritus potior sit litera.

CAP. 43.

Sabbatum spirituale. SABBATVM, est affectionum & motionis animi circa rerum naturam cessatio, vel perfectum affectionum otium, ac finis motus animi in vniuersum erga creaturas, & plenus ad numen diuinum transitus. In quo, qui per virtutem & cognitionem, quantum fas est homini, peruenerit eò, non debet qualemcumque prorsus materiam, affectiones, vt ligna incendentem animo concipere, neque vllo modo colligere naturæ rationes: ne more Græcorum præscribamus Deum oblectari affectionibus, aut intra naturæ limites contineri: quem quidem solum inclamat omninò silentium, ampléque subiicit oculis summa ignoratio.

CAP. 44.

Corona probitatis. CORONA probitatis, est fides pura, sublimibus dogmatum elocutionibus, ac spiritalibus verbis & conceptionibus, vt precioſis lapidibus, distincta: quæ Dei studiosum animum, tanquam caput constringit. Vel potiùs, corona probitatis, est ipsum Dei verbum quod variis tam prouidendi quàm iudicandi modis; hoc est à spontaneis affectionibus continentia, & violentarum tolerantia, capitis instar cingit animum, & communicatione diuinitatem cõferentis gratiæ, mentem ipsam reddit ipsamet formosiorem.

CAP. 45.

HOC loco dicit continentiam esse prouidentiæ opus, eò quòd purget affectiones vltroneas. Patientiam verò ait esse iudicij specimen, vt quæ violentis reluctetur tentationibus: & cum sit actiuæ philosophiæ symbolum, à peccato detentos, tanquam ab Ægypto, deducit ad virtutem.

CAP. 46.

MANDAVIT Deus in honore haberi Sabbatum, neomenias, & festa; non quòd vellet honorari dies ab hominibus: nam hac ratione contra legem mandati, colere creaturam plusquàm creatorem præscriberet iis qui natúra venerandos esse putant dies, & idcirco adorandos; verùm per dies, figuratiuè seipsum honorandum esse declarauit. Ipse enim est sabbatum, tanquam animæ requies, ab ærumnis carnem cruciantibus, & laborum iustè inuectorum finis: Pascha verò, quia liberator detentorum à dura seruitute peccati. Pentecoste autem, vt rerum principium ac finis: Verbum quoque, per quod omnia natúra subsistunt. Perpende porrò quo pacto lex perdit eos qui illam corporaliter intelligunt, dum suadet colere creaturam supra creatorem: & eos qui ignorant eum cuius gratia conditi sunt, putare natura veneranda esse, quæ propter ipsos creata sunt. Exod. 16. f. Sabbati religio.

CAP. 47.

MVNDVS quidem est terminatus locus, & status circunscriptus. Tempus verò est motus definitus: vnde etiam alterabilis est eorum qui in ipso sunt vitæ motus. At vbi tam re ipsa quàm cogitatione locus & tempus decursa fuerint à natúra, nempe illa sine quibus esse non potest, definitus scilicet motus ac status, fueritque natura immediatè copulata prouidentiæ: rationem reperit prouidentiam natúra simplicem, statuam nullatenus circunscriptam, & ob id motu prorsus omni carentem.

CAP. 48.

CREATVRA quæ temporaliter est in mundo, motum habet alterabilem, tũ ob statum mundi definitum, tum quòd pro varietate temporis agitur. Quę verò est apud Deum, propter naturalem eius apud quem degit vnitatem, statum est habitura semper mobilem eandémque motionem stabilem, quæ circa idem vnum ac solum perpetuò versatur: quam nouit † sermo scripturæ contiguam esse circa primam causam eorum qui ab ipsa conditi sunt manſionem firmam. † λόγος

CAP. 49.

Pẽtecostes & Scenopegiæ mysterium. PENTECOSTES mysterium est, immediata eorum quibus prouidetur cum ipsa prouidẽtia vnio, naturæ videlicet cum ratione, prout prouidentia excogitauit, vnio: in qua nullum est omninò temporis

poris aut generationis indicium. Mysterium autem scenopegiæ est constantiæ nostræ operatio secundum imitatorem Dei habitum erga honestum, & vinculum mutationem ad immortalitatem retinens.

CAP. 50.

QVI nudis gaudet cruentis sacrificiis, tanquam affectionibus deditus, sacrificantes instruit ad sectandas affectiones. Nam qui colit ingenuè, libenter delectatur iis quibus & ipsum quod adoratur. Vnde per sacrificia, magis intellexit sermo mactationem affectionum, & oblationem facultatum naturalium: è quorum numero rationis quidem typus est hœdus, signum iræ gestat taurus, cupiditatē verò capra significat.

Sacrificiorum Iudaicorum mysteria.

CAP. 51.

NON solùm mortificationem affectionum quæ iugulantur gladio spiritus, quod est verbum Dei, totiúsque vitæ carnalis, velut commotionem sanguinis intentioni consentaneam, nouimus esse spiritalia sacrificia, sed etiam morum à philosophia traditorum, & præsentationem facultatum omniū naturalium quæ dedicantur Deo, & igne spiritalis gratiæ totæ concremantur ad diuinam sortem cōsequendam.

Eph. 5. c.

CAP. 52.

TERRENA scripturæ interpretatio occupans animum naturales abiicit rationes, quas delet abusu facultatum naturalium. Nam qui hunc in modum viuit, legem sola carne dimetiens, verè consumit, persequitur, ac perdit naturales rationes & cogitationes, obscœnas affectiones honore prosequens vt diuinas: quas quidem accepta securitate à lege spiritali, cogitationes naturales occidunt simul & morti tradunt.

Scripturæ interpretatio terrena.

CAP. 53.

SIMVL atque ratione percurrerit quispiam philosophiam virtutum, vnà quoque scripturarum exceptionem natúra transfert ad spiritum, operando inseruiens Deo per excelsas speculationes in nouitate spiritus, non in vetustate literæ, abiectius accepta lege ad sensum & corpus, Iudæorum more, fautor affectionum & peccati cultor effectus.

CAP. 54.

SIMVL vt quis scripturam sensiliter ad corpus referre desierit, quamprimùm etiam animo, media, natúra recurrit ad spiritum, spiritaliter agens ea, quæ dum Iudæus peragit corporaliter, Deum habet iratum.

CAP. 55.

OMNIS secundùm Deum sublimis & suspensus animus, eodem momento & vim affectionum & deformem cogitationum motum interimit, adhęc etiam mores abusu sensilium actionum intemperatos. Excelsis enim naturæ ratiocinationibus tollūtur affectiones, de quibus alta triumphat speculatio.

CAP. 56.

PECCATI vim, vtpote prudentiam carnis, delere solet gratia sancti baptismatis, & obseruatio mandatorum diuinorum interficere gladio spiritús, hoc est, verbo diuinæ per spiritum cognitionis, " mysticè vociferans in affectionē peccati, sicut ad- " uersus Agag magnus Samuel; Pro eo quòd mulie-

1. Reg. 15. g.

A res priuaúit liberis gladius tuus, inter mulieres hodie priuabitur liberis mater tua.

CAP. 57.

AFFECTIO gulæ, consummata voluptatis cogitatione, veluti gladio, liberis complures priuauit virtutes. Temperantiæ siquidem semina per intēperantiam enecat: æqualitatem iustitiæ corrumpit auaritia: naturalem humanitatis connexionem amore sui diuidit: & vt paucis dicam, omnes virtutis fructus perimit affectio gulæ.

Gulæ gladius multas virtutes occidit.

CAP. 58.

AFFECTIO gulæ cunctos virtutum trucidat fœtus diuinos: ipsa verò per gratiam fidei, & obsequendo mandatis diuinis, per cognitionem verbi occiditur.

CAP. 59.

VERE lumen gentium est Dominus noster, qui per veram cognitionem reuelat eis oculos intellectús, ignorationis caligini conniuentes, & ad vitā diuinè trāsigendam seipsum præparat bonum virtutis exemplar fidelibus populis, forma factus ipsis & typus effigiei virtutis: in quem velut nostræ salutis ducem intuentes, quātùm imitatione possumus, operando virtutes exequimur.

Luc. 2. c.

CAP. 60.

QVICVNQVE motus inuidia odit, & perperam calumnioséque diffamat præstātiorem in certaminibus virtutum & copia sermonis ad cognitionem spiritalem pertinētis, Saul est qui à spiritu nequam suffocatur, non ferens gloriam eius qui fælicitate virtutis & cognitionis est illustrior & ideo grauiùs insanit, quod violentis manibus benefactorē interficere nequeat. Sæpè verò asperè repellit ipsum etiam amicissimum Ionathan, ratiocinationem dico insitam in conscientia; quæ redarguit odium iniquū, & veritatis amica, studia virtutis eius qui odio habetur, enarrat.

Saul, inuidorū typ⁹. 1. Reg. 18. c

1. Reg. 21. d

CAP. 61.

NOS quoque Dauidem intelligibilem inuocemus, vt cithara speculationis & cognitionis spiritalis insonet animo nostro, rebus materialibus quasi morbo caduco laboranti; malignúmque spiritum temeritatis materialis procul abigat: quò possimus legem spiritaliter intelligere, & reconditam in ea mysticam rationem inuenire, atque sufficientes conficere facultates ad commeatum æternæ vitæ.

1. Reg. 16. d

CAP. 62.

QVISQVIS est studiosus salutis, aut actioni aut speculationi obnixè intendit animum. Nam absque virtute & cognitione nemo potuit vnquam salutem consequi. Siquidem ad virtutem pertinet, corporis motum componere: vt quæ recta consideratione quasi fræno quodam perite cohibeat, ne ad absurditatem dilabatur: speculationis autem sit, quæ rectè sunt intellecta prudentérque iudicata, vt eligantur decernere.

Actio & cōtemplatio necessaria ad salutē.

CAP. 63.

QVONIAM intellectiuum est, quod intelligit: intelligibile verò, quod intelligitur: intelligentis autem alimentum & velut substantia, est id quod intelligitur: meritò Deus, qui intelligitur & fit intelligibilis mentibus, maximè cum sint incorporeæ, quantum attingere pos-

sunt, interiùs illustrat eas, interim dum intelligit & A alitur animus.

CAP. 64.

ALIVD est intelligibile, & aliud intellectiuum. Quoniam intelligibile, vt diximus, est intellectiui velut quoddam alimentum: si modò quod intelligitur, ipsum scilicet intelligibile, excellentius est & antè excogitatum quam ipsum intelligens, quod est intellectiuum. Intellectiua enim dicuntur quæcunque, propterea quod mentes sunt, intelligibilia, excellentia, inquam, intelligibilia feruntur. Est enim intelligibile quod intelligitur: quod quidem intellectiui siue intelligentis est pabulum.

CAP. 65.

SCIENDVM est, effecta, causarum habere con- B tingentes imagines. Sunt enim effecta, cuncta quæ producuntur in creaturam; causæ verò, quæ producunt. Nulla porrò cognatio est causarum, inquam, & effectorum.

CAP. 66.

HAVD explorata est effectis connexio cum causis: habent tamen effecta causarum occurrentes imagines: ipsę verò causæ supra effecta sunt eleuatæ, sedémque superiorem habent pro sui principatús ratione. Effecta namque causis eximiè & subEffecta insunt causis substantialiter. stantialiter insunt.

CAP. 67.

EFFECTA sunt omnia quæ producta sunt in C creaturam, siue in cœlo, siue in terra: causæ verò, quæ produxerunt, hoc est tres hypostases sanctæ Trinitatis. Perspicuum est igitur, horum inter se, causarum, inquam, & effectorum, nullam esse cognationem.

3 hypostases. S. Trinitatis.

CAP. 68.

SCIENDVM est, mentem nostram vt intelligat habere facultatem, per quam intelligibilia cernit: vnionem autem habere, quæ naturam animi superextollit, qua copulatur his quæ sunt vltra seipsam. Per hanc ergo sunt intelligenda diuina, non more nostro: sed cum toti nosipsi à nobis prorsus ipsis abalienati, toti fuerimus effecti Dei. D Melius est enim illius esse, quàm nostri. Hoc namque pacto dedita erunt diuina his qui versantur cum Deo.

CAP. 69.

ANIMVS intelligere volens, infra se est, descendens ad intellectiones. Intellectiones enim intelligente sunt inferiores; vt quæ intelligantur & comprehendantur, ac meritò vnionis ipsius mentis est dissipatio & diuisio. Quia mens quidem simplex & carens partibus, intellectiones autem multiplices & diuisibiles, & quasi species animi. Quapropter intellectiua, hoc est, intelligentia, pauciora sunt intelligibilibus, nempe his quæ intelligunter. E Cæterùm vnio mentis ait, vt in sequentibus clariùs dicit, per quam ad ea quæ vltra seipsam sunt extenditur; id est, speculationi de Deo intendit, est ab omnibus sensilibus & intelligibilibus, adhuc etiam à proprio motu alienatam esse, tum sic diuinæ cognitionis radium suscepisse.

CAP. 70.

INTELLECTIVVM quod iuxta proportionem sui mouetur intellectiuè, vtique etiam intelligit: Si intelligit, amat quoque sine dubio quod intellectum est: si verò amat, abalienationem omninò patitur amatoriam erga illud: si patitur, certum est quòd & vrgetur: si vrgetur, planè sui motus robur intendit: si valdè suum intendit motum, non quiescit, donec totum sit in toto quod amatur, & à toto comprehendatur, spontè se totum donans ex proposito salutari circunscriptioni, vt totum à toto circunscribente tale vel tale reddatur: quasi de cætero nolit omninò totum illud ipsum quod circunscribitur, ex seipso cognosci posse, sed ex circunscribente: perinde vt aër lumine penitus illustratus, & ferrum igne totum toto ignitum, aut siquid aliud est eius generis.

CAP. 71.

NON parua est intelligentium erga ea quæ intelliguntur, & erga sensilia sensitiuorum habitudo. Homo porrò constans ex anima & corpore sensitiuo, ex habitudine & proprietate naturali quam habet per alternationem erga vtranque portionem creaturæ, tum circunscribit, tum circunscribitur; hoc quidem, substantia; illud, facultate. Nam quatenus est anima & corpus, ab intelligibilibus & sensilibus circunscribi solet: potentia verò, quatenus intelligit & sentit, circunscribit ea. Deus autem simpliciter & indefinitè excedit vniuersa, tam quæ continent, quàm quæ continentur, liber prorsus ab omnibus.

CAP. 72.

QVÆVIS interdicta voluptas solet prorsus nasci Voluptatis interdictæ origo & definitio. ex affectione, per medium sensum, erga quoddam sensibile. Quia nihil aliud est voluptas, quàm species sensus, quæ à quodam sensili formatur in sensitiuo: aut sensitiuæ facultatis modus, quem cupiditas irrationalis producit. Cupiditas enim adhærens sensui, eique speciem inurens, transit in voluptatem: & sensus cupiditate motus, assumpto sensibili parit voluptatem. Idcirco sancti, cum nossent animam, quæ per mediam carnem præter naturam mouetur in materiam, induere formam terrenam, media potiùs anima naturaliter se mouentes in Deum, vel ipsam carnem Deo decenter accommodare decreuerunt, virtutũ exercitio, quoad fieri potest, diuinis eam notis adornantes.

CAP. 73.

SANCTI iuxta veram & immaculatam naturalis motus rationem, præsens † scenæ seculum †κατ' σχημα μάτων. magno animo transierunt, cum sensum ratione media vniuissent cum animo simplices rerum habente rationes: animum verò motu circa res quascunque solutum, & quoad ipsam naturalem facultatem in eo sitam, tranquillum Deo obtulissent. Vnde in vniuersum cum Deo collecti, toti in toto Deo firmari per Spiritum sanctum meruerunt, gestantes pro viribus humanis integram cælestis imaginem: tantúmque attrahentes repræsentationis diuinæ (si fas est hoc dicere) quantum ipsi attracti Deo sunt insiti.

CAP. 74.

FERVNT, Deum & hominem se mutuò de- Deus & homo mutuò se demonstrant. monstrare: tantúmque humanitate dictum Deum homini se similem hominis exhibere, quantum homo charitate pollens Deo se diuinum præstitit: & tantum animo hominem ad id quod cognitu dignum

dignum est à Deo rapi, quantum homo Deum natura inuisibilem per virtutes patefecerit.

CAP. 75.

QVICVNQVE mortificauerit membra quæ sũt super terram, integram suæ ipsius carnis prudentiã extinxerit, omnem erga illam excusserit habitudinem, per quam dilectio quę soli Deo debetur, à nobis diuiditur: vniuersa quoque carnis & mundi insignia, diuinæ gratiæ causa abnegauerit, ita vt dicere possit cum beato Paulo Apostolo, Quis nos separabit à charitate Christi? & quæ sequuntur: talis, more summi Melchisedech, factus est sine patre, sine matre, & sine genealogia: non habens quo pacto teneri possit à carne & à natura, propter comparatam affinitatem cum spiritu.

Rom. 8. d
Heb. 7. a

CAP. 76.

Vitæ finis inuste appellatur mors.

NON puto iustum esse, finem huius vitæ mortem appellare: sed recessum à morte, separationem à corruptione, liberationem à seruitute, à turbatione quietem, bellorum oblationem, tenebrarum subductionem, remissionem laborum, seruoris tranquillitatem, velamentum pudoris, affectionum fugã, & vt in summa dicam, omnium cõsummationem malorum. In quibus quidem dum per spontaneam mortificationem præclarè se gererent sancti, seipsos in hac vita peregrinos & aduenas præstiterunt, strenuè dimicantes cum mundo, cum corpore, & cum prodeuntibus ab ipsis insultationibus, & vtrinque proueniẽtem è commercio sensuum cum sensilibus deceptionem suffocantes, immunem à seruitute ipsi sibi conseruarunt animæ dignitatem.

CAP. 77.

Diuinam prouidentium natura duce colscit.

NATVRA nobis insitam esse prouidentiæ notitiam, ipsa natura non paruum dat argumentum: quando nullo docente velut impellens nos ad Deũ per preces, tempore repentinarum afflictionum, inde quærere salutem instruit. Nam necessitate subitanea correpti, nulla cum deliberatione, priusquã quicquam pensitauerimus, Deum ipsum inuocamus: tanquam ipsa prouidentia nos sine vllis ratiocinationibus ad seipsam trahat: & celeritatem vincentis in nobis intellectiuæ facultatis prẽmonstret, præstantiorémque omnibus opem diuinam: nunquam verò inconsultò natura nos adduceret ad id quod natura fieri non posset. At quicquid, aliud quidvis naturaliter sequitur, vt omnibus est notũ, validam & inexpugnabilem vim habet in demonstranda veritate.

CAP. 78.

QVONIAM eorum quæ sunt, alia quidem bona sunt, alia mala; eáque præsentia vel futura; bonum quod speratur, cupiditatem vocat: præsens verò, voluptatem. Rursúmque quod expectatur malum, appellat metum; præsens verò, tristitiam: ita vt voluptas & cupiditas sint & perspiciantur circa bona, siue re vera talia sint, siue putentur: metus autem & tristitia, circa mala. Etenim cupiditas quæ consequitur optatum, voluptatem parit: quæ verò non consequitur, dolorem.

CAP. 79.

DOLOREM omnem aiunt esse suapte natura malum. Licet enim studiosus alienas lugeat calamitates, quasi misereatur, at non præcipuè ex animi proposito, sed ex consequenti per circunstantiam. At contemplationi deditus, etiam his non afficitur, seipsum copulans Deo, & ab hisce vniuersis reddens alienum.

CAP. 80.

SANCTI omnes, diuino & firmo verbo genuinè apprehenso, sęculum hoc traiecerunt, nulli voluptati seculari impressum animæ vestigium relinquentes. Nam ad summos (ex iis quos assequi possunt homines) de Deo sermones; bonitatis, inquã, & charitatis, meritò quidem extendentes animum, didicerũt, quibus motus Deus, creaturis, vt essent, dederit & vt bene essent, per gratiam largitus sit: si fas est dicere, motum in Deo, qui solus est immobilis, at non potiùs voluntatem, quæ mouet vniuersa, vtq; sint adducit & continet, nullo verò modo vnquam mouetur.

CAP. 81.

ANIMA, quæ intellectiua & rationalis est substantia, tum intelligit, tum ratiocinatur: habens pro facultate, mentem: pro motu, intellectionem, pro effectu, conceptum. Hic enim intellectionis tam intelligentis quàm eius quod intelligitur, est finis, tanquam extremorum mutuam terminet habitudinem. Siquidem anima intelligens definit illud intelligere quod intellectum est, post eius intellectionem, quia propriè semel intellectum, non vltra vim prouocat animæ, vt intelligatur; & singulis in conceptibus animi talem finem accipit intellectionis, qualis fuerit in ipso conceptu.

CAP. 82.

QVEMADMODVM ignoratio diuidit seductos; sic luminis intelligibilis præsentia, congregat, vnit, & perficit eos qui illuminantur, & præterea conuertit ad id quod verè est, reuocans à multis opinionibus: variásque visiones, aut potiùs imaginationes, ad vnam, veram, puram & vniformem cognitionem reducit, & vno vnientéque replet lumine.

CAP. 83.

Idem est bonum & honestum.

IDEM est bonum & honestum. Et quidem honestum & bonum omni ratione expetunt omnia: nec quicquam extat, quod honesti bonique non sit particeps. Nam honestum & bonum apud omnes habetur, vt verè delectabile, expetendum, amabile, gratum, electum, & charum. Nota porrò, quo pacto diuinus amor priùs existens in bono, in nobis bonum peperit amorem quo honestũ bonúmque expetimus more illius qui dicit: amator factus sum pulchritudinis illius: Et; Adama illam, & seruabit te: Obside eam, & exaltabit te.

Sapien. 8. a
Pro. 4. b

CAP. 84.

QVOD diuinum est, theologi nonnunquam amorem, interdum charitatem appellant: quandoque amabile & charum. Vnde quatenus est amor & charitas, mouetur: quatenus amabile & charum, in seipsum cuncta mouet, amoris & charitatis capacia. Ac vt rursum & planiùs dicam: mouetur, eò quòd affectum internum amoris & charitatis horum capacibus indit: mouet autem, quia naturaliter attrahit eorum desiderium qui mouentur in illud. Item mouet quoque & mouetur, vt qui sitit, sitiri; qui amat, amari, & qui diligit, diligi.

CAP. 85.

Amor diuinus ab alienandi animi vim habet.

AMOR quoque diuinus abalienandi animi vim habet, vt qui nõ sinit amatores esse sui iuris, sed eorum quæ amantur. Idq; satis declarant superiora, quæ tota sunt in eo, vt inferioribus prouideant: paria tota in mutua coniunctione: & quæ bonitate inferiora sunt, tota diuiniùs conuertuntur ad prima. Hácque de causa magnus ille Paulus, cùm amore diuino teneretur, & vim illius rapientem in ecstasin

Gala. 2. d gustasset, ore spiritu Dei afflato dixit: Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Christus: vt genuinus amator, & (vt ipse ait) extra se raptus ad Deũ, ac non suam ipsius, sed amici viuens vitam, longè charissimam.

CAP. 86.

Deus amore creaturarum extra se fit.

IVSTO quoque pro veritate dicendum est audacter, ipsum videlicet auctorem omnium, honesto bonóque cunctorum amore permotum, propter excellentiam amantissimæ bonitatis, extra se effici, creaturis omnibus prouidendo, ac bonitate, dilectione, & amore quasi demulceri: necnon vi supersubstantiali illum extra se rapiente & nunquam deserente, ab eo quod ab omnibus & supra omnia eleuatum erat, in id deprimi, vt in cunctis

Deus zelotes. Exod. 20. a 34. b. esset. Quocirca diuinarum rerum periti, Zelotem ipsum denominant, tanquam summum erga creaturas bonum, amorem, & desiderium illius amore captum excitantem ad zelum, & qui zelotem eum demonstret: quasi quæ expetuntur, zelo sint obnoxia, & ea quibus prouidetur, sub zelum cadant.

CAP. 87.

CHARITATIS & amoris ipsum videlicet Deũ esse ferunt productorem & genitorem. Nam isthęc quæ apud illum ipsum erant, ille exterius produxit,

1. Ioan. 4. c hoc est, in rerum creatura. Vnde dictum est, Deus charitas est. Et iterum, Dulcedo & desiderium, quod est amor. Ipsum etiam charum & verè amabile, est ipse. Quatenus ergo plenus dilectionis amor effunditur ex illo, ipse genitor eius moueri dicitur: quatenus autem est verum, amabile, charum, expetendum, & eligendum, mouet ea quæ in illud conuertunt oculos, & quibus inest expetendi vis, pro sua facultate.

CAP. 88.

ANIMADVERTE, Deum esse pellectiuum ac motiuum ad amatoriã in spiritu copulam; hoc est, mediatorem illius, & ad ipsam concinnatorem: vt à suis ipse adametur & diligatur creaturis. Motiuũ autem dicit, quòd singula moueat, vt suo modo cõuertantur ad illum. Pellectionis verò nomen, etsi apud extraneos rem impuram significat, hìc tamen vnionis in Deo conciliatricem dicit interceßionem.

CAP. 89.

MOTVS qui est in primis amãs boni, simplex & immotus permanet in bono, à bono proueniens in idem reuertitur, cùm fine careat & principio, declarat quodammodo nostrũ perpetuò mobile desiderium erga numen diuinum, & vnionem. Siquidem plena dilectionis vnio cum Deo, supra omnẽ extollitur & collocatur vnionem.

CAP. 90.

Amoris diuini definitio.

AMOREM siue diuinum siue angelicum, siue intellectiuum, siue animæ, siue naturalem dixeri-

A mus, intelligamus vim quandam vniendi & permiscendi, quæ superiora quidem mouet, vt consulãt pauperioribus: paria, ad communicationem habitudinis mutuæ: bonitate inferiora, vt ad meliora & superiora conuertantur.

CAP. 91.

SI cognitio solet vnire eos qui cognouerunt, cũ cognitis: ignoratio verò semper causa est ignoranti mutationis & nascentis ab eo diuisionis: eum qui verè crediderit, iuxta sacrum sermonem, nihil dimouebit à sede per veram fidem adepta; in qua se eodem, stabili, immobili, atque immutabili semper habiturus est modo. Nouit enim qui adhæret veritati, rectè se habere, multi licet increpent illum

B velut animo abalienatum. Siquidem latet eos per errorem (vt verisimile est) quòd re ipsa ad fidei veritatem extra se raptus sit, nihilominus ipse verè seipsum agnoscit; non furentem, vt aiunt illi; sed per simplicem & circa eadem eodémque modo semper habentem veritatem, liberatum esse ab inconstanti & mutabili circa omnimodam erroris varietatem agitatione.

CAP. 92.

SANCTI bonitate, humanitate, intima affectione & miseratione prędi ti fuerunt, vnicum erga genus omne dilectionis affectum habere se demonstrantes: sub quo bonorum omnium eximiam spe-

C ciem, humilitatem dico, conseruatricem bonorum & contrariorum expugnatricem, per omnem vitæ suæ cursum firmum tenentes, nulla prorsus tentationũ perturbatione comprehendi potuerunt: siue spontaneæ fuerint illæ, quæ pendent à nostra ratione: siue violentæ, quæ non sunt in nostra potestate: eò quòd eo continentia labefactarunt illarũ insultus, patientia verò incursiones harum repulerunt.

Humilitas conseruatrix bonorum.

CAP. 93.

Fidei, Spei, & charitatis effectus.

PERFECTAM virtutis operationem gignit recta fides & timor Dei non fictus: naturalem speculationem ad sublimia sine offensione tendentem,

D spes firma & illæsus intellectus: deificationem autem quæ fit per assumptionem, perfecta charitas, & quoad creaturas insigniter vltrò prorsus excæcatus animus.

CAP. 94.

Triplicis philosophiæ seu theologię opus.

ACTIVAE philosophiæ opus esse referunt, animum omni affectionum imaginatione liberum cõsumere: naturalis verò contemplationis, ipsum cognitionis veræ, qua ratione subsistant ea quæ sunt, per eum omnibus exhibere: sacrorum autem initiationis theologicæ, est, eum habitu Dei similem ac parem, quoad fieri potest, per gratiam efficere, qui

E post Deum præterea nihil omnino propter excellentiam intelligat.

CAP. 95.

Mũdi sensilis ad intellectualẽ comparatio.

QVOD est æther, igneum videlicet elementum, in mundo sensili; illud in mundo intellectus, est prudentia, velut habitus illustrandi facultate pollens, spiritales complectens sermones, qui singulis in creaturis peculiariter insunt: quibus cunctorum causam certò exprimit, & animæ desiderium erga numen diuinum alliciendi vim habet. Item quod in mundo sensibili est aër, hoc in mundo intellectus, est fortitudo, tanquam habitus mouendi vim habens, qui vitam per spiritum insi-

Prudentia.

Fortitudo.

tam

tam parit & retinet, perpetuúmque animæ motum circa numen diuinum vehementer intẽdit. Quod in ſenſili mundo eſt aqua, ipſum in mundo intellectus, eſt temperantia habitus qui fertilitatem per ſpiritum viuacem producit,& allectionem amatoriam deſiderij erga Deum perpetuò ſcaturientem gignit. Itidem quod eſt terra in mundo ſenſili, hoc in mundo intellectus, eſt iuſtitia; habitus videlicet qui re ipſa rerum omnium † ſermones parit, viuificam ſpiritus diſtributionem cuique ex æquo diſpẽſat,ſedémque proprij fundamẽti tranſlatam in honeſto collocat.

Temperãtia.

Iuſtitia.

† λόγους.

CAP. 96.

QVA ratione dum bene habet & impinguatur caro, torquetur affectionibus & obſcuratur anima,virtutũ habitu & illuſtratione cognitionis clàm decedentibus: ita etiam dum diuina virtutum pulchritudine & cognitionis lumine munita eſt & corruſcat anima, corrumpitur externus homo, propter incolatum rationis, carne bonam habitudinem naturalem reſpuente.

Caro impinguata corrumpit animam.

CAP. 97.

NON poterat aliter demonſtrari, hominem ad Deum pertinere, ipſúmque gratuita deificatione Deum eſſe factum, niſi priùs vltrò naſceretur ex ſpiritu, propter vim illi naturaliter inſitam ſuaptè natura ſe mouentem, nullius dominio mãcipatam. Quam quidem natiuitatem deificam, diuinam & expertem materiæ deſerens primus homo,eò quòd oblectationem ſenſilem & manifeſtam antepoſuiſſet obſcuris & quæ duntaxat animo capiuntur bonis,meritò ex corporibus inuitam, craſſam, & caducam damnatur habere generationem.

CAP. 98.

MOVETVR nunc homo vel circa irrationales affectionum imaginationes, voluptatis amore deluſus:aut circa rationes artium, ex circunſtantia neceſſarias ad vſum:vel circa naturales rationes legis naturalis,diſcẽdi gratia: è quibus ab initio nullum neceſſariò trahebat hominem bono iure cunctis excellẽtem. Sic enim habere decebat eum, qui à principio nullo prorſus agitabatur eorum quæ poſt ipſum,circa ipſum,aut apud ipſum erant,& ad perfectionem vno ſolo indigebat, ex totis dilectionis viribus ad eum liberè moueri, qui ſupra ipſum eſt,nempe Deum.

CAP. 99.

PRIMVS homo inter Deum & ſe, nihil habebat quod intercederet cognitioni, & orituram è ſpontaneo motu dilectionis erga Deum cognitionem impediret. Cùm enim affectionibus per gratiam vacaret,imaginatione delectantium affectionum ſeduci non patiebatur:& cum egeret,à neceſſitate tamen artium propter vſum circunſtante liber erat:ſapiensq;, cognitione naturalem ſpeculationem ſuperabat.

Status primi hominis ante peccatum.

CAP. 100.

DEVS, qui ſapienter vniuerſam naturam procreauerat,ac facultate cuiuſcunque ſubſtantiæ rationalis ſecretò ſui cognitionem indiderat, nobis etiam hominibus naturale ſui deſiderium & amorem,vt magnificus Dominus contulit,ſibi vim rationis naturaliter implicãs,qua facile poſſumus aſſequi, quibus rationibus deſiderium impleatur, & aberrantes, non excidamus ab eo quod conſequi nitimur. Quamobrem hoc permoti deſiderio, ad ea exquirenda impellimur, quæ pertinent ad ipſam veritatem & compoſitè relucentem in omnibus ſapientiam atque diſpenſationem: horum beneficio cupientes illud adipiſci, cuius gratia deſiderium accepimus.

S. P. N. MAXIMI DE DVABVS DOMINI DEI ET SERVATORIS *noſtri Ieſu Chriſti naturis, Libellus; Ioachimo Perionio, Interprete.*

ARIVS tres perſonas confitetur, vnitatem autem negat,nec ſanctam Trinitatem vnius eiuſdémque eſſentiæ eſſe concedit. Sabellius autem vnitatem ille quidem profitetur, ſed negat Trinitatem. Eundem enim Patrem, Filium & Spiritum ſanctum eſſe dicit. At eccleſia & vnitatem profitetur,& trinitatem prædicat. Macedonius idẽ ſentit & docet quòd Arius. Spiritũ enim ſanctum creatũ eſſe ponit ab eo qui ſit creatus. Eccleſia autẽ eiuſdem eſſentiæ cuius Pater & Filius, Spiritũ ſanctũ profitetur, Deúmq; confirmat. Itémque in vno ſanctę Trinitatis Neſtorius naturalem diſtinctionẽ ponit, vnitatẽ autẽ non fatetur:eam enim per ſe cõſtare & cohærere, vt ſit perſona, negat. Eutyches porrò vnitatẽ concedit, eſſentiæ autem naturæque diſtinctionẽ naturarúmq; cõfuſionem inducit. Eccleſia verò & eſſentię diſtinctionẽ in Chriſto ponit, & cõfuſionis priuationẽ. Summa quidẽ vnitas quodammodo & diuerſa & eadem natura continetur. Velut in ſancta Trinitate & naturam vnam & tres perſonas concedimus. In homine autem cum eadẽ perſona inſit,tamẽ eſt naturarũ diuerſitas. Nam cũ vnus ſit homo, alia eſt animi natura, alia corporis. Eadẽ eſt domini noſtri Chriſti ratio: in eo enim eadẽ eſt perſona, cũ interea alia ſit diuinitatis humanitatísq; alia natura. Vt enim in ſancta Trinitate vnitas cõcedi non poteſt quin diſtinctionẽ exprimamus,ſic neceſſe eſt tã vnitatẽ, quàm diſtinctionem confiteri. Quẽadmodũ enim iiſdẽ verbis diſtinctio & vnitas in sãcta Trinitate ſignificantur,ita tamen, vt ex eo quòd tres perſonæ aſſerantur,diſtinctio:ex eo quòd vna eſſentia ponatur, vnitas confirmetur; ſic in vno ſanctæ Trinitatis propterea diſtinctio probatur, quòd duæ naturæ perſpiciuntur: quódque vna perſona conſtituta aſſeritur, conceditur vnitas. Itaque vt Ariũ, qui in ſancta Trinitate perſonarum diſtinctionem non probat, ſed naturæ vnitatem negat, deteſtamur: ita Neſtorium qui in Chriſto naturarum differentiam non concedit, & perſonæ vnitatem negat, improbamus. Et quẽadmodum Sabelliũ nec naturæ vnitatem, nec perſonarũ diſtinctionẽ in ſancta Trinitate approbantem dãnamus: ſic Eutychẽ improbamus & execramur, non quòd in Chriſto perſonæ vnitatem improbet, ſed quòd naturarum differentiam nõ agnoſcat. Ea autẽ perſonarũ diſtinctio & naturæ vnitas, quæ in ſancta Trinitate ponitur,nõ ſenſu corporis,ſed mẽtis oculis intelligẽda eſt: & ratio qua in ſancta Trinitate tres perſonæ propter perſonarũ diſtinctionẽ

exprimuntur. In vno autem ſanctæ trinitatis duæ naturæ in vna perſona enunciantur propter naturalem diſtinctionem. Quemadmodum autem propter eandem ſanctæ trinitatis eſſentiam & naturã, vnam eſſentiam aſſeris, & propter perſonarum diſtinctionem tres p rſonas: ita & propter diſtinctã verbi ac carnis eſſentiam, duas naturas atque eſſentias: & propter communem eorum perſonam, vnã perſonam concedito. Et quemadmodum in ſancta trinitate vnam eſſentiam ita profitemur, vt tres perſonas non commiſceamus & cõfundamus, & ita tres perſonas, vt vnam eſſentiam non diuidamus: ſic in vno ſanctæ trinitatis vnam perſonam, non in duarum eius naturarum confuſione dici-

A mus: nec duas naturas in vnius perſonæ diuiſione.

Qui in Chriſtõ, quia diſtinctæ ſunt naturæ, perſonæ vnitatem negat, is Neſtorianus eſt. Et qui negat in perſonæ vnitate naturarum differentiam, is Eutychis ſectam ſequitur. Qui autem & perſonæ vnitatem, & naturæ diſtinctionem in vno ſanctæ Trinitatis profitetur, regiam & ſynceram fidem tenet. Qui porro & diſtinctionem, & vnitatẽ in Chriſto dicit, is nec differentiam diuidit, nec confundit vnitatem. Beatus enim Cyrillus eos deteſtatur, dirísque deuouet, qui propter naturarum differentiã perſonæ vnitatem diuidunt. Et generale cõcilium

B eos auerſatur, qui in ſancta Trinitate propter perſonarum diſtinctionem, naturæ diuidũt vnitatem.

S. P. NOSTRI, MAXIMI, MONACHI ET CONFESSORIS, DE INCARNATIONE VERBI, TVM ALIIS ALIQVOT AD PIETATEM CONDVCENTIBVS, QVAESTIONIBVS, DIALOGVS.

INTERPRETE BILIBALDO BIRKHEIMERO.

autore damnato et versione non satis fidali et huic quae cunte legenda?

Sancti & Deo accepti Patris noſtri Maximi, Confeſſoris, & Monachi, Sermo exercitatiuus.

FRATER quidam interrogauit ſenem, dicens: obteſtor te, pater, dic mihi quiſnam ſcopus fuerit incarnationis diuinæ? At ſenex reſpondens, ait: admiror, frater, quum ferè in ſingulis fidei articulis de hac re audias, me tamen interroges: Verumtamen dico tibi, quod ſcopus incarnationis diuinæ, fuit noſtra ſalus; & frater inquit: quomodo dicis Pater? reſpondítque Senex: Poſtquam homo in principio à Deo factus, ac in Paradiſum collocatus, mandatum tranſgreſſus eſt, & ita corruptioni & morti ſuccubuit, ac inde varia Dei prouidentia per omnem ætatem gubernatus, in deterius vergens permanſit, variis inobedientiæ paſſionibus ſubiectus, ob deſperationẽ vitæ: huius rei gratia, vnigenitus Dei filius, & verbum, Deus ex Deo, fons vitæ & immortalitatis apparuit nobis, in tenebroſa mortis vmbra ſedentibus, caro factus, ex Spiritu ſancto ac Virgine ſancta, politiámque diuinæ vitæ nobis oſtendit, ac leges ſanctas dedit, necnon regnum cœlorum annunciauit iis qui ſecundum illas viuerent: qui verò eas tranſgrederentur, pœnam comminatus eſt æternam. Patiens autem paſſionem ſalutis, ex mortuísque reſurgens, ſpem reſurrectionis ac vitæ æternæ nobis donauit, damnationem propter inobedientiã ſoluens, peccati primitiui; & potentiam mortis morte

1. Cor. 15. c deuincẽs: vt quemadmodum in Adam omnes moriuntur, ita in ipſo omnes viuificarentur, in cœlúmque aſcendens, & ad dexteram Dei patris ſedens, ſpiritum ſanctum in arrabonem miſit vitæ, necnon ad illuminationem & ſanctificationem animarum noſtrarum, ac in adiutorium eorum, qui pro ſalute ſua decertant, in conſeruandis præceptis eius: & hic eſt ſcopus, vt breuiter dicam, incarnationis Dominicæ.

Scopus incarnationis Chriſti fuit noſtra ſalus.

F. Succinctè audire vellem pater, quas leges ne-

C ceſſarias ducis, vt per illas ſaluari poſſem.

S. Dominus ipſe poſt reſurrectionem ſuam Apoſtolis dixit: Ite & erudite omnes gentes, baptizãtes ipſas in nomine Patris, & Filij, ac Spiritus ſancti, docẽtes ipſas ſeruare omnia quæcunq; præcepi vobis: Ac ideò neceſſe eſt, vt omnis homo cuncta quę nobis Dominus præcepit, obſeruet baptizatus in nomine Patris, & Filij, ac Spiritus ſancti. Huius rei gratia omniũ mandatorum obſeruationem Dominus rectè adiunxit fidei, tanquam ſciens impoſſibile eſſe, ſi vnum ab alio ſegregatum fuerit, vt homo ſaluari poſſit. Ac ideo Dauid cùm rectam fidem erga Deum haberet, dicebat; ad omnia mandata tua

D dirigebar, omnem viam iniquam odio habui. Nam contra omnem viam iniquam, omnia nobis mãdata à Domino tradita ſunt, & cùm vnum omittitur, oppoſita malitiæ via confeſtim initur. F. Et quis, pater, omnia mandata cùm tam multa ſint, ſeruare poſſet? S. Qui Dominum imitatur, & qui per veſtigia eius Deum ſequitur. F. Et quis, pater, Dominũ imitari poſſet? Dominus enim Deus erat, etſi homo ſit factus: ego autẽ homo ſum peccator, & infinitis ſeruiens paſſionibus, quo pacto igitur Dominum imitari poſſem? S. Nemo qui ſeruit mundi materiæ, Dominũ imitari poteſt: qui verò dicere poſſunt; ecce reliquimus omnia & te ſequuti ſumus; il-

E li poteſtatẽ accipiunt vt eum poſſint imitari, & omnia mandata eius rectè adimplere, qualis autem ſit poteſtas illa, ipſum dicentem audi. Ecce dedi vobis poteſtatem angues & ſcorpiones cõculcare, ac omnem vim inimici; & nemo vobis in re vlla iniuriam adferet. Hanc virtutem & poteſtatem Paulus accipiens dicebat, imitatores mei eſtote, fratres, quemadmodum & ego Chriſti. Et rurſus: non eſt iam dãnatio iis, qui in Chriſto Ieſu ſunt, qui non ſecundùm carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulãt: qui autem Ieſu Chriſti ſunt, carnem crucifixerunt vnà cum affectibus & concupiſcentiis. Et iterum: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. De hac poteſtate & adiutorio iſto, Dauid prophetizans dicebat; qui habitat in adiutorio altiſſimi, in

Quænam Chriſtum imitari poſſint.

Matt. 28. d

Quæ ſint neceſſaria ad ſalutẽ.

Pſal. 118. a

Matt. 19. d

Luc. 10. c

1. Cor. 4. d. 11. a Phil. 3. d

Rom. 8. a

Gal. 6. d

Pſ. 90. a

protectione

protectione Dei cœli commorabitur, dicet Domino, suſceptor meus es tu; & refugium Deus meus, & in ipſum ſperabo. Et rurſus: Super aſpides & baſiliſcos aſcendes, & cōculcabis leonem & draconem, quoniam Angelis ſuis mandauit de te vt in omnibus viis tuis cuſtodiant te. Qui verò carni ſunt obnoxij, ac materiam mundi amant, audi qualia ab ipſo audient domino: Qui patrem aut matrem ſuper me amat, non eſt me dignus: & qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, meus eſſe non poteſt diſcipulus. Quicunque igitur diſcipulus eius fieri deſiderat, & eo dignus inueniri, & poteſtatem ab eo accipere contra ſpiritus prauitatis, ſegreget ſeipsū ab omni carnali habitu, affectúsque materiales deponat cunctos; & ſic contra hoſtes inuiſibiles pro lege eius decertet, quemadmodum Dominus ipſe ſeipſum nobis exemplum præbuit cùm in eremo à principe eorum tentaretur, ac mundum ingreſſus ab iis qui ſub ipſo operantur. F. Verum permulta ſunt mandata Domini: & quis illa cuncta in mente habere poſſet, vt in omnibus decertaret? cū igitur admodum ſim inops intellectu, ſermonem breuem audire vellem, vt cum illum adipiſcerer, per illum & ſaluarer. S. Etſi multa ſunt, frater verumtamen vnico comprehenduntur ſermone, nempe, diliges Dominum Deum tuū, ex totis viribus tuis, & proximum tuum ſicut te-ipſum, quicunque igitur decertat, vt ſermonem hunc aſſequatur, omnia pariter mandata adimplebit. Nemo autem poteſt niſi is, vt dictum eſt, qui ab omni ſe materiali ſegregat affectu, nam aliâs nec Deum, neq, proximū recte diligere valet, quādoquidem impoſſibile eſt, vt quis mūdanus adhæreat materiæ, paritérq; Deū amet: & hoc eſt quod Dominus ait. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, nam vnum odio habebit, alterum verò amabit; ſeu vnum amplectetur, alterum verò deſpiciet, cum impoſſibile ſit vt Deo ſeruiatur & mammonæ. Quotieſcunque igitur mens noſtra mundi detinetur negotiis, & ipſis inſeruit, & Deum contemnit & tranſgreditur mandatum? F. De quibus dicis pater? S. De alimentis, pecuniis, poſſeſſionibus, gloria, cognatione, ac reliquis. F. Dic pater, nónne Deus hæc condidit, & hominibus vtenda dedit? & quomodo dicis hæc nequaquam eſſe amplectenda? S. Manifeſtum eſt quod illa Deus condiderit, ac hominibus ad vtendum tradiderit, & quod omnia bona ſint, quæ à Deo ſunt facta, vt quum ipſis bene vtamur, rectè Deo placeamus; verum cum ſimus imbecilles, & mente materiales: materialia mandato dilectionis præferimus; ipſiq; reſiſtentes, hominibus pugnamus, cùm deceat, vt dilectionem hominis vniuſcuiuſque, omnibus viſibilibus ac corpori etiam ipſi præferamus; quod & ſpecimen eſt dilectionis erga Deum, quemadmodum Dominus ipſe in Euangelio oſtendit: qui me amat, inquit, mandata mea ſeruabit. Et quodnam ſit mandatum, quod obſeruātes, eum amabimus; ipſo dicente, Audi: hoc eſt mandatum meum vt diligatis inuicem. Vide quam amor mutuus dilectionē Dei conſtituit; quæ mandati totius eſt impletio, ac ideo hominem iubet, ne amplectatur præſentia, ſed renunciet omnibus quæ poſſidet, docens cuncta concupiſcentiæ eſſe ſubiecta. F. Poſtquàm, pater, dicis quod deceat

Ibidem.

Matt 10. d

Materiales affectus athletæ Chriſtiano deponendi ſunt.

Deut. 6. Mat. 5.

Iac 16. c

Matt. 6. c

Materialiū abnegatio neceſſaria ad ſalutem

Hominis vnius dilectio rebus omnibus anteponēda.

Ioh. 14. c Ioh. 13. d 15. b

A vniuſcuiuſque hominis dilectionem omnibus viſibilibus, ac corpori ipſi etiam præferre, quo pacto poſſum illum qui me odit, & à me ſe auertit, diligere? Si mihi inuidet, & conuicia in me iaculatur, dolósque contra me inſtruit, & inſidiari conatur, quo pacto illum amare poſſum? naturæ hoc pariter impoſſibile eſſe videtur, cùm triſtitiæ paſſio naturaliter contriſtantem abominetur. S. Reptilibus equidem ac feris, quæ naturæ tantum impulſu feruntur, impoſſibile eſt ne omnino ſe vindicent, ſeu affectibus reſiſtant: verùm hominibus qui ſecūdum imaginem Dei facti ſunt, ac ratione aguntur, Deíque cognitione deducuntur, à quo & legem ſuſceperunt; poſſibile eſt, vt offendentes haud abominentur, ſed odio habentes diligant, ac ideo Dominus dicens; diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui vos oderunt, benedicite iis qui vos execrantur, rogate pro calumniantibus, &c. Non vt impoſſibilia mandat, ſed vt planè poſſibilia: aliâs enim tranſgredientem haud puniret. Sed & Dominus hoc manifeſtum fecit, & operibus ſuis nobis oſtēdit: necnon diſcipuli eius omnes, cùm pro dilectione proximi, ad mortem vſque decertarent; & pro interficientibus feruenter etiam rogarent. Nos verò quoniam materiæ & voluptatum amore tenemur, & mandatis præferimus; odio nos habentes diligere nequimus. Quin propter hæc, ſæpius etiam nos à diligentibus auertimus, peius quam reptilia ac feræ, affecti: ac ideo veſtigia Domini ſequi nequimus, nec ſcopum eius, vt decet cognoſcere valemus quo potentiam hanc aſſequamur. F. Ecce pater omnia reliqui, cognationē, ſubſtātiam, delitias, ac gloriam mundi, nihílque in vita præter corpus hoc poſſideo: fratrem tamen qui me odio habet, & ſe à me auertit, diligere nequeo, & violenter meipſum cogo, ne in actionibus malum pro malo reddam; quid igitur facere debeo vt inimicum ex corde diligere queam, prę cipuè cum qui modis omnibus infeſtare me & mihi inſidiari quę rit? S. Impoſſibile eſt quempiam infeſtantem ex corde diligere, etſi materiæ mundi renunciaſſe videtur, qui Domini ſcopum non in veritate cognoſcit: cum verò Dominus illi tribuit, vt cognoſcere poſſit, acceleratque iuxta illum ambulare; diligere poteſt odio habentem & perſequentem, quemadmodum & Apoſtoli perſequentes diligebant. F. Et quiſnam ſcopus Domini erat? nam hoc, pater, cognoſcere cupio. S. Quoniam ſcopum Domini breuiter audiendo cognoſcere quæris, primùm preces pro me funde, quò mihi ſermo à Deo concedatur, vt id, quod à nobis quæritur, eloqui queam. Dominus igitur noſter Ieſus-Chriſtus natura Deus erat, homóque propter hominis dilectionem fieri dignatus eſt, & ex Virgine natus ſub lege ſecundùm diuinum Apoſtolum factus, quò tanquam homo mandatum ſeruans, veterem Adami execrationem diſſolueret. Videns igitur Dominus quod tota lex & Prophetæ à duobus dependerent mandatis, nempe in amando Dominum Deum ſuum, & proximum ſicut ſeipſum: hæc ab initio vſque ad finem, vt hominem decebat, ſeruare feſtinauit. Diabolus autem qui ſub exordium hominem decepit, ac ideo mortis nactus eſt potentiam; quam

De dilectione inimici.

Cur inimicos diligere nō poſſumus.

Matt. 7. b 22. a

Matth. 3. c Matth. 4.a vidisset ipsum in baptismate testimonium à Patre accepisse,& sanctum Spiritum sibi cognatum tanquam hominem è cœlo suscepisse; illum in desertũ, vt ab eo tentaretur, duxit, ac totam vim belli contra illum effudit: si quomodo ei persuadere posset vt mundi materiam dilectioni Dei præferret. Cernens autem Diabolus sua esse quibus cuncta mouentur humana, cibum dico, opes, & gloriam, quibus semper hominem trahit in barathrum perditionis: his tribus eum in deserto tentauit. Verùm in his Dominus melior nobis apparuit, ac Diabolũ retro abire præcepit. Hoc igitur erat specimen dilectionis in Deum, cuius mandatum cum ei persuadere nequiret, vt ob ea quæ illi promittebat, transgrederetur: Reliquum erat mandatũ dilectionis in proximum, ac ideo venientem illum in mũdum, per iniquos Iudæos operans contendebat, vt per ea quæ machinabatur, transgrederetur. Huius rei gratia quum videret ipsum vias docentem vitæ, ac cœlestem politiam opere ostendentem, resurrectionémque mortuorum annunciantem, necnon vitam æternam ac regnum cœlorum credentibus pollicentem, incredulis autem pœnam æternam comminantem; & ad confirmationem eorum quæ dicebantur, signa admiranda ostendentem, ac turbam ad fidem vocantem: Impios Iudæos commonuit, Pharisæos & Scribas, vt varias illi struerẽt insidias; vt si tentationes quemadmodum arbitrabatur, perferre nequiret, contra insidiantes tamen illas conuerteret, & sic pessimis scopum tetigit, transgressorem mandati, dilectionis erga proximũ, proximum ipsum esse demonstrans, at Dominus tanquam Deus, quum illius videret astutias, ita ab ipso concinnatas, non Pharisæos odio habebat, (quo pacto eum inuideret bonus?) verùm ob dilectionẽ erga eos operantem, vlciscebatur; siquidem operãtes, tanquam operari haud volentes, lubens autem operantis insidias per segnitiem tolerantes admonebat; improperandóque eorum est misertus, nec illis bene facere cessauit, blasphemantes longanimiter ferebat, patiens sustinebat, ac omnia dilectionis opera illis ostendebat: operantem autem diabolum, humanitate in operantes, vlciscebatur. O admirandum bellum! pro odio dilectionem ostendit, ac bonitate malitię perculit Patrem. Huius rei gratia tot mala ab illis pertulit, seu vt verius dicatur, propter ipsos ad mortem vsque pro mandato dilectionis longanimiter decertauit, ac perfectam victoriam contra Diabolum assequutus, resurrectionis coronam pro nobis fundauit, & sic nouus Adã veterem saluauit; & hoc est quod diuinus Apostolus dicit: hoc sapite in vobis quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset nõ rapinam arbitratus est, vt æqualis esset Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui suscipiens in similitudinem hominis factus, & figura vt homo inuentus: humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, quapropter Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen super cuncta nomina, vt in nomine Iesu Christi omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & subterraneorum, ac omnis lingua confiteatur, quòd Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Is erat scopus Domini vt pro nobis Patri obediret vsque ad mortem, tanquã homo seruans mãdatum dilectionis: diabolum autem vlciscereturr, quum ab illo pateretur per Scribas & Pharisæos qui ab eo impellebantur; ac ita vicit id, quod vincebat, nempe eum qui certã victoriam sperabat, mundúmque ab illi us redemit potestate, & hoc modo Christus ex infirmitate crucifixus est, per quam infirmitatem, mortem mortificauit, & illum qui imperiũ habebat mortis destruxit. Hoc modo Paulus infirmus erat, & in infirmitate gloriabatur, quò in eo habitaret potẽtia Christi, huius victoriæ modum docens Ephesiis scribebat: non est nobis decertatio contra sanguinem & carnẽ, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus dominationes tenebrarum huius sęculi, contra spirituales nequitias insuper cœlestib⁹, ac ideo assumite armaturam Dei, thoracẽ iustitiæ, ac spei galeam, scutúmque fidei quo omnia inimici tela ignita extinguere valeatis, quicunque contra hostes inuisibiles bellum habetis. operibus autem modum luctæ ostendens, dicebat. Ego igitur ita curro non vt incertus, ita depugno, non vt aërem verberans, sed subiicio corpus meum seruituti, ne forte aliis prædicans ego reprobus censear. Et iterũ, vsque ad præsentem horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur. Et iterũ, in labore & opere, in vigiliis sæpius, in fame & siti, in ieiunio sæpius, in frigore & nuditate: *præter reliqua*. Et hanc quidẽ luctam cõtra voluptates in corpore operantes, rursus luctæ modum cõtra eos, qui odio decertant, ac ideo negligentiores ex hominibus contra pios commouent, quo per ipsos tentati odio eos habeant, & mandatum dilectionis transgrediantur, operibus ipsis, nobis ostendens dixit: conuiciis affecti benedicimus, persequutionibus agitati sustinemus, blasphemiis impetiti consolationẽ accipimus, tanquam piacula mundi facti sumus, quisquiliæ omnium huc vsque. Dæmones enim propterea homines ad conuiciandum & blasphemandum necnon persequendum irritant, quò illos conuiciantes necnõ blasphemantes ac persequẽtes ad odium concitent, rectum scopum ad transgressionem mandati dilectionis habẽtes. Verùm Apostolus non ignorans consilia eorum, de conuiciantibus bene loquitur & persequentes suffert, & blasphemantes consolatur, quò Dæmones qui talia operantur repellat; bonos verò, domesticos reddat Dei: ac ideo tali luctæ modo Dæmones qui hæc operantur, vlciscitur, semper in bono vincens malũ secundùm imitationem Saluatoris: ac ita mundum vniuersum à Dæmonibus deficientem Deo reddit domesticum, tam ipse quam Apostoli reliqui, per imbecillitatem vincentes vincere volentes. Proinde, Frater, si scopum hũc tetigeris, poteris & tu eos qui te oderunt amare; sin minus, frustra laborabis. F. Verè, pater, hic est scopus, & non alius; & ideo Dominus blasphemiis affectus, & colaphis cæsus, necnon alia patiens quæ à Iudæis est perpessus, sustinuit, illis tanquam ignorantibus & errantibus compatiens; ac ideo in cruce dixit: Pater dimitte eis quia nesciunt quid faciunt, sicque de Diaboli & principum eius malitia & deceptione triumphum in cruce egit, quum pro mandato dilectionis (vt dicebas) ad mortem vsque aduersùs eos decertaret, nobis victoriam contra ipsos conferens, mortisque

Chiisti charitas in inimicos.

Phil. 2.a

2 Cor. 12.g

Ephes. 6.b

1.Cor. 9.d

1.Cor. 4.c

2.Cor. 11.f

1.Cor. 4.

Dæmon cur excitet iurgia.

Rom. 12.d

tisque potentiam dissoluēs, ac resurrectionem eius vniuersomundo ad vitam concedens. Sed ora pro me, pater, vt scopum Domini necnon Apostolorum perfectè cognoscere queā ac vigilare in tempore tentationis, & Diaboli necnō Dæmoniorum machinamenta non ignorare. S. Si in prædictis meditatione semper versaberis haud poteris illū ignorare: quin & si intellexeris, quòd quemadmodum tu tentaris, ita & frater tuus tentatur, & tentato ignosces, & tentanti qui te in odium tentati inducere quærit resistes, cùm machinamenta eius non audieris: & hoc est quod in Catholicis Iacobus dixit, resistite Diabolo & à vobis fugiet: si igitur meditationem (vt dictum est) assiduè & vigilanter prædictis adhibueris, scopum Domini & Apostolorum eius cognoscere, ac homines diligere, & quum peccant illis compati poteris, & cum malignis Dæmonibus assiduè per dilectionem pugnare. Si vero molles erimus negligentes ac socordes, cogitationésque carnalibus immisceamus voluptatibus, nequaquam Dæmones sed fratres ipsos impugnabimus: Dæmones verò potius per voluptates colemus, quum pro ipsis bellum hominibus inferemus. F. Ita res sè habet, pater, etenim ex negligentia mea semper Dæmones contra me occasionem sumunt. Sed dic mihi obsecro, pater, quo pacto sobrietatem possem assequi. S. Omnimoda securitas à terrestribus necnon meditatio assidua scripturæ diuinæ, animam in timorem Dei perducit, timor verò Dei sobrietatem confert, & tum anima videre incipit Dæmones qui eam per cogitationes oppugnant, & sic illos vlciscitur, quemadmodum Dauid inquit, Et videbit oculus meus inimicos meos, & instantes mihi malignantes audiet auris mea. Ad hanc luctam summus quoque Apostolorum Petrus discipulos excitans, inquit, Sobrij estote, vigilate, nam aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret, cui resistite solidi fide. Et Dominus, vigilate, inquit, & orate, ne intretis in tentationem. Et Ecclesiastes ait, Quum Spiritus potestatem habentes super te ascendent, locum tuum ne deseras: locus verò mentis est virtus & cognitio, necnon timor Domini. Admirandus verò Apostolus admodum sobriè & generosè decertans dicebat, in carne obambulantes non secundùm carnem militamus, nam arma militiæ nostræ nequaquam sunt carnalia sed potentiæ Dei, ad purgationem munitionum purgantes cogitationes, & omnem altitudinem eleuatam iuxta cognitionem Dei & captiuantes omnem intellectum in obediētiam Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam. Proinde si & tu sanctos imitaberis, & sedulò Deo vacabis, sobrius eris. F. Et quid, pater, facere debeo vt mens indesinenter Deo vacare possit? S. Impossibile est vt mens Deo vacet, si virtutes has tres non possidet: Dilectionem, inquam, continentiam, & orationem: siquidem dilectio mansuefacit iram, continentia verò extinguit concupiscentiam, at oratio mentem ab omnibus segregat cogitationibus, ac illam Deo ipsi nudam statuit. Hæ igitur tres, omnes virtutes reliquas in se comprehendunt, & sine illis impossibile est, vt mens Deo vacare possit. F. Discere cupio, pater, quo pacto dilectio iram mansuefacit. S. Postquàm dilectio in se continet vt proximi misereri possit, & illi benefacere, necnon longanimis erga illum esse & sustinere, quæ contra eum (quemadmodum sæpius dictum est) perpetrantur, iram ita mansuefacit, si quis illam possederit. F. Non sunt parua opera eius, sed beatus est qui illam possidere potest, à quare me longè abesse scio: attamen te, pater, hortor vt mihi dicas quid sit longanimem esse. S. Tolerare grauia, & sustinere tristia, & expectare finem tentationis, nec iræ fræna permittere, neque sermonem loqui in insipientia, neque scrutari aliquid quod pium cognoscere non decet, quemadmodum inquit scriptura, Vsque ad tempus sustinebit longanimis, & postea reddet illi lætitiam: vsque ad tempus abscondet sermones, & labia multorum prudentiam eius enarrabunt. Hæc igitur sunt per quæ longanimitas cognoscitur: nec solùm hoc, sed & vt homo secum consideret, num causam dederit tentationi, longanimitatis proprium est, & forte sic se res habet, quoniam multa quæ nobis accidunt, ad instructionem nostram accidunt, aut ob præteritorum peccatorum retributionem, vel præsentis negligentiæ emendationem, seu futurorum delictorum absciſionem. Quicunque igitur considerat quod propter vnum horum accidit tentatio, & non illum per quem fit tentatio, siue fiat per illum, seu per alium, plane diuinorum iudiciorum poculum bibere habet, verum in Deum respicit, & gratias agit parcenti, ac seipsum accusat, ac promptè disciplinam suscipit, quemadmodum Dauid à Semei, vel sicut Iob à muliere. At insipiens rogat Deum sæpius, vt eius misereatur, & à difficilibus passionibus liberetur, quum verò misericordia aduenit, nequaquam illam suscipit, cum non venit, vt ille vellet, sed quemadmodum medicus animę illam conferre censet, & ideo paruipendit & perturbatur, & nonnunquam contra homines pugnat, nonnunquam verò erga numen ipsum est blasphemus, quin & ingratitudinem ostendit, nec consolationem accipit. F. Recte dixisti, pater, sed obsecro refer mihi quo pacto continentia extinguat concupiscentiam? S. Quoniam abstinere facit ab omnibus quæ non explent indigentiam sed implent voluptatibus, nec aliquid vsurpat præterquā quod ad vitæ sustentationem est necessarium, neque delectabilia sequitur sed vtilia, cibúmque & potum necessitati commensurat nec sinit corpori incidere superfluitatem, sed solùm vitam in illo conseruat, & assiduè ab impetu commixtionis custodit, ac ita continentia extinguit concupiscentiam. Voluptas autem necnon cibi & potus satietas ventrem inflammat, desideriúmque ad turpes incendit concupiscentias, ac totum animal ad irrationabilem mixtionēm impellit: tunc oculi impudici, manus effrænis, lingua blanda, auris verò vana auditu suscipiēs, mēs Deum contemnens, & anima mente adulterium perpetrans, corpus autem ad illicitam operationem prouocans. F. Verè, pater, ita se res habet, sed precor edoce de oratione quomodo illa mentem ab omnibus segreget cogitationibus. S. Cogitationes, rerum cogitationes sunt: ex rebus autem quædam sunt sensitiuæ, quædam verò intellectiuę. In ipsis igitur mens conuersans, cogitationes suas

Remediū cōtra odiū inimici.

Iacobi Catholica. 4. b

Charitas iram mansuefacit.

Quis lōganimis sit. Eccle. 1. c

Patientiæ proprium.

Quo pacto sobrietatem possim assequi.

Diuini iudicij poculū bibere. 2. Reg. 16. a. c Iob. 2. c

Insipientiū impatiētia.

Virtutes ad pietatē necessariæ.

Petrus, sūmus Apostolorum. 1. Pet. 5. c Matt. 26. d Mar. 14. d Luæ 22. d Eccle. 10. a D. Paulus admirādus Apostolus. 1. Cor. 10. a

Continentiæ modus & effectus.

Gula inflāmat ventrem.

Vera oratio mētem

segregat ab omnib⁹, & sic exorat.

circumfert: orationis verò gratia mentẽ Deo conglutinans, ab omnibus segregat cogitationibus, & tunc mens nuda cum Deo conuersans, Deo similis efficitur, hoc quum fit, ab eo decentia petit nec vnquam preces illæ fiunt inanes. quapropter Apostolus indesinenter orare iubet, quò assiduè mentem ad Deum eleuantes, paulatim rerum materialium abiiciamus affectus. F. Et quomodo mens indesinenter orat? Nam quum & canimus & legimus ac vnà congregati sumus seu ministramus, in multas incidimus cogitationes & speculationes. S. Nihil impossibile diuina præscribit scriptura, nam & Apostolus ipse canebat, legebat, docebat, ministrabat, nihilominus tamen indesinenter orabat: siquidem assidua est oratio quum mẽs in cautione multa continetur, desiderióque applicatur Deo & semper à spe eius dependet, in omnibúsque tam operibus quam accidentibus in ipsum confidit. Ita Apostolus affectus dicebat, Quis separabit nos à dilectione Christi? tribulatio an angustia, seu persecutio, vel fames, siue nuditas, aut periculum, seu ensis? Et paulò post, Mihi enim persuadeo quod nec præsentia, nec futura, nec altitudo, nec profunditas aut conditura quædam alia nos separare possit à dilectione Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Et iterum, in omnibus premimur, sed non angustiamur, indigemus, sed non destituimur, persequutionem semper sustinemus, sed non derelinquimur, destruimur, sed non perimus, semper mortificationem Domini Iesu in corpore circunferentes, quo & vita Iesu manifestatur in carne nostra mortali. Ita igitur Apostolus affectus assiduè orat. Nam in omnibus (vt dictum est) & operibus, & ei accidentibus, à spe Dei dependet. Ac ideo omnes sancti in persecutionibus gaudebãt, quò in habitum diuinę peruenirent spei: quapropter diuinus inquit Apostolus, iucundissimè gloriabor in infirmitatibus meis, quò me obumbret potentia Christi, ac ideo excello in infirmitatibus meis, in iniuriis, in necessitatibus, in persequutionibus, in angustiis pro Christo, quum enim langueo, tum potens existo. Sed vę nobis miseris, quum viam sanctorum relinquimus, propterea enim in omni opere bono & spiritali sumus inanes. F. Cur, pater, compunctionem non habeo? S. Quoniam non est timor Domini coram oculis nostris, quoniam omnium malorum facti sumus habitaculum, ac ideo propter imbecillem intellectum nostrum, contemnimus timendum Dei iudicium. Verùm quis non contremisceret, quum Mosem ex persona Dei de peccatoribus dicentem audit, Quoniam accendetur ignis in furore meo, & ad inferni profundum vsque cõburet, deuorabit terram & germina eius, fundamentáque montium incendentur, adducam super ipsos mala, & sagittæ meæ consumentur in ipsis. Et iterum, corruscabo fulguris instar gladium meum, & introducet iudicium manus mea, & retribuam pœnam inimicis meis. Sed & Isaiam clamantem. Quis annunciabit vobis quod ignis comburet? quis annunciabit vobis locum eleuatum ad faciendam viam lumini ignis vestri & flammæ quę comburet? Et rursus, Egredientur & videbunt cadauera hominum qui defecerunt à me. Nam vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt in aspectum cunctę carni. Quin & Ieremiam dicentem: Date gloriam Domino vestro, ne obscurentur, & offendantur pedes vestri in monte tenebroso, & expectate in lucem & ibi vmbra mortis, & impingent in caliginem. Et iterum: Audite populus stultus & excors, oculi ipsis, & nõ vident, aures ipsis, & non audiunt, numquid me timebitis, dicit Dominus? Numquid à facie mea cauebitis? quum fecerim terminum arenæ maris & mandatum æternum, transgredi nolite. Et rursus: Erudiet te defectio tua & malitia tua corripiet te, & cognosces & videbis quàm amarum sit tibi relinquere me, dicit Dominus, Ego plantaui vineam fructiferam omnino veram, quomodo conuersa es retrorsum, & in sarmenta vitis alienæ? Et iterum, Non sedi cum consensu ludentium, sed caui à facie manus tuæ: solus sedebam, quoniam repletus eram amaritudine. Quis etiam non terreretur quum Ezechielem dicentem audiret? Effundam iram meam super te, & perficiam furorem meum super te, & iudicabo te in viis tuis & dabo super te cunctam abominationẽ, & non parcetur oculo tuo, & tunc cognosces quod ego sum Dominus: Quis autem Danielem audiens non compungeretur, manifestè tremendi iudicij diem, describentem dum dicit, Aspiciebam donec throni positi sunt, & Antiquus dierum consedit, & indumentum eius candidum vt nix, & capilli capitis tanquam lana pura, & thronus eius flamma ignis, rotæ eius, ignis comburens, flumen ignis fluens ante ipsum egrediebatur, milia milium ministrabant ei, & decies centena milia ante ipsum stabant: iudicium desedit, & libri aperti sunt, nempe qui facta vniuscuiusque reprehendebant. Et rursus: Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus quasi filius hominis veniebat, & vsque ad Antiquum dierum peruenit, & coram eo oblatus est ei, & traditus principatus, honor & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ seruient ei, & potestas eius, potestas sempiterna, & regnum eius non corrumpetur, & horruit spiritus meus: Ego Daniel in habitu meo, & visiones capitis mei conturbauerunt me. Proinde quis non timeret quum Dauidem audiret loquentem. Semel loquutus est Deus, bis hæc audiui quoniam potẽtia Dei, & tua Domine est misericordia, quoniam tu retribues vnicuique secũdùm opera sua. Et iterum Ecclesiasticus, † totum sermonis finem audi: Deum time & mandata eius serua, quoniam omnem hominem & omne opus Deus in iudicium deducet, ob cuncta perpetrata siue bona fuerint siue mala. Quin & quis non tremesceret Apostolum audiens dicentem? Oportet enim nos omnes constitui ante tribunal Christi, vt vnusquisque è nobis reportet, quæ per corpus operatus est, siue bonum sit illud siue malum. Quis igitur non deploraret incredulitatem nostram, necnon cæcitatem animæ nostræ? quia quum hæc cuncta videamus non tamen pœnitemus, neque tantam socordiam & negligẽtiam nostram amarulenter deploramus, quam præuidẽs Hieremias dicebat: Maledictus qui facit opera Domini negligẽter. Si enim salutis animarum nostrarum curam gereremus, ob sermonem Dei tremeremus, festinaremúsque mandata eius, per quæ saluamur, seruare. Nos verò quamuis Dominum audiamus

1. Thess. 5. c
Oratio assidua quę sit.
Rom. 8. g
2. Cor. 4. b
Vnde fit vt quisnõ habeat compunctionẽ.
Deut. 32. d
Isa. 66. g
Ieremi. 13. e
Ierem. 5. e
Ierem. 2. d
Ierem. 15. d
Ezech. 7. b
Dan. 7. c
Dan. 7. d
Psal. 61. c
† Textus hic habetur apud Ecclesiast. cap. 12. d
Rom. 14. b
2. Cor. 5. b
Hiere. 48. b
Matt. 7. b

Luce 13.c audiamus dicentem, introite per angustam portam quæ perducit ad vitam: latam tamen præeligimus & patentem quæ ducit ad perditionem, ac ideo illud audiemus, quum è cœlis veniet iudicare viuos Matt.7. & mortuos: Discedite à me maledicti in ignem æternum qui præparatus est Diabolo & Angelis eius. Et hæc audiemus non tanquam mala facientes sed bona negligẽtes, ac proximum haudquaquam amantes: si autem male egerimus, quomodo diem illum sustinebimus, tam misere affecti? Prætereà illud, mœchari noli, nec occidere, & reliqua, antiquis dicta sunt per Mosem, Dominus verò sciens quod Christiano non satis sit ad perfectionem, si B Matt.5.c hæc sola seruata fuerint, dicebat: Amen, Amen, dico vobis, nisi iustitia vestra plus abundauerit quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. propterea vbique supra & infra sanctificationem animæ per quam & corpus sanctificatur, necnon amorem erga omnes homines sincerum habere statuit, per quem & dilectionem erga eum consequi valemus, ac typum eundem vsque ad mortem, simul & discipulos eius (quemadmodum sæpius dictum est) præ nobis ferre. Quid igitur respondebimus in die illa, quum tale habeamus exemplum, ac ita negligentes existamus? Quapropter Hieremias deplorat nos, quum talem gratiam assequi valeamus, tam negligenter tamen nos habeamus seu potius omnes repleti simus malitia: Hier.9.a Ait enim; Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & deplorabo populum hunc die ac nocte? Audio & Mosem de nobis loIerai2. quentem: Et comedit Iacob & repletus est, & discessit dilectus, pinguis factus est crassus & dilatatus, & Deum reliquit qui eum fecit, defecitque à Mich.7.a Deo salutare suo. Sed & Michæam dicentem; Heu mihi anima quoniam periit religiosus à terra, Et recte agens in hominibus non est: vnusquisq; proximum suum oppressionibus opprimit; ad malum manus suas præparant. Audio & Psalmistam pari- D Psal.11.a ter de nobis dicentem; salua me Domine quoniam defecit sanctus, quoniam diminuerunt veritatem à filiis hominum; vana loquebatur vnusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde, & in corde loquebantur mala, disperde Domine cuncta labia Rom.3.a dolosa, & linguam magniloquam. Sed & Apostolus Psal.13.a prophetice nos lugens dicebat; Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum; sepulchrum patens guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidis sub labiis eorum; quorum os maledictione & amaritudine plenum est, contritio & miseria in viis eorum, & viam pacis ignorauerunt, non est timor Dei ante oculos eorũ. Ac ideò Pau- E lus quum præuideret futura & præsenti nostra vita 2.Tim.3.a mala, ad Timotheum scribit: Hoc autẽ scias quod in nouissimis diebus instabunt tempora difficilia; erunt enim homines sui amantes, auari, elati, superbi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, impij, implacidi, sine fœdere, conuiciatores, intemperãtes, immites, boni osores, proditores, præcipites, inflati, voluptatum amatores potius quam Dei, habentes formam pietatis, sed qui vim eius abnegarunt; quapropter væ nobis, quoniam in nouissima Hominum improbitas. malorum incidimus: quis enim è nobis, dic mihi, à prædictis malis immunis est? nonne in nobis impleta est prophetia prædictorum? Nonne omnes sumus gulosi? Nonne omnes voluptatum cupidi, insani, & materiæ amatores, iracundi, succẽsentes, iniuriarum memores, omnis virtutis proditores, conuiciatores, mordaces, proterui, fratrum osores, superbi, insolentes, elati, vanè glorioſi, hypocritæ, dolosi, inuidẽtes, inobedientes, pigri, instabiles, socordes? Nonne omnes mandata salutis negligimus? Nonne omni malitia repleti sumus? Nonne pro tẽplo Dei, facti sumus templum idolorum? Nõne pro Spiritu sancto, repleti sumus spiritibus malignis? Nonne pro filiis Dei, filij gehennæ facti sumus? Proinde nemo è nobis indignetur quum veritatem audit. Illi verò qui tunc leges transgrediebantur, dicebant; Vnum patrem habemus Abraham, sed Ioan.8.c audiebant à Saluatore, Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri facere vultis. quomodo igitur, quum & nos transgressores mandatorum eius existamus, similia ab ipso nõ audiemus? Quoniam & Apostolus, eos qui spiritu ducuntur filios Dei nominauit; ait enim: Quicunq; spiritu Dei agun- Rom.8.c tur, hi sunt filij Dei, quo pacto igitur quum nos spiritu mortis ducamur, audire poterimus, vt filij Dei nominemur? Prudentia enim carnis mors est, Rom.8.b qui verò spiritu ducuntur, ex fructibus spiritus manifesti sunt. Videamus igitur, num fructus spiritus C habeamus; Nã fructus, inquit, spiritus est dilectio, Galat.5.d gaudium, pax, longanimitas, probitas, bonitas, fi- Ephes.5.b des, mansuetudo, temperantia: nunquid igitur habemus hęc in nobis? Sed vtinam non haberemus penitus contraria: quo pacto igitur audire poterimus: vt filij Dei nominemur, & non potius quod diuersum est? Siquidem quod ex aliquo factum est, simile est facienti; quod & Dominus ostendit dum ait. Quod factum est ex spiritu, spiritus est: nos au- Ioan.3.a tem facti sumus ex carne, contra spiritum desiderantes; Et ideò iustè ab ipso audimus: Nequaquam Genes.6.a manebit spiritus meus in hominibus his inæternũ, quoniam caro sunt. Quomodo igitur audire poterimus quod planè Christiani sumus, qui forsan nihil in nobis Christo dignum habemus? Cæterum Fides non est satis ad salutem. dicetur fortassis; sed fidem habeo, & satis est mihi fides quæ in ipsum est ad salutem. Verùm hinc Iacobus contradicit, inquiens quod & Dæmones Iac.2.c credunt, & tremiscunt. Et rursus; Fides, sine operibus mortua est per se, quemadmodum & opera sine fide. Quomodo autẽ de futuris ei crederemus, qui nec in prẽsentibus, ac temporalibus ei credamus materialibus impliciti ac carni viuentes, & contra spiritum militantes? Qui autem Christo in Deo non credimus. veritate credunt, & ipsum totum per mandata sibi domesticum reddidere, ita dicere possent: Viuo au- Galat.2.d tem ego non amplius, sed viuit in me Christus qui autem nunc in carne viuo, fidei viuo quæ est in filio Dei; qui me diligit & seipsum mihi tradidit: propter hoc patiẽtes ab ipso propter salutem omnium tanquam seduli eius imitatores, necnon mandatorum eius legitimi custodes dicere possemus: conuiciis affecti, benedicimus; persequutionem susti- 2.Cor.4.c nentes, toleramus; blasphemiis impetiti, consolationem accipimus. Postquam ipsum dicentem audiuimus: Diligite inimicos vestros, benefacite iis Matt.5. qui vos oderunt, bene loquimini de iis qui vos execrantur, orate pro iis qui vos calumniantur, &c.

Et tam ex sermonibus quàm operibus in quibus operatur in eis Christus, manifestabitur. Verùm quã nos contra cuncta mãdata eius agamus, propterea omni impuritate & prauitate impleti sumus ac ideo facti sumus pro templo Dei, domus negotiationis: & pro domo orationis, spelunca latronum; & pro populo sancto, populus delinquens; & pro populo Dei, populus plenus peccatorum, semen malum pro filiis Dei, filij iniusti quoniam reliquimus mãdata Dei, & seruiuimus malis dæmonibus, per affectus impuros: & ad iram concitauimus sanctum Israël. Propter illud, & magnus nos deplorans Esaias clamat, simul & casui nostro subuenire volens dicit: Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem? Omne caput languidum & omne cor mœrens, à planta pedis vsque ad caput, non est in eo integrum: Vulnus & tumor & plaga putrida non separauerunt & alligauerunt, & oleo non liniuerũt, propter quod derelicta est filia Siõ, tanquam tabernaculum in vinea, & tãquam tugurium in cucumerario, tanquã ciuitas obsessa. Hanc nobis animæ desolationem Apostolus ostendens dicebat: Et quemadmodum floccipenderunt Deũ habere in cognitione, ita & tradidit illos Deus in vilem mentem, vt facerent indecentia, impleti omni iniustitia, scortatione, improbitate, auaritia, malitia, pleni inuidia, cæde, rixa, dolo, malis moribus; susurrones, obtrectatores, Dei osores, iniuriam inferentes, elati, glorioſi, excogitatores malorum, parentibus inobedientes, insensati, hominum commerciis indigni, absque affectu, absque fœdere, immisericordes: qui quum Dei iustitiam sciant, quòd ij qui talia faciunt digni sunt morte, non solum ea faciunt sed assentiuntur & iis qui faciunt: quapropter tradidit eos Deus in affectus ignominiæ, vt corpora propria afficerent ignominia, & quid inde sequutum est? Reuelata est, inquit, ira Dei è cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominũ, &c. De hac etiam animæ desolatione, Dominus annuncians dicebat: Hierusalem, Hierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te sunt missi; quoties volui congregare filios tuos tãquam gallina pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur domus tua deserta. Proinde Esaias videns nos, Monachos videlicet, corporalia tantummodo ministeria perficere spiritualia autem contemnere accensus dicebat: Audite sermonem Domini, principes Sodomorum; percipite legem Dei vestri populo Gomorrę; ad quid mihi multitudo hostiarum vestrarum? Dicit Dominus: Plenus sum holocaustorum arietum, & adipe pinguium; & sanguinem boum & agnorum, & hircorum non concupiui: Quis enim hæc è manibus vestris quæsiuit? quum veneritis ad videndum faciem meam, & ad calcandum atria mea, non audeatis offerre oblationem frustra: Incensum est mihi abominatio. Nouilunij & sabathi conuocationem non feram, iniquitatem *melius*, vt rem iniquam, sicut nec cœtus retẽtionem & cœtum: nouilunia & ocia, ac festiuitates vestras odiuit anima mea; facta sunt mihi in satietatem, fatigatus sum sustinens; & quum extenderetis manus vestras, occultabo oculos meos à vobis; & quum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim vestræ, inquit, sanguine sunt plenæ, quandoquidem qui fratrem suum odit, homicida est; ac ideo omne exercitiũ quod dilectionem non habet, longè à Deo remotum est. Quapropter hypocrisim reprehendens, vltra ait: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me: Frustra me venerantur, &c. Siquidem ea quæ Dominus misericordia motus Pharisæis obiiciebat, nunc de nobis audio, tanta gratia præditis, peius tamen quàm illis affectis. Nonne & nos ligãtes onera grauia & portatu difficilia super humeros hominum ponimus, quæ tamen nec digito mouere volumus? Nonne nos omnia opera facimus, vt ab hominibus videamur? Nonne & nos primam vocationem in cœnis diligimus, & primos assessus in cõgregationibus, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus magistri? quin & eos qui nobis hæc vel nõ præcipuè tribuunt ad mortem vsque odio habemus? Nonne & nos tollimus clauem scientiæ, & coram hominibus regnum claudimus cœlorũ, quum nec ipsi ingrediamur, nec illos ingredi faciamus? Nonne & nos mare & terram circuimus, quo vnum faciamus proselytum; & quum ille efficitur, facimus eum filium gehennæ in duplo plus quàm nos sumus? Nonne nos duces sumus cæci? Nonne & nos culicem excolamus; camelum verò deglutimus? Nonne nos pocula & paropsides purgamus exterius, at quod intus est, plenum est rapinæ & iniustitiæ? Nonne nos mẽtham decimamus & omne olus, & omittimus iudicium ad dilectionem Dei? Nonne nos ædificamus sepulchra martyrum, & ornamus memoriam Apostolorum & similes sumus iis, qui illos occiderunt? Nonne nos sicut monumenta clausa quum exteriùs appareamus hominibus iusti, internis sumus pleni hypocrisi & iniustitia? Quis igitur nos non deploret, quum ita simus affecti? Quis non lugeat talem nostram captiuitatem? Propter hæc enim filij Sion honorãdi, reputati sumus tanquam vasa figulnea, propterea aurum amisit fulgorem. Propter hæc Nazarei Sion qui super niuem splendebamus, facti sumus Æthiopes; qui lac candore superabamus super suliginen obscurati sumus; propter hoc species nostra nigredinem exuperat, qui educati eramus in purpura, circumamicti sumus stercore, & amplificata est iniquitas nostra super iniquitatem Sodomæ, propter hæc filij diei & lucis, facti sumus filij noctis & tenebrarũ; propter hæc filij regni, facti sumus filij gehennæ; propterea filij altissimi, tanquam homines morimur, & tanquam vnus ex principibus cadimus; propter hæc traditi sumus in manu inimicorum iniustorum, in manum dico dæmonum, & regi iniusto & iniquissimo, per omnem terram; nempe principi illorum, quoniam peccauimus, iniquè egimus, iniquitatem operati sumus, transgredientes legem Domini Dei nostri & sanguinem Testamenti communem censuimus. Sed non tradas nos in finem propter nomẽ tuum Domine, & ne dissipes Testamentum tuum, ne aufer à nobis misericordiam tuã propter miserationes tuas. Pater noster qui es in cœlis, propter viscera vnigeniti Filij tui, & propter misericordiam Spiritussancti, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, sed citò anticipet nos misericordia tua domine, quoniam peccauimus nimis. Adiuua nos Deus salutaris

Matt. 21. b Mar. 11. c Lucæ 19. g Ioan. 2. c
Isa. 1. b
Rom. 1. c.
Matt. 23. d Luc. 13. g
Isa. 1. c
Isa. 26. e Matt. 15. a Mar. 7.
Oratio S. P. Maximi.

tris noſter, propter gloriam nominis tui memor ſis primitiarum noſtrarum, quas vnigenitus filius tuus è nobis propter generis humani amorē ſuſcipiens, pro nobis habet in cœlis, vt nobis ſpem firmam ſalutis donet; ne propter deſperationem reddamur deteriores, propter precioſum ſanguinē eius, quem pro mundi vita effudit, propter ſanctos Apoſtolos illius & Martyres qui nominis eius gratia propriū ſanguinem effuderunt, propter ſanctos Prophetas & Patriarchas qui decertarunt, vt honorando nomini tuo placerent, ne deſpicias deprecationes noſtras domine, neque derelinquas nos in finem, non enim in iuſtitia noſtra, ſed in miſericordia tua confidimus, in qua genus noſtrum fouetur, oramus & rogamus bonitatem tuam ne nobis in iudicium cēdat gubernatio noſtra, ſub filio tuo vnigenito, ad ſalutem myſteriorum: & ne proiicias nos à facie tua, ne abomineris indignationē noſtram, ſed miſerere noſtri ſecundum magnam miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum remitte nobis flagitia noſtra quo indemnati coram gloria tua ſancta compareamus, digni facti protectione filij tui vnigeniti, & non vt ſerui peccati reprobemur. Eia domine, annue omnipotens Deus, exaudi preces noſtras quoniam præter alium non cognoſcimus. Nomen tuum ſanctum inuocamus, tu enim es qui omnia in omnibus operaris, omnéque apud te adiutoriū quærimus. Conuertere igitur è cœlo, domine, & reſpice è domo tua ſancta & glorioſa, vbi eſt zelus tuus & fortitudo tua, vbi eſt multitudo miſericordiæ tuæ & miſerationum tuarum, vt caſum noſtrum ſubleues? Tu enim pater es noſter, quoniam Abraham nos non nouit nec Iſraël nos cognoſcit. Sed tu domine pater noſter libera nos: ab initio nomen tuū ſuper nos eſt, & Filij tui vnigeniti, & Spiritus tui ſancti: cur nos errare ſinis à via? Ne corripias nos virga iudicij tui, cur induras corda noſtra, ne te timeamus? Cur relinquis nos libertati erroris? Conuertere domine propter ſeruos tuos, propter Eccleſiam tuam ſanctam, propter omnes ſanctos tuos qui fuerunt à ſæculo, vt vel paruum locum in ſancto tuo ſortiamur, ſiquidem nobisipſis contrarij cōculcauimus ſanctificationem tuam, facti ſumus ſicut eramus ab initio quum nondum nos cognoſcebas, neque nomen tuum ſuper nos inuocabatur. Si aperueris cœlum, tremor occupabit montes tuos & liquefient ſicut cera à facie ignis & flāma comburet aduerſarios, & tremendum erit nomen tuum ſuper omnes qui tibi aduerſantur, quum feceris glorioſa, tremor corripiet terminos tuos. A ſeculo non audiuimus, neque oculi noſtri alium Deum præter te viderunt, & opera tua quæ facies expectantibus miſericordiam tuam, tu enim occurris iis qui faciunt iuſtitiam, & viarum tuarum recordantur. Ecce tu iraſceris & nos peccamus: ſed ſeu potius nos peccamus, & tu iraſceris propterea quod errauimus: & nos omnes facti ſumus ſicut impuri, ſicut pannus immundus omnis iuſtitia noſtra, & decidimus tanquam folia propter iniquitates noſtras, ita nos ventus impellit: & non eſt qui inuocat nomen tuum, & qui memor ſit vt te ſuſcipiat, auertiſti faciem tuam à nobis, & tradidiſti nos propter peccata noſtra, & nunc Domine tu pater noſter es; nos verò lutum, opus manuum tuarum omnes, ne iraſcaris nobis vltra valdè, & ne in tempore memineris peccatorum noſtrorum, & nunc reſpice quoniam omnes populus tuus ſumus: Ciuitas ſanctificationis tuæ: deſerta eſt Sion, quemadmodum & deſolata Hieruſalem in maledictionē domus. Sanctum noſtrum & gloria cui benedixerunt patres noſtri, igne ſunt conſumpta, ac omnia glorioſa ceciderunt, & ſuper hæc omnia ſuſtinuiſti Domine, & tacuiſti, & humiliaſti nos valde. Acciderunt hęc olim typice antiquo populo tuo Iſraël, nunc verò in nobis verè ſunt adimpleta & facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, dæmonibus ſubſannatio & deriſio iis qui circùm nos ſunt. Sed reſpice è cœlo & vide, ac ſalua nos propter nomen tuum ſanctum & cognitas fac nobis inſidias aduerſariorum noſtrorum, & libera nos ex machinationibus eorum, & ne aufer à nobis auxilium tuum quoniam nos non ſufficimus, vt vincamus incidentia: tu autem potens es nos ſaluare ab omnibus contrariis. Salua nos Domine ex difficultatibus mundi huius propter bonitatem tuam, quò pura conſciētia vitæ pelagus pertranſeuntes, & integri tremēdo tribunali tuo aſſiſtentes, vita æterna digni fiamus: Hæc omnia quum frater audiſſet, valde compunctus ad ſenem dixit: Quemadmodum, pater video, nulla mihi ſpes ſalutis eſt relicta, nam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum; verùm te, Pater, obſecro vt mihi dicas quid facere debeā vt ſaluari poſſim. S. Saluari apud homines impoſſibile eſt, apud Deum autem omnia ſunt poſſibilia, quemadmodum ipſemet Dominus ait: ac ideo præoccupemus faciem eius in confeſſione, adoremus & procidamus coram ipſo, & ploremus coram Domino qui nos fecit, quoniam ipſe eſt Deus noſter, & audiemus ipſum per Eſayæ vocem dicētem: Quum conuerſus fueris ſuſpiriis, tum ſaluaberis. Et iterum: nunquid manus Domini ſaluare non poteſt, aut auris eius tardabit ne exaudiat? verum peccata noſtra diſtinguunt inter nos & Deum, & propter peccata noſtra faciem ſuam auertit vt non miſereatur: ac ideo dicit: Lauamini, mundi eſtote au, ferte praua itates ab animabus veſtris coram oculis meis, ceſſate affligere, diſcite benefacere, quærite iudicium, liberate iniuria affectum, iudicate pupillo, patrocinemini viduæ, & accedite ac inter nos diſputemus: & ſi fuerint peccata veſtra ſicut purpura tanquam nix dealbabuntur: & ſi rubra fuerint tāquam coccinum, tanquam lana erunt alba: & ſi volueritis & audieritis bona terræ comedetis, quoniā os domini loquutum eſt. Et rurſus per Ioelem dicit: Conuertimini ad me ex toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu, dilacerate corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, ſiquidem miſericors & miſerator eſt Dominus, & præſtabilis ſuper malitias. Sed & ad Ezechielē dixit: Fili hominis dic domui Iſraël; ita loquimini, dicentes: Errores noſtri & iniuſtitiæ noſtræ ſuper nos ſunt & in ipſis liquefacti ſumus, & quomodo viuemus? Dixit eis: Viuo ego, dicit Dominus, Nolo mortem impij, ſed vt conuertatur à via ſua, & viuat & moreretur domus Iſraël? In libro quoq; tertio Regum de ſuperabundanti bonitate Dei ita dicitur quum audiret Iſaias: Legēdum eſt, Helias. Achab eſſe in vinea Naboth,

Saluari apud homines impoſſibile eſt. Matt. 19. d Luc. 18. e

Iſa. 1. d

Ioel. 2. e

Ezech. 18. e

3. Reg. 21. f

quam possederat per occisionem illius propter A sermones Iezabel, venit & dixit: Occidisti & possedisti, & in loco in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, ibi & carnes sanguinem tuum lingent, & Iezabel deuorabunt canes in superbia Iezabel. Quúmque Achab audisset sermones hos scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam & ieiunauit, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite: Et factus est sermo Domini ad Heliam dicens: Vidisti quod humiliatus
Psal. 31. b est Achab coram facie mea? non inducam malum in diebus eius. Quin & Dauid inquit, iniquitatem meam ego cognoui, & peccatum meum non abs- B condi, Dixi confitebor aduersum me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei, propterea orabit ad te omnis sanctus in tem-
Matt. 18. b Lucæ 17. a 19. a pore lætitiæ, & in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Sed & in Euangelio ait Dominus. Resipiscite, appropinquat regnum cœlorum, quúmque Petrus interrogasset quoties in die quum in me frater meus peccauerit, dimittam ei? num vsque septies? Respondit ille natura optimus & bonitate insuperabilis: Non dico tibi vsque septies, sed vsque ad septuagesies septies. Quid bonitati huic æquale? quid humanitati tali simile esse posset? Quum igitur timorem domini, necnon C bonitatem & humanitatem eius tã ex veteri quam nouo Testamento cognoscamus, ex toto nostro corde conuertamur, quur enim, frater periremus? purgemus manus peccatores, sanctificemus corda
Exhortatio ad bene instituendã vitam. nostra, peruersi, humiliemus, lugeamus, & propter peccata nostra ploremus: Desinamus ab improbitate nostra, credamus promissionibus Saluatoris nostri, timeamus minas eius, custodiamus mandata eius, inuicem ex toto corde nostro diligamus eos qui nos odio habent ac abominantur: fratres appellemus, quò nomen Dei glorificetur, & videatur in lætitia eius. Demus inuicem veniam, inuicem D tentati, tanquam omnes à communi hoste impetiti, resistamus cogitationibus nostris. Deum in auxilium aduocantes, fugemus à nobis malignos & impuros spiritus, subiiciamus carnem spiritui, supprimamus & pœnitus in seruitutem redigamus affectus malos: Purgemus nos ipsos ab omni defœdatione carnis & spiritus: excitemus nos inuicem, ac irritemus ad dilectionem, & opera bona ne inuideamus inuicem, neque inuidia appetiti ferociamus; sed potius inter nos compatiamur & propter imbecillitatem intellectus nostri alternatim remedia afferamus. Ne inter nos obloquamur, ne inuicem mordeamus; quoniam inter nos membra sumus, abiiciamus à nobis negligentiam & desidiam, E & in hoc viriliter contra spiritus nequitiæ decertemus. Et habebimus Christum Iesum aduocatum iustum apud patrem, ipse enim peccatorũ nostrorum est placatio, illum ex puro corde, & tota anima nostra rogemus: & dimittet nobis peccata, quoniam prope est Dominus omnibus qui illum inuocant in veritate, & implet voluntatem timentium eum exaudítque preces illorum, ac eos saluat, & ideo dicit, Sacrificia Deo sacrificium laudis, & reddas altissimo preces tuas & inuoca me in die afflictionis, traham te, & glorificabis me. Et iterum
Isa. 58. b Isaias: Solue nexus omnes iniquitatis, dirumpe fasciculos iugi, emitte confractos liberos, & omne iugum dirumpe: frange esurienti panem tuum, & pauperes vagos introducas in domum tuam, quum videris nudum, tege eum, & à carne tua non abscondaris: tunc erumpet sicut diluculi lux tua, & reparatio tua velociter germinabit, & ibit ante te iustitia tua, & gloria Domini congregabit te: & quid post hæc? Tunc clamabis, & Deus exaudiet te: Adhuc te loquente dicet, Ecce adsum; & tunc orietur in tenebris lux tua & caligo tua erit sicut meridies, & erit dominus tecum semper, & implebitur iuxta desiderium animæ tuæ. Cernis ne quod si soluerimus omnes colligationes iniquitatis ex corde nostro & dirumpamus omnes fasciculos inimicitiarum, festinemúsque benefacere proximo nostro ex tota anima: quod lumine cognitionis vndique fulgebimus, & à passionum ignominia liberabimur & omni salute implebimur, & gloria Dei illustrabimur, & à cuncta ignorantia salui erimus, & cum orauerimus cito exaudiemur. Deum nobiscum semper habebimus, & desiderio erga Deum implebimur? Diligamus ergo inuicẽ, & à Deo amabimur; longanimes inter nos simus, & longanimitatem ob peccata nostra consequemur, nequaquam reddamus malum pro malo, & non recipiemus secundùm peccata nostra; siquidem indulgentiam delictorum nostrorum, in fratrum indulgentia inueniemus, & misericordiam Domini in misericordia proximi reconditum: ac ideo Dominus dicebat;
dimittite & dimittetur vobis, & si remiseritis ho- Matt. 6. b minibus delicta eorum, pater etiam cœlestis dimittet vobis delicta vestra. Et iterum: Beati misericor- Matt. 5. a des quoniam misericordiam consequentur: & qua Matt. 7. a mensura metiti fueritis, remetietur & vobis, Ecce Lucæ 6. b donauit nobis Dominus modum salutis, dedítque nobis potestatem filios Dei fieri: & in volũtate nostra relicta est salus nostra, tradamus nosipsos domino perfectos vt perfectionem eius recipiamus, fiamus dij per ipsum, nam propter hoc ipse homo factus est, quum natura Deus esset & Dominus; obediamus ei, & ipse inimicos nostros assiduè vlciscetur. Si populus meus (inquit) me audiet & Israël in viis meis ambulabit, in omnibus inimicos eorũ humiliabo, & in persequentes eos manum meam iniiciam; Ac ideo omnem spem nostram in illo solo ponamus & omnem curam super ipsum proiiciamus, & ipse nos ab omni pressura eripiet, ac per totam vitam nostram enutriet. Omnem igitur hominem diligamus, attamen in nullo homine spem nostram ponamus: quantum enim Dominus nos custodit, tantum & amici omnes nobis fauebunt, inimici verò cuncti frustra nos oppugnabunt. Qui verò in seipso confidit, casu concidet indecenti; in Dominum autem confidens exaltabitur; ac ideo Dauid dicebat: Non in arcu meo sperabo, neque Psal. 43. b. me framea mea saluabit, Saluasti enim nos ex persequentibus nos & odio nos habentes confudisti. Proinde nequaquam mentem adhibeamus iis qui nobis extenuant peccatum, & veniam nobis vaticinantur; nam de iis nos Dominus admonuit dicens: Cauete à falsis Prophetis qui veniunt ad vos Matt. 7. b in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Inquantum enim mens nostra ob peccata vexatur, intantùm & veniam assequemur, nondum

Cauta lege Calestem [illegible]

Psal. 80. c

enim

enim veniæ fructus dignos fecimus, siquidem fructus pœnitentiæ est animæ in affectibus immobilitas, quæ & peccata extinguit. Verum nondum perfectam habemus constantiam & affectuum immobilitatem; siquidem nonnunquam perturbamur, quandoque verò non turbamur, peccatorum autem remissionem nondum perfectè sumus assequuti, nam licet per sanctum baptisma ab originali peccato liberati simus: ab iis tamen quæ post baptisma perpetrauimus, per pœnitentiam liberabimur. Pęniteamus igitur sedulo, quò ab animi passionibus liberari peccatorum remissionem assequamur, contemnamus temporalia nec propter illa cum hominibus pugnantes dilectionis mandatum transgrediamur, & à dilectione Dei excidamus: spiritu obambulemus; & desideria carnis nequaquam perficiamus, vigilemus, sobrij simus, abiiciamus reliquum socordiæ somnum. Sanctos Saluatoris imitemur athletas illorum sequamur certamina; eorum quæ perpetrauimus, obliuiscamur; ad futura adcingamur per cursum indefinentem, per promptitudinem feruentem. Continentiam

Perfecta in affectibus humilitas.

A induamus, constantiam, modestiam, dilectionem, patientiam, generositatem, longanimitatem, tolerantiam, compassionem, misericordiam, mansuetudinis imperterritum zelum, feruorem, amoris simplicitatem non fictam, humilitatis sublimitatem, inopiæ indigentiam, virilitatem, probitatem, mansuetudinem. Non memores simus voluptatum, non cogitationibus frena laxemus, non degrauemus conscientiam. Pacem sectemur cum omnibus & sanctificationem; sine qua nemo Dominum videbit. Præter hæc, fratres, mundum fugiamus, & dominatorem illius; relinquamus carnem & carnalia, in cœlum curramus, ibi politiam nostram assequemur. Diuinum imitemur apostolum, authorem vitæ apprehendamus, fonte vitæ

B fruamur, cum angelis chorum ducamus, cum archangelis hymnos ctemus, laudemus Dominum nostrum, & Deum Iesum Christum, cui sit gloria & fortitudo in secula seculorum. Amen.

S.P. Maximi, Confessoris & Monachi, Opusculorum,

FINIS.

FERRANDI DIACONI ECCLESIÆ CARTHAGINENSIS, AD REGINVM COMITEM PARÆNETICVS; QVALIS esse debeat dux religiosus in actibus militaribus.

SOCIALIS vitæ laboribus exercendus, ignorantia pueritiæ mox vt rationalis homo caruerit; aut Deo incipit (Dux illustris, ô Regine) aut seculo militare. Propter hoc Apostolus Paulus; *Nemo* (ait) *militans Deo implicet se negotiis secularibus*: ostendens esse milites Dei, sicut sunt etiam milites seculi. Duplex ergo militia, duo genera militum signat: Alios militia corporalis laborare cum mundo, secundùm voluntatem terreni Regis astringit: alios, militia spiritualis ad cælestia castra per gratuitam gratiam cælestis imperatoris adducit. Milites seculi, passionibus & desideriis variis tenentur obnoxij: milites Dei, carnem suam crucifigunt cum viciis & concupiscentiis. Illi dapibus nutriuntur, isti virtutibus: illi rapere aliena conantur; isti, etiam propria vel patienter perdere, vel misericorditer contendunt erogare. Illi gerunt vnde falsis laudibus extollantur; Isti quærunt vnde sempiternis præmiis honorentur: Illis tribuit imaginem lætitiæ, vanitas; Istis vera confert gaudia, veritas. Illi propriis vtilitatibus consulunt; isti, communibus. Illi perituram patriam, pariter perituri, saluare ac semper tenere festinant; Isti nunquam perituram, ne in æternum pereant, possidere desiderant. Illis, viuere, labor est; & mori, supplicium: istis, viuere Christus est; & mori, lucrum. Illi præliantur contra inimicos visibiles; Isti contra inuisibiles. Illos; auaritia, crudeles: Istos, misericordia facit benignos. Illos inuidia, contentiosos: Istos mansuetudo, pacificos. Illi, per superbiam, pro suis honoribus litigant; Isti, per humilitatem, alter alterum existimāt

1.Tim.1.

Corporalis, & spiritualis militiæ ambitus.

Militum vitia.

C superiorem sibi. Per illos, Babilonia regitur: per istos, & in istis à Domino Hierusalem cælestis administratur. Et plerumque cōtingit, vt corporibus adunati (quamuis mentibus separati) simul, milites Dei & milites seculi, prosperitates & aduersitates sentiant temporales. Sed milites seculi, prosperitas extollit, aduersitas deiicit: milites autem Dei, siue in prosperitate, siue in aduersitate, immobiles perseuerant, quia gloria eorum *testimonium est conscientiæ* ipsorum; vbi requiescunt quando tribulationes patitur mundus, vbi non timent hostem continentiæ perpeti, quando suppetit abundantia vo-

2.Cor.1.

D luptatum de radice temporalis fœlicitatis germinans spinas cupiditatis. Milites Dei libenter audiunt beatum Ioannem, commilitonibus propriis, tuba fortiore clamantem: *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt; si quis diligit mundum non est charitas Patris in eo; quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi, quæ non est ex Patre sed ex mundo est. Et; Mundus transit & concupiscentia eius; qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* Quibus audientibus atque obedientibus huic saluberrimæ admonitioni, quoties occulta dispen-

1.Ioan.2.

E satio piissimi creatoris potestatem iudicandi ac disponendi terrenam rempublicam tribuit; tunc ex parte, militia seculi non est grauioribus referta peccatis. Tunc facilè corripiuntur inquieti, consolantur pusillanimes, suscipiuntur infirmi; licentia scelerum demitur improbis, & benè agendi sortitur innocentia libertatem. Rogemus igitur precibus assiduis eum qui disponit orbem terræ in æquitate, faciens vniuersa secundum consilium voluntatis suæ; quoniam de

Psal.134. ipso Psalmista veraciter canit; *Omnia quæcunque voluit fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis:* vt videlicet milites suos sub habitu militiæ secularis latentes promouere dignetur ad maximas dignitates; regensq; eos intus, & regendi alios scientiã tribuens; sicut tibi quoque (dux illustris Regine) iam donasse cognoscitur. Et ideò laudabili sollicitudine, venerabilis memoriæ Fulgentium pontificem Ruspensis Ecclesiæ interrogasti; qualis tibi militaribus actibus occupato, regula sit spiritalis propositi retinenda. Sapienter profectò, responsum sapientiæ, à sapiẽte quæsieras! nec interroganti, nec interrogato sancta prudentia defuit. Et tu, quod ille docere poterat iã gerebas; & ille hoc docere poterat quod tu gerebas: vt mores tuos, tu in sermonibus eius agnosceres; & sermones suos, ille ex tuis moribus approbaret. Modò autem quia semipleni libelli imperfecta dictatio, nihil huic tuæ interrogationi cognoscitur respondisse (principia enim glorioſi Operis, primam quæstionem literarum tuarum, diutiùs vẽtilant; vtrùm caro Christi, corruptibilis an incorruptibilis fuerit: vndè adhuc disputans Doctor ille egregius; antequam (fideliter ratione fidei reddita) de actibus militaribus cum pietate tractandis inciperet loqui, transiuit ad æternæ beatitudinis immortalia gaudia; verbum Dei, quod in corde & ore semper habuit, facie ad faciẽ contemplaturus.) Importabilẽ sarcinam super humeros debiles ponis; vt me iubeas, tanti viri quasi hæreditarium debitum soluere. Nũquid ego sic repletus sum sapientia, sicut ille? Nunquid eadẽ mihi facultas eloquij? Nũquid similis data est authoritas dignitatis: aut vel ipsa saltem conuersationis innocentia, talis est mihi; quem præteritis ac præsentibus excessibus implicatum, mentis pariter & corporis grauat infirmitas? Quid ergo faciam? Volo satisfacere desiderio tuo, nec valeo: maximè quando cogitans & retractãs merita iniquitatum mearum, superbiæ proximum iudico ducere alios per iustitiæ semitas, per quas ipse non ambulo. Vę mihi misero, donec misereatur altissimus! Ecce ego militiæ ecclesiasticæ vinculis illigatus, curis secularibus dissipor; & quomodò in seculo militanti, militiæ spiritalis audeam legem ostendere? Plorandũ mihi est, an loquendum? Vita alterius erudiẽda videtur; an mea potiùs corrigenda? Virtus prima est, benè viuere; secunda est, rectè docere: fruſtrà autem rectè docet, qui benè non viuit. Ergo ego, necdum benè viuens; quomodò rectè doceam? Verum tamen quia nõ homo docet hominem, sed Deus doctor est omnium; nec humana mandata sed diuina quæris audire: præteriens qualis ego sum, cognosce qualis esse debeas; immò potiùs qualem te esse, nobis congaudentibus, gaudeas! Gratiæ Dei adiutorium, tibi necessarium per actũs singulos crede, dicens cum Apostolo; *Gratia Dei sum id quod sum*: Vita tua speculum sit, vbi milites tui videant quid agere debeant. Non præesse appetas, sed prodesse; dilige Rempublicam, sicut teipsum; Humanis diuina præpone; noli esse multum iustus; memento te esse Christianum. Videtur enim mihi, per has septem regulas, in actibus militaribus posse homines spirituales Deo placere; nullúmque dispendium patimorum bonorum, sed proficere potiùs ad incrementa maiora iustitiæ. Si vis ergo perfectus esse miles Dei, inter milites seculi; tene firmiter quod diximus breuiter.

Christi caro an corruptibilis.

Fulgentij obitus.

Militia Ecclesiastica.

Fruſtra rectè docet qui nõ benè viuit.

1. Cor. 15.

Comiti quid agendum sit.

Quomodò septem regulæ, septem donis Spiritus sancti assimilentur: prima; de Spiritu timoris.

Si enim gratiam confitearis; requiescet super te spiritus timoris Domini.

De Spiritu pietatis, altera.

Si vita tua speculum sit, vbi milites videant quid agere debeant; requiescet super te spiritus pietatis.

De Spiritu scientiæ; tertia.

Si non præesse desideres vel appetas, sed prodesse; requiescet super te spiritus scientiæ: Ille enim scit præesse, qui vult prodesse.

De Spiritu fortitudinis. IIII.

Si diligas Rempublicam, sicut teipsum; requiescet super te spiritus fortitudinis.

De Spiritu consilij. V.

Si humanis, diuina proponas; requiescet super te spiritus consilij.

De Spiritu intellectus. VI.

Si libenter audias, *noli esse multum iustus*; requiescet super te Spiritus intellectus.

De Spiritu sapientiæ. VII.

Si memineris te esse Christianum; requiescet super te spiritus sapientiæ: & per septiformis spiritus abundantiam, misericors Deus (sicut veracissimè amico suo fidelissimo Iob, dixit Eliphaz.) *In sex tribulationibus liberabit te, in septima non tanget te malum: In fame, eruet te de morte; & in bello, de manu gladij; à flagello linguæ abscondêris, & non timebis calamitatem cùm venerit; In vastitate & fame ridebis, & bestias terræ non formidabis; sed cum lapidibus regionum, pactum tuum, & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi, & scies quòd pacem habeat tabernaculum tuum, & visitans speciem tuam non peccabis.* Necessarium planè est, vt partitionis ordine custodito, sigillatim de his septem generibus disputantem, benevolus & intentus aduertas; illud principaliter sciens, neminem sine gratia Dei iustè viuere. Dominus enim dat intellectum, & quem voluerit religiosum facit. Nihil boni ex nobis habemus: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum* (Iacobo Apostolo) *desursum est descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio nec momenti obumbratio.*

Iob. 5. 19.

Nemo iustus sine gratia Dei. Iacobi 1.

Prima Regula.

PRima proinde est regula, quam tenere inter actus debeas militares; vt nihil viribus tuis superbiùs assignes: sed omnia quæ sapienter aut fœliciter egeris, ad laudem referas potentissimi creatoris; memor semper quid populo Israëlitico ingredienti terram promissionis Moyses loquatur, humilitatis sanctæ volens omnes habere virtutem. Dicit enim: *ne dicas in corde tuo; virtus & potentia mea fecit mihi virtutem hanc magnam; sed memor eris domini Dei tui, quia ille tibi dat potentiam ad faciendam virtutem.* Sicut pleniùs etiam prophetа Hieremias admonet: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, intelligere quoniam ego sum Dominus qui*

Deut. 8. Iudith. 6.

Ierem. 9.

Ierem. 16.

qui facio misericordiam & iudicium & iustitiam super terram. Frequenter igitur, & (si fieri potest) indesinenter, voce cordis & corporis exclamabis; *Domine fortitudo mea, & adiutorium meum in die malorum.* 2.Cor.10. Et iterum: *sana me Domine, & sanabor; saluum me fac, & saluus ero, quia gloria mea tu es*. Ista enim dicendo, sanctissimi Pauli doctrinam sequi videberis dicentis; *qui gloriatur, in Domino glorietur*. Et tunc super te prophetica sententia complebitur: *benedictus homo qui confidit in Domino, & erit Dominus spes eius; eritque sicut lignum fructiferum secus aquam, & in humorem mittet radices suas, & non timebit cùm venerit æstus; & erunt in eo frutices nemorosi, & in anno siccitatis non timebit, & non deficiet* B *à faciendo fructum*. Deficiet autem si obliuiscatur illius de quo fidelis Esaias, fidelibus narrat: *Deus sempiternus, Dominus qui creauit terminos terræ non deficiet, neque laborabit, nec est inuestigatio sapientiæ eius qui dat lasso virtutem; & his qui non sunt, fortitudinem; & robur multiplicat; deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent: qui autem sperant in Deum, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ; current & non laborabunt, volabunt & non deficient*. Curre miles Dei, festinanter; vt numero talium sociatus, negotia militaria securus geras. Si enim consilio vti necessarium fuerit, respondet tibi continuò Sapientia; *meum est consilium, & mea tutela*: Si in prælio dimicandum; fortissimi Dauidis audies vocem, *non in gladio neque in hasta saluat Dominus, ipsius est enim bellum*. Si contra hostiles impetus, disponas prætendere excubias, Psalmus cogitanti respondet; *nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilat qui custodit eam*. Si paruus exercitus contra hostium multitudines innumerabiles educendus sit; orante Iudith protinus confortaberis, consona oratione dum gemebundus exclamaueris: *Non in multitudine est fortitudo tua, neque virtus tua, neque virtus tua in potentatibus; sed humilium es* Deus, indigentium auxiliator, infirmorum opitulator. Si concordia militum quæritur; recordaberis scriptum: *Domini est pax*. Si obedientia; voce Psalmi Domino Deo tuo cantabis: *eripies me de contradictionibus populi*: Sub nomine autem populi; etiam multitudo militum non absurdè intelligitur: maximè quia in huiusmodi populo, sæpè abundat contradictio; seueritate naturali, materiam seditionibus ministrante. Periculosa est autem militum contradictio cædibus Ducum, rapinisque vicina est; & dulcis obedientia, dum monitis salutaribus sapientissimi Ducis libenter obtemperat. Nec dubitari penitus oportet; in artibus militaribus, supernæ virtutis auxilio, Duces fortissimos indigere, clamante Dauid & quasi in concione generis humani respondente eis qui confidunt in virtute sua: *Benedictus dominus meus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum; Misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus, liberator meus qui subiiciet populos sub me*. Hoc quippe intelligens, à Domino tibi populos subiici; voluntatem Domini proculdubiò facere properabis, & non potestate sola terrebis subditos; sed tranquilla consilia præbebis obedientibus, dans operam talis esse quales vis alios inuenire.

Seditiones militibus sunt familiares. Pfal.17. Pfal.115. Iud.10. Iudic.9. Pfal.143.

Secunda innocentiæ regula.

SEcunda quippe regula est innocentiæ, militaribus actibus occupato; vt quasi in speculo, sic in illo milites videãt quid agere debeãt; & magis eos ad bonum inuitatio prouocet, quam potestas. Dux enim sapiens, illuc debet ire quò cupit ducere subditos: Ideò enim dicitur Dux, quia ducit; & seipsum vtique seducit, si per viam regiam putat posse ambulare, quos ad foueam malæ vitæ (malum exemplum præbendo) perducit. Tu ergo esto signifer doctrinæ sanctissimæ: Tu erige trophæum virtutis intuendum iugiter cæteris: Tu imitandus appare: quique te audit præcipientem, non te redarguat aliter operantẽ. Pone semper in corde tuo sermones Apostoli, dicentis: Inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas, in quo enim aliũ iudicas, teipsum condemnas, eadem enim agis qui iudicas. Et quæ culpabilia pronũcias, vitare prius studebis, postea cõdemnare. Quæcunq; laudabilia, operari prius, postea iubere. Vita quippe optimi Ducis speculo cõparata, bene inspicitur, si luceat in ea, non simulato colore, sed verissima prorsus ostensione, fides, iustitia, misericordia, patientia, continentia, & non imprudens æstimatio futurorum. Fidelis Dux eris, si iudicio sapientiũ, nõ sermonibus adulatorum proberis & cognoscaris recte credere, neminẽ fallere, promissa perficere. Iustus autẽ Dux eris, si iudicio sapientium, non sermonibus adulatorũ proberis, & cognoscaris perseuerantes in malitia punire, bonis fauere, singulorũ merita discernere, reddere omnibus debita. Misericors Duxeris, si iudicio sapientiũ non sermonibus adulatorũ proberis, & cognoscaris diligere pauperes, gubernare subiectos, indigentibus ministrare, postulantibus veniam clementer ignoscere, docere insipientes sapientiã, reuocare in flagitiis ambulantes à via sua mala, dominũ rogare pro inimicis, pacificare discordes. Patiẽs Dux eris, iudicio sapientiũ, nõ laudibus adulatorũ proberis, & cognoscaris laborare pro vtilitatibus aliorũ, sine emolumento cupiditatis: iniurias pati, nec facere, non habere vlciscendi libidinem, metu aduersitatis nullatenus frangi, desiderio prosperitatis minimè rapi, perseuerare in his quæ bene assũpseris, sperare misericordiã Dei, etiã si distulerit subuenire. Nihil eito sine cõsilio facere, quicquid imperat superior, obedienter excipere, quicquid præcipis inferiori, sine perturbatione disponere. Cõtinens Dux eris, si iudicio sapientium, nõ laudibus adulatorũ proberis, & cognoscaris, res alienas nec cõcupiscere, nec auferre dũ possis, nihil agere violẽter, nihil fraudulenter, nihil sine modo, nihil propter voluptatẽ, nihil propter auaritiã, nihil vetitũ legibus, aut cõsuetudini contrarium ciuitatis vel gentis, si tamen ipsa consuetudo nec religioni nocet, nec bonis moribus aduersatur. Alioquin consuetudo mala sine moribus, nisi expellatur, occidit. Nihil ergo aduersus consuetudinem gerere, virtus est continentiæ. Profecto autem si continens vixeris, etiam de futuris, non imprudens inuenieris existimator, siue vigilando contra insidias aduersariorum, siue sciendo qui soleant euentus rebus singulis deputari, vnde oriantur seditiones, vnde noua bella nascantur, vnde dissolutio seueritatis, vnde rapina-

Princeps, vt potestate sic praest virtute. Rom.2.

rum damnosa licentia, vt hæc omnia in suis amputata radicibus, iter sapientissimo Duci quietissimæ dispositionis aperiant. Audienda sunt etiam Ioan. Bapt. fidelissima monita, quę milites audierũt, quãdo eis interrogantibus, quid faciemus & nos? Non ait: Ite, arma deponite, bellorum fugite certamina, solis orationibus vacãtes, imperatoris præcepta cõtemnite. Sed alia quædam proposuit obseruanda, Luc. 3. dicens: Neminem concutiatis, nulli calumniam faciatis, contenti estote stipendiis vestris. Concutere verò est apertè facere violentiam. Calũniari, occasionem nocendi requirere. Quoniã qui stipendiis suis noluerit esse contentus, aut frena disciplinæ simul disrumpit, vt temerariis excessibus aliena diripiat. Et hoc prohibẽs sanctus Ioannes dixit, neminem concusseritis: aut requirit causas offensionis, vt sub aliquo iustitiæ colore terreat innocentes, atque auaritiæ suæ, vel potius rapacitati satisfacere cogat inuitos. Quod prohibẽs sanctus Ioannes dixit: Nulli calumniã feceritis. Et remota huius duplicis malitiæ peruersitate, quid sequendum fuisset adiecit: Contenti estote stipendiis vestris. Beati erũt milites, si hæc prȩcepta custodiãt. Beata Respublica, si tales meruerit habere milites. Beatus Dux, in cuius exercitu tales esse contigerit plurimos. Veruntamen plus beatior apparebit si ipse fuerit talis, neminem scilicet concutiens, nulli calumniam faciens, contentus stipendiis suis. Nã profecto quanto dignitate maior existit, tanto magis & cõcutere, & calumniã facere potest, & non esse contentus stipendiis suis. Hinc autem plerumq; maximis ciuitatibus afflictio nascitur, hinc grauissimæ crudelitates, hinc mille artibus lucri exquisita compendia. Hinc venalitas in iudiciis, hinc remissio in prœliis, hinc totius Reipublicæ diminutio. Si dux cœperit non esse contentus stipendiis suis, & super emolumenta publica, priuatis amplificari commodis cupiens, vtilitati tantũ suæ curam gerat, salutem verò vel securitatem negligat subditorũ. Talis dux non est circa æquales modestus pariter & suauis, sed litigiosus & auarus. Non est circa inferiores mansuetus, comis & facilis, sed crudelis, personarum acceptor, & difficilis, sub isto disciplina militũ citò deterioratur. Cui enim prouincialium velint milites parêre, quos ab ipso duce pati cõspexerint fraudẽ? Quomodo contenti sint stipendiis suis qui ducem suum nobilitari sentiunt de facultatibus alienis? Nonne quãdo dux aliquẽ concutit, ipsis vtitur ministris ad violentiam? Quãdo alicui calumniam facit, per ipsos negotium fraudis exercet. Imperando ergo eis frequenter iniquitatem, contemnere eos efficit æquitatem. Vult itaq; dux sapiens, vt sit miles quietus, pacificus, subditus. Sit ipse iustus, misericors, temperatus & in sua administratione non prȩesse diligat, sed prodesse. Imitetur bonis actibus Samuẽlem, comparet sibi liberam fiduciam, verecundæ & honestæ libertatis, vt ingenua fronte dicere valeat subiectis sibi, sic dixit Samuel: Ecce assum ego, respondete contra me in conspectu Domini, & in conspectu Christi eius, si vitulum alicuius tuli, aut asinum alicuius tuli, aut alicui vestrûm per potentiam nocui, aut aliquem oppressi, aut de manu alicuius accepi pro exhortatione vel calciamentũ. Respõdete aduersum me & reddam vobis. 1. Reg. 12.

A Et respondeatur etiã ei quod dixerunt ad Samuel. Nemini nostrũ nocuisti, nec per potentiam aliquẽ oppressisti, nec cõfregisti nos, neq; accepisti aliquid de manibus nostris. O quã glorioſus Dux erit ante faciem principis, qui ista audire meruerit! Magnificabunt eum proceres, benedicẽt humiles, sequetur illũ fama, diuitiis omnibus melior. Dabitur ei sicut scriptum est, fidei donũ electum, & in templo Dei placidior bonorum laborũ fructus bonæ famæ. Et si forsitan remoueatur, aut Rempublicam non administrare iubeatur, manebit & permanebit in omniũ dilectione quasi præsens. Quisquis autẽ succesſerit ei, non quod reprehẽdat, sed quod miretur B inueniet. Si tamen magis prodesse diligat, quàm præesse. Multi enim præsunt, sed omnino pauci prosunt eis populis quibus præsunt. Quisquis priuatis honoribus inhiat, dispecta vtilitate subiectorum, magis præesse appetit quàm prodesse. Talis autem Dux inutilis est, iniustus, nec regere potest stantem Rempublicam, nec reparare collapsam. Sapien. 3.

Tertia innocentiæ regula.

TErtia ergo est regula innocentiæ actibus militaribus occupato, si ideo præsis vt prosis. Pro- C desse autem videberis, si tempus & locũ tuæ administrationis intelligas. Et tẽpus quidẽ considerabis, dum sapienti discretione perpendes, vtrum pacificum sit, an tumultibus bellicis inquietum. Sæpe enim quod in pacis ocio vindex disciplina persequitur, inter turbas & gladios cauta tolerat patientia. Locum verò rectè considerabis, vtrum sterilis an fertilis: vtrum nutriendo exercitui sufficiens, an minus idoneus: vtrum desolatus & incultus, an inconcussus, & diligenter appareat exaratus. Quoties enim reparatione indiget locus, vbi gubernare videris exercitum, contemnenda sunt omnia lucra priuata, etiam quæ sibi consuetudo iam libere D vendicat; & seueritatis paulo rigidior temperanda censura. Præter hæc quoque duobus modis prodesse videberis, si neminem lædas & illos qui nolent, aut volunt lædere prohibeas quantum potes, immo quãtum posse donauerit Christus. Tunc autem Dux optimus neminẽ lædet, si in omni prætorio illius non audeat aliquis amicus, cliens, medicus, armiger, aut propter officij publici deuotionem lateri Ducis semper adiunctus, concessa beneficia vendere. Quid enim miseros iuuat, si Dux exhibeat continentiã boni Ducis, & alius sibi de potestate illius occasionem faciat auaritiæ satiandæ? Tales habeat socios aut ministros, qualẽ se esse debere cognoscit. Quisquis enim Duci familiariter E inhæret, cui multa exequenda committit, manus est Ducis, merito quicquid illi accipiunt, ad illum sine dubio creditur pertransire. Nec potest esse Ducis optimi fama bona, quando fuerint ministeria mala. Deinde, quomodo corripiet extraneos, nisi prius correxerit suos? Quis dubitet in exercitu cõstitutus, facilius ad committenda prosilire facinora, si viderit assistentes Duci, perpetrare licentius deteriora? facilè autẽ custodiet omne vulgus, quãuis indomiti exercitus, quòd homines Duci valde familiares seruauerint. Caueat ergo diligenter, caueat ne quis hominum suorũ miseros noceat, &

dum

dum se bonũ putat, malus propter malos putetur, quibus aut fauere dicendũ est, aut consentire, quãdo ipso præsente talia gesserint, qualia etiamsi ipse non gerat, non habere credatur, sed fingere bonitatem. Non potest sapiens dux excusari de ignorantia, quoties forsitan dixerit: ego nescio, non audiui, nullius ad me querela peruenit. Per ipsum namque quid agatur à suis oportet inquiri, quia nemo eos audet publicis interpellationibus accusare, quorũ violentias alij timent, alij patiuntur. Dux ergo persecutor acerrimus effici nullatenus dubitet, cui ex hac diligentia publicè seueritatis nascetur authoritas, vt omnino prosit, quãdo neque à se, neque ab alio sinit quempiam lædi. Potest planè per hanc diligentiam sic acquirere bonam famam, vt etiamsi persona superior lædere voluerit subditos, libera intercessione subueniat, & parcendũ facilè persuadeat, quibus ipse primò pepercerit. Pulchrè autem nos via disputationis ad hunc locũ deduxit, vbi vt necessarium bonis ducibus diceremus, etiam suggerendo principibus prodesse subiectis. Nouimus enim plurimos, vt placeant potioribus, minus consulere inferioribus. Ex eorũ numero esse arbitror, qui prouincię vbi administrant, indigentiã siue tribulationes cælando salutem nunciant permanere. Quicquid aspiciunt lapsum gloriã suam facientes, si mentiantur stare, quod norũt periisse. Coguntur verò vt verbis improbis credulitatem comparent, multiplicare miserorũ prouincialium damna, per quæ videãtur quasi lucra, sed inimica prorsus Reipublicæ, piissimis principibus prouidere parationi, potius regionis impedientes. Et vbi apparere gestiunt vtiles, ibi sunt prorsus inutiles. Imponendo enim grauiora onera, succũbere faciunt populos fatigatos, nec relinquũt successoribus suis præter luctus & lachrymas. Nolo te istis similem reperiri, si prodesse diligis non præesse. Præsta aliquid dignũ memoria, quod recordetur posteritas, & tẽporum tuorũ nulla nascatur obliuio. Da operã diuites relinquere, quos inueneris pauperes. Abundantiam prouidere, vbi etiam tu penuriã vel pertulisti festines. Et siquidẽ sufficit virtus tua, prouinciã sine tarditate restaura. Si verò piissimi operis inest volũtas, deest facultas, defer hoc ad conscientiam potestatis superioris. Esto testis fidelis alienarũ miseriarum, supplica, obsecra, donec impetres adiutoriũ. Labora diu petendo, ne alij diurnas angustias perferant laborando. Tu enim iudicaberis præstitisse, quicquid vniuersis (te postulante) præstabitur. Noli apparere similis ad horam placere volentibus, qui videntes aut sentientes, aut interdũ etiam perferẽtes in prouinciis vbi militãt, mala, per relationes falsas nunciant bona lætissimo nuncio. Putãtes sibi præstari, vt vel vtiles administrationi quam gerunt, vel necessarij videantur. O ingemiscẽdum nefas, dum quærunt præesse, nõ cogitant prodesse, sed priuati honoris iniustam potentiam, per aliena seruare conantur incommoda! Quos tamen aliquando malignæ ambitionis astutia decipit, dum cœperit fama publica loqui, quod tacent, repertíq; fuerint in sua professione mendaces. Auertat Deus hãc dementiam semper, & hos mores à ducibus optimis, qui prodesse diligunt n õpræesse. Tunc enim Respubl. bene gubernatur, & de magnis potest liberari periculis, si dux eius tantũ eam diligat, quantũ seipsum. Manifesta quippe sentẽtia est veteris legis, Diligas proximum tuum sicut teipsum. Quam noui testamenti prædicator idoneus, ita repetẽdo confirmat, & innouat Paulus: Omnis inquiens lex in vno sermone cõpletur, in eo quòd diligis proximũ tuum sicut teipsum. Quis autẽ melior proximus æstimãdus est duci sapientissimo, quàm Respublica, cuius ei & negotia, & status saluscq; committitur? Diligat ergo eam sicut seipsum. Quia diligendo eã sicut seipsum, desiderabit eã videre pacificam, quietã, fructiferã, sine aliqua perturbatione tranquillã. Sicut ipse vtiq; quãtum potest nititur, vt pacificus, quietus, opulẽtus, & sine aliqua sit perturbatione tranquillus. Ingredere igitur tu virorũ optime, quoties cogitas, qualis esse in actibus militaribus debeas, ingredere conscientię tuæ latissima penetralia. Vide ibi quomodo cupias habere lætitiam, & diligenter caue, vt Respublica, quã diligis sicut teipsum, nullã possit pati tristitiã. Considera, quia nec dãnum tibi vis euenire, nec dolorẽ, nec dedecus. Et ab istis malis eripere festina Rempublicam. Si displicet tibi quando ipse priuatim violentiam pateris, odire debes quorum violentiis Respublica tribulatur. Si rapinas bonorum tuorum tolerare formidas, consuetudinem rapiendi tolle raptoribus. Si detestaris, & inimicũ veraciter putas, quicunq; te falsis accusationibus appetiuerit, execrabiles iudica prouinciæ totius accusatores. An forsan difficile arbitraris, vt patiatur accusatores tota prouincia? mihi crede sæpius patitur. Accusatores eius sunt ambitores, quibus vt potestas detur opprimere pauperes, impossibilia pollicẽtur, & desolatis, belli quoq; incursu, iã perditis regionibus, statũ pristinę stabilitatis ascribunt. Adhuc vigere cuncta mentiẽtes, adhuc posse non functiones solitas, sed noua quoq;, si adiiciantur, tributorũ pondera, sustinere. Culpant autẽ susurris absconditis ministros fiscalis exactionis, desideq; eos, aut nimiũ remissos voluntariè, nulla prouidere lucra Reipublicæ mentiuntur. Sibi verò dũ commissa fuerit actio, per nimiam fidelemq; diligentiam cuncta effici prospera. Sed ô pertinax cupiditas, diligentia eorũ crudelitas, ratio deprædatio melius appellatur! Ideo cupiunt emere grauissimas actiones, quia cogitãt vendere. Promittunt falsa, vt vera subripiãt, blandiũtur vt noceant. Piã quasi sollicitudinẽ pro vtilitatibus publicis gerunt sed affligere simul omnia, & deteriorare moliuntur. Euertere cupiũt, non gubernare; dissipare, nõ custodire; deuorare, nõ pascere. Materiã seditionibus, incrementa miseriis, causam fletibus subministrãt. Hoc agẽtes, vt cum prouincia propè mortua ne tardius moriatur, sæpi aures tuas spinis, ne audias vocẽ malignè loquentiũ. Quando eos conspicis agrorũ laudare fertilitatẽ, nunciare abundãtiam pluuiarũ, loca frequẽter amœna depingere, time fabulã blandam, sermo huiusmodi viscus est; hærere ibi nullatenus debet boni ducis voluntas. Nec requirẽdum censeas, vtrum aliquid veraciter narrẽt. Artifici enim consuetudine vitiorum non minus cauti ad nocendũ, licet sciant omnia deperiisse, quærunt tamen aliquanta loca satis rara quę misericordia Domini protegente, meruerunt vel illæsa seruari, vel forsitan parum lædi. Quorum nomina cõmendata

Leuit. 19. Matt. 22. Mar. 12. Lucæ 10. Galat. 5. Rom. 13.

memoriæ frequentius recitantes, comparatione eorum magnitudinem generalis calamitatis extenuant, & dicũt, ſicut probare ſine dubio potuiſtis, his functionibus prouincia ſufficit. Ille enim locus
Pſal.143. tantũ habet vtilitatis. O miſeri quorũ os locutum eſt vanitatẽ, & dextera eorũ dextera iniquitatis. Si bono ſuo apertos habent oculos, vnde populus gemit, aſpiciãt ſi ſtatera iuſta ſit in labiis eorum. Prius numerent quanta perierint, poſtmodum quanta remanſerint. An ibi nihil vident, vbi pietas indigetur, & hoc luminibus ſollicitis notãt, vnde inuidia generetur. Longe fac viam tuam ab illis domum tuam ſemper inueniant clauſam. Diſpliceant tibi noxia ſuggerentes, & ſe diſplicuiſſe cognoſcãt. Ipſis quippe adhęret familiariter etiam turba peſſima delatorum, qui latenti murmure ducibus optimis facultates inſinuant alienas, vt laqueis auaritiæ captiuati, piæ adminiſtrationis perdant opinionem, ſi acquieſcant improbis perſuaſionibus, & cogitent quæ ſibi nunciantur auferre. Quid aliud niſi calumnias innocentibus hominibus excitaturi? Deteſtabile profecto genus humanum, nimiſque abominabile, delatores. In cuius prætorio minime emerſerint, ipſe diligit Rempublicam ſicut ſeipſum. Nolens aliis facere, quod ipſe pati noluerit.

Quarta innocentiæ regula.

HÆc enim quarta eſt innocentiæ regula militaribus actibus occupato, quam tenes & tenere firmiter debes. Vt diligas Rempublicam ſicut teipſum, charitate libera. Cuius abundanti repletus dulcedine Moſes, dum videret populum Iſraël in Rempublicam ſcilicet ſuam peccaſſe omnipotenti Deo, timerétque iuſtiſſimi iudicis ſeueritatem futuram, ſic placare arripuit iraſcentem. Obſecro inquit domine, ſi dimittis eis peccatum, dimitte. Sin autem, dele me de libro tuo, quem ſcripſerunt ma-
Exod. 32. nus tuæ. Conſideremus quid proderat Moſi alios ſaluos facere ſi periret? Sed quia Rempublicam diligeret ſemper ſicut ſeipſum charitatis huius ſacrificio Deum placauit, & nec ipſe periit, nec populũ quem gerebat, perire permiſit. Hunc Dauid ſanctus æquali virtute dilectionis imitatus, percutiẽte
1. Para. 21. angelo ciuitatem. Conuertatur inquit manus tua in me, & domum patris mei. Iſti qui oues ſunt, quid fecerunt? Da hominem qui Rempublicam ſic diligat, & videbis quantum Deo placeat, etiam militaribus actibus occupatus. Profecto dignus es, vt talium ſimilis viuas, paratus laborare pro requie ſubiectorum, paratus etiam mortem ſubire, ſi permiſerit Deus, vt de mortis periculo tibi ſubditos liberes. Plus time Dux optime, prouinciam fieri deteriorem, quàm teipſum, minuentibus opibus pauperiorem, diuitias inæſtimabiles iudica famam bonam. Veruntamen quia omnis homo qui diligit ſeipſum, plus debet diligere Deum quàm ſeipſum, alioqui minus diligens Deum, non diligit, ſed odit ſeipſum. Quicunque diligit Rempublicam ſicut ſeipſum, plus diligat Deum quàm Rempublicam, diuináque negotia præponat humanis. Et hæc erit quarta regula innocentiæ militaribus actibus occupato, ſic conſiderare temporalia, vt plus attendat æterna, ſic conſulere preſentibus actibus, vt plus de futuris cogitet præmiis. Euenit enim frequenter, quod ignorare non potes, ſapientiæ ſpiritu cuncta reuelãte ſenſibus tuis, vt aliquid fieri neceſſitas cogat, quod æterna lex prohibet. Verbi gratia, ne incognita proferamus exempla: ſi plures in exercitu fortiſſimo reperiantur hæretici, infidelitatis ſententiam falſam, pertinaci animoſitate vẽdicantes, & propter hoc hæreticis parcere vel cõſulere Dux Catholicus ſuadeatur, aut nefandi erroris prędicatoribus exercendarum licentiam tribuere blaſphemiarum patienter ferens, propter ſcandalum quod pati formidat, etiam reo lauachro ſecundi baptiſmatis pollui iam ſemel renatos, nempe tam malæ ſuaſioni conſentiens. Licet aliquam videatur vtilitatem bonorum temporalium præſtitiſſe ſubiectis, ſibi interim nocuit, dum de adiutorio Dei minus ſperaſſe iudicatus, interdum deteriora quã formidat pericula tolerat, & nec in ſua fide conſtans, exercet competenter zelum religionis, nec euadit ruinam grauiſſimæ tribulationis, quia præpoſuit terrena cæleſtibus, & voluntatem creatoris offendere nullatenus dubitauit, placere volens hominibus mente corruptis. Beatus ergo eris ſi militaribus actibus occupatus pro fide vera quam tenes, nemini blandieris, & aduerſus eam canes procedentes ex officina mendacij latrare prohibeas. Spem tuam ponens in illo, cuius poteſtati nemo reſiſtit impunè. Quem ſi offenderis, ſine cauſa de multitudine præſumis exercitus. Si habueris propitium, neque militem ſuperbum neque violentum timebis hoſtem. Principaliter ergo tibi cura ſit occupato militaribus actibus vt fides Catholica ſemper vincat aduerſarios ſuos. Hanc defende inter arma & gladios. Hanc perſuade mentibus armatorum. Fides autẽ Catholica eſt patris, & filij & ſpiritus ſancti, vnam contra Arrium ſubſtãtiam vel eſſentiam. Tres aduerſus Sabellium prædicare perſonas, vt cum bene intellecta fuerit in eſſentia vnitas, in perſonis proprietas, vera quoque in maieſtate adoretur æqualitas, tres enim ſunt. Quia alius eſt pater, alius filius, alius ſpiritus ſanctus. Sed hi tres vnum ſunt & ſummè vnum ſunt. Quia ſingulatim Deus eſt pater, Deus filius, Deus ſpiritus ſanctus. Neque tamen tres dij, ſed vnus eſt Deus, de quo ſcriptura ſancta dicit: Audi Iſraël, Dominus Deus tuus vnus eſt Deus. Suſpitionem nanque ſolitarij Deut. 6.
Dei remouet trinitas, & vnum Deum credentibus oſtendit vna ſubſtantia. Nõ ſic vna vt per ſingulos ſemiplena, in omnibus fiat tota, & ideo ſit vna, ſed vna numero, genere, virtute, plenitudine. Quam ſicut habet in omnibus, ita non caret in ſingulis. Tanta in ſolo patre, quanta in filio & ſpiritu ſancto. Tanta in ſolo filio, quanta in patre & ſpiritu ſancto. Tanta in ſpiritu ſancto, quanta in patre & filio. Tanta poſtremo in ſingulis eorum, quanta in duobus. Tanta in duobus, quanta in tribus. Tanta in tribus, quanta in ſingulis. Nihil quippe eſt ibi gradibus ordinatum, nihil qualitate diuerſum, nihil quantitate minimum, nihil loco ſeparatum, nihil tempore poſterius, nihil efficacius, nihil paſſibile. Vbi hoc tantum modo recipit diſtinctionem, quòd adinuicem ſibi ſunt. Pater ſcilicet ad filium, filius ad patrem, ſpiritus ſanctus ad eos. De quibus & cum quibus ſpiritus ſanctus eſt, vt ipſe ſolus in trinitate

trinitate appelletur ſpiritus ſanctus, propriúmque A ſit patris generare, proprium filij naſci, proprium ſpiritus ſancti de vtroque procedere. Pater quippe vnius filij eſt pater, filius vnius patris eſt filius. Ad ſolum patrem generatio, ad ſolum filium natiuitas, ad ſolum ſpiritum ſanctum pertinet de vtroq; proceſſio. Merito dum ſalutis noſtræ neceſſitas expectaret, vt propter homines liberandos, Deus homo naſceretur ex homine, non eſt natus ſecũdum carnem pater, quia filius nunquam fuit, aliquãdo nec filius. Sed natus eſt filius, vt ipſe fieret filius virginis matris, qui eſt filius Dei patris. Et per temporalem natiuitatem Dei omnipotẽtis numerus nullo modo creſceret filiorum. Neque duos filios faceret vnici filij ſecunda natiuitas. Maxime, quia idem ipſe vnus filius, ſempiterno patri coæternus, conſubſtãtialis, æqualis, quem ſolum oportebat etiam filium Galat. 4. hominis fieri. Poſtquam venit plenitudo temporis, vt vir fieret ex muliere, redempturus viros ac mulieres, in vno ſexu temporaliter natus, vt vtrumque ſaluaret, vnum eligendo in quo naſceretur, alium vnde naſceretur. Ita ſuſcepit ſubſtantiæ noſtræ veritatem, ne perſonæ ſuæ duplicaret ſingularitatem, duarum ſubſtantiarum gigas, ſed vnius tamen eiuſdémque perſonæ. Verbum quippe ante carnem vna natura, & vna perſona, verbum caro factũ, duę C naturæ, & vna perſona. Verbum ante carnem ὁμόσπορον, & patri & matri. Verbum ante carnem ſine initio temporis ineffabiliter genitus, verbum caro factum eſt, poſtquam venit plenitudo tẽporis, mirabiliter & ſingulariter, ſine morbo libidinis procreatus. Verbum ante carnem, nouum fabricans mundum, verbum caro factum, pereuntem redimens mundum, verbũ ante carnem diuina faciens, verbum caro factum, ſimul & diuina faciens & humana, quoniam voluit patiens. Verbum ante carnem vnigenitus Deus, verbum caro factum Emanuel, quod interpretatur nobiſcum Deus. Idem tamen ipſe verbum caro factum, qui prius in princi- D pio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, quia nõ homo Deus, ſed Deus factus eſt homo, vt homo eſſet Deus, id eſt, Ieſus Phili. 2. Chriſtus. Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinã arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinẽ homo factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus illum exaltauit, & donauit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus Ieſus E Chriſtus in gloria eſt Dei patris. Hic eſt Dominus Ieſus, qui in trinitate perfecta filius nominatur. Quando in nomine patris & filij & ſpiritusſancti baptizari iubemur. Hic eſt magnus & paruus, excelſus & humilis, impaſſibilis & paſſibilis, immortalis & mortalis, ſine peccato inter homines viuens & peccata hominibus donans, per omnia ſimilis nobis abſque peccato. Et per omnia ſimilis patri, qui nobis eum miſit, in ſimilitudinem carnis peccati. Et de peccato damnauit peccatum in carne. Veraciter & proprie filius virginis matris. Super cœlos vita viuentium, ſuper terram medicina languẽ-

tium, apud inferos reſurrectio mortuorum, me- Tim. 2.
diator Dei & hominum, propter duas ſubſtantias, ſiue naturas. Quarum eſt illi vna cum Deo, altera nobiſcum communis, in vna eadémque perſona, in qua verus factus eſt mediator, non habens initium Deitatis de Maria, ſed habens inde materiam carnis, quam ſuſcepit vt naſceretur, habens noſtri generis carnem, non aëriam, non fantaſticam, non de cœlo depoſitam, non aliunde factam, quamuis humanam, nullis ſordibus originalis iniquitatis, & aliqua ex parte pollutam, non ex voluptate carnis, & ſanguinis, ſed ſpiritus ſancti ſuperueniente virtute formatam, rationalisque animæ inſpiratione viui- B ficatam. Propriè & veraciter humanam, idem de matre, ſed tamen ſine homine patre. Corruptibilem, quia famem, ſitim, dolorem, mortem, voluntarie quidem, ſed tamen veraciter ſenſit. Incorruptibilem, quia nullius in ſe delicti, vel originalis, vel proprij ſtimulum ſentiens, iniquitati nulla victus cupiditate cõſenſit, nec ſepultus potuit peruenire ad corruptionem putredinis, beneficio reſurrectionis. Quando portans manubias inferorum, ſurrexit idem ipſe ſemper vnus Chriſtus, per quadraginta dies cum diſcipulis conuerſaturus, & ſic ad cælum mirabiliter aſcẽſurus. Vbi modo ad dex- C teram patris ſedet, venturus in claritate, qui prius venerat in humilitate. Iudicaturus viuos & mortuos, & damnaturus incredulos. Credentibus vero remiſſionem peccatorum largiturus, æternámque vitam, ſi tamen in Eccleſia Catholica perſeuerauerint ab omnium vitiorum contagione mundati. Catholica quippe eccleſia ſtatio eſt, vbi vulnera noſtra bonus medicus ſanat, filius eſt promiſſionis, quiſquis eam vſque ad effuſionem ſanguinis vindicat. Propterea dux optime, & fidelis, tene omnia dogmata eius, prædica, vindica, duc ad eam volentes, compelle nolentes, non dolore ſuppliciorum, non metu gladij ſæuientis, ſed modeſta correptione, & ſeueritate plena dilectionis. Procul abſit timor Diabolo militans. Sciãt hæretici quia Catholicus es: ſciant Catholici, quia deteſtaris hæreticos.

Quinta innocentiæ regula.

POrrò quinta eſt regula innocentiæ militaribus actibus occupato. Deficiat temporibus adminiſtrationis tuæ peccantium ſynagoga, creſcat numerus electorum. Si glorioſus efficitur, cuius labore dilatantur fines imperij, quanto erit glorioſior, cuius labore Catholica multiplicatur Eccleſia. Gaude ad lucra Chriſti, dole in diſpẽdiis. Sempérque in corde tuo maneat Apoſtoli Petri ſententia, Iudæorum principes ſub hac interrogatione culpantis. Cui inquit obedire oportet, Deo an hominibus? Hoc itaque tu dux fidelis quoties fidei tuæ feruor prophanos milites ſcandalizat, ore & corde dic: Cui obedire oportet, Deo an hominibus? Reſpondente autem conſcientia tua, Deo. Loquere, fac, ordina quod diligit Deus. Vt quicunque iam contrarij veritatis exiſtunt, aut ſequantur volẽtes, aut remaneant murmurantes, & nihil aduerſùs orthodoxam religionem valẽtes. Neque enim deeſſe poterũt ex altera parte, quibus placeas in opere bono, quorum corda tibi tenacius inhæreant, vbique

habet fides vera dilectores suos. Quantumlibet ex- A tollatur iniquitas, veritas vincit. Sed penè sint forsitan in multitudine exercitus, plures hæretici, pauci Catholici. Magis te oportet viris fortissimis uiti, vt si gratia Dei respexerit omnes milites, fortissimos facias Catholicos, aut certe paucos dimittas hæreticos. Parum adhuc loquor. Ad illas forrasse missus es regiones, vbi nullum reperias orthodoxũ vel certe rarissimos latentes. Ibique viriliter semina verbum vitæ ad gloriam Christi. Redargue multitudinem perfidorum sine verecundia, sine formidine, sine dubitatione. Nec prius cogites, quomodo eas regas imperialibus legibus, sed quomodo corrigas eloquiis spiritalibus, territósque nomine authoritatis, primitus doctrinæ sanctæ repugnare B prohibeas, deinde paulatim consentire suadeas. Vtile tibi est, recta sentire, si alios quoque non deseras in prauitate. Boni ducis instantia, plerumque multis præbuit occasionem salutis. Sed si forsan desperas illos posse saluari, bonum est saluti conuenientia prædicare, quia voluntatem Deus coronat, non facultatem. Seminare pertinet ad officium diligentis agricolæ, superni est muneris vt terra fructificet, votísque cultoris sui respondeat. Hac planè discretione circa subditos vsus in doctrina, facile etiam potestatibus sublimibus, & ipsis, quorum munere dux es effectus, regibus, si qua forte con- C trariaveræ fidei senserint, & non cedere poteris & repugnare, paratus ad martyrium disces. Alioqui qui metuens inferiores offendere, minus exequitur caussam propriæ religionis, quomodo merebitur cũ propheta Dauid canere. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar. Psal. 118. O si boni duces inciperent humanis diuina præponere, maximis erroribus remedia prouiderent! Late patet virtus ista, per plura & plura iustitiæ itinera, funditus humanis diuina præpone, & vidua oppressionem non perferat, propter spem lucri prætereuntis. Pupilli substantis tutoris minime indigeant beneficio, pessimam victoriam iniustus litigator amittat. Sacerdotum postulationibus liben- D ter patescat auditus, frequentetur oratio, lectionis studium, quamuis vndique occupationibus irruẽtibus, igne desiderij spiritalis (remota tepiditate) feruescat. Quare enim dux optimus opprimit viduam? Quare pupillũ lædi finit? Quare pro iniusto litigatore iudicat? Quare difficile aut raro ad Ecclesiam pergit? Quare non legit? Nisi quia diuinis humana pręponit. Præpone ergo diuina semper humanis, & omnia tibi religiosæ voluntatis, & opera & verba, quamuis inter militares actus, salua erunt. Eleemosynarũ vero sacrificium quis ita possit offerre, sicut dux optimus, cui magnitudo pote- E statis, abundantes præbet occasiones misericordiæ tribuendæ, si tamen diuina præponat humanis? An inaniter Daniel propheta Nabuchodonosor dicit: Daniel. 4. Consilium meum placeat tibi rex, & Peccata tua eleemosynis redime, & iniustitias tuas miserationibus pauperum, & erit Deus parcens peccatis tuis: nisi quoniam potentior est facilitas eleemosynarũ, quibus etiam secundum genus eleemosynæ, amplius operari possibile est, ignoscere scilicet delinquentibus. Ipsi enim magis laudabiliter veniã donant, quorum iracundia nuncius mortis est. Ipsi gloriosius diligunt inimicos, quibus exigere vindictam sanguinis licet. Vtraque opera misericordiæ in potestate habes, si diuina humanis præponas. Et in hoc maxime agnosceris humanis diuina præponere, quando nulli fallaciter iuras, nec subdolo sacramẽto decipis aliquem. Licet hostis sit antiquus. Licet immania Reipublicæ infixerit visceribus, nõ videtur falsa iuratione fallendus, etiam si vita eius impediat, mors proficiat paci. Nec sic quidem dux optime compellaris falsum iurare. Sic vni hominũ, sic populo, sic plurimis gentibus, cum quibus bella gerenda susceperis. Aut sine iuramento perseuerãs, assume certamen, aut nullatenus violati sacramenti facinore perpetrato, Rempublicam liberare vel adiuuare. Quid enim prodest ei vincere, quẽ Diabolus vicit, vt victoriæ spe falsum iuraret? Bonum est vt semper humanis diuina præponas, & voce sancti Iob libere libenter loquaris. Sicuti pendentes super me fluctus maris, ita timui Deum. Propter hoc Psalmista dum caneret. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Respondet sibi ex persona Dei talibus verbis. Qui loquitur veritatem in corde suo, qui nõ egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximum, qui iurat proximo suo, & non decipit. Iob. 31. Psalm. 14. Ille ergo habitabit in tabernaculo Domini, & requiescet in monte sancto eius, qui iurat proximo suo & non decipit. Ille autem iurat proximo suo & non decipit, qui quodcunque iurat sermonibus, implet operibus. Nemo autem putet hostem cui iurat, non debere proximum deputari, propter hoc enim iuratur, vt proximus reputetur. Ex quo igitur vult amicus effici, legémque pacis amplectitur, iam proximus est. Etiam qui ei fideliter iurat, proximo suo iurat, & non decipit. Pessimum nefas falsa iuratio, & si paulo altius consideres, inutilis semper, maxime exercitum gubernãtibus. Mutabilia enim iuuenum corda, sacramenti vinculo frequenter ligantur, vt fide stabili bella suscipiant. Et tunc firma fit securitas ducibus, si religionis timor iurare falsum nõ sinat milites. Quàm graue itaque & quàm pernicioſum, vt videant, vel sentiant solui facile sacramentum, ducisque sui inuitentur exemplo, leue æstimare periurium. Quicquid proinde iuramento intercedente confirmas, ratum semper obserua, siue inimico gratiam, siue veniam reo, siue laborãtibus tecum prẽmia pollicearis, & hoc adhibita inuocatione nominis Dei, credibile facias operando, nullius vtilitatis cõsideratione, nullius periculi formidine debes irritum facere, fixus sit & immutabilis sermo, cuius fidei testis est adhibitus Deus. Vna planè causa soluendæ iurationis existit, si aliquid iratus iuraueris, vnde possis Deum per quem iuras offendere. Verbi gratia, si tibi pro delinquentibus nunquam posse satisfieri terribiliter iures, si interitum ciuitati, vel populo iurans mineris, si penitus in Ecclesia non orandum, vel alia quæ diuinus timor prohibet, humanæ tentationis, ad præsens victus infirmitate, iuraueris exequenda. Tunc plane non est perficienda iuratio. Quia nõ ibi diuinis humana præponis, sed diuina potius cõtemplaris, vt magis sic te iurasse pœniteat, dum complere quod iuraueris pudet. Etiam sic quippe diuina præponuntur

tur humanis illorúmque verborum teneri incipiet regula. Quæ vetans homines cito iurare, imò nunquam volens iurare. Nolite, ait in Euangelio, iurare, neque per cœlum, neque per terram, sit autẽ sermo vester, est est, non non. Quæ vtique quisquis operatur, imitator existit ipsius filij Dei, de quo beatus ita loquitur Paulus. Non est in illo, est, non, sed est, in illo fuit semper. Immutabilis quippe est, sicut verus Deus, & cum patre & spiritu sancto, naturaliter vnus Deus. Cuius nomine inquirẽs fidelissimus Moses, voce sibi cælitus reddita, tremebundus audiuit. Ego sum qui sum. Et dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos. Profecto magna est gloria in eo manere qui est, eum sequi qui est, vt quia nos mutabiles facit infirma natura, nec possumus immutabili Deo per æqualem potentiam comparari, sit semper in nobis est, sit saltẽ sermo noster, est est, non non, siue iuramento intercedente, siue cessante, nitamur in veritate certissimi permanere. Diuina nanque est veritas, vnde multum veraciter Dei filius dixit: Ego sum veritas. Et sicut de charitate recordamur Ioannem dixisse: Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, manet. Ita similiter si velimus dicere non mentimur, qui manet in veritate, in Deo manet, & Deus in illo manet. Præponamus igitur veritatem cunctis vtilitatibus temporalibus, & tunc rite inueniemur humanis diuina præponere. Veritatem plane nobis, aut ratio manifesta demonstret, aut scriptura diuinitus inspirata commendet, aut sacerdotum doctrina fidelis ostendat. Sub specie enim veritatis, plerumq; falsitas vindicatur, & nisi adsit bonis ducibus pia cordis humilitas, vt quoties requirunt veritatẽ, sæcularis dignitatis remoueant potestatem, miserabiliter anteponantur humana diuinis, vt temere audeat. Quamuis dux, tamẽ Ecclesiæ discipulus, Ecclesiam docere, nec iudicia sequi sacerdotum, sed velle potius de sacerdotalib⁹ iudicare iudiciis. Occasione quadam venimus ad hunc locum, quãtum arbitror necessarium, volentes semper humanis diuina præponere, vt dux bonus, in omnibus quidẽ, si pie sapis, Ecclesiam consulas, sacerdotibus obedire festines, sine illorum consilio nihil geras, quorum precibus adiuuaris. Præcipuè tamen inter officia religionis, solam discas obedientiam deferre. Et si quando aliquis scrupulus mentem mouet, nõ sequaris facile sententiam propriam, nec aliis persuadere coneris, nisi prius eadem sacerdotibus agnoueris placuisse. Memento quid tibi in Deuteronomio Deus loquatur. Interroga patrem & annunciabit tibi, presbyteros tuos, & dicent tibi omnia. Consule ergo quos Deus scientiæ Dominus consuli debere commonuit. Etiamsi tibi scientiæ plenitudo, si facultas maioris eloqui supperat, inclinata ceruice, ad humilitatis sanctæ propositum, consule sacerdotes. Consule autem pie quærendo, non violenter quid respondeant imperando. Nec tibi vnquam placeat in prouinciis, vbi ducatum geris, canonum decreta rescindere. Si enim publicas leges transgredi metuis, quas homo constituit, quomodo spiritus sancti definitionibus obuiare tentabis? An ignoras quia spiritu sancto acti locuti sunt patres, quorũ iussa si rescindimus, loquenti per eos, contumeliam ingerimus. Poteritque forsan Apostolica nobis increpatio competẽter aptari. Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Volens ergo habere zelum Dei secundum scientiam, tene ordinem rectũ, vt sacerdotes doceant, laici doceantur. Et omnis qui se ad Ecclesiam pertinere gloriatur, legibus viuat Ecclesiæ. Maxime his quas antiquitas roborauit, vnde etiam consuetudo sine lege, quam tamen Ecclesiæ sanctæ traditio custodiendã iugiter posteris tradidit, eadem reuerentia videtur custodienda, & nullatenus amouenda, si non est fidei veræ contraria. Nec offendat animos tuos Ecclesiarum consuetudo diuersa, dum fides est vna. Paruulis enim mẽtibus, ac penè stultis, hoc irrepsit vitium. Consuetudinem suæ Ecclesiæ, vbi vel natus, vel enutritus, in aliis Ecclesiis quærere, etsi aliquam dissonantiam consuetudinis viderit, patitur repente scandalum fidei. Tu vero vir sapiẽs, Ecclesiæ ad quam perueneris, si approbas fidem, sequere statim consuetudinem, nec vsurpes aliquam sacri ritus facere nouitatem. Si enim te scandalizat mutata consuetudo, potest similiter populum scandalizare, cuius voluntatem sibi dux optimus in rebus bonis semper conciliari festinat. Apostolica verba frequentius recolens, vbi scriptum habes, sine offẽsione estote Iudæis & Græcis, & Ecclesiæ Dei. Melius igitur videtur, ne quod offendiculum detur Euangelio Christi, multitudine scandalizata populi Christiani. Patienter dux sapiens offensionem tuã toleres, donec alterius consuetudinis in quo offenderis, aut rationem quoquo modo capias, aut suscipias dilectionem, si tamen, vt sæpe dicendum est, nullum timetur periculum fidei. Quod enim fidei non repugnat, hoc solum debet æquanimiter sustineri, pro scandalo scilicet populi. Quia & hoc vtiq; ad custodiam pertinet fidei, vitare scandalum populi. Populus quippe scandalizatus, facile ad schismata prosilit. Et scis quomodo omnis fides periclitetur in schismate. Bonum itaque est, vt te fauente, te consentiente, & nullatenus prohibente, secundum piissimas patrum definitiones, vnaquæq; Ecclesię consuetudinem suam sequantur, & tu illius consuetudinis particeps efficiaris, quam tenet Ecclesia, vbi pro tempore, vel administrationis necessitate fueris conuersatus. Alioquin diligere solita, & horrere vehementer insolita, nimia est iustitia, non laude, sed reprehensione dignissima, si placet sapientissimi sententia Solomonis. Noli esse multum iustus, neque sapias plusquam necesse est. Ne obstupescas, ne remaneas frigidus. Quis remanet frigidus? Cui feruor subtrahitur charitatis. Noli ergo esse multum iustus.

Matth. 5.
1. Cor. 1.
Exod. 3.
Ioan. 14.
1. Ioan. 4.
Deut. 32.
Rom. 10.
1. Cor. 10.

Sexta innocentiæ regula.

ET hæc tibi sexta sit innocentiæ regula, militaribus actibus occupato, quicquid dixeris, gesseris, disposueris, vt Deo & hominibus placeas, & feruore charitatis, mirabiliter iniquitatis frigus excludas. Noli esse multum iustus, neque sapiens plusquam necesse est. Incurrit quispiam grauissimi facinoris culpam, meretur iudicialem sentire censuram. Tempera dux optime impetum seueritatis, & dum reo supplicia inferuntur, interioribus auribus pietas dicat: Noli esse multum iustus, amicitiæ alius immemor, debita exhibere neglexit officia, dignus est abiici, meretur sentire asperam læ-

sionem. Cohibe obsecro rectum dolorem, noli retribuere similia. Ne æstimes quasi inimicum, sed corripe adhuc velut amicum, respondente tibi sapientissimo Salomone: noli esse multũ iustus. Esto ergo iustus, sed noli esse multum iustus. Esto iustus vt corripias inquietos, noli esse multum iustus, vt consoleris pusillanimes, vt suscipias infirmos, & patiens sis ad omnes. Considera ergo quibus imperes, & quàm dura corda flectere cupias, vt modo minãdo, modo feriendo, modo veniam largiendo. Nullatenus quidem remanere impunita militum peccata dimittas, neque tamen semper excessibus eorũ supplicia condigna retribuas, dicens tibi ipsi: noli esse multum iustus. O quãta dux sapientissime dissimulanda sunt, quanta toleranda, quanta leuiter attingenda, quanta sacerdotum quoque intercessionibus concedenda, ab illo qui sapienter audit: Noli esse multum iustus. Potes alia atque alia tacitus considerare vitiorum genera, quibus sanandis, voluit remediũ præuidere qui dixit: Noli esse multum iustus. Inter alia quippe detractiones abscondito iaculo neminem vulnerabimus, nec in morib⁹ bene viuentium sollicitius inquiremus, vnde culpentur. Si loquatur vnicuique nostrũm per spiritũ sanctum fidelis scriptura, noli esse multum iustus. Quia vtique multum iustus esse culpabiliter nititur, qui per omnem iustitiam proximi examinat vitam, fragilitatis humanæ consideratione postposita, tanquam sine peccato valeat viuere, quisquis incipit peccata vitare, præsertim Iacobo Apostolo confirmante. In multis enim offendimus omnes, vnde non immerito reuocatur superbus detractor, ab elatione iudicãdi, cum dicitur ei: Noli esse multum iustus, vt libenter impleat, quod vas electionis Galat. 6. & doctor gentium loquitur Paulus: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerãs teipsum, ne & tu tenteris, hoc est, itaque noli esse multum iustus. Considera teipsum, ne & tu tẽteris. Cæterũ qui sic delinquentibus irascitur, quia si ipse delictorum penitus expers habeatur, continuo in barathrũ crudelitatis miserabiliter cadit. Et clamante memorato Apostolo: alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Nullius onus portans per patientiam, fit importabilis omnibus, paulatimque odio crescente multorum, animam primitus seditionibus deinde publicis aperit præliis, cupiendo esse multum iustus, vere factus iniustus, & nomine aut officio ducis indignus. Necessarium proinde sermonem dux optime sæpius repeto.

Septima innocentiæ regula.

ET hanc tibi septimam regulam innocentiæ militaribus actibus occupato vehemẽter inculco, noli esse multum iustus. Pietas ad omnia vtilis 1. Tim 4. est. Non ego, sed idem sanctissimus Paulus narrat, licet iustitia facit ducem terribilem, pietas facit amabilem. Gubernationi autem Reipublicæ, securitati, saluti, concordię plus prospicitur, quãdo dux optimus amari eligit, nõ timeri. Dux amabilis murus est patriæ. Qui vero continuato in omni tẽpore, continuato vigore metuendus apparet, omnes subditos facit infideles, facile timet proditionem, A facilius patitur, extraneus viuit inter suos. Tantum postremo timet, quantum timetur. Et hoc in fœlicitatis flagello nullatenus caret, nisi cunctis mansuetus & comis effectus, didicerit sibi quando alterum iudicat dicere: Noli esse multũ iustus, memento te esse Christianum. Quo facilius possit præcepta seruare. Christus enim mansuetudinem docẽs, legis quoque iustitiam temperauit. Hac distinctione legem, Euangeliúmque discernens. Et quia in lege non licebat occidere, non licebit in Euangelio vel irasci. In lege namque adulterium vetabatur. In Euangelio etiam videre ad concupiscendum pars esse perpetrati adulterij iudicatur. In lege libellus B repudij sufficiebat ad coniuges separandos: in Euãgelio, sine fornicationis crimine nulla matrimonij diuidendi causa permittitur. Prohibuit lex falsum iurare, iussit Euangelium penitus non iurare. Vindictæ modum lex statuens, dixit antiquis: oculum Leuiti. 19. Matth.5. pro oculo, dentem pro dente. Discipulos vero Euãgelij, nullam voluit Christus expectare vindictam, Exod.21. sed percussum semel, percutienti monuit alteram Deu.19. præbere maxillam. Mille passus angariatum, duo Matth.5. millia ambulare pręcepit, interdicẽs omnibus mo- Leuiti.19. dis talionem. Lex inimicis odium retribuit, dilectionem vero amicis indulsit: Euangelij vero sacra C præceptio, diligite, inquit, inimicos vestros, bene facite his, qui vos oderũt, & orate pro persequẽtib. & calumniantibus vobis. Cúmque his amplioribus virtutibus excellere legi Euangelium demonstrasset, à vana gloria Christianum reuocauit, & ad misericordiam, cui solus Deus testis est, prouocauit. Orationis quoque regulam simul & verba credentibus tradens, hac conditione constrixit orantes, vt quicũque postulat sibi propria debita relaxari, profiteatur se aliena donare, nihil accepturus à domino, si nihil voluerit præstare conseruo. Quia & in ieiunio Christiani simplicitas iustum iudicem placat. Et ibi congregare diuitias, vbi cor habere iubeD tur, in cœlo scilicet, vbi habitare festinat, nõ in terra. Vnde per singulos dies migrat, remansurus in tenebris totus, nisi mentis eius intentio, tanquam oculus corporis, ad illuminãda bonorum operum membra simpliciter luceat. Iam vero quòd duobus dominis seruire admonetur, quòd de crastino non cogitare, quòd non iudicare, ne iudicetur, quòd in oculo fratris stipulam videre, in suo trabem non vi- Matth.7. dere culpatur, & imperatur ei, ne sanctum canibus det, ne margaritas mittere audeat ante porcos, petiturus vt accipiat, quæsiturus vt inueniat, pulsaturus vt aperiatur ei. Multis modis, & rationibus demonstratur, quantum debeat laudabilis propositi E curam gerere Christianus, ne in eo tanti vocabuli dignitas videatur errare. Propterea vt per singula quę superius ex Euangelio inseruimus, recurrat intentio. Quando te potestas ducis eiicere gladium de vagina compellit, memẽto te esse Christianum, cui sine causa fratri suo irasci non licet. Et diutius cogita, ne vindicta quam videris inferre, iustum transeat modum. Quoniam si irasci nefas est Christiano, multo magis occidere. Sic ergo puni reum dux Christiane, vt misericorditer feriens, non hominem, sed vitium perdere cupias, & publicam disciplinam, ne pereat reo pereunte, conseruare festines. Vbique fidei tuæ memor, sicut in facinoribus cuitandis,

euitandis, ita in flagitiis corrigendis. Solet quippe maxime poteſtas, habenas laxare peccatis, quoties falſa felicitas, ipſa fit maior infœlicitas, vt quia prohibere nemo audet ſcelera committentem, aut libeat, quod licet, aut licere putetur omne quodlibet. Talibus itaque tentationibus pulſantibus mẽtem, quamuis ſuppetat honoris dignitas, clientúmque numeroſa familia, quamuis forte laudetur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qui iniqua gerit, benedicatur, aſcendens ſuper ſpeculam continentiæ, memento te eſſe Chriſtianum. Vide, quia videre ad concupiſcendum pars eſt adulterij Chriſtiano. Dicat tibi beatus Apoſtolus: Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Dicat Iob: Probatus & non reprobatus, ira enim magna, & ignis vndique ardens eſt, alterius vxorem concupiſcere. Dicat iterum ſanctiſſimus Paulus. Neſcitis quia corpora veſtra membra Chriſti ſunt? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? His enim vocibus admonitus, redire poteris à præcipitio voluptatis facilè. Iam quoties per omnipotentem Deum iuras, cogente adhoc forſitan reipublicæ magna neceſſitate, memor eris, ſaltem cauere periurium, ſi minime potueris effugere iuramentũ. Memento itaque, memento te eſſe Chriſtianum, militiam ducis laudabiliter gerens, vt frequentibus beneficiis, multos facias tibi amicos, cui diligere præcipitur inimiços. Plus eſto bonus, quàm ſeuerus, quia hęc eſt ducis optimi ſola perfecta laus, obliuiſci ſemper iniurias. Vt vere per hanc ſeptimæ virtutis induſtriam, dum ſemper tibi ipſi dixeris: Memento te eſſe Chriſtianum, merearis & in hoc ſæculo, & in futuro viuere feliciter, vbi dabitur ducibus Chriſtianis perpetuus principatus.

Heb.13. Iob 31. 1. Cor.6.

DIVI ORESIESIS MONACHI ANTIQVISSIMI, REGVLÆ DE INSTITVTIS MONASTICIS DIVINO SALE CONDITAE.

De D. Oreſieſi ex D. Hieronymi ſcriptorum Eccleſiaſticorum Catalogo.

Oreſieſis monachus, amborum, id eſt, Pachumij & Theodori collega, vir in ſanctis ſcripturis ad perfectum inſtructus, compoſuit librum diuino conditum ſale, totúsque monaſticæ diſciplinæ inſtrumentis conſtructum, & vt ſimpliciter dicam, in quo totum penè vetus & nouum teſtamentum compendioſis diſſertionibus, iuxta monachorum duntaxat neceſſitatem, inuenitur expoſitum: quem tamen vice teſtamenti propediem obitus ſuis fratribus obtulit.

Baruch 3.

AVDI Iſraël mandata vitæ, auribus percipe, & intellige prudentiam. Quid eſt Iſraël, quoniam in terra inimicorum es? Inueteraſti in terra aliena, commaculatus es cum mortuis, comparatus es cũ his qui in inferno ſunt, & dereliquiſti fontem ſapientiæ. Per viam Dei ſi ambulaſſes, forſitan habitareris in pace, diſce ergo ait, vbi eſt prudentia tua, vbi eſt fortitudo gloriæ atque virtutis, vbi eſt intelligentia, vbi eſt lux oculorum & pax. Quis inuenit locum eius? & quis ingreſſus eſt ad theſauros illius? Hæc loquebatur Baruch propter eos qui in terram Babylonis & inimicorũ ſuorum ducti ſunt in captiuitatem, quia noluerunt prophetarum ſuſcipere mandata, & obliti ſunt legis Dei, quæ data eſt per Moyſen. Idcirco induxit Deus ſuper eos pœnas atque ſupplicia & captiuitatis ſubdidit iugo, erudiens ergo eos vt ſuos, & quaſi pater filios emendans, nolénsque perire correctos, ſed ſaluare cupiens per pœnitentiam. Vnde & nos apoſtolicorum debemus meminiſſe verborum, qui ait: Si naturalibus ramis non pepercit, nec nobis parcet, & Dei præcepta complere negligimus: Hæc omnia in figuris contingebant illis. Scripta ſunt autem ad correptionem noſtrã in quos fines ſeculorum deuenerint. Et illi quidem de vrbe Iudæ tranſlati ſunt ad vrbem Chaldæorum in terris mutantes loca. Nos autem ſi Deus viderit negligẽtes, in futuro ſeculo amittemus ciuitatem noſtram, & lætitiam deſerentes, trademur pœnarum captiuitati, perdemúsque gaudium ſempiternum, quod patres noſtri & fratres labore inſtabili repererunt. Igitur non nos vincat obliuio, nec patientiam Dei exiſtimemus ignorantiam, qui idcirco ſuſtentat & differt, vt ad meliora conuerſi, cruciatibus non tradamur. Quando peccamus, non putemus Deum conſentire noſtris peccatis: quia non ſtatim vindicat, ſed illud cogitemus, quod cito exeuntes de ſeculo, ſeparabimur in futuro à patribus & fratribus noſtris, qui locum victoriæ poſſidẽt. Quem & nos habebimus, ſi illorum voluerimus calcare veſtigia, & illud attendere, quod Apoſtolus Paulus hîc quoque ſanctos à peccatoribus ſeparat, & tradit delinquentes in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat. Beatus homo, qui timet dominum, & quem corripit, vt emendet, & legem ſuam docet eum, vt amb ulet in mandatis eius omnibus diebus vitæ ſuæ; qui non murmurat pro peccato ſuo. Itaque & nos ſcrutemur vias noſtras, & greſſus proprios diiudicemus reuertamúrque ad dominum, & leuemus cum manibus noſtris corda noſtra in excelſum atque in cœlum, vt in die iudicij adiutor noſtri ſit, & non confundamur cum loquimur inimicis noſtris in porta, ſed magis digni ſimus illud audire: Aperite portas, vt ingrediatur populus, qui cuſtodit iuſtitiam & veritatem. Cui veritas cordi eſt, & qui poſſidet pacem dicere poteſt, quia in te ſperauimus Domine in æternũ. Recordemur Domini & Hieruſalem aſcendat ſuper cor noſtrum ne obliuiſcamur illius hominis de quo ſcriptum eſt: Benedictus homo qui confidit in domino, cuius eſt ſpes in eo, erit quaſi lignum fructiferum iuxta aquas, & ad humorem mittit radices ſuas, non timebit, quum æſtus aduenerit, habebítque frondentes ramos & in tempore ſiccitatis virebit, poma ſollicita germinans. Graue cor in omnibus, & homo eſt, & quis cognoſcit eum? Ego Dominus ſcrutans corda & renes, vt reddam vnicuique ſecundum vias ſuas. Meminerimus noſtri, nec contemnamus

Rom 11. 1. Cor.10. 1. Cor.5. Iudith. 13. Hier. Hier 20. Pſalm.7.

delicta quæ fecimus,& ſingula mandata patris noſtri & eorum qui nos docuerunt corde ſollicito pertractemus, non ſolum credentes in Chriſto, ſed & pro ipſo patientes & ſcientes illud myſterium,
Pſal.118. de quo dicitur: Spiritus vultus noſtri Chriſtus Dominus,& alibi: lucerna pedibus meis lex tua, & lumen ſemitis meis. Et iterum: Eloquium Domini viuificauit me. Et lex Domini immaculata conuertens animas. Mandatum Domini lucidum illu-
Rom.7. minans oculos. Et Apoſtolus: Lex, inquit ſancta,
Pſal.36. & mandatum ſanctum,& iuſtum,& bonum. Quæ
Prou.24. omnia intelligentes, digni erimus audire cum ceciderit iuſtus non allidetur, quia Dominus ſuſtentat manum illius. Et iterum: Septies cadet iuſtus, &
1.Pet.5. reſurget. Nunc ergo fratres Deo agente patienter & nos ad pœnitentiam prouocante de graui ſomno euigilemus, quia aduerſarius noſter diabolus quaſi leo rugiens quærit quem deuoret, cui acriter reſiſtendum eſt, & ſciendum ea certamina noſtris euenisſe maioribus. Non deficiamus laborantes iacientésque virtutum ſemina, vt in futuro gaudia metere poſſimus, audiamúsque Paulum docentem: Tu autem qui ſeruaſti doctrinam, eruditionem, ſtudium, patientiam, perſecutiones. Et ſanctorum exempla ſectantes, permaneamus in eo quod cœpimus, habentes principem & perfectorem Ieſum. Intelligamus comam capitis noſtri in via vt ſit vnguentum in barba noſtra, vt ad ora perueniat veſtimenti, vt poſſimus implere vniuerſa quæ ſcripta ſunt. Quapropter, ô duces & præpoſiti monaſteriorum ac domorum quibus crediti ſunt homines, & apud quos inueniuntur; vos quicunq; eſtis, vt in cõmune dicam, quibus crediti ſunt homines ſinguli cum turmis ſuis expectant ſaluatoris aduentum, vt conſpectu illius ornatum armis exercitum præpararẽt ne refrigeretis eos in carnalibus, & ſpiritualia non tribuatis alimenta, aut rurſum doceatis ſpiritualia, & in carnalibus affligatis, in eſcis videlicet atque veſtitu, ſed & ſpiritales & carnales cibos pariter tribuite, & nullam detis eis occaſionem negligentiæ. Aut quæ eſt iſta iuſtitia, vt fratres labore affligamus, & ipſi otio vacemus, aut imponamus eis iugum quod ipſi ferre non poſſumus. Legimus in Euangelio: qua menſura menſi
Matt 7. Mar.4. fueritis, remetietur vobis, vnde & laborem & refrigeria cum ipſis habeamus communia, nec diſci-
Mat.23. pulos ſeruos putemus, & illorum tribulatio ſit noſtra lætitia, ne Euangelicus nos cum Phariſæis corripiat. Væ vobis legis peritis, qui ligatis onera importabilia,& imponitis ea ſuper humeros hominũ, & ipſi ne digito quidem audetis attingere. Sunt aliqui attendentes ſemetipſos vt viuentes iuxta mã. datum Dei ſibi loquuntur & dicunt: Quid mihi eſt cum aliis? Ego verò vt ſeruiam Deo, & mandata eius impleam, non ad me pertinet quid alij
Eze.34. faciant, hoc Ezechiel corripit dicens: O paſtores Iſraël, nunquid ſemetipſos paſcunt paſtores? nónne oues paſcunt? Ecce lac comediſtis, & lanis operimini, quod pingue eſt, immolaſtis: & quod infirmum, non confortaſtis: quod fractum eſt, non ligaſtis: quod errabat, non reduxiſtis: quod perierat, non quæſiſtis: quod forte erat, feciſtis labore deficere: & diſperſiſtis oues meas eo quòd non haberent paſtores. Propterea ipſe Dominus veniet cum ſenioribus & principibus ſuis,& complebitur illud in nobis, exactores veſtri deprædantur vos,& qui repetunt, errare vos faciunt. Quæ magis audire debemus: Beata terra, cuius rex filius, ingenui & principes tui in tempore comedunt in fortitudine, & non confundentur. Ideo ô homo vſque ad vnam animam, quæ tibi credita eſt, monere non ceſſes, & docere quæ ſancta ſunt,& teipſum bonorum operum præbere exemplum, & cauere quàm maximè, ne alterum ames,& alterum oderis, ſed & cunctis exhibeas æqualitatem, ne forte quem tu diligis, Deus oderit, & quem tu oderis, Deus diligat. Nulli erranti pro amicitia conſentias, & alterum premas, & alterum ſubleues, & pereat labor tuus. Sedentes in locis humilioribus in quibus pater noſter præcepit penitus non ſedendum, caueant propoſiti domorum ne forſitan quilibet vnus ex fratribus iniuriam propoſito fecerit, & iratus ille diſcernat ac dicat: quid cauſæ habeo ad hominem contemptorem? faciat quod vult, nec eum moneo, nec errantem corrigo, ſiue ſaluetur, ſiue pereat ad me non pertinet. O homo quid hæc loqueris? Intellige quo furore ſupereris, & odium occupauerit cor tuum, vt magis tuo vitio quàm ſuo peccato frater pereat, cui debes ignoſcere, & eum ſuſcipere pœnitentem, vt poſſis illud euangelicum dicere: dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Si ergo vis vt tibi Luc.11. Deus peccata tua dimittat, & tu dimitte fratri tuo quicquid illud eſt quod in te peccauit, memor illius præcepti, ne oderis fratrem tuum in corde tuo. Et Salomonis monentis: ſuſcita ciuem tuum pro Leuit 19. quo ſpopondiſti. Et iterum: Ne ceſſes erudire Prou.6. Prou.23. paruulum, ſi enim virga percuſſeris eum, non morietur. Moyſen quoque auſculta dicentem, correptione corripies proximum tuum, ne habeas peccatum pro eo. Ne veniat rurſum illud Salomonis, qui non prædicit filio vt ſe cuſtodiat à perditione, velociter diſſoluetur. Omnes quibus fratrum cura commiſſa eſt, parent ſe aduentui ſaluatoris, & formidoloſo tribunali eius. Si enim pro ſeipſo reddere rationem plenum eſt diſcriminis ac timoris, & quanto magis pro alterius culpa ſubire cruciatum, & incidere in manus Dei viuentis? Nec poſſumus obtendere ignorantiam, quum ſcriptum ſit: omne factum Deus adducet in iudicio in omnibus quæ neglecta ſunt, ſiue bonum, ſiue malum. Et in Apoſtolo legimus: Omnes nos oportet ma- 2.Cor.5. nifeſtari ante tribunal Chriſti, vt vnuſquiſque recipiat pro eo quod operatus eſt ſiue bonum ſiue malum. Eſaias quoque diem conſtitutam ſignificat, in qua iudicaturus ſit Deus orbem terræ in iuſtitia, dicens: Ecce dies Domini inſanabilis venit furoris & iræ, vt ponat orbem terræ in deſerto, & perdat peccatores de eo. Scimus quia omnia quæ in lege ſcripta ſunt, & prophetarum vaticinio prædixerunt, ſanctus quoque pater noſter erudiuit nos eſſe retinẽdos, & reddituros rationem de ſingulis quare non fecerimus ea, aut negligentiùs fecerimus. Loquitur enim cui traditum eſt à patre omne iudicium, & veritas erudit veritatem. Ne putetis quia ego accuſo vos ad patrem. Eſt qui vos accuſet Moyſes, in quo vos ſperatis. Si enim crederetis Moyſi, crederetis & mihi. De me Eſa.3.

enim

enim ille scripsit. Ex quib⁹ omnibus discimus, quod A oporteat nos stare ante tribunal Christi, & de singulis non solum operibus, sed & cogitationibus iudicari, & post rationem vitæ nostræ etiam pro aliis qui nobis crediti sint, reddituros esse similiter rationem. Et hoc non solùm de præpositis est domorum audiendum, sed & de monasteriorum principibus, & de singulis fratribus qui reputãtur in plebem, quod omnes inuicem debent sua onera portare, vt adimpleant legem Christi, & audiant Apost. scribentem ad Timo. O Timothee depositum custodi deuitans prophanas vocum nouitates, & professionem falsi nominis scientiæ. Et nos habemus depositum à Deo traditum conuersationem fratrũ, B pro quibus laborantes & expectamus futura præmia, ne forsitan dicatur & nobis: dimitte populum istum vt abeat, & traditiones patris nostri deserentibus ingeratur, qui habent legem non nouerunt me, pastores impiè egerunt in me. Vnde alios corripit dicens: Ego dedi hæreditatem meam in manu tua, tu autem non dedisti vllam misericordiam, senes aggrauasti iugo. Quod & vos non solum audire, verumetiam intelligere necesse est: Qui enim ignorat, ignorabitur. Et in alio loco scriptum est: Quia tu scientiam meam repulisti, & ego repellam te ne sacerdotio fungaris mihi. Itaque fratres charissimi, qui cœnobiorum vitam & præcepta sectamini, state in arrepto semel proposito, & implete opus Dei, vt pater qui primus instituit cœnobia gaudens pro nobis loquatur ad Dominum, sicut tradidi eis, sic viuunt. Quod idem & Apostolus adhuc in corpore constitutus loquebatur: Laudo autem vos, quod in omnibus meministis mei & sicut tradidi vobis traditiones meas custodistis. Et vos ergo monasteriorum principes estote solliciti, & adhibete omnem curam pro fratribus cum iustitia & timore Dei, nec abutamini potestate in superbia, sed exemplum præbete vos cunctis, & subdito gregi, sicut & Dominus noster in omnibus se exemplũ D præbuit, qui posuit quasi oues familias, vt misereamini gregi vobis credito, & memineritis Apostolicæ sententiæ, in qua ait: Nihil subtraxi, vt non annunciarem vobis voluntatem Dei. Et iterum: Non cessaui deprecando vnumquemque vestrûm, & docendo vos publicè. Videte quanta viscera & quanta misericordia fuerit in homine Dei, qui non solum sollicitus est pro omnibus Ecclesiis, sed languet cum languentibus, & omnium sustinet passiones. Caueamus ne per nostram negligentiam aliquis scandalizetur, & corruat, & obliuiscamur verborum Domini saluatoris, qui in Euangelio loquitur: Pater, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis aliquem. E Nullam animam contemnamus, ne quisquam per nostram duritiem pereat. Si enim aliquis propter nos mortuus fuerit, anima nostra pro illius anima tenebitur in reatu. Quod quidem & pater noster indesinenter nobis solebat inculcare, & monebat, ne illud eloquiũ impleretur in nobis: Singuli opprimunt proximum suum. Et iterum: Si inuicem mordetis & deuoratis, videte ne ab inuicem consumamini. Ex quo apparet, quod qui alterius seruat animam, custos animæ suæ sit. Sed & vos qui secundi estis monasteriis, primos vos exhibete virtutibus, ne quis vitio vestro pereat. Ne incurratis in illud opprobrium in quod incurrit ille, qui comedit & bibit cum ebriis, & non dedit in tempore suo conseruis cibaria. Et veniet Dominus in die qua non sperat, & in hora qua nescit, diuidat eum, & ponat partem eius cum hypocritis, vbi fletus & stridor est dentium. Ne quos apprehendat è vobis similis condemnatio, sed quum tempora venerint refrigerij mereamur audire: Euge bone serue & fidelis, quia super modicum fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Vos quoque præpositi domorum singularum parati estote ad respondendum omnibus, qui à vobis exigunt rationem super ea fide, quæ in vobis est. Monete eos qui inordinati sunt, consolamini pusillanimes, sustinete infirmos, patienter agite ad omnes, & audite apostolum monentem: Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed enutrite illos in disciplina, & admonitione Domini, & scitote quia cui plus datum est, C plus quæritur ab eo, & cui plus creditum est, amplius exigetur. Nec tantum ea considereris quæ vobis prosint, sed & illa, quæ proximis, & impleatur in vobis scriptura dicens: Quia vos sequimini vnusquisque vtilitatem domus suæ, idcirco continebit cœlum rorem suum, & terra non dabit fruges suas, quoniam ingrauastis contra me sermones vestros. Dicitur & alibi: Quia non fecistis vni de minimis meis, nec mihi fecistis. Sæpius dicam, & eadem repetam: Cauete ne alios diligatis, alios oderitis, ne hunc sustentetis, & illum negligatis, & cassus inueniatur labor vester, & omnis sudor pereat, & quando exieritis de corpore, & de mundi huius turbidine liberati, portum vos putaueritis quietis intrare, tunc inuenietis iniustitiæ naufragia, & in qua mensura mensi estis, remetietur vobis ab eo, qui personas in iudicio non accipit. Si quid mortale aut aliquid turpitudinis ob negligentiam propositorum in domibus commissum fuerit, post illorum propria supplicia præpositus quoque reus tenebitur criminis. Quod semper nobis sanctæ memoriæ pater noster solebat ingerere. Quamobrem cum omni cautione & sollicitudine singuli commissum sibi gregem custodiant, & imitentur pastores de Euangelio, ad quos non dormientes, sed vigilantes venit Angelus Dei, & saluatoris eis annunciauit aduentum, qui & ipse loquitur: Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis: qui autem mercenarius est, & non est pastor, cuius non sunt oues, videt lupum venientem, & relinquit gregem & fugit, & lupus rapit eum atque deuastat quia mercenarius est, & non ad eum pertinet de ouibus. De bonis autem pastoribus Lucæ scribit historia: Erant autem pastores obseruantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum, & Angelus Domini venit ad eos, & gloria Dei circumfulsit eos, & timuerunt timore magno, dixitque eis Angelus: Nolite timere, ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia est vobis hodie natus saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Et huius rei signum erit vobis:

1. Tim. 6.
Exod 5.
Osee. 4.
Act. 20.
Ioan. 17.
Gala. 5.
Luc. 19.
Ephe. 6.
Coloss. 3.
Matt 25.
Luc. 2.
Ioan. 12.
Act. 2.

Inuenietis infantem pannis inuolutum,& positum in præsepi. Num illi soli eo tempore pascebant oues, & per deserta sequebantur gregem? Sed quia soli erant solliciti & naturalem noctium somnum insidiantium luporum timor superabat, idcirco primi audire meruerunt,quod in vicino sit, at Hierosolyma dormiens ignorabat, vnde & Dauid dicit: Ecce non dormiet, qui custodit Israël. Itaque vos cum tremore & timore vigilantes, operantes vestram salutem, & sciētes,quod vniuersitatis Dominus per quē omnis caro receptura est quicquid operata est, post resurrectionem solis apostolis apparuit, & dixit Apostolorum principi Petro: Simon Ioannis diligis me plus his?Respondit ei. Domine tu scis quia diligo te. Dicit ei Iesus: Pasce agnos meos, dicit ei rursum secundò:Simon Ioannis diligis me? Respondit ei:etiam domine,tu scis quia diligam te: dicit ei: Pasce oues meas. Tertiò pręcepit,vt pasceret oues. Et in illo omnibus nobis hoc iniunxit officium,vt diligenter pascamus oues Domini,& in die visitationis eius pro labore ac custodia recipiamus quæ nobis in Euangelio promisit,dicens: Pater volo vt vbi sum ego, & isti sint mecum. Et iterum: Vbi ego sum, ibi & minister meus erit. Respiciamus ad promissa & ad præmia creduli: facilius omnem perferamus laborem ambulantes sicut ambulauit ipse Dominus, qui promissor est præmiorum. Vos quoque qui secundi estis singularum domorum, humilitatem sectamini, & modestiam, & singula præcepta maiorum, vitæ communis normam putate, vt in illis conseruandis vestras seruetis animas, & similes ei sitis qui ait: anima mea in manibus meis semper, filius glorificet patrem, & lætamini in fructibus vestris, quia absque operibus & fructibus nullus Domini societate lætabitur, vt cum habueritis fructum in Domino, ipso hærede & cohærede potiamini. Sed & vos omnes fratres, qui subiecti estis per ordinem liberę seruituti,habetote accinctos lumbos vestros & ardentes lucernas in manibus, similes seruorum qui expectant Dominum suum quando reuertatur de nuptiis,vt quum venerit & pulsauerit, statim aperiant ei. Beati serui, quos veniens Dominus inuenerit vigilantes. Sic & vobis fiet, si longus labor lassitudinem non operetur in vobis. Vocabimini ad cœleste conuiuium, & angeli ministrabunt vobis.Hæc sunt repromissiones custodientium mandata Dei, & ista præmia futurorū. Gaudete in Domino, rursum dico, gaudete subiecti patribus cum omni obedientia:sine murmuratione,& cogitationibus variis simplicitatem animæ ad bona opera prę ferentes,vt pleni virtutibus & timore Dei digni efficiamini adoptione Dei. Arripite scutum fidei, in quo possitis omnes sagittas diaboli ardentes restinguere, & gladium spiritus, quod est verbū Dei. Estote prudentes vt serpentes,& simplices sicut columbæ. Audite Paulum loquentem: Filij,obedite parentibus, & possidete salutem animarum vestrarum, per eos, qui vobis præpositi sunt. Et in alio quoque loco scriptum est: Acquiescite principibus vestris,& subiicimini, quia ipsi vigilant pro animabus vestris rationem reddentes pro vobis. Et semper illud timete, quod idem Apostolus loquitur:

Templum dei estis,& spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem templum Dei violauerit,disperdet illum Deus. Et iterum: Nolite contristari spiritū sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis iusti iudicij. Seruate pudicitiam corporis vestri, vt sitis hortus conclusus, fons signatus: qui enim natus est ex Deo non peccat,quoniam semen illius in eo permanet. Idem Ioannes loquitur: Scribo vobis iuuenes quoniam fortes estis & sermo Dei in vobis permanet,& vicistis malignum. Cum & vos viceritis inimicum,Deo vobis præbente auxilium, tunc & ipse dicet:Eruam eos de inferno, & redimā eos de morte, vbi est mors contentio tua, vbi est mors stimulus tuus? Si verò mortem deuoraueri- B mus, superabimus eam, & dicetur nobis: Mors eis nequaquam dominabitur quoniam mors qua peccato mortui semel sumus,in nobis mortua est,& vita qua in Christo viuimus,semper viuemus: qui enim in carne moritur,iustificabitur à peccato. Nequaquam vltra viuamus in desideriis hominū, sed reliquam vitam in voluntate Dei expleamus. Qui timetis dominum armate vos castitate, vt audire mereamini, vos autem non estis in carne,sed in spiritu. Et scitote quod perfectis perfecta tribuantur, & inanibus reddantur inania iuxta sermonem euāgelicum: Qui habet, dabitur ei & abundabit, qui autem non habet, & quod videbatur habere, au- C feretur ab eo. Imitemur virgines sapientes, quæ cum sponso thalamum intrare meruerunt,quæ habebant in vasis suis & lampadibus oleum bonorum operum. Porro stultæ virgines clausam thalami ianuam repererunt, ante nuptias parare sibi oleum voluerunt. Hæc in figura contingebant illis. Scripta sunt enim ad correptionem nostram vt euite- D mus vetera,& seruemus præcepta sapientis,qui ait: Fili mi, si sapiens fuerit cor tuum, lætificabis cor meum, & commorabuntur labia mea sermones tuos, si tamen recti fuerint. Et iterum: Non æmuletur cor tuum peccatores, sed in timore Dei esto tota die,& Dei cultum obserua iugiter. Vigilemus attentius, & sciamus quod magnam nobis Deus præstiterit gratiam per patrem nostrum Pacomiū, vt renunciaremus seculo, & omnem sollicitudinem mundi, vt curas rerum secularium pro nihilo poneremus. Quæ nobis occasio relicta est, vt habeamus quidquam proprium à funiculo vsque ad corrigiam calciamenti, cum habemus præpositos, qui pro nobis cum timore & tremore solliciti sunt tam in cibo quàm in vestitu, & corpusculi languore, si forte obuenerit, vt in nullo timeamus, & per occasionem carnis animæ emolumenta perdamus? Liberi sumus, iugum de ceruicibus nostris E mundanæ seruitutis abiecimus, cur rursum volumus reuerti ad vomitum nostrum, & aliquid habere vnde solliciti simus, & perdere metuamus? Ad quos vsus superfluum palliolum, aut epulæ lautiores, aut melior lectus, cum omnia in commune sint præparata, & cruce Christi nihil durius? quia iuxta quam viuentes patres nostri ædificauerunt nos super fundamentum apostolorum & prophetarum, & euangeliorum disciplinam,quæ angulari continetur lapide, Domino Iesu Christo, quem sequentes de mortifera altitudine

Psal. 120. Ioan.21. Ioan.12. Luc 12. Eph.6. Matt.10. Col.3. 1.Cor.3. Eph.4. Can.6. 1.Ioan.2. Osee.13. Rom.6. Matt.4. Matt.25. Rom.15. Prou.23. Prou.23.

tudine ad vitalem descendimus humilitatem, diuitias paupertate mutantes, & delitias simplici cibo. Nolite, obsecro vos, obliuisci semel arrepti propositi, & traditiones patris nostri, scalas putemus ad cœlorum regna tendentes, ne desideretis quæ ante calcastis, sufficit nobis habere quod homini satis est, duo leuitonaria & allium attritum, & palliolum lineum, duos cucullos, zonã lineam, gallicam pellem, & virgam cui ministeriũ aliquod & dispensatio est credita monasterij. Et si ex ea lucrum faciat, scelus putetur, & sacrilegium quidquam ex ea contingere, & in propriam vertere requiem, quasi despiciens eos, qui non habent, & fœlici paupertate sunt diuites, vt non solum ipse perierit, sed & cæteros prouocet ad pereundum. Et illi quidem qui incuruauerunt ceruicem suam, & cum omni humilitate & afflictione lugentes atque plangentes in præsentiarum placuerunt Deo, cum de corpusculo isto exierint, ducentur & accumbent cum sanctis patribus Abraham, Isaac, & Iacob, prophetis & apostolis, & consolatione digna fruentur, sicut & Lazarus in sinu Abraham. Qui autem vixerunt in cœnobio, & de communi in suos aliquid aduerterunt vsus, cum de corpore exierint, dicetur illis: Mementote quia recepistis bona in vita vestra, fratribus laborantibus, & ieiuniis, & continentia, & incessabili labore sudantibus. Idcirco videte eos in gaudio atque lætitia, qui reliquerunt præsentem vitam, vt futuram consequerentur, vos autem in squalore & tormẽtis ac miseria constitutos, quia noluistis euangelicum audire sermonem, & Esaiæ contempsistis verba, dicentis: Ecce qui seruiunt mihi comedent, vos autem esurietis. Ecce qui seruiunt mihi bibent, vos verò sitietis. Ecce qui seruiunt mihi exultabũt, vos autem clamabitis propter dolorem cordis vestri, & ob contritionem spiritus eiulabitis. Audistis omnes beatitudines scripturarum, & noluistis susscipere disciplinam. Ideo fratres æquales simus, à minimo vsque ad maximum, tam diues quam pauper, concordia & humilitate perfecti, vt de nobis quoque posset dici: Qui multum non abundauit, & qui parum non indiguit. Ne quis suis prouideat delitiis, cauens fratrem in paupertate & angustia constitutum, & dicatur ei illud propheticũ: Nonne Deus vnus creauit vos? Nónne pater vnus omnium vestrũm? Quare dereliquistis vnusquisque fratrem suum, vt abominabile facerent testamentum patrum vestrorum, derelictus est Iuda, sed abominatio facta est in Israël. Quapropter iuxta illud quod Dominus atque saluator præcepit Apostolis dicens: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut & ego dilexi vos, & in hoc sciemini, quod vere discipuli mei estis; nos inuicem amare debemus, & ostendere, quod vere simus famuli Domini Iesu Christi, & filij Pacomij, & discipuli cœnobiorum. Si præpositus domus aliquem corripuerit ex fratribus, qui subiecti sunt, erudiens eum in timore Dei, & cupiens ab errore corrigere, & alius voluerit pro eo loqui, & eũ defendere, subuertens cor illius qui hoc facit, peccat in suam animam, qui subuertit eum qui corrigi poterat, & cõsurgente deiecit in terram atque ad meliora tendẽtem mala persuasione decepit, errans ipse & alios errare faciens. Huic illud aptabitur congruenter: Væ qui potum dat proximo suo subuersionem turbidam & inebrians eum, væ qui errare facit cæcum in via. Qui scandalizat quempiam de his qui credunt Deo, expedit ei, vt appendatur ei mola asinaria super collum eius, & præcipitetur in mare, quia subuertit, vt diximus, subleuantem se, & obedientem transtulit ad superbiam, & eum qui in dulcedine charitatis poterat ambulare, cõuertit in amaritudinem, & subiectum legibus monasterij, malis consiliis deprauauit, fecitque odisse eum, & contristari contra illum, qui eum docebat Domini disciplinam, lites serẽs inter fratres atque discordias, & non timens illud quod scriptum est: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Suo Domino stat aut cadit, stabit autem, potens est autem Dominus rursum statuere illum. Considera quid dixerit, potens est autem Dominus statuere illum. Nõ ille potens est, qui verba Domini præterit. Vnde fratres magnopere deuitemus alicuius mẽtem subuertere contra doctorem & monitorem suum. Et meminerimus scripturæ dicentis: Libera cor tuum à malitia, vt saluetis, nec pro obedientia superbiam & contumaciam in cordibus nostris inuicem seminemus: qui enim timet dominũ suũ, non videbit fratrem suum errare & labi, magis debet monstrare quæ recta sunt, & rectum iter ostendere, vt omni castitate & tremore Dei incedens, illam Salomonis exequatur sententiam: Libera eos qui ducuntur ad mortem, & redimere de interfectione non cesses, nec dicas, nescio hunc. Scito quoniam Deus corda omnium nouit, & Iudas in epistola loquitur sua: Et hos quidem de igne rapientes, & odio habentes carnis commaculatam tunicam. Caueamus huiuscemodi vestimentum, & induamus potius armaturam Dei, vt possimus resistere contra insidias diaboli. Non est enim nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus potestates & principatus, aduersus rectores tenebrarum harum, aduersus spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Hoc quoque maximè prouidendum est, ne quis in alteram domum & in alterius cellulam commendet aliquid & contra monasterij disciplinam. Qui talis est, non est in numero fratrum, sed mercenarius & aduena. Nec Pascha Domini inter sanctos debet comedere, quia factus est lapis scandali in monasterio, & de illo posset dici: lapides de via mea proiicite: si enim leuitonaria nostra quando lauamus & sicca non fuerint, vsque ad vesperam non habemus potestatem apud nos tenere, damúsque præposito cui crediti sumus, vel ei cui creditum est cellarium, vt deferat ad eum locum vbi vestimenta pariter omnium reseruantur, & mane nobis dantur, vt expendamus illa ad solem, & cum sicca fuerint, non apud nos tenemus, sed damus in commune seruandum, iuxta præcepta maiorum, quanto magis ea quæ proprie visus es possidere, si alteri commendaueris, aut in tua volueris esse potestate, peccas in monasterij disciplinam, & non intelligis Paulum tibi loquentem: vos autem in libertatem vocati estis, tantum ne libertate in occasione carnis abutamini, sed charitate seruite inuicem. Et iterum: Dominus iuxta est, nolite esse solliciti, sed estote

Luc.16. Esaiæ 65. 1.Cor.8. Mal.2. Ioan.13. Abac.2. Matt.18. Rom.14. Prou.24. Iud.1. Eph.6.

in oratione intenti & deprecationibus. Sciat quoque ille qui ab alio ſuſceperit commendatum, vt rem ſe arbitratur facere piam, vt fratrem refrigeret, quod peccet contra animam ſuam, ſubuertens regulas monaſterij. O ſtulte anima tua commiſſa eſt præpoſito tuo, & qui animam tuam corpúſque cuſtodit indignus habebitur, vt peritura conſeruet. Amemus vt iuſtificemur iuſtitiam, legimus enim, miſericordia occurrit his qui faciunt veritatem. Hoc quoque obſeruandum eſt, nequis ſtulta cogitatione deceptus, imò diaboli laqueis irretitus, dicat in corde ſuo: Quando morior, tunc dono fratribus quod habuero. O ſtultiſſime hominum, vbi hoc ſcriptum inueniſti? Nonne omnes ſancti ſeruientes Deo ſtatim omnem ſeculi ſarcinam depoſuerunt? Nonne in actibus Apoſtolorum
Act.4. omnia quæ habebant, ad pedes deferebant Apoſtolorum? Aut quomodo poteris mortuus iuſtitiæ induere veſtimentum, qui illud viuus habere non meruiſti. Quare oblitus es illud, quod
Gal. 6. ſcriptum eſt: Quod ſeminauerit homo, hoc & metet. Et vnuſquiſque recipiet iuxta quod egit, & reddet vnicuique iuxta opera ſua. Et iterum: Ego dominus ſcrutans corda, & probans renes, vt reddam vnicuique iuxta vias ſuas, & iuxta fructum adinuentionum eius. Quare nondum verſaris, in vita, & in hoc corpuſculo conſtitutus, non audies
Pſal.38. Dauid loquentem: Theſaurizat & ignorat, cui congregat ea. Et ſermonem euangelicum, auarum diuitem corripientem; ſtulte hac nocte animam expetent à te. Quæ autem præparaſti, cuius
Pſa. 145. erunt? Et iterum: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Stulte quare non vis audire Dominum cohortantem? Vade & vende omnia
Matt. 19. quæ habes, & da pauperibus, & tolle crucem tuã, & veni ſequere me. Quod adoleſcens audiens, conuerſus eſt retro, non enim erat rectum cor ipſius, & ideo non potuit grauem diuitiarum ſarcinam deponere. Habebat quidem voluntatem, vt ſcriptura teſtatur, perfectæ vitæ & ſplendore virtutum trahebatur ad laudem, ſed retrahebant eum currentem diuitiæ, nec poterat ſaluatoris audire
Matt. 19. doctrinam: quia adhuc de mũdi delitiis cogitabat, vnde & ſaluator loquitur: Difficile eſt eos qui habent diuitias intrare in regna cœlorum. Et iterum:
Luc. 6. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vni eſt obediens, & contemnet alterum. Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ. Phariſæi autem cum eſſent auari, hæc audiebant & irridebant, quorum incredulitatem deuitemus, nec irrideamus eos, qui nos prouocant. Renunciemus mundo, vt perfecti perfectum ſequamur Ieſum. Quorum animam poſſidet auaritia his videtur pro Chriſto ſtulta paupertas. Quæſtus eſt magnus pietas cum ſufficientia, nihil enim intulimus in hunc mundum, nec auferre quid poſſumus: habentes enim
1. Tim. victum & veſtitum, his contenti ſumus. Qui autem volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum, in concupiſcentias multas, quæ ſunt ſtultæ & noxiæ, & demergunt homines in interitum & perditionem: radix enim omnium malorum cupiditas. Vſque hodie Helias Iſraëlem
3. Re. 18. increpat, dicens: Quouſque claudicatis pede, ſi Deus eſt, ite & ſequamini eum. Et nobis loquitur: Si mandata ſunt Dei quæ per patrem noſtrum tradidit nobis, & quæ ſequentes poſſumus peruenire ad regna cœlorum, toto eadem deſiderio compleamus, ſi autem ſequimur cogitationes noſtras, & ad aliud tendit animus, cur non errorem ſimpliciter confitemur, & oſtendemus nos eſſe quod videri erubeſcimus? ne forte dicatur & nobis: Quare polluiſtis locum meum ſanctum; & eiiciam eos è domo mea: ſiquidem conciliabula monachorum vere Dei domus eſt, & ſanctorum vinea, ſicut ſcriptum legimus: vinea facta eſt Sa- Mala.1.
lomoni in loco qui vocatur Beelamon, dedit eam cuſtodibus, vnuſquiſque affert pro fructibus eius mille argenteos. Vinea mea in conſpectu meo Cant.8.
eſt mille Salomoni, & ducenti his qui cuſtodiunt fructum eius, ne igitur polluentes eam proiiciamur, ſicut in Euangelio legimus, eiectos eſſe de Luc.19.
templo qui vendebant in eo oues & boues, numularios quoque ingrediens dominus atque ſal- Mar.11.
uator, & faciens ſibi flagellum de funiculis eiecit è templo, & fundens æra menſáſque vendentium & his qui vendebant columbas, ait: Auferte hæc omnia, & nolite facere domum patris mei, domum
negotiationis. Scriptum eſt enim: Domus mea do- Eſa.56.
mus orationis vocabitur cunctis gẽtibus, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. Et alibi: Hier.7.
Propter vos nomen meum blaſphematur in gentibus: Obſecro vos fratres, ne de nobis quoque dica- Eſa.52.
tur: Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. An domos nõ habetis vt comedatis & bibatis, niſi forte eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos,
qui non habent? Ad quos dicitur: Si quis eſurit, 1.Cor.11.
domi comedat, vt non in iudicium conueniatis. Non ſit domus noſtra vocis alienæ, ne illud nobis congruenter aptetur, opera Ægypti non abſtulerunt à ſe. Et iterum: In præceptis meis non ambu- Ezec.10.
lauerunt, & ſabbata mea contaminauerunt, propterea cum clamauerint ad me, ego non exaudiam eos. Non permaneamus in cordis duritia, & ad iracundiam prouocemus Deum, & fiat inimicus noſter, ac dicat: Ego autem dabo eis præce- Ezec.10.
pta non bona, & iuſtificationes, in quibus non viuant: quia comederunt fructum mendacij, & adorauerunt opera manuum ſuarum. Et repleta eſt terra eorum à principio augurio, vt terra alienigenarum. Ne poſtquam renunciauerimus ſeculo, & acceperimus vexillum crucis, ſequi iterum ad poſteriora conuerſi, quæramus refrigerium temporale, imitantes Effraim dicentem: Diues factus ſum, & inueni refrigerium mihi, ne audiamus illud, quod & ille meruit audire. Omnes labores illius non inueniuntur pro iniquitatibus, in quibus peccauit, ne & illud impleatur in nobis: Cœpiſtis ſpiritu, & nunc carne conſumamini, tanta paſſi eſtis ſine cauſa. Et ille contra nos ſermo dicatur: Lex
periit à ſacerdote, & conſilium à ſenioribus, & ma- Ezech.7.
nus populi diſſolutæ ſunt, ſenes de porta quieuerunt, electi à pſalmis ſuis ceſſauerunt, rurſúmque dicatur: Propter vos nomen blaſphematur in gentibus, & contemptis inſtitutionibus patris noſtri ſubrepat obliuio, mediatorémque Dei atque ſanctorum noſtro vitio negligamus. Quis enim fructus, aut quod ſignum præceptorum Dei inueniatur

niatur in nobis, aut in quo professionē impleamus arreptam? Nonne omnia diuisimus, & auaritiæ subiacemus, & dicitur nobis: Vnde bella & pugnæ? nonne ex auaritia? nam quia vnusquisque quærit vtilitatem suam, & non proximi, vsque hodie viuens Ezechiel prophetali sermone nos corripit, dicens: Negociatores erant in te, filius inhonorat patrem, & pater exprobat filio. Quid in die iudicij respondebimus, aut quid in nouissimo tēpore pro defensione nostra poterimus obtēdere. Hæc omnia facta sunt nobis, quia sacerdotes plauserunt manibus, & populus dilexit similiter, quia sicut populus, sic sacerdos. Propterea reddam, ei, inquit, secundum vias suas, & cogitationes illius restituam ei. Non de omnibus vobis hæc loquor, sed de his qui maiorum præcepta contemnunt, multoque melius erat illis ignorare viam iustitiæ, quàm scientes reuerti ab eo, quod traditum est illis, sancto mandato. De huiuscemodi hominibus mœrens Hieremias scribit: Defecerunt Hier.2. in lachrymis oculi mei, conturbatus est venter meus, effusa est in terra gloria mea super contritione filię populi mei, quia defecit paruulus, & lactans in plateis ciuitatis, matribus suis dixerunt: vbi est triticum & vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis vrbis, cum funderent animas suas in sinu matrum suarum. Scimus quod non in fortiPsa.146. tudine equi velit Deus, neque in fœmoribus viri sibi complaceat, & idcirco reuertamur ad dominū Deum nostrum, vt quando orauerimus, exaudiat nos, qui quotidie hortatur, vt vacemus & cognoscamus eum. Et alibi loquitur: Reuertimini ad me, 1.Reg.23. & ego reuertar ad vos. Et iterum: Reuertimini ad me filij recedentes, & ego dominabor vestri. Ezec.18. Ezechiel similiter contestatur ac dicit: Quare moriemini domus Israël? Nolo mortem peccatoris, tantum vt reuertatur de via sua mala, & viuat. Et clementissimus ac totius bonitatis caput clamat Matt.11. in euangelio ad nos dominus, atque testatur: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Consideremus quod bonitas Dei ad pœnitentiam nos prouocet, & sancti viri cohortantur ad salutem. Non induremus corda nostra, neque thesaurizemus iram nobis in die iræ, & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet vnicuique iuxta opera sua, sed ex toto corde reuertamur ad Dominum, & secundum Moysi verba memorantis: Si reuertaris ad dominum ex toto corde tuo mundabit cor tuum, & cor seminis tui. Laboremus sicut boni milites Christi & obseruemus illud quod scriptum est: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, vt ei cui militat, placeat. Si autem & in agone contendat, non coronatur, nisi legitimè certauerit. Laborantem agricolam oportet primum de 2.Tim.2. fructibus eius participare. Scriptum est: Omnes Ezec.16. populi ibunt vnusquisque in viam suam, nos autē in nomine Domini nostri magnificabimur. Ipsi impediti sunt & ceciderūt, nos autem surreximus, & erecti sumus. Qui ambulat in die, non impingit, qui autem in nocte graditur, impingit, quia lumen non est in eo. Nos autem, sicut dixit Apostolus, non sumus filij præuaricationis in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ. Et alibi: Omnes, inquit, filij lucis estis, & filij Dei. Non 1.Thess.5. sumus filij noctis neque tenebrarum. Si ergo filij sumus lucis, debemus scire quæ lucis sunt, & facere fructus luminis in omni opere bono: quod enim manifestatur, lux est. Si in toto corde reuertamur ad dominum, & in præceptis sanctorum illius, & patris nostri corde simplici conuersamur, abundabimus in omni opere bono. Quod si superemur carnis voluptatibus in die quasi in media nocte parietem palpabimus, & non inueniemus viam ciuitatis, & habitaculi nostri, de quo dicitur: Esurientium & sitientium anima defecit: Quia contempserunt legem à Deo sibi traditam, & vocem prophetarum non audierunt. Et idcirco nō potuerunt ad promissam requiem peruenire. Vigilemus & attenti simus, si enim naturalibus non Rom.11. pepercit, nec nobis parcet. Non de cunctis, sed de negligentibus loquor, quibus iure aptabitur illa deploratio: Væ eis: quia recesserunt à me. Manifesti sunt, quoniam impiè egerunt in me, quia dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi contritos lacus, qui non possunt aquam continere. Et quia non audierunt iudices eius, audiant dicentem Deum: Constitui super vos speHier.6. culatores, audite vocem tubæ. Et dixerunt: non audiemus. Vnde ista incredulitas? Nonne ex eo, quia alienos cognouerunt, & non aduersati sunt? Loquitur & alibi spiritus sanctus per prophetam: Ego enim sum Deus dominus tuus, qui formaui cœlum, & creaui terram. Cuius manus condiderunt omnem cœli militiam, & non ostendit ea tibi, vt ambulares post illam. Quod quidem & per Moysem præcepit, dicens: Ne cum suspexeris cœlum, & videris solem & lunam, ac stellas & omne ornamentum cœli, errore cœli deceptus, adores ea. Ego sum Deus qui eduxi te de terra Æ- Exod.20. gypti, & Deum extra me nescis, & qui saluos posset facere, non est præter me. Ego sum qui te paui in solitudine, in terra inhabitabili, & repleti sunt saturitate, & elcuata corda eorum. Idcirco obliti sunt mei, & ego tradem eos dispersioni in gentibus cunctis: quæ audientes quasi de somno expergiscamur & præbeamus nos dignos domini seruitute, vt misereatur & dicat nobis: Inuocate me, & ego exaudiam vos. Ipse enim ait: Qui dispersit Hier.31. Israël congregauit eum. Et alibi: Non faciam, inquit, iuxta iram furoris mei, nec sic relinquam, vt deleam Effraim. Et iterum: Non in æternum puniam vos, nec semper irascar vobis. Spiritus enim à me egredietur, & omne quod spirat ego feci. Et in eodem loco iungit, ac dicit: Dedi eis consolationem, veram, pacē super pacem his qui erāt prope & longe, dixitque Dominus, sanabo eos. Cuius vt plene misericordiam cognoscamus, Hie- Hier.3. remiæ sermone docet, dicens: Si eleuatum fuerit cœlum in sublime, & si humiliatum pauimentum terræ deorsum, ego non reprobo gentem Israël pro omnibus quæ fecerunt. Cúmque tanta clementia sit saluatoris Domini, & nos prouocet ad salutem, conuertamus corda nostra ad eum, quia iam hora est vt de somno vigilemus, nox præcessit, dies Rom.13. autem appropinquauit, deponamus ergo opera

tenebrarum, & induamur arma lucis. Filioli mei primum ex toto corde diligamus Deum, deinde nosmetipsos amemus mutuo, memores præceptorum Dei saluatoris, in quibus ait: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Non sicut mũdus dat pacem, ego do vobis, in his enim duobus mandatis tota lex pẽdet & prophetæ. Si quis in domo monasterij sub præposito manens, nulla re indigens, quam in monasterio habere permissum est, & habet patrem fratrémque & amicum charissimum, nihil ab eis penitus accipiat, non tunicam, non palliolum, non aliam quamlibet rem, si autem comprobatũ fuerit, quod minus habeat de his quæ præcepta sunt, culpa atque omnis correctio ad præpositum conuertetur. Vos igitur qui estis principes monasteriorum, si quos aliqua re videritis indigere & esse in angustia constitutos, nolite eos negligere, scientes quod estis reddituri rationem pro omni grege super quem vos spiritus sanctus constituit inspicere & pascere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit proprio sanguine. Propterea nos qui fortiores sumus, debemus infirmitates inualidorum portare, & non nobismetipsis placere, sed proximo in bono ad ædificationem; nam & Christus non sibi placuit sed sicut scriptum est: Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Et iterum: Non quæro, inquit, quod mihi expedit, sed quod omnibus, vt salui fiant. Si autem Dominus ac saluator noster ita præcepit, & sancti ita conuersati sunt, patres quoque nostri ita nos docuerunt, consurgamus à somno, & quæ sunt nobis præcepta, faciamus. Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram eruditionem scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, & nullus nostrûm causa sit erroris alieni, nec æmulemur eos qui prospera agunt in via sua. Cum enim omnia carni necessaria consecuti, morientes nihil secum asportabunt, filij seculi huius habent in hoc seculo fiduciam, quoniam de mundo sunt, & mundus amat quod suum est. Qui autem filij Dei sunt, illius sermonis euangelici recordentur; Si mundus vos odit, scitote, quod me primum oderit. Et iterum: Qui voluerit esse amicus huius mundi, inimicus fiet Deo. Et rursum: Tribulationem habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Et iterum: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. De filiis autem noctis quid è contrario dicitur? Nõne illud? Væ vobis diuites, quoniam recepistis cõsolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis nũc, quia esurietis. Væ vobis qui nunc ridetis, quoniam lugebitis ac flebitis. Quamobrem mundi amicitias deuitemus, vt illud mereamur audire: Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Audiuit Dominus, & misertus est mei, scidisti saccum meum, & accinxisti me lætitia. Quis enim sanctorum non in luctu atque tristitia, per mundi huius transiuit viam? Hieremias: Non sedi, inquit, cum consilio ludentium, sed tremebam à facie manus tuæ. Solus sedebam, quoniam amaritudine repletus sum. Dauid quoque scribit: quasi lugens ac mœrens sic humiliabar. Quorum nos vestigiis insistentes intelligimus, quod salus nostra in tempore tribulationis sit, & prophetæ pollicitatio impleatur dicentis? Non relinquuntur qui in angustia sunt vsque ad tempus. Si ergo habent tempus tribulatio & angustia, & non erit sempiterna, seminemus in lachrymis, vt metamus in gaudio, non deficientes, quod nouerimus dominum de tentatione liberare cultores suos. Dominus pater noster est, dominus iudex noster est, dominus princeps, dominus rex noster, dominus nos ipse saluabit. Cuius præcepta si neglexerimus, permanebimus in angustia. Ipse enim dicit: Qui sequuntur me, possidebunt terram, & hæreditabunt montem sanctũ meum. Quem & nos possidebimus, si impleamus legem eius, & audiamus illud, quod dicitur: Mundas facite in conspectu eius vias vestras. Et iterum: Tollite offendicula de via populi mei. Et alibi: Eiicite de consilio pestilentem & egredietur cum eo contentio. Qui iustum dicit iniustum, & iniustum iudicat iustum, vterque in conspectu Dei immundus est. Caueamus ne dicatur & de nobis: Filij alienati sunt eis. Et illud: Filiæ Syon eleuatæ sunt, & ambulauerunt in excelso collo, & in superbia oculorum, trahentes pedibus tunicas, & pedibus simul ludentes. Et in correptione nostra rursum prophetalis sermo concordet, dicens: Quomodo facta est meretrix ciuitas Syon fidelis, plena iudicio, in qua iustitia dormit? Nunc autem latrones & populus intelligẽs commiscebatur meretrici. Tu ergo Israel ne ignoraberis, sicuti diuina meditemur, poterimus illud dicere, quod & Dauid. Exultabo super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Et quam dulcia gutturi meo eloquia tua, super mel & fauum ori meo. Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Et in alio loco: Non proposui ante oculos meos rem iniquam, facientes iniquitatem odio habui. Et non adhæsit mihi cor prauum, declinãtes à me malignos non agnoscebam. Detrahentem in absconso proximo suo, hũc persequebar. Superbo oculo & insatiabili corde cum hoc simul non edebam. Oculi mei super fideles terræ, vt facerem eos sedere mecum. Quorum omnium nos imitemur opera, vt sit in diebus nostris pax & iustitia, & non nobis illud eueniat, quod alibi legimus: Super terra populi mei spinæ & fœnum consurgent, sed magis innouemus nobis noualia, & non seminemus super spinas, cúmque custodierimus quæ mandata sunt nobis, manifesti erimus, quod diligamus Deum, sicut testatur & in alio loco scriptura diuina: Qui audit mãdata mea & seruat ea, ille est qui diligit me, qui autem diligetur à patre meo & ego diligam eum, & veniemus ego & pater meus, & mansionem apud eum faciemus, & ostendam ei meipsum, & vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Tollamus nobiscum multos sermones, & conuertamur ad dominum Deum nostrum, & dicamus ei: Potes dimittere pecata, vt accipiamus bona, & reddamus ei fructum labiorum nostrorum, & delectetur in nobis anima nostra. Atque vtinam pœniteat nos erroris & negligentiæ, & conuersi ad priora dicamus: Assur non saluabit nos, super equos non ascendemus, nec iam dicemus: Dij nostri opera manuum nostrarũ. Deus qui in te est miserebitur populi,

Ioan. 14.
Ioan. 15.
Matt. 5.
Luc. 6.
Matt. 5.
Hier. 50.
Esa. 1.
Ioan. 14.

puli, ſanabo habitacula eorum. Rurſúmque dicet de nobis: Diligam eos manifeſtè, & auertam iram meam ab eis. Ero quaſi ros, Iſrael florebit vt lilium, & mittet radices ſuas quaſi libanus. Ibunt rami eius, & erit quaſi oliua fructifera, & odor eius vt thuris. Reuertentur & ſedebunt vnuſquiſque in tabernaculis ſuis, & viuent, & confirmabuntur frumento, florebit ſicut vinea memoria eorum, ſicut odor thuris Effraim. Quid ei & idolis? Ego humiliabo eum, & confortabo eum. Ego vt iuniperus condenſa, ex me fructus eius inuentus eſt. Quis ſapiens, & intelligit hæc, aut intelligens & cognoſcit iſta? Atque vtinam & nos ex eo fructum afferre valeamus, ſine quo nihil boni operis fieri poteſt. Reuertamur ad dominum vt de nobis quoque poſſet dicere: Peccatorum & iniquitatis eorum memor amplius non ero. Nō relinquamus legem Dei, quam pater noſter ab eo accipiens, nobis tradidit, neque parui eius mandata pendamus, ne & ſuper nos planctus ille dicatur: Quomodo obſcuratum eſt aurum, & immutatum argentum bonum, effuſi ſunt lapides ſancti in omni viarum principio, nec poſt plurimos labores patris noſtri, quos pro ſalute noſtra ſuſcepit, ſed ipſum exemplum virtutis tribuens & glorians de nobis, atque apud ſanctos loquens. Iſti filij mei ſunt & populus meus, filij mei, & non denegabunt. Et poſt huiuſcemodi teſtimonium non perdamus fiduciam bonæ conſcientiæ, ſpoliati veſtibus, quibus nos induit. Et introducti ab eo in ſtadium, vt legitimè certaremus, non ſuperemur ab inimicis noſtris. Et poſtquam venerimus ad illud tēpus, quo egrediamur de corpore, ne inimici efficiamur patris noſtri, theſauris ſeruientes, vt qui ieiuniis & afflictione corporis debuimus acquirere animæ libertatem, carni & delitiis & pulchrioribus veſtimentis, ſtratiſque molliorib⁹ nos dedicemus, non ſolum ipſi pereuntes, ſed & alios qui proficere potuerunt, exemplo noſtro ducentes ad ruinam, de quibus ſcriptum eſt: Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis in timorem, ſed fortitudinis & charitatis & pudicitiæ. Et, cibus nos non commendat Deo. Neque enim ſi comederimus, abundabimus: nec ſi non comederimus, indigebimus. Non eſt enim regnum Dei cibus & potus, ſed iuſtitia, gaudium, & pax in ſpiritu ſancto. Qui in hoc ſeruit Chriſto, placet Deo, probatus eſt omnibus. Eſaias quoque dicit: Qui expectant dominum, immutabunt virtutem, aſſument pennas, vt aquilæ current, & non laborabunt, gradientur, & non eſurient. Idcirco eleuauit ſignum in gentes, & congregabit profugos Iſrael. Scito, velociter venient, non eſurient, neque dormitabunt. Non dormient, nec ſoluent zonas de lumbis ſuis, neque rumpentur in calciamentis eorum corrigiæ. Quorum iacula acuta ſunt, & intenti arcus: pedes eorum vt petra fortiſſima. Rotæ curruum quaſi tempeſtas, impetum facient vt leones, & aderūt vt catuli leonum. Et nos igitur ſanctorum imitatores ſimus, nec obliuiſcamur inſtitutionis, qua nos erudiuit pater noſter dum adhuc eſſet in corpore. Ne extinguamus lucernā ardentē, quam poſuit ſuper capita noſtra. Ad cuius lumen huius ſeculi incedētes meminerimus, quod per ſtudium illius Deus nos in propriam familiam receperit, peregrinis hoſpitium

Thren. 4.

Eſa. 46.

A tribuens, in maris turbinibus conſtitutis portum oſtendens, panem in fame, vmbram in æſtu, veſtimentum in nuditate, imperitos præceptis ſpiritalibus erudiuit. Vitiis ſeruientes caſtitate circumdedit, procul poſitos ſibi iunxit. Ne poſt illius dormitionem obliuiſcamur tantæ bonitatis, & beneficiorum immortalium, vertentes furorem in iudicium & fructum iuſtitiæ in amaritudinem, & loquatur contra nos. Iudicate inter me & vineam meam, expectaui vt faceret fructum, & fecit iniquitatem, & non iuſtitiam, ſed clamorem, & veniat ſuper nos illa maledictio, quam prophetalis ſermo ille proſequitur, & quam omni ſtudio fugere ac vitare debemus, ſequētes cōuerſationē eorū, qui nos in domino præceſſerunt, patrū pariter ac fratrum, qui renunciantes ſeculo, & inoffenſo ad dominum peragentes gradu, nunc eius hæreditate potiuntur, quā vereor ne perdamus noſtra deſidia, & illud nobis propheticum coaptetur, quod dictū eſt de Effraim: Oleum in Ægyptum mercatur, mixti ſunt in gentibus, & didicerunt opera eorum. Ne poſtquam vocati ſumus in libertatem ſicut ſcriptum eſt: Tollam eos, vnum de populo & duos de familia, & inducam eos in Syon, & dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, qui paſcunt vos cum diſciplina, ne ſoluantur vincula charitatis, & dicatur de nobis: Filius glorificat patrem & ſeruus dominum ſuum. Si pater ego ſum, vbi eſt gloria mea? ſi dominus, vbi eſt timor meus? Idcirco noſtrum clamet ad dominum: Muri Syon deducant, ſicut torrentes, lachrymas die ac nocte. Ne des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Surge & lauda in nocte, in principio vigiliarum tuarum effunde, ſicut aquam, cor tuum in conſpectu domini. Leua ad illum manus tuas pro animabus paruulorum tuorum, qui defecerunt in capite vniuerſorum greſſuum. Ne illud contra nos dicatur: Luxit & corruptus eſt orbis: Luxerunt excelſi terræ, & terra impiè egit propter habitatores ſuos, dereliquerunt enim legem, & immutauerunt præcepta mea teſtamentū æternum. Idcirco maledictio deuorabit terrā, quia peccauerunt habitatores eius, & dereliquerunt homines, pauci ne & noſtrum vinum lugeat & vinea, & ingemiſcant, qui prius toto animo lætabantur, dicatúrque de nobis in domo, inſaniam cōfixerūt, corrupti ſunt ſicut dies collis, aut illud captio ex vobis eſt. Et dixiſtis enim, feciſtis teſtamentum cum inferno, & cum morte pactum. Quæ verba vitantes, credimus magis quod in tempore ſuo oriatur ſtella ex Iacob, & exurget homo de Iſrael qui percutiet principes Moab & filios Seth, vt non ſit in domo Iſrael ſtimulus furoris & ſpina doloris. Quia facta eſt domino pars eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Iſrael. Et alibi loquitur Hieremias: Si ceſſauerit in conſpectu meo lex iſta, & gens Iſrael ceſſare poterit. Et rurſum: Dabo laborem eorum iuſtis, & teſtamentum æternū ponam cum ipſis, & ſcietur in gentibus eorum, ac nepotes, omnis qui viderit eos, cognoſcet, quia iſti ſunt ſemen benedictum à Deo & gaudio Domini perfruantur. Et nos ergo ſcrutemur vias noſtras & greſſus diiudicemus & ſequamur odorem ſcientiæ abſcondentes ſemper verba eius in cordibus noſtris, vt ſimus immaculati in via, & in lege

Domini ambulemus. Nō nos terreat fragilitas corporis, & longi temporis labor patris noſtri, vbi ſunt & prophetæ, ſicut ſcriptum eſt, Nunquid in æternū viuent? verba autem mea & legitima mea ſuſcipite, quæ ego præcipio in ſpiritu meo ſeruis meis & prophetis, qui fuerunt cum patribus veſtris. Sētiamus ineffabilem clementiam Dei noſtri, qui vſque hodie ad pœnitētiam nos hortatur dicens: Nunquid qui cadet non reſurget, aut qui auerſatur, nō reuertetur? Quare aduerſatus eſt populus meus auerſione impudenti, & obtinuerunt in voluptatibus ſuis, & noluerunt reuerti? Si reuerſi fuerimus ad eum, ædificabit nos ſpiritu ſancto, iuxta illud quod ſcriptū eſt: Ædificans Hieruſalem dominus, diſperſiones Iſraëlis congregabit. Quod autem noſtri cætus & communio ex Deo ſit, qua nobis inuicem copulamur, Apoſtolus nos docuit dicens: Bonorum operum & cōmunionis obliuiſci nolite, talibus enim victimis placent Deo. In actibus apoſtolorū quoque idem legimus: Multitudinis autem credentiū erat cor vnum & anima vna, & nullus ſuorum quid poſſidebat, ſed erant eis vniuerſa cōmunia, & virtute magna dabant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Domini Ieſu. Et Pſalmiſta in eadem verba conſentit dicens: Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum. Et nos in cœnobiis commorantes & nobis mutua charitate ſociati demus ſtudium vt quomodo ſanctorum patrum in hac vita meruimus conſortium, ita in futuro quoque participes eorum ſimus, ſcientes quod crux vitæ noſtræ, doctrinæ quoque principium ſit, & oporteat nos cum Chriſto pati, & noſſe quod abſque tribulationibus & anguſtiis nullus victoriā conſequatur. Beatus vir qui ſuffert tentationem, quia cum probatus fuerit, coronam vitæ accipiet. Et iterum: Laborauit in ſeculum, & viuet in æternum: Si tamen compatimur vt & glorificemur. Æſtimo, inquit, quod nō ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et alibi ſcriptum eſt: Exiſtimaui vt cognoſcerem, hoc labor eſt in conſpectu meo. Et iterum: Ego autem laboraui ſequens te & diem hominum non conſideraui. Et in alio loco: Multæ tribulationes iuſtorum, & ex omnibus his liberauit eos Dominus. Et Dominus noſter loquitur in Euangelio: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Et alibi: Hic liber mandatorum eſt, & lex ſcripta in ſempiternum. Omnes qui obſeruauerint eam, viuent, qui autem dereliquerint, morientur. Reuertere Iacob, & apprehende eum: ambula in ſplendore luminis eius, & non des alteri gloriam tuam, & ea quæ conducunt tibi: gentis alienæ beatiſſimus Iſraël, quia placita Deo noſtro, nota ſunt nobis. Confide populus meus memorialem Iſraël. Et iterum Eſaias loquitur: Lætare Iſraël & feſtum agite diem omnes, qui diligitis eum. Gaudete qui confiditis in eo, vt fugatis & impleamini. Habeamus curam legendarum & diſcēdarum ſcripturarum, & in earum ſemper meditatione verſemur, ſcientes ſcriptum: Ex fructu oris ſui vir ſaturabitur, & merces laborū eius reddetur. Hæc ſunt quæ nos ducant ad æternam vitam, quæ nobis tradidit pater noſter, & iugiter meditanda præcepit, vt compleam illud in nobis, quod ſcriptum eſt:

A Erunt hæc verba, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & in anima tua docebis ea filios tuos. Et loqueris in eis ſedēs in domo, & ambulans in via, & accubans atque conſurgens. Scribe ea pro ſigno in manu tua, & erunt immobilia ante oculos tuos. Scribes quoque ea in poſtibus domuum tuarum, & in liminibus, vt diſcatis timere dominum cunctis diebus, quibus viuitis. Salomon quoque idipſum ſignificans, dicit: Scribe ea in latitudine cordis tui. Conſiderate quantis teſtimoniis ad meditationem ſanctarum ſcripturarū nos ſermo Domini cohortetur, vt quæ ore voluimus, fide poſſideamus. Bonum eſt homini cum leuauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolitarius & tacebit, quoniam leuabit ſuper ſe iugum, dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis, quoniam non ſemper Dominus abiiciet. Et alibi ſcriptum eſt: Recordatus ſum miſericordiæ infantiæ tuæ. Et iterum: Lætare iuuenis in adoleſcentia tua, & exultet cor tuū in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui abſque macula, & in conſpectu oculorum tuorum, & ſcito quoniam in omnibus his adducat te Dominus in iudicio. Aufer furorem de corde tuo, & malitiam à carne tua, quoniam adoleſcentia & ſtultitia vanitas eſt. Et memento creatoris tui in diebus adoleſcentiæ tuæ, donec veniant dies peſſimi, & occupent anni, in quibus dices: Non eſt mihi in eis voluntas, donec obtenebreſcat ſol, & lux, & luna, ſtellæ, & conuertantur nubes poſt pluuiam. In die qua mouebuntur cuſtodes domus, & ſubuertentur viri virtutis, & ceſſent molentes, quia paucæ factæ ſunt, & obſcurabuntur, quæ vident in foraminibus, & claudent in vas in foro, in infirmitate vocis molentis. Et exurgent ad vocem paſſeris, & humiliabuntur omnes filij cantici. Et quidem ab alto aſpicient & pauores in via. Et floreat amygdalum & ingraſſetur locuſta & ſcindatur capparis. Quoniam abiit homo in domum ſeculi ſui, & gyrauerunt in foro qui plangunt, quoadusque euertatur funiculus argenti, & conteratur monile auri, & confringatur hydria ad fontem, & impediatur rota ſuper lacum, & conuertatur puluis in terra, ſicut fuit, & ſpiritus reuertatur ad dominum, qui dedit eum. In Euangelio quoque ſcriptum eſt: Pueri nunquid habetis pulmentum? Mittite in dextram partem nauis, & inuenietis. Ioan. 21. Et iterum: Omnis puer ac iuuenculus qui neſcit hodie bonum ac malum, ipſi intrabunt in terrā bonam. & rurſum: Omne maſculinū quod aperit vuluam, ſanctum vocabitur. Exod. 34. Et in Euangelio: Puer autem ibat & creſcebat, & proficiebat apud Deum & homines. Ieſus quoque miniſter Moyſi iuuenis erat, & non egrediebatur de tabernaculo Dei. Luc. 2. Et de Dauid ſcriptum legimus: Puer flaui coloris, elegantibus oculis. Timoth. quoque adhuc puer & adoleſcens ſacris literis eruditus eſt, vt ad fidem Domini ſaluatoris illarum ſemina perueniret. Et de Daniele, quia eruditus erat, ſcriptum legimus quod vir deſideriorum appellatus ſit. Ioſeph quoque erat dilectiſſimus patri ſuo, quia eius imperiis ſeruiebat, & decem ac ſeptem adhuc natus annos præcepta illius legem vitæ ſuę arbitrabatur. Et hæc cuncta replicaui, vt ſanctorum vitas conſiderantes non circumferamur omni vento doctrinæ,

doctrinæ,sed laboremus & eorum conuersationẽ, A legentes testimonia seminemus nobis iustitiam, vt
nostræ vitæ propositum habeamus exemplum, vt metamus fructum vitæ. Illuminemus lucẽ scientiæ,
simus populus Dei peculiaris. Nec contristemur quia tempus est,vt cognoscamus Deum,donec ve-
spiritum sanctum in quo signati sumus in die redẽ- niet fructus iustitię nobis. Ecce nunc tempus acce-
ptionis, ne illud extinguamus in nobis, & prophe- ptabile,& dies salutis. Et vere,secũdum quod scri- Rom. 163.
tias non contemnamus, ne forsitan volenti spiritui ptum est:Plenitudo legis est dilectio. Ioanne in hęc Ioan.15.
sancto habitare in nobis, non demus locum. Nullũ eadem continente, hoc præceptum accepimus à 1.Cor. 8.
alium timeamus præter Deum, qui vltor & iudex patre, vt diligatis inuicem. Et qui diligit Deum, 1.Ioan.3.
est operum singulorum,& cum sancto sanctus est,& diligat & fratrem suum,non sicut Cain, qui ex ma-
cum viro innocente innocens. Et dicit:Ego aman- ligno erat & occidit fratrem suum. Et quare oc-
tes me diligo, & qui me quærunt, inuenient gau- cidit eum?quia opera eius maligna erant,fratris au
dium. Et alibi loquitur:Si ambulaueritis contra me B tem eius bona. Nõ admiremur fratres, si oderit vos
peruersi,ego ambulabo contra vos peruersus. Non mundus, nos scimus, quoniam transiuimus de
irascamur inuicem,etiam si ira nos vicerit,non pec- morte ad vitam, eo quod diligamus fratres. Ergo
camus irati solis occubitum pœnitentiæ præueniẽ- diligamus nos mutuo. Loquar aliud ad vos auden-
tes. Meminerimus esse præceptum, quoties pec- tius,filij charissimi,ex eo quod credidit mihi Deus
canti in nos ignoscere debemus,& munus nostrum conuersationis vestræ & sanctæ communicationis
relinquere ante altare, quod nequaquam suscipi- gregem,non cessaui cum lachrymis monere & do-
tur, nisi fuerit reconciliatione placabile,vt possi- cere singulos, vt placeatis Deo, nec subtraxi ali-
mus dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut & quid, quod vobis vtile sentiebam,vt non dicerem:
Luc 11. nos dimittimus debitoribus nostris. Et Apostolus Et nunc commendo vos Deo & verbo gratiæ eius,
præcepit:Si quis habet aduersus aliquẽ quærimo- qui vos potest ædificare, & dare vobis hæredita-
Col.3. niam,sicut & Christus donauit nobis,sic facite. Sci- tem cum sanctis. Vigilate omni studio curáque, 2.Tim.4.
mus discipuli mansuetudinis sanctorum omniũ & contendite ne obliuiscamini propositi vestri, sed
præcipuè Dauid, de quo scriptum est: Memento C implete quod vos scitis esse pollicitos, ego enim iã
Psal. 131. Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Et delibor & tempus resolutionis meæ adest. Qui cer-
Moysi de quo legimus,quod mãsuetus fuerit super tamen bonum ex parte certaui, cursum consum-
omnem terram. Et Dominus in Euangelio de mã- maui, fidem seruaui. De cætero posita est mihi
suetis ac mitibus loquitur:Beati mites,quoniã pos- corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in il-
Mat. 5. Prou.10. sidebunt terram. Magnæ sapientiæ est mãsuetudi- la die,iustus iudex, non solum autem mihi, sed &
Eph.5. nem possidere & audire: Sapiens esto fili, vt læte- omnibus qui dilexerunt iustitiam eius, & omnia
Mat.5. tur cor meum. Et iterum: Imitatores estote Dei vt patris mandata fecerunt. Finis verbi, omnia audi, 1.Tim.4.
filij charissimi. Et: Estote perfecti sicut & pater ve- Deum time, & mandata eius custodi, quoniam
ster,qui est in cœlis perfectus est. Et alibi: Sancti omnis homo vniuersum opus Deus adducet in iu-
Leuit.11. estote,quoniã ego sãctus sum,dicit Dominus. Quæ dicium siue bonum,siue malum.

D. MARTINI EPISCOPI DVMIENSIS, FORMVLA HONESTÆ VITÆ, SIVE DE QVATVOR VIRTVTIBVS CARDINALIBVS, LIB. I.

EX TRITHEMII LIBRO DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

Martinus Episcopus Dumiensis cœnobij rector quondam & Abbas, vir tam in diuinis scripturis quàm in secularibus literis eruditus, veniens à partibus Orientis in Galliam, Sueuorum populũ doctrina & miraculis ab Arriana impietate ad rectam fidẽ conuertit, regulas Orthodoxæ fidei constituit, monasteria condidit, Ecclesias reformauit, scripsit ad Mitonem regem Gallitiæ de quatuor virtutibus quas Cardinales appellant, instructum volumen quod prænotare voluit:

Formulam honestæ vitæ. *lib.* 1. *Glorioſiſs. & tran.*
Epistolarum mortalium. *lib.* 1. *Et quædam alia quæ non vidi.*

Claruit sub Teudemiro rege Sueuorum, imperium Constantinopolitanum gubernante Iustiniano Augusto, anno domini. 540.

QVatuor virtutum species multorũ sapien- D deantur nõ bona esse,& sunt. Quæcunque autẽ ex
tium sententiis diffinitæ sunt, quibus ani- rebus transitoriis possides, non mireris, nec magnũ
mus humanus componi ad honestatem vi- existimes quod caducũ est:nec apud te quæ habes,
tæ possit. Harum prima, est prudentia: secunda, tanquã aliena seruabis,sed pro te tanquã tua dispẽ-
magnanimitas: tertia,continentia: quarta iustitia. ses & vtaris. Si prudentiam amplecteris,vbique idẽ
Singulæ tibi in officiis quæ subsunt, annexæ sunt, eris:& pout rerum ac temporum varietas exigit,ita
ac bene moratum virum efficiunt. te accommodes tempori: nec te in aliquibus mu-
De prudentia. CAP. 1. tes,sed potius aptes: sicut manus quæ eadem est,&
Quisquis prudentiã sequi desideras, tunc per ra- cum in palmam extenditur, & cum in pugnum a-
Prudentiæ officia. tionẽ rectè viues,fromnia prius existimes & perpẽ- stringitur. Prudentis proprium est, examinare con-
ses,& dignitatẽ rebus nõ ex opinione multorũ, sed silia, & non citò facili credulitate ad falsã prolabi.
ex earũ natura constituas. Nã scire debes,quia sunt De dubiis non deffinias,sed suspensam tenças sen-
quæ videantur esse bona,& nõ sunt:& sunt quę vi- tentiam. Nihil inexpertum affirmes, quia non om-

ne verisimile statim verum est: sicut & sæpius quod primùm incredibile videtur, non continuò falsum est. Crebrò siquidem faciē mēdacij, veritas retinet. Crebrò mēdacium specie veritatis occulitur. Nam sicut aliquando tristem frontē amicus, & blandam adulator ostendit: sic verisimilitudine coloratur veritas, & vt fallat vel surrepat, coloratur. Si prudens esse cupis, in futurum, prospectum intende: & quæ possunt cōtingere, animo tuo cuncta propone. Nihil tibi subitū sit, sed per otium antè conspicies. Nā qui prudens est, non dicit: Non putaui quidem hoc fieri: quia non dubitat, sed expectat: nec suspicatur, sed cauet. Cuiuscunq; facti causam require: cū initia inueneris, exitus cogitabis. Scito te in quibusdā debere perseuerare, quia cœpisti: quædam verò nec incipere, in quibus perseuerare sit noxium. Prudēs fallere non vult, falli nō potest. Boni est viri, etiā in morte neminē fallere. Opiniones tuæ, iudicia sint. Cogitationes vagas & inutiles, & velut somnio similes, non recipies: quibus si animus tuus se oblectauerit, cum omnia disposueris, tristis remanebis: sed cogitatio tua stabilis & certa sit siue deliberet, siue quærat, siue contempletur, non recedat à vero. Sermo quoque tuus non sit inanis, sed aut suadeat, aut moneat, aut consoletur, aut præcipiat. Lauda parcè, vitupera parcius. Nam similiter reprehensibilis est nimia laudatio, vt immoderata vituperatio. Illa siquidem adulatione, ista malignitate suspecta est. Testimonium veritati, non amicitię reddes. Cū consideratione promitte: plenius quæ promiseris præsta. Si prudēs est animus tuus, tribus tēporibus dispēsetur. Præsentia ordina, futura præuide, præterita recordare. Nā qui nil de præterito cogitat, perdit vitam: qui nil de futuro pręmeditatur, in omnia incautus incidit. Proponas in animo tuo futura mala & bona: vt illa sustinere possis, & ista moderari. Nō semper in actu sis, sed interdū animo tuo requiē dato: & requies ipsa plena sit sapientiæ studiis, & cogitationibus bonis: nā prudēs nunquam ocio marcet. Habet autē aliquando remissum animū, nunquā solutū. Accelerat tarda, perplexa expedit, dura mollit, exæquat ardua. Scit enim quid qua via aggredi debeat: & distinctè cūcta videt. Consiliū peritorū, ex apertis obscura æstimat, ex paruulis magna, ex proximis remota, ex partibus tota. Nō te moueat dicētis authoritas, nec quis, sed quid dicat, intēdito. Nec quā multis, sed qualibus placeat, cogita. Id quære, quod inuenire possis. Id disce, quod potes scire. Id opta, quod optari corā bonis potest. Nec altiori te rei imponas, in qua tibi stanti tremēdū, ascendēti cadendū sit. Cōsilia tibi salutifera aduoca. Cū tibi alludit vitę prosperitas, tūc te velut in lubrico retinebis, ac sistes: nec tibi dabis impetus liberos, sed circūspicies quò eūdum sit, vel quousq;.

Prudens futura respicit.

Otium honestum.

Expetēda.

De Magnanimitate. CAP. II.

Magnanimitas verò, quæ & fortitudo dicitur, si insit animo tuo, cū magna fiducia viues liber, intrepidus, alacer. Magni animi hominis bonū est, nō vacillare, cōstare sibi, & finē vitæ intrepidē expectare. Nil aliud magnū in rebus humanis, nisi animus magna despiciēs. Si magnanimus fueris, nunquā iudicabis tibi contumeliā fieri. De inimico dices, Non nocuit mihi, sed animū nocēdi habuit: & cū illum in potestate tua videris, vindictā putabis, vindicare potuisse. Scito enim, honestū & magnū genus vindictę esse, ignoscere. Neminē susurro appetas, neminē suffodias, palā aggredere: nō geres conflictū nisi indixeris, nam fraudes & doli imbecillū decēt. Eris magnanimus, si pericula nec appetas, vt temerarius: nec formides, vt timidus, nā nil timidū facit animū nisi reprehēsibilis vitæ conscientia. Mēsura ergo magnanimitatis est, nec timidum esse hominē, nec audacem.

Vindicta.

De Continentia. CAP. III.

Continentiā verò si diligis, circūcide superflua, & in arctum desideria tua cōstringe. Cōsidera tecum, quantū natura poscat, & non quantū cupiditas expetat. Si continēs fueris, eò vsq; peruenies, vt teipso contentus sis. Nā qui sibiipsi satis est, cū diuitiis natus est. Impone cōcupiscentiæ tuæ frænū & modū, omniáq; blandimēta quæ occultā voluptatem trahūt, reiice. Ede citra cruditatē, bibe citra ebrietatē. Obserua ne in cōuiuio, aut in qualibet vitæ cōmunitate, quos nō imitaberis, dānare videaris: nec prę sentibus deliciis inhęrebis, nec desiderabis absētes. Victus tibi ex facili sit: nec advoluptatē, sed ad cibū accede. Palatū tuū fames excitet, nō sapores. Desideria tua paruo redime: quia hoc tantū curare debes, vt desināt: atq; quasi ad exēplar cōpositus diuinū, à corpore ad spiritū, quantū potes te festina reducere. Si cōtinentiæ studes, habita nō amœnè, sed salubriter: nec dominū esse velis notū à domo, sed domū à domino. Nō tibi ascribas quod nō eris, nec quod es: nec maius quā es videri velis. Hoc maiùs obserua, ne paupertas tibi immunda sit, nec parcimonia sordida, nec simplicitas neglecta, nec lenitas languida: & si tibi res exiguæ sunt, nō tamē sint angustæ. Nec tua defleas, nec aliena mireris. Si continentiā diligis, turpia fugito antequā accidant: nec quenquā aliū vereberis plus quā te. Omnia tolerabilia præter turpitudinē crede. A verbis quoq; turpibus abstineto, quia eorū licētia imprudentiā nutrit. Sermones vtiles magis quā facetos & amabiles ama, rectos potius quā obsecundātes. Miscebis interdum seriis iocos, sed tēperatos, & sine detrimēto dignitatis ac verecūdiæ. Nā reprehēsibilis risus est, si immodicus, si pueriliter effusus, si muliebriter fractus. Odibilē quoq; hominē facit risus, aut superb⁹, aut clarus, aut malignus & furtiu⁹, aut alienis malis euocatus. Si ergo ipsos iocos exigis, hoc quoque cū dignitate sapiētię gere, vt te nec grauēt tanquā aspe rum, nec contēnant tanquā vilē. Nō erit tibi scurrilitas, sed grata vrbanitas. Sales tui sint sine dēte, ioci sine vilitate, ris⁹ sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu: quies tibi nō desidia erit, & cū ab aliis luditur, tu sācti aliquid honestíq; tractabis. Si cōtinens es, adulationes euita: sitq; tibi tam triste laudari à turpib⁹ q̄ si lauderis ob turpia. Lętior esto, quoties displices malis: & malorū de te existimationes malas, verā tui laudationē ascribe. Difficillimū cōtinētię op⁹ est, assētationes adulatione repellere, quarū sermones animū voluptate resoluūt. Nullius per assentationē amicitiā merearis: nec ad tuā promerendā, per hāc aditū pandas. Nō eris audax, nec arrogās: submittes te, nō proiicies, grauitate seruata, admoneberis libēter, & reprehendēris patiēter. Si meritò obiurgabit aliquis, scito quia profuit: si immeritò, scito quia pdesse voluit. Nō acerba, sed blanda timebis verba. Esto vitiorū fugax ipse: aliorum

Prudens.

Continentię modus.

Victus ratio.

Assētatio.

Correptio.

Turpia fugienda,

rum verò neque curiosus scrutator, neque acerbus reprehensor, sed sine exprobratione correptor, ita vt admonitionem hilaritate præuenias: & errori facilè veniam dato. Nec extollas quenquam, neque deiicias. Dicentium esto tacitus auditor: audientium promptus receptor. Requirenti facilè respondè, contemnenti facilè cede: ne in iurgia execrationésque discedas. Si continens es, animi tui motus corporísque obserua, ne indecori sint. Nec illos ideo contemnas quia latent: nam nil differt, si nemo videat, cum tu ipse illos videas. Mobilis esto, non leuis: constans, non pertinax. Alicuius rei scientiam habere te, nec ignotum sit, nec molestum. Omnes tibi pares facies: sed inferiores superbiendo non contemnes. Superiores, rectè viuendo non metuas. In reddenda officiositate, neque negligens, neque exactor appareas. Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. Seuerior esto in iudicio quàm in sermone, vita quàm vultu: cultor clementiæ: detestator sæuitiæ: bonæ famæ neque tuæ seminator, neque alienæ inuidus. Rumoribus, criminibus, suspicionibus minimè credulus vel malignus, sed potius his qui per speciem simplicitatis ad nocendu m aliquibus subrepunt, oppositissimus. Ad iram tardus, ad misericordiam pronus: in aduersis firmus, in prosperis cautus & humilis: occultator virtutum, sicut alij vitiorum. Vanæ gloriæ contemptor & bonorũ, quibus præditus es, non acerbus exactor. Nullius imprudentiam despicias. Rari sermonis ipse, sed loquentium patiens. Seuerus, non sæuus, sed hilarem non aspernens. Sapientiæ cupidus & docilis: quæ nosti, sine arrogantia postulanti imparties: quæ nescis, sine occultatione ignorantiæ tibi postula impartiri. Non conturbabit sapiens mores publicos, nec populum in se vitæ nouitate conuertet. Iustiæ post hæc virtus est.

Officiositas.

Sermonis decorum.

De Iustitia. CAP. IIII.

Quid est iustitia, nisi naturæ tacita conuentio, in adiutorium multorum inuenta? Iustitia non nostra constitutio, sed diuina lex est, & vinculum societatis humanæ. In hac non est quòd æstimemus quid expediat: expedit tibi, quicquid illa dictauerit. Quisquis ergo hanc sectari desideras, Deum time prius & ama, vt ameris à Deo. Amabilis eris Deo, si in hoc illum imitaberis, vt velis omnibus prodesse, & nulli nocere. Et tunc te iustum virum appellabunt omnes, sequentur, venerabuntur, & diligent. Iustus enim vt sis, non solùm nõ nocebis, sed etiam nocentes prohibebis: nam nil nocere, non est iustitia, sed abstinentia alieni est. Ab his ergo incipe, vt non auferas, vt ad maiora proueharis, & aliis ablata restituas. Raptores quoque ipsos ne aliis timendi sint, castiga & cohibe. Ex nulla vocis ambiguitate controuersiam nectes, sed animi qualitatem speculare. Nihil tibi interfit an † firmes, an iures. De fide & religione scias agi, vbicunque de veritate tractatur, nam si iureiurando Deus inuocetur, & non inuocanti testis est, tamen non transies veritatem, ne iusticiæ transeas legem. Quòd si aliquando coarcteris vti mendacio, vtere non ad falsi, sed ad veri custodiam: & si contigerit fidelitatem mendacio redimi, non mentieris, sed potius excusaberis: quia vbi honesta causa est, iustus secreta non prodit, tacenda enim tacet, loquenda loquitur: atque illi aperta & secura tranquillitas, vt dum alij vincantur à malis, vincantur ab illo mala. Hæc ergo si studere curaueris, lætus & intrepidus, cursûs tui finem expectabis: prospicies hæc tristia huius mundi, hilaris: tumultuosa, quietus: extrema, securus.

Beneficentia.

† al. confirmes, iurabis

De mensura & moderatione prudentiæ.

CAP. V.

His ergo institutionibus obseruatis, quatuor virtutum species perfectum te facient virum, si mensuram rectitudinis earum æquo viuendi fine seruaueris. Nam si prudentia terminos suos excedat, callida & pauida commiseris, inuestigator latentium, & scrutator qualiumcunque noxarum ostenderis: notaberis timidus, speciosus, attentus: semper aliquid quærens, semper aliquid timens, semper aliquid dubitans: & subtilissimas suspiciones suas ad animi tui apprehensionem impingas: monstraberis digito astutia plenus, versipellis, & simplicitatis inimicus, contemplatórque culparum, & postremò vno nomine vocaberis à cunctis, malus homo. In has ergo maculas prudentia immensurata perducet: quicunque in illa mediocri lance persistit, nec obtusum in se aliquid habeat, nec versutum.

De moderanda fortitudine. CAP. VI.

Magnanimitas autem si se extra modum suum extollat, faciet virum minacem, inflatum, turbidum, inquietum: & in quascunque extollentias dictorum, actorúmque neglecta honestate festinum, qui momentis omnibus supercilia subrigens & bestiarius etiam quieta excitat, alium ferit, alium fugat. Sed quãuis audax sit impugnator, tamen multa extra se valentia ferre non poterit. Sed aut miserum appetit finem, aut ærumnosam sui memoriam derelinquit. Mensura ergo magnanimitatis est, nec timidum esse hominem, nec audacem.

De modo temperantiæ. CAP. VII.

Continentia deinde his terminis te astringat: caue ne parcus sis, ne suspicioscè & timidè manum contrahas. Ne in minimis quoque speculum ponas. Nam talis & tam circumcisa vilis putabitur integritas. Hac ergo mediocritatis linea continentiam obseruabis, vt nec voluptati deditus, prodigus & luxuriosus appareas: nec auara tenacitate sordidus, aut obscurus existas.

Temperãtiæ mediocritas.

Qualiter sit moderanda iustitia. CAP. VIII.

Iustitia postremò eo mediocritatis tibi itinere regenda est, vt nec ductu † iugiter leui immotam semper animi rationem negligentia subsequatur. Dum neque de magnis neque de minimis errantium vitiis corrigendi curam geris, sed neque licentiam peccãdi, aut alludentibus tibi blandè, aut illudentibus proteruè permittis, neque rursus nimia rigiditate & asperitate, nil veniæ aut benignitati reseruans, humanæ societati durus appareas. Ita ergo iustitiæ regula tenenda est, vt reuerentia disciplinæ eius, neque nimia negligentiæ communitate despecta vilescat, neque seueriori atrocitate diuturna, gratiam humanæ amabilitatis amittat.

† al. turpiter leni.

Iustitiæ modus.

Conclusio præmissorum.

Si quis ergo vitam suam ad vtilitatem non tantùm pariat, sed multorum inculpabiliter componere desiderat, hanc prædictarum virtutum formulam pro qualitatibus temporum, locorum, per-

sonarum atque cáusarum sequatur: eo mediocritatis insistens, quo per abrupta altrinsecus præcipitia, aut ruentem corporis deuitet insaniam, aut efficientem puniat ignauiam.

MARTINI EPISCOPI DVmiensis de moribus, Liber vnus.

OMne peccatum actio est. Actio autem omnis voluntaria est, tam honesta quàm turpis: ergo volũtarium est omne peccatũ. Tolle excusationem, nemo peccat inuitus. Educatio & disciplina mores faciunt: & id vnusquisq; sapit, quod didicit. Itaque bona consuetudo excutere debet, quod mala instruxit. Nihil interest quo animo facias, quod fecisse vitiosum est: quia facta cernuntur, animus verò non videtur. Nulla autem laus est, non facere quod facere non possis. Quid homini est inimicissimum? homo. Libenter feras, quod necesse est: dolor patiẽtiâ vincitur. Expecta quo nunquam pœniteas. Nõ quam multis placeas, sed qualibus stude. In hoc tantum incumbe, vt libentius audias, quam loquaris. Multos vitam differentes mors iuncta præuenit. Itaque omnis dies velut vltimus iudicetur. Tristitiam si potes, ne admiseris: sin minus, ne ostenderis. Amicos secretò admone, palàm autem lauda. Verba rebus, non personis æstimãda sunt. Oratorem te puta, si tibi ante omnes, quod oportet, persuaseris. Vt licentiosa mancipia animi, imperio coerce linguam, ventrem, & libidinem. Quod tacitum esse velis, nemini dixeris. Si tibi non imperasti, quomodo ab alio silentium speras? Ridiculum est, aliquem odio nocentis, innocentiam perdere. Monstro similis est auaritia senilis. Quid enim stultius est, quod dici solet, quàm via deficiente viaticum augere? Omnes infantes terra nudos excipit. Non pudet te fortius nasci quàm viuere? Quid dulcius, quàm habere amicũ, cum quo audeas vt tecum omnia loqui? Magnarum virium est negligere lædẽtem. Quid sis, interest: non, quid habeas. Nondum es fœlix si te turba non deriserit. Si vis beatus esse, cogita hoc primùm contemnere, & contemni. Priusquam promittas, deliberes: & cum promiseris, facias. Id agas, ne quis meritò te oderit: & si nullos inimicos tibi facies iniuria, multos facit inuidia. Solitudinẽ quæret, qui vult cum innocentibus viuere. Optimus ergo animus, & pulcherrimus cultor Dei est. Abstinebis ab alieno matrimonio. Præstabis parentibus pietatem, cognatis indulgentiam, omnibus æquitatem. Deuitabis crudelitatem, & ministram crudelitatis iram. Non aliter viuas in solitudine, aliter in foro. Nihil petas, quod negaturus fuisti: nihil negabis, quod petiturus fuisti. Pacem cum hominibus habebis, cum vitiis bellum. Hoc habet omnis affectus, vt in quod ipse insanit, in id putet etiam cæteros furere. Maximum in eo vitium est, qui non melioribus vult placere, sed pluribus. Vis omnibus esse notus, prius effice vt neminem noueris. Bonum est non laudari, & esse laudabilẽ. Stultum est, timere quod vitare non potes. Malè opinentur de te homines, sed mali. Malis displicere, est laudari. Malè de te loquuntur homines, bene autem loqui nesciunt: non quòd merearis, sed quòd solent ipsi. Homines de te mala loquuntur? Si meritò: non quòd loquuntur molestum est, sed quòd non mentiuntur. Si immerito: innocentia mea nunc maximè gaudeo; Apparet enim illos vera obiecturos, si possent. Non es in patria tua? Patria tua est, vbicunque bene es: illud enim per quod bene est, non est in loco, sed in homine. Nihil magnum, nisi magno animo despicias. Quæ sunt maximę diuitię? non desiderare diuitias. Quis plurimum habet? is qui minimũ cupit. Quid est dare beneficium? Deum imitari. Honestius est, cum iudicaueris, amare: quàm cum amaueris, iudicare. Dissensio ab alio incipiat, à te autem reconciliatio. Succurre paupertati amicorum, immò occurre. Amicos secundæ res parant, aduersæ certissimè probant. Peiora sunt tecta odia, quàm aperta: Itaque te minus, loquax inimicus offendit, quàm tacitus. Mira ratio est, quæ nõ vult prædicari, quod gaudet intelligi. Ignosci amat, qui quod odit ostendit. Eleemosyna non tam accipientibus quàm dantibus prodest. Et spes præmij, solatium fit laboris. Quæ est maxima egestas? auaricia. Pecuniæ imperare oportet, non seruire. Nullum conscium peccatorum tuorum magis timueris, quam temetipsum: Alium potes effugere, te autem nunquam. Quis est pauper? qui sibi videtur. Qui à multis timetur, multos timet. Infœlicem erige, submitte fœlicitatem. Vera fœlicitas, innocentia est. Nequitia ipsa sui pœna est. Mala conscientia sępe tuta est, secura nunquam. Libidinis initia continebit, qui exitum cogitabit. Beneficij accepti nũquam oportet obliuisci: dati, protinus. Inhonesta victoria est, suos vincere. Satis est pœnarum, potuisse punire. Inimicitias tardè suscipe, amicitias exerce moderatè. Simultates depone. Imago animi, sermo est. Qualis vir talis oratio. Magna res est vocis & silentij temperamentum. Qui æquo animo malis immiscetur, malus est. Neminem laudaueris, neminem citò accusaris, semper puta, te cum diis testimonium dicere. Vitium est, omnia credere: vitium, nihil credere. Vtendum est diuitiis, non abutendum. Nullum putaueris locum sine teste. Excusationem quærere, vitium. Fortior est qui cupiditatem vincit, quàm qui hostem subiicit. Est difficillimum seipsum vincere. Iniquè irascitur, qui suis irascitur. Amare sic incipe, tanquam non liceat desinere. Magnarum rerum etiam si successus non fuerit, honestus est ipse conatus. Nobilitas animi, est generositas sensus: nobilitas corporis, generosus animus. Honestior est, quem senectus ad ocium retulit, quàm quem in ocio inuenit, & tunc incipit laborare. Turpe spectaculum præbet animus æger. Nunquam sit tristis facies tibi in commodo alterius. Homo sum: quomodo deuitabo secundarum rerum inuidiam? Si fœlicitatem iactaueris, cum multis dies eris. Quomodo optimè potentiam tuebor? impotentia occasionis. Locum tenet innocentiæ proximum confessio. Vbi confessio, ibi remissio. Iræ seueritas in vitio est. Boni iudicis est dispensare, non tantùm quid damnandum sit, sed quatenus. Proximus iustitiæ modus seueritas. Quietissimam vitam agerent homines in terris, si hæc duo verba à natura omnium rerum tollerent, meum & tuum. Qui paupertatem timet, timendus est. Vires

Consuetudo.
Mortis cogitatio.
Auaritia.
Inimicitia.
Fama.
Vere diuitiæ.
Odium.
Auaritia.
Cõscientia.
Credulitas.
Meum, & tuum.

tuas

tuas amici magis sentiant beneficiis quàm iniuriis. Auaritia. Pecunia non satiat auariciam, sed irritat. Homo semper indigens pecunia, scit cum eius moribus cõuenire. Mihi crede, non potes diues esse, & felix. Auribus frequẽtius quàm lingua vtere. Quicquid dicturus es, antequam aliis, dixeris tibi. Nihil interest inter iratum & insanum, nisi vnus dies: Alter nõ semper irascitur, alter semper insanit. Facillimè bonus fuêris, si ea vitaueris quæ vituperaueris. Cum alienos timueris, te ipsum verere: nam sæpe sine aliis esse potes, sine te nunquam. Si bene te instruxeris, pudeat deteriora facere. Quod persuaseris, erit diuturnum: quod coegeris, erit in occasione. Alteri semper ignoscito, tibiipsi nunquam. Tantum ad virtutem adiicies, quantum ex voluptate abstraxeris. Stultum est somno delectari, & quasi mortem moliri. Bonis nocet, qui malis parcit. Multi cùm alij maledicunt, sibiipsis conuicium faciunt. Nihil turpius, quàm qui obiicit alteri, sibi obiiciẽdum. Vt licentiosa mancipia animi, imperio rege linguam, libidinem, ventrem: cupiditatémque comprime: si non potes, paululum remitte. Sæpe ea quæ sanari ratione non poterant, sanata sunt tempore. Qui propter pecuniæ amorem & libidinum moritur, Turpiloquium. ostẽdit se nunquam sui causa vixisse. Turpia ne dixeris: paulatim enim pudor per verba discutitur. Sic habita, vt potius laudetur dominus quàm domus. Consuetudinaria res est innocentia. nõ damnatio, sed causa hominem turpem facit. Merito dãnari, pœna est: damnatio immerita, damnantis est calamitas. Si aliquid cogitaueris, citò apparebit cõuersantibus. Videri vis ab omnibus? nunquam bonæ honestatis simulatio longa est. Simulatio. Quod de alienis tractas, ex tuis iudices. Multi sunt obligandi, pauci offendendi: nam memoria beneficiorum facilis est, iniuriarum tenax. Obiurgationi semper aliquid blandè admisce: facilius enim penetrant verba quæ molli vadunt via, quàm aspera. Nemo enim se mutat, qui mutari se desperet. Quotiens scribens aliquid dicturus es, scito morum tuorum te hominibus chirographum dare. Qui in seruos irascitur, & crudelis est, satis ostendit potestatem aduersus alienos sibi defuisse. Iracundia in seruos. Qui nescit tacere, nescit loqui. Facilius est pauperi contemptum effugere, quàm diuiti inuidiam. Bonus fruitur bona conscientia. Malis hominibus tutissimum est, citò fugere. Nulla pusilla domus, quæ multos amicos capit. Scire vti paupertate, maxima felicitas. Acuit intentio, frangit animum remissio. Nunquam scelus scelere vincendum est. Bonus vir est qui eo perduxit affectu animum, vt non tantùm peccare nõ velit, sed etiam non possit. Regnantibus, peius multo periculum, quàm his qui iudicantur: hi enim singulos timẽt, illi vniuersos. Nunquid fortis fortem se gloriabitur, quem corporis ægritudo efficit infirmum? Nũquid diues in opibus suis gloriabitur, cuius spem fur vel tyrãnus abrupit? Nunquid nobilitas gloriabitur affecta, nonnunquam indignis & miserabilibus seruiens? Diabolus aliquando se gloriabatur interfectorem tuæ misericordiæ, nũc intergemiscit socios tuæ beatitudinis. Fugienda sunt omnibus modis, & Fugiendi. abscindenda igni ac ferro, totóque artificio separãda, languor à corpore, imperitia ab animo, luxuria à mente, à ciuitate seditio, à domo discordia, à cunctis rebus intemperantia. Dixit quidam, amicorum omnia esse communia, & amicũ seipsum esse alterum: duorum temporum maximè habendam curã, & eorum quę acturi sumus, & eorum quę gessimus, post Deum veritatem colendam, quę sola homines Diis proximos facit.

EVAGRII AD ANATOLIVM DE OCTO VITIOSIS COGITATIONIBVS, LIBER.

Cauta hoc opus legendum. 5. hyeronimus enim, Euagrium carpsit origenistam.



OCTO summa vitiosarum cogitationum genera sunt, sub quibus omnis cogitatio continetur. Prima est gulæ, secunda libidinis, tertia auaritiæ, quarta tristitiæ, quinta iræ, sexta desidiæ, septima inanis glorię, octaua superbiæ. Hæ autem omnes, vt animæ negotium faceſſant vel non faceſſant, in nobis haudquaquam situm est: vt autem in ea moram trahant vel non trahant, aut perturbationes excitent vel non excitent, id verò nostri arbitrij ac potestatis est. De gula.

Gulæ cogitatio monacho in mentem immittit, vt quàm celerrimè à colendæ pietatis instituto desciscat, stomachi nimirùm & hepatis, & splenis dolores, & hydropisim, & diuturnum morbum, & rerum necessariarum penuriam, ac medicorum inopiam ob ipsius oculos depingens. Quin persæpè quoque memoriam quorundam fratrum nobis refricat, qui in hæc incommoda inciderũt. Atque interdum etiam eos ipsos, qui eiusmodi incommodis affecti fuerunt, inducit, vt continentiæ studiosos adeant, suásque calamitates ipsis exponant, seque eas ex monasticę vitæ asperitate cõtraxisse asserant.

Libidinis dæmon variorum corporum desiderio animas inflammat, acriúsque eos, qui continentiæ studeant, vrget: quò nimirùm tanquam frustra laborantes, institutum suum abrumpant. Atque animam inficiens, & dicere & rursus audire verba facit, non secus ac si res ipsa cerneretur, ac præstò esset. De libidine.

Auaritia longam senectutem, manuúmque in conficiẽdis operibus imbecillitatem, & famem futuram, & morbos euenturos, ac paupertatis molestias animo proponit: illúdq; præterea, turpe ac probrosum esse, ea, quæ necessaria sunt, ab aliis accipere. De auaritia.

Tristitia nonnunquam hinc oritur, quòd quispiam cupiditatibus suis priuetur. Nonnũquam rursus iram comitatur. Ob priuationem itaque cupiditatum ita oritur, Cogitationes quædam primùm, & domum, & parentes, ac pristinam vitæ rationem animæ in memoriam reuocant. Cúmque eam, non repugnantem, sed obsecundantem, atque in voluptatibus cogitatione conceptis sese diffundentem perspexerint, tum demum arreptam eam mœrore De Tristitia.

obruunt: tanquam videlicet priſtinæ res non iam A exiſtãt, nec deinceps, ob præſentis vitæ inſtitutum, exiſtere queãt. Sic miſera anima, quò magis in prio res cogitationes diffuſa eſt, hoc etiam magis in ſecundis contrahitur ac deiicitur.

De ira. Iracũdia, acutiſſimus ac rapidiſſimus affectus eſt. Siquidem indignationis feruor & concitatio eſt aduerſus eum qui læſit, aut læſiſſe videtur. Hæc porrò cùm aliàs ſemper animã in rabiem agit, tum præſertim inter precandum mentem abripit, nimirùm eius qui læſit perſonam velut ſub oculis collocans. Interdũ etiam, cùm inueterauit, atque in iram mutata eſt, noctu tumultus ciet, corporiſque tabem & pallorem ac ferarum incurſiones. Hæc autem qua- B tuor, quæ poſt iram contingunt, quamplurimas cogitationes comitari quiſpiam reperiat.

De pigritia. Deſidiæ dæmon, qui etiam meridianus vocatur, dæmonũ omnium grauiſſimus eſt: ac monachum ſub horam quartam aggreditur: animã autem ipſam ad horam vſque octauam obſidet. Ac primùm quidem id facit, vt Sol torpidus aut etiam omnis prorſus motus expers eſſe, ac dies ipſe quinquaginta horis conſtare videatur. Deinde, vt perpetuò ad feneſtras monachus proſpectet. Quin eum quoq; ex cella exilire cogit, atque oculos in Solem defigere, ac perpendere quantum ab hora nona diſtet: ac denique huc atque illuc circunſpicere, num quis C fratrum adſit. Quinetiam loci, atque adeò ipſius quoque vitæ, operiſq; manuum odium ipſi iniicit. ac præterea eum huc adducit, vt charitatem apud fratres defeciſſe credat, nec quemquam eſſe, cuius conſolatione ſubleuetur. Quòd ſi quis etiam eum per hos dies moleſtia quadam affecerit, odij incrementum dæmon adiicit. Atq; inſuper eum ad aliorum locorum cupiditatem impellit, in quibus, & quæ opus non ſunt, facilè nãciſci, & faciliorem artem, quæque ipſi felicius ſuccedat, cõſectari queat. Illud etiam adiũgit, ad hoc vt Deo quis placeat, nihil intereſſe quo loco degat: paſſim enim diuinum numen adorari poſſe. Cum his autem propinquorũ quoque, ac prioris vitæ generis memoriã coniun- D git. Tempus item vitæ longum informat, Deo cõſecratæ vitæ labores ante oculos ipſi collocans. Ac denique omnem, vt dici ſolet, machinã mouet, quò monachus cella relicta ſtudium fugiat. Hũc autem dæmonem alius ſtatim dæmon minimẽ ſequitur: verùm ſolitarius quidam ſtatus, atque omnem ſermonis facultatem excedens lætitia poſt certamen animam excipit.

De vana gloria. Inanis gloriæ cogitatio ſubtiliſſima eſt, atque in eorum animis facilè naſcitur, qui rectè & ex virtute viuunt: eorum certamina peruulgare ſtudens, atq; E humanam gloriam occupans, clamantéſq; dæmones, ac mulierculas morbis liberatas effingẽs, ac denique quendam, qui veſtem contingat. Quin ſacerdotium quoque deinceps auguratur, atque homines, à quibus quæratur, ad fores collocat: quódque niſi ſponte cedat, vinctus abducetur. Atque eo ad hunc modum inani ſpe in altum ſublato, diſcedit, vel ſuperbiæ vel triſtitiæ dæmoni tentandum iam eum relinquens: qui quidem ipſi cogitationes ipſius ſpei aduerſantes obiicit. Interdum etiam eum, qui paulò antè venerandus ac ſanctus ſacerdos erat, libidinis dæmoni exagitandum tradit.

Superbiæ dæmon acerbiſſimum animæ lapſum accerſit. Ipſam enim adducit, vt Deum adiutorem minimè confiteatur, verùm ſibiipſi, quæ rectè ac clarè gerit, aſcribat, atque aduerſus fratres vt væcordes ac ſtolidos intumeſcat: quòd videlicet idem de ſe non omnes exiſtimẽt. Hanc autem ſequitur ira, mœror, ac, quod poſtremum malum eſt, mẽtis alienatio, & furor, atque copioſa dæmonũ multitudo, quæ in aëre conſpicitur. De ſuperbia.

Quinque ſunt opera, quorum adiumẽto Dei beneuolentia conciliatur. Primùm, pura oratio. Secũdum, Pſalmorum decantatio. Tertium, diuinorum ſpiritus oraculorum lectio. Quartum, peccatorum, & mortis, ac magni iudicij cum animi dolore recordatio. Quintum, manuum labor. Quibus rebus Dei beneuolẽtia concilietur.

Si in corpore tãquam corporis expers Deo inſeruire cupis, curavt ſine vlla intermiſſione precationẽ occultè in pectore tuo habeas. Sic enim anima tua ante mortem ad angelorum ſimilitudinẽ accedit.

Quemadmodum corpus hoc noſtrum anima remota mortuũ ac fœtidum eſt: ſic etiam anima, quæ ad precationem torpet, mortua & miſera ac fœtida eſt. Quòd autem quauis etiam morte acerbius exiſtimandum ſit oratione priuari, præclarè nos docet Propheta Daniel: quippè qui prius duxerit mori, quàm vel horæ momento precatione orbari. Chryſ. de orat.

Dei crebriùs recordari, quàm ſpiritum ducere oportet. Naz.

Ad omnem anhelitum animi vigilantiam & nomen Ieſu, & mortis meditationem atque humilitatem adiunge. Ingentem enim ambæ vtilitatem afferre conſueuerunt.

Fac ſermonẽ de Deo frequentiùs q̃ cibos repetas.

Da operam vt crebriùs Deum in mente habeas, quàm ſpiritum ducas.

Deus mente comprehendi non poteſt. Nam ſi in comprehenſionem cadit, Deus certè non eſt.

Vis à Deo cognoſci? Fac hominibus quam maximè ſis ignotus. Si illud ſemper memineris, rerum earum omnium, quas vel animo, vel corpore geris, inſpectorem Deum eſſe, in nulla omnino actione peccabis: Deúmque contubernalem habebis.

Homo nulla re propiùs ad Dei ſimilitudinem accedit, quàm benè de aliis merendo. Illud tamen in beneficiis dandis cauendum eſt, ne ea velut quęſtui habeamus. Naz.

Deus nullius ope eget: ſapiens autem Deo duntaxat opus habet.

Deo dignum te iſtud demum reddet, ſi nihil ipſo indignum committas.

Deũ tuũ deniq; preclariſſimè colueris, cùm mentẽ per virtutem ad ipſius ſimilitudinẽ expreſſeris. Sola enim ea animã ad id, quod ipſi cognatũ eſt, trahit.

Homines tum demum meliores efficiuntur, cùm ad Deum appropinquant.

Sapiens homo, Deo cultum ac venerationem adhibens, ab eo cognoſcitur. Ac proinde nihil ſua referre putat, etiamſi ab omnibus ignoretur. Prudẽtiæ munus in hoc conſiſtit, vt eam animi partem, in qua iracundia exiſtit, ad internum prælium conſerendũ inciter. Sapiẽtiæ autẽ, vt rationem ad exactã perpetuámq; vigilantiam impellat. Iuſtitiæ verò, vt partem eam, in qua libido ſita eſt, tum ad virtutem, tum ad Deũ dirigat. Fortitudinis deniq;, vt quinq; ſenſus Quatuor virtutum officium.

sensus gubernet atque cohibeat: ne per eos, vel in- A ternus noster homo, hoc est animus, vel externus, hoc est corpus, spurcitiem vllam contrahat.

Definitio animæ.

Anima est viua, simplex, & corpore vacãs, atq; ab oculorũ sensu remota substantia: immortalis itẽ, & ratione ac mente prædita. Quemadmodum enim oculus in corpore: sic mens in anima dominatur.

Quæ sub cœlo sunt, ac ratione vtũtur, partim pugnant, partim propugnant, partim oppugnant. Pugnant enim homines: propugnant angeli Dei: oppugnant impuri dæmones. Quamobrem nec propugnantium penuria, nec oppugnantium viribus, sed pugnantium socordia fit, vt rerum diuinarum atque ipsius Dei cognitio in nobis.

Quod proprie malum est, substantia non est, sed boni priuatio: Quemadmodum etiam caligo nihil B aliud est, quàm lucis absentia.

Naz. Parũ cauta ac prouida est simplicitas: miniméque malum suspicatur, qui à malo liber & immunis est.

Naz. Sane ratiocinationis omnis expers est improbitas, neque vlla est ratio, qua flagitiosos homines ad meliorem mentem quisquam reducat.

Naz. Deus malorum nullo modo est author, vtpotè natura bonus.

Animæ puræ ac diuinæ ad deprehendendum diabolum mirè perspicaces sunt, quãtũuis alioqui callidus in primis atque ad impetendum versutus sit.

Naz. Nulla omnino re Deus perinde conciliatur, vt corporia afflictatione. C

Sagax atque ingeniosus est, quisquis premitur. Naz.

Ait quidam sanctorum Patrum, quod qui duram & asperam monachorum vitam suscipere nequeunt, alia ratione salutẽ consequi possunt. Quãdoquidem si Dei ope freti firmissimam erga monachos fidem habeant, cósque cohortentur atque cõsolentur, omniáque, quæ opus sunt, ipsis subministrent, saluti suæ optime consuluerint.

Noctem insomnem in opere transige: vt mox in anima tua consolationem inuenias.

In lectione tranquillo animo persta: quò mens tua ad mirifica Dei opera perpetuò tanquam porrecta manu ducatur.

Diurni somni, corporis molestiam, vel animæ anxietatem, vel inertiam, vel imperitiam indicant.

Quęuis anima per spiritus gratiam, ac propriam industriã & diligentiam hęc inter se copulare atque connectere potest, nimirùm sermonem cum mẽte, actionem cum contemplatione, virtutem cũm doctrina, & fidem cũ cognitione ab omni obliuione libera: & quidẽ ita, vt nullum ex iis altero vel minus vel maius sit, sed omnis tum excessus, tum defectus circuncidatur, atque ipsa, vt breui perstringam, vnitatem suam verè decuplet. Nam tum ipsa Deo vero & bono & duntaxat vni copulabitur.

Octo sunt cogitationes, ex quibus vitium oritur: iis nempè, qui solitariam vitam consectantur, cogitatio acediæ, inanis gloriæ, superbiæ, auaritiæ, tristitiæ, his autem qui sub aliorum imperio degunt, gulæ, iræ, & fornicationis.

SANCTI NILI DE OCTO VITIOSIS COGITATIONIBVS.

De Nilo Distichum.

Arua rigat Nilus fluuius: sed pectora sermo, *Ex monachi Nili qui fluit ore, rigat.*

DE GVLA.

DE OCTO vitiosis cogitationibus D seu affectionibus, scribere instituentes, hoc est gulę, fornicationis, auaritię, iræ, tristitiæ, acedię, inanis gloriæ, & superbiæ, priùs de ventris continentia, à qua gulam quoq;, vt aduersariã, internoscere procliue est, verba faciemus. Patres itaque non vnam ieiunij regulam, neq; vnam & eandem percipiendi cibi formam & mensuram præscripserunt: quòd videlicet, vel ob ætatem, vel ob imbecillitatem, vel denique ob quendam corporis habitũ, non omnes eodem robore sint. At verò vnum omnibus scopum proposuerunt, nimirùm vt ingluuiem E fugerent, ac saturitatem auersarentur. Vnius porrò diei ieiuniũ vtilius esse censuerũt, quàm illud, quod ad duos, aut tres, aut quatuor dies, aut etiam vsque ad hebdomadam integram protrahitur. Aiũt enim, eum qui inediam vltra modum protẽdit, vltra modum etiam frequenter cibis vti: hincque fieri, vt interdum quidem ob immodicã inediã corpus fatiscat, atque ad spiritualia munia obeũda segnior reddatur: interdum rursus, alimenti copia depressum, animam ad acediam, languidámque mollitiem ducat. Ac deinde olerum esum non omnibus conuenire dixerũt, neque item omnibus leguminũ vsum, nec sicci panis alimentum. Quin alium quidẽ, duas panis libras comedentem, fame laborare dixerunt: alium rursus semilibra vna satiari. Illud tamen omnes in vniuersum admonuerunt ne ventris saturitate sese decipi, nec fauciũ voluptate præcipites abripi paterẽtur. Neque enim ciborum quantitas duntaxat, sed etiã qualitas ignita libidinis tela exacuit. Siquidẽ ex quouis cibi genere venter ingurgitetur, passionũ flammã excitare cõsueuit. Ac rursus nõ solũ vini crapula, sed etiã aqua ad saturitatem hausta, mentẽ temulentã reddit. Atq;, vt vno verbo dicam, omne cibi potus genus, quod modũ excedit, soporẽ ac veternũ efficit. Sanè ciborũ vsus ad tuendam duntaxat vitã adhiberi debet: non itẽ vt cupiditatibus seruiamus. Is porrò, qui corpori, non tã quæ voluptas expetit, quàm quæ necessitas poscit subministrat, nullũ ad continẽtiã adipiscendam detrimẽtũ pauetur. Decretũ autẽ ac regula continẽtiæ antiquitus à Patribus tradita, eiusmodi est, vt qui cibũ sumit, vigẽte adhuc appetitu ab eo absistat: nec tantisper expectet, dũ satur sit. Sed & Apostolus, cũ his Rom. 13. verbis vsus est, Carnis curã ne feceritis in desideriis, nõ necessariã vitæ gubernationẽ prohibuit, sed libidinosã cupiditaẽ interdixit. Vetũenimverò ad plena, numerisq; omnib⁹ absolutã animæ puritatem adipiscendã, ciborum abstinẽtia parũ viriũ habet, nisi cæteræ virtutes accedant. At verò particularem eam puritatem, quæ castitate comparatur, continentia

potiùs præstat, dummodò humilitatem quoque sociam asciscat. Non eam per solam continentiã consequi conatur, ei non dissimilis est, qui vna duntaxat manu natat. Quidam autem ex iis, qui continentiæ studium profitebantur, corporum suorum viribus sufficientiam metientes, diurnum cibum sibi circunciderunt. Cùm autem istud præstitissent, consẽtanea ratione id quoque, quod reliquum erat, amputarunt. Atque ita via quadam progredientes, tandem eò vsque peruenerunt, vt tantulum duntaxat cibi caperent, quòd ad tuendam vitam satis esset. Atque hæc quidem de continentia dicta sint. Operæpretium est autem de gula etiam quædã adiungere. Gulam veteres appellarunt, raptim ac festinanter, & multa, & citra delectum, ac præmaturè comedere: ingluuiem autem, cibis delectari: sic nimirùm, vt inter vtramque id sit discriminis, quòd illa in quantitate, hæc in qualitate consistat. Quoniam enim μαργαίνειν insanire significat, vẽtris quidem insania in quantitate versatur: gutturis autem, in qualitate. Quanquam nonnulli sunt, qui vtramque vno nomine gulam appellarint.

Hæc stomachi & hepatis & splenis dolores, ac denique imbecillitatem causatur: eósque, qui propterea in graues morbos inciderunt, nobis proponere consueuit.

Vt frugum principium flos est: sic virtutis in actione posita continentia, contráque turbidorum animi motuum, gula.

Vt ignis materia lignum est: sic libidinis materia est iugluuies. Atque vt illud flammam excitat: eodem modo hæc turpem cupiditatem.

Venter egens perturbationes animi consopit: plenus autem easdem excitat.

Aridum degẽdæ vitæ genus sobrios animos parit: humidum autem & molle eos obruit.

Vt nubes Solis radios obscurat: sic crassus vapor è cibis emergens menti obscuritatem affert.

Vt terra vasta atque inculta spinas producit: sic venter cibis onustus obscœnas cogitationes.

Neque in cœno vnguẽtum, neque invẽtre ingluuie laborãte fragrans virtutis odor inueniri potest.

Helluonis oculus conuiuia curiosè exquirit: cõtinentis autem, spiritualium virorum cœtus.

Sanctorũ memorias helluonis animus enumerãdo recensẽt: continens autem eorum vitã imitatur.

Ne exquisitis cibis ad saturitatem sumptis corpus sagines: ne alioqui cõfestim aduersum te insurgat. Quin potiùs continentiæ ope atque adiumento ipsum coërcere. Sic enim hoc cõsequeris, vt imperio tuo pareat, nec temerè moueatur, aut prę libidinoso ac petulãti impetu, equi in morem, hinniat. Quemadmodum enim obtruncatus hostis nemini terrorem incutit: sic etiam corpus per cõtinentiam domitum animam minimè perturbat. Ac rursus, Quemadmodum cadauer ignis flammam minimè sentit: sic neque is, qui continentia præditus est, libidinis fornacem.

Continentia castitatem parit: gula contrà libidinis mater est.

Qui ventrem implens pudicitiæ cultum profitetur, huic similis est, qui se ignis impetũ stuppa cõpressurum, aut flãmam oleo extincturũ pollicetur.

Qui pane & aqua saturatur, continẽs habẽdus nõ est. Cuiusuis enim rei saturitas à cõtinẽtia aliena est.

Cùm gulæ dæmon præscriptam ciborum abstinẽtiam infringere nequit, tum monachum in summæ continentiæ cupiditatem subdolè coniicit: vt cùm ob corporis imbecillitatem eò peruenire non potest vt modum excedat, à mediocritate quoque ipse excidat. Quod etiam ipsum in aliis item monasticis exercitationibus hostes facere solent.

Cùm ad eorũ, qui in mundo viuũt, domos accedimus, tũ vel maximè continentiam complecti studeamus: ne mens per gulam saginata, consuetæ asperitatis curam abiiciat, atque ab hostibus nullo negotio superetur.

Vt senes iræ imperare conuenit: sic iuuenes vẽtri. Siquidem animales dæmones illi potiùs, huic autem corporei insidias moliuntur.

Vt ventris continẽtia turbidos animorũm motus deprimit: sic contrà eosdẽ gula feroces reddit.

Ventre saturo nihil diuinum inuestiga.

Vt nubes Lunæ prospectum eripit: sic gula Dei sapientiam nobis occultat.

Luxus mentis nubes est, perturbationum thesaurus, animæ vltrò accersita mors.

Iuuenili corpori luxus & ebrietas voluptatum ignem accendunt.

Crassus vẽter turbulẽtos vapores assiduè sursum efferens, mẽtis subtilitatem in fugã agere cõsueuit.

Diuinus amor, nisi continentiæ penna subleuetur, sine vlla cunctatione ad res ex materia concretas delabitur, vtpote quem intemperantiæ compedes deprimant.

Assidua ventris saturitas venereas prurigines extimulat.

Venter infidus depositi custos est: vt qui id quod iniicitur, quamprimum abiiciat.

Obesus helluo porcus est ad cædem paratus.

Sanguinis influxio spiritus effluxionem parit.

Qui ventri dominatur, quouis loco virtutẽ colere potest: qui autem in ipsius imperio est, nusquã omninò.

Duæ res cõtinentiæ propositæ sunt: altera, vt per abdicatas huiusce vitæ voluptates futuræ vitæ voluptatibus fruamur: altera, vt depresso corpore anima quoque simul deprimatur, atque hoc modo ad compunctionem propensa sit. Ex quo efficitur, vt quisquis à carnibus quidem abstinet, cæterùm aliis cibis sese ingurgitat, helluo dicendus sit: vt qui ab his, quæ suprà commemorauimus, continentiæ institutis aberrarit.

Gula sæpenumerò etiam per charitatis fenestrã insilire solet. Gula laudabilium lachrimarum fontem siccat: contrà turpissimarum animi oblectationum fontem aperit.

Leonem si demulceas, eum haud ratò cicurabis: at si ventrem delinias, truculentiorem eum reddes.

Helluonibus ipsa quoque insomnia cibi sunt.

Ventrem imperio tene: ne tibi ille imperet.

Opresso ventre animus humilitatem concipit: molliter autem habito, in altum assurgit.

Dæmonũ princeps est Satanas: virorũ autẽ gula.

Posteaqàm diabolus helluonũ manus ac pedes somno tanquam vinculis quibusdam astrinxit, ita demum arbitratu suo omnia agit, atque impuris excretionibus & animum & corpus inficit.

Apud

Apud mundanos radix malorum auaritia est: apud monachos autem gula potiùs.

Copiosum stercus ingentem vermium numerũ gignit: eódémque modo ciborum copia magnũ libidinosarum cogitationum numerum procreat.

DE FORNICATIONE.

FORNICATIONIS spiritus per carnis cupiditatem, inde etiam à prima ætate, nobis negotiũ facessit. Atque atrox & molestum eius bellum est, ac duplex. Nam & in animo, & in corpore consideratur. Porrò aduersus eum continentia strenuè pugnat, animi humilitate, sine qua nec fornicationẽ quisquam, nec aliud vllum vitium superare potest, opem atque auxilium ipsi afferente. Quocirca curandum est, vt, quemadmodum est in Prouerbiis, omni custodia cor nostrum ab obscœnis cogitationibus seruemus, nec vllam earum ad nos accedentem admittamus: ne alioqui animum subiens, eum infringat & eneruet, atque ad voluptatem illiciat. Operæpretium est enim iuxta Domini doctrinam, priùs mundare id quod intus est calicis, vt fiat etiã id quod deforis est, mundum. Quandoquidem ieiunium quoque non idcircò tantùm colimus, vt corpus afflictemus, verumetiam vt mentis prudentiam adipiscamus: ne alioqui immodica ciborum copia, tanquam caligine quadam, circunfusa, custodiendis cogitationibus impar sit. Quin illud quoque mandatum, quod primus homo à Deo datum accepit, serpentis caput, hoc est pernicioſæ cogitationis initium, per quod ad animam nostram irrepere conatur, obseruari iubet: ne alioqui admisso capite, reliquum quoque corpus vnà illabatur, ac nefariæ actioni adhæreamus. Operæpretium est itaque Babylonis paruulos, hoc est turpes cogitationes, quæ nos primùm adoriuntur, ad petram, hoc est ad Christum, allidere atque obterere. Adultæ etenim plurimum nobis turbarum ac molestiarum exhibebunt. Nec verò nos impurum fornicationis spiritum per solam religiosam exercitationem deiecturos esse confidamus, nisi Dei subsidium accesserit. Neque enim homo ab eo antèoppugnari desinit, quàm certissimè sibi persuaserit, quòd non suo studio & labore, sed Dei protectione atque præsidio ab hoc flagro liberandus sit. Siquidem mirifica quædam ac natura præstantior hæc res est: & qui carnis irritamenta & libidinis illecebras ac voluptates potetit, à corpore quodammodò excedit. Ac proinde fieri nequit, vt homo suismet pennis ad castitatis arcem conuolet, nisi diuina quoque gratia eum à perturbationum animi fouea in altum subduxerit. Quòd autem quispiam hanc virtutem plene sit consecutus, hoc demum indicio comperietur, si nulla fœda imaginatio per somnum in animam insiliet. Nam cùm id accidit, argumentum est animæ ægrotantis, nec ab huiusmodi affectu adhuc liberæ. Quo etiam fit, vt eas antecedentis socordiæ, abditæq; in nobis imbecillitatis, indices esse dicamus, non secus ac morbi cuiusdam in animi penetralibus delitescẽtis, ac sese per nocturnam fluctionem patefacientis. Magna itaque, Fratres, castitatis & pudicitiæ virtus est: ob idque multis quoque ac variis insidiis ab hostibus oppugnatur. Verùm cùm illud exploratum habeamus, neminem, vt Apostoli verbis vtar, sine sanctificatione Deum visurum esse, ne quæso nos cor nostrum sedulo ac diligenter conseruare, continentiámque colere, ac crebras preces cum gemitu fundere, cæteráque alia facere pigeat, quo carnis nostræ fornacem, quam Babylonius rex per cupiditatis illecebras accendit, Spiritus sancti præsenti ope atque auxilio extinguamus. ipsi gloria in secula.

Heb. 12.

Pudicitia continentiæ filia est: fornicatio autẽ gulæ soboles.

Vt fluctuum impetus nauem, sic libidinosa cogitatio intemperantem mentem pessundat.

Florida facies telum venenatum est. Animum sauciat, ac in ipso venenum infigit: quóque diutius immoratur, eò maiorem sanies efficit.

Præstat domi quiescere, quàm vt quis, dum festa colere sibi videtur, dæmoni in prædam cedat.

Vt oleum lucernam alit: sic voluptatis insaniam mulieris consuetudo,

Mulierum cœtus fuge, nec libertatem ipsis concede. Vt primùm eas conueneris, depressa humi facie leniter ac sedatè loquuntur: atque eiusmodi lachrimas edunt, quæ commiserationem redoleãt: modestéque sese componunt, ac frequenter ingemiscunt. De castitate percunctantur, & studiosè ac diligẽter audiunt. Si eas prospexeris, paulisper caput attollũt. Pòst etiam defixioribus oculis te intuentur, ac subrident, immò etiam profusum & dissolutum risum edunt: ac denique omnes mortis hamos, & præstigiarum illectamenta, atque omnis generis casses, quibus anima obsidetur, expediunt.

Ad ignem si propiùs accesseris, statim pedem referes: at si mulieris verbis te emolliri sinas, non statim recedes.

Viret herba, quæ aquis propinqua est: & libidinis affectus in muliebri colloquio.

Forma fucata intemperantium exitium & naufragium est.

Quemadmodum ignis memoria mentem minime vrit: sic nec affectus, remota materia, qua alitur & augetur.

Par est serpentis & libidinis indulgentia. Nam vt occasionem inuenerint, mortem statim afferunt.

In congressu pernicioſarum personarũ conquiescentibus tuis passionibus, ne propterea confidas. Id enim subdolè faciunt, vt aduersum te nec opinantem insurgant, téque ad hunc modum faciliùs in potestatem redigant.

Si quando affectum viceris, ne propterea curam & solicitudinem abiicias. Siquidem redire affectus solent: ac repentino impetu magnum incautis hominibus periculum inferunt.

Vt scintilla in paleis morã trahens flammam extat: sic noxia recordatio diutius insidens, fornicationis cupiditatem.

Vt Dei memoria ciborum intemperãtiam amputat: sic libidinis petulantiam coniuncta cum humilitate & oratione continentia resecat.

Si libidinis cogitatio animum tuum subierit, confestim mentem inde abstractam summo studio ad Deum attolle: ne alioqui diutius in ea cogitatione defixus, tanquam voluptatis amator condemneris.

Cùm te libidinis ardore flagrare sentis, tum ingemiscens his verbis vtere: Heu me miserum si diabolum Deo, & impuritatem puritati antepo-

Psal. 16. Psal. 31.

fuero. Eiicientes me, nunc circundederũt me: exultatio mea, eruc me à circundantibus me. Sũt etiam nonnulli, qui fustem quendam accipiant, séque acerrimè feriant: atque ita dolore voluptatem protudẽte ac propellente, ardorẽ eiusmodi restinguãt.

Quoties libidinis illecebra seorsim in te impetum fecerit, confestim surge, ac te coram Deo proiice, clamans, Fili Dei, adiuua me. Neque ob eam rẽ nimium discrucieris. Nõ enim id à nobis exigitur, vt affectus ex animis nostris euellamus: sed vt aduersus eos pugnemus.

Grauis est fornicationis dæmon, ac vehementer iis imminet, qui aduersus huiusmodi affectum dimicãt: ídque tum denique magis, cùm quispiam in victus ratione, atque in noxiarum personarũ cõsuetudine, negligẽtem se præbet. Siquidem per voluptatis mollitiem animum surripit, ac deinde per recordationem sese insinuat, corpus videlicet inflammans, ac multiplices turpium rerum species ipsi obiiciens.

Corpus pudicum amplissimo sacrificio apud Deum est charius.

Animi & corporis labor libidinis affectum radicitùs euellit: animo nimirùm Deum assiduè precante, corpore autem continentiam colente.

Cùm caro bello nos lacessit, corpus laboribus fatigandum est. Præstat enim corpori quàm animo morbum accersere.

Libido, tũ animam emollit & inficit, ipsiúsque principatum in turpem seruitutem transfert, tum corporis vigorem labefactat, atque ad morbos propensum reddit.

DE AVARITIA.

EXTERNVM est auaritiæ bellum, atque à natura nostra alienum: atque in monachorum animis ex infidelitate duntaxat oritur. Etenim aliorũ affectuum, hoc est iræ & libidinis, stimuli, ansam à corpore arripere vidẽtur. Eóque nomine, cùm nobis à natura quodammodò insiti sint, nõ nisi longo temporis spatio, atque egrè superantur. At hic affectus, cùm extrinsecus confletur, siquidem studium ac diligentia, animíque intentio adhibeatur, facilius excinditur: sin autẽ negligatur, exitiosior aliis efficitur, radixque omnium malorum, atque idolorum cultus, quemadmodum Apostolus testatur. Quippè in pueris & ira & cupiditas cernitur. Quãdoquidem Creator ab initio eiusmodi affectus naturæ nostræ adiumenti causa inseuit: nempè vt aduersus diabolum irascamur: (quemadmodũ etiam ait ille Theologiæ laude præstans Gregorius, Fac aduersus serpentem solum, qui tibi exitium attulit, irascaris) concupiscamus autem, procreandorum liberorum causa: etsi non, vt naturæ consentaneũ est, his affectibus vtimur. At verò morbus auaritiæ, non ex naturali motu occasionem arripit, verùm, vt iam à nobis dictum est, ex infidelitate: quòd videlicet Deum rebus nostris minimè prospicere arbitremur: Nã cùm mollem animam nacta est, recta atque rationi cõsentanea proponere videtur, nimirùm diuturnam senectutem, corporis imbecillitatem, cognatorum atque amicorum contemptum, aliósque id genus prætextus. Ac deinceps in animũ subiens, eúmque prorsus occupãs, cupiditatem ad sese traducit, eique persuadet, vt pecuniam solam quærat, in eáque sola, velut tempestiuè profutura, firmã fiduciam collocet: contráque spem in Deo figere, par esse censeat, atque in ventis sperare. Tria porrò auaritiæ sũt genera. Primũ, cùm quis ea, quibus caret, adipisci gestit: vt Giezi, cuius pœna sempiterna lepra est. Alterũ, cùm quis remissio omnibus facultatibus suis nuncio, rursus earum cupiditate afficitur: vt Iudas, cuius supplicium acerbus est laqueus. Tertium, cùm quis bona sua omnia abiecturum se pollicitus, partem quãdam clàm retinet: vt Ananias & Saphira, quorum pœna repentina & sæua mors est. Quocirca nobis faciẽdum est, vt malorum radicem euellamus. Hac enim manente, rami quoque pullulabunt. Alioqui metuendum est, ne repentè audiamus: Stulte, hac nocte animam tuã repetent à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Porrò auaritiæ contemptum ij demũ maximè consequũtur, qui in cœnobio viuunt, nulliúsque rei cura laborant.

4. Reg. 5. Matt. 27. Act. 5. Luc. 12.

Auarus monachus, in manuum laboribus diligentissimus, eos quidem pro seria opera habet, pro defunctoria autem, precationem & lectionem, & si quid aliud spirituale est. Quin ad huiusmodi affectus patrociniũ illud quoque Apostoli dictum obtendit, Qui non laborat, nec manducet. Cùm tamẽ cõtra, ea quæ ex animæ virtute sunt, pro serio opere habere debeat, pro leuiore autem atque perfunctorio, ea quæ manibus conficiuntur.

2. Thes. 3.

Auarus ille habendus est, non qui omninò pecunias habet, sed qui eas amat, atque adipisci cupit.

Monachus diues ac copiosus onusta nauis est, atque in tempestate facilè pessum iens. Cõtrà is cui nullę opes sunt, leuis & expeditus viator est, in omni loco diuersoriũ inueniens, leuis cursor, ad supernæ vocationis brauium celeriter contendens: aquila denique sublimè volans, ac tum demum ad cibum deuolans, cùm necessitas cogit.

Philip. 3.

Monachus auaritiæ morbo laborans, nunquam à cura & solicitudine liber est.

Auaritiæ cum charitate nullum fœdus esse potest. Charitas enim æquo ac libenti animo se fraudari patitur, facultatésque suas læta impertit, atque interdum etiam omnia magno animo abijcit. Auaritia autem contrarium omninò efficere cõsueuit.

Nunquam sine fluctibus est mare: nec auarus sine ira & mœrore.

Auarus in cœlum contendens, huic similis est, qui pedibus suis vinculo cõstrictis currere conatur.

DE IRA.

IRA cùm semel pectus obsederit, atq; exarserit, mẽtem fumo occæcat, iudiciúmque corrumpit: ac denique lubrica omnia & confusa reddit. Conturbatus est enim, inquit Scriptura, in ira oculus meus. Et rursus: Ira in sinu stultorum requiescit, atque id quod iustum est, odio habet. Ira enim viri, vt alio loco habetur, iustitiam Dei nõ operatur. Illud etiam efficit, vt turpiter & indecorè se homo gerat. Vir enim iracũdus, inquit ille, parum venustus est. Cúmque in tot ac tanta mala eum, quem semel inuasit, coniiciat, miserandum in modum ei humanitatem omnem excutit. Quocirca ita comparati esse debemus, vt lenitatem placiditatémque tum cõsectemur, nósque ab omni perturbatione puros cõseruemus, cùm eum, quid aliquid peccati admisit, corrigere

Psal. 30. Eccl. 7. Iac. 1.

Auaritia facilius superari potest quàm libido.

1. Tim. 6. Col. 3.

corrigere aggredimur: ne alioqui per medicinam morbum contrahamus. Iraſcimini enim, inquit ille, & nolite peccare. At quî fieri poſſit, vt qui ſuccẽſendo non peccet? Nimirùm ſi aduerſus vitia ſua ſemper iraſcatur: atque iracundiæ cauſas ſuæ ipſius ſocordiæ aſcribat. Quòd ſi aduerſus proximum commoueamur, at certè in gratiam cum eo confeſtim redeamus. Scriptum eſt enim: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Ac rurſus: Ne oderis fratrem tuum in corde tuo.

Vt nubes cùm ſurſum effertur, aërem condenſat: ſic iracundiæ excitatio iracundi mentem.

Iracundi mens fons eſt turbidus, latex ſordidus, & inutilis.

Vt vir honeſtus & grauis obſcœnum diuerſorium auerſatur: ſic Deus iracundi pectus.

Vt fumus oculos turbat: ſic ira precãtis animum.

Iracundi cogitationes viperini fœtus ſunt: ac pectus ex quo ortæ ſunt, erodunt.

Iracundorum, perturbata & cum terrore coniuncta ſunt ſomnia. Sol, inquit Chriſtus, non occidat ſuper iracundiam veſtram: ne alioqui noctu irruentes dæmones animam per horrenda ſpectra conturbent. Etenim ex iracundia hæc exiſtunt, atque ad hunc modum ignauiorem eam ad bellum reddunt.

Pluribus medicamentis ira opus habet, quàm cupiditas. Eſt enim acrior eius impetus, maioréque cum difficultate coërcetur.

Vt torrens exundans, quicquid obuium habuerit, deuoſuit: ſic iracundia inferueſcens, mentem ſecum trahit.

Iracundia canum in morem cæcas cogitationes parit.

Ira cùm ſupra modum efferbuit, furorem parit.

DE TRISTITIA.

CVM improbus triſtitiæ ſpiritus animam inuaſerit, omnes ipſius neruos ac robur frãgit, eamque obſcurat & deprimit, ac prorſus demergit, atque, vt tinea veſtem, & vermis lignum, depaſcitur & præfocat, nec vllam omninò conſolationem admittere ſinit. Nam cùm eã acerbitate perfuderit, id efficit, vt omnem conſolationem repudiet, curámque omnem abiiciat, & elangueſcat, atque in omni rerum deſperatione iaceat. Atque ita deinceps acediæ dæmõ eam aſſumit. At nobis quamprimùm faciendum eſt, vt per orationem, & ſpem ad Deũ, ac diuinarum Scripturarum lectionem, conſuetudinémque & colloquium cum piis viris, aduerſus mœrorem decertemus. Contrà autem in hoc aſſuefcendum eſt, vt triſtitiam eam, quæ ſecundum Deũ eſt, concipiamus, hoc eſt ob ea peccata, quæ admittimus, ac deſidiam qua languemus, Deúmque ad iracundiã excitamus. Contra enim hæc nos ad virtutũ cultũ excitat, ac ſtudioſos & diligentes reddit.

Triſtitiam, quæ ſecundum Deum non eſt, mala cupiditas ſpe ſua deiecta procreat.

Quemadmodum is qui febri correptus eſt, mellis guſtum neſcit: ſic nec ſpiritualem lætitiam is qui in vitioſo mœrore verſatur.

Triſtitia vermis cordis eſt, mentem ad ſeſe trahens ac diuellens.

Qui in mœrore eſt, is mentem ad contemplationem minimè mouebit, nec puram orationem ad Deum mittet. Mœror enim virtuti omni officit.

Nullas vires habet mœror, cùm affectus abſunt. Mœror enim affectuum certiſſimus index eſt. Quocirca qui affectibus dominatur, mœrorem quoque imperio tenebit.

Vt aurigo corporis ſenſum adimit: ſic animi ſenſum mœror.

Quem mundi voluptas non vicerit, hunc nec mœror vincet. Nam qui illam fugerit, huic minimè cedet.

Viperæ medicamentum, ſi parcè adhibeatur, aliarum ferarum venena corrumpit: ſin autem vltra modum hauriatur, bibentem quoque inſuper necat. Eodem modo mœror, ſi ita in nos incurrat, vt modum non excedat, voluptatum amores, quiab aliis dæmonibus immittuntur, extinguit: ſin autem vehementiùs impetum faciat, miſeram animam demergit.

Aurum improbum fornax purgat: ac mœror Deo gratus pectus contaminatum.

Vt nimia lignorum congeries flammam opprimit: ſic mœror immodicus lachrimas ſiccat, fumãtem videlicet ac tenebroſam animam reddens.

DE ACEDIA.

ACEDIÆ ſpiritus mœroris ſpiritum comitatur. Acer autem atque in primis grauis eſt hic dæmon, ſempérque monachis infeſtus: ac præſertim circa meridiem inſidias ſtruit. Vnde etiam meridianus nuncupatur. Horrorem & languorem affert, odiúmque tum loci ipſius, tum fratrum, quibuſcum aliquis degit: ac denique ſocordiam in precibus & lectione. Inducit autem ei in animũ, vt ad alia loca migret, atq; alterius inſtituti cupiditatem ipſi immittit, atque aliam vitam ad ſalutem aptiorem proponit, idq; perſuadere nititur, fore, vt niſi aliò pergat, prorſus deficiat. Tum etiam in hanc cogitationem eum impellit, vt fructus ſcilicet alicuius, aut viſitationis cauſa, fratres adeat. Quod cùm illi perſuaſerit, leuem & inconſtantem, ac voluptatum ſtudioſum, animóque diſtractum eum reddit, ac ſenſim mundi curis & occupationibus, tanquam vinculis quibuſdã, aſtringit. Sin autem victoriam obtinere nequiuerit, grauem ſomnum aduerſus eum armat, atque eum immergere conatur, vt hac ratione ſuperior exiſtat. Opus eſt autem per orationem, & lectionem, & patientiam, ac tolerantiam, & abſtinentiam ab inani ſermone, ac denique per opus & laborem eum euertere ac profligare.

Acedia eſt languor animæ tolerantia carentis: aut deſidia animæ voluptatum amore laborantis.

Vt ventus nubem aqua vacuam propellit: ſic mentem tolerantiæ expertem acediæ ſpiritus.

Vt arborem, quæ altè radices egit, vis venti concutere nequit: ſic nec animam fixam & ſtabilem acediæ impetus flectit.

Vt planta, quę crebrò ſedem mutat, fructus proferre non poteſt: ſic nec vagus monachus.

Monachus acediæ obnoxius, ſolitudinis ſarmẽtum eſt: paulùm conquieuit, ac rurſus aliò migrat.

Vt qui libidini addictus eſt, vna muliere contentus non eſt: ſic nec domicilio vno, qui acedia laborat. Hic eos à quibus inuiſatur, animo atque cogitatione ſibi fingit. Stridet ianua, & ſtatim exilit: vocem audiuit, & per feneſtram proſpicit. Si lectionis

causa consederit, confestim oscitare, atque in somnum ruere incipit. Oculos huc atque illuc vertit: manus protendit: à libro oculos auertit, eósque in patiete defigit. Rursum vbi paululum legerit, folia voluit, finémque voluminis curiosè inquirit. Demũ librum claudit, eúmque capiti ceruicalis loco submittit.

Monachus acediæ morbo correptus, ad cogitationem quidem promptus est, ad precationem autem segnis.

In omni opere modum tibiipsi præscribe, nec ante abscede, quàm illud numeris omnibus absolueris.

Cùm in acediam prolaberis, animam cum lachrimis cohortare, atque ad hunc modum eam velut
Psal.41. excanta: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, & ipse faciet.

Monachus ita comparatus esse debet, tanquam crastino die moriturus: ac non ita rursus corpus delinire, tanquam diu victurus. Illud enim acediæ cogitationes amputat: hoc autem ita corpus conseruat, vt continentiæ virtutem extinguat.

Quidam ad senem ita locutus est: Pater, acedia teneor, Ille autem respõdit: Nondum, fili, nec oblectationem, quæ probos & diligentes homines manet, nec ignauorũ hominum supplicium exploratum habes. Nam alioqui, etiamsi cellula tua vermibus scateret, tolerares, tamen nec vllo modo acedia langueres.

Acedia omnes animæ vires arripiens, cunctos
Luc.21. propemodum simul affectus sæpenumerò mouet. Quod quidem perspectum habens Dominus, dixit: In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Medicus ad ægrotantes mane se confert: acedia autem meridiano tempore ad monachos.

Acedia affectus, iis potissimùm, qui in solitudine degunt, bellum infert.

Acedia hoc facit, vt quis inter precandum pedes huc atque illuc moueat, ac nunc parietes, nunc laquearia, nunc aliquid, quod intus sit, perspectet: ac nunc quidem trans fenestram cernat, nunc aurem arrigat, tanquam sono quodam eam feriente.

DE INANI GLORIA.

INANIS gloriæ affectus multiplex est, ac subtilis, atque eiusmodi, vt non facilè deprehendi queat. Aliorum affectuum impetus perspicui sunt: hic autem affectus tanto difficiliùs vinci potest, quanto difficiliùs deprehenditur. Etenim in omni studio atque instituto suboritur, in forma, in habitu, in incessu, in sermone, in silentio, in vestimento, in nuditate, atque, vt semel dicam, in omni re. Christianum enim pugilem omni ratione ferire conatur: & quem per honorem efferre non potuit, hunc per patientiam in perferendo contemptu deiicere molitur. Vtrinque enim ac per contraria animam obsidet: atque eum, qui victus est, in extremum stuporem præcipitem agit. Inter inanẽ gloriam & superbiam est discrimen. Inanis enim gloria tum existit, cùm humanæ gloriæ studio aliquid rectè atque ex virtute agimus. Superbia autem, cùm magnos & excelsos nos esse censemus, aliósque condemnamus. Atque illa quidem ob actionem oritur: hæc autem ob existimationem. Illa elationis principium est: hæc finis. Quamobrem omni contentione in hoc incumbendum est, vt multiplicem hanc belluam fugiamus, gloriámque humanam aspernemur: idq; in omni præclaro opere studeamus, vt nihil fastus causa, atque ad aucupandum gloriam agamus. Operæpretium est enim, vt qui bono aliquo opere perfuncti sunt, Apostolicum illud sibi accinant, Non autem ego, sed gratia Dei mecum: atque etiam illud Domini, Sine me nihil potestis facere: & illud Dauidis, Nisi Dominus ędificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam: ac rursus illud Apostoli, Quid enim habes, quod non acceperis? Si autem accepisti, quid gloriaris tanquam non acceperis? 1.Cor.15. Ioan.15. Psal.126. 2.Cor.12.

Terra racemum curuum corrumpit: virtutem autem inanis gloria.

Monachus inani gloria laborans, operarius est mercedis expers. Laborem subiit: & laboris mercedem perdidit.

Vt pertusa crumena aurum custodire non potest: ita nec inanis gloria virtutis thesaurum.

Vt ventus pedis vestigium delet: sic inanis glorię spiritus virtutem.

Scopulus sub aquis latens est inanis gloria: huic allisus, virtutis merces amisisti.

Vt vir stolidus opes suas euulgat: sic monachus inanis gloriæ studio captus virtutes suas.

Virtus hominis inanis gloriæ studiosi, vitiosa est victima: neque in altare inferetur.

Acedia vigorem animæ frangit: inanis autem gloria sceleratissimo cuique neruos addit.

Qui inani gloria afficitur, ea interdum, quæ vires superant, aggressus, maximam sibiipsi ignominiam conflat.

Grauis est inanis gloriæ dæmon: nam quod facis, vt eum euertas, hoc ipsa rursus inanis gloriæ principium aduersum te facit. Quocirca danda est opera, vt contrariis artibus eum eludamus.

Inanis gloriæ dæmon, impuritatis & libidinis dæmonibus aduersatur: neque fieri potest, vt quenquam illi simul adoriantur. Ille enim honorem, isti dedecus conciliant. Itaque vincentibus istis fugit ille: cedentibus autem redit.

Quisquis inanis gloriæ leuitati insidet, nunquam ad veræ gloriæ amorem pennas proferet.

Tribulus verè est inanis gloria. Nam in quamcunque tandem partem ceciderit, rectum semper stimulum statuit.

DE SVPERBIA.

GRAVISSIMVS, atque omnium truculentissimus est superbiæ affectus, ac perfectos potissimùm oppugnat, eósque qui ad virtutum fastigium euecti sunt, deiicere contendit: atque vt contagiosus morbus in totum corpus, sic ipsa quoque in totam animam serpit. Quinetiam alij quidem omnes affectus, etsi mentem perturbant, tamen eam duntaxat virtutem, quæ cuique aduersatur, labefactare conantur, gula nimirùm continentiam, fornicatio pudicitiam, auaritia paupertatem, ira lenitatem, ac denique cætera vitij genera virtutes eas quæ ipsis opponũtur. At superbia, cùm animæ principatum obtinuerit, eam prorsus euertit, non secus atque ingentem ciuitatem acerbissimus tyrannus. Nam & diabolum ipsa è cœlo præcipitem eiecit. Quocirca, simulatq; eam senserimus, nos ipsos statim, vt omni bono vacuos, & inutiles, atque abiectos, ac Deũ

ad

ad iracundiam prouocantes, & fratribus velut in offendiculum duntaxat positos, nihili ducamus. Nam vt inanis gloriæ medicina, gloriæ contemptio est: sic superbiæ remedium sancta humilitas.

Superbia est animæ tumor sanie plenus.

Superbus, aut sibiipsi, ac non Deo, quæ rectè atque ex virtute gerit, ascribit: aut certè eos, qui ab officio aberrant, aspernatur. Duplex enim superbię vitium est.

Hic demum verè monachus est, qui animæ oculum minimè distractum atque suspensum habet: corporis autem sensum ita domitum, vt nullo modo moueri queat.

Monachus is demum censendus est, qui hostes, ferarum instar, bello lacessit, & cùm ab eo fugiunt, irritat.

Monachus is est, qui in perpetuo mentis excessu, ac vitæ mœrore versatur.

Monachus is est, qui virtutibus, perinde atque alius quispiã voluptatibus, ita imbutus est, vt hinc velut habitum quendam contraxerit.

Inanis gloriæ præsentia, superbiæ nuncius est.

Fugienda est superbia, non secus ac profundum quoddam præcipitium, omnem ad cœlum ascensum præcidens.

Altercatio, superbiæ argumentum est: superbia autem, sterilitatis ac paupertatis animæ indicium.

Superbus monachus remoto etiam dæmone ad exitium sibiipsi sufficit.

Vt imbecillis scala eum qui ascendit, deijcit: sic superbiæ scala eum qui eam scandit.

Superbia arbor sublimis est, putrida tamen, atque eiusmodi ramos habens, qui facilè perfringantur, atque ascendentem in terram prosternant.

Cætera vitia ignauis duntaxat ac desidia languẽtibus hominibus insidias moliuntur: superbia autem studiosis potiùs atque industriis. Eóque nomine Christus etiam dicebat, Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Quia serui inutiles sumus, ac si diceret: Cùm bellua hæc in animos vestros subire parat, tum per huiusmodi verba fores illi occludite. Luc. 17.

Cæteri affectus circa humanam naturam versantur: at superbia angelicam etiam potentiam fregit, ac superauit.

Superbia horrenda spectra animæ inducit.

Lapsus superbiam coërcet, ipsiúsque frenum efficitur.

Ante lapsum, quoad eius fieri potest, da operã, vt superbiæ retia effugias.

Qui humiliter & abiectè de se sentit, Christi discipulus est: quippè cuius hæc verba sunt, Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Superbus autem, diaboli, qui ob superbiam deiectus est, imitatorem se præbet. Matt. 11.

Carnem aduersus fornicationem extenua: animam autem aduersus superbiam.

Monachus perpetuum lumẽ in cordis oculo est.

Monachus est abyssus humilitatis, in ea malos omnes spiritus pessundans ac præfocans.

Inanem gloriam ita demum extinxeris, si clàm & occultè operatus fueris: superbiam autem, si quæ rectè gesseris, Deo acceptа tuleris, ac teipsum nihili putaris.

Fac tibi prioris vitæ, ac veterum flagitiorum in mentem veniat, illudque tecum reputes, quonam pacto te, cùm talis esses, lucis huius vsura frui Deus sustinuerit: neque eo contentus, etiam aluerit, atque conseruarit. Ac tum proculdubiò humilitatem concipies, nisi sensus omnis expers sis, callúmque animus tuus obduxerit.

Elationem tibi negotium exhibentem his verbis alloquere: Facesse à me. Quis enim ego sum? & quidnam à me præclari gestũ est? Etenim sancti viri partim lapidati, partim secti sunt, partim denique sexcentis mortis generibus Christi causa de medio sublati sunt. Heb. 11.

Quemadmodum fieri nequit, vt sine naui quisquam mare traiiciat: sic nec etiam, vt sine humilitate salutem consequatur.

Iunge iustitiam cum superbia, atque alia rursus ex parte peccatũ cum humilitate: ac peccati, quàm iustitiæ, iugum celeriùs currere, superioréque ferre conspicies, non quidem ob vim suam & facultatem, sed ob coniunctæ humilitatis robur: atque alterum rursus superari, non ob iustitiæ imbecillitatem, sed ob superbiæ grauitatem. Exempla tibi præsto sunt in Pharisæo & Publicano. Quanquam etiam humilitas propriè in eo sita non est, vt qui peccator est, peccatorem se agnoscat. (Iudicij enim æquitas hoc est, ac propriæ infirmitatis agnitio:) verùm in hoc demum, vt qui iustitia præditus est, peccatorem sese ducat, nihílque præclari de seipso existimet. Peccator iustum vicit: Publicanus Pharisæum. Ille iustitiæ opera ostendit, Ieiunio bis in sabbato, & quæ deinceps sequuntur: hic contrà verba hæc duntaxat humilitati consentanea protulit, Deus propitius esto mihi peccatori. Sermo porrò opera superauit. Atque illum quidem tot tantísque virtutibus ornatum, superbiæ spiritus exsufflauit, ac per ipsius linguam, tanquam per feneſtram, reconditas omnes opes excussit: contrà paupertas ob humilitatem in diuitias mutata est. Iusto potiùs metuenda est superbia. Nam eum quidem, qui in peccatis volutatur, conscientia sua deprimit, vt quę eum nunquam accusare intermittat, nec caput attollere sinat: at iustum, nisi attentum animum habeat, virtutes attollunt. Et quemadmodum prædones in eam potissimùm nauem, quæ mercibus onusta est, impetum faciunt: eodem quoque modo diabolus peccatoribus non admodum infestus hostis est: verùm iustis acerrimum bellum indicit. Luc. 18.

Quibus diabolus infestus sit.

Monacho istud propositum esse debet, vt pectus suum ab omni perturbatione purum tueatur. Quod si nõ assequitur, in errore versetur necesse est.

Virtutis omnis fons, ac radix, & caput, atque vinculum est discretio: quam hac demum ratione quispiam sibi comparabit, si cum iis, qui virtutis iter iam obierunt, quicquid instituit, communicet. Sic enim nunquam imprudens in malum, tanquam in bonum, prolabetur. Solitudinis hostis est, quisquis voluptatis amore flagrat.

Cùm hostis quosdam ad turpem amoris affectũ tanquam vinculis quibusdam inter se constringere cupit, tunc & hũc & illum explorat, vt eorum vterque, aut certè alter aptus inueniatur.

Faciles vt plurimùm & humani, atque ad misericordiam procliues sunt, qui libidini student.

Egestiones quæ in somnis fiunt, variis de causis oriuntur. Aut enim à natura existere solent, aut à renum imbecillitate, aut à corporis relaxatione, aut ab indumentorum & straguli mollitie, aut ex ingluuie ac crapula, aut à compassione, aut inflatione ex longo morbo contracta, aut à proximi condemnatione, aut denique à dæmonum inuidia. Ac prima quidem & secunda omni reprehensione carẽt: quandoquidem nec simulacrum vllum ipsis inest. Reliquæ autem præter postremam in vitio sunt. Nam postrema, non modò nullam reprehensionẽ habet, sed etiam fiduciam conciliat. Huic enim inuidetur, qui gloria excellit.

Obscœnas rerum species, quæ noctu sese obtulerunt, interdiu animo atque cogitatione complecti minimè oportet. Id enim agunt dæmones, vt vt earum recordatione vigilantes etiam inficiant. Perditæ cuiusdam libidinis ille esse censendus est, qui spurcitiem suam persæpè non sine voluptatis sensu confitetur.

Hæc quoque dæmonis versutia est, vt eos, qui cum pernicios is hominibus consuetudinem habẽt, non protinus detrimento afficiat, sed aliquanto pòst interuallo, neque etiam in ipso conspectu: quò nimirùm nos, eliunde nobis detrimentum inferri existimantes, hæc interim minimè caueamus.

Vnum idemque peccatum variè in variis hominibus iudicari consueuit, nempè ex ætate, ex loco, ex modo, aliisque rebus.

Nisi Dominus pro sua prouidentia fœminæ impetum pudoris freno compressisset, verùm ipsa ad masculum proficiscereturprofectò non salua facta fuisset omnis caro. Quidam pij viri, cùm elegantem formam conspexerint, hinc diuinæ gloriæ celebrandę occasionẽ arripiunt: illud videlicet secum reputantes, quonam modo ex vsqueadeò vili & abiecta materia tantam pulchritudinem effinxit. Atque etiã illachrimant, partim lætitia, partim quòd tantus splendor turpi voluptate contaminetur. Ac sanè mirum est, quî fiat, vt quod aliis fouea est, aliis coronam conciliet. Quod etiam ipsum in concinnis & modulatis cantibus ijsdem vsu venit. Hinc etenim in Dei, huius cõcinnitatis opificis, admirationem, atque ardentem amorem impelluntur.

Libidinosi dæmones, his qui in solitudine degunt, bellum inferunt: quò videlicet eos, tanquam incassum solitudinem colentes, in vrbes detrahant. Contrà monachi, iis, qui in vrbibus commorantur, haud sæpè molestiam exhibent: quò nimirùm, velut minimè bello vexati, in iis maneant. Vbi bello lacessuntur, illic quoque bellum gerunt. Cùm autem minimè oppugnantur, nec ipsi quoque bellum mouent.

In plerisque monachis, cùm mulieres alloquuntur, hoc agit peruersus ille spiritus, vt lachrimas emittant & ingemiscant, ac de mortis memoria & castitatis cultu mirificas cohortationes habeant: quò scilicet his rebus miseræ illæ inescatæ, ad lupũ tanquam ad pastorem accurrant, ortáque familiaritate ac fiducia in foueam incidãt. Fructum eũ, cuius esum cõceptis votis nobis interdiximus, fugiamus: ne fortè conspecto eo, in ipsius cupiditatem veniamus. Etenim ex aspectu amor ortum trahit, vt aiunt, qui in huiusmodi rebus sciti atque eruditi sunt.

Impossibile est ex petulanti libidine ad puritatem se referre, etsi id quidam affirment. Impossibile est post peccati gustum purũ effici. Puri enim omnes demum ij sunt, qui sancti sunt. Varius ac multiplex libidinis dæmon est. Etenim iis, qui venerei congressus expertes sunt, hoc suadet, vt noscendæ duntaxat voluptatis causa semel eam experiantur. Eos autem, qui hanc experti sunt, per recordationem ad eam rursus amplexandam allicit. Plerique, tum ex his qui veneream voluptatem minimè degustarunt, ob ipsius ignorationem ab omni bello liberi permanserunt: tum rursum ex iis, quibus ipsam experiri contigit, ob satietatem ab omni molestia & obturbatione immunes perstiterunt. Qui corpus vicit, idem naturam quoque superauit. Qui autem naturam vicit, is profectò supra naturam assurgit, ac deinceps paulò minùs ab angelis minoratur: mirúmque est, quemadmodum qui materia constat, aduersarium à materia remotum fregerit ac profligarit. Cùm omnes dæmones, tum is potissimùm, qui libidini præest, primùm id studet, vt mẽti, hoc est principi animæ parti, tenebras offundat. Heb.1.

Impuras & obscœnas cogitationes, quæ in pectore insident, immittit quidem libidinis dæmon: eijcit autem continentia, & humilitas, suique contemptus. Incuria, stuporis mater est: huius autem filia, indolentia. Varias causas somnus habet. Nam & à natura contrahitur, & à cibis, & à ieiunio, & ab afflictione. Magnum quidem ac præclarum est contumeliam perferre: maius autem, laudem sine vllo animi detrimento præterire. Qui supernam gloriam minimè degustauit, terrenam non facilè contemnet.

P. DACRIANI ABBATIS OPVSCVLA.

1. D. Dacriani Abbatis Spiritualis vitæ documenta.

2. Eiusdem D. Dacriani Speculum Monachorum.

P. *Dacriani, Abbatis, Spiritualis Vitæ Documenta.*

DOMINVS noster Iesus Christus, qui paruulos & verè humiles mirifica dulcedine reficere, inenarrabilique gaudio ac lumine exhilarare consueuit, intima tua cælesti benedictione & gratia replere dignetur. Charissime, dum petis à me doctrinam aliquam, quę tibi per iter vitæ spiritualis ad pacẽ filiorũ Dei tendenti possit esse adminiculo tu postulas panem ab eo qui valde inops est, & tecũ pane indiget: sed dies ille, à quo omnes alimenta accipiunt, me & te pascat, donans atque inspirans ea quæ scribere debeã, in meam & tuam vtilitatem. Igitur si perfectiorem animi tranquillitatem obtinere, & Christo Domino singulariter acceptus esse cupis

se cupis, cura vt sedulò obserues (quantum in te est) A paucula documenta quæ sequuntur.

DOCVMENTVM. 1.

In omnibus quæ agis, tractas, aut loqueris, honorem Dei per sanctam intentionem purè quære: & custodiendæ cordis munditiei, libertatique inuigila.

DOCVMENTVM. 2.

Plena fiducia te totum & omnia tua Deo committe, ita vt eius voluntas æternáque dispositio sit tibi semper pro summo solatio: & siue in tenebris, siue in lumine, siue in tribulatione, siue in prosperitatis successu, siue in cordis angustia, siue in cordis latitudine, siue in donis pauperem, siue in B eisdem diuitem te ille esse voluerit, rectè de bonitate eius sentias: & grauia ac molestia quæque de manu paternæ pietatis atque prouidentiæ illius humiliter, patienter, vel etiam hilariter suscipias: certò credens eum omnia pro tua salute ordinare, vnicéque optans, vt ipsa voluntas eius omni tempore in te perficiatur.

DOCVMENTVM. 3.

Ea quæ nulla ratione in te vel aliis corrigere potes, Deo commenda: longanimiter expectans donec ille aliter de his quæ tibi malè habere videntur, disponat.

DOCVMENTVM. 4. C

Iniuriam seu contumeliam tibi illatam, si cum lætitia nondum ferre potes, non tamen propter illam insipienter perturberis, neque ira excandescas: sed tranquillus permanere stude. Nam indigniora pro te Deus tuus mansuetissimè tolerauit. Ergo in talibus ferocientem animi impetum religa & reprime, Deúmque, qui te iustè quidem, sed tamen ex amore affligi permittit, magis quàm hominem qui te affligit, attende.

DOCVMENTVM. 5.

Alterius voluntatem potius quàm tuam facere ama, & iudicio alterius tuum iudicium facile submitte: proprio sensui nunquam proteruè inhærens, D neque aliquid sanctæ obedientiæ præponens.

DOCVMENTVM. 6.

Nunquam alicui te præferas, nũquam aliquem contemnas. Omnium vilissimum indignissimúmque te esse existima, omnibus te subiice, omnibus propter Deum inseruire desidera: & eos qui te monent aut reprehẽdunt (etiam si inferiores videãtur) æquanimiter audi: magis eligens culpam humiliter agnoscere, quàm contentiosè ac superbè teipsum excusare.

DOCVMENTVM. 7.

Tam libenter esto minimus, quàm libenter fortè aliquis alius esset maximus: & abiectus, non autẽ E honorabilis haberi concupisce, vt Christo sacræq; eius genitrici Mariæ similior apparens.

DOCVMENTVM. 8.

Alicui placere vanè non affectes, neque displicere inaniter pertimescas: & hominum, maximè mulierum, notitiam, familiaritatem, aut singularem erga te dilectionem ne expetas.

DOCVMENTVM. 9.

Aliorum dicta vel facta tu temerè neque iudices, neque discutias: & superfluis curis te non implices, verbáque detractoria loqui, aut etiam audire (quantum potes) caueas.

DOCVMENTVM. 10.

Benignum & affabilem omnibus te præbe: de aliorum bonis, sicut de propriis gaude, & pro aliorũ malis ingemisce: omnes syncera charitate diligens, neminem, quantumuis etiam tibi molestum, odio habens, de nullius salute desperans, & imperfectis quibusque piam compassionem magis quàm turbulentam indignationem impendens.

DOCVMENTVM. 11.

Mundi vanitates, carnisque voluptates vilissimas sperne: immortali animæ tuæ sponso teipsum seruans, & in eo solatia constituens.

DOCVMENTVM. 12.

Paucis contentus esto, & simplicibus delectare: memor paupertatis, quam pro te assumpsit tibíque commendauit Deus tuus. Tu discipulus, ille magister: tu seruus, ille Dominus. Gaudeat discipulus, dum imitatur magistrum: exultet, seruus, dum sequitur Dominum.

CONCLVSIO EPISTOLÆ.

Hęc documenta crebrò inspice ac lege, Deúmque precare, vt ea adimplere possis, sine cuius gratia nihil bonifacere potes. Nõ autem desperes propter frequentes lapsus tuos, vel propter passionum, vitiorúmque indecentes motus, quibus adhuc vehementer fortè impugneris & impediris: sed ex infirmitate tua in humilitate proficiens, bono animo esto, ac reiecta nimia pusillanimitate cõfide in Domino Iesu. Roga eum vt malis tuis indulgeat, merita, quæ tibi desunt, suppleat, bona, quæ necessaria sunt, concedat, & quæ concessit, sed imperfecta habes, perficiat. Pete, quære, pulsa: nam perseuerantem proculdubio tandem exaudiet ille qui dixit: Omnis qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Cùm verò postulata ab ipso acceperis, caue ne de donis eius stultè in te glorieris, aut aliquid præ cæteris te esse reputes. Illi gratias age, illi totum attribue, qui totum dedit, tibi nihil ascribens præter peccatum, quod solum à teipso est. Porrò memineris absurda illa quæ vel dormiens ligata ratione pateris, vel vigilans inuitus sentis, non adimere in te virtutem, quando tibi non placent, quando consensum eis denegas. Imò verò laboris molestia, quàm in talibus sustines, virtutem perornat, meritúmque adauget. Interna etiam instabilitas qua tibi nolenti cor inter precandum psallendúmque miserè (vt verbis tuis vtar) distrahitur, non tollit orationis tuæ fructum, sicut nec insterilitatis ariditatísque gelu, quo te penè assiduè constringi conquereris. Sed curare debes, vt vigili, strenua, & fideli diligentia sanctum illud opus reuerenter peragas: nam crescente in te humilitate ac charitate, aliquando tibi fortè dabitur, vt serena, suaui, attentáque mente rebus diuinis intendas.

Vale, & ora pro me.

D. DACRIANI ABBATIS, SPECVLVM MONACHORM.

DE AVTHORE HVIVS SPECVLI MONACHORVM.

Dicendi character, finisque similis libelli huius & Epistolæ præcedentis, tum & alia nonnulla mouent me vt putem hunc esse Dacriani Abbatis potiùs quam Blosij: maximè verò quòd Frotus qui hunc postremum inter Blosij opera curauit excludi in Epistola dedicatoria, dicat illum pro fœtu legitimo non agnitum ab ipsomet Blosio, vt qui non solus (& si præcipuus) eius esset parens.

PEtis à me, dilecte frater Odo, A spirituale aliquod speculum, in quo teipsum contemplari, & pulchra deformiáque tua exactè perspicere possis. Noua ista tua petitio est. Puto, nõ me cognoscis. Nam si cognosceres, quomodo rem spiritualem ab homine carnali peteres? Veruntamen ne piam petitionem præteriisse, vel potius cõtempsisse videar, ecce mitto quod penuria nostra subministrare potuit. Accipe igitur doctrinam breuem, cuius lectione vel tenuiter fortè discere poteris, qualis sis, & qualis nõ sis, aut certè qualis esse debeas. Imprimis moneo te, vt sæpè serióque cogites, quare in monasteriũ veneris: nempe vt mundo tibíque mortuus, soli deo viuas: Ergo tota intentione id facere stude, ad quod faciendum venisti. Disce fortiter cõtemnere omnia sensibilia, & teipsum viriliter frangere, salubritérq; relinquere: passiones affectionésq; vitiosas in te mortificare festina. Satage reprimere instabiles euagationes mentis tuæ: cõtende vincere fatigationẽ, acediam, & tædium infirmi animi tui. In his sit quotidianus labor tuus, glorioſum certamen tuum, & salubris afflictio tua. Noli esse remissus: sed exurge, vigila, circunspice, expone te totum, ne tibi male peperceris. Hoc enim à te expoſcit Deus tuus: hoc à te exigit status tuus. Monachus diceris: vide, vt uerè sis quod diceris: opus monachi fac debellãdis, inquã, C elimendísque vitiis: sedulo inuigila aduersus naturæ prauitatẽ, aduersus animositatem, aduersus voluptates carnis, & sensualitatis illecebras, semper armatus esto. Intellige quæ dico. Si superbiam, iactantiã, vanam gloriã, propriam complacẽtiam, tuę rationi dominari permittis: si propriũ sensum proteruè sequi: siquæ que humilia & simplicia contemnere audes, monachus non es. Si Inuidiam, odium, amarulentiam, indignationẽ à te pro viribus nõ repellis: si suspiciones temerarias, querimonias pueriles, murmurationes sceleratas nõ reiicis, monachus non es. Si contensioso acríque dissidio inter te & alterum fortè exorto, non mox de reconciliatione tractas, & quauis iniuria affectus, non statim condonas, sed vindictam expetis, aut volũtariam simultarem, minusquam sinceram affectionẽ in corde retines, vel etiã exterius signa inaffectionis ostendis, si etiam eum qui iniuriam intulit, adiuuare differs, quãdo necessitas & occasio se offert, monachus nõ es, Christianus non es, abominabilis coram deo es. Si postquã deliquisti, teipsũ regulariter accusare, & culpã tuam ingentè confiteri erubescis: si ad increpationes, correptiones, correctionesque patiẽtiã & humilitatẽ non exhibes, monachus non es. Si spirituali patri in omnibus quæ mala nõ sũt prõptè, fideliterque obtemperare negligis: si eundem spiritualem patrem tanquã dei vicariũ reuereri, ac sinceriter amare renuis, monachus non es. Si à diuino officio, & cæteris actionibus conuentualibus, te libẽter subtrahis, si in ipso eodẽ seruitio dei vigilanter & reuerẽter non assistis, monachus nõ es. Si interioribus tuis neglectis, exteriora tãtùm curas, & arida quadã consuetudine solum corpus, nõ autẽ cor, ad religionis opera moues, monachus non es. Si sacris lectionibus, aliisque spititualibus exercitiis non das diligentem operã: si mentẽ transitoriis rebus sic implexã vel deprehensam habes, vt rarò ad æterna assurgas, monachus non es. Si delicatum superfluúmque cibum exquiris, & vini potum intẽperanter vltra mensurã vnius cyphi affectas, præsertim quando rectè vales, ceruisiámque aut aliũ potũ conuenientem sufficienter habes, monachus nõ es. Si pretiosas vestes, mollia strata, & quæuis solatia carnis, quę statui & professioni tuę cõueniũt, insipienter requiris: si quietẽ corporalem diligẽs, laborẽ & afflictionẽ propter deum subire recusas, monachus non es. Si solitudinẽ & silentiũ non sustines, sed stichis sermonibus, inordinatisque risibus delectaris, monachus non es. Si cum secularibus esse gaudes si extra monasterium, per vicos & vrbes euagare desideras, monachus non es. Si rem etiã exiguã dare, mittere, recipere, & tenere absque superioris scitu permissionéque præsumis: si ordinationes sãctæ religionis, quantũuis modicę sint, parui facis, eásque volẽs trãsgrederis, monachus nõ es. Si denique aliud prę ter Deũ in monasterio quæris, & ad vitæ perfectionem totis viribus nõ adniteris, monachus nõ es. Vt igitur, sicut dixi, verè sis quod diceris, & habitũ monachi in vanũ non portes, opus fac monachi. Arma te in te: certa contra te: & quantũ est in te, vince & suppedita te. Si citò non inuenis pacem quam desideras, si inquam nondũ tibi requiescere cõceditur, sed adhuc perstrepũt & vim faciũt brutales motus, passionesq; turbulentæ: imo verò si, deo sic permittente, per omnem vitã pro tua vtilitate, cũ hiusmodi hostibus tibi colluctãdũ fuerit, noli diffidere, noli muliebriter deiici. Sed humiliãs te corã domino, D sta & permane in loco tuo, strenuéq; dimica. Nã & vas electionis beatus Paulus, per omnẽ vitam suam sustinuit tẽtationẽ, qua ab angelo sathanæ colaphisabatur. Quũ precibus sæpius expeteret à domino tãtæ molestię liberationẽ, nõ est tamẽ liberatus: neque enim hoc ei expediebat: Sed dominus precanti respondit: sufficit tibi gratia mea, veritas in infirmitate perficitur. Sicq; Paulus deinceps grataanter pertulit intẽtionis flagellum. Huius fortissimi, insuperabilísque atlhetæ cõfortatus exemplo, ne despondeas animũ in tentationibus: sed sustine viriliter, fixus atque immobilis in sancto proposito permanẽs

Nam

Monacho identidem, cogitandũ, cur arctiorem vitæ institutũ aggressus sit.

Veri monachi descriptio.

Corporalis exercitatio

Cura esse quod audis.

Perturbationes.

2. Cor. 12.

Mat. 10.

1.Mac.2. Nam laborem tuũ proculdubiò gratũ habet Deus tuus: quamuis tibi nimium amarus videatur idem ipſe labor tuus. ſpirituale martyrium inuicto animo perfer. Nihil dubita, etiam ſi millies vulnereris, etiã ſi millies conculceris: coronam recipies, ſi modò perſtiteris, ſi modo conflictum non deſeruerís, & arma non proiecceris. Fac quod in te eſt: reliquum commenda diuinæ diſpoſitioni, dicens: Sicut voluntas eſt in cœlo, ſic fiat. Sit ſumma cõſolatio tua, ipſa diuina volũtas & ordinatio. Quocũque te verteris, vbicũque fueris, tribulationes & tentationes inuenies, quãdiu hæc vita durauerit: ad quas patiẽter tolerãdas ſẽper te paratũ eſſe oportet. Fœlicẽ verò te, ſi eò tandẽ à gratia perductus fueris, vt quæuis grauedo & afflictio tibi verè ſapiat propter Deum. Satíſne ſpeculum noſtrum excreuit mi frater? Aut nondũ tibi ſatis excreuit, ſed adhuc expreſſiùs, diſtuſiùs, iucũdiuſq; audire deſideras, quomodo te interiùs & exteriùs cõponere, quomodo vitã tuã, vel quẽlibet diem corã deo rationabiliter ordinare debeas? Audi ergo: Satim dum euigilas, ſurrecturus ad nocturã ſynaxim, ſignum crucis attẽtè exprime. Et Deũ breuiter deprecare, vt omnẽ peccati maculam in te deleat, téq; adiuuare dignetur deinde reiecta phãtaſmatum cõfuſione, aliud ſpirituale pertracta: & quãtã potes puritatẽ cordis cõcipe: gaudens intra temetipſũ, q; ad cultũ & laudes creatoris tui euoceris. Verũtamẽ ſi fragilitas corporis, ſi ſõni grauedo, ſi cõturbatio ſpiritus deprimit, ne collabaris animo, ſed confortare, & vim tibi affer, ratione ac volũtate omnia impedimẽta ſuperãs. Regnũ enim cœlorum vim patitur: & violẽti rapiũt illud. Planè ſecũdũ laborẽ, quẽ ſuſtines, p deo tuo, reddet tibi ipſe Deus tuus. Deſcẽdendo lectulo, animã pariter & corpus cõmẽda atq; offer Altiſſimo. Tẽpeſtiuè accurre ad chorũ tanquã ad locũ refugij, & hortũ delitiarũ ſpiritualiũ. Donec inchoetur diuinũ officiũ, mentẽ à turbulẽtiis, & multiplicitate incertarũ cogitationũ expeditũ, in trãquillitate atq; ſimplicitate cõſeruare ſtude, piũ dulcẽque affectũ erga deũ tuũ per ſincerã meditationẽ vel orationẽ colligẽs. Sub ipſius officij decurſu perfectè, reuerẽter, gratãter & attẽtè ſacra eloquia pronũciare atq; audire ſatage, vt geſtes quoniã ſuauis eſt dominus: & ſentias, quoniã verbũ Dei incõprehenſibilẽ habet dulcedinẽ & virtutẽ. Quæcunq;. n. ſpiritus ſanctus ditauit, reuera viuificus cib. & delitioſũ ſolatiũ ſũt animæ caſtæ, ſobriæ & humilis. Ergo ibi fideliter attẽtus eſſe memineris. Cogitationẽ tamẽ mentiſq; impulſũ nimis vehemẽtẽ deuita, præſertim ſi debile caput habes: ne læſus, fatigatus, cõfuſus, cõſtrictũſq; interius, tibiipſi ſãctuariũ Dei occludas. Similiter ſollicitudinẽ nimis anxiã, quæ puſillanimitatẽ, inquietitudinémq; adducere cõſueuit, reiice & leui quieto vigiliq; ſpiritu, in laudib. Dei ſine proprietate perſeuera. Si igitur cor ab euagationibus reprimere non potes, noli animo conſternari: ſed placide conare, placidè fac quod in te eſt, reliquũ diuinæ volũtati cõmittẽs. In pia erga Deũ affectione perſeuera: & ipſi tui defectus, quos nulla ratione excludere præuales, tibi conſolationẽ quodãmodo gignẽt. Quemadmodũ enim terra, quę conueniẽtis naturę eſt, ex cõſperſione ſordẽtis fumi vberius aliquãdo ſua germina profert: ita mens bonæ volũtatis ex miſeria defectuũ; quos inuita ſuſtinet, dulciſſimũ diuinæ viſitationis fructũ ſuo tẽpore percipiet, ſi patienter ſuſtinuerit. Quid autẽ tibi proderit, ſi impatiẽs fueris, nónne calamitatẽ calamitati adiicies, & te verã quidẽ humilitatem nõ habere, habere verò pernicioſam proprietatẽ demonſtrabis? Dũ reuerenter aſſiſtis, & prõpto voluntatis deſiderio ſemper paratus es attẽdere, etiã ſi ſemper attẽdere non potueris. Deo ſatiſfeciſti: nec ipſe tibi imputabit huiuſmodi inſtabilitatis inordinationẽ, modo eidem inordinationi per tuam negligentiam non cõſentias, & ante orationis tempus, ſenſus tuos cuſtodias. Si non potes perfectum offere obſequiũ, offer ſaltem bonam voluntatem: offer in ſpiritu humilitatis rectam intentionem: & iam non habebit diabolus quod aduerſum te cauillari poſſit. Etiam ſi nihil aliud offerre potueris, quã quod corpore & ſpiritu præſtò es ad ſeruiẽdum domino in ſancto timore, confide, non perdes mercedem tuam. Sed væ anima tuæ, ſi negligens remiſsúſque fueris, & attendere non curaueris: ſcriptum eſt enim, *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Diligens eſto, vt præſtes quod præſtare pores; & ſecurus eris, ſi preſtare non potueris quod præſtare deſideras. Hac ſecuritate accepta, nõconturberis quãdo impedimẽta obueniũt, & tantum præſtare non vales quantùm præſtare vis. Quãdo (inquam) diſtractione ſenſuum, deiectione animi, ariditate cordis, dolore capitis, vel quauis alia miſeria ac tentatione affligeris, caue dixeris: Derelictus ſum, abiecit dominus, non placet ei meum obſequium, quæ filij diffidẽtiæ dicere ſolent: ſed patienti, vel etiam læto animo perfer omnia propter eum qui te vocauit & elegit, certò credens, quia ipſe *propè eſt his qui tribulato ſunt corde.* Nam ſi abſque murmuratione humiliter portaueris onus impoſitum, dici nõ poteſt quantum gloriæ pondus tibi in futuram vitam accumulabis. Verè Deo dicere poteris, *Factus ſum, vt iumentum apud te, & ero ſemper tecum.* Audi frater. Si dulcidine interna repletus, & ſupra teipſum eleuatus, vſque ad tertiũ cælum euolaueris, ibíque cum angelis miſcueris colloquium, rem tam grandẽ nõ facies, ſicut ſi grauamẽ & exiliũ cordis, pro Deo tuo effectuosè ſuſtinueris, ipſiq, Saluatori cõformatus fueris: qui in extrema triſtitia, tædio, pauore & anguſtia poſitus, dixit patri: *fiat volũtas tua.* Qui etiã trãſfixis manibus ac pedibus, in cruce pendẽs nõ habuit vbi caput ſuũ reclinauerit: qui denique omnes amariſſimæ ſuæ paſſionis dolores & cõtumelias amoroſiſſimè pro te ſuſtinuit. Igitur in ſancta longanimitate cõtine teipſũ, & expecta in ſilẽtio donec placuerit altiſſimo aliter diſponere, & pfectó illa die non requiretur à te quantũ dulcedinis internæ hîc perſẽferis, ſed quã fidelis in Dei tui ſeruitio & amore fueris. Ex his q; ſerui Dei nominãtur, multi infideliter, pauci fideliter omnino ſeruiũt Infideles ſerui, quã diu deuotionẽ ſenſibilẽ & gratiã lachrymarũ præſentẽ habẽt, alacriter Deo ſeruiũt, libẽter orãt, lætãter quibuſlibet piis operib. inſiſtũt, & alta quadã cordis pace habitare vidẽtur: ſed mox vbi ſubtraxerit Deus deuotionẽ illã, videas eos, perturbari, indignari, amarulẽtos impatiẽtéſque fieri, & iam nec orationi, nec cæteris ſanctis exercitiis velle intendere. Et quia internas cõſolationes pro voto non ſentiũt, ad externas, ſpirituſque cõtrarias, ſeſe perniciosè conuertunt. Vnde liquet, eos, nõ purè, Deũ, ſed Dei dona impurè requirere, eiſque ad ſuam oblectationẽ, abuti. Nam ſi Deũ purè diligerẽt, & in donis eius vitio ſẽ nõ requieſcerẽt, ipſis ſublatis, pacati in Deo permanerẽt, & ne tũc quidẽ ad illicitas cõſolationes diuerterẽt. Ergo infideles ſũt, quia in aduerſitatibus fidẽ Deo nõ ſeruãt. *Ad tempus credunt, & in tẽpore tentationis recedunt.* Semper proſpera volunt, contraria non ſuſtinent. Si Deus cõcedit læta, quæ ſem per volũt Deo ſeruiunt: ſi negat, ab eo diſcedũt. Imò verò nec in lætis quidem, Deo, ſed ſibi ſeruiũt. Vbique ſuã magis, quã Dei voluntatẽ fieri cupiũt. In dulcedine & cõſolatione interna potiùs quàm in mortificatione vitiorum perfecta, ſanctitatẽ cõſtituunt, ignorantes, quia per ſubſtractionem deuotionis

Quid quoque Dei tẽpore faciendum.

Matt.18.

1.Cor.3.

Vbi horariæ preces perſoluuntur.

Pſal.118.

Moderatio.

A

B

C

D

E

Pſal.31.

Pſal.72.

Mat.26.

Seruorum Dei genus duplex.

Luc.8.

lõge certius eluceſcit,an quis vere Deũ amet,quàm per ipſius deuotionis infuſionẽ. Senſibilis enim illa deuotio,ſæpe naturalis verius, quã ſpiritualis affectus eſt. Etqualis qualis ſit,niſi quis ea prudẽter vſus fuerit,ad occultã quandam ſuperbiam, & vitioſam cõplacentiam, vanámque ſecuritatẽ, ſuũ ſæpè poſſeſſorẽ perducere conſueuit: quemadmodũ videre eſt in ipſis eiſdẽ ſerius infidelibus. Nã dũ dulcedine intus perfũdũtur, ſtatim alio diiudicare & deſpicere incipiũt: ſe ſãctos iã Deique ſecretarios exiſtimãt: reuelationes cœleſtes miris modis expetũt & expectãt: ſed & miracula aliqua aut perſe, aut de ſe demõſtrari deſiderant: quibus cæteri cognoſcere poſſint ſanctitatẽ, quã ſe habere putãt, & nõ habẽt. Hoc pacto in ſuis cogitationibus euaneſcere ſolẽt, qui gratiæ ſẽſibili magis, quã gratiæ largitori, inhiãt. Cæterũ fideles ſerui lõgè ſe aliter habẽt. Neque enim ſe, ſed Deũ quærũt: non ſuã conſolationẽ, ſed Dei beneplacitũ & honorẽ precipue ſpectãt: proprietatem vbique fugiũt. Siue Deus ipſis infũdere, ſiue nõ infũdere voluerit influxũ internæ ſanitatis, iidẽ ſunt: & in æqualitate mẽtis permanẽtes, Deũ diligere atque laudare nõ ceſſãt. Nõ obnubilatio interior, nõ ſẽſuũ difficultas, nõ affectuũ frigus, nõ cordis ariditas, nõ animi deiectio, nõ ſpiritus dormitatio, nõ tẽtationũ anguſtiæ, nõ denique quarũlibet aduerſitatũ miſeriæ, neq; proſperitatũ ſucceſſus, eos de loco ſuo deiicere poſſunt. Quãuis .n. vel ex cõtrariis triſtitiæ inordinatæ preſſurã, vel ex proſperis delectationis ſenſualis impetũ, in inferioribus animæ viribus aliquãdo forte ſentiãt, nõ tamẽ deiiciũtur: quia in ſuperioris mẽtis ratione quieti perſeuerare ſtudẽt & diuinæ volũtati, ſeu permiſſioni, ſuã volũtatẽ cõformãt: dolẽtque q; vel modicã indicẽtis motus cõtradictionẽ in ſe ſẽtiant. Fũdati ergo ſuper firmã petrã, ſtabiles in charitate Dei perſiſtũt: quorũ vtique ſummũ ſolatiũ eſt, diuinũ beneplacitũ. Semper deuoti ſũt: quia dũ ſũmo ſtudio vitãt atque abominãtur quæcũque Deo diſplicẽt, cordiſque puritatẽ vel tenuiſsime cõtaminare poſsũt, dũque Deo ſe in omnibus rerũ euẽtibus cõmittunt, mẽtẽ mũdã, liberã, quietãque ſemper poſsidẽt. Iſta.n. veriſsima, Deóq; gratiſsima deuotio eſt. Illa altera ſenſibilis deuotio, quæ incipiẽtibus vel recẽter conuerſis familiarior eſt, nõ ita perdurat, neque tantã habet certitudinẽ. Eſt tamen & ipſa nobis multũ vtilis, ſi ea prudenter vtamur. Serui fideles (ſic enim eos adhuc appello, quos Ieſus nõ ſeruos, ſed amicos nominat) ſerui, inquã, fideles exquirũt quidẽ etiã ipſi efficacẽ illã ſapidiſsimãque gratię ſuauitatẽ: exquirũt lætitiã ſalutaris domini: exquirũt vultũ amabilẽ & cõplexum ſuauiſsimũ: ſed ſpirituali verecũdóque deſiderio, nõ autẽ ſenſuali auiditate, neq; puerili leuitate, aut turbata impatiẽtia id faciũt. Dona dei expetũt, nõ vt in ipſis ſenſualiter delectẽtur: ſed vt per ea feruẽtiores, atque ab omni inordinatione puriores effecti, cęleſti ſpõſo magis placeãt. Amãt Dei dona, gratiaſque ſedulo pro eis agũt: & tamẽ ab ipſis ſe veluti otioſos & liberos conſeruãt, dũ in eis nõ quieſcũt. Per gratiã vlterius ad gratiæ datorẽ & ſũmũ bonũ progrediũtur: in quo ſolo quieſcere licet. Felices omnino ſunt quia quãto minus donis adhærẽt, tanta magis dona percipiũt. Quãtũlibet autẽ benedictionibus à Deo ditẽtur, nõ tamẽ erigũt animũ, nõ deſpiciunt alios, ſed ſe. Se, inquã, deſpiciũt, & omni gratia ſpirituali indignos agnoſcũt. Recogitãt sẽper, quia quod habẽt, ex mera Dei miſericordia habẽt: & quia quibus plus datur aut cõmittitur, plus etiã ab eis exigitur. Sicq; in timore ſãcto permanẽtes, & ex donis in humilitate proficiẽtes, ſeſe omniũ infimos eſſe confitẽtur. Gaudẽt & gloriãtur apud ſemetipſos, ſi iniuſta diffamia, cõtumeliis, iniuriis, atq; extrema abiectione preſſi, Chriſtũ imitati fuerint: nõ autẽ, ſi vel per mẽtis exceſsũ ſupra ſe eleuari, vel viſiones inuſitatas videre, vel miracula euidentiſsima patrare potuerint. Suggeſtiones doloſas, quibus Diabolus eos ad inanẽ gloriã, & propriã cõplacẽtiã allicere nititur ſigno crucis edito, citius repellũt, nuſquã adſẽtiẽtes maligni ſerpẽtis verſutiis. Nõ in numero, nõ in merito bonorũ operũ quæ faciunt, ſpẽ ſalutis ſuæ cõfidẽter collocant: ſed in libertate filiorũ Dei quã per ſanguinẽ Chriſti cõſecuti ſunt, fiduciã reponũt. Tu iã, mi frater, agnita ſeruorũ fideliũ atq; infideliũ differẽtia, adnitere eſſe de quibus fortè nõ es: & ſtude nõ eſſe de quibus forte es. Si adhuc es, de quib. velles te nõ eſſe: & nondũ es, de quib. velles te eſſe, ingemiſce & humiliare. Nã humilibus Deus dat gratiã. Et profecto ſi humiliatus in cõſpectu domini, doles te adhuc ex numero infideliũ eſſe, iã quodammodo in ſortẽ fideliũ tranſiſti. Labora, perſeuera, noli timere: nõ reprobaberis cũ infidelibus, ſed aſſumeris cũ fidelibus. Sunt adhuc alij diuino obſequio mãcipati, q; tamẽ nec infideles, nec fideles ſerui Dei dicẽdi ſunt: ſed ignauia diaboli mãcipia quis eos iure appellauerit. Miſeros & infœlices illos intelligo, q; deuotionẽ ſeu Dei gratiã nihili, vel certè parui admodũ faciẽtes, interioraq; ſua prorſus negligẽtes, labiis quidẽ ſe Deũ honorare ſimulãt: cæterũ cor eorũ lõgè Deo eſt. In quodã malorum profũdo diuerſi, vix quicquã de propria ſalute cogitant. Tales hodiè ſũt, quales heri erãt: tales chorũ egrediũtur, quales ingreſsi fuerãt: nẽpe immmũdi, tepidi, ſocordes, vagi, incõpoſiti, ſine timore, ſine reuerẽtia. Eloquiis ſacris, quæ polluto ore proferũt, Deũ magis exacerbãt, quã placãt. Vtinã mundus hos ſibi ſeruaſſet. Vt quid. n. monaſteria incolũt? vt quid terrã ſanctã calcant? quare eleemoſynas iuſtorũ deuorãt? quare angelica ſpiritualis exercitij gymnaſia deliciis carnalibus contaminant? Si ſordeſcere volebant, in loco ſordiũ permanere, nõ ad loca puritatis tranſire debuerãt. Simplicẽ gehẽnã in ſeculo malè viuẽtes ſibi comparaſſent: duplici gehennæ ſupplicio in monaſteriis negligenter viuentes ſe reos faciunt. Sed de his multa dicere, non eſt noſtri propoſiti: ad te ergo redeat oratio.

In priuatis tuis exercitiis vide vt ſis ordinatus. Preſcribe tibi quid quaq; hora agere, & in quo te occupare velis: ita tamẽ, vt ſi quãdo vel ex obediẽtia, vel ex alia cauſa rationabili, ſeu ex quoniſcaſu emergẽte, quodlibet exercitiũ abbreuiaris, aut etiã in totũ omiſeris, non inordinatè angaris. Nã ad hoc præcipuè tibi adnitendũ eſt, vt in libertate, æqualitate, & puritate cordis, omni proprietate reiecta pacificus, impertũrbatuſq; corã Deo iugiter perſeueres. Hoc enim ſuper omnia alia exercitia, quãtũuis etiã laborioſa & ardua, ipſi Domino eſt acceptabile. Proinde quicquid huiuſmodi libertatẽ in te impedierit, id etiam ſi ſpirituale multúmque vtile videtur, pro tempore relinque, quantum obedientiæ ratio permittit. Omnẽ, inquã, cordis inquietudinẽ, qua vera

Fructuum fidelium deſcriptio.
Præpoſtera fictáque ſanctimonia.
Seruorũ fidelium deſcriptio.
Germana ſanctimonia.
Mat.7.
Serui fideles.
Ioan.15.
Pſal.70.
Heroica virtus.
Modeſtia vera.
Luc.12.
Nota.
Iac.4.
Serui inertes, inter fideles & infideles medij.
Iſa.29.
Dies in operas partiendus, ne mens otio torpeat.
Occupatio otioſa.

pax,& perfecta erga Deũ fiducia,ſpiritualiſque profectus præpeditur, repellere ſtude. Nunquã vitioſo otio locũ dederis:ipſum enim eſt quod perimit animas. Sed & otioſas occupationes fuge: otioſas appello,quę prorſus inutiles ſũt. Neque mireris,quòd dixerim,Nũquã vitioſo otio locũ dederis. Eſt enim otium laudabile,quando videlicet anima Deo dedita,ab omniũ ſenſibiliũ rerum ſtrepitu & imaginatione exẽpta,in interno ſilentio,& dilecti ſui beatiſſimo complexu,veluti otioſa requieſcit. Si eò te deduxerit manus domini,vtiliter feliciterque otioſus eas. Alioquin ſemper aut lege aut meditare,aut ora:aut aliquid aliud ſerũ neceſſariúmve tracta. Sanè ſi ad lectionis ſacræ ſtudiũ prõptus ac diligẽs eſſe volueris,iucũdaberis plurimũ:&tibi dulceſcere incipiẽt qũæuis ſpiritualia:fiétq; vt ſanctis delitiis aſſuefactus,omnes delitias carnales facilè cõtẽnas: & mirũ in modũ ſtabilietur mens tua in bono propoſito. Vt igitur tantũ fructũ mereris accipere,lectioni libẽter atq; ſapiẽter intẽde:hoc eſt in ipſa lectione vtilitatẽ,conſolationẽq; ſpiritualẽ,& Dei amorẽ quærere,nõ curioſitatẽ, non ſuperfluã intelligentiã & ſcientiam,nõ verborũ ornatum atque elegantiã. Quæ tamẽ elegantia ſicut anxiè querẽda non eſt, ſi ablit:ita etiam cũ contẽptu reiicienda non eſt,ſi adſit:nã & ipſa donum Dei eſt. Omnia cũ gratiarum actione ſuſcipe,& omnia tibi proderũt ad ſalutem. Non autẽ turberis,ſi bona quæ legis aut audis, vniuerſa in memoria nõ retines. Nã quemadmodũ vas quod ſæpius aqua perfunditur, purũ permanet, etiã ſi aqua effuſa ſtatim efluat: ita ſi mentẽ beneuolam doctrina ſpiritualis crebrò pertranſierit, quãuis ibi non perſiſtat,ipſam tamẽ mentẽ nitidam, Deóque placentẽ reddit & conſeruat. Vtilitas tua ſingularis non in hoc ſita eſt,vt doctrinæ verba memoriæ cõmendes, ſed vt doctrinæ verborumq; effectus in te remaneat:id eſt,vt tu ex doctrina puritatẽ interiorẽ paratãque voluntatem ad implendi mandata diuina conſequare. Quæ contra vitia dicuntur,ea in te cõuertere diſce:neque enim tibi ſemper tutũ erit, illa alios cũ fixa animi ſentẽtia detorquere, ne dũ quẽlibet pertinaciter iudicas,propriã conſciẽtiam macules aut conturbes. Similiter quando ocurrit mẽtio copulæ carnalis,ne hæreas:ſed leuiſſima cogitatione pertrãſito:opúſque generationis humanæ tã trãquillo cordis intuitu cõſidera,ſicut quaſuis alias exteriores hominũ operationes:reputãs ipſã copulam coniugalem nihil aliud eſſe,quàm miniſterium quoddã humano generi neceſſariũ. Tã obiter atque ſimplicirer res ipſa præteruolue ante mẽtis oculos, ſicut ſi de lapidibus fieret mentio. Et ita in omnibus quę obſcæniora vidẽtur,vel minimã lubrici motus, quantũ fieri poteſt,vitato illecebrã. Si per tentationem importunè moleſtant & conturbant, ratione prorſus cõtradicito,denega adſenſum:& ſigno crucis edito,totam intentionẽ ad Deũ dirige. Sic enim periculũ illæſus euadere poteris. Præterea noli eos imitari,qui nullũ legendi ordinem ſeruãt, ſed quod fortè occurrerit,quodq; caſu repererint,legere gaudẽt:quibus nihil ſapit,niſi quod eſt nouum & inauditũ. Cõſueta enim & vetera omnia quantũlibet vtilia,faſtidiũt. Tanta inſtabilitas procul à te ſit: ipſa enĩ nõ promouet,ſed diſpergit ſpiritũ,& periculosè laborat qui hoc morbo vitiatus eſt. Animũ ad certã,

Laudabile otium.

Sacræ ſcripturæ ſtudium.

1.Cor.1.

Sermonis elegantia donum eſt Dei.

Quæ vtilitas ex lectione ſacræ ſcripturæ ſpectãda.

A lectionẽ prudẽter conſtringe:& in ea immorari cõſueſce, etiã ſi aliquãdo minus ſapiat. Lege, inquam nõ cõfusè & ſparſim,ſed ex ordine. Quæ bona ſunt, eadẽ ſæpius audire nõ pigeat. Verũtamẽ tẽpore tribulationis,& paupertatis ſpiritualis,incepta nõnũquã intermittere,&ad alia pia,quę te magis cõſolari poſsũt,pro neceſſitate diuertere poteris. Sicut patres teſtati ſũt,vtile eſt àlectione ad orationẽ ſeu meditationẽ trãſire, & rurſum ab oratione ad lectionẽ recurrere:vt dum oratio lectioni, & lectio orationi laudabili viciſſitudine ſuccedit, tollatur faſtidium: animuſq;,velut recẽs ad opus propoſitũ ſemper vigeat,& ex vtraq; fructũ copioſior referatur. Et quid B vetat,quo minus etiã in ipſa lectione, breuiſculas quaſdã orationes ſubinde formes, & ad Deum per ſancta deſideria adſpires? Sunt nonnulla,quæ& pro lectione, & pro oratione vel meditatione adſumi poſſunt:nẽpe omnes ſcripturæ,in quibus colloquiũ habetur cũ Deo. Cõmunes orationes priuatis orationibũ ſẽper præfer:& eas vtiliores tibi eſſe iudica, etiãſi ſteriliores atq;inſipidiores aliquãdo videãtur. Sic & quaſuis communes regulareſq; actiones, tuis priuatis exercitiis antepone. Nã ante omnia, & ſuper omnia,primũ locum obedientia iugiter apud te obtinere debet. Sed quæris fortè, in quibus orationibus & meditationibus priuatim te potiſſimũ occupari oporteat. Si mihi credis, in tuis precationibũ C poſt accuſationẽ tui,& peccatorũ petitam veniam, præcipuè poſtulabis à Deo,vt malas paſſiones vitioſaſque affectiones penitus in te mortificet,&ab omni inordinatione perfectè te denudet:dẽtque gratiã, qua omnẽ tribulationem & tẽtationẽ æquanimiter atque gaudẽter portare poſſis. Poſtulabis humilitatẽ profundiſſimã,& feruẽtiſſimã charitatẽ. Petes etiã,vt ipſe te in omnibus ſemper dirigere, docere,illuminare,& protegere dignetur. Hæc tibi maximè neceſſaria eſſe iudico. Omnino magna & ſublimia ſunt, nec ea conſequi poteris, niſi in petẽdo aſſiduus & perſeuerans fueris. Perſeuera ergo quotidie pulſans:& tandẽ proculdubio Dominus aperiet, totq; D panes largietur, quot tibi fuerint neceſſarij. Vide autẽ ne de his quæ accipis,gratias ſedulo agere negligas. Nam ſupra modũ diſplicet Deo beneficiorũ acceptorum obliuio& ingratitudo. Et vt facilius citiúſque Dei benignitatem ad te inclines, attentius deprecare pro ſtatu totius Eccleſiæ,cõmẽdans Deo omnes fideles viuos & defunctos,vniuerſamq; creaturam rationalẽ. Vis audire in quibuſnã adhuc vtiliter te exercere poteris? Ego dicã: vtilis eſt pſalmodia,vtilis aliarũ ſcripturarũ pia ruminatio,vtilis creaturarũ conſideratio, ſi ad ipſum creatorẽ referãtur: vtiles ſunt quæuis orationes,hymnodiæ,gratiarum actiones,& meditationes ſanctæ: vtiliſſimã autẽ & E vnicè neceſſariã humanitatis Chriſti, & maxime ſacratiſſimæ paſſionis eius memoriã omnes aſſerũt, idque meritò. Ipſa enim eſt præſens paſsionũ & affectionum inordinatarũ exterminatio, oportunum tẽtationũ refugium,tuta periculorũ ſecuritas,ſuaue anguſtiarum refrigerium, amica laborum requies, facilis diſtractionum repreſsio, verum ſanitatis oſtium, vnicus contemplationis aditus, dulcis animæ conſolatio, indeficiens diuini amoris incendium,omnium aduerſitatũ condimentũ,omniũ virtutũ fons,vnde ad nos deriuentur: denique totius

Pro temporis ratione mutanda aliquoties ſtudia.

Luc.11.

In priuatis orationibus quid potiſſimũ agendum atque petendum.

Memoria vitæ & paſſionis Chriſti,quàm efficax.

perfectionis exemplar absolutissimum, portus, spes, fiducia, meritum & salus omnium Christianorum. Fratrē noui, cuius cōsuetudo fuit, singulis diebꝰ sibi aliquem eiusdem dominicæ passionis partem præfigere, Exempli gratia: vno die proponebat ante mētis oculos, Christum in horto cōstitutum: & eo die quocunque progrediebatur, vbicunque erat vacās ab alia seria necessariáque cogitatione, quicquid agebat exterius, oculum interiorē dirigere satagebat ad ipsum dominum diuersas angustias in horto sustinentē: & in hūc fere modū sæpè alloquebatur animam suā: O anima mea, ecce deus tuus. Respice filia, attēde, vide, & cōsidera charissima: ecce Deus tuus: ecce creator tuus, ecce pater tuus, ecce redemptor & saluator tuus: ecce refugiū tuū, susceptor & protector tuus: ecce spes, fiducia, fortitudo, & salus tua: ecce sanctificatio, puritas & perfectio tua: ecce adiutorium, meritū & præmium tuū: ecce tranquillitas, consolatio, & suauitas tua: ecce gaudiū tuum, delitiæ tuæ, & vita tua: ecce lux, corona & gloria tua: ecce amor tuus & desiderium tuum: ecce thesaurus tuus, & omne bonum tuum: ecce principiū tuū & finis tuus. Vsquequo dispergeris filia vaga? Vsquequo relinques lucē, & amabis tenebras? Vsquequo pacē deseres, & inuolueris turbulentijs? Reuertere, reuertere Sunamitis: reuertere filia, redi, & recollige te charissima: relinq; multa, & amplectere vnū: nam vnum est tibi necessarium. Mane cum domino tuo: constitue te iuxta Deum tuum: noli recedere à magistro tuo: sede sub vmbra eius, quem diligis, vt gutturi tuo dulcescat fructus illius. Bonū est tibi hîc esse filia. Nam huc hostis non appropinquat, hic insidiæ nullæ, nullum periculū, nullæ tenebræ: omnia hîc tuta, omnia serena sūt. Reside hîc libēter charissima. Eris enim hîc secura & libera: eris hilaris & iucūda. Hîc rosæ, hîc lilia, hîc violæ: hîc flores omniū virtutum gratanter adspirant. Videbis hîc splēdorem vniuersa suauiter irradiātem. Inuenies hîc veram consolationem: inuenies hîc pacem & requiem: inuenies denique hîc omne bonū. Huiusmodi sententiolis, & acriter & dulciter perurgebat animam suam, eámque foris vagantem reuocabat intrò, & summo bono intendere cogebat. Ex ipsis eisdē sententiolis aliquando plures, aliquādo pauciores, aliquando vnam, aliquando duas, aliquando tres, secundum suæ deuotionis affectum, & spiritus sancti beneplacitum assumebat: quinetiam easdem sępius iterabat & repetebat. Ingerebat item animæ sue illa, quæ saluator in horto pro illa fecit & passus est: eam interim excitans, nunc ad pensandū ipsius saluatoris abyssalem humilitatem, mansuetudinē, patientiam, & feruentissimam incomprehensibilemque charitatem, nunc ad exhibendam compassionē eidem summæ maiestatis Domino sic inclinato & afflicto, nunc ad gratias pro tantis beneficiis & tanta pietate agendas, nunc ad amorem fideliter repēdendum, nunc ad peccatorū veniam petendā, nunc ad hanc vel illam gratiam postulādam. Sermonem crebrò in affectuosas feruidasque aspirationes conuertebat has vel similes: O anima mea, quādo parata eris sequi humilitatem Domini tui? quando māsuetudinem eius imitaberis? quando patientiæ ipsius exemplum in te relucebit? quando melius habebis? quando prorsus liberaberis à passionibus & affectionibus vitiosis? quando penitus morietur in te omne malum? quando omnis inordinatio in te delebitur? quando omnem tribulationem & tentationem placidè affectuoseque portabis? quādo perfectè diliges proximum tuum? quando illum intimè amplecteris? quando ab eius amore tota absorberis: quando eris pura, simplex, & nuda coram eo? quando nullo amplius impedimento ab eius castissimo complexu retardaberis? O si immaculata esses, ô si Deum tuum ardenter diligeres, ô si summo bono tuo inseparabiliter adhæreres. Et dirigens in cœlum siue in abyssum lucis æternæ intuitum cordis, sic ipsas aspirationes etiā formabat: O anima mea, vbi est Deus tuus? vbi est amor tuus? vbi est thesaurus tuus? vbi est desiderium tuum? vbi est omne bonum tuum? vbi est Deus tuus? quando apud illum eris? quando illum videbis? quando illo fœliciſſimè fruêris? quando illum cum omnibus cœli ciuibus liberè laudabis? has & similes aspirationes mente vel etiam ore, tacite proferebat, aliquando plures, aliquando pauciores ad sumens, iuxta internā Spiritus sancti motionem. Arguebat & ipsam suā animam frequenter, quòd nimis esset tarda, ignaua, tepida, ingrata, dura, insensibilis, instabilis, misera atque infelix. Rursus eandem pusillanimitate aut formidine deiectam confortabat, erigebátque, hæc aut similia dicens: noli desperare anima mea: consolare filia, confide charissima. Si peccasti & vulnerata es, ecce Deus tuus: ecce medicus tuus paratus est sanare te. Benignissimus atque misericordissimus est, vt uelit: & omnipotens est, vt possit peccata in momento dimittere. Expauescis fortè, quia iudex est: sed respira: nam qui iudex tuus est, idem ipse aduocatus tuus est. Aduocatus est, vt defendat & excuset pœnitentem: ergo etiam iudex est vt saluet, non autem cōdemnet humiliatam. In immēsum maior est misericordia eius, quàm sit, aut esse possit iniquitas tua. Quod tamen dico, non vt in malis perseuerās te indignam misericordia reddas: sed vt à malis auersa, de indulgentia & remissione non desperes. Deus tuus dulcissimus est, suauissimus est, totus amabilis, totus desiderabilis est, omnium quæ creauit amantissimus est. Quando eum concipis aut cogitas, procul absit omnis terroris, austeritatis & amaritudinis imaginatio. Quod autem terribilis dicitur, non propter se, sed propter illos dicitur, qui longanimitate eius abutuntur, & pœnitere differunt: quorum ipse amarissima sordidissimáque peccata, tanquam suæ dulcissimæ purissimęque bonitati contraria, propulsat & punit. Tua imperfectio non te nimium consternet. Neque enim Deus tuus despicit te, quia imperfecta, infirmáque es: sed plurimum diligit te, quia perfectior esse & desideras & laboras. Quin etiam te perseuerantem adiuuabit, & perfectiorem, vel etiā, quod fortè sperare vix ausis, totam pulchram, sibíque per omnia placentem efficiet. Istis & similibus innumerabilibus modis colloquiū satis amicabile cum anima miscebat: & eam castis alloquiis ad dilecti castum amorem imitabat. Conuertebat & ad ipsum Dominum sermonem: aspirandóque ad eum per sancta desideria, dicebat. Bone Iesu, pie pastor, dulcis Magister, Rex æternæ gloriæ, quando immaculatus & verè humilis

Se se sub alterius persona loqui videtur.

Cant. 2.

Aspirationes.

milis ero coram te? quando penitus contemnam omnia sensibilia propter te? sed & meipsum quando perfectè deserã? quando ab omni proprietate nudabor? Nã si non esset in me proprietas, non esset in me propria voluntas: non haberent in me locum passiones & affectiones inordinatæ: in nullo quærerem me. Sola proprietas inter te & me impedimentum mediúmque cõstituit: sola proprietas retardat me à te. Quando igitur exuar omni proprietate? quando meipsum liberè resignabo in tuũ diuinum beneplacitum? quando munda, quieta, simplici & serena mente tibi seruiã? quãdo perfectè diligam te? quando vlnis animæ meæ suauiter complectar te? quando æstuantissimis desideriis amabo te? quando omnis tepiditas & imperfectio mea ab immensitate amoris tui absorbebitur? O Deus meus, ô dulcedo animæ meæ, ô consolatio mea, ô vita mea, ô amor meus, ô desideriũ meum, ô thesaurus meus, ô omne bonum meũ, ô principiũ & finis meus. Vtinã anima mea tuo dulcissimo frueretur amplexu: vtinã indissolubiliter tuo delitiosissimo vinciretur amore: vtinam perfectè tibi vniretur. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terrã? Deus cordis, & pars mea Deus in æternũ. Quãdo mihi prorsus silebit iste mũdus? quãdo mihi cessabũt omnia impedimẽta, omnesq; inquietudines & vicissitudines huius sæculi? quãdo finietur peregrinatio mea? quãdo cõsummabitur incolatus meus? quãdo soluetur miserabilis captiuitas huius exilij? quando inclinabitur vmbra mortalitatis, & adspirabit dies æternitatis? quando deposita sarcina corporis huius, videbo te? quãdo sine impedimẽto, feliciter & perenniter cum sanctis tuis laudabo te? O Deus meus, ô amor meus, ô omne desideriũ meũ, ô omne bonũ meũ. Huiusmodi aspirationes frequẽtare solebat, sciẽs quia per exercitiũ aspirationũ humanus spiritus spiritui diuino efficacius vnitur: & cõpendiosius quis ad perfectam sui mortificationẽ pertingit. Eas quidẽ vbique paratas habebat: si quãdo tamen vberius otiũ nãciscebatur, tũc residẽs ad exẽplum Mariæ Magdalenæ, gaudebat in ipsis diutius & liberius immorari: idque ad honorẽ Dei magis, quã ad inordinatã oblectationem sui. Non omittebat interea cũ interna quadam cordis effusione, per syncerũ suauémq; affectũ adorare, benedicere, gratias agere, atq; precari. Sed & ad beatã Dei genitricẽ virginẽ Mariã, tanquã ad dominam misericordissimã, matremq; dulcissimã, & thesaurorũ cælestiũ dispensatricẽ liberalissimã diuertẽs alloquiũ, pias querimonias coram ea ingeminabat, sanctáq; importunitate benedictionẽ efflagitabat.

Proprietatis meæ.

Psal. 72.

Die altero præfigebat sibi, quomodo Christus à Iuda proditus capiebatur: & circa idipsum prædicta exercitia iterabat: sicq; ex ordine passionẽ consũmabat, & cõsummatã resumebat ab initio. Et quidem circa eã partẽ passionis, quę Christũ in cruce pẽdentem repręsentat, nõ solũ suo ordine & die, verũ etiã singulis diebus, si sic placebat, saltem breuiter occupabatur, attendens angustias, liuores & dolores crucifixi, considerans vulnera beatissima, & sacrosanctum sanguinem ex eis tanquam è fontibus promanantem: excitánsque animam suam ad horum sedulam contemplationem. In quauis solẽnitate Saluatoris aut Mariæ, repræsentationem ipsius festi, si ita videbatur, proponebat ante mentis oculos, loco A partis dominicæ passionis, quæ alioqui illo die fuerat frequentanda. Et sua exercitia interna, ceu amicas cum anima confabulationes, circa eiusdem festi opus, causam, mysterium atque lætitiam transigebat. Delectabatur etiam studio psalmodiæ quamplurimum. Satis autem scio, quia idem ipse frater ex continuata frequentia huiusmodi sanctę ἀσυλήσεως, grandem consolationem & eximium laboris fructũ cõsecutus est. Adscripsi exemplum: tu, si liber, imitare. Nam hac ratione Dei præsentiã attendere cõsuescis: hac ratione sensus sobrios, vigiles, exercitatos, & serenos habere incipies: hac ratione viam ad sublimitatem summæ cõtemplationis & perfectionis tibi sternes: hac ratione tẽpus, vbicunq; fueris, vtiliter expẽdes: vtpote vanis & instabilibus cogitationibus è cordis tui latibulo eliminatis, seriísq; introductis. Meditationes & aspirationes sub aliis verbis tibi formare poteris, si voles, quàm nos formauimus. In quibus, si sentis inspectionẽ libri impedire mẽtẽ, quò minus ad Deũ pertingere, eiq; vniri possis, noli librũ inspicere: rursus si percipis inspectionẽ libri iuuare tuũ exercitiũ, librũ inspice. Volo enim tuam deuotionẽ tibi esse liberã, & te Spiritus sancti gratiam absq; cõfusione, aut anxietate sequi. Porro per aspirationes, sicut ex suprascriptis formulis animaduertere potes, intelligimus oratiũculas quasdã iaculatorias, vel flãmigera desideria, viuacésq; & amorosos ad Deũ affectus. Qui initia internæ cõuersationis, & proprię mortificationis nõdũ aggressus est: aut qui recẽter illa aggressus est, prædictã exercitationis formã per omnia sequi mox in suis principiis fortè nõ debet: sed expedierit ei, vt iuxta rationem quã subiiciã, se ad tẽpus exerceat. Singulis igitur diebus etiã ipse aliquã dominicæ passionis partẽ sibi proponet: & ad eã siue stet, siue sedeat, siue progrediatur, siue quiescat, mẽte recurrere studebit: nisi aliquid aliud vtile aut necessariũ in corde tractare debeat. Et frequẽter hoc, vel simili modo cũ anima sua in cõspectu Christi patiẽtis philosophabitur. O anima mea, ecce Deus tuus: respice ingrata, attẽde misera, considera paupercula: ecce Deus tuus, ecce creator & redẽptor tuus. Ecce quomodo rex æternę glorię humiliauit se pro te: ecce quomodo maiestas altissima inclinauit se pro te. Vide quàm tristia, quã amara & indigna Saluator tuus sustineat propter te. Perpẽde quãta charitate dilexit te, qui tãtã afflictionem & attritionẽ propter te, susceptit in se. Excutere anima mea, excutere de puluere: solue vincla colli tui captiua filia Siõ. Exurge, egredere lutũ vitiorũ, relinque sordes vitæ negligẽtioris. Quãdiu cũ voluptate versaberis in periculis? quandiu anxietates & tormẽta reputabis requiẽ? quãdiu secura obdormies in interitu? quãdiu iter rectũ sputè deseres, & longè latéq; diuagaberis per inuia? Reuertere ad Dominũ Deũ teũ, quia ipse expectat te: festina, noli tardare: ipse enim paratus est recipere te. Expãsis vlnis tibi in occursum veniet: tu tantũmodo redire ne differas. Accede ad Iesum, & sanabit purificabítq; te. Adiũge te Iesu, & illuminabit te. Adhęre Iesu, & benedicet tibi, saluabítq; te. Nonnunquã eidẽ animæ suæ expressius improperabit extremã eius ingratitudinẽ & peruersitatẽ, dicẽs: Eheu anima mea, quã ingrata fuisti Deo tuo? Ipse innumerabilia præclarissimáq; beneficia tibi largitus est, & tu pro bonis mala sem-

Aspirationes.

Exercitiũ istud quatenus nouitio persequendum.

per ei reddidisti. Ipse ad imaginẽ & similitudinẽ suã creauit te: ipse immortalitate te donauit: ipse cœlũ, terrã, & omnia quæ in eis sunt, tuis deputauit cõmodis: ipse donis & gratiis plurimis ornauit te: ipse ad fidei Catholicæ lumẽ perduxit te: ipse è periculosis mũdi fluctibus eripuit te, & ad portũ trãquillitatẽq; vitæ monasticæ transtulit: vbi tu, tanquam in amœnissima paradiso spiritualis voluptatis cõstituta, infinitas sanctæ lætitiæ, bonorumq; operũ occasiones haberes. Te grauiter peccantẽ sustinuit lõganimiter, & ab inferni faucibus præseruauit. Rex regũ pro te incarnatus est: creator tuus pro te frater tuus factus est. Nec satis illi fuit, vt pro te nasceretur: voluit & pati pro te: pro te cõtristatus & angustiatus est: pro te traditus & captus est: pro te ligatus & malè tractatus est: pro te cõsputus & colaphis alapisq; cæsus est: pro te illusus & despectus est: pro te flagellis cõcisus, & corona spinea vulneratus est: pro te arũdine percussus, & pondere crucis grauatus est: pro te clauis ferreis cruci affixus & aceto potatus est: pro te suum sacrosanctum sanguinem fudit, & lachrymatus est: pro te mortuus & sepultus est. Ipse te adoptauit in hæredẽ regni cœlestis: ipse tibi promisit, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis cõprehendere potest. Tu verò dereliquisti, & contempsisti eũ, qui benefecit tibi: abiecisti sanctũ timorẽ eius, qui dilexit te: excussisti suaue iugũ eius, qui elegit te. Facta es quasi vna de filiab⁹ Belial: iniquitates, tanquam meretrix impudẽs, coluisti sine vlo crecundia. Pepegisti fœdus cum morte: dedisti manũ diabolo: ad omne malum fuisti paratissima: mala malis accumulasti, & pessimis peiora gauisa es semper addere. Iesum Christum, qui te in sponsam elegerat, iterũ crucifixisti tuis sceleribus: illius vulnera tuis criminibus renouasti. Quis dabit tibi gemitus & suspiria? quis dabit fontem lachrymarũ, vt plores die ac nocte tuam ingratitudinem? O te infœlicem, & quid facies? ô si innocentiam seruasses? ô si immaculata permansisses? ô si teipsam miserabiliter non dehonestasses, ô si à Deo tuo non recessisses? Innocentiã perdidisti, maculata es, teipsam dehonestasti, à Deo tuo recessisti. O te infœlicem, & quid ages? ad quem confugies, à quo expectabis auxilium? A quo, nisi ab eo ipso, quem offendisti. Piissimus est, misericordissim⁹ est. Humiliare, prosternere, effunde te sicut aquam in conspectu eius, & miserebitur tui. Aliquãdo ipsa sua lamenta conuertet ad Dominũ, hæc aut similia cõmemorãs: Heu Domine mi Iesu, quid feci? quomodo te dereliqui? quomodo te cõtempsi? quomodo nominis tui oblitus sum? quomodo tui timorem abieci? quomodo legem tuam cõculcaui? quomodo præcepta tua trãsgressus sum? Heu me, Deus meus, heu me plasmator meus, heu me saluator meus, heu me vita mea, & omne bonũ meũ. Væ mihi misero, væ mihi, quia peccaui: væ mihi, quia meipsum similem bruto reddidi: væ mihi, quia irrationabilior pecude factus sum. O bone Iesu, ô pie pastor, ô dulcis magister adiuua me, erige iacentem: porrige manum periclitanti, emũda sordidum, sana vulneratũ, confirma debilem, salua perditũ. Fateor, non sum dignus quẽ terra sustineat, nõ sum dignus qui lumen videã, non sum dignus tuo auxilio & gratia. Magna enim est mea ingratitudo, magna & nimis magna est peccatorũ meorũ enormitas: verũ tamen in immẽsum maior est tua misericordia. Igitur amator hominũ Deus, & spes mea vltima, miserere mei secundũ magnã misericordiã tuã, & secundum multitudinẽ miserationũ tuarũ, dele iniquitatem meã. Interdũ tanquã ex abrupto flectens genua in cõspectu Domini, affectuosè dicet: Domine, si vis potes me mũdare. Vel illud: Deus propitius esto mihi peccatori. Vel illud: Miserere mei Iesu fili Dauid. Item illud: Domine, adiuua me. Similiter ante matrem Domini, virginẽ Mariam, & ante sanctos sanctásque Dei cor suum effundet, suppliciter eorũ intercessiones postulans. Quotidie, vel certè frequẽter, accepta opportunitate, recolliget se: & cum profunda humilitate, firmóque emendationis proposito recogitabit, atque sigillatim confitebitur coram Domino peccata vitæ anteactæ, maximè ea, quibus ipsam diuinam bonitatem grauius enormiúsque offendit. Veruntamen in illis, quæ ad lubricitatẽ carnis spectãt, non indiscretè immorabitur: ne recordatio & morosior pertractatio veteris peccati, nouum peccatum per illicitam delectationem pariat. In qua confessione, contritione, sensibilíque deuotione, magis lugere consueseet, quòd erga Deum creatorem & patrem suum dulcissimum contumelioſus ingratúsq; fuerit, quàm quod seipsum æternis suppliciis obnoxiũ reddiderit. In formulis lamentationum piarúmque querimoniarum, quas prescripsimus, non hoc spectabit, vt multas sententiolas percurrat: sed quas voluerit, & quot voluerit assumere, assumet, nullo etiam seruato ordine. Si vnam tantũ vel duas, vel tres elegerit, quas apud se vbicunque fuerit, iterum atque iterum repetat, laudabiliter faciet: si verò plures maluerit versare, etiam laudabiliter faciet. Liberè eum pro sua deuotione agere, & vbique confusionem vel perplexitatem vitare nolumus. Noui vnum, qui exterius occupatus, in sua ad dominicã passionem conuersione inter castas confabulationes, hęc aut similia paucula verba ruminare gaudebat: O bone Iesu, ô pie pastor, ô dulcis magister: bone Iesu miserere mei: pie pastor dirige me: dulcis magister doce me: domine mi adiuua me. Alter quidam aliquando plura, aliquando pauciora delectabatur reuoluere, & eadem aliis atque aliis verbis pro suo affectu exprimere. Noster tyro in his, sicut diximus, liber sit, qui etiam seipsum ad cõpunctionem diligentiámque spiritualis propositi ex meditatione mortis, purgatorij, iudicij, inferni, & patriæ cælestis excitare poterit, si ita placeat. Quorum quidem meditatio quãtò propinquius ad timorem liberalem, & Dei amorem accedit, tanto ipsi Domino acceptabilior, & ad purificandas animas efficacior est: rursum quantum eadem timori illiberali & seruili vicinior fuerit, tantò minor vtilitas ex ea referetur. Per timorẽ liberalem metuimus peccare, ne benignissimũ Dominũ Deũ nostrũ offendam⁹, eiusque perdamus gratiã, & familiaritatis beneuolentiam. Per timorem seruilem formidamus malè agere, ne dãnis, pœnis, & suppliciis afficiamur. Veruntamen bonum est, nos vel per timorem seruilem à vitiis abstinere: ita tamen, vt ibi nõ permaneamus, sed inde ad timorem liberalem trãseamus. In meditatione æternæ gloriæ, hæc aut similia apud se pertractabit. O quàm beata est cælestis illa Hierusalẽ: cuius muri precioſissimis constant lapidibus: cuius portæ

Pſal. 50.

Matth. 8.

Luc. 18.

Quotidie cõmissorũ in Deum ratio subducenda.

Harũ orationum formulis quatenus vtendum.

Timor liberalis.

Timor seruilis.

Aeternæ gloriæ iucunda meditatio.

1. Cor. 1.

1. Reg. 1.

Iſa. 28.

portæ electissimis nitent margaritis: cuius plateæ A mũdissimo sternuntur auro: cuius horti flosculis incõprehensibiliter vernantibus adblandiuntur. Ibi vox lætitiæ perpetuò auditur: ibi canticum gaudij sine fine promitur: ibi iubilus exultationis iugiter innouatur: ibi organa sanctorũ semper resonant: ibi cinnamomum & balsamum ineffabilem suauitatis odorem indesinenter spirant: ibi est pax & requies omnẽ sensum exuperans: ibi est tẽperies & serenitas omnem captũ humanum excedẽs: ibi est dies æternus, & vnus omnium spiritus: ibi est certa securitas, & secura æternitas, & æterna tranquillitas, & tranquilla fœlicitas, & fœlix suauitas, & suauis iucunditas: ibi fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorũ. B

1. Cor. 13. O quantę felicitatis est angelorum choris interesse, cum sanctis Patriarchis & Prophetis, cum sanctis Apostolis & Martyribus, cum sanctis Cõfessoribus & Virginibus, cum glorioſissima Dei genitrice Maria perpetuum habere consortium, non timere, nõ tristari, non angi, non grauari, nõ attædiari, nullum sustinere laborem, nullum impedimentum, nullum fastidium, nullam necessitatem. O quanta consolationum opulentia, ô quanta deliciarum affluẽtia, ô quanta gaudiorũ exuberantia, ó quanta purissimarum voluptatũ abyssus, videre lumẽ illud incircunscriptũ, videre lucẽ illã summè amabilẽ, videre indicibilẽ illã altissimę Trinitatis gloriã, videre Deũ Deorum in Sion, videre autẽ non in ænigmate, sed facie ad faciẽ, videre item glorificatã vnigeniti Dei humanitatẽ. Nam si dulce est visibilẽ cæli ornatũ intueri, micãtem stellarũ claritatem aspicere, rutilãtem solis splendorẽ cernere, fulgidũ Lunæ candorẽ videre, gratã aëris lucẽ cõsiderare, auicularũ, florũ, graminum, & colorum elegantem decorem contẽplari, philomelarum & galeritarum dulces cantus excipere, lyrę & cytharæ suauem melodiã audire, rosarum liliorúmq; flagrantem odorem haurire, aromatum & pigmentorum eminentem redolentiã percipere, diuersorum fructuum delitiosum saporẽ gustare: si, inquã, dulcedo maxima ex his sentitur, quantus erit syncerissimæ iucunditatis torrens immensam illam pulchritudinem perfectè cõtemplari, perfectęq; infinitã illam dulcedinem gustare, vnde omnis pulchritudo, omnísq; dulcedo rerũ creatarum profluit atq; descendit? Nobis quidẽ æternæ fœlicitatis, & futuræ resurrectionis statũ repręsentat vernũ tẽpus: in quo noua quadã gratia, admirabili ornatu, cælũ, terrã, arbores, ac cætera decorantur: verũtamẽ inter id quod repræsentat, & id quod repręsentatur, maior est differentia, quàm inter opacæ noctis tenebras & iubar solis meridiani. Beata igitur & iterum beata cælestis illa Hierusalem: vbi E est omne quod placere potest: & vnde abest omne quod potest displicere: vbi in secula seculorum feliciter laudatur Deus omnipotẽs. Hæc supernæ ciuitatis gaudia purè frequentare discat, eaq; amare & expetere, nõ tam propter proprium commodum quàm propter Dei laudem & honorem. Quanquã huiusmodi meditatio vitæ æternæ sincerius exerceri poterit ab eo, qui iam profecit in interna conuersatione, quàm ab eo qui vix dum initia propriæ mortificationis attigit, sęque potius quàm Deum adhuc quærere nouit. In supradictis lamentationibus nouus tyro se exercebit perseueranter ad vnũ,

Quanto tẽpore tyroni in his lamẽtationibus desudandum.

tres, séxve menses, aut ad annum integrum, vel amplius: id est tãdiu, donec senserit mundi suíque cõtemptum intus vtcunque conualescere, & se ad vitæ spiritualis propositum aliquantulum feruere. Aliqui ægrius, aliqui facilius ad meliora cõuertuntur: sed & nonnulli à benignissimo Deo liberalissimè præuenti, subitò innouantur. Interim quidem licebit ei etiã aliis orationibus, gratiarum actionibus, & diuinis laudibus insistere: singularis tamen eius occupatio erit in rationabili luctu, & peccatorum suorum persecutione. Si non inuenit lachrymas exteriores, non conturbetur: nam interioribus lachrymis non caret, cui omne vitium verè displicet. Postquam igitur per salutarem fletus seu contritionis amaritudinem imago Dei interius aliqua ex parte reformata fuerit, ipse maiore fiducia iã accepta, alterum illud exercitationis exẽplum, quod superius proposui, vtilius imitari poterit. Eriget itaque se humiliter, & ad intimiorem cælestis sponsi familiaritatem feruenter præparabit. Quandiu autem adhuc infirmior frigidiórque est, sæpè excitabit in se diuini amoris igniculum, per seriam incarnationis vel passionis vnigeniti Dei meditationem, conferens & his suauiter cum anima sua. Ex qua meditatione succensus, mox ad orationem & adspirationes conuertetur, ipsi summo bono spiritum suum per eas venire desiderans. Si perstiterit crebrò C hac ratione in amorem Dei compellere, eò breui perueniet, vt statim prima mẽtis cõuersione, aut adspiratione, siue pręmeditatione aliqua, se à creaturis eorumque imaginibus seiungere, & in suauitatem ipsius diuini amoris immergere queat. Deinceps non vsqueadeo necesse habebit in sua pœnitentia coram Deo cõmemorare singula peccata vitæ prętęritę, cordísq; intuitũ anxiè ad ea dirigere: sic enim & libertas & affectus erga Deum præpedirẽtur: sed potius ad ipsum Deum cor amorosè diriget, detestans interim, quicquid ab ipso separare retardaréve potest. Vbi tamen non dicimus, vt quæ peccauit, ea aliquàdo è memoria sua per negligentiã dilabi permittat: sed volumus vt illorũ sic reuiuiscatur, ne ipsa recordatio maiori vtilitati obsit. Itaque summatim potius, quàm sigillatim, ea Deo quotidie cõfitebitur. Sanè minora peccata præsentiori remedio in nobis delentur, dum per dulcem & efficacem amoris affectũ ad Deum cõuertimur, quàm dũ nosipsos in eorũdem cõsideratione & amara punitione morosius occupamus. Proiiciet igitur illa in abyssũ diuinæ clemẽtiæ: vt ibi veluti scintilla in medio maris depereãt. Omnem inordinatam pusillanimitatẽ, & superfluos cõscientiæ scrupulos, perplexámq; diffidentiã prorsus reiicere adnitetur, vndecunq; emerserint. Nà nisi statim amputata fuerint, diuersis modis animi alacritatẽ præfocant, & profectui interno nõ parum incõmodant. Porrò nihil vltra vires attẽtabit: sed sua sorte contentus erit. Si non potest eò peruenire, quo peruenire desiderat, laboret, vt saltem eò perueniat, quo peruenire potest. Nisi sibi malè blandiatur, facile agnoscet quousque procedere valeat. Liberalis tamẽ, & omnino liberalis est diuina bonitas: quæ vbicũque mentẽ dignè pręparatã inuenerit, ibi copiosissimè se infũdere gaudet. Quare si spiritualis asceta ad sublimitatẽ cõtẽplatio nis perfectæq; charitatis nondũ admittitur, cogitet

Quatenus peccata præterita ad memoriam reuocanda.

Cuique ea pacitatis suæ ratio habenda.

se nondũ aptum esse, vt tantum bonum accipiat. Et quid ei prodesset eam gratiã percipere, qua nõ bene vteretur? Festinet omnia vitia radicitus euellere, vt aptior fiat: verũtamen sicut prædixi, vitiũ suarũ terminos nõ excedet. Ipsam Dei gratiã nõ tẽtet impatienter procedere, sed eã humiliter subsequatur. Spiritum, inquam, illuc violẽter impellere nõ conetur, quo nondũ ascendere potest: ne dum temerè præsumit, quod præsumere nõ debet, sua se violẽtia deorsum præcipitet: & collisus temeritatis suæ pœnas exoluat. Sic conetur ad perfectiora, vt tamen conatus eius effrenem impetũ & turbulentã sollicitudinem nesciat, mensuram gratiæ sibi datæ attendat: meminerit q; se longè facilius, tutius, cõpendiosius, & felicius peruenturũ ad supremũ contemplationis gradum, hoc est, ad mysticè theologiæ cõprehensionẽ, si à mera Dei gratia tractus raptúsque fuerit, quàm si magno labore suo illuc pertingere fuerit conatus. Discretionẽ ergo & modum vbiq; seruet, ne per excessum in defectum corruat. Bonus & dulcis est panis lachrymarũ: aliqui tamen eo pane mentẽ nonnunquã obruunt magis, quàm reficiunt. Fletibus enim tamdiu, & in tanta cõfractione atq; agitatione insistũt, donec & spiritu & corpore sub exercitio nimis extẽso aut intenso succũbant. Nõ tamen negamus aliquos esse, qui per discretionẽ & Spiritus sancti adiutoriũ diu vtilitérq; in seipsis cõcidant, & ad suauitatem gratiæ deinceps percipiendã inepti reddãtur. Igitur feruor seu impetus internus sic semper moderãdus est, vt per eũ spiritus cõfortetur, non extinguatur. Qui bona capitis habitudine sunt, feruidis adspirationibus interdũ acrius & vigorosius insistere possunt: qui verò debiliori sunt capite, maximè quibus per indiscretionẽ ipsa debilitas accreuit, nõ nisi placidè admodũ se exercere valẽt. Quin & quãdoq; simplicẽ mẽtis cõpunctionẽ, aut meditationẽ, vel lectionẽ tales vix absq; læsione admittunt, etiam dum alibi caput reclinãt. Tantã calamitatẽ parit indiscretionis vitiũ. Nõ tamen desperẽt, qui in eã venẽte necessitatẽ: sed solerter, quantũ in ipsis est, subterfugiãt læsionis aut cõfusionis incõmodũ, humiliterq; à Deo sibi id reddi petant, quo se miserabiliter spoliauerũt. Si Deus eos tandẽ exaudierit, gratias agant: sin minus, etiã benedicãt Dominũ: & propter eius amorẽ ad beneplacitum, patienter tolerare discant miseriã, quã ipsi sibi cõciliauerũt. Caueat etiã internus asceta omnẽ incõstãtiæ & instabilitatis leuitatem. Ea exercitia assumat, quæ bona sunt: & in his quæ assumpserit, perseueret, etiã si aliquãdo minus arriserint: ita tamen, vt Spiritus sancti beneplacitũ in omnibus sequatur, decreto propriæ voluntatis & ordinationis relicto. Ipse enim Spiritus sanctus diuersis modis nos veluti inuitare, diuersisq; semitis ad cellam illã vinariã, & ad thalamũ diuini amoris introducere cõsueuit: cuius instinctus vbiq; animaduertere prõptissimecq; sequi debemus, omni proprietate reiecta. Quare spiritualis asceta seipsum tanquã paratissimum instrumentum Spiritui sancto semper præsentabit: & in quãcunque partem idem Spiritus eum inflexerit seu applicauerit, protinus subsequetur. Si quando sursum ad sublimiorem contemplationem, & complexum summi boni tractus eleuatúsque fuerit, liberè se totum offeret: quòd si tũc vel

Modus vbique seruandus.

Lachrymarum modo habendus.

Feruor spiritus quatenus promouendus.

Exercitia semel assũpta, nõ temerè immutanda, nisi spiritus sancti afflatus aliud suadeat.

A passio Christi, vel quæuis alia sancta meditatio & imaginatio occurrerit, non ibi hærebit, sed expeditus cò transuolabit, quo à Spiritu vocatur. Quando dubius vacillat in proposito, ignorans quo pacto in inceptis pergere debeat, prudentum, expertorum, & humilium vtatur consilio. Sic enim magis proficiet, quàm si sibi fidens secundum proprias adinuentiones procederet. Interim tamen non omittat solicitè confugere ad orationis remedia, humiliter petens à Domino in omnibus dirigi & illuminari: ne quando deceptus, errorem pro veritate sequatur. Semper autem meminerit, quia nunquam Deo perfectè vacare poterit, nisi cor ab omnibus, quæ citra Deum sunt, liberũ & expeditum habeat. Ecce mi frater, vtcunque audisti quomodo tum incipere, tum progredi debeat in externis exercitiis, qui ad eximium aliquem purioris uitæ gradũ pertingere vult. Tuum iam erit, hæc non solum audire & legere, sed & opere complere. Quod si feceris, & cœlitus aduenerit auxilium, iamq; interiora tua claresce re, & psalmodia, ac cætera diuinæ laudis obsequia tibi dulcescere cœperint, noli altum sapere, sed time. Nã etsi dilatato corde, viam mandatorum Dei aliquãdiu curris, non tamen tu tibi, sed Deus cor dilatauit: & qui dilatauit, ipse idem subtracta gratia permittere potest, vt iterum constringatur. Illuxit tibi sol iustitiæ, & mentem tuam veluti squamis quibusdã deiectis serenauit: sed quis prohibebit, ne se abscondat, si abscondere voluerit? Esto autem paratus: nam abscõdet se, & amabili splendore recedente, tibi iterum sensus obtenebrabũtur atque præpedientur. Sed & nescio quæ immissiones per angelos malos, nauem pectusculi tui vndique contundent. Imò verò vsq; adeò fortè inualescet tentatio, vt infernalis prorsus iudicari possit. Videberis tibi Satanæ traditus: & nec os quidem ad laudes Dei aperire licebit. Durabit etiam non paruo tempore ista calamitas: & nõ semel tantùm, aut ter, aut sexies, aut decies, sed sæpius cõprehenderis ab ipsa, aliquando quidem vehementius, aliquando verò remissius. Sed non frangat te hæc res, neque de delicto quicquam siniſtrum suspicatus fueris. Ipse enim tentari te permittit, vt palam fiat, an verè diligas eum: & vt cæteris, qui tentationibus premuntur, compati discas. Ipse flagellat & conterit te, vt purget à vitiis, & ad maiorem gratiam præparet. Ipse ad tempus quodammodo recedere videtur à te, vt nunquam superbias, sed semper agnoscas quia sine eo nihil potes facere: reuera tamen non recedit à te. His & similibus aduersitatibus exercet te, propter inenarrabilem charitatem, qua diligit te. Nam hac ferè dispensatione cœlestis sponsus cum anima feruida ad se conuersa vti solet. Eam in initiis noui propositi indicibiliter visitat, confortat, illustrat, & suauissimo sui odore recreatam atque illectam post se trahit, eique grataner ferè vbique occurrit, hoc veluti lacte potans nouellam amicam. Postea solidum cibum afflictionum præbere incipit: illíque planè ostendit quanta oporteat ipsam pro nomine suo pati. Iam vndique exurgere incipiunt aduersitates: molestant exterius hominem, conturbant interiùs passiones, affligunt exteriùs pœnæ, deiiciunt interius pusillanimitates, grauant exteriùs

Præceptionem, sequi debere imitationem, à iactãtia tamen ac arrogantia alienam.

Rom. 11.

psal. 111.

Deut. 13.

Ioan. 15.

Act. 9.

exteriùs infirmitates, obscurant & obnubilant interiùs tenebræ: exteriora premuntur, interiora arefiunt: nunc ab anima se abscondit ipse sponsus, nũc iterum eidem se ostendit, nunc eam in caligine & horrore mortis veluti deserit, nunc rursus ad lucis amœnitatem reuocat: ita vt verè dictum sit de eo, quia deducit ad inferos & reducit. His modis animã probat, purificat, humiliat, erudit, frangit, dolat, exæquat, leuigat & ornat. Quòd si eam per omnia fidelem, ac bonæ voluntatis sanctæq; patientię esse, iámque per longam exercitationem & suam gratiam placidè atque affectuosè quasuis tribulationes ac tentationes portare inuenerit, tunc ipsam perfectius sibi copulat, & ad secreta sua familiariter admittit, longéque aliter adstringit quàm in initiis conuersationis fecerat. Tu ergo non perturberis, quando vehemens tentatio te flagellat: sed tanquam pignore amoris accepto, fidelis & inuictus in agonibus permane, dicens subinde cum beato Iob: etiam si occiderit me, sperabo in eum. Durante huiusmodi tempestate, durius erit tibi diuino officio assistere, propter nimiam mentis instabilitatem seu obnubilationem. Veruntamen longanimis esto, & placidè fac quod in te est. Transibit nox, discedent tenebræ, lux iterum exorietur. Quandiu autem nox est, summopere caue nè otiosus & negligens inueniaris. Si non libet orare, psallere, vel meditari, insiste lectioni. Si etiam ad lectionem nauseat animus, scribe, aut in aliquo alio externo opere ad tempus viriliter te occupa, vanarum cogitationum strepitus sedulò interim reiiciens. Si somnolentia tibi intempestiuè molestior est, eáque grauiter deprimeris, vtilius fortè facies, si loco & tempore permittente, paululum obitérque ad honorem Dei capite reclinato dormitaueris, quam si inexorabiliter repugnare volueris. Nam si per solum laborẽ somnolentiam comprimere elegeris, durante quidem labore, liber eris, sed finito eo, téque ad spiritualia redeunte, facile reuertetur eadem somnolentia. Dormitatio illa, & breuis & leuis esse debet: ita vt plus minus eo spatio duret, quo psalmus vnus, aut duo, tréue legi queant. Spiritus enim inde veluti renouatus, expeditior atque alacrior resurget. Qui nondum in cibo, potu & sensibus nouerunt esse sobrij, si ad prædictum remedium confugerint, timendum est, ne suum morbum aggrauent potius, quàm alleuient, & in profundum prolixúmque somnum prolapsi, tempus miserabiliter perdãt per socordiam. Aduersus eas tentationes, quibus Diabolus mentem ad indecentia & vitiosa inclinare nititur, etiã solerter, vigila, & ipsas statim in initio, priusquam interiora tua occupentur, reiicere satage. Nam nisi mox primo insultu aduersarium repuleris, ingressus intro repẽtè animam tuam vinculis iniectis colligabit: & tu deinceps libertate viribúsque destitutus, ægrius resistes. Veruntamem etiamsi negligenter egeris, & ille vincula iniecerit, ne sic quidem dedas te: sed reclama, & vel reptando super terram renitere, Dominúmque in fortitudine spiritus exora, vt te vinculis absolutum libertati restituat, aut certè à consensu præseruet. Scito autem quia eundem aduersarium, dum fœda, impia, & absurda quæque suggerit, sæpè felicius vinces, si contempseris & nihili feceris eius latratus, sicque pertransieris, quàm si cum eo diutius disceptare & iniquum os magno labore obturare praueris. Dum tamen nimium importunus est, & semel ac denuo repulsus, iterum atque iterũ insilit, omnino conserendæ sunt manus, vt vel certamine superatus aufugiat cũ opprobrio. Porrò diuersis viis nos aggreditur: aliquando enim clam, & quasi sub prętextu pietatis insidias parat: aliquando verò palam & aperto furore insurgit: aliquando sensim irrepit: aliquando subito & ex insperato irrumpit: aliquando spiritualibus & internis, aliquando corporalibus & externis aduersitatibus aut prosperitatibus oppugnat. Quare semper vigilandum, semper ad Dominicæ passionis præsidia confugiendũ, & ad Deũ lachrymosè clamandũ est. Verùm quẽadmodũ dicere cœperã, noli altũ sapere propter gratiã quã fortè habes. Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, non est iustum vt glorieris, quasi non acceperis. Caue itaque, ne vento vanæ gloriæ, aut auræ propriæ complacentiæ fenestram cordis tui aliquo pacto aperias. Vide ne te iactites: vide ne passim ostentare gestias quod accepisti: sed secretum tuum apud te permaneat, nisi fortè alicui intimo discretóque amico, propter spiritualem vtilitatem vel consolationem humiliter ac verecundè reuelandum fuerit: aut alioqui obedientia, seu alia manifeste necessitas grandisué vtilitas compulerit. Vide ne te tuis meritis & laboribus donum Dei accepisse credas: seu potius indignum te iudica (sicut reuera indignus es) omni gratia & consolatione, dignum verò omni confusione atque derelictione. Non comparaueris te cum inferioribus & imperfectis: sed cum sanctioribus te confer, vt considerata eorum perfectione, tuam imperfectionem melius agnoscas. Humilia & deiice te: constitue te sine fictione infra omnes homines. Et quomodo hoc, inquis, faciam, quum plerique abiecto penitus timore pariter & pudore, perditissimè viuant? Quod ego nec facio, nec facere volo? Quid, etiámne illis me subiiciam? etiámne illos mihi præponam? præpones, inquam. Nam si cogitaueris, quia qui hodie pessimi sunt, cras te perfectiores esse poterunt: & quia si iidem dona tibi diuinitus concessa accepissent, longè sanctius te viuerent: tu quoque grauius eis peccares, nisi abundantiori gratia præuentus esses. Si, inquam, hæc cogitaueris, facilè animaduertes, quàm sit consentaneum, vt etiam quemlibet peccatorem tibi præferas. O si scires arcanum Dei, quàm libenter aliis cederes, quàm lætanter vltimum locum teneres, quàm gratanter ad aliorum pedes te demitteres, quàm alacriter etiam infimis inseruires, quàm deuotè omnes honorares, quàm affectuosè sine aliqua mora aut querela obedires. Cæterum adhuc excellentius aliquid à te requiro, nempe, vt non solum infra homines, sed & infra omnem creaturam, propter Deum te in corde tuo constituas: reputans te cinerem abiectissimum, existimans te indignum quem terra sustineat, & qui lumen videas. Penitius introspice quàm sis ingratus, infidelis, tepidus, instabilis, miser, ac vilis: & ad humillimam illam animi depressionem poteris pertingere. Si antiquus hostis importunè pulsauerit ostium cordis tui, suggerens vt te aliquid esse existimes, vanéque glorieris, &

Varia tentationum ratio.

Fugienda ostentatio.

Esa. 24.

Obsistendum constanter conuitijs suggestionis Cantic.

Iob. 13.

Longanimitate animus instabilis firmãdus.

Otiũ summè fugiẽdum.

Contra tẽtationes carnis remedium.

Ratio vincendi hostem.

1. Cor. 4.

aliis te præponas, repelle insidiatorem, obsera A reiice, conspue, & detestare. Neque vanissimos quos-
fores: & quamuis sentias immissiones pestilentes, dam infelicissimosque fratres imitatus fueris, quos
nunquam tamen consentias. Nam si consenseris, si sui status pudet, & suæ iniquitatis non pudet. Si
impostori aperueris, & ad illicitas illecebras men- quando egredi, vel ad conspectum secularium ve- In monachos curiosos, vt vocant.
tem inclinaueris, iam fidem, quam sponso animæ nire debuerint, videas eos ad inepta curiósáque pro-
tuæ dederas, infregisti: iam lectulum dilecti, qui ruere, tales & tales vestes, sic & sic aptatas tunicas in-
priùs floridus eras, commaculasti: nec iterum ad duere velle. Amictum cum regali mandato, & pa-
beatissimam familiaritatem eius admitti poteris, ni- trum ordinationibus conuenientem, gestare eru-
si electo citius adultero multum te humiliaueris. Et bescunt. Dúmque, non vt humiles monachi, sed vt
priusquam omnino recipiaris in gratiam, fortè ne- delicati venustique aulici prodeunt, prodigioso spe-
cesse erit te dare pœnas, & aliquando affligi, donec ctaculo prudentes quidem homines ad mœrorem
sordida illa oscula, quæ impurissimus nebulo genis & indignationem, diabolum verò ad risum & ca-
animæ tuæ impressit, flagello Dei deleta fuerint. Sed chinnos prouocant, euidenter hac absurditate de-
de his satis. Hactenus quidem diximus quomodo clarantes, quales intus siut: nempe superbi, molles,
diuino officio assistere, quæ exercitia interna assu- B & vana gloria pleni. O monachos à vera religione
Refectio corporalis qualis esse debeat. mere, & quam ratione obseruare, quid sequi, quid- nimis alienos: ô monachos non manachos: ô mo-
que vitare in illis debeas. Nũc ad reliqua, quæ dicẽ- nachos dęmoniacos. Hoccine est quod Deo promi-
da sunt, transeamus. Quantum ad refectionem cor- serunt, quando per sacratissimum paupertatis votũ
poralem attinet, omnem excessum caue: ne præ- mundo, omnibusque eius pompis & vanitatibus
grauatus, ad spiritualia exercitia reddaris ineptior. solenniter renunciauerunt? Hoccine est quod rex
Neque enim fieri potest, non potest, inquam, fieri, regum verbo docuit? Hoccine est, quod exemplo
quin venter per intemperantiam distẽtus, animam monstrauit, quando panniculis vilibus indutus prę-
à Deo, & his quæ salutis sunt, auocet. Præcipuè vi- sepe habuit pro cunabulis? quando item veste alba
num, etiam citra ebrietatem largius sumptum, im- & chlamyde purpurea in opprobrium vestitus fuit?
pedimento est: corpus incendit, interiora confun- Hoccine est sequi Iesum? Hoccine est inhærere ve- Luc. 2.
dit, & alacritate spiritus coarctata, pecuinum quẽ- stigiis Iesu? O confusionem intolerabilem, ô insa-
dam torporem inducit. Frustra itaque ad spirituale niam extremam. Attende tibi frater, ne quando his
vitam assurgere nititur, qui gulam necdum refrena- C similis efficiare: quin potius contentus esto rationa- Luc. 15.
re conatur. Vitiosa ergo desideria sedulò amputa. bili vestimentorum simplicitate, siue in monaste-
An cibus vel potus quo vteris, multùm exquisitus rio, siue extra monasterium fueris. Nam hoc à te tua
sit, aut suauis esse, tu parum curaueris. Si sumi po- professio exigit. Vbique, sed maximè in diuinis offi-
test, & rationabilis est, quid amplius exigis? Mona- ciis, visum comprime, neque leuiter huc atque illuc
chus diceris: ad mensam accedere debuisti, vt de sine necessitate circunspexeris: ne videas quod te ab
donis dei corpus reficeres, non vt voluptatẽ carnis attentione, cordisque puritate deturbare possit. Sed
foueres. Quare si de victus vtilitate perturbaris & & si periculum nullum immineat, ipsa tamen disci-
murmuras, sicut prius dixi, sic & nunc dico, mona- plina monastica exposcit, vt siue quiescas, siue pro-
chus nõ es. Si cordi tuo verè saperet Iesus, quæ edu- cedas, verecundos demissósque oculos habere con-
liorum paupertas palato tuo propter Iesum non sa- suescas. Nunquam curiosè intẽderis in faciem mu-
peret? Ipse enim Iesus etiam extremæ inopiæ gra- lieris. Incessus tuus non sit nimiũm celer aut conci- Oculi coercendi.
tissimum condimentum est. Ama Iesum: & efficæ D tatus, præcipue in oratorio: nisi forte aliqua necessi-
simpliciores tibi non minus, imo verò amplius, sua- tas requirat accelerationem: neque rursus extra o-
ues erunt, quàm epulæ regales. Iesus esuriens nudo ratorium appareat nimium tardus aut remissus: sed
pane sæpe pro te refectus est: Iesus sitiens aceto & sit modestus & honestus. Totum corpus tuum
felle pro te potatus est. Continenter, sensim, & mo- vbique sub laudabili compositione contine.
Victu frugaliter vtẽdum. deratè cibum potúmque sumito, omni auiditate Vultum cum decenti grauitate te hilarem cum aliis
brutali penitus excluſa. Etiam circa ipsam delecta- exhibe, benignum & affabilem omnibus te præbẽs.
tionem naturalem, quam refectio corporalis parit, Si te vel inuitum altior aliqua tristitia oppresserit,
vigila. Noli hærere, noli hoc spectare, vt sensualita- eam sic dissimula, ne planè tetricus & amarus vi-
tem pascas. Nam si illam pascere volueris, ipsa de- dearis, cæterísque molestus fias. Quando ridere cõ-
pascet & commaculabit interiora tua. Quemad- pelleris, non nisi continenter & monasticè rideto: Ciuiliter dissimulãda tristitia.
modum autem sæpè negandum est carni, quod ma- ita vt risus tuus vix risus dici possit. Cachinnum, tã-
lè cõcupiscit: ita nonnunquã cogenda est vt id per- quam ingens propositi tui impedimentum, atque
cipiat, quod percipere non desiderat. Aliquando e- E altum animæ præcipitium, fuge: sciens quia risus
nim vel tantillum fastidit, quantum naturæ neces- excussus indisciplinatúsque claustra pudoris violat,
sarium est. Porrò vide, ne dum corpus reficitur, mẽs & dissipatis interioribus, Spiritus sancti gratiam è
Lectio sacra inter epulandum. iciuna maneat. Gustent interim fauces cordis tui corde profligat. Solitudinem, silentium, & tacitur-
verbum Dei, & doctrinam salutarem, factáque san- nitatem pręcipuè dilige. Semper paratior ad sermo-
ctorum aures excipiant. Si fortè ad eam mensam nem audiendum, quàm ad proferendum, esto. Non
accumbis, in qua lectio sacra deest, tu ne sic quidem præceps, non turbulentus, non clamosus, non con-
animam tuam cibo spirituali priuaueris: sed quan- tentiosus in verbis appareas: sed modestè, verecun-
tum per silentium licet, cum ipsa, aut cum Deo tuo dè & benignè, sine simulatione, quæ vera rectáque
intus colloquere: & pium aliquid apud te pertracta. sunt, loquere. Non, inquam, indecenter vocem eleues: neque rursum sic deprimas, vt intelligi vix pos-
In vestitu, sicut & in victu, sobrius esto. Quicquid sis: præsertim si locus, tempus, causa vel persona cui
monasticæ simplicitati contrarium est, id prorsus loqueris,

loqueris, exigit vt clarius loquaris. Nam vox monachi sicut semper quidem verecunda, frequenter autem submissa esse debet, iuxta sanctas religionis ordinationes: ita debet & nonnunquam esse rationabiliter clara. Non facile aliquid pertinaciter affirmaueris: nisi fidei negocium & salutis necessitas cogat, verùm vbicunque contradictorem habes, ibi vel cede, & sile: vel si cedendum silendúmque nō est, cum modestia & humilitate affirma, quod tibi certum est. Sic enim omnis irreligiosæ contentionis occasionem facilius sustuleris. Verba tua aculeis careant. Non libenter ea dicas, ex quibus aut tu laudari, aut alius vituperari possit. Quòd si necessitas vtilitásve popoſcit, vt talia proferantur, laudabilis pudor & pura intentio adsit. Fabulas dissolutas, sicut venenum animæ tuæ præparatum, exhorresce, & nugas (dum te præsente incidunt) si tuleris, vide ne referas. Linguæ inepta, indecora, & pernicioſa loquenti, nunquam consentias. Imo verò dum talia dicuntur, mansuetè rationabilitérque corripe dicentem, si opportunum vel congruum videtur: si non est opportunum, tu saltem sermonem quantum in te est, honestè succide, & eum ad alia, quæ mala non sunt, transferre satage. Verbis detractoriis nec aurem quidem accommodes, si fieri potest. Recreationibus externis, vel inambulationibus licitis dum vteris, caue abuteris: id est, sic circunspectè vtere, vt spiritualem profectum adiuuent non impediant. Potes quidem animum ad honorē Dei remittere, sed eum dimittere non debes: ne dū à te ipso expulsus foris vagaris, oblectatio spiritui contraria, seu quæuis passio comprehendat te, & interiora tua dissipet, repleátque amaritudine. Ergò solerter apud temetipsum per argumentosam quandam mentis simplicitatem permanere disce: vt strepitu leuium cogitationum, motúque inordinatarum affectionum represso, cor in silentio & libertate custodias. Deus præcipua vel etiam tota cogitatio tua sit: neque enim hoc tibi vbique satis esse debet, vt tota intentio sit. Similiter & in quibuslibet aliis exterioribus occupationibus adnitere, vt nō solum opera tua propter Dei honorem prudenter, deuotè alacriterque cum Martha perficias, verumetiam vt in eisdem operibus, quæ ad honorem Dei sic fideliter agis, mentem à tumultu cogitationum, & confusa rerum sensibilium imaginatione expeditam, ad Deum seu diuina, cum Maria dirigas: maximè si rationabile colloquium aut alia necessitas non impedit. Martha, quia adhuc per multiplicitatem vanarum cogitationum in sua recta intentione, & suis externis operibus distrahitur, turbatúrque erga plurima, quamuis deformis fortè nō sit, nondum tamen satis decora est. Maria autem, quia turbas instabilium cogitationum iam declinare nouit, & in vnitate tranquillitatéque cordis cōmanens, summo bono adhærere studet, perfectionis decoris est. Igitur in intētione tua dum exterius occuparis, non tantum rectus & innocens cū Martha, sed etiam simplex & clarus cum maria esse dilige. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Et tu eandem partem elegisti, quam nisi pro modulo tuo tenueris, dignum tua professione fructum non adfers. Vbique ergò simplicitatem mentis charam habeto. Si paruulus es in Christo, &

Vitanda contentionum occasio.

Detractio vitiosa.

Luc. 10.

In quo sūma vitæ huius perfectio cōsistat.

Luc. 10.

non vales Mariam mente sublimia penetrantem assequi, imitare saltem eandem humilioribus intētam: imitare eam pedes Domini lachrymis affectuosissimè rigantem: imitare eam verba Domini dulcissimè excipientem: imitare eam Dominum in sepulchro amorosissimè requirentem. Nam & in his simplicitatem mentis habuit, vnum amauit, vnū cogitauit, vnum quæsiuit. Imitare autem non tam, vt delectēris, quàm vt ipsi Domino placeas. Si enim per oblectationem sensualē principaliter teipsum in his quæris, non est pudica sponsa Christi anima tua: sed est vilissima serua peccati, ne dicam spurcissima meretrix diaboli. Ad sublimiorum apprehensionem per huiusmodi humiliora nonnūquam admitti mereberis: si tamen ea conuenit humiliora appellare. Neque enim humilia, sed prorsùs altissima sunt. In omnibus, quæ à sinceritate status monastici aliena non sunt, conforma te communitati, vitiosam singularitatem vbique vitans. Et quia habitas inter fratres secundum suauissimam sanctę regulæ austeritatem, laudabiliter viuentes, abstinentiæ, vigiliæq; singulares tibi omnino suspectæ non sint: neque notabiliter in eis præ cæteris confratribus excedas: nisi, Spiritu sancto reuelante, cognoueris Dei esse volūtatem & beneplacitum. Sed nec absque superioris consilio & consensu aliquid attētes: ne dum corpus vltra mensuram ex tuo sensu affligere præsumis, & ipsum ad bona opera reddas inutile, & te fructu laboris tui penitus priues. Deus puritatē cordis à te requirit, non corpusculi destructionem. Vult, vt ipsum spiritui subiicias, non vult, vt opprimas. Igitur in externis, sicut & in internis exercitiis, animi feruorem sancta discretione tempera. Si voluntas ad virtutem pigrior, remissiórque veluti dormitat, excita eam, & adde calcar: si verò habenis excussis fertur impetu, reprime & coërce eam. Semper cum sancto timore in præsentia Dei tui assiste: semper in auribus cordis tui hæc verba resonent, attendè tibi. Non multum curiosè consideraueris quid alij agant, quales sint mores & gestus eorum: nisi fortè ex officio tibi incumbat. Circa teipsum sit curiositas & occupatio tua. Vbi tamen non dicimus, non charitatem & sanctum iustitiæ Zelum. Quod in hac parte contra maturam animi stabilitatem, & synceram proximi dilectionem non est, hoc non vituperamus. Ipsa vitia, quæ in aliis vides, & de aliis audis, aut non esse omnino vera simpliciter putato, aut certè in meliorem partem eā interpretare. Quòd si tam manifesta sunt, vt in bonam partem interpretari nullā ratione possint, aspectum tuum, cogitationémque tuam ab illis separare stude: sed & ad tua ipsius peccata conuersus, tam pro te, quàm pro eis Deum humiliter deprecare, si datur opportunitas. Sic enim suspiciones inquietas, & temeraria iudicia facilius effugies. Caue item summopere ne de alicuius peccato etiam leuiori, aut de quauis aduersitate vnquam gaudeas, ratione consentiente: verùm ingemisce coram Domino pro fratre tuo, recogitans quia sumus inuicem membra & vnum corpus, omnes eodem sanguine redempti. Disce non indignari, sed compati defectibus aliorum, eósque æquanimiter portare, & sic adimplebis legem Christi. Quicquid autem cælestis gratiæ in aliis animad-

Ioan. 20.

Singularitas vitiosa.

Voluntatis regimen.

1. Tim. 4.

Vitia aliorum.

Gal. 6.

Spiritualis gratia aliorum.

uerteris, id non ad liuorem sathanicum, sed ad fidelem imitationem, piamque adgratulationem te excitet. Et quamuis spirituale bonum, quod alium possidere cognoscis, ipse non possideas, lætare tamẽ apud temetipsum, quòd Deus per illud honoretur: neque segnius gratias egeris Domino, quàm si tuũ foret bonum. Et reuera tuum efficietur bonum coronaberisque de alieno, tanquam de proprio: imo verò & proprium erit. Sic animum iustitue, vt mundo neque placere affectes, neque displicere pertimescas. In homine etiam propinquissimo nihil dilexeris præter Deum, seu Dei gratiam atque opificium: & rursus nihil oderis prẽter vitia. Nullus sit, quantũuis affinis, familiaris, aut de te benè meritus, in cuius gratiam paratus sis etiam leuissimè Deum offendere, vel qui in aliquo peccato fauêre, adulari, & applaudere velis. Nullius hominis præsentiam aut alloquium anxiè expetieris, nisi spiritualis profectus gratia: quanquam, ne sit quidem perplexa, anxietas bona erit. Omnes ama, sed spiritualiter, non sensualiter. Ita enim fiet, vt neque de corporali absentia iustorum, vel amicorum inordinate angaris, neque de corporali prẽsentia peccatorum aut inimicorum indecenter affligaris. Imo nullum habebis inimicum, sed etiam persecutores tuos, tanquam charissimos salutis tuæ promotores, diliges. Quicquid in creaturis vel ex naturali dispositione, vel ex hominum arte seu industria delectabile, singularique admiratione dignum conspicis, audis & percipis, id ad summi creatoris laudem, aut ad æternæ beatitudinis statum refer, vt delecteris in Domino. Semper tibi suspecta sit delectatio sensualis, vndecunque etiam emerserit. Nam si per eam te quæsieris illique inhæseris, inuiscaberis & maculaberis. Omnium peccatorum, etiam leuissimorum affectuum prorsus detestare: quibus tamen fortè præoccupatus, si ex fragilitate decideris, noli inordinata pusillanimitate teipsum intempestiuè affligere, sed humiliter confitere culpam coram domino: & renouato proposito, fiduciáque piè resumpta, omnes defectus tuos in abyssum misericordiarũ eius, aut in sacrosancta vulnera ipsius affectuosè proijce. Quandiu in luteo isto corporis habitaculo deges, minorum peccatorum affectus in te mortificare potes, lapsus in totum cauere non potes. Pij monachi, etsi nonnunquã, vel etiam frequenter delinquunt, delinquere tamen & oderunt, & cauent semper, doléntque postquam offenderint. Peruersi verò monachi & delinquunt, & delinquere non oderunt, nec cauent. Leuiorum enim culparum nec affectus extinguere, nec occasiones vitare laborant. Libertatem laxioris vitæ desiderant: à diuino officio, cereriſque actionibus cõuentualibus abesse gaudent: delicatum superfluúmque cibum aut potum percipere gestiunt: opportunitates nugandi exquirunt: inordinati risus solatia affectant: secularia audire, vana videre, curiosa in suos particulares vsus accipere ardent: propriam complacẽtiam, ineptam lętitiam, otium, vaniloquia, fabulas, gestus incompositos, cæteráque huiusmodi vitia, aut non esse vitia, aut vix esse, vitia iudicant: sine scrupulo conscientiæ ea admittunt. Nimirum insensibiles effecti, vulneribus acceptis, se sanos existimant: ob idque nec mala sua plangere, nec vitam corrigere student. Sed quid dicunt? Non sunt, inquiunt, vulnera: aut si sunt vulnera, admodum parua, & ferè nulla sunt. O monachos infelices, ô monachos dementes, ô monachos non monachos. Nam quantumlibet parua vulnera videantur, quia tamen nec cauent ne ea suscipiant, nec postquam susceperint, debitam curam adhibẽt, omnino mortifera redduntur: vt interim omittam, quod etiam ex tali negligentia, frequenter ipsi in superbiam, rebellionem, inobedientiam, murmurationem, furorem, detractionem, odium, inuidiã, contemptum, & alia enormia peccata corruũt. Noli frater, noli hos imitari: neque enim ex veris Crucifixi discipulis, & dilectis Dei amicis sunt: sed nec poterunt, quandiu non desierint tales esse, quales sunt. Tu tibi melius prospice, relinque, amoue, dissipa, respue quæcunque te à diuino amore vel minimũ retardare possunt. Per omnimodam tui mortificationem, tanquam per certum vnicúmque cõpendium, ad perfectionem vitæ festina. Vis paucis audire quæ sit omnimoda tui mortificatio? Vis audire certum illud compendium? Ego dicam, ego monstrabo. Intẽde igitur. Omnem proprietatem exue. Ecce compendiũ. Omnem proprietatem exue. Et quid est hoc? Omnẽ propriã voluntatẽ seu quæsitionẽ exue: totũ veterem hominem exue. Sed vt melius intelligas quod dicitur, ego idem paulò diffusiùs proponam: adstrinxisti te ad paupertatis obseruantiam? pauper esto. Quomodo pauper? Pauper rebus, magis tamen pauper rerum affectibus, & animi passionibus, pauper spiritu. Si adhuc aliquid per proprietatem affectus atque sensualitatis amas aut desideras, si adhuc in aliquo te quæris, nondum voluntariè, nondum verè pauper es: nõdum cum beato Petro dicere Deo potes: Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te. Expedi te, relinque omnia, exue omnem proprietatem. Quicquid Deus nõ est, id in corde tuo per adhæsionem, siue inordinatam implicationem non sit. Ab omnibus quæ citra Deum sunt, liber esto: ita vt neque ineptè gaudeas propter læta, neque inordinatè deiiciaris propter tristia: & siue non acceperis, quæ nondum habes, siue perdideris, quæ iam habes, stabilem tranquillúmque mentis statum vtrobique serues. Omnia, inquam, sensibilia, & teipsum prorsus abnega propter Deum. Quod perinde est, ac si diceretur: Vim concupiscentiæ, delectationis, iræ, indignationísque naturalis in te mortifica: & in omnibus tam aduersis quàm prosperis, te in diuinum beneplacitũ sine aliqua voluntatis contradictione resigna. Demonstraui compendium, ostendíque omnimodam esse proprietatis abiectionem, hoc est, omnimodam tui humiliationem. Reuera enim perfecta humilitas ipsa est istud compendium, per quod rectà ad perfectionis arcem peruenies. Hæc autem arx, perfecta charitas seu puritas est. Et quo, inquis, pacto cognoscam, an ad eam arcem peruenerim? Ego etiam id tibi manifesto. Si in silentio cordis tui tanquam in portu tranquillissimo assiduè commanẽs, mentem ab omni inordinata cura, affectione, pressioríque imaginatione rerum infimarum, ab omni denique inquietudine & tumultu absolutam, in Deum affectuosè dirigis ac reclinas: ita vt memoria tua, intellectus tuus, voluntásque tua, id est, totus

Bonum alterius fit nostrum.

Creaturarum decor ad creatorem referendus.

Pij monachi.

Peruersi monachi.

Qui minora negligunt, iustè in maiora prolabuntur.

Mortificatio sui.

Vera paupertas.

Matth. 19.

Perfectæ proprietatis abiectio perfectionis cõpendium.

Perfectionis arx charitas.

tus ſpiritus tuus ipſi Deo feliciter vniatur, prædictam arcem tenes. Iſta enim totius perfectionis ſumma eſt. Quamuis autem Dei thæoriæ & ſpeculationi per preſentẽ intuitum atque memoriam iugiter inhærere nõ poſſimus, carne corruptibili adhuc circumamicti: hic tamen nos per mentionem ſemper fixos eſſe conuenit: & huc veluti ad ſcopum ſedulò mentem reuocare debemus, quoties per intempeſtiuas, leues, incõpoſitáſque cogitationes defluimus. Quando legendo, meditando, ſcribendo, audiendo, loquendo, quælibet theorica & ſpiritualia vtiliter ſinceritérque tractamus, non elongamur à contemplatione Dei: ſed nec quãdo externa quęque cum ſimili ſinceritate & ſobrietate ſuis temporibus pro neceſſitate audimus, loquimur & cogitamus, procul à Deo recedimus. O te eximium philoſophum, ô te ſapientem, ô te inſignem theologum, ô te ter quatérque felicem & beatum, ſi hæc non tantum aure corporis, verumetiam aure cordis percipis: atque ad veram tui mortificationem accenſus radici arboris ſecurim admoues. Quænam eſt hęc arbor? Ipſa proprietas, de qua paulò antè loquebamur. Quænam eſt ſecuris? Ipſe feruor ſpiritualis internique exercitij. Pręcipuè tamen aſſidua dominicæ paſſionis pertractatio, & crebræ ad Deum adſpirationes, cum prompta obedientia, rationabilíque victus ſobrietate, ſecuris ſunt. Prefecto ſecuris acuta, ſecuris benedicta, ſecuris gratiſſima, ſecuris omnium bonorum totiúſque puritatis conciliatrix, ſecuris auro fulgens & gemmis ornata. Arbor verò, arbor maledicta, arbor amariſſimis fructibus plena, arbor omnium malorum, omniſque inordinationis productrix ac nutrix, arbor obſcura & tenebroſa. In te eſt iſta arbor, ſicut & in cæteris omnibus, in te eſt, & quandiu permãſerit in te, perfecta lux non erit in te. Si igitur ſereniſſimum ſolis iuſtitiæ iubar clarius intueri deſideras, detrunca arborem, & proiice abs te. Craſſa duráque admodum eſt, non primis ictibus, nec primo die, nec fortè primo anno, nec fortè multo tempore prorſus deiicietur: petſeuerantia & longanimitate opus eſt. Quẽadmodum autem aurum deorſum, & flamma ignis ſurſum, ablato obice, naturaliter fertur: ita mens, quæ ab omni proprietate iam defecata depuratáque eſt, & ſolum diuinum beneplacitũ quærit, naturaliter in ſuã originẽ, nempe Deũ, eleuatur, eíque liberius vnitur. Mens verò, quæ aliqua ex parte tantũ nudata eſt, quãuis & ipſa in ſuam originẽ tendat, cãdoreq; lucis ęternę deſuper aliquo modo illuſtretur: quia tamẽ impedimẽtũ omne ñecdũ ablatũ eſt non poteſt liberè in ipſam lucis æternæ abyſsũ tranſire, fluere & abſorberi: hoc eſt, nõ poteſt liberè vniri Deo ſummo bono ſuo. Porrò licet benigniſſimus Deus aliquos ad amorẽ ſui placidiori quadam via, abſq; multis tẽtationibus nonnunquã ſubleuet: nemo tamẽ, quantũuis donis ſpiritualibus ditetur, facilè confidat ſe ad conſummatã reſignationem ſui peruenisſe: niſi reipſa plurimas grauiſſimáſque aduerſitates ſuſtinuerit, & in earũ toleratione perfectã mentis quietẽ libertatémque ſeruauerit. Multi ſanè, quandiu nullas increpationes, nullas iniurias, nulla damna, nullas tẽtationes & moleſtias accipiunt, deuoti, patientes, humiléſque videntur: ſed vbi increpationibus, iniuriis, damnis, tẽtationibus, atque moleſtiis attacti fuerint, mox per murmurationem, indignationem & impatientiam, ſuperbè demonſtrant, quàm intus immortificati ſint. Ergo priuſquam aliquis ad veram ſui abnegationem pertigiſſe credi poſſit, neceſſe eum multifarias aduerſitates animo voluntario & tranquillo perpeti. Qui nondum afflictionibus exactè à Deo probatus eſt, cogitet ſe nondum cò promouiſſe, vt eas perferre poſſit. Nam ſi eo promouiſſet, ipſi proculdubio occaſiones diuerſarum tribulationum non deeſſent. Gaudet enim diuinitas animam ſecretiùs perfectiúſque ſibi inuictam multiplicibus afflictionibus, tanquam precioſiſſimis margaritis exornare, & ita eam ad veram Ieſu Chriſti ſimilitudinem perducere. Qui ergo, proprietate exuta, voluntatem ſuam voluntati ordinationíque diuinæ in omnibus omnino conformat, æquè paratus quamlibet aduerſitatem, confuſionem, ac dulcedinis internæ ſubtractionem propter Deum ſuſcipere, ſicut cuiuſuis proſperitatis, honoris & deuotionis affluentiam: qui inquam, ad hoc peruenit, vt omnem tentationem ac tribulationem cum quodã ſapore interno & gaudio portare poſſit, is precioſam Margaritam inuẽnit, is ad ſupremũ perfectionis culmen pertigit. In omni enim loco & negotio Deo vnitus eſt, mẽtémque in eum dulciſſimè fluit. Tota die purus, tranquillus, ſimplex, lætus & ſuauis in lumine vultus Domini ambulat: tentáque facilitate ſummæ contemplationi inhærere poteſt, dum inhęrere vult, quanta facilitate viuit & ſpirat. Quid in hac valle miſeriæ cœlitus accipiat, & ad quæ Deus familiariter eum admittat, non eſt noſtrum dicere: ineffabilia enim ſunt. Det gloriam Deo, qui talis eſt, fateaturque quia Ieſus Chriſtus ſuſcitauit à terra inopem, & de ſtercore erexit pauperem, quando de homine immundo hîc in terris angelum fecit deiformem. Dicis tu fortè mihi: Perfectio hęc exaltata eſt à me: ideò non extendam me, neque conabor illam apprehendere: ne in vanum laborare videar. Ego verò tibi reſpondeo, quia ſi hoc facis, quod dicis, monachus non es. Quamuis enim obligatus non ſis ad perfectionem peruenire: es tamen ex profeſſione obligatus adniti, quantum in te eſt, vt ad illam peruenias. Blandire tibi, ſicut blandiri vis: perſuade tibi quod perſuadere vis: confinge & prætexe excuſationes, quas confingere vis, obligatus es ad perfectionem pro viribus tendere. Sic eſt, & aliter non eſt. Si id hactenus ignoraſti, ecce iam non ignoras. Aſtrinxiſti te, obligaſti te, aſtrictus & obligatus permanebis. Non poſſum, inquis, ad tantam perfectionem peruenire. Quid ſibi vult iſta diffidentia? An ignoras diuinam virtutem plus poſſe efficere, quàm humana infirmitas poſſit vel cogitare? Fateor, non potes per te peruenire: ſed Deus poteſt te perducere. Crede Deo, ſpera in Deo, nõ in te: cõfide in gratia & adiutorio Dei, nõ in conatu tuo. Veruntamen, vt Deus tibi adſit per gratiã, vide ne tibi deſis per ſocordiã. Fac q; in te eſt: exerce manus, extende brachia, confirma animum ad vitiorũ deſtructionẽ, ad perfectã tui abnegationẽ, collige cor, produc affectũ, eleua mentẽ ad æternorũ contẽplationẽ, pręſentiã Dei vbiq; attẽdere cõſueſce. Quod vt melius præſtare poſſis, ſingulis diebus aliquam Dominicæ paſſionis partẽ, ſicut exẽplo in medium

Proprietatis deſtatio.

Crebræ in Deum adſpitationes.

Liber à proprietate chriſtianæ pietatis apicem attigit.

Pſal. 112.

Monachus ad perfectionem niti debet.

adducto, ſuperius commonſtrauimus, tibi propone: & ad eum internum intuitum ſedulò dirige: dulcia interim cum Ieſu, vel cũ anima tua de Ieſu miſcens colloquia. Tuam, inquam, cogitationem in re aliqua diuina iugiter, quantum commodè fieri poteſt, occupa. Hic ſit ſcopus tuus: hæc ſit deſtinatio mentis tuæ: ad hoc quieta placidáque ſollicitudine labora indeſinenter. Et quamuis vel ſingulis, vt ita dicam, momentis diſtraharis, decidáſque ab intentione, non id te frangat, non in puſillanimitatẽ adducat: ſed conſtãs eſto: & ſemper in idipſum reuertere. Omnino laboris improbitate vinces difficultatis moleſtiam. Quinetiã ipſum laborem breui mitiorẽ & gratiorem expertus eris, regeneratúſque in nouitatem inexpertæ lucis, guſtare incipies delitias ſanctis repoſitas. Non iam eris qui prius eras: ſed feliciter mutatus in alterum virum, & angelica quadam gratia inueſtitus, magni facies quæ prius contemnebas, & contemnes quæ prius magnifaciebas. Quod malè placuerat, diſplicebit: quod malè diſplicuerat, placebit: promptiſſimè gratãtérque portabis, quæ antea importabilia videbantur. O iucũdam metamorphoſim, ô mutationem dexteræ excelſi. Tandem verò laudabili conſuetudine in naturam tranſeũte, diuinóque amore intima perfectiùs, occupante, nec laborem quidam ſenties: ſed quemadmodum prius ſordida, impura, abſurda, inepta, vana, inſtabilia, ſomnióque ſimilia, ſine labore cogitabas: ita iam Deo diuiniſque rebus ſine labore inhærere poteris. Neceſſe eſt enim mentem in id aſſiduè reflecti, quod cor impensè diligit. Væ, & iterũ væ peruerſis, tepidis negligentibúſque monachis, monachis nomine, vita nõ monachis: qui ſtatus ſui reuerentia cõtempta, votiſque violatis, in torporis, vanitatis, & paſſionum ſterquilinio iacere non erubeſcunt, neque formidant. Beati autem & iterum beati monachi illi, qui etſi puſilli imperfectíq; ſunt, ad perfectionẽ tamẽ pro viribus adſpirant & cõtendunt. Nã & ipſos ex adoptiuis Dei filiis: eſſe conſtat quos pius ſaluator Ieſus conſolatur, dicens: Nolite timere puſillus grex quia cõplacuit patri veſtro dare vobis regnum. Securi expectent mortem, imo non mortẽ, ſed ſomnũ pacis, ſed mortis terminũ, tranſitúmq; de morte ad vitã. Quid ais mi frater? adhuc dubitas? adhuc fluctuas? Age precor, & tãta ſecuritate accepta, viã ſalutis accipiens, animam tuam intrepidè ad tentationes præpara. Nulla difficultatis ſpecies te abſterreat. In omni aduerſitate, quam vel intus, vel foris ſuſtinere contigerit, dic gratanter: Voluntas Domini fiat. Etiam ſi multum diúque ſudare & grauiter eluctari oportuerit, priuſquam veterem hominem prorſus peruincas ac ſupplantes, ea res nequaquam te conturbet: non laborem, ſed laboris fructum attende. Aderit, mihi crede, aderit laboranti ſuperna pietas, & vbique benigniſſimè ſubueniet, metuentem confortabit, vacillantẽ confirmabit, impulſum ſuſcipiet, labantem apprehendet, lapſum eriget, mœſtum conſolabitur, infundet ſubinde dulcedinis internæ vnguentum precioſiſſimum. Quòd ſi perſeueraueris, vires tentationum viribus diuini amoris neceſſariò cedẽt: iámque ipſæ tentationes & tribulationes non graues & amaræ, ſed leues & ſuaues erunt, tunc demum videbis

Labor improbus omnia vincit.

Execratio in monachos peruerſos.

Laus monachorum, qui pro viribus ad optima conantur. Luc. 12.

Act. 11.

omne bonum: paradiſúmque etiam in hac vita inuenies. Hoc, in quã, fiet, ſi perſeueraueris, & ex eorum numero non fueris, qui bene quidem incipiũt, verùm ſathanicis illecebris deluſi, vel tentationum laborumq; moleſtia fatigati, leuiter poſtea deſerũt propoſitum. Pondere tribulationis premi nolunt: ideóque tempore afflictionis ſcandalizãtur in Domino: & recedentes ab eo quaſi dicere videntur. Durus eſt hic ſermo: quis eum capere poteſt? Ædificant nimirum non ſuper firmam petram, ſed ſuper arenam inſtabilem: ob idque ad venturos flatus & fluminum impetus, facilè corruit eorum ædificiũ. Vtinam tamen ruinas ipſi ſuas attendant: & ne ſic quidem abiiciant animum: ſed collapſam ſtructuram innouare feſtinent, non iam in arena, verùm ſuper petram fundamenta iacientes. Mi frater, ſi (quod Deus auertat) cõtigerit tuum ædificium collabi, inſtaura ſtatim opus diſiectum: & felicius reedifica, quàm prius ædificaueras. Etiam ſi bis, etiam ſi decies, etiam ſi centies, etiam ſi millies & ſæpius corruerit, toties repara, quoties corruet. Nunquam de Dei miſericordia deſperaueris. Neque enim innumerabilis horrendorum enormiúmque criminũ multitudo ſic Deum nobis reddit implacabilem, ſicut vnica deſperatio. Nam qui diffidit de venia, Deum miſericordem & omnipotentem eſſe negat, in Spiritum blaſphemus eſt. Non tam parati ad peccandum eſſe poſſumus, quàm ipſe Dominus paratus eſt ad miſerendum, ſi modò longanimitate eius non fuerimus abuſi: id eſt, ſi verè & tempeſtiuè pœnitere voluerimus. Ita ſentire debet quicunq; Chriſtianus eſt. Sed ne nimia prolixitate diſpliceant quæ à nobis dicuntur, retrahendus calamus, curſus captæ nauigationis ſiſtendus eſt. Interim autem dum vela complicantur, non fuerit inutile breuiter perſtringere, quid in fine cuiuſlibet diei agere debeas. Quotidie igitur priuſquam quieti nocturnæ te tradas, ſeriò quidem, ſed abſque mentis inordinata diſſipatione, recogita in quibus eo die deliqueris: veniamq; à miſericordiſſimo Deo precare, proponens deinceps melius viuere, omnéque vitium vitare diligentiùs. Deinde, ora vt in ipſa nocte te conſeruare dignetur ab omni inquinamento mentis & corporis, commendans illi, ſacræq; eius genitrici ac ſancto angelo cuſtodiendam animam tuam & corpus tuum. Lectulo tandem conſenſo, muni te ſignaculo dominicæ crucis: & corpuſculo honeſtè pudicéque compoſito, ſuſpira ad dilectum tuum, aliquid diuinum pertractans, donec ſomnus placidè ſe infundat. Qui ſomnus ſi profundior fuerit, ipſiq; corpori grauamen potius quàm requiem præſtiterit, ſi etiã per lubricas illuſiones aliquid minùs honeſtũ excitauerit, aut produxerit, nõ abſorbearis triſtitia: ſed humiliter ingemiſce coram Domino: ſupplicíque oratione poſtula, vt tibi cõcedat victus ſenſuúmque ſobrietatẽ, q̃ ſomni ſobrietas, corporíſque puritas conſequi ſolet. Hæc habui, mi frater, quæ tibi tranſmitterem. Speculum petiiſti: vide an ſpeculum acceperis. Si tuo deſiderio, vel in minimo ſatisfactum eſt, benedictus Deus: ſin minus, etiam benedictus Deus: dedi quæ dedit mihi ipſe Dominus. Cæterum qualia qualiã ſint, rogo, vt ea nonnunquam relegas. Vale, & ora pro me.

S. P. N.

Poſt lapſũ etiam reſurgendũ. Miſericordia Dei.

Quàm pernicioſa deſperatio.

Cubitum itarus.

S. P. N. IOHANNIS COGNOMENTO SCHOLASTICI, SIVE CLYMACIS: AD ABBATEM PASTOREM; DE PASTORIS Officio, Libellus: siue Libri qui Paradysi Scala dicitur, Appendix.

IN inferiori quidem libro (ô admirabilis) ego, te nouissimum posui & subordinaui: in superno autem & diuino, certus sum, te, nos omnes præcedere, si tamẽ est verax qui dicit, quoniã erit nouissima prudẽtia priùs dignitate. Pastor quidẽ est rationalia qui perdita per malitiã, per propriã festinationẽ, sollicitudinẽ, & ordinationẽ requirere, & in certa dirigere potest. Gubernator est etiã qui per virtutẽ intellectualẽ, ex Deo & propriis laboribꝰ & doloribus accepit, q̃ nõ solũ ex Implicatione & conturbatione, sed exipso Abysso nauẽ extrahere potest ac dirigere; Medicus est, q̃ corpus & animã sine infirmitate possidet, & nullo amplastro indiget super eis. Doctor & magister est ille verè, qui intellectualem conscientiæ librum, digito Dei scilicet operationẽ illuminationis, ex ipso suscepit, atq; portat, & reliquis non indigens fastus libris est. Indecens est magistris, exemplaribus scriptis docere disciplinã & peccatoribus & descriptionibus antiquis transumentibus cõparari. Qui inferiores instruis desursum, ex alto doce, & instrue alterũ disciplina sensibili, habitu, & figura. Ne obliuiscaris illius qui dicit: *non ab hominibus neque per hominẽ* accepi doctrinam, neq; doceo: non enim naturam habent qui desursum sunt, de terrenis aliquãdo curare. Bonus gubernator saluat nauem, &, bonus pastor viuificabit & sanabit infirmas Oues in quãtum Oues incessanter proficiẽtes sine obseruãtia sequũtur Pastorẽ. Item, paterfamiliãs, pro eis reddet rationem. Lapidet verbo, qui pastor est, quę ex otiositate & pigritia aut gulositate, retrò manent Oues. Est enim hoc boni Pastoris argumentum, quando oues ex flamma caumatis dormitare, magis verò torpôris secundùm animã, inspicit: tunc ad cælũ intuens Pastor, vehementiùs vigilet pro eis, quoniam in tẽpore illius caumatis ardẽtioris multæ consueuerunt à lupis deuorati. Verũ, licet iuxta morẽ & formã extrinsecã, in visibilibus ouibus ista fiant, & caput animæ, in tẽpore successionis flammæ, deorsum ad terram inclinet (habemus enim dicentẽ: *Cor contritũ & humiliatum Deus non despiciet*: Tenebris & nocte vitiorũ apprehendente Gregem, statue canẽ, id est, mẽtem) immobilem ante Deum, ad custodiam nocturnam. Nihil verò indissonans aut inconueniens est, Canẽ intelligere, mentem tuam interemptiuam bestiarũ & ferarũ. Bonus noster Dominus, hanc naturæ proprietatem fecit, vt vidẽs infirmus medicum, exultet, quàmuis nil fortè ab eo iuuaminis, aut profectus sentiat. Possidebis & tu (ô amabilis) emplastra potiones & spõgias, phlebotomias, cauteria, vnctiones, experimẽta dormire facientia, gladium, ligaturas, & beatam nauseæ priuatiuam remediationem. Si vero horũ penuriam & impotentiã habemus, quomodo scientiã ostendemus? nunquam, nõ enim verbis sed operibus dantur mercedes. Emplastrũ est sanatio & maturatio visibiliũ, passibiliũ & corporaliũ vitiorũ. Potionis exhibitio, est sanatio passionũ interiorũ, & inuisibilis cordis euacuatio. Rasoriũ, est ignominia A mordens, & remouẽs & expurgans elationis putredinem. Colliriũ, est redargutio quæ conturbat, post modicum verò curat. Phlebotomia, propriè est imimperatiua, & institutiua, & dura correctionis inuectio, in salutem infirmãtium facta; Spongia, est (post chirurgicã phlebotomiam) per affabilia, mansueta, & lenia medici verba, curatio & refrigeratio infirmantis. Cauteriũ, est interminatio & increpatio, in pœnitentiam, benignè & humanè, per tẽpora data. Vnctio, est, post cauteriũ, per verbum & leuẽ consolationẽ, infirmanti supposita & superinducta placatio. Dormire faciens antidotũ, est, onus obedientiæ recipere, & propter subiectionẽ, requiẽ, & somnũ absq; somno, & cæcitatem sanctã, ei vt non videat bona sua, donare. Ligaturę sunt, admonitione & pãtientia, vana gloria resolutos, & vacuos effectos, vsque ad mortem in odio sui & amore virtutum stringere & firmare. Finis autem omnium, gladius, qui est terminatio & sententia, ad incisionẽ spiritualiter mortificati & putrefacti in corpore membri, ne & reliquis propriam scabiem tradat, & eos pestilentia morbi corrũpentis inficiat. Beata verò, nauseæ priuatiua remediatio in hominibꝰ qui præsunt, & medicis, impassibilitas est: quoniam quidam in omni fœtoris dissuauitate nõ nauseant, & ad curationem sine otiositate & pigritia adnituntur: hi verò, omnem animã morientem, resuscitare valebunt. Et sit C hæc vna orationũ cuis qui præest, quòd omnibus secundum eorum dignitatem compatiatur, confœderetur, & afficiatur, ne quando, vt Iacob, & ipse dilectum atque coætaneos & consocios lædat. Hoc etenim pati solent, qui necdum quidẽ animæ sensus exercitatos perfectè possident ad discretionẽ boni medij & mali. Multa, Præsidẽtis cõfusio est, quãdo aliquid orat donari obediẽti, quod ad huc nõ possidet. Quemadmodũ qui vultũ Regis vident, & hunc sibiipsis cõstituerũt amicũ & oẽs ministros ipsius, & ei cognitos nẽpe, & si voluerint inimicos recõciliare D Regi, & ad visionẽ aspectus eius reuocare & in iocũditatem gloriæ ipsius, facere possunt: ita & mihi videtur in sanctis, amicis & summis & veris. Amici obediũt & reuerentiã exhibent, æquè verò & violẽtantur ab eis. Bonũ est possidere amicos, bonum est possidere amicos, sed intellectuales: nemo enim alter vt intellectualis amicus, ita potest nobis ad virtutẽ cooperari. Narrauit mihi quis diligentiũ Deũ, & amicorũ Dei, quomodò sẽper quidẽ, sed & maximè in annuis & regiis sollennitatibꝰ Deꝰ suos famulos remunerat donis. Debet medicꝰ perfectè exhaurire passiones, quibꝰ quasdã aliquo tẽpore (& præsertim furorẽ) valeat† simulare: nisi enim easdem ad sũmum abiecerit ipsas non poterit denuò impassibiliter subiicere. Vidi equum sub fræno ductum & quietè pergentem, qui adhuc modicùm erat indomitus, frænóque parumper demisso & relaxato, proprio Domino machinabatur dolosè insidiari: super duobus Dæmoniis, præsens propositio fieri atque contingere naturaliter habet. Qui quærere volunt laboriosè quærant, tunc cognoscent, ex Deo, sibi sapientiam datam, quando vitia, incura-

Pastor quis sit. Hominum spiritualiũ variæ dignitates & tituli.

Conscientiæ, liber intellectualis.

Gubernatoris, cum Pastore cõparatio.

Medici & Medicinæ spiritualis, ad corporalem, Analogia. Nõ verba sed opera compensantur. Spiritualis medicinæ mysteria.

Pastoris cõfusio in quo reperiatur.

Deus, præcipuè in festis annuis & solemnibus dat nobis dona sua.

† Fortè melius, vt opinor: sedare.

Pastor, quis sit admirandus.

bilia multis, curare potuerint. Non est mirabilis ille magister, qui pueros (faciliter dociles) sapientes facit; sed qui indisciplinabiles & insipientes, facit & perficit. Tunc enim & militantium generositas laudatur & innotescit, quando in reprobis equis vicerit & saluauerit equos. Si accepisti oculos prę̃uidendi fluctûs; prædic his qui in naui sũt, prudẽter & manifestè, alioquin, tu naufragij causſa inueniris; quoniam gubernationem tibi præ omnibus traditam & commissam negligis, sine cura degens. Vidi medicos infirmitatis causſas infirmo nõ præmemorantes; vndè, ex hoc sibiipsis & infirmantibus, laborem multum & contritionem conciliâtunt. In quantum, qui præst; obedientium, & eorũ qui sunt extra & à longè; multam viderit erga se fidem, in tantum, seipsum debet decenter omni custodia custodire in omnibus quæ agit & loquitur; sciens quoniã omnes in eum tanquam in exemplarem imaginem intuentur: & quæ dicuntur & fiunt ab eo, vt definitionẽ, & interminationem, & legem putant. Verum pastorem charitas demonstrat: per charitatẽ enim, pastor crucifixus est. Rationibus ac verbis, ea quæ sunt in aliis, tibi appropria, & in te transformãs assimila; & non tenebis tibi à multa reuerẽtia. Contrista infirmantẽ, ad tempus; ne infirmus lõgo tẽpore maneat, & langueat atque moriatur ex silẽtio maledicto. Multi ex silẽtio gubernatoris se bene nauigare suspicabantur, donec in aspera percusserũt. Paulũ magnũ audiamus, Timotheo scribentem; *Insta* (ait) *opportunè, importunè*: *Opportunè*; arbitror quidem quando & redargutionem libẽter sustinent: *Importunè* verò; quando, qui redarguitur, ex redargutione mordetur; quia, & nemine plerunque sitiente, fontes emanant aquas. Est enim, iis qui præsunt (vt ita dicam) contra reuerendũ ex humilitate tepens: & vtilia & proficua obediẽtibus dicere sępiùs reticẽs: sed ij, quod magistrorũ est facere in disciplinandis & docẽdis, non deuitent, & debita quoq; , & necessarias enunciationes & iussiones, eis ex scriptura significare nitũtur. Audiamus & diuinam scripturã, in quibusdam dicentẽ. *Absćinde eam, vt quid etiam terrã occupat.* Et, *Auferte malũ ex vobismetipsis.* Et, *Noli orare pro populo isto.* Et in Saule similiter. Ista omnia, Pastorem cognoscere necessariũ est; & in quibus, quomodò fieri debent; quoniam Deo nihil est verius. Si quis seorsim reprehensus, non cõfunditur, & erubescit; iste, & redargutionem coram multitudine, occasionẽ etiam erubescentiæ faciet, & spontaneè suã salutẽ in abominationem habebit. Recogita verò & istud, quod à multis infirmis prudentibus vidi factũ. Suam enim infirmitatẽ & debilitatem scientes, etiam nolentes medicos deprecati sunt, quòd eos ligarent & inuolũtariè mederentur, eò quòd *spiritus quidẽ promptus est*, propter futurã spẽ, *caro autem infirma*, propter præanticipãtes præassumptiones. Ego verò hoc videns, medicos, quòd eis acquiescerent, deprecatus sum. Neq; , vniuersis aduenientibus, qui dux est angustã & arctã viã dicere debet, sed vnicuiq; , iugũ suaue, & onus leue: magis verò & annectere debet antidota. Equidẽ his qui duris sunt grauati criminib⁹, & facilè ad desperationẽ appropinquãt, scẽm: Illis verò rursus qui ad altũ & elatũ & reputatum sapere suijpsorũ, reputant & inclinantur, primũ, cõueniens antidotũ est. Quidam iter longũ peregrè profecturi, scientiam habẽtes de via, interrogantes, rectam eandem esse & sine periculo audiẽrunt. Equidem ergo auditu ad iterationẽ docti, denuò frustrati, circa eiusdem media aut perierunt, aut reuersi sunt impręparati ad tribulationes inuenti. Quemadmodum de his qui cũ probo duce vadunt, & è conuerso à me intelligitur, vbi amor diuinus cor tetigit, vbi verborũ rigor non prævaluit. Vbi gehennę timor illuxit, ibi vniuersorũ laborum patiẽtia existit. Vbi regni spes notificatur ibi omniũ inferiorũ contemptus firmatur. Oportet bonum militiæ ducem vniuscuiusque eorum qui sub principatu eius sunt, stationẽ & ordinẽ manifestè scire. Fortè enim sunt quidam quasi propugnatores, & singulares certatores in multitudine super commilitones debẽtes in quiete sedere. Non potest gubernator solus nauẽ sine nautarũ cooperatione saluare, neque medicus sanare languentem infirmum potest nisi prius deprecatus ab eo, & per vulneris manifestationem conuertatur ad eum ex toto corde, & fide. Qui erubescunt medicos vulnera fecerunt putrescere, sed & multi plerunque mortui sunt.

Pascentibus ouibus pastor non desinat instrumẽto sermonis vti, & maximè ad dormiendum venturis, quia nihil sic timet lupus, vt resonantiam instrumenti pastoralis. Qui præest neque rationabiliter semper seipsum humiliare, neque insipienter se semper exaltare debet, videns Paulum in ambobus pergentem dominus plerunque eorum qui sub principante sunt, in quibusdam principantes defectibus occlusos conuelauit: at ipse quidem manifestans infidelitatem generat. Vidi eum qui præerat ex summa humilitate propriis filiis consulentem, & vidi alium propriam sapientia ex elatione eis manifestare nolentẽ, & contra eos ironicè proponentem. Rarissimè quidem quendam euentum vidi, vitiosos non vitiosis principantes paullatim eos erubescẽtes, quorum tenebant principatum, propria quoque vitia resciderunt. Puto autem quod hoc effecit in ipsis meritum saluatoris, & vitiositatis commissio, & conatus factus est in eis impassibilitatis occasio. Attendendum nefortè ea aliquando, quæ sunt portus in pelago, dispergamus. Nouerunt quod dictum est, qui ad tumultus & turbationes exteriores, cum adhuc sunt inexercitati procedũt. Vt verum fatear, magnum quippe est quietem, & æstum, & pusillanimitatẽ, & tranquillitatẽ sustinere & elationes & cõsolationes extra nauẽ cellæ non quęrere. Quemadmodũ pusillanimi & negligentes nauigantiũ in tẽpore carentiæ vẽtorũ & vacationis à nauigio, quærũt in aquis natationem. Maius verò & incomparabilius est, nõ formidare tumultũ, sed in tumultibus, rumoribus, & querelis incõturbatus corde, & immobilis permanere, cũ hominibus quidẽ corpore exterius, cũ Deo verò interius commorari. Sit tibi, ô admirabilis, eorum qui sunt extra magis iusti consistentia suppositio morũ. Aliquis verò in terribili natura, & vere iudiciaria culpa reus aduenit, & damnatus. Aliquis verò innocens, & absque noxa ad Dei operationem & seruitutem addictus est. Contrariæ enim omnino eorum actiones sunt, & aduentus, & propriis consistentiis & eruditionibus indigent. Igitur duarum causſa rationum, seorsim ante omnia interrogetur

Pastor: quòd plus ei creditur ab Ouibus, eò cautiùs in omnibus ambulare debet.

In pastores veluti in exemplarẽ imaginem omnes intuentur.

Veri pastoris signũm, charitas.

2. Tim. 4.

Luc. 13. 1. Cor. 5. Hier. 7. 11. & 14. 1. Re.

Pastoris vox ad gregis conlectationem ueceſſaria. In humilitate vel pastoris elatione medium obseruãdum.

In aduersis pastori inesse constãtia debet.

interrogetur qui noxius est: quales ipsius actiones secundùm speciem fuerint, quibus confusione purgatus & lotus, semper absque confidentia extollentiæ, & cum fiducia maneat, & vt cognoscat qualium vulnerum facti sumus susceptores, & ad nostrã denuo charitatem suscitetur. Neque hoc te lateat, ô admirabilis, sicut neque à te ignoras: absit. Dico autem discerni & diiudicari debere conuictus, & conuersationes, & habitus eorum qui sunt innoxij apud Deum, quoniam multã varietatem & differẽtiam possident. Multotiens quis magnus infirmus est & humilior corde inuenitur: quapropter & leuius puniri à spiritualibus debet iudicibus. Contrarium verò est manifestum. Non est æquum vt leo pascat oues, & non est tutum quod qui adhuc vitiosus est vitiosis principetur. Ridiculosa contemptio est vulpes inter gallinas. Nil verò pastore iracundo magis ridiculosum & impudicum. Illa vero gallinas, hic verò rationales animas conturbat & perdit. Vide ne sis discretus nummorum exquisitor & exactor, & non eris ergo Dei imitator. Habeto & ipse Dei dispensatorem & ducem omnium tuorum intus & extra, quasi quendam gubernatorem præfectum, & per illum recides tuam voluntatem, & efficieris tu sine cura & sollicitudine, & solo illius nutu ductus. Quærendum est hoc tibi & vniuersis, ne quando ex aduenientium fide, & non ex nostra mũditia, gratia Dei dispensauerit plura per nos operari, quoniam multi etiam vitiosi præfato modo mirabilia operati sunt. Si multi dicent mihi, ait in die illa: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, &c.* non est incredibile prædictum capitulum. Qui propriè Deum placat, & insensibiliter ipsis qui fatigãtur benefacere valet, duo ex hoc magna negociãs, seipsum ab humana gloria, quasi à rubigine illæsum seruãs, & eos qui vniuersam cõsecuti sunt, soli Deo gratias agere parans. Equidem his qui in cursu benè proficere, & generosè iuuenescunt, meliora & suprema præpara alimẽta. His verò qui retrò, aut moribus, vel arbitrio, aut deliberatione, aut consuetudine vadunt, tãquam puerilibus lac, quoniam tempus est omnis consolationis. Plerúmque idem alimentum, quibusdam promptitudinem, aliis defectionem fecit. Attendendum est parentibus ad seminum transmutationem & susceptionem, in tempore, persona, qualitate, & quantitate. Quidam receptionis præsidentiæ iudicium pro nihilo reputantes, alias *irrationabiles* pascere sunt conati. Hi perplurimas nempe diuitias prius habebãt, vacuis manibus ex hoc seculo migrauerint, has aliis ex subiectione distribuentes: quemadmodum sunt proprij & legitimi filij, & sunt ex bigamia, & alij ex ancilla, & alij ex fornicario concubitu. Ita & in succedentibus ex præsidentia plurima consona esse noscuntur. Susceptio igitur præsidentiæ est animæ datio pro anima Christi in omnibus & per omnia. Nempe est ante conuersionem factorum delictorum tantùm, & est post factorum solum, & est solummodo præceptorum propriorum pondus suscipere propter indigentiam spiritualis virtutis & impassibilitatis impotẽtiam & penuriam: sed & in ipsa propria & perfecta susceptionum secundùm incisionem propriæ voluntatis subditorum portatus & pondus. Generosus filius cognoscitur in absentia patris. Qui præest notet, & videat, & signet ei cõtradicentes & resistentes, & coram aliquibus maioribus & senioribus eos grauissimis increpationibus increpet, vt saltem super increpationibus & ignominiis mordeantur, quoniã melius est quod vnius læsione multorum sobrietas castigatio fiat. Sunt quidam qui ex charitate spirituali super suam virtutem aliorum onera recipiunt, dicentium, memorantes, *maiorem charitatem, &c.* Et sunt alij qui licet virtutem susceptionis aliorum quasi ex Deo acceperint, tamen nõ libenter salutis fratris gratia seipsos omnibus submittunt: sed hos ego quasi charitatem non possidentes miserabiles dixi. De prioribus autẽ dictũ in quodam reperi loco. *Si eduxeris pretiosum à vili & indigno, quasi os meum eris, & sicut feci sti erit, &c.* Intende & istud obsecro, plerunque peccatum illius qui præest secundum meditationem peius peccato obedientis secundùm operationem iudicatur, quoniam leuius est militum peccatum, supra malum militiæ ducis consilium. Admone obedientes corporalia quidem & luxuriosa delicta non secundum speciem, reliqua verò omnia nocte & die ad mentem reuocare. Simplices quidem penitus simul esse, & ad inuicem eos exercitare studę. Teipsum in bonis his, qui sub te sunt, in forma propone. Eos verò qui prudẽtes sunt nimis exerce ad Dæmones, omnium meditatio & intentio non te lateat, vt scias quomodo super suis affectionibus adiacent. Intentio enim lupis est, per negligentes dissoluere sollicitos & festinos. Nõ differas pro omni negligente exorare Deum, non vt eis misereatur. Hoc enim tunc vsque est impossibile, non cooperantibus illis: sed vt à Deo resuscitentur in sollicitudinem & festinantiam virtuosam. Infirmi quidem nõ simul cum hæreticis comedent, quẽadmodum dicitur in regulis Patrum, sed qui potentes sunt in Domino. Si ab infidelibus fideles exhortantur, & volunt ire ad exhortationem, vadunt ad Dei gloriam. Ne causeris ignorantiam, etenim nescies, & faciens digna plagis, vapulabit quia non didicit. Confusio est pastori formidare mortem. Ex quo enim obedientia hoc definitur, priuatio formidinis mortis. Quære, ô beate, sine qua virtute nemo videbit Deum, & illam ante omnia acquire, & reserua progenitis. Ab vniuerso eos aspectu polluto, & fœmineis formis ex toto redimens ipsorum voluntatem mortifica, & in vilitatis & humilitatis amore firma. Sint omnibus qui sunt sub nobis in domino secundum corporales ætates, differentes institutiones, consistentiæ, & habitationes: quia non est conueniens aliquem reuerti à portu ante prouidentiam & experientiam legitimam. Mundanorum nemini, vt eum tõdeamus, imponamus manus, ne quando quædam ouium sine scientia introductæ, deindè in scientia perfectæ, pondus & æstus non sustinentes, in mundum currendo redeant, quod inducentibus, & ordinem recipientibus, vitæ sine periculo esse non potest. Quis ergo talis est ex Deo dispensator qui suis fontibus & fatigationibus non egeat, sed eisdem ad aliorum purgationem vtatur, animas maximè & corpora sordida ita expurgare nõ cesses, quatenus non solum propriarum, sed aliarum animarũ coronas à bono agonum positore Iesu fiduciaiter quæras. Vidi infirmum infirmitatem alterius infirmi ex fide inundãtem, laudabili apud Deum ineru-

Pastoris officium.

Ioan. 15

Hier. 15

Cum hæreticis comedere non licet.

Mors, pastori non timenda.

Pastores viis carere debent.

Ira pastorẽ non decet.

Præsidẽtiæ acceptio quid sit.

Matt. 7.

bescent ia pro illo vtentem, & in humilitate quidem tantum suum animam pro anima infirmi ponentem, & deinde per illius sanitatem etiam seipsum vtique sanantem. Et vidi ex elatione similiter facientem, & cum increpatione audientem, *Medice cura teipsum*. Luc. 4. Est euitare bonum, propter maius bonũ sicut qui martyrium non ex formidine fugit, sed propter eorum vtilitatem, qui ex dono saluantur. Est qui seipsum propter aliorum honorem ignominię tradidit, qui à multis tanquam amator concupiscentiarum & delectationum reputatur, tamen vt seductor est & verax. Si is qui verbum & vtilitatem retinet, & hoc non tradit copiosè absque punitione non erit: quantum, ô amice periculum putas sustinebunt, & damnum eorum debere existere, qui per operum cooperationem sollicitè valent collaborare afflictis, & confatigari nolunt. Libera qui ex Deo es liberator. Salua qui es ex Christo Saluator, eos qui ducuntur ad mortem, & redime à Dæmoniis interimendos, non parcas. Nimirum hoc certamen magnum apud Deum est, super hominum omnem & angelorum operationem atque contemplationem, teipsum tanquam cooperatorem incorporearum & intellectualium virtutum ostendere. Qui ex Deo data sibi munditia aliorum sordes expurgat, & ex eis quæ sunt in maculis immaculata Deo dona offerunt. Est enim istud & solum opus sempiternè diuinorum ministrorũ. Omnis enim qui in circuitu, ait, offertis animarum munera. Nihil enim ita erga nos eius qui nos plasmauit benignitatem & bonitatem ostendit, sicut relinquere nonaginta nouem oues, & errantem quærere.

Pastoris officium erga errantes & contritos.

Attende igitur tu, ô admirabilis, & omnem tuam festinantiam, charitatem, feruorem, sollicitudinem, studium, & apud Deum supplicationem, in valde errantibus & contritis ostende, quoniam vbi magnæ cicatrices & infirmitates, ibi absque dubio magnæ mercedes & retributiones dantur. Faciamus, seruemus, & intendamus, quoniã qui præest, iudicare debet quod iustum est, quia non semper quod iustum est iudicare debet propter infirmitatem. Vidi ego duos diiudicatos à sapientissimo iudice, qui nimirum iniustum quasi leuiorem promulgauit, alium vero tanquam fortem & boni animi quasi iniustum condemnauit: quibus, ne causa iustitiæ maius schisma fieret, seorsum tamen & in secreto vnicuique propria & cõuenientia dixit, & maximè in anima infirmanti. Ager quidem semper ouibus congruit: doctrina verò crucis Christi, & commonitio exitus ouibus rationabilibus apta & vberrima est, omnem scabiem sanare valens. Cũ visitas eos qui bono animo sunt, in assistentia infirmorum sine causa ignominiis affice, quibus per alterius memoriam & periculum, alterius plagam cures, & stabiles esse instruas resolutos. Nunquam Deus confessionem audiens, eandem apparuit diuulgasse, ne & propter propalationem cõfessos recideret, & exinde eos infirmiter & insanabiliter properaret. Et si præscientiam quoque ex Deo participamus, non tamen nos his qui offendũt, culpas prędicemus, sed magis eos per ænigmata ad confessionem exhortemur, quia fit eis ex confessione eorum apud nos non indulgentia parua. Abundãtiori igitur ea confidentia, quæ prius ad nos erat, & cura post confessionem eos dignos habeamus, quia ex hoc magnificè erga nos in fide & charitate proficient, quibus & summæ humilitatis formam tenemur ostendere, & ad nos etiam instruamus timorem habere. Vide ne quando tua humilitas sit super id quod necessarium est, & super caput filiorum tuorum congreges carbones ignis, in omnibus amplius in te esse sufferentem. Verũtamen in his quæ dicuntur, inobedientiæ superintende, ne quando appareant arbores in agro tuo terram occupantes, in alterius vero fructificare valentes, quas per charitatiuam euulsionem ex consilio transplantare penitus non deuitemus. Et quandoque quidẽ qui pręest virtutem sine periculo in locis indecẽtibus, sc. suburbanis & concupiscibilibus operatur. Igitur intẽdat super omnium successione & profectu, quia & Christo, non sibi placuit, quoniam non omnis euitatio & aduersatio prohibetur à Deo. Si medicus spiritualem quietem faciliter exequi valet, non tamen indiget quiete corporali ad curam infirmantiũ exequendam. Si verò quis prioris est expers, vtatur secunda, nempe donorum quæ à nobis sunt. Nihil ita coram Deo placens est, & acceptum, sicut ei rationales animas per pœnitentiam offerre. Vniuersus mundus non potest vni animæ comparari. Ille quidem præterit, illa verò incorruptibilis & permanet, & est. Igitur, ô beate, non beatifices pecunias offerentes, sed oblationem Christo Iesu portantes, oues rationales, hoc est quod facit holocaustũ immaculatum, quoniã teipsum nihil emisti, quemadmodum intendere oportet illud, Quoniam *necesse est tradi filium hominis, væ autem illi per quem tradetur*. Mat. 14. Luc. 22. Ita enim mihi & è conuerso videtur, quoniam quidem multos prælectos prædestinatos saluari penitus oportet, sed illis per quos post Deum facta est salus, dabitur merces. O honorabilis, virtus spiritualis ante omnia nobis necessaria est, quatenus eis, quos in sancta sanctorum inferre conati sumus, & Christũ super mystica & occulta mensa quiescentem eis ostendere experiamus & satagamus, maximè dum in atriis introitus existunt. Cum videmus eos angustiatos & tribulatos à turba eos impedire volente, horum tanquam paruulorum manus apprehendentes, à turba cogitationum liberemus. Si verò quidã omnino sunt paruuli vel infirmi, illos in humeris nostris est portare necesse, & sursum exaltare, donec demum angusti ingressus prætereant portam: quoniã ibi omnis suffocatio, & angustia fieri naturam habet. Eapropter quis de ea dixit: *Hoc labor est ante me donec intrem in sanctuarium Dei*. Psal. 72. Dictũ est quidẽ à nobis in precationibus: O pater patrum, De illo patre patrum, & Doctore doctorum, qualis erat à sapientia, quæ desursum est, totus amictus, sine hypocrisi, non fictus, non reprehensiuus, arduus, diligens, temperatus, continens, castus, cõdescensiuus, suauis, præclarus anima, & iocũdus, quod verò mirabilius erat omnium, quoniam quos saluari velle videbat, hos superabundantiori diligentia vrens, erudiebat arctius & districtius corrigebat. Quos autem aliquid velle, aut diligere vitiosè videbat, ita eos similiter priuabat omni re, quam passibiliter affectabant, vt deinceps pariter omnes obseruarent, in nullo eorum, ad quæ afficiebantur, ostendere propriam voluntatem. Dicebat autem & hoc

Pœnitente nihil Deo iucundius.

Confessio nemini diuulganda.

Vnius expulsio vtilior quam liberæ vitæ permissio.

hoc ille perpetuò, quia verè vtique melius & vtilius est aliquem ex mansione expeliere, quã hunc sinere facere propriam voluntatem. Quoniã quidem expellens, expulsum sæpius humilem magis fecit, & suã eum erudiuit recidere voluntatem: Qui verò secũdum apparentiam in benignitate & cõdescensione talibus indulgentiam donat, in tempore exitus facit se miserabiliter maledici, sicut qui eos magis seduxit, & non profectus vtilitatẽ fecit. Post cõplemẽtum igitur vespertinarum orationũ, erat videre quẽdam magnum tanquam regem, sedentẽ super throthronum, ex linguis quidem extrinsecus plexũ, intrinsecus verò constructũ spiritualibus charismatibus, quem circundabant quasi apes sapientes. Bonũ collegium & congregatio sancta, & sicut Dei, eius verbũ audiebant, & præceptis obediebãt: qui quidẽ huic duos, isti verò tres, alij verò centũ psallere psalmos ante somnum iniũgebat. Illi verò totidẽ facere genu flexiones. Isti sedendo dormire. Alij determinatã legere lectionem. Alij autem in oratione similiter tantũ modo stare. Constituit insuper duos ex fratribus visitatores, qui locutiones & otiositates visitarent & recessarent. Nocte verò vigilias importunas, & quę non est fas tradere scripturæ nõ solùm, sed in cilicio vnicuique Magnus propriũ distribuit ordinem. Erat enim dieta omnium non similis, neque vna, sed diuidebatur vnicuiq; secundum suam consistentiam. Aliquibus quidem, magis siccam & aridam: aliquibus verò, distribuebat bonus dispensationem ampliùs remissam & infirmam: & mirum, quod ordinabatur & iniungebatur, absque murmuratione perficiebatur, sicut ex ore Dei. Erat autẽ ipsi sancto supposita abbatia, in qua potẽtes ex mansione statuebat ad quietẽ, existens circa omnia perfectus. Ne varies quæso simpliciores in astutiis cogitationum, magis verò si possibile est, vanos in simplicitatem transmuta, quod est super opinionem. Qui ad summum est mũdatus, quasi diuinus iudex & arduitate vtetur ex summa impassibilitate, quoniam si impassibilitas defect⁹ diiudicatoris percutit cor, non finit eum, sicut conuenit, imperfectiones punire & expurgare. Præ omnibus fidei Catholicę, & in cedulis eudogmatum piorum hæreditatem filiis derelinque, vt non solum filios, sed & tuam progeniem ad Dominũ per viã orthodoxæ fidei ducas. Sanos corpore & iuuenes mortificare nõ parcas misertus, vt in tempore exitus laudent te, & hymnum dicant tibi. Magnus Moyses sit in hoc tibi, sapiẽtissime, typus. Non enim poterat quãuis obsequenter minitãtes à Pharaone liberare, donec cum lactucis agrestibus azyma comederent. Azymum est anima non habens præsumptionẽ suæ voluntatis, quia hoc inflare illam & extollere potest. Azymum verò semper humiliatur, lactucas autẽ agrestes intelligimus duriciem & frigiditatẽ habens aliquando ex subiectione adhærentem & sequẽtem & amaritudinem. Quandoque propter ieiunij angustiam & laborem. Ego verò ô patrum pater, ista ad te mittẽs timui, audiens dicentem: Qui alium doces, tuipsius cur non effectus Doctor? Nunc autem non solum dicens, finiam sermonis cursum. Anima quæ est per mũditiam iuncta Deo, verbo alterius nõ indigebit ad doctrinam, verbum sempiternum mysticè docens, & deducens in sempiternam illuminationem, & perfectionem, suiipsius bona ferens. Deo gratias.

Pastoris prudẽtia in sua domus dispositione cernitur.

Azymum quid sit.

Per lactucas agrestes quid nobis intelligendum.

INCIPIT COMMENDATIO S. IOH. CLIMACHI, ET SERMONIS HVIVS LIBRI, EDITA A IOH. RAYCHII, ABBATE, COMMENDans in ea scribentem, exponendo ferè totum sermonem.

QVALE vtique descripsisti, tale alicubi & tuũ exponens sanctissimum, & mitissimũ, & splẽdidissimũ verticẽ sum edoctus, nõ simpliciter verbo exiguo, sed opere & experiẽtia castissimũ eius arbitriũ & deliberationẽ sciẽs, præsertim humilitate ferarũ interẽptrice, & mãsuetudine coruscantẽ, instar magni illius legislatoris, cui patiẽtissimæ naturæ adhærens, & in altitudinẽ semper progredien; spaulominus & illũ diuitiis superasti, secundũ castitatis dico & cõtinentiæ certamẽ, dignã laudationẽ: per quæ & maximè, sicut non per alia, Deo approximare valemus, super castissimo atq; omnis impassibilitatis Doctori & adiutori, & trãsferenti per eadẽ atria in cælũ eos qui adhuc super terrã peregrinãtur, & nauigãt, quibus quasi super quendã ignis currũ, secundũ illum castitatis amatorẽ Heliã, ascendẽs apparuisti, factúsq; diuini chori actor. In pedibus vigilãtiæ & priuationis otiositatis, nõ solũ Aegyptiũ occidisti, & in sabulo humilitatis triumphũ ostẽdisti, sed etiã in montẽ sursum cucurristi, & Dominũ per ruboſam, & spatiosam, & bestiis inuiã & nõ accessibilẽ cõuersationẽ vidisti, & diuinã vocẽ, & huius splẽdorẽ excelsè suscepisti, & calceamentũ dico ad omne mortificatiuũ cõuelamẽ resoluisti, & caudã, sc. finẽ trãsformati ex angelo in draconẽ, apprehẽdisti, & hũc quasi in nido proprio, & in lacu inferiori, in Aegypto et tenebrefactione obscurãs, & caligines dedisti, & Pharaonẽ altũ & superbũ vicisti, & Aegyptios plagasti, & eorũ primogenita, quod est magis triũphãs aliis occidisti. Propterea tibi Dominus ducatũ suũ tanquã incõmutabili credidit, quibus in ducatũ præbẽs, deduc sine formidine à Pharaone & sordida luti laterúmq; factione separasti & liberasti, ipsisq; Dei ignis, & nubis castitatis omnẽ flãmam extinguẽtis visionẽ experiẽtia omni exhibuisti. Nõ solũ verò, sed etiã rubriũ & flãmeũ mare dispergẽs diuisisti, in quo plurimi periclitari naturã habemus, & tua virga & sciẽtia pastorali victores & triũphatores & submergẽtes omnes post eos persequẽtes fecisti. Nõ tantũ verò, sed & post hæc Amalech elationis post maris victoriã ouiatores victoribus extẽdentẽ manum extẽsione vincẽs expugnasti, medius pro populo tuo à Deo tibi credito, & à Deo illuminato stans, inter actionẽ & theoriã vicisti gẽtes, super impassibilitatis montem qui tecum sunt induxisti, sacerdotes cõstituens circunci sionẽ tradidisti, per quã non mũdatos impossibile est videre Deũ ad altitudinem sursum ascendisse, omnem nebulam & caliginem & procellam repulsando, dico verò ternè nebulosas ignorãtiæ & insipientiæ tenebras, appropinquasti luci multo amplius luce rubi reuerentiori, venerabiliori, & clariori, dignus effectus est voce theologica & prophetica. Vidisti & alicubi, & adhuc in his exemplis, quæ sunt post retro futura fienda: illic dico nouissimam scientiæ illuminationẽ, deinde per vocẽ quæ non videbit homo, audisti. Eapropter & in profundissimã humilitatis vallẽ alicubi in Choreb ex Dei inspectione deueniſti, & vultũ animæ & corporis glorificatũ habẽs, posuisti insuper & tabulas cognitiæ & sciẽtificæ ascẽsionis. Væ speciei formationis vituli: meæ enim congregationis est hoc. Væ tabularum cõfractori. Deinde

apprehensa manu populi, desertum peruagasti: quasi verò & sub flamma ignis propriè æstuante aliquando fontem lachrymarum aquæ genuisti per lignum. Dico autem carnis crucifixionem, cum vitiis & concupiscentiis expugnans obuiantes gentes igne Dei, consumans eas venisti ad Iordanem. Nihil est enim prohibens Monachum historiam repulsare. Diuidis populum tanquam Iesus. Ego autem dico hoc in sermone, nempe priores aquas Marath *salsuginis & mortificationis attribuisti. Caritatis verò aquas alteras sursum desuper statuisti in Ecclesiis horum tuorum intellectualium Israëlitarum. Tandem lapides duodecim portari iubes, vt Apostolicæ perfectionis gradum & cursum in eis subinducens & superædificans, aut octo alicubi gentium & passionum victoriam, & quatuor denuo virtutum generalissimarum assumptionem laudans, mortuum de reliquo sterile mare fecisti penitus reuerti retrorsum, ad ciuitatem inimici veniens, tubam in oratione personans, per septenum hunc gyrum humanæ vitæ eandem confregisti & vicisti, ita vt iam de cætero cantes contra pugnatorem immaterialem, &*
Psal. 9 *inuisibilem inimicum. Inimici mei defecerunt, frameæ in finem vitiorum meorum ciuitates destruxisti. Dicam consilio, quod omnibus proprium & fortius est, descendisti Ierusalem visione perfectæ pacis animarum, Christum videns Deum pacis, compassus sicut bonus miles, concrucifixus carni, vitiis, concupiscentiis. Et conuenienter & ipse factus es Pharaoni quasi Deus, & eius vniuersæ aduersariæ virtutis. Ergo sepultus es, & descendis in infernum, theologiæ dico, & arcanorum mysteriorum redoles, & bonum refundis odorem à cognatis & amicis multis virtutibus. Resurgis quia nihil est quod me prohibeat & hoc secum dum sermonis assequentiam dicere, quoniam & in cælo ibi existis, in dextera Dei sedens. O diuulgatum furtum, post victoriam tyrannorum resurrexisti & ipse tertia die, vel forte vt magis propriè dicam, post victoriam corporis, animæ & spiritus, aut post emundationem tripartitæ animæ, passionis irascibilis dico, rationalis, & concupiscibilis. Ad montem Oliueti venis, & conuenit enim recidere & abbreuiare sermonem, præsertim ad te mittens repletum sapientia, ac supra nos omnes in scientia præhabentem. De quo Oliueti monte, arbitror quod quis pulchrè in quodam loco personans, dixit:* Montes
Psal. 103. excelsi cernis, *animalibus consumentes bestias venenatas. Cum eo igitur & ipse currens, & simul sequens ad montis firmamentum, & ad cælum peruenisti, & sursum in cælum aspexisti. Nempe iterum sermonis typum ad sermonem adduco, nos discipulos benedicens, vidisti sursum agentem propositam & confirmatam virtutum scalam, cuius secundum gratiam Dei tibi datam, vt sapiens architectus fundamentum posuisti: magis verò & ipsam plenitudinem complementi, licet & nos indoctos ex humilitate persuadens, nostrum sordidum os extollens, tu commodans apud tuum populum diuitias congregasti: & non est mirum, quoniam solitum est* Moysi *iuxta historiæ typum se voce tenuem, lingua impeditum vocare. Sed ille quidem perfectum sorte participauit mysterium, & sermone doctum, & eloquentia facundum, & celerem Aaron. Tu autem, ô secretorum Doctor, nescio vnde aduectum ad hoc fecisti pertingere ad fontem inaquosum, & totam Ægyptum replentem ranis, magis verò pruinis. Sed, ô cæli cursor, quoniam non decet me tui cursus sermonem denuo relinquentem prætermittere imperfectum, iterum quæstum tuæ pulchritudinis retexentes, sicut diximus, quia monti sancto appropinquasti, & oculos in cælum sursum eleuasti, & pedes ad Basan aduenisti, & cucurristi & recurristi, & exaltatus es & ascendisti super Cherubim virtutum, & volasti & ascendisti in iubilatione, debellans inimicum, & expugnans, & viam ante fecisti, & præcessisti ducatum præbens. Exnunc verò magis ducatum præbe, & insuper ante sede omnibus nobis ad ipsum sanctæ scalæ verticem sursum currens, & iunctus charitati. Charitas autem est Deus. Consummatori bonorum Deo gratias agamus. Amen.*

FINIS LIBRI.

INCIPIT CONTEMPLATIO SCALÆ CVM *vita S. Iohannis Climachi.*

IVXTA numerum ætatis Christi, ibi secundum carnem nobis ascensum fabricans quẽ pulchrè, verè, atque perfectè speculatus incedit. Sanè perfectionis eius triginta annorum, triginta graduum scalam ædificauit. Cuius etiam proprium nos susci-pientes tempus, vtique legitimi & eadem non valentes inueniemur: nondum verò adhuc pertingens paruulus A est adhuc, & in omni testimonio cordis non acceptus inuenietur. Nos verò arbitrati sumus antè horum triginta graduum intellectualis & diuinæ scalæ numerum, sanctissimi conditoris ipsius, & sapientissimi vitam præordinare, vt videntes labores, non simus scriptis increduli. Demum patris sancti præcipientis epistolas, & obedientis præponentes scripturæ, ita qui sunt in ipsa sermones incipiemus.

D. IOHANNIS

D. IOANNIS ABBATIS RAYTHV, IN SANCTI IOHANNIS, COGNOMENTO, SCHOLASTICI SEV CLYMACI Clymacem, Scholia.

CAP. I. ad Gradū.

DEO *ipsofumamus, &c.* Principium omniū, Deus est, vt creator, medium, vt prouisor, finis, vt perfector: à quo debemus facere non solum principium sermonis, sed intētionis, & operis, vt nostra, propter ipsum, & in ipso fiant. *Et amicos quidem Dei:* quorum experientiam habent qui humilia sapiūt. Propter delectabile autem amicus dicitur, vt propter vtile & propter bonum, seruus: & hic quidem conditione, & creatione, vt filius, fide & cōuersatione, vt Paulus & Moyses. *Per obedientiam indiscussam*†: Obedientiam hîc dicit indiscussam, propter fidei plenitudinem & volūtatis proprie perfectam mortificationem. *Subtristi & perlucidæ humilitati:* Mœrentem ipsam humilitatem vocat, & tentationum & pœnarum supportationem, propter tristium sufferentiam, & aduersitates, & pœnas, & pressuras, & vilitatis studium, & castigationem corporis, & memoriam mortis: splendentem† verò eandem dicit, propter pacem intrinsecam, virtutum decōrem, desideria cælestia, spem æternorum, charitatem in Deum, & dignitatem quam suis possessoribus elargitur. Mœrens etiam est humilitas, tepidi & negligentibus, qui in laboribus & doloribus propter Deum, murmurant, anxiantur, & dolent: splendēs verò, mortem, & aduersitates, & martyria diligentibus propter Christum, & vtilitatem tribulationum & dolorum & mortis sufferre se cognoscentibus, propter Spiritum sanctū. *Spiritualibus tabulis:* dicit, propter firmū, solidū, & & indelebilē Characterē: *Cartis*, propter mundum, castum, mansuetum & humile cor *Voluntate & libero Arbitrio:* Electio & voluntas Arbitrij, differunt, quia volūtas, est possibilium & impossibilium, electio, tantùm possibilium: deinde quia Voluntas est maximè, finis, Electio autem, eorum quæ sunt ad finem. *Omnibus vita.* Secundum rationem creationis & prouidentiæ factorum, dicitur Deus credētium verò obedientiū & diligentium, excellenter dicitur vita, & salus, iuxta illud: Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob. *Impius est homo:* Definitio pij manifestatur in definitione Impii, & Iniusti definitio, in definitione Iusti: licet qui est sine Lege, vel Legis præuaricator, dicatur iniquus, Iniustus verò, Legis Naturæ, & scriptæ, & gratiæ, prævaricationem insinuat. Impius est igitur, qui proffitetur euangelicam & religiosam vitam & artem, & mundanè, & resolutè, in delitiis, & resolutionibus & delectationibus vitæ labentis, latā viam diligens conuersatur. Impius est quoque, qui nō profitetur Euangelicam vitā, propter humanæ prudentiæ insipiētiam, iuxta illud: *Dixit insipiens in corde suo*, &c. quia hic talis, honorat & appretiatur Creationē potiùs, quam Creatorem. *Dei amator est:* Differentiam ostendit Dei dilectionis, & monachi: scilicet sāctorum secularium & ordinis cōiugatorum, & perfectionis Monachorum. Dicit ergo de seculari sancto: Dei amator est, qui in Mundo corporaliter viuens, non communicat auersionibus quæ sunt contrà naturam, eū motum & ordinem qui est secūdum naturam, sed Dei voluntatem omnibus pręponit, vnitus Christi charitati. *Perpetua naturæ violentia.* In Natura rationali, affectiones & habitudines sunt: scilicet, in irascibili, furor, ira, indignatio, liuor, in concupiscibili, delectatio, desiderium, tristitia. Ista igitur superascendens, naturam omnino negauit. *Quicunque præsentis vitæ:* Tres intētiones recedentium à Mundo, tribus Abrenuntiationibus, & tribus Deo seruientium gradibus concordant, iuxta magnum Gregorium Theologū qui dicit, *Tres vtique ego noui ordines saluandorum, seruitutis, mercedis, & filiationis.* Imitetur is qui, &c. Hic iuxta illum magnum Senem, qui monumentum sibi & suo discipulo fecit, vt ipsum ad luctum induceret, & exemplo & verbo doceret, iste sanctus loquitur: & in præsenti speculationis verbo, ostendit, quia luctus sanctificat, operatur, & custodit, & annūtiator beatæ impassibilitatis existit. *Quicunque ex Egypto egreditur:* Oportet eum qui Mundo abrenuntiat, perseuerare in Cœnobio. Si verò non in Cœnobio abrenuntiat, tunc necesse habet, sub magistro & patre spirituali informari ad mortificationem propriæ voluntatis, & morum directionē, & disciplinam discretionis cogitationum & spirituum: Hoc enim probat & laudat per Mosis exempla, & Israëlitarum, & angeli, & Loth. Nam si quis, in artibus, faciliter sine magistro nō dirigitur, multò magis in hac arte artiū, magistro indignemus & Duce. Humilitate igitur opus est, & præsertim orationibus patrum, abrenuntiantes Seculo indigent. Dicit igitur pater, quoniam abrenuntiantes, qui vitiis spiritualib. (vt puta, superbia, vana gloria, inuidia, acedia elatione, & tristitia (molestantur, indigēt præceptore & duce mansuetissimo, & misericordi, qui paruā indulgeat carni, vt non tanquam abstinentes & studiosi amplius extollantur: & comparātur isti, egressis ex Ægypto, sub Moyse. Qui verò carnalibus vitiis (scilicet gula, luxuria, auaritia) impugnantur, indigent duce homine abstinente, austero, & incompassiuo, vitam angelicam, sine carne, ferè perficiētem, qui per ieiunium & austeritatem, carnem castiget, & vitia mortificet: & assimilantur isti, egressis de sodoma, & ab angelo directis. *Macello assuetum Canem:* Canem dicit, mentem vitiosam, propter permanentiam in cogitationibus gulæ & luxuriæ: à metaphora Canis qui moratur in macellis, quia sicut ille, stercorosa animalium intestina comedens non recedit, ita mens gulosa & fornicaria, non potest ab his vitiis stercorosis abstinere, nisi (gratia Dei prævēta) in fatigatione, vigiliis, labore, dolore & luctu indesinenter, seipsam exercitās, violētet. Nam sicut amatorem macelli, primò, posteà, amatorē escarum ponit: Ita subiungit primò, amatorē castitatis, & posteà, amatorem cuiuscunque visitationis. Manifestum est enim, quoniam fornicatio opponitur castitati, sicut, amori visitationis, amor escarum. Oportet igitur, mentem, amabilia Deo inspicere, & diligibilia animæ secundum carnem,

† Clariùs, vetus Interpres, nō discernentem.

† Mœrenti vertit vetus Interpres.

Humilitas quomodò vel quibus tristis sit vel læta.

† Perlucidam.

Pſal. 13. 1.

Quomodo differunt electio & voluntas arbitrij.

Monastica proffiteri, est Ars Artium.

Mūdi abrenuntiantibus oratio & humilitas necessaria.

mēs otiosa, Cani lanario, similis est.

abnegare: & ita, deliberationem arbitrij pungere ad assumptionem castigãtium carnem, & per amorem virtutum, affectiones vitiosas gladio spiritus necare. *Durum & arduum, sed leue certamen: Agonem* dicit, propter castigationem carnis, *Durum*, propter custodiam sensuum, *arctum*, propter antiquorũ morum prauorum depositionẽ. *Durum*, propter mortificationem propriæ voluntatis, *leuem*, propter cõfidẽtiam in Deum, & donum gratiæ, & profectum virtutum, & impassibilitatis munditiam. QVOD IN IGNEM *insilire:* Ignem, intellige tẽtationes Diaboli, Mundi, & carnis. *Cum amaritudinibus* †: exercitium laboriosum & amarum continentiæ, & mortificationis carnis, & volũtatis propriæ: tu verò adiunge panem, fatigationem in vera humilitate, & abrenutiationem, & luctam contra naturã & inuisibiles Potestates. SI NON OMNIS *qui Baptisma consequitur saluatur*, Sed faciens & seruans mandata, neque omnis qui tondẽtur, sed custodiens, Monachis conuenientia! *Silebo reliqua:* subaudi, *non seruantes* verò, grauiora passuros: quia damnatio futura, amarissima, & ad præsens, priuatio gratiæ, cæcitas mentis, carentia doloris, cordis insensibilitas, & impia auaritiæ idololatria, & passionum ignominiæ carcer. *Non obscurum argumentum*: Argumentum est, quod semper similiter se habet, vt fumus & cinis de igne: Signum verò, quandoque sic, quãdoque aliter, scuti, percussio est signum pugnæ. Signum quoque, est de contingentibus & verisimilibus, Argumentum verò de consequentibus naturam. PER ALIAM *portam*. Dicit, qui nam sensuum, per quos Mens sine timore degens, per obliuionem & negligentiam, & Diaboli insidias captiuatur, vnde, per gratiã denuò sensûs mortificans, ab insensibilitatis suæ carcere liberata resurgit. *Qui ex timore:* Quoniam intellectualis timoris operatio, duplex est, ideo dicitur timor duplex: scilicet purgatiuus & perfectiuus: Hic verò, de purgatiuo, Pater iste loquitur, cuius operatione compungimur, & ad odium omnium visibilium & cõcupiscibilium, & proprij corporis, & propriæ voluntatis incitamur, & ad agendum pœnitẽtiam, & mundum relinquendu m animamur, & sollicitudine & studio implemur, ad seruiendũ Domino sine negligentia die ac nocte. Perfectiui verò est scientificare, viuificare, & illuminare animam, & memoriæ, Deum ostendere præsentem, & intelligentiæ, Dei veritatem & sapiẽtiam reuelare, & sensum habere, vt experiamur & sciamus quomodò in ipso sumus, mouemur, & viuimus: Qui timore purgatiuo agitur, comparatur (ait Pater) *Thymiamati*, quia ex studio spititualis conuersationis vehementer incipit, & per tepeditatem in summum negligentiæ desinit, *Mola asinaria, profectò est*: Qui autem, per spem, mercedem quærit, comparatur molendino asinario, semper moto, & per delationem quæstum faciente, & tributum aggregante, subiectionis pretiosum & venerabile opus. *Qui verò ex charitate diuina*, si in agro inuenerit sollicitum atque festinum, per ignem charitatis succensus, à promptitudine non relaxabitur, donec pertingat, secundum dicentem: *Quando veniam, & apparebo ante faciẽ Domini.* SVNT *nõnulli qui supra lapides*†: Hîc de Abrenunciãtibus dicit Sanctus, quoniam sunt quidam, supra petram, lateres ædificantes, & hi sunt qui magnarum virtutum in proœmiis ædificationem sine subiectione faciunt, & (quia certaminum humilium, & obedientiæ non habent experientiam) vt fragiles, imbecilles fiunt. Qui verò super terram columnas, erigentes locant, sunt qui viram Anachoriticam, confestim, ex proœmiis, ante vitiorum expurgationem sequi volunt: nam sine fundamento subiectionis existẽtes, deiiciuntur & ruunt. Qui verò modicùm pedestres ambulant, sunt qui sine tumore elationis, iugum obedientiæ sumunt, & subiectionis iter tutum cum reuerentia pergũt. Isti paulatim roborati, & calore Spiritus accensi, infatigabiles & inexpugnabiles fiunt, & pugnarum experientiam habentes, cum Dei adiutorio celeriter trãseunt vsque in finem. *Non sine* LABORE & *violentia*: quia consuetudine proffecta in habitum, & in naturam penè conuersa, verè violẽtia est, eam amouere & transmutare. Sicut enim multi tẽporis vulnus, est quasi incurabile factũ, ita & multi tẽporis vsum & morem malignum, est graue relinquere. Hinc Dominus dicit, quoniam *Regnum cælorum vim patitur.* SINE *mœrore*: propter augmentum in virtutibus, & cõmutationem ac liberationem à peccatis: *vel certè cum minimo:* †Modicum verò contrista propter desiderium perfectionis, & timorem quem habemus, ne cadentes iterum offendamus. *Animarum nostrarum vultûs*: Faciem animæ hîc dicit, virtutes eius. Etenim ex conuersationis nostræ exemplis, & ex nostris immutationibus, & animalibus affectionibus, vident nostram consistentiam & dispositionem, inimici nostri Dæmones qui nõ ex seipsis nostras cognoscunt deliberationes & mentes: absit! sed solum suæ artis malignitates superseminant, & expectant vt sciant cum quali affectione recipimus probationis eorum insidias: Vnde nos, propter nostram negligentiam & segnitiem illos (cùm non videant) facimus videre. *Abscondit Dominus à Secularibus Stadij difficultatem*: † Stadij importunitatem ait, iuxta acceptionem malè intelligẽtium, quibus certatim agonis studium videtur importunitas, quod verè necessaria est opportunitas: tamen eãdem opportunitatem (apparẽtem, importunitatem) abscõdit Deus his qui sunt in mundo, quoniam si respexissent ad importunum eis, non vtique abreũntiassent quis talium aliquando. Si enim, secũdum Apostolum, *animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei*, ad Deum verò iũgi charitate & dilectione, spirituale est: quomodo (secundũ Mundum) abrenũtiassent, etiam abnegãtes suas mammonæ diuitias, & cõfusionis proprietates, nisi per compendium & circunuentionem sanctam, eos traheret & vocaret? Etenim *caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. ignem* IN MANIBVS *tenentes*: Ignem tenent in manibus, ut per consensum & actûs vitiosos, carnales & animales inclinent, & sic, nos (copus scilicet, & animam) ardeant. IN TRIBVS *maximè principalibus*: Authoritate sacra & Euãgelica (à tribus distinctionibus monasticæ conuersationis) verum virutum medium declarat, solummodo in perfectis virtutibus quas Mediator Dei & hominum Christus Iesus docuit & perfecit, medium beatum esse insinuans, & in admirationem desinens: vbique vero à virtutum medio, vitiosos recedere, & sibi noxia quærere dicit, quia sine pugna & sine labore, sine vigiliis & sine

† Vetus Interpres, cũ lactucis agrestibus. Exod. 12, 8.

Inter signũ & argumẽtum discrimen.

Timor purgatiuus & perfectiuus.

Psal. 41.

† Vetus Interpres, super Petrã.

Assueta relinquere difficilimũ

† Vetus Interpres sic, quamuis in ipsis. Modicum contristati afficiamur.

Dæmones quomodo cogitationes hominũ cognoscant.

† Vetus Interpres, Importunitatem.

1. Cor. 2.

1. Cor. 15.

& sine exercitio spirituali, cùm amore suî ipsorum, Christo seruire se simulant. Vnde non sunt hi tales in nomine Christi congregati, quia voluntatẽ & intentionem Christi congregantis ignorant. *Vbi verò sunt duo vel tres, &c.* Duo vel tres congregati in nomine Christi, actiui & contemplatiui, & regentes & corpus & animam, mens, ratio & voluntas: vel, corpus, anima, & spiritus: vel, rationabilis, cõcupiscibilis, & irascibilis, per spiritũ sanctũ vnitæ ad omnem operationem diuini beneplaciti & mandati, *à dextris & sinistris, per infamiam & bonam famam.*

Mat. 18.

OMNEM *huiusmodi affectum* † dixit, quoniam electione affectionis (habitudinem dans Deo) ad eam, & naturalem, & accidentalem, & artificialem habitudinem appositi & deuouit. Omnis enim habitudinis & affectionis depositio, contemptus, & vilitas, & pœnitentia integra, & humilis prudentia in exitu & resolutione, beneficentia & viaticũ nostræ peregrinationis existunt. *Sine mortuos, sepelire,* &c. Quemadmodum mortificatur Mundo qui à proprietatibus Mundi recessit, ita moritur vitæ gratiæ, qui vitæ gratiæ præcepta nõ facit: & tãquã propter carentiã motus, & priuationẽ operis, animal mortuũ dicimus, ita homo mortuus intelligitur, & est, & dicitur, ex eo quòd mandatorũ Christi perfectionẽ operari & imitari non vult, & adhærere vitæ æternæ quæ in mandato ipsius est, per voluntatum carnis abnegationem, renuit. *Adulterinam & fictam* † Adulterinam dicit Secularium bonam conuersationem, propter laudes, & vanam gloriam, & propter vsum propriæ voluntatis, & conuersationem tumultuosam in curis vitæ, & rerum proprietatem: quoniam ea quę Patrum consilio & obedientia fiũt & ea quæ eorum examinatione probãtur & firmãtur, recta sunt & manẽtia, & Deo beneplacita, quia fiunt secundum voluntatem illius, qui dicit, *Et à meipso facio nihil.* Nam quod ita fit (cum perfectum esse habeat) ab omni vanitate seruatur illæsum. *Plurimos in Seculo aspexi, &c.* Hoc fit secundum industriã doli & fraudis illudentis Inimici, quoties detenti in vita seculari quæ est multis peccatis & tumultibus plena, in qua rectè esse & benè viuere videbãtur, & secundũ apparẽtiã proficere in virtutibus, illaqueati, ruunt miserabiliter sorditati. Cõtingit etiam hoc eis negligentia, irreuerẽtia, ingratitudine, & elatione, & ex correctiua permissione, & ex eo quod Pastorẽ deuotè nõ audiunt, sed relinquũt. IMMVNDITIAM *Seculi:* † Concupiscentias & delectationes carnis & Mundi, & amorem materialiũ & amorem honorũ & glorię, intellige. Nõ enim homo cõditus est immũdus, vel natura rerũ, vel materia existentiũ, sed quia homo auertitur suis voluntatibus, ab eo quod est cõueniens & honestũ, quærens delectabilia & sublimia, altus corde fit, propter quod im mũdus est apud Deũ. IMPORTVNVM. *Cordis ignẽ:* Ignis importunus est omnis amor carnalis, & omnis vitiosa concupiscentia, & delectatio. Opportunus ergo ignis est, amor Dei atque cognitio, & Spiritus sancti incẽdiũ, & communicatio: & dicitur opportunus, quia omnia arbitrari facit vt stercora, propter Deum, sicut importunus dicitur qui fœdat & inquinat, & exterminat animam. *Deliciis omnibus & vitiis † abstinẽdum:* Ab omnib⁹ deliciis & malignitate hîc dicit abstinẽdum. Nã per delicias, carnis concupiscẽtias, & vniuersas Mundi delectationes intellige: per malignitatẽ verò, iræ, & immũditiæ, & superbiæ, & reliquas adinuentiones. PORTVS *enim & salutis, &c.* Salutis quidem, propter vigilias, conuersationũ humilitatem, sobrietatẽ, & virtuosam sollicitudinẽ, periculorũ verò, propter pusillanimitatem, negligentiã, & tepiditatem propriæ voluntatis malam reasumptionẽ: quia propter ista, in portu angelicę vitę, Religiosi periclitantur, sicut, per obedientiam & reuerentiam, pace & salute fruuntur.

Cap. 11. 2. Cor. 6. † Vetus Interpres, habitudinem & affectionem.

Mortuus dicitur qui destituitur gratia Dei

† Vetus Interpres, fegnem & fictam.

Deo grata sunt, quę patrum cõ filio gerũtur.

Ioh. 8. 29.

Seculariũ probabiliter bonorum lapsus graues cũ ad monasticã vitam cõuolârtũ, vnde euenient.

† Vetus Interpres, immunditiæ Mundum.

Ignis spiritualis, opportunus & importunus.

† Vetus Interpres, de liciis & malignitate.

PEREGRINATIO, est vera segregatio ab omnibus cõcupiscẽtiis, voluptatibus, & malitiis: nã propter segregationẽ à vitiis, insegregabilis fit à Deo, nam vitiis præsentibus, nil vtilter cõsummatur. *Omnem suorum alienorumque affectuum:* Propriorum habitudinem dicit Sanctus, affectionem voluptatum ad seipsum, & ad propria, id est ad domesticos & propinquos: *Alienorum* verò amicitiam omnem, & affectionẽ quorũcũque sensualẽ, & aliis omnibus quę sunt extra, siue de pecuniis, siue possessionibus. Vel, *propriorum,* dictum arbitror, de voluntatibus conferentibus secundum carnẽ: *alienorum* verò, de omnibus quæ sunt extra, superiùs dictis, à quibus alienatus, rationabilem & bene ferentem ad salutem incedit viam. *Statim vt susceperis flammam, curre.* Propter nostram incõstantiã & vertibilitatem, qua nos ipsos auertimus à gratiæ radio, dicimur, à Deo relinqui, quia ipse, in suæ mansionis identitate immotus manens, & se nobis immittens & ingerens, ęqualiter & continuè & absque personarũ acceptione nos etiã trahens, mutationi non subest. Hinc noster recessus, sua relictio dicitur, quia eius immobilitate, nostræ auersionis caussa monstratur. *Flammam* igitur *suscipiens,* id est, gratiæ accensionẽ: *curre,* id est, cooperari ei stude, ex omni virtute: Non enim nosti quando extinguatur, ait, propter inexpectatum & insufferens, & ad transmutationes procliue tuum ingenium. *Tunc iam cogitationes vanitatis:* † Quãdo quis extollitur, & existimat se aliquid esse, perdit verũ esse: quia cũ nihil sit, hoc credere & cogitare, est ei à veritate recedere. Humile sapere, est in veritate esse. Altũ sapere, est, in veritate non esse: quia vanitas, mendaciũ est, & verũ esse, habere nõ sinit. Vanitatis autẽ cogitationes & elationis intẽtiones quæ, se suscipientes, ostentatores & amatores gloriæ faciũt, non vxorem loth sed ipsum, sequens fuge: Amor enim & affectio propriorũ, vxorẽ loth conuertit in statuã salis. Affectio escarum, priuauit primogenitis Esau. Affectio propriæ voluntatis, extulit luciferũ in superbiã, & præcipitauit in Inferos cùm sequentibus eum. Affectio voluptatũ, Iezabel interfecit, & Salomonẽ in idololatriã peruertit. Affectio pecuniarũ, Iudã proditorẽ Christi fecit. Qui autẽ ab istis recedit, inuenit Abraham verè peregrinãtis vitã, & nõ cõiugem, sed ipsum Loth imitatur. *Corda enim quæ illuc reuersa sunt.* Vide, ait Sãctus, quomodò, nõ ad res, fuit Israelitarũ cõuersio, sed ad sermones rerũ tãtũ, eorũ intẽtio & affectio appropinquauit & errauit, & propterea cõdemnati fuerũt. Nõ enim in Ægyptũ, sed ea quæ erant in Ægypto, mẽs populi descendit. Time igitur & tu humilis, & Dei serue, ad cogitationes vitiorũ habere cõsensum, ne etiã tu dãnêris per eas. *Et Moses ille qui Deum viderat:* Ægyptus, Dei ignorantiam, & peccatum, & impietatem significat:

CAP. III. Spiritualis peregrinationis definitio.

Deus nulli mutationi sub est.

Quomodo dicatur deus homi nem relinquere.

† Vetus Interpres, tunc Dæmones, cogitationib. vanitatis instantes, &c.

Rom. 11. 20

Amor propriorum perdit hominem.

4. Re. 9. 22.

Prædicatores sæpe grauantur peccato improborum.

Moyses autem, perfectos viros & Dei Prædicatores, qui cum talibus multas sustinẽt tenebrefactiones: quia, sæpè, perfecti, ex ignorãtia, peccato & impietate prauorum grauantur: & sæpiùs exagerati † conuersatione malorum, quasi quibusdam anxietatis tenebris inuoluuntur, dum ex zelo Dominicæ laudis, super carnalium offensionem molestãtur. Qui, ad suos mittuntur eisdem rationibus quibus in Nazareth Dominus redibat: videlicet, ne fortè dicerent, *Medice cura teipsum*: Et, ne dicerent, quia aduersarius nobis † est: &, ne dicerent, si signa fecisset, credidissemus & nos similiter: & ideò mittuntur & ipsi, quia fecit ibi Iesus paucas virtutes. Cæterùm, cùm dicit, *quæ est mater mea*, & quæ sequuntur, ostendit, quòd neque Christum ferre neque partum illum superadmirabilem parere, lucrũ vel meritum laberet sine virtute. Ideò demonstrat quòd nulla ex hoc vtilitas esset, nisi, omnia conuenientia, virtuosè & summè faceret & adimpleret. Quinetiam, in hoc verbo, veram Matris humilitatẽ insinuat pòpulo, dùm nihil altum sapere aut imaginari super tali & tanto Filio demonstrat. *Non quòd Propinquos nostros & patrios agros*: Odium est abscondita affectio, quæ aduersatur his qui in aliquo nos cõtristant. Odiũ est alienatio ab eo quòd mœstũ est aut auersio contristantium. In nullo igitur horũ, à Monacho fit recessus à domesticis & propinquis, ideò dicit, nos, nõ vt obediẽtes. *Lætatur enim Dominus*: † *&c.* Deus amator hominũ, humanatus est, vt nos à veneno mũdani & humani amoris liberaret. Est enim mũdanus & humanus carnis amor, carcer, & catena, & Infernus, & mors: quo, quis detentus propter virtutẽ, altitudinẽ & claritatẽ, charitatẽ & sapiẽtiã, nec gustare, nec videre, nec intẽdere, nec cogitare potest. quare, gaudiũ Christi, est ĩ nostro perfecto recessu à terreno & mũdano & carnali amore. *Caue obsecro.*† Diabolus vt retrouertat Dei famulos, sub specie bene rationabilis pietatis, ostẽdit eis, vel in multa penuria & tribulationibus, innumeris suos esse parentes, vel in multo periculo animæ & ignorãtia cõuersari, & omnia eorũ sub quodã quasi diuini Iudicij diluuio debere submergi, nisi eisdem vehementer afflictis, cũ Arca cõsilij vel fauoris citò subueniatur. Quare nũc iste sanctus dicit, *Vide, vide*, quia neque sub specie prædicationis, neque sub obtentu corporalis subuẽtionis, tibi licet ad parẽtum amorem vel curam retrouerti: quia hoc quod tibi Mundus vniuersus, tuos passibiliter diligenti, aquis videtur esse repletus, caro reuelauit & sãguis cũ Satana simul vt pereas & angelicæ cõuersationis portum malè relinquas. *Pollicẽtur nobis subdolè*: Nostri, & non nostri sunt, Parentes secũdum carnem; qui, nostri sunt, iuxta naturæ conditionem, non nostri, secundùm propositum & voluntatem seruitutis Dei: quorum cogitationes, sunt frequenter contra nos à Dæmoniis, vt nostræ fiant, quæ sunt ab alienis. Ipsæ verò susceptæ, per consensum fiunt nostræ quæ habuerunt originẽ ab alienis & Inimicis dæmonijs & parentibus, & punimur de eis. *Colloquia mala, secularia simul & turpia*: vetus Interpres, *Ornata, & inornata*: Et ornata quidem mundana eloquia, sapientia, & prudentia, quia, fastu eloquentiæ, vanitatem inflant & elationem extollunt, incongrua, & apud seruos Dei inornata existunt: Inornata verò sunt mundana eloquia, lasciuè & vitiosè, ac turpiter dicta, quæ etsi eleganter & ornatè dicantur, tamen non mediocriter sed maximè lædunt. Quare, mundana eloquia penitus inutilia, quia vel temporalia & carnalia, vel superba & erronea sunt, & omnino vitanda & fugienda. *Somnium est animi* † *motus, &c.* Visio est quædam, phantasia, qua, quasi insensu & ferè manifestè visum est. Somnium est, quod (dormiendo) in phantasia imaginatũ est. Corporis verò immobilitatem, pausationem & quietẽ dicit, secundùm quam quiescunt dormientes, & corpus manet immotum, hoc quidem patiẽs, illud subsistens. Contemplatio, est non subsistens imaginatio, & apparitio quasi repente visa, & ad præsens resoluta.

† Melius exasperati.

Luc. 4.

† Contrarius est operibus nostris, Sap. 2. Mat. 12 48.

Odium, quid sit.

† Vetus Interpres, gaudet & epulatur: Illud imitatus (opinor) quod de Patre Prodigi narrat. Luc. 15. 32.

Carnalis amoris effectus.

† Vetus Interpres, vide, vide, ue, & Nulla rationabilis pietatis specie licet Monacho ad Seculũ retrouerti Gen. 8.

† Vetus Interpres, mẽtis.

Somnij definitio.

Contẽplatio quid sit.

De somnijs ex canonicis caracteribus magni Basilij.

Fiunt (inquit) somnia ex diurnis & quotidianis animæ motibus. Nam Dæmones nolentes, nos agere quod bonum est, multis machinationum industriis prohibent: Postquam verò incœperimus, moliuntur ne secundum Dominum perficiamus illud. Sed etiam hoc frustáti, vitiosæ actionis memoriis deorsum nos inclinare tentant: & in isto manifestè conuicti, phantasmatibus, nos, in somniis ad malignitatem agere conãtur: per quæ suæ ipsorum imbecillitatis cognitionem exhibentes eis qui viriles sunt & aduersùs se resurgere parant, non apparentes tunc vsque insidias venenantium Seductorum propalantes. *Qui verò eis nulla ratione credit*: Distinguitur motus in generationem & corruptionẽ, augmentum & diminutionem, alterationem, & localem imitationem, rectam, & obliquam, & circularem. A nullo horum, dormiens priuatur, nisi à locali motu, quamuis & quidam dormientes ambulare inuenti sunt. Cùm autem, multipliciter, somnia fiant, duabus tamen speciebus Somniorum quandoque attribuitur visionis qualitas. Estenim, quando, & quę nolumus, & quæ diligimus videmus eisdẽ reformatis imaginatione, Angelorũ ministerio. Est verò amplius, quando diuina visione mens nostra rationalis informatur, & de præcognitione futurorũ taliter docemus, vt patet de Scripturis. At enim secundùm hũc, magnum veræ sapiẽtiæ amorem ostendit qui spernit somnia atque contemnit: Multos enim errare fecêrunt somnia.

Multiplex motus distinctio.

CAP. 4.

Animæ propriæ perfecta Abnegatio: Abnegatio autẽ, est perfecta omnium rerum præsentium obliuio, & à propriis naturalibus voluntatibus verus recessus. *Confectum, dormiendo, iter*: Dormiens, quiescit à curis, nec curat de aliquo, ita, qui verè obediens est (siue in Mari nauigans, siue incidens in Latrones) de periculis non curabit, neq; præcepta discernet: scit enim diligẽter, quia in martyriũ imputabitur ei quod superuenerit periculũ, eòquòd obediẽtiã, sine humanæ prudentię discretione, cõpleuit *Obedientia, est depositio discretionis*: quòd præceptis (malis, apparẽtibus) obediat verè Obediens, sicut, qui proiecit filiũ suũ in furnum. *In diuitijs* vero *discretionis*, siue, *inter diuitias discretionis*, dicit, quia verè, virtutes diuinæ sequuntur subiectionẽ & obedientiã non discernentem, quemadmodum subsequẽter dicit: † *Ex obediẽtia, humilitas, ex humilitate, discretio, &c. Vel Animæ volũtatis*: Voluntas naturalis, est appetẽtia rationalis atque vitalis, in solis naturalibus dependens: ea verò est

Abnegatio quid sit.

† Infra, hoc cadẽ cap. aliquã multò ante finem.

Naturalis voluntatis definitio.

est de possibilibus & impossibilibus. Ex voluntate possibilium, est quæsitio & inspectio; deinde consiliũ, deinde diiudicatio & discretio, deinde affectio ad id quod discretũ est iudicio, deinde arbitriũ: deinde, post affectionẽ arbitrij, fit electio, quę dicitur facultas voluntatis post dilecti electionem, vel liberum arbitriũ. *Quicunque ad intellectualis.* Quicunque proprię voluntatis ad summum complacentiã spreuit & abnegauit, iste experientia didicit, obedientiã esse stadium intellectualis confessionis, & martyrij spiritualis pugnam, & Christi iugi patiẽtiam, depositionẽ peccatorum, in libro vitæ inscriptionem, pelagi fluctuãtis transfretationem: Vnde ad aliquid perfectius transire non cogitabit sine ea: quòniã autem consueuit Malignus, his qui sub obediẽtia sunt hanc inferre molestiam, videlicet vt seipsos paruipendant, eò quòd non habent ieiunium, nec orationem mundam, neque exercitiũ diligens, neque alia spiritualia opera quæ sunt in quiescẽtibus; enumerat iste Pater noster sanctus obediẽtiæ bona, ad quę omnia alia bona comparata, sunt nihil; quoniã obedientia adimplet horum omnium locum. Quæ cũ perfecta fuerit, ipsa, in tempore proprio, secũ omnia bona spiritualia portat, & ad variam introducit cõtemplationem, perfectionem & quietem, suos possessores. *Congressionis stadium:* stadium, est spiritualis luctæ profectus, & suauis odor bonarum operationum, in mortificatione volũtatum & sensuum carnis, indeficiens studium, & exercitatio humilis ad omne opus bonum, & meditatio præceptorũ Dei, & imitatio passionis & mortis eius. *Quicunque iugum christi:* Obedientiam intellige; Quia sicut per ipsam, à Christo Iesu redempti & saluati sumus, ita nos, per ipsam propriò & singulariter portamus iugum, ipsamque, Patris, martyrium dicũt, quia seruorũ Dei fornax & exercitatio est, & ad ipsam cõparata bona omnia quæcũque sensu proprio & voluntate fiũt nihil sunt. *Si verò aliàs fecerimus:* Alioquin (inquit) qui aliena peccata curiosè requirit & scrutatur, discernit suspicatur, & iudicat, & præsertim Præsidentis: non pœnitentiæ viam vidit, aut pœnitentiæ initium fecit, sed elationis & præcipitis viam tenet. *Nemo sine qua vitiosorum:* Multi enim, sine subiectione Deo placuerũt, sicut Paulus Eremita & Maria Ægyptiaca, & alij multi: quomodò ergo, sine ipsa, *nemo Deum videbit?* Dicimus ergo, quòd qui perfectè carnem spiritui subiicit, & conscientiæ stimulum possidet iudicem, & ei obedit, nihil sibi de propria voluntate relinquens, iste diuinis præceptis factus obediens, antequam visibilem obedientiam pertranseat, ad intellectualem pertingit quæ multùm excedit visibilem. Si anima, corpus, & spiritus, litteram, & gratiam Euangelij, Legem, & gloria, gratiam, & hanc, illa substituit & commendabilem facit. Et habes illos qui circa magum Antonium, per intellectualem obedientiam refulserunt, & quasi angeli per eandem Domino obediebant, solum cœlestia sapientes, quibus dignus non erat mundus. Præcedit ergo intellectualis obedientia visibilem, incomcomparabiliter: & sicut Sol, suo ortu, stellas occultat, ita intellectualis obedientia, visibilem. Quare, qui intellectualem non possident, sed adhuc sed vitiis molestantur, sine visibili, tanquam paruuli & sub nocte vitiorum proficere, vel saluari non possunt. Bene ergo dicit, *sine qua nemo vitiosorum videbit dominum Iesum Christum:* Quoniam ergo obedientia intellectualis, diuina illuminatione perficitur, & conscientiam possidet Iudicem, videndum est, quid sit conscientia. *Conscientia, est diuinæ scientiæ motus & operatio, cum nostra & in nostra scientia.* Conscientia, est scintilla Diuini luminis, in homine condito subseminata à principio, quasi quædam cogitatio feruentior, & illuminatiua, verbum seu rationem lucis in se continens, & ostendens ei bonum & malum: & hæc Conscientia, vocatur lex naturalis. Hic est puteus Iacob, vt dixerunt Patres, quem, Philistini repleuerunt. Hic, in Euangelio, Aduersarius dicitur, cui, quandiu in via sumus, consentire iubemur: consentimus verò, ei, cum eam custodimus ad Deum, per fidem & obedientiam, & amorem Mãdatorum, ad Proximum, per pietatem, patientiam, & humilitatem; Ad nos ipsos, per mortificationem sensuum, custodiam cordis & linguæ, & odium corporis & omnium visibilium & propriæ volũtatis; Ad materias & vsum rerum, per temperantiam & sobrietatem & earundem custodiam fidelem, ostendendo in eis, sicut in rebus sacris, Domini reuerẽtiam & seruitutem. *Qui subditus est:* Qui humiliter subditus est, non putabit se perfectè subditum esse aut obedire, quia obediẽtiæ opus immensum esse intelligit, qui verò, ex proprio sensu & voluntate aliquid facit, licet obedire appareat, tamen ipse contra seipsum onus suum portat: vnde, si is qui tali præest, hunc non arguit, sibiipsi & discipulo, causa periculorũ est. Propterea, Pater dicit, *super hoc, dicere quicquam non habeo,* quia verbo dubitatiuo, ipsum reum ostendit iudicio. *Ad cõfessionem, qua sine nullus remissione,* &c. Quia confiteri simpliciter peccata, tenemur ex necessitate Diuini mandati, patet ex Apostolicis Traditionibus & regulis ab eis propositis Ecclesiæ Catholicæ, per Spiritum sanctum: quorum Canones & instituta tenentes, Dei sacerdotibus (iuxta eorũ præceptum) peccata confitentes indulgentiam & remissionem accipere efficimur digni: propterea, qua sine, dicit Sanctus Pater, *nemo videbit Deum. Fratris vt in nullo, conscientia vulneraretur:* Multis modis, fratris conscientia feritur: extollentia & elatione, superflua prudentia, seductione, infidelitate, mendacio, fraude, deceptione, contemptu, liuore, murmuratione, detractione, vindicta, & reliquis quæ pariũtur ex istis. *Vt in grauissimam Animæ ruinam præcipitarer:* Grauissimum Animæ lapsum, non alium dicit, quàm extraordinariè ipsum gustasse, & furtiuè ac latenter comedisse ex his quæ animalia portabant, quod est peccatum grauissimũ, & penè inexpiabile esse magnus Pater noster Basilius euidenter declarat in Proœmiis Regulæ suæ: vbi ostendit quòd tali culpa inquinatus, quasi incorrigibilis erit. Vnde docet, quòd talis mali cõmissio vsque ad linguæ solius gustum, est penitus (sicut mortis obligatio) fugienda. Quia ergo iste furtiuè comedit, subinductum se in grauissimum Animæ lapsum asseruit. *Statue in cordis tui ianua, seueros Ianitores:* Duros Hostiarios, dicit speciales & generales Virtutes Animæ; scilicet, Fortitudinem, Prudentiam, Temperantiam, & Iustitiam. *Affige in Animæ ligno,* &c. Lignum dicit mortificationem carnis & crucifixionem cum suis

Obediẽtiæ maxima commendatio.

Spirituale stadium quod sit.

Obediẽtia Christi, non fuæ redemptionis & salutis principium extitit.

Obediẽtia duplex, intellectualis scilicet, & visibilis.

Intellectualis obediẽtia visibili excellẽtior

Conscientia quid sit. Isaaco inuidẽtes Palestini obstruxerunt, implentes humo puteos quos foderãt serui Abrahæ & Isaac, Gen. 26. 15. & 18. Mat. 5. 25. Luc. 12. 58.

Confiteri peccata sacardotibus tenemur ex necessitate diuini præcepti.

concupiſcentiis. Crucem verò Animæ, dicit mortificationem proprij ſenſus & propriæ voluntatis, per quam, Diabolum vincimus & pacem imperturbabilem poſſidemus. Nullam enim vtilitatem conſequimur de Crucifixione carnis, niſi figamus & confirmemus in ea mortificationem & crucifixionem proprij ſenſus & propriæ voluntatis. *Ad ineptam rurſus & inutilem ac ſpinoſam Orationem*: Non venuſta & non proficua, & ſpinoſa eloquia ſanctus Pater dicit quæ ſua ſunt: ſcilicet, non venuſta ſecundùm eloquentiam, propter ſimplicem & inordinatum modum dicendi: non proficua, ſecundùm mundanam requiem, & commoditatem: Spinoſa; ſecundùm aſperam narrationem & duram ſpiritualis vitæ Regulam, iuxta illud Euãgelicum, *durus eſt hic ſermo. Eſt quidem præclarum, labores Sanctorum admirari*. Quoniam Deus bonus, amator hominum eſt; multas ſalutis iuſtitiæ vias, Oſtendit nobis, vt non periremus ſed ſecundùm ſuam magnam miſericordiam ſaluaremur: quia non fecit hominem Deus, vt periret, ſed vt illi ſeruiret, & ſaluaretur: ideò vocationes hominum variæ, & donationes ipſius differentes. Hinc, alius, hoſpitalitatis amator, alius, quietis & remotionis ſolitariæ ſeruator: alius, conſolatur & exhortatur afflictos, alius cuſtodit linguam, & ſilet: Iſte ſemel in hebdomade paſcitur: iſte comedit omni die. Quare, hæc omnia ab vno poſſe perfici impoſſibile eſt. *Donec violentiam noſtram quam vult à nobis perpeti*. Vim inferentes ſunt hi qui diuina charitate ſunt plagati, & vim Deo inferunt per orationem & opera virtuoſa, & trahuntur diuino amore ad portandum iugum Chriſti cum corde humili & animo deuoto, qui ſeipſos violentant, ſecundum illud: Turbatus ſum & non ſum locutus. *Cùm corruiſſem, iterum reduxiſti me*: id eſt † poſt lapſum. Nec verò intelligas, lapſum à Deo ſeparãtem, ſed, lapſum qui (ſeruientibus & miniſtrantibus) ex negligentia, & ex obedientia imperfecta contingit. *Qui verò illum in cordis ſui latebris occultat*, &c. Sciendum eſt, quia non confeſſa peccata ſine formidine & timore aguntur. Auferre ergo Confeſſionis conſcientiam, eſt aperire peccatis famiã, & hereſim ſeminare. *Cùm is qui ſubiectus eſt, duos euaſerit laqueos*: Duo iſta, dicit inobedientiam & elationem *Præter morem ſolitum turbulentos*: id eſt qui facilè moueantur ad furorem & iram, inſtar molendini quod vi rotæ & aquæ morietur. *Neceſſe eſt enim cõuerti Mare & turbari*: Maris ſimilitudinẽ inducit ad oſtẽdendam vitioſæ mentis paſſionem, quæ ſicut Mare, à ventis intellectualibus, ſeu tentationibus & iniuriis & improperiis eorum qui ſub Præſidente ſunt, conturbatur & inflatur, & mouetur ab increpationibus quæ inducuntur ſuper eam, ad probationem & vtilitatem, à Fraternitate. Vitiis igitur interiùs tumultuantibus, &, iraſcibilem commouentibus ad iram, & rationalem confundentibus, nec ſinẽtibus quod eſt vtile conſpicre, & quod melius eſt tenere, velut expuens præaſſumptas ſordes Mare mentis, monſtrat quas vitiorum flumina primò in ipſam conduxerant, tempore videlicet tranquilitatis, & bonæ conſiſtentiæ. Nunc igitur neceſſe eſt, Mare turbari, quia, ex quo, humilitatis argumentum ex noſtra conuerſatione nõ ſumimus, tentationibus neceſſariò immergimur vt probemur & infirmemur, ac infirmati purgemur, ac perfectè humiliemur. Dicit ergo, neceſſe eſt, Mare † quaſſari & turbari. *Ex Obedientia, humilitas*: Obedientia enim, principium eſt humilitatis, quoniam qui ſe ipſum non condemnat ſicut deficiẽtem à virtutibus, ſub manu alterius eſſe non valet. Igitur, talis condemnatio contrahit & agit animam ad obedientiam: Obedientia autem, timore Domini firmata, generat humilitatem, humilitas verò perpetuò exulem facit elationem. Qui autem ab eadem eſt liber, & à reliquis eſt purgatus: quare domus impaſſibilitatis & munditiæ annuntiatur. Obedientiam igitur, humilitatem, & impaſſibilitatem, tribus adpropriat, ſcilicet Moyſi, Synagogę, & Mariæ: quoniam ſicut Mare rubrum tranſeũtes Iudæi, & ſuper victoria triumphalem laudem Dei canentes, eiuſdem laudis & victoriæ habuerunt Moyſen genitorem & actorẽ, & Mariam perfectricem (quidem excommuni vnam exiſtentem) ita & nunc dicit, in perſona Moyſi debere accipere, obedientiam, in ſignagoga, humilititatem, & in Maria, impaſſibilitatem. Moyſes, aqua, interpretatur, vel aſſumptus de aquis: Maria, interpretatur, lux, quæ de Synagoga originem traxerat. Igitur, in aſſumpto, de aquis, generatio & fœcundatio reliquorum, per obedientiam: Obedientia autem, humilitatis poſſeſſionem donat, Humilitas autem, impaſſibilitatis lucem præſtat: Impaſſibilitas verò, ſuper victoriam, laudem perfecit; Canticum, pro liberatione ab intelligibili Ægypto peccati, in lætitia cantans. *Vidi vt ait Iob*: habilitati & illegitimè naturali, & extrinſecæ compoſitioni morum, & apparẽtiæ fictæ honeſtatis, quibus occurrit turba, malitiæ varietas habet naturam colligari. Turbæ; quod apparet humile & morigeratum, & compoſitum ſecundum faciẽ, nominant & extollunt: propter quæ ſuperbi hypocritæ, & animoſi (dicit Sãctus) ex laudibus & elatione compũguntur, & pariunt lachrymas. Quæ conſiderans, quam maximè ſapienter & clarè, Pater iſte, variam eſſe malitiã determinauit. Sanè tardus quis & negligens exiſtens, aut in aliquo corporalium naturaliter idoneus apparens, complacuit multis, & de grauitate morũ & honeſtate laudatus eſt: quemadmodũ in aliquo corporaliũ, facietenus, quis idoneus naturaliter apparens, cõplacuit multis, Itaq; plerũque naturalis ſufficiẽtia aut diminutio, virtus animæ reputata eſt: remiſſus & inſolens. Mitis & inordinatus, & ea quæ ſunt ſpiritus deſerens, ſollicitus, acidioſus, & triſtis; Orator, linguoſus, & vanus: Animarũ ſaluator: A Dæmoniis illuſus, Cõtẽplator, & futurorũ prouiſor eſt habitus apud ipſos qui quod rectũ & vitioſũ eſt diſcernere neſciũt. Nimirũ (quia exultat in laudibus) cæcus ignorat ſeipſũ, & errat, falſo iudicis multorũ attendens, animam ex elatione & vanitate compunget, & dolens conteretur, & lachrymas pariet. Quare, Pater malitiam ſic multiformem & variam eſſe miratur. *Qui ſibi ipſi latenter perſuaſit. Latenter*, in corde (ait) bonum propoſitum firmare ſtude, & non pompaticè & apparenter os dilatando, loquaris. Qui enim pompoſè ſe laudat, & in ſe ipſo confidit & gloriatur, relaxatus à Domino caſtigatur lapſu: ſed mors animæ, malle mortibus peior exiſtit. Si ergo mors eius, peccatum

Ioh. 6.

Deus vult omnes ſaluos fieri.

Varia hominum vocatio.

Pſal. 76.

Hæreſim ſeminat qui cõfeſſionis conſcientiam aufert.

† al. concuti, & turbari.

Humilitas ex obediẽtia oritur.

Hypocritarum laudes à turba pendent.

Lapſu caſtigatur qui in ſe, non in Domino, cõfidit.

peccatum est,quãta vigilia & sollicitudo nobis aduersus peccatũ necessaria est? Igitur, qui nouit hęc, humiliter in spe & silentio seipsum roborabit, propter patientiam, ad perseuerandum in stadio conuersationis monasticæ:& licet offendat & peccet, iterum pœnitebit,& à necessitudinis sanctæ stadio nunquam recedet. *Si verò exierint aliqui*: Subaudi, à monumento professionis †Angelicæ vitæ,opere & affectu, obedientia Patrum reiecta. *Considera quia* immortali morte *mortui sunt* & separati à Deo fuerunt; quod omni morte corporali est peius, in infinitũ. *Cùm senserint fragiliores quique ac segniores, grauia*; &c. Quando igitur ad operationem manuum accedis;talem in teipso reforma cogitatum,qui Christo ministras qui præcepto & exemplo ad opera (vsque ad mortem) te informat. Operans, lauda Deum tuum lingua,mente recogita,intẽtione glorifica. Nam qui in laboribus & operibus est infidelis & piger;in oratione erit multò magis piger, infidelis& remissus. Sanè, Oratio nequaquam in corporis quiete dirigetur, sed in labore & actu. Amor quietis, Orationis est exterminium;& diminutionẽ virtutum prædicat, Mandata negligere. Hinc, Pater ostendit quod qui obsequium ministrationis(id est; operationis manuũ)incœptum illud vt fratrem adiuuet & quietet; à fratre rogatus, derelinquit. Opera manuum; vult & intelligit esse cælestia & non terrena:idcirco,nõ propria, sed communia ad vtilitatem indigentium vult esse. Reliqui verò; non ex charitate sed vitiosè,quę sua sunt malè quærunt, non quæ Iesu Christi. Sibiipsis attendãt, quia aliud est quod sumus, aliud quæ sunt nostra; aliud quæ circa nos, aliud quæ extra nos, & aliud quæ contra nos. *Plerique ex obedientium grege*; &c. Nunquam suscipias eum qui tibi subditus est, dicentem tibi ita mihi licentiam & potestatem ad talem operationẽ vel virtutem exequẽdam, & ita me ad id quod spirituale est permitte dirigere. Nam qui ita dicit; manifestum est,quia seductus propriam perfecit volũtatem,& optimæ obedientiæ fœdera spernit; & deceptus & illusus,meritum obedientiæ coram Deo perdit. *Sunt qui suscepto imperio*;&c. Horum vnusquisque,in proprio tempore,laudabilis est. Nam secundus,iuxta initiũ disciplinæ introductoriæ ad virtutes;melius facit, obediens inconstanter: adhuc enim,ex ordine probandorum,est. Primusverò;quia iam perfectioni appropinquat, & tempore longo obedientiæ ostensionem exhibuit; voluntatem Patris sentiens,bene facit non faciens quæ illum nolle nouit. Non enim vlterius,quasi seruus, rationalem seruitutem oblationem offeret;sed filius& amicus, voluntatem patris inuestigans,beneplacentem voluntatem perficiet. *Possibile non est vt Diabolus*, &c. Indignum & inconueniens est(ait) quòd Diabolus, suæ ipsius voluntati resistat. Ille enim omnem hominem negligenter & vitiosè viuere vult, & suam voluntatem,magis quam Dei, perficere: Si & ergo aliquos tales inuenerit, non resistet eis, quia si eis resisteret, suæ ipsius voluntati omnino resisteret. *Quod non iudicandi causa*, &c. Non ex suspicione (ait) iudico,hoc dicens, sed efficacem motum ostendo vitij præceptoris nomine sed non re, & passionem manifestè ostendo,iuuenis superascendẽtis Seniorum & Maiorum virtutes. *At cùm illum,à Rege, sigillum accepisse*, &c. Signaculum fidei, est Baptismus. Signa militiæ spiritualis,sunt,pœnitentia & lachrymæ quæ hunc repurgant: Scutum verò est mundi fuga, odium omnis delectationis vitæ præsentis: Gladius est fides ad Pastorem: Ensis,abnegatio proprię voluntatis: Arcus, oratio, per quam Dæmones sagittantur: Militare vestimentum,humilitas, & virtutum quæ ea sunt,amictus.

Securaque cuiusque suî cura: Quia de nullo terreno curat, sed pro se sibi sollicita quomodo sibi Deũ reconciliet, & salutem perditam per peccatum,inueniat, pœnitẽdo & lugendo festinat: & pro se sollicita, & pro se diiudicata fit, quia omnia quæ sunt Mundi, & seipsum puniendo contemnit qui est Pœnitens,& vigilanter ab omni iudicio elongatus, ex vera cognitione sui ipsius,extremo iudicio se dignum cernit. Per se igitur cogitatio diiudicata est, quia aliquo alio ad diiudicationem non eget, sed qui est pœnitens,ipse suî ipsius iudex & vindex est. *Ante quàm corruamus*, &c. Delectabile & dulce nobis proponit Dęmon,exterius, vt trahat ad peccãdum, peccati reatum, ferè nihil esse supponens: Deúmque benignum & misericordem esse suggerit,& asserit. In hoc est verè inimicus,quia intrinsecus, quod malum est, & amarum (mortem scilicet corporis & animæ)fraudulentus abscondit:quã post lapsum, vt desperare nos faciat, aduersus non insultãdo proclamat, vltor effectus, qui fuerat (nos seducendo) proditoriè inimicus. *Sæpè enim paruà munera*, &c. Nolunt Dæmones quod intelligamus,quam amarum est peccare & Deum offendere:Idcirco cum nos viderint appropinquare ad aliqualem sensum infinitæ amaritudinis absconditè, in peccatis nostris tunc instant& dicunt,quid teipsum conteris & desperas?neque enim tale, vel tale, vel tale peccatum(vt alii plurimi)perpetrasti. Oderunt nanque Dæmones, Spiritum contritionis, & falsæ spei gaudium in nobis seminare contendunt, vt taliter in nobis spiritum contritionis extinguãt. Tu verò non obedias eis:quia, sicut parua dona furorem iudicis frequenter mitigant;itaplerũque quę à nobis reputantur parua delicta (cùm fuerint sæpius iterata) simul aggregata Christum, nostrum benignissimum Iudicem, iustè contra nos in furorem surgere faciunt. *Moyses, cùm Deum vidisset*, &c. Signum conuersationis perfectæ & virtuosę,est videre ignem in rubo; Est enim inaccessibilis multis. Sed tunc ardet ignis in rubo, cùm mortificata caro pariter & voluntas, ea quæ sunt spiritus, sentiunt & diligunt. Sed plerumque humana fragilitas prolabitur ab altitudine spiritus,& succunbit in pugnis. *Sed nunquid qui corruit non adiiciet*? Sed, vt Dauid & Petrus,conetur vt non solùm resurgat sed altiora conscendat. Ostendit igitur Pater, exemplo Moysi & Iob esse possibile post lapsum, etiam ad impassibilitatem redire: cuius spei fiduciam, Diabolus, per negligentiam & otium colaphizat, dum in nobis opera (per quæ impassibilitas percipitur)explantat. *Attẽde quæso, diligentius*;& c. scilicet oculis mẽtis & Spiritus, quia sensuali delectatione seducti errauimus,sed via breuiori nos reuerti oportet:videlicet per humile sapere,&per humile verbũ, & cor cõtritũ,& syncerã confessionem& integram. Quoniam in humidis lignis,difficiliter ignis accẽdi-

† al. Apostolicæ.

Quietis amor, orationis est exterminiũ

Militiæ spiritualis arma, quæ sunt.

GRADVS V.

Pœnitens, sui ipsius est iudex.

Dæmonũ astutia, in alliciendis ad peccatũ hominẽ.

Dæmones oderũt Spiritũ contritionis.

Spes falsa extinguit cõtritionis Spiritum, in nobis.

Exod. 3. 2. Conuersationis perfectæ signum.

Eos qui negligenter, aut impiè viuunt nunquam diabolus oppugnat.

Psal. 40. 9.

tur, Penitus, in corde amante quietem & delectationes, ignis ſpiritus non ardebit: ſed in anima contrita & humiliata, quæ, labores, & delicias putat. *Luctus eſt ſtimulus Animi, aureus*: Hoc dicitur ad differentiam ſtimuli ferrei, qui pingit, terrena & vitioſa diligentes, per triſtitiam mortis, & eſt veneno mortifero plenus. Aureus verò ſtimulus, ſancta & lætificante triſtitia, & charitate diuina pungit, ad cæleſtia ſurſum ferens eos qui virtutes Chriſti & mandata diligunt, & fideliter ipſius mandata perficiunt. *Confeſsio, eſt obliuio naturæ*, &c. Eſt autem vera cõfeſſio, per diuinam ſcientiam exceſſus in Deum; ex quo, obliuio propriæ naturæ fit in eo qui, ſecũdùm Prophetam, obliuiſcitur comedere panẽ ſuum. *Sta in orationis præce*, &c. Quemadmodùm, ferro ligatus, currere non valet, ita & mẽs, vitiis ſeruiens, orationis ſpiritualis locum videre non poteſt. Nam qui, cum vitiis, orationem exequi conatur, à vitioſis cogitationibus & ſeducentibus intellectibus captiuatur. Legitimè ergo pugna contra immunditias; vt per munditiam, orationem inuenias. Et hoc ſcribe in corde tuo, quoniam amor delectationis & requiei eſt cauſſa ſeparationis à Deo. Cor enim quod iſta amat, eſt creaturæ ſterquilinium & ſentina. Nã amaritudo quæ abſcondita eſt in eiſdem delectationibus & quiete, in tempore exitus inutiliter ſentietur. Cor verò diligens labores, contumelias, & dolores, porta aperta eſt, qua in tempore exitus paſſim inueniet. *Sicut creatura*, &c. Per ſe motus, & ſemper motus eſt diuina prouidentia: alteratio motus, & faciliter motus eſt alteratio & motus creaturæ, qui nõ ſemper eſt motus. Dicitur autem compunctio cordis ex Dei gratia proueniens, alteratio motus, ad diffirentiam cõpunctionis ex ſtudio humano aduenientis, quæ eſt per ſe motus. *Illuſtratio† ineffabilis, eſt quædam efficacia*, &c. Non per luctum tantum, ſed patientiam tribulationum & tentationum probatur ſeruus Dei: & per veram mortificationem omnium ſenſuum corporis & animæ, mundatur ab inquinamento vitiorum: & per contemplationem & ſuſceptionem altarum Dei illuminationum, perfectus efficitur. Dominus enim *ex Syna venit*, id eſt, extẽtationibus & tribulationibus: *& illuxit nobis ex Seir*, hoc eſt, corporalibus laboribus & doloribus: *& requieuit ex mõte Pharan cùm millibus Cades*, id eſt, ex monte fidei, cũ infinitis ſanctorum ſcientiis. *Sunt materiæ quæ fontes noſtros*, &c. Sicut deliciæ gulæ, comeſſationes, vinum, mulieres, deliciarum vſus, & amor omnis ſenſualitatis & carnalitatis, quæ omnia, non ſolum ſiccant lachrymas, ſed exterminant omne bonum. Fuge igitur, fuge, qui religioſus es, delicias, vinũ, & mulieres, quæ tibi ſunt cauſſa peccati, & *apoſtatare faciunt ſapientes*. Nam & iuſtus loth, Noë, Dauid, & Salomon, per iſta præuaricati ſunt. Sunt & aliæ materiæ, ſicut amor principatus & honoris, & deſiderium laudis, nominis ſcientiæ, & ſanctitatis, quæ vacuũ ſapere in ſuperbiam extollũt, & ab omni virtute radicitus euellunt, & deorſum ad inferna proiiciunt per quæ & Diabolus ruit. *Vt virtutum materias, †materias Vitiorum*, &c. Matres virtutũ, ſunt, Prudentia, Fortitudo, Tẽperãtia, iuſtitia, quas aduerſarij dicũtur effici occaſionaliter matres malitiarum, non conuerſione ſed abuſu, qui eſt verè caſus ab eiſdem. Sanè, nimietate & deficientia, à virtutum medio recedimus: ſicut, à prudentia, per verſutiam & inſipientiam. Fortitudine, per temeritatẽ & formidinẽ, à tẽperantia, per incontinentiã & ſeueritatẽ, à iuſtitia, per auaritiam & falſitatẽ, & per zelũ iræ feruidum, & falſam pietatẽ. *Doceant te, hoc, Ieſus*, &c. Elias, & Iohannes, ſunt perfectæ conuerſationis typus & forma. Qui ſeorſum orantes, & à Mũdo ſolitaria loca, & à ſecularium tumultibus ſegregata quærentes & colentes: docuerũt perfectionis amatores, locum & modũ, ad virtutum ſtudiũ, pariter optima & neceſſaria fore. Et oſtenderunt quomodò locus, modo perfectè viuendi, pulchritudinẽ dat, & formã: Quare nõ modus ſolũ (ſicut quidã, ſimpliciter & malè dicunt) ſed & locus, ad virtutis operationẽ neceſſarius eſt, qui maximè confert ſolati & iuuamen, perfectionẽ quærentibus. Vnde & noſter aduerſarius (dicit iſte pater ſãctus) plerũq; mouet ad lachymas ſeruos Dei, ex aliqua cauſſa in ciuitatibus & inter tumultûs hominum conuerſantes, vt eos taliter decipiat, & Mundo appropinquare faciat, ac, ex hoc verborũ & cõuerſationibus, & operibus inquinentur. *Iræ vacuitas, eſt Naturæ ſuperatio*. Naturæ victoriã dicit, iræ & furoris omnimodã depoſitionem, & cõcupiſcentię mortificationẽ: naturaliter enim habent homines, iraſci & concupiſcere. *Iracundia, eſt ſubita cordis excandeſcentia*, &c. Ira eſt manens triſtitia, & perſeuerans impetus ad vindictã. Vel, ira, eſt habituata malitiæ memoria, cum odio contriſtantis. *Furor, eſt morum inconſtans motus*, &c, Furor: eſt ebulitio & accenſio & euaporatio, ad retributionem contriſtãtis, impetuosè prẽcipitans. *Quippe per atramentum Columbæ candorem demoliti eſſent*, &c. Qui ſecundum apparentiam longanimiter agit & Chriſtũ ſe diligere ſimulat, & (vſq; ad tempus retributionis) p ſilentiũ ſe occultat, & expectat vt malũ pro malo retribuat, quaſi per attramentũ, colũbã exterminat, quia charitatẽ & puritatẽ, quæ per colũbã ſignificatur, per tenebroſam memoriã malitię & nigrũ furoris liuorẽ, necat, cordis tranquillitate, & pace & longanimitate perdita, in qua Dei Spes quieſcebat. *Summa igitur aduersùm Serpentem*, &c. Serpentem appellat, irã & furorẽ, propter cor durũ, lethale, & malignũ. Durũ, quia furioſus, nũc iſtũ nũc illũ plagat, quia dũ, ſe, vitio per conſenſum & opus prauũ ſeruũ exhibet, occaſionẽ cõturbationis & ſcã dali ſingulis diebus (aduerſario cooperãte) reliquis præbet. Eſt autẽ ira, paſſio veſana, ſcientiã habentes infatuans faciliter, feralẽ conſtituens animã, & omnem, affabilitatẽ declinare faciens: & ex hoc dira lethalis & maligna: à qua mouetur vẽto vehemẽti, & furioſus conturbatur à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu. Caliginis euaporationes obſcurant aerẽ, & furiæ motus, mentem iracundi. Obtenebrauit Solem, nubes deorſum currens, & mentem, cogitatio vindictæ. Leo, in venatione, frequenter caudam mouet, & furioſus, in cella, cogitationes iræ. *Alia, in his qui adhuc rudes imbuuntur, ex fletu*, &c. Qui nouiter introducti ſunt, quaſi quodam fræno, lachrymis & ſuſpiriis, & obedientia, in ſubiecta mente, omnem iram & furorem ſtringunt & ligant. Qui verò ſunt perfecti, beata impaſſibilitate, quaſi gladio ancipiti armati ſunt & in ipſa occidunt & interimunt omnem iram, & furorem, & manent ab inſidiis

Veræ confeſſionis definitio.

Pſal. 110.

mens Orãtis, captiuatur à vitioſis cogitationibus.

Amor delectationis & quietis, ſeparat à Deo.

Eccl. 19. 2.

† Vetus Interpres, illuminatio. Tribulationibus probatur ſeruus dei.

Delicię exterminant lachrymas & omne bonum.

† Vetus Interpres, Matres. Virtutum matresque unt.

Ad virtutẽ non ſolùm modus, ſed & locus eſt neceſſarius.

CAP. 8.

V. I. Ira, eſt cordis turbatio. Ira, quid ſit. Furor quid ſit.

Cur ſerpẽtis nomine ira ſignificetur.

ab insidiis de reliquo liberi. *Sanctæ quidem Virtutes, Iacob scalæ comparantur, &c.* Congruè, propter subleuatiuum & sursum ferens ad cælestia: malitia verò comparatur catenæ, propter graue & impediens omne bonum, & vincíens, & deorsum grauans, & trahans ad cunfusiores mores & opera, & vna vni ansa coniungitur in catena, quia ex vna malitia cõtrahitur altera. Pulchrè autem catenæ cadẽti, à Petro Apostolorũ vertice, malitiã cõparat, quia, Dei gratia nobis possibile esse, declarat, per fidem feruẽtem & veram pœnitentiam (quæ signantur in Petro) eam à nobis abiicere, & ad virtutum libertatem redire. *Est istud quoque tenebrosum, &c.* Hoc (inquit) vitium præcipuè triste & magis tenebrosum est, tam inter omnia gignentia & non gignentia, quàm etiam genita vitia. Gignitur enim memoria malitię, ex furore: nã tumor cum furore, ipsam gignit, ipsa verò parit inuidias & homicidia: quare, dicit, eam, plus gignẽtibus, & non gignẽtibus, & genitis, habere tristitiæ. *Quocirca, et post suos maiores, &c.* Detractionis progenitores sunt, ista: ex furore, ira, ex ira, odiũ, ex odio, memoria malitiæ, ex memoria malitiæ, detractio, ex istis, inuidia, & sic tandẽ, homicidiũ. *Tenuis languor, &c.* quia, quasi nullũ delictũ, apparet detrahẽti, detractio, crassa verò omnino est, & quasi latẽs & abscondita animæ perditio. *Sicuti, quædam sunt adolescẽtulæ, &c.* Istę sunt, gula, ebrietas, fornicatio, scurrilitas, vana gloria. *Specula Hostium*: Quia nõ solùm ab impugnatoribus custodit, silentium in scientia, sed neque, eos appropinquare sinit. *Paucorum, reuera est, &c.* Materiæ obstrictione à qua prohibetur, & per abstinentiam, lingua ligatur: quod enim est cibus corpori bene habenti, hoc est, tentatio, animo virili & Deum diligenti. Ventus Aquilo, segetes nutrit & radicare facit, & tentationes, probant & roborant corda virorum sanctorum & animas. Nubes sine aqua, effugantur à vento, & vir linguosus, Dei iustitiam à se repellit. *Qui, cùm iocis ocioso que sermoni, &c.* Scurrilitas, est sermocinatio ioculatoria, & risum faciens, in quam, quis, multiloquio frequẽter præcipitatur. *Audientium luctus, miserabiliter demoliti sunt.* Audientes sunt, qui sunt in pœnitentia: est enim gradus exístentium in pœnitentia, qui dicitur plorantium, qui stant extra portas Ecclesiæ. Audiẽtes igitur hos dicit Pater, lugentes scilicet super commissis. Est igitur Apostolica traditio de diuisione & ordinatione Pœnitentium, purgandorum, & Catechumenorum. Sunt verò pœnitentium quinq; loci: Locus plorantium, cùm, Pœnitẽs stat extra ambitũ Ecclesiæ, & procidẽs, cũ fletu, ab ingrediẽtib⁹ postulat orationẽ, ante ipsorũ pedes prostrat⁹. Locus qui dicitur Audientium, ante portas, quę Basilicæ dicũtur, ad audiendum Officium, vbi pœnitẽtes diuinũ Officium audiunt: Subsequestratio, quæ est Statio Ecclesiæ, intra ambitum Ecclesię, in posteriori parte Ambonis. Vnde, &, qui ibi est, in exclamatione quæ fit ad egressuros, & ipse cum eis egreditur Consistorium, ibíque statuitur, qui vsque ad complementum sacri mysterij perseuerant. Statio verò cùm Fidelibus, fit participatio viuifici panis, & cõmunicatio & libatio Calicis Domini. *Cùm, à Mendacio, mundi fuerimus, &c.* Est autem (inquit) quando tempus vocat eum qui in omnibus & vbique verax est & simplex, commutare aut verbum, aut mortẽ, aut suppositionem, vt habes Dauid, Abrahã, Raab, & Samuelem in vnctione Dauid. *Qui igitur primum Mandatum seruant:* Qui ex timore Domini agonizat & luctatur vt Deo placeat, iste à timore carnali, & gula, & vanitate vitæ liberatus, conuersationem habet in cœlo: quia ex certaminibus, humilitas, ex humilitate, diuina illuminatio, ex diuina autẽ illuminatione, castitas aduenit homini, & ita manet regenerationis Christi filius, liberatus à contagio preuaricationis Adæ, & à maledictione Legis, *paulominus ab Angelis* per mortem minoratus, vt taliter humiliatus odiret & rescinderet peccatum, & esset ex virtute & gratia filius Dei. *Terrestríque Clipeus cordi,* id est, reconuersiuum & repulsiuum Dæmonum: ad differentiam Scuti paraclytij & angelici, manifestans, ex hoc, excellentiam futuræ gloriæ defensionis Spiritus sancti, & angelicæ dignitatis, quorum ministratione, quasi inexpugnabili scuto protegimur, & munimur. *Non qui carnis lutum sine sorde seruauit, &c.* Post lapsum primi parentis, corpus corruptibile dicit, cuius membra, spiritui subiicit qui sensibus vtitur secundùm naturam & diuinam seruitutẽ, & in nullo Deũ offendit, sed ad ipsum aspicit & imaginatur, & speculatur æternas & manẽtes pulchritudines quæ in regno illius sunt. *Ex Auroræ quippe candore, lux, &c.* In præsenti exemplo, vnum alterius conciliatiuum exístit: nam Aurora, lucis, lux, solis. Auroram verò dicit, humilitatem, Lucem dicit, diuinam illuminationem, Solem, dicit castitatem. Igitur, ex agonibus, humilitas, ex humilitate, diuina illuminatio, ex eadem, castitas. Primã comparat Lucifero secundam Lunæ plenæ, tertiam Soli. *Hi enim, ratione, veluti gladio quodã abscindere se, &c.* Quia principia vitiosarum cogitationum viriliter expugnant, & ab omni delectatione, & consensu, & opere malo recedũt. *Miserabilis quidẽ & ille qui corruit, &c.* Omnis qui verbo doctrinæ, aut exẽplo operis, seu pręcepto indiscreto vel iniusto, fratrem aut subditum in baratrum impellit & immergit, suiipsius & Proximi, coram Domino, reus est: vnde iudicabitur vtique, sicut mortis author & actor. *Aduertamus diligẽter, & vicebimus ipsos spirituales inimicos nostros, &c.* Sanè intendamus, inquit, quomodo inimicus, contra vnũquemq; iuxta quòd eum dispositũ viderit, prælių statuit: & in quo nos magis inclinabiles, & faciliùs posse capi cognouerit, in illo, suæ malignitatis laqueos tendit: vtputa, secundũ cõsuetudinem, aut ętatẽ, aut modũ, aut locũ, aut familiaritatis vsum, nec indecẽtes, sed cõsonas & possibiles faciliter adinuentiones & cogitationes immittit & casus parat, quibus vnumquemque impugnet, & leuiter supplantet & perdat. *Hanc, meam nec meam, &c. Meã,* quidem, carnem dixit, tanquam Animæ coniunctã, & ab ea delectam: *non meam* verò, sicut militantem cõtra animã, & eiusdem apparentẽ impugnatricẽ. Vnde Apostolus, propter scãdala animæ eueniẽtia per carnẽ & ex carne, eã mortẽ appellauit. Gregori⁹ verò Theologus, libidinosã, seruilẽ, & nocturnã vocauit corporalẽ generationẽ, vt cõcupiscẽtiæ & libidinis & noctis opus, & spiritualis & liberę generationis cõtrariã, ex ĩfirmitate & originali cõtagiõe. Neq; ex hoc, caro accusatur aut maledicitur, non enim

Cap. 13. Scholiorũ ad Gradũ 15.

Act. 12. 7 Petrus Apostolorum vertex.

Angelorũ ministerio, vt scuto, múnimur.

Cap. 10.

Detractio, est latens animæ perditio.

Cap. 11.

Cap. 12. Scurrilitas quid sit.

Audientes qui sint.

Plorantes gradus pœnitentium.

Caute lege

Mendacio

Tom. 5. RRr iij

ait, *corpus peccati*, ſed *corpus mortis*; videlicet, in ſeruitutem, à morte ſubactum, non autem mortem generans: quod quidem non eſt malignitatis carnis, ſed lapſus quem ſuſtinuit, ænigma. Et ſicut, à Barbaris captiuatus, non eſt Barbarus: ita corpus; mortis corpus dicitur, quoniam à morte victum & detentum exiſtit, & ideò non mors, neque mortis genitor corpus: quapropter nec ipſe poſtulat, à corpore liberari, ſed, à mortali corpore. *Quærendum cenſeo, quis maior ſit, &c.* Non morientes, ſunt natura angeli: His aſſimilantur qui, Chriſti gratia, ſuæ naturalis excellentiæ caſtitatem ſeruauerint: moriens verò & reſurgens, Chriſtus. Ex quo, iſte ſanctus conſolatur reſurgentes poſt carnis mortem, propter humilem & promptam pœnitentiam & obediẽtiam eos beatificans: inſinuans ex hoc, quia nullus vnquam hominum omnino ſine peccato, quãuis quidam nobis appareant, vitia & peccata fugiſſe. Non enim eſt homo qui viuat, & non peccet. Quare, concludit: qui beatificat eum qui ſecundum apparentiam eſt ſine peccato, fallitur, quia ſolus Chriſtus eſt ſine peccato, qui & mortuus eſt, & reſurrexit. Quis ergo eſt, qui peccati mortem effugit? quare nemo vtique eſt qui nõ offendat & peccet! Hi ſunt ergo qui beatificandi ſunt, qui per veram pœnitẽtiam reuocantur & renouantur. Videat ergo qui viam pœnitentiæ & religioſam elegit, quomodò ſecundùm Deum viuat: quia ſi ſeipſum perfectè à curis & delectationibus & vitiis, non mortificat, mendax effectus, quod promiſit negat, & à beatificandorum numero ſeipſum improbat omnino, ſi ſeipſum quãcitiùs per veram confeſſionem & pœnitentiam non emẽdat. *Quid eſt quod in aliis peccãtis ſeductus homo, &c.* Offendit quippe aliquis, & per ipſam viam qua perſus eſt, iterum rediit ad Dominum. Abnegauit enim (vt ſic dicatur) per linguam, & per linguam rurſus confeſſus eſt: rapinam manibus commiſit, & manibus iteratò diſperſit & dedit pauperibus, & in aliis ſimiliter. Qui verò fornicatur, non per illam viam qua cecidit, ſed per aliam reuertetur ad Dominum: quare, propriè, fornicatio, lapſus dicitur & non offenſio. Sanè, quia monaſticæ conuerſationi, hoc vtique (videlicet virginitatem, habere & obſeruare) ſupra cætera ſupremè proprium eſt, quod & vult prædicatio nominis Monachi, & promiſſio: rectè igitur, qui virginitatem corrupit, verè cecidit irritans quod promiſit. Quare propriè, fornicatio, tũ quia à naturæ integritate, tum quia à profeſſionis propriè propria dignitate cadit, lapſus dicitur & nõ offenſio. Ad hoc, qui contra opinionem offendit, exiſtimando quoniam rectè ſapit, † ſecũdùm ignorantiam percutitur plaga. Qui autem fornicatur, noſcens quia opus malum eſt, ſenſibus ex delectatione pereffluit, & non ex ignorãtia patitur. Et hæreſis quidem malum, in anima ſola conſiſtit, fornicatio verò, ex electione arbitrij animæ, malo cõſentiens, in corpore, corruptionis peccatum cõpleuit. Quoniam verò nihil eſt naturale quod impugnet eum qui ab errore conuertitur, totaliter, ex cõuerſione mundatur: qui verò ex fornicatione, tempore indiget, labore, & lachrymis, vt qualificatam & infuſam delectationem & plagam concupiſcentiæ auertat. *Auaritia ſiue cupiditas eſt idolorum veneratio.* Tria ſunt cauſſantia auaritiam: amor concupiſcentiæ, amor gloriæ, & infidelitas duabus crudelior, & alia multa. Sanè ſicut eſt impoſſibile, in idipſum ſimul conuenire vitam & mortem, eſt impoſſibile, pecuniam, diligentem, habere charitatem. *Auarus eſt Euangeliorum irriſor, &c.* Audiens Auarus Euangelium dicens, *Vende omnia quæ habes, &c.* Sicut impoſſibile, perfectionis verbum ſubſannat: &, ſi omnes vendant (ait) quis emet? Et audiens, *nolite cogitare de craſtino*, non credit, ſed voluntariè cõtradicit & preuaricatur. Si verò contriſtetur in aliquo: tempus iuſtitiæ eſt, non quando mala patimur ſed quãdo mala facimus, dicimus, & cogitamus. Nos verò, malè, tempus & ordinem commutamus, quia diligimus delicias & diuitias, & odimus paupertatem, & dolores, & labores, & tribulationes, & triſtitias, & paſſiones non amamus ſuſtinere pro Chriſto, vt regnemus in æternum cum ipſo. *Non illum audias, cùm tibi, Vt Epiſcopatum, &c.* Sanè, cordis confidentia & periculorum contemptus, ab vno iſtorum duorum penitus eſt: aut ex duritia cordis, aut ex multa fide ad Deum. Sed duritiam certè ſequitur ſuperbia, ſuperbiam, ruiña: Fidem verò, ſequitur cordis humilitas. Et humilitatis ſigna, humile & temperatum ſapere, & ſimplicitas cordis. Mẽs autem illuminata, & deliberatio ſancta & recta, cum gratia & dono diſcretionis, differentias Spirituum cognoſcere faciunt: ſine iſtis verò, Arundo vento agitata vnuſquiſque reperitur, nec ſine duce & eiuſdẽ perfecta obedientia, quis, à Dæmonum illuſionibus & inſidiis liber erit. *Atque ad manus †peruenientium, &c.* Attende tibi, ô tu qui eleemoſynam ſuſcipis, vt nullo modo recipias, niſi ea quæ mittit tibi Deus ex laboribus & fructibus iuſtis: & hoc, cum timore & tremore, tanquã de manu Dei, ad extremam tuam neceſſitatẽ. Quæ autem ſunt ex vſuris, & pugnis, & iniuſtitia, & fraude, & rapina, & tyrannide, tibi oblata, penitus de vita, ne & tu cum offerentibus damneris: & memento laboris, & afflictionis, & regularis iuſtitiæ patrũ: & manib⁹ tuis labora, vt iuſtè viuas. Laborabis autem ſecundum Patrum regulas, ex obedientia, non tibi, abſque murmuratione, vt per opus patientiam acquiras, & charitatis mãdatum impleas: vt & corporis & mentis puritatem, & inceſſabilem orationem inuenias, vt manuum tuarum opus & teipſum, oblationem offeras Deo, & ſalueris, quia beatius eſt dare quam accipere. Nam manibus, iuxta Apoſtolicam traditionem, & naturaliter (vt dictum eſt) laborare, patientem, humilem, miſericordem, iuſtã, vigilem, & verè pauperem conſtituit mentem. Et hoc eſt quod docebit te, præcepta Dei perfectè ſeruare: ſi in ſubiectorum & pauperũ fratrum congregatione, eis (tanquam Deo, & non tibi) ex obedientia & nõ ex propria volũtate, fideliter labores: quia taliter, catholicè & regulariter, & non vanè & vitioſè Deo ſeruies. *Caue ne Proditori † Vnquam obtemperes, &c.* In epiſtola ad virginem, ait ſanctus Athanaſius: Si manifeſtaueris vitam tuam, pariet hoc tibi vanã gloriam, & damnum patiêris. Si autem animam inueneris tibi conſentaneam, pariter quæ Dei ſunt facientem, huic quoque ſoli, in myſterio, teuela: Ibi enim non eſt vana gloria, quia qui loquitur vt animam ſaluet, multam mercedem accipiet; ſe habentibus deſiderium audiendi, loquitur vt ſaluentur. *Superbia, eſt Dei abnegatio*: Qui non ex ea quæ ſurſum eſt

Eadem via qua diſcedit à deo ad eum redit.

† al. per ignorantiã peruertitur & plagatur

Hæreſis & fornicationis comparatio.

Fornicationis cura difficilis.

CAP. 14. ad Gradũ 16. Epheſ. 5.

Mat. 19.

CAP. 15. ad gradum 11.

† melius peregrinãtium: vt legit, beatus interpres.

† V.I. Exterminatori.

CAP. 16. ad gradum 12.

Superbia quid ſit.

est sapientia,sed ex seipso aliquid se putat direxisse, A Deũ negat, qui eũ in omnibus protegẽs dirigebat: qua ex re,cadit,à gratia derelict⁹,quã spreuit. Infernus,est ignorãtia:perditio,est obliuio Dei,igitur ex ignorãtia Dei,est amor propri⁹; Ex eodẽ verò,gula, luxuria,vana gloria,&auaritia,&ex his vitia reliqua. Itẽ ex ignorantia Dei, est infidelitas,ex infidelitate, est inobediẽtia, ex inobedientia, impatiẽtia, ex impatientia, superbia quæ est inuentio Dæmonum.

CAP.17. ad Gradũ 23. *Desinamus tandem iudicare & condemnare Proximum*: Ex infidelitate quidem,inobedientia, ex inobedientia, impatientia,ex impatientia, propria complacentia de qua dicit Propheta: *Hæc via illorum scãdalum ipsis, posteà in ore suo complacebunt*: ex propria complacẽtia, B vana gloria,ex eadem, superbia,ex superbia,blasphemia,quæ est sẽsuum excessus, licet in simplicibus,sit blasphemia ex dæmonum inuidia. Est etiã blasphemia,ex iudicio proximi: iudicium verò proximi,est ex eo quod diligit quis facere proprias voluntates, & ex negligentia orationis, & ex ira, quæ sunt signa superbiæ. *Iustum ergo est & legitimum,ante Solem,Lucẽ illustrari. Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*, humanata veritas: à qua,primò illuminati, item ad paternum diem, per ipsam introducimur post ipsius contemplationem, nos qui sumus membra eius. Nam Mititas, à cõturbatione furoris & irę, humilitas, à falsitate, vana gloria, & C timore liberat mentem. *Resurrectionis aduersatio*:nam malignitas non permittit,per pœnitentiam resurgere à ruina & lapsu peccati. *Sensum atque affectum & vim,&c.* Vnum esse sensum Animæ,ipsa nos Sacrę Trinitatis operatio docet;propter inobediẽtiam verò Adæ,diuisus est in duas operationes. Huius verò spiritus operationem,vnam &simplicẽ à Deo fuisse factam, per Spiritum sanctum constat: quam nemo hominum scire potest,nisi illi tantùm qui(spe cœlestium) seipsos & omnia prætereuntia &delectantia, non solùm spernunt sed ex odio sancto Euangelico abominantur & obliuioni tradunt: quibus tantùm, gratia Christi &merito,diuinus ille sensus infunditur: ex quo & per quem mortui mundo, & in cælo D conuersari dicuntur. *Adiecit sermo, Thesaurum includere,&c.* Thesaurum istum diuinum humilitatis, secundùm Apostolum,in fragilibus & corruptibilibus carnis vasis Domini, asserit posuisse, vt sublimitas sit virtutis eius,& non ex nobis, cuius thesauri qualitatẽ,nullus sermo valet explicare: ex qua qualitate,humilis appellatur qui humilitatẽ habet,quæ inscriptio,incomprehensibiliter, thesauro circumposita est. Qua ex re secundùm inscriptionẽ & qualitatem omnibus ignotus est,multam verò & incõplebilem scrutationem & fatigationem exhibet his E qui sermone inscriptionem discere quærunt. Non enim verbis,sed simplici obedientia,&virtute,&abnegatione propria,& crucis baiulatione ad eã peruenitur. *Quicunque Dei spiritu aguntur*: Non ait, quicũque Spiritum Dei acceperunt per Baptismum, & posteà tepidè viuunt: sed, qui accepto Spiritu, sicut filij cælestialiter conuersantur, hi nobiscum ingrediantur,&c. *Humilitas est animi gratia,sine homine,&c.* Nõ dicitur ĩnominabilis,eò q, nõ habeat nomẽ,sed eò q, affectionũ & illuminationũ & sensuũ quorũ humilitas perfectionem tribuit, experiẽtia sola est magistra, & nominationis cognitionem donat verã

Signa superbiæ.

Rom.8.14.

Animæ duplex operatio.

CAP.18. ad Gradũ 24. Ioan.1

CAP.19.ad Gradũ 25

atq; scientiã, quà sibiipsis viles effecti, se corã Deo nihil esse sentiunt & cognoscunt. *Ego autem,Trinitatem in vnitate,&c.dico & adoro.* Sanè,sicut sancta Trinitas personarum,est in vna diuinitate, & vna Deitas,in tribus Personis: ita & pœnitentia,& luctus,& humilitas,sunt inuicem cognatæ & coniunctæ,&in diuina gratia inseparabiliter continentur, & gratia, vnum easdem facit & alterutrum coniungit, & mẽtem quam inhabitant,ad Deum sursum agũt.Hinc, Sanctus dicit: *Ego autem dico & adoro,&c.*

Trinitatis cum diuina gratia comparatio.

Vnus in omni creatura locus,&c. Chorus, est rubri maris profundum quod in transitu filiorum Israël semel vidit Solem: & vna cogitatio,id est,fixa mortis cogitatio,& meditatio æterni iudicij,& crucis & mortis Christi,multotiẽs peperit humilitatẽ.*Vno& solo die totus mundus exultauit,&c*, scilicet in die resurrectionis Christi,vel natiuitatis eius. Alij dixerũt de die in qua egressus est Noë,de Arca, cum vxore & filiis & vniuersis animalibus, & sacrificium obtulit Deo. Spiritualiter verò sic: rationes omnium existentium,in creatione productorum,in solo homine videntur,ex intelligibilibus,& sensibilibus factis. In die igitur priuationis huius à peccato,& resurrectionis in gratia, exultat omnis creatura: quia omnium existentium rationes,in ipso,proprietatũ suarum operationes, modum & pulchritudinem perfectionis ostẽdunt. *Prior enim,omnẽ diem indicat,&c.* id est,per superbiam inobediens factus,omnia præcepta soluit.*Nam post coniunctionem meam,&c.* Ei qui coniunctus est humilitati,non est imposita lex, quia secundùm quòd Abbas Isaac ait,humilitas non habet linguam,nec oculos,nec aures,sed nec alias animæ potentias,& corporis membra:quia neque mala facit,nec ab aliis facta sentit aut cogitat, sed tota pacifica & misericors, omnium peccata vt propria plorat,& sua solùm ponderat,& aliorũ culpas ponderare ignorat. Igitur libera, Legem transgrediens, sola,Euangelium Christi gratiæ & veræ libertatis, seruat. *Sunt & aliæ, magnifico huic Professori,&c.* Magnum possessorem,humilem,dicit:quia,qui humilis est,ex humilitate,omnis monasticæ & angelicæ conuersationis perfectionem possidet, in cuius anima sunt proprietates prædictę omnes,quæ spiritualium diuitiarum significatiuæ sunt: vna tantum excepta,quæ est secundùm illud quod humili placet, scilicet, abyssus vilitatis & proprius despectus: quia hoc à videntibus est absconditum: ipse enim in solo vilitatis abysso quiescit. *Humilitas est regni cælestis ianua*: Intellige de ingrediente monasticam vitam: quia qui per humilitatem,imitationeChristi,ingreditur vitam monachorũ,iste benè per portam ingreditur in eam,& exĩbit de præsenti vita cũ lætitia,& pascua inueniet in Paradiso. *Iuxta est,diuina misericordia*: misericordiam dicit, Gratiam quę est effectiua Humilitatis in Anima. *Ignominia verò hæc probat*: Sanè qui pro nobis passus est Christus,laborẽ posuit in suis pręceptis, vt vanitates maculantes purgentur,& mali mores & vitia,tribulationum patiẽtia commutẽtur, & per humilitatem euomatur superbia,confessione, & intentione & opere: nimirũ quia qui religiosam vitam promittit, & renuit mala pati,nõ per pœnitentiam Christum sequitur, sed (amore proprio illusus) opere negat quod verbo promittit,& non Christum sed vitæ labentis cõcũ-

*V.I.Chorus. Exo.14.

Gen. 8.18.

Quomodò sol⁹ homo dicitur omnis creatura.

Humilibus lex non est imposita.

Humilis, magnus possessor dicitur.

Cur Christus posuit laborem in Præceptis suis.

piſcentiam & ſuperbiam imitatur. Vana enim gloria, & ſuperbia, ſeruire peccato per proſpera & delectantia (quaſi licita) faciunt, & noſtram tepidam taliter voluntatem illudendo, inficiunt, & à bonis gratiæ, ſteriles reddũt. *Natura fert, vt ſterilitas defectúſque fructuum Cicerorum,* *&c. Hypocriſis obſeruantiæ mandatorum Dei, eſt, quæ facit Monachum huic ſeculo conformari, in mundanis operibus extolli, & variè implicari: quare, & ab Apoſtolo, qui talis eſt, non immeritò otioſus appellatur & ſterilis. Qui autem mandatorum Dei fidelis operator exiſtit, humilibus fructibus plenus, deorſum incuruatus, longanimitatis ramos ad ſubſannationes & illuſiones & excuſſiones ſuſtinendas, omnibus tradit. Naturam igitur vincens qui humilis eſt, altum ſapere neſcit; ſed humilitatis ſpiritu actus, illi ſe conformat qui ſemetipſum exinaniuit factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis. Hinc, ſanctus dicit, *quia arbores, &c.* [Nõ eſt, in Creatura paruum & magnum ignem. Natura videre: & non eſt, in Humilitate, materiæ ſpeciem aliquam penitùs remanere:] In ſyncera humilitate, materiæ ſpecies non remanet, quia perfecta humilitas nihil diligit vitioſè: &, omnium quæ ſub cælo ſunt, oblita, ſolũ, quæ ſunt Dei, ſapit & ſentit. *Si ſuperbia, ex Angelis, quoſdam Dæmones fecit, &c.* Ex Dæmoniis, Angelos, humilitas facere poſſe dicitur; ſi Dæmones humiliari valerent. Verùm, Dæmones impœnitentes & obſtinati manentes, non valẽtes humiliari, Dæmones manent. Nos verò cùm ſimus homines, etſi ſimus cadentes, pœnitere & humiliari valemus. Quare confidamus, & quoties cadimus per pœnitentiam iterum reſurgamus. *Nerui huius ac viæ ſunt, &c.* Quod enim ſunt in animalibus, nerui, hoc ipſum ſunt, ad ciuitatem pergentibus, viæ. Sanè, animalia, neque ſine neruis ſtarent; neque, ſine viis, homines ad ciuitatem pergerent. Hoc idem (ait ſanctus) eſt paupertas & peregrinatio, ſimiliter humilitati, & reliquæ virtutes, ſine quibus humilitas ſtare non poteſt: quia ad ipſam pergens, ſine his ad eam non perueniet. Nerui igttur & viæ ſunt, & non ſigna quæ numerat. *Is quidem qui tres hoſtes religioſa pietate, &c.* Octo malignitatis vitia eſſe nunc dicit, per quæ, nos Diabolus impugnat: ex quibus, qui tria deiecit, omnium victoriam obtinuit. Sunt igitur hęc illa tria, in quibus rex noſter Chriſtus in Deſerto omnem victoriam compleuit, ſcilicet Gula, Auaritia, & Vana gloria, proſternens ea per abſtinentiam, humilitatem, & orationem, accipiens angelos miniſtros. *Niſi priùs, in die Animæ, ſero fiat:* Sero & obtenebratio animæ, eſt negligentia, obliuio, & concupiſcentia. Etenim niſi per concupiſcẽtiam, in ignorantiam & obliuionem & inſolentiam inciderimus; ab operatione quæ eſt ſecundum mãdatum, non efficiemur exortes: niſi mens tenebreſcat, non dominabuntur ei vitia & paſſiones. *Perſuadebit tibi id, penitus, is qui, &c.* de Abbate Leone dicit; qui ſeipſum, in mortem, pro quodam Fratre liberando tradidit ſpontaneè: vel de militum Magiſtiano, qui in Corintho pro cuiuſdam virginis ſeruanda virginitate, martyrium elegit ſuſcipere. *Intellectualis mens, intellectualis etiam ſenſus, &c.* Intellectualem ſenſum & cognitionem habet; quem, in nobis & non in nobis exiſtentem, quærere non ceſſemus. In nobis eſt intellectualis ſenſus, ſicut cohærens & vnitus Menti in omni homine: non in nobis verò, quemadmodum paſſionibus opertus in vitioſis exiſtens, & ſine operatione manet incognitus & nuſquam apparens. Hunc, Sanctus, ex toto corde quęrere admonet; quia cùm in nobis fuerit, vitia vniuerſa repellet: quem & diuinum dicit, quia per Chriſti mortem & baptiſmum & Spiritum ſanctum quem effudit in nobis, reparatus eſt. *Pro purgandis ſordibus, obedientiæ bibiſſe poculum*: Sordem dicit aduenire & in carne fieri ex immunditia delectationum: Oculum verò animæ dicit intellectum, vitioſa affectione infirmatum & conturbatum. Sed hunc ſilentio adiuuari conſtat, eò quòd multiloquium, calorem ſpiritus extinguit in anima, & fluxûs facere, naturam habet.

Hinc Sanctus dicit; *Qui habet aures audiendi audiat. Itaque ſi mihi obtemperare vultis:* Si (inquit) vultis mihi obedire, dicam vobis quomodò Dæmonum infinitas pugnas fugietis. Vita, ex morte, requies, ex paſſione & labore, & gloria, ex ignominia Chriſti, data & nata eſt hominibus. Vtiliter horum memoriam tenet, qui diuitias, delicias, & altitudines vitæ huius prætereuntis, & requiem, & delectationes, & concupiſcentias fugit, ſpernit & odit; & verecundias, tribulationes, & dolores quærit & diligit, vt Chriſtum imitetur, ſine cuius amore nemo ſaluatur. Delitiæ (fratres) reſuſcitant vitia, & gloria & requies carnis, omnes malignas concupiſcentias quæ variant & diuidunt homines à Deo & Diaboli ſubdunt imperio. Qui autem odit eas, & abhominatur, & fugit; non variatur neque diuiditur à via Virtutum, ſed imitatur Chriſtum, & ex tota affectione adhæret ei. *Trinitate beatiſſima*: Auxilio igitur & gratia Sanctæ Trinitatis, & cõpugnare & reſiſtere tribus generaliſſimis vitiis valebimus; amori glorię, amori cõcupiſcẽtiæ & delectabiliũ, & amori pecuniæ & omnis cupiditatis: ſi tamẽ ad pugnã perreximus muniti tribus virtutib⁹, ſcilicet abſtinẽtia, charitate & humilitate: nam carnalem amorem interimit abſtinentia; amorem gloriæ, humilitas, amorem pecuniæ, charitas, ſicut communicatiua necat. *Eſt quidem perdifficilè eas perturbationes*: Vbicunque præſumptio uel præaſſumptio vel præcaptio, ſiue in ſingulari, ſiue in plurali numero ſcribitur in hoc libro; præoperatorum vitiorum non voluntariam memoriam & paſſionem, ſiue per auditum, ſiue aliter aduenientem, dicit. Vnde, præſumptio ſiue præaſſumptio; eſt, ex vitioſa operatione & conſuetudine, nobis immiſſa & aduenies cum abſtractione, tentatio. Et quoniam ex antè patratis culpis, mens & noſtra caro vehementer plerumque, vt cicatricibus ſauciæ, earundẽ memoriis quaſi plagatæ putreſcunt, & ſub multis tentationibus miſerabiliter incuruantur: ideò Sanctus dicit; *eſt quidem perdifficilè, &c.*

Timoris Domini exemplum: condeſcendit pater noſtræ infirmitati, & ex minimis, nobis, magna tradere conatur: erudiendo nos exemplo beſtiarum & amoris corporalis, ad poſſidendum diuinum timorem & amorem: & hoc quia perfectè Deum

* meliùs (opinor) V. l. quædam Arborum quæ dicuntur Cytri, &c.

Hæc deſũt in noſtra æditione.

Cap. 20. ad Gradũ 26.

Matt. 4

Multiloquiũ extinguit calorẽ ſpiritus.

Mat. 11. 15.

3. Vitia generalia, 3. Virtutib. expugnantur.

Deum timere & amare non possumus propter nostram prauitatem & infirmitatem. Si enim intelligeremus illud quod magister perfectionis dicit; *Nolite timere eos qui occidunt corpus, sed potiùs eum timete qui potest corpus & animam perdere in Gehennam*: Et illud, *diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo*, & quæ sequuntur: non iis vtique opus habemus. *Vidi item Agricolas*. In intellectuali Ecclesiæ vinea, monachus virtutes excolere vocatus est; quod non implebit, nisi cordis sui agrum ab omni inquinamento expurget, ac eum cum timore custodiat? *Malitia quidem aut vitium*. Malitia, est fallax iudicium eorum quæ intelliguntur & sentiuntur. Quod sequitur † abusus rerum. Malitia, est malignus vsus eorum quæ nobis in bonum à Deo data sunt. Vitium est motus animæ, contra naturam, vel ad amicitiam irrationalem vel ad odium indiscretum. *In duabus, maximè, generalibus virtutibus*: In abstinētia humili & obedientia simplici: quarum, prima quidem concupiscentias & delectationes interimit: secunda verò, per mortificationem, voluntatis interitum roborat. *Aliud est cogitationum custodia*: Custodia mētis, est, reformatas & immissas in mente per insultum, † cogitationes potenter expellere: seruantia verò mentis, est, ipsam omnino non receptibilem, à cogitationum insultu seruare, & in diuinis semper extendere & eleuare. Item, custodia mentis, est, agonibus & orationibus, species cogitationum repulsare: seruantia verò mentis; est incaptiuabile cor, & incurabilis Christi Iesu memoriæ. *Aliud est contra cogitationes orare*: hoc primum, est infirmorum & initiantium: secundum, est proficientium & † luctantium: Tertium; est perfectorum, & contemplantium, & inexpugnabilium. *Impossibile est per naturam*. Mens humana, naturaliter instabilis est & incorporea: quæ, tunc à suo motu & varia seductione stabilitur & necubi errando spargitur, cùm, Deo, per Spiritum sanctum vnita copulatur: Tunc enim omnia in Deo habet; quia vltimum verè concupitum, per requiem & contemplationem tenet. Vel sic iterum intellige: Anima incorporea, à corpore continetur, quod est, solius infinitæ sapientię ac potentiæ opus & manifestatio super humanam rationem & sensum: Sed multò ineffabilius est, quomodò per Spiritum sanctum Dominus in ea manet: quoniam, *qui adhæret Deo, vnus spiritus est. Sæpè, cupiditatis atque auaritiæ spiritus*: Suggerit Dæmon auaritiæ, non dare eleemosynam; sed per humilitatem, fugere vnitatem & nomen elemosynarij. Supponit enim, quòd ex hoc hominū complacentiā fugies: sicut vanæ gloriæ Dæmon, ad complacendum hominibus, pomposè & apparenter dare incitat. Sic Dæmon luxuriæ: Luxuriosos enim, ad tribuendum eleemosinam exhortatur & inclinat; Specialiter, virginibus & corpore famosis, vt (familiaritate taliter habita) cum eisdem, in foueam suæ perditionis cadant. *Quærendum, quis horum, altero fuerit humilior*: Omnino ille qui post labores, remunerationes accipit: est magis humilis. *Aliud est, peccatum, aliud ociositas*: Peccatum namque est, speciei, modi, ordinis, & dignitatis propriè corruptio: vel, peccatum, est diuinæ legis præuaricatio, & cœlestium inobedientia mandatorum. Otiositas, est, non laborare & non operari opera Dei sicut illis dictum est; *quid statis tota die otiosi*? Negligentia, est, operari quidem sed in solerter & indeuotè. Vitium, est, conformatio & conuersio per consensum & delectationem facta ad ea quæ nocent & illicita sunt. Lapsus; est, cùm ad Infidelitatem aut libidinem & passiones, lubricat corpus. *Sæpè fit, vt requies, per inimicitias*: Sæpiùs ex naturæ fragilitate, aut infirmitate, aut senio, aut ex obedientia patrum, requies non amata à seruo Dei (ait Pater) recipitur; quæ mentis virtutem, modica euigilat, & carnis libidinem non inflammat: sicut multa carnis mactatio, non humiliter & discretè facta, carnis motūs incitat propter elatum sapere, licet, humiliter ieiunātibus, hoc ipsum ex diuina prouidētia sanctus Pater similiter quandoque contingere dicat: vt perfectè humiliemur, & non confidamus in operibus nostris. *Hi quidem qui superna sapiunt*. Sine virtute enim & sine sapientia, nemo saluari potest. Vnde, omnis qui salutis sit particeps supernam hæreditatem actu seu contemplatione sortitur: & aliud medium non est. Qui ergo neglecta diuina summitate, seipsos ad corporis affectiones inclinant, aut qui viriliter & hostiliter contra vitia & Dæmones pugnare recusant: abstracti & illecti à corporali quiete, per segregationem, à virtute deorsum pergunt. Quare æterni regni possessio, solis qui superna sapiunt datur: nec est statutum filiis hominū medium aliud salutis, quàm per virtutem & scientiam superna sapere. † Quare nec inter morientes in vitiis & pecuniis, & migrantes ad Deum cum virtutibus & charitate; est statuere, ad pœnitentirm Deum placandum, cohabitationis medium, sed æterna vtrisque redditur mansio secundùm operationes & merita. Quapropter, Sanctus dicit: qui superna sapiunt, segregati à vitiis & corpore particulariter, à mente & affectu ad cœlestia redeunt: qui verò sunt deorsum; *id est*, qui in peccatis & vitiis conuersantur, ad Inferos pœnarū loca descendunt, nec ipsis medium ad meritum amplius tribuetur. Dicit etiam, quòd vnum creatorum in altero, id est, anima rationalis in corpore, accepit esse, & est: nimirùm, quia à corpore separata anima, naturam habet in semetipsa perfectè consistere: relinquens nobis inquirere, quare, Anima, peiori colligata est, quia & hoc ipsum cū prędictū sit rationes, quare anima cum carne ligata est, sunt istæ: Primò vt per agonem & luctam contra visibilia & concupiscibilia, gloriam promissam hæreditet: & quasi aurum in fornace, tribulationibus, & tentationibus, & doloribus cruciata, brauium virtutum accipiat. Sed & hoc fit ex summa Dei bonitate, qui disponit vt non tantùm suo dono & gratia accipiamus sperata; quinimò & electione voluntaria & cooperatione liberi arbitrij nostri, benignè nostrum fieri voluit quod bonū & suū est. Secundò, vt, quod peius est (id est: carnem) anima cogeret seruire spiritui, & omnibus sensibilibus superposita, dissolueret & destrueret omnem concupiscentiam; & malignitatem, & superbiam vitæ. Tertiò, quod Deus est animæ, hoc anima esset corpori, omnem à se animalitatem & feralitatem repellens, & quod Deo amicum est & beneplacitum quærens & tenens; nihil inconueniens & deforme aut inhonestum contra se prævalere permitteret, & oderit superbiæ malum, & altùm sapere fugeret; & humilibus con-

Matt. 10. 28.
Matt 22.
Malitiæ definitio.
† V. I. etiā legit, abyssus.
Vitiū quid sit.
† V. I. etiā legit, imaginationes.
† V. I. agonizātium.
1. Cōr. 6. 16.
melius, formosis.
Peccatum, quid sit.
Matt. 20. 6.
† Melius; sicut.
Cur Anima, carni alligata sit.

sentiret. *Tenet me vehemens admiratio*: Eò quod multò leuius est ad exequẽdum contrarij corruptio quam virtus, zelabile quidem & promptum negotium est filiis hominum, Animalitas: & ideò dictum est eis: *Filij hominum vsque quo graui corde*: & iterum, *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mẽdax*. Sanè, nil ita leue, vt fieri malos etiam si non fuerit ad malitiam nos quisquam agens, hoc enim est quod maximè circũuenit bonitatem, malignitas, rarum negotium, possessio boni, & ad bonum. Attendentes pauci, quamuis multùm sit quod aduocat & trahit ad istud.

Psa.113. Etiam nullo mõstrãte viã, proclines sumus ad vitia.

Et hoc est quod Aggeus Propheta dicit: *Interrogate Sacerdotes de lege, vtrum caro sanctificata sanctificet*. Et consequenter ostendens, quia difficulter est apprehensibile bonum humanæ naturæ; tanquam ignis, in aquosa & humida materia: parati autem ad mali participationẽ sunt plurimi; sicut stipula quædam, à scintilla ignis & vento accensa & cõsumpta. Soluit tamen Pater, quæstionem; ad mysteriorum secreta speculãda, nos inducens. Ait ergo: Si omnia creata seruant & habẽt q̃ naturaliter acceperunt in creatione; quomodò homo qui imago Dei inter creaturas est, carni corruptibili coniunctus est? subaudi, quia per liberum arbitriũ honoratus; Deũ inhonorauit; nec seruat quod accepit in conditione & factura, sed Dei aduersario suũ tradidit principatũ, Deo inobediens factus: ideò lucratur mortẽ, vt odio habeat peccatũ, & finẽ accipiat malũ; & fit benignitas, punitio; quia, taliter, adhærere Deo, eruditur. Quia ergo, per peccatũ, nõ sum illud q̃ cõditus sum; ideò concupiscentia & ignorãtia plagatus sum, & insatiabiliter appeto & concupisco quod malũ est. Sed quia semel penitus sum, & erudior quotidie flagellis; & hoc, ne dãnationis ęternæ iudiciũ incurrã; & Dei verbũ, ad me (suam imaginẽ) venit vt saluaret imaginem, & carnem faceret immortalem; & gratiã & potestatem dedit, vt fierem & essem filius Dei & hæres: Excusationẽ non habeo si ipsum non sequor, si ad ipsum non aspicio, si ad ipsum ex toto corde & affectu continuè nõ aspiro; quia ipse est Deus verus & vita æterna. *Sicuti varia sunt humanorum oculorum lumina*. Hîc, nouem differẽtias & varietates obumbrationis gratiæ spiritualis fieri à Christo in anima quę Deum diligit, narrat. Primam verò dicit, quæ fit per lachrymas corporales in spiritu conturbationis: Secundam, quæ fit per lachrymas deuotionis & amoris ad Deum, quas spirituales vocat; & hoc fit in spiritu pietatis: Tertiam dicit quę fit per oculos corporis, quando per ea quæ videntur, ad cognoscendum & laudandum factorem sursum agimur & leuamur secundùm Apostolum: Quartam verò dicit eã quæ est per intellectuales oculos, quoniam noster intellectus, intelligentia intelligibilium illuminatur, & ex nullo existentium, sed ignotè solùm circa diuina mouetur. Illam verò quæ fit ex auditu verbi illuminationem, ex fide, in fidei gustu factam dicit, cum manifestatione aliquali mysteriorum Dei: quę verò est à se mota, in anima, exultatio, illa est, de qua Iohannes dicit, *Quia vnctio eius docebit nos de omnibus*. Eam autem quæ ex remotione cogitationum est, discretionem dicit & seruationem, cum susceptione diuinæ illuminationis & scientię. Eam verò quę est ex obedientia virtutis & humilitatis, sensum intelligit esse, quem vitiis & Mundo crucifixi, à Deo nostro Iesu Christo accipiunt, nouámque per extasim Christo exhibet mentem supernaturalẽ abstractionem in Deum, dicit, per fortitudinis diuinæ potentiam, factam: quę symbolicè in Manna abscõdito & Stella matutina figuratur, & hanc nemo nouit nisi qui accipit. *Sapiens itaque magis vt matres aquirat*. Matres virtutũ dicit, Prudẽtiam, Fortitudinem, Tẽperantiam, Iustitiam, Fidem, Spem, Misericordiam, Obedietiam, Discretionẽ, humilitatem, & charitatem: Filias verò, eas quæ oriuntur ex his. *Qui non pulsatur bellis*. Qui vicerit Dęmones plagantes & percutientes eum, viriliter eis resistendo & repercutiendo eos atque plagando, licet plagetur, coronabitur. Plagas namq; suscipit qui tentatur, & plagas tribuit qui tentationes potenter impugnat & repellit: qui verò consentit, non tantùm plagatur, sed moritur & non coronatur: qui verò non consentit, ex virili resistẽtia, plagat Dæmones. Quare propter angustias & labores quos sustinet, coronabitur. *Tres noctes, in terra, cùm feciſſet quidam*: Tres quippe, sine vita, in terra fecit in vniuerso dies & tres noctes, Christus Deus noster: qui verò, ad imitationem Christi peccatum trium hotarũ vicerit, non morietur. Horæ tres sunt, in insultu tentationis & suggestionis, receptio, delectatio, & consensus, quas virtuosè vincẽs, nõ morietur. Vel horas tres dicit, iuuentutem, mediã ætatem, & senectutem, quas, & vigilias tres Euangeliũ vocat. Vel concupiscentiam carnis, concupiscentiã oculorum, & superbiam vitæ: id est, vanã gloriam, gulã, & auaritiã, quas, quis vincens, summatim omnia prostrauit vitia. Dicebat vero Patrum quidam, Quoniã ista tria timeo, Peregrinationẽ à corpore, præsentationem ad Deum, & iudicij sententiam. *Si quando, ex disciplina, diuina*, &c. Præuenit in benedictionibus gratiæ, seruos suos, amator hominũ Deꝰ, vt eos purget à vitiis & perfectos virtutibus faciat. Quare dicit Pater, quia propter prauitatem, infirmitatem & ingratitudinem, dispensatiuè relinquimur vt tẽtemur: quod Sol cognouit diluculo, id est, taliter nos intelligere fecit, hoc vtile nobis esse quia post multas obtenebrationes mentis & auaritias & crudeles vitiorum & Dæmonũ pugnas, afflicti mœrentes & humiliati, iidem incitamur à gratia, & in nobis roborati firmamur. Cùm verò cœlesti cõuersatione, per virtutũ habitũ, agiles & leues, à terrenis elongati fuerimus, tunc sedebit Dominus & requiescet in corporibus & animabꝰ nostris, & à perfecta in nobis habitatione omnis noster conatus & omne nostrum mortale sapere absorptũ de medio tolletur, & tũc verè erimus filij Dei, regnum & sacerdotium eius. *Quærẽdum verò nobis est, quot, quibusue modis*: In fuga fornicationis & omnium impugnãtium castitatem, in fuga delectationum gulæ & omnium aduersantium paupertati, in fuga honoris & omniũ quæ sunt opposita & cõtraria humilitati, & in fuga murmurationis, detractionis & iudicij, seruus Dei, possidet coronã. *Obtenebratio, fit causa Offensionis*. Ignorantia, obscurat, concupiscẽtia, offendit & cespitat, delectatio cui cõsentitur, cadit & moritur, per opus vero & per vsũ, fœtet. *Aliud est perturbatio*. Turbat cõcupiscentia, diffundit auaritia & solicitudo mundana, cæcat voluntas propria. *Nam omnis quoque qui in eadem Peccatá non incidit, dignè etiam Pœnitentiam egit*. Pœnituit sed non dignè. Qui enim dignè pœnitet, non

9. Genera obumbrationũ Spiritũs sancti in Anima quæ Deum diligit.

Agg. 2. 13.

1. Io. 2. 27.

Apoc. 2. 17. Apoc. 2. 28. & cap. 22. vers. 16.

Tria metuenda.

iterat lapsũ, sed æqualiter à se omnẽ mortis repellit casum. *Nobis tamen, omnem hilaritatem ostendentibus*: qui enim ex pusillanimitate pœnitet, & à bono proposito obedientiæ recedit vt solitariè viuat, hic bona congregrata, ex pœnitentia tali resoluit, quousq; sentiat damnum sui sensus ex misericordia reuocatoris cadentium Iesu Christi. Sanè, qui ad meliora per magis perfectam pœnitentiam ascendit, facta mala soluit: itaq; & qui ad peiora progreditur, malis mala apponens, apostasiæ & infidelitatis crimen incurrit. Vnde seruandum nobis est, quando & quomodo per amaram & asperam aliquam institutionẽ, à felle vitiosæ conuersationis (quasi poculo sumpto) sanemur, nec hoc quidem semper, sed tempore cõgruo. *Malisque sensibilium rerum affici*: Si quis ergo verè inuariabile mentis propositum, per orationem Deo vacantem & circa Dei intelligibilia eleuatum fortius est, ab omnibus sensibilibus, hic mortuus est & delectabiliũ vitæ obliuionem possidet. Viuit quippè Christo, qui sensibilib⁹ moritur: coruscatio præ insinuat Tonitrui sonum, & superbia annunciat aduentum vanæ gloriæ. Nisi fuerit anima inquinata superbia, non illudetur Dæmonum phantasiis. *Possumus, ex naturalibus rebus*: Id de ceruo & exemplo proprietatis ipsius dictũ intellige, vt & de Serpẽtis exemplo quod sequitur. *Nisi, per angustam & arctam ieiunij*: Qui vanæ gloriæ, gulæ & luxuriæ deseruiunt, & Dei verba prædicant, sunt sicut meretrices admonentes alios de castitate. Sicut longinqua est ab iis qui quotidie fornicantur, castitas, ita & ab illis, spiritualium virtutum sensus & contemplatio. Qui continet ventrem, diminuit vitia, & qui vincitur ab escis, auget libidinosas delectationes. Principium quidem gentium Amalech, principium autẽ vitiorum, gula: Ligna namq; multa, excitãt flammam, ciborum verò multitudo, luxuriam. Concupiscentia escæ, peperit inobedientiam, & dulcedo gustus, eiecit hominem de Paradyso: ita & monachus gulosus frangit castitatis fœdus, & à pulchritudine contemplationis eiicietur.

Non ignorantes, Canem quendam. Canem dicit vanę gloriæ Demonem, qui sua impudentia omnibus insidiatur bonis, & corrodit curiositate, & loquacitate & superfluitate, & ostentatione & malignitate, atq; corrũpit animas imprudentiũ. *Quietis amicus, est fortis quidam*: Quietis solitariæ amator egrediẽs de cella cum silentio, mansuetudine, oratione mentali, & charitate, non progreditur: verboq;, à spirituali animæ consistẽtia non recedit, licet videatur extra quietem solitudinis, corpore exire. *Obseruat quidem, murem † quæ hunc venatur*, &c. Murem intelligibilem, dicit homicidam Diabolũ, quem, intentio quiescentis vigilanter obseruat, sicut Cata, Murem. *Vt Monachus, alteri Monacho adiunctus*: Duos Monachos, hîc Pater, ponit: vnum, ab hominibus desolatũ, qui corporaliter dicitur & est solitarius monachus, aliũ verò à propriis voluntatibus & cogitationibus & vitiis separatum, quem spiritualem monachum & solitarium nominant, sicut, de iis quæ sunt tantummodò animæ, solicitum, & monachum monacho, id est, soli Deo assistentem. Sanè non sic liberatur à lapsu, qui corporaliter est solus, sicut monachus, prædicto modo, cum monacho habitans, quoniam ex octo malitiæ spiritibus, quinq; principaliter, Solitarios impugnant, videlicet, Acedia, Tristitia, Ira, Vana gloria, & Superbia: Tres verò, obedientes, Gula, Luxuria, & Auaritia. *Solitarius, est forma terrestris Angeli*: id est, secundùm quod est possibile, eum sequens, ab omni negligentia & pusillanimitate suã liberãs orationem. Qui enim gratiam Paracleti non accepit, non habebit Orationis permanentiam & perpetuitatem: cùm verò Paracletus fuerit in homine, tunc, sedens & ambulans, dormiens & vigilans, laborans & quiescens, solus vel cum sociis, loquẽs & tacens orat. Angelus, est substantia intellectualis semper mobilis, arbitrio libera, Deo ministrans, in natura immortale quod est accipiens & habens: cuius substãtiæ diffinitionẽ & formã, solus Creator nouit. *Cur, quæso, non tot, apud Tabennesiotas*, &c. quia maioris quietis, & amplioris remotionis, & nuditatis, & orationis, & silentij, Stithiothæ, & intelligibilis obedientię operatores & possessores fuerint, visibilis obedientiæ & vtilem & nocituram directionem, sub senioribus, absque cœnobiorum tumultu, in quiete cum reuerentia & perfecta mortificatione tenentes vsque in finem. Licet ergo magnũ sit, quietis solitariæ Angelicum opus, & maioris profectus quàm Cœnobia, verè purgatis à vitiis, non vult hoc dicere proptea magis infirmos, quos eadem conuersatio liquefacit tanquam caminus plumbum: Inest quippe infirmis vt plurimùm lædentium appetitus, quare sæpius recidiuant contraria sumentes, quia non est paruulorum, cibus perfectorum. *Immò, ne ipse quidem*: Ait, ipse quidem, quid sibi expediens est, cognoscet, nisi studium perfectum habuerit obseruantiæ mandatorum & virtuosæ conuersationis. *Mortis properatio*, id est, ex promptitudine & bona voluntate, per imitationem noui hominis, mortificationem carnis & vitiorum monstrare, nihilque commune habere cum Mundo, sed singulis horis desiderare mori, *& esse cum Christo*. Impossibile est habitum veræ charitatis esse in eo qui diligit aliquid vitiosè, sed neque oratio magis verò orationis macula, & in oratione eius, augmentum iræ, & furoris, & timoris, & elationis assumptio erit. Sciens ac prudens tacebo reliqua: subaudi, lapsus carnis, excessus mentis, & vexationes Sathanæ. *Exinanito enim felle*: id est, abnegata & mortificata & odio habita proptia voluntate, fit diminutio vitiorum. *Cum medium illud arripuissem*: Non clarè narrauit cõtemplationem, Sanctus, eò quòd noluit omnib⁹ talia reuelare: dicit autem, exequens orationem vigilanter & sine intermissione & pigritia, quod est medium trium operationum: *Inter medius effectus sum*: In mediis (inquit) effectus sum, videlicet Angelicis & intellectualibus Ordinibus, quod est medium Dei & hominum. *Ac sitientem me illuminabat*: & illuminatus tui ab eo (inquit) supernaturaliter. *Et ecce rursus erat in illis*: Et ecce (inquit) iterum mens erat in illis Superspiritualibus & immissionibus diuinis, & in ea quæ est circa ipsum contemplatione, non valens, ad principẽ omnis Creaturę Christum Deum, propter inaccessibilem lucem, sursum agi & extẽdi, ex hoc quod desiderabam contemplari. *Quidquidem in eo erat ante visibilem formam*: Interrogauit verò à quodam Angelorũ de Verbo ante assumptionem humanæ naturæ: à quo exclusus, iterum quæsiuit, quomodò nunc exi-

Signũ verò illusorum, contrariũ est.

Num. 14. 20.

Cap. 9. ad Gradũ 27.

V.I. murẽ vel Talpã.

Malitiæ Spiritus quinque, intesti Monachis.

Orationis Permanentia & Perpetuitas, est à Spiritu sancto.

Angeli definitio.

Scythiotæ, Tabennesiotis perfectiores.

ſtit? Et audiuit; *In propr is & non in iſtis:* à Principe viſionis, ſancto angelo, ſubaudi. *Et ego: quænam (inquam) eſt dextra Statio?* &c. Et iterum interrogauit, quæ eſt dextera, & thronus? & audit rurſus, impoſſibile eſt, aute, iſta doceri. Iterũ deſiderio tractus, rogat adduci ad illud tempus perfectionis in quo videat Verbum, ſicuti eſt: qui denuo audit, non eſſe viantis, hoc accipere & intelligere niſi prius abſorbeatur quod mortale eſt à vita, & imperfectio noſtræ corruptionis perficiatur ab igne Spiritúſſancti omnia conſumente. Eſt autem hæc viſio relinquenda ad interpretandũ, expertis. Pretereà exequens mediũ, orationis quæ poſt virtutũ habitũ, vitiorum emundatione præmiſſa mente perficitur; in medio virtutũ & contẽplationis factus ſum, inquit. Sunt enim Virtutes morales & purgati animi ſeu contẽplatiuę exẽplares ſeu intellectuales, ſicut ſunt contẽplationes immediatæ, mediatæ, & ſubiectę; quib⁹ ſunt cõſonæ exiſtentiũ actiuæ, cõtẽplatiuæ, vel intellectuales & tranſductiuæ. Eſt verò Virtutũ moraliũ finis, pietas vel cõpaſſio: virtutũ autẽ animi iã purgati ſeu contẽplatiuarũ, finis eſt irremiſſibile ad paſſiones & corporis depoſitio. Intellectualiũ verò ſeu exẽplariũ, Deiformitas & gratia. Virtutũ igitur gradus medius eſt, illuminatio & intellectualis explicatio: Ita, & cognitionũ mediarũ, mediũ ſunt, contemplatiua & intellectualia. Igitur, *medium exequens, in mediis factus ſum;* inquit: id eſt: perficiens & tranſgrediens actiuas & morales Virtutes, & à vitiis purgatus, & à corpore elongatus; in mediis factus ſum cognitionibus, contemplatiuis & intellectualibus: & illuminauit ſitiẽtem, ille *à quo omne datum optimum & omne donum perfectum:* & pugauit me Virtus quæ talibus operationibus præſidet, & omnẽ ab anima caliginẽ perſequẽs illuminationis immiſſionibus inſatiabiliter me ſitientẽ circũfulſit. Et poſt iſta? Iterũ erat in illis (ſubaudi, mediis) diuina illuminatio ſecundùm propoſitionẽ mentis. Et flãmantes affectus, cõpellunt amãtẽ interrogare à Principe viſionis, de veritatis viſione ſiue ſymbolis, & do Verbo ante aſſumptionẽ humanę naturę, & quæ conſequntur ſicut ſuperiùs leguntur. *Cùm procedis congregata cuſtodi:* id eſt; os tuũ, & cor tuũ, in loquutionibus cuſtodi; cauẽs populare virtutes: quia, ote inutiliter, indiſcretè & vanè aperto, Virtutes quæ mentẽ ad Deũ exaltabãt, perdũtur & volant & diſparent: *Ori enim procaci appropinquat ruina:* Silentium verò eſt Virtutũ cuſtodia; *Patientia, eſt vexationis quotidiè expectata diffinitio.* Secundùm menſurã humilitatis, datur patientia in tribulationibus & tentationib⁹, & ſecundùm patientiã, alleuiatur onus tribulationũ, & conſolationẽ, per eã pergens, participat, & ſecundùm conſolationẽ magnificatur charitas eius ad Deũ, & ſecundùm charitatẽ, poſſidet gaudiũ. Sanè, patientiam peperit ſpes & luctus, qui verò ſine his duobus extitit, Acediæ ſeruus eſt ad omnia piger. Nõ enim qui talis eſt, poſſidet feſtinantiã bonæ voluntatis, ſed in omnibus operib⁹ ſuis anxiatur & impotẽs fit, & putat impotentiã, tædiũ, & diſcraſiã Acediæ, infirmitatẽ corporis eſſe; & ita, ſeipſum ſicut infirmũ excuſat, gulæ ſeruiens & otio quoniã non habet feruorẽ boni deſiderij & feſtinãtiã & ſtudiũ ſalutis animæ. *Vnũ ſpiritum obſerua vigilantiùs:* Vnus ſpirituũ qui ſemper impugnat, eſt, fornicationis Dæmon, maximè, in incipientib⁹: & impugnantib⁹ ſeu proficientibus, eſt Acedię Dæmon. In iis autẽ qui appropinquant perfectioni, eſt Dæmõ vanæ gloriæ. *Nulli cui Turrim vel collam quietis ædificare,* &c. Turris, ſignificat perfectionẽ virtutũ cum ſcientia ædificatã. Quicunq; ergo operatus Actiuã vitã, perfectè, ad impaſſibilitatẽ habet aptitudinẽ, & diſpoſitus eſt acquiſitionẽ naturaliũ contẽplatiuarũ & diuinarũ Veritatũ & rationũ; per quas perficitur perfecta ſciẽtia, & cõpletur ædificatio turris, & quietis, & virtutum Chriſtiformium.

Quinam Dæmones quos oppugnent.

Prou. 16. 18. Silentium, eſt cuſtodia virtutum. Patientia datur ſecũdùm menſuram humilitatis.

Volo (ait) magis verba menti meæ dicere, &c. Senſus animæ, eſt inffabilis guſtus diuinæ conſolationis; qui cum charitatis pulchritudine fit. Quinq; igitur verba ſenſu ſuo loquitur, qui (per Spiritũſanctũ ſenſificatus) ſecundùm proprietatẽ dictarũ virtutum illuminationes, diuina incendia, & perfectiones intelligit, participat & guſtat in iis quæ dicit. Quinq; verba dicit omnis Doctor qui cõuenientia ſingulis ſenſibus qui in nobis ſunt, exemplo operis, & verbo doctrinæ, remedia apponit. *In ipſa enim, centuplum accipient monachi:* id eſt, diuina dona. Quod vero eſt inde: Videlicet gratiæ quæ per orationẽ miſericordibus monachis diſtribuuntur in eo quod eſt ex id eſt vita ęterna & bona incorruptibilia quæ eis retribuẽtur. *Ego vnius Subſtãtiæ duas, Eſſentias,* &c. Quaſi dicat, ego, differentes ipſas exiſtentes, vnius dico eſſe operationis & ſubſtantiæ. *Quod videns ignem & aquam:* Ignem ardentem, ex Deo deuotionem: &, aquam, lachrymas dicit. *Vno ſæpe verbo incautius emiſſo,* proptiæ commendationis & gloriationis. *Aliud eſt crebriùs, corde ſpeculari:* Viſitari quidẽ, eſt, ad propriam conſiderationem ex cõtritione ſuperueniente conuerti & contemplari, & congregare, & curam gerere de iis quæ ſunt ad Deum, in ſeipſo: Viſitare verò, eſt, aliorum, principatiuè & ſacerdotaliter emundare corda, & hoſtias acceptabiles multas Deo offerre, verbo, oratione & exemplo. Viſitare, eſt, continuè & fixè teipſum conſiderare, & ſine remiſſione inceſſanter conſpicere, & cenſus atque potentias animæ & corporis principatiuè congregare, & per indeſinentem orationem deuotè Deo offerre.

CAP. 10. ad Gradũ. 28.

† *Corde, Animo, & Spiritu:* Animam dicit, ſenſitiuas & vitales potentias, ſpititum verò, deliberatiuas voluntates & intellectuales affectiones. Spiritus etiam, eſt anima rationalis & intellectualis, & totum ſimul, dicitur Spiritus.

† V. I. Ote, Anima, & Spiritu.

Explicunt gloſæ ſancti P. N. Iohannis Abbatis Raythu, ſuper textibus Climachi.

S. EDMVNDI,

S. EDMVNDI, THEOLOGI PARISIENSIS ET CANTHVARIENSIS ARCHIEPISCOPI, AD CISTERCIENSES PONTINIACENSIS Monaſterij Monachos; Libellus, qui dicitur SPECVLVM ECCLESIÆ; Chriſtianis omnibus, vtilis apprimè & neceſſarius.

DE S. EDMVNDO CANTHVARIENSI ARCHIEPISCOPO, EX S. VINCENTII Beluacenſis Speculo Hiſt. lib.31. Cap.67. & deinc. Anton.par.3. Tit.19. Cap.10. & deinc. per M. D. L. B.

S. Edmundus, Abbendoniæ natus, in Anglia, patre Eduardo, matre Mabilia: quòd cùm ad S. Edmundi Martyris Reliquias oraret, deprehendiſſet primùm in eo vitalis ſpiritus primitias, & contra morẽ naſcentium, è cella ſuæ natiuitatis prodiiſſet mundus ita vt nil ſupra; Edmundus (à munditia) à matre nominatus eſt. Puer, cùm Pariſiis, bonis literis ſtuderet, Chriſtum vidit ſpecie infantis, & cũ eo eſt colloquutus. Arte ſancta, & munuſculis docuerat illum mater. 6. feria ieiunare in pane & aqua; donauerátque cilicio profecturum Lutetiam: Vbi, cùm digito Imaginis Virginis Dei-paræ annulum inſeruiſſet, nouo more illam ſubarrauit profeſſus Virginitatis illibatum florem ſe ſeruaturum. Quo in inſtituto; cùm alia multa caſtè fecit, tum libidinis furorem ex puellæ animo virginis proſſligauit. Monitus à matre in ſomnis, Theologiã eſt profeſſus, euaſitque in egregium predicatorem ſubtilimum diſputatorẽ, & Lectorem pium. Euectus ad Archiepiſcopatum Canthuarienſem; multa in eo, à Rege, Optimatibus, & Clero perpeſſus eſt, ita vt ſponte exularet (poſt multa ab eo facta diuinutus miracula) ne, ſi errata nõ corrigeret præſens, diſſimulatione probare videretur. Obiit Pontaniaci, in Gallia, 16. Kal. Dec. paulò poſt, Cathalogo Sanctorum adſcriptus ab Innoc. 3. & an. ſequenti, ſcilicet. 1247. de terra eleuatus. Atque in hoc quidem libello, præter leges Grammaticas paſſim vtitur poſſeſſiuis Pronominibus; Nominis impoſitionem in Baptiſmo, videtur facere neceſſariã ad ſalutẽ, cap. 14. ait, non curandum multiplicare ſæpiùs orationẽ Dominicã, cap. 17. Chriſti pœnam in Cruce fuiſſe maiorẽ pœna Inferni, cap. 23. S. Paulum citat, pro S. Iacob cap. 11. & pauca quædam alia videtur peccare, quæ cum minùs benè affectos poſſint nonnihil fortè offendere; tamen prudens Lector, ſubtiliter & accurate explicata (vt & totum hoc opuſculum) vehementer probabit.

IN NOMINE DVLCISSIMI DOA mini noſtri, Ieſu Chriſti, incipiunt capitula Libri ſequentis ſimplici ſtilo dictati ad euitandum curioſitatem, & ne quis dimittat interiorem ſanctitatem.

Quomodò homo debet reſpicere ad ſtatum ſuum.

CAPVT. I.

1.Cor.1.16 VIDETE *vocationem veſtram fratres.* Iſta verba Apoſtoli, pertinent ad homines Religioſos. Videte (inquit) ad quid vocati eſtis. Et hoc dixit apoſtolus ad excitandum nos ad perfectionem. Et propter hoc, quacunque hora cogito de meipſo die vel nocte, ex B vna parte habeo magnum gaudium, & ex alia parte magnum dolorem. Gaudium habeo propter ſanctam religionem; dolorem & confuſionem, propter meam debilem conuerſationem. Et illud non eſt mirum, quia habeo magnam cauſam: Nam ſicut dicit ſanctus Euſebius in vno Sermone, Venire ad Religionem, ſumma perfectio eſt; ſed non perfectè viuere in Religione, ſumma damnatio eſt. Et ideò tu qui viuis in Religione ſeu congregatione; ſequere viam perfectionis: & ſi vis tuam ſaluationem, relinque omnia quæ ſunt in hoc Mundo, & omnia ei pertinentia, & appoC ne tuam diligentiam ad perfectè viuendum.

Quid eſt perfectè viuere. CAP. II.

Perfectè viuere, quid ſit. PErfectè viuere (ſicut ſanctus Bernardus nos docet) eſt viuere amicabiliter, humiliter, honorabiliter; Humiliter, quãtum ſit ad teipſum; amicabiliter, quantùm ad proximum; honorabiliter, quantum ad Deum, ſic vt ponas totam intentionem tuam ad faciendum voluntatem diuinam: hoc eſt dictu; in omnibus quæ debes cogitare corde, vel loqui ore, vel facere opere per aliquem quinq; ſenſuum tuorum ſicut (oculis, videndo; auribus, audiendo; lingua, guſtando; naſo, olfaciendo vel odorando; manibus, tangendo; eundo, ſtando, iacendo, ſedendo) cogita ſemper in principio, ſi illa ſit voluntas Dei vel non. Si ſit voluntas ſua; fac tunc ſecundum potentiã tuam: & ſi non; ne feceris illud propter mortem tolerandam. Sed modo quæreret aliquis à me; quæ eſt voluntas Dei? Dico quod voluntas ſua non eſt aliud quam noſtra ſanctificatio: nam ita dicit nobis Apoſtolus: *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra:* Quod eſt dicere; voluntas Dei eſt quod vos ſancti ſitis. 1.Theſ.4.3

Quæ faciunt hominem ſanctum, & quomodo homo debet ad cognitionem ſui ipſius venire, in corpore & anima. CAP. III.

DVo, ſine pluribus, faciunt hominem ſanctum; videlicet cognitio, & amor: hoc eſt; cgnitio veritatis, & amor bonitatis. Sed ad cognitionẽ Dei qui eſt veritas, non potes venire niſi per cognitionem tuipſius: nec ad amorem Dei qui eſt bonitas, potes peruenire niſi per amorem proximi tui. Ad cognitionem tuiipſius potes peruenire per frequentem meditationem; ad cognitionem Dei, per puram contemplationem. Ad cognitio- Ars ſeipſum cognoſcendi. nem tuipſius potes venire iſto modo: cogita diligenter & frequenter qualis tu es, qualis fuiſti, & C qualis eris; primò quantùm ad corpus, poſteà quantùm animam. Quantum ad corpus cogita quod tu es vilior ſterquilinio: fuiſti enim generatus in tanto fœtore quod eſt pudor dicere & nominare; & abhominabile, cogitare. Natus fuiſti in magno peccato, vitam tuam duxiſti in magna miſeria; & poſt mortem traderis bufonibus, vermibus & aliis turpibus animalibus vt te deuorent & manducent. Qualis fuiſti & qualis es, debes quantùm ad tuam animam cogitare; nam qualis eris, non potes benè ſcire. Cogita & recogita quomodò tu feciſti magna mala & multa; & qualiter dimiſiſti multa bona & magna: cogita quandiu vixiſti

quantum recepisti, & quo modo in breue tempus tuum expendisti : nam quamlibet horam in qua de Deo non cogitasti, perdidisti. Reddes etiam rationem de quolibet verbo ocioso, de omni cogitatione ociosa. Et sicut non habes vnum solum capillum capitis qui non erit glorificatus, si fueris saluatus, ita nec euadet vna hora temporis tui, quæ non erit computata. O dei misericordia! Si totus iste Mundus esset plenus de minuto puluere, quis foret ita prudens qui posset iudicare quamlibet athomum per se, & diuidere quamlibet ab alia? Certe nullus! Sed Anima est millesies maior toto Mundo. Et si Mundus esset millesies maior quam nunc est; &, si Anima esset plena diuersis cogitationibus affectionibus & desideriis, quis posset ità rimari & inquirere cor suum quod posset cognoscere omnia quę intus sunt aut cogitare? Vide modo, frater chariſſime, quomodo habes magnam necessitatem considerare de tuiipsius cogitatione! Deinde intellige benè qualis es modo, quantum ad animam; quomodo habes modicum boni in te, modicum sensum, modicam potestatem: nam semper, die ac nocte desideras illa quę tibi non prosunt. Quam sepè fuisti deceptus; modo per dolorem nimium, modo per amorem inordinatum, modò per vanam gloriam, modò per indiscretionem & intemperentiam! Modò vexaris timore, modò eleuaris falsa spe: Ex alia parte quod tu es tam mutabilis, quod illud quod vis hodie non vis cras; & sæpè es languidus propter plura, & cruciaris sepè si illa non habeas, & postquam habueris illa ad tuam voluntatem, tunc es de eisdem multipliciter angustiatus & tædio affectus. Cogita etiam ex alia parte quàm fragilis es ad resistendum, quam promptus ad consentiendum. De omnibus his miseriis te liberauit Sponsus tuus & Deus tuus Iesus Christus, & quotidiè liberat plus & plus. Nam quando non eras, tunc te creauit, in anima, ad suam propria similitudinem, & corpus tuum, de tam sordida & fetida re quod inde abhominatio est cogitare. Formauit etiam tuos sensus & tua membra tam nobilia & pulchra quod nemo potest ista meliùs disponere, nec prouidere. Cogita nunc diligenter & cum affectu, tu qui amas tuos parentes carnales sic temerè, qui diligis eos sic charè & vehementer: si dicas quod amas patrem tuum & matrē, quia de carne & sanguine illorum generatus es, ita sunt vermes qui nascuntur ab illis de die in diem. Ex altera parte, ex eis non habes animam neque corpus, sed à Deo per illos. Parentes enim tui, ad peccatum te perduxerunt. Qualis ergo esses, si adhuc maneres illud quod de parentibus habuisti quando fuisti generatus ab eis in fetore & peccato? Ex alia parte, si diligas fratrem aut sororem aut alium de parentela tua, propter hoc quod sunt de eadem carne & sanguine de quibus tu es: per eandem rationem, amares vnam partem patris tui vel matris charius si esset abscisa à corpore, & hoc de veritate esset magis vltra modum. Si dicas, quod illos amas quia habent in carne figuram & similitudinem hominis, & quia habent animam sicut tu habes: tunc non est frater tuus carnalis propinquior tibi, quàm vnus alius: nisi in tanto quod tu & ille habetis ex vno patre carnali carnis vestræ exordium quod est, modicum fetoris, putredinis, & fetulenti. Ames ergo illum de quo omnis pulchritudo venit, & dilige ommnes homines spiritualiter, & cesses deinceps amare carnaliter, & sic certè debes facere.

Homo, quam frequenter fallitur & mutatur.

Parentes, non sunt amandi amore carnali.

De beneficiis Dei. CAP. IIII

SI consideres sapienter vlteriùs de bonis quæ tibi Deus sæpè fecit, & semper plus & plus facit, illum intimè diligere velles. Nam sicut dixi in principio, quando non eras, tunc te de nihilo creauit, & quando periisti, tunc te quisiuit, quando fuisti perditus, tunc te inuenit, quando fuisti in peccatis maledictus, tũc te redemit, quando fuisti damnatus tunc te saluauit, & quando fuisti in peccatis natus, tunc te baptizauit. Postèà quando peccasti viliter & tam frequenter, tunc te liberaliter & patienter sustinuit & expectauit, deinde dulciter te recepit, & in suo conuentu dulcissimo te posuit, & quando quotidiè malefacis, te corripit, & quando mereris pœnas, tibi indulget. Quando erras, te corrigit, quando titubas, tunc te docet, quando esuris, te pascit, quando sitis, te potat, quando friges, tunc te calefacit, quando cales, te refrigerat. Quando vigilas, te saluat, quando dormis, te conseruat, quando surgis, te sustinet, quando cadis, te reparat, quando sedes, te tenet, quando stas, te portat, quando vadis, te ducit, quando reuerteris, te dirigit, quando ad eum venis, te suscipit, quando ab illo recedis, te reducit, quando deuias, te reuocat: semper, quando malè tibi est, te confortat. Ista bona & multa alia tibi fecit dulcis Sponsus tuus Iesus & dulcor cordis tui.

Qualiter homo debet expendere tempus suum.
CAP. V.

PROPTER hæc bona & multa alia, debes semper de Deo cogitare & loqui, ipsique quotidie regratiari, & eum laudare, & hoc, tam de die quam de nocte, si aliquid sapias de amore. Et ideò, de mane, quando surgis de lecto tuo, vel media nocte, cogita festinenter, quot millia hominum perierunt illa nocte, in corpore & anima: quidam in igne, quidam in aqua, quidam in Mari, quidam in terra, & sic aliis multis modis: vt, alij spoliati, vulnerati, periclitati, occisi, subitò mortui sine confessione, qui descenderunt in perpetuam damnationem. Cogita etiam quot millia homini cecidertunt in periculo animę, in peccato mortali, sicut, in gula, luxuria, auaritia, homicidio, & in multis aliis malis & stultitiis. Et de omibus his malis liberauit te dulcis tuus Deus, absque tuis seruitiis & meritis! Quale enim seruitium sibi fecisti pro quo te ita custodiuit, & multos alios dimisit & reliquit. Nam si diligenter aduertas

ter aduertas quantum bonum tibi fecit; vndique & ex omni parte, ita inuenies illum, circa tuum profectum, occupatum; quam si nihil aliud faceret quàm nisi quod tibi soli intendere, & ad tuam salutem. Et ita videbis illum, propter te custodiendum, assiduum & curiosum ac si esset oblitus, per totum, Mundum istum, ad tibi attendendum. Et cum sic cogitaueris, leua manus & regraciare Domino Deo tuo, de istis & omnibus aliis bonis, isto modo.

ORATIO BONA.

Gratias ago tibi Domine Iesu Christe, qui me indignum famulum tuum. N. in hac nocte custodisti, protexisti, visitasti; sanum, saluum, & incolumen, ad hanc horam peruenire fecisti, & pro vniuersis aliis beneficiis tuis quæ mihi sola bonitate tua contulisti, & quia à principio huius diei vsque ad finem me peruenire fecisti, qui viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Alia Oratio generalis, pro amicis & inimicis, pro viuis & defunctis; pro omnibus consanguineis, & pro semetipso.

In manus tuas (domine) & sanctorum angelorum tuorum, commendo in hac die vel nocte animam meam & corpus meum, Parentes, fratres, sorores, amicos & inimicos, familiares, propinquos, & benefactores meos, & omnem populum catholicum. Custodi nos Domine, in hac die vel nocte, per merita & intercessiones beatæ Mariæ virginis, & omnium Sanctorum; à vitijs & concupiscentiis, peccatis & tentationibus diaboli, à subitanea & improuisa morte, & à pœnis inferni. Illumina cor meum de spiritu sancto, & de tua gratia: & fac me tuis semper obedire mandatis, & à te nunquam in perpetuum separari permittas: qui cum Deo Patre, & eodem spiritu sancto, viuis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Quomodo homo debet contemplari Deum in qualibet creatura. CAP. VI.

TRES sunt modi contemplationis. Primus in creatura; secundus, in scriptura; tertius, de Deo in sua natura contemplatio. Primo modo; nihil est aliud quam visio Dei in suis creaturis: & hoc potes videre isto modo. Tria sunt in Deo: potestas, & sapientia, & bonitas. Potestas attribuitur, Deo Patri; sapientia, Deo filio; bonitas, Deo spiritu sancto. Per suam potestatem, omnia creantur; per suam sapientiam, mirabiliter ordinantur; per suam bonitatem, quotidie multiplicantur. Potestatem Dei potes videre per omnem creationem atque multitudinem, suam sapientiam, per eorum pulchritudinem & dispositionem; & suam bonitatem, per illorum virtutem & multiplicationem. Magnitudinem creaturarum potes videre per suas quatuor dimensiones: scilicet per suam altitudinem, per suam profunditatẽ, per suam longitudinem, per suam latitudinem. Sapientiam Dei potes videre, si benè attendas quomodò dedit pluribus creaturis esse solum, vt, lapidibus: aliis dedit esse & viuere; vt, arboribus & plantis: aliis dedit esse, viuere & sentire; vt, bestiis: Aliis; esse, viuere, sentire, & intelligere; vt, angelis & hominibus. Nam lapides, sunt; scilicet non viuunt, nec sentiunt, nec intelligunt. Arbores & herbæ; sunt & viuunt, sed non sentiunt nec intelligunt. Bestiæ sunt, viuunt, sentiunt, sed non intelligunt. Homines; sunt, cum lapidibus, viuunt, cum arboribus; sentiunt, cum bestiis; intelligunt, cum angelis. Hîc debes cogitare diligenter, quomodò Natura humana excellit omnem creaturam. Ideò enim dicit sanctus Augustinus: Nollem habere locum Angeli si possem habere locum qui prouidetur homini. Cogita similiter, quomodò ille homo est dignus magna confusione, qui non vult viuere secundum suum gradum & conditionem! Nam omnes Creaturæ quæ sunt in isto Mundo; solùm propter hominem sunt creatæ, propter tria: Ad adiuuandum nos in labore, vt boues, & equi: ad induendũ & calciandum pro frigore & calore; vt, ligna, lanæ & coria: & ad nos pascendũ & sustentandum; sicut animalia, & blada terræ, & pisces Maris. Malæ creaturæ (sicut sunt, herbæ nociuæ & bestiæ venenosæ) propter tria sunt creatæ: Propter nostram castigationem, propter nostram emendationem, & propter nostram eruditionem. Nos sumus puniti, quando ab eis lædimur vel lædi formidamus: Et hoc est magna Dei misericordia, quod & nos vult castigare temporaliter ne puniamur æternaliter. Nos sumus correpti & emendati, quando cogitamus quod totum illud nobis euenit propter iram peccati: nam quando videmus quod tam paruæ Creaturæ possunt nobis nocere; tunc cogitamus de nostra fragilitate, & sumus verè humiliati. Nos docti & eruditi sumus propter hoc quod videmus in multis Creaturis mirabilia opera nostri Creatoris: nam plus valent opera formicæ, quantum ad ædificationem, quam fortitudo Vrsi vel Leonis. Quemadmodum dixi de bestiis, ita intellige de herbis. Vnde cùm clarè Deum respexeris in suis Creaturis, eleua cor tuũ ad Creatorem; & cogita quam magna est potentia, talia de nihilo facere & dare eis suum esse! Et quam magna est sapientia; illa, in tanta pulchritudine ordinare! Et quanta est bonitas; illa, propter nostram vtilitatem quotidianam, multiplicare! O quã magna Dei misericordia, quod nos sumus ita innaturales! Nos enim abutimur omnibus istis Creaturis, & ipse, eas propter nos creat! Nos illas cõfundimus; & ipse, illas gubernat! Nos, illas destruimus; & ipse, illas multiplicat! Dicas ergo illi, in corde tuo: Quia tu es, ideò illa sunt; quia tu es pulcher, ideò pulchra sunt; quia tu es bonus, bona sunt; te ergo iure laudant, te adorant te glorificant omnes Creaturæ tuæ, ô beata Trinitas!

Natura humana excellit omnem creaturam.

Creaturæ noxiæ, cur à Deo creatæ sint.

Te iure laudant, propter eorum bonitatem; te adorant, propter eorum pulchritudinem; te iure glorificant, propter eorum vtilitatem omnes Creaturæ tuæ; ô beata Trinitas vnus Deus; ex quo sunt omnia, per tuam potentiam creata; per quem sunt omnia, per tuam sapientiam gubernata! Tibi honor & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

Quomodo homo debet contemplari Deum, in sacra Scriptura. CAP. VII.

MOdò habes materiam quomodo potes videre in qualibet Creatura, Deũ: & hic est primus gradus contẽplationis. Secundus vero gradus contẽplationis, est in sacra Scriptura. Sed fortè tu qui es simplicis litteraturę quęres à me: Quomodo vnquã perueniam ad contẽplationem Dei in sacra Scriptura? Iam dulciter mihi attendas, & fortè tibi dicam! quicquid scribitur in Scriptura, potest tibi enarrari. Si ergo nescias omne quod scribitur, intelligere debes omne bonum quod à sapientibus tibi dicitur, & libenter audire. Et quando aliquid audis de scriptura, in communi sermone vel secreta collatione; attende si aliquid audieris quod valêre poterit ad ædificationem animæ, ad odiendũ peccatum, ad diligendum virtutem, ad timendum pœnam, ad desiderandum gloriam & istum Mundũ despiciendum, & versus alium, festinandum; quid sit faciendum, & quid dimittendum! Quantum illuminat tuum intellectum, in cognitione veritatis, & quãtùm inflammat tuũ affectum, in feruore charitatis! Nam de istis bonis, debes cognoscere quicquid est scriptũ secretè vel apertè. Ex sacra scriptura debes extrahere & cognoscere (quæ sunt septem) peccata mortalia & septem virtutes euãgelicas, septem dona spiritussancti, decem Mãdata dei, Duodecim articulos fidei, & septem sacramenta Ecclesiæ, septem virtutes & opera misericordiæ, & septẽ petitiones orationis dominicę, pœnas Inferni, & gaudia cæli.

De septem peccatis mortalibus & eorum speciebus. CAP. VIII.

Superbiæ, septem species.

SEptem peccata mortalia, sunt ista; Superbia, Inuidia, Ira, Accidia, Auaricia, Gula, Luxuria. Superbia, est amor propriæ excellentiæ, de qua nascuntur ista septem vitia: Inobedientia erga Deum vel, superiorem, hoc est dimittere illud quod est pręceptum & facere quod est prohibitum. Secunda species, est iactantia, quando homo se iactat & superbit de bono quod habet ex alio, vel de malo quod habet à seipso. Tertia species, est ypocrisis; quando homo fingit se habere bona quæ non habet, vel abscondit mala quæ habet. Quarta species est despectus alterius, quando homo minuit bonum alterius vt ipse melior apparere possit. Quinta species est arrogantia, quando homo facit comparationem inter mala sua propria & mala aliena, vt sua minora possint apparere. Sexta species est impudentia siue inuerecundia, quando homo non habet signum pudoris de malo aperto. Septima species est elatio, quando homo gaudet de malo proprio. Et hic scire debes quod tria sunt ex quibus homo fit superbus, videlicet, bonum naturæ; sicut, pulchritudo, fortitutudo, ingenium, nobilitas cognationis. Secundum, est bonum fortunæ; scilicet bonũ quod homo acquirit, vt, Scientia, Virtus, gratia, bona fama, & dignitas. Tertium est bonum temporale; velut, victus, vestitus, domus, redditus, possessiones, familia, equitatura, honor seculi. De inuidia nascuntur, alterius mali gaudium, & dolor boni alterius. Et hoc potest esse in corde, per afflictionem, vel in ore, per detractionẽ, aut in opere per substractionem boni vel incitamenti mali. De ira nascuntur, Irę, Rixę, Contentiones, inflatio cordis, verba praua, dedignatio, blasphemia. De tristitia vel accidia nascuntur malitiæ, rancor, mineæ, desperatio, Negligentia erga Dei præcepta, vagatio mentis erga illicita. De Auaritia nascuntur, dolus, periurium, inquietudo, violentia, & duritia cordis, contra misericordiam. De Gula nascuntur, inepta lętitia, Luxuria, immunditia, multiloquium, debilis intellectus. De Luxuria nascuntur, cęcitas cordis, instabilitas voluntatis, impetuositas, precipitatio, amor sui, odium Dei, affectus prętsentis seculi, error & desperatio futuri. Ista sunt peccata mortalia. Et benè dicuntur mortalia; nam tria prima, miserum peccatorem captiuum spoliant: quartum; ipsum verberat: quintum; eum prosternit: sextum; illum decipit: septimum, in seruitutem redigit. Superbia nãque, auffert ab homine suum Deum; Inuidia, suum Proximum; Ira, seipsum. Accidia, ipsum tormentat; Auaritia, præcipitat; gula, decipit; & Luxuria, in viliſſimam seruitutem eum ponit.

Superbiæ materia.

Peccatorũ mortalium soboles.

Peccatorum mortalium effectus in homine.

De septem Virtutibus euangelicis. CAP. IX.

REmedia contra ista septem Vitia ponit Deus in Euangelio, septem Virtutes; & ait isto modo. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*: & hoc est contra superbiam quę auffert ab homine suum Deum. *Beati mites*: & hoc est erga Proximum: *quoniam ipsi possidebunt terram*: scilicet perpetuam; & hoc est contra Inuidiã quæ tollit ab homine suum Proximum. *Beati qui Elugent quoniam ipsi consolabuntur*: hoc, est contra Iram; quæ tollit ab homine, seipsum. *Beati misericordes*; id est, qui miserentur aliis: *quoniam ipsi misericordiam consequentur*: scilicet à Deo: &, hoc est contra Auaritiam quæ de nullo habet misericordiã vel pietatem. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*; id est, poscunt iustitiam: *quoniam ipsi saturabuntur*: hoc, est contra Accidiam & Negligentiam. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: &, hoc est contra gulam quę semper cogitat de carnalitate & superfluitate. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*: Hoc, est contra luxuriam; nam luxuriosus, nunquam potest habere pacẽ cordis vel requiem mentis. Similiter, contra Superbiam; debet homo habere in corde, in verbis, & in operibus, veram humilitatem: contra Inuidiam; de bono alterius, gaudium; & de eius malo, dolorem; & erga

Mat. 5. Antidota cõtra mortalium Peccatorum, septem venena.

& erga quemlibet, amicitiam: contra iram; debet habere patientiam & manſuetudinem: contra Accidiam; agilitatẽ & fortitudinem cordis & corporis, in ſeruitio Dei & in aliis operibus bonis: contra Auaritiam, largitatem; vt det de bonis ſuis, pauperibus, ex bono corde, ſecunduum quod poteſt: contra Luxuriam; debet eſſe caſtus corde, corpore, & loquela: contra Gulam, debet habere menſuram in ſeipſo, cibi & potus; & maximè, potus. Nam per vinum, multipliciter, iuuenes perierunt; & virgines plures virginitatem amiſerunt, & multi boni homines & mulieres caſtitatem amiſerunt: ydropiſis & febris, gutta & apoſtema, dolor dentium, & aliæ varię infirmitates plures quam ſcio nominare, multotiens ex ſuperfluitate potus eueniũt. Iſta ſunt ſeptẽ antidota, contra prædicta ſeptem venena: ideóque accipe iſtas ſalutiferas medicinas, contra prædictas infirmitates mortiferas.

Incõmoda quàm multa ſequãtur ex vini potu.

A

B

De ſeptem donis Spiritus ſancti.

CAP. X.

IAM habes, infirmitates, & earum medicinas: Poſteà venit sũmus Medicus, & accipit ſuas medicinas, & curat homines de iſtis ſeptem infirmitatibus; & ipſum confortat in illis ſeptem Virtutibus, per dona Spiritus ſancti; quæ, ſunt, iſta: Spiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis; & ſpiritus timoris Domini. Per iſta ſeptem dona, docet Dominus noſter, hominem, quicquid fuerit neceſſariũ ad vitam Actiuam & ad vitam Contemplatiuam.

C

Et vide qualiter homo debet primò dimittere malum; hoc enim docet, ſpiritus Domini: & poſteà facere bonum; & hoc docet, donum pietatis. Et quia duo ſunt quę impediũt hominem benefacere; videlicet proſperitas & aduerſitas iſtius mundi (proſperitas enim decipit per blanditiam; aduerſitas; per duritiam) Ideò deſpicere debes proſperitates iſtius Seculi, ne deſpiciaris: & hoc te docet Spiritus ſcientiæ: & fortiter debes ſuſtinere eius aduerſitates, ne per eas mutêris; & hoc te docet ſpiritus fortitudinis. & iſta quatuor ſufficiũt ad vitam Actiuam: Alia verò tria Dona pertinent ad vitam Contemplatiuam. Nam ſunt tres modi Contemplationis: vnus in creaturis; & iſtum docet ſpiritus intellectus: alius eſt in Scripturis, vbi potes videre quid debes agere & quid dimittere; & hunc docet Spiritus conſilij: tertius modus eſt in Deo; & iſtum modum docet Spiritus ſapientiæ. Modò vide quàm prõptus eſt & aſſiduus Dominus noſter Ieſus Chriſtus circa noſtram ſanitatem.

3. ſunt quæ virtutem impediũt.

De decem Præceptis Dei.

CAP. XI.

POST hæc debes ſcire quæ ſunt decẽ præcepta Dei. Primum præceptum, eſt tale. *Vnum Deum adorabis, & illi ſoli ſeruies*: id eſt, adora Deum per rectã fidem, ſeruies illi ſoli per bonam operationẽ. Nam quilibet homo debet cum magna humilitate & deuotione ſeruire vni ſoli Deo: & ipſum fideliter adorare qui creauit, id eſt, ex nihilo fecit angelos, cælum quoque & terram: & debes firmiter credere, ſicut mortem; quòd Pater, & Filius & Spiritus ſanctus ſunt tres perſonæ, & vnus ſolus Deus. Hinc debes cogitare ſi Dominum Deum tuum fideliter adoraſti; ſi ſuper omnia ſibi ſeruiuiſti, ſi tua promiſſa ſibi reddidiſti, ſi tuam pœnitentiam veraciter perfeciſti; &, ſi quod ei in baptiſmo promiſiſti, ſibi fideliter reddidiſti. Per illud præceptum, ordinatur homo erga Deum Patrem omnipotentem. Secundum preceptum, eſt tale: *non accipias nomen Dei tui in vanum*. Nullus homo debet accipere nomen Dei ſui in vanum, iurando; ſicut dicit Apoſtolus Paulus: *ſermo veſter ſit, eſt, eſt, non, non*; ſine iuramento: Veruntamen homo poteſt benè iurare veraciter Regi & aliis hominibus, vt veritas ſaluetur & falſitas damnetur; & hoc, in iudício, iuſtitia, & veritate. In iſto præcepto prohibetur mẽdacium, falſitas, & iuramentum: & per iſtud præceptum, ordinatur homo verſus Deum Filium qui dicit; *Ego ſum veritas*. Tertium præceptum tale eſt: *Memento vt diem Sabbati ſanctifices*: hoc eſt; quodlibet Feſtum, ſtatutum per Eccleſiam, ducas cordis & corporis quiete & requie: nam ita ſonat hoc verbũ *Sabbatum*. Nam quilibet homo tenetur cuſtodire Sabbata quæ ſunt in nouo Teſtamento; videlicet dies Dominicos & feſta Sanctorum, & alia Feſta magna quæ ſunt in Eccleſia ſancta, ſtatuta & ordinata celebranda. Modò indulge pro Deo, ne habeas pro malo; & dicã tibi quomodo debes ſabbata cuſtodire. Si ſanus de corpore, ſurgas de lecto tuo, manè, ne dimittas pro frigore, nec pro ſomno, nec pro ſudore: nam quantò es magis grauatus ad hoc agendum, tantò plus mereris ſi illud libenter facias. Deinde debes ire ad Eccleſiã, & deuotè Matutinas dicere, vel ſine garrulatione dulciter audire Miſsã & omnes horas diei: Et poſteà ſi apud te fuerit aliquis Predicator proponens Sermonem facere; debes verbum Dei dulciter audire, & memoriæ commendare, & illud opere adimplere. Et cum fueris ad prandium, de bonis quę tibi Deus accommodauerit, libenter pauperibus diſtribue; & poſt prandiũ de omnibus beneficiis ſuis Deo gratias age. poſteriùs; non ibis ad tabernã & luctationes vel choreas, vel ad alios ludos vanos; nam de talibus, ſæpè eueniunt infortunia & peccata mortalia: ſed debes, miſeros & languidos viſitare; & ita, dies feſtiuales, in Dei ſeruitio finire. Et iſtud preceptum ordinat hominem ad recipiendum Spiritum ſanctum. Iſta præcepta inſtruunt hominem, quomodo ſe debet habere erga Dei Trinitatem, ad cuius ſimilitudinẽ, in anima creatur. Sed ſeptem alia, docent hominẽ qualiter ſe debet habere versùs Proximum. Quorũ primum & quartum in ordine, eſt hoc: *Honora patrẽ & matrem*: ſcilicet carnalem & ſpiritualem. Et hoc, duobus modis: ſcilicet quòd illis debes obedire & reuerentiam facere, ac etiam debes adiuuare ſecundum tuam poſſibilitatem, in omnibus quibus indigent. *Vt ſis longæuus ſuper terram* viuentium: Iſtud verum eſt, ſi deſideras eſſe longeuus vitæ æternæ, quod honores illos per quos habes tuam vitam tẽporalem. Nam qui nõ vult honorare illos per quos eſt; non eſt iuſtum quod ſit ampliùs id quod eſt. Quintum præceptum eſt tale: *Non occides*: ſcilicet,

Exod 20.

Iuramẽtũ quatenus ſit licitum Iac. 5. 12.

Feſta, quomodo celebrãda ſint Chriſtianis

Meditationes ſpirituales ad primum Præceptũ Decalogi.

D

E

Homicidiū est multiplex.

hominē. Hîc debes scire, q̄ homicidium fit multis modis. Est homicidium manus, linguæ, cordis. Homicidium per manus; est, quando vnus homo occidit alium propriis manibus; & quando ipsum ponit in loco mortis, sicut in carcere, vel in alio loco qui posset esse occasio mortis. Homicidium linguæ, est duobus modis; videlicet per imperium, vel per incitamentum. Homicidium cordis similiter est duobus; scilicet, quando homo cupit & desiderat mortem alterius, vel quando patitur mori & non liberat illum à morte si habuerit potestatem. Sextum præceptum est; *non mœchaberis*. Dignum enim est, vt qui vult habere vitam sine corruptione, in cæli gaudio; custodiat vitam sine corruptione cordis, in hoc Mundo. Septimum præceptum est istud; *non furtum facies*, & hoc est iustum: Nam qui vult vitam alterius conseruare & non disperdere; non debet illa tollere quæ vitam suam debent sustentare. Octauum præceptum est istud; *non dices contra Proximum tuum, falsum testimonium*: scilicet; cum illis qui volunt occidere illum, aut sibi aliquomodo nocere; & hoc iustum est. Nam qui non vult proximo suo damnum facere per se; nec debet alteri qui sibi damnum facit, consentire; nec consulere, nec auxiliari. Nonum præceptum est istud: *non concupisces vxorem proximi tui*. In quo, intelligitur quòd nullus homo debet concupiscere vxorem proximi, nec ancillam, nec aliquam aliam fœminam: & quòd è contrario, nulla mulier concupiscet aliquem virum vel hominem Mūdi, cum amore carnali. Decimum præceptum est hoc; *non concupisces rem Proximi tui*. Ista duo vltima præcepta, concordant ad alia duo præcedentia. Ista videlicet; *non mœchaberis*, *nec furtum facies*. Nam qui habet malam voluntatem & intentionem malam in corde suo, non potest se, diù, à malo opere abstinere. Ideò, si non vis facere luxuriam; tu homo non concupiscas alienam, nec fœmina virum cum mala cordis intentione. Et, si non vis furari, non concupiscas aliena in corde tuo. Ista sunt decem præcepta quæ Deus dedit Moysi in monte Sinay; quorum tria prima pertinent ad amorem Dei, & alia septem ad amorem nostrî & proximi.

De istis virtutibus, Fide, Spe, & Charitate vel amore & earum sufficientia. CAP. XII

VLTERIVS scire debes quæ sunt septem virtutes, scilicet Fides, Spes, Charitas, Prudentia, Iustitia, Temperantia, & Fortitudo. De vna verò & eadem materia, sunt decem Mandata siue præcepta, & istæ septem Virtutes: sed hæc est differentia; quia decem præcepta nos docent quid debemus facere; & istæ septem Virtutes nos docent modum faciendi. Tres primæ Virtutes, scilicet Fides, Spes, Charitas; nos ordinant quomodo debemus viuere quò ad Deum: aliæ quatuor, nos informant qualiter debemus ordinare nostram vitam in isto Mundo vt nos perducant ad gaudia cæli. Scire enim debes quòd nos omnes sumus propter vnum finem creati, scilicet ad cognoscendum, habendum, & amandum Deum: sed tria sunt necessaria ad perueniendum ad bonum finem; scilicet vt sciamus quò debemus tendere, vt ardenter desideremus venire, vt firmiter speremus illuc peruenire: nam magna stultitia esset homini, bonum opus incipere quod non posset consummare. Ex alia parte, si aliquis velit benefacere, oportet illum ista tria habere; scientiam, potentiam, & voluntatem: hoc est; vt sciat benefacere, possit, & velit benefacere. Sed quia non habemus scientiam, potentiam, nec voluntatem, ex nobismetipsis; ideò donauit nobis Deus Fidem ad implendum defectum nostræ cognitionis; Spem, ad implendum defectum nostræ potestatis; Charitatem, ad ordinādum nostram voluntatem ad vnum & aliud. Fides, nos ordinat ad Filium, cui appropriatur Sapientia: Spes, ad patrē; cui appropriatur potentia, amor & charitas, ad Deū Spiritum sanctū cui appropriatur bonitas. Et ideò, Fides nos facit cognitionem Dei habere: & ipsa cognitio nobis indicat quòd ipse Deus est mirabiliter liberalis, qui in tali modo, & tam largè nobis præbet de suis bonis. Et venit spes de eadem cognitione, quæ dicit nobis quomodò ipse est summè bon⁹. Venit tertia, quæ est Charitas vel amor: nam quælibet res, naturaliter amat bonum.

De duodecim articulis fidei. CAP. XIII.

HIc debes cognoscere qui sunt duodecim articuli Fidei, & septem sacramenta. Et scias quòd primus articulus Fidei, est quòd pater & Filius & Spiritussanctus sunt vnus Deus in essentia, & trinus in personis. Est, & fuit absque principio, & erit sine fine: qui etiam verbo creauit cœlū & terram & omnia quæ in eis sunt; id est, de nihilo formauit. Secundus articulus est, quòd Filius Dei fuit incarnatus, & accepit carnem & sanguinem de Virgine Maria, & de eadem Virgine fuit natus verus Deus & verus homo. Tertius articulus est, quòd idem Iesus Filius Dei & beatæ Mariæ virginis fuit passus, crucifixus, mortuus, & honestè sepultus. Istā passionem gratis sustulit & de sua bona volūtate. Vt nos redimeret ab Infernali captiuitate, anima sua descendit ad Inferna, cum deitate, corpore manente in sepulchro: & extraxit secū animas quæ in terra fecerūt suam voluntatem. Quartus articulus, est quòd idem Iesus Christus, verus Deus & verus homo, tertia die resurrexit à mortuis, in carne glorificata atque Mariæ Magdalenæ, eius Apostolis & Discipulis sæpiùs apparuit & cum illis loquebatur & comedit: & quòd nos per suam resurrectionem, cum eodem corpore quod in hoc mundo habemus, de morte ad vitam resurgemus. Quintus articulus est hic. Idē Iesus Christus, verus Deus & verus homo, ad cælos ascendit, & nos per illum ascendemus, si absque mortali peccato, de hoc Mundo capti fuerimus. Et de cælo misit Spiritum sanctum. Et in die Iudicij, inde venturus est iudicare in sua humanitate, viuos & mortuos, secundùm opera recepturos. Septem verò articuli qui sequūtur, sunt septem Ecclesię Sacramenta quæ sunt remedia homini contra peccatum Originale, mortale, & veniale.

Christi descensus ad inferos.

De septem Sacramentis. CAP. XIIII.

PRIMVM Sacramẽtum Ecclesiæ est Baptismus. Dominus noster Iesus Christus, in Iordanis flumine se fecit baptizari, ad sanctificãdum Baptismi sacramẽtum. Per virtutem enim verborum & Baptismi, effugatur diabolus ab infante, deletúrque eius Originale peccatum quod traxit à parentibus, & infunditur gratia in baptizatum. Et, si Infans fuerit in periculo, nec sit copia Sacerdotis, tunc, Laicus vel etiam mulier debet sic dicere: *Ego baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen*; Et ponere aquam super puerum, & imponere sibi nomen: & hoc sufficit ad salutem Infantis. Si aliquis Infans inuentus fuerit, & nescitur vtrum sit baptizatus vel non: tunc dicet Capellanus puero: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti* Illi qui tenent puerum ad fontem, docere debent illum, Orationem Dominicam, & Simbolum Apostolorum, quia nullus potest saluari nisi per Baptismum & fidem. Et caueat Sacerdos ne ponat puerum iterum in aquã, si fuerit baptizatus à Laico vel Sacerdote: ne fiat irregularis, & puer similiter secundum decretum. Secundum sacramẽtum est Confirmatio, quæ Spiritum sanctũ in Baptismo receptum confirmat & conseruat. Infra quinque annos ad vltimum, postquã infans natus fuerit, potest confirmari de manu Episcopi, & debet benè informari antequam fuerit confirmatus. Parentes itaque debent se custodire ne ipsimet teneãt suum infantem coram Episcopo, ad confirmandum. Tertiũ sacramentum, est pœnitentia, quæ delet omne peccatum actuale, veniale, & mortale. Istud sacramentum constituit Filius Dei, qui de cælo in terram veniens humiliter, fecit pœnitentiam non pro se, sed pro suæ gentis saluatione. Et sanctus Ioãnes Baptista prædicauit *pœnitentiam & remissionem peccatorum.* Pœnitentia enim cum cordis contritione, oris confessione, & operis satisfactione, & cum humilitate, expellit Inimicum, à corde pœnitentis, & destruit mortale peccatum, & attrahit hominem ad suum creatorem, & ducit hominem ad magnum gaudiũ & claritatem. Quartum, est Sacramentum altaris, quod confirmat pœnitentem, & cõfortat ne recidiuet, & iterum in peccatum cadat, ipsúmque reconciliat & sustentat. Cùm enim Iesus Christus cœnauit cum discipulis suis chariſſimis, ordinauit idem sacramẽtum in commemorationem suæ passionis: & ideò quilibet Christianus, ad minùs semel in anno debet communicare, scilicet in die Paschæ, cum magna deuotione. Quintum sacramentum est, Ordo, qui cõfert potestatem, ordinatis, ad faciendum suum officium, vt ad sacra celebrãdum. Dominus namque Iesus optimus Deus, dedit potestatem Sacerdotibus, & prælatis Ecclesiæ, vt alios adiuuarent & in fide informarent, & ligarent & soluerent, scilicet, à peccatis: & vt Sacramenta illius ministrarent, & præcipuè sacramẽtum Eucharistiæ quod conficitur per virtutem verborum ab ore Sacerdotis prolatorum. Nam in tribus, sunt virtutes: scilicet in lapidibus, herbis, & verbis. Sextum sacramentum, est matrimonium, quod excludit mortale peccatum in opere generationis inter virum & mulierem.

Luc. 1. 77. Pœnitẽtiæ fructus.

Christiani, saltem in Paschate, obligantur ad Cõmunionẽ corporis Christi.

Sacramẽtũ Eucharistiæ conficitur virtute verborum.

Deus qui est summè bonus & summè sapiens, ordinauit in Paradiso terrestri inter Adam & Euam, sacramentum matrimonij. Matrimonium, est inter virum & mulierem coniunctio tam fortis quòd non possunt separari in sua vita, nisi per iudicium sanctæ Ecclesiæ, aut per mortem.

Deus etiam omnipotens ordinauit Matrimonium, propter filiorum procreationem, & propter castitatem seruandam: veruntamen, coniugati, debent tempus & horam, cum magna diligentia obseruare.

Matrimonium cur à Deo sit institutum.

Septimum sacramentum est Extrema vnctio, quad alleuiat infirmos in periculo mortis, à pœna corporali & spirituali. Et ideò postquam accepit aliquis sacram vnctionem, magis debet esse assiduus in diuina contemplatione.

Vnctio minuit pœnam corporalem & spiritualẽ.

De quatuor Virtutibus cardinalibus.

CAP. XV.

POSTEA debes scire quæ sunt quatuor Virtutes cardinales, per quas, tota vita humana est gubernata, & in isto mundo custodita. Et sunt istæ: Prudentia, Iustitia, Temperantia, & fortitudo. De istis quatuor, dicit Spiritus sanctus in libro Sapientiæ, quod nihil est istis vtilius homini, in isto mundo: Et vide causam quare.

Nam quicunq; voluerit bene facere, primò, oportet quòd sciat eligere bonum, à malo; & de duôbus bonis, melius: & illa virtus, vocatur prudentia. Et quando elegisti bona, de malo; aut de duobus bonis, melius: & tunc debes relinquere malum, & facere bonum; & dimittere minus, bonum, & facere maius bonum: & hæc virtus, Iustitia appellatur. Et quia disturbant & impediũt hominem, benefacere & malum euitare: videlicet prosperitas istius seculi, vt ipsum decipiat per falsas suauitates; & aduersitas eiusdem, vt illum opprimat per duras asperitates: ideò, cõtra prosperitatem debes habere mensuram & discretionem, ne nimis sis elatus: & ista virtus, vocatur temperantia: & contra aduersitatem, debes habere audaciam animi, ne sis deiectus; & ista Virtus, nuncupatur fortitudo.

Vtraque fortuna abstrahit hominem à studio virtutis.

De septem Operibus misericordiæ. CAP. XVII.

CONSEQVENTER debes scire quæ sunt septem Opera misericordiæ. Primum est, cibare esurientes; secũdum, est potare sitientes; tertium est, vestire nudos; quartum est, hospitari peregrinos; quintum, visitare incarceratos; sextum, confortare infirmos; septimum, sepelire mortuos. Ista sunt septem opera misericordiæ, quæ pertinent ad

corpus. Sed iam posset quis mihi ista dicere: Ego sum in religione; non habeo potestatem dandi cibum, nec potum, nec vestimentum, nec hospitiū, quia non habeo ex quo possim aliquid facere; nec possum visitare incarceratos, nec confortare ægrotos, nec sepelire mortuos, quia sum in alterius volūtate constitutus; & ideò mihi præualeret quòd essē secularis, vt possem ista opera misericordiæ perficere! Ne sis deceptus, frater? nam plus præualet habere pietatem & compassionem in corde tuo, de aliquo misero inopiam patiente, quàm si possideres totum Mundum istum, vt illum dares pro charitate: nam plus valet, absque cōparatione, illud quod es; quàm illud quod habes. Da ergo teipsum; & plus das quàm si dares totum Mundum. Sed iam posses dicere: isto modo verum est, quòd melius est homini dare seipsum quàm de suo; sed multùm præualet dare vnum cum alio, quàm vnum per se: nam plus valerent duo bona, quàm vnum illorum per se. Dico, quòd non est ita! Vtrū præualeat vocari Dominus, quàm eius seruus? Tu scis benè quòd præualet vocari Dominus. Sed illi qui patiuntur famem, sitim, frigus, defectus, & alias miserias propter Deū; Deus noster Iesus Christus, illos vocat seipsum. Nā ipsemet dicit in Euangelio: *Quicquid fecerītis vni ex his minimis meis, mihi feciſtis*. Ex altera parte; vtrum præualet, iudicare vel iudicari? tu scis benè quòd præualet, iudicare. Et hoc faciunt pauperes: Nam ipsi iudicabunt diuites, sicut dicit Christus in Euāgelio; *Vos qui reliquiſtis omnia & secuti estis me, cum venerit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis super thronos, iudicantes duodecim Tribus Israel*. Ex alia parte, vtrum est melius habere gaudium cœli in possessione, aut in promissione? Certum est, quòd in possessione & sic habent pauperes bonum ius. Ista enim, ipsemet Iesus saluator noster dicit in Euāgelio: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Hoc est: ita securi pauperes esse debent de gaudio cæli, sicut sunt de vna re quam tenent manibus. Ideò dicit sanctus Bernardus: Isto modo pauperes, nihil habent in terram; nec diuites aliquid habent in cælo. Igitur diuites (si volunt ibi aliquid habere) oportet illos hic à pauperibus mercari. Modò scio quòd multum desideras cognoscere, qui est verè pauper, & qui non est; & qui verè diues, & qui non: audias ergo tu cum deuotione. Aliqui habent diuitias, & illas amant: cuiusmodi sunt auari, cupidi, istius mūdi, aliqui sunt qui diuitias non habent; illas tamen amant, atque libenter vellent habere: hniusmodi sunt, miseri & mendici istius Mundi, & mali Religiosi: & isti sunt ita diuites sicut alij; & magis, in voluntate. Et hi sunt illi de quibus Christus in Euangelio dicit; *Facilius est, camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum*. Sed quidam sunt qui habent diuitias; illas tamen non diligunt, attamen illas benè volunt possidere. Isti sunt probi homines istius mundi; qui benè expendunt omnia quæ habent vel possident, & de illis modicum sibi retinent. Alij verò sunt qui non habent aliquas diuitias, nec illas amare nec habere desiderant: Isti homines, sancti, religiosi sunt; & isti sunt verè pauperes, & illorum est regnum cælorum. Hæc est benedictio pauperum. Oportet ergo quod diuites habeant contrarium huius benedictionis; & ideò sint pauperes spiritu, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Tunc possum dicere isto modo de diuitibus: Maledicti diuites spiritu, quoniam ipsorum est pœna inferni. Diuites sunt, qui diuitias habent & amant: aut qui diuitias non habent, sed illas amant; & habere, cupidè desiderant. Pauperes sunt, qui habent paupertatem, & illam diligunt; aut qui habent diuitias, & paupertatem amant; & diuitias contemnunt.

Matt.25.

Matt.19.28

Matt.5.

Quinam sint verè diuites vel pauperes.

Mat.19.24

De septem petitionibus Orationis Dominicæ. CAP. XVII.

POSTERIVS habes cognoscere, quę, sunt septem petitiones Orationis Dominicæ; quæ auferunt omnia mala, & procreant omnia bona. Istæ septem petitiones vel preces continētur in ista dulcissima oratione, *Pater noster*: quā Dominus noster Iesus Christus, discipulos suos docuit, vt scirent quomodò deberent Deum Patrem deprecari. Et dixit illis; isto modo vos orabitis: dicite sic; *Pater noster qui es in cælis, &c.* vsque in finē. Ista oratio superat & excellit omnem aliam orationem, in dignitate & vtilitate. In dignitate; quia ipsemet Deus, ipsam composuit & fecit: & ideò facit magnum dedecus & magnam irreuerentiā Iesu Christo Dei filio, qui sibi accipit verba rithmitica & curiosa, dimittitque & relinquit orationem quam ipsemet composuitqui scit totam volūtatem Dei Patris, & qualis oratio maximè sibi placet, & pro quibus nos miseri maximè indigemus deprecari. Nam sicut prius dixi; ille solus, totam scit Dei Patris voluntatem, & totam nostram necessitatem. Igitur cētum millia hominum decipiuntur per multiplicationem orationum. Cùm enim putāt, se habere deuotionem; habēt vnam vilem & carnalem affectionem, quia omnis carnalis animus naturaliter delectatur in tali loquela curiosa. Ideo sis prouidus & discretus: nam certissimè tibi dico quòd est vna turpis luxuria, ita delectari in tali modo guliardiæ.

Postulationes orationis Dominicæ. tollūt mala omnia.

Oratio Dominica, dignitate superat omnem aliam orationem

Ex alia parte sanctus Augustinus & Gregorius, & alij sancti orabant secundum suam affectionē. Non culpo illorum orationes; sed illos vitupero qui relinquunt & dimutunt orationem quam ipsemet Deus fecit, & orationes alicuius simplicis Sancti accipiūt, vel quam reperiunt scriptam. Ideóque dicit Dominus in Euangelio: *Quando vultis orare, nolite orare per plura verba; sed orabitis isto modo, dicentes; Pater noster qui es in cælis, &c.* Ex alia parte; ista Oratio excellit omnem aliam Orationem, in sufficientia. Nam in illa continentur omnia illa quibus indigemus in ista vita & alia: quia oramus in ea Deum Patrem vt nos liberet ab omnibus malis, & vt nobis donet omnia bona, & vt tales nos faciat vt nunquam faciamus malum nec deficiamus à bono. Et considera qualiter omne malum quod nos aggrauat, aut est malum præteritum, aut malū futurum, aut malum quod iam patimur. De malo præterito, oramus Dominum nostrum dulcissimū quando dicimus; *& dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: De malo futuro, quādo dicimus; *& ne nos inducas in tentationem*: de malo præsenti, quando dicimus, *sed libera nos à malo*. Præterea, omne bonum quod est, aut est bonum temporale aut bonum spirituale, aut æternum. Bonum temporale

Cautè intelligendū & piè intelligendum. Matt.6.

Dominica oratione petuntur omnia necessaria.

porale petimus, quãdo dicimus, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*: bonum ſpirituale, cum dicimus *fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra:* Bonum æternũ, cũ dicimus, *adueniat regnum tuum*. Confirmationem omnium iſtorum petimus, cum dicimus, *ſanctificetur nomen tuum*. Iſtæ, ſunt ſeptem petitiones Euangelij, quas deus noſter Ieſus Chriſtus docuit ſuos diſcipulos & amicos. Scire etiam debes, quod iſta verba quatuor, præcedẽtia, ſcilicet, *Pater noſter qui es in cœlis*; informant quomodo orare debemus, & quales eſſe debemus in noſtris Orationibus. Quatuor enim debemus habere in omni oratione, ſcilicet perfectum amorem erga illum quem oramus, certam ſpem habendi omnia quæ petimus, & firmam credulitatem in illo in quo credimus, & verã humilitatem, quia de nobiſmetipſis nullum bonũ habemus. Perfectus amor continetur in hoc verbo, *Pater*: nam quælibet Creatura, naturaliter diligit ſuum Patrẽ. Certa ſpes continetur in hoc verbo, *noſter*: ſi enim ſit noſter, poſſumus in illum audacter ſperare, & dicere quod nobis tenetur. Firma fides notatur in hoc verbo, *qui es:* cum enim dicimus, *qui es in cœlis*, credimus & confitemur quod Deus eſt, quem nunquam vidimus: & hæc eſt certa Fides. Fides autem, nihil aliud eſt niſi credulitas rei quę non poteſt videri. Vera humilitas notatur in hoc verbo; *in cœlis:* nam quãdo cogitamus quod ipſe eſt ſummus, & nos in infimo, tunc humiliamur. Quando autem habemus iſta quatuor in cordibus noſtris firmiter radicata, tunc poſſumus audacter orare & dicere cum tota noſtra affectione; *ſanctificetur nomen tuum*: hoc eſt dicto, Confirma nomen tuum (tu qui es pater noſter) in nobis, vt totaliter ſimus filij tui & filiæ, ita quòd nihil faciamus contra beneplacitum tuum. Et vt ſemper agamus omne illud quod ſit tibi acceptum, & quod ad laudem tuam pertinet, & quia nũquam poſſumus illud perfectè facere dum ſumus in hoc captiuo Mundo: ideò petimus, *adueniat regnum tuum*: id eſt, regnum tuum nobis adueniat, vt tu regnes in nobis in hac vita per gratiam, & nos in te, in alia, per gloriam. Et in iſta eadem petitione, pro illis oramus qui ſunt in Purgatorio. Et quia nunquam poſſumus tecum habere gaudium in cælo, niſi fecerimus tuam voluntatem in terra: ideò petimus, *fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra:* hoc eſt, dona nobis gratiam faciendi quicquid præceperis, & relinquẽdi quæcunque prohibueris & omnia quibus offenderis. Et hoc tam *in terra* quam *in cælo*: id eſt; quemadmodum Michael, Gabriel, Raphael, omnes ſancti angeli & archangeli, patriarchæ, & prophetæ, Apoſtoli, Euãgeliſtę, Diſcipuli; Martyres; Confeſſores, Virgines, & omnes electi tui faciũt voluntatem tuã in cælo; ita valeant Ordines qui ſunt in terra, videlicet dominus noſter Papa, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi; Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ, Priores, prioriſſæ, Archidyaconi, Dyaconi, Rectores, ſacerdotes, & omnes ſãcti Ordines, & omnes ſubditi, Reges, Principes, Duces, Comites; barones, pauperes & diuites, clerici & laici & omnes qui ſunt prædeſtinati ad vitam æternam in quolibet regno, in qualibet progenie, in quolibet ordine, & in qualibet ætate. Et quia non poſſumus facere voluntatem tuam quamdiu viuimus in corpore, niſi nos ſuſtentes, ideò dicimus, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*: hoc eſt, da nobis hodiè fortitudinem corporis & animæ & ſalutem vtriuſque. Sciendum eſt quod triplex eſt panis: ſcilicet panis corporalis; vt victus, & veſtitus: panis ſpiritualis; vt, doctrinæ ſacrę ſcripturę: & panis Euchariſtiæ ad confirmandũ vtriuſque naturam, ſcilicet corporis & animæ. Sed quia nõ ſumus digni habere aliquod bonum, dum ſumus & manemus in peccatis; ideò petimus: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris:* hoc eſt, dimitte nobis quicquid peccauimus contra te, in cogitatione, locutione, & opere: Et, hoc, ſicut nos dimittimus illis qui nobis malefecerũt. Et quia modicum valet nobis, habere veniam, niſi de cętero nos à peccatis ſeruemus, ideo ſic orare debemus: *& ne nos inducas in tentationem.* hoc eſt, ne patiaris, nos vinci in tentatione Diaboli, carnis, & Mundi. Et non ſolum de tentatione, ſed libera nos à malo: hoc eſt, de malo corporis & animæ, de malo culpæ & pœnæ præſenti vel futuro. Amen. Et Dominus noſter Ieſus Chriſtus dixit in Euangelio; *quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*: ideò dicas in fine, *per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.* Hęc eſt Oratio quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus, nos docuit in Euangelio. Nec intelligas quod debeas illud totum dicere verbotenus, quod hic eſt: ſed ſolummodo dicas nudam literam, ore, & cogita in tuo corde, ſuper illo quod expoſui, de quolibet verbo, per ſe. Nec cures multiplicare ſæpius, *Pater noſter.* Melius eſt, ſemel dicere *Pater noſter*, cum intellectu bono & attentione, quam milleſies, ſine intellectu & deuotione. Nam ita dicit ſanctus Paulus, *potiùs vellem dicere quinque verba corde meo* deuotè, quã quinque milia, ore, & non intelligere. Eodem modo debes facere officium tuum in Eccleſia. Sic enim dicit propheta, *pſallite Deo noſtro* (inquit) *pſallite ſapienter*: hoc eſt, Canta verſiculos ſapienter. Sapienter cantare, eſt quod homo dicit ore, prudẽter cogitare. Nam ſi tuum corpus ſit in choro, labia tua in pſalterio, & cor tuum in foro, miſerrime! & diuiſus es in teipſo, ne exaudiaris à Deo. Et quia dominus dicit in Euangelio, primùm *quærite regnum Dei & hæc omnia adiicientur vobis*: id eſt, quotquot indigetis de temporalibus bonis, dabuntur vobis ſine interrogatione: Ideò debes ſcire, quod habebis in gaudio cęleſti.

4. Neceſſaria, in omni Oratione.

Pars Orationis Dominicæ, pro his qui ſunt in Purgatorio.

Panis triplex.

1. Cor. 14.

Pſal. 46. 2.

Mat. 6. 33.

De dotibus corporis & animæ, & de pœnis Inferni. CAP. XVIII.

7. Corporæ Dotes corporum glorificatorũ.

IN cælo habebis ſeptẽ dotes. In corpore habebis pulchritudinem ſine turpitudine vel deformitate, agilitatem abſque grauedine vel ponderoſitate, fortitudinem ſine debilitate, libertatem ſine ſeruitute, delectationem abſque anguſtia, ſanitatem abſque infirmitate, longam vitã ſine fine. In Anima verò, habebis ſapientiam ſine inſipientia, amicitiam ſine inimicitia, concordiam ſine diſcordia, potentiam ſine impotentia, decus abſque dedecore, ſecuritatem abſque timore, gaudium ſine dolore. Captiui vtique & in Inferno miſeri poſiti, habebunt omnia iſtis contraria. In corpore & anima deformitatem vel turpitudinem ſine pulchritudine, debilitatem ſine fortitudine, &c. de

omnibus aliis prædictis. Idcirco apponas omnem curam tuam & diligentiam & potentiam, vt illud gaudium possis obtinere. Ibi est enim tantum gaudium & tãta dulcedo, quod si posses viuere à principio Mundi vsque ad futurum, & habere omnes delicias ad tuam voluntatem, adhuc, de iure, omnes illas dimitteres & relinqueres vt esses vno solo die in gaudio cælesti. Hic finitur secundus Gradus contemplationis; scilicet, cõtemplatio in Scripturis: de qua, si benè attẽdas & indulgeas in tuo corde, facilè erit tibi quemlibet sermonem retinere. Ex alia parte, hîc habes materiam loquendi Clericis quanquam sapientissimi sint, & laicis similiter, quamuis sint rudissimi. Quando loqueris sapientioribus, teneas aliquam illarum materiarum, & quære humiliter. Quando loqueris simplicioribus te, informa eos libenter & dulciter. Nam hîc sufficienter habes vnde cogitare possis & loqui, qualiter debeas vitam tuam gubernare & alienam vitam emendare.

A

B

De contemplatione Dei in humanitate sua. CAP. XVIIII.

TErtius gradus cõtemplationis, est in ipso Deo: & hoc potest esse duobus modis. Extrinsecus, in sua humilitate, &, intrinsecus in sua benedicta deitate. Ita namque dicit sãctus Augustinus Ideò deuenit Deus homo, vt totum hominẽ beatificaret in seipso: Ita quod tã pro exteriori quã interiori homine, semper pascua ueniret in suo Creatore, intra per contemplationẽ suæ deitatis, extra, per considerationem suæ humanitatis; De sua humanitate, tria debes cogitare: scilicet, suæ incarnationis dulcedinem, suæ conuersationis honestatem & suæ, Passionis charitatem. Sed quia hoc non potes facere plenariè, vna vice, illud tibi descripsi per illas septem horas diei, quas cantas in Monasterio vel Ecclesia: & nulla hora poterit euadere, quin valeas in ea cor tuum dulciter occupare. Ad hoc faciendum, debes scire quod quælibet hora diei, habet duplicem meditationem; vnam, de passione, alteram, de Incarnatione.

C

D

De natiuitate, Domini & captione eius; ad Matutinas. CVP. XX.

DE natiuitete Domini, in eius matutinis, primò debes cogitare, & posteà de eius Passione. De natiuitate, debes cogitare diligenter tempus, locũ, & horã in quibus natus fuit Dominus noster Iesus Christus dulcis. Tẽpus fuit, in medio hyemis, quando maximum frigus fuit! hora erat, in media nocte, quæ est hora durissima: Locus erat, in medio viæ In vna domo sine pariete, quæ dicitur Diuersorium, à diuertendo: nam illic homines diuertebant pro pluuia & aliis tempestatibus: in qua, fuit paruulis panniculis inuolutus, cum vna fascia ligatus, & in præsepi positus cum boue & asino, quia non habuit alium locũ in diuersorio. Hic debes cogitare de diligenti cura beatę Mariæ, circa puerum suum Iesum; & de Ioseph marito suo, quomodò habuit magnum gaudium. Cogita etiam de deuotione pastorum & de dulci turba Angelorum: erigéque cor tuum, & canta cum illis *gloria in excelsis Deo*, &c. De passione, debes cogitare quomodò tali hora noctis fuit A Iuda discipulo suo, traditus, sicut latro, captus & ligatus, & vt nequam, ductus. Cogita etiam intimè, quomodò se sponte obtulit Iudæis & gentibus: & quomodò osculatus est Iudã traditorem suum, & illum vocauit nomine suo, & appellauit illum amicum suum. Qualiter prohibuit discipulis suis, vt nullus eorum euaginaret gladium: & quomodò sanauit auriculam quã sanctus Petrus amputauit. Et quomodò sui discipuli ipsum dimiserunt, & maledicti Iudæi ipsum acceperunt, tenuerunt, & ligauerunt, & posteà duxerunt eum primò ante Annam, & ibi fuit examinatus & collaphisatus, quia respondebat contra illorum volũtatem. Posteà duxerunt eum coram Caypha, vbi sanctus Petrus, ter ipsum negauit propter verba cuiusdam ancillæ maledictæ. Luc. 2.

Petrus negauit Christum in domo Caiphę

De illusione, & resurrectione, ad primam. CAP. XXI.

ANte Primam debes cogitare de Passione & Resurrectione: de Passione cogitare, quomodo Iudęi duxerunt in suũ concilium, & quærebant falsum testimonium contra ipsum, & imposuerũt: ei quod blasphemauit, & quod ipse dicebat se posse destruere templum Dei & in triduo reædificare illud; & quia ipse circuiuit totam patriam à Galilea vsque Hierusalem, subuertens gentem suam, & inceperunt mentiri de eo diuersis modis, cõspuerũtque in faciem eius benedictam, vilius quam super canem. Posteà cooperuerũt oculos eius pulcherrimos, & interrogabant eum dicentes, *quis est qui te percusit?* Et de omnibus quæ ab his, dulcis Iesus patiebatur, nunquam dixit semel, quare sic facitis! sed sicut agnus in medio luporum ductus ad occisionem, vel *sicut ouis coram tondente sic obmutuit*, & ita continuè se habuit, quod nullum verbum sonare voluit. Multa alia tunc sibi fecerũt, quæ nimis prolixum esset narrare. De Resurrectione, cogitare debes quod in tali hora resurrexit Deus de morte ad vitam, postquam infernum destruxit Deus, & omnes sãctas animas à potestate inimici liberauit. Hic debes cogitare de magna dulcedine suarum appropriationum: quomodo apparuit quinquies eadem die & quinquies posterius. Primò apparuit Mariæ Magdalenæ quando ipsa ęstimabat ipsum esse hortolanum. Secundò apparuit eidem & aliis mulieribus in via, quando salutauit dicẽs, *auete*, id est Deus saluet vos. Tertiò apparuit sancto Petro, scilicet nõ habemus modum quomodo apparuit sibi. Quartò apparuit aliis duobus Discipulis euntibus versus castellum de Emaus, quando putabant quod ipse esset peregrinus, *cognouerunt eum in fractione panis.* Quintò, apparuit decem Discipulis, quando sanctus Thomas non erat cum eis, & quando stetit in medio illorum & dixit eis, *pax vobis & ostendit illis manus suas & pedes*, quia ipsum putauerunt fuisse spiritum. Sextò apparuit iterum Apostolis quando sanctus Thomas fuit præsens cum eis, & quando

Mat. 26. 68

Isa. 53. 7.

Mat. 28. 9.

Luc. 24. 35.

Ioan. 20. 20

Dominus

Dominus dixit illi, *affer digitum tuum in loco clauorum,* A *& vide manus & pedes, & mitte manum tuam in latus meum, & noli esse incredulus sed fidelis.* Septimò apparuit sancto Petro, sancto Iacobo, sancto Ioanni, & Nathanaëli, quando piscauerunt in mari, quod quidem, Euangelium, vocat Thiberiadis, vbi comedit cum illis, & quæsiuit ter à sancto Petro si ipsum plus aliis diligeret. Octauo apparuit vndecim Apostolis in monte Galileæ, quando præcepit illis ire in vniuersum Mundũ & prædicare Euangelium omni creaturæ, & baptisare omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritussancti, & dixit illis, quod ipse esset cum eis, omnibus diebus vsque ad consummationẽ sæculi. Nono, apparuit illis in die Ascensionis quando fuerunt ad prandium & exprobrauit incredulitatem eorum & duriciem cordis. Decimò apparuit eis in eodem die, quando eduxit eos foras in Bethaniam, & dixit eis vt sederent in ciuitate donec induerentur virtute ex alto, dedítque eis suam dulcem benedictionem, receſſitque ab eis & ascendit ad cælum sedétque ad dexteram sui Patris.

De aduentu Spiritussancti, & de flagellatione Christi, Ad tertiam. CAP. XXIII.

ANte Tertiam, debes cogitare de Passione & de Penthecoste. De Passione C debes cogitare qualiter Domin⁹ noster Iesus Christus fuit in tali hora expoliatus totus nudus, & in domo Pylati ad vnam columnã ligatus, & ita crudeliter flagellatus, quod à vertice capitis vsque ad plantãm pedis non remãsit in eo sanitas. Cogita similiter quomodò Pylatus misit illum ad Herodem, & quomodò reliquit eum Hærodes, & ipsum deridebat, & ipsum induebat tunica in signum quod tenuit illum esse stulum, & remisit illum ad Pylatum. Pylatus verò proposuit ipsum liberare, sed voluit priùs ipsum castigare secundum modum latronum qui deberent tales dimitti. Et milites eum cœperunt, & D congregauerunt totam cohortem ad respiciendum eum, chlamydem coccineam circundederunt ei; dederunt ei baculum de arundine, loco sceptri; imposuerunt coronam spineam super caput eius, & coram ipso genuflexerunt, & deridendo, ipsum salutare cœperunt: sed adhuc propter omnia ista, Iudæi noluerunt eum dimittere, & Pylatus volens eis satiffacere, liberauit eis vnum latronem, Barrabam, donauítque eis sine causa, Iesum crucifigendum. De Penthecoste debes cogitare quod tali hora diei misit Dominus noster Spiritum sanctum suis discipulis in eodem loco congregatis, in similitudinem ignis & linguarum, vt essent abundantes in sermone, & ardentes in amore. Et ista E fuit certa prouidentia Domini Dei nostri, quia duobus modis venit malignus Spiritus ad hominem decipiendum in paradiso: scilicet per malum incitamentum suæ linguæ, & per frigiditatem sui veneni: & ideò venit Spiritussanctus, in lingua, contra incitamentum diaboli, & igne, ad destruendum frigiditatem sui veneni.

Spiritus sanctus cur Apostolis datus in linguis igneis.

De incarnatione & crucifixione. CAP. XXIII.

ANte meridiem debes cogitare de Annunciatione & de Passione. De Annunciatione, cogitabis de misericordia Dei nostri, quia voluit homo deuenire & mortem pati pro nobis in sua humanitate, cum alio modo potuisset nos redemisse; & totum hoc nobis fecit, vt sibi attraheret nostrum amorẽ. Nam si vnus, esset noster Creator, & alius, noster saluator, tunc plus amaremus nostrum Saluatorem quam nostrum Creatorem. B Ideò voluit noster Creator, esse noster redemptor & saluator, & pati in suo corpore totum nostrum dolorem, & emereri totum nostrum amorem. De passione debes cogitare quod tali hora fuit Iesus crucifixus inter duos latrones, vnum à dextris & alium à sinistris, ac si esset illorum magister. Hic nescio quid dicam. Nam si omnes morbi & dolores istius Mundi essent in corpore vnius hominis solius: &, si homo ille posset concipere tantam angustiam & tantos dolores sicut omnes homines in isto Mundo, parum esset aut nihil per comparationem ad dolorem quem sustinuit pro nobis in vna hora diei. Vnde si possem viuere per centum mille annos, & qualibet die millies mori pro eo eadem morte qua pro me mortuus est semel, nihil esset in comparatione ad dolorem quem habuit in se. Tũc diceret aliquis, quod pœna quam sustinuit Christus in Cruce pro nobis, fuit maior quam pœna Inferni, in tanta hora. Verum est! Et propter istã causam, nulla Creatura potuit tantum pati sicut Iesus, cum nullus habuit in se tantum de virtute. Sed aliqua Creatura potest pati pœnam Infernalem in igne perpetuo, ergo apparet quod pœna infernalis fuit minor in tanto tempore quam pœna Christi. Non dico certitudinaliter propter sciẽtiam alicuius gentis. Propter hoc dicit Dominus de seipso, per Hieremiam prophetam: *O vos omnes* Thr. 1. 12. *qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus.* Certè nullus dolor est nec vnquam fuit in isto Mundo, ad dolorem tuum, dulcissime Iesu! Hic etiã debes cogitare de dulcissima virgine Maria, quanta angustia erat repleta quando stetit ad dexteram sui filij dulicissimi, & recepit discipulum pro Magistro, & quando habuit magnum dolorẽ quando recepit seruum pro Domino, filium peccatoris pro Filio Dei. Ideo potuit ipsa dicere de seipsa, illud quod dicit propheta, *ne me dicas pulchram, sed de certo appelles amaram, nã amaritudine, & magno dolore Dominus* omnipotens *me repleuit.* Similiter potuit illa dicere illud in Canticis amoris, non mirêris si fusca sim & pallida, quia decolorauit me Sol. Ideo dicit vnus angelicus, pietate motus: O puella speciosa, iam veraciter es experta acutissimam punctionem illius gladij de quo Symeon fecit tibi mẽtionẽ in Purificationis die, tu modo recepisti promissa, quæ tibi promisit Anna prophetissa. Ruth. 1. 20.

Cur ipse Christus voluit nos redimere.

De morte Iesu Christi, & de eius Ascensione, ad Nonam. CAP. XXIIII.

ANte Nonam debes cogitare de Paſſione & Aſcenſione. De paſſione cogitabis quod tali hora moriebatur auctor vitæ, propter noſtrum amorem. Hic debes cogitare de ſeptẽ verbis quæ locutus fuit in Cruce, & de quatuor ſignis quæ acciderunt in morte ipſius. Primũ verbum quod dixit, fuit illud, *Pater ignoſce illis* eorũ peccatum *quia neſciunt quid faciunt*. Secundum verbum fuit tale; *Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo*! iſtud verbum dixit Latroni bono, pœnitenti. Tertium verbum fuit iſtud quod dixit Matri ſuæ & ſancto Iohanni, tali modo: *Mulier, eece filius tuus: deinde dixit diſcipulo: ecce mater tua.* Quartum fuit; *Hely hely lamazabathani, hoc eſt, deus meus, deus meus vt quid dereliquiſti me?* Quintum fuit illud verbũ; *Sitio.* Sextum fuit, *Conſummatum eſt*: hoc eſt, Iam prophetia impleta eſt. Septimũ eſt illud: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum, & inclinato capite emiſit ſpiritum.* Quatuor ſigna fuerunt iſta: totius Terræ, motus factus eſt, Velum tẽpli ſciſſum eſt in duas partes, & cecidit; Petræ ſciſſæ ſunt; & monumenta aperta ſunt, & mortui ſurrexerunt, & Sol obſcuratus eſt, & retraxit à Mundo ſuam claritatem à meridie vſque ad horam nonam. Vnde dixit, Dionyſius Areopagita, exuens in partibus remotis à Hieruſalem, ſcilicet Athenis: aut Deus naturæ patitur, aut tota machina Mundi diſſoluitur. De Aſcenſione cogitabis, quia in tali hora Dominus noſter venit ad montem Oliueti videntibus diſcipulis eius & dulciſſima matre eius, & abinde aſcendit ad cœlos, & ſedet ad dexteram ſui Patris. Et diſcipuli eius reuerſi ſunt in ciuitatem, ibique fuerunt in ieiuniis & orationibus vſque ad aduẽtũ Spiritusſancti. Fuerunt enim congregati in vna domo, centum viginti homines expectantes aduentum Spiritusſancti, ſicut præcepit illis Dominus.

1. Verba Chriſti in Cruce.

Luc. 23.

Mat. 27. 46

Ioh. 19. 30.

De cœna Domini, & depoſitione Ieſu de cruce, ad Veſperas. CAP. XXV.

ANte veſperas debemus cogitare de cœna Domini, & de Paſſione. De Paſſione debes cogitare quomodo Ioſeph ab Arimathia impetrauit corpus Ieſu à Pontio Pylato: & quomodo milites venerunt ad Crucem & fregerũt crura duorum latronum: & quomodo vnus militũ, lancea, benedictum latus Ieſu perforauit, & continuò exiuit ſanguis & aqua. Sanguis in ſignũ noſtræ redemptionis, & aqua in ſignum remiſſionis & ablutionis peccatorum. Ioſeph verbo depoſuit ipſum de Cruce, propter hoc quod nullũ corpus deberet manere inhumatum in tam magna & alta die qualis fuit in craſtina die ſequente. De cœna debes cogitare quomodo in tali hora Dominus noſter dedit diſcipulis ſuis corpus ſuum & ſanguinem in ſimilitudinem panis & vini. Hic debes cogitare quod in Sacramento Altaris ſunt tria: ſcilicet ſimilitudo panis & vini quam videmus corporaliter: ſecundum, eſt corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti quod non poſſumus videre oculo noſtro corporali: Tertium, eſt ſpiritualis gratia quam recipimus, quãdo dignè ſumimus illud ſanctiſſimum Corpus atque beatiſſimum Sanguinem. Nos videmus ſimilitudinem panis & vini, & tamen ſubſtantia panis & vini non remanet poſt Conſecrationẽ. Et nos credimus firmiter quod illa ſimilitudo habet & cõtinet in ſe veraciter corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti: verumtamen ſimilitudinem Corporis & Sanguinis Domini noſtri non poſſumus videre, quia abhorreremus & timorem haberemus quãtum ad corpus, comedere carnem crudam & bibere ſanguinem hominis. Ideo dedit nobis Dominus Corpus ſuum & ſanguinem ſub ſpecie panis & vini, ad confortandum noſtrum ſenſum corporalẽ per talem cibum quem ſolemus videre & audemus comedere; & ad ædificandum noſtrã fidem, per hoc quod videmus vnum & credimus aliud. Et ideo cum debes appropinquare ad altare vt communices, ita ſumas illud Sacramentum, acſi reciperes viſibiliter corpus ſuum & ſanguinem ſuum qui effluxit de latere eius.

In Sacramento Altaris, eſt ſimilitudo panis & vini.

Subſtantia panis non remanet poſt conſecrationem.

De fudore ſanguineo, & ſepultura Dei, ad Completorium. CAP. XXVI.

ANte Completorium debes cogitare, primò, quomodo Ioſeph & Nichodemus inuoluerũt corpus Ieſu Chriſti in pulchris lintheaminibus, ſindone mũda, & vnxerunt illud vnguẽto præcioſo, & poſuerunt illud in ſepulchro, & lapidem ad oſtium monumenti. Iudæi quoque appoſuerunt ſigilla ſupra petram, & ordinauerunt milites ad cuſtodiendum ſepulchrum. Secundum quod hic debes cogitare, eſt, quod Dominus noſter dulcis Ieſus Chriſtus die cœnæ poſtquam cœnauit, iuit cum Diſcipulis ſuis in vnum hortum vbi patrem ſuum orauit, & præ triſtitia mortis, taliter ſudauit quod guttæ ſanguinis ſtillauerunt de facie eius benedicta vſque ad terram.

De contemplatione Dei quantum ad ſuam diuinitatem. CAP. XXVII.

MOdo habes materiam & modum cogitandi de Deo, in ſua humanitate. Poſterius, debes ſcire qualiter cogitabis de ipſo in ſua altiſſima deitate. Ad hoc, debes intelligere quod Deus temperauit ſuam cognitionẽ in præſenti: nam, ita quod noluit, ſe, homini ex toto mõſtrare nec ex toto celare: quia ſi ſe totaliter monſtraſſet, tunc Fides nihil valuiſſet, & Infidelitatem viſitaſſet. Fides autem, eſt de re quæ non poteſt videri: & nunc, ſi aliquid video, non eſt Fides de illo. Si verò ſe totaliter celaſſet, tunc Fides nõ fuiſſet, ſed Infidelitas excuſata eſſet. Et ideò voluit Deus, partim ſe monſtrare & partim ſe celare. Quatuor verò modis, voluit ſe monſtrare homini. Duobus modis, interiùs, & duobus modis, exteriùs. Interiùs, per reuelationem & rationem: exteriùs, per Scripturam & Creaturam. Per reuelationem, quando Deus ſe monſtrauit alicui populo per inſpirationem, aut per Miraculum. Per rationem, venit, Deus in cognitionem hominis, tali modo. Quilibet homo benè poteſt videre in ſe, quod ipſe eſt, quod habet eſſe, & quod non ſemper fuit: & ex hoc, benè ſcit quod initium aliquando habuit.

Deus cognoſcitur ab homine 4. modis.

Rationes, quibus homo cognoſcit Deum eſſe.

Tunc

Tunc sequitur quod aliud tempus erat in quo ipse non fuit; sed quando non fuit, tunc nullo modo seipsum facere potuit. Hoc enim vides, homo, in omni Creatura: Nam qualibet die, vides aliquas Creaturas transire, & aliquas venire; & quia omnes res sunt, &, à seipsis non sunt. Ideò oportet necessariò quod vna res sit quæ dat omnib⁹, esse: hoc est; à qua, omnia sunt. Et ex hoc cõuincitur necessario quod ille per quem omnia sunt, est sine principio: quia si haberet principium, oportet quod haberet ex alio. Tunc non esset primus auctor, & primum principium omnium. Et ideò oportet necessariò quod ipse per quem omnia facta sunt, sit ante omnia, & nihil ante ipsum: &, si nihil sit ante ipsum, nõ venit ex alio: tunc semper fuit, & sine principio. Nam, vt prius, omne quod habet initium, ex alio habet illud (nihil enim quod nõ est, sibi ipsi potest dare esse.) Et ideo, oportet omnibus modis quod vna res sit quæ nunquam principium habuit. Et quando ratio hominis videt necessario quod non potuit aliter esse; incipit firmiter credere quod vnũ est absque principio; qui est author, factor, gubernator omniũ quæ sunt in Mundo. Et illud appellatur deus propter istam rationem: Istud enim verbum, Deus, venit à nomine greco θεός; Et hoc tamen valet sicut creare vel nutrire. Et ideo appellamus primum principiũ Deũ: quia ipse omnia creauit & omnia emisit, hoc enim dicit illud verbum. Isto modo venit homo primo ad cognitionem Dei qui est omnia bona: & de quo est omne bonum quod est.

Quomodò, Deus est vna substantia, & tres Personæ. CAP. XXVIII.

Humanæ rationes cognoscẽdæ sacrosãctæ Trinitatis.

POsteà venit ratio hominis & videt necessariò quod ille Deus fuit, vnus solus Deus, & non plures dij. Nam si duo dij essent, ex hoc sequeretur necessariò quod ambo dij essent superflui & diminuti, simul & semel. Nam primus foret superfluus, quia secundus sufficeret, alter enim non esset Deus. Per eandem rationem, esset secũdus superfluus, cum primus, esset, solus, sufficiens. Ex alia parte quilibet eorum esset diminutus, propter hoc quod quilibet eorũ deficeret à reliquo. Nullus eorũ esset reliquus, sed quilibet, eorũ esset summè bonus: & tunc deficeret bonum ab vtroque illorum, & sic, in vtroque esset diminutio. Et ideo, si duo dij essent, in ambobus diis esset superfluitas & diminutio, simul & semel: Et oportet necessario quod nõ sit nisi vnus solus deus. Ex alia parte, nullũ bonum potest Deo deficere: sed quia dulce, est bonum & solatium societatis; ideo deus non potuit esse sine bono, societate. Et tũc oportet necessariò quod pluralitas Personarum sit in Deo summè bono. Et quia societas nequit esse inter pauciora quam inter duo; Ideo oportet quod in Deo ad minus sint duæ personæ. Et quia societas parum valet vbi non est fœdus nec amor; Ideo oportet quod in Deo sit tertia Persona, quæ sit fœdus & amor inter alias duas Personas. Tũ igitur vnitas sit bona, & pluralitas, similiter: oportet necessariò quod vtraque illarum sit in Deo. Per talẽ rationem venit homo ad istam cognitionem Dei, quod ipse est vnus deus in se & sua substãtia, & Tri-

A nus in Personis. Istud idem videt homo in seipso. Nam ipse videt benè quod semper à principio habuit homo in seipso, potentiam, & post potentiam, sapientiam: Et tunc incœpit ille cognoscere apertè quod ipse in anima habet potestatem, & de illa potestate, scientiã, & de ambabus venit amor. Et quãdo videt homo quod ita est in seipso, ex hoc intelligit benè, quod ita est in Deo, qui est vltra illum: videlicet quod in Deo sit potestas, & de illa potestate venit sapiẽtia; & de vtraque venit amor. Et propter hoc quod ex primâ Persona, venit Secunda; & de ambabus procedit tertia: Ideò prima Persona vocatur Pater, secunda, Filius, tertia Spiritussanctus. Et B quia sic solet esse inter homines, quod pater sit debilior filio propter senectutem; & filius, minùs sapiens propter iuuentutem: ne aliquis homo ita estimet de Deo; ideo potestas attribuitur Patri, & sapientia Filio. Et quod illud verbum, spiritus, sonat in austeritatẽ: Ideo Spirituisancto attribuitur dulcior amor & bonitas. Isto modo venit homo, primò, ad cognitionẽ Dei sui Creatoris, quomodo ille est sine principio, & quare vocatur Deus, & quare est vnus in substantia & Trinus in Personis; Et quia prima persona vocatur pater, secũda Filius, tertia Spiritussanctus, & quia appropriatur potestas Patri, sapientia Filio, bonitas & amor Spirituisãcto. Tali modo debet cognoscere Deum Filium: Et iste modus cognitionis, est fundamentum Contemplationis.

Imago Trinitatis in Homine.

De tribus gradibus contemplationis Animæ. CAP. XXIX.

ITur postquam stabilieris cor tuum in recta Fide, firma Spe, & perfecta charitate; erige sursum cor tuum in altissimam contemplationem nostri Creatoris. Sed anima tua vellet sæpe videre Deum per contemplationem, in sua natura, sed non potest. Et tunc reuertitur ad seipsam, & facit de seipsa gradûs per quos possit ascendere ad cõtemplationem diuinam: ita vt primo posset videre & respicere suam naturam interiorem, & posteà naturam quæ est supra illam. Scilicet si cogitatio sua sit per corporales imaginationes diuersimodè dispersa, tunc seipsam scrutari nõ potest in sua propria natura. Quot enim malis cogitationibus est ducta, tot malis obstaculis est impedita. primus gradus cõtemplationis est, quod anima reuertatur & recolligat se totaliter infra seipsam. Secundus gradus est, quod ipsa se videat qualis totaliter collecta. Tertius gradus est, quod anima se leuet vltra seipsam & nitatur respicere suum gradum in sua natura interiori. Scilicet ad cognitionem suiipsius non præter venire, quoque fuerit instructa, refrenare quamlibet imaginationẽ corporalem, terrenã, & non cælestem. Et quando venit ad cor suum aliqua delectatio visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus; vel alicuius alterius sensus corporalis, debet illam refutare & calcare, vt se videat talem qualis est totaliter sine corpore. Attendit quoque diligenter, quomodo anima est mirabilis in seipsa. Ipsa est enim vna, in sua natura, & cum hoc, facit plurima diuersa opera. Nam ipsa eadem videt per oculos, audit per aures, gustat per linguam vel per os, odorat

per nares vel naſum, tangit per omnia membra. Poſteà cogita quam magna eſt anima, & quæ vna ſola cogitatione poteſt comprehendere cœlum & terram & omnia quæ in eis ſunt, ſi eſſent milleſies maiora quam ſunt, quod nō eſſe non poteſt. Si anima hominis ſit tam grandis & nobilis quod nulla Creatura (in iſta vita) poteſt illam perfectè intelligere: quam nobilis tunc, etiam qnam potens erit ipſe qui tam nobilē rem de nihilo creauit. Ipſe enim eſt ſuper omnia, & ſubter omnia, & Infra omnia, & extra omnia. Super omnia, gubernans, ſubter omnia, ſupportans, inter omnia, perimplens, extra omnia, circundans. Talis contemplatio generat in homine firmam fidem & ſecuram deuotionem. B Poſtea debes cogitare quomodo ipſe eſt largus, & hoc potes videre multis modis. Primò, vide qualiter eſt largus de bonis temporalibus, cum ita benè dat illa bona hominibus malis ſicut & bonis, in omnib⁹ quę vides hic in terra. Deinde vide quomodo largus eſt ad indulgendum & dimittendum peccata. Si enim vnus ſolus feciſſet tot & tanta peccata ſicut omnes homines iſtius Mundi, adhuc ipſe eſt in centuplo promptior ad indulgendum & miſerendum, quam ille miſer peccator, ad indulgentiam & miſericordiam petendum vel quærendum. Tertiò cogitabis qualiter eſt largus de bonis ſpiritualibus: hoc eſt de virtutibus. Nam qui ex dono Dei habet vnam virtutē, habet omnes. Quartò co- C gitabis quomodo eſt largus de bonis ſempiternis, omnibus illis qui volunt illa rectè poſtulare. Quomodo enim poſſet denegare illis, illud quod monet petere? Talis cōtemplatio de ſua largitate, gignit in homine certam ſpē. Poſteriùs debes cogitare de diuina bonitate, dulcedine, pulchritudine. Ad hoc faciendum, debes diligenter attendere magnam pulchritudinem, bonitatem, & dulcedinem quæ in vna creatura eſt corporali. Quot ſunt quæ delectant oculum, per ſuam pulchritudinē, guſtum, per dulcedinem; naſum, per odorem, & ſic de aliis ſenſibus? Quanta pulchritudo, dulcor, & bonitas eſſe debet & eſt in creatura ſpiritali quę nūquam finem habe- D bit. Et poſtquam tāta bonitas, dulcedo, & pulchritudo eſt in vna re quæ hodiè in hac vita & cras prę-terita, & nunc multo fortiùs oportet quod in omniū iſtorum Creatore ſit maior dulcedo, pulchritudo, & bonitas, ſine comparatione. Iſte modus contemplationis, generat in homine amorem ſui Creatoris. Poſtremò quando taliter reſpexit noſtrū Creatorem, per conſiderationem ſuarum Creaturarum, expelle à tuo corde imaginationem corporalem, & permitte tuum nudum intellectum euolare ſuper omnem humanam rationem vſque in cœlum: & ibi inuenies tantā dulcedinem, & tot ſecreta quod nullus homo ſciret pręter illum qui expertus eſt. Si E vis illud ſcire per documentum, vadas ad illum qui illud probauit per experimētum. Et quamuis illud totum, ego miſer probaui, illud tamen nō poſſem enarrare. quomodo enim poſſem iſtud ore narrare, quod non poſſum corde cogitare. Illud enim eſt ita ſecretum, quod ſuperat omnem cogitatum.

A Ea propter opportet & iuſtum eſt illud, vt faciā: & non lingua doceam, ſed opere (per ſolam gratiam) perimpleam. Iam habes tres gradus Contemplationis: vnum in Creatura, alterum in Scriptura, & tertium in dulciſſima Dei natura.

Quid eſt viuere honorabiliter, amicabiliter, & humiliter. CAP. XXX.

SI viuas ſecūdum iſtā doctrinam, tunc viuis honorabiliter: Et hæc eſt prima pars Sermonis noſtri, quę fuit tacta in principio. Poſteà debes ſtudere & viuas amicabiliter, quantum ad Proximum. Et ad hoc perficiē- B dum, debes apponere totam tuam diligentiam: hoc eſt, propter ſolam bonitatem, & non pro corporis pulchritudine, & pro bono tātum, nec propter aliqua huiuſmodi, ſicut pro fortitudine, vel alia huiuſmodi corporali virtute quę poteſt amari abſq; Deo. Eapropter amare hominem in Deo, non eſt aliud niſi amare illum propter vnum tale quod non poteſt amari ſine Deo, ſicut pro bonitate, pro iuſtitia, vel pro veritate. Nam propter talem virtutem nō potes amare hominem, niſi ames Deum Et ideo quando amas hominem propter bonitatem, iuſtitiam, vel veritatem, tunc illum amas in Deo. Deus enim, eſt bonitas, iuſtitia, & veritas. Si enim nos eſſemus boni, nullum haberemus amicum niſi bonū, C nec inimicum prætер malum. Et propter hoc, debemus diligere bonos quia boni ſunt, & malos etiam quia boni eſſe poſſunt: & iſto modo non amas aliquem niſi propter bonitatem, Et, ſi vis amari, oſtē- de te bonum eſſe vel amabilem: Et, ſi vis eſſe amabilis, recipias & ſerues iſta tria verba ſine obliuione. Facias illud quod tibi vis fieri: Et inſtanter roga, & Accipe ſine murmuratione, & cuſtodi quod vis tibi donari: Suſtine patienter quodcunque homo tibi dicat. Si ſic viuis fideliter, tunc viuis amicabiliter. Poſtremò ſtudere debes vt viuas humiliter. Et propter hoc, debes ſcire quod duo ſūt modi humilitatis. Et Vnus venit ex veritate, alius venit ex D charitate. Primum modum potes habere per cognitionem tuiipſius: nullus enim homo Mundi poteſt videre teipſum qualis es in veritate, niſi ſis humiliatus. Secundum modum potes habere ſi ſæpè cogitas de humilitate dulciſſimi domini noſtri Ieſu Chriſti, quomodo ſeipſum humiliauit qui nunquam peccatum fecit. Et talis humilitas pura, venit de charitate. Modo cognoſcitis quid eſt viuere honorabiliter, amicabiliter, & humiliter: & hoc, eſt viuere perfectè. Noſter dulciſſimus Dominus Ieſus Chriſtus ita nobis concedat Deum honorare, Proximum noſtrum amare, noſmetipſos humiliare, vt poſſimus pro noſtro honore honorari, pro noſtro amore amari, pro noſtra humilitate exaltari ad gaudium cœli: quod nobis eſt paratum ab origine Mūdi. Dicant omnes, Amen.

Quid ſit amare Proximum, propter Deum.

Qua ratione poſſit quiſpiam fieri amabilis.

Explicit tractatus ſancti Edmundi de pontigniaco, qui appellatur Speculum Eccleſiæ.

D. ROBERTI

D. ROBERTI DE SORBONA, QVI SANCTI LVDOVICI REGIS GALLIARVM CHRISTIANISSIMI POENITENTIARVM Oeconomus fuit, Opuscula.

De Conscientia. *De Confessione.* *Iter Paradisi.*

DE D. ROBERTO A SORBONA, ET EIVS LIBRIS, PER M. D. L. B.

Duus Robertus à Sorbona (vel vt alij, à Sorbonia; *aut,* à Sorbonio) *natione Gallus; S. Ludouici Galliarum Regis non frater quidem vt scripsit aliquis nuper in Historia peregina facile deceptus; ac neque ex illustri genere, vt obiter meminit qui descripsit historiam sanctissimi Christianissimique Regis illius. Sed ab eo, accitus primùm ob eruditionis & pietatis famam, fuit illi postea familiaris & Oeconomus Pœnitentiarum: Apud optimates quoque & Nobiles, in pretio maximo; tamen ita vt reprehensi ab eo si quid peccassent, facerent dicerent-ue vicissim liberiùs quod illum remorderet. Sorbonæ Parisiensis prima fundamenta cùm iaceret, sensit liberalem Regem, at conscientiæ suæ, multò etiam metuentem magis; qui, nisi expressa hac formula;* quantùm donare possum, *nunquam quidquam illi sit elargitus:* Isa.66. *diuino prorsum exemplo si ad posteros transiisset, ne quid nimium effuse ac nisi in religione maxima, cuiquam de publico donarent. Fuisse ingenio simplici, at in explorandis & curandis conscientiarum ægritudinibus acuto & perspicaci tamen, indicant tria hæc eius Opuscula quæ nunquam hactenus nisi indicio meo cognita cuiquam quod sciam, ex eius Bibliotheca ex scripsi nunc primùm. In eorum vno, cui Titulus est, de Confessione, videri possit paulo plus æquo, minutim prosequutus luxuriæ species, & Appendices: At, nec puduit Paulum huiusmodi plura dicere (ait ter maximus Chrysostomus) & Medicus, medicas manûs altiùs immergit vulneri quod curaturus est; nec de hoc argumento habẽda Oratione, sed ipsis factis est* Hom.6. in 1.ad Thes. *erubescendũ: Alioqui in illorũ trium Opusculorum Lectione senties vt spero (ô Lector) Spiritũ Dei præsentem: vt iã facilè agnoscas illud Isaiæ, requiescere diuinũ numẽ super humilẽ & contritũ corde: ac iã mirari desinas ingẽtes, prudentiæ & doctrinæ fama, viros, nec tot nec tantos fructûs spiritales Regum animis ingenerare: instituta verò à Regibus Gymnasia illũ nominis splendorẽ, quẽ à pauperculo homine, tãta fide & religione fundata Sorbona Parisiensis, nõ esse Dei Opt. Max. munere consequuta.*

INCIPIT LIBER D. ROBERTI DE Sorbona; de Conscientia.

Cap. 1. Iob.31.c.

LIBRVM *scribat mihi ipse, qui iudicat*, ait Iob. Hîc notanda sunt quinque. Primum est, quis est iste liber, quẽ petit Iob, & quare petit: Secundum est, videre vbi, & à quo audiendus est. Tertium est, de diuisione huius libri: Quartum est de introitu: Quintum est, de executione huius libri, scilicet per Prooemii, Tractatus Recapitulationis. De primo, nota quod si aliquis proposuisset modis omnibus se lecturum Parisiis, & qui prò nullo bona vellet refutari, quia incurret suspendiũ, multùm libenter sciret & quæreret, si deberet ei dici à Cancellario vel ab aliquibus de cõcilio suo, in quo libro deberet examinari si nullatenus sine examine posset licentiari: Multis enim magnalibus fit aliquãdo gratia, & licentiãtur sine examinatione. Omnes autẽ volumus ire in Paradisum omnes etiã qui ibi erunt, magistri erunt Theologię, & legent in magna biblia, scilicet, in libro vitæ, in Apoc.5. & 6. quo omnia sunt scripta. De quo in Apocalypsi, *Vidi librum scriptũ intus & foris.* Et plus sciet ille qui minus sciet in Paradiso, quã omnes Magistri qui sunt in mundo: quia dicit Augustinus; *Vnum magistrum* Ioh.13. *habemus in cœlis, quem semel vidisse, est totũ didicisse*: Gregorius: *Quid est quod non videt, qui videntem omnia, videt?* & Ioan. *Vos vocatis me, Magister & Domine, & benedicitis, sum etenim.* Et Matthæus; *Nolite vocari Rabbi super* Matt. 23. *terram, vnus est enim Magister vester Christus.* Omnes autem erimus examinati antequã licentiemur in Paradiso: Dicit enim Apostolus, *Omnes nos manifestari* 2.Cor.5. *oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum, Scientes ergo timorem Domini hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus, spero autem & in conscientiis vestris manifestos vos esse.* Nulli autem fiet gratia in die iudicii, quia tãtùm vel ampliùs habebit ibi pauper, quatùm diues. Act. 10. Dicit enim Petrus in Actis Apostolorum, *in veritate comperi, quod non est personarum acceptor Deus*: Et apud Matthæũ, dixerunt discipuli Pharisæorum & herodiani, *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum.* Quærit ergo Iob, tanquam prouidus & sapiens scholaris, in quo debet examinari, vt in illo possit sibi prouidere, dicens: *Librum scribat mihi esse, qui iudicat:* Glosa Gregorii, erit quandoque auctor iudicii, qui nunc est conditor libri. Et respõdet ei Paulus in prædicta auctoritate, & Daniel, qui 2.Cor.5. fuerunt de consilio magni Cãcellarii (scilicet Christi cui Deus Pater *dedit omne iudicium*) *Antiquus dierum* Ioh.5. *sedit, & libri aperti sunt coram eo*: Glosa, *Cõscientiæ & opera* Dan.7. *singulorum in vtraque parte, vel bona vel mala reuelantur.* Similiter exponitur 4. Sent. dist. 43. c. 3. *Vetustus dierum sedit, & libri aperti sunt coram eo.* Libri, sunt conscientię singulorum, &c. In hoc quod dicitur, *Antiquus*, nota, quia in *antiquis viget sapientia, & in multo* Iob.12. *tempore prouidentia.* Vnde, Glosa super id, *Antiquus dierum sedit*; *antiquus*, id est, seruus iudex & verus. Senex describitur, vt maturitas sententiæ cõprobetur. Aristoteles: Nemo Iuuenes eligit duces, quia non constat eos esse prudentes. In hoc quòd dicit, *sedit,* Iob.35. nota diligentem examinationem: quia sicut dicit Iob, *Omnipotens, singulorum causas diligenter intuebitur.* Scimus ergo in quo libro erimus examinati, quo in libro Conscientiæ. Sicut ergo demẽs esset Clericus cui certissimè diceretur vel mãdaretur à Cãcellario, in isto libro eris solum examinatus, quando petes licentiam legendi Parisios, qui omisso illi, studeret in aliis: sic certè demens esset, imo dementissimus, qui (post habito libro Conscientiæ) studet diligenter in aliis: vel qui magis in aliis quibusque libris studet, quàm in libro conscientiæ, in quo erit districtè examinatus, (sicut patebit post) & non in aliis. Patet ergo quod multi sunt dementissimi, qui

Stultissimus est qui in propriæ Conscientiæ libro nõ studet.

tamen reputantur sapiẽtes. Ait Christus apud Mat- A
Matth.11. thæum, *Cõfiteor tibi, pater cœli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & reuelasti ea paruulis.*

Quòd sententia Dei est irreuocabilis. Cap.11. Item si aliquis refutetur Parisiis à Cancellario, hoc non est, nisi per annum: qui si post annũ redeat, si benè respondet, licentiatur. Item, data sententia aliquando reuocatur per preces aliquorum, vel per dona, vel per seruitia aliquando data vel facta collateralibus Cãcellarij, vel examinatoribus aliis. Postquam autem Dominus aliquem refutauerit & sententiam dederit in die iudicij, perpetua erit; nec, prece, aut pretio, reuocari poterit. Apud Prophetã,
Nah.1. vbi nostra litera habet, *non consurget duplex tribulatio*, alia litera sine transuerso, Et *ideo iudicabit Deus bis in* B *idipsum*. Et Psalmographus: *Quæ procedent de labiis meis*
Psal.88.35. *non faciã irrita*: Et Iob. *Scilicet, locutus est Deus & secundò idipsum non repetit.* Aristoteles: quod dictum est, nõ
Iob.23. potest amplius sumi. Poëta. *Quod semel est emissum volat irreuocabile verbum.* Et si hoc verũ est generaliter, tum id maximè in Deo. Præterea, si dicat aliquis, quia in die iudicii præueniet magnum Cancellarium Deum vel Accessores suos, per maxima dona (quia dies est) antequam detur sententia, vel habebit intercessorem, vel allegabit fortiter, quia magnus Decretista & Logista, vel magnus Artista, quia scit omnia argumenta, omnes fallacias, audiat quid
Prou.6. dicat Sapiens: *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Veniet dies iudicij, in quo plus valebunt pura corda, quàm astuta verba, & Conscientia bona, quàm marsupia plena, quia tunc Iudex ille nõ falletur verbis, nec flectetur donis. Chrysostomus: tunc neque diuitiæ diuitibus proderunt, nec pro parentibus parentes intercedent, nec Angeli, sicut solebant, pro hominibus facient verbum quia natura Iudicii non recipit misericordiam.

Quòd, per sententiã, mali erunt infames. Cap. 3. Item si aliquis refutetur à Cancellario Parisiẽsi, non omnes sciunt, sed soli quinque, vel sex: sed quando aliquis in die iudicii refutabitur, non erit tam surdus qui non audiat, nec tam cæcus qui non videat, nec tam ignorans qui hoc nesciat, quòd iustè refutabitur. Et sic confusione cõfundetur: Quia, sicut dicitur apud Matthæum & Lucam, *Nihil opertum quod* tunc *non reueletur*, *& nihil occultum quod non*
Mat.10. Luc.11. Eccli.11.27 *sciatur*. Et, Sapiens: *in fine hominis, denudatio operum*
Ezech.16. *eius*. Et apud Ezechielem, *Nudabo ignominiam tuam coram omnibus amicis & inimicis tuis, & videbunt omnẽ turpitudinem tuam.* Et iterum: *Scies, quia ego Dominus, vt recorderis & confundaris, & non sit tibi vltra aperire os præ*
Isa.47. *cõfusione tua.* Isaias: *Reuelabitur ignominia tua, & videbi-*
Hiere.11. *tur opprobriũ tuum vltionũ copia, & nõ resistet mihi homo.* Ieremias: *quomodò confunditur fur quando deprehenditur, sic confusæ sunt domũs Israel*: &c. Psalmographus: *Ve-*
Psal.43.16. *recundia mea contra me est, & confusio mea faciei meæ cooperuit me.* E

Quod sententia diuina est indelebilis. Cap.14. Item, etiã si quis habet confusionẽ animi quãdo refutatur à Cãcellario, delebilis est & traditur obliuioni, per processum tẽporis: sed illa quæ erit in die Iudicii, erit indelebilis. Apud Sapientem, legitur:
Prou.6. *Adulter, propter cordis inopiam perdet animam suam, turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius*
Hiere.20. *non delebitur.* Et Ieremias: *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nusquam delebitur.*

Item quando aliquis refutatur à Cãcellario, non verberatur: sed qui refutabitur in die iudicij, verberabitur virga ferrea, & fustigabitur à valle Iosaphat vsque in infernum, & iterum à longo inferni in perpetuũ. Iob: *Congregabo omnes gentes in valle Iosaphat & disceptabo cum eis ibi.* Nec possumus respõdere, sicut
Iob.3. respondent aliquando pueri. Quando in scholis de Grãmatica, dicitur alicui puero, Repete lectiones tuas, quia in die sabbati eris verberatus si nescieris illas: Respondet puer, aliquando repetã, sed ludã satis: Si sum verberatus, benè valet, pro vna verberatione ero immunis, vel effugiã in die sabbati, vel fingam me esse infirmũ, & ita euadã. Qui sic posset facere in die iudicij, si nesciret respõdere de libro cõscientiæ, adhuc aliquid esset, & posset sustineri quod hîc faceremus quicquid vellemus, & in libro conscientiæ nostrę non studeremus. Sed certè verberabimur, nõ virgis vel corrigiis sed virga ferrea, sicut dicit Psalmista *reges eos in virga ferrea, & tanquam vas*
Psal.2. *figuli confringes eos.* Vas figuli non potest reparari cũ fractũ fuerit, nec ille sanari, qui sic verberabitur. Ie-
Hiere.30. remias: *Castigabo te in iudicio, insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.* Nec tamen pro illa verberatione erit adhuc immunis: quia dicitur apud Matthęũ, *Ligatis manibus & pedibus mittite eũ in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Ligatis pedibus*, sicut dicit
Mat.22.13. Augustinus, vt non possit effugere: *& manibus*, vt nõ possit se deffẽdere. Et, Matthæus, *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum.* Si alterum, non ergo pro ver-
Matt.25. beratione vna erit immunis: immò tantùm verberabitur, quod mors quæ in Mundo isto timetur ab homine, præ cæteris ab eo desiderabitur. In Apoca-
Apoc.9. psi: *Desiderabunt damnati, mortem, & fugiet ab eis.* Nec effugiẽt, quia sicut dicit Psalmista. *quò ibo à spiritu tuo,*
Psal.138.7 *& quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si*
Iob.10. *descendero ad Infernum ades*: Et, Iob: *Cùm sit nemo qui de manu tua possit eruere.* Nec poterit se fingere infirmũ. Psalmographus, *Scrutans corda & renes Deus.* Et Mat-
Matth.10 thæus *Nihil opertum quod non reueletur*, &c. Et maximè quia Dominus est optimus propheticus, & videt & D
Eccli.23. cognoscit omnia. Sapiens: *Oculi Dei omnia vident.* Et
Hebr.4. iterum: *oculi Domini lucidiores sunt Sole*, &c. Apostolus *Cõpagum & medullarũ & cogitationum discretor est Deus, Et non est vlla creaturarum inuisibilis in conspectu eius: Omnia autem nuda & aperta oculis eius ad quem nobis sermo.* Summa ergo dementia est, librum istum, scilicet, conscientiæ, negligere, & in aliis diligenter vel magis quàm in isto studere.

Quod improuisa erit Dei Sententia: Cap.15. Itẽ Cãcellarius Parisiẽsis nullũ præuenit vel coegit ad petendã licentiã, sed expectat quandiu volũt Scholares, imò grauatur multoties quòd instãt examinari, & petunt licentiã. Sed Deus, aliquos (antequã credãt) etiã inuitos facit venire ad examinatio-
nem: Aliqui enim, nunquam vellent venire. Apud
Luc.12.40 Lucam: *Estote parati, quia, quæ hora non putatis, Filius hominis veniet*, scilicet, ad examinandum & iudicandũ.
Matt.24. Item diuiti, qui sibi prouiderat de tanta multitudine ciborum, & qui tã diu purabat viuere, dixit De⁹, *Stulte, hac nocte repetam animam tuam àte, Et quæ anteà*
Luc.12. *parasti, cuius erunt?* Isaias: *Vlulate, quia propè est dies Domini.* In eodẽ: *Ecce dies veniet crudelis, & indignatio-*
Isa.13. *nis plenus, & iræ & furoris.* Ezechiel: *Prope est dies occisionis.* Malachias: *Ecce dies venit succensa sicut caminus, &*
Ezech.11. Mala.4 *erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula.*

Sapiens:

Sapiens: *Horrendè & citò apparebit nobis quoniam iudicium duriſsimum in his qui præſunt.*

Sap.6.

Quod cauendum & cogitandũ ſit de Dei Sententia. Cap. 7. Iob.31.

Vide ergo dementiam illorum qui non prouident ſibi in libro iſto, ſcilicet conſcientiæ ſuæ. Ideo ſollicitus quærebat Iob, *quid faciã, cùm ſurrexerit ad iudicandum Deus? Et cùm quæſierit, quid reſpondebo illi:* Vtinam iſtam quæſtionẽ frequenter faceremus. Hieronymus: Siue comedã, ſiue bibam, ſiue aliquid aliud faciã, ſemper intonare videtur auribus meis illa tuba terribilis, Surgite mortui, venite ad iudiciũ. In vitis patrum, dixit Abbas Amon cuidam Fratri interroganti aliquem bonum ſermonem, Vade, & fac talem cogitationẽ tuã, qualem faciunt illi qui ſunt in carcere. Illi enim, vbi eſt Iudex, & quãdo veniet, ſolliciti quærunt, & in ipſa expectatione pœnarum ſuarũ plorant. Sic quilibet Chriſtianus debet animã ſuam obiurgare, dicens: Væ mihi, quomodò habeo adſtare ante tribunal Chriſti, & actũ meorũ reddere rationẽ! Et, ſi ſic ſemper meditatus fueris, poteris ſaluus eſſe: Sin aliter debemus facere ſicut faciunt illi qui debent ire ante Cancellariũ, ad examinationẽ, qui vigilanter ſtudent in libro illo in quo debẽt examinari, aliis poſtpoſitis, parum bibunt, parũ comedunt, omnia ſcripta quæ ad hoc valent, diligẽter quærunt, & Magiſtros de hoc legentes audiũt aliis relictis, Et vix poſſunt incircunſpecti eſſe, quin per-

Pſal. 76.7.

cipiatur à ſociis ſuis q̃ ſint in examinatione. Pſalmiſta: *Meditabar; Numerabam morte cum cordemeo, exercitabar & fouebam ſpiritum meum:* quaſi dicat, Dies non ſufficiebat mihi. Nocte, cùm ad ſecretum lecti tui veneris, dic animæ tuę: O anima mea, quid boni maliue fecimus hodiè? Et de malis pete veniã, de bonis verò, redde gratias Deo. Vnde quidam bonus homo, quaſi *flens*, iſta verba ſerò cõſuerat de ore ſuo. *Beau Sire* Dieu, de tous mes maux vous crie mercy, De tous voz biens ie vous mercy? Vnde Verſus:

Parce malis, Chriſte, de donis laudo tuis te.

Quod in iudicio, oportebit de omnibus reddere rationem. Cap.8.

Item ſi Cancellarius Pariſiẽſis examinet aliquẽ clericũ, in aliquo libro, ſufficit quòd reddat ei ſeptẽ vel octo lectiones: ſed de libro Conſcientiæ, volet magnus Cãcellarius (ſcilicet Deus) audire in die Iudicij, à principio vſque in finem. Quia dicitur Sapiens: *Sapientiam* (id eſt, filium Dei, cui dedit Deus Pater omne iudicium) *non vincit malitia, Attingit enim à*

Sap.8.

Eccles.vlt.

fine: id eſt, à puncto, *vſque in finem.* Eccles: *finem loquendi pariter omnes audiamus, Deum time & mãdata eius obſerua, hoc eſt omnis homo*: id eſt, ad hoc, eſt omnis homo. Cuncta quæ fiunt, adducet Dominus ad iudicium, pro omni errato, ſiue bonum ſiue malum ſit, etiã de minimis, quia & de cogitationibus interrogabit. Sapien. 1. *In cogitationibus impijs interrogatio erit.* Idẽ: *Deus interrogabit opera veſtra, & cogitationes veſtras ſcrutabitur.* Iob: *Nonne ipſe conſiderat vias meas?* Gloſa Gregorij: ſic Deus vias vniuſcuiuſque põderat, ſic greſſũs diminuerat, vt nec minutiſſimæ cogitationes, eius iudicio, nec verba tenuiſſima quæ apud nos inualuerunt, indiſcuſſa remaneant. Item de verbis otioſis, Matthæus: *Omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, reddent rationẽ de eo in die Iudicij, Ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Et nota; ſi verbis otioſis oportet reddere rationem, quid de verbis luxurioſis, & de periuriis, & de blaſphemiis,

Sap.1. Sap.6. Iob.31.

Matt.12.

A & de omnibus operibus malis? Ambroſius ſuper hoc; *de omni verbo otioſo*, &c. Sicut de omni verbo otioſo oportet reddere rationem, ita de omni ſilẽtio. Et diſtinguitur tribus modis ſilentium. Eſt enim quoddam, malum; quoddam, peius, quoddam, peſſimum. Peſſimum eſt, quando aliquis videt Proximum ſuum in peccato mortali, quem poteſt corripere, & de quo probaliter credit, quòd propter ipſum dimittet peccatum illud vel ſimpliciter, vel ſaltem ad tempus, ſi diligentiam adhiberet, & faceret quod in ſe eſt. Ezechiel: *Si non annunciaueris impio nec*

Silentium triplex.

Ezech.3.

loquutus fueris vt auertatur à via ſua impia & viuat, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinẽ autem eius de manu

B *tua requirã.* In Gloſa interlineari: *Morti cui non contradicis, adiungeris.* Chriſoſtomus: *Sic tolerandi ſunt mali, vt tamen non taceatur iſtis talibus, quia ſi tacuerimus, alios perdimus: ſed ſic ſeruetur moderatio fixa admonitione, vt & lingua clamet, & cor amet.* Apoſtolus: *Non ſolùm qui mala faciunt ſed & qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte.* Gloſa Auguſtini: Agens & conſentiens pari pœna puniẽtur. Dicitur autem in Gallico: *Qui tacet, cõcedit.* Eſt autem multiplex conſenſus, ſufficientiæ,

Roma.

Conſenſus multiplex.

negligentiæ, conſilij, adulationis, cooperationis & auctoritatis: quia ille facit, cuius auctoritate fit. Cõſentire, eſt tacere cùm prodeſt arguere. Gregorius in moralibus. *Charitas zelus eſt qui corrigere non valet,*

C *increpare non deſinit, ne ſe participem delinquentum, conſenſu taciturnitatis adiiciat.* Auguſtinus: *Tantùm torquet Iuſtum iniquitas aliena, quantùm recedit à ſua; peccata enim proximorum frixoria ſunt Iuſtorum,* Bernardus: *quod corrigere nequeo, quaſi ſuper impoſitum onus porto.* Secundum ſilentium eſt, quãdo aliquis tacet cùm videt Proximum ſuum non penitus adhærentem bonis, nec penitus malis; ſed videt eum quaſi natãtem inter duas aquas; Et quòd vult eſſe benè (vt vulgo dicitur) de canibus & de caſtratoribus: Et de talibus dicit Mũ-

D dus, quòd ſapientes ſunt & liberales, quia optimè ſciunt ſe habere cum omni genere hominum, & quòd bonum eſt tales promouere. Sed poteſt dici quòd tales, ſunt Veſpertiliones, qui ſunt viliſſimæ beſtiæ & odioſæ, de quibus neſcitur, vtrùm ſunt animalia greſſilia vel volatilia. Nota etiam de veſpertilione, quod cùm eſſet magna diſcordia inter animalia quadrupedia & volatilia, etiam aſſignata die ad bellandum, ſeſe abſentauit veſpertilio, cogitãs quod non iret ad bellum, ſed videret quis completo bello meliùs haberet, & cum illo ſe teneret. Facto autem bello, & multis interfectis & vulneratis ex vtraque parte, occurrerunt Quadrupedia Veſpertilioni dicentia, accipite, ſuſpendite inimicum veſtrum. Dixit autem veſpertilio: Hah, boni amici, quid dicitis? ego ſum de veſtris; Et oſtendit eis ſuos quatuor pedes; & ſic euaſit. Similiter, Auibus ei obuiantibus dixit, & oſtendit eis alas ſuas, & ſic euaſit. Si tales homines, cùm ſint cum papelardis viris & religioſis, dicunt; Orate pro me, & faciunt

Politici, ſunt ſimiles Veſpertilionum.

Fabula de Veſpertilione, cõtra Politicos.

E gallum implutum, † & contrafaciunt Magdalenam: Et quando ſunt cum mundanis, faciunt ſicut mundani, vel peius, & detrectant de peregrinis & religioſis viris, & deridẽt, vt habeant beneuolentiam mundanorum. Vnde vidi quendã, qui cùm erat coram magnis beguinis, habebat magnum Supertunicale rotundũ cum magnis & latis

† vel, implumem.

manicis de camelino, & coram mundanis habebat de Bruneta ſciſſum ante & retro, ſtrictum, ſiue manicis de Vario foderatum. Vnde qui videt tales; nõ debet tacere, ſed debet monere eos, & fideliter laborare, quouſque adhæreant bonis. Tertium ſilentium eſt, quãdo aliquis tacet cùm videt proximum ſuum; qui & ſi ſe teneat cum bonis & non malis, tamen tepidus eſt & remiſſus. De his, Iohannes in Apocalipſi; *quia tepidus es, & non frigidus* per timorem, vel calidus per amorem, *incipiam te euomere de ore meo.* Apoc.3.

Debet etiam incitare ad hoc, quòd ſit feruẽs & virilis, & quòd proficiat ſemper in melius: quia ſicut dicitur in Pſalmis; *ibunt* ſancti *in virtutem de virtute,* Pſal.83.8. *vt videatur Deus deorum in Sion.* Quia charitas ante deficit quàm non proficit, ſicut dicit Gregorius. Tertium, malum, ſecundum peius, primum, peſſimum. Auguſtinus: Non putes te ſeruum tuũ amare, quando nõ cædis, aut tunc amare filium tuum, quando ei non das diſciplinam, aut tũc amare vicinum tuũ, quando eum non corripis. Non eſt iſta charitas, ſed languor. Gregorius: *Si iſte eſſe Dei dicitur, qui ad ferenda vitia intuitu diuini amoris vel feruore excitatur, profectò, eſſe ſe Dei denegat, qui in quantùm ſufficit, increpare vitam criminalium recuſat.* Nota autem quòd tales, ſunt monachi diaboli, qui ita benè ſeruant prædictum ſilẽtium, cùm vix inueniretur inter monachos Dei, qui ſuum ſilentium per dimidium annum. Illi autem ſeruauerunt per decem annos, vel à principio amplius, nec volunt aliquo modo frangere.

Quód de tempore oportet reddere rationem in die Iudicij. CAP. XI. Math.10.

Item, de tempore quod hodie ita vili penditur; interrogabit Deus. Omne tempus tibi impenſum, requiretur qualiter à te fuerit expenſum. Item, ſicut nec capillus de capite peribit, ita nec momentum de tempore. Apud Matthæum: *Capilli capitis veſtri, omnes numerati ſunt.* Et miror dementiam eorũ qui ſtudent, quomodo poſſint tempus ſuum perdere, dicentes: Ludamus ad aleas, & huiuſmodi, & interim trãſibit tempus, & trademus illud obliuioni ſic ludendo. Bernardus: *Volat verbum irreuocabile,*

Cõtra ocioſas confabulationes *nec aduertit inſipiens quid amittat.* Libet fabulari, ait, donec hora prætereat, donec tempus tranſeat. O; donec hora prætereat, quantùm, ad agendam pœnitentiam, quantùm ad obtinendam veniam, & acquirendam gratiam & gloriam promerendam, miſeratio Conditoris indulget? O, donec tempus trãſeat? qui diuinam propitiare debueras pietatem, properare ad euangelicam ſocietatem, ſuſpirare ad Iac.1. omiſſam hæreditatem, aſpirare ad promiſſam felilitatem, excitare remiſſam noctem, flere cõmiſſam iniquitatem!

Quod Dominus in propria perſona tenebit Iudicium, & ideo horrẽdum. Cap. 10.

Item ſi aliquis reſpondeat coram Cancellario, de quatuor quæſtionibus, ad tres, benè tranſit, & licentiatur! Sed, ſi aliquis coram magno Cancellario in die Iudicii, de mille, defecerit in vna, refutabitur. Iacobus: *Qui totam legem ſeruauerit, offenderit autem in Vno, factus eſt omnium reus,*

Item Cancellarius non audit omnes qui licẽtiantur, in propria perſona, ſed facit eos audiri ab aliquibus aliis magiſtris. Multi autẽ benè reſpondent coram aliquibus ſimplicibus, qui malè reſponderent coram Cancellario, perterriti & ſtupefacti propter magnitudinem ſuæ ſapientiæ. Exemplum de monacho qui erat electus in Abbatem, & præſentatus fuit à ſuis monachis Guiardo Epiſcopo qui voluit A eũ examinare, ſicut mos ſuus erat de omnibus nec parcebat alicui, & dedit ei Miſſale, dicens: Verte in quacunque parte volueris. Et Electus, ſtupefactus & tremens ſicut tremit folium ſuper arborem quãdo ventat fortiùs, vix potens tenere librum, dixit ad quid verterem in libro? nihil ſcio in illo. Et dixit Epiſcopus quòd erat Miſſalle in quo multoties legerat; Non enim erant Priora, aut *Poſteriora*, vel decretales, vel Leges. Qui reſpõdit, quod nec in Miſſali, nec in alio libro aliquid ſciret dicere, nec in ſuo. *Pater noſter.* Quæſiuit Epiſcopus, quare: Qui reſpõdit, quòd pro timore quẽ habebat de illo Epiſcopo pro magnitudine ſcientiæ ſuæ, cum eſſet vnus de maioribus de Mundo. Et rogauit Epiſcopum, vt iſtã gratiam ei faceret, quòd faceret eum audiri ab aliquibus ſociis ſuis, quia meliùs ſe haberet corã ſociis Epiſcopi quàm coram Epiſcopo. Quod conceſſit ei prædictus Epiſcopus. Sed ecce Deus in die Iudicij, omnes ſingulariter examinabit in propria perſona, & in plena vniuerſitate; nec alij committet, aliquo modo, cuiuslibet ſit ſcientiæ. Ad ſcientiam cuius Dei, nulla eſt cõparatio prædicti Epiſcopi, vel cuiuſque magni clerici. Pſalmographus: *Sapientiæ eius* Pſal.146.5. *non eſt numerus.* Et, Ioãnes: *Pater non iudicat quenquã, ſed* Ioh. 5. *omne iudicium dedit Filio*, id eſt, iudiciũ de omni. Iob: *Omnipotens, ſingulorum cauſas diligenter intuetur.* Si ergo ita ſtupefactus fuit & ita timuit Monachus coram Iob.35. prædicto Epiſcopo, quid faciemus in die Iudicij, vbi non erit quærela de Abbatia vna, ſed de regno Paradiſi & patibulo Inferni, in quo nulla eſt redemptio? Iob *Columnæ cœli contremiſcent & pauebunt* Iob.27. *ad nutum eius*: Gloſa, *Columnæ*, id eſt, ſancti Angeli, vel Mal.3. ſummi Eccleſiæ Prædicatores. Malachias: *Quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim eſt ignis conflans.* In Apo- Apoc.6. calipſi, *dicent montibus & petris, cadite ſuper nos & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni.* Ioh.18. Auguſtinus: *Mallent Reprobi omne tormentum ſuſtinere, quàm faciem iratj Iudicis videre.* Auguſtinus ſuper illud Ioannis: *Ego ſũm*, qui ceciderũt ad vnam vocẽ Chriſti morituri, quid facient ſub voce Iudicaturi? Gloſa, in moralibus: *Quis eius iram toleret, cuius & ipſa mã-* Iob.26.14. *ſuetudo non poterat tolerari?* Iob: *Cùm vix per vnam ſtillam verborum eius audiuimus, quis poterit tonitru magnitudinis eius intuen?* Item Epiſcopus ille G. non erat armatus Ezech. 21. nec tenens arma & circundatus multitudine maximorum armatorũ, ſicut in die Iudicii. Ezechiel: *Egredietur gladius meus exacuatus & limatus de vagina* Apoc. 1. *ſua, ad omnem carnem*; id eſt, ad criminaliter viuentes. In Apocalipſi, *Gladius ex ore eius, ex vtraque parte acutus;* Apoc.19. id eſt, ſententiam, qua anima in corpore damnabitur, exhibebit. Item in Apocal. *De ore eius procedebat gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipſo percutiat gentes, & ipſe regat eos in virga ferrea.* O, quàm auguſtæ erunt reprobis vię! Superiùs erit iudex iratus, ſubtus horrendum Chaos inferni: à dextris, peccata accuſantia, à ſiniſtris, infinita dæmonia ad ſupplicum trahentia: intus Conſcientia vrens, foris, Mundus ardens: Omiſer peccator! ſic deprehẽſus, quò effugies? Latere, erit impoſſibile, apparere, intolerabile. Si quæras, quis eum accuſabit? dico, perditum hunc totus mundus odio habet, perſequitur eum flam- Pſal. 12.1. ma & ignis! Pſalmographus: *Sicut ignis qui com-* Pſal.69.2 *burit ſyluam, & ſicut flamma comburens montes, ita perſequêris eos in tempeſtate tua.* Item: *Ignis ante ipſum* Sap.5. *præcedet*

præcedet, &c. Sapiens: *Accipiet armaturam zelus illius & armabit creaturam ad vltionem inimicorum; induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum; sumet scutū & inexpugnabile, æquitatē; acuet autem iram diram in lanceam, & pugnabit cum illo omnis orbis terrarum in insensatos.* Apud Matthæum: *in consummatione sæculi. mittet Filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, vbi erit fletus & stridor dentium.* Potes & alia multa inuenire de pœnis damnatorum, in Sententia de virtutibus; capitulo, de timore. Pater ergo dementia illorum qui in libro Conscientiæ suæ noluerunt studere, & sibi prouidere; vel diligentiùs student in aliis libris; libros dico, pellium vel pecuniarum; quàm in libro Conscientiæ.

Matth. 13.

Item si vix sufficiet aliquis quantuncumque studuerit in libro Conscientiæ suæ, respondere de illo in die Iudicij, quomodò is qui nunquam in illo studuit? Est id quod cantat Ecclesia; *Vix iustus saluabitur, & ergo miser vbi parebo?* Iob. 9. *Verè scio quòd non iustificabitur homo comparatus Deo; si voluerit contendere cū eo, non poterit respondere vnum pro mille.* Quid ergo erit de Prælatis & Principibus, quos non oportet respondere pro se solùm sed pro tot millibus; scilicet, pro omnibus subditis suis? Vnde in tertio libro Regum: *Custodi virum istum; quasi lapsus fuerit,* erit anima tua pro anima illius. Apostolus. *Obedite præpositis vestris, & subiacēte eis ipsi enim peruigilant, quia rationem reddituri sunt pro animabus vestris.* Veniant, veniant ante tribunal Christi, vt audiatur pupillorum querimonia grauis, accusatio dura contra eos, quorum maximè stipendiis viuunt nec diluēre peccata. Augustinus, ad quendam Comitem: *De omnibus qui in domo tua, id est in iurisdictione tua sunt, oportebit te reddere rationem.* Putás-ne; & his qui principantur, in tantis periculis & tantis negligentiis posse saluari? Sapiens. *Audite Reges, & intelligite, discite Iudices finium terræ, præbete aures qui continetis multitudines & placetis vobis in turbis nationum:* Et sequitur; *quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet; Exiguo enim conceditur misericordia, potētēsque potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio.* Nota ergo dementiā illorum qui ita anhelant ad prælationes & dignitates & potestates, qui non sufficiunt aliquo modo respondere pro se, & nituntur modis omnibus se obligare pro aliis respondere.

Quomodo poterūt respōderet Prælati. CAP. XI.

Iob. 9.

3. Re. 20. Hebr. 13.

Sap. 6.

Sequitur videre de secundo: scilicet, vbi liber iste (scilicet, Conscientiæ) & à quo audiendus. Legitur autem in confessione; quin nullus nisi demens, hunc librum aperire nisi in confessione. Item Iob. *quid faciam cùm surrxerit ad iudicandum Dominus, & cùm quæsierit, quid respondebo illi?* Postea: *quis mihi tribuat auditorem*, id est, bonum confessorem, *vt desiderium audiat omnipotens?* &c. Nota qui non habetur pro Scholari Parisiis, qui ad minus non vadit bis in hebdomada ad scholas: quomodò ergo reputabitur pro Scholari Parisiis, qui non vadit nisi semel in anno? Multi autem sunt qui non vadunt ad confessionem, nisi semel in anno.

De confessione, primo quòd debet esse frequens. CAP. XII. Iob. 21.

Item non reputatur aliquis Scholaris propter lectiones transitorias, nisi audiat ordinarias, nec repeteretur à magistro aliquo, si caperetur aliquo casu, à præposito & poneretur in Castelloto: Multi autem sunt qui nunquam fecernut confessionem suam nisi transitoriè; scilicet, currendo & transeundo quasi gallus super primas, quàm citius possunt; & sola aliqua peccata dicendo, grossa & multa omittendo: tales, nō reputat quasi Scholares suos ille qui dicit, *Vos vocatus me, Magister & domine, & benè dicitis, sum etenim.* Non liberabit eos à præposito Inferni, quando capiet eos, sed remanebunt in castelloto Inferni, incarcerati. Et cū clamabunt ad Dominum, non exaudiet eos, sed dicet; *nescio vos*, scilicet, meos esse discipulos. Non vidi vos in scholis meis, nec semel in anno, & nisi transitoriè; non est bonus talis scholaris, sed qui dicebat; *confiteor tibi Domine in toto corde meo*, &c. Ideò *confitebor Domino nimis in ore meo*, & plusquam alij, & tantū quòd fortè vertetur in tædium confessoribus meis. Non sufficiebat autem ei dies, sed tanquam bonus Scholaris, media nocte surgebat; *media nocte* (inquit) *surgebam ad confitendum nomini tuo*, &c. Et iterum; *meditabar nocte cum corde meo*, &c.

Ioan. 13.

Psal. 9. Psal. 108. 30

Psal. 118. Psal. 76.

Item ille qui frequentat magis scholas, & diligentiùs Magistrum audit; debet melior clericus reputari. Ergo Begumi, siue in seculo, siue in religione; & libro isto (scilicet conscientiæ) sunt sapiētiores, quia frequentiùs & pluries confitentur, sicut patet ad oculum: imò propter hoc dicuntur papalarei, quia frequentant cōfessiones. Multi multa sciūt & seipsos nesciunt. Quærunt Deum per exteriora, & derelinquunt sua interiora: Sed quid prosunt litteræ eruditionis Prisciani, Aristotelis, Iustiniani, Gratiani, Galeni & sic de aliis; in pellib⁹ouinis & caprinis nisi deleas de libro cōsciētię tuę litteras mortis? Quid prosūt hæc lecta & intellecta, nisi teipsum legas & intelligas? Legere enim, & non intelligere, est negligere. Legere scilicet in pellibus ouinis & caprinis, & non intelligere; est negligere: ideo dementia est; cùm in isto, tam districtè debeamus exāminari, & hoc non in aliis! Dà igitur diligentem operam internæ lectioni, quia melior & laudabilior & sapientior es si teipsum cognoscas, & teipsum legere facias; quàm si, te neglecto, cognoscceres cursus Syderum, fundamenta terratum, vires herbarum, complectiones hominum; haberes etiam notitiam omnium cælestium, terrestrium, & infernorū. Nota quod in plena congregatione Parisiis, coram omnibus, qui meliùs responderet, melior clericus esset vel diceretur, cunctis obmutescentibus. Ille autem qui frequentius vadit ad scholas confessionis, & diligentiùs studet in libro conscientiæ suæ meliùs respondebit in die iudicij, in plena vniuersitate, summo magistro opponente. Ergo melior & sapientior Clericus debet dici, qui meliùs scit confiteri. Magnū erit dedecus magistris de Artibus, & magna derisio etiā magistris in Decretis & in Theologia, qui modò nolunt studere in libro conscientię suæ; quia nescient respondere; Ideò obmutescent in die iudicij coram omnibus, vbi aliqua Beguma, vel conuersus, vel monachus simplex optimè respondebit, qui totam suā intentionem ponit ad scrutādum & sciendum librum conscientiæ suæ. Psalmographus: *qui habitat in cœlis, irridebit eos*, &c.

Quòd integra esse debet confessio: CAP. XIII.

Quòd frequens esse debet confessio. CAP. XIIII.

Psal. 24.

Item scholares dant pretium & aliquando expēsus & vestes magistris suis: Dominus autem, tanquam magister optimus cibū dat scholaribus suis. Psalmographus: *In voce exultationis & confessionis so-*

Quæ bona debet confessio. CAP. XV. Psal. 41 5.

nus epulantis. Confitentes enim, voraciter reficiũtur spiritualiter; sicut multi experti sunt. Cibus enim fortificat, delectat & roborat, calefacit, & leuiorem ad ambulandum facit; quod spiritualiter sentiunt in seipsis, veraciter confitentes. Item; nouis vestibus & pretiosis indumentis induit Dominus discipulos suos; id est, verè & integrè confitentes: Psalmographus; *Confessionem & decorem induisti.* Apostolus; *Exuite veterem hominem, & induite nouum qui secundum Deũ creatus est.* Et hoc benè significatum fuit in filio Prodigo redeunte ad patrem, & peccatum suum confitente; de quo dictum est apud Lucam, *Proferte stolam primam*; id est prætiosam vestem, &c.

Psal. 103. 91 Eph. 4. Col. 3. Luc. 15.

Item si esset quis magister pater, qui daret cuilibet Scholarium suorum bonam prębendam cathedralem, vbicunque vellet eligere; propter dignitatem, multos haberet Scholares: imò, quis locus posset capere? Et certè alij magistri quantumcunq; probi essent, possent benè ponere mellas suas, quia nullos haberẽt Auditores. Dominus autem, bonus magister est; qui confert omnibus scholaribus suis (& solùm, suis) Præbendas optimas: scilicet, Præbẽdam gratiæ, quæ præualet omnibus præbendis de Mundo; nec facit eos diu expectare, sed confert eis in prima die qua verissimè intrant Scholas eius, scilicet confessionis. Quia vt dicit Dominus apud Prophetam; *ducam eum in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Et nota quod nõ erubescit Dominus legere vni soli Scholari: quod est contra superbos magistros & Prædicatores, qui nolunt legere vel prædicare nisi habeãt multitudinem magnam scholarium & Auditorum. Prætereà dabit Dominus præbendam gloriæ. In Psalmis: *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Apostolus, *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum*, &c. Dabit autem Dominus præbendam his qui Scholares sui, perseuerando, fuerunt: Apud Matthæum; *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*; Et qui bene se habebit hîc, in præbenda gratiæ: quod est contra multos prælatos; qui non probatos priùs in paruis, tam citò promouent ad maiora quę possunt dare: Apud Matthæum: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gloriam Domini tui*: Id est, quia benè te habuisti in præbenda gratiæ hîc collatæ, accipe præbendam gloriæ. Vide ergo dementiam multorum qui Scholas huius Mundi volunt frequentare; sed semel in anno solummodo, & hoc cursoriè frequentãt scholas criminis mũdi & diaboli, qui eis omnia auferũt.

Ose. 2. Psal. 83. 12. Hebr. 9 c. Matth. 10. Matth. 25.

Item stultissimus esset, qui à peiori magistro qui esset Parisiis, vellet audire librum suum in quo deberet districtissimè examinari, aliis bonis magistris relictis: quod faciunt multi qui eligunt sibi peiores confessores quos possint inuenire, & fugiũt bonos. Exemplum de illo qui dixit qui peiores vsque huc, deuians, semper quæsiuit confessores: quia, quando iacuerat cum muliere, quærebat sacerdotem qui tenebat concubinam suam, & ei confitebatur. Et quęrebat Sacerdos ab eo, si fecetat mulieri illi cum qua iacuerat, vim: & dicenti, quòd non: dicebat; non est, Pater noster; Pater noster. Et similiter quando laborat tãtùm quod ebrius erat, querebat Sacerdotem qui libenter ibat ad tabernam, & qui sæpè ebrius erat, & confitebatur ei: qui quærebat, si benè soluerat; Respõdenti, qui sic: dicebat Sacerdos quòd melius esset bibere suum quàm alienum; *Pater noster, Pater noster.* Et dixit peccator omnibus socijs suis, quod nõ erat melior cõfessor nec qui citiùs expediret confitentes, quàm ille; & collaudauit sociis suis, vt irent ad illum. Exemplum de eo qui quæsiuit sacerdotẽ per tres leucas, qui erat cæcus, vt non posset eum videre vel cognoscere per confessionẽ suam. Nota q; tales, qui sic quęrunt malos sacerdotes relictis bonis, similes sunt Iudæ proditori qui quando pœnituit, non fuit confessus melioribus (scilicet Apostolis) sed Pharisæis qui erant participes sui criminis; dicens eis: *Peccaui, tradens sanguinem iustum*; In quibus, nihil inuenit consilij, nihil auxilii, sed magnum argumentum sui doloris & suæ desperationis, Dixerũt enim; *quid ad nos?* Tu videris! Quærat ergo confitens, bonum confessorem & sapientem, qui sciat discernere *inter lepram & lepram.* Et sicut medicus peritus, variis infirmitatibus competentes & proprias adhibere medicinas: Alioquin, *si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt.* Licentiam tamen confitendi alij Sacerdoti sapientiori, capiat à suo sacerdote: Aliud enim est, ex contẽptu vel odio, proprium sacerdotem fugere, aliud, Ecclesiam vitare. Si verò noluerit dare licentiam, confiteatur ei & absoluatur, tunc, quemcunque voluerit peccator, confessorem consulere poterit.

Iudæ similes sunt qui Peccatores cõfessores studiosiùs exquirunt. Matth. 27. Matth. 15.

Nota quòd diabolicus esset magister, & dignus deponi de magisterio, vt inuidus & timens ne ignorantia sua appareret, vel maximè superbus & præsumens, si non vellet vt clerici sui post lectiones suas ab alio addiscerent in lectionibus vel disputationibus quando cessaret eis legere, & melius vellet vt essent otiosi. Quod faciunt aliqui confessores, qui irascuntur de hoc quòd subditi sui aliis cõfitentur, postquam confessi sunt eis; cùm tamen ad hoc officium vix sufficiat aliquis, quantuncunque sit bonus & sapiens. Et certè bonus & sapiens, de hoc rogat discipulos suos, quòd aliquando audiant ab aliis. Scit enim quod plus diligent eũ, & plus honorabunt eum, præterea & libentius audient ab eo, quando videbunt quod magister eorum ad hæc diligentiùs & meliùs docet eos quàm alij, & vt referant ei opiniones aliorum: Et sic est de bonis confessoribus. Et certè, cõfitentes mihi, multa me docuerunt quæ ab aliis confessoribus audierunt.

Quòd liber concedi debet à Sacerdotibus vt aliis confiteamur: CAP. XXI.

Et nota dementiam illorum Sacerdotum qui nondum vel audierunt vel legerunt librum istum, etiam semel, ordinariè, & nec per vnum diem fuerunt veri discipuli de hoc libro conscientiæ, nec volunt esse, nec sciũt adhuc introitum huius libri, nec nomen vel nomina librorum spiritualium huius libri, quod faciunt populi Grammatici de libris suis, & præsumũt esse magistri huius libri, (scilicet conscientiæ) qui etiam difficillimus videtur & profundissimus. Hieremias, *Profundum est cor hominis atque inscrutabile, quis cognoscet illud?* Psalmographus: *delicta quis intelligit?* &c. Magistri (inquam) tot & tantorum subditorum. Et certè magnus magister Deus, faciet eis in die Iudicii, sicut paruis magistris in schola de Grãmatica. Magnus enim magister, quando audit lectiones discipulorum suorum in die sabbati, si aliqui puerorum nesciant suas lectiones, & inueniat quod magister eorum sit in causa, vel sit occasio, vel quia non benè legit eis, vel quia negligens fuit, verberabit

Quòd imperiti non debent audire confessiones. CAP. XVIII. Hier. 17. Psal. 18. 13.

Quòd eligendus est discretus confessor. CAP. XVI.

berabit pueros, & magis magiſtrum eorum. Sic Deus verberabit Prælatos & puniet, pro ſe ſubditis ſuis ſi propter defectum eorũ errauerint. Ezechiel:

Ezech. 3. *Si non annunciaueris impio nec locutus fueris, vt auertatur à via ſua impia & viuat, & c. ſanguinem eius de manu tua requiram*: Gregorius, id eſt, *morti, cui non contradicis, adiungeris*. Idem ibidem: *quia tacuiſti, & noluiſti eſſe ſolicitus in prædicatione ſimiliter in confeſſione; particeps eris in damnatione.*

Quòd Prælati facilè dare debẽt licentiam confitendi aliis. CAP. XIX.

Demens igitur eſt Prælatus vel Confeſſor qui nõ vult quòd ſubditi ſui mulierem quærant Confeſſorem, quàm ipſe, ſi inuenire poſſint. Similiter demẽtes ſunt, ſi non quærant. Hæc autem eſt vna de laudibus incipientium magiſtrorum Pariſiis, quod à melioribus magiſtris de villa audierunt. Nota quod vix poteſt eſſe bonus Clericus, qui à pluribus magiſtris non audiuit. Similiter vix poteſt eſſe bonus confeſſor, vel benè Confeſſus, qui pluribus non fuerit confeſſus. Auguſtinus: *Quantò pluribus confitebitur quis turpitudinem ſui criminis, tanto facilius conſequẽtur gratiam remiſſionis.*

Quòd Cõfeſſor debet habere zelum Dei. CAP. XX.

Et nota quod plus valet ad legendum librum iſtũ (ſcilicet Conſcientiæ) zelus & diligentia, manſuetudo & experientia, multa quàm librorum copia, vel ſcholaris ſcientia, maximè in cõmunibus peccatis

Pſa. 89. 10. Pſalmographus: *Superuenit manſuetudo, & corripiemur.*

Ioan. 16. Chriſtus apud Iohannem. *Cùm venerit Paracletus, docebit vos omnem veritatem*: ſupple, neceſſariam ad ſalutẽ. Gregorius: *Ars artium, zelus animarum*.

Pſal. 18. 84. Pſalmographus. *Lex Domini immaculata, conuertens animas*: id eſt, *qui ſe tenet immaculatum, conuertit animas*. Vnde videmus apertè, vbique, quòd magis proficiũt & profecerũt ab initio Eccleſiæ in cõuerſione peccatorũ, à paucis literis, zelum animarũ habentes, peccatoribus cõpatientes, q̃ magni literati, de ſua ſciẽtia gloriantes vel etiam præſumentes. Falleris filî, ſi te putas apud magiſtros Mundi hanc ſcientiam inuenire quàm ſoli diſcipuli Chriſti (id eſt contemptores Mundi) diuino numine ſunt aſſecuti. Non hanc docet lectio, ſed vocatio, non litera, ſed ſpes, non eruditio, ſed exercitatio in Mandatis Dei. Pſalmographus:

Pſal. 118. *& mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viã iniquitatis*. Super hoc, Gregorius: *Cuſtodia Mandatorum, apperit intellectum occultorum.*

Quòd proprius Sacerdos non eſt fugiẽdus. CAP. XXI.

Item nota quod boni Scholares Pariſiis libentiùs audiunt à magiſtris compatriotis ſuis, & magis notis & familiaribus ſibi, maximè ſi ſint æquè boni vel meliores, q̃ ab aliis: imò erubeſcunt maximè, audire ab extraneis magiſtris, ſibi familiaribus, æquè bonis vel melioribus, omiſſis: quia de ſuis dubitabilibus, meliùs & faciliùs & ſecuriùs poſſunt ad ſibi familiares recurrere. Quod eſt contra illos, qui bonos confeſſores ſibi notos fugiunt, minùs bonos, extraneos, accipientes. Cato: *Nec quiſquam melior medicus, quàm fidus amicus*. Idem: *Conſilium arcanum tacito committe ſodali*. id eſt, Confeſſori, qui tacitus eſt. Sapiens:

Prou. 25. *Cauſam tuam tracta cum amico tuo, & ſecretum extraneo ne reueles.*

De Partibus, & materia confeſſionis. CAP. XXII.

Notandum quod liber conſcientiæ diuiditur in tres partes, proœmiũ, tractatum, & epilogum: quia ſicut, in proœmio, generaliter ea quæ poſteà ſequũtur in ſpeciali: ſic verè pœnitens contriſtari debet generaliter de omnibus peccatis ſuis. Executio dicitur eſſe, Confeſſio: cuius ſunt vigintiquatuor libri: ſcilicet decem Decalogi præcepta contra quæ ſortè peccauit, & ad quodlibet obligatur; Similiter, ſeptem peccata mortalia, & ſeptem opera miſericordiæ, ad quæ quilibet Chriſtianus obligatur, pro loco & tempore. Decem præcepta, per hos Verſus cognoſcuntur:

Sperne Deos, fugito periuria, Sabbata ſerua.
Sit tibi patris honor, ſit tibi matris amor.
Non ſis occiſor, fur mœchus, teſtis iniquus:
Vicinique thorum, reſque cauere ſuas.

Septem mortalia peccata ſunt hæc: Superbia. Inuidia, Ira, Acedia, Gula, Luxuria: Vnde Verſus.

Luxus, auaritia ſuper, ac inuidus, ira, gula.

Septem opera miſericordiæ in quibus Dominus examinabit & diſceptabit cum quolibet in die Iudicij, dignoſcuntur per hunc Verſum.

Veſtio, poto, cibo, viſito, cogo, colligo, condo.

Et in his omnibus verè confitens ſcrutari habet diligentius conſcientiam ſuam. Item quodlibet iſtorum membrorum poteſt diuidi in tot partes, quot ſunt circunſtantiæ peccati, quæ exprimuntur hoc Verſu:

Quis, quid, vbi, cum quo, quotiens, cur, quomodo, quando.

Recapitulatio, dicitur eſſe ſatisfactio: quia ſicut Epilogus, ad hoc eſt vt commendentur memoriæ quæ prius ſpecialiter tractata ſunt, ſic, ſatisfaciens, finaliter debet commendare memoriæ peccata ſua, & pro illis debitè ſatisfacere.

TRACTATVS MAGISTRI ROBERTI DE SORBONIA SVper Confeſſione.

AD Sanctam & rectam Confeſſionem, tria ſunt neceſſaria ipſi animæ pœnitenti, volenti ſua peccata confiteri. Primum eſt, vt diligenter cogitet & examinet vtrùm ſit in facto aliquo ſeptem criminalium peccatorum: quæ ſunt, Superbia, Inuidia, Ira, Auaritia, Acedia, Gula, Luxuria. Secundum quod poſteà debet facere, eſt videlicet, vt bene ſcrutetur vtrum tranſgreſſa fuerit diuina mandata, quę ſunt decem. Tertium eſt quod nullo debet dimittere, videlicet, vt (quia non poteſt omnia peccata in ſpiritali recolligere & recolere, quæ fortè propter peccatum proprium & negligentiam confitendi, tradidit obliuioni) recognoſcat in gemitu, ſe grauiter peccaſſe contra Deum omni genere peccati: ſcilicet, cogitatione, locutione, & operatione, ad quæ reducuntur omnia peccata. Primò ergo cognoſcere poteſt, ſi peccauerit in ſuperbia, hoc modo: ſi extulerit ſe, corde, vel ore, vel opere, ſuper alios, propter diuitias, vel propter potẽtiã, vel pulchritudinem, vel generis nobilitatem, vel ſapientiam, vel veſtem, vel laudem popularem; quia plus laudatur vel honoratur in populo: vel (quod grauius eſt) propter malitiam, gloriando in peccatis propriis vel aliorum, vel gloriando in bonis operibus, vt ieiuniis, vigiliis, orationibus, eleemoſynis, & ſimilibus; appetens inde, laudem humanã. Item ſi dicat quod virtutem & bona quæ habet, habeat à ſeipſo, vel à Deo pro meritis ſuis propriis, dando ſibi plus quàm aliis, vel falsò iactat ſe habere aliquod bonum, vel credat ſe habere bona quæ non habet.

Item ſi gloriatus fuerit de pulchritudine membrorum ſuorum, vt oculorum manuum, pedum, crinium, & cæterorum membrorum. Item ſi propter laudem, ſimulauerit ſe eſſe meliorem quàm ſit; vel propter appetitum lucri, vt hypocritæ faciũt. Si hæc omnia, vel aliquod iſtorum in ſe inueuerit; ſtatim ſe peccaſſe per ſuperbiam nouerit, & confiteatur, & dicat; mea culpa, peccaui per ſuperbiam hoc modo, vel his modis. Secundò; debet ſe examinare an peccauerit per Inuidiã, quod ſic cognoſcere poteſt. Si habuerit gaudiũ de aduerſitatate Proximi, vel triſtitiam de proſperitate Proximi: Item ſi detraxerit occultè alicui, vel falsò accuſauerit, vel falsò crimen impoſuerit vt damnificetur alius in rebus ſuis vel perſona. Item ſi aliquam proditionem B fecerit, vnde accidat malum ei cui inuidet. Item ſi contra eum iniuſtè murmurauerit ſi aliquo modo damnum ſuum procurauerit, & de malo vel in malo ſuo gauiſus fuerit: ſi ei cum indiget, propter inuidiam minus ſuccurrerit, ſi rancorem in anno ſeruauerit, ſi contra Deum iniuſtè murmurauerit; dicat, mea culpa, peccaui per inuidiam, hoc modo, vel his modis. Tertiò ſi peccauerit per Iram, debet tria cogitare. Primum eſt, ſi ſit latens ira in corde; Secundum, per quantum tempus; Tertium ſi fuerit inueterata; & tunc dicitur odium. Item ſi habuerit indignationem, ſi impatiẽtiam propter iram, ſi ſtultam audaciã ad nocẽdum. Item ſi fuerit prorũpens C in ore, per contumelias, per clamores, per obiurgationes, per blaſphemias, per lites, & per alia turpiloquia; quæ omnia ſunt confitenda. Itẽ ſi fuerit exercitatus in opere, per læſiones corporales, vel rerum, vel perſonarum; vel ſi aliquod nocumentum fuerit cõſecutus, vel per ſe, vel per prouocationem ſuam; & dicat; mea culpa, peccaui hoc modo, vel his modis. Quartò autem, videat ſi peccauerit per Accidiã: quod poteſt ſcire hoc modo: ſi tædium boni concepit. Item ſi aliquod bonum opus cum murmure fecerit, ſi cordis triſtitiam, ſi pigritiam & ſomnolentiam in diuino ſeruitio habere conſueuerit; Item, ſi D cùm orare debuerit. Item ſi bona quæ debuit facere, per negligentiam amiſerit; vel minus purè quàm debuiſſet, fecerit. Item ſi aliquid de Officio omiſerit. Item ſi bonum, quod ſtatim potuit facere, propter pigritiam vſque ad tempus aliquod facere diſtulerit. Item ſi audito verbo Dei, tædium habuerit Item ſi eadem ad quæ tenebatur, facere dimiſerit. Item ſi bonum propoſitum dimiſerit, vel in eo non perdurauerit. Item ſi increpationes illatas contempſerit. Si aliquod iſtorum in ſe inuenerit; dicat, mea culpa, peccaui per accidiam, hoc modo, vel his modis. Quintò videat, ſi peccauerit per auaritiã; quod ſic poteſt ſcire. Si nimio ardore & immoderato a- E more temporalia acquiſierit. Item ſi in mutuendo pecuniam aliquid ſupra ſortem, vel vltra ſortem receperit; vel quamcunque aliam rem accommodando, aliquid ſupra capitale admiſerit, vel cariùs ad terminum vendiderit propter expectationem. Item ſi videns neceſſitatem Proximi, bladum in herba pro minus paruo emerit, vel aliam rem. Item ſi mutuum dederit, inde ſperans aliquid recipere. Item ſi furtũ, rapinam, ſi vaſtationem agrorum, vel vinearum; vel aliquo alio modo, Proximo fecerit damnum, cupiditate rei temporalis. Item ſi deceperit aliquem, vel A aliquo alio modo fecerit fraudare, vel aliquem circumuenerit in aliqua negotiatione, in pondere, numero & menſura, vel alio modo in decipiẽdo. Item ſi collectas, vel indebitas exactiones fecerit. Item ſi emendas nimis graues & iniuſtas ab hominibus ſuis leuauerit. Item ſi calũnias vel iniurias aliquas Proximo fecerit. Item ſi debitam rem, vel amiſſam, vel à ſe inuentam non reddiderit. Item ſi ſuperflua pauperibus non communicauerit. Item ſi bladum vel vinũ retinuerit, & pauperibus ſubtraxerit quouſque inutilia eſſent; vel etiam vt nimis carè vendantur. Item ſi propter lucrum temporale, falſum teſtimonium protulerit. Dicat; mea culpa, quia peccaui per Auaritiam hoc modo, vel his modis; ſi in iſtis vel iſtorũ aliquo deliquerit. Sextò videat, ſi peccauerit per Gulam; quòd ſic poteſt ſcire: ſi nimis in cibo vel potu, per ingurgitationem exceſſerit; ſi etiã incurrendo ſenſus hebetationem, rationis perturbationem, vel immunditiam inciderit, vel oris, vel etiam in fragilitatem carnis, vel multiloquium, vel ſcurrilitatẽ, vel ineptã lætitiã. Item ſi ieiunium ſine cauſa, vel euidẽti neceſſitate fregerit. Item ſi debitã horam præuenerit. Item ſi nimis frequẽter, & nimis auidè comederit, vel biberit. Itẽ ſi nimis delicata vel ſumptuoſa cibaria operari fecerit vel prępparari. Item ſinimia in quãtitate ferculorum, & curioſitate ſalſamentorum. Item ſi cum nimia delectatione, C cibum vel potum ſtudioſè ſumpſerit, ſi contigerit vomitus, ſi pluries ſe inebriauerit dicat mea culpa, peccaui per gulam ſic. Septimò videat, ſi peccauerit per Luxuriam: quod poteſt cognoſcere, ſi adulterium commiſerit, ſi cum ſoluta aliqua, & cum quot: & quotiens: ſi dederit fidem, & poſtèa cognouerit: ſi cum vxoratis, & cũm quot: ſi interuenit compaternitas, vel filiatio. Vtrùm cum meretricibus venalibus, Vtrùm in ſacro loco, Vtrùm in puerperio, Vtrũ cum Religioſis, Vtrum vitio Sodomitico. Si in talibus, dedit bona Eccleſiæ, ſi inceſtũ, ſi cum conſanguinea vel affine dormierit, vel ſi virginẽ defloraue- rit. Itẽ ſi cõtra naturã tunc opus operatus fuerit, vel ſimili vel diſſimili, vel extraordinario modo vel loco, vel ſi per mollitiem ex contactu propriæ carnis. Si peccauerit occaſione videndi, vt in choreis: ſi illicitos tactus fecerit, ſi dormiendo vel vigilando aliquid emiſerit, ſi aliorum luxuriam prouocauerit vel ſuſtinuerit, vel non impedierit cum poſſet. Item ſi debitam vxorem propriã indebito modo cognouerit. Item ſi cum Sanctimoniali ſacrilegiũ commiſerit. Mulier autẽ videat, ſi propriũ corpus cauſa libidinis nimis ornauerit. Item ſi ad ſpectaculum libenter ierit. Item ſi nimiam cutioſitatem veſtium habuerit. Item ſi ſpecula vel vnguenta poſſederit. E Item ſi ſe aſpectui hominũ expoſuerit. Item ſi mente aliquubi concupierit. Item ſi ſenſus caſtos non cuſtodierit, videns quod non debuit, audiens quod non oportuit, falſas promiſſiones, & deprecationes & detractiones, & huiuſmodi. Item ſi guſtum in ſalſamentis & ſpeciebus inficiendo, olfactũ ſpeciebus aromaticis immoderatè & ſumptuosè inclinando vel inquinando. Item in tactu, & agendo illicitè & impudicè, quod non oportuit: totũ corpus in mollitie nutriendo, vt in balneis, veſtibus & calciamentis. Item corpus totum curioſè componendo. Si per ſimplicem fornicationem; ſcilicet, ſolutus cum ſoluta:

soluta: si per adulteriũ scilicet cũ cõiugata: si per incestum, scilicet cum Virgine: sanctimoniali si cõtra naturam, in sexu simili vel dissimili. Si sic fecerit, dicat, mea culpa, peccaui per luxuriam hoc modo, vel his modis. Talis debet esse confessio animæ sanctæ pœnitentis, si peccauerit secundum aliquod septem criminalium vitiorum. Post hæc debet videre si peccauerit contra obseruantiam Decalogi: de quorum transgressione nõ excusatur. Primum mãdatum est de cultu vnius Dei. Vtrùm adoret Deos alienos; Si credat vnum Deum in Trinitate Personarum, & alios fidei articulos, sicut & sancta Ecclesia: quæ sunt; incarnatio, natiuitas, baptismus, passio, resurrectio, ascẽsio, & Spiritus sancti missio. Sacramenta; Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Corpus Christi, Ordo, Matrimonium, Extrema vnctio. Videat ergo si dubitauerit de fide, vel de aliquo quod ad fidem pertinet. Item si crediderit Malefico, sortilegiis, incantationibus, auguriis, somniis, & illusionibus dæmonum, & huiusmodi. Item si crediderit vetulas ire de nocte; & Deo honorem debitum nõ exhibuerit. Secundum est; vt non accipias nomen Dei tui in vanum. Videat ergo si mendaciter, si subdolè iurauerit; & nõ vtiliter, vel pro nullo, vel sine necessitate. Item si Deum testem in iurãdo vocauerit, & nomen eius invanũ assumpserit, vel in opprobriũ: si per caput, per pedes, vel alia membra, si per sanctos Dei iurauerit. Item si fidem datã non seruauerit. Item si votum non adimpleuerit; aut in votum baptismi peccauerit, Deo promittens quod non reddidit. Tertium mãdatum est; *memento vt diem Sabbathi sanctifices.* Ergo si diem Sabbathi, & Ex.20.4. alios dies solemnes, sicut Ecclesia præcipit, seruauit. Item si diuinis vacauerit; & abstinuerit non solùm ab operibus mechanicis, sed ab omni opere seruili, & ab omni peccato. Itẽ si tabernas, vel choreas frequentauerit; & immoderatè. Melius enim ei esset terram arare, secundum Hieronymũ, quàm choreas ducere. Item videat cõiugatus, si in vigiliis, ieiuniis, & magnis festiuitatibus ab vxore propria abstinuerit, vel à quacúmque alia voluerit abstinere. Item si Sabbathum pectoris tui spiritualiter non obseruasti; per varias & inutiles cogitationes, & curiosas occupationes distractus. Quartum mandatum est; *Honora patrem & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.* Videat ergo, si Parentibus reuerentiam non exhibuerit, si illis indigentibus necessaria non ministrauerit. Item si durè & contumaciter contra eos locutus fuerit, si maledixerit, si aliquo modo eos iniustè offenderit, si præceptis eorum honestis non obedierit. Item si quodam modo, manûs in eos miserit; si contra eos detraxerit. Item videat si Parentes spirituales; vt sacerdotes & alios ministros Ecclesiæ, modo debito honorauerit. Item si Confessiones & secreta aliorum reuelauerit. Itẽ si Prælatis Ecclesię, vel suis Prælatis benè obedierit; si præcepta eorum custodierit, si contra eos murmurauerit, si de eis detraxerit & male locutus fuerit; si eos percusserit. Item si debitò matrem suam spiritalem; scilicet Ecclesiã; honorauerit; si in ea, sacrilegiũ, furã dovel luxuriando fecerit; si verba otiosa & inutilia in ea locutus fuerit; si clamãdo vel litigãdo vel quoquo alio modo diuinum Officium impedierit; si debitas Decimas & Oblationes ei non reddiderit; si diebus A solennibus ad Ecclesiam parrochialem, cùm posset ire non ierit, vel debitam oblationem non miserit: si personas Ecclesiasticas vel Clericos percusserit, si sine licentia Prælati sui, Ordines sumpserit. Quintum mandatum est; *non occides.* Videat ergo si propria persona, vel auxilio, vel concilio, vel consensu homicidium commiserit; vel si aliquem verberauerit, vel vulnerauerit. Item si fuerit homicida, corde; mortem alterius desiderando, vel odium in corde retinendo: *Qui enim odit fratrem suum, homicida est.* Si vrgente necessitate potuit subuenire pauperi, & nõ subuenerit. Item si fuerit homicida animarum; inducendo aliquẽ ad peccatũ, vel instigando, vel non B impediendo cùm posset; si peccatis aliorum consenserit. Sextum mãdatum est, *non mœchaberis:* id est, non cuilibet miscearis. Videat ergo si ex in alicui carnaliter se copulauerit, si aliquo modo cũ delectatione ex se semen emiserit, dormiẽdo vel vigilando; si cum vxore propria, alia de causa luserit nisi spe prolis, vel causa vincẽdi fornicationem, vel vt debet, debitum reddat. Septimum mandatũ est; *non falsum testimonium dices.* Viderit ergo si mendaciũ dixerit, si falsus testis contra aliquem, graui odio vel amore, vel præcio fuerit; si in causa aliquem iniustè vel calumniosè traxerit; si falsus Aduocatus, vel Iudex iniquus fuerit; si acceptor personarum in C iudicio fuerit, si aliqua falsitate aliquem læserit, si falsum crimen alicui imposuerit, si aliqua promiserit & soluere noluerit; si mercedem mercenerij defraudasti, vel retinuisti. Octauum mandatum est; *Non furtum facies.* Videat ergo si rem alienam inuito domino contrectauerit, vel vsurpauerit. Si scienter rem furtiuã emisti, vel in custodia recepisti. Si mercedẽ mercenarij retinuerit, si res aliorũ violenter rapuerit, si iniustè aliqd rapuerit vel receperit. Nonũ mandatum est; *Non concupisces vxorem Proximi tui,* Videat ergo si habuerit voluntatem aliquo genere luxuriæ. Item si in corde, morosam delectationem, & consensum absque opere habuerit. Decimum mandatum est; *Non concupisces rem proximi tui, non a-* D *grũ, non vineam, non seruum, non ancillam, & vniuersa quæ illius sunt.* Si generalem cupiditatem diuitiarum, & ambitionem bonorum habuerit; si rei alienæ cõcupiscentiam habuerit in corde malè desiderando. Post hæc, contra omnia Domini mandata, commissa; purget se anima pœnitẽs, de omissis, considerans si per negligentiam vel pigritiam, bona quę debuerit facere, vel promiserit facere, & potuit; non fecit. Si tempus adeo sibi cõmissum & concessum, in vanitate, vel otio consumpserit; ludendo cum aleis, deciis, & huiusmodi. Si de beneficiis, Deo vel hominibus, ingratus fuerit: si in charitate, humilitate, benignitate, patientiæ, deuotione, & aliis vir- E tutibus defecerit. Si per ignorãtiam, commissa peccata obliuioni tradiderit de quibus ne scit cõfiteri. Si talentum à Deo sibi traditum & cõmissum multipliciter contẽpsisti. Si opera misericordiæ, si orationes, si vigilias, vel alia opera misericordiæ, & pœnitentiæ sibi iniuncta non fecerit. Si bona quæ fecit, minus purè fecerit scilicet cum remuneratione, cũ scandalo proximorum, vel finem debitũ omittendo, vel mala intentione fecerit. In fine autem; multa generaliter subiungat & dicat multa tradidi obliuioni, in quibus dominum fortasse offendi quę enu-

merare nescio, propter peccatum meum: in quocũque tamen Dominũ offendi; seu corde, per malam cogitationem & voluntatem, & iudicium falsum: siue ore, mentiendo, detrahendo, ociosa dicendo, vel aliquibus adulando; seu familiam, vel alios nimis durè, & asperè corrigendo. Similiter in faciendo aliis quod mihi nolui fieri; similiter in dicendo, quod non opportuit dicere: in contemnendo alios, & facta & dicta ipsorum; in epilogo, in seueritate, in contumelia, in blasphemia, in opere prauo extero, per inhonestatem conuersationis, & vitæ; & mandata domini transgrediendo: reddo me culpabilem Domino; & tibi patri. Ideo precor beatissimam & gloriosam virginem Mariam, & omnes Sanctos, & Sanctas Dei, & te (pater) orare pro me. Amen.

Deut. 24. *Cum repetes à Proximo tuo rem aliquam quam debet tibi, non ingredieris domum eius vt pignus auferas, sed stabis foris & ille tibi proferet quod habuerit*: Hac authoritate, quidam magnus Clericus prædicauit Parisiis quod cõfessor non debet inquirere nec scrutari peccata cõfitentis; mirabiliter exponens eam. *Non ingredieris domum*, id est, conscientiam peccatoris: *vt auferas*, id est: elicias, *pignus*; id est, peccatum quo obligata est anima eius, diabolo; &c. Sed malè intelligebat sic exponens: potest enim Confessor in generali quærere. Et hoc notatur per hoc quod dicitur; *rem aliquam*: sed non debet in speciali, & nominatim, peccata quęrere; ne ducat confitentem, in tentationem. Item, si domus; id est, conscientia Proximi; habet priuata bona quę non expedit alij reuelare: non debet scrutari; ne inde prolatis illis bonis, Proximus offendatur. Est situs; si habeat proximus domum plenam latronibus volentibus eũ interficere: sic enim, Cõfessor potest intrare conscientiã confitentis vt peccata fuget: & magnum dedecus est: quod magnus Clericus vnam vetulam peccatricem nescit curare à morbo peccati in confessione, nec remedia contra peccata apponere. Suppositis antecedentibus ad Confessionem; primò debet dicere confitens, *Confiteor Deo*; &c. Quę sit ratio huius, & quid singula verba pretendant alibi prædictum est. Tunc; primò, Confessor debet proponere de Dei dilectione quoniam filium misit propter peccatores: de charitate Christi, qualiter, pro peccatoribus redimẽdis mortuus est, spinis coronatus est, lancea perforatus; manibus & pedibus, clauis confixus; & quòd confiteatur, vt mors Christi sibi prosit. Item; Christus venit, non propter iustos, sed propter peccatores. Item nõ vult Deus mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Item; si confiteatur, gaudium erit Angelis Dei iuxta illud; *Gaudium erit Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente*, &c. Ergo; quãtò maior peccator, tantò maius gaudium. Item confortet eũ negatione Petri, persecutione Pauli, magnanimitate & fide latronis; &c. dicat ergo confessor peccatori, quod non diffidat, nec timeat dicere omnia peccata sua: & dicat, quòd quantò maior peccator fuit, tantò maius gaudium erit de eo in cælis, si verè & integrè confiteatur. Vnde Deus in Euangelio; *Maius gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore*, &c. Et est exemplum de Filio prodigo. Si ergo, gaudium de peccatore, maius gaudium, de maiori peccatore similiter habet confessor. Pro medico: quia maius gaudium habeo super vno peccatore magno, bene confitente quàm habere possim: & magis eum diligo post confessionem, quàm antè, quantumcũque enormia dicat. Et ratio est, quod melior est modò, si verè pœnitens confessus est: similiter, quia familiaritatem maximam mihi ostendit, quãdo secreta sua tanta quæ patri vel matri nullatenus diceret, mihi reuelat: quæ etiam, nec possum nec vellem reuelare, etsi deberet mihi propter hoc amputari: & pro vno peccatore, nõ acciperem mille martas, quia incompretiabilis est rebus humanis. Item confessor debet dicere: fili habuisti vnquam confusionẽ de peccato, ita quòd declares illud in Confessione? si peccator dicat, quod sic: Confessor dicat: amice, modò per Dei gratiã vicisti bellum, & superasti diabolum: confide ergo, nam maius peccatum & periculosius dixisti, vnde secure potes omnia alia dicere, nam grauius peccatum est, mentiri in confessione: in Psalmis, *Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium*, Glosa Augustini: *merito perditur mẽtiẽs, quia declinat ab eo quod est, ad id quod non est*: in qua auctoritate ponderat verba, maius est enim perdere quã odisse. Dicebat autem Cardinalis Odo, quod mentiens in confessione, tria peccata mortalia cõmittit de nouo: scilicet, mendacium pernicioſum, hypocrisim. Et tertium, quia, pollutus scienter, recipit sacrãmẽtum confessionis. Similiter Hieremias, *peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino*, scilicet quia indelebiliter. *Iuda*, interpretatur, *confessio*: vnde', peccatum Iuda, est peccatum commissum in confessione. Itẽ Deus habet duas curias scilicet curiam iustitiæ, & curiam misericordiæ. In curia iustitiæ amiseratis querelam vestram, sicut benè scitis, quia pro quolibet mortali peccato obligatus est homo ad pœnam æternam, & non est reuersus nisi ad curiam misericordiæ quæ est in confessione: magnæ enim est misericordiæ. quòd pro confessione, peccatum & reatus amittitur, & restituitur homo ad hæreditatem gloriæ. Vnde, si quis in hac curia perdit causam suã irrecuperabiliter perdit eam, sicut vsque nunc fecisti. Si dicat, domine, verisimile est, sed hoc ignorabam: Confessor debet dicere: non propter hoc es excusatus, quia Ambrosius, *periculosè peccat qui ignoranter peccat*: & in exemplum de Excusa', quantò maior, tantò plus retinet de aqua, sic & peccatum est grandius (quò ad hoc quòd plus opponitur gratiæ & magis resistit fluxui aquæ fontis spiritus sancti) celare peccatum in confessione. Item confessor debet dicere: Amice, septem sunt peccata mortalia quæ continentur in hoc versu. *Luxus, Aua, Super, Ac, Inuidus, Ira, Gula*: & tu modò in curia misericordiæ es, & scis quòd Trutanni, infirmi & pauperes, ostendunt transeũtibus, membrum magis morbosum, vt eos ad misericordiam, & compassionẽ sui, alliciant. Est enim misericordia, miseriæ, vel miserorum corda: vnde vbi maior miseria, maior pollet & habet locum misericordia, & maxime illa quæ Dei est, quæ est infinita. Debes ergo peccata grauiora & quæ plus tibi nocuerint, primo dicere. Signum est quòd homo benè confiteri non debeat, quando à minori peccato inchoat. Si peccator dicat: domine, ego peccaui peccato luxuriæ: confessor debet dicere, Amice debes dicere omnes circumstantias quæ aggrauant peccatum, quarũ quædam

Luc. 15. Luc. 15. Hier. 17.

Argumentum non satis syncerè Peccatorum Confessionis.

nominantur

nominantur in hoc verſu . *Quis, quid , vtrum , cum quo , quotiens, cur , quomodo , quando . Quis* ; quærit de perſona vtrùm Laicus , vel Clericus ; vtrùm vxoratus vel non ; beneficiatus, vel non : quia quantò perſona eſt in ſtatu altiori ; tantò grauiùs peccat. Vnde Gregorius quanto gradus altior tanto qui caſus grauior . *Quid;* quærit de genere peccati.

Item vtrùm peccauerit cum virgine , vel Moniali , corrupta , conſanguinea , affini ; & hoc, carnali affinitate vel ſpiritali ; vtrum cum maritata, vel ſoluta , vel vidua. Si peccator dicat ; peccaui cum puella , Domine : confeſſor dicat : Amice; grauiſſimè peccaſti , deſtruxiſti enim quod Deus recuperare non poteſt : vnde Hieronimus ; *cùm Deus omnia poſſit , non poteſt de corrupta virginem facere.*

Item occaſionem dediſti peccandi cum aliis, & fortè proſtituendi; & quotiens peccauerit, occaſione tuî peccaſſe videbitur ; quia iura dicunt, *Qui occaſionem damni dat , damnum dediſſe videtur .* Si peccator dicat; Domine , cum maritata peccaui: Confeſſor debet dicere; Amice , grauiſſimè peccaſtis , quia (quantùm in vobis eſt) octo mortalia peccata commiſiſtis ; quæ ſunt , luxuria , fides mentita , furtum, proditio , ſacrilegium , tranſgreſſio mandati Domini , inceſtus ſeu peccatum caninum , exhæredatio proprij filij alterius. Primo , patet quòd ad alterius vxorem illicitè acceſſiſtis : ſimiliter , de fide mentita patet ; nam mulier iurauerat ſe ſeruaturam fidelitatem marito ſuo , quam per te fregit; vnde , eodem peccato peccaſti , Agentes enim & conſentientes pari pœna , &c. Sed par pœna non eſt niſi propter parem culpam; &c. Item , furtum commiſiſti ; quia inſcio & inuito marito vxorem eius tibi copulaſti , quod eſt furtum . Eſt enim furtum , ſubſtractio rei alienæ inuito domino . Quarto autem ; & proditionem feciſti quia in occulto , & non auertenti proximo tuo nociuiſti . Quintò tranſgreſſus es mandatum Domini ; quod eſt , *Non concupiſces vxorem proximi tui .* Sextò; ſacrilegium commiſiſti ; ſcilicet rem ſacram deturpando , ſiue violando . Nam ſi ſacramentum Eccleſiæ defraudares & pedibus conculcares infra lutum , dicereris hæreticus , & ſacrilegus ; ſic ſacramentum matrimonij (de quo Apoſtolus ; *hoc autem magnum ſacramentum Chriſti & Eccleſiæ*) in turpitudinem luxuriæ conculcaſti; quæ turpitudo , immundior eſt omni latrina : Sapiens; *Mulier fornicaria , quaſi ſtercus in via.* Et ibidem: *profunda fouea , meretrix .* Septimò; Inceſtum (quantùm in te eſt) commiſiſti , ſeu peccatum caninum. Nam ſicut canes , ſine diſtinctione , cum matre vel ſorore cohabitant ſicut cum aliis ; ita poteſt fieri quòd cum filio vel filia mulieris cum qua habitaſti , quem vel quam generaſti , conſanguinei tui matrimonialiter , vel fornicariè copulentur. Octauò (quod grauius eſt omnibus aliis prioribus) quia quod eſt proprium alterius , exheredaſti. Et eſt caſus in quo omnes Confeſſores & omnes Magiſtri Pariſienſes , in conſilio ſalutari proferendo perplexiſſent. Nam ſi quis carnaliter cognouiſſet Reginam Franciæ , de quo haberet primogenitum ; Et Rex Franciæ haberet ſecundũ filium: primus, de facto, haberet hæreditatẽ, licet iniuſtè; nec crederetur matri eius , quia ſola eſſet , & filius dicitur quem nuptiæ demonſtrant . Tenetur enim Regina reuelare primum filium non eſſe hæredem regni; quia in periculo animæ eius poſſideret regnum . Simul ergo commiſiſti octo mortalia peccata ; pro quorum quolibet , peccator verè pœnitens , obligatus eſt ad pœnam ſeptem annorum. Modò vide quàm inſanus & incircumſpectus es; qui , ſi velles emere denariatam pomorum , velles bonum forum habere, & barguignare; & animam tuam , pro viliſſima delectatione & momentanea, dediſti diabolo in æternum cruciandã . Gregorius: *Momentaneum eſt quod delectat, ſed æternum quod cruciat,* nõ, certè, fuiſtis bonus mercator de quo Salomon; *malum eſt, dicit omnis emptor, ſed cùm receſſit, gloriatur.* Si peccator dicat: Domine, verum dicitis, benè cœcatus eram , nec illud vnquam aduerti : Confeſſor dicat; Amice, vſque nunc luſit diabolus de vobis ad abſconditionẽ, & vos decepit vltra dimidium iuſti precij. Sed modò eſtis in curia miſericordiæ : petite ergo pactũ reſcindi; & fiet vobis. Itẽ cõfeſſor dicat: Amice, cum quot habuiſti voluntatem fornicandi? Habuiſti vnquam voluntatem cognoſcendi aliquã cum qua non habitaſti? ſi peccator dicat; ſic, Domine: confeſſor debet dicere; Amice, quotiens vel cum quot habuiſti voluntatem fornicandi , fornicatus es. Voluntas reputatur pro facto : vnde Dominus; *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam , iam mœchatus eſt in corde ſuo . Quid* , querit de genere peccati. Vtrùm videlicet , ſecùndùm naturam , vel contra naturam ! Si peccator dicat : Domine; quid appellatis peccatum contra naturam ? Confeſſor dicat: Amice, quotiens emiſiſtis ſemen extra vas debitum mulieris , in vigilando (Et hoc dico propter nocturnas pollutiones) peccatum fit contra naturam . Nota quòd nocturna pollutio quatuor de cauſis fit : & duobus modis eſt peccatum ; & duobus aliis , non. Prima eſt; ſi ex turpi cogitatione vigiliarum oritur illuſio in mente , patet occaſio reatus ſui ; ſcilicet , à qua radice , illa inquinatio proceſſit ; quia quod cogitauit ſciens , hoc protulit neſciens . Secunda cauſa eſt quando omnino & vltra modum rapimur appetitu gulæ in ſumendis alimentis, vt crapula & ebrietate , & idcir co humorum receptacula grauantur , tunc enim habet animus aliquem reatum . Tertia cauſa eſt , ex illuſione diaboli ; quando menti dormientis offeruntur imagines quibus natura mouetur ad pollutionem mentis ; & hoc , vt expergeſcentes de illis imaginibus cogitationes inordinatæ exeant & concupiſcant: Sed ſic non eſt peccatum , niſi delectatio vel conſenſus ſequatur. Tamen confitendum eſt quia ignoratur qua cauſa accidit & quia dicit Gregorius quòd bonarum mentium eſt, ibi culpam cognoſcere vbi culpa non eſt . Quarta cauſa eſt , ex naturæ infirmitate vel ſuperfluitate : & hoc non eſt timendum ; quia in valdè ſobriis , & ieiunantibus in pane & aqua, hoc accidit : Tamen bonum eſt vt homo de hoc confiteatur licet peccatum non ſit. De hac materia ſatis habetur à Gregorio & Iſidoro, ſeptima diſtinctione partis primæ cap. 1. & 2. vnde Verſus; *Crapula, præmeditatio, langor, & humor abundans, In ſomnis maculant , extrema duo ſine culpa.*

Adulterij grauitas.

Eccl. 9. 10. Pro. 22. 14.

Difficile eſt, dare conſilium in caſu Adulterij.

Mat. 5. 28.

Pollutio nocturna, ex cauſa quadruplici accidit.

Si peccator dicat, domine, neſcio plura peccata luxuriæ me commiſiſſe: Confeſſor dicat; Amice, adhuc ſunt infinita, ſiue multa alia, ſed diabolus vſque nunc te duxit verba coram tuis ſociis. Tunc quærat: dixiſti vnquam turpia vel aliis? Si peccator dicat: domine; ſic: confeſſor dicat; totiens luxuriatus es, quotiens tu dixiſti, & coram quot, & (quantùm in te eſt) grauiſſimè peccaſti; grauiùs quàm ſi Templum beatæ Virginis combuſſiſſes. Nam illud non eſt hominum, nec eccleſia Dei dicitur niſi propter contentum; ſcilicet propter congregationem Fidelium: homo verò dicitur templum Dei propriè, in quo habitat tota ciuitas. Vnde Apoſtolus; *An neſcitis quoniam templum dei* 1. Cor. 3. *ſanctum eſt quod eſtis vos, & Spiritus ſanctus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauit, diſperdet* (id eſt; diuerſis modis diſperdet) *illum Dominus.* Item; peſſimus reputatus eſſes ſi omnia templa Ciuitatis Pariſienſis combuſſiſſes: quantò magis, qui per ignem luxuriæ corda multorum combuſſiſti, quantum in te eſt? vnde Sapiens, *Eloquium illius quaſi ignis exardeſcet.* Eccle. 19.

Item Confeſſor debet dicere: Amice, fuiſti vnquam oſculatus mulieres? ſic, domine: Confeſſor quærat, vtrùm inordinatè. Quomodò inordinate? domine. Hìc caueat ſibi, confeſſor, ne deſcendat ad ſpeciales modos oſculandi inordinatè: ſicut nec deſcendendum eſt ad aliquod peccatum contra naturam, ne occaſionem det vt corruat in peccatum. Sed dicat; quando in Miſſa, pax ſumitur, homines tenent clauſum os. Item confeſſor debet quærere: Amice, poſuiſti vnquam manum tuam ſuper mulieres inordinatè? ſi peccator dicat: Quomodo inordinate? non deſcendat confeſſor, ſed dicat: poteſt tangi mulier ſine peccato, ſicut ponendo manum ſuper humerum, vel ſuper brachium, poteſt & alibi tangi inordinatè.

Item, vbi, quærit de loco: vtrùm in loco ſacro, vel non ſacro; quia grauius peccatum eſt, in ſacro loco quam in alio: ſimiliter, vtrùm in occulto. *Cum quot*; quærit de ſocietate: ſcilicet, qui & quot fuerunt ſocij peccati, & quorum fuiſti occaſio. Vnde confeſſor debet quærere, An de ſociis fuiſti vnquam confeſſus? Si peccator dicat, Domine, non, quid ad me de peccatis aliorum? Imò certè quia conſcius eis fuiſti: vnde Pſalmographus: Pſa. *Ab occultis meis* (id eſt, à priuatis & propriis meis peccatis) *munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo.*

Item confeſſor, cum quot ſociis, & quæ eorum circumſtantiæ: ſcilicet, vtrùm caſti vel corrupti, Ordinatè vel non, & alia huiuſmodi. Non tamen nominentur à peccatore, ſocii. Dicat etiam confeſſor: amice, de iſto peccato non poſſum te abſoluere, nec Papa, nec omnes Sancti, niſi vno modo: ſcilicet, niſi velis reſtituere damnum ſpirituale quod feciſti, quia non dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum. Vnde debetis, ſocios veſtros trahere ad bonum: &, ſi non eoſdem, poteſtis tamen, pares vel meliores. Nec dico quòd idem faciatis de mulieribus cum quibus peccaſtis, quia periculoſum eſt vos iterum eas viſitare; ſed pro eis alias animas reſtituatis: benè enim ſe abſoluit à debito, qui pro obolo denarium reddit. Et, ſi hoc non vultis facere, vos non eſtis verè confeſſus. Item: vultis eſſe ſaluus? Domine confeſſor, volo. Non habet ius in Paradiſo, qui non vult tantùm facere pro Deo quantùm fecit pro Diabolo: ſed vſque nunc ſeruiuiſtis Diabolo, & alios traxiſtis ad tale malum & ad diaboli ſeruitium: ſimiliter, portaſtis eius ſigna, & oportet quòd eadem Deo faciatis, Iuxta illud ad Romanos:

Humanum dico vobis propter fragilitatem carnis veſtræ Ro. 6. 19. *vt ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire iniquitati ad iniquitatem, ita exhibete vos ſeruire in ſanctificatione.* De Mat. 2. Magis dicitur, quòd reuerſi ſunt per aliam viam in regionem ſuam. Vnde ſicut ſapiens medicus poſt curationem acceſſionis, febris cauſam laborat eradicare, ne vlterius inualeſcat: ſic, à vobis, omnis talis occaſio debet expelli. Contraria autem inuicem ſe expellunt, & contraria contrariis curantur. Vnde deſiderium bonum permanendi in gratia, non poteſt eſſe in voluntate quin mores & geſtus exteriores mundanorum mutentur, quia, qui hæc retinent, de facili recidiuant. His præmiſſis, adhibenda ſunt remedia: vt, ſi primò per amorem ad pœnitentiam trahi non poſſint, ſaltem per timorem ad eam reducantur, quia propheta: *A timore tuo concepimus, & peperimus ſpiritum ſanctum ſalutis*, ſeu contritionis. Iſa. 26. 18.

Item confeſſor quærat: Amice, velles eſſe leproſus? peccator: non, Domine pro toto Mundo. Confeſſor: valdè ergo fuiſtis fatuus quia naturale eſt quòd qui cognouerit mulierem cum qua leproſus rem habuit, leproſus efficiatur, & propter hanc cauſam, mille facti ſunt leproſi. Si peccator dicat Domine, in hoc caſu, bene caui mihi, quia feci ſocium meum prius cognoſcere mulierem: Confeſſor: certè, in hoc, periculoſiſſimè peccaſtis, quia tria mortalia peccata commiſiſtis. Primum, in vobis, ſcilicet luxuriæ: ſecundum, in ſocio quem peccare feciſtis, tertium eſt perditio, quia ſocium veſtrum (quantum in vobis eſt) perdidiſtis: & ſic malè cauiſtis, quia meliùs fuiſſet, vos leproſum fuiſſe, quàm alterum iſtorum perpetraſſe, nam, in morte, lepra finitur & non culpa, niſi per pœnitentiam terminatur.

Item, lepra, ſolum corpus inficit non animam, ſed culpa, animam inficit & corpus, & ſic plus nocuiſtis vobis quàm ſocio, & plus decepit vos diabolus.

Item, lepra morbus eſt & corruptio naturæ, quæ corpus inficit, & ſicut dicunt medici, quantò plus durat plus inficit, ſemper enim inualeſcit: vnde, hæc infectio infuſa in corpus mulieris, ſemper creſcit, & ita plus poteſt inficere illum qui vltimò cohabitat cum illa muliere quàm illum qui primò. Si ergo cuſtodiuit vos Deus, vſque nunc, de cætero caueatis vobis, quia in magno periculo fuiſtis in corpore & anima, & magna ſtultitia fuit, quia pro nihilo dediſtis Paradiſum; maior etiam, quàm ſi Rex Franciæ, regnum ſuum daret pro pitta. Si fortè, Peccator dicat: ſi in tanto periculo fui, multò fortiùs mulier quæ in ſe corruptionem lepræ admiſit, & citiùs debet infici lepra, quod videmus eſſe falſum. Confeſſor: Amice, non eſt ſic: nam medici dicunt quòd

mulier

mulier habet intra se, pelliculas & folliculos (scilicet in matrice) qui in se retinent illam massam corruptam, & resistunt ne inficiatur totum corpus sed inter omnes partes corporis, membrum viri tenerrimum est; & ideò, contingens illam massam: corruptam, citissimè inficitur; & per consequens totum corpus: vnde; si non esset infernus nec Paradisus, tamen debetis vitare. Item alia ratione: quia homo, cum coitu, multùm abbreuiat vitam, sicut dicunt medici, & Philosophus in libro de morte & vita. Item; quibusdam accidit ex nimio coitu, sæpissimè, tanta capitis debilitatio quòd insani, vel quasi alienati sunt. Vnde audiui quòd quidam Scholaris venit ad quemdam Confessorem Parisiensem prope Pascha, & corã multis scholaribus assistentibus clamauit: Domine; pro Deo, audiatis me in Confessione. Respondit confessor: Amice; non possum modò, quia aliàs vos numquam audiui, nec possum vos breuiter expedire; sed istos quos alias audiui & me expectauerunt, oportet me prius expedire. Tunc ille multum instanter cœpit clamare: Domine; pro Deo, audiatis me ad minus vnum solum verbum. Tunc Confessor: libenter. At ille: Domine; tantam debilitatem capitis sentio quòd ferè insanio; & consilium quæsiui à Medicis, nec aliquid mihi profuit: vnde; non credo quòd possim peruenire domũ meã priùs quàm insaniam, & securior essem si essem benè cõfessus; modò faciatis voluntatem vestram, quia plus non possum facere. tunc confessor conuersus ad assistentes; dixit: pro Deo placeat vobis differre donec audierim istum Clericum, quia infirmus est, & non potest differre: & hoc satis ostendebat facies eius, quia pallidus erat in facie, & exanimatus. Tunc cœpit dicere Confessionem suam, de maxima incontinentia sua, nocte & die. Tunc Confessor exposuit ei causam sui morbi; & hoc signum dedit ei, quòd in mane cùm iacuerat cum muliere, plus dolebat capite. Et addidit Confessor; non esse mirum si Medici ignorantes causam illam, non curârunt eum: ad similitudinem mulieris (de qua in Euangelio) quæ patiebatur fluxum sanguinis, & totam substantiam suam expendebat in medicis; quam solus Dominus curauit. Tunc primò cognouit, se errasse; & quæsiuit à confessore quod remedium possit adhiberi. Tunc confessor: Amice; equus iuuenis debilitatus, quando benè custoditur, conualescit & resumit vires; sed equus antiquus nunquam: vos estis adhuc iuuenis, caueatis vobis, & estote quietus in camera vestra & desistatis ab huiusmodi incontinentia vestra; & Dominus per gratiam suam, vos sanabit: &, sic factum est. Item ex coitione cum muliere, totius corporis debilitatio sequitur, & non est mirum; quia vrna plena aqua porrecta ad ignem, ex ebullitione aquam effundit & paulatim tota consumitur, & vltimò frangit & crepat: sic luxuriosus humorem suum naturalem effundit, ardens igne luxuriæ. Nam de luxurioso dicitur, quòd præ nimia lætitate totus ardet, & quod ita dissolutus est quòd guttam non tenet: *Quotiens*; quæris de numero, de quo considerandum est; quia homo, pro quolibet peccato mortali obligatur ad mortem æternam. Et debet peccator, diligenter scrutari Conscientiam suam; sicut bonus marescallus, pedem equi claudici: Quia Apostolus; *Modicum fermenti, totam massam corrumpit*: Et Gregorius; *Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, mox suo pondere trahit ad aliud*. Debet ergo Confessor dicere peccatori quòd tenetur, fideliter facere posse suum, ad inquirendum singula peccata: nec plus exigit Deus; quia benè cognoscit si peccator non reuelabit. *Cur*; quærit de causa: vtrùm videlicet ex modica tentatione, vel ex magna: vtrùm precio, vel non; & vtrum incitatione sociorum vel aliorum, vel non; & sic de aliis: & secundùm maius motiuum ad peccandum, iudicatur peccatum maius vel minus. *Quomodò*; quærit de qualitate peccati: vtrùm videlicet, cum magna libidine (id est; improba voluntate) vel modica; vtrùm cum magno contemptu Dei vel mandatorum eius, vel modico: sic enim peccatum intenditur & remittitur. Ita etiam est faciendum de aliis modis peccati. *Quando*, quærit de tempore: vtrùm scilicet in festo die; Deo vel alicui Sancto, dedicato: vtrum in tempore ieiunij, vel alio: vtrùm in quadragesima, vel extra. Et sicut est furiosum, luxuriam suam facere coram altari, sic & eam facere in tempore sancto: Et minus esset peccatum comedere carnes in Quadrasima, quàm fornicari in Quadragesima: Nam Episcopus vel Papa posset dispensare cum aliquo, vt carnes comederet tunc, sed non vt luxuriam exerceret. Item, confessor debet quærere: Ornauistis vos vnquam in diebus festiuis aut aliquo tempore sacro, vt coram mulieribus vel hominibus transiretis, vt eis placeretis? Domine, sic: sed non intentione alliciendi eas ad peccatum. Confessor: Amice, grauiter peccasti. quia Apostolus, *si hominibus placerem seruus Christi non essem*: Id est, placere vellem: sed esse seruum Dei, non perditur nisi per mortale peccatum. Item: amice, habetis amicum quemquam ita charum vt si coram hominibus in pleno foro vos vocaret ribaldum ei non irascereminí? Peccator: non Domine. Confessor: si circulus ponatur in medio tabernæ, signum est quòd ibi vendatur vinum: similiter, circulus capillorum mitra in capite, corrigia feriata, noduli argentei, chirotecæ in manibus, sotulares stricti, & alia huiusmodi, sunt signa lasciuiæ: non tamen in circulo est obolata vini, nec in corrigia ferrata est Luxuria. Si diceretur de aliquo qui suspenderet circulum in ostio suo & haberet ostium celarij apertum, quod venderet vinum, & inde irascceretur: quid diceretis de illo, & maximè, si circulus circa domum suam vndique poneretur? Peccator: Domine, reputarem eum fatuum. Confessor: Amice, sic potest dici de vobis, quia signa luxuriæ portastis. Nec enim dico quod propter illa fuistis luxuriosus, sed clamâstis tabernam Diaboli in vobis. Nam forma quæ exteriùs est, eius quæ interiùs est, preco est. Et Sapiens: *Amictus corporis, risus dentium, & ingressus hominis enunciant de homine*. Et Philosophus, *Voces, sunt notæ passionum quæ sunt*

A B C D E

1. Cor. 5. 6.

Gal. 1. 10.

Habitus, index lasciuiæ.

Eccle. 19.

in animi . Fatua enim vsque nunc fuistis , qui ostendistis vos vsque nunc cœcatorem & lasciuum , nec sustinuistis vt vos aliquis sic nominaret. Tunc interrogans, dicat Confessor : Amice; vsque nunc, diabolus tenuit tabernam suam in vobis; vultis ergo quòd Deus teneat suam in vobis, Domine; sic. Confessor dicat : Amice; iustum habetis, aliter nō essetis benè cōfessus. Oportet ego quòd signa humilitatis, & contraria prioribus, portetis; & statim, signum diaboli tollatis : *Hæc* enim *est annunciatio dexteræ excelsi* , sicut dicitur in Psalmo ; & hæc est doctrina Euangelij Nam tres Reges quæsierunt Dominum : & cùm venerunt per Herodem (id est; gloriantem in pellibus ; quæ significat Mundum) amiserunt Stellam : per quam , gratia significatur . In hoc ; ostenditur quòd illi qui pellibus vel apparatibus Mundi gloriantur , gratiam perdunt . Et sequitur , quòd illi , dimisso Herode, Deum inuenerunt: quo inuento , per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Similiter ; si inuenistis Dominum in confessione ; oportet , vos per aliam viam incedere . Et quia multi nolunt sic facere , nec tantùm pro Deo ; ideò perdunt Dominum , nec dominus in ipsis remanet quia signa sua amiserunt: faciatis igitur iuxta consilium Apostoli dicentis ; *sicut portauimus imaginem cælestis* , &c. Et ibidem , *ab omni specie mala abstinete , vos , hoc enim vobis necessarium est* . Nam in signis diaboli mundanis , peccastis saltem occasionaliter , & fatuè amando : vndè , oportet quòd ea expellatis & sic in eis puniamini . Nam in libro Sap. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Item : omnis bestia , per naturam , seruat se in esse in quantùm potest ; Et est in benè esse , per naturam : sed luxuriosus destruit vtrumque per luxuriam suam ; vnde , insipientior est omni bestia . Quòd autem suum esse destruit , patet ex prædictis . Dicit enim Apostolus ; *Qui fornicatur, in corpus suum peccat* : Et in Psalmo; *Ad nihilum deductus sum* . Similiter suum benè esse quia infamis efficitur & gratiam Dei perdit . Item confessor : oportet quòd vos diligatis bona , vbicumque ; & in vobis & in aliis ; & mala omnia fugiatis : talis enim sunt naturæ ; quòd , si bona diligatis, venient ad vos; si mala , similiter . Sic igitur eradicandum est illud peccatum luxuriæ, quantumcunque fieri potest. Sequitur de Auaritia. Domine; emi bladū in terra , vt ibi lucrarer panem meū: confessor: Amice; quomodò hoc feciſtis: vsura potest ibi esse ! peccator : non credo, domine; quia Presbiteri sic emunt: sed distinguunt presbiteri ; si ematur ad mensuram certam , vsura est; non autem, si purè ematur quod est in herba; & hoc, propter periculū ; quia ibi potest esse dānum sicut lucrū ; vnde , bonū est mercimoniū. Sed contra hoc quæritur: primò; si daretur pecunia non tēpore emptionis sed tunc primò cùm reciperetur bladum, in Augusto scilicet ; & hoc fieret de pacto: habereturne pro tanto? Si non; dicendum, ibi fuisse vsuram : maximè cùm asserat venditor , se libenter dedisse vltrà sortem tempore Augusti , & pericula omnia in se voluisse sumere : sed si sic tenetur pactū quòd in tempore Augusti recepturus esset emptor nec quicquam iuris ante haberet in eo : & si vellet, gratis posset dare denarios suos venditori , & benè faceret; maximè , si indigeret . Et vilissimum est, pro istis transitoriis temporalibus , à Deo se auertere , & in illis componere de quibus Apostolus; *Omnia arbitratus sum vt stercora* , & parui appreciat cor suum qui in stercoribus illud ponit , quod facit auarus. Vnde Dominus ; *vbi est thesaurus, ibi est cor tuum* . Hic nota quædam alia quæ ad detestationem Auaritiæ attinent , & hæc inueni in summa de Vitiis : Sequitur de superbia quæ maximè detestanda est ; & inter omnia vicia, per hoc maximè, diabolus facit esse sibi subditum , iuxta illud ; *Ipse est rex super omnes filios superbiæ* . Facit & hominem Deo odibilem non minùs quàm Luciferum, quam Deus in tanta naturæ excellentia condiderat , & propter superbiam suam expulit de Paradiso in Infernum , nec eum ad momentum in Paradiso permisit secundum, quod habetur in Esaya, fecit enim animam diabolo similem . Quòd si anima superba posset videri in sua deformitate ab his oculis corporeis, sensum amitteret (nisi Deus eam retinet) ac si videret Diabolum ; quod , sic patet. Si duo panni eiusdem coloris vel similis , in eandem tinctura ponerentur; postea extracti, eundem colorem haberent: Angelus primus , qui cecidit; ante casum, similis erat animæ in statu innocentiæ: proiecti igitur in superbiam , similes erunt . Sequitur de Accidia : quæ licet à multis ignoretur; tamen grauissimum peccatum est. Et est Accidia; tædium boni , siue pigritia : vt , sicut homo post comestionem fructuum stiptici saporis , & dentes habens obstupescentes vt comedere non possit , licet cibus sit delectabilis ; sic Accidiosus ; bonum formidat , & facere dimittit quòd Deo est delectabile, & etiam sibi esset si incepisset . vnde, Apostolus : *scio opera tua quia nec calidus* , per amorem, & feruorem boni ; *nec frigidus* , per timorem & veram contritionem de peccato : vtinam , *frigidus esses aut calidus : sed quia tepidus es , incipiam te euomere de ore meo.* Sequitur de inuidia , quæ est valdè detestabilis ; Nam proprium subiectū destruit & cruciat, sicut per definitionem inuidiæ patet . Salomon; *putredo ossium , inuidia , & magna peruersitas est , & cor eius bonum alterius capere non potest.* Sequitur de Ira, quæ valdè periculosa est qui à Deo separat , est enim , Deus pacis non rancoris : Similiter , proprio subiecto nocet tollendo gratiam Dei , quoniam *in maliuolam animam non introibit sapientia* , &c. sic , est odium valdè detestabile Deo ; quod patet per se . Sequitur de gula . Et quoniam lingua , in duo opera naturæ congruit ; scilicet , in gustum , & locutiones : primo , dicendum est de peccato in gustu , quod est graue peccatum ; quia corpus corrumpit , animam deturpat , vsum rationis mutat , vitam abbreuiat possessiones consumit, hominem infamem reddit , & Deo facit odibilem . Peccat verò quis per Gulam ; in cibo & potu , vel crapula & ebrietate, nimirum : vnde Versus ; *Præpropere , lentè , nimis ardenter , studiosè* . Sequitur peccatum linguæ ; quod fit multis modis . Si Peccator dicat ; Domine , peccaui loquendo malum de bonis; & vbi non videbam nisi bonum, iudicabam esse malum : Confessor ; Amice , tales sunt excommunicati à summo pontifice

Deo

Pſ. 76. 11. — Philip. 3. 8. — Mat. 6. 21. — Iob. 41. 25. — Isa. 14. — 1. cor. 15. 49 — 1. Thess. 5. 22. — Sap. 11. 17. — Rom. 7. 18. — Apoc. 3. 16. — Pro. 14. 30. — Sap. 1. 4.

Deo, dicente per prophetam; *Væ vobis qui dicitis bonũ malum, & malum bonum ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Dicat ergo confessor: vultis à modò ista facere? si dicat; non: oportet ergo vos è contrario facere; scilicet, bonum commendare & inuitare alios (scilicet socios vestros) ad bonum, & vitia persequi; &, si inde derideamini sicut alios derisistis, gaudeatis quia est vobis perutile, nam contraria contrariis curantur. Item, peccator: peccaui; detrahendo & diffamando: Tunc confessor; Amice, plus peccasti quàm si esses furatus omnem substantiam pauperum istius villæ, cæteris paribus: nam dicit Salomon; *Melius bonum nomen quàm diuitiæ multæ*: Et sicut inhumanum & crudelissimum esset, homini in medio Maris existẽti (cuius nauis esset fracta) qui adhereret soli tabulæ vel ligno, tabulam, vel lignum ei auferre: sic crudelissimum est, homini auferre famam suam, quæ multis est retinaculum ne in peccatis corruãt; & qua amissa, effrontes sunt ad peccatũ. Nã quando aliquis cogitans se facturum peccatum non dimittendum propter Deum nec propter Infernum; timens, nec per peccatum infamis fiat apud illos qui de illo benè opinantur, occasionem sumit fugiendi peccatum. Item peccator: tantùm verba scurrilia & otiosa sæpè dixi, quicum nescio numerum & per negligentiam meam: Confessor tunc; hoc periculosum, quia in die distincti Iudicij, de omni verbo otioso oportebit reddere rationem: vnde, Ecclesiastes; *Cuncta quæ fiunt, adducit Deus in iudicio seu bona, seu mala:* Super hoc, Glosa interlinearis; *oportebit reddere rationem de omni verbo otioso & ignoranter prolato.* Item peccator; sæpè maledixi aliquibus bonis pro causa aliqua: Confessor dicat; hoc grauissimum est, quia directè contra charitatem, sine qua non est salus. Item peccator: domine; peccaui iurando per Dominum, pro falsis affirmandis cum aliquo: confessor; hoc est dominum mendacem reputare, quia per Dominum iurare (sicut dicunt sancti) est Deum testem inuocare. Item peccator: Domine; iuraui per caput, & membra Christi, & aliorum sanctorum: confessor; in hoc fuisti crudelior Iudæis qui eum crucifixerunt, tamen integrum reliquerunt, sed tu demembrasti & dilacerasti eum. Sequitur de mendacio & aliis peccatis oris, blasphemiæ, & huiusmodi. Similiter de transgressione mandatorum Christi, quæ notantur his versibus;

Sperne deos, fugito periuria, Sabbata serua,
Sit tibi patris honor, sit tibi matris amor.
Ne sis occisor, mœchus, fur, testis iniquus,
Vicinique thorum, resque caueto suas.

Similiter de transgressione operum misericordiæ; quæ sunt septem, quæ possunt sciri per hunc Versum:

Visito, poto, cibo, redimo, rogo, colligo, condo,

Similiter de satisfactionibus omissis confitendum est; & in generali, de omnibus bonis omissis, per negligentiam & ignoratis & malis perpetratis: & de ipsa negligentia debet peccator confiteri. Facta autem confessione, gaudium interius debet sentire peccator, quia sententiam habet pro se in superiori curia; scilicet misericordiæ. Si verò tristis sit; consoletur eum confessor, sicut audiui de quodam scholari Parisiensi qui sotio suo dedit fidem de confessione facienda in crastino, ne à proposito resilirit: & in crastino, facta sua confessione completè; ipse pulcher erat clericus, pallidus, & quasi examinatus est factus: confessor, hoc videns, quæsiuit quomodò ei esset; Respondit, quòd pessimè quia in angustia quasi intolerabili erat. Confessor cœpit mirari, quoniam aliter de aliis viderat: & quæsiuit vnde angustiabatur, qui dixit, Domine, prius eram amicus vester, & familiaris, & benè de me sentiebatis, modò aliud nouistis de me quia enormia vobis dixi, vnde de cætero non audebo conspectui vestro comparere! Tunc confessor; amice, creditis vos sacramentum confessionis, & eius virtutem? dixit; sic &, confessor: & creditis quod similiter credam? domine; quòd multò meliùs. Tunc, confessor. Amice, hoc sacramentum sanctum, tam secretum & tam fortiter inclusum est vt nemo aperire possit, vnde illud, *Claudit & nemo aperit*: Et Augustinus; *Nihil minus scio quàm quod per Cõfessionem scio, etiam quod nescio magis scio.* Et ratio est; quia addiscere possum: illud verò quod per confessionem scio (inquantum sic) est tam secretum quòd Deus qui omnia nouit est immemor delictorum de quibus confessus es, sicut ipse per prophetam dicit; *Quacunque hora peccator conuersus ingemuerit, omnium iniquitatum eius quas operatus est minime recordabor amplius.* Item; signũ amoris & amicitiæ efficacissimum mihi ostendisti, quoniam secreta vestra quæ nulli alij quamquam amico, nec patri nec matri reuelassetis extra confessionem, & mihi dixistis; vnde Sapiens; *Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum tuum alienæ non credes.* Item; si bonum diligendum est, magis bonum magis diligendũ est; maximè quando cognitum est esse bonum: quia inuisa possumus diligere, incognita nequaquam. Credere debetis quòd verò confesso dimittantur peccata, & cõfertur gratia; & similiter credo de vobis quod priùs ante confessionem ignorabam: vnde teneor, vos plus diligere modò. Tunc ille iocundus dixit: nollem habere centum marthas pro confessione ista. Nec mirum: quia verè cõfessus, est in proprio Paradiso: nam vbi est Deus, ibi est Paradisus. Dixit enim Christus latroni, in cruce, *Hodie mecum eris in paradiso:* Nec tamen Christus ante Ascensionẽ cœlos ascendit, nec latro: Augustinus, *domine, ecce vbi es! in corde confitentis tibi!*

Iac.5.20. Prou.22.1. Ex.20.4. Eccle.2. Matth.12. Prou.25. Luc.23.43.

D. ROBERTI A SORBONA, LIBELLVS QVI DICITVR, Iter Paradysi.

IVstus cor suum tradidit ad vigilandum diluculò, *ad Dominum qui fecit illum*, &c. Vnde clamat Apostolus, *hora est iam nos de somno surgere.* Sed quidam differunt in tantùm quòd dies incalescit, & calor solis acutè apprehendit eos, vel præueniũtur nocte, frigore noctis occupati. Dicit quilibet, quòd vult ire in Paradisum, & tamen multi differũt etiam incipere, cùm tamen salus sit multùm longa quibusdam, Vnde, *longè à peccatoribus salus.* De quolibet enim peccato mortali debẽtur septem anni pœnitentiæ. Tales ponunt vitam suam in magno periculo, ac si Rex Franciæ, regnum suum ad vnũ pro-

Eccle.39.6. Ro.13.11. Psal.118.

iectum talorũ. Sed breuis est via scientibus, multi tamen, nec sciunt nec scire volunt, & dicunt nihilominus se ituros in Paradisum. Nullus tamẽ tã benè scit, quin indigeat meliùs scire: vnde Dauid qui fuit tantus propheta, dicit, *Vias tuas Domine demonstra mihi*, &c. Ab illis autem quærenda est via, qui illam nouerunt, qui patriæ lingagium nouerunt, quasi de patria existentes. Sed multi sunt qui nolunt sustinere quòd eis doceatur via, nec volunt doceri nisi à magnis Prolatis, cùm tamen via sæpè ab ignobilibus inquiratur, vt à leprosis qui sedent in portis ciuitatum. Et fatui dicerentur aliqui ituri in aliam regionem, si starent cum leprosis in porta, quia leprosi, viam aliis demonstrantes non vadunt sed stant ibi propter emolumentũ temporale. Leprosi, sunt mali Prælati, in Ecclesiis, tanquam in portis paradisi sedentes, propter temporalia solùm. Sed per Dei gratiam sunt aliqui boni, qui viam Domini in veritate docent & facto ostendunt. Hæc via qua sumus ituri, videlicet in paradisum, tres habet dictas: cuiusmodi sunt, contritio, confessio, satisfactio, vt dicunt sancti super illud Exodi. *Ibimus viam trium dierum in solitudine*. Et quælibet dicta habet solùm tres leucas. Prima igitur dicta habet tres leucas, quia in Contritione debet esse dolor de obligatione pœnæ Infernalis, & hæc est prima leuca. Secunda leuca, est dolor de amissione gloriæ æternæ. Tertia, est dolor de offensione diuina. Et hæc tria, sunt quasi tria mala quæ faciunt peccatum. Primum malum est quod obligat hominem ad mortem æternam, seu ad patibulum Inferni: Vnde Apostolus scribit ad Romanos, *Stipendia peccati, mors*. Vnde, peccator iam est in porta inferni. In Psalmis, *Appropinquauit vsque ad portas mortis*. Nec distat plus, quàm per spatiũ duorum digitorum; quia si de gula sua ad mensuram duorum digitorum scinderetur, in momento fieret descensus in Infernum, iuxta illud, *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad Infernum descendunt*. Nec euadere potest peccator, de se, quia, tanquam latro, iam habet chordam in collo, quam tenet Diabolus tam fortis, & de quo, Iob: *Non est potestas in cœlo, quæ valeat comparari ei*. Hac chorda, stringit peccatorem, scilicet, peccato suo: Sapiens, *Funiculis peccatorum suorum vnusquisque constringetur*: Psalmographus: *funes peccatorum complexi sunt me*. Contra id malum, debet esse prima leuca, scilicet, Contritio siue dolor de obligatione ad pœnam, & de commissione peccati per quod obligatur. Hoc enim modo, facillimè diluitur prædictum malum. Non enim, latroni, deprehenso in furto manifesto, & iam ducendo ad patibulum videretur graue conteri de commissione furti sui, & de hoc quod suspendi deberet, si pro illa contritione deberet liberari. Similiter cùm peccator recognoscit peccatum suum, & videt se obligatum ad mortem Inferni per peccatum, & cõteritur de hoc, Dominus paratus est liberare eum, & soluit ligaturam colli sui. Vnde, Dauid, *Dirupisti vincula mea*, &c. Et Ecclesia cantat illud Ioannis, *Ecce agnus Dei qui tollit peccata Mundi*. Secundum malum quod facit peccator; est, quòd huiusmodi, gloriam Paradisi sibi promissam, per peccatum amittit; bona naturalia debilitat & remittit; & gloriam datam in Baptismo, tollit. Exemplum de illo qui descendebat à Hierusalem in Hiericho: &c. Contra hæc; est leuca secunda: scilicet, dolor de amissione illorum bonorum. Nec est leuca ista grauis, sed breuis & leuissima. Si enim Dominus Papa auferret alicui dignitatem pinguem propter graue peccatum suum, vt propter homicidium aliquod, vel si Clericus eam ad talos amisisset, non esset graue illi Clerico dolere de amissione illa; si propter hoc dominus Papa vellet ei restituere: Similiter; si Rex Francię dedisset alicui regum suum, & posteà ei auferret, quia filiũ suum vnigenitũ occidisset, non esset graue illi, dolere de tãta amissione, si Rex propter hoc vellet eum reconciliari sibi & reddere illi regnum. Sic enim Dominus peccatori restituit omnia amissa, & etiam ampliat dona: vnde Apostolus; *Vbi superabundauit delictum, superabundauit & gratia*. Tertium malum ex peccato proueniens, est ira & offensa Dei: Odit enim Deus peccatum, tanquam inimicum mortalem qui ipsum Christum occidit, & intantùm odit peccatum, quòd primos Angelos propter peccatum deiecit in Infernum, & primos Parentes eiecit de Paradiso. Contra id malum, debet esse dolor de offensa Dei qui dicit cuilibet Peccatori vt doleat de eo quòd offendit eum, & omnia peccata dimittet. Vnde Ezechiel; *Quacũque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius nõ recordabor amplùs*. Tria igitur prædicta requiruntur ad veram cõtritionem, sine quibus impossibile est, Peccatorem, salutem consequi: & faciunr primam dietam. Sed notandum, quòd nec in prima leuca est morandum vel ponendus terminus, nec in secunda insistendũ: sed via, solùm in tertia Dieta completur, & ibi securè iacendum est & dormiendũ: quod sic ostenditur per simile. Si enim peregrinantibus esset certum vbi securè & benè deberent morari, & quòd ibi deberent terminari dieta sua, & quòd, si ante starent vel hospitarentur, deprædarentur & iugularentur, vel, si à recto itinere deuiarent, quòd occiderentur, valdè sollicitè peragerent viã suam, nisi fatuissimi essẽt. Sic est nobis faciendum in hac prima dieta; quia Diabolus vndique insidiatur, quærens quem deuoret. Nam quãtumcúnque de peccato deleas finaliter, propter hoc quòd scis te damnandum & consecuturum mortem Inferni per peccatum tuum, &, si rogaueris Dominum vt tuî misereatur, non exaudiet te, licet bona infinita propter hoc facias, sed poterit dicere tibi, vade in Infernum & accipias ibi mercedem tuam. Fatuus enim esset, qui colens vineam, peteret prætium laboris instanter à Iohanne, ad quem nihil attineret. Similiter debet homo cõteri de peccatis suis propter suum malum, vt sic cõtritus, mereatur gaudia Paradisi: quia quantumcũque operetur bonum hac intentione, non proderit ei ad salutem. Quod figuratur in Euãgelio, de quodã diuite qui multa bona cumulauerat vt eis frueretur: & cùm hęc cogitaret, dixit ei Dominus, *Sulte, hac nocte repetam animam tuam à te*. Debet igitur totaliter se in Deum conuertere, & dicere apud se: Bone Iesu, qui tot & tanta bona mihi feciſti, & parasti sicut pro amore meî, non propter bona mea, vt inde tibi aliquid accrescat, me formasti, & me deformatum per peccatum reformasti morte quantùm in te est. Sic præcipuè propter amorem tuum, etsi nullũ bonum deberem consequi nec malum euitare, & si non esset Infernus nec Paradisus, volo integrè peccatum

Prælati vitiosi, similiter leprosis.

Ex. 5.

Rom. 6.
Ps. 87. 4.

Iob. 21. 13.

Iob. 41. 24.

Prou. 5.
Ps. 118 61.

Ps. 115. 16.
Ioh. 1. 29.

Luc. 10. 30.

Ro. 5. 20.

Ezec. 18. 22

Luc. 18. 10

catum meum dimittere,& de cætero non peccare, & tibi toto corde conuenire:quia(vt dicit Auguſtinus)omne cor inquietum eſt, donec quieſcat in te, bone Ieſu. Sic igitur faciẽs,complebis primam dietam,& ibi ſecurè poteris iacere & dormire. Secũda dieta eſt Confeſſio,cuius peregrinatio, melior eſt. omnibus aliis peregrinationibus: quia in iſta,ſi fiat ſicut decet, obtinebitur perfecta indulgentia omnium peccatorum, & ſine iſta, non proſunt aliæ ad ſalutem.Primùm igitur videndum eſt, quis debet eſſe introitus huius dietæ. Dicunt enim aliqui quãdo veniunt ad ſacerdotem:domine,venio ad vos,ad conſilium animæ meæ!Sed non ſatis benè dicitur: cõſilium enim reuelare poteſt presbyter,ſine degradatione ſuî, licèt non honeſtè: ſed non, dictum in Confeſſione. Debet autem peccator ſic dicere in principio ſuæ confeſſionis: *Confiteor Deo omnipotenti, & beatæ Virgini, & omnibus Sanctis; & vobis pater,* & tũc, per ordinem ſingula exprimere peccata:cuius multæ ſunt rationes. Nã virtutes verborũ præmiſſorũ, ſi exprimãtur,clauditur os ſacerdotis, aperitur porta Paradiſi & obcæcatur introitus Inferni,nec diaboli poſſunt peruenire ad ipſum qui ſic verè confitetur.Reformatur etiam pax inter ipſum & Deum, quam,priùs,omnes Sancti & Sanctę facere nõ poſſent. Exemplum de filio prodigo. Item facit ſe habitaculum totius Trinitatis. Auguſtinus:*ecce Dominus vbi est in corde confitentium tibi.* Facit etiam virtus Cõfeſſionis,in peccato,ſuperbundare gratiam ,& magis etiam diligitur confitens,à Sacerdote,quã priùs. Et meritò: quia melior eſt,& maximũ ſignum amicitiæ oſtendit ſacerdoti, reuelando ei ſecreta ſua. Item ſanatur peccator ab omni vulnere peccati. Et quòd nomine Confeſſionis obturetur os ſacerdotis tanquam firmiſſimum ſcrinium quod nullus niſi Deus, aperire poteſt, *claudit* enim *& nullus aperit*: oſtenditur de quodam paupere ruſtico qui quendam vicinum ſuum diuitem,patrem presbyteri villæ in qua manebant,in campis, cultro & caruca ſua interfecit,quod nullus nouit niſi ipſe. Et hoc fecit, quia ille diues ipſum grauiter moleſtauerat, & verberari fecerat. De quo dictus pauper in Quadrageſima valde dolens,& cum magno timore, excitatus à præsbytero, confeſſus eſt. Qui cùm à præsbytero valdè confortatus eſſet, cœpit agere pœnitentiam, & tandẽ cauſam vxori ſuæ dixit, propter hoc quod illa inſtanter hoc rogauerat vt ſecum pœnitentiam ſuã ageret,& alleuiaret onus ſuum. Sed protinus ab eo percuſſa exiens domum cum clamore,dixit,maritum ſuum,patrem Presbyteri interfeciſſe. Qui aſcendens iumentum ſuum, villa exiuit, fugiens propter inimicos ſuos ipſum perſequentes. Qui cùm obuiaret presbytero ſuo prædicto,factũ ſuum Intimauit;& presbyter ei bonum ſuum palefudum dedit, vt ſic euaderet inimicos. Qui presbyter ſedens ſuper iumentum pauperis, poſt, obuians ſuis conſanguineis,quia noluit eis reuelare quòd ille interfecerat patrem ſuum, ab eis occiſus eſt. Et nota quod ſi fatua fuit prædicta mulier & verboſa, quia reuelauit factum mariti ſui, magis fatuus fuit vir, qui proprium factum ſuum non potuit celare. Et iterum:mulier maritum ſuum inuabat amore eius, in faciendo pœnitentiam pro marito ſuo,& cùm illam verberabat,magis fatuus dicendus erat. Sic igi-

Luc.15.

Apoc.3.7.

Pſal. 99.4.

tur pater introitus veræ Cõfeſſionis,quia per ipſum obturatur os Sacerdotis. Aperitur etiam porta Paradiſi. Vnde pſalmus, *introite portas eius in Confeſsione.* Nota autem quòd locus confeſſionis dicitur dupliciter;forum,cauſarum ſcilicet, & pœnitentiæ. Vnde, vadens ad Confeſſionem, vadit ad placitum vbi diſcerni & iudicari debet an dignus ſit regno cœlorũ vel patibulo Inferni. Curia domini duplex :Scilicet, Curia miſericordiæ, & Curia iuſtitiæ. Cùm igitur aliquis peccauit mortaliter, Diabolus accuſat eum in curia Iuſtitiæ, dicens, peccatorem,reum mortis eſſe. Iuſtitia reſpondet,quod mendax eſt nec credetur ei, niſi probet. Reſpondet diabolus quod habet bonos teſtes ſcilicet Deum & omnes ſãctos. Reſpondet Iuſtitia,quod fideles habet teſtes, ſi eſt verum quod dicit:Iſti enim requiſiti, fidele perhibent teſtimonium. Teſtis enim fidelis in cœlo, eſt Deus, qui etiam vt aſſerit miſſus eſt, vt teſtimoniũ perhibeat veritati. Hoc etiam confitetur tota Trinitas,iuxta illud Apoſtoli,*tres ſunt qui teſtimonium dant cœlo*,&c. Adducit etiã in teſtimonium, omnes ſanctos,&ad vltimum, Conſcientiam peccatoris:iuxta illud Apoſtoli,*teſtimonium reddente conſcientia*, &c: & ſic condemnatur peccator in Curia Iuſtitiæ. Quod videns Peccator &,conſiderans, ſe,totum ibi amiſiſſe,appellat ad Curiam ſuperiorẽ, ſcilicet ad Curiam miſericordiæ. Iacobus: *miſericordia ſuperexaltat iudicium.* Curia miſericordiæ eſt in Confeſſione,cuius officialis eſt, presbyter. Sed ibi ad hoc fortis eſt Diabolus quoniã pro ſe in alia Curia habuit ſentẽtiam:tunc verò timens ne ſit compaſſio miſericordiæ,in cuius Curia peccator liberatur. Et liberatur à miſericordia, non per minas, non per donum aut preces, ſed virtute verborum iſtorum, *Confiteor*,&c. &virtute Confeſſionis. Sic igitur facta confeſſione, & recepta pœnitẽtia & abſolutione,cùm,poſt, Diabolus accuſat peccatorem in Curia miſericordiæ, reſpondet miſericordia quòd non crederet Diabolo niſi haberet teſtes fideles,quia ipſe mendax eſt. Et tunc contendit, Deum teſtem producere contra peccatorem. Reſpondet Deus,ſe nihil de hoc ſcire, Iuxta Prophetam, *Quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatũ eius non recordabor amplius.* Tunc igitur facta Confeſſione, datur ſententia ab Officiali, ſcilicet Presbytero, pro peccatore,cùm dicit, *Abſoluo te*,&c. Et tunc inueſtit ipſum de Paradiſo, & liberat ipſum de pœnis Inferni,quod non fieret, ſi peccator aliquod peccatum celaret in Confeſſione, & Deus poſſet perhibere teſtimonium de illo;quia peccator, ſic in vtráque Curia condemnaretur. Item presbyter poteſt facere teſtimonium de eo quod nõ audierit à peccatore in Confeſſione. Sed notandũ eſt quod Diabolus,tanquam callidus & cõtutus aduerſarius peccatori,præuenit ipſum priuſquam veniat ad Confeſſionem: & ideò, Peccator neceſſe haberet quærere ſapientem aduocatum,& deberet inuocare Spiritum ſanctum,dicens: *Veni ſancte Spiritus*,&c.ad illuminandum ſe, & cogitandum peccata ſua,& poſteà ad Confeſſionem accedere. Quod ſimiliter deberet facere quilibet peccator,quia diabolus ſuos proprios Aduocatos facit conuertere ad peccatorem ipſum decipiendum, & fingunt ſe eſſe familiares ipſi Peccatori. Iſti autem Aduocati ſunt quatuor:malus timor, malus pudor,hypocriſis, &

Ioh.5.7.

1.Ioh.5.7.

Ro.9.1.

Iac.2.13.

Ezech.3.

4. Impedimenta veræ Confeſſionis.

ſpes vitæ longioris. Pudor autem, ſic proponit ipſi peccatori qui fortè fecit peccatũ luxuriæ, quod tãtum fœtet, quomodò poſſes tam enorme factum, homini extraneo reuelare? & tunc, fortè peccator mentitur in Confeſſione, dicens, ſe non feciſſe: vel confitetur illud, ſed celat circunſtantias, vt quòd cũ conſanguinea hoc peccatum fecerit. Vel peccatum id fuit cõtra naturam, & celat per pudorem. Secundò, ſi nihil poteſt facere pudor malus, tunc accedit filia eius, hypocriſis, & allegat ſic: Quomodo reuelares tam enormia facta, homini qui credit te eſſe bonum? iam crederet te eſſe malum! nũquam à modò te diligeret! & dicit hypocriſis, ſe, multos promouiſſe qui non fuiſſent promoti ſi peccata ſua reuelaſſent. Tertio venit ſpes vitæ longioris, & dicit: ô puer, iuuenis es! benè poteris ludere, quia poteris multùm viuere, & cùm infirmatus vel ſenex fueris, poteris confiteri. Quartò & vltimo accedit Timor malus, & dicit: Tot & tanta mala feciſti, quod minueret tibi ſacerdos aliquid facere quod nõ poſſes: & ſic de ſimilibus, quæ multoties retrahunt peccatorem. Sed tunc deberet peccator ſurgere & dicere cùm Catone, *Antequam voceris, ad conſilium ne acceſſeris*. Debet igitur totam veritatem presbytero narrare ſingulariter, & ſic liberabitur in Curia miſericordiæ. Patet igitur introitus huiuſce ſecundæ dietæ, quæ eſt Confeſſio, cuius ſunt tres leucæ, quia Confeſſio debet eſſe integra, voluntaria, & fidelis. Integra debet eſſe Confeſſio: vnde Pſalmus, *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*: Et, *recogitabo tibi omnes annos meos*, &c. Secundò, debet eſſe voluntaria: vnde Pſalmus, *Voluntariè ſacrificabo tibi*, &c. Tertiò: debet eſſe fidelis, vt credat, per veram confeſſionem, poſſe à Deo liberari: & ſic completur dieta. Nec eſt in prima leuca immorandum, vt confiteatur homo ſicut Iudas, qui dixit, *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum*. Et ſic confeſſus eſt integrè, agrauando peccatum, & voluntariè: ſed ibi non eſt iſtẽdum, vt Iudas ſtetit qui nõ credidit, quod Dominus poſſet ei dimittere peccatum: ſicut & Cain de quo legitur in Geneſi *Maior eſt iniquitas mea quàm vt veniam merear*. Veniẽdum eſt ergo ad tertium, vt fideliter confiteatur. Quia ſicut dicit Auguſtinus, *plus poteſt Deus miſereri, quàm homo poſſit peccare*. Nota contra illos qui timent confiteri, aſſimilantur equo vmbratili, qui vidẽs lapidem ante oculos retrograditur & aliquando in foueam cũ ſeſſore cadit & læditur, vel fortè frangit eius collum. Sic eſt de illo qui timet confiteri, pro Sacerdote qui ſine dubio nõ habet membrum vnde poſſit ſe mouere, ſicut nec lapis: ligata enim ſunt omnia mẽbra eius, virtute Confeſſionis, & eſt ſicut vmbra arboris, refrigerium prẽſtans. Item contra illos qui nõ audent videre ſuum Confeſſorem cùm reciderunt in peccatum, præ verecundia: conſtat quòd aliquis debet habere maiorem verecundiam, quãdo ſuſpicatur de eo malũ, & ſic habet ille vnde poteſt erubeſcere: quando autem accedit ad confitendum, ſtatim vehemẽter accedit ipſum eſſe bonum quia licet ſciat vel credat quòd peccauit, credit tamẽ quod Deus iam ei dimiſit. Pſalmus: *Dixi confitebor, & tu remiſiſti*, &c. Item cõtra illos qui credunt quod poſt recidiuationem non diligat eos ſacerdos, aut non velit libenter audire. Nota: Si ſacerdos, equum ſuũ bonum quem multum diligebat, amiſit per annum vnum, equus autem ille fortè per annum infirmatus fuerit: ſi equus ille reducatur inuentus vel ſanatur, lætanter eum recipit: multò libentiùs & lætantiùs, Sacerdos, peccatorem quem per annum amiſerat libenter recipit. Item nota cõtra illos qui timẽt dicere peccata enormia, ne ſacerdos eos de cætero contemnat, vel odio habeat, quod non eſt timendũ: qui ſi alicui viuenti non dixiſſet, & rectè de me confidit, & multùm amicum me reputat, & certè exigit amor meus, vt eum quem ſcio tantum de me confidere, diligam plus quàm amicum alium. Item ſcio ipſum confeſſum, ergo & peccatum dimiſſum, & quod in gratia eſt quod priùs non ſciebam nec prẽſumebam: Ergo teneor, eum plus diligere. Sequitur tertia dieta, quæ dicitur Satisfactio: in cuius caſibus ijs qui ignorant eam, magna videtur eſſe difficultas. Cùm enim ſecundùm Sanctos, pro quolibet peccato mortali debeantur ſeptem anni pœnitentiæ, quibuſdam videtur, ſi vellent pœnitere de peccatis & ſatisfacere, quod quaſi ſemper eſſent in dolore. Sed tales non benè ſciunt proceſſum huius dietæ: ipſa enim bene ſcita, facilis videtur eſſe, & ipſius ſunt tres leucæ. Prima eſt, bonum in aliis pro poſſe ſuo promouere, & malum extirpare, ſecunda eſt, iniurias ſibi illatas, popter Deum dimittere. Tertia eſt, pro peccatis ſuis, iuxta conditionem ſui ſtatus & conſilium confeſſoris, pœnitere. De prima ergo, notandum eſt quod dicitur in libro ſapientiæ, *per quæ quis peccat, per hæc & punitur*. Et ita, ſi quis peccator, qui tenetur diligere proximum ſuum, ad id ad quod ſeipſum, peccando non tantum peccauit in Deum ſed & in proximum ſuum trahendo ad peccatum, vel conſentiendo peccato ſuo, iuxta id Gregorii: *Peccato cui non contradicis, adiungeris*: Et Ezechiel: *Si non annunciaueris impio impietatem ſuam, ſanguinem eius de manu tua requiram*. Vel etiam peccauit dando malum exemplum Proximo ſuo, talis tenetur, peccatorem reuocare ad ſtatum gratiæ, pro poſſe ſuo, & iuxta conditionem ſui ſtatus & conſilium Eccleſiæ, pœnitere: quamuis non videtur habere partem paradiſo, qui non vult tantum facere pro Deo quantum faceret pro Diabolo. Vnde Apoſtolus: *Humanũ dico propter fragilitatem carnis veſtræ, vt ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita exhibeatis membra veſtra ſeruire iuſtitiæ, in ſanctificationem*. Sed multi ſunt ſacerdotes, iſtam leucã ignorantes. Vnde, nota quòd aliqui aſſimilantur medico, qui, vulnerato in capite, emplaſtrum ponit in pede. Nã cùm aliquis confitetur de furto, nõ abſoluitur, niſi reſtituat, aut firmiter proponat reſtituere alienũ, quia non dimittitur peccatũ, niſi reſtituatur ablatũ: & multi Sacerdotes iniũgunt dicere Pſalteria, vel ieiunare, & ſimilia ſolùm, illis qui traxerunt alios ad peccatum, & furati ſunt animas quas Deus plus diligit quàm aurum vel argentum, quia preprio ſanguine redemit. Deberent igitur iniungere quod animas ablatas reſtituerent. Sed dicet aliquis quòd iſtud eſſet ſibi impoſſibile, quia fortè innumerabiles & iunctos ſibi, facto, verbo, vel exemplo traxit ad peccatum: &, ſi fortè rediret ad mulierem cum qua peccauit, vt prædicaret illi, fortè recidiuaret in peccatum, vel inde ſcandalum oriretur. Et, *væ homini illi per quem ſcandalum venit*. Reſpondet mihi quod miles qui iuxta mandatum Eccleſiæ & cõ-

Pſal. 85. Iſa. 38. 15.
Gen. 4. 13.
Qui timet confiteri Peccata Sacerdoti, Equo vmbratili ſimilis eſt.
Pſal. 31. 5.
Sap. 11. 17.
Ezech. 3.
Rom. 6. 19.
Matt. 18. 7.

filiũ iret vltra mare, vt pro omnibus satisfaceret,& sic indulgẽtiam omnium peccatorũ obtineret;Sed ei iniunctum est pro posse, ipsum restituere ablata Deo: Et respõdit miles quod nõ possit qui anescie-bat vbi erãt,& fortè aliqui iam erant mortui & dãnati,quid ergo faciendum? Dicendum est illi,quòd sicut non oportet reddere eosdem denarios qui furati sunt,sed sufficit reddere æquiualentes:similiter sufficit,Deo reddere alios vel æquales,vel maiores. Vt si redderet aliquis quinque solidos sterlingorum pro quinque parisiensibus. Sic facit; qui, pro laico vel muliere tracto ad peccatum, trahit Clericũ ad bonum; per quem fortè tota villa vna vel diæcesis regetur, quia fortè fiet Episcopus: & hoc etiã multò honestiùs faciet, trahendo ipsum ad Deum, ducendo ipsum ad confessionem & vt consulat bonos viros. Item potest ostendi quod facilis est ista via satisfaciendi. Primò; quia non esset difficile alicui qui furatus esset Regi decem libras, & ob hoc esset paratum ei patibulum ad suspendendum si non restitueret decem illas libras; Si aliquis vellet eas dare ei, vt restitueret Regi. Sic in proposito, quia certum est tibi quod multas animas Deo subtraxisti, & ob hoc tibi paratum est patibulum Infernale, nisi restituas: sed Dominus dat tibi vnde restituere potes, cùm dat copiam sociorũ & aliorũ quos ad Deũ potes reuocare. Item secundò patet, hoc esse facile: quia si aliquis veniens de remotis partibus, amisisset centum libras in via, & diceretur ei quod eas inueniret iuxta murum ad introitum villæ, etsi multum esset fessus tamen ei facilè esset ire quæsitũ denarios illos, nec differret, imò difficiliùs ei esset remanere, quàm ire quæsitum: Similiter, tu, per peccatum tuum amisisti famam tuam de qua dicit Salomon, *melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*. Et Augustinus, *crudelis est, qui famam negligit*. Sed indicat tibi Deus quomodo facilè eã recuperabis, scilicet, si benè egeris: Nam dum homo dormit, prædicat eius bona fama, imò & sæpè, dum mortuus est, viget adhuc eius fama bona vel memoria: Et sic, fama bona trahit alios ad bonum, & in hoc, potest dici satisfactoria. Item dicet fortasse aliquis, Domine, & si illos reuocauerim ad Deum, quos per peccatũ Deo subtraxi, multa tamen alia peccata cõmisi pro quorum quolibet merui mortem æternam ex iustitia Dei. Cui dicendum est, quod si confiteatur & verè pœniteat, Deus ex sua misericordia illam mutabit in temporalem pœnam, & quòd magna est Dei misericordia. Sed cùm pro quolibet peccato mortali obligatur ad pœnam septem annorum, & sic videtur ei quod nunquam à pœna possit liberari in vita ista: dicendum est ei quod residuum suæ pœnitentiæ, quam in vita sua præsenti complere non poterit, in Purgatorio perficiet. Sed respondebit, quòd nullo modo vellet esse in purgatorio? etiam pro toto mundo nõ vellet esse per vnam diem, quia audiuit quod calor ignis Purgatorij quasi in infinitũ excedit calorẽ huius ignis materialis. Sed tunc, ad illum, dicendum est: Si paradisum velis ingredi, oportet, vt illum ignem Purgatorij sentias, aut infernalem si in vita non satisfeceris. Sed Infernalis ignis in infinitũ est feruentior quàm Purgatorius. Si ergo Purgatorium tam formidas, quomodò debes ignem infernalem formidare? Item nota documentum bonum,

A quomodò venturum ignem sustinebis? & est tale. Ecce homo, qui tempore messis, multa blada habet colligere, quæ in propria persona minimè potest metere; tamen propter breuitatem temporis, quia imminet periculum, tum propter insufficientiam personæ, non est aliud remedium nisi quod conducat plures operarios ad messes suas colligendas, & tot aliquando habet, quod plus facit in vna die cum operariis suis, quàm posset facere in tribus mensibus. Sic, homo qui per peccata sua, ad pœnam, quasi vltra vires suas obligatur, quærat operarios qui sibi subueniant, ad onus pœnitentiæ supportandum. Quod facere potest tẽporaliter, per orationes aliorum, alios ad bonum trahendo, & diligendo bonũ Proximorum ad honorem Dei. Primum, patet per multa exempla; quia beatus Stephanus primã gratiam impetrauit beato Paulo adolescenti & custodienti vestes lapidantium beatum Stephanum. Similiter mater beati Augustini, per lachrymas & orationes primam gratiam Augustino impetrauit. Secundum patet sic, scilicet, quod si peccatores pro posse suo ad bonum trahat exemplo sanctæ & honestæ conuersationis, verbo saltem bonæ exhortationis & consolationis, similiter & opere: quia omne bonum quod postea fecerit, suum erit, & quantò plures & meliores ad Deum traxerit, tantò citiùs & melius Deo satisfaciet. Vnde Apostolus dicebat Corinthiis; *Gloria vestra sumus, sicut & vos vestra, in die Domini nostri Iesu Christi*. Et ibidem, in principio: *Scientes quoniam sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis*. Vnde Gregorius: *Nullum maius, Deo sacrificium quàm zelus animarum*. Item tertium sic patet: scilicet quod bonũ in quocunque sic diligat, & omne quod Deus plus diligit, plus diligat: sed Deus plus dilexit animas, quoniam pro his mortuus est: vnde & eas similiter plus diligamus, quia, vt dicit Augustinus, *quicquid diligis aut procuras in alio, tuum est*. Et istis tribus modis multa bona poterit metere, quib⁹ & Deo poterit satisfacere. Et fatuus esset, qui differret colligere messem vsque in hyeme (id est, morte) si fructum inde vellet habere. Item si lex generalis esset posita, quod nullus haberet ad comedendum per totũ annum, nisi quod meteret in Augusto per seipsum, manu propria, nullus esset qui non diligenter vellet metere. Sic est de vita ista, quæ est quasi Augustus futuræ vitæ, quia vita quę non seminat in vita præsenti, non metet bonum vitæ æternæ: vnde Psalmus, *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua*: Et sequitur, *Venientes*: scilicet, in præsenti, de bono in bonum, *de virtute in virtutem: Venient*, supple, in futuro, *portantes manipulos suos*, id est, proprios. Apostolus: *qui parcè seminat, parcè & metet*. Et sequitur: *qui autem administrauerit semen seminanti, & panem ad manducandũ præstabit*, &c. Nullus igitur potest se excusare: vnde, Deus in Euangelio quosdam arguit, dicens, *quid hîc statis tota die otiosi*? Magnum enim dedecus & magnũ vitium esset, illos quærere otium tempore messis, maximè, quorum interest metere. Et si patet, quod qui per se satisfacere non potest, cum alio poterit. Et sic completur prima leuca. Secunda leuca est, vt iniurias sibi illatas dimittat, iuxta Euangelium, *dimitte*, &c. Vnde qui dicit *Pater noster*, & non dimittit debitoribus suis, contra se orat & hoc patet, cùm dicit, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos*, &c. Sed di-

Prou. 22. 1.

Bona fama dici potest esse satisfactoria.

Pœnitentię residuum completur in Purgatorio.

Vita præsens, est veluti Augustus futuræ vitæ. Psal. 125. 6

Psal. 83 8.

2. Cor. 9. 6.

Matt. 20. 6.

Matt. 6. 12.

rat aliquis;hæc leucā,quam facilem dicitis, grauiſſima eſt:quomodo poſſum ei remittere, qui me ita læſit,vel grauiter vulnerauit, vel famā abſtulit, vel patrē vel filium interfecit?Contra tales, exemplum tale eſt:Si ſit aliquis detentus ab aliquo in vinculis, & non poſſit ab eis diuertere donec ei ſatisfecerit in centum libris,quibus tenetur ei,& non poſſit negare, cùm Creditor habeat ſufficiens teſtimonium, & dicat ei Creditor, debes mihi centum libras; remittentur,ſi velis mihi dare quinque ſolidos quos tibi debeo & quos fortè nūquam habebis,quia plus conſtarent tibi ad repetendum quàm valeant:Nonne,ſtatim,ille qui obligatur in centum libras, diceret libentiſſimè;faciam,& ſine difficultate?Conſtat omnibus,quòd ſic.Sic eſt de nobis. Nam vnuſquiſque peccator, in infinitum magis Deum offendit quàm homo poſſit hominem offendere. Probatio: nam qui peccat mortaliter, quantùm in ſe eſt, iterū Deum crucifigit: Apoſtolus,*rurſus Filium Dei crucifigentes.* Item quod pro aliquo empto damus, minùs, empto diligimus: ſed Chriſtus corpus ſuum & vitā ſuam pro nobis dedit, *Empti enim ſumus pretio magno*, &c. Ergo plus diligimus animas noſtras,quàm,corpus ſuum vel vitam ſuam dilexerit. Ergo plus offēdimus eum,quando aliquem ei ſubtrahimus,quàm ſi *corpus* eius iterum crucifigeremus. Ergo quilibet peccator, in infinitum plus Deum offendit, quàm homo hominē poſſit offendere.Ergo ſi dicat Deus, remitte fratri tuo offenſam, & ego remittam tibi peccata;leuiſſimum eſt,hoc facere:& idcirco,leuca iſta eſt leuiſſima.Sed dicet aliquis: Ego remitto ita quod non facerem ei malum,nec procurabo vt fiat, ſed ſi ei fieret,non dolerem;imò gauderem! Contra tales,ſic progreditur:*Eadem menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Vnde rogas in Dominica Oratione, ſic:*dimitte nobis debita noſtra,ſicut & nos dimittimus*, &c. Et Dominus ſic tibi reſpōdit;Sic tibi dimitto quod non faciam malum nec procurabo; Sed ſi diabolus te portet in Infernum,multùm gaudebo: Sunt verba Chryſoſtomi,ſuper illud verbum;*& dimitte nobis; ſicut & nos*,&c.Sed dicet alius: nō faciam ei malum, nec vellem vt ei eueniret;ſed non tantum eum diligam de cætero,ſicut priùs.Contra talem, ſic eſt replicandum: Nonne velles,vt Deus te diligeret ſicut priùs faciebat:certè plus!Et tu ſimiliter debes. Sed dicet alius:benè diligam ex corde; ſed non oſtendā illi ſigna dilectionis,quia nolo loqui cū eo:Iſte aſſimilatur Militi,qui alicui fœneratori ſuo dedit litteras ſuas quod teneretur ei in centum libras, & ſolutis illis centum non repetit chartam: vnde accidit quod ille fœnerator poſteà repetit totum debitum: Sic iſte;benè debitum ſoluit, quando ex corde dimittit:Sed cùm ſigna dilectionis non exhibet,chartam non repetit. Sunt enim ſigna dilectionis, loqui cum illo,manducare,&ſimilia.Vnde,quando inter aliquos pax reformatur, inuicem oſculanrur. Sed dicet aliquis:hanc leucam ire nō poſſum, quia nulla iniuria mihi facta eſt, Et ideò, non habeo quod alteri dimittam:vnde, valdè pauper ſum, quia magno debito teneor Deo,nec ſufficio per pecuniam ſoluere,cum offenſa ſit infinita:Item,nihil mihi debetur,quia non fore-fecit mihi aliquis aliquid, & ideò non poſſum ex alieno ſoluere.Tali,dicā:frater, debitū reddere aggrediaris,&ſtatim dabitur tibi vnde poteris ſoluere. Sicut aliquis aliquādo arripit viā ad ſanctum Iacobū cum modica pecunia,ſed tātùm datur ei in via quod optime conficit viam ſuam. Verbi gratia :aliquis incipit agere pœnitentiam,irridetur ab aliquo qui dicit;Iſte eſt Beguinus & tunc iſte dicet tibi aliquid, quia modo aliquo tibi iniuriatur:ignoſce ergo ei,&aliquid lucratus es ad viam tuam.Alius dicet,hypocrita es:Ignoſce ſimiliter iſti tibi iniurianti,& aliquid de debito tuo ſoluiſti. Alij te percutient,ſimiliter,eis ignoſce, & ſic, de debito tuo multùm ſoluiſti. Sic ergo poteris ex alieno ſoluere quod debes:Hæc ergo eſt patiētia in aduerſis, quam pauci habent.Multi enim ſunt,& magni,qui nihil pati poſſunt,&,ſi aliquandp opprobria & cōtumelias patiantur,verberationes ſuſtinere nō poſſunt.Alij dicunt:ſi ex merito mihi fuiſſent iniuriati, paſſus fortè fuiſſem, ſed quia abſque merito me affligebant,pati nō poteram. Contra tales, ſic reſpōdendum eſt: Certè patientiam habere non potes, niſi patiaris, ſic nec humilitatē,niſi te humilies.Sed dicet aliquis, hæc leuca eſt grauiſſima:ſed certè qui ſcit viam,leuiſſima eſt. Verū enim eſt quod omnis diſcipulus magiſtrum ſuum honorat & diligit maxime quando bonas lectiones ei legit:Et quāto difficiliores ei legit,tanto magiſtrum ſuum diligit plus & maxime quando gratis ei legit.Sed certè qui aliū conuitiatur vel percutit,docet eum patientiam, cū igitur eum percutit, illū amare & honorare debet: Et,ſi grauiùs percutit,plus diligit,&, ſi gratis eum percutiat,& maximè eum diligat & honoret. Apparet ergo,quod huiuſmodi leuca facillima experientia,facit artem.Oportet enim, eos qui in via Dei ambulant,multa pati:*Fili, accedens ad virtutem, ſta in timore : præpara animam tuam,ad tentationem.* Item, cōtra tales poteſt obiici,quod volunt debita ſoluere, ſed nihil gratis conferre. Nolunt enim bibere gratis,niſi ſymbolum peccati appoſuerint: & ſic, cum vino patientiæ ſuæ,volunt aquam ſui delicti commiſceri.Vnde Eſaias: *Caupones tui miſcent vinum cum aqua.* Tales etiam nolūt pati,vt Chriſtus, ſed vt Latro,cùm tamen dicat Petrus:*melius eſt,benefacientes, ſi velit voluntas Dei,pati,quàm malefacientes,quia Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis.* Qui iuſtus patitur,Chriſtum imitatur: qui flagellis corripitur,latronem imitatur,qui cum Chriſto cognito in Cruce in Paradiſum intrauit. Qui nec flagellis corripitur,ſiniſtrū Latronem imitatur, qui propter peccatum crucem aſcendit, & poſt crucē iuit ad Tartara. Sequitur de tertia leuca, quæ dicitur Peccati punitio. Nam,in culpa,duo ſunt:deformitas ſcilicet,& reatus,ſiue pœna annexa culpæ. Homo enim,per culpam,efficitur debitor,& Deus vult alterum malum remanere imputatum.Hæc autem punitio,multis modis fit,ſcilicet,per magnam contritionem: Vnde,dicitur quod tāta poteſt eſſe contritio peccatoris,quod ſi decederet,ſtatim euolaret. Exemplum eſt de latrone qui pendebat in cruce, à dextris cui dixit Dominus,*hodie mecum eris in Paradiſo.* Item poteſt eſſe punitiò, per corporis macerationem, quæ fit per ieiunium, vel alio modo, laborando in bonis operibus miſericordiæ,& aliis. Vnde Dominus in Euangelio, *Hoc genus Dæmoniorum, ieiunio & oratione tollitur.* Similiter,oratio, ſatisfactoria eſt in quantum pœnalis eſt: & loquitur de Oratione

Hebr.16.6.

1.Cor.6.20

Diligendo ruminimicorum gradus.

Matt.7.2. Matth.6.

Patientiam inaduerſis, pauci habent.

Eccle.2.1.

Iſa.1.

1.Pet.3.

Luc.23.43.

Matt.17.21

tione mentali, quæ est in eleuatione intellectus & affectus, in Deum, prout coniungitur orationi vocali. Talis enim Oratio, est deuota, & eam exaudit Dominus, sicut patet de beata Magdalena; cui, vna hora, per lachrymarum effusionē dimissa sunt omnia peccata sua. Sed fortè dices: cor habeo ita durū quod flere non possum. Sed dicatur ei: non est ita durū cor, si sæpè recolat Passionem Domini & diuersas contumelias quas pro nobis sustinuit, quin fleret aliquoties: Gutta enim cauat lapidem. Sic etenim iugis memoria passionis Christi, lachrymas trahit à corde, ipsum perforando. Item, non est aliquis, nisi demens, si videret domum suam igne accensam, qui statim non curreret ad aquam: Domus A tua, conscientia tua est. Cùm ergo vides eam accensam igne peccati alicuius, per cogitationem malam aut consensum: Psalmus, *in meditatione mea exardescet ignis*, debes, ad aquas lachrymarum confugere. Et similiter, cùm vides domum Proximi (hoc est, Conscientiam) ardere igne peccati, debes, ad aquas lachrymarum confugere: quia magis teneris diligere animam Proximi, quàm domum eius ligneam vel naturalem. Item, aliud remedium quo puniri potest peccatum, est collatio eleemosynæ, cū cordis cōpassione: Sic enim facta eleemosyna, pœnalis est, quia punitur faciens, compatiendo miseriis Proximi, & subtrahendo sibi quod ad sustentationem suam possidebat. B

Luc. 7.

Cor durissimū emollitur memoria Passionis Dominicæ.

Psal. 38. 4.

EX S. P. N. MARCI, EPISTOLA 2. FRAGMENTVM.

AVSCVLTANTIVM Verbum Dei & fructum bonum producētium signa sunt hæc gemitus, fletus, attentio, silentium, demissio, perseuerantia, quies, capitis motus, grauis luctus, dolor cordis ex pio affectu procedens. Opera verò, vigilia, continentia, ieiunium, mansuetudo, magnanimitas, assidua oratio, sacrarum literarum cura, fides, humiliatio, fraterna dilectio, labor, aduersitatis perpessio, charitas, subiectio, probitas, morum aptitudo, & vniuersum lumen, qui est dominus. Contra eorum qui æternæ vitæ fructum nō faciunt, inditia sunt huiusmodi: Accidia, elatio, despectus, mentis euagatio, murmur, leuitas. Opera autem, edacitas, prodigalitas, ira, furor, detractio, fastus, arrogantia, incredulitas, importunitas loquendi, seditio, obliuio, turbatio, turpis quæstus, auaritia, inuidia, rixa, fastidium, blateratio, risus, C gloriæ libido, omnísq; ebriositas, qui Sathanas est.

BASILII IMPERATORIS CONSTANTINOPOLITANI, EXHORTATIONVM CAPITA SEXAGINTA SEX AD LEONEM FILIVM,

cognomento Philosophum: quorum principes litteræ hanc efficiunt sententiam.

BASILIVS IN CHRISTO ROMANORVM IMPERATOR, LEONI CARO FILIO, ET IMPERII COLLEGÆ.

De literis. Cap. I.

BONA cumprimis atque ad vitam rectè instituendam pervtilis res est literarum cognitio, nō solùm Regibus, sed etiam priuatis hominibus: illis enim qui eā sibi acquisierunt, magnas affert commoditates & ad corpus & ad animum excolendum: hunc quidem studio sacrarum literarum, illud verò exercitatione bonorum operum. Quapropter, ô mihi dilecte LEO fili, ego qui & pater & regni sum socius, admoneo vt eam tibi Imperij ducem adsciscas, quæ & regnis ornamento est, & Reges immortalitate donat. Quemadmodū enim cùm Sol super terram non lucet, obscura sunt omnia atque indiscreta: ita in animo nulla eruditione nullísque literis imbuto confusa atque inordinata iacent vniuersa. Capesse igitur ingenij cultū E ex literis cum virtute coniunctum. Vitus enim sola ex ijs quæ ab homine possideri queunt, neque perire, neque amitti potest. D

De Fide. Cap. II.

AMPLECTERE synceram in Christum fidem, quæ vitæ totius initium & fundamentum incōcussum est. Adora Patrem & Filium & Spiritum sanctum: Trinitatem consubstantialem, indiuisam atque inconfusam: vnum videlicet ac solum Deū: & crede verbi Dei in humana carne inter homines conuersationem, per quam ab hostili iugo peccati mundus liberatus est, sicut Ecclesiæ matris docet institutio. Hęc est fides bonorum omnium summa, hæc virtutum omnium perfectio. Hāc habe penes te quasi depositum quod nulla vi tibi eripi sinas. Ea te ab ipsis incunabulis educauit, eius ego ipse tibi magister extiti. Ne me quæso patrem amantem pudefacias. Debent enim pictores quidem corporum lineamenta, filij autem regum, quasi viuæ imagines, patrum virtutes referre.

De honore Sacerdotibus habendo. Cap. III.

SANAM habe mentem in iis quæ ad rectæ fidei doctrinam pertinent, & summo honore prosequere matrem tuam Ecclesiam, quæ te in Spiritu sancto lactauit, & tuo capiti, ad Dei per Christum laudem, imperij coronā mecum imposuit. Si enim quos natura tibi dedit parētes debes reuereri, multo magis eos qui te in Spiritu Dei genuerunt, omni pietatis officio debes colere: illi enim duraturam ad tempus vitam liberis, per generationem, impertiuntur: isti verò æternā, per regenerationem, largiuntur. Honora ergo Ecclesiam Dei, vt tu vicissim à Deo in honore habeare: & Sacerdotes eius reuerere tanquam spirituales patres, & deprecatores pro nobis apud Deum. Honor enim qui Sacerdotibus habetur, ad Deum refertur. Et sicut propter te ministros tuos in honore habere iustū est: ita &

propter Deum, Sacerdotes eius magni facere & in pretio habere, sanctum. Quemadmodum autem honor qui eis habetur ad Deum pertinet, ita eorum cõtumelia & contemptus longè etiam grauiùs eius iram prouocat.

De supremo Iudicio & retributione. Cap. 4.

IMMOTA fide persuasum habe corruptioni obnoxium esse mundum, quippè quem ortum habuisse constat, sed post corruptionem rursus ad incorruptam integritatẽ esse reuersurum: nihil enim eorum quæ à Deo creata sunt, in nihilum vnquam abibit, etiam si peccati lapsus, & nos & omnem simul creatam naturam mortali dissolutioni adiudicauit. Ea autem ratione incorruptibilem esse mundum admittens, cõfitere etiam rediuiuam mortuorum suscitationem, & iustam expecta iudicationem omniũ quæ quisque in vita sua gesserit: nihil enim mali impunitum Dei iustitiam effugiet, nihil boni non suo præmio coronatum latebit. Sic enim statuere apud te debes, neque interitura vnquam esse bonorum merita, neque malorum supplicia finem habitura, quoniam vtraque perpetuò duratura sũt, & neutrius finis vllus vnquam futurus est.

De Eleemosina. Cap. 5.

LIMITEM mortis etiam mouet Eleemosyna, sed cũdũ id quod vulgo fertur, vitam quoque posse emi pecunia: quoniam se muneribus concuti interdum patitur Deus, ad vitam & salutem nobis indignis concedendum. Diuitias ergo caducas super terram spargens, immortales tibi coaceruas in cœlo: ita tamen vt nihilominus etiam terrenas hîc insuper acquiras. Siquidem inexhaustus est beneficẽtiæ thesaurus: dum enim spargitur, colligitur: & dum donatur, recipitur: neque solùm eos qui illum possident, facit hîc opulentos, sed illic etiã beatos.

De diligẽtia & vigilantia. Cap. 6.

IN mente semper habeto patris tui mores, & ad eorum exemplum vitam tuam studiosè componito: neque enim socordia vitã otiosè traducimus, neque in rebus gerendis ignauiter versamur: sed vt vita nostra pro viua imagine virtutis tibi proponi possit, sedulò agimus, inertiam in vitio ponentes, & laborem in laude ducentes. Caue autem ne præposterè atque importunè rebus vtaris: sed ita te compara, vt & præsentis vitæ cõmodis fruare, vt mortalis: & futuræ bona consequare, vt immortalis.

De cõsuetudine vitiũ hominum. Cap. 7.

VERSARE assiduè cum medicis animorum, vt ipse animo valeas: ab eis enim discere poteris quas res expetere, & à quibus abstinere debeas: quibus hominibus consuescere, & à quorum consuetudine abhorrêre, & quo modo vitam totam dispẽsari oporteat, vt ne in frequentes morbos incidas. Si hanc institeris viam, ad solidæ germançq; virtutis veros limites breui peruenire poteris.

De virtute. Cap. 8.

SOLA virtutis dotatio plus ornamenti affert regibus, quàm vniuersa quæ mũdus hîc habet grata & delectabilia. Nam forma & decor aut morbo, aut certè ætate flaccescunt. Opes, ignauiæ & voluptatum plerumque sunt fomites. Robur, corpus quidem victoriis honestat, sed animi luminibus obstruit. Virtutis autem acquisitio quibus contingit, & diutiis & nobilitate generis est potior atque vtilior: & quæ aliis fieri non posse videntur, illa cum Dei auxilio ad faciendum expedita subiicit oculis.

De cupiditate. Cap. 9.

IMPOTENTI cupiditate formosi corporis vide ne vnquam capiaris: nam illud qualecunque est quod tibi placet, tantumdem terræ est: & quod modò tibi speciosum videtur, postpaulò exiguum pulueris erit. Ergo neque generositatem corporis laudibus efferas, neque infelicitatem despicias neque forma captus tenearis, neque deformitate auertaris: sed animi pulchritudinem intuere, & mente animum ama: ille enim demum verus est amor immortalis, qui non simul atque potitus fueris, abit euanidus, sed quò plus potiaris, eò adolescit magis.

De virtute morum. Cap. 10.

NVMINIS beneficio regnum accepisti: sollicitè custodias illud, quasi depositum fidei tuę commissum, vt incolume cõserues. Caue autem ne ilius malus custos, degeneris aliquid atque indigni committas: Sed sicuti cæteris prælatus es, vt omnib⁹ imperares, ita contende vt virute quoque cæteris antecellas: virtus enim omni principatu omníque authoritate præstantior est. Si ergo dignitate quidem reliquis præstas omnibus, virtute autẽ ab alio præcelleris, imperator es in eo quod minoris excellentiæ est: in eo verò quod præclarius est, imperator non es, immò alterius imperio iubes. Ne sis ergo veluti supposititicius atque alterinus Dominus, cùm te alius præstantior reperiatur: sed verus Imperator, cùm cæteris omnibus virtute antecedas.

De temperantia. Cap. 11.

CONCEDET tibi Deus victorias & triumphos aduersus hostes, cùm ipse aduersus perturbatos animi motus trophæa & titulos erexeris: qui enim inuisibiles hostes deuicit, eum visibiles etiam posse vincere necessariò consequens est. Sed quem voluptates superare, vt vile mancipium, & transuersum ad se rapere valẽt, numquam Deo lubebit eum victoriæ honore condecorare: qui verò victoriã de libidinibus & aliis animi perturbationibus partam voluntariis laboribus coronauerit, is, in certũm argumentum futuræ postea retributionis æternorum bonorum, etiam in hac vita de inimicis victoriam à Deo quasi debitore concessam iure suo referet.

De fidelib. amicis. Cap. 12.

HABE maiorem animi lætitiam ex amicorum fide, quàm ex parentũ & genere propinquorum: nam consanguineorum amicitia non à virtute, sed à natura proficiscitur, ita vt ne voluntaria quidem meritò censeri possit: sed amicorum beneuolentia, à virtute & iudicio nascitur: & illa quidem naturam, hæc autem Deum habet authorem. Verùm vbi quid opus est, longè maior habenda ratio morum est, quàm sanguinis: & iudicij, quam necessitatis: nam propinqui sæpenumerò etiã exiguæ pecuniæ causa parentibus insidias moliuntur: veri autem amici totius mundi diuitias nihili facientes, etiam vitam ipsam præ amicorum salute & charitate vilem habent.

De fortitudine & prudentia. Cap. 13.

ROBVR corporis magni facito, atque in pretio habeto, si cum prudentia coniunctum est: quãtum enim prodesse cum prudentia, tantum nocere absque ea solet iis qui sunt eo præditi. Vis enim cõsilio tẽperata, hominem figurat: si verò amẽtiæ, bestiam ratione carentem depingit & format. Proba ergo eos qui prudenti robore, non eos qui vesano vtuntur: siquidem vis cum amentia coniuncta temeritas, cum prudentia verò fortitudo appellatur.

De Modestia. Cap. 14.

IN te propitium si Deum habere vis, ipse subiectis tuis esto propitius: nam etsi aliorum Dominus constitutus es, ipse tamen etiam seruus es. Dominum enim habemus vniuersi, eum videlicet qui rerum omnium dominationem manu tenet: totius autem

autem humani generis vnus & idem author & propagator eſt, nēpè limus terræ, etiā ſi alius puluis aduerſus alium intumeſcimus. Tu igitur qui nūc ſublimè elatus puluis es, memento quantumcūque modò emineas, futurum aliquādo vt ad terram deprimaris: ita numquam aduerſus humiliorem puluerē animo efferêris. Recordare peccatorum quæ aduerſus Deum commiſiſti, ita fiet vt facilè obliuiſcaris peccatorum proximi aduerſum te.

De Prudētia. Cap. 15.

SVMMO quidem in honore & pretio apud omnes eſt prudentia, & ab omnibus vehemēter expetitur: omnes enim eam laudant, vt bonam, ſed nō omnes laborant vt eam adipiſcantur: quò fit, vt rarò qui ea præditus ſit inuenire poſſis. Tu verò da operā, non ſolùm, vt eam contubernalē habeas, ſed etiam ſiquis eſt qui illā teneat, vt eū tibi adiungas, in pretio habeas, & cū illo frequens nocte diéque verſêris: ille enim ſolus animum tuū iuuare plurimùm poterit, & quæ tibi plerūque in anguſtis rebus inexplicabilia videbuntur, ea per illum, Deo iuuante, expeditè perficies. aut enim te prudētem eſſe oportet, aut vti conſilio prudentum: in quibus, quaſi in ſolio ſuo, Deus conquieſcit.

† De vita & oratione. Cap. 16. Inſcriptio Græca, De veritate & mendacio, videtur ſuppoſititia.

TVI mores eiusmodi ſint, vt fide digniores habeantur, quàm ſermones, quò te non ſolùm loquētem, ſed tacentem etiam reuereantur homines: neque eos tibi aſſume qui verbis probi, factis ea non confirmant. ſunt enim nonnulli, qui cùm honeſtiſſimè loquātur, turpiſſimè viuunt. Caue ergo ne aut tu ſimilis eorum ſis, aut eis ſimiles tibi adiungas: ſed eos elige, & tibi in contubernium adhibe, qui ſuos mores non honeſtant verbis, ſed verba potius condecorant moribus. Et quæ te facere pudet, ea dicere te quoque pudeat: & quæ dicere pudor vetat, ne cogitare quidem lubeat.

De ſtudio ſacrarum litterarum. Cap. 17.

OFILI, quemadmodum teneræ plātæ fontibus irrigatæ vireſcunt, floréſque & fructus ferunt: ita mens tua ſacrarum litterarū ſtudiis irriga, magis ac magis augeſcet ac pro fructibus egregias virtutes producet. nam corpus quidem ſaginatur cibis, qui alius ſuper alium infarciuntur: animus verò, ſanctis ſermonibus alitur ac vegetatur. Sed hoc intereſt, quod cibus ille corporis, palato demum ac linguæ ſuauis, & corruptionem auget, & à corruptione augetur, & in corruptionem tandem abit: Animi verò alimentum ſempiternam mēti affert lætitiam, & incorruptionem parit, & ad immortalitatem deducit. Meditare ergo per omnem vitam ita frugiferos ſermones, vt tantis eorum frūctibus perfruaris, & regnum tuum ſapienter adminiſtres.

De cōſilio. Cap. 18.

RES nulla ſecurior eſt quàm ſapiens conſilium, nihilque periculoſius quàm inconſultò rem vllam aggredi: vt ergo tutò facias quæ vis, velis anteà cōſultare quę facis: poſt factū enim cōſulendi locus amplius non eſt: ſed poſt initā conſultationem mutari etiā licet conſilium. Antè igitur quā quidquam aggrediaris, etiā atque etiā cōſidera, quò res ea quā ſuſcipis euadere queat: atque ita demū ad illā accingere. In conſiliū autē eos adhibe, qui rebus ſuis benè conſuluerūt, & eas bene adminiſtrarunt, non eos qui per inopiā cōſilij res ſuas malè gubernatūt. qui enim ſuis rebus male proſpexerit, nunquam benè prouidebit alienis. neque verò communica cū imperitis earum rerum de quibus conſilium capis, ne que cum iis, quos adulari tibi ſenties: illi enim, vt cæci, ignoranter tibi conſilium dabunt: hi autem etiam errati tua laudabunt. ſed eos potiſſimùm in cōſilium aſſume, qui & ſcienter de iis rebus loqui poſſint, & de tuis erratis confidenter te reprehendere ſoleant: illi enim demum ſoli digni ſunt, quibus & amicorum & conſiliariorum locus fidatur.

De Caſtitate & Temperantia. Cap. 19.

OMNI labe impudicitiæ purum conſerua, non ſolùm corpus, ſed etiam animum tuum. Quē admodum enim impudica vita à Deo nos ſeparat: ita in caſtitate tranſacta, nos ei cōciliat. Sit ergo lux tua ſplendida & clara in oculis tuorum: & eſto perfecta imago virtutis iis qui ſub tua ditione viuunt: niſi enim pudicitiam ipſe ſeruaueris, qua fronte eos qui tuę dominationi ſubiecti ſunt, ad eam ſeruandā cohortaberis? nam quæ facientem te viderint, eadē quoque petmitti ſibi facere interpretabuntur: ſolēt enim ad exemplum Principis mutari ſubiecti. Sicut ergo, niſi in animum induxeris benè vitam inſtituere, grauis detrimenti cauſa ſubiectis eris: ita ſi pudicitiam cum cæteris virtutibus colueris, ſalutis author vniuerſo tibi ſubiecto populo fuiſſe videberis: & eam indè mercedem referes, vt non ſolùm te Deo dignum, ac placentem, ſed eos etiam, qui tibi obediunt, præſtitiſſe iudicēris.

De pietate erga parentes. Cap. 20.

MANVS meæ impoſuerunt capiti tuo coronam imperij à Deo delatam tibi. Redde ergo donatori munus eo dignum. Honora Deū, qui te honorauit, per honorem quem patri tuo deferes: me autē honorabis, non eodem penitùs modo, quo ſubiecti faciunt, nēpè aut genu flectens, aut latus meum ſtipans, aut mihi benè precans: iſta enim principe viro & rege non ſatis digna ſunt: ſed potiùs virtutem omnem exercens, temperantiam colēs, mores tuos exornans, litterarum ſtudia capeſſens, quibus animi iuuenum excoli ſolent: & vt in ſumma dicam ita te cōparās, vt terrēno hoc imperio dignus habeare, & imaginem Regis cælorum in terris referas. Is enim ſolus meritò vocabitur imago Dei, à quo in regni ſolio collocatus eſt, qui omnimodam virtutē amplexatur. Iſq; optimo iure ſecūdo loco poſt Deū à ſubiectis amabitur: & tanquam de ſe, déque ſuis optimè meritus, omni honore digniſſimus habebitur.

De Iuſtitia Cap. 21.

ADMINISTRATIONEM regni, vt omni reprehēſione vacuam præſtes, quæ in aliis reprehendis, ipſe facere ne audeas: ſunt enim ferè ſubditi acerrimi ad examinādas principum ſuorum actiones. Si autē hæc diligēter obſeruaueris, duo iſta maximi momenti bona indè conſequēris: te enim irreprehēſibilem aduerſus omnes omniū calumnias cuſtodies: & ſubiectos tuos non dicendo ſolùm, ſed etiam tacendo, virtutem omnem exercêre docēbis. Si verò alia dices, alia facies, habebis cōſcientiā tuā, quæ te continenter accuſet: E contrario ſi bona dicens, ſimilia facies, habebis eos qui vitam tuam examinare volunt, & teſtes & laudatores ac imitatores ſine vlla ſimulatione, tuæ probitatis.

De beneficentia. Cap. 22.

NON te lateant mores cuiuſque eorum, qui à te munera poſtulabunt, aut honores ac dignitates ambibūt: cúmque ſatis exploratos & perſpectos habueris, benefac duntaxat bonis: ab eis enim perpetuā recipies beneuolentiam, quæ nullo vnquā tēpore vacillatura ſit. beneficiū enim apud virū bonū collocatū, theſaurus eſt nullis raptoribus obnoxius,

qui multiplicē collatori refert gratiam: qui autem improbo benefacit, serpentem in sinu alit, ísque aliquantisper ipsius calore fouetur, sed oblata occasione, venenato morsu benefactorem suum remunerat. Sicut enim canes alienis etiam cibum offerē-tibus oblatrant: ita homines peruersi perinde eos qui benè de ipsis merentur offendūt, atque eos qui malè. Bonos ergo beneficiis tibi deuinciens, te ipsum quodammodo multiplicem habebis, nempè vitam vnam, multis circum oculis multísque vigilantibus, amicis custoditam.

De amicis. Cap. 23.

OPTA tibi eos amicos, & intimos familiares, qui sanctè cum aliis amicitiam coluerint, & aliis dominis fidelem operam nauauerint: quod enim aliis præstiterunt, idem etiam præstare tibi non grauabuntur: & qui bonus erga veteres amicos extiterit, bonus erga te etiam futurus meritò credetur. qui autem prioribus amicis aut patronis ignauus atque inutilis antè fuerit, vix vnquam postea bonus ergà te atque vtilis erit.

† De contemptu pecuniæ. Cap. 24. Hoc integrū caput deerat in exemplari, quo primū vsi fuerāmus: quocirca eius in hac Acrostichide latina rationem nō habuimus.

EXCELSVM atque inuictum principis animum, non adeò magnitudo dignitatis ostendit, ac pecuniæ contemptus: in eo enim genero sitas animę eius eluceſcit maximè: pecuniæ autem contemptus non in eo cernitur, cùm in saccos inutiliter congeritur, & sepo-nitur, sed cùm largè & copioſè in vsus neceſſarios expenditur. Neceſſarius autem vsus nummi, Regi præsertim, plusquam aliis, in promerendis amicis, vindicandisque inimicis versatur: quorū vtrumque rectè facere, is demum verus est pecuniæ sumptus. Si ergo tu in omnibus excelso animo esse vis, esto præcipuè in mētis inductione pecuniæ cōtemptor. Neque enim ipsa tua pecunia propriè tua solius est, sed cōmunis seruorum tuorū, & inopum atque hospitū. Fac te igitur, vt beneficū propriè exhibeas, in eo quod commune est: atque ita demum excelso animo eris, & prudentiæ laude omnibus conspicuus.

De Ebrietate. Cap. 25.

REFVGE comeſſationes, in quibus indulgetur poculis. ebrietas enim inimica est prudentiæ: vbi enim mens à vino opprimitur, idem ei contingit quod imperitis aurigatoribus, qui cùm regere currū nesciant, & se suos equos huc atq; illuc circumagūt, & spectatoribus magnos risus excitant. quando autem mens ita affecta, itáque oppreſſa est, fieri nequit quin animus totus magno in æstu, magnáque in fluctuatione versetur.

De amico comparando. Cap. 26.

VBI voles facilè quemlibet amicum tibi comparabis, si de eo absente bona quædam dixeris coram aliis, quos ei renunciaturos esse non dubitabis. initium enim amicitiæ ferè laudatio est, inimicitiæ verò vituperatio. Et quos iam habes amicos, eos si magis deuincire tibi voles, lauda absentes coram aliis eorum amicis: nā ita videberis præsentes etiam laudare in absentibus. Explora autem amicos in anguſtis & aduersis rebus: felicium enim multi sunt amici. Sed eos amicos veros iudicato, qui te nō lucri causa diligūt, sed propter ipsam amicitiæ virtutem: alia enim amicitiæ species quæ tempori seruit, non tam amicitia, quàm negotiatio & mercatura quædam esse deprehenditur.

De opibus & auaritia. Cap. 27.

MAIOREM in molem euehendæ Reipublicæ causa quæ susciPies, eorum gratiam facere ne dubites. Rem autem publicā optimè administrabis, si pecuniæ publicæ curam diligētem habebis, eíque iustis rationibus colligendæ studebis, nō ex oppreſsione neq; ex lachrymis subditorū corradēdæ. Pecunia enim si iustè colligitur, possidēti multū affert emolumēti, & neruos imperio addit: quæ verò ex lachrymis subditorū atque ex iniquitate corrasa fuerit, etiam iustè collectam dissipabit: attrahet enim Deum, qui iustitiæ leges condidit, ad vindicandam iniuriam. Ignis verò non ita celeriter paleam consumit, vt malè & iniustè congestæ opes, etiam iure partas in perniciem secum abripiunt.

De Lenitate & mansuetudine. Cap. 28.

IN subiectos tuos ne criminosus sis & querulus: molesta enim res est. neque in communi consuetudine promptum ad alios reprehendendos te ostēdas: odiosa valde res est. neq; trisum immoderatè effusum ama: malè morati enim hominis est. sed esto lenis & mansuetus in eos qui offenderint: clemens in castigationibus delictorum: grauis moribus, mitis sermone, facilis aditu, affabilis congressu. hæc enim omnia subiectis amabilem te reddēt, & patrem potius quàm regem appellari facient.

De Veritate & mēdacio. Cap. 29.

MAXIMI pendito & veracem te esse in sermone, & veraces homines in familiaritatem admittere: ita enim firmus & constans in omnibus & factis & dictis æstimaberis, & veram ac non suspectam tuorum erga te beneuolentiā retinebis. Si autem vanitatis & mēdacitatis in suspicionē veneris, indigna facere imperatoria Maiestate, qua auctus es, cōuinceris, efficiésque vt subiecti semper formidolosi, rerúmque omnium incerti & titubantes vacillent. quantùm enim veritatis oratio amabilem hominem reddit, tanrùm mendacij deprehensa, aut etiam suspecta, odiosum qui ea vtitur facit.

De Magistratibus. Cap. 30.

PRÆSTANTISSIMVS Medicorum ille est, qui accommodatas cuique morborum generi nouit adhibere curationes: & REX optimus, qui eos instituit Magistratus, qui à suis subiectis omnem iniuriā arcêre ac propulsare queant. Sicut enim equisonis virtus propria est, equi cuiusque nosse prestantiā: & venatoris intelligere quātum quisque canum cursu valeat ad persequendas feras: ac Imperatoris milites suos cognoscere, & quisque eorum fortitudine sit perspectum habere, vt in instruenda acie intelligat quo quemque loco debeat collocare: ita boni REGIS est subditorum suorum mores, animos, actus & sententias perdiscere, vt de singulis edoctus, vnumquemque sciat suo ordine disponere: ac prauos quidem & pestilentes homines à republica extorres eiicere: Probos autem & veritatis amantes, honoribus & publicis muneribus præficere.

De consilij cōstātia. Cap. 31.

ESSE sibi perpetuò consentientem, hominis est grauis & cordati: quemadmodum pugnare secū & dictis & factis, hominis est leuis, omníque reprehensione digni: nec longè abest à notatione degeneris animi nulliúsque iudicij. quæ ergo meditaberis aut dicere aut facere, caue ne incōsideratè proferas, ne vspiam minus tibi constare deprehendaris: radix enim & origo eius mali, est inconsulta temeritas: Si autem consultò omnia & dixeris & feceris, radicem illam sapienter præcideris, & nunquā à te dissidêre comperieris.

De bonarū legum obseruatione. Cap. 32.

REFERANT mores tui legem viuam, non scriptam, subiectis: ita enim immortalē regni tui memoriam

memoriam posteris relinques, si & ipse bonis legibus antecessorum obsequaris, & in administratione Reipublicæ, eas numquam prætergrediaris: & quæ subditos obseruare coges, ipse multo etiã magis ea seruandi legem necessariam tibi dices. Si enim positas à maioribus leges in Republica gerenda repudiaueris, nec minores edictis tuis, quasi oraculis, posteà obsequẽtur. ita fiet vt edicta principum alia ab aliis inuicem subuersa, confusione ac perturbatione, Rempublicam totam impleant: qua ex iuris euersione, sæpe antehac vsuvenit, vt nationes totæ in extremã perniciem præcipites abierint.

De perditis hominibus. Cap. 33.

A REIPVBLICÆ muneribus perditos ac sceleratos homines extorres esse iube, neque vllam imperij tui partem illis committe, ne & ipse similis eis esse, ac improbis eorum factis gaudere videaris: nam quæcumque mala illi perpetrauerint, eorum causas tibi adscribent, téque peruersæ voluntatis eorum participem esse iudicabunt. Et quod grauius est, scelerum ab illis commissorum rationẽ Deo reddere te oportebit: perditorum enim hominum promotio, certa condemnatio est eorum qui illos prouexerunt: & scelerata eorum facta illis attribuuntur, qui eos prouexerunt. Vide ergo vt bonos viros ad honores, & munera publica promoueas, vt bona de factis eorum fama gloriam tuam augeat, cùm subiecti præclara eorum gesta tibi adscripturi sint. Est autem à populo consentiente profecta laus, multis magnisque opibus longè præstantior.

De Miseri-cotdia. Cap. 34.

THESAVRVM pecuniæ ama, non voluptatis, sed necessitatis causa: nempè vt aut egentiũ inopiam subleues, aut iis qui pro te mori parati erunt, sumptus suppedites. aliorum enim vrgens pecuniæ cupiditas non solùm emolumẽti nihil affert, sed magis etiam detrimentum parit. Opes enim, quæ virtutis ergo non coaceruantur, vitiorũ ferè ministræ sunt: quæ autem ad virtutis officia comparantur, possessorum animis & corporibus iuuandis magnas afferunt vtilitates, cùm aut egenis copiosè eroganturaut fortibus & fidelibus amicis impenduntur: vtrumque enim beneficentiæ officium est, etiam si alio atque alio nomine inscribantur.

De amicorum charitate. Cap. 35.

OMNIVM potentissium vinculum est amicitiæ charitas: nihil enim est in rebus humanis, quod cum amico fideli permutari possit. Constantẽ ergo amicitiam serua omni & tempore & loco, cum iis quos veros amicos semel expertus fueris, vt & illi sine vlla titubatione aut suspicione mutuum erga te animum gerant. Et ne vnquam animo ingratus sis: pars enim pietatis est, benè merentibus gratiam referre: qui verò ingratus est, ipse sibi infensus est: relata enim gratia augetur & multiplicatur referenti: non relata autem, etiam quam habuit ante perdit. Dum ergo te gratum exhibueris, multos habebis tui demerẽdi cupidos ac studiosos: ingratus autem simul atque deprehẽsus fueris, nullum amplius habebis, in cuius beneuolentia acquiescas, & quocũ lubenter ac iucũdè viuere possis etiam si omnes simulatam erga te animi propensionem præ se ferant.

De sermone & silentio. Cap. 36.

RETEGENDIS hominum moribus & ingeniis solers & consideratus esto: quósque perspexeris animo & voluntate bona esse, eos tibi adiunge: quos autem mala, auersare. Sed quidquid erit quod foras renunciare voles, apud te priùs diligenter cõsidera, ne lingua cogitationem antevertens, prępostero ordine agere exprobretur. In cœtu enim hominũ antequam aliquid dicas, in tua potestate est cogitare, si fortè post primam sententiam alia tibi melior succurrerit: vbi autem semel effutieris, non poteris honestè contradicere iis quæ antea dixeris, nisi sermones tuos omnium reprehensioni patere volueris. Dicere autem oportebit aut ea quæ planè scies, aut ea quæ temporis ratio postulabit: de reliquis omnibus silere satius erit quàm loqui.

De Eleemosyna. Cap. 37.

LArgire copiosè misericordiæ stipem egentibus, vt ipse tibi misericordiam allicias à Rege vniuersorum Deo. nam in eo præcipuè versatur pietas, si tua non habentibus benignè impertiaris. Eũ ergo tibi diem periisse existimato, in quo nemini benefeceris, pro beneficiis, quæ à Deo illo die acceperis. Exerce igitur eleemosynam liberaliter, vt eam vicissim à Deo recipias. Præbe aures tuas accliues supplicium precibus: & vultu hilari anteuerte eorum supplicationes: miserere lachrymarum viduæ, & gemitus orphanorum: caue eos repellas: quæ enim fecerimus, eadẽ & patiemur & sicut audiemus, ita & audiemur: & sicut videbimus, ita & videbimur. Qualẽ ergo precaris habere Deũ erga te, talis ipse sis erga subditos tuos: qua enim mensura mensus fueris, eâdem reponetur tibi.

Momentanea & caduca esse omnia quæhic sunt. Cap. 38.

EXistima, fili, vitam istam, nihil fixum, nihilque stabile aut perpetuum habere: nam subinde res aliter atque aliter variantur: & rotæ in morem quę circumuoluitur, ea quæ sursum sunt, deorsum feruntur, & quæ deorsum iacent, sursum euehuntur. quapropter neque secundis rebus extollere, neque aduersis deiicere, sed vtraque in fortuna constans esto, & inuariabilis: vnum hoc tibi proponens semper, benefacere, cætera Deo committe: neque cùm secunda fortuna vteris, metu aduersæ à superba elatione retrahere, neque cùm aduersa, spe melioris à præcipiti deiectione releuare. hoc enim exigui animi est, & non regia virtute subnixi: & quod futurũ est videri nequit. Neque ergo tristi ac abiecto, neq; renidenti & procaci vnquam vultu in publicũ prodi: ita enim grauis & prudens existimaberis, & quæ vtrinque imminent errata vitabis, neque curiosè maledicis vllam ansam præbebis obloquendi de iis quæ tibi accident.

De diligentia. Cap. 39.

OBstringe te huic necessitati, vt omnia tibi oculis inspicienda esse ducas, & nihil inspectum prætermittas. quippè imperator cùm sis, in terris quidem neminem superiorem habes, qui te cogere valeat: sed Regem habes eum qui dominatur in cælis, cui sicut omnia curæ sunt vt Deo, nèceſſe quoque est tibi curæ esse vt Regi: nihil ergo per socordiam neglectum prætereas, cùm te scias esse sub Deo. Quemadmodum enim ea quæ à te diligenter inspecta administrantur, inde multum emolumenti capiunt: ita quæ non inspecta neglectim prætereuntur, in magnam perniciem labuntur: etsi omnibus in rebus non paruum est quod parum abest, præcipuè tamen Regibus sapiens hoc dictum optimè quadrat & conuenit.

De Custodia. Cap. 40.

NVLLA Regij corporis melior est custodia quã subditorum beneuolentia, Deo iuuante: cùm ita sunt omnes ab eo beneficiis affecti, vt nullus ab eo tyrannici quidquã sibi metuat. Sed quemadmodum imperium oportet ab insidiis inimicorũ seruare sartum tectum: ita & à perturbationum incursionibus inoffensum: vtrumque enim insidiarũ nomine continetur, & ab vtroque magnum impẽdet periculũ. Sed corporibus structæ ab inimicis insidiæ, mortis temporariæ discrimen afferunt: aduersus autem animos à pertubationibus comparatæ, pœnam secum atttahunt, etiam post mortem, immortalem.

De Regno Dei & rebus cælestibus. Cap. 41.

ISTAM regiam multi reges quasi inquilini habitarunt, sed pauci regnum cæleste, quasi domum suam, tenuerunt. Tu verò, amãtissime fili, enitere nõ solùm regno isto terreno rectè defungi, per omnem morum probitatem: sed etiam cæleste velut hæreditario iure consequi, per omnimodæ virtutis exercitationẽ. hodie enim tua sunt ista palatia, crastina die tua fortasse non erunt, & perendie alterius fient: ac post perẽdinum diem alius adhuc post alium: ita vt nullius vnquam sint propria: nam si multos vicissim permutant dominos, tamen propriè nullum legitimum habent. Quoniam ergo nos aliis cedere oportet istinc dominationẽ, properemus per iter virtutis illò vbi regnũ est, nec morti nec vicissitudini obnoxium, cùm cætera omnia defluant ac prætereant.

De memoria Dei. Cap. 42.

CONSCIENTIAM tuam si pro lege habueris, & quæ pati ipse nolis, nunquam alios pati permiseris, nullius vnquam peccati reprehẽsionem sustinebis: & si Deum in omni actione inspectorem & cognitorẽ, sicut est, esse tibi persuaseris, nunquã neque palã neque clam peccabis. nam etsi alios latere videberis quæ secretò facies: at cõscientiã certè tuã, & Deum ipsum, qui vsque in abditos animi sinus ac recessus intuetur, reuereberis: homines enim ea quę corporis sunt vident: at ea quæ in fundo animi latent, solus Dei oculus, quem nihil latet, penetrat. sicut enim cùm Sol lucet, sub dio nihil occultum esse potest: ita inspiciente Deo, nullæ actiones occultæ & secretæ esse possunt.

De corruptione munerum. Cap. 43.

AVRO & muneribus venales honores & dignitates caue ne habeas: sed eas dignis largire gratis: qui enim Magistratum prætio emit, subiectos illi Magistratui multo magis emit, vt muneribus quæ dedit fretus, ipse audacius munera capiat. Proba ergo atque explora priùs diligenter, atque ita demum ad honores prouehe eos qui sine muneribus ambibunt, si vis à republica omnem sordiũ & concussionis labem exulare. nam qui dat, vt Magistratum capiat, quæstum sibi à Magistratu captat: dat enim vt ius capiendi habeat, contra leges hoc agens, vt nullis legibus teneatur. Qui enim Magistratum mercari didicerit, is nunquam munera capere dediscet, & sine muneribùs aliquid facere numquam volet: te autem concussionis & sordium habebit magistrũ quem debuerat habere vindicem: neque ipse solùm munera capiet, sed eos etiam qui sub ipso erunt munera capere coget.

De Iniustitia. Cap. 44.

REPREHENDI grauiùs meretur, qui sciens iniuriã fieri sinit, cùm prohibere possit, quàm qui ipse iniuriã facit: Cùm ergo ad te accedet qui iniuriam passus erit, vide ne querimoniam & afflictionem eius cõtemnas, ne occasionem des eis qui aliis iniuriam facere parati erunt. Qui enim læsus iniuria est, à tua solius spe dependet, & te qui vindicare debes illatam iniuriam violatori suo opponens, persequitur eum à quo iniuria violatus est. Oportet ergo supplicem, qui apud te conqueritur, ius suũ obtinere: ius enim est, vt omnis iniuria compescatur. Si verò iniuriæ cõniuebis, & eum qui læsus erit despicies, eum autem qui fecerit inultum abire sines, tu qui solus vindicare & debes & potes, quid reliquũ spei erit misero illi quò confugere valeat? & à quo amplius vindictã expectabit, nisi à Deo, qui à te rationem iniuriæ neglectæ reposcet? Ius igitur reddito ei qui iniuriam passus est, & iniuriæ authorẽ pro merito vindicato, ne conniuentia tua videaris cum iniuriam facientibus ipse quoque iniuriam facere, & alienæ iniuriæ te ipsum reum instituere.

De Immortalitate. Cap. 45.

OBNOXIVS es morti corpore, sed animo permanebis immortalis. in iis ergo quæ corporis propria sunt, mortale sapias: in iis verò quæ animi, immortale amplectere: mũdum istum corruptibilẽ corpore mortali: animo verò beatitudinem æternã atque incorruptibilem, quasi immortalis. etsi enim modò in sublime solium elatus es, post aliquantum temporis tamen ab eo descendis: & si totum orbem terrarum tuæ ditioni subiugaueris, post mortem tamen non amplius quàm pedes quatuor & semissem occupabis. Proinde cura regnum hoc terrenũ, quasi mortalis: sed enitere vt immortale acquiras per virtutum adeptionem, quasi immortalis. propterea enim terrena potentia donatus es, vt per eam cælestem atque æternam dominationem acquiras.

De Magistratibus. Cap. 46.

FAC eandem habeas de tuis subiectis, quam habes de te ipso sententiam: & da operam, quo ad eius fieri poterit, vt tuam illi ament dominationẽ. Illi enim soli iucundè regnãt, qui subiectos suos diligentissimè curant: ita vt eos qui digni sunt honoribus & beneficiis augeãt, eos vero qui nõ sunt, minimè lædant. Boni ergo principis existimationẽ ita potissimum consequêris, si suum cuique locum & gradum seruaueris: & eis quidem, qui cæteris præesse atque imperare digni erunt, præfecturas commiseris: eos autem, quibus parere melius erit, ita tẽperabis, vt neque præfectos suos offẽdere, neque ipsi vicissim à suis præfectis lædi possint. Da igitur operam, vt vnumquẽque exploratum & perspectũ habeas, & vt cuique commodum magis erit, de iis qui præesse, & qui obedire debebũt, sapienter statuas, ne cerui imperent leonibus, sed magis leones ceruis.

De Pace. Cap. 47.

INimicitiarum & litium omnium occasiones si præcideris, atque à Rep. expuleris, omniáque pacare studueris, & subiectos quieti studere, & charitatem inter se mutuam habere docueris: beatum te absque magno labore reddideris: id autem fiet, si inquietos homines, & inimicitias inter ciues serentes extorres abire iusseris: pacis autẽ amantes & quietos tibi adiũxeris. Filius enim meus, id est Regis terreni, cũ sis, si monitionib. istis obsecutus fueris, cælestis Regis filius per gratiã vocaberis: diuinę tibi cõsanguinitatis dignitatem adipiscens, & te pro vero Christi discipulo gerẽs: qui cum ipse mansuetus & mitis sit, Beati, inquit, pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

De Laude Cap. 48.

LAVDA ex familiaribus, non eos qui tua omnia & facta & dicta probabunt, sed potiùs eos qui

peccata

peccata interdum tua reprehendent: eos enim ego & amantiores & sapientiores esse iudico. semper enim veritas mendacio prę ferenda est. Et quos sapere & tibi benè velle intelligis, eis libertatem ingenuè tibi loquendi cõcedes: ita habebis quibuscum de rebus, quas ignoras, optimum consilium capere possis: & ad hũc modum si te comparaueris, cognosces non eis qui artificiosè adulãtur, sed iis qui cum beneuolentia syncera seruiunt tibi, adhærendum esse: horum enim vtilitate, & illorum pernicie explorata, ab istis cauendum, illis autem acquiescẽdum esse iudicabis.

De sui cura. Cap. 49.

IVVENTVTEM tuam exorna, non coronis ex ludicris certaminibus aut corporum exercitatione quæsitis, sed moribus virtute excultis: neque naturã tuam sinas simul totam dissolui: etsi enim corpus morti obnoxium sortitus es, at animum mortalitatis expertem habes. Connitere ergo vt per boni nominis memoriam immortalitatem consequaris: gloriosam autem nominis tui memoriam relinques, si eos qui talem reliquerunt imitaberis: ita vt mediteris semper bona dicere, & consuescas similia facere; & quæ sapere dictis indicaueris, eadem factis exercere curaueris.

De Commiseratione. Cap. 50.

OMNIS corporis vmbra est semper comes: ita semper hominem peccatum consequitur: natura enim humana valde ad labẽdum est procliuis: & ad cadẽdum prona. Esto igitur errãtibus lenis: & iustitiæ admisce humanitatem. nam si officij tui est ab errantibus exigere rationẽ, ipse Deũ habes cẽsorẽ, qui à te quoque peccatorũ tuorum rationem reposcet. proinde per vnumquemque diẽ ita tibi ipse denũcia: Vt aliis peccata remiseris, ita à Deo remissum iri tibi spera. Cùm ergo tibi præiudicium ipse facias, remitte debentibus debita, vt & tibi remittantur tua. quæ enim conseruis tuis feceris, eadem à communi domino recipies, & quo iudicio alios iudicaueris, eodem & ipse iudicaberis.

De æquitate. Cap. 51.

EGENTI autem tuam acclina, eique placidè respondе: etsi propter regni terreni celsitudinem, facilis aditu omnibus non es: at propter regni cælestis spẽ, accessus ad te pateat omnibus. cõsolare mœrẽtes: si nõ donis, at certè placidis & lenibus verbis: nam vel vnum principis verbũ pluris est, quã multa munera: & dictum vnicum ad consolandũ efficacius ac valentius est, quàm res aliæ sexcentæ: non enim tantum valet pecuniæ copia ad reficiendũ animum dolẽtem, quantũ blanda & lenis oratio principis. ea via est ad conciliãdum tibi citra vllos sumptus omnium beneuolentiam, qui ex eo te Patrem patriæ, potiùs quàm Dominum, prædicabunt.

De referẽda gratia. Cap. 52.

TENERI te scito eodem modo referre gratiam Deo, quo beneficia ab eo suscepisti, vt ne quasi inuitus creditori debitum soluas, sed pro acceptis gratiis duplices vicissim gratias rependas. Redde igitur largitori bonorum, pro mutua gratia, bona: & quam ab eo gratis accepisti dominationem, eam beneficiis in tuos conferendis impende: sed eos tamẽ ad benefaciendũ ditiores esse putato, qui te sunt minores, quod ad imperij porẽtiã attinet, non enim eã accepisti vt effũderes, sed suscepisti, vt administrares & probę administrationis mercedẽ ab eo reciperes.

De pulchritudine. Cap. 53.

INSIGNIS forma corporis idoneum hominem reddit, qui in aula assistat principi: Sed animi pulchritudo, gratum & placentem Regi cælesti facit: at illa momentaneam adfert honorum fruitionẽ: hæc autem æternam inuenit cum Deo ac Domino cõciliationem. Tu verò alium non habes superiorem, cui pulchritudine corporis placeas: sed Deum habes Dominum, qui corporis formam non requirit: sed animi generositatem. huic igitur placere stude per omnia, illius imaginem in te conseruans incorruptam atque incontaminatam, per temperantiam & morum puritatem.

De medicina. Cap. 54.

MEDICI labor inanis est, si quæ ab eo exhibetur medicina corpus non curat: ita vana est philosophi oratio, quæ non potest animi perturbatis morib. mederi. sicut enim medicis propriũ est de corporibus philosophari: ita & philosophos necesse est animorũ morbis medicinam facere. Illos igitur existima veros medicos, qui arte sua norunt morbos è corporibus hominum expellere: & philosophos non fictos, qui perturbationes ex animis hominum suis persuasionibus euellere, si modò per omnia obsequentes infirmorum aures habeant.

De calumniatoribus. Cap. 55.

PRÆBERE aures auditioni vanæ noli, & calumniatores in sinu tuo ne foue, & improbis ne temerè crede: illi enim sæpenumerò viros bonos propter improbitatis suspicionem afflixerunt. ij verò propriæ improbitatis iras euomentes, innocentis sanguinis reum te constituent, aut suspectum reddent, quasi improborum consuetudine gaudeas: quibuscum enim cõsuescere familiariter lætatis, & quibus fidem adhibere soles, eorum mores tu quoque habere non immeritò iudicaberis.

De studio legendi historias. Cap. 56.

EVOLVERE ne vnquam cesses historias veterũ: ibi enim reperies sine labore, quæ alij magno cũ labore congesserunt: atque inde bonorum virtutes, & improborum vitia cognosces, & vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea conuersiones: mũdi huius instabilitatem, & imperij ad cadendũ pronitatẽ disces. Breuiter malefactorũ pœnas & bonorũ præmia leges: quorũ illa fugies, ne vltionis quæ inde sequitur seueritatem patiaris: hæc autẽ amplecteris, vt præmia quæ ex eis manant consequi merearis.

De Beneficentia. Cap. 57.

REGVLAM tibi sapientẽ, licet ab vsu consulentium fortassis alienã, fili, suggerã, à paterno tamẽ amore & charitate profectã. Eos approba, fili, potius qui à te munera postulabũt, quã qui ambitiosè sua tibi dona obtrudent: illos enim obæratos tibi cõstitues, qui tibi à Deo bona precabũtur, & ipsum etiã inde tibi debitorẽ interdũ facies, qui benefactorum remunerationẽ persoluet, quasi obligatus: istis autem contrà ipse debitor obligaberis, & quasi benefactores reuerentia quadã illiberali prosequeris. Velis ergo potiùs omnes homines obligare tibi benemeritis, ipse autẽ nemini obligari, nisi vni & soli Deo. Hoc enim profecto magis cõgruũ est generoso & magnifico imperatori. Proba igitur potiùs eos qui petẽt à te, & eis dona: qui autẽ offerẽt tibi, magis reproba: iis enim hoc vnũ quasi signũ propositũ est, vt à te maiora munera auferant: illis autẽ omne studium erit, vt gratiam tibi referãt, humanitùs quidẽ, si habent vnde soluant: si non habent, diuinitùs, multiplicem à Deo tibi precibus impetrantes.

De Nobilitate. Cap. 58.

INIVRIAM, summam facit corporis nobilitati, qui animi nobilitatẽ negligit. Tu ergo cũ istare-gia genetositate corporis, quã habes, fac vt acquiras

etiam animi,quæ ſũma eſt:illa enim à natura & ſine A pręmio habetur:iſta verò à cõſulta volũtate,& magno cũ præmio acquiritur. Honora ergo & lauda, non eos qui corpore ſunt nobiles,ſed potiùs eos qui ſunt animo variis virtutibus exornato: neque enim debet homo ſola corporis nobilitate,ſicut cætera animantia,contentus eſſe:nam Equi nobilitas eſt, vt ferox ſit atq;interritus:Canis,vt latrator acer in perſequendis feris:& de cæteris animantibus ſimiliter: hominis verò nobilitas eſt,vt animum habeat omni genere virtutũ exornatum. Corporis ornatus eſt, vt forma & robore & valetudine polleat: animi verò generoſitas in dicendi facultate, morum probitate, & omnium virtutum perfectione ſpectatur.

De Patientia. Cap.59.

IRASCI aduerſus Deum vlla vnquam in re nefas eſſe ducito:hanc enim impatientiam, animi exilitas ſæpenumerò generare ſolet:ſed æquo animo excipe omnia quæ tibi contingent,& obſequere abſque vlla cũctatione iis omnibus,quæ Deus à te fieri voluerit:ſi gaudêre,gaude:ſi mœrêre, mœre: ſi ſecũda vti fortuna,ſecũda vtere:ſi aduerſa,patere:omnibus cede,& omnibus acquieſce:à peccato duntaxat abſtine.hoc enim vnum eſt,quod te nunquam admittere oportet:quoniam à Deo nõ eſt,immò ex eo ferè naſcitur,quod Deo non paretur.Neque ergo ſecundis rebus extollere,neque aduerſis deprimere.ſi enim in omni rerum acerbitate fortiter ferẽdo animi æquitatem oſtenderis,patientię mercedẽ à Deo feres: ſi verò mœrore te conficiens repugnare Dei conſilio & diſpenſationi de te volueris, inuitus tamen patieris quæ Dei prouidentia de te ſtatuerit:& patientiæ præmium ſimul amittes.

De Eruditione. Cap.60.

COGITARE nõ ſolùm de ſuis, ſed multò etiam magis de ſubditorum rebus,ſolicitudo eſt rege digniſſima:neque enim ſatis eſt bonum te præſtare iis qui tuę ditioni ſubditi ſũt:ſed &liberos relinquere oportet,qui quaſi viuæ virtutis imagines ſint cæteris.quemadmodũ enim qui liberos probè inſtituros relíquit,de toto regno benèmeretur : ita qui eos malè moratos,nullis litteris excultos ſinit, totã Rẽpublicã grauiter lædit.Obedi ergo,fili, paternis exhortationib⁹,vt & tibi ipſe profis,& vniuerſo regno tuo ad rectã viã præeas,& mihi inſtitutionis tuę gratiam,bonã videlicet nominis memoriã, perſoluas.

De lingua nocumẽto. Cap. 61.

OMNIA audi,& de omnib⁹ diſce: ſed ex iis quæ audies,quædam reiice:quædã admitte, nempe ea quę tibi aut vſui aut honori eſſe queũt,&tuis ſubiectis obeſſe nequeũt:reiice autẽ ea quæ& ſubiectos lædũt & tibi nihil profunt.lingua enim improba ac fraudulẽta,ſi potentẽ adiutorẽ nãciſcatur qui ei reſpõdeat,& ſibi & ſectatoribus ſuis multũ detrimẽti aduehit.Os verò ſyncerũ quod nihil niſi verũ loquitur:& dominũ ſuũ & eos qui illũ audiũt iuuat plurimũ.Malis ergo ne gaude,bonos aſſume:pacẽ inter E ſubiectos ale, non eos inter ſe committe. vbi enim lites ſunt & pugnæ,procul abeſt Deus:vbi verò pax & charitas & concordia, pacificis ſe præſentem exhibet,& adoptionis in filios Dei copiam eis facit.

De bonis moribus. Cap.62.

LECTISSIMAM eſſe regni tui coronam ſtatuito, innocentiam & bonam conſcientiam,qua te magis meliúſque exornabis, quàm ſexcẽtis aliis ornamentis.Diuitiæ,infida quædam res,& quæ facilè dilabitur.Gloria tranſit.Robur corporis flacceſcit: voluptates diffluunt: ſola innocẽtia & boni mores in multas ætates protendũtur,& memoriã nominis æternam tranſmittunt ad poſteros,quibus virtutem tuam æmulãdam, quaſi pharmacum aduerſus mala omnia relinques, eóſque, & laudato res & imitatores tuæ adminiſtrationis efficies.

De coercẽdis voluptatibus. Cap.63.

LEGITIMVM integrúmque ac verum regem, fili,homines te iudicabunt,cùm non ſolùm ſubditos in manu habebis,ſed voluptatibus etiam omnibus imperabis. Sit ergo tibi corona, quidem pro ſigno externo imperij , ſed coronæ ſẽper adiũcta ſit comes Iuſtitia.Purpura benè veſtieris, ſi tẽperantia omnib. &dictis &factis tuis efflorebit.Calcæi rubri decẽter pedes tuos exornabũt,ſi in ipſis ſuperbiæ faB ſtũ pedibus calcabis:illa enĩ momẽtanei imperij tibi notas & ſigna adhibebũt:iſta vero ab æterno ſupplicio defendent, & immortalitatis regno donabunt.

De perfecta dicẽdi facultate. Cap.64.

ELOQVENTIAM rerum omnium humanarum perfectiſſimam vide vt diligenter etiam atque etiam exerceas:per eã enim terreni regni principatus refert quodã modo cæleſtium rerum ordinẽ & cõuenientiã, oratio rebus omnib. humanis præeſt, quã ſi tollas,ſimul & omnia noſtra tollas . Da ergo operã vt tibi dicendi facultatẽ pares,non eã quidem mancã aut diminutã,ſed perfectam.neque enim ſalus nauigij gubernatori cõmittitur,niſi benè gubernare didicerit:neq;regi imperio regi o vti,niſi facultatẽ dicendi,tẽ ſcilicet ad imperandũ atque ad res C gerendas accommodatiſſimã, diligẽter exercuerit. Leoni enim regnũ in beſtias dat robur animi & corporis: Aquilæ in aues volatus ſublimis& velox:Homini autem ſuper terram imperium dat oratio.

Non eſſe gloriandũ. Cap. 65.

GAVDIO geſtienti propter relatam de hoſtibus victoriam ne efferaris,nec aduerſariorum calamitatibus inſultes, neque ob ruinam inimicorũ lætęris,nec alterius miſeriam rideas,neque ob exitum vllius hominis manib. plaudas.natura enim cõmunis eſt omnibus:& futurũ prouideri nequit. Reminiſcere quę antè fuerũt,&intelliges quę poſtea erũt: magnæ enim & multæ ſũt vitæ huius viciſſitudines: & præteritorum recordatio præſentibus documẽto D eſſe debet:Ne te efferas, aiunt, ne tanto profundiùs poſteà deiiciaris:ne victoriam tibi aſcribas,& numquam cladem deflebis.ſed illachryma aliorum calamitatibus:condoleſce hominum miſeriis,homo ipſe cùm ſis:triumphos& feſtorum celebritates ob victorias partas ſoli Deo gratus acceptas refer,vt &in ſecundis rebus te ſubmittens, & in aduerſis erigẽs, numquam te hominem eſſe obliuiſcaris.

De ſtudio literarum. Cap. 66.

AEVO ab omni veterum ſapientum ſentẽtias reuolue, vt mores tuos omni ex parte excolas: multa enim in illis præcepta valde vtilia reperies, præſertim in operibus Salomonis,& ſcriptis Iſocratis:adde etiã,ſi vis,Ieſu Sirac documẽta,è quib. multũ ciuilis & regię prudẽtiæ haurire poteris. Cætera etiã diuinitùs inſpiratæ ſcripturæ oracula perlecta tibi eſſe oportet,vt cùm ſapiẽtia cõſummatus fueris me regem,patrẽ ac præceptorem tuũ,lætitia perfũdas,& cæteros etiam per Deum exhortari ac docere poſſis:& homo cùm ſis, finem tibi præſcriptũ eſſe agnoſcas: intelligãſque hominem nullum eſſe, cui non ſit aliquando moriendum,nullum qui non peccet:nullum, qui Dei iudicium euitare queat de his omnibus, quæ tota vita geſſerit:nullum, cui de mortis ſuæ termino compertum ſit.

SANCTI

SANCTI METHODII DOMINO POL. EX SEGREGATIONIBVS
σουδιωτῶν μοναχῶν.

CVM multis & ſanctis ſenibus qui adhortantur, ſupra omnes magnum Baſilium audiant, quod cum ira, & cupiditate, & ratione ſolis vita reis agere licet, non autem de quouis eorum in clero conſtituti ſunt, loqui, vel audire eis omnino permittetur, ſicut canon edixit. Sed neque vnquam mundana negocia aggredi. Quemadmodum enim ſibi imperium, vel principatum nemo vnquam accipiet, etiã ſi bellicoſus, & pugnaciſſimus eſſe videatur: & ſi velle deprehenſus fuerit, abducetur in cuſtodia, vt maximus Dionyſius litteris mandauit: ita nec ſacerdotalia A quis ſibi munera permiſerit, quandoquidem magnus quoque dicit Apoſtolus, quod non quis honorem ſibi aſſumit, ſed qui à Deo vocatur & ſubiũgit, ſicut & Aaron. Ita & Chriſtus non ſeipſum glorificauit vt fieret pontifex, ſed is qui dixit ei, Tu es ſacerdos in æternum ſecundũ ordinem Melchiſedech. Quòd autẽ epiſcopi, ſeu antiſtites, & hierarchæ, Apoſtolorúmque ſucceſſores patriarchæ eos iure ſegregauerint ſecundũ diuinum Dionyſium, canonum quoque inſcriptio manifeſtiſſimè declarauit. Inferiores enim ordines à ſuperioribus iure ſegregantur, ſeu excommunicantur.

BEATISS. ET SERAPHYCI PATRIS NOSTRI
S. FRANCISCI OPVSCVLA.

VERBA SACRÆ EXHORTATIONIS SANCTISSIMI PATRIS NOSTRI FRANCISCI AD OMNES FRATRES.

DIXIT Dominus diſcipulis ſuis. B ſinu ſummi patris ſuper altare in manibus ſacerdotis: & ſicut ſanctis Apoſtolis apparuit in vera carne, ita & modò ſe nobis oſtendit in ſacro pane. Sicut ipſi intuitu carnis ſuę tantum eius carnem videbant ſecundum ipſum Dominum Deum eſſe credebant oculis ſpiritualibus contemplantes: ſic & nos panẽ & vinum oculis corporeis videamus & credamus firmiter ſanctiſſimum eius corpus & ſanguinem viuum eſſe & verum. Et tali modo ſemper eſt Dominus cum fidelibus ſuis ſicut ipſe dixit. Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.

De malo propriæ voluntatis.

Dixit Dominus ad Adam. De omni ligno paradiſi comede. De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. De omni ligno paradiſi comedere poterat Adam, quia dum non venit contra obedientiam, nõ peccauit. Ille enim comedit de ligno ſcientiæ boni & mali, qui ſibi ſuã voluntatẽ appropriat & ſe exaltat de bonis quæ Dominus dedit & operatur in ipſo: & ſic per ſuggeſtionem diaboli & tranſgreſſionem mandati factum eſt ei pomum ſcientiæ mali. Vnde oportet quod ſuſtineat pœnam.

De perfecta obedientia.

Dixit Dominus in Euangelio. Qui non renunciauerit omnibus quę poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et qui voluerit animam ſuam ſaluam facere perdet eam. Ille homo renunciat omnibus quę poſſidet & perdit corpus ſuum qui ſeipſum totum prebet ad obedientiam in manibus ſui prælati: & quidquid facit aut dicit quod ipſe ſciat quod non ſit contra voluntatem eius (dum bonum ſit quod facit) vera obedientia eſt. Et quando ſubditus viderit meliora & vtilia animæ ſuæ, quam ea quæ ſuus prę-latus præcipiat, ſuam voluntatem ſacrificet Domino: quæ autem ſunt prælati opera ſtudeat adimplere. Nam hæc eſt caritatiua obedientia: quia Deo & proximo ſacrificium ſeipſum facit. Si vero prælatus præcipiat aliquid ſubdito contra animam ſuam: licet ei non obediat: tamen ipſum non dimittat. Et ſi ab aliquibus perſecutionem inde ſuſtinuerit, magis illos diligat propter Deum. Nam qui potius perſecutionem ſuſtinet, quam velit à ſuis fratribus ſepa-

C viderunt Dominum Ieſum ſecundum humanitatẽ, & nõ viderunt neque crediderunt ſecundum & diuinitatem ipſum eſſe verum filium Dei, damnati ſunt. Ita & modo quia omnes qui vident ſacramentum quod ſanctificatur per verba Domini ſuper altare per manus Sacerdotis in forma panis & vini, & non vident & non credunt ſecundum ſpiritum & diuinitatẽ quod ſit veraciter ſanctiſſimũ corpus & ſanguis Domini Ieſu Chriſti, damnati ſunt, ipſo altiſſimo atteſtante qui ait. Hoc eſt corpus meum, & ſanguis noui Teſtamenti. Et qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam. Vnde ſpiritus Domini qui habitat in fi- D delibus ſuis, ille eſt qui recipit ſanctiſſimum corpus & ſanguinem Domini. Omnes alij qui non habent de ſpiritu eodem, & præſumunt recipere eum, iudicium ſibi manducant & bibunt. Vnde, filij hominũ vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Vt quid non cognoſcitis Domini veritatem & creditis in filium Domini? Ecce quotidiè humiliat ſe ſicut quando à regalibus ſedibus venit in vterum virginis. Quotidiè venit ad nos ipſe humilis apparens. Quotidiè deſcendit de

rari, vere permanet in perfecta obedientia. quia po- A
Quod nullus sibi appropriet prælationem. nit animam suã pro fratribus suis. Sunt enim multi religiosi qui sub specie videndi meliora, quam quæ sui prælati præcipiunt, aspiciunt retro & ad vomitũ propriæ voluntatis redeunt. Hi homicidæ sunt & propter mala exempla sua multas animas perdere faciunt.

Non veni ministrari, sed ministrare, dicit Dominus. Illi qui sunt super alios constituti, tantum de illa prælatione glorientur quantum si essent in in abluendis pedibus fratrum deputati. Et quanto magis turbantur de ablata sibi prælatione quam de pedum officio, tanto magis sibi loculos & periculum animæ componunt.

B

Attende ô homo in quanta excellentia posuerit
Quod nemo superbiat sed glorietur in cruce Domini. te Dominus. Qui creauit & formauit te ad imaginem dilectissimi filij sui secundum corpus, & ad similitudinem suam secundum spiritum. Et omnes creaturæ quæ sub cœlo sunt secundum se seruiunt, cognoscunt & obediunt creatori suo melius quàm tu. Et dæmones non crucifixerunt eum, sed tu cum ipsis crucifixisti eum & adhuc crucifigis delectando in viciis & peccatis. Vnde potes gloriari? Nam si ita esses subtilis & sapiens quòd omnem scientiam haberes, & scires interpretari omnia genera linguarũ, & subtiliter de cœlestibus rebus perscrutari, in omnibus his non potes gloriari: quia vnus dæmon sci- C
uit de cœlestibus magis, & scit de terrenis plusquã omnes homines, licet aliquis fuerit qui summæ sapientiæ cognitionem à Domino receperit spiritualem. Similiter si esses pulchrior & ditior omnibus, & etiam si faceres mirabilia vt dæmones effugares: omnia ista tibi sunt contraria, & nihil ad te pertinẽt. In his nihil potes gloriari: sed in hoc possumus gloriari in infirmitatibus nostris, & baiulare quotidie sanctam crucem Domini nostri Iesu Christi.

Attendamus fratres omnes bonum pastorem qui
De imitatione Domini nostri Iesu Christi. pro omnibus suis saluandis crucis sustinuit passionem. Oues Domini secutæ fuerunt eum cum tribulatione & persecutione, verecundia & fame, in- D
firmitate, & tentatione, & cæteris aliis: & de his receperunt à Domino vitam sempiternam. Vnde magna verecundia est seruis Dei, quòd sancti faciant opera, & nos recitando ea volumus recipere gloriam & honorem.

Dicit autem Apostolus. Littera occidit, spiritus
Vt bona opera sequãtur scientiam. autem viuificat. Illi sunt mortui ad litteram qui tãtum verba sola cupiunt scire, vt sapientiores tenẽantur inter alios, vt possint acquirere magnas diuitias dantes consanguineis & amicis. Et illi religiosi mortui sunt ad litteram qui spiritum nolunt diuinæ litteræ sequi: sed sola verba magis cupiunt scire & aliis interpretari. Et illi sunt viuificati à spiritu di- E
uinæ litteræ qui omnem scientiam & litteram quã sciunt & cupiunt scire (non autem viuunt corpore sed verbo & exemplo) reddunt eam altissimo Domino cuius est omne bonum.

Vt ait Apostolus. Nemo potest dicere Dominus
De peccato inuidiæ vitando. Iesus nisi in spiritu sancto: & non est qui faciat bonum non est vsque ad vnum. Quicunque ergo inuidet fratri suo de bono quod Deus dicit & facit in ipso pertinet ad peccatum blasphemiæ: quia ipsi altissimo inuidet qui dicit & facit omne bonum.

Dicit Dominus in Euangelio. Diligite inimi-

cos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate
De dilectione. pro persequentibus, &c. Ille veraciter diligit inimicum suum, qui non dolet de iniuria quam sibi fecit: sed de peccato animæ suæ vritur propter amorem Dei, & ostendit ei ex operibus dilectionem.

Multi sunt qui dum peccant vel iniurias reci-
De castigatione corporis. piunt sæpe inculpant inimicum vel proximum. Sed non est ita quia vnusquisque habet in potestate sua inimicum suum, videlicet corpus per quod peccat.
Quod nemo corrũpatur, à zelo malo alterius. Vnde beatus ille seruus qui talem inimicum traditum in sua potestate semper captum tenuerit, & sapienter se ab eo custodierit: quia dum hoc fecerit nullus alius inimicus visibilis ei nocere potest.

Seruo Dei nulla res debet displicere prẽter pecca-
tum. Et quocunque modo aliqua persona peccaret, & propter hoc seruus Dei nisi in charitate turbaretur aut irascceretur, thesaurizat sibi iram & culpam. Ille est seruus Dei, qui non irascitur neque turbatur pro aliquo. Rectè viuit & sine proprio, & beatus est: quia non remanet sibi aliquid reddens, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.

Sic potest cognosci seruus Dei si habet spiritum
De cognoscẽdo spiritũ Dei. Domini cum Dominus operatur per ipsum aliquid boni, si caro eius neque mens exinde se exaltat: quia semper contraria est omni bono. Sed si magis ante oculos suos, se habere viliorem & in omnibus aliis hominibus se minorem existimaret.

Sanctus Dei non potest cognoscere quantam ha-
De patientia in aduersis. bet patiẽtiam & humilitatem in se dum satisfactum est sibi. Cum autem venerit tempus, in quo illi qui deberent satisfacere ei faciunt sibi cõtrarium quantam habet patientiam ibi & humilitatem tantam habet & non plus.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est re-
De paupertate spiritus. gnum cælorum: multi sunt qui orationibus & officiis insistentes multas abstinentias, & afflictiones in

suis corporibus faciunt: sed de solo vno verbo quod viderint iniuriam esse suorum corporum vel de aliqua re, quæ sibi auferatur scandalizati continuò per-
D turbantur. Hij non sunt verè pauperes spiritu. Quia quia qui verè pauper est spiritu seipsum odit, & alios diligit qui ipsum percutiunt in maxillam.

Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur. Illi
De pace. sunt verè pacifici qui in omnibus qui in hoc sæculo patiuntur propter amorem Domini nostri Iesu Christi in animo & corpore pacem seruant.

Beati mundo corde quoniam ipsi Deum vide-
De mundicia cordis. bunt. Verè mundo corde sunt, qui terrena despiciunt, & cœlestia quærunt, & semper adorare & videre Dominum Deum viuum & verum mundo corde, & animo non desistunt.

Beatus ille seruus qui non magis exaltat se de
De humili seruo Dei. bono quod Dominus dicit, & operatur per ipsum quam quid dicit & operatur per alium: peccat enim homo qui magis vult recipere à proximo suo quàm vult dare de se Domino Deo.

Beatus homo qui sustinet proximum suum se-
De compassione proximi. cundum suam fragilitatem in eo quod vellet sustineri ab ipso, si in consimili casu esset. Beatus seruus qui omnia bona reddit, & attribuit Domino Deo. Quia qui sibi aliquid retinuerit, abscondet pecuniam Domini Dei sui, & quod putat habere auferetur ab eo.

Beatus ille seruus qui non tenet se meliorẽ quãdo magnificaretur

De humili seruo Dei.

magnificatur & exaltatur ab hominibus sicut quã- A
do tenetur vilis simplex & despectus. Quia quantum est homo coram Deo, tantum est & non plus. Væ illi religioso qui ab aliis positus est in alto, & per suam voluntatem non vult descendere. Et beatus ille seruus qui nõ per suam voluntatẽ ponitur in alto, & semper desiderat esse sub pedibus aliorum.

De bono & vano religioso.

Beatus ille religiosus qui non habet iocunditatẽ, & læticiam nisi in sanctissimis eloquiis & operibus Dei: & cum his perducit homines ad amorem Dei in gaudio, & læticia & exultatione. Et væ illi religioso qui delectat se in verbis otiosis, & vanis, & cum his perducit homines ad risum.

De inani & loquaci religioso.

Beatus ille seruus qui non loquitur sub spe mer- B
cedis, & omnia sua non manifestat, & non est velox ad loquendum: sed sapienter prouidet quę sibi Dominus ostendit, non retinet in corde: sed & aliis nõ ostendit per operationem, sed sub spe mercedis magis hominibus verbis cupit ostendere quàm Deo. Ipse enim recepit mercedem suam, & audientes paruum fructum reportant.

De correctione.

Beatus seruus qui disciplinam, accusationem & reprehensionem ab aliquo ita patienter sustinet sicut à semetipso. Beatus seruus qui benignè reprehensus acquiescit, verecũdè obtemperat, humiliter confitetur, & libenter satisfacit. Beatus seruus qui qui non est velox ad se excusandum, & humiliter C
sustinet verecundiam & reprehensionem de peccato, vbi non commisit culpam.

De humilitate.

Beatus seruus qui ita inuentus est humilis inter subditos fratres suos, sicut quando esset inter Dominos suos. Fidelis seruus, & prudens est, qui in omnibus suis offensis nõ tardat interius punire per cõtritionem, & exterius per confessionem & operis satisfactionem.

De vera dilectione.

Beatus seruus qui tãtùm diligit fratrem suũ quãdo est infirmus, quod non potest ei satisfacere: quãtum quando est sanus, quòd potest ei satisfacere.

Item de eodem.

Beatus qui tantùm diligit fratrem suum cum est longè ab ipso, sicut quando est cum eo. Et non D
diceret aliquid post ipsum quod cum charitate non posset dicere coram eo.

Quòd serui Dei honorent clericos.

Beatus seruus qui portat fidem in clericis, qui viuunt rectè secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & væ illis qui ipsos despiciunt. Licet enim sint peccatores, tamen nullus debet eos iudicare. Quia ipse solus Dominus reseruat sibi ad eos iudicandum. Nam quantò maior est omnibus administratio eorum, quam habent de sanctissimo corpore, & sanctissimo sãguine Domini nostri Iesu Christi, quod ipsi recipiunt, & aliis ministrant: tantò plus peccatum habent, qui peccant in ipsis quàm in omnibus aliis hominibus istius Mundi.

De virtute effugante vitium.

Vbi est charitas & sapiẽtia, ibi nec timor, nec ignorantia. Vbi est patientia, & humilitas, ibi nec ira nec perturbatio. Vbi est paupertas cũ lætitia, ibi nec cupiditas nec auaritia. Vbi est quies, & meditatio ibi nec solicitudo nec vagatio. Vbi est timor Domini ad atriũ suũ custodiendũ, ibi inimicus nõ potest habere locum ad ingrediendũ. Vbi est misericordia & discretio, ibi nec superfluitas nec induratio.

De abscõdendo bonũ ne perdatur.

Beatus seruus qui thesaurizat in cœlo bona quæ sibi Dominus ostendit, & sub spe mercedis non cupit manifestare hominibus: quia ipse altissimus manifestabit opera eius, quibuscũque placuerit. Beatus seruus qui secreta Domini obseruat in corde suo.

Hæc igitur sunt verba vitæ & salutis, quæ si quis elegerit & fecerit, inueniet vitam & hauriet salutem à Domino, Amen.

LAVS DOMINI DEI ALTISSIMI, quam composuit beatus Franciscus.

TV es Dominus Deus. Tu es Deus Deorum qui solus facis mirabilia. Tu es fortis. Tu es magnus. Tu es altissimus. Tu es Pater sanctus rex cœli & terræ. Tu es trinus, & vnus Deus. Tu es bonus, omne bonum, summum bonum Domine Deus vnus & verus. Tu es amor & charitas. Tu es sapientia. Tu es humilitas. Tu es patientia. Tu es pulchritudo. Tu es securitas. Tu es quies. Tu es gaudium. Tu es spes nostra & lætitia. Tu es iustitia & temperantia, tu es fortitudo & prudentia. Tu es omnes diuitiæ ad sufficientiam. Tu es mansuetudo, tu es protector, tu es custos, & defensor, tu es refugium nostrum & virtus, tu es fides, spes & charitas nostra. Tu es magna dulcedo nostra. Tu es bonitas infinita, magnus & admirabilis Dominus Deus meus omnipotens pius & misericors saluator.

ORATIO.

OMnipotens ęterne iuste & misericors Deus, da nobis miseris propter temetipsũ facere, quod scimus te velle: & semper velle quod tibi placet, & interius mundari, interius illuminari vt igne sancti Spiritus accensi possimus sequi vestigia tui dilectissimi filij Domini nostri Iesu Christi: & ad te altissimum sola tua gratia peruenire, qui in Trinitate perfecta, & vnitate simplici viuis & regnas & gloriaris Deus omnipotens in sæcula sæculorum, Amen.

ORATIO AD VIRGINEM MARIAM.

SAncta Dei genitrix dulcis & decora regẽ morti traditum filium tuum dulcissimum Dominum nostrum Iesum Christum, pro nobis exora, vt ipse per suam piissimam misericordiam & clementiam, & virtutem sanctissimæ incarnationis, & mortis ipsius acerbissimæ nobis indulgeat peccata nostra, Amen.

Alia oratio eiusdem ad beatissimam Virginem Mariam.

SAncta Maria virgo, non est tibi similis nata in Mundo in mulieribus: filia & ancilla altissimi regis patris cœlestis: mater sanctissima, Domini nostri Iesu Christi: sponsa spiritus sancti. Ora pro nobis, cum sancto Michaële Archangelo & omnibus virtutibus cælorum & omnibus sanctis, tuum sanctissimum filium dilectissimum Dominum nostrum & magistrum, Amen.

Verba beatissimi Patris nostri Francisci, ad humilitatem, obedientiam, deuotionem & patientiam inducentia.

BEatus seruus qui non tenet se meliorem quando E
magnificatur & exaltatur ab hominibus sicuti quando tenetur vilis, simplex & abiectus & despectus: quia quantùm est homo coram Deo, tantum est & non plus. Væ illi Religioso qui ab aliis positus est in alto & per suam voluntatem non vult descendere. Et beatus ille seruus qui non per suam voluntatem ponitur in alto & semper desiderat subesse pedibus aliorum. Beatus ille Reliogiosus qui non habet iocunditatem & lætitiam nisi in sanctissimis eloquiis & in operibus domini, & cum his perducit

homines ad amorem Dei in gaudio & lætitia. Væ A illi Religioso qui delectatur in verbis ociosis & vanis,& in his perducit homines ad risum. Beatus seruus qui disciplinam, accusationem & reprehensionem ita patienter ab aliquo sustinet,sicut à semetipso. Beatus seruus qui reprehensus benignè acquiescit verecundè obtemperat,humiliter confitetur, libenter satisfacit. Beatus seruus qui non est veloxad se excusandum & humiliter sustinet verecundiam & reprehensionem de peccato vbi non commisit culpam.

Incipit littera eiusdem beatissimi Patris nostri Francisci, ad Sacerdotes ordinis sui.

IN nomine sanctæ Trinitatis, & summæ vnitatis patris, & filij & spiritus sancti, Amen. Reuerendis & multum diligendis fratribus vniuersis Generali Ministro,ordinis minimorum. Domino suo, & cæteris ministris generalibus qui post eum erunt,& omnibus Ministris,& Custodibus, & Sacerdotibus fraternitatis eiusdem in Christo humilibus, & omnibus simplicibus & obedientibus primis & nouissimis,frater Franciscus. Homo vilis & caducus, vester paruus seruus, Salutem in eo qui redemit & lauit nos in sanguine suo,Cuius nomen audiētes adorate eum cum timore & reuerentia proni in terra, Dominus Iesus Christus,altissimus filius nomen illi qui est benedictus in sæcula, Amen.

Audite Domini filij & fratres mei:auribus percipite verba mea. Inclinate aures cordis vestri& obedite voci filij Dei. Seruate in toto corde vestro mãdata eius: & consilia eius perfecta mente implete. Confitemini ei quoniam bonus,& exaltate eum in operibus vestris. Quoniam ideo misit vos Deus, in vniuerso mundo,vt verbo & opere detis testimoniũ voci eius, & faciatis scire omnes quoniam non est omnipotens præter eum. In disciplina & obedientia persuadete,& quæ promisistis ei,bono animo & firmo proposito adimplete. Tanquam filiis se offert nobis Dominus Deus. Deprecor itaque omnes fratres cum osculo pedũ,& cum charitate qua possim: vt omnem reuerentiam, & omnem honorem, quãtùmcunque poteritis,exhibeatis Corpori & sanguini Domini nostri Iesu Christi, in quo quæ in cœlis, D & quæ in terris,sunt pacificata & reconciliata omnipotenti Deo. Rogo etiam in Domino omnes fratres meos Sacerdotes qui sunt, & erunt,& esse cupiunt altissimi,quòd quãdocunque voluerint Missam celebrare, purè faciant, cum reuerentia verum sacrificium sanctissimi corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi,sancta intentione & munda: non pro vlla terrena re neque timore vel amore alicuius hominis,quasi placentes hominibus. Sed omnis voluntas quantum adiuuat gratia omnipotentis ad eum dirigatur: & soli ipsi Deo summo tãtum placere desideretis. Ipse solus operatur sicut si- E bi placet. Quoniam sicut ipsé Dominus dicit. Hoc facite in meam commemorationem: si quis aliter fecerit,Iudas traditor efficitur. Recordamini fratres Sacerdotes, quoniam scriptum est, in lege Moysi, quoniam transgredientes in corporalibus,sine vlla miseratione per sententiam Domini moriebantur. Quanto maiora & peiora meretur pati supplicia, qui filium Dei conculcauerit & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Despicit enim homo pollutus,& conculcat agnum Dei: quoniam sicut dicit Apostolus,non diiudicans & discernens 1.Cor.11. sanctum panem Christum ab aliis cibariis vel operibus indignis, indignus manducat, cum Dominus per Prophetam dicat: Maledictus homo qui opus Dei facit negligenter, vel fraudulenter. Et propter Sacerdotes qui nolunt ponere super cor, in veritate condemnat nos dicens: Maledicam benedictionibus vestris. Audite fratres mei. Si beata virgo Maria honoratur (vt dignũ est)quia ipsum portauit in sanctissimo vtero suo:si beatus Ioannes baptista contremuit, & non audebat tangere Domini verticem: sic sepulchrum in quo per aliquod tempus iacuit, sic veneratur: quãtùm debet esse sanctus B & iustus,& dignus,qui non iam moriturum, sed in æternum victurum & glorificatum, in quem desiderant Angeli prospicere,contrectat manibus,corde & ore sumit,& aliis ad sumendum præbet? Videte dignitatem vestram fratres Sacerdotes, & estote sancti, quia ipse sanctus est. Et sicut super omnes propter hoc ministerium honorauit vos Dominus Deus, ita & vos super omnes propter hoc ministerium diligite eum,reueremini & honorate.

Magna miseria,& miseranda infirmitas, quando ipsum sic præsentem habetis, & aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paueat, totus mundus contremiscat,& cœlum exultet: quando super C altare in manibus Sacerdotis est Christus filius Dei viui. O admiranda altitudo! O stupenda dignatio! O sublimitas humilis,quòd Dominus vniuersitatis Deus & Dei filius,sic se humiliat, vt pro nostra salute sub modica panis formula se abscõdat. Videte fratres humilitatem Dei, & effundite coram illo corda vestra, & humiliamini, vt & vos exaltemini ab eo. Nihil ergo de vobis retineatis vobis, vt totos vos recipiat qui se vobis exhibet totum.

Christus sub modica Panis formula.

Moneo præterea, & exhortor in Domino, vt in locis in quibus morantur fratres, vna tantùm celebretur Missa in die secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Si verò in loco plures fuerint Sacerdotes,sic sit per amorem charitatis alter contentus audita celebratione Sacerdotis alterius: quia absentes & præsentes replet qui eo digni sunt, Dominus noster Iesus Christus. Qui licet in pluribus videatur esse locis, tamẽ indiuisibilis manet, & aliqua determinata non nouit, sed vnus verus, sicut ei placet,operatur cum Domino Deo Patre, & Spiritu sancto paraclito in sæcula sæculorum, Amen.

Una Missa celebranda.

Explicit Epistola Seraphici Patris nostri Francisci.

Missa est Sactificiũ Corporis Christi.

INCIPIT TESTAMENTVM BEATISSIMI Patris nostri Francisci.

DOminus dedit mihi fratri Francisco, incipere facere pœnitentiam: quia cum essem in peccatis,nimis mihi videbaturamarum videre leprosos. Et ipse Dominus conduxit me inter illos, & feci misericordiam cum illis, & recedente me ab ipsis, id quod videbatur mihi amarum conuersum fuit mihi in dulcedinem animæ & corporis. Et postea parum steti,& exiui de sæculo. Et Dominus dedit mihi fidem talem in Ecclesiis, vt ita simpliciter adorarem & dicerem. Adoramus te sanctissime Domine Iesu Christe, hîc & ad omnes ecclesias tuas

sias tuas quæ sunt in toto Mundo, & benedicimus tibi quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum. Et postea dedit mihi Dominus, & dat tantam fidem in Sacerdotibus, qui viuũt secundùm formã sanctæ Romanæ Ecclesiæ propter ordinẽ ipsorum, quòd si facerẽt mihi persecutionem volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiam quãtam Salomon habuit, & inuenirem pauperculos Sacerdotes huius sæculi in parrochiis in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipsorum.

Sacerdotes honorandi à religiosis mendicantibus.

Et ipsos, & omnes alios volo timere, amare & honorare, sicut meos Dominos. Et nolo in ipsis considerare peccatum, quia filiũ Dei discerno in ipsis, & Domini mei sunt. Hæc propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc sęculo de ipso altissimo filio Dei nisi sanctissimum Corpus & sanguinem suum quod ipsi recipiunt. & ipsi soli aliis ministrant. Et hæc sanctissima Mysteria volo super omnia honorari & venerari, & in locis preciosis collocari. Sanctissima nomina & verba eius scripta, vbicunque n uenero in locis illicitis, volo colligere: & rogo quòd colligantur, & in loco honesto collocẽtur. Et omnes theologos & qui ministrãt nobis sanctissima verba diuina debemus venerari sicut qui ministrant nobis spiritum & vitam. Et postquã dominus dedit mihi, de fratribus nemo ostendebat mihi quid deberem facere: sed ipse altissimus reuelauit mihi quòd ego deberem viuere secũdum formam sancti Euangelij. Et ego paucis verbis & simpliciter feci scribi, & dominus Papa confirmauit mihi. Et illi qui veniebant ad recipiendum vitam istam, omnia quæ habere poterant dabant pauperibus. Et erant cõtenti tunica vna intus & foris repetiata, qui volebant, cum cingulo & bracchis, & nolebamus plus habere. Officium dicebamus Clerici secundum alios Clericos: Laici dicebant, Pater noster: Et satis libenter manebamus in Ecclesiis pauperculis & derelictis, & eramus, ydiotæ & subditi omnibus. Et ego manibus meis laborabam & volo laborare: & omnes alij fratres firmiter volo quod laborẽt, de laboritio quod pertinet ad honestatem.

Theologi honore prosequẽdi.

Primorum Franciscanorũ vita.

Et qui nesciunt, discant non propter cupiditatem recipiendi precium laboris, sed propter bonum exẽplum, & ad repellendum ociositatem. Et quando non daretur nobis precium laboris, recurramus ad mensam domini, petendo eleemosynam ostiatim. Salutationem hanc reuelauit mihi dominus, vt diceremus: dominus det ibi pacem. Caueant sibi fratres vt Ecclesias & habitacula, & omnia alia quę pro ipsis construuntur, penitus non recipiant nisi essent sicut decet, secundum sanctam paupertatem quam in regula promisimus, semper ibi hospitantes sicut aduenę & peregrini. Pręcipio firmiter per obedientiam fratribus vniuersis, quòd vbicunque sunt non audeant petere aliquam litteram in Curia romana, per se nec per interpositam personam, neque pro Ecclesia, neque pro alio loco, neque sub specie prędicationis, neque pro persecutione suorum corporum. sed vbicunque non fuerint recepti, fugiant in alienam terram ad faciendum pœnitentiam cum bened. ctione Dei. Et firmiter volo obedire generali Ministro huius fraternitatis & illi Gardiano quem sibi placuerit mihi dare, & ita volo esse captus in manibus suis vt non possim ire vel facere cõtra voluntatẽ suã, quia dominus meus est. Et quamuis sim simplex & infirmus, tamẽ semper volo habere Clericum qui mihi faciat officium sicut in regula continetur. Et omnes alij fratres ita teneantur firmiter obedire Gardianis suis, & facere officium suum secũdum regulam. Et si aliqui inuenti essent qui non facerent officium secundum regulã, & vellent aliomodo variare aut nõ essent catholici: omnes fratres vbicunque inuenerint aliquem ipsorum, proximiori custodi illius loci vbi ipsum inuenerint debeant præsentare. Et Custos teneatur per obedientiam, ipsum firmiter custodire sicut hominem in vinculis die noctúque, ita quòd non possit eripi de manibus eius, donec in propria sua persona ipsum repræsentet in manibus sui Ministri. Et Minister teneatur firmiter per obedientiam mittere ipsum per tales fratres qui die noctúque custodiant ipsum sicut hominẽ in vinculis, donec repræsentent ipsum coram domino Ostiensi, qui est dominus Protector & corrector istius fraternitatis. Et non dicant fratres, hęc est alia regula, quia hæc est recordatio, admonitio & exhortatio & meũ Testamentum, quod ego frater Franciscus paruulus vester facio vobis fratribꝰ meis benedictis, propter hoc vt regulam quam domino promisimus, melius catholicè obseruemus. Et generalis Minister & omnes alij Ministri & Custodes, per obedientiã teneantur in istis verbis non addere vel minuere. Et semper hoc scriptum habeãt secum iuxta regulam: & in omnibus Capitulis quæ facient quando legunt regulam, legant & ista verba. Et omnibus fratribus meis clericis & layeis præcipio firmiter per obedientiam vt non mittant glosas in regula nec istis verbis dicendo, ita volunt intelligi, sed sicut dedit mihi dominus simpliciter & purè dicere & scribere regulam, & ista verba, ita simpliciter & purè sine glosa intelligatis, & cum sancta operatione obseruetis vsque in finẽ. Et quicũque hæc obseruauerit in cęlo repleatur benedictione altissimi patris cæleſtis, & in terra repleatur benedictione dilecti Filij sui cum sanctissimo Spiritu paraclito, & omnibus virtutibus cœlorum & omnibus sanctis. Et ego frater Franciscus paruulus vester & seruus, quantumcunque possum confirmo vobis intus & foris istam sanctissimam benedictionem. Amen.

Improborũ coërcio.

Explicit Testamentum beatißimi Patris nostri Franciſci.

LAVDES TESTAMENTI BEATISSIMI PATRIS NOSTRI FRANCISCI.

Laudes Testamenti B. P. nostri Franciſci, authore Anonymo.

O Testamentum pacis, Testamentum nulla obliuione delendum, nulla dedignatione spernendũ, nulla superordinatione contraria mut andum: Testamentum inquam, non morte testatoris, sed immortalis vitæ condonatione sancîtum. Beatus qui non spernit vel abiicit charitatis incorruptibile testamentum, fertile humilitatis feudum, desiderabile paupertatis thesaurum tanti patris sibi traditione legatum.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

INCIPIT ORATIO SEV EXPOSITIO BEATISSIMI PATRIS NOSTRI FRANCISCI SVPER PATER NOSTER.

SAnctiſſime *Pater noſter*, creator, redemptor noſter, ſaluator noſter, conſolator noſter. *Qui es in cœlis*, in Angelis, in Sanctis illuminans eos ad tui cognitionem, quia tu es; domine, lux inflammans eos ad amorem tuum diuinum: quia tu, domine, amor es inhabitans & implens eos ad beatitudinem: quia tu, domine, ſummũ bonum es & æternum bonum à quo omnia bona, & ſine quo nullum bonum. *Sanctificetur nomen tuum.* Clarificetur in nobis noticia tua vt cognoſcamus quæ ſit latitudo beneficiorum tuorum, longitudo promiſſorum, ſublimitas maieſtatis, & profundum iudiciorum. *Adueniat regnum tuum.* Vt tegnes in nobis per gratiam tuam, & facias nos venire ad regnũ tuum vbi eſt tui viſio manifeſta, tui dilectio perfecta, tui ſocietas beata, tui fruitio ſempiterna. *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.* Vt amemus te ex toto corde, te ſemper cogitando, ex tota anima te ſemper deſiderando, ex tota mente omnes intentiones noſtras ad te dirigendo: & honorem tuum in omnibus quærendo, & ex omnibus viribus noſtris omnes vires, ſenſus animæ & corporis in obſequium tui amoris & non in alio exponendo: & proximos noſtros amemus ſicut noſipſos, omnes ad amorem tuũ pro viribus trahendo de bonis aliorum ſicut de noſtris gaudendo, in malis compatiendo: & nemini vllam offenſam faciendo. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Dilectum filium tuum dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ da nobis hodie in memoria, in intelligentia & reuerentia amoris quem ad nos habuit & eorum quæ pro nobis fecit, dixit & ſuſtinuit. *Et dimitte nobis, debita noſtra.* Per tuam miſericordiam & ineffabilem paſſionem dilecti filij tui domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem & beatiſſimæ Mariæ virginis & omnium electorum tuorum merita & interceſſiones. *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Et quia non plenè dimittimus tu domine fac plenè dimittere vt inimicos propter te diligamus, & pro eis apud te deuotè intercedamus, nulli malum pro malo reddamus, & omnibus in te prodeſſe ſtudeamus. *Et ne nos inducas in tentationem*, occultam ſiue manifeſtam, ſubitam vel importunam. *Sed libera nos à malo.* Præterito præſenti & futuro. *Amen ſpontaneè & gratis.*

Matt. 6. Luc. 11.

Supradicto modo dicebat Beatus Pater noſter ad omnes horas.

SANCTI P. N. NILI. EX QVODAM (*Vt veriſimile eſt*) *Parænetico tractatu fragmentum.*

NVnquid Angelos, vel poteſtates vel Chriſtum ſenſiliter videre potes lupum pro paſtore ſuſcipiens & dæmones inimicos adorans? Vana gloria eſt mentis erroris initiũ, qua mens incitata, id quod diuinũ eſt, formis & figuris circunſcribere conatur. Te autem ne hanc quidem fraudem ignorare oportet quòd dæmones ſeipſos in tempore impertiunt, & ſi viſus fueris auxilium petere, ſunt deinceps in figuris angelicis innoxij, primos expellentes vt ab ipſis decipiaris tanquam ipſi ſint ſancti angeli. Dæmones nonnunquam cogitationes ſuggerunt, & te rurſus incitant ad eis malè precandum vel eis contradicendum, & ſua ſponte cedunt vt fallaris, exiſtimans te cœpiſſe cogitationes vincere, & Dæmones terrêre. Non oportet ſacerdotes iuſtè vel iniuſtè iudicare, vel eos examinare: ſed & ſi quis in eis labitur, à Deo iudicabitur & arguetur in hoc & in futuro ſæculo vel à maiori ſacerdote. Sacerdos non eſt qui pro ſacerdotis dignitate non viuit. Nõ oportet offendi propter ſacra quę celebrantur ab improbo ſacerdote, eadem autem eſt oblatio & ſi habeat vitam impuram is qui offert. Audiẽdi ſunt doctores & ſacerdotes dum docent ex diuinis ſcilicet ſcripturis, vt deo placet, & non ſecundum proprias cupiditates, vt ſcriptum eſt, & non iudicare ipſos etiam ſi malam vitam habeant: & ſi in fide quidẽ labantur, tunc non oportet credere, ſed eos etiam fugere, ac iudicare. Deus quidẽ nõ omnes ordinat, ſed per omnes operatur vt ſeruetur populus. Aſſueſcendo ſacerdotes contemnere, Deum quoque contemnimus, quemadmodum in periculo verſatur is cui ſecundùm mundum nec exercitus nec dignitas regia commiſſa eſt, ſi ea agat quæ ad regiam dignitatem pertinent, ita & qui quæ ſunt ſacerdotis munera aggreditur etiam ſi videatur iis longè ſapientior.

Dæmonũ fraudes.

Sacerdotes non iudicandi.

Sacra improbi ſacerdotis.

Doctores niſi in fide lapſi non iudicandi.

Sacerdotũ contẽptus pericula.

SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM PARENESES SIVE LIBELLI DE MORIBVS INSTITVENDIS, (Bibliothecæ) Tomus quintus hactenus.

SANCTI PATRIS NOSTRI FRANCISCI

INCIPIT ORATIO SEV EXPOSITIO BEATISSIMI PATRIS
NOSTRI FRANCISCI SUPER PATER NOSTER

SANCTI P. N. FRANCISCI EX QVOD

2923

Sign. Typ.
Ba 125
Tab 5
Num 5

T

Biblio
thecae
SS. Prū
hic sunt
variid
morib
tractā
tus.

V